
Band VIII. 1835


ANNALES
ECCLESIASTICI
AB ANNO MCXCVIII
VBI CARD. BARONIVS DESINIT
AVCTORE
ODORICO RAYNALDO
TARVISINO
CONGREGATIONIS ORATORII
PRESBYTERO
TOMVS XIII
Romæ excudebat Mascardus 1640.
Superiorum permissu et priuilegio
VBEGIT GETES
VICIT HÆRESE
PETRA EXALTAVIT ME. ET NVNC EXALTAVIT CAPVT MEVM SVPER INIMICOS MEOS

SANCTISSIMO

AC BEATISSIMO PATRI

ET DOMINO NOSTRO

INNOCENTIO X.

PONTIFICI MAXIMO.

ODORICVS RAYNALDVS CONGREG. ORATORII PRESBYTER SEMPITERNAM F.

PLVRA ſunt, Beatiſſime Pater, quæ poſtulare videntur, vt decimum tertium hunc Annalium Eccleſiaſticorum Tomum, ab Innocentio III. ad Innocentium IV, qui defenſæ & auctæ Eccleſiæ gloria inſignes extitere, perductum, offeram Sanctitati Tuæ: atque in primis, quia Eccleſiæ toto orbe diffuſæ, Sponſæ Sanctitatis Tuæ, ſacra monumenta atque Hiſtoriam ijdem Annales complectuntur; ac non tàm ex ingenij mei tenuitate, quàm ex eo, quo Beatitudo Tua flagrat rei Chriſtianæ tuendæ zelo, emanarunt. Cùm enim Cæſar Cardinalis Baronius, ſummæ pietatis ac ſapientiæ vir, atque vniuerſæ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ pater (quem Sanctitas Tua, amore & officijs, dum in terris fuit, eſt proſecuta, ac poſt obitum, meritis laudibus ad cœlum tollere nunquam deſtitit) huiuſcemodi Hiſtoriæ ſcribendæ prouinciam hereditario quodam iure alumnis Congregationis noſtræ reliquerit; eamque Hiſtoriam ex ſcrinio potiſſimum Sedis Apoſtolicæ, & antiquiſsimis Vaticanæ Bibliothecæ monumentis excerpendam præſcripſerit; mihi, cui ab ingenij artisque adminiculis plane imparato tam arduum munus obtigit, omnino viſum eſt deberi Opus vni S.ᵗ T. quæ Vaticana tabularia, in quibus tot inſunt theſauri quot volumina, reſerari mihi ac patefieri iuſsit. Adeò vt iure optimo dicere poſſe videar, me non tam meo ingenio parta edere, quàm quæ Sanctitatis Tuæ munere mihi tradita ſunt, publici iuris efficere.

Cæterum quanto id Chriſtianæ reipublicæ cum emolumento S.ᵗⁱ T. inſtinctu quodam diuino præſtiterit, ſatis perſpicuum eſſe puto. Ijs namque, vt alia mittam, catholicæ Religionis, cui B.ᵈᵒ T. præeſt, perduellium hæreticorum perfidia, & impudentia retunditur, & coarguuntur mendacia, qui omne ſtudium in eo collocant,

cant, vt Romanæ Eccleſiæ, ac Sedis Apoſtolicæ auctoritati detrahant, eamque, ſi fieri poſſet, euertant; quorum tamen ſtultos conatus ad irritum ſemper recaſuros, tum æternæ veritatis oraculo nouimus, quod portas inferi aduerſus eam non præualituras affirmat [a]; tum ex frequentiſſimis exemplis, quæ Annalibus hiſce inſerta leguntur, luce clarius eniteſcit. Hinc quoque documenta capient Principes Chriſtiani, quantum ad Regna atque Imperia firmanda momentum afferant propenſa erga Apoſtolicam Sedem, cœleſtibus etiam Principatibus reuerendam, ſtudia atque obſequia: cùm domeſticis maiorum exemplis facile diſcere poſſint, omnia proſpera ſummum in terris Patrem, Chriſti Vicarium, filiali amore ac debita reuerentia proſequentibus eueniſſe, aduerſa ſpernentibus.

[a] Matt. 16.

Præterea eo etiam nomine hoc Opus Beatitudini Tuæ non ingratum fore confido, ſi ſpectet conſcribendorum Annalium Eccleſiaſticorum præcipuum auctorem Baronio fuiſſe S. Philippum, Congregationis noſtræ conditorem, qui dum in terris egit, paternæ familiæ S.tis T. arcto amicitiæ nexu coniunctus diuinitus nullo vnquam tempore eſt ab ea diſtractus. Nam & Camillum Pamphilium Beatitudinis Tuæ Parentem optimum ac præſtantiſsimum, ancipiti curarum æſtu fluctuantem, vtpote qui intima mentis ſecreta penetraret, ſedatis animi fluctibus, omni ſolicitudinis moleſtia leuauit; & Hieronymo Patruo, pietate ac doctrina clariſsimo (de quo opportuniori loco mihi ſermo inferendus) Cardinalatus dignitatem prædixit; nec ſemel varijs ex morbis, quibus conflictabatur, eripuit. Alexandrum quoque Fratrem, grauiter decumbentem, priſtinæ valetudini reſtitutum, ex præcipiti erexit. Neque illum fugiſſe videtur, quanto Sanctitas Tua diuinæ dignationis beneficio cumulanda eſſet, cùm ad clericalia inſtituta amplectenda ſuis ad Deum precibus eam pellexerit. Proſequebatur viciſsim S.tas T. ſeruum Dei magna animi beneuolentia ac veneratione, & poſtquam ille cœlitum numerum auxit, ſtudioſiſsime coluit, cunctaque ſua, quamuis ſumma, ipſi accepta ingenue retulit, atque etiam nunc referre conſtantiſsime pergit, ac prolixum erga illius alumnos amorem explicat. Ijs igitur allectus, ad Beatitudinis Tuæ pedes omni animi ſubmiſsione accido, ac tenues meos alacriter offero labores, eoſque cenſuræ Apoſtolicæ ſubijcio, non dubia ſpe præditus, Sanctitatem Tuam me, in cœptum opus incumbentem, benigno ſtudio prouecturam. Interim Deum veneror precorque, vt Te, Beatiſſime Pater, Eccleſiæ ſuæ incolumem diutiſsime ſeruet.

EMIN.MO AC REV.MO DOMINO
CAMILLO PAMPHILIO
S. R. E. DIACONO CARD.
AMPLISSIMO.

ODORICVS RAYNALDVS CONGREG. ORATORII PRESBYTER FELICITATEM.

POSTVLAT a me, Princeps Eminentissime, officij mei ratio, tuumque egregium in nos studium, vt tertiumdecimum Annalium Ecclesiasticorum Tomum, Sanctissimo D. N. Innocentio Pontifici Maximo oblatum, quem Apostolicis benedictionibus est prosecutus, Tibi primùm tradam. Etenim ea animi tui, alioqui maximi celsissimique, demissio est, vt Congregationis nostræ Filium te appellare non dedigneris. In qua ornanda augendaque a Beatissimi Pontificis Patrui tui, & Hieronymi Cardinalis Pamphilij dignissimi, cæterorumque pijssimæ tuæ Familiæ vestigijs non aberras. Illud etiam addendum videtur Te, Patrum eiusdem Congregationis opera, ob perpetuum Maiorum tuorum cum illis vsum, consuetudinemque ab ineunte ætate omnibus Christianis virtutibus fuisse imbutum, vsque adeò, vt non tam annorum decursu, quàm earum incremento videreris excrescere. Quamobrem, quæ ex congregatione ipsa proficiscuntur, meritò arbitror Tibi deberi. Excitauit me ad id quoque Cardinalis Baronij, quem Amplitudo tua eximijs in cælum laudibus effert, in re simili exemplum, qui Lucubrationes suas, Clementi VIII. oblatas, Petro Cardinali Aldobrandino Fratris Filio tradidit. Neque illud reticendum censeo, eo etiam nomine hosce Annales Tibi deberi, quòd Ecclesiæ res gestas complectuntur, cui Ecclesiæ Te, vnicum Excellentissimæ Pamphiliorum Familiæ germen, neglecta spe posteritatis, cuius plerique alij, ac maxime Principes viri, cupidissimi esse consueuere, raro exemplo, addixisti: vt non sine Diuino consilio factum quispiam dixerit, Camilli, nimirum sacrorum Ministri, nomen tibi fuisse inditum. Rependat Eminentiæ tuæ humani generis Conditor amplissima præmia, cælibem vitam agentibus promissa, verbis illis, vti Sancti Patres pari consensu exponunt, comprehensa: [a] *Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum & nomen melius a filijs & filiabus*; in Ecclesia nimirum, & in cælo nomen gloriosius & diuturnius, quàm a filijs suis habere possent; *nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* a Is. 56.

PIO AC BENEVOLO LECTORI.

SOLEMNE est ijs, qui Libros conscribunt, præfari quo sint ad rem aggrediendam permoti consilio, deque argumento, in quo versaturi sunt, longiorem orationem pertexere. Quorum sequerer instituta, si nouum Opus incipere potiùs, quàm ab alio iam inchoatum conarer absoluere. Verùm me ea necessitate exoluit Cæsar Cardinalis Baronius, vniuersæ Historiæ Ecclesiasticæ Parens ac Princeps, qui magno atque æterno Annalium Opere non solùm laudem immortalem sibi & Congregationi nostræ peperit, sed etiam quodammodo hereditarium eiusdem Operis propagandi & absoluendi munus penes nos reliquit. De cuius laudibus plura dicerem, nisi eas Hieronymus Barnabæus, Congregationis nostræ Presbyter, in admirabili eius vita, quam propediem editurus est, large copioseque complecteretur. Cùm igitur instituti mei ratio non alia sit, quàm vt egregias tanti Viri lucubrationes, quibus Ecclesiam Dei illustrauit, prosequar, eadem in huius Operis limine a me dicta existimes, quibus ipse & ad exponendum animi sui consilium, & ad Historiæ Ecclesiasticæ vel dignitatem ac præstantiam commendandam, vel ad vtilitatem & iucunditatem ostendendam egregie præfatus fuit.

Quod reliquum est, te, Lector benigne, præmonitum velim, me pro mea virili parte daturum esse operam, vt suis eum vestigijs persequar, atque adeo epistolarem, quam vocat, Historiam ex Romanorum Pontificum, aliorumque Præsulum ac Principum virorum literis repetitam intexam: quam ipse frequenter in Annalibus suis ceteris omnibus anteferendam censet, idque diligentissime præstitit (quamuis innumera per superiorum seculorum calamitatem volumina interierint) cùm etiam ad eandem rationem tenendam Sodalitij nostri Patres hisce verbis, quæ in notis eius apud nos extant, instruxerit: Spero quòd Vallicellanæ nostræ Ecclesiæ Patres eius facultatis, nimirum Annalium conscribendorum, studiosi tanquam iure hereditario manus immittent: quos moneo, sibi proponant ex Vaticana Bibliotheca potissimum fore promendos eos, qui conscribendi sunt Annales.

Hæc magni Viri, & auspicis nostri documenta eò auidius arripui, & legis cuiusdam instar habui, quò Summorum Pontificum Regesta, aliorumque commentariorum volumina ex scrinijs Sedis Apostolicæ & Vaticanis Archiuis, singularis eiusdem Sedis beneficio mihi exhibita fuerunt & exhibentur. Ceterùm in hisce Romanorum Pontificum epistolis, multitudine propemodum infinitis, alijsque monumentis, ne meipsum teque, optime Lector, obruerem, eum adhibendum duxi delectum, vt quæ iam edita apud alios reperiuntur, leuiter delibarem, nisi rerum magnitudo aliter exposceret: quæ verò in lucem adhuc prolata non fuere, ea pleniori quidem mensura, non tamen toto, quod aiunt, horreo profunderem.

Ex Pontificijs literis, publica auctoritate & fide munitis, inter alia ingentia emolumenta, illud non postremum commodum sum assecutus, vt in temporum ineunda ratione, in qua ceteroqui plurimum fuisset desudandum, minus laboris impenderem, cùm singulis diplomatibus annus Pontificatus & dies exactissime ascripti reperiantur. Quæ monumenta qui non euoluere, vix credi potest in quot errores impegerint.

Ad hæc Regesta Pontificum, quamuis vberrimam Historiæ Ecclesiasticæ materiam suppeditent, accessere schedæ, codicesque manuscripti amplissimi, a Cardinali Baronio inæstimabili eius munere Bibliothecæ nostræ Vallicellanæ relicti, in quibus Imperatorum ac Principum diplomata, aliaque ab ijs cum Romanis Pontificibus agitata continentur. Quæ locupletiora redduntur ex reconditis monumentis manu exaratis, ex Vaticana alijsque, quà publicis, quà priuatis amicorum Bibliothecis magno sane labore, sed non sine fructu, conquisitis: vt taceam probatissimorum Auctorum typis excusa volumina, in quibus euoluendis non minimum studij ac laboris insumpsi.

Porrò si Baronij exemplo, quò maior rebus, quæ a me afferuntur, fides accedat, antiquorum monumentorum & Historicorum verba, quamuis agrestia & inculta potiùs, quàm eorum sententiam expolitiori cultu ornatam exponam, non debet id legentibus fastidium mouere, cùm in veritate, cuius consectandæ vnicum nobis consilium est, illustranda maioris sit auctoritatis oculatorum testium dicta, etsi obsoleta, quàm aliorum tersa ac perpolita adducere. Verùm recentioribus Historicis, & longius ab ijs temporibus, quæ tractanda suscepi, remotis parciùs vtor, cùm eorum auctoritas, quod Cardinalis noster subinde in Annalibus monet, leuissima sit, nisi antiquis monumentis fulciatur. Addo, plurimis eos erroribus passim scatere, meo periculo fuisse deprehensum: quos sigillatim recensere, aut refellere superuacaneum duxi, cùm, exposita firmataque veritate, vltrò illos corruere & euanescere necesse sit: Nam sicut est in geometricis, *ait Baronius*, [a] assertionibus rectum est mensura sui & obliqui, ita confutatione non indiget, quod collatione recti esse demonstratur obliquum. Eòque magis abstinendum putaui a carpendis notandisue etiam iustissima censura Auctoribus, quorum recens memoria est, ne liuore in eos suffusus, atque ex aliorum reprehensione laudem quæsiuisse viderer, cùm ea mihi scribendi seges affluat, vt accersitis confutationibus, improbo quidem more, libros augere opus non sit. Tanta namque epistolarum insignium veterumque monumentorum sub manum copia venit, vt plurium annorum res gestas in Tomum vnum conferre non licuerit: id quod etiam a Baronio, Annalium conditore, perfectum videmus, qui pro rerum copia, non verò pro annorum ratione, prolixior vel breuior fuit: cùm quandoque ducentorum, & eò amplius, res gestas in vnum Volumen incluserit, quandoque ne quadraginta quidem annorum narrationibus Tomum vnum ampliauerit.

[a] Tom. 2. ann. Chr. 173. n. 34.

Ceterum

Cæterùm, ne veterum monumentorum, quibus hosce Annales instruxi, moles aut prolixitas fastidium afferat, facile ea pro suo quisque arbitrio prætermittere poterit, cùm rei, de qua agunt, argumentum breui orationis complexu delibare consueuerim: ideoque sua in margine signa apposita sint, quæ principium finemque denotent, vt oculo, ad alia festinanti, vno conspectu omnia pateant: reliqua, mole exigua, vel ex Auctoribus decerpta minore charactere distinguere placuit, vt ea varietas legenti ad nostra aliorumque dicta distinguenda facem præferret.

Præterea, vt certior tibi temporum ratio constet, ac ne quid temere erratum suspiceris, vbi in vnum eundemque Christi annum duobus Pontificum annis consignatum offenderis, id discrimen frequenter oriri scias, quod Pontificum anni non semper exactè annis Christi quadrent, sed sæpiùs vnius excurrentis, atque alterius insequentis partem in vno eodemque Christi anno concurrere accidat.

Stylus si cui impolitus videatur, veniam dabit, qui veritatem tum ornatiorem meminerit, cum ornamentis caret, neque id mihi otij suppetere, vt in tanta Operis mole singula verba limare & expolire queam: tum secum prudenter reuoluerit, ex plurium Auctorum barbare loquentium assidua lectione facile nonnulla inculta verba in orationem irrepere.

In Regnorum, Prouinciarum, Vrbium, cæterisque locorum nominibus, quæ temporis lapsu corrupta, vel immutata sunt, ijs libentiùs vtor, quæ in diplomatibus publicis, atque ab Auctoribus frequentius vsurpari consueuerunt, cum e puriori Latinitate petita interdum obscuriora legentibus esse possent.

Si denique vnius Regni diffusiùs quàm alterius Ecclesiasticas res in Annalibus pertractatas videris, id non propensiori in aliquam nationem studio, sed maiori rerum vnius Regni copia, quæ in Regestis Pontificijs, & alijs, quibus vtor, Auctoribus occurrit, tribuas: nec enim aliorum res ex inuidia sileo, quas si quis idonea suffultas auctoritate porrexerit, pari sinceritate, cui maxime studeo, Annalibus intexam, neque quantum me illis debere profitear reticebo, qui pari humanitate recondita mihi monumenta communicarint. Fruere interea hisce laboribus, mi Lector, dum Tomus Annalium XIV. cuditur, atque in alijs parandis elaboro; ac si in aliquibus ex humana imbecillitate titubatum inueneris, tua erit sapientia perperam intellecta emendare; diligentia, prætermissa restituere; humanitatis, mihi erranti ignoscere. Vale.

INNOCENTIVS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

CVM, sicut nobis nuper exponi fecit dilectus filius Odoricus Raynaldus presbyter Congregationis Oratorij de Vrbe, ipse Decimumtertium Annalium Ecclesiasticorum composuerit, & alios eorundem Annalium Tomos, benedicente Domino, componere, illosque typis edi facere intendat, vereatur autem, ne alij in hac Alma Vrbe nostra, aut extra eam Tomos huiusmodi etiam imprimi curent in ipsius Odorici præiudicium; Nos eius indemnitati consulere, & ne quis Tomos prædictos sine eius licentia imprimere præsumat prouidere, dictumque Odoricum specialibus fauoribus & gratijs prosequi volentes, & a quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis a iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; eidem Odorico, vt decennio proximo a primæua dictorum respectiue Tomorum (dummodo antea a dilecto filio Magistro Sac. Palatij Apostolici approbati sint) impressione computando, durante, nemo tam in Vrbe, quam in vniuerso statu Ecclesiastico mediate, vel immediate nobis subiecto tomos prædictos sine speciali dicti Odorici, aut eius hæredum & successorum, vel ab eis causam habentium licentia, imprimi facere, aut ab alijs, vel alibi impressos vendere, seu venales habere, vel proponere possit, auctoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus & indulgemus. Inhibentes propterea vniuersis & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus, præsertim librorum Impressoribus, & Bibliopolis quouis nomine nuncupatis, tam in Vrbe & statu prædictis, sub quingentorum ducatorum auri de Camera, & amissionis librorum & typorum omnium, pro duabus cameræ nostræ Apostolicæ, ac pro altera tertijs partibus accusatori, & Iudici exequenti irremissibiliter applicandis; quam per totam Italiam, & extra eam vbiuis gentium & locorum constitutis, sub excommunicationis maioris latæ sententiæ pœnis, eo ipso absque vlla declaratione incurrendis, ne dicto decennio durante Tomos prædictos, aut aliquam eorum partem, sine huiusmodi licentia imprimere, aliove titulo, seu forma, quouis prætextu mutatos, vel alio quocumque idiomate versos edere, vel ab alijs impressos, & editos vendere, aut venales habere, seu proponere quoquomodo audeant, seu præsumant. Mandantes propterea vniuersis, & singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, & alijs locorum Ordinarijs, eorumque Vicarijs, seu officialibus in spiritualibus generalibus, ac in dicto nostro statu Ecclesiastico Legatis, Vicelegatis, Præsidentibus, Gubernatoribus, Potestatibus, & alijs Iustitiæ ministris, quatenus eidem Odorico, eiusque hæredibus & successoribus, seu ab eis causam habentibus huiusmodi in præmissis, efficacis defensionis præsidio assistentes, quandocunque ab eodem Odorico, seu alijs prædictis fuerint requisiti, pœnas prædictas, contra quoscunque inobedientes irremissibiliter exequantur, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac statutis & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis; priuilegijs quoque, indultis, & literis apostolicis, quibusuis personis quomodolibet concessis, & confirmatis. Quibus omnibus & singulis illorum tenoribus, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro sufficienter expressis habentes, ad effectum præmissorum, specialiter & expresse derogamus; cæterisque contrarijs quibuscumque. Volumus autem, vt præsentium transumptis, etiam in ipsis Tomis impressis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus vbique fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XII. Aprilis MDCXLVI. Pontificatus nostri Anno Secundo.

M. A. Maraldus.

Loco ✠ Annuli.

Imprimatur, si videbitur Reuerendissimo P. Mag. Sac. Pal. Apost.

A. Sacratus Episc. Comaclen. Vicesg.

ANnales Ecclesiasticos post Baronium, ab Odorico Raynaldo Tarnisino Congregationis Oratorij presbytero conscriptos, iussu Reuerendissimi Patris Michaelis Mazzarini, Sacri Apost. Palatij Magistri, perlegi: in quibus non modò nihil reperi, quod fidei, aut bonis moribus aduersetur; sed eos Baronianis Annalibus quàm simillimos agnoui, iisdemque Ecclesiasticæ eruditionis luminibus vbique micantes. Quapropter eosdem publica luce dignissimos existimo, tum ad pietatem augendam Christianosque mores informandos, tum ad eorum mentes recreandas, qui sacra eruditione delectantur. Ex ædibus S. Mariæ in Vallicella IX. kal. Iulij A. MDCXLIV.

Iulius Diotalleuius presbyter eiusdem Congregationis Oratorij.

Imprimatur,

Fr. Hyacinthus Serronus Mag. & Socius Reuerendiss. P. F. Michaelis Mazzarini S. P. A. Mag. Ord. Præd.

ANNALES ECCLESIASTICI.

a Ierem. cap. 1.

ARDVAM prouinciam suscipere iussus Ieremias, a suauissimis hisce verbis, *Ne timeas, tecum ego sum*, recreatus, iacentem animum excitauit, qui ad diuini maiestatem imperij metu perhorruerat. Cuius ego oraculi memor, impositum difficillimum munus perducendi ad nostrum vsque seculum Ecclesiasticam historiam, quam Cardinalis Baronius duodecim voluminibus est prosequutus, quibus tot veluti sideribus Ecclesiam Dei illustrauit, eamque firmissimis propugnaculis contra hæreticorum impetus communiuit, diuinæ opis spe confirmatus suscepi, quamuis operis difficultate initio depressus animus langueret. Nunquam enim illud attingere essem ausus, nisi congregationis nostræ patres, quibus Baronius absoluendæ Ecclesiasticæ historiæ prouinciam amplissimæ hereditatis loco se relinquere restabatur, non modò precibus, verùm imperijs etiam vim intulissent. Rem igitur aggressurus, diuini numinis, cuius gloriæ elucubrationum mearum labores deuoui, opem supplicibus votis expeto, Beatissimæque Virginis, intercedente S. P. Philippo Nerio, ipsius cultui, dum in terris ageret, addictissimo, suffragia imploro. Cùm enim condendorum Ecclesiasticorum Annalium auctor Baronio extiterit, atque ita scribentem suis apud Deum precibus iuuerit, obijcientes sese illi difficultates submouerit, leuarit labores, ac sub onere interdum fatiscentem confirmarit, vt iure (fatente ipso Cardinali) operis parens dici posse videatur; me quoque illud assumentem, eadem studij contentione, qua olim Card. Baronium, nunc prouecturum spero.

IESV CHRISTI
Annus 1198.

INNOCENTII PP. III. annus 1.	VACAT IMP. OCCID. 1. ALEXII ANGELI IMP. 4.

Innocentij III. creatio.

1 PEperit nouum anno supra millesimum centesimo nonagesimo octauo indictione prima splendorem Innocentius III. in augustissima Petri sede collocatus, qui rerum gestarum magnitudine plurium Romanorum Pontificum in augenda Christi gloria, reuocandis ad Sedis Apostolicæ obsequium schismaticis, proferenda ad exteras gentes religione, amplificandaque Ecclesiæ maiestate, labores æquauit. Extulére ipsum ad amplissimam dignitatem præclaræ virtutes, insignia doctrinæ ornamenta, adiumentaque naturæ, quibus non impar ad sustinendas totius orbis curas animi robur adiecerat, ob quæ licet ætatis suffragio careret, annos triginta septem tantùm natus, eadem die qua exequiæ Cælestino Tertio sacro ritu persolutæ sunt, nimirùm vi. id. Ian. prætermissis Cardinalibus senioribus inter se de Pontificatu certantibus,[a] secunda omnium gratulatione, Apostolicis infulis inuitur, ac renitens decoratus est. Gesserat antea Cardinalitios apices sub titulo diaconiæ SS. Sergij & Bacchi, ac magnos ad amplissima quæque munera capessenda spiritus è claris natalibus comitum Signiæ hauserat, fueratque à Trasimundo patre optimis moribus excultus, atque in celeberrimis postea academijs, scientijs perpolitus, cuius vitæ primordia depingit anonymus auctor, qui eius gesta accuratissimè ac summa fide, vt testatur Baronius, vsque ad annum eius Pontificatus vndecimum tradidit. Quæ cùm nos vnà cum Innocentij epistolis contulissemus, in nullo à veritate deflectere comperimus. extabant antea in bibliotheca nostra Vallicellana, in manuscripto codice ex peruetusto volumine Aueniouensis tabularij descripto; nuper verò vnà cum eiusdem Pontificis regestis, XIII. XIV. XV. & XVI. ex M.S. bibliothecæ collegij Fuxensis Tolosæ, sodalium illius opera typis mandata fuerunt. Hæc igitur auctor de primis Innocentij vitæ auspicijs, corporis forma, animi egregijs dotibus, claritate generis, delibauit:

a Roger. & Baron. hoc ann.

2 *Innocentius III. ex patre Trasimundo de comitibus Signia; matre verò Clarina de nobilibus viris. fuit vir perspicacis ingenij, & tenacis memoriæ, in diuinis, & humanis litteris eruditus, sermone tam vulgari, quàm literali discretus; exercitatus in cantilena, & psalmodia; statura mediocris, & decorus aspectu; medius inter prodigalitatem, & auaritiam, sed in eleemosynis, & victualibus magis largus, & in alijs magis parcus, nisi cùm necessitatis articulus exigebat: seuerus contra rebelles, & contumaces, sed benignus erga humiles, & deuotos: fortis, & stabilis, magnanimus, & astutus, fidei defensor, & hæresis expugnator: in iustitia rigidus, sed in misericordia pius; humilis in prosperis, & patiens in aduersis; natura tamen aliquantulum indignantis, sed facilè ignoscentis. Hic primùm in Vrbe, & deinde Parisijs, tandem Bononiæ scholasticis studijs insudauit, & super coætaneos suos tàm in philosophica, quàm in theologica disciplina profecit, sicut eius opuscula manifestant, quæ diuersis temporibus edidit, & dictauit, &c.* Percenset eius elucubrationes, de quibus nos extremo Pontificatus ipsius anno opportuniùs differemus. Vtriusque etiam iuris scientia efflorüisse, non modò Baronius in schedis, quæ apud nos extant, obseruauit, verùm eiusdem Pontificis sapientissima responsa acde-

Natalium claritas.

Forma corporis.

Animi virtutes.

Educatio.

ac decretales ab eo datæ epiſtolæ in omnium oculis collocarunt: quæ Iordani antiqui hiſtorici verbis, cuius ingens opus antiquitùs exaratum in bibliotheca Vaticana aſſeruatur, [a] confirmanda videntur: *His ſubtilis fuit valde, tàm in iure, quàm in theologia, & factus Cardinalis, in moribus & ſcientia gratus fuit nimis.* Pergunt geſta:

a Biblioth. Vatic. nu. 1960.

Geſta, dignitas cardinalitia.

3 *Hunc ſanctæ memoriæ Gregorius VIII. Papa in ſubdiaconum ordinauit, & Clemens III. Papa promouit in diaconum Cardinalem, vigeſimum nonum ætatis annum agentem, aſſignans ei eccleſiam ſanctorum Sergij, & Bacchi, cuius ipſe fuerat diaconus Cardinalis. Proficiebat autem ſicut ætate, ſic & probitate coram Deo, & omni populo, ita vt omnes de ſui ſublimatione præſumerent, & ſperarent; infra biennium autem, poſtquam promotus fuit in Cardinalem, præfatam ſanctorum Sergij & Bacchi eccleſiam, quæ nimis erat deformis, & ruinoſa, vt magis crypta, quàm baſilica videretur, ſuis ſumptibus reſtaurauit, parietes erigens, & renouans tectum; ſuper nouos gradus conſtruens; altare, nouaque pectoralia faciens ante chorum, ſtatim autem poſtquam fuit ad Apoſtolatum aſſumptus, iuſſit fieri ante ipſam eccleſiam porticum columnatam de bonis, quæ in Cardinalatu contulerat ſibi Deus, multis mirantibus in nouitate ſua tantas inueniſſe expenſas, cùm manus ſuas ab omni turpi munere excuſſiſſet, nullam à quoquam donationem, vel promiſſionem accipiens, antequam eius eſſet negotium terminatum, nihil exigens à quocunque; via regia ſemper incedens, non declinans ad dexteram vel ſiniſtram; inter fratres ſine querela conuerſans.*

Inſtaurata ab eo eccleſia SS. Serg. & Bacch.

Illius integritas.

4 Quod ad diaconiam pertinet SS. Sergij & Bacchi, cuius Innocentius titulum in Cardinalatu geſſit, ea adeo temporum iniuria euerſa eſt, vt nulla penè illius rudera ſuperſint. Sita erat inter Seueri Imper. triumphalem arcum & Capitolium, quam Baronius multis ante annis collapſam ac profanatam ſe vidiſſe aſſerit, quæ quanta magnificentia ac cultu aſſurgeret, ex eiuſdem Innocentij ad clericos illius eccleſiæ data epiſtola [b] colligi poteſt. Præterea Innocentium, antequam Cardinalis diaconi dignitate fulgeret, in baſilica S. Petri canonicum extitiſſe, ipſe teſtatur [c] in epiſtola ad canonicos illius data, cùm iam Pontificias infulas adeptus eſſet. Emenſus etiam erat alios honorum gradus, ac munera obierat, in quibus diuina illum prouidentia ad omnium auguſtiſsimum pro dignitate gerendum expoliebat: de cuius creatione ac nonnullis illius præſagijs hæc vitæ illius auctor monumentis propagauit:

b Innoc. lib. 2. ep. 94.
c Lib. 8. ep. 296.

5 *Defuncto igitur Cæleſtino cùm quidam Cardinalium ſe contuliſſent ad * ſepta Solis monaſterij, eius cauſa vt liberiùs & ſecuriùs ibi poſſent de ſucceſſoris electione tractare, ipſe cum quibuſdam alijs apud baſilicam Conſtantinianam voluit deceſſoris obſequijs intereſſe: quibus honorificè celebratis, ipſe cum illis ad præfatum locum acceſſit, miſſarum ſolemnijs in honorem ſancti Spiritus à ſolis ibidē Cardinalibus celebratis, cum ad tractādum de ſubſtitutione Pontificis conſediſſent, placuit omnibus in commune, vt ad terram humiliter inclinati ſinguli pacis oſculum ſibi darent. & oratione præmiſſa examinatores fuerunt ſecundùm morem electi, qui ſigillatim votis omnium perſcrutatis, & in ſcriptum redactis, examinationem factam retulerunt ad fratres: & quoniam in eum plurimi conuenerunt, licet tres alij fuiſſent ab aliquibus nominati, poſt diſputationem inter eos ſuper ætate habitam, quia tunc erat annorum triginta ſeptem, omnes tandem conſenſerunt in ipſum propter honeſtatem morum, & ſcientiam literarum, eum in ſummum Pontificem eligentes, flentem, eiulantem & renitentem, vocantes ipſum Innocentium, cùm prius Lotharius vocaretur: & publicata electione cum hymnis, & laudibus ductus eſt a multitudine cleri, ac populi, qui inferius expectabant ad Conſtātinianam baſilicam, & inde ad patriarchatum Lateranenſem perductus, peractis omnibus ſecundùm ritum ſolitum, & antiquum.*

* ſeptem Solia

Eligendi Pontificis antiqui ritus.

Ante pōtificatum dictus Lotharius.

6 *Cùm autem celebraretur electio, huiuſmodi ſignum apparuit, quòd videlicet tres columbæ frequentabant volatus in locum, in quo Cardinales ſedebant congregati, & cùm ipſe poſt nominationem fuiſſet a cæteris ſegregatus, vna illarum, quæ candidiſſima erat, ad eum volitans, iuxta dexteram inſidebat. In viſione quoque nonnunquam oſtenſum eſt, quòd ipſe matrem ſuam duceret in vxorem, & alia multa reuelationes factæ ſunt viris religioſis de ipſo, quas ſcribere prætermittimus; quoniam, & ipſe nolebat huiuſmodi præſagia indicare.* Ob iſta atque alia iure de ipſo, veluti de Timotheo Apoſtolus affirmauit, [a] ſecundùm præcedentes diuinitùs factas prophetias ad Pontificatum euectum, vſurpari poſsit. Equidem in obiecto cuidam ſacerdoti cæleſti viſo, D. Petrus ſignificauit ſe Innocentium ſingulari amore a teneris eius annis complexum, perque varios honorum gradus ad Sedem ſuam extuliſſe. Sed de his rurſum aptiori loco. *Celebrata eſt eius electio ſexto Id. Ian. anno Incarnationis Dom. MCXCVII. & quia tunc diaconus erat, dilata eſt eius ordinatio in presbyterum vſque ad ſabbatum quatuor temporum* IX. *Kal. Martij &c.* Enumerat auctor Redemptoris annos non ab eius natiuitate, vt conſuetudo recentior inualuit, ſed ab annuntiatione, vt multi ex antiquioribus auctoribus vſurparunt. Inſequenti poſt diē quàm Apoſtolicum faſtigium attigerat, Innocentius encyclicas literas ad fideles dedit, [b] quibus inopinæ promotionis ſuæ eos fecit certiores, vtque demiſsè de ſe admodum ſentiebat, pluribus alijs qui meritis ac virtutibus præcellebant, omiſsis, in ſe vnum omnium oculos coniectos ac ſuffragia cōcurriſſe ſcripſit. dignissima quidem epiſtola eſt, quam ob ſtyli elegantiam & ſententiarum maieſtatem in noſtros Annales producamus; ſed potiùs particulam tantùm excerpere viſum eſt, cùm iam in lucem edita ſit: noſtri enim conſilij eſt, ea breuiter delibare, quæ ante typis mandata fuerunt, eaque fuſiùs adducere monumenta, quæ hactenus lucem non aſpexere, atque ex ijs epiſtolarem hiſtoriam, quam longè cæteris præferendam oſtendit ſæpe Baronius, contexere, vt quæ errorum periculis minus obnoxia habenda videatur.

De illius Pontificatu præſagia.

a 1. Tim. 1.

b Innoc. lib. 1. ep. 1

Innocentius &c.

7 Felicis memoriæ Cæleſtino patre ac prædeceſſore noſtro, VI. Id. Ian. viam vniuerſæ carnis ingreſſo & in Lateranen. baſilica (ſicut moris eſt) honorificè tumulato, fratres noſtri, videlicet epiſcopi, presbyteri, & diaconi Cardinales, & nos ipſi cum eis ſimul in vnum ſeceſsimus, vt tanto licentiùs & tutiùs de ſubſtitutione Pontificis tractaremus, quanto tractatus ipſe maiorem deliberandi copiam & amplioris circūſpectionis conſilium requirebat. Cùmque miſſarum ſolennitbus in honorem ſancti Spiritus celebratis, requiſitę fuiſſent omnium voluntates, ad inſufficientiam noſtram oculos extenderunt: humano forſan æſtimantes arbitrio, in ſacculo Beniamin ſcyphum argenteum inuenire, licet plures ex ipſis ætatis, ordinis & meriti ratione potuiſſent ad tantæ dignitatis apicem digniùs euocari. cuius ſiquidem dignitatis onus cùm inſufficientia noſtra penitus recuſaret, vtpote noſtris debilibus humeris importabile, ſub illius tamen confidentia & exemplo, qui infirmitatem beati Petri trina prius negatione probatam, poſt trinæ confeſsionis vocem in gubernatione ſuarum ouium confirmauit, quod perſonæ noſtræ multiplex imperfectio denegabat, in ipſius contulimus voluntatem, fratrum noſtrorum acquieſcentes inſtantiæ, ne reluctatio diuturna diſsidij pareret detrimentum, aut diſpoſitioni diuinæ videretur aliquatenus obuiare; ſperantes quòd ille, qui dat omnibus affluenter, & non improperat: qui nouiſsimum fratrem, virum vtique ſecundùm cor ſuum in regem de poſtfœtantes aſſumpſit, de lapidibus ſuſcitabit filium Abrahæ, vocans ea quæ non ſunt,

Demiſſio animi in adepta dignitate.

ſunt,

sunt, tanquam ea quæ sunt, vt infirma eligens fortia quæque confundat, &c. *Dat. Laterani v. Id. Ian.*]

8 Simillimis literis Gallicanum clerum adepti pontificatus certiores factos admonuit, ardentissimis apud Deum precibus insisterent, vt susceptam Ecclesiæ administrationem pro modulo suo gereret (de quo etiam ad Cistercienses & Præmonstratenses datæ literæ a) tum suam ipsis operam ad tuendam eorum dignitatem explicaturum pollicetur. b In exaratis verò Philippo Regi Francorum literis, c quarum sententia superioribus consentiens erat, adiecit se, ob singularem Regni Francorum cum Ecclesia coniunctionem adductum, vt ipsi literarum suarum primitias veluti speciali (vt loquitur) Ecclesiæ filio offerret, hortatusque est, promissa criminum condonatione, in fide & amore Ecclesiæ adhæresceret, pulcherrima Ludouici Septimi exempla coleret, suum Apostolicæ Sedi auxilium porrigeret, mutuis se quoque amoris amplexibus officijsq; eum prosequuturum. Nec mota, quam Regi Francorum beneuolentiam promiserat, explicuit: antequam enim tiaram pontificiam solemni ritu exciperet, vt Regem a pellice, cuius amoribus erat irretitus, monitis suis diuelleret, incumbere cœpit; cùm nullæ sint amoris illustriores notæ, quàm cùm amans alterius vitia increpat, ac fœdiores maculas ab eo detergere atque amouere meditatur. Iam quidem ante Cælestinus Apostolicas curas prodegerat, atque inuolutus in libidinis cœno Philippus Inseburgim Reginam sacrarum Deo virginum monasterio incluserat, inductamque Mariam regio luxu diffluentem in palatio alebat. Quod cùm grauissimum omnium oculis scandalum iniiceret, Philippo teterrimam labem inureret, diuinam iram lacesseret, quæ etiam continuis angustiarum aculeis, vt è vitio excitaret, ipsum torquebat; Innocentius Parisiensi episcopo vitæ probitate, prudentia, doctrinaque conspicuo partes iniunxit, d pontificio nomine rogaret Regem, vt eiecta pellice, Reginam reciperet; perpenderet ipse, quòd cùm contra Ecclesiæ imperia induxisset, suscipiendos ex ea filios sceptro Francorum nunquã successuros, & si ipsius filius Ludouicus ex humanis eximeretur, diadema in exteras manus deuolutum iri: intueretur cœleste numen flagelli sui terrorem incutere, iam Gallias fame attriuisse, nec leuiora alia mala glomerare, se quidem quantumuis cupiat, nullam ipsi molestiam facessere, ex impositi a Deo sibi muneris religione, tanta mala inerter & impunè non toleraturum.

a Ib. ep. 175.
b Ib. ep. 3
c Ib. ep. 2
Gesta Innoc. ante consecrationem.
Pro abdicendo a pellice Rege Fr. laborat.
d In lib. 1 ep. 4.

9 *Qui quoniam*, inquit, *eidem Reginæ sui negauit corporis potestatem, ipsius promerentibus culpis, multis angustijs irruentibus nunquam optata potuit felicitate gaudere, sed præter alias afflictiones tota Gallica prouincia famis fuit sterilitate percussa, & nisi quantocyus resipiscat, flagellum Dei contra se potest grauius formidare.* Confirmat Rigordus, e qui ait tum hoc anno ac duobus præcedentibus ex nimia imbrium eluuione corruptis segetibus diram famem in Gallijs sæuijsse, maximasq; tempestates inhorruisse, adeo vt a Trembaclo ad Kalam monasterium segetes, vineas, nemora vis procellæ euerterit, pluisse e cælo lapides ad nucum & ouorum magnitudinem, populumque similibus prodigijs eaterritum, iam natum in Babylonia Antichristum, ac finem mundi imminere existimasse. Auxere ea mala clades a Ricchardo Anglorum Rege illatæ, qui numeroso collecto exercitu Francorum Regis terras diripuit, Corcellas æquauit solo, igne obuia quæque deleuit, venientem Philippum Francorum Regem fudit, qui vix e prælij discrimine maxima suorum parte vel cæsa vel capta effugit. nec leuius aliud periculum adijsse adijcit Parisius: f *In hoc congressu Rex Francorum pondus prælij ferre non valens, coactus cum suis ad Gisortij castellum aufugit, & cùm fugiendo pontem de Gisors ascendissent fugientes, confractus est ille pons præ multitudine intrantium cum impetu pontem, & ipse Rex cum equo & armis cecidit in fluuium de Gethe cum alijs innumeris de Regno Francorum: vbi Rex ille in cœno iacens volutatus a mortis discrimine vix ereptus est.* vt non vana Christi vicarij præsagia fuisse constet, cùm hæc mense septembri dicat Rigordus contigisse. is verò mali causam refundit in Regis facinus, quo Iudæos paulo ante Parisios reduxerat: verùm cum ob illud, tum ob Inseburgim vxorem ab illo repudiatam, vt prædixit Innocentius, plecti a Deo meruit. At de ijs rursus inferius.

e Rig. in Phil. Aug
Insolita in Gallijs fames.
Periclitatur Philipp. in bello.
f Paris. hist. Angl

10 Nunc alia quæ ante susceptas solemni pompa Apostolicas infulas gesserit, cumulare iuuat, quibus magnam sui huiusmodi auspicijs expectationem concitauit: ac maximè quàm altè ipsius animo impressum fuerit, reparandis Terræ sanctæ rebus insistere, cuius subsidio primas curas, ex eius ad Germanos principes ac viros nobiles, qui superstitibus Cælestino Pontifice, atque Henrico Imperatore spe euertendæ Sarracenorum potentiæ cum exercitu instructissimo Syriam petierant, datis literis a addixisse constat. sed cùm de his pluribus iterum agendum sit, nunc supersedendum ijsdem arbitror, atque alia ante consecrationem gesta delibanda. Apostolicam etiam solicitudinem ad ferendam alijs regnis laborantibus opem expotrexit, vt ob id nonnullorum cruce insignitorum profectionem in Terram S. instruentium, in aliud tempus differre necesse fuerit. Exardescente enim intestino & ciuili bello in Vngaria, cùm Henricus Rex sedi Apostolicæ significasset, grauissimo terrore seditiones in suo regno erumpere, precesque adderet, ne crucesignati suarum partium in tanto periculo discedere, regiamque causam deserere cogerentur, Innocentius archiepiscopo Strigoniensi, qui crucis militare signũ sibi impresserat, vt votum differret, imperauit, b nequaquam enim illud huiusmodi facto violatum iri. Cùm verò ineunte pontificatu hæc scripserit Innocentius, Regis literæ ad Cælestinum missæ videntur, atque is interea temporis, morte oppressus fuisse: exortam sanè viuo adhuc Cælestino in Vngaria discordiam liquet, cùm ipse Cælestinus in eos omnes anathema iaculatus esset, qui Andreæ ducis fratris Vngariæ Regis partibus fauerent: quare Innocentius abbati S. Martini, qui eo se scelere vinculisque anathematis implicuerat, nulla impertita salute scriptis literis c in censuras a Cælestino districtas impegisse monuit, præcepitque, vt Apostolico solio ad facti rationem reddendam se sisteret.

Innoc. curæ pro reparandis reb. Terr. S.
a Lib. 1. ep. 13.
Studet Vngariã pacare.
Cur differant Vngari Crucesig. profectionẽ.
b Ib ep. 1
c Ib. ep. 7

Præcipua fax illius belli, quo flagrabat hoc tempore Vngaria, Regis Henrici frater erat, qui cùm suscepto Hierosolymitanæ expeditionis voto se cruce insigniuisset, extincto patre Bela arma sacra in fratrẽ conuerterat: illum enim antea pater, cùm in extremo mortis discrimine versaretur, obiecta incurrendæ paternæ maledictionis pœna ac religione obstrinxerat, vt votum, quod ipse nuncuparat, exequeretur, fueratque obtestatus, voti a se suscepti religionem in filium transfudisse. Quare Innocentius cùm vt Vngariã pacaret, tum ne dux votum infringeret, exaratis Apostolicis literis d votum soluere, atque ex Vngaria in Terrã sanctam discedere imperauit. Quid verò dux postea gesserit, inferius cum cæteris rebus Vngaricis collocabimus, reliqua Innocentij pontificatus primordia decurramus.

Frater Reg. turbarum auctor.
d Ib. ep. 10.

11 Cæterùm non ita ad extera regna studia diffundebat Innocentius, vt negligeret Italiam, ac suis non consuleret: cùm enim basilicæ duodecim Apostol. & S. Petri ad vincula presbyteri Cardinales legati cum episcopis, vrbibusq; Hetruriæ fœdera, quæ Rom. Ecclesiæ detrahebant dignitati, iniuissent, ad ea dissoluenda conficiendaque alia, quæ Tusciæ & Romanæ Ecclesiæ rationibus magis cõducerent, ipsos iussit e

Prouidet rebus Italicis.
e Ep. 15.

incumbere. Egerant etiam Perusini & Viterbienses, de contrahendo illo cum Tuscis fœdere, atque vtrorumque magistratibus iussit a Pontifex, inchoatum tractatũ intermitterent, donec noua ipsis ab Apostolica sede prouincia demandata fuisset; Cardinalibus verò qui conciliando illi fœderi desudabant, alijs literis b præcepit, vt si Tusciæ præfecti imperia ab Apostolica sede prioris S. Fridiani opera sibi delata perficerent, a Pisanis interdicti sententiam non amouerent, si verò ijdem magistratus Hetruriæ iussa denunciata non capessserent, ea lege Pisas interdicto exoluerent, si magistratus exhibita cautione sponderent, pontificia iussa pro eorum libertate, atque Ecclesiæ Romanæ dignitate ipsis iniuncta exequi; cùm verò ea respublica certo rectore careat, arrepta honesta aliqua occasione illam sacris restituant, adactis priùs sacramento ciuibus, se ineundæ societatis leges, quas alij Hetruriæ rectores adnuissent, statim amplexuros.

a *Ib. ep.* 33. — b *Ib. ep.* 35. — Quid circa Pisanos gestum.

Petenti inter hæc archiepiscopo Mediolanensi, c vt eos qui a Romano Pontifice sacrum aliquem ordinem susceperant, quorum maxima erat multitudo, ad diaconatum & sacerdotium promonere posset, cùm ipsius ecclesia ea de causa ministrorum penuriam pateretur, indulsit; ea tamen lege, vt ipsi consentirent, eoque gradu digni essent, quorum nomina sibi significaret.

c *Ib. ep.* 32. — Initiati a Rō. Pont. ab alio episc. sine licētia nō promoue si posüit.

12 Hæc atque alia Innocentius sanciebat, antequam solemnibus cerimonijs tiara pontificia esset redimitus, ne, vt ipse loquitur, eo temporis internallo marcesceret otio, suæque promotionis primitias Deo surriperet, cui vniuersa opera consecrare tenebatur. Tunc verò dimidia tantùm bulla diplomata consignabat, quorum auctoritas ne ab aliquo renocaretur in dubium, atque infringeretur, encyclicis ad præsules datis literis d eiusdem fidei esse decreuit, ac reliqua, quæ bulla integra postea communita forent. Cur verò tam diu suam consecrationem distulerit, ea ratio fuit, siue quòd ipso die festo cathedræ S. Petri in eaprimùm solemni pompa sedere ex pietate vellet, vnde illius sensu delibutus in media celebritate lacrymis temperare non potuit; siue quòd cùm diaconatu tantummodo insignis esset, cùm renuntiatus est Pontifex, atque sabbaro quatuor temporum presbyterio decorãdus foret, ea celebritas citiùs quo decebat apparatu, commodè agi non posset. cuius magnificentiam ac pompam ita vitæ illius auctor describit: *Et quia tunc diaconus erat, dilata est eius ordinatio in presbyterum vsque ad sabbatum quatuor temporum vono Kal. Marty. & sequenti Dominica, in qua tunc occurrit festum cathedræ S. Petri, fuit apud sanctum Petrum in episcopum consecratus, & in eiusdem Apostoli cathedra constitutus, non sine manifesto signo, & omnibus admirando. Interfuerunt autem consecrationi eius, quam ipse cum multa cordis compunctione, & lacrymarum effusione accepit, quatuor archiepiscopi, & episcopi viginti octo, sex presbyteri, & nouem diaconi Cardinales, & decem abbates, cum quibus omnibus, & tam priore cum subdiaconis, quàm primicerio cum cantoribus, nec non iudicibus, aduocatis, & scriniariis, & cæteris scholis processit solemniter coronatus per Vrbem a basilica sancti Petri vsque ad Lateranense palatium, comitantibus præfecto, & senatore cum magnatibus, & nobilibus Vrbis, multisque capitaneis, & consulibus, ac rectoribus ciuitatum. Coronata est tota ciuitas, & clerus cum thuribulis, & incenso, populus autem cum palmis & floribus vtrinque cum hymnis & canticis, sparsis de more missilibus obuiam illi cateruatim venerunt, factaque laude tam infra ecclesiam sancti Petri, quàm ante Lateranense palatium, postquam ascendit in domum maiorem, quæ Leonina vocatur, presbyteris per ordinem distributo, solemne conuiuium celebrauit.* hæc quæ exactis audiuimus, ijs simillima sunt, quæ de

Eiusdem soboris ante & post consecrationé gesta. — d *Ib. ep.* 53. — Illius cōsecratio. — Celebritatis pompa.

alijs Romanis Pontificibus refert Baronius.

13 Iam alia, quæ postquam Pontifex sacratus est, gesserit, prosequamur. Aiunt ipsius acta, Romanis magnis clamoribus cōgiarium exposcentibus, statim atque electus est, cùm tamen Ecclesiæ opes exhaustæ propemodum, atque ab Henrico Imp. qui Siciliam, regnũ illius stipendiarium, atque patrimonium B. Petri vsque ad portas Vrbis occuparat, attritæ essent; quin etiam a Benedicto dissipatæ, qui maritimam ac Sabiniam ab eius dominio alienarat, post inunctionem pontificiam votis eorum obsecuntum.

*Statim a post electionem ipsius Romanus populus cœpit apud eum vehementer instare, supplicans & deposcens, vt eos ad fidelitatem reciperet, & consueta sibi dona conferret; ipse verò indui non potuit, vt ante consecrationem super hoc eis vellet prabere consensum, sed post consecrationem, cùm turbulentiùs conclamarent, deliberauit super hac petitione populi diligenter. Et quoniam status Ecclesiæ Romana pessimus erat, pro eo quod a tempore Benedicti charissimi senatum Vrbis * prodiderat; & idem Benedictus seipsum faciens senatorem subtraxerat illi Maritimam, & Sabiniam, suos instituarios in illis constituens. Henricus autem Imperator occupauerat totum regnum Siciliæ, totumque patrimonium Ecclesiæ vsque ad portas Vrbis præter solam Campaniam, in qua tamen plus timebatur ipse quàm Papa; in hoc deuenit consilium, vt petitionem populi exaudiret, quatenus & tempus redimeret malum, & patrimonium recuperaret amissum: verùm antequam populo responderet, volens scire, vtrum thesaurus Ecclesiæ sufficeret ad hoc opus, vsus est hac cautela, quòd per singulas parrochiales ecclesias fecit singulos parrochiales occultè describi, vt sciret & numerum & quantitatem ipsorum; & ita veritate comperta iussit illos recipi per singulas regiones, sed nunquam tanta potuit adhiberi cautela, quin fraus committeretur.* Subdunt acta, præfectum Vrbis, qui ad hoc tempus Imperatori fidei sacramento obstrictus fuerat, in verba Innocentij iurasse, atque etiam Pontificem patrimonium amissum recuperasse.

a *Acta auct. ibid.* — * perdiderat — Vsurpata ab Henrico Imp. — Datū plebi ab Inn. congiariū. — Adactus in Pontif. verba verbus præfectus.

*Sequenti die post consecrationem suam Petrum Vrbis præfectum ad ligiam fidelitatem recepit, & per mantum, quod illi donauit, de præfectura eum publicè inuestiuit, qui vsque ad illud tempus iuramento fidelitatis Imperatori fuerat obligatus, & ab eo præfectura tenebat honorem. Sed & ab alijs baronibus * circumquaque iuramentum fidelitatis recepit, missisque nuntijs per totum ecclesiæ patrimonium fecit sibi fidelitatem ab omnibus exhiberi, & exclusis iustitiarijs senatoris, qui ei fidelitatem iurauerat, suos iustitiarios ordinauit, electo per medianum suum alio senatore, tam in Vrbe, quàm extra patrimonium recuperauit nuper amissum.* Quibus consentiunt, quæ in regesto pontificio habentur, secundo a celebritate consecrationis die præfectum in Cardinalium consistorio fiduciarij viri officia Innocentio detulisse, ac scypho argenteo, accepti gratissimi obsequij ergò donatum fuisse.

* quibuscunque — Senator illi se subijcit, & patrimoniū recuperatur.

14 Ad renocanda etiam alia Ecclesiæ iura, quæ diuulsa atque occupara improborum potentia fuerant, legationes decretæ in Picenum, cui Marcualdus vir opibus potens, & dolis instructissimus incubabat, cùmque Cardinales ad obsequia Ecclesiæ populos traducere, ac fidei sacramenta exigere cœpissent, vt prædam retineret tyrannus, missis oratoribus spopondit se in fide ac potestate Innocentij futurum; sed cùm fraudes suas a Pontifice detectas presagiret, promissa infregit; omnes dein conatus suos elusos intuitus, populosque ad Ecclesiæ obsequium excusso depulsoque seruitutis illius iugo concurrere, oblata ingenti pecuniæ vi, promissoque censu anno tentauit Innocentium, vt fiduciario titulo Marchiam ipsi relinqueret, sed respuit infidi hominis preces Pontifex, Picenumque Ecclesiæ reddidit. *Reducta est igitur* (inquiunt

Missi pro reuocāda ad Eccles. Marchia legati. — Marcual. di artes.

quiunt acta) *tota Morchia præter Asculum ad dominium, & fidelitatem Ecclesiæ; videlicet Ancona, Firmũ, Auximum, Camerinum, Fanum, Aesinum, Senogollia, & Pisaurum cum omnibus diœcesibus suis.*

Vrbes ecclesiæ redditæ.

Dum ita Piceni Germanicæ tyrannidis pertæsi, ad partes Ecclesiæ certatim confluerent, Marcualdus iras omnes in eos, quos in seruitute continere non poterat, effudit; contracto enim exercitu quacumq; ibat, ferro flammaque vrebat agros, spoliabat templa, oppida excindebat; quem ita furentem monuère Cardinales legati, vt ab vrbium excidio, vastitate agrorum, templorum incendio, deprædatione domorum absisteret, monitaque & imperia sibi facta contemptu elidentẽ anathemate perculere, cuius vinculis licet ob detentam Ecclesiæ ditionem longè prius irretiri meruisset, dilata tamen res fuerat, donec in apertam contumaciam erupisset. Incussam Marcualdo a Cardinalibus sententiam confirmauit Innocentius, ac Piceni episcopis mandauit, a vibratum in eum ac sequaces anathema promulgarent.

Marcualdi impetus.

a Lib. 1. ep. 38.

Prodiere mox in lucem nefaria Marcualdi consilia, qui enim honoris Ecclesiæ cupidissimum se finxerat, iactaratque se Ecclesiam magis, quàm vlli Imperatores auxissent, amplificaturum, abiecta larua, hostis crudelissimus euasit: *Nihil enim* (vt Christus in Euangelio docet b) *est opertum, quod non reuelabitur, neque occultum, quod non sciatur*. Cùmque auulsam ex vnguibus Marchiam ingeret, in Siciliam impetus conuertit. Sed de eo inferius.

b Matth. 10.

15 Quid nunc Innocentius vt præpotentem alium Germanum ex Ecclesiæ ditione detraheret, intueamur. Is erat Conradus Spoleti dux & Assisij comes, qui cùm populos ad libertatem, qua sub Ecclesiæ imperio suauissimè fruebantur, excitatos videret, maleq; sibi metuens, ne ex ditione iniustè obtenta euerteretur, Pontificis gratiam colligere conatus est, ac datis filijs obsidibus fidem suam illi obligare, arcesque omnes præsidio militari suis sumptibus muniendas, tradere, censum etiam pendere, milites que pro tuendo patrimonio alere pollicitus est. Egregiæ visæ sunt conditiones Pontifici, sed cùm Italos a Germanis, sub quorum iugo diu gemuerant, abhorrere videret, eas respuit: vnde Conradus sub nullis conditionibus Innocentij arbitrio se permisit, populos sacramenti sibi præstiti religione liberauit, arcesque nonnullas dedidit, quæ vitæ illius auctor fusè prosequitur. Exarsit verò non leuis controuersia in reddendę Assisij arcis causa, quam tamen iussisse bona fide Conradum, vt Pontifici dederetur, testatur Innocentius ad præfectos Hetruriæ in apologeticis ad eos datis c literis: ij enim cùm in Ecclesiæ gratiam admissum Conradum vidissent, atque insuper arcem Assisij non fuisse Innocentio restitutam, leuitatis arguere ac traducere Pontificem cœperant, quòd cùm ad pellendos Germanos consilia inijsset, iam ipsorum potentiam recepto Conrado aleret, ipsique arcem Assisij asserere moliretur. quam calumniam Innocentius depulit, rem non dolo & collusione factam, sed Assisinates & Perusinos deditionis illius successum distulisse. quod etiam his verbis Pontificis vitæ auctor asserit: *Sed Assisinates, qui eam tenebant obsessam, non permiserunt illam reddi, quin captam protinus destruxerunt.* imposito quippe arci præsidio iniectum erat ipsorum libertati frænum, qua vt potirentur, illam deleuerunt. At querentem de obloquutorum susurris Innocentium, atque hæc grauissima in Pontificiæ maiestatis detractores pronuntiantem audiamus: *Licet peccatores simus & nati de peccatoribus; illius tamen vices exercemus in terris, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius; qui cum sit Dominus omnium, habens in vestimento & in femore suo scriptum: Rex Regum, & Dominus dominantium: in nobis honoratur, cum honoramur; & contemnitur cùm contemnimur, ipso testante, qui ait: Qui vos spernit, me spernit; & qui me spernit, spernit eum, qui misit me &c.* Pergit rei gestæ seriem, quam ex actis in pauca coëgimus, recensere, vt Conradum percussisset anathemate, qui cùm Ecclesiæ se subijceret, omniaque erepta restitueret, Fulginium & Interamnam redderet, atque arces alias dedere contenderet, Ecclesiæ conciliari meruisset.

Conradus se Innocẽtio submittit.

c Ep. 28.

Cur non tradita Innocentio Assisij arx.

Hinc enata calumnia.

Quantus honor Pōtifici deferendus.

Purgat calumniã Innoc.

16 Confirmant dicta Pontificis ipsius gesta: a *Recuperauit ergo Romana Ecclesia ducatum Spoleti, & comitatum Assisij, videlicet Reate, Spoletum, Assisium, Fulginium, & Nuceriam cum omnibus diœcesibus suis. Quia verò mora prædicti Conradi erat valde suspecta, de mandato domini Papæ rediit in Theutoniam. Recuperauit etiam Perusium, Eugubium, Tudertum, & Ciuitatem Castelli cum comitatibus suis, recepto iuramento fidelitatis a ciuibus, baronibus, & Catanis. Fecit etiam destrui castrum montis sanctæ Mariæ, in quo tempore prædecessoris sui Conradus, qui musca in cerebro dicebatur, captum detinuit præfatum Octauianum episcopum Hostiensem de Francia redeuntem, vt esset hæc demolitio in titulum memoriæ sempiternæ.*

a Inn. vit. auct.

Redeunt ad ditionem Ecclesiæ ducatus Spoleti & comitatus Assisij. Receptæ aliæ vrbes.

17 Prouolauere ad imperium Ecclesiæ circa hæc tempora vnà cum alijs Montis Belli oppidani, quorũ magistratus, qui antea inuiti ab Apostolicæ sedis obsequio Imperatorum Romanorum potentia iniustè diuulsi fuerant, occasione captata, cùm Italiæ populi extincto Henrico, qui ipsos durissimo iugo attriuerat, Germaniaque diuisa, ad libertatem assurgerent, summoque studio ad noui Pontificis, qui sedis Apostolicæ subditos in pristinum statum vindicare studebat, obsequia se conuerterent, Innocentio fidei sacramento se astrinxere, vtpote qui comitatus ambitu comitissæ Mathildis contenti, Ecclesiæ obnoxij esse deberent; e quorum literis b hæc decerpsimus, quæ redeuntium ad Ecclesię dominium, populorum gaudium ac triumphum illustrent: *Non est opus insinuare quod luce clarius constat, nec vnquam ab aliquo negari poterit, quòd nõ fuerit* (nimirum Mons Bellus) *de comitatu comitissæ Mathildis: sed præualente aduersus Ecclesiam Dei publica olim potestate, dominationem suam in ipso castro Ecclesia non valuit exercere. Nunc verò quia omnipotens Deus sic disposuit, vt tempore vestro filiorum dispersiones ad sinum Catholicæ matris redeant, patrie imperiũ per omnia seruaturi. Hinc est, quòd vnanimes vno voto omnes quærimus, & diligenter petimus dominium vestrum, vestraque sanctitati tanto deuotius fidelitatem facere cupimus, quanto indubitanter vos credimus spiritum Dei habere, atque ideo accepisse potestatem, vt omnia in statum rectitudinis, vestra sapientia reducatis.*

Mons Bellus ditioni ecclesiæ adiectus.

b Apud Innoc. ep. 47.

Vt diuulsus ab ea fuerat.

18 Erigebant itá sese indies res sedis Apostolicæ, Innocentijque studio atque opera efflorescebant, qui non modò in recuperandis Romanæ Ecclesiæ bonis industriam collocauit, sed cùm etiam omnium aliarũ ecclesiarum curæ ipsius humeris incumberent, ad eas in pristinum splendorem ac iura asserendas animum conuertit, suoque exemplo inertiam præsulum excitauit. demonstrant hoc eius literæ ad Neocastrensẽ, c Aquinarem, d Melitensem e episcopos, & archiepiscopum f Montis Regalis exaratæ, quibus præcepit, a prædecessoribus alienata bona ad ecclesias suas reuocarent; quorum postremo secundis etiam literis imperauit, ne res ecclesiæ, eæque maximè quæ ad episcopum spectarent, distraherentur. Plures aliæ eo argumento datæ, quas percensere superuacaneum sit. atque ita inter cæteros Strigoniensem & Colocensem archiepiscopos eorumque suffraganeos ad tuendas ecclesiarũ immunitates, quæ admodum obsoleuerãt, excitauit: g de quo ad Regem Vngariæ eadem sententia scripsit, h quem etiam Sclauos ad soluendas Colocensi archiepiscopo decimas compellere iussit. i Nec prætereundũ videtur, Innocentium a Catenensi & Orchadiensi comite certiorem factum, ab ipso in Catenensi comitatu singulis domibus vnius denarij

Innoc. cæteros excitat ad sua recuperanda.

c Ib. ep. 249.

d Ib. ep. 291.

e Ib. ep. 293.

f Ib. ep. 305.

g Ib. ep. 386.

h 2 eg post eam 1. ep.

i Ib. ep. 493.

Datus a Catenensi comite Rom. Ecclesiæ cẽsus.

vectigal tempore Alexandri Papæ impositum, vt Romanæ Ecclesiæ, eleemosynæ ergò pro illius perducendo opere mitteretur; eique rei episcopum A. Catenẽsem consensisse, quo ex humanis exempto, ipsius successore censum illum solui vetante, Orchadiensi & Rosmarchensi episcopis prouinciam dedisse, a si ipsorum monitis Catenensis episcopus non obsequeretur, remota omni prouocationis cuiuscunque mora, vt de eleemosynis subductis faceret satis, factamque prohibitionem rescinderet, Apostolica auctoritate adigerent. Ita vigilantissimus Pontifex recuperandis ecclesiarum, ac maximè Romanæ iuribus operam dabat: ad cuius subditos, qui ad illius obsequium, vt supra vidimus, nuper redierant, in fide confirmandos adeuntem, ac varias ecclesiasticæ ditionis vrbes & loca perlustrantem nostra sequatur oratio, quidue in singulis gesserit cum eius vitæ auctore percenseat.

Coërcet Innoc. episcopū ne solueretur impedientem.

a Id. ep. 217.

Celebrato ergo Apostolorum festo Dominus Vrbem exiuit, & in ducatum Spoletanum accessit, quem ad fidelitatem Ecclesiæ nuperrimè reuocauerat, vt illum personaliter visitaret; venitque Reate, vbi receptus cum ingenti gaudio & honore, consecrauit ecclesiam sancti Eleutherij martyris, & ecclesiam sancti Ioannis Euangelistæ. Neque omittere hic possumus Pontificem, dum consecrãdis ijs sacris ædibus vacaret, ad Octauianum Hostiensem episcopum datis literis b imperasse, vt quædam in basilica S. Petri altaria, in quibus peragebantur diuina, sacro ritu dedicaret, ad quod obiectum sacerdoti cæleste visum, patratumque in eo miraculum, vt ferebatur, induxit:

Innoc. itinera per Italiam.

b Lib. 1. ep. 357.

Octauiano Hostiensi episcopo vicario nostro.

19 Paucis diebus ante nostrum ab Vrbe recessum, sacerdos quidam ætate longæuus, timoratus, vt creditur, ad præsentiam nostram accessit, secretò proponens, quòd in visione nocturna per somnium ei apparuit B. Petrus Apostolus dicens: Accede ad Pontificem Innocentium, & ex mea sibi parte significa, quòd a natiuitate sua quasi filium illum dilexi, & per diuersos gradus promotum in mea tandem sede constitui. Quapropter & ipse decorem, & honorem domus meæ debet diligere, studioque vigili promouere. Sciat ergo quòd in ecclesia mea pauca sunt altaria consecrata; vnde contingit, quòd in altaribus dissecratis diuina mysteria celebrantur. Faciat igitur ea saltem cum debita reuerentia consecrari, super quę nouit frequentius officium celebrari diuinum. Verùm cùm semel & iterum eadem sibi fuisset visio reuelata, nec ipse, quod mandabatur, impleret, tertiò tandem idem Apostolus velut offensus intulit dicens: Quia meum obaudisti mandatum, ego tuum tibi tollam auditum. ex tunc ita surdus effectus est, vt penitùs non audiret. Gemens ergo vehementer, & plorans ad confessionem B. Petri deuotus accessit, cum lacrymis postulans, vt misertus sibi restitueret auditum, quia mandatum ipsius illico adimpleret: quo per Dei misericordiam exaudito, quod acciderat ei, nobis per ordinem indicauit. Licet autem secundùm Apostolum non sit credendum omni spiritui, quia tamen in tali negotio Angelus sathanæ non transfiguraret se in Angelum lucis, & melius est piè credere, quam temerè dubitare, cùm honestum sit, quod proponitur faciendum: & si verum non esset quod asseritur reuelatum, fraternitati tuæ, de qua plenam fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta mandamus, quatenus altaria Philippi & Iacobi, Simonis & Iudæ, B. Gregorij & S. Andreæ, quæ dissecrata dicuntur, tu ipse consecres, vel per alios auctoritate nostra facias consecrari. Credimus enim, quod ex hoc nobis fructus æternæ retributionis accrescet.]

Quid de consecratione altarium S. Petri iusserit Innoc.

Quàm charus B. Petro Innoc.

Pœna in detrectãtem sacerdote Apostoli imperium.

Obtinet pœnitens veniam.

Quid in ea re decernat Innoc.

20 Adiungere hîc aliud ad ritus sacros pertinens visum est, quod ante scriptis ad VVormatiensem episcopum literis statuerat pro celebrando in eius Ecclesia Diui Pauli conuersionis festo die. Acceperat enim Innocentius in ea quidem eius mortis festum agi diem, non verò conuersionis ipsius, cùm tamen is mos in Romana Ecclesia sanctissimè susceptus esset. Mandauit ergo, vt in ea re cum Ecclesia Romana congrueret, egregijsque argumentis ac doctis antithetis non minùs conuersionis, quàm martyrij diem religiosissimè colendum illustrauit: a

a Ib. ep. 44.

In conuersione siquidem Saulum ab impugnatione fidelium reuocauit dispensatio Iesu Christi: in passione verò Paulum ob prædicationis officium Neronis crudelitas interfecit: ibi dextera Domini fecit virtutem, hic tyranni gladius intulit passionem; ibi Dominus animam persequutoris saluauit & corpus, hic seruus nequam Apostoli prædicantis corpus sine animæ læsione peremit. Præterea non paucioribus eius conuersio contulit, quàm passio profuit, cùm plures sint, ad quos prædicationis eius sonus exiuerit, quàm qui eius exemplo subierint passionem: nobis enim viuendo profuit, sibi contulit patiendo; nobis etiam iam conuersus, vt similes eius essemus exceptis vinculis cupiebat, sibi aut dissolui, aut esse cum Christo affectabat ardentiùs moriturus; nec ipsius fuisset passio gloriosa, nisi sancta conuersio præcessisset.

Iubetur festus dies conuers. S. Pauli celebrari.

21 Reate cùm esset, exarauit plures alias epistolas, quibus totius orbis vtilitati consulebat: e quibus, cæteris alio loco reseruatis, nonnullas decerpemus. Traduxit b Fauentinũ episcopum ad Papiensem sedẽ, a ciuibus suffraganeisque summis votis ob egregia doctrinæ & virtutum ornamenta expetitum. Cùmque de translationibus sedium agere cœptum sit, adnectimus, quo zelo Innocentius in eos exarserit, qui sua auctoritate, non implorata Apostolica, ad aliam sedem transilirent, vel qui hanc Romano tantùm Pontifici debitam in transferendis episcopatibus inuaderent. Bambergensi ille episcopo, & P. Scholarum magistro interdicendi munere Hildesemensem episcopum, qui sine auctoritate Apostolica ad Herbipolensem transuolarat, priuandique canonicos Herbipolenses electionis faciendæ iure prouinciam iniunxit; c de quo ad Hildesemensem episcopum & clerum, atque Herbipolenses laicos & ecclesiasticos grauiores literas d dedit. cùmque tentatum malè facinus audacissimè tueretur episcopus, pontificiumque munus exercere præsumeret, ad comprimendũ illius tumorem Innocentius rebellem anathemate perculit, & Coloniensi, Salisburgensique archiepiscopis, eorumque suffraganeis præcepit, e illum e fidelium consortio eiectum promulgarent. vt verò ille tandem superbiam fregerit, & quàm demissè incussam pœnitentiam exoluerit, suo loco dicetur.

b Ib. ep. 324.

Pœnæ in Hildesemen. episcopũ ad aliam sedem transeuntem.

c Ib. ep. 333.

d Reg. post eand. ep.

e Ibid.

Similem seueritatem in archiepiscopum Turonensem atque electum Abricensem exercuit; quorum alter, nimirum archiepiscopus, electum ex Abricensi, in qua fuerat confirmatus, ad Andegauensem traducere propria auctoritate erat ausus; alter iniquo imperio paruerat: archiepiscopo enim Bituricensi imposuit, f vt, si veritas rumori ad se delato consentiret, Turonensem confirmandi & consecrandi episcopos munere interdiceret, Abricensem pontificali officio exercendo submoueret, donec Apostolica sedes aliud de ea re statuisset; cùmque ferret fama archiepiscopum Rhotomagensem facinori consensisse, vt ex Abricensi ad alteram demigraret, inquisita rei veritate, pari pœna plecteret. vbi de ea ad Romanos tantùm Pontifices spectante auctoritate hæc grauiter disserit: *Ne si vniuersis vniuersa licerent, par videretur in singulis iurisdictio singulorum, & ex hoc Petri nauicula sine remige fluctuaret, Dominus noster eam ad humani corporis similitudinem figurauit, ponens Romanam Ecclesiam caput eius, & ad suum & ipsius obsequiũ, cæteras secundùm varia officia dignitatum et pro membris adaptans, non vt omnia membra eundem actum haberent, sed dū permanerent in vnius corporis vnitate,*

Districta ob idem facinus in alios episcopos cẽsuræ.

f Ep. 117

Cur tãta seueritas in ea re ab Innoc. adhibita.

sic ad

sic ad implendam legem Christi alter alterius onera supportaret, vt capiti suo, in quo est plenitudo sensuum, suis vicibus deseruirent, nec eius sibi officium alicuius præsumptionis audacia vsurparet. Huius autem Domini & magistri omnium magisterium sancti patres diligentius attendentes, maiores Ecclesiæ causas, vtpote cessiones episcoporum, & sedium translationes sine Apostolicæ sedis licentia fieri vetuere, vt ea, quæ sola obtinet plenitudinem potestatis, de his disponeret, nec liceret alicui, de episcopatu ad episcopatum sine ipsius auctoritate transire. Ne verò Pontificem eas pœnas in eos tanta seueritate distringere, tanquam ad nouum aliquid miraretur Bituricẽsis archiepiscopus, subiecit quibus pœnis Patriarcham Antiochenum perculisset. Sed de his satis, reliqua Innocentij itinera ex actis persequamur.

Exempla eiusd. ecclesiast. seueritatis.

22 *Inde profectus Spoletum, dedicauit ecclesiam cathedralem, ibique quoddam miraculosum euenit, quod cùm ciues anxiarentur super aquarum penuria, cœperunt circa ciuitatem studiosè perquirere, vbi fodiendo possent aquarum copiam inuenire, quæ sufficeret equorum multitudini adaquandæ, ac subitò sub muro ciuitatis viderunt aquam scaturire de rupe, quæ fossas ibi factas repleuit, ita exiens abundanter, quod omnibus equis sufficiebat ad potum, vocataque est fons Papalis. Processit inde Perusium, vbi maioris ecclesiæ consecrauit altare: veniensque Tudertum altare sancti Fortunati solemniter consecrauit; & ad ornatum omnium altarium, quæ proprijs manibus consecrauit, obtulit serica pallia pretiosa, & pallas subtiliter operatas, & statuens rectorem in ducatu Spoleti, & comitatu Assisij, terrisque vicinis, videlicet Gregorium S. Mariæ in Aquiro diaconum Cardinalem.* Probant extrema hæc eiusdem Innocentij literæ, quibus Spoletinos,[a] Reatinos,[b] Fulginates, Assisinates, Eugubinos, Tudertinos, Castellanos, Cardinalis a Romana Ecclesia magistratui præfecti imperijs obtẽperare iussit, quorum vltimis[c] datæ aliæ literæ, vt fidei sacramentum, quo sese præsenti Pontifice astrinxerant, eius subdiacono & capellano renouarent, gauderentq; importunum Germanorum iugum, sub quo diu luxerant, deiecisse. Similibus literis Faliscos[d] hortatus est, oppidum & certa bona restituerent Ecclesiæ, ac pro eius causa strenuè dimicarent. Augebat populorum erga sedem Apostolicam amorem, quòd ipsorum priuilegia corroboraret, vel augeret nouis Innocentius, atque ipsos in clientelam Ecclesiæ admitteret; quo beneficio Agarhinos,[e] Tudertinos,[f] Perusinos,[g] atque etiam prænobiles viros Vguitionem[h] & Guidonem marchiones, eorumque fidei obnoxios ornauit. Deuinctis igitur sibi Apostolicis beneficijs populis, quos peragratis eorum terris ad constantiam in fide Ecclesiæ excitarat per Ameliam, Ortam & ciuitatem Castellanam, vt tradit vitæ eius auctor, ante festum omnium SS. in Vrbem reuersus est.

Innoc. Spoletũ petit. Casus nonus de fonte ibi scaturiente. Cõsecrat Tuderti altare S. Fortunati. Imponit rectorem Spoleto & Assisio.

a Lib. 1 ep. 354. b Reg. post eand. ep. c Ib. ep. 367. d Ib. ep. 359. e Ep. 363 f Ep. 414 g Ep. 373 h Ep. 376

Innoc. ad vrbẽ rediitus.

23 Eo tempore aliorũ exemplo recepti etiam in Apostolicum patrocinium Hetrusci, qui ad recuperãdam libertatem cum Spoletanis fœdus inierant, sanxerantque se armorum societatem ad tuendam Ecclesiæ ditionem & iura sanctissimè seruaturos, nec vllum principem agnituros, nisi quem Romanus Pontifex approbaret. vicissim pollicitus est literis suis Innocentius se ab oppressorum iniurijs ipsos vindicaturum. De quo plura eius vitæ auctor, qui etiam Innocentij literas[i] ad eos datas adducit, e quibus hæc delibauimus: *Licet ad vniuersas Prouincias nostræ prouisionis aciem extendere debeamus, specialiter tamen Italiæ paterna nos conuenit sollicitudine prouidere, in qua Christianæ religionis fundamentum existit, & per Apostolicæ sedis primatum, sacerdotij simul, & regni præeminet principatus. Huius autem prouisionis officium laudabiliter exercemus, si per nostræ sollicitudinis studium procuramus, ne filij a seruis, neque minores a maioribus opprimantur, vt seruata moderaminis æquitate sic isti seruiant, quod illi non sæuiant, vt nec isti subesse contemnant, nec illi prodesse. Volentes ergo vos tanquam speciales filios Apostolicæ protectionis brachijs amplexari, firmum gerimus in deliberatione nostra propositum ad diuini nominis gloriam, & Apostolicæ sedis honorem, quantum cum nostra possumus honestate, vobis aduersus oppressionis incursum, & grauaminis insolentiam nostrum patrocinium exhibere.*

Hetrusci cum Spolet. fœdus. Innoc. vit. auct. i Extant in gest. Innoc.

Hetrusci in tutelã Ecclesiæ admissi.

24 Cæterùm recusarunt Pisani ad illud fœdus accedere, ac nulla ratione adduci potuerunt, siue pertimescerent, ne cùm nouus Imperator creatus foret, fœderatos obtereret armorum suorum potentia, siue ab Ecclesia, in cuius commodum cedebat, animis abalienati essent, quamuis illos Innocentius egregio beneficio sibi deuincire meruisset, atque adducere ad sedis Apostolicæ tuendam dignitatem, a qua eorum ciuitas ingens ornamentum acceperat: archiepiscopi enim primatum non in Turritanam modò prouinciam Sardiniæ ab Adriano, Alexandro, Clemente & Cælestino concessum confirmauit, verùm etiam ad Calaritanam atque Arborensem prouincias hoc diplomate exporrexit, tum vt nonnulla insignia ad Pisarum augendum decus, cuius ciues profligandis infidelibus egregiam operam sæpius locassent, præferret indulsit.[a] *Denique vt Pisana,* inquit, *ciuitas, quæ fauore cælestis numinis de inimicis Christiani nominis victoriam frequenter obtinuit, & eorum vrbes plurimas subiugauit, amplius honoretur, equo albo cum nacho albo in processionibus vtendi, & crucem, vexillum scilicet Dominicum per subiectas vobis prouincias portandi, & per spatium illud Vulteran. episcopatus, quo de Pisan. episcopatu ad Populonen. transitur, tibi tuisque successoribus licentiam damus. Palij quoque vsum fraternitati tuæ concedimus; vt videlicet eo secundum consuetudinem Pisan. ecclesiæ perfruaris, & in consecrationibus trium episcoporum in Corsica, Alerien. videlicet Aiacen. & Sagonen. ac prædictorum duorum in Sardinia, & Populien. episcopi, quorum metropolitanus existis, &c.* Non eo priuilegio alijsue Pisani eiuncti sunt, vt ad ineundum cum alijs Hetruriæ populis fœdus pro defendenda Ecclesia se conuerterent: sed nec minus Innocentio sine Pisanorum opera recuperandis alijs, felicissimi exitus processerunt, quos vitæ eius auctor sequenti oratione enumerat:

Pisani a superiori fœdere abhorrent.

a Ib. ep. 35.

25 *Post hæc* (nimirùm sancita Hetruscorum & Spoletinorum fœdera) *dedit operam ad recuperandam Radicofanum, Aquampendentem, Montemflasconem, atque Tuscanam, quæ tandem recuperauit non sine laboribus & expensis, liberans Aquampendentem ab Vrbeuetanis, qui eam acriter impugnabant. Misit præterea nuncios & legatos ad recuperandum* marchionatum Rauennæ, Britenorium, & terram Caualcacomitis; sed archiepiscopus Rauennas asserebat* marchionatum antiquitus fuisse concessum a Romanis Pontificibus ecclesiæ Rauennati, & priuilegia ostendebat, Britenorium quoque concessum de nouo ab Alexandro Papa, dum Venetijs moraretur. Supersedit ergo dominus Innocentius prudenter ad tempus magis, quàm super hoc vellet aliquid experiri: permisit tamen, vt archiepiscopus Rauennas saluo iure Apostolicæ sedis recuperaret Brittenorium, & teneret. Cùm autem per legatos suos ad hoc specialiter destinatos requireret terram comitissæ Mathildis a ciuitatibus detinentibus eam, licet ipsæ ciuitates vellent eandem per Romanam Ecclesiam sub certis pactionibus recognoscere, ac tenere; quia tamen pactiones illæ conuenientes non erant, noluit ex ipsa terra quicquam concedere præter id, quod concessit episcopo Mantuano, differens in aliud tempus idoneum, quia tunc et sollicitudo grauior superuenit ex diuisione Imperij, & turbatione regni Siciliæ, quibus eum principaliter intendere oportebat. Has autem munitiones ad manus suas dominus Innocentius detinebat, & custodiri faciebat per primos Castellanos; in Tuscia Radicofanum,*

Innoc. vit. auct. Recuperare arces ab Innoc.

** exarchatum*

** exarchatum*

Prætenta arch. Rauen. iura in march. Rauenn.

Vt se gessit Inn.

Reposcit terras comitissæ Mathildis

Monte-

Montemflasconem, & Ordam; in ducatu Spoletino, Gualdum, & Cese; in Sabina Roccham, Anticoli; in Campania, Lafianum, & Castrum in maritima, Roccam Euregij.* Subdit Radicofanum ab eo nouis muris cinctum, ac Faliscorum oppidum nouo tẽplo exornatum: *Ad planum Montisflasconis fecit fieri cappellam, & remoueri domos post palatium vsque ad muros castri, constituens hinc inde parietes a palatio vsque ad muros illos, in muro faciens largam portam, vt haberet ipsa munitio ingressum non solum communem per castrum, sed etiam proprium specialem per illum locum. In roccha de Radicofano fecit exaltari veteres muros, & nouos construi, cauari fossatum, & locum bene muniri. Roccham verò Cnergij redemit a Rolando Guidonis de lecula, cui Oddo, & Robertus Fraiapani in feudum concesserant, quamuis eam ab Ecclesia Romana tenerent sol.us custodia ratione. Patrimonium autem Apostolica sedis in Tuscia diuersis tẽporibus cõmisit regendum diuersis personis, a quibus faciebat annuatim colligi feudum per ciuitates & castra; in alijs autem Regionibus proprium accipiebat officium.* Subijcit, duos viros nobiles Guidonem & Nicolaum, sed qui nobilitatem suam factorum turpitudine, grassando diu in prætereuntes, qui ad aulam pontificiam commeabant, fœdissimè corruperant & inquinarant, ad imperia Innocentij demissè venisse. Obtinebãt ij cum aliquot prædonibus arcem fortissimam, cui Rispampani nomen erat, atque ad reprimendas eorum eruptiones rectoribus patrimonij iusserat, vt collecta valida militum manu, adductisque operis munitissimam turrim proximè excitarent; nec segniùs ij iussa capessiuerant, cùm illi metu se sponte dedidere, ac sacramento Pontifici parituros se deuinxere. tum de compressis Narniensibus, qui Vtriculum euerterant, dictus auctor hæc addit: *Idem verò Pontif.x insius & fortis fecit exercitum contra illos tam de Romania, quam de forinsecis congregari, per quem grauiora sunt, quam intulerunt, damna perpessi, & tandem reædificato Castro bannum mille librarum ab illis accepit iurantibus eius stare mandatis, faciens ducentas libras præstari pro restauratione murorum. Quia verò longum esset explicare per singula, quàm diligens, & studiosus extiterit circa patrimonium Ecclesiæ reformandum, sufficiat dixisse pauca de multis, quia multa possunt excogitari de paucis, quamuis hanc solicitudinem quodammodo haberet exosam, unde sæpe dicebat: Qui tangit picem, coinquinabitur ab ea, maxime quia labor erat magnus, & fructus paruus, & propter excessentes malitiam homines non poterant facilè coërceri.*

* Sirugij

Munitũ ab eo Radicofanum.

Rispampanum recipit a prædonibus.

Edomiti Narnienses.

Pœna ijs imposita.

Dictum Innocentij de terre na curantis.

26 Quamuis igitur tot curis ad reparanda Romanæ Ecclesiæ iura ac bona distentus esset, longè magis in summi Pontificis implendis cæteris partibus, vt in administranda iustitia, cõrundendis hæreticis, perpoliendis moribus, adducendis schismaticis, infidelibus expugnandis operam studiumque collocauit, insedit altè ipsius animo, arrepto primùm Ecclesiæ clauo, vt vitæ eius auctor testatur, auaritiam, quæ æquitatem corrumpere solet, excindere: *Inter omnes pestes venalitatem habuit exosam, cogitans qualiter eam posset a Romana Ecclesia extirpare. Statim ergo fecit edictum, vt nullus officialium curia sua quicquam exigeret præter solos scriptores & bullarios, quibus certum modum præfixit, districtè præcipiens, vt singuli suum officium gratis impenderent, recepturi gratuiter, si quia eis gratuitò donaretur.* Eandem integritatem in alijs clericis desiderabat; vnde cùm rumor ad ipsum afsiluxisset, prælatos Longobardiæ, cùm ex delegatione Pontificis causas pertractandas susciperent, super decima litis vel parte alia, præter expensas victualium pro mercede conuenire, ac pignora recipere, grauissimè eos increpuit, a imperauitque ab ijs sordibus abstinerent, quæ fœdissimam labem ecclesiasticæ dignitati aspergerent: *Licet (inquit) nostra solicitudinis labor generaliter debeat ad omnes extendi, quia sapientibus sumus & insipientibus debitores; specialiter tamen ad clericos, qui dormire debent a vitijs, vt sint penna columba deargentata, ne quid in illis appareat, quod offisset candorem ecclesiastica puritatis.* Ad comprimendos verò pontificiarum bullarum adulteratores, grauissimis propositis pœnis a scelere eos deterrere conatus est, dequo tum ad archiepiscopum & canonicos Mediolanenses, a tum ad Remensem archiepiscopum b S. Sabinæ Cardinalem, quòd illud malum grassaretur in Gallijs, literæ pro detegendis fontibus exaratæ. Perdebat etiam Gallias alia non leuior pestis, vsurariorũm scilicet, quos a præsulibus Gallicanis coërceri iussit. c Ne verò remota longè vitia percellere, vicinis verò, quæ in ipsius aula committebantur, conniuere videretur, emendandæ suæ aulæ incubuisse Rogerius consentit cum vitæ eius auctore, qui subijcit, ipsum ostiarios a notariorum cameris amoueri iussisse, vt liber omnibus pateret accessus, atque exemplo Domini e palatio Lateranensi trapezitas artificesque depulisse.

Coërcita forpontificij officialium auaritia. Anonym. vit. auct.

a ib. ep. 334.

Contra clericos auaros.

a ib. ep. 347. Contra falsarios. b ib. ep. 234.

c ib. ep. 397.

27 Addit ipsum pro impertienda omnibus iustitia consistorium ter in hebdomada coëgisse, moremque, qui penitus obsoleuerat, reuocasse, tantumque in ferendis sententijs sapientiæ doctrinæque specimen explicuisse, vt omnes admiratione sui percelleret; vnde ex vniuerso fere orbe ad illum pro excipienda in suis controuersijs sententia confluxere: pro eo verò quo ardebat impertiendæ cuique iustitię, abscindendarumque litium, quæ annis pluribus partes aduersas torserant, desiderio, Turonensem archiepiscopum ac Dolensem præsulem ad suum tribunal accersiuit, vt difficillimæ de primatu causæ definiẽdæ sententiam exciperent, quæ vt secundum Turonensem lata fuerit, suo loco dicetur. Eodem iustitiæ zelo inflammatus erepta Petro S. Mariæ in via lata diacono Cardinali, dum e prouincia, in qua legationẽ gesserat, rediret, vt restitueretur operam dedit. Diripuerat opes Cardinalis Palauicini filius aliorum prædonum comitatu succinctus: in quos postea ille anathema atque in circumuicina loca interdictũm fulminauit; dein cum Placentinis, in quorum ditione prædones versabantur, agi ab Innocentio cœpit, vt eos ad reddenda, quæ rapuerant, cogerent, ac ni parerent intra certum tempus, ecclesiam Placentinam Rauennati se subiecturum, imò eorum vrbem episcopali dignitate exuturũ, daturum literas d ad Constantiam Augustam, Francorum & Anglorum Reges, comitem Campaniæ, Burgundiæ ducem, comitem Maurinensem atque alios principes, vt Placentinorum mercatorum in suis terris degentium fortunas detinerent, comminatus est; Placentinos præterea magistratus, Parmensiumque præfectum, nisi intra tempus a Cardinale præstitutum factum esset satis, anathemate vinciendos, de quo ad Placentinum episcopũ literas e dedit, eodemque exemplo ad Parmensem episcopum & clerum exarauit, e quorum auctoritate Suburbium S. Domini subduxit, vetuitque ne Huberto Palauicini filio quidquam ecclesiasticorum prouentuum traderent, tum arguit quòd in feruando interdicto se negligentes & remissos gererent; quòd verò in eos animaduertisset, Rauennatem archiepiscopum certiorem fecit, f vt contumaciam ipsorum infringeret atque edomaret.

Turon. & Dolen. ciuitati. Lib 1. ep. 165.

Palauicini filij latrocinium.

in Placentinos illi conniuẽtes minæ pontificię

d ib. ep. 121.

Et in Parmenses.

e ib. ep. 122.

f Ep. 123

Subiecere se Pontificis imperijs Parmenses, & direptæ pecuniæ partem mediam restituere spoponderunt, centumque marcis persolutis ad sarcienda reliqua intra certum tempus se adstrinxere, & Cardinale vibratas interdicti & anathematis in quosdam sententias relaxante, remisit etiam alias pœnas Innocentius, de quo ad episcopum, senatum, populumque Parmensem scriptæ literæ; g tum archipresbyterũ & clericos Burgensis ecclesiæ, h quos ex dominio episcopi exemerat, donec Cardinalis sua recuperasset,

Parmenses faciũt satis.

g Ep. 391 h Ep 403

pristi-

pristino statui reddidit, eiusque auctoritati subesse imperauit.

28 De Innocentij iudicijs satis, nunc aliqua illius sapientissima responsa in dubijs propositis data proponemus. Consulerat Nidrosiensis archiepiscopus Innocentium, an altare in quo sacerdos anathematis reus diuina celebrasset, iterum consecrari deberet. an vlla consuetudo liceret haberi cum fidelium communione eiecto, qui quidem excipiendi Ecclesiæ imperia cautionem dedisset, nondum tamen absolutionem adeptus esset. an aliqui, & quinam cum anathematis reo versari atque agere teneantur. quæ pœna ijs incutienda, qui vel inuiti vel volentes a fidelium cōmunione segregatis commiscentur. quid statuendum in presbyteros, qui naues inter pugnandum regunt, vel confligunt ipsi, vel in prælio pugnantes incitant. Ad quæ ita Innocentius:[a] Neque iterū altare consecrandum; nec cum reo anathematis cōsuetudinem habendam, ab ea tamen lege nonnullos a Gregorio PP. excusari; extremam verò difficultatem ita soluit: *Quia verò tam sacerdotes, qui gubernant naues ad pugnam, quàm qui personaliter exercent pugna conflictum, & hi qui alios incitant ad pugnandum, omnes quidem enormiter peccant, de rigore canonum credimus deponendos.*

Nidrosiēsis arch. de dubijs sedem Apost. cōsulit.

a ib. ep. 379.

Subdit aliorum solutionem dubiorum, quæ nos hic congeremus; eos qui sacerdotium sibi collatum laico traderent, ac postea ab eo idem reciperent, sacerdotio illo exuendos, quamuis ea cessio nullius roboris extitisset. Præterea altare, in quo tabula consecrata mota fuerit, vel immaniter diffracta, iterum consecrandum. non negare se, quin oleum non consecratum alteri sacro misceri non possit. clericos, qui anathematis vinculis irretiti sacris ordinibus initiati fuissent, vel quos præsules Ecclesiæ communione eiecti sacris inaugurassent, ab ordinum sacrorum munere depellendos, deturbandosque.

Aliorum solutiones

Nec minus prudenter definiuit, quid Trecensi episcopo agendum esset; qui cùm profectionem Hierosolymitanam vouisset, vt de maximi momenti negotijs ad ecclesiam suam spectantibus cum Campaniæ comite ageret, susceptoq; itinere, in Hetruria acceperat illum ex humanis discessisse; cumque spes suas elusas videret, sine Apostolicæ tamen sedis cōsilio remeare in Gallias noluit, habitoq; consilio Innocentius re in vtramque partem agitata hæc decreuit:[b] Cùm olim in veteri lege permutare vota licuerit, eaque auctoritaa sedi Apostolicæ tradita fit, se ea lege ipsum voti religione liberare, vt quos sumptus facturus esset, in Terræ sanctæ subsidium deriuaret. *Cum in lege veteri, in qua non minùs præceptum Domini obligabat, quàm votum hodie obligat in Ecclesia, primogenita quæ Domino mandabantur offerri, quædam redderentur Domino, vt primogenita Leuitarum, quædam redimerentur, vt aliarum tribuum, quædam commutarentur in aliud, sicut primogenitum asini, quod oue commutabatur: ex hoc attendentes, quòd votum etiam commutari possit in opus aliud pietatis, præsertim cùm bonæ memoriæ A. Papa prædecessor noster votum peregrinationis etiam redimi posse, vel in aliud commutari responderit requisitus.* Et infra. *De communi fratrum nostrorum & tam archiepiscoporum, quàm episcoporum & aliorum prudentium consilio, quos per Dei misericordiam multos nobiscū præsentes habuimus, licentiam concedimus votum peregrinationis taliter commutare, vt omnes expensas, quas facturus in eundo, morando & redeundo facturus, alicui religioso committas in necessarios vsus terræ illius sine diminutione qualibet transferendas.*

b Ep. 69.

29 Propositum etiam illi est, quid de illius coniugio sanciendum foret, qui cùm primò mulieri, quam ante alius cognouerat, impudicè consueuisset; deinde susceptum ex alia soluta filium eidem mulieri e sacro baptismi fonte efferendum dedisset, ac postea eiusdem mulieris amore incensus, eam clandestino matrimonio sibi iunxisset; demum parentis obiurgationibus ab eius contubernio diuulsus, ac peregrè profectus aliam Engubij vxorem duxerat, e qua prolem sustulisset. Ad hæc statuit Innocentius,[a] vt Lincolniensis episc. inquisita rei veritate diuortium cum prima pronūtiaret, vt an cum secunda versari posset, decerneretur. Longè grauiùs Innocentio in Francorum Regis coniugij quam attigimus, causa desudandū fuit; mixtis enim precibus imperijs ac minis sæpius illum vrgebat,[b] vt quam superinduxerat, reiecta, verā coniugem in gratiam admitteret. se quidē quantò altioribus titulis ad ipsius dilectionem astrictus sit, tantò vehementius ad curandam illius animæ salutem incitari; pareret rationi, non libidini, expedita in suum caput diuinæ vindictæ tela aduerteret, sciret sui exempli perniciem ad alios emanare; accusari inertiæ sedem Apostolicam, ac passim iam de ea detrahi, quòd tantum sceleris impunitum dimitteret; se constantissimè animo decreuisse, nullis minis, nullis precibus, nullo amore, nullo dignitatis regiæ ac potentiæ intuitu, a religione officij declinare, seueritatemque, vbi suauitas non iuuerit, adhibere.

Circa coniugij eius, qui duas vxores duxerat.

a Ep. 378

Philippi Franc. Reg. causa.

b Ep. 170.

Innocentius &c.

Memor esto conditionis tuæ, & nouissima, iuxta verbum Sapientis attendens, quod scandalum in Ecclesia parit, quod nobis detractionem generat, quod in perniciem tuæ salutis vertitur, & in dispendium totius regni redundat, alios similiter corrumpens exemplo, corrigas per te ipsum, superinductam de finibus regni Francorum remoueas, & eam reducas in regnum, & Reginam appelles, ac facias appellari; mandans ei ab omnibus tanquam Reginæ deferri, quā a te minus rationabiliter abiecisti. Quod si postmodum vsque adeò serenitatem tuam oriens ex alto respexerit, & cor tuum lux illa fecerit illustrare dignata, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, vt prædictam Reginam, quam ex testimonio plurium, quibus est religionis & dignitatis ratione credendum, miræ sanctitatis, & honestatis audiuimus esse, retineas in gratia coniugali, præsertim cùm vix nobiliorem ducere possis, & id tibi plurimum expedire noscatur, in his faciliùs, & ad votum tuum celeriùs exequendis, quæ serenitati tuæ diebus istis incumbunt, gaudebimus plurimùm, & in agendis tibi gratiarum actionibus assurgemus. Quod si forsan (quod absit) desuper datum non fuerit, sicut de iure tenemur, iuris tibi licentiam non negamus, quo minùs facta priùs restitutione audiamus, & exaudiamus, quod rationabiliter duxeris proponendum. Si autem (quod non credimus) nec famæ tuæ, nec honori consuleres, nec mandatis nostris, nec monitis obedires, quantumcunque nobis molestum existeret te in aliquo molestare, contra te tanto amplius moueremur, & manum curaremus apostolicam aggrauare, quanto serenitatem tuam synceriùs diligimus, & quos amamus, seueriùs arguere intendimus, & duriùs castigare. Cùm (inspirante Domino) immutabilem animum, & inflexibile propositum habeamus, nec prece, nec pretio, nec amore, nec odio declinandi a semita rectitudinis, sed via regia incedentes, nec ad dexteram declinabimus, nec deuiabimus ad sinistram, sine personarum acceptione facientes iudicium, quia non est personarum acceptio apud Deum. Non ergo posses, quantumcunque confidas, de tua potentia subsistere ante faciem, non dicimus nostram, sed Dei, cuius (licet immeriti) vices exercemus in terris cū auctore iustitiæ, qui est veritas, pro iustitia, & veritate pugnāte inimici tui in te, ac Regni Franciæ præualerent, nec valeret temporalis tuus, & exiguus potentatus diuinæ, ac æternæ repugnare omnipotentiæ maiestatis. Facias ergo, fili charissime, de necessitate virtutem, & nobis in hoc, imò creatori tuo,

Grauis admonitio ad Philipp.

tuo, per quem viuis, & regnas, humiliter satisfacias, quatenus & ipsum tibi reddas propitium, & nos tibi constituas amplius debitores, sciturus pro certo, quòd nisi mandatũ nostrum hac vice curaueris adimplere, non differemus vlteriùs, quin officij nostri debitum exequamur. *Dat. 16. Kal. Iunij.*]

Secunda Philippi vxor.

30 Similia de Innocentij monitis, studioque ad connellendum illicitum illud coniugium adhibito disserit vitæ eius auctor, ac retexens illius historiam refert, vt extincta Philippi prima vxore Balduini comitis Hannoniæ filia, e qua Ludouicum sceptri postea heredem susceperat, Inseburgim Danorum Regis sororem ardentibus votis expetitam in vxorem, perductamque in Gallias Ambiani matrimonio idem Rex sibi iunxerit, dieque insequenti in principum circumfuso cœtu corona redimiri a Guillelmo Rhemensi archiepiscopo insserit: ac tunc in ipsa regiæ inũctionis media celebritate Rex, qui antea illius amore exarserat, quasi fascino aliquo percitus, auersissimo ab ea animo esse cœpit, horrere ad illius aspectũ, toto vultu impallescere, celebritatis moras non ferre, reque perfecta de soluendo coniugio mota controuersia est, & quæsito honestatis colore iactatum ab aliquibus, secundam hanc coniugem primam quarto consanguinitatis gradu attigisse; cùmque ancipiti amoris odijque æstu angeretur Rex, postmodũ ipsi consultum est, poneret metum, ad eam accederet, omnem illum mœrorẽ vxore cognita ex animo deletum iri: paruit ille, ac paulo post ab ea egressus tantum horrorem concepit, vt ipsius conspectum, ne quidem nomen ferre posset; ac tum seriò de diuortio agere cœpit. Negabat ille se cognoscere vxorem potuisse, contra illa cognitam se a viro contendebat, coactoque præsulum concilio, cui Rhemensis archiepiscopus Apostolicæ sedis in sua prouincia legati munere auctus præfuit, diuortij sententia lata est, Regina Inseburge Pontificis fidem implorante, prouocanteque ad Apostolicam sedem.

Philippi in eam odium.

Pronunciatum a conciliabulo diuortium.

31 Facti rumore audito Cælestinus III. sententiam a conciliabulo pronuntiatam rescidit, Regique vetuit, ne alteram induceret. Vrgebat querelis vehementissimis Danorum Rex Pontificem, ne tantam sibi sororique iniuriam inferri pateretur; at Philippus spretis Pontificis iussis, Morauiæ ducis filiam, Inseburge in sacrarum virginum monasterium relegata sibi coniunxit. Nec in eum Cælestinus vehementiùs exarsit, animaduertitue. Quo defuncto Innocentius arrepto Ecclesię clauo fœdissimum scandalum, ne plures exempli improbitate corrumperet, tollendum ratus, neruos omnes contendit, vt Inseburgim regio thoro restitueret, nec ab incepto destitit, donec felicissimè illud in opus perduceret: non enim modò illum hoc anno Parisiensis episcopi opera monuit, tum literis, quas supra attulimus, miserum Regem increpuit, verùm etiam Petrum S.R.E. diaconum Cardinalem tituli S. Mariæ in via lata legatum in Gallias misit, vt malè contractum cum Morauiæ ducis filia coniugium dissolueret, Regemque districtis ecclesiasticis censuris ad recipiendam Reginam compelleret. Extant de ijs ad Regem literæ, [a] quibus iam tertiò commonitum ait, atque adeo in suscepta sententia miratur obduruisse, necdum aduertere quantam nomini suo labem inurat; tum hortatur, vt Petri Cardinalis legati, quem mittit, monitis obsequatur: prouinciam verò legato iniunxit, [b] vt nisi Rex intra mensem post commonitionem factam, Reginam honori regio & thoro restitueret, ipsius ditioné Ecclesiastico interdicto percelleret, *adeo vt præter baptisma paruulorum & pœnitentias morientiũ, nullum diuinum officium celebraretur.* atque ea de re Galliarum præsulibus, vt interdictum, vbi vibratum forer, religiosissimè seruarent, scripsit.

Opposuit se Cælestinus III.

Dein remisit de cœptorũ cõstantia.

a Ib. ep. 346.

b Ep. 344. 345.

32 Ad decernendam illam legationem Innocentium alia etiam consilia mouerant, vt nimirùm dissidentes Anglorum, & Francorum Reges ad mutuam pacem adduceret, & Cruce signatorum turmæ ad reparandas Terræ sanctæ res conficerentur, quod vitæ Innocentij auctor testatur: & quidem Philippi in eo bello res depressas, quod alia occasione recensuimus, fuisse, ex Pontificijs ad ipsum literis colligitur: *Ingemiscimus & dolemus, quæ de serenitate tua sæpius ad nostram audientiam referuntur, cùm quod dolentes referimus, tam super facto carissimæ in Christo filiæ nostræ Reginæ Francorum illustris vxoris tuæ, quàm etiam super discordia, quam cum carissimo in Christo filio nostro illustri Rege Anglorum exerces, taliter te habere dicaris, vt æmulis tuis non solùm repugnandi tibi materiam præbeas, sed etiam audaciam expugnandi, quod serenitati tuæ manifestum tribuit argumentum, quòd Dominus noster tuis sit peccatis iratus.* Non leuibus bellis appetebatur Rex, ad quæ sopienda Innocentius operæ non pepercit: initum quidem fœdus a Philippo cum Flandriæ comite confirmauit, [a] vtque Ricchardum ad pacem, vel quinquennales inducias inflecteret, Petro Cardinali legato iniunxit, [b] & quos proclines ad pacem conciliandam atque idoneos præsules cognosceret, ex Anglia Apostolica auctoritate ad rem eum ijs tractandam euocaret. Hìc adijciendum reor, quod tradit Rogerius, [c] Fulconem virum sanctissimum prophetiæ & miraculorum gloria celebrem, dum inter se conciliare vtrumque Regem niteretur, comminatum, ni ab armis discederent, alterum e viuis sublatum iri; quæ prædictio vera in Ricchardo extitit, qui in obsidione Chaluti anno insequenti telo confossus obijt; quamuis enim inducias admisisset hoc anno, proximo tamen magno suo malo bellum mouit.

a Ib. ep. 130.

b Ib. ep. 344.

c Rog. hist. Ang.

Prædictio mortis Riccardi.

33 Ad pacandas Hispanias, atque inducias, quas Nauarræ Rex fregerat, cum Rege Castellæ reficiendas, tum incestas nuptias Regis Legionensis, qui neptem suam Castellani filiam duxerat vxorem, dirimendas, parem attulit diligentiam nouus Pontifex, atque Rainerio rerum gerendarum peritia præclaro tãti muneris prouinciam commisit, [d] quam antea pro dignitate gesserat G. S. Angeli diaconus Cardinalis Apostolicæ sedis legatus, ac Nauarræ Regem percusserat anathemate, eiusque terras sacris interdixerat. Quare nunc Innocentius præcepit Rainerio, vt facti veritatem inquireret, num violatis inducijs Castellani arces occupasset, atque in eum cum Sarracenis coniurasset, eaque comperta, latas sententias Apostolica auctoritate confirmaret, summaque religione seruari operam daret.

Laborat Inno. pro dissoluẽdis incestis nuptijs Regis Legionensis.

d Ep. 92. Marian. de reb. Hisp. lib. 11. c. 19.

Commissa Rainerio in Reg. Nauarræ inquisitio

Quod ad incestas Legionensis Regis cum nepte nuptias attinet, dirimere illas districtis in Regem censuris Cardinalis legatus conatus fuerat: non enim modò in eius regno templa clauserat, verùm etiam Regem atque Astoricensem, Salamantinum, Legionensem, & Zamorensem episcopos sceleris fautores anathemate perculerat, ijsque veniam flagitantibus, præcepit [e] Innocentius Rainerio, vt excepta parendi sedi Apostolicæ cautione, episcopos, Regem, regnumque sacris restitueret: verùm cùm imperia Adelphonso imposita duriora visa essent, in cœno hæsit, suisque muneribus Pontificem conatus est delinire, sed illa Innocentium respuisse, ac Regem cœtu fidelium submouisse Rogerius testatur. [f]

e Ib. ep. 92.

f Rog. hist. Angl.

34 Cùm verò Legionensis Rex Ouetensẽ episcopum regno atque ecclesia sua depulisset, quod interdictum a legato Apostolico fulminatum seruasset, Rainerio antequam interdictum amoueret iniunxit, [g] episcopum dignitati & ecclesiæ restitui iuberet: fuisse verò episcopum virum pietate ac religione præstantem eius gesta demonstrarunt, cùm euersa metu regiæ potentiæ plurium præsulum constantia, regno prius quàm sententia sua depulsus est, atque exilij pœnam triumpho duxit, verùm etiam ad restituendam

Ouetensem episc. restitui iubet Innoc.

g Ib. ep. 125.

tuendam pietatem collapsam, egregiam operam nauauit: cùm enim sanctitatis splendor in quodam monasterio emarcuisset, in quo seculares canonici fuerant instituti, ille disciplinæ antiquæ reuocandæ cupidus, potestatem eius rei ab Innocentio sibi fieri expetijt, qui pijs eius desiderijs lubentissimè morem gessit.

Adsanciendam etiam confirmandamque in reliquis Hispanijs pacem subijcit, imperatq; a Rainerio, si Castellæ & Legionis Reges ad officium redierint, ininstumque matrimonium diuiserint, ad coeundam cum Rege Portugalliæ, alijsque Hispaniarum Regibus concordiam incumbat. *Volumus etiam nihilominus & mandamus, vt, si dicti Castellæ & Legionis Reges ad mandatum nostrum & commonitionem tuam dictum contractum illicitum retractarint, eos vt aliter inter se, & cū Sancio Rege Portugalliæ honestè conueniāt, & caeteros Reges, vt inter se pacem sindeant fœdera reformare, super quo te præcipue volumus esse sollicitum, per excommunicationis & interdicti sententiam appellatione remota cogere non omittas, &c. Dat. Rom. apud S. Petr. 16. Kal. maij Pont. an. 1.* Alijs etiam literis Rainerium paci inter Portugalliæ & Castellæ Reges conciliandæ, ineusso ijs censurarum terrore, operam dare iussit: b accepisse enim se, aliquos pacis inuidos vtrumque Regem ad fœdera antea pacta & iurata rescindenda exasperare, de quo ad Lusitanum etiam datæ literæ: c illum porro atque eius regnum, vt porre sedis Apostolicæ stipendiarium, in B. Petri clientelam accepit. d

(a Ep. 92. — Labores Innoc. pro Regibus Hisp. ad concordiam reducendis. — b Ib. ep. 248. — c Reg. eod. ep. — d Ep. 499)

35 Cùm Lusitaniam Romanæ Ecclesiæ stipendiariam ex literis superioribus indicarum sit, non omittemus Innocentium ab eodem Rege censum quatuor vnciarum auri popoſcisse, e ad quas persoluendas Alphonsum ipsius parentem se suoſque astrinxisse in regestis pontificijs reperisse ait; repetijt etiam cētum byzantios annuos: cùm enim idem ipsius pater ad tēpora Alexandri Pontificis ducis titulo tantummodo decoratus fuisset, ab Apostolica sede eblanditū, vt regio nomine insigniretur, eumque ad reponendam gratiam centum byzantiorum cēsum annuum Rom. Ecclesiæ pollicitum: quos tamen nec pater suscepta regia dignitate, nec ipse adhuc persoluissent: vnde Cælestinus commotus ad eos exigendos Michaëlem notarium in Lusitaniam miserat.

(Lusitania ecclesiæ stipendiaria. — e Lib. 1. ep. 99.)

Illustri Regi Portugalliæ.

Serenitatem Regiam volumus non latere, nos in regestis bonæ memoriæ Lucij Secundi Romani Pontificis reperisse, quòd recolendæ memoriæ A... pater tuus quatuor auri vncias annuatim Romanæ Ecclesiæ constituit censuales: ad quorum solutionem se, & heredes suos in posterum obligauit. Cæterùm cùm idem pater tuus vsque ad tempora felicis memoriæ A.... Papæ prædecessoris nostri, ducis esset nomine appellatus, ab eodem meruit obtinere, vt tam ipse, quàm eius heredes regio nomine vocarentur. Vt autem idem pater tuus sacrosanctam Romanam Ecclesiam matrem suam honore debito prævenire, & vt deuotionem, quam circa ipsam habebat, ostenderet effectu, centum byzantios annuatim Romanæ Ecclesiæ constituit censuales; quos post susceptionem regij nominis nec ipse soluit, nec tu postmodum curauisti. Cùmque id felicis recordationis Cælestino Papæ prædecessori nostro relatum fuisset, magistro Michaëli tunc Ecclesiæ Romanæ notario, quem ad partes Hispaniæ destinarat, per suas dedit literas in mandatis, vt te ad soluendum censum annuum moneret diligentiùs, & induceret procuraret, & si opus esset, auctoritate fretus apostolica compellere non differret. Tu autem eidem, prout placuit, respondisti, quod dictus pater tuus præfato A... antecessori nostro pro annuali censu decem annorum mille aureos miserat, & cùm non illi decem anni essent expleti, ipsos centum aureos iterum soluere minimè tenebaris, licet illos eidem prædecessori nostro non pro censu, sed deuotione, quam ad eum habebat, liberaliter donauisset. Rogamus igitur regiam serenitatem, monemus, consulimus, & hortamur per Apostolica scripta mandantes, quatenus prædictum censum dilecto filio fratri Rainerio persoluere non postponas: alioquin nouerìs nos idem dedisse firmiter in mandatis, vt te ad solutionem illius diligenter moneat, & inducat, & sicut expedire viderit, appellatione remota compellat. *Dat. Romæ apud S. Petrum 8. Kal. maij.*

(A Rom. Pont. in regnum redacta. — Baron. an. 1144. n. 3. 1179. nu. 26. — Census illi impositus.)

36 Eiusdem Rainerij concionatoris egregij magnisque virtutibus prædici viri opera non in Lusitania modò, Castella, Nauarra, vt supra attigimus, est vsus a Innocentius: verùm in prouincia quoque Narbonensi alijsque locis ad hæresim comptimendam; diffuderat illa adeo virus suum, populosque corrupetat, vt ministrorum sathanæ vox auidissimè exciperetur, atque ab Euangelicis concionatoribus infestissimis animis abhorrerent, vnde ea ea animarum funestissima clade tantum mœrorem Carcassonensis episcopus concepit, vt cùm pestem illam edomare atque excindere non posset, gerendæ episcopali dignitati se imparem ratus, honore cedere decreuit, atque ab Innocentio supplicibus votis expetierit, vt alium in suo gradu collocaret, quiexcolendæ Christi domini vineæ feliciùs operam nauaret: at Pontifex Narbonensi Archiepiscopo & Rainerio prouinciam imposuit, b vt si episcopum annis grauatum, atque animi virtutibus pascendo gregi inferiorem reperirent, abire episcopatu permitterent; tum religiosissimè imperauit, vt studium omne diligentiamque in hæreticis e prouincia Narbonensi eijciendis ponerent: cumque inualesceret adeo malum, vt non modò verbo diuino, sed etiam ferro coërcendum esset, Auxitano archiepiscopo præcepit c Innocentius, vt vires omnes ad grassantis mali propulsandos impetus intenderet, principumque auctoritatem, vt ferrum ad vindictam improborum exercerent, imploraret. Eidem etiam archiepiscopo innuit, vt cùm non leue damnum Ecclesiæ aliquorum auaritia crearet, qui occupatis pluribus sacerdotijs, ministrorum plurium obsequijs illam defraudabant, eos omnes qui plures archidiaconatus, personatus, dignitatesque obtinerent, retento quod optarent sacerdotio, cæteris se abdicare in sua prouincia cogeret: d quod maximè eo tempore necessarium erat, quo pluribus Ecclesia ministris ac pugilibus egeret, quicum hæreticis, qui eo tempore prauarum opinionum virus populis afflabant, generosè decertarent.

(a Ep. 92. — b Ep. 49. — Contra nascente hæresim in Gallia Inn. insurgit. — c Ib. ep. 81. — d Ib. ep. 82.)

37 Ingens quidem erat hæreticorum colluuies, sed præ cæteris errorum infamia atque scelere insignes erant Vualdenses, Cathari, & Paterini, ad quos prosternendos visum est Innocentio, ita seueritatem ecclesiasticam exercendam, vt quos ipsius legati Rainerius & Guido anathemate perculissent, atque hæreticos pronuntiassent, principes è sua ditione eijcerent, bonaque eorum fisco addicerent; si verò illi in ijs terris vlterius morarentur, morte afficerentur, vtque principes concesso sibi in plectendis sceleratis munere fungerentur, ea auctoritate Rainerium instruxit, vt incussa in ipsos anathematis, atque in obnoxias ijs terras interdicti religione adigeret. Fulminauit etiam in eos pœnas, qui vel hæreticos recipere, vel auxilium aliquod ijs præbere præsumerent; contra verò propositis indulgentijs aliorum zelum incitauit, qui legatis suis operam, auxiliumque in persequendis hæreticis præstarent: Aquensem in primis, Narbonensem, Auxitanum, Viennensem, Arelatensem, Ebredunensem, Terraconensem, Lugdunensem archiepiscopos, eorumque suffraganeos, tum principes viros, comites, barones, ac populos literis e Apostolicis

(Iussit principes hæreticos in exilium pellere. — e Ib. ep. 94.)

stolicis ad id ardentissimè est adhortatus: alijs etiam literis tertio id. maij datis a Innocentius ecclesiastica ac seculari dignitate conspicuos viros incitauit, vt ad frænandam hæresim studium impenderent, fauerentque Guidoni, eiusque sententias exequerentur; etiãdum Rainerius, quem in Hispanias ad agenda maximi momenti negotia, de quibus iam ante egimus, mittere meditabatur, ab eorum prouincijs abesset.

a Ib. ep. 165.

38 Præter Apostolicos legatos missos ab Innocẽtio, in alijs Galliarum partibus opposuit diuina prouidentia perditissimis sathanæ satellitibus viros sanctissimos, qui doctrinæ luce ac miraculorum fulgore offusas ab hæreticis tenebras discutere ac disijcere conabantur. Insignis inter cæteros fuit Fulco sacerdos, ad quem etiam datæ ab Innocentio literæ, b qui diuino incensus zelo populos e vitiorum cœno abduxit, Regum potentiam non expauit, generosè sua illis vitia obiecit, plura miracula patrauit: de cuius viri sanctitate ac gestis hæc Rogerius: c *Eodem anno erat in Gallia quidam sacerdos nomine Fulco, quem magnificauit Dominus in conspectu Regum, deditque ei potestatem cæcos illuminare, claudos, mutos, & aliòs diuersis languoribus oppressos curare, dæmones effugare. hic autem meretrices, relicto impudicitiæ fræno, ad Dominum conuertit.* Eadem de Fulconis miraculis & pijs operibus Rigordus, d & Iordanus, e qui aiunt plures ex ijs mulierculis, quæ in prostibulis latebant, ad coniugalem continentiam studio suo reuocasse; alias, quæ coniugium respuebant, & Deo soli viuere cuperent, sumpto regulari habitu in noua abbatia S. Antonij Parisijs, quæ causa illarum eo tempore condita est, fuisse collocatas, alias diuersis peregrinationibus & laboribus nudis pedibus incedendo se exposuisse, quæ a Iordano f ad hunc annum confirmantur. Id malum non in Gallijs modò, sed in reliquo orbe maximè tunc vigebat: vnde Innocentius in perditas illas mulieres, quę pudicitiam quibusque obuijs, animas dæmonibus prostituebant, miseratione ductus, e cœno faciliùs abducendas ratus, g si viros, qui eas ducerent, nanciscerentur, infamiam quæ in iungenda sibi matrimonio meretrice erat, amouere conatus est, atque indulgentias ijs proposuit, qui ex Christiana pietate huiusmodi meretriculas vxores ducerent, quò maritali fræno coërcitæ a scelere impudicitiæ sibi temperarent. Subdit Rogerius de Fulcone: *Vsurarios etiam ad cælestem thesaurum inuitans, quem nec ærugo nec tinea demolitur, nec fures furantur: fecit omnem substantiam, quam vsura & fœnus deuorauerat, in vsus pauperum distribuere.* Et infra: *Quia in illo tempore messis quidem erat multa & pauci operarij, coniunxit ei Dominus viros sapientes verba salutis æternæ prædicantes, magistrum Petrum, & dominum Robertum, & dominum Eustachium abbatem de Flay, & cæteros quosdam, qui missi per orbem terrarum prædicauerunt, vbique Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis.*

b Ib. ep. 396.
c Roger. hist. Ang.
Fulco miraculis clarus.
d Rigor. in Phil. Aug.
e Iordan. M.S. cod. Vat. bibl.
Meretrices pœnitentes.
f Iord. vbi sup.
Meretrices ducẽtibus datæ indulgentiæ.
g Ib. ep. 112. Hab. c. inter opera de sponsal. & matr.

39 Cùm de prodigijs mentio sit edita, hic nonnulla congeremus, quæ ab auctoribus hoc anno patrata recensentur: & quidem diuini fuit consilij, vt dum glisceret hæresis, quæ populum suo veneno infectum a pietate & fide abducebat, plura Deus miracula ad confirmandos suos ac veritatem Dominici corporis in sacramento Eucharistiæ, quam maximè hæresis petebat, illustrandam. hæc enim Rigordus tradit h: *Apud Rosenum in Bria, in sacrificio altaris vinum visibiliter mutatum est in sanguinem & panis in carnem.* Plura alia similia miracula a Deo in Germania atque Italia patrata annis sequẽtibus videbimus. historiam suam prosequitur memoratus Rigordus: *In Vermendesio miles quidam, qui mortuus fuerat reuixit, & multa futura multis postmodum prædixit. in Gallia circa festum S. Ioannis Baptistæ in nocte ros de cælo cadens mellitus, spicas segetum infecit ita, quod multi spicas in ore ponentes saporem mellis manifestissimè præcipiebant.* Alia nõ minus noua scribit Parisius: a *Vndecimo Kal. iulij & idibus maij pluit sanguis vndatim super ædificantes turrim apud Andeliacum in Normannia, mortem fortasse Regis Ricchardi denuntians in breui futuram.*

h Rigor. in Phil. Aug.
a Paris. hist. Ang.

40 Subijcit Rogerius, vt Fulco ob acerrimum zelum in reprehendendis sceleribus, Ricchardi Regis aliorumque improborum odium collegerit, a quibus coniectus in carcerem & vinculis constrictus, diuina ab ijs virtute saluus & liber auolarit. Conuenit aliquando Ricchardum, monuitque, vt tres sceleratissimas filias citiùs viris locaret, eoque subsannante, cùm nullas suscepisset, adiecit illas esse superbiam, cupiditatem, luxuriam. rem facetè prosequitur Rogerius: *Prædictus autem Fulco quadam die accessit ad Ricchardum Regem Angliæ, & ait illi: Dico tibi, ò Rex, ex parte omnipotentis Dei, vt tres filias tuas, quas habes pessimas, citiùs marites, ne aliquid deterius tibi contingat. O digito compesce labella, accusator erit, qui verum dixit: Nemo sine vitijs nascitur, beatus qui minimis vrgetur. & alibi: Nemo sine crimine viuit. Cui fertur Regem respondisse: Hypocrita, mentitus es in caput tuum, quia filiam non habeo vllam. Ad quod Fulco respondens ait: Certè non mentior; quia, vt dixi, tres habes filias pessimas, quarum vna est superbia, altera cupiditas, tertia luxuria, &c.*

Roger. vbi sup.
Fulco Ricchardum acerbè reprehẽdit.

41 *Itaque prædictus Fulco relicto Rege abijt prædicans verbum Dei, e ciuitate in ciuitatem: cumque prædicando verbum Dei, ciuitatem Lexouiensem esset ingressus, clerici ciuitatis illius, quorum vitam immundam vir ille plenus Spiritu sancto, & operibus bonis reprehenderat, iniecerunt manus in illum, & vinculis constrictum in carcerem miserunt. Sed neque vincula, neque carceres eum tenere potuerunt. Et sic permissus abire, venit Cadamum, prædicans præceptum Domini; & in conspectu plebis multa signa faciebat: custodes autem castelli existimantes, quod placeret Regi, iniecerunt manus in eum, & vinctum miserunt in carcerem; & ruptis carcere & vinculis, exiuit illæsus. Ibat gaudens, quoniam dignus habitus est contumeliam pati pro nomine Christi, & exiens a castello excussit puluerem pedum suorum in testimonium supra illos.*

Fulco vinculis diuinitus liberatus.

42 Dum ij concionatores egregij, Fulco socijque vitiorum sentinam, e qua solet emergere hæresis, e Gallijs sacris concionibus exhaurirent, non torpebant otio Franciæ prælati; cùm enim non modò Galliam Narbonensem, aliaque circumiecta loca hæresis infecisset; verùm in reliquas Gallias venenatas radices propagaret, eæ præsulum diligentia excisæ atque amputatæ fuerunt. Mali auctor Terricus, qui diu in specu abdita Corbiniaci delituit, vbi ad se venientibus pestiferum & lethale virus afflabat, tandem e tenebris productus in lucem, vltricibus flammis iniectus est. Meritas etiam alij pœnas luère, alij ad fidem sinumque Ecclesiæ felicissimè reuocati. hæc enim Roberti chronicon Antissiodorense b ad annũ 1198. postea Trecis anno 1608. editum tradit: *De hæresi Populicana omnium hæreseon fæculentissima, quæ virulentas radices suas latè quidem, sed latenter hoc tempore propagarat, multi ad fidem conuersi sunt, eorumque confessione plures ex eadem hæresi sunt detecti. Inter eos hæresiarcha Terricus magnus diaboli laqueus, qui apud Corbiniacum in specu subterranea diu latuerat, pluresque subuerterat, tunc productus è latebris & conuictus incensus est. Apud vrbem quoque Niuern. abbas S. Martini & decanus maioris ecclesiæ de hac pestilentissimo errore notati, episcoporum sistuntur concilio Senonis conuocato, ibique abbas deponitur, decanus suspenditur, & sic ad sedem Apostolicam destinantur. Apud vicum quoque, qui dicitur Charitas, quidam viri prædiuites hæresis prædicta notabiles, cum se absentassent die, quo citati fuerant, vt ab hac*

Terricus hæresiarcha flammis traditus.
b Robert. in chron. Antissiod.
In alios pœnæ statutæ.

hac infamia se purgauerint, ab Ecclesia sunt præcisi & expositi publicæ potestati.

43 Afflixere etiam Gallias per ea tempora aliæ pestes Coterelli, & Basch, quorum opera magno sceleris exemplo Claramontanus episcopus, iracundia furens in fratrem suum Aluerniæ comitem vsus est, vt illius terras incendijs, rapinis, cædibus popularetur: ad cuius furori injiciendum frænum, literis supplicibus exorauit Innocentium comes, vt partes suas adhiberet, atque ad Apostolicam clientelam obtinendam oppidum recens a se excitatum pietatis ergò Romanæ Ecclesiæ donauit a, aurique vnciam pro censu dedit. ad eam liberalitatem explicandam incitarant egregia parentis exempla, qui prænobile aliud oppidum eidem Ecclesiæ obtulerat.

a Apud Innoc. l. 2. post ep. 495.

44 Flagranti comiti opem Apostolicam attulisse Innocentium probabile est, cùm lubentissimè huiusmodi conciliandæ inter dissentientes pacis, administrandæque iustitiæ onera susciperet, & contra potentiorum iniurias etiam inferioris conditionis viros tueri ac defendere soleret: ita enim Vvalterum b archiepiscopum Rothomagensem colligere animos iussit, suaque iuris dicundi auctoritate, spretis Philippi Francorum ac Ricchardi Anglorum Regum minis, vti certissimum ipsi præsidium sedem Apostolicam allaturam, ita monachos Cantuarienses contra Huberti archiepiscopi Cantuarien. & Anglorum Regis gratiam protexit, atque ecclesiam Lamelich dissensionis fontem euerti imperauit: de qua controuersia fusè Parisius. c

b Ep. 259

c Par. hist. Ang.

45 Cùm de monachorum Cantuariensium oppressione mentionē fecerimus, hic admirandum Conuentrensis episcopi, qui monachos ecclesiæ suæ grauissimè fuerat persequutus, iisque etiam eiectis seculares canonicos induxerat, pœnitentiæ genus afferemus. Dum ille Romam contenderet, morbo lethali in Normannia implicitus, diuinoque actus timore, religiosos plures viros ad se euocauit, iisque præsentibus omnia sua crimina, alta voce multis intercisa suspirijs patefecit, petijtque, vt sibi pœnam aliquam ad ea eluenda infligerent, omnibusque ad tantum illius dolorem de peccatis exactæ vitæ conceptum stupore perculsis, obtestatus est eos, vt pœnitentiæ loco sibi, saluo diuinæ misericordiæ beneplacito, flammis purgatorijs ad extremum iudicij diem scelera expiare iuberent: tunc commissi in monachos criminis, quos crudelissimè exagitarat, memor, abbatem quendam intuitus, magno lacrymarum imbre effuso expetijt, sibi monasticum habitum induerent, vt patronos haberet, quorum persequutor extitisset: dein erogatis in pauperes opibus suis, animam pijssimè efflauit. Quam historiam ex Parisio affert Baronius d, atque adeo consultò nos, licet in præsentem inciderit, exscribere prætermittimus, tum fabellam deridiculā, quam a Parisio in Romanos Pontifices noto odio imbuto confictam idem Cardinalis demonstrat.

Conuentren. epis. admiranda pœnitentia.

Par. hist. Angl. hoc anno.

d Bar. an. 1191. num. 54.

46 Alienum hic non fuerit paulò amplius excurrere, vt emicuerit Pontificis zelus in reuocando primæuo veteris sanctitatis flore, qui in monasterijs emarcuerat, astringendaque nimia religiosorum, qui e claustrorum septis euagabantur, libertate; de quo acriores ad R. tituli sanctorum Marcellini & Petri presbyterum Cardinalem abbatem Cassinensem literas dedit, vtque ad purgandos suorum monachorum deformatos mores incumberet, stimulos admouit. Perstrinxit e enim ipsi non leuè maculam aspergi, si subditi parum religiosè viuerent, quibus frænum injicere deberet: *Super hoc tu non videris alienus a culpa, qui cùm tibi sit ipsius ecclesiæ cura commissa, culpam negligis corrigere subditorum. quia iuxta verbum sapientis: Vbi non est gubernator, populus corruit, pastoris incuriam dissolutione ouium accusante.* Et infra grauissimum hoc monitum religiosis viris altissimè pectori insculpendum, vt cælestibus quàm terrenis opibus cum standis, quarum postea mole primæua sanctitas opprimitur, magis incumbant, pronuntiat.

Studium Innoc. pro vita monastica restituenda.

e Ep. 384.

47 *Si quasi ad excusationem in temporalibus tuæ studium intentionis expendas, vt ecclesia tua in possessionibus dilatetur, illas omnibus debes præferre diuitias, quibus inter filias Sion tua supergredi valeat vniuersitas, quæ videlicet in spiritualibus attenduntur. Primùm namque iubemur quærere regnum Dei, & sic nobis adijci omnia promittuntur: vnde si Marthæ studium laudabiliter retinens partem Mariæ, quæ non aufertur ab ea, tibi eligere voluisses, de spiritualibus sollicitius meditando, scandalum illud potuisses euadere, per quod Cassinensis ecclesia in obseruantijs regularibus adeo inferior prædicatur, vt quæ mater religionis extiterat & magistra, vix filia siue discipula iam meruerit appellari.* Subjicit, vt cæteris eos præficiat, in quibus religionis amor adhuc hæsit, & lilium viret (vt ait) inter spinas, vt si exemplo virtutis cæteris præluxerint, faciliùs aliorum mores excolant ac perpoliant. Nec Cassinensium monachorum singulare illud malum erat, vt liberiùs euagarentur, sed cum alijs monachis in cæteris regnis commune. Petragoricensi enim episcopo in Gallijs iniunxit a, vagos monachos in monasteria detruderet, alijsque pluribus, vt Æduensi episcopo & Vngiacensi, & S. Margaretæ abbatibus b, vt restituendæ in cœnobijs pristino splendori religiosæ disciplinæ operam nauarent.

a Ib. ep. 444.

b Ib. ep. 233.

48 Vt in reprimenda eorum insolentia, qui prauis moribus ab instituta vitæ professione deuiarant, seuerum se exhibuit, ita beneuolentiam in veræ sanctitatis cultores explicuit. Exoriente enim in Ecclesia noua familia, cui S. Trinitatis de redemptione captiuorum nomen est, ac pio illius conditoris Ioannis consilio diligentissimè discusso, nascentem nouum religiosorum ordinem sua auctoritate fulciuit c. Quorum ea professio fuit, vt tertiam bonorum, quæ sibi erogarentur, partem in redimendis Christianis, qui sub Sarracenorum seruitute lugebant, collocarent. Efferente se ac piorum liberalitate bonis aucta noua familia, quam M.... comitissa Burgundiæ multis redditibus atque ædibus Cerui frigidi amplificarat, illam Innocentius, bonaque eius sedis Apostolicæ clientelæ credita voluit d, aliaque plura beneficia Apostolica in religiosos viros contulit e. Cumque maximæ inter Virgiliacenses religiosos viros, & Niuernensem comitem circa procurationum obligationes arsissent controuersiæ, certisque legibus ab Ostiensi episcopo f & Francorum Rege temperatæ essent, quod gestum in ea re fuerat, probauit Pontifex, ac Senonensi archiepiscopo, Æduensi, Lingonensi, Antissiodorensi & Niuernensi episcopis prouinciam iniunxit g, vt ad seruandas conuentiones partes cogerent.

Priuilegia viris religiosis data.

c Ib. ep. 479.

d Ep. 251

e 283. &c.

f Ib. ep. 141.

g Ib. ep. 142.

49 Cùm imparis conditionis viros contra principum potentiam ad defendendam æquitatem sustinentem Innocentium suspexerimus, æquum est, vt iustas Regum causas aduersùs alios Reges ab iniqua tyrannide vindicantē intueamur. Equidem id munus pro Anglorum Rege Ricchardo suscepisse constat, partesque suas interposuisse, vt Nauarræ Rex duas arces, quarum alteri Rochabrun, alteri S. Ioannis de Pedeportæ nomen inditum, a Nauarri parente in dotem filiæ Ricchardo in matrimonium collocatæ concessas restitueret: Nauarroque significauit h, se Narbonensi archiepiscopo prouinciam demandasse, vt incusso censurarum terrore ipsum compelleret. Passus etiam erat grauissimam iniuriam Ricchardus ab Henrico Imp. dum enim e Terræ sanctæ expeditione rediret, ab illo interceptus, & per summum scelus ingens pecuniæ vis ab eo extorta erat, quod cùm non modò magno Regis damno, verùm Ecclesiæ opprobrio, cuius clientelæ cōmissus fuerat,

h Ib. ep. 210.

verteretur, Innocentius extincto iam Henrico incubuit, vt Philippus Sueuiæ dux, in cuius manus Imperatoris ærarium deuenerat, Ricchardo pecunias refunderet, eiusque rei prouinciam Magdeburgensi archiepiscopo commendauit a, significaret duci, ad quem vel successionis, vel tutelæ iure bona peruenerant, vt nisi Anglo faceret satis, Romanam Ecclesiam, iniuriam acceptam æquo animo amplius non laturam, sed censuras meritas tum ipsi, tum eius ditioni inflicturam. Commissi in Ricchardum sceleris particeps fuerat Austriæ dux, qui ab eodem pecuniæ vim exegerat, factique pœnitens, dum morbo implicitus in extremo vitæ & mortis confinio versaretur, diuinique numinis vindictam pertimesceret, filium atque adstantes proceres iureiurando adegit, ablatam a Ricchardo pecuniā ipsi restitui curarent. Sed eo extincto sacramenti religionem filius contempsit, quem Innocentius literis b arguit, similiterque monuit sedem Apostolicam illatam iniuriam ferre non posse, seque archiepiscopo Salisburgensi munus imposuisse, vt censuris ad reddenda ablata eum compelleret: de quo etiam ad eundem archiepiscopum literæ exaratæ c. Quid verò Innocentius apud eos principes, Regem scilicet Nauarræ, Austriæ & Sueuiæ duces egisset, Ricchardo significauit. d

a Ib. ep. 235.

Vt extorta a Riccard. reddantur, elaborat Innoc.

b Ib. ep. 241.

c Reg. post eand. ep.

d Ib. ep. 329.

50 *Super eo, quod prædicti tui nuncij postularunt, vt nobilem virum N..... filium ducis Austriæ ad restituendam pecuniam, quam pater suus in periculum animæ suæ ad te dum redires ab obsequio Iesu Christi, pro redemptione tua violenter extorsit, & in vltima voluntate pœnitentia ductus per eundem filium suum tibi restituendam mandauit, voluntate Apostolica cogeremus. Noueris nos eisdem nostris literis iniunxisse, vt prædictā pecuniam sine difficultate qualibet restituere non omittat, alioquin venerabili fratri nostro N..... Salzburgen. archiepiscopo literis nostris iniungimus, vt ipsum ad restitutionem eiusdem pecuniæ faciendam moneat diligentius, & inducat, & per seueritatem ecclesiasticam appellatione remota compellat. Verùm quia circa personam nobilis viri N..... ducis Sueuiæ quædam audiuimus immutata, eidem ad præsens scribere cautela prohibente nequiuimus, vt iuxta postulationem pecuniam tuam, quam a te Henricus quondam Imperator frater ipsius contra Deum, & periculum animæ suæ extorserat violenter, dum de transmarinis partibus remeares, deberet tibi restituere, præsertim cum eiusdem fratris sui thesaurus ad eum esset ipso mortuo deuolutus, & ipse vel hæres sit, vel tutor hæredis. Verumtamen scripsimus venerabili fratri nostro Magdeburgen. archiepiscopo, vt ducem ipsum ad restituendam pecuniam ipsam moneat diligentius, & inducat: alioquin tantam iniuriam non poterimus sub dissimulatione transire, quin in eundem ducem, & terram eius sine cuiuslibet acceptione personæ officij nostri debitum, & seueritatem curemus ecclesiasticam (sicut iustum fuerit) exercere. Insuper scribimus carissimo in Christo filio nostro N.... illustri Regi Nauarræ, vt pecuniam & castella sancti Ioannis de Pedeporta, & Roccabruna, quæ pater suus tibi cum filia sua concessit in dotem, sine aliqua difficultate restituat: alioquin venerabili fratri nostro N.... Narbonen. archiepiscopo, cui iam alia vice (si bene recolimus) super hoc scripsimus, nostris damus literis in mandatis, vt ipse eum per censuram ecclesiasticam ad hoc monitione præmissa sine appellationis obstaculo iustitia mediante compellat.*

51 Postularant e præterea Ricchardi oratores ab Innocentio, vt Philippum Francorum Regē obiecto censurarum terrore cogeret ad eas arces restituendas, quas antequam e Terræ sanctæ expeditione reuersus esset, inuasisset, cùm maximè sub clientela Sedis Apostolicæ versaretur. Sed illius periti Regis Francorum legati obstitere, Regem suum ad id nulla religione teneri posse, cùm Anglus inita ante fœdera primus infregisset, sororem etiam Philippi accipere respuisset, aliamque sibi coniunxisset; tum quod instructa ornataque in Terram sanctam profectione, cùm ex pactis omnia quæ ab ipsis parta forent, æqua sorte inter vtrumque diuidi debuissent, acceptam a Tancredo Rege pecuniam, atque e Cypro obtentum thesaurum Ricchardus cum Philippo nō diuisisset: addidere, Ricchardum Philippo graues iniurias in Terra sancta intulisse, atque ab eius obsequio plures viros principes subduxisse: quæ res Philippum permouerat, vt nō sine dedecore in Gallias regrederetur: quin etiam subiecere, postquam Ricchardus in libertatem assertus fuisset, cum eo de omnibus illatis illi damnis, quæ accepisse se a Philippo querebatur, transegisse, conciliatoque fœdere plura liberaliter contulisse. Obiectis ijs a Philippi legatis, Ricchardi oratores respondere, Francorum Regem iunctum fœdus & sacramento confirmatum apud Messanam priorem violasse, cùm Siculis in Ricchardum consurgentibus Philippus non modò auxilium petitum denegasset, verùm ad arma etiam contra ipsum prosilijsset, ac tres Angliæ Regis milites contorta ballista propria manu peremisset: pacato postea tumultu, fœdereque nouo contracto, Philippum accipiendæ sororis suæ in vxorem religione Ricchardum liberasse, ac promissis sibi decem marcharum millibus omni in Gisortium & Vlcassinum iure discessisse. Quod ad thesaurum Cypri, atque a Tancredo acceptam sororis suæ defunctæ dotem spectaret, Francorum Regi abundè satis factum fuisse, adeo vt Philippus Ricchardo e Terra sancta discessurus pollicitus esset, se nullas ipsius terras occupaturum, nullumue hostilem impetum illaturum, nisi quadragesimo die postquàm in terras suas redijsset. Hæc coram Innocentio ab vtrimsque Regis oratoribus ardentibus animis iactabantur, quam causam ventilare magis ac definire pro concilianda inter vtrumque pace paratus erat Pontifex, sed cùm oratores standi illius iudicio prouinciam sibi traditam negarent, causa hæsit, rescripsitque Ricchardo Innocentius, qui coram se Francorum Regis oratores postulatis ipsius obiecissent, induxisse se in animum transilire alpes ad eas controuersias extinguendas, vt primum Patrimonij & Siciliæ res composuisset; quod si occasio non permitteret, legatos Apostolicos summa auctoritate ad concordiā adducendam instructos transmissurum: verùm exorientium in dies nouarū curarum moles non permisit Innocentiū ex Italia discedere; quare legatū, vt supra retigimus, misit qui inducias quinquēnales inter vtrumque Regem confecit. Sed de eo anno sequenti.

e Ep. 230.

52 Transmisit hoc anno Innocentius ad Anglorum Regem, vt eximium suum erga eum amorem mirifico aliquo munere commēdaret, quatuor annulos, in quibus quatuor lapides pretiosi, smaragdus, saphirus, granatus, topazius auro inclusi radiabant, quos ad ipsum non ob pretium, quem huiusmodi opibus circumfluere sciret, sed ob illorum mysterium se misisse ait: illud verò subiecta hac epistola elegantissimè illustrauit: a

Munera Ricchardo a Pontifice missa.

a Ep. 208

Illustri Regi Angliæ.

Inter opes terrenas, quas mortalis oculus concupiscit, quasi cætera desiderat aurum obryzum, & lapides pretiosos; licet autem his, alijsque diuitijs excellentia regalis abundet, in signum tamen dilectionis, & gratiæ quatuor annulos aureos cum diuersis lapidibus pretiosis tuæ magnitudini destinamus, in quibus te volumus spiritualiter intelligere formam & numerum, materiam, & colorem, vt mysterium potius, quàm donum attendas. Rotunditas enim æternitatem significat, quæ initio caret, & fine. Habet igitur regalis prudentia quid in annuli forma requirat, vt de terrenis transeat ad cælestia, de

Illorum mystica interpretatio.

tem-

temporalibus ad æterna procedat. Quaternarius autem, qui numerus est quadratus, constantiam mentis insinuat, quæ nec deprimi debet aduersis, nec prosperis eleuari. Quod tunc laudabiliter adimplebit, cùm quatuor virtutibus principalibus fuerit adornata, videlicet iustitia, fortitudine, prudentia, temperantia. Intelligas igitur in primo iustitiam, quam exerceas in iudicijs; in secundo fortitudinem, quam exhibeas in aduersis; in tertio prudentiam, quam obserues in dubijs; in quarto temperantiam, quam in prosperis non dimittas. Per aurum verò sapientia designatur, quia sicut aurum præeminet vniuersis metallis, sic sapientia donis omnibus antecellit, Propheta testante, qui ait: Requiescet super eum spiritus sapientiæ, & intellectus, &c. *Nihil est, quod magis oporteat Regem habere. Vnde Rex ille pacificus Salomon solam a Deo sapientiam postulauit, vt populum sibi commissum sciret prouide gubernare. Porro smaragdi viriditas fidem; saphiri serenitas spem; granati rubicunditas charitatem; topazij claritas operationem significat; de quo Dominus ait:* Luceat lux vestra coram hominibus, vt videât opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est: *Habes igitur in smaragdo quod credas, in saphiro quod speres, in granato quod diligas, in topazio quod exerceas, & de virtute in virtutem ascendas, donec Deum Deorum videas in Sion. Dat. Romæ apud S. Petrum xv. Kal. iunij.*

53 Acceptis hisce ab episcopo Lexouiensi muneribus, ingentes Ricchardus redditis literis Innocētio grates egit, nec eos annulos sui pretio sibi gratissimos modò, sed longè chariores, quòd tam pulchrè ab illo descripti distinctique fuissent: tum nepotis sui Othonis, qui in Germania in Regem Romanorum electus fuerat, causam ardentissimè commendauit; suum ac nepotis obsequium se Apostolicæ sedi certissimè polliceri, atque ea laude cæteros omnes Reges principesque, quantumuis se suaque Ecclesiæ deuouerint, multis partibus superaturos.

Libell. de negot. imp. bibl. Vat. ep. 4

Commēdat Innocentio Othonē nepotem.

Excellentissimo Domino suo, & vniuersali Patri Innocentio Dei gratia catholicæ Ecclesiæ summo Pontifici, deuotissimus suæ maiestatis filius Ricchardus eadem gratia Rex Angliæ, dux Normanniæ & Aquitaniæ, & comes Andegauiæ, salutem & debitum in omnibus cum reuerentia & desiderio famulatum.

Quanto de Apostolicæ gratia maiestatis, tum per literas speciales, tum per fideles nuncios, tum etiam per signa munerum vestrorum in interiorem sinum, & cubiculum animæ nostræ plenior certitudo deuenit, tanto præcordijs nostris maior exultatio, vestræque fiducia charitatis innascitur, qua non solùm ad referendas grates, verùm & ad exhibenda totius deuotionis obsequia iugi responsione tenemur, &c. *& infra:* Qualescunquè etenim reges, & Principes vestræ se paternitati exhibeant, nos, & deuotissimum filium vestrum, nepotem nostrum, regnum, & coronam regni Alemanniæ ad perpetuam deuotionem vestram, & Ecclesiæ Romanæ nuper adeptum, præceptis vestris atque obsequijs inuenietis omnifariàm mancipatos. Nec viuunt in mundo duo principes Christiani, qui adeo desiderabiliter vestræ dominationi studeant deseruire, & quorum ministerio faciliùs possitis totius Christianæ pacis aduersarios expugnare. Huic accedit, quòd inter omnia, & præ omnibus, quibus spiritus noster maiori solicitudine studiosus inuigilat, & ad quorum efficientiam fauorem Apostolicum indulgentius inclinandum suspirat, ipsius est Othonis negotium, vt scilicet de beneficio Apostolicæ pietatis ad promotionem ipsius dexteram dignemini subleuationis extendere, filium vestrum deuotissimum Imperialis munere diadematis insignire. Nos enim in quantum fides Christiana, & regalis deuotio apud Deum, & apud vos, ipsamque Romanam Ecclesiam cauere potest, aut poterit, quicquid ad nos spectat, in anima & corpore & honore terreno, pro ipso vobis in perpetuum fœdus astringimus, atque iuxta dispositionem vestram, & beneplacitum astringemus, quod vobis tanquam vnico, sub Deo, domino suo, & Ecclesiæ Romanæ debitam & iuratam fidelitatem impendet, & quæcunque ab alijs Imperatoribus detracta sunt, & diminuta, restituet, restituta quoque inuiolabili firmitate seruabit, omnemque prauitatem secularis potentiæ iuxta consilium vestræ paternitatis eliminare curabit. *& infra:* Super præmissis autem & super annulis, quos nobis per episcopum Lexouiensem vestra tam nobilis, quàm liberalis magnificentia destinauit, super literis & qualitates lapidum designantibus, easque reddentibus, licet admodum pretiosi existant, longè amplius pretiosos tanquam a supremo & superexcellenti descriptore distinctos, grates totius cordis affectione referimus, & de tantæ dignationis vestræ gratia gloriamur, cui vtinam vota cordis nostri, quæ ad plenum per literas, aut nuncios explicare non possumus, viua voce permittente Deo (*iniecerat enim spem Innocentius descendendi in Gallias, vt Ricchardum Angl. & Philippum Francorum Reges conciliaret*) & deuotis obsequijs reserare possemus: in cuius vtique rei spe & desiderio spiritus noster assiduis vexationibus debellatus continuè refouetur, & salutari suspensus expectatione quiescit. Dominus personam vestram Ecclesiæ suæ diuseruet incolumem.]

Grates agit ob acceptos annulos.

54 Nec semel Othonis causam commendasse Innocentio contentus, repetitis literis, vt Pontificem ad suas partes induceret, egregia sua erga Ecclesiam studia, parentis Othonis ac maiorum merita; contra a Philippo Sueuo ac progenitoribus incussas sedi Apostolicæ iniurias, & damna proposuit.

Sanctissimo in Christo patri Innocentio, Dei gratia summo Pontifici, Ricchardus eadem gratia Rex Angliæ, dux Normanniæ, Aquitaniæ, & comes Andegauiæ, salutem & sinceram semper deuotionem.

Sanctitatem vestram credimus non latere, totius & curiæ Romanæ, sicut credimus, tenet memoria, quanta non minus antecessorum nostrorum, quàm nostri deuotio sanctæ Sedi Apostolicæ, & Romanæ præceptis Ecclesiæ, affectu semper benignissimo fuerit alligata: illud & paternitatis vestræ nouit discretio, quanta ducis Saxoniæ pridem sublati de medio, Romanæ fuit Ecclesiæ semper deuoto studio dilectionis astricta: e contrario verò Imperatoris vltimi antecessorum suorum sequentis vestigia, & in vexationibus S. Romanæ Ecclesiæ non minori, quàm pater suus repugnantia patrissantis, cura fuit, sicut & antecessorum suorum præcepta Apostolica non curare, & iura ipsius curiæ non seruare. Inde est, quòd in sanctitatis vestræ conspectu deuotionis nostræ spiritum totum supplicationibus exhaurimus, quatenus Othoni nepoti nostro prælibati ducis filio, quem ad regnum Alemanniæ celebris eorum vocauit electio, quorum interest Regem eligere, & quem eorundem consensus in loco ad hoc debito sublimauit in Regem, fauore velitis Apostolico consentire, & regnum sibi Alemanniæ auctoritatis vestræ munimine confirmare, electionem ipsius, & coronationem approbantes, & propositum ducis Sueuiæ & sequentium suorum super hoc reprobantes.

Othonis parens de eccl. bene meritus.

Riccard. illum infirmare nititur in gratiam Innoc.

55 Velit itaque Sanctitas vestra omnes, qui eidem duci in hac proteruia sua consenserint, anathematis, si placet, vinculo innodare, & terræ magnates Apostolica commonitione ad hoc inducere, vt ei tanquam domino sine difficultate adhæreant, quem electio debita in loco debito coronauit; hoc siquidem vobis in spiritu, quo vestri sumus, pollicemur, & nos super hoc fideiussores statuimus, quod

idem nepos noster, dum nostro consilio tequiescet, non solùm sanctæ Romanæ Ecclesiæ iura conseruabit præsentialiter possessa, sed in præterito habita ad statum debitum renocabit, teste meipso. *apud Barneiull.18. die Aug.*] Hæc Ricchardus, qui summa cupiditate promouendi ad Imperium Othonem ardebat, cùm in spem magnam efferretur, coniunctis postea Imperij viribus ingens aliquid in Gallias moliri, cumque a paciscendis cum Francorum Rege inducijs abhorreret, neque a legato Apostolico, Petro nimirum Capuano, cui ea prouincia data fuerat, infringi posset, ait Parisius [a] legatum remotis arbitris cum Rege colloquutum, ipsi certam spem iniecisse, vt si in ea te Innocentio obsequeretur, Pontificem in alijs ipsius voluntatibus se accommodaturum; atque ita Ricchardum in spem Othonis, opera Innocentij ad Imperium euehendi elatum, conficiendis inducijs assensisse.

a Paris. hist. Angl. hoc anno.

Induciæ a Riccardo admissæ.

56 Formidabat sanè periculum, quod Gallijs creabatur, Philippus Francorum Rex, si Otho, cum quo gerebat inimicitias, Imperio augeretur, atque adeo viribus omnibus ac neruis contendebat, vt eiecto Othone Philippus Sueuiæ dux Imperio potiretur. Qua de re suas ad Innocentium literas dedit, quibus ipsi pollicebatur Sueuum in omnibus Ecclesiæ pariturum, si quæ illius bona iniustè occupasset, mox restiturum, vtque Ricchardus fidem suam pro Othone Pontifici obligabat, illum fidum Ecclesiæ & obsequentem futurum, ita Francorum Rex pro Sueuo idem spondebat, & si a promissis resiliret, se pro defendenda Ecclesiæ causa in eum arma conuersurum, meminisset obsequiorum, quæ Francorum Reges Ecclesiæ præstitissent, nec Othonem cum tanto Galliarum periculo ac dedecore ad Imperium admitteret; cum subijcit se ex Apostolico imperio & consilio inducias quinquennales contraxisse.

Laborat Phil. Fràc Rex pro Sueuo.

Sanctissimo patri & domino Dei gratia sacrosanctæ Romanæ & vniuersalis Ecclesiæ summo Pontifici charissimo consanguineo suo, Philippus eadem gratia Francorum Rex salutem, & tam debita, quàm deuota subiectione obsequium.

*Nouit sancta paternitas vestra, nouit & mundus, quomodo nos & progenitores nostri Ecclesiæ Romanæ obedientiam, reuerentiam, & in omnibus, & per omnia exhibuimus famulatum, nec vnquam cessauit deuotio nostra, nec cessabit, quod non solùm tempore * sinceritatis, sed etiam aduersitatis, nos & regnum nostrum efficaciter comprobauit. Inde est quod nos de meritis regni nostri, & prædecessorum nostrorum, & nostris plenius confidentes, sanctitatem vestram quanta possumus affectione rogamus, & attentiùs supplicamus, quatenus deuotionem nostram, & patrum nostrorum, regni etiam nostri sincerius intuentes: inde mutua nos & regnum nostrum & negotia honorem nostrum contingentia oculo benignitatis vestræ dignemini contemplari. Ad hæc cùm Rex Angliæ per fas & nefas pecunia sua mediante, nepotem suum ad Imperialem apicem conetur intrudere, vos nullatenus intrusionem illam, si placet, debetis admittere, quæ in opprobrium & detrimentum coronæ nostræ cognoscitur redundare: nec nos credimus, quòd vos quicquam in præsenti casu in præiudicium nostrum debeatis sustinere, cùm nos vel nostri nihil vnquam contra Romanam Ecclesiam attentauerimus, nec vnquam per Dei gratiam curabimus attentare.*

Libell. Vat. ep. 13.

* prosperitatis

Commēdat Innocentio Francorū merita.

Queritur de Ricc. Othonē promouente.

Periclitari Galli si Otho imperet.

57 *Porrò de Philippo Rege Alemanniæ nouerit sanctitas vestra, quod si aliquando pater eius vel frater Romanam Ecclesiam in aliquo offendit, nos dolemus. De querelis autem quæ inter Ecclesiam & Imperium agitata sunt, prædictus Rex Alemanniæ Philippus consilio nostro sicut asserit, paratus est acquiescere, & pro vestra gratia & Ecclesiæ obtinenda in terris, castellis, possessionibus, pecunia etiam competenti, de consilio nostro se perpetuo fœdere vobis & Ecclesiæ obligare. Quod si ipse in hoc consilio nostro non acquiesceret; ipsa nos nullatenus amicum inueniret. Ad hæc de mandato vestro & auctoritate vsque ad quinquennium treuguas dedimus & fiduciauimus, tanquam qui volumus in his vel in alijs voluntati Apostolicæ contraire; & sicut lator præsentium, & alij vobis poterunt intimare, mandatum vestrum firmiter fuimus prosequuti.* Ex harum literarum calce suspicione laborat Parisius [a] erroris, dum ait Philippum post cladē acceptā a Ricchardo suis oratoribus vrsisse Innocentium, vt ad pacem vel inducias Anglum adduceret, legatumque Ricchardo remotis arbitris, vt arcanum ac reticendum aperuisse, missum se a Rege Francorum Pontificem vrgente, ve pacem inter vtrumque conciliaret. Si enim ita res esset, gratias ageret Philippus Innocentio, quòd ad inducias Anglorum Regem pellexisset, non autem pro captanda illius gratia se paruisse imperijs pontificijs iactaret.

Vult cōcilia. e Sueuum Innocentio.

Spondet facturum satis.

a Paris. hist. Angl.

58 Dum ita Anglorum & Francorum Reges ad æmulos Imperij promouendos apud Innocentium officijs ac promissis certarent, quid Philippus & Otho apud Pontificem agerēt, intueamur. Neglexit magno suæ dignitatis damno, initio Philippus Sueuus sedis Apostolicæ gratiam colligere, vt qui ditionis Ecclesiasticæ partem non exiguam detinebat, ac si tulisset occasio, recuperata ab Innocentio iura ipsi eripere meditaretur. Contra Otho omni officiorum ostentatione Innocentium est prosequutus, suisque literis, quò sedis Apostolicæ gratiam prolectaret, vbi immensos labores, quos ipsius pater Henricus Saxoniæ dux a Friderico I. Imperatore, Ecclesiæ Romanæ tuendæ gratia pertulisset, a quo etiam ditione sua exutus, eiectusque in exilium fuisset, proposuit; mollissimè insinuauit, diuinam prouidentiam filium, quò parentem præmio digno in posteris afficeret, ad Imperium suffragijs principum extulisse, se ab Adolpho Aquisgrani feliciter corona cinctum omnia Ecclesiæ iura confirmasse, suamque illi defendendæ operam deuouisse, tum supplicibus precibus expostulat, vt cum familiæ suæ de sede Apostolica optimè meritæ studijs Friderici, Henricique Imperatorum, atque ipsius Philippi iniurias conferat, se ad excipienda Imperij insignia Philippo repudiato euocet, omnes, qui fidei sacramento Philippo se deuinxerint, suscepta religione liberet, ictumque anathemate Sueuum promulgari in Germania iubeat.

Phil. Sueuus pro colligēda gratia Innoc. negligentior

Illam ambit Otho.

Sanctissimo in Christo patri ac Domino spirituali I. sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ summo Pontifici Otho diuina fauente gratia Romanorum Rex & semper Augustus salutem & deuotionis filialis affectum cum debita reuerentia.

59 Nauicula Petri quibusdam retro temporibus persecutionum fluctibus est agitata; & nisi Ecclesia Dei in petra Christo fundata fuisset & solidata, iam prauorum persecutionibus inclinata funditus corruisset. In ipsa etenim persecutione progenitor noster Henricus dux Saxoniæ in fide sanctæ Romanæ Ecclesiæ indesinenter perseuerans, & voluntati atque iniquę dominationi Frederici quondam Imperatoris nullatenus acquiescens, matrem suam spiritualem, sanctam videlicet Romanam Ecclesiam, in omnibus est imitatus: ideoque prænalente impiorum persecutione, honoris sui dignitate priuatus, exilio cum liberis & familiaribus suis addictus fuit & expositus. Volens igitur Dominus Ecclesiæ suę statum in melius reformare, & fidem ac deuotionem iam dicti patris nostri in suis posteris remunerare, sua ineffabili clementia effecit, quòd nos ab optimatibus & principibus Imperij, ad quos de iure spectat electio, ad regni gubernacula ex inopinato vocati sumus & electi, in sede quoque Augustorum apud Aquisgranum locati; cōsecrationem & coronationē a

Othonis literæ ad Innoc.

Libell. Vatic. de neg. imperij ep. 3.

manu

manu Adolphi Coloniensis archiepiscopi, præsentibus principibus ea, quæ decuit, solemnitate cum plenitudine regiæ dignitatis accepimus.

60 Cupientes igitur gressus nostros ab ipso dirigi, per quem Reges regnant, & potentes scribunt iustitiam, dignum duximus ipsius electionis nostræ hora iuramento firmare, quòd possessiones & iura Romanæ Ecclesiæ, aliarumque ecclesiarum Imperij firma & illibata seruabimus, & quòd consuetudinem illam detestabilem, qua episcoporum, abbatum, & principum de hac vita migrantium bona, tempore mortis relicta, quondam nostri antecessores hactenus occupabant, omnino in posterum dimittemus, & de beneficentia nostra principibus Ecclesiasticis in perpetuum relaxamus. Petimus ergo, & cum instantia paternitati vestræ supplicamus, quatenus fidem ac deuotionem nostram considerantes, merita quoque patris & auunculi nostri Regis Angliæ, qui nunquam ab obsequio Ecclesiæ Romanę recesserunt, ad memoriam reuocantes, iniurias etiam Philippi ducis Sueuiæ quondam ducis Tusciæ, & patris & fratris eius non dissimulantes, nos regiam dignitatem adeptos, ad Imperij consecrationem vocare dignemini. *Et de legatis ad Apostolicam sedem a se missis addit:* Ad hæc paternitati vestræ significamus, quòd dilectos & fideles nostros, legatos videlicet G. principem nostrum abbatem Inden. B. præpositum Bunen. H. sancti Gereonis in Colonia scholasticum. H. priorem Vdinen. & H. Aquilegensem gloriosissimi Regis Angliæ auunculi nostri capellanum, & fidelem nostrum M. de villa ciuem Mediolanensem, pro consummatione honoris nostri, ad vestrá transmittimus sanctitatem. Quicquid igitur cum præfatis legatis nostris a vestra tractatum vel ordinatum fuerit prouidentia, id maiestatem nostram in omnibus, & per omnia ratum & firmum habituram præsentibus literis sanctitati vestræ significamus.] Hæc Otho. vt verò historiæ multorum principum contentione implicatæ atque obscuræ lucem afferamus, totius rei gestæ atque altius repetitæ seriem ex regestis [a] Pontificum atque auctorum libris hauriendam proponendamque arbitramur.

[a] Cit. eod. ep. 4 & deinceps.

61 Extincto anno superiori Henrico Imp. in Sicilia, magna animorum contentione a Germaniæ principibus diuisis in plures competitores Imperij studijs de creando Cæsare certatum est: Henrici quidem filius Fridericus Siciliæ Rex, successor Imperij electus a principibus erat, sed ea electio Henrici potentia ac metu extorta fuerat: tum ipse Henricus moriens principes sacramento fidei, quo se Friderico deuinxerant, soluerat; illum etiam imbellis ætas tanto oneri ferendo imparem reddebat: alienumq; a ratione erat, eum qui se regere non posset, tot regendis populis præficere. Non defuere tamen, qui ipsum promoueri ad Imperium affectarent. Et quidem [b] Otho de S. Blasio tradit Philippum Henrici fratrem ex Italia in Germaniam reuersum, egisse cum magnatibus, vt quam antea de Friderico electionem celebrarant, confirmarent; sed verisimilius est diligentem operam nauasse, vt sibi, non nepoti viam ad Imperium muniret, cùm illi non Sueuiam modò, verùm & Siciliæ regnum, vt videbitur, eripere conatus sit. Abbas Vrspergensis [c] certè tradit illum Imperij insignia a fratre relicta secum in Germaniam extulisse. Conciliabat illi principum gratiam auita nobilitas plurimum sceptris decorata, opum magnitudo, cùm Henrici thesauros obtinuisset, nec non egregiæ aliæ dotes, quibus a natura ornatus fuerat, atque adeo Erfordij a maiori principum parte primus in Regem Romanorum electus est. [d]

Æmuli Imp. Frid. Phil. Bertolphus & Otho.

Fridericus ante mortẽ patris electus.

[b] Otho de S. Blasio.

[c] Vrsper. in chron.

Philippus Erfordij eligitur.

[d] Godefr. monach. in annal.

Bertolph. Andernaci.

62 Conuenerant ex alia parte Andernaci Coloniensis, & Treuirensis archiepiscopi, alijque principes, qui Bertolphum ducem Zaringiæ cognita Philippi electione, quæ rescindenda videbatur, cùm ob inuasum Ecclesiæ patrimonium anathemate defixus esset, Regem creauerunt; sed ille potentiam Philippi veritus, ne tandem purpuram suo sanguine cruentaret, ignauè suorum causam prodidit, acceptisque a Philippo vndecim millibus marcharum ac ducatu, cessit Imperio, & Philippum Regem salutauit. Accepta turpissimæ rei fama ipsius electores, metuentes ne Ecclesia in Philippo non aduocatum, sed persequutorem haberet; tum maximè ne ipsum infestum experirentur, si regno præter ipsorum voluntatem potiretur, suffragia in Othonem Henrici quondam Saxoniæ ducis filium contulere, qui delatum sibi regnum auidè amplexus principum ambire gratiam cœpit, tum Aquisgranum cum exercitu aduolauit, vrbemque, licet Philippi præsidio munitam, ad deditionem compulit, in qua ab Adolpho Coloniensi regijs insignibus decoratus est, cùm antea apud Vangionum vrbem in albis paschalibus fuisset ijs redimitus. De illius electionis dissensione atque vtriusque principis sequacibus hæc auctor vitæ Innocentij: *Coloniensis archiepiscopus, & quidam alij principes tam ecclesiastici, quàm mundani videntes se in electione Philippi fuisse contemptos, vocauerunt Othonem filium quondam Henrici ducis Saxoniæ comitem Pictauensem, & apud Coloniam elegerunt in Regem, eumque Coloniensis archiepiscopus coronauit solemniter Aquisgrani; & sic facta est diuisio in Imperio longo tempore duratura. Nam Othoni adhæserunt Coloniensis archiepiscopus & suffraganei vniuersi; præterea Cameracensis, Padeburgensis, & Ildesemensis episcopi, necnon Bremensis archiepiscopus, dux Louaniæ, dux Limburgi, comes Palatinus Rheni, Langrauius Thuringiæ, multique comites, ita quod terram obtinuit vltra Mosellam a Cameraco vsque in Daciam penè totam: Philippo verò reliqua terra cum cæteris principibus se submisit, quamuis nec isti, nec illi firmiter adhærerent, sicut ex post facto patebit.* Efferebant maximè Othonis causam Ricchardus Angliæ Rex, vt dictum est, atque Innocentius Rom. Pontifex: Anglus quidem, quòd illius auunculus esset; Pontifex verò, quòd ex ijs genus Otho duceret, qui Romanæ Ecclesiæ semper studuerant, tandemq; obtinuit Innocẽtius, vt ille ad Imperium eueheretur, cuius parens ob defensam Pontificis Romani causam Saxoniæ ducatu depulsus fuerat; contra Philippus ob Ecclesiæ nonnullas occupatas terras Imperium amisit.

Otho Bertolpho succedit.

Ab Adolpho coronatur Aquisgrani.

Goffred. in chro. Stad.

Innoc. vit. auct.

63 Redeundi quidem in Ecclesiam animum Philippus præ se tulerat, cùm adipiscendo Imperio anathematis, quo erat a Cælestino percussus, infamiam sibi impedimento futuram præsagiret, atque Cælestino, dein Innocentio se facturum satis detulerat, qui Sutrinum episcopum atque abbatem S. Anastasij in Germaniam commisso legationis munere misit, vt Philippum ea lege sacris restituerent, si archiepiscopum Salernitanum [a] in libertatem vindicaret, atque Ecclesiæ imperijs se pariturum sacramento sponderet: licet enim a Pontifice Romano ijs vinculis irretitus sedi Apostolicæ, vt solueretur, sistendus esset, condonauit tamen itineris laborem, si archiepiscopum ex ergastulo, in quo diu luctu contabuerat, eximeret: ad quem liberandum præterea Innocentius Spirensi, Argentinensi & Vuormatiensi episcopis nauare operam iussit [b], ac monere Vuil. de Berc, qui ipsum detinebat, vt quantocyus ad sedem Apostolicam dimitteret, ni pareret, in eum ecclesiasticam seueritatem exercerent, ac loca, ad quæ transferretur, interdicto subijcerent, se quoque rem Sutrino episcopo commendasse. Eduxit demum e carcere Philippus archiepiscopum, quod Innocentij vitæ auctor testatur, additque vnà cum eo eius fratres liberatos,

Poscit ille in gratiã Ecclesiæ admitti.

[a] Ep. 25.

[b] Ep. 24.

quos oculis orbatos ab Henrico tradit Vrspergen. vnà cum alijs nobilibus Siculis, atque ad creandam Germanis inuidiam ab Innocent. ostentatos, sed ad terras Ecclesiæ, ob quas occupatas fuerat e fidelium cœtu eiectus, reddendas mentem nō flexit, quem tamen Sutrinus episcopus, siue muneribus corruptus, siue illius blanditijs delinitus, ducē nec præstita cautione, sacramentoue recepto temerè non seruato Ecclesiæ titu occultè absoluit: quem ob improbè gestam legationem Innocentius postea episcopali dignitate exutum in monasterium coniecit, vt lacrymis commissum facinus deleret, sed id postea contigit. De ea legatione hæc eius vitæ auctor: *Illi ergo in Theutoniam procedentes inuenerunt supradictum Philippum a quibusdam principibus electum in Regem, qui Guarmaniam ad ipsos accedens, defacto se fecit absolui non publicè, sed occultè, nec præstito iuramento secundùm formam Ecclesiæ, sed promissione facta per stolam.*

Non feruato ritu malè absoluitur.

64 Interea eidem Sutrino episcopo, atque abbati S. Anastasij legatis suis commisit, vt Sibiliæ oli Reginæ Siciliæ Tancredi Regis vxori, filio eius ac filiabus liberandis incumberent a, quos Henricus expugnata Sicilia mancipandos seruituti in Germaniam amandarat: qui cùm iniustè detinerentur (Imperator enim post inita fœdera in suam potestatem eos redactos immani proditione oppresserat) anathematis sententiam legatos fulminare iussit in eos, qui ipsos in vinculis tenerent, atque loca & diœcesim, in qua vincti essent, interdicto percellere, Maguntinensique clero præcepit, vt latam ab ijs sententiam religiosissimè seruaret. Hæc verò scribit de Siculis debellatis & excisis opibus Nortmannorum, quorum potentia, quæ in ea insula adeo effloruerat, vindice tandem numine, cùm in vitia sese effudissent, eneruata ac penitus prostrata, & ipsi vel gladio, vel crudelissimis supplicijs, vel funestæ traditi fuerant seruituti.

a Ep. 16.

Liberādæ Sibiliæ filiisqi studet Innoc.

Sutrinensi episcopo & abbati S. Anastasij.

Inter cætera, quæ Dominus in nobis mirabiliter, & misericorditer operatur, magna reputādum est miserationis indicium, cùm eis pœnam accelerat temporalem, quibus vltio debebatur æterna, sicut in regno Siciliæ diebus nostris intelligitur accidisse. Cum enim Siciliæ populus & cæteri de eodem regno effœminati otio & pace nimia dissoluti, de suis diuitijs gloriantes, sese in voluptatibus corporis lasciuius exercerent, ascendit in altum fœtor eorum, & traditi sunt ob multitudinem peccatorum suorum in manibus persequentium: vsque adeo autem in eos, quod dolentes dicimus, furor exarsit hostilis, vt quidam eorum turpi morte damnati in tribulatione cordis, & corporis animas exhalarent, quidam membrorum mutilatione deformes, fierent abiectio plebis & ludibrium populorum; maiores verò ipsorum compedibus & nobiles manicis ferreis alligati, captiui & exules in Theutonia macerentur: reliqui hereditates suas in extraneis transferri videntibus, & domos suas subijci alienis.

Cur Siculi ob Henr. Imp. victi.

65 Hæc ex Innocentij gestis illustrare licet. *Defuncto Rogerio filio Tancredi Regis Siciliæ, quem pater in vita sua Regem constituens, fecerat coronari, eiqus filiam Isachij Constantinopolitani Imperatoris duxerat in vxorem, consequenter etiam pater eius præ nimio, sicut dicebatur, dolore defunctus est, relinquens tres filias, & vnicum filium paruulum nomine Guillelmum, quem mater eius Sibilia coronari fecit in Regem. Regno igitur taliter destituto, Henricus Imperator aspirans ad illud occasione Constantiæ coniugis suæ, filiæ quondam Rogerij primi Regis Siciliæ aui prædicti Tancredi, congregauit exercitum maximum de pecunia, quam extorsit pro redemptione Ricchardi Regis Anglorum nequiter capti, dum rediret de terra promissionis ab obsequio Crucifixi. Hic igitur regnum ingressus, sine pugna illud obtinuit nemine resistente: præfata verò Sibilia cum filio suo, & filiabus, Salernitano quoque archiepiscopo, & fratribus eius recepit se in quodam Castello Siciliæ, cum qua Imperator fecit de pace tractari, & concordauerunt pariter in hunc modum: quòd Imperator imposito iuramento concessit Guillelmo filio eius, & heredibus suis comitatum Licij, quem pater eius Tancredus habuerat ante regnum; & addidit ei principatum Tarenti, promittens saluare personas, & res. Mox autem postquam eos in sua potestate recepit, occasione captata, cepit illos, & quosdam alios nobiles regni, eosque captiuos in Theutoniam destinauit, faciens fratres prædicti archiepiscopi, aliosque nonnullos priuare luminibus oculorum; archiepiscopum verò, Reginam, & filium eius, ac filias in arcta custodia detineri.* pergunt Innocentij litteræ:

Cladis Siculæ series.

Præceps Henrici victoria.

Pacis leges.

Perfidia Henrici Imp.

66 *Verùm ne compassionis nostræ solatium, qui patientibus ex susceptæ administrationis debito compati volumus & tenemur, penitus subtraheatur, quibus ipse Dominus iam videtur ex parte placatus, venerabilibus fratribus nostris vniuersis archiepiscopis & dilectis filijs nobilibus viris marchionibus, ducibus, baronibus, & alijs Alemanniæ principibus dedimus in mandatis, vt dilectam in Christo filiam nostram nobilem mulierem Sibiliam, filium, ac filias eius & cæteros de regno Siciliæ, qui in Theutonia detinentur a detentionis suæ vinculis ad nos liberos excusatione & dilatione cessante remittant. Inde est quod discretioni vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus si mandatum nostrum fortè non fuerit adimpletum, vos in detentores eorum excommunicationis sententiam proferatis, &c.* Fuisse tandem Sibiliam defuncto iam in vinculis Guillelmo filio, quem Henricus antea excæcarat atque exsecuerat, vt tradunt Siculorum rerum auctores, vnà cum filiabus carcere exemptam, atque in Gallias profugisse tradit idem auctor a, ac Philippum Rogerij Regis defuncti vxorem Constantinopolitani Imperatoris Isachij, quem frater Imperio luminibusque orbarat, filiam sibi coniunxisse.

a tunc. vit. auct.

67 Cùm in lugubres Siciliæ calamitates ac funestas conuersiones incurrerit oratio, percensendum est nobis, quanto belli turbine hoc tempore fuerit concussa, quantamque diligentiam in eo tuendo Ecclesiæ stipendiario regno Innocentius collocarit. Flagitarat primùm quidem Constantia Imperatrix & Regina Siciliæ ab eodem Pontifice, vt eo regno Ecclesiæ fiduciario vnà cum filio Friderico indueretur, ad nouarum rerum cupidos coërcendos, concessitque b Innocentius gratis Rogerij ipsius patris, fratris Vuillelmi erga Ecclesiam officijs, eiusque nominis recordatione adductus, spe quoque quam dabat promptissimi obsequij impulsus ipsi, heredibusque, qui Regis Vuillelmi eius fratris Adriano Papæ fidei sacramentum deferentis exemplo, sedis Apostolicæ fiduciarios se profiterentur, legesque sibi dictas obseruarent, seque vicissim Pontifex ad eam contra omnes inuasores defendendam obstrinxit. cumque illa coram Ostiensi episcopo, ab Innocentio ad excipiendum ipsius fidei sacramentum misso, beneficiarium regnum suum esse professa, adiecit Innocentius, vt ipsa, cùm occasio ferret, sibi ac successoribus ligium homagium exhiberet: census verò pro regno attributo mille squifatorum impositus est.

b tom. I. S ep. 408.

Constātia Imp. regno Sicil. a Pont. induta.

Constantiæ Imperatrici gloriosæ Reginæ Siciliæ, ac charissimo filio illustri Regi Siciliæ, eorumque heredibus.

Supergentes, & regna &c. Et infra: *Credentes, quod prædictorum Regum vestigia vestra regia serenitas in deuotione, ac obsequijs ecclesiæ imitetur: vobis, & heredibus vestris, qui sicut dictus Rex Vuillelmus quondam frater tuus felicis memoriæ Adriano Papa prædecessori*

cessori nostro exhibuit nobis, & successoribus nostris, & Ecclesiæ Romanæ fidelitatem & hominium exhibere, ac quæ subscribuntur, voluerint obseruare: concedimus regnum Siciliæ, ducatum Apuliæ, & principatum Capuæ cum omnibus pertinentijs suis: Neapolim, Salernum, & Amalfiam cum pertinentijs suis: Marsiam, & alia quæ vltra Marsiam habere debetis, & reliqua tenimenta, quæ tenetis a prædecessoribus vestris hominibus sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ iure detento, & contra omnes homines adiuuabimus honorificè manutenere.

68 *Pro quibus omnibus coram ven. fratre nostro Octauiano Episcopo Ostien. Apostolicæ sedis legato, quem ad iuramentum tuum filia Imperatrix recipiendum transmisimus, fidelitatem nobis, nostrisque successoribus, & Ecclesiæ Romanæ iurasti, sicut continetur in duobus similibus capitularibus, quorum vnum penes te sigillo nostro, alterum penes nos sigillo tuo aureo signatum habetur. Firmiter repromittens, quod quia præsens præsenti debet hominium exhibere, quandocumque nos, aut successores nostri te in aliqua parte regni, quam securè possis adire, ad nostram præsentiam vocauerimus, reuerenter accedes ligium hominium præstitura, nisi certum impedimentum, aut necessitas euidens interueniat, quibus cessantibus sine fraude venies ad ligium hominium faciendum. Cùm autem tu fili Rex fauente domino ad legitimam ætatem perueneris, nobis, & successoribus nostris, ac Ecclesiæ Romanæ fidelitatem & ligium hominium exhiberetis: censum verò sexcentorum squifatorum de Apulia, & Calabria, quadringentorum verò de Marsia, vel æquiualens in auro, vel argento vos, ac heredes vestros statuistis Ecclesiæ Romanæ annis singulis soluturos, nisi fortè impedimentum aliquod interueniat, quo cessante census ex integro persoluetur. Electiones autem secundùm Deum per totum regnum canonicè fiant, de talibus quidem personis, quibus vos, ac heredes vestri requisitum a nobis præbere debeatis assensum.* Quod ad Siciliæ præsulum electiones spectat, quarum causa ingentes contentiones exarsere; de ijs ita definiuit Innocentius, vt cùm sedes aliqua vacaret obitu episcopi, Romano Pontifici atque Constantiæ, vel heredibus denuntiato, de præficiendo ecclesiæ episcopo deliberaretur, eoque electo, regius consensus flagitaretur, antequam ecclesiæ administrationem adiret. Quid porrò Constantiæ Imperatrici ob egregia maiorum erga Ecclesiam merita in præsulum electionibus concessisset, Siculum clerum certiorem fecit [a], præscripsitque, vt in electionibus celebrandis se gerere deberent, nec minis metuue debilitari se, vel frangi promissis, ac spe paterentur: scirentque omnes electiones, quæ ex imperata forma non fierent, rescindendas. Iussit etiam, vt in agitandis litibus liberè, si ita vellent, ad sedem Apostolicam prouocarent, legatisque Apostolicis, cùm ad eos missi essent, religiosè obsequerentur.

Census pro Sicil. regn. impositus.

a Ep 414.

69 Dum hæc ageret Innocentius, Siciliæ regno inhiabat Marcualdus, cuius perfidiam & scelerata consilia, quæ in se & filium suum in regno conflabat, agnoscens Constantia, bellum ipsi denuntiauit, ac regio diplomate hostem promulgauit, iussitque subditos ab ipso vt scelesto proditore cauere: sinistram etiam Imperatrix de Gualterio episcopo opinionem concepit, regiumque sigillum, quo vt regni Siculi cancellarius vtebatur, eripuit, quòd ipsius fratres Marcualdum in regnum induxissent: conciliauit tamen illi Innocentius Gualterium, atque adeo in ipsius gratia constituit, vt Augusta e viuis discessura filium ei regendum committeret. Cùm eos tumultus increbrescere ac fluctus sensim extolli atque infremere videret Innocentius, Octauianū Ostiensem episcopum, legatum in Siciliam misit [b], vt impendentis belli minas discuteret, populosque in Constantiæ Augustæ ac Regis Friderici eius filij fide contineret; atque archiepiscopos, episcopos, priores, abbates, aliosque ecclesiarum in Sicilia prælatos legato obtemperare iussit.

b Ep. 418.

70 Adierat Siciliam Octauianus, cùm Imperatrix Constantia 27. nouemb. diem suum obijt, scriptoque testamento Romanum Pontificem regni moderatorem (quam dignitatem regni balium vocabant) ac Friderici tutorem designauit, triginta millia tarenorum, quod monetæ erat genus, ex Regis Siculi redditibus pro defendendo regno attribuit; si quos verò ampliores sumptus alendo militi sustinendoq; demandato oneri desideraret, omnes illi ex regio ærario refundendos decreuit: educandum verò Fridericum Panormitano, Montis Regalis, & Capuano archiepiscopis, ac Gualterio cancellario commisit. Vt verò contra Marcualdi tyrannidem affectantis ac se balium Siciliæ ex testamento Henrici Imp. mentientis impetus certandum Innocentio fuerit, sequenti anno differetur, nunc breuiter quid de eo Ricchardus de Sancto Germano in suo Chronico afferat, perstringamus; pauca tamen de eo auctore, cuius manuscriptum peruetustum in bibliotheca Cassinensi extat, atque ex eo delibatum summa fide exemplar habuimus, sæpius a nobis adducendo, ad illius laudem, quam silentio obruere ac deterere nefas esset, præmittemus; illum, siue veritas spectetur historiæ, siue diligentia, qua præcipua quæ in orbe vniuerso, maximeque in vtriusque Siciliæ regno, e quo oriundus erat, gerentur collegit, primus etiā annalium scriptoribus conferendum. In suo ille historiæ proœmio testatur notarij se officio functū in oppido, cui a sancto Germano nomen inditum; ea suis annalibus commendasse, quæ vel hausisset oculis, vel a viris fide dignissimis accepisset; eaque ad scribendum ratione permotum, quò sequutura posteritas veterum factis erudita aliquam vtilitatem delibaret. Suam porro ille historiam a tempore, quo Guilelmus secundus Siciliæ Rex fatis cessit, suique ingens desiderium reliquit, & Clementis Papæ anno secundo est auspicatus. Is verò auctor de Constantia Augusta hoc anno ex humanis exēpta & Marcualdi cōsilijs hoc prodit: *MCXCVIII. Imperatrix ipsa processu temporis S..... obijt & prædictum filium vnicum Fridericum, & regni balium Innocentio Papæ ex testamento reliquit: dictus verò Marcualdus cognito de morte Imperatricis, congregato malignorum exercitu, quos prece, pretioue conduxerat, regnum non sine illorum, qui erant de regno, auxilio & ducatu intrauit. & veniens in comitatum Molisij, in quo fidei suæ reliquiæ seruabantur, ad dictum Cassinensem abbatem pro pace legatos misit, per quos etiam ipsum, vt sibi regni iuraret balium, quod sibi Imperator reliquerat, vt dicebat, requisiuit. Quia verò a prædicto abbate hoc obtinere non potuit, nam primò regni ipsius balium dicto Innocentio Papæ iurauerat, qui contra ipsum Marcualdum ad iam dictum abbatem duos miserat Cardinales, cum exfortio militum Campanorum & auxilium terræ suæ, eundemque Marcualdum excommunicationis vinculo innodauerat, & sequaces illius: ipse sui furoris impatiens cœpit more Theutonico in terram monasterij deseuire.* Hæc auctor de tyranni conatibus & Innocentij sese illi opponentis constantia. Nunc quid contra alterum ferocissimum tyrannum, qui in Septentrione sæuiebat, actum fuerit, perstringamus.

Constantia moritur.

Innoc. vit. auct.

Marcuald insidiatur Siciliæ.

Innoc. relictus tutor Frid. & Balius Sic.

71 Felicior in concepto scelere Marcualdo tyrannus Suero extiterat, qui tumida ambitione consilia in opus perduxerat, ac Noruegiæ coronam legitimi heredis sanguine stillantem rapuerat, crudelitatemque exquisitissimam in eos, qui eius tyrannidi restiterant, exercebat: alios spe corruperat, alios ferro prostrauerat, alios in exilium exegerat, alios etiam suis fraudibus circumuenerat, vt enim pios ad obsequium alliceret, Clementis Pontificis literas adul-

Suero Noruegiæ tyrannus.

adulterarat, inque sui fauorem corruperat, licet verò in omnes nullo discrimine ferociret, maximè tamen in ecclesiasticos immanem se præbebat: qua in re diuinæ vindictæ æquitas se depromebat, vt præsules, qui illum improbis natalibus infamem antea ad sacros ordines contra Ecclesiæ canones promouissent, vltorem facinoris experirentur. Insurrexit aduersus illum Innocentius repulsisque oratoribus, quos ad sedem Apostolicam miserat, prouinciam

a Ep. 380

iniunxit a Nidrosiensi archiepiscopo, alijsque Noruegiæ præsulibus, vt terras, quæ tyranno parebant, interdicto percellerent, defigerent anathemate eius partibus implicitos, ac tyrannidis fautores, literasque Apostolicas, quas deprauarat, adulterinas promulgarent.

Innocentius &c.

In vestrorum & totius populi Noruagiæ criminum vltionem permittente Domino credimus accidisse, quòd vsque adeo in vos & totum regnum Noruagiæ tyrannica Sueri crudelitas & violentia detestanda præualuit, vt & regnum nec electione principum, prout accepimus, nec ratione sanguinis occuparit, & in viros ecclesiasticos ipse quondam ecclesiastica (sicut dicitur) functus officio debacchetur, ecclesias opprimat, clericos persequatur,

Sacris initiatus.

affligat pauperes, & saeuiat in potentes: ita vt diuino credatur accidisse iudicio; vt qui secundùm etiam suam assertionem illegitime natus, ad sacros non fuerat ordines promouendus, contra sanctiones canonicas assumptus ad eas, fortius in illas desæuiat, qui in ordinatione ipsius statuta canonum non seruarunt. Consentit Crantzius b

In Ecclesiasticos sæuit.

illum sacerdotiū gessisse in Pherogia, additq; natione Suecum fabro patre genitū fuisse, atque fugientibus ab Erlingo fusis casu per deserta obuium, se illis ducē præbuisse, fregisse victores, mentitaq; origine Haraldū Hyberniensem auum sibi vendicasse, ac Sivvardo procreatum se finxisse, mox vulgo errori suffragante, totam Noruegiam cædibus, ferro, flammis, vt tyrannidem firmaret, corrupisse. Et infra: *Miramur autem non de Deo, qui ad correptionem vestram eius tyrannidem hactenus tolerauit, nec de ipso, cuius spiritus obstinatus in malo, malum dediscere, assuetus iniquitati, non potest: sed de his qui apostatam, sacrilegum & nefandum adhuc etiam sacrilega temeritatis ausu sequuntur, & ei præbent auxilium & fauorem, cuius tyrannidem persequi potius pro viribus tenebantur, &c. Dat. apud ciuit. Castell. 11. non. octob.*

b Albert. Crantz. Norueg. lib. 6. c. 13

Solicitat aduersus illum finitimos Reges.

72 Earum literarum exordium præfigit literis ad Reges Daniæ, & Suetiæ missis c, vt ipsos ad profligandam Sueronis tyrannidem incitaret, cùm nec suffragijs Noruegorum electus, nec sanguinis iure succedere posset, atque impudicis tantummodo natalibus e stirpe regia se procreatum iactaret, consurgerent ad eruendum ex eius crudelitate miserum populum, defendendas ecclesias, liberandos pauperes, seruandos nobiles. Cùm verò Sueronem Innocentius membrum diaboli ac monstrum appellet, quòd his solis parcat, quibus nocere nō possit, cōstat immani quodam furore percitum tyrannum fuisse.

c Ep. 381

Bergensis episc. tyranni fautor.

Illius partibus magna dignitatis suæ labe ac dedecore Bergensis episcopus sese irretierat, scelerique consentiebat, quem Pontifex d rei veritate indagata, atque excussa, ab archiepiscopo Nidrosiensi e gradu dimoueri atque anathemate ritu solemni feriri iussit. Huius verò fortem animum collaudauit, qui nullo terrore a tyranno obiecto infringi, nullis blanditijs flecti, nullis promissis corrumpi potuerat, vt Sueronis crimen partesque sua auctoritate augeret, atque exilium improbæ felicitati prætulerat. Tradit Innocentij vitæ auctor, illum Pontificis iussu a Lūdensi archiepiscopo benignè exceptum, regnique inuasore extincto ecclesiæ suæ felicissimè restitutum.

d ib. ep. 382.

73 Nec Noruegos modò premebat Suero, verùm & Islandos, etiam præsules, & clericos partium suarum studio infecerat: quos Innocentius acerrimè coarguit a, quòd Sueronis e sacris eiecti, & apostatæ, & Deo ac sanctis eius (vt loquitur) ob scelera sua inimici societate se implicuissent. obiecit etiam plura alia crimina, vt ex eorum turpitudine conceptos horrore, ab ijs sibi temperarent, peruicaciam erga præsules, proiectam verecundiam, homicidia, incendia, stupra, aliaque scelera, quæ dicenti ruborem inijciant. Eadem b ad principes & populos Islandiæ scripsit, adiecitque se eorum salutis maxima cura vri, proinde hortari, vt præsules colerent, eorum præceptis obtemperarent, immo ipsi numini in eorum persona id obsequij deferrent, dederent se bonis operibus, ac præsertim eleemosynis, quæ instar aquæ crimina, vt Scriptura commendat, extinguant. Præsules verò alloquens, ita pergit eorum ignauiam carpere, qui animas in exitium æternum ruentes a præcipitio non reuocarent, iustis censuris scelera non insectarentur, populorum sanguinem ex eorum manibus a Deo exactum iri; pastorem enim eos tacendo occidere, quos peccantes non arguat; tum legatum ad eos se missurum pollicetur, quæ omnia in meliorem statum restituat. Ac iustissimi sanè ob maximam animarum stragem concepti doloris querelas de ignauis ijs præsulibus effundebat Innocentius, cùm ex eorum negligentia veluti ex funesto quodam fonte tot mala emanarent in eas regiones, quæ tandem successorum pari vel maiore inertia, hæresi contaminatæ profligatæque fuerunt.

Islandi Sueroni student.

a ib. ep. 319.

Eorum vitia.

b Regest. post eand. ep.

74 Incubuit etiam Innocentius excindendis vitijs, quæ submotas alias ad Septentrionem regiones turpi dæmonum seruituti addixerant, & bonis consuetudinibus, quæ sensim abolebantur atque obsolescebant, confirmandis, inductisque improbis extirpandis. Traditus fuerat mos a primis in Vtlandia insula religionis Christianæ satoribus, vt præpositus, qui vices episcopi gerebat, in parochijs perlustrandis synodos cogeret; eos qui scelerum publicorum nota aspersi erant, se sistere iuberet, fateri crimen, pœnitentiamque impositam excipere: si accedere contemnerent, vel scelus emendare, contumaces obfirmatosque in crimine anathemate feriret: quam pium consuetudinem tollere populi meditabantur, & cum ijs qui fidelium consortio depulsi erant, familiariter agere non verebantur. Præterea pullularant aliæ improbæ consuetudines, vt in gradu vetito matrimonia pecunijs erogatis contraherent, ac pro damnis quibuscunque illatis, non nisi ad marcham vnam soluendam cogi possent. Ergo ad restituendas probè institutas consuetudines, ac nefarias & iniustas antiquandas, præposito de Serand, atque alijs Vtlandiæ præsulibus scriptis literis operam, incusso rebellibus censurarum terrore, collocare imperauit; c ne verò pontificia iussa eluderentur, Absaloni archiepiscopo Lundensi d imposuit, si præpositus ac prælati data imperia exequi negligerent, in eos animaduerteret.

Laborat pro Vtlandia.

Piæ consuetud. restitutæ.

c Ep. 418.

d Ep. 419

75 Consulente eodem archiepiscopo sedem Apostolicam, ac deferente, quòd cùm in Dania more aliarum gentium testamenta non conficerentur, sed vbi aliquis Ecclesiæ vel monasterijs pro animæ suæ salute bona conferre cuperet, siue in extremis ageret, siue bona valetudine vteretur, modicum terræ panno inuolutum altari imponere, vel in extrema pallij ora, quod episcopus vel prælatus sustineret, collocare, adhibitisque testibus eam donationis formam pronuntiare solitum, quæ scotatio dicetur, demum consurrexisse quosdam cauillatores, qui eas donationes infringere ac reuocare niterentur; idcirco supplicē rogare Innocentium, ne spoliari ecclesias perturbariue pateretur, quibus huiusmodi donationes collatæ fuissent. At rei æquitate

Donationum faciend. ratio in Dania.

addu-

adductus Innocentius, datis ad archiepiscopum eundem, & clerum Lundensem literis [a] censuris in eos distringere mandauit, qui aliquid in ea re nouarent, cum huiusmodi consuetudo non tam factæ donationis, quàm possessionis traditæ euidens (vt ait) argumentum foret.

a Ep. 410

76 Exaratis alijs eidem archiepiscopo literis [b] Pontifex, ea omnia quæ Adrianus ipsius prædecessor in confirmando regno Sueciæ decreuerat, ex Cardinalium sententia, sua auctoritate, vt firmum ad sequuturas ætates esset, muniuit. Corroborauit præterea primatum Lundensi archiepiscopo in regnum Sueciæ, adeo vt tam Absalonus, quàm successores, Sueciæ archiepiscopum consecrarent, qui fidei sacramento, salua suprema Pontificis Romani auctoritate, ipsis se adstringeret. Ad obtinendum verò pallium vtrumq; archiepiscopū legatos ad sedem Apost. trāsmittere, palliumq; ad Lundēsem ecclesiam deferri iussit, ac tum Lundensis archiepiscopus, adacto in fidem & obsequium Romanæ Ecclesiæ archiepiscopo Sueciæ illud daret, quod quidem antea ab Escillo Lundensi erga Stephanum Vpsalensem sub Alexandro Papa vsurpatum fuerat, ne verò is vsus temporum sequutorum iniuria obrueretur, quæ a prædecessoribus Adriano, Alexandro, Lucio, Vrbano, Clemente, & Cælestino sancita erant, stabiliuit. De quo ad eundem Lundensem diploma amplissimum dedit Innocentius. nunc quid Gnesnensi archiepiscopo scripserit intueamur.

b Ep. 417

Lundēsis arch. primas Sueciæ.

77 Ad comprimenda hostium suorum consilia refrænandosque impetus, ad sedis Apostolicæ præsidium confugiendum ratus Boleslaus Vratislauiensis dux obtinuerat, vt Polonis præsulibus prouincia ea imposita esset, vt Apostolica auctoritate in eos censuras expedirent, qui bellum ipsi inferrent; sed ij cùm pontificia iussa negligerent, questus est apud Apostolicam sedem, nullum hactenus auxilium ex Apostolico patrocinio se percepisse: vnde Innocentius ad Gnesnensem archiepiscopum ac suffraganeos datis literis [c] demandatum ipsis munus exequi, atque in Boleslai impugnatores anathema iaculari iussit. Tradit verò Longinus [d] Boleslaum a filio suo Iaroslao Vratislauiensi ducatu facta cum proceribus conspiratione eiectum. Ardens enim ambitione iuuenis id scelus in odium Adieydis nouercæ ausus est, quòd filios ex ea susceptos praeferri sibi a patre conspiceret. dein verò patri conciliatus Vratislauiensi episcopatu ornatus est, suamque ecclesiam donato Nissensi agro auxit. In alijs etiam Poloniæ regionibus nonnihil turbarum extitit: exēpto enim e viuis Vvaladimiro Halicensi duce, qui a Pannonijs sua ditione deiectus, Casimiri Polonorum ducis beneficio, & armis [e] restitutus fuerat, plures Russiæ principes, inter quos Romanus defuncti nepos ardentius cæteris principatum illum affectabat, contra quos mouens Cracouia Lestko albus Haliciēses obuiam officiosè factos perhumaniter excepit; deio mutatis animis in arma coortos fudit, atcemque ad deditionem compulit, demum magnis controuersijs agitatis, quamuis illam in prouinciæ formam redigere, ac Poloniæ coniungere percuperet, beneficiario iure Romano tradidit, ne si id negaret, impendente iam a Mecislao maioris Poloniæ duce bello, hostium numerum augeret, atque a fronte & tergo peteretur.

c Ep. 45.

Boleslaus a filio eiectus.

d Longin. hist. Pol. hoc ann.

e Long. hist. Pol. hoc ann.

Lestko tribuit Halicien prouinciā Roman.

78 Nec pacatæ adhuc erant in Vngaria res; quamuis enim in suscepto primùm, vt vidimus, Pontificatu Innocentius curas in eo regno ad pacem adducendo posuisset, mota tamen inter Regem, fratremque discordia nondum sopita erat, ad quam iterum componendam literas Apostolicas Andreæ duci scripsit, quibus post exornatum multis laudibus Vngariæ regnum, quod semper sedi Apostolicæ fidissimum extitisset, atque etiam ipsius Bela pater, dum schismatis funesti tempestate concuteretur Ecclesia, pro illius dignitate periculosissimum bellum in schismaticos suscipere nō veritus esset, significauit [a] incredibili se cōciliandæ inter ipsum, ac Regem pacis cupiditate ardere, atq; ad eam amplectendā paternè adhortari, quam si respueret, sciret se Strigoniensi, & Colocensi archiepiscopis prouinciam tradidisse, vt in ipsum, fautoresque anathema fulminarent. Subditur in regesto, eodem exemplo literas Strigoniensi, & Colocensi archiepiscopis scriptas: nimirum vt in regni perturbatores intentato censurarum ecclesiasticarum terrore insurgerent. Ob hos tumultus Vngariæ Regi Innocentius indulsit, [b] vt comitem Mozonem, atque alios viginti viros nobiles, qui cruce erant insigniti, ac profectionem Syriacam vouerant, in Vngaria ad seruandam pacem, frangendosque rebellium impetus retinere posset.

Turbæ in Vngaria.

a Ibid. & ep. 270.

Concedū tur Regi cruce-signati aliqui.

b Ep. 269

79 Defluxit ad Terræ sanctæ res oratio, quarum lugubrem statum descripturi ex literis Innocentij nonnulla præmittemus. Exempto ex humanis Henrico comite Campaniæ, eodemque Rege Hierosolym. Aimericus Rex Cypri ducta in vxorem ab eo relicta vidua Regina Hierosolymitana sacri regni sceptrum capessiuit; ad quem in Terram sanctam adducendum cùm Tyri episcopus expetēte Christiano exercitu, occ. ram reluctante Patriarcha Hierosolymitano profectus esset, celebrandis regijs nuptijs Patriarcha vehementiùs affinitatis obiecto impedimento obsistere, Tyrique episcopum in odium, & inuidiam apud Romanum Pontificem literis aculeatis vocare conatus est; mutata dein voluntate Regem, Reginamque matrimonio iam perfecto corona redimiuit: Patriarcham Innocentius perstrinxit literis [c] suis, quòd vel malè prius contradixisset, vel ignauè postea assensisset, se verò post excussam tei veritatem, iustè in ipsum animaduersurum; carpsit etiam quòd tum ipse, tum alij Syriæ præsules motus se conuitijs lacesserent, alerent odia, inuicem famam alienam roderent, atque obscurarent, vnde praeuum exemplum in populos emanabat, diminaque iracundia exasperabatur, quam potius orationibus, vigilijs, ieiunijs, alijsque, vt ait, operibus charitatis, mollire debuissent.

Res Terræ sanctæ.

c Ep. 517

Obiurgatur Patriarch. Hierosol.

80 Elegerant porrò in Regem Aymericum Trāsmarini principes concurrentibus certatim omnium studijs, vt Innocentius ad Tripolitanum comitem datis [d] literis testatur, quòd magna spes de promouendis Terræ sanctæ rebus, magnisque ex Cypro ad debellandos Saracenos (coniunctis ijs regnis) auxilijs eliciendis, contrahendisque affulgeret: ne verò interim laboraret Cyprus, dum Hierosolymitanis rebus subueniretur, rogauit Pontifex Tripolitanum comitem, cùm Cypri Rex è regno suo ruentis Terræ sanctæ causa discessisset, ac deserta, quā fruebatur quiete, adeundis laboribus, penetrandisque periculis caput obiecisset, vt si qua necessitas postularet, ad defendendam Cyprum aduolaret. Ad similem ferendam opem principem Antiochenum, magistrum, & fratres militiæ templi [e] est adhortatus. Consuluit etiam noui Regis Hierosolymitani, Reginæque auspicijs, ipsosque, ac regnum, & omnia, quæ in suam ditionem redacturi essent, in Apostolicam clientelam admisit. Ne verò dissiparentur vires transmarinarum regionum, quæ maximè ad frangendos Saracenorum conatus erant necessariæ, si orientales in occidentem, vt consueuerant, ad lustranda Apostolorum limina transfretarent, nuncupati voti religione eos liberauit, [f] modò aliquam pecuniam in bellum contra Saracenos insumendam elargirentur.

Rex Cypri electus Rex Hierosol.

d Ep. 436

Rogati principes Cypro ad esse.

e Regest. pōd. ead. ep.

f Ep. 437 Orientales liberati voto.

Proposuit verò Aymerico egregia præcepta Pontifex, quibus mores regios perpoliret, regnumque

Præcepta Hier. Regi tradita.

a Ep. 485

que optimè administraret, vbi enim ipsius oratorem se excepisse, ac perhumaniter audiuisse præfatus, gratulatusque est, quòd elidendis Sarracenorum conatibus se accinxisset, hortatus est a, vt quanto altiore fastigio emineret, tanto magis demitteret superbos spiritus, diuinam opem imploraret, sine qua ipsius impetus inanes reciderent, demum certissimi subsidij spe impleuit.

81 Nec vana pollicebatur, toto enim pectore cogendis ex Gallia, Vngaria, Anglia, Italia, auxilijs incumbebat, vt demonstrant literę ad Narbonensem archiepiscopú, & suffraganeos datæ Reate XVIII. Kal. Septemb. quæ etiam ad alios præsules, principesque orbis Christiani missæ fuere: ijs enim, vbi Hierosolymæ sub Sarracenico iugo calamitosissimum statum, sepulchrum Domini, quod Propheta gloriosum prędixerat, prophanatum descripsit, induxitque Sarracenos Christianis insultantes, enarrat, quid Germani in Terra sancta egerint, vt Berythum à Sarracenis desertum ceperint, auditaque Henrici Imperatoris morte, metu perciti in occidentem intempestiuè redierint; Sarraceni verò erectis, & confirmatis animis magna Christianorum trucidata multitudine expugnarunt Ioppen, ac per reliquas terras diffusi omnia vastent, tantoque terrore perfusi sint Christiani, vt ex vrbibus pedem efferre non audeant. Quare ipsos hortatur, b vt zelo incitati in arma contra ipsos prosiliant.

b Inn. l. 1. ep. 334.

Existente quondam in castris arca Domini Sabaoth, Vrias domum suam ingredi recusauit, a licito etiam vxoris se compescens amplexu: nunc verò principes nostri gloria Israël, de loco suo in iniuriam nostri translata vacant adulterinis amplexibus, delitijs, & diuitijs abutentes, & dum se inuicem inexorabili odio persequuntur, dũ vnus in alium suas nititur iniurias vindicare, non est quem moueat iniuria Crucifixi, non attendentibus ipsis, quòd iam insultant nobis inimici nostri dicentes: Vbi est Deus vester, qui nec se potest, nec vos de nostris manibus liberare? Ecce iam prophanauimus sancta vestra: ecce iam ad desiderabilia nostra manum extendimus, & ea loca impetu primo violenter inuasimus, & vobis tenemus inuitis, in quibus superstitionem vestram principium fingitis suscepisse. Iam infirmauimus, & confregimus hastas Gallorum, Anglorum conatus elisimus, Theutonicorum vires compressimus; nunc secundò Hispanos domuimus animosos, & cùm omnes virtutes vestras in nos duxeritis concitandas, vix adhuc in aliquo profecistis. vbi ergo est Deus vester? exurgat nunc, & adiuuet vos, & fiat vobis, & sibi protector. Theutonici siquidem qui se præsumebant inauditum de nobis reportare triumphum, ad nos vehementi spiritu transfretarant, & cùm solum castrum Baruth nullo defendente cepissent, nisi eos, sicut & alios principes vestros fuga beneficium liberasset, in se potentiam nostram grauiter fuissent experti, & eorum stragem ipsorum soboles perpetuò deploraret. Reges enim, & principes vestri, quos dudum de terra fugauimus Orientis, vt timorem suum audendo dissimulent, ad suas latebras, ne dicamus regna, reuersi, malunt se inuicem expugnare, quàm denuo vires nostras, & potentiam experiri. Quid igitur superest, nisi vt his, quos fugientes in excusationem vestram ad terræ custodiam dimisistis, gladio vltore peremptis, in terram vestram impetum faciamus, nomen vestrum, & memoriam perdituri? Qualiter ergo, fratres, & filij, opprobria exprobrantium repellemus. qualiter eis poterimus respondere, cùm eos pro parte verum prosequi videamus, sicut nuper ad audientiam nostram certa significatione peruenit: recepimus enim literas de partibus transmarinis, quòd cùm Accon nauigio peruenissent, castrum Baruth obtinuerunt nemine defendente.

Capitur Berythus a Germanis.

Chron. Stad. an. l. 5. cap. 4.

82 Berythum appellat Lubecensis, adijcitque Coruthum à Germanis cinctum obsidione, quæ cùm in longum tempus traheretur, cœpto deditionis tractatu sæpius aliquorum temeritate discussó, annonaque in castris ingrauescente, percrebuisse aduenientis Saphatini, qui maxima è Perside, Media, Damasco contractas copias secum rapiebat, terrorem, habitoque bellico consilio, ipso Purificationis B. Virginis peruigilio indictum omnibus, vt sequenti die omnes ad conserendas cum hoste manus expediti, succinctique essent, cùmque omnes magno ardore impetum in hostem facere paratissimi essent, disseminatos cæcos susurros cancellarij Imperij familiam, aliorumque principum supellectile tota, alijsque impedimentis collectis versus Tyrum iter arripuisse, moxque exorto tumultu omnes in præcipitem fugam se effudisse, relictis ijs tantummodo, qui morbo implicitì, vel sauciati erant, quos barbarica rabies absumpsit. Nec mirum si hostilis exercitus Christianos solo terrore difilarit, cùm ij criminibus grauissimis diuinam iracundiam lacessiuissent; plures enim, inquit auctor, qui diuini nominis defendendi amore vxores proprias reliquerant, meretricijs blanditijs deliniti sceleri indulgebant; vnde & diuinum numen in eos, quos crimen instabiles fecerat, iras laxasse visum est, cùm fugientes fulguribus, tonitruis, fulminibus, grandine, pluuia, eluuionibusque maximis fatigaret.

Aduentu Saphatini fugiunt

83 *Sarraceni verò in Ioppem facientes impetum, ex aduerso eam per violentiam occuparunt, & cæsis multis Christianorum millibus eam funditus destruxerunt. Verùm Theutonici, rumoribus de morte Imperatoris accepiis, non expectato passagij tempore, naues reduces ascenderunt; vnde Sarracenus, qui ad resistendum eis exercitum parauerāt copiosum, in terram Christianorum adeo debacchantur, vt Christianis nec sine periculo ciuitates egredi liceat, nec in ipsis sine formidine remanere, immo eis gladius foris imminet, metus intus.* Eadem confirmantur à Lubecensi, qui ait a Ioppe a Sarracenis obsessa Henricum Regem Hierosolymitanum eò accurrisse, Christianosque plus æquo generosos, præcipiti eruptione temerè in hostem facta, primo impetu cæsis pluribus, vertisse alios in fugam, qui tandem collectis animis conglobati Christianos repulere, quos cùm persequerentur atrociùs, ciues metuentes, ne Sarraceni permixti fugientibus ingrederentur Ioppen, portas occlusere, atque ita Christiani in ciuium conspectu trucidati. illos Germanos fuisse refert auctor, atque Italorum, & Anglorum, qui in vrbe erant, in eos inuidia, & odio hostili gladio expositos, nec multo post vrbem a Sarracenis expugnatam. Regem verò Henricum magno mœrore ob ingentem Christianorum stragem editá perfusum Acconé reuertisse: subditque de funesta illius morte, dum solus cum altero ad colligendā frigidiorē auram super exedras staret, subitò cecidisse, & fracta ceruice expirasse. cui Stadensis consententia tradit, his verbis: b *Rex Hierusalem nocte surrexit, vt vrinam projceret, & de fenestra cadens, fractis ceruicibus expirauit, & cliens similiter, qui eum retrahere curabat.* hæc Stadensis. De successore verò agens Lubecensis, appellatum asserit a principibus Regem Tyri, & cum vidua Regina nuptias contraxisse. Sed iam nos Cypri Regem illum fuisse ex literis Apostolicis vidimus: de discessu verò Germanorum præcipitato, eadem quæ Pontifex refert: tristi allato nuncio de obitu Henrici Imperatoris, qui in Sicilia anno superiori diem clauserat, principes commotos reditum protinus adornasse, post solutam Coruthi obsidionem, atque appetente Martio paucis relictis mare conscendisse, ita formidanda initio illa Germanorum expeditio euanuit, cùm Sarracenum Imperium ab ijs euertendum videretur, ijsque abeuntibus arctiùs a Sarracenis Christiani premi cœperunt; ad quos iuuandos egregia hac adhortatione Occidentales incēdit Innocentius: *Si Deus subijt mortem pro homine, dubitabit homo mortem subire pro Deo, cùm non sine condigna*

Ioppe occupata a Sarracenis.

Redeunt Germani audita Imp. nece.

a Chron. Slau. lib. 5 c. 2. & c. 5

Clades in Ioppensi obsidione

Funesta mors Hēr. Regis Hier.

b Stad. in chron.

digna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: negabit etiam seruus Domino diuitias temporales, cum Dominus seruo diuitias largiatur æternas, quas nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt.

84 Subijcit Pontifex se duos Cardinales ad instruendam cruce signatorum expeditionem promouendamque, Romanæ Ecclesiæ sumptibus sustentandos mittere, atque alterum Petrum Sanctæ Mariæ in Via lata diaconum Cardinalem in Gallias ire iussum de inducijs inter Francorum, & Anglorum Reges conciliandis acturum, vt ex vtroque regno vires cogantur, de quibus nos supra; alterum verò Siffridum tit. S. Praxedis presbyterum Cardinalem Venetias ad classem adornandam destinare: tum profecturis sedis Apostolicæ clientelam, reliquas criminum labes post exceptum exomologeseos sacramentum delendas, aliasque prærogatiuas pollicetur; tum remittendas ijs, qui ære alieno obstricti sunt, pecuniarum vsuras, creditoresque ad eas relaxandas, restituendasque pro eo tempore, quo arma gesserint, compellendos; tum addit animos, ac bona spe implet, suis diuinum numen cælesti ope non defuturum.

Legatus Venetias pro classe missus.

Antequam verò superiores literas daret, ac Germanos ex Syria vela fecisse didicisset, accepto imminentis eorum reditus nuncio, ex Italia colligere vires sategerat, ne omni auxilio Terra sancta destitueretur, ac lugubres literas a per Siciliam, Apuliam, Calabriam, Thusciam sparserat, quæ Syracusano episcopo, atque abbati Sambuciensi inscriptæ sunt, quibus proposito infelicissimo Terræ sanctæ statu, quæ sanguine Christiano furore barbarorum fuso madebat, elegantissimè adductis pluribus sacræ Scripturæ oraculis depicto edisserit, vt Apostolica sedes sæpius fideles incendere conata sit, vt filios (sic enim loquitur) in iniuriæ paternæ vindictam, & fratres armaret in fraterni excidij vltionem, ac licet plures Reges, principesque correptis sacris armis in Syriam ad reparandas illius res profecti essent, tamen quia, vt euentus docuit, turgerent superbia, atque humana magis quàm diuina potentia freti essent, omnes illorum conatus a barbaris fractos, debilitatosque fuisse, qui si æterno numini diuino amore coniuncti fuissent, tanto robore cælitùs fuissent induti, vt, vel vnus Christianus mille, & duodecim millibus Sarracenorum profligandis par extitisset: non ideo tamen abijciendos animos, tandem enim placidum, ac propitium Deum futurum, ne partas victorias Sarracenus potentiæ suæ adscribat, & Christo procacitèr insultet. tum hęc grauissima librat, subiungitque: *Quis igitur in persona propria pro eo laborare recuset, imò etiã extrema pericula sustinere, qui pro nobis crucis patibulum subire voluit, vt inimici a nobis expelleret potestatem. Quis sua deneget illi, qui nobis & esse contulit, & habere; qui centuplum retribuit in præsenti, & in futuro præmia pollicetur æterna: nam & secundùm Apostolum, pietas promissionem habet vitæ, quæ nunc est, & futuræ. Quis pro eo mori deneget, qui factus est pro nobis obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, qui habet potestatem corpus & animam perdere in gehennam, & secundum multitudinem miserationum suarum breui temporis spatio mortis compendio vitam istam in æternam potens est commutare.* Addit se omnibus Siculis imperasse, classem comparent, commeatuque illam instruant: cum enim Germani, vt accepit, reditum apparent, rem plenam periculi futuram, si nulla in Palæstinam auxilia submitterentur, ac non modò amissa non reparatum iri, sed quæ supersint, grauissimum discrimen aditura: tum hortatur episcopum Syracusanum atq; abbatem Sambuciensem, vt vrbes, oppida, & pagos Siciliæ obeant, & Christianos ad arma pro tuendo Christi nomine, infringendaque Sarracenorum tyrannide corripienda incendant, amplissimam criminum veniam crucem induturis proponant; subditurque, eadem sententia per Apuliam, Calabriam, ac Thusciam literas Apostolicas sparsas fuisse.

a Ib. ep. 301.

85 Alijs etiam eloquentiæ Christianæ gloria florentibus viris Liddensi episcopo a, Tranensi archiepiscopo, episcopo Capersanensi, priori S. Andreæ de b Beneuento, abbati de floribus, alijsque pluribus prouinciam demandauit, sacrum bellum in Sarracenos pro concione promulgarent, se Cardinales Pisas, Ianuam, Venetias pro ornanda classe misisse, magna ex Gallijs & Anglia conciliatis Regibus auxilia sperari: iussit etiam varijs in locis ab archiepiscopis concilia prouincialia cogi & celebrari, in quibus de comparandis pro milite stipendijs ageretur, quod probant literæ c ad Ebredunensem, Arelatensem, Aquensem archiepiscopos datæ: ne verò sinistra suspicio aliquem imbueret, Pontificem indictas in Terram sanctam pecunias ad sua commoda deriuaturum, præcepit, vt eæ ab episcopis diœcesanis cogerentur, atque e Templarij vnius, alteriusque hospitalarij consilio pro stipendijs non effusè, sed frugaliter erogarentur, de quo ad Pisanum archiepiscopum, episcopum Vrbinatem, Camaduli, & S. Fridiani priores extant literæ. d

a Ep. 341 & 342. b Reg. post eand. ep.

Instructa plurima mangna.

c Ib. ep. 404.

Episcopi collectas pro bello sacro agũt

d Ib. ep. 407.

Studuit etiam Pontifex impios in Crucifixi obsequium traducere, atque ad condonationem criminum obtinendam imponere consueuit, vt sumptis armis in Terram sanctam proficiscerentur, ita Vv .... comitem Folcarcariensem virum sceleratum, qui Ecclesiæ fideles oppresserat anathemate percussum, iam nobilis viri R. de Ago opera ad officium redeuntem in arma sacra prosilire iussit, atque ab R. Massiliensi præposito ea lege communioni fidelium restitutum iri est pollicitus. e Similia Remundo comiti Tolosano viro scelesto ad Ecclesiam, a qua amputatus fuerat, reducto proposuit f, egregiaque aui ipsius in Terra sancta facinora edita, ante oculos constituit, vt tum præteritis criminibus susceptam labem detergeret, tum ad æquandam maiorum gloriam defensa Christi causa se incitaret. In excitando etiam ad bellum sacrum Alexio Græcorum Imperatore omnes conatus suos collocauit.

Restituitur Ecclesiæ Folcarcarien. comes.

e Ep. 405

f Ep. 395

Sollicitatur Remũdus.

86 Reparare Terræ sanctæ res, atque Sarracenorum potentiam euertere poterant Græci, si suas cum Latinis vires coniunxissent, tum quòd armis, opibusque florerent, tum quòd facilè in Syriam traijcere possent. Ad eos ergo in opus adeo pium, atque ad Ecclesiam reuocandos conatus suos Innocentius contulit. Porrexerat illi tractandæ rei occasionem Alexius, qui, vt Innocentij vitæ auctor enarrat, Pontifici recenter ad solium Apostolicum euecto, suos oratores muneribus pretiosissimis onustos miserat, rogaratque vt per legatos Imperium lustraret, qui adeo vrbanè inuitatus Albertum, & Albertinum cum literis ad Alexium misit, quibus ipsum hortatus est g, vt cæterorum principum, qui Christiana religione imbuti erant, exemplo ad Mahumeticam superstitionem excindendam prestò esset, atque ad conciliandos schismaticos operam nauaret, nec se ignauè illatam Romanæ Ecclesiæ iniuriam, e cuius obsequio se Græci subduxerant, toleraturum.

Prouocatur Alexius aduersus Saracen.

g Ep. 351

Imperialis excellentia magnitudo, si se coram eo humiliauerit, qui humilia respicit, & alta a longè cognoscit, & super eo sui stabilierit Imperij fundamentum præter quod aliud poni non potest, quod est ipse Iesus, & super quo ipse Dominus noster nascentis Ecclesiæ posuit fundamentum, super hanc petram (inquiens) ædificabo Ecclesiam meam, exaltabitur, & eleuabitur; quoniam omnis, qui se humiliat, exaltabitur secundùm testimonium veritatis, & firmabitur, & non flectetur: quoniam ædificium, quod super hoc fundamentum consistit, nec casum timet, nec ad machinas formidat hostiles. Vt autem fir-

firmiùs, & fortiùs Imperium tuum in huius fundamenti firmitate persistat, oportet vt Deum vniuersis tuis affectibus anteponas, & sponsam eius Romanam Ecclesiam, cuius ipse fundamentum, & fundator existit, præcipuè venereris, vt dum in dilectione sponsi, & sponsæ persisteris vnitate, ex nulla parte celsitudinis tuæ sublimitas quatiatur. Verissima hæc oracula extitere: cùm enim monita pontificia obtriuisset schismatico fastu Alexius, aliquot post annis in odium schismatis a Gallis & Venetis crucesignatis Imperio depulsus est, quam perniciem, si obsequutus fuisset Innocentio, a suo capite propulsasset. pergit Innocentius.

87 *Verum non vt ad detractionem, sed tuam potius correctionem loquamur, miramur non modicum, murmurat etiam aduersum te populus Christianus, immò & ipse Iesus, vbi ille te increpat: Hospes fui, & non collegisti me, infirmus, & non visitasti me, in carcere, & non venisti ad me. Cùm enim peccatis nostris exigentibus venerint gentes in hæreditatem Domini, & coinquinauerint templum sanctum eius, immò & ipsum Iesum Christum quodam modo captiuauerint, lignum sanctæ Crucis, in qua salus mundi pependit, & deleuit chirographum mortis antiquæ, in qua etiam Apostolus se asserit gloriari: Mihi absit, (inquiens) gloriari nisi in Cruce Domini Nostri Iesu Christi. nec Christo exuli subuenire, nec ad liberationem Terræ natiuitatis ipsius intendere hactenus, sicut debueras, curauisti: cum tamen ex vicinitate locorum, & abundantia diuitiarum tuarum, & potentia, qua inimicos Crucis munere diuino præcellis, id potueris commodius, & expeditius alijs principibus adimplere. Est etiam aliud propter quod* solum aduersus te, immò aduersus Romanam Ecclesiam, quæ id hactenus, quasi sub dissimulatione transiuit, murmurat populus Christianus. Cum enim Dominus noster vnam sibi sponsam elegerit non habentem maculam, neque rugam, iuxta quod in Canticis protestatur:* Vna est *(inquiens)* dilecta mea, sponsa mea, columba mea. *& in Euangelio dicit:* Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, vt fiat vnum ouile, & vnus pastor. *Cùm etiam inconsutilis tunica Christi diuisa non fuerit, & in symbolo contineatur expressè:* Credo in vnam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam; *Græcorum populi ab vnitate Apostolicæ sedis, & Romanæ Ecclesiæ recedentes, quæ disponente Domino cunctorum fidelium mater est, & magistra sibi aliam ecclesiam confinxerunt, si tamen quæ præter vnam est, ecclesia sit dicenda.* Adiecit alias ad Patriarcham Cōstantinopolitanum litteras,[a] quibus postquam differuit, vt diuinum numen repudiata synagoga, Ecclesiam ex gentibus sibi condiderit, eamq; beato Petro, & successoribus regendam commiserit, hortatur, vt suas partes in tollendo schismate adhibeat, atque ad recuperandam Terram sanctam Christi imbutam sanguine, ac Sarracenorum flagitijs, & sacrilegijs contaminatam Christiano cultui asserendam Alexium Imperatorem permoueret.

Probatur Ecclesiæ vnitas.

* non

a Lib. 1. ep. 354.

88 Hæsit in perfidia Alexius & Romanæ Ecclesiæ coniunctionem, ac Terræ sanctæ reparationem spreuit, cui dispar admodum Armeniæ Rex, qui cùm pro singulari studio ab Ecclesia Romana, & Imperio Occidentali insignia regia poposcisset hoc anno, a Maguntino archiepiscopo ijs est redimitus, de quo hæc Chronicon Slauorum: *Remansit dominus Moguntinus & dominus Vverdensis, & quidam de nobilioribus cum populo Dei, misericordiam ipsius, & consolationem expectantes. Moguntinus tamen tunc aberat in Armenia constitutus pro coronando Rege eiusdem terræ, ad quod tamen negotium cancellarius deputatus fuerat, qui vt dictum est, in Cypro similia perpetrauerat* (de eo auctor c.2. egerat, vbi ait Cypri Regem tunc a Græcis, quorū erat stipendiarius, desciuisse.) *Sed cū esset apud Baruth, visum est principibus, vt remanente cancellario, Moguntinus vicem eius suppleret, & ipsum Regem diademate imposito ad titulum Romani Imperij coronaret.* Subdit auctor perfecta regiæ consecrationis celebritate, Maguntinum archiepiscopum pacem inter Armeniæ Regem, & principem Antiochiæ magno Terræ sanctæ commodo coniunxisse.

Inter Arm. Reg & princ. Antioch. pax.

IESV CHRISTI
Annus 1199.

INNOCENTII PP. III. annus 2.	VACAT IMP. OCCID. 2. ALEXII ANGELI IMP. 5.

1 OFfert sese nobis annus Christi millesimus centesimus nonagesimus nonus indictione secunda, felix quidem Ecclesiæ, si ipsam nouis duobus sanctitatis luminibus collustratam, si eius gremio Dioclios Dalmatasque receptos, Bulgaros ad coniunctionem prouocatos, in obsequio confirmatos Armenos, Liuones Christi cultu imbutos, Occidentales triumphali Crucis signo ad res Terræ sanctę reparandas insignitos spectemus; verùm luctuosus, si hæreticos passim in diuersis prouincijs se efferentes, tumultuantem Angliam, Germaniam competitorum Imperij studijs laceratam, Siciliam a Marcualdo, atque ab alijs proditoribus ferro, flammisque fœdatam intueamur. A Siculis verò rebus ducturi exordium, reuocamus in memoriam, Pontificem arrepta Friderici tutela, cum ob imploratam ab Augusta matre Apostolicam fidem, tum ob stipendiarij Ecclesiæ regni tuendam pacem, curas suas ad moderandam legatorum opera Siciliam contulisse, de quo ad mœrentem Fridericum sunt literę,[a] quibus luctum illius permulcet, commendat legatos, orbitatemque Apostolico patrocinio fulcire pollicetur; subiungitque: *Monemus Serenitatem tuam, & exhortamur in Domino, quatenus omni penitùs mœrore deposito, effugatis tristitiæ tenebris, exultes in Domino, & in eo consolationis suscipias medicinam, qui pro temporali spiritualem tibi patrem prouidit, & in matris obitu Matrem Ecclesiam materna solicitudine tuæ indoli deputauit, vt factus postmodum vir, & in Regni solio solidatus eam amplius venereris, per quam te cognoueris exaltatum.*

a Inn. l. 1. ep. 561.

2 Vrgebat ea res Innocentium ad legatos mittendos, quòd Marcualdus secundum a Rege in Sicilia magistratum, cui balij nomen erat, affectaret, vt susceptis tutoris vice, Siciliæ habenis, ex imbellibus pueri manibus sceptrum eriperet: ad cuius discutiendas insidias, munerisque suscepti Constantiæ precibus partes implendas, quid fecerit Pontifex, ex eius actis delibemus: *Marcualdus autem regressus in regnū, ad occupandum illud totis viribus intendebat, prætendens quòd ex testamento Imperatoris ipse debebat esse balius Regis, & regni. Statim ergo D. Papa Gregorium S. Mariæ in Porticu Diaconum Cardinalem legatum in Siciliam destinauit, vt ibi cum familiaribus Regis de regni negotijs ordinaret.* Extant de illo Innocentij literæ ad eundem hoc eodem anno datæ, de quibus paulo post dicemus. *Qui profectus recepit ab ijs balij iuramentum, & fecit illud ab alijs per Siciliam exhiberi; verùm quia nō benè intendebatur ei a familiaribus Regis, & præsertim à cancellario* (erat is Gualterius Troianus episcopus) *qui dedignabatur eum superiorem habere, cùm & omnes non regijs, sed proprijs vtilitatibus inhiarent: post non multum tempus, ad sedem Apostolicam est reuersus, nuncijs cum literis Regis per regnum transmissis, vt ab omnibus D. Papæ iuramentum balij præstaretur.*

Siculi in Pontificis verba adacti.

3 *In Terram verò laboris D. Papa direxit Ioannem tituli S. Stephani in Cœlio monte presbyterum, & Gerardum S. Adriani diaconum Cardinales, vt ciuitates, comites, barones inducerent ad resistendum perfido Marcualdo, qui congregato exercitu intendebat in primis capere monasterium Cassinense, vt ingressum regni liberum obtineret.*

tineret. Agit de hac legatione idem Pontifex ad L. Aquilanum comitem scribens; vbi postquam meritia eum laudibus ob seruatam Constantiæ Augustæ fidem ornauit, pontificij auxilij expectatione ad propulsandum hostem erigit, mitti legatos ad continendam in officio Siciliam, tum quòd supremo iure ad Ecclesiam spectet, tum quòd ex testamento Augustæ Fridericus tutelæ Apostolicæ fuerit commendatus. Prætermittendum verò non est, Pontificem ipsum supradictis regiis familiaribus hoc anno aliis litteris significasse, a eiusdem se Augustæ testamentum ab eorum nunciis deferendum expectare, addiditque de Gregorio S. Mariæ in Porticu diacono Cardinali, quem egregiis ornat laudibus, eum se Apostolicæ sedis legatum in Siciliam sui vice mittendum duxisse, vt populos in Regis fide, & sedis Apostolicæ studio, ac veneratione contra Marcualdi peruersa consilia, fraudesque contineret. Reperiuntur Innocentii b ad eundem Gregorium Cardinalem datæ, quibus ipsi Regia adhuc infantis tutelam, regnique administrationem creditam voluit, & commendatam. Verùm ad acta redeo.

a Innoc. l. 1. ep. 560.
b Ib. ep. 558.

Lido Cassinũ missus.

4 *Cum verò Cassinensis abbas in instantis necessitatis articulo summi Pontificis auxilium imploraret, misit nobilem virum Landonem in Monte longo consobrinum suum rectorem Campaniæ cum quingentis penè militibus, & centum archariis conductis ad iuuandos.... qui cum præfatis Cardinalibus receperunt se in villa S. Germani, vt eam defenderent contra impetum Marcualdi.*

Oppidũ S. Germani captũ.
c Ricch. de S. Ger. in chron.

Sed rei gestæ seriem ex probatissimo auctore c eius temporis ex eodem loco oriundo præstat decerpere: ait ergo ineunte anno Marcualdum contractas perditorum hominum copias per Venafrum in D. Benedicti ditionem infudisse, castrum S. Petri metu ab incolis derelictum igne deleuisse, S. Victoris oppidum vi cepisse, ac diripuisse; inde Ceruario, ac Terocio desertis a populo, exustisque, ad oppidum, cui sancti Germani nomen est, defixis castris, plures insultus hostiles intulisse, eiusque impetus strenuè a Campanis initio exceptos, elusosque, verum cum Diupuldus copias adduxisset, atque editiore loco vrbi infestus immineret, abbate occasione muniendi monasterii vallum noctu egresso, Cardinales, atque incolas paulo post metu perfusos vrbe se subduxisse, Marcualdum illa capta, direptaque, in eos, quos reperit, immaniter sæuiisse (quibus fossæ nouæ chronicon consentanea tradit) tumque belli molem contra monasterium conuertisse, ac frustra impressa variis assultibus tentasse: in spem tamen hostis venerat, vt annonæ defectu obsessos ad deditionem compelleret: licet enim Pontifex Iordanum tit. S. Pudentianæ presbyt. Cardinalem, atque Octauianum subdiaconum cum vnciis auri mille quingentis ad Petrum comitem Celanensem misisset, vt commeatus obsessis suppeditaret, comes maximam pecuniæ partem, vt tradit Innocentii vitæ auctor, in suos vsus auerterat, ac parum frumenti submiserat, non tam ad sustinendam vitam, quàm famem producendam: vrgeri etiam obsessi aquæ penuria cœperant, cùm die S. Mauri festo recurrente (is verò in decimum quintum ianuarii diem incidit) repentè asperato nubibus cælo, procellaque mixta grandine grauissimè detonante, tantam imbrium vim depluisse, vt cisternæ monasterii implerentur, hostes verò euersis deiectisque tentoriis, pluribusque tempestatis impetu occumbentibus in fugam effusos obsidionem deseruisse, quasi Deus in hostes procellas armasset (eadem quoque in laudato fossæ nouæ chronico referuntur, additurque plures ex hostibus cecidisse, nimirum ab insequentibus nostris cæsos, vt ex recitatis Innocentii literis audisti) redditasque numini pro tanto beneficio a Cardinalibus, ac religiosis viris iustas gratiarum actiones; Marcualdum verò frementem ira, vindictam in nonnulla proxima oppida effudisse, eaque ferro, flammaque vastata, ac S. Germani exustas portas, ac mœnia plerisque in locis solo adæquata.

Marcualdi progressus.

Cassinum insigni miraculo liberatum.

5 Affert idem auctor æternæ commendanda memoriæ duo præclara miracula, quibus Deus illatas sibi iniurias vltus est. Prophanabant ecclesias Marcualdi milites, atq; in iis nulla loci habita ratione, velut in prophanis domibus suas obibant stationes, ludoque indulgebant, percitique interdum furore sacra altaria, & imagines grauioribus ludibriis afficiebant, e quibus perditissimus miles, cùm sacras reliquias ab aliis ex altaribus raptas videret, in beatæ Deiparæ aram manum sacrilegam iniecit, quam Deo vindice debilitatam, arefactamque mox sensit. Alter hoc sceleratior dæmone afflatus cùm in pendentis Christi e cruce effigiem, in S. Germani templo propositam lapidem vibrasset, deinde immani sacrilegio Iudæis nequior, qui olim in Christum expuere, effusa impura vrina illam proluerett, subitò in furorem versus linguam dentibus laniauit, corporeque exarescente infelicem animam euomuit. Offusus erat non leuis terror iis præsulibus, qui res Siculas administrabant, quod Marcualdus oppidum, cui S. Germani nomen inditum, cepisset, bellique molem in Cassinum vertisset; sed eos Innocentius felici alio rerum successu recreauit, consumptos, elusosque in obsidendo Cassino hostiles impetus, contractis Pontificis opera magnis copiis ingentes hosti clades impressas, Marsiam interea subactã, atque munitissimas Marcualdi arces funditus excisas, deletasque fuisse. sunt hæc eius verba: a *Marcualdo circa obsidionẽ Cassinen. monasterii inaniter occupato, comites, barones, ciues, & alii Regis, & regni fideles ex magna parte in singulis prouinciis conuenientes in vnum, ad resistendum ei, sibi mutua subuenire iuramento firmarunt: immunita munientes, & villas, & casalia reducentes ad ciuitates, & loca munita, & contra eum etiam exercitum congregantes. Interim etiam non cessauit manus Domini flagellare tyrannum, cum militès nostri sæpius in exercitu Marcualdi facientes insultum, multos ex eis occiderint, multos ceperint, plures etiam vulnerauerint, & obsessi ab obsidentibus frequenter victoriam reportarint.*

Diuina in sacrilegos vindicta.
a Ibid. l. 1. ep. 553.
Fractus Marcualdus.

6 *Nec cessauit etiam manus nostra effundere super eum vasa iræ, non solùm spiritualiter, sed & temporaliter nostram super eum, immo potius diuinam potentiam exercendo, cum per dilectum filium nostrum I.. tit. sanctæ Priscæ presbyterum Cardinalem A. S. L. tota ferè terra, quam idem Marcualdus habuerat in Marsia, sit diuino munere in manu forti, & brachio extento ad dominium Ecclesiæ reuocata, munitionibus suis, in quibus spem suam posuerat, redactis in cinerem, & fauillam, &c.* Tum adiicit, vt ærarium suum in bellicos sumptus liberaliter effuderit, hortaturque, thesaurum regium aperiant, atque ad crudelissimi hostis discutienda consilia, opes, viresq; cõferant, qui si victoria potiatur, laxatis barbaro furori habenis, quàm atrociter in eos grassaturus sit demõstrat, cùm iam plures crudelitatis exempla ediderit, alios viuos terræ infoderit, alios flammis iniecerit, alios liquenti adipe perfuderit, alios in maris fluctus præcipites deturbarit; nec hominis perfidiam immanitati imparem, cùm iam sæpiùs illius dolos experti sint. Ad crudelem ergo, perfidum ictumque ecclesiastico anathemate non depellendum modò, verùm etiam elidendum florentissimum se exercitum ex Longobardis, Tuscis, Campanis instruere: quamprimum verò suas ipsi copias adornent, quas si cum suis coniunxerint, certissimum triumphum de hoste reportatum iri.

Marcualdi immanitas.

7 Excitati sunt hisce monitis plures principes, inter quos strennè se gessit Casertæ comes, quem ideo plurimum commendat Pontifex, cùm accepisset ab eodem comite summa prudentia captum, atque in vincula coniectum Diupuldum olim occultè, postea

Diupuldus a Casertæ comite capitur.

C aperte

apertè Regis, regniqne opibus inhiantem, qui Marcualdo adeo potentior erat, vt fine eius auxilio ille nec in regnum pedem inferre, nec progressum vllum facere potuisset. Cùm hæc, inquam, de Diupuldi, aliorumque vinculis agnouisset Innocentius, eidem comiti prouinciam demandauit, vt eos tam cautè, arctèque custodiendos curaret, vt nec e vinculis euolare, nec eius probitati, diligentiæque illudere possent. Dum vixit Casertæ comes, in vinculis Diupuldum tenuit, sed eo sublato ipsius filius Guillelmus, vt tradit a Ricchardus, patentis virtuti dispar, ducta in vxorem Diupuldi filia, ipsum e vinculis emisit.

a Ricc. de S. Germ. in chron.

Marcualdus Pontificé promissis delinire nititur.

8 Quid verò deinde actum sit, Innocentij gesta enarrãt, Marcualdum elusos impetus suos cernentẽ, ad artes & dolos confugisse, Innocentiumque muneribus corrumpere ac promissis subornare conatum, vt Fridericum, quem partum suppositititium aiebat, destitueret; sed Pontificem nefanda promissa cum horrore repudiasse: *Sperans autem* (nimirum Marcualdus) *quòd eum posset inclinare* (Pontificem scilicet) *misit per Conradum Maguntinum archiepiscopum de Hierosolymitanis tunc partibus redeuntem, vt sæpe per alios secretè fecit & cautè tentari, vtrum eum posset oblatione munerum mitigare, promittens, quòd si solummodo ab eius impedimento cessaret, quamuis nullum sibi præstaret auxilium, in continenti daret ei valentiam auri viginti millium vnciarum, & postquam obtinuisset Panormum, totidem sibi auri vncias exhiberet, legitimam sibi fidelitatem præstaret, duplicaret censum, & multiplicaret obsequia, quæ Romani Pontifices de regno Siciliæ consueuerunt habere, ipsumque regnum ab Apostolica sede immediatè teneret. Nec debebat obstare, quòd summus Pontifex Regem infantulum in sua cura susceperat, quòd, sicut ipse firmiter asserebat, puer ille nec Imperatoris nec Imperatricis filius fuerat, sed suppositus partus, quod testibus astruere promittebat. Porro summus Pontifex tantam ipsius iniquitatem attendens, promissiones & oblationes ipsius execrabiles iudicauit.*

Marc. fictè gratiã Ecclesiæ ambit.

9 Subijciunt gesta, Marcualdum, cùm primæ artes imbutæ scelere non succederent, alias explicuisse, ac pietatis specie circumueniri posse Innocentium arbitratum: religionis arrepta larua, Ecclesiæ conciliari postulasse, cùm plures ideo a se abhorrere videret, quòd fidelium cœtu depulsus esset: *Cumque non posset hoc modo proficere, ad aliam se fraudem conuertit, proponens quòd reconciliari vellet ecclesiasticæ vnitati; sed cum fuisset illi responsum, quòd oportebat cum iuramento firmare, vt super omnibus, pro quibus excommunicatus erat, mandatis Apostolicis obediret: respondit, quòd in spiritualibus absolutè pareret; in temporalibus autem istis mandatis parendi præstaret iuratoriam cautionem, quod cùm sibi fuisset assertum, quia propter eum consueta forma iurandi nullatenus mutaretur. promisit tandem in scriptis, quòd super omnibus, pro quibus excommunicatus erat, iuraret absque pacto quolibet & tenore, se vniuersis mandatis Apostolicis pariturum.* Latere aliquam sub religionis specie fraudem subodoratus est Innocentius, ne tamen suo deesse officio videretur, ac pœnitentem repellere, illius ritè absoluendi munus legatis imposuit, quos Marcualdus obsequijs subdolis delinitos in locum iniquiorem pellexit, vt duriora ipsi imperia imponere non auderent, ne si id facerent, vinculis traderentur, sed ij collectis animis, licet se circumuentos & Marcualdi militibus circumfusos viderent, mandata pontificia constantissimè exposuerunt. *Licet autem D. Papa fraudem ipsius haberet suspectam valde, quia tamen redire volentibus non est aditus Ecclesiæ obserandus, misit Verulas in Campaniam Octauianũ Ostiensem episcopũ, & Guidonem S. Mariæ trans Tyberim presbyterum, ac Vgolinum S. Eustachij diaconum Cardinales, vt dictum Marcualdum illuc ad eorum præsentiam accedentem sub forma reciperent supradicta: qui cùm venissent, post multas altercationes præscripto modo iurauit rogans episcopum, & Cardinales prædictos, vt ad faciendum mandatum descenderent ad monasterium Casemarij memoratæ ciuitati vicinum, vt coram socijs suis, quorum illic remanserat multitudo, audiret, vsus hac fraude, vt cùm a loco munito ad locum descenderent immunitum, non auderent ei graue proferre mandatum.*

Legati in locum iniquiorem pellecti.

10 *Acquieuit episcopus Ostiensis, seductus consilio nobilis viri Leonis de Monumento consobrini sui, qui reconciliationis huiusmodi fuerat mediator: acquieuerunt & alij, licet improuidè, ipsius Ostiensis episcopi persuasione seducti, cumque ad prædictum monasterium descendissent, paratum est illis conuiuium, in quo præfatus Marcualdus eis accuratissimè deseruiuit, & circa finem conuiuij submurmuratum est, quòd capi deberent: vt sic territi, mandatum, quod displiceret illi, facere non auderent. Vehementer ergo confusi, quid facerent ignorabant; sed præfatus Vgolinus S. Eustachij diaconus Cardinalis, resumpto spiritu fortitudinis, coram omnibus, qui cum eo erant ad audiendum, mandatum protulit scriptum, bulla D. Papæ munitum, in quo mandatum, quod illi faciendum erat, continebatur expressum; & ait: Ecce mandatum D. Papæ, nos aliud facere non valemus. Hanc autem cautelam summus Pontifex adhibuerat, tum propter se, tum etiam propter illos. Mandatum est ergo illi, sicut continebatur in scripto, sub debito præstiti iuramenti, vt ab aliqua regni inuasione ac molestatione per se ac suos omnino desisteret, nec ipsum vel patrimonium B. Petri aliquatenus molestaret, vniuersaque quæ regno per se, vel suos fraudulenter, ac violenter inuaserat, restitueret, quæ haberet: quæ verò detinerentur ab alijs, pro posse suo restitui faceret bona fide. Super damnis autem & iniurijs irrogatis, præsertim Ecclesiæ Romanæ, ac monasterio Cassinensi, satisfaceret competenter, secundùm dispositionem summi Pontificis, & proprias facultates; in clericos & viros ecclesiasticos manus de cætero non immitteret, nec immitti faceret violentas. Cardinales & legatos Apostolicæ sedis nec spoliaret, nec caperet, nec spoliari, nec capi faceret, aut etiam obsideri; nisi fortè impugnatus ab eis, in defensionem propriam id facere cogeretur, non quod ei deceret, tunc licere, sed quia hoc ei non interdicebat, ex debito iuramenti.*

Vgolini Card. cõstantia.

Mandatũ Pontificium.

11 Exposito pontificio mandato inclinabant ad seditionem animi, sed Marcualdus strepitum audaciamque suorum compressit, & Cardinales rogauit, vt Innocentij mandatum differretur, dum ipse coram eo causam egisset: *Audita mandato factus est ingens tumultus in populo, sed ipse Marcualdus quamuis valde commotus, non tamen permisit, vt in Cardinales committerent aliquid inhonestum, quin potius vsque ad Verulam eos in propria persona conduxit, proponens quod ad præsentiam summi Pontificis vellet accedere, vt ei quædam secretissima patefaceret, quæ nulli alij reuelaret, vnde petebat, vt prædictum mandatum interim suspendere dignarentur: literas tamen suo sigillo munitas in testimonium destinauit, quod præscriptum iuramentum præstiterat, & mandatum receperat suprascriptum: sed ad vomitum rediens, post absolutionem suam literas D. Papæ direxit, in quarum salutationis alloquio fraudem eius perpendit, in eo quod salutatio talis erat: Reuerendo Episcopo patri & domino Innocentio, Dei gratia sanctæ Romanæ sedis summo Pontifici, Marcualdus Imperij Senescalcus, &c. Salutem & obedientiam tam debitam, quàm deuotam, & in alijs sic erat expressum: Marcualdus Imperij Senescalcus, & id quod est, deuotum obedientiæ famulatum. tanquam nec ex toto supprimeret, nec exprimeret manifestè, quod regni balius & procurator existeret, sicut se prius in suis literis consueuerat appellare.* Extant literæ ab Innocentio Romano Pontifice ad Marcualdum posteius absolutionem datæ a, quibus ostendit, si tanta ac grauissima

Marc. adire Pontificem proponit.

Marcualdi fraus.

a Innoc. lib. 2. ep. 159.

sua

sua flagitia animadnerteret, cum sedis Apostolicæ mandatum non modò iustum, sed etiam pium fuisse cogniturum; ac postmodum ipsum a balij titulo abstinere iubet.

12 De Marcualdi absolutione episcopos, comites, omnesque Siculos data ad eos epistola a docuit, cui etiam adiecit lati antea anathematis formam in ipsum Marcualdum, eiusque fautores omnes; specialiter verò in Diupuldum, Orbonem, Sifridum, & Othonem e Lanjano, Hermannum, & Sorellæ arcis præfectum, vtque eum receperit, declarat; nimirum publicè Marcualdum sine vlla pactione, cruce, & euangelio tactis iureiurando sese obstrinxisse Pontificis dicto audientem in posterum futurum in ijs omnibus, ob quorum præuaricationem e fidelium cœtu motus pulsusque fuerat. Quæ verò post hæc egerit Marcualdus, acta percensent, ipsū grassari fraudibus cœpisse, & literis suis longè, latèque circumferre se fidelium communioni restitutum, atque adeo sibi deuinxisse Innocentium, vt etiam administrandæ illum Siciliæ præfecisset. Sed ne aliquem suis dolis caperet, Pontificem ad eos disturbádos sparsisse literas, b quibus perfidi hominis scelus, reiq; cum ipso gestæ seriē patefecit, præcepitq; ab eo omnes veluti publico hoste, proditore, ac periuro cauerēt, & cōminatus anathema, si qui ab eius societate nō abstinerēt.

a Ib. ep. 158.

Qua ratione Marcuald. absolut. est.

a Inn. l. 2 ep. 172.

13 Cùm disiectas ita frandes, abscissosque dolos videret Marcualdus, apertè conceptum scelus effundere decreuisse, & conflata cum aliquibus nobilibus Siculis, qui arces in Siciliæ limite, atque aditu obtinebant, coniuratione in regnum petrupisse tradunt acta; moxque Innocentium Siculorum clamoribus impulsum, legatum, ac Iacobum consobrinum strenuissimum ducem magna militum manu succinctum submisisse: *Ipse verò cognoscens se sua intentione fraudatum, cœpit subtiliter machinari, qualiter posset in Siciliam transfretare, suam ibi nequitiam liberius impleturus: & cùm quosdam sibi comparasset fautores, transiuit* (ipsum copias in Siciliam traiecisse chronicon fossæ nouæ tradit) *& cœpit mala, quæ poterat, operari, dimittens suæ iniquitatis complices, & fautores Diupuldum, Othonem, & Sifridum fratres ipsius, Conradum Sorella, Othonem de Lautano, & Fredericum Malusti, & quosdam alios, multas ex hac parte Phari munitiones tenentes, qui omnes cum illo de vanitate conuenerant in id ipsum. Cùm ergo per illum mala cœpissent per Siciliam multiplicari, familiares Regis ad summum Pontificem clamare cœperunt, vt eis cum exfortio mitteret protectorem. Misit igitur C. tit. S. Laurentij in Lucina presbyterum Cardinalem, Apostolicæ sedis legatum, & nobilem virum Iacobum consobrinum suum & Marescallum cum ducentis militibus pecuniaria mercede conductis, quibus adiunxit Anselmum Neapolitanum, & Angelum Tarentinum archiepiscopos, viros industrios, & prudentes, quorum studio, & consilio niterentur, qui profecti Fredericum in Calabria compresserunt totam prouinciam deuastantem, & inde peruenere Messanam ciuitatem Siciliæ fidelissimam, quæ nunquam in hac tempestate a via regia declinauit.* Hactenus acta de Marcualdi in Siciliā reditu, ac impressione, de quo Godefridus eiuius tēporis auctor eum Marquardum appellans, ita mentionē fecit; ipsum iussu Philippi Regis (ita vocat Philippum Suenum, qui Germaniam inuaserat) patrui Friderici pueri, Apuliæ regnum eidem puero Regi seruandum reliquisse: verùmenim uerò tyranni potiùs color, quàm ratio esse potuit.

Sicilia cōtra Marcuald. defensa.

c Godefr. in annal.

14 Ad elidenda Marcualdi consilia Pontifex impigrè se accinxit, & comitibus, ceterisq; omnibus Siculis literas d misit, in quibus inter alia hæc sequuntur.

d Inn. l. 2. ep. 213.

Innocentius &c.

Cæterùm nos fraudes eius, & versutias attendentes, ipsum cum vniuersis fautoribus suis nominatim autem Diupuldo, & fratribus eius Odone de Lauian, Vuillelmo Crasso, & sequacibus, & fautoribus eius excommunicationis curauimus vinculo innodare, & vniuersos a iuramento fidelitatis, societatis, vel hominij ei præstiti absoluentes, omnem terram, ad quam ipse, vel aliquis de principalibus fautoribus eius deuenerit, sententiæ subiecimus interdicti, & mandauimus prædictos omnes per fratres, & coëpiscopos nostros, & alios ecclesiarum prælatos singulis diebus dominicis, & festiuis excommunicatos publicè nunciari. Dictus verò Marcualdus a simili sibi quærens auxilium, a pyrata prædo, & raptor, a marino nō iam latrunculo, sed latrone, Vuillelmum Crassum, quem ei tam pœna, quàm facinus coæquabat, adsciuit, & quasi non sufficeret ei, quòd charissimus in Christo filius noster F. Siciliæ Rex illustrissimus suo fuerat patrimonio spoliatus, nisi eum faceret etiam matris possessione priuari, sicut nobis ex transcripto literarum, quas Philippus mittebat, innotuit, Siciliam est ingressus, & non regni, sed Regis etiam, oblitus beneficiorum patria, qui eum erexit de puluere, & de stercore suscitauit, excidium meditatur, quasi suis dicens fautoribus: Hic est hæres, venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem ipsius: si nobis non creditis, operibus credite. In ipso namque ingressu suo quibusdam Sarracenis confœderatus, eorum sibi contra Regem, & Christianos conuocauit auxilium, & vt eorum animos ad stragem nostrorum amplius excitaret, & sitim augeret eorum, iam ipsorum fauces Christiano sanguine cruentauit, & mulieres Christianas captas per violentiam eorum exposuit voluntati, &c.] Inflammare nititur Siculos, vt aduersùs tyrannum in arma prosiliant, qui Sarracenos in perniciem Christianorum armauerat: indulgentias arma sumpturis pollicetur, quas Hierosolymas profecturi adipiscerentur, cùm vtrobique causa par versaretur: nec enim commodè parari in Terram sanctam expeditio posset, si Sicilia Sarracenorum dominatione premeretur. extat eodem exemplo ad Capuanos hoc anno data Innocentij epistola a, in qua ad retundendos hostes, ac tuendos Christi fideles vices suas C. . . tit. S. Laurentij in Lucina presbytero Cardinali viro nobili, prouido, & honesto commisisse ait, vtque eas melius implere possit, Neapolitanum, & Tarentinum archiepiscopos, atque Iacobum Marescalcum suū, atque Odonem de Palumbaria, nobiles, prudentesque viros consanguinitate sibi coniunctos, super executione balij, vt ipse loquitur, adiungendos existimasse, eidem Cardinali legationis onus per totum Siciliæ regnum iniunxisse: postremò imperat, vt quicquid, vel omnes simul, vel singuli ipsorum cum legato coniunctis studijs ad publicæ rei administrationem, ac sedis Apostolicæ, regiæque celsitudinis dignitatem tuendam, augendamque decernerent, reciperetur ab omnibus, ac seruaretur. Eadem prorsus Pontifex ad Siculos episcopos, pluresque populos, qui post recensitam epistolā enumerantur. Dum ita insolescerent in Apulia Sarraceni, atque habenas furori laxarent, nonnulli perditissimi Christiani, in quibus flagitia præterita fidem extinxerant, Sarracenorū ritus amplexi religionem eiurarunt, aduersum quos, atque alios nihilo istis meliores, qui ad hæreticorum partes desciscebant, Innocentius insurrexit, prouinciamque Syracusano episcopo imposuit b, vt ecclesiasticas in eos pœnas distringeret, principumque imploraret opem, ne cuiquam, vt ait, impunè a fide catholica resilire liceret: ne verò Sarraceni alij, qui in Sicilia versabantur, ceteris sese coniungerent, quos Marcualdus (vt antea vidimus) impio fœdere cōtra Regem & Christianos sibi adsciuerat, prudentissimus Pontifex eodem tempore Sarracenos in Sicilia constitutos monuit, c ne contra legitimum Regem tyranno adhærerent.

Censuræ in Marc.

Marc. Sarracenos sibi coniūgit.

a Innd. 2 ep. 237.

b Inn. l. 2. ep. 507.

c Inn. l. 2. ep. 215.

15 Porro qui tanta eum ſedulitate, ac prouidentia pro Siculo Rege ab hoſtibus vndique impetito laborabat Innocentius, operam dedit, ne quid ab eius familiaribus occupari, diſtrahique pateretur. Quare cum accepiſſet ſupradictos antiſtites, qui Siculo regno præerant, plura quæ ad Regem pertinerent, diuerſis beneficij loco aſſignata diuulſiſſe, præcepit a, vt quæ minus vtiliter diſtraxerant, reuocare, & conuellere ſtuderent: vetuitque, ne quid præterea hac ratione diſſiparent, atq; alienarent; ac demum regni, Regiſque cuſtodiam grauiſſimè commendauit. Neque ille ingratus erga Innocentiū viſus eſt extitiſſe, qui Faliſcos hortatus eſt, b vt in fide Pontificis perſtarent, acceptaque ab eo beneficia colere ſe religioſiſſimè ſignificauit. *Cum chariſſimi in Chriſto patris noſtri D. Innocentij ſummi Pontificis, & Eccleſiæ Romanæ circa nos, & regnum noſtrum, non modica beneficia iugiter ſentiamus, in quibus poſſumus, grata ſibi volumus filialis deuotionis viciſſitudine reſpondere, & tam regaliter, quàm humiliter eius implere beneplacitum voluntatis. Gaudemus autem, quòd, ſicut accepimus, ad fidelitatem matris veſtræ, & ipſius ſummi Pontificis humili curaſtis deuotione redire, & in ea fideliter, & firmiter permanetis. Ne autem de iuramento, quòd nobis præſtitiſſe dicimini, in poſterum dubitetis, præſentes vobis duximus literas deſtinandas, quibus & affectum noſtrum exprimimus, dum id gratum ſcribimus nos habere, & tanquam Eccleſiæ filij vos ad fidelitatem eius regaliter exhortamur, monentes vt ſic in ea perſiſtere procuretis, vt non ex temeraria leuitate, ſed ex deliberatione diſcreta potiùs ad id videamini proceſſiſſe.* Vtinam ille in hac mente, atque optima de Romano Pontifice exiſtimatione ſemper perſtitiſſet.

a Ib. ep. 179.

b Ep. 176.

Faliſcis relaxat iuſiurandū Frideric.

16 Antequam e Siculis rebus aliò ſermonem conuertamus, quid ſumma prudentia, altiſſimoque conſilio præditus Pontifex, Romanæ iuribus Eccleſiæ regnique, vt exitus comprobauit, vtilitati proſpiciens, ac cum Gualterio Brenenſi comite inter hæc egerit, intueamur. Acceſſerat comes ad Innocentium, vt iura, quæ vxoris nomine in comitatum Licij, & principatum Tarentinum obtinebat, repeteret: duxerat quippe maiorem natu filiam Tancredi Siciliæ Regis, ac Guillelmi, cui Henricus Imp. erepto regno, eam ditionem ex initi fœderis legibus contulerat, ſororem. Aeſtuauit initio Pontifex conſilio ancipiti, quid tandem ſibi agendum eſſet, cùm graue Siciliæ periculum imminere videretur, ne eam Gualterius occuparet, hinc ſuaderet iuſtitia, vt petita admitteret, quæ ſi reſpueret, non leuius diſcrimen impendebat, cùm plures Galliarum proceres Gualterio affinitate coniuncti, eius cauſæ æquitatem armis perſequi paratiſſimi eſſent, ac tandem re diligentiſſimè librata, Innocentius in eam partem flexit, vt Gualterium Friderico conciliaret, conceſſiſque ijs, quæ peteret, ſacramento illum ſolemni aſtringeret, ſe Regi puero, atque Eccleſiæ fidem ſeruaturum; quo facto, & ſuas partes confirmauit, ducemque fortiſſimum hoſti oppoſuit, quæ ex literis c Innocentij ad eos, quibus Siciliæ, & Friderici cura erat demandata, exaratis, ne factum in inuidiam vocarent, accipiamus.

Gualterio comiti vxoris iura repetenti annuit Innoc.

c Extant in actis.

Comiti &c.

17 Procurauimus igitur, & obtinuimus apud ipſum ſtudio diligenti, multa conſilij deliberatione præhabita, quod exhibuit nobis ſupra crucem, & reliquias iuratoriam cautionem, quòd nec per ſe, nec per alium machinabitur quicquam contra perſonam Regis, honorem ipſius, & regnum Siciliæ, ſed cum aſſequetur principatum, & comitatum prædictos, vel iuſtum eſcambium, ad mandatum noſtrum præſtabit eidem Regi fidelitatem, & homagium exhibebit, & nobis tam Regis tutelam, quàm regni balium aſſecurabit proprio iuramento, & quòd bona fide pro poſſe ſuo ad defenſionem Regis, & regni ſtudebit contra hoſtes ipſius, nominatim contra Marcualdum, Diupuldum, Oddonem de Lauiano, & fautores ipſorum. Similiter autem S. vxor, & filia quondam Regis Tancredi, vxor ipſius comitis iurauerunt, quod id quantum in eis eſt, fideliter obſeruabunt, & procurabunt apud eundem comitem, vt inuiolabiliter obſeruetur. Quod ſi forſan contra præſtitutum iuramentum idem comes, vel vxor ipſius per ſe, vel alium, quacunque tentarent occaſione venire, præter reatum periurij, excommunicationis in perſonas, & interdicti ſententiam in terram incurrerent, & ab omni iure, ſi quod eis non ſolùm in prædictis terris, ſed in regno etiam competeret, cadent omninò. Super quibus omnibus fideliter obſeruandis fideiuſſores idoneos idem comes nobis, quos poterit exhibebit, &c.] Cōmendat ipſis virtutem comitis, hortaturque eius opera ad hoſtem retundendum vtantur, & cauſæ eius faueant æquitati.

Iureiurādo aſtrictus Gualt amicum Regi futurum.

18 Nec ſagaci coniectura a rei veritate aberrabat Innocentius; cùm enim Marcualdus poſt obſeſſum Auellinum, Vallatam Apuliæ oppidum direptioni traditum, Iſerniam expilatam, obtentum Salernum, comparataque claſſe, vt ante diximus, in Siciliam traiecıſſet, ac receptus Panormo inito fœdere cum comite Gentili de Balear, quem Gualterius regni Siciliæ cancellarius Regi cuſtodiendo præfecerat, Fridericum, vrbemque in ſuam poteſtatem redegiſſet, Gualterius e Gallijs, quò ſe contulerat, vt vires cogeret, ſequenti anno reuerſus, vnà cum Iacobo Andriæ poſtea comite, ac legato pontificio contra Marcualdum ſequenti anno operam Regi puero ſumma fide atque animo explicuit. Quid verò geſſerit acceptis pontificijs literis Gualterius alter, Troianus videlicet epiſcopus, Siciliæ regni cancellarius, maxima audacia vir præditus, ac rerum nouarum cupidus, quem ad turbandam rempublicam inuidia, ac ambitio ſtimulabant, operæpretium eſt ex actis cognoſcere: *Cùm autem Gualterius Troianus epiſcopus regni Siciliæ cancellarius apud Meſſanam has literas recepiſſet, commotus vehementer, & conuocato populo intentionem ſummi Pontificis in impetu ſpiritus, modis quibus potuit, ſtuduit deprauare, magis ſibi timens, quàm Regi, quia ipſe eum omnibus ſuis ſemper oppoſuit ſe Regi Tancredo; verebatur, ne præfatus comes, qui filiam eius duxerat in vxorem, ſi potens efficeretur in regno, in eum, & ſuos acriter vindicaret.* Denique de Gualterio comite hæc ſubduntur: *Memoratus verò comes, vxore, ac ſocru dimiſſis, in Franciam eſt reuerſus, vt exercitu congregato veniret ad obtinendam terram præſcriptam, & ad hoſtes regios expugnandos.* Illum verò, atque eius comitatum Licij in a ſedis Apoſtolicæ clientelam acceptum a literæ Apoſtolicæ confirmant. Quæ verò ille in Italiam reuerſus contra hoſtes præclara facinora ad miraculum explicuerit, ſiue potiùs, quæ eius beneficio conceſſerit, ac præſtiterit diuinum numen, proximo anno afferemus.

Ricch. de S. Germ.

Cancellarius inuidiam comiti Pontificique conflat.

a Inn. l. 2. ep. 174.

19 At Innocentius, qui tanta cura, ac ſtudio regni Siciliæ tuendo, conſeruandoque incumbebat, neutiquam Eccleſiæ iura defendere, dignitatemque eius amplificare neglexit: hoc enim anno pro confirmanda in Romanæ Eccleſiæ ditione Marchia laborans, ad conſules, populumque Eſinum ſcripſit. b Præterea Piſano archiepiſcopo, & clero mandat c, vt ciues ad pacem, quam reliquæ Tuſciæ ciuitates ſeruabant, demiſſo animo amplectendam, cuſtodiendamque cohortentur. N. Leodienſi iniungit d abbati, vt vnà cum Mediolanenſi archiepiſcopo, & alijs, quos enumerat, epiſcopis, Placentinos, atque Parmenſes ad concordiam adducere ſtudeat. Viterbienſes initam cum Romanis pacem ſeruare iubet, e Aretinis conſulibus, populoque vetat f, ne

Studet Innoc. Marchiā in Eccleſię fide cōfirmare

b Inn. l. 2. ep. 4.

c Id. lib. 1 ep. 551.

Pluribus Italiæ populis Inn. conſulit.

d Id. lib. 2 ep. 39.

e Ib. ep. 199.

f Id. l. 2. ep. 166.

ne castrum montis S. Mariæ, ipsius Pontificis iussu ob illatam Ostiensi Episcopo iniuriam funditus dirutum reficiant, neue ab alijs instaurari permittant. Cùmque atrocia facinora, vt fama erat, a Beneuentano archiepiscopo commissa ad se perlata fuissent, archiepiscopo Neapolitano, & C. S. Laurentij in Lucina presbytero Cardinali Apostolicæ sedis legato demandauit, a vt in eum quàm diligentissimè inquirerent. Insuper electionem Pennensis episcopi, qui confirmationis beneficium nondum ab Apostolica sede assequutus, episcopale munus obire fuerat ausus, irritam fecit, conuulsitq; b, Taruisinum prætorem, populumque, quorum ciuitas interdicto supposita fuerat, acriter reprehendit, c quòd cùm olim Feltrum sacris ædibus igne consumptis penitùs deleuissent, & cũ Feltrensem, Belunensem, & Cœnetensem diœceses vastassent, exinde Belunensem episcopum crudeliter enecassent, Opitergij castrum, & alia loca occupassent, nuper etiam cum Vicentinis, & Veronensibus conspiratione facta in diœcesim Cœnetinam, spreto, violatoque iureiurando, ingenti exercitu comparato irruissent, ipsaque Cœnetensi vrbe, ac tam principe ecclesia, quàm alijs concrematis, & sacrilegis manibus euersis altaribus, sacras reliquias auexissent. Hæc, aliaque flagitia Taruisinis exprobrat Innocentius, ac grauissimas minas facit, ni resipiscant, & mulcta, illataque damna resarcire contendant. Permolestum sanè sub ipso scribendi initio in hæc patriæ flagitia incurrisse, sed veritatis studium, quam præ alijs omnibus nobis ob oculos semper propositam consectamur, non patitur ea silentio præteriri. De his Innocentius Aquileiensi patriarchæ, d & Ferrariensi episcopo scriptis literis, quæ extant, partes imposuit, vt cathedralem Cœnetensem ecclesiam a Taruisinis flammis deletam, in loco tutiore excitari iuberet. Quemadmodum verò æquitatis amantissimus Pontifex in contumaces, ac peruicaces magnis spiritibus insurrexit, ita resipiscentes alacri animo sinuque excepit, eorumque scelera clementissimè venia deleuit. Quapropter cùm Veiorum ciuitas, quæ nunc Castellana appellata (quod ad Romanæ Ecclesiæ patrimonium pertineret e) obtectorem inuito Pontifice sibi præfectum interdicto subiecta fuisset, eiusque ad saniorem mentem reuersi, huiusmodi electionem, vt in mandatis acceperant, publicè reuocassent, ecclesiasticas censuras laxare episcopum, ac amouere iussit. Cæterùm quòd ad vrbanas res attinet, hoc anno idem Pontifex suam erga canonicos basilicæ S. Petri beneuolentiam, dato diplomate patefecit, f cuius hic ego partem adscripsi: *Ea propter dilecti in Domino filij tam redditum, quem de signis plumbeis siue stanneis Apostolorum Petri, & Pauli imaginem præferentibus, quibus eorum limina visitantes in argumentum propriæ deuotionis, & testimonium itineris consummati seipsos insigniunt, prædecessores nostri, & nos ipsi percipere consueuimus, quam auctoritatem fundendi ea, vel quibus volueritis fusoribus concedendi, quæ vobis tantum de ipsis respondeant, vobis, & per vos canonicæ vestræ præsentium auctoritate concedimus.* Effudit plures in alios prærogatiuas confirmatas literis Apostolicis, quæ cùm typis excusæ sint, atque eas quisque consulere possit, ad grauiora mole, dignitateque augustiora nos rapit oratio.

a Id. ep. 318. [margin: c. Ioan. ... S. Laurentij ... ad]

b Id. lib. ep. 277.

c Ep. 27.

In Taruisinos animaduersio.

d Inn. l. 2 ep. 8.

Castellanos censuris soluit Inn.

e Id. ib. ep. 31.

S. Petri canonicis ius signorum cõfundandi tribuit.

f Id lib. 2. ep. 133.

20 Si aliquorum paulò supra recensitis sceleribus Italia fœdabatur, duorum sanctitatis clarissimorum luminum Homoboni, & Parentij splendore fulgurabat, maximisque eorum opera editis miraculis illustrabatur, quorum primum Innocentius a Cremonensibus rogatus, instituto de eius sanctitate, & miraculis sacro examine, quæ duo Pontifex necessaria asseruit, vt quis in militante Ecclesia sanctos annumeretur, solemni ritu cælestium cathalogo adiecit, ac diploma Apostolicum ad Cremonensem clerum, populumque edidit; a in quo post collocatam in luce ipsius pietatem, tantum orationis studium, vt callosa genua ob crebras genuflexiones haberet, atque opus quodlibet (vt ait) faciendo, stando, sedendo, iacendo, ad orationem labia continuò mouere videretur. subdit pium eius mortis genus, qui enim dum viueret, continuis fundendis precibus incumbere consueuerat, inter medias preces sanctissimam animam efflauit.

a Inn. l. 1. ep. 527.

Innocentius, &c.

Deducto vitæ sanctæ curriculo, cùm * matutinale officium in festiuitate S. Bricij surrexisset, circa missæ primordia idem se ante crucem dominicam more solito in oratione prosternens, dum cantaretur hymnus angelicus, beato fine quieuit. Quæ verò, quot, & quanta miracula fuerint subsecuta, & quot aduenientibus ad sepulchrum eius sanitatis beneficia sint impensa, cùm longum sit enumerare per singula, vnum inter cætera ad assertionem catholicæ fidei duximus expressiùs annotandum. Cùm enim quædam dæmoniaca mulier ad sepulchrum eius deducta fuisset, ne aliqua fraus lateret, eadem primò fuit aqua non benedicta respersa, quæ se patienter aspergi permittens, aquam secundò respuit benedictam; & vt res euidentiori experimento pateret, oblatam non consecratam absque aliqua præscientia sibi recipiens, præsentatam eucharistiam consecratam subsequenter abhorruit, nec recepit, quæ & meritis eiusdem sancti liberata recessit. Vt autem virtus morum, prout est superiùs prælibatum (licet omnis dubitatio amoueri ex subsecutione signorum, per diuinum iudicium videretur) fide apud nos claresceret pleniori, ne miraculorum etiam virtus aliqua fraude posset vel figmento inuari, veritatem rei sollicitiùs duximus inquirendam. Fidem namque quam super conuersatione ipsius absque figmento hypocrisis fraudulento diuinum iudicium (vt dictum est) manifestè ostendere videbatur, per testimonium dilecti filij Osberti presbyteri S. Aegidij, Cremonensis præsentis cum episcopo memorato, recepto ab eo firmaximus iuramento, sub cuius obtestatione, videlicet iuramenti, ipse qui patrinus eius existens, per 20. annos, & amplius confessionem eius sæpè receperat, quæ de illius sancti conuersatione præmisimus, cum ipso episcopo, & alijs supradictis iuratis simulter asseruit esse vera, & de obedientia, quam in orationibus, vigilijs, & alijs pœnitentiæ fructibus, in qua sibi ab eo imposita erat, plus iniuncto satisfaciens exhibebat, nos reddidit certiores.

S. Homoboni mors & miracula.

21 Ea etiam quæ de miraculis ipsis fuerant nobis exposita, per iuramentum omnium prædictorum, qui propter hoc venerant, fide suscipimus, pleniori assertione ipsius episcopi sub firmo verbo sacerdotis requisito, in virtute obedientiæ concurrente, vt sic diuinum, & humanum secuti iudicium, cum maiori procedere securitate non possemus. Cùm igitur hæc omnia tam de probitate morum, quàm virtute signorum, ad fauorem petitionis, pro qua episcopus memoratus, & alij supradicti ex parte vestra vehementer instabant, concurrere videremus, de fratrum nostrorum consilio, post multam deliberationem habitam cum eisdem archiepiscopis, & episcopis, quos super hoc ad consilium nostrum admisimus, de diuina misericordia, & eiusdem sancti meritis confidentes, ipsum sanctorum cathalogo duximus ascribendum, statuentes vt in die depositionis ipsius, eiusdem festiuitas deuotè a vobis, & alijs Christi fidelibus annis singulis de cætero celebretur. Inde est quòd vniuersitatem vestram rogamus in Domino, & monemus, per Apostolica scripta præcipiendo mandantes, quatenus eiusdem sancti memoriam

Miraculorũ testes sacramento obstricti.

(prout dictum est) cum celebritate debita venerantes, eius apud Deum suffragia humiliter imploretis, per cuius merita ad gaudia æterna pertingere valeatis.] *Datum Lateran. II. idus ianuarij*. Hactenus Innocentius. Recitatur etiam huiusmodi diploma in Bullario a nuper edito, corrigendus tamen est collector, qui datum ponit vigesimo secundo superioris anni die, quem adnotauit: vbi enim in regesto II. idus ianuarij habetur, legit ipse vndecimo Kalendas ianuarij, deceptus vel quòd ita legatur in exscripto a Surio exemplo, vel quòd datum dicatur Pontificatus anno primo. Innocentij Pontificatus annos ab VIII. Kal. martij, quo die consecratus fuit, numerari cœpisse nulli dubium est, sicque II. idus ianuarij anni Domini 1199. in primũ Innocentij incidit. Cæterùm S. Homoboni festum XIII. nouembris celebratur, quo feliciter ad Deum migrauit, vt in eius b actis scriptis a canonicis ecclesiæ Cremonensis habetur. Atque hæc de indultis hoc anno ab Innocentio Tertio impertitis dixisse suffecerit.

a *Laert. Cherub. t. I. p. 35.*

b *Apud Surium 13. nouëb.*

22 Verùm illustrissimo confessori fortissimum Christi martyrem adiungamus, qui eodem anno pro fide catholica Vrbeueteri mortem oppetijt. Fuit is Petrus Parentius, cuius res gestæ ab eius temporis auctore conscriptæ in tabulario illius ecclesiæ asseruantur, e quibus decerptum, delibatumque exemplum in Vallicellana bibliotheca nostra extat. Rem verò, vti gesta fuerit, adducemus, cùm præsertim hæc nondum, quod sciam, in lucem emanarint. Manichæorum impura hæresis adeo Vrbeuetere inualuerat, ciuesque corruperat, vt illius nefarij sectatores non solùm insultarent catholicis, verùm etiam apertè in eos minas iactare, irasque effundere auderent. Quare orthodoxi ad Apostolicam sedem firmissimam contra hæreticorum vesanos impetus arcem, ac præsidium cõfugere, atque ab Innocentio missis in Vrbem nuntijs supplices postulant, vt periclitanti, & ruenti ciuitati magistratum præficeret, cuius opera hæretica nequitia præfocaretur, ac radicitùs euelleretur. quem autem, quantumque virum hoc ipso anno acceperint, quidue ipse præstiterit, sic tradit auctor: *A populo itaque Romano transmissi nuntij Vrbeuetanorum, accepere Petrum Parentij exultanti animo in dominum, & rectorem, quem & summus Pontifex approbauit, iniungens eidem in remissionem peccatorum suorum ciuitatem Vrbeuetanam a fermento hæresis expurgare, denuntiando eidem, quòd si propter hoc mortis sustineret periculum, cælestis regni acquireret præmia sempiterna. Hic autem erat ætate iuuenis, sensus canitie senex, sermone facundus, proposito constans, ingenio perspicax, memoria tenax, rerum communium diligentissimus custos, in tenenda vniuscuiusque iustitia firmus, in fide catholica defendenda firmissimus, largissimus in eleemosynis exhibendis, ita quod, quando contingebat ipsum per ciuitatem Romanam cum aliquo equitare, si rectores poterat hospitalium inuenire, inquisito pauperum numero diligenter ad eorum emenda cibaria occultè pecuniam exhibebat, & postmodum hora comestionis solus reuertens, pauperibus quasi famulus Domini seruiebat. Hic etiam decimas exsoluebat, præter Romanorum, Tuscorum, & aliorum consuetudinem improbandam. Vocato itaque Petro Parentij ab Vrbeuetanis in dominum, & rectorem, anno Domini 1199. mense februarij receptus est ab Vrbeuetanis magnus, & immensus* cum aliuarum, & lauri ramis, cum gaudio, & honore.* planè pacificæ oliuæ filio pacis, triumphalesque lauri triumphum de hæreticorum perfidia acturo debebantur.

Petrus Parentius Vrbeueteri præficitur.

Parentij virtus, inque pauperes amor.

* *magnis & immensis bus.*

Et quia venerat pacem subditis ministrare, ipsius effectum à pace sumpsit initium commendandum: prohibuit enim Vrbeuetanos in carnisprituo a bellorum conflictibus abstinere, quia eo tempore sub ludi occasione multa consueuerunt homicidia perpetrare. Prosequitur auctor, vt zelo in hæreticos, a quibus demum trucidatus, laureaque martyrij decoratus est, incensus in eos pœnas seuerissimè distrinxerit, ad fœdissimam pestem excindendam. Manetis enim insania totius extincta, in ea vrbe reuixerat, pluresque infecerat.

Tumultuantes cõprimit Parentius

23 *Vt autem melius posset hæreticos de agro Ecclesiæ falce iustitiæ resecare, cum episcopo Ricchardo frequenter habebat consilium in maiori ecclesia, circa eum locum adhærendo,* a *sepulchrum, in quo eius corpus modò permanet tumulatum. Postmodum autem plurimorum habito consilio sapientum, in publica statuit concione, vt si quis infra diem statutum, ad Ecclesiam, quæ gremium suum non claudit redeuntibus, remearet, & episcopi obediret mandatis, veniam, & gratiam mereretur: qui autem redire ante præfixum diem contemneret, pœnam exciperet legibus, & canonibus constitutam.* Distrinxit sanè eo tempore Innocentius seuerissimas leges in hæreticos, quæ in litteris a ad Viterbienses datis continentur. Subdunt gesta; quo zelo episcopus hæreticos Parentio detulerit; ille verò eos mox varijs pœnis affecerit: *Episcopus verò exardescens contra Manichæorum perfidiam, vehementer testimonia hæreticorum ab hæresi ad catholicam redeuntium vnitatem recepit sollicitudine pastorali, & Petro Parentij præsentauit: hic alios alligauit ferreis nexibus compeditos, alios censuit publicè verberibus flagellandos, alios extra ciuitatem coëgit miserabiliter exulare, alios pœna mulctauit pecuniæ, quæ amissa veris lacrymis ab auaris possessoribus deploratur; ab alijs accepit pignora copiosè, domos etiam fecit dirui plurimorum. Rector itaque nostræ ciuitatis via regia incedendo, nec ad sinistram, nec ad dextram declinabat.* hæc zelo catholicæ fidei æstuans nouus Phinees, hoc ipso anno quadragesimali tempore peregit.

Hæresim excindere aggreditur.

a *ubi.*

a *Lib. 2. ep. 1.*

24 Dum ita ad conuellendam, obruendamque hæresim impetus suos diuinæ asserendæ gloriæ zelo inflammatus conuerteret, subijt animum visendæ patriæ cupiditas, vt resurrectionis Dominicæ festum cum suis celebraret; cùmque Innocentio Tertio suum deferre obsequium in votis gereret, eidem ab ecclesia D. Petri ad Lateranensem eunti prope D. Danielis Basilicam occurrit, cui Summus Pontifex sereno, atque exporrecto vultu: *Volumus, Petre, vt nobis exhibeas fidelitatis iuramentum, ex quo nostræ ciuitatis regimen suscepisti.* At Parentius mox ad pontificia exequenda imperia paratissimum se exhibuit, significauitque ita se exagitasse hæreticos, vt sibi mors ab ijs pertimescenda videretur, cui tum Innocentius, si is casus contingeret, Apostolica auctoritate omnium criminum veniam impertijt: quam vocem Parentius veluti suæ mortis præscius gratissimo animo prouolutus in genua excepit, ac domum profectus concepto incredibili subeundi martyrij ardore testamentum condidit: qua re cognita, vxor, materque repentino luctu obrutæ, in gemitus, suspiriaque sese effuderunt; mox ille diuino actus spiritu, fundendi pro Christo sanguinis cupiditate incensus, Vrbemueterem se contulit, atque a catholicis magnificentissima pompa exceptus est: contra hæretici vrgere nefaria meditari consilia, insidiasque eius vitæ moliri cœperunt; eo enim viuo stare hæresis non poterat, omnesque eius radices, ac fibræ excindendæ penitùs, atque euellendæ erant.

Parentius suã mortẽ præsagit.

25 Corrupere hæretici promissa ingenti vi auri seruum nequissimum, Radulphum nomine, alteri Iudæ perfidia simillimum, qui intempesta nocte dominum crudelissimis ipsorum manibus prodidit, mox illi furijs perciti Martyrem circumdedere, vtque pignora ab hæreticis accepta redderet, atque hæreticas partes se defensurum sacramento polliceretur, incusso crudelissimæ mortis terrore adigere reluctantem sunt conati, quibus ille pignora quidem restituturum spopondit, nullo verò metu de catholicæ

in fidei constantia deiectum iri respondit. Cùmque ipsum frustra concutere hæretici niterentur, alij in-iras efferati ictibus caput contundere, alij gladijs la-tera perfodere, quam sibi inflictam mortem gene-roso animo pertulit, seque diuinæ victimæ instar, nu-mini obtulit. Expleto furore hæretici exanime cor-pus in proximum puteum deijcere, lapidibusque obruere meditati sunt, sed diuina prouidentia nullo conatu sacras exuuias loco dimoueri passa est, atque ad illustrandam Martyris gloriam ingens aliud mi-raculum explicuit, vt nux arbor arida, cui Marty-ris augustæ reliquiæ incubuerant, eo anno bis fru-ctum afferret.

Eius martyrium.

Diuina in cædis auctores vltio.

26 Mox diuina vltio in omnes eius mortis con-scios sese effudit, vt breuissimo tempore tristissimo mortis genere consumerentur, sed maximè in Ra-dulphum proditorem desæuijt, cuius nefandũ cada-uer cum sepulchro mandatum fuisset, adeo intu-muit, vt terræ graue admodum esset, effusisque vi-sceribus ita inficeret aërem, vt crudelissimo pestis genere correpti incolæ passim letho absumerentur, quo illi animaduerso, funestum cadauer inde effodi, atque aliò procul abijci iussere, quo facto truculen-ta illa pestis grassari desijt. Sed a lugubribus scele-storum supplicijs ad Martyris præmia, ac gloriosissi-mos triumphos oculos conuertamus. Inuentum a catholicis iactum ipsius corpus ingenti pompa fu-nebri elatum est, ac post multos dies non grauem-modò vllum odorẽ afflauit, sed corruptionis expers, atque ita tractantibus molle, ac si viueret, repertum, quamuis tunc maxima æstas arderet, ac leui panno serico tegeretur; quod verò maiorem longè admi-rationem concitare potest, recipiendæ pristinæ mor-talis vitæ a numine data optio est, cuius miraculi æditnus vir pius testis extitit, qui vocem hanc cæ-litùs missam: *Vis resurgere Petre*, insudijt, atque aliam respondentem, nolle se prætentæ vitæ pericu-la adire. Sed ne hæc leuia ac commentitia puten-tur, quæ vnius vel paucorum testimonio fulciantur, edidit Deus, ad Martyris sui in luce collocandam gloriam plura prodigia, vt cùm præsentibus inter-dum tribus vel quatuor hominum millibus, qui ex varijs locis confluxerant, in gentilitio Martyris scu-to in ecclesia appenso diuinitus noua fulgere lumi-na visebantur; interdum extinctæ faces subitò spe-ctante maxima populi multitudine accendebantur, plures ægri e morbis, quorum pertinacia omnia re-mediorum genera eluserat, pristinæ valetudini resti-tuebantur; alij verò qui Martyris collectam apud Deum gratiam irriserant, iustis ac repentinis pœnis afficiebantur.

Data resurgendi optio martyri.

27 Hisce atque alijs prodigijs, ad quæ spectan-da maxima vndique populi multitudo concurrebat, oppressa est extinctaque Vrbeueteri hæresis, quæ trucidato Martyre maiori furore grassatura putaba-tur: nec non ad eam euertendam Innocentius acer-bissimas leges fulminauit, quæ in literis ad Viter-bienses datis a, in quorum vrbem sese ea pestis insi-nuarat, continentur.

Inn. insectatur hæreticos.

a Lib. 2. ep. 1.

Nec in finitimos modò, sed in remotissimos quosque hæreticos Apostolica solicitudine pugnan-dum Innocentio fuit, maximèque aduersus Meten-ses quosdam, qui vt prauarum opinionum virus im-peritæ plebeculæ sub scientiæ fuco infunderent, sa-cra Biblia in linguam vernaculam traduxerant; vnde mox scientiæ opinione inflati quique e fæce populi, atque in audaciam elati, sacerdotes contem-nere, detrectare eorum imperia, clandestinos cœtus celebrare, prædicandi verbi diuini munus sibi arro-gare cœperant; aduersùs quod malum, salubre ad-hibiturus remedium Innocentius, legatos ad Meten-ses misit, qui versionis nouæ auctorem, atque eius consilium inquirerent, tum literas Apostolicas ad ciues dedit, a quibus commendato sacrarum litera-rum studio monuit, ne se impostorum nequitia in-fraudem induci paterentur, qui in aureo poculo in-stillare errores solerent, tum eorum laicorum arro-gantiam damnauit, qui ab Ecclesiæ præsulibus non missi promulgandi verbi diuini prouinciam inuade-rent; non esse cuiusque in id officium ac munus se ingerere, qui si diuinitùs missos se esse iactarent, vel sacris oraculis, quæ in ipsos congruerent, D. Ioannis exemplo vel editis miraculis comprobarent, alio-quin in numero impostorum habendos, qui temerè ad circumueniendos simplices, suisque imbuendos erroribus se diuino agi spiritu effutire consueue-runt.

a Lib. 2. ep. 32.

28 Disseminandæ hæreseos occasionem arripue-rat zizaniorum auctor cum graui dissensione Impe-rium Germanicum, ad quod tunc Metæ spectabant, arderet. Eruperat enim anno præterito ciuile bel-lum, cuius in dies incendium magis magisque gras-sabatur, motusque crebris populorum gemitibus Innocentius malo afferre remedium decreuit, atque Conrado Maguntiæ archiepiscopo & Sabinensi episc. Cardinali, qui magna apud Germanos auctoritate florebat, ac nondum ex Oriente, quò ad Leonem Armeniæ Regem corona ornandum se contulerat, erat reuersus, scripsit, vt qua fide & constantia olim Ecclesiæ fluctuanti adhæserat, nunc illi adesset, atque in causa exortæ Philippum inter Othonemque di-scordiæ sedis Apostolicæ sententiæ se accõmodaret, ac sibi obnoxios populos ad eum Imperatorem salu-tandum obstringeret, quem Romanus Pontifex iure electum agnouisset.

Germanicas turbas pacare nititur.

Archiepiscopo Maguntino, episcopo Sabinensi.

Solidata in deuotione b sedis Apostolicæ fides tua, & in obsequio eius probata tempore iuuentu-tis, non deficiet, immo proficiet fortiùs in ætate ma-tura, nec frigescet etiam frigescente corpore, sed de die in diem amplius incalescet. Qui enim, cùm Petri quondam nauicula iactaretur fluctibus, & venti & mare insurgerent contra eam, ita vt nunc de scopu-losis fluctibus pendere videretur in præceps, nunc inter intumescentes vndas, imas formidaret arenas, cùm Reges terræ ac principes astitissent in vnum ad-uersùs eam, & Christum eius, illi fideliter, & insepara-biliter adhæsisti, pro ea in mortem & in carcerem ire paratus, nec minas Principis, nec latentes insi-dias, nec proprium exilium expauescens; iam nunc cùm cadentibus fluctibus, & vento spirante propi-tio æquora noscitur sulcare pacata; & Petrus veteri timore deposito, super vndas maris incedat, quis te poterit a charitate sedis Apostolicæ separare? Sanè nec persecutio, nec gladius, nec fames, nec aliud te ab Ecclesiæ deuotione diuellet, in qua post summum Pontificem locum nosceris præcipuum obtinere: fortis est enim vt mors dilectio, & dura sicut infernus est æmulatio, nec aquæ multæ possunt extinguere charitatem.

b Cod. Vatic. de neg. imp. ep. 1.

29 Vnde cùm inter cæteros fratres nostros apud nos primus existas, licet a nobis, etsi non mente, corpore tamen multo sis spatio separatus; in arduis tamen negotijs, quæ nobis incumbunt, tuo vti vo-lumus consilio, & fauore. Noueris igitur, immo iam nosti, quòd post Henrici quondam Imperatoris de-cessum vota se principum diuiserunt, ita quod qui-dam eorum Othonem H. quondam ducis Saxoniæ filium, quidam verò Philippum quondam fratrem dicti Henrici Imperatoris nominarunt in Regem: venerabilis autem frater noster Coloniẽsis archiepi-scopus, & alij, qui in nominatione prædicti Othonis fauorem præstiterant & assensum, congregato exer-citu obsederunt pariter Aquisgranum, & eo capto, prædicto Othoni in sede posito Augustali dictus ar-chiepiscopus regni coronam imposuit, sicut ad ipsum

de

de iure dicitur pertinere, qui in die electionis suæ apud Coloniam de conseruando iure Romanæ Ecclesiæ, & aliarum etiam ecclesiarum per se ipsum præstitit iuramentum, & postmodum etiam se astrinxit iuratoria cautione, quòd ecclesijs & principibus, quæ dicti Imperatores iniustè abstulerant, restitueret vniuersa: prauam etiam consuetudinem relaxauit, per quam ijdem Imperatores bona ecclesiasticorum principum decedentium occupabāt. Dictus verò Philippus & qui eū nominarunt Regē, venerabilem fratrem nostrum Tarantasien. episcopum vocauerunt, qui regalem imposuit eidem Philippo coronam, & licet ipsi duo, Philippus scilicet, & Otho semel, & iterum inter se inuicem dimicarint, neuter tamen plenam victoriam est adeptus.

Phil. a Tarant. arch. coronatus.

30 Nos autem, qui non ad destructionem Imperij, sicut quidam pestilentes homines mentiuntur, intendimus, sed ad conseruationem, & prouisionem ipsius potiùs aspiramus, cùm etsi quidam Imperatores persecuti fuerint ecclesiam, alij tamen multipliciter honorarunt, expectauimus hactenus, & in neutram partem voluimus declinare; licet vterque de fauore nostro, & beneuolentia glorietur, expectantes si forsan principes redirent ad cor, & Imperio super tantę dissensionis incommodo prouiderent; sed quidam eorum adhuc in sua obstinatione persistunt, & non minus, quàm nominari prædicti partem, quam fouent, iustè vel iniustè tuentur: ex quo spoliantur ecclesiæ, pauperes opprimuntur, strages corporum prouenit, & periculum animarum. Cùm igitur non expediat de cætero populo Christiano, nec nobis etiam dissimulare incommoda tantæ dissensionis futurum, tibi facti seriem duximus intimandum, vt cùm non tam Maguntin. archiepiscopatus, quàm Sabinen. episcopatus consideratione per Romanum Pontificem maximum Ecclesiæ Dei membrum existas, in tam arduo negotio fauorem tuum habeamus pariter, & assensum.

31 Quia verò necessitates terræ Orientalis, & quid ei expediat plenius cognouisti, super mora vel reditu tuo fraternitati tuæ nihil expressè mandamus, quam credimus id acturam, quod magis viderit expedire. Monemus igitur fraternitatem tuam, & exhortamur attentiùs per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus cum huic tractatui non possis personaliter interesse, arbitrium tuum nobis per literas tuas apertas committas, rarum habiturus, & firmum, quod in tanto negotio, prout Dominus nobis dignatus fuerit inspirare, ac de fratrum nostrorum consilio, & voluntate processerit, statuemus: vniuersis enim officialibus tuis canonicis, prælatis, comitibus, baronibus, & alijs tibi, & ecclesiæ Maguntin. subiectis per literas tuas districtè præcipias, vt eum cuius nominatio per sedem fuerit Apostolicam approbata, in Regem recipiant, & partem eius potenter foueant, & viriliter tueantur. Credimus enim, quòd sic dante Domino in hoc negotio procedemus, quod Deo & hominibus erit acceptum, & apud Deum meritum, & apud homines ex hoc gloriam consequemur. Tuum etiam, & tuorum profectum pariter, & honorem in ipso negotio diligenti curabimus studio promouere; nec erit de facili, qui se statutis nostris opponat, si tuus nobis suffragetur assensus, & deuotio tuorum accedat, cùm & tanta sit per Dei gratiam Apostolicæ sedis auctoritas, vt quasi certum ab omnibus habeatur, quod ille præualebit omnino, cui suum dignata fuerit fauorem præstare. *Datum Laterani 5. Nonas maij Pontificatus nostri anno secundo.*]

32 Mox apud alios Germaniæ principes grauissimè questus est, quòd tamdiu ob duorum principum electionem lacerato Imperio, ad sedem Apostolicam, cuius erat controuersiam illam dirimere, ob supremam sibi a Christo collatam auctoritatem, non confugissent: tum eos hortatus est, discordiam quanto citius extinguerent, ne si eam alerent diutius, Imperium in grauissimum periculum adducerent, alioquin se ob emergentia inde discrimina, ex officio remedium, quod suaderet æquitas, adhibiturum; atque eius partes, qui maioribus studijs principum niteretur, euecturum.

Vniuersis tam ecclesiasticis, quàm secularibus principibus Alemanniæ.

Quanta a debeat esse concordia inter regnum, & sacerdotium, in seipso Christus ostendit, qui est Rex Regum, & Dominus dominantium, Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec, qui & secundùm naturam carnis assumptæ de sacerdotali pariter, & regali stirpe descendit. Ad quod etiam designandum beatissimus Petrus ad fidem Christi conuersis dicebat: Vos estis genus electum, regale sacerdotium. & ad Christum in Apocalypsi clamatur: Fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotium. Hæc enim sunt duo cherubin, qui versis vultibus in propitiatorium super ipsum duabus alis coniunctis mutuo se describuntur respicere: hæc sunt duæ mirabiles, & speciosæ columnæ positæ iuxta ostium in vestibulo templi, quas ambit linea duodecim cubitorum: hæc sunt duo magna luminaria, quæ Deus in firmamento cæli constituit; luminare maius vt præesset diei, & luminare minus, vt nocti præesset: isti sunt duo gladij, de quibus Apostoli responderunt: Ecce gladij duo hic. Quorum omnium rationem, aliorumque multorum, quæ de sacris libris excepta concordiam expressè significant inter Ecclesiam & Imperium, exponere prætermittimus, cùm vtilius ex ipsa prouenieus expressiùs hanc exponat.

a Ib. ep. 2 Innoc. ad Germ. princ. lib.

33 Per hanc enim concordiam propagatur fides, hæresis confutatur, plantantur virtutes, vitia succiduntur, seruatur iustitia, iniquitas propulsatur, viget tranquillitas, persecutio conquiescit, cum pace populi Christiani paganorum barbaries subiugatur; cum incremento Imperij Ecclesiæ libertas accrescit; cum incolumitate corporum salus proficit animarum, & tam clero, quàm populo sua iura seruantur; & licet Romanam Ecclesiam, quasi matrem vniuersa regna respiciant, in quibus nomen colitur Christianum, Romanum tamen Imperium eam arctiùs debet ac deuotiùs amplexari, vt & ipsa per illud accipiat defensionis auxilium, & illud per ipsam in suis necessitatibus adiuuetur. Ille verò, qui paci semper inuider, & quieti, sicut Romanam tunc diuisit Ecclesiam, ita nunc Romanum diuisit Imperium, & tantam inter vos discordiam seminauit, vt duos vobis in Reges præsumpseritis nominare, quibus inter vos ipsos diuisi pertinaciter adhæretis; non attendentes quot, & quanta discrimina per hoc non solùm Romano contingant Imperio, sed vniuerso proueniant populo Christiano. Et ecce per huius dissensionis materiam Imperij libertas minuitur, iura depereunt, & dignitas decurrarur, destruuntur ecclesiæ, laeduntur pauperes, principes opprimuntur, vniuersa terra vastatur, & quod est longè deterius, strages corporum imminet, & periculum animarum, ex hoc etiam inimici fidei Christianæ non modicam audaciam contra fideles assumunt.

34 Nos igitur huiusmodi auditis, & cognitis, tacti fuimus dolore cordis intrinsecus, & nimio mœrore turbari; quia non, vt quidam pestilentes homines mentiuntur, ad Imperij destructionem, vel depressionem intendimus, sed ad conseruationem & exaltationem ipsius potiùs aspiramus, cùm etsi quidam Imperatores Ecclesiam vehementer afflixerunt, alij tamen eam multipliciter honorarunt. Expectantes autem hactenus expectauimus, si fortè vos ipsi saniori ducti consilio, tantis malis finem imponere curaretis, vide-

Arguit nō confugisse ad Apost. sedem.

videlicet ad nostrum recurreretis auxilium, vt per nos, ad quos ipsum negotium principaliter & finaliter noscitur pertinere, vestro studio mediante tanta dissensio sopiretur: verùm quia vos in hac parte negligentes & desides hactenus extitistis, nos qui iuxta verbum propheticum constituti sumus a Deo super gentes & regna, vt euellamus, & destruamus, ædificemus etiam & plantemus, officij nostri debitum exequi cupientes, vniuersitatem vestram monemus attentiùs, & exhortamur in Domino per Apostolica scripta mandantes, quatenus Dei timorem habentes præ oculis, & honorem zelantes Imperij, ne libertas eius deperear, & dignitas annulletur, ad promotionem ipsius melius intendatis, ne fouendo discordiam per vos Imperialis sublimitas destruatur, quæ per vestrum deberet studium conseruari: alioquin quia mora de cætero trahit ad se graue periculum, nos quod expedire nouerimus procurantes, ei curabimus fauorem Apostolicum impertiri, quem credemus maioribus studijs, & meritis adiuuari. *Dat. Laterani, &c. Pontificatus nostri anno secundo.*]

35 Paulo post Philippus oratores suos ad Innocentium misit, vt se ad coronam Imperij excipiendam euocaret, quibus Pontifex post longam orationem, qua regnum & sacerdotium mutuo fœdere arctissime coniungi debere exemplo Christi, qui vtramque dignitatem in se coniunxisset (vt in literis supra allatis egit) illustrauit, tum sacerdotium Imperio augustius, cùm rebus diuinis, aliud humanis præsit, atque a sacerdotibus Reges, non contra a Regibus sacerdotes consecrentur; atque ob officij maiestatem etiam in scripturis sacris Dij appellentur: nec modò officij amplitudine, verùm & temporis antiquitate sacerdotium præcellere, atque illud institutum a numine; regnum verò ex tyrannide & scelere originem in Nembroth hausisse: permissum verò in populo Dei ob illius peruicaciam, & quidem apud Hebræos aliquanto tempore regnum cum sacerdotio coaluisse, indeque bona ingentia emanasse, aliàs ab eo diuisum, atque ex eo fœdam malorum colluuiem emersisse, Regesque improbos sacerdotio infensos sceleris pœnam tulisse: idemque apud Christianos in lege Euangelica accidisse, in qua sacerdotij hostes, schismatisque auctores nil nisi pudorem, atque dedecus ex suis omnibus consilijs ceperunt. De quo vltimo disserentem Innocentium audiamus:

a ib. ep. 18

Porrò a quod accidit in veteri testamento, contigit in nouo, & ne longè petantur exempla, diuisum est simul regnum, & sacerdotium tempore Innocentij Papæ, & Regis Lotharij; contra Innocentium intrusus est Anacletus, contra Lotharium verò Conradus; sed præualuit vterque catholicus, Innocentius videlicet, & Lotharius; quoniam Innocentius coronauit Lotharium; & succubuit vterque schismaticus, Anacletus videlicet, & Conradus, quia veritas præiudicat falsitati. Deinde schisma diuisit Ecclesiam tempore Alexandri, Imperium in vnitate permansit tempore Frederici: sed idem Imperator, non vt defensor, sed vt persecutor Ecclesiæ schisma fouit, & fauit schismaticis. Porrò schisma cum schismaticis, & fomentum cum fautoribus est confusum. Concludit demum non ita sacerdotium regni dissidium aliturum, vt Reges enatas in sacerdotio discordias fouere, se Imperio bellis ciuilibus lacerato compati, deliberaturum cum Cardinalibus, atque Philippo responsum daturum, quod sibi numen cæleste afflaret.

Schismatici cõfusi

36 *Nunc autem Ecclesia per Dei gratiam in vnitate consistit, & Imperium peccatis exigentibus est diuisum: verum Ecclesia non sic illi retribuit, quemadmodum illud Ecclesiæ, quia super eius diuisione condolet, & compatitur, pro eo maximè quod principes eius maculam posuerunt in gloria, & infamiam in honore, libertatem, & dignitatem ipsius pariter confundentes. Verùm ad Apostolicam sedem iampridem fuerat recurrendum, ad quam negotium istud principaliter, & finaliter dignoscitur pertinere; principaliter, quia ipsa transtulit Imperium ab oriente in occidentem; finaliter, quia ipsa concedit coronam Imperij. Verùm verbum tuum audiuimus, videbimus literas domini tui, deliberabimus cum fratribus nostris, & dabimus tibi responsum; inspiret autem nobis omnipotens Deus honestum consilium, & reuelet nobis beneplacitum suum, quatenus in hoc negotio ad honorem ipsius, ad vtilitatem Ecclesiæ, & salutem Imperij procedamus.*

Inn. respõdet oratoribus se maturius deliberaturum.

37 Dum vtriusque electi oratores apud Innocentium officijs ad eius colligendam gratiam certarent, non minus inter se ij principes armis dimicabant; prodit enim Godefridus monachus a Othonem ducta in vxorem filia ducis Brabantiæ, partes suas auxisse, & Coloniensis archiepiscopi, ac generi sui viribus fretum, æstate eas in hostem duxisse Confluentia alijsque oppidis exustis in hostiles terras grassatum, cùmque frustra plures nobiles, qui se ipsi coniuncturos erant polliciti, expectasset, ob commeatuum inopiam abscessisse. Philippum verò re cognita Mosellam magnis succinctum copijs traiecisse, Coloniensem episcopatum vastasse, ac tum Brabantiæ ducem in eum mouisse, sed nullo congressu commisso hostiles exercitus hinc inde se recepisse. His similia, nimirum Philippum Mosella traiecta, in Colonienses fines fecisse excursionem, & ingentem vastitatem intulisse, habet in Hirsaugiensi chronico Ioannes Trithemius, qui subdit Philippum secum nouum Bohemorum Regem tunc adduxisse, Odacherum scilicet, de quo Lubecensis b: *Bohemo etiam maior dignitas accessit, vt cùm antea ducatum teneret, titulo regio a Philippo sublimatus, ibi & ipse procederet coronatus, & gladij regij baiulus.* de quibus etiam Hirsaugiense chronicon tradit, Philippum quò Bohemos sibi deuinciret, prædictum eorum ducem Regem creasse, tributis ipsi, atque vxori coronis: quem autem Odacherum, alij Odacharum vocant, Martinus Chromerus c agens de regali a Philippo ipsi dignitate, collata, Premislaum, siue Othocharum appellat. Subdit Godefridus eodem anno Conradum Maguntinum archiepiscopum ex Italia, quò ex Syria reuersus appulerat, in Germaniam vnà cum Bonifacio marchione de Monte ferreo transijsse, vt excitatam discordiam sopiret, regnoque vtrumque cedere persuaderet, quod si fieri non posset, vt induciæ ex communi principum consilio inirentur, dareturque opera, vt alter diadema abjiceret; inuitatum verò a marchione Othonem, vt Bopardiam veniret, abnuisse; non leue enim dedecus susceptururum se arbitratum, si accepta Imperij ornamenta deponeret: cuius res vt extincto Riccardo, atque Ioanne auunculo ipsum deserente inclinatæ fuerint, inferiùs dicemus, vbi funestum tanti principis obitum attingemus. Cæterùm Conradum Coloniam se contulisse, vt cum archiepiscopo Coloniensi, & ciuibus colloquium de ea re agitaret, ait Godefridus, sed infecto negocio discessisse. vt verò in Vngaria feliciùs, quàm in Germania pacem adduxerit, mox delibabimus.

a Godefr. in annal. hoc ann.

Irriti Othonis conatus.

Philippus in Colonien. archiep. irruptio.

b Arnold. Lubec. chron. Slauor. l. 6. c. 2.

c Hist. Polon. l. 7.

Frustra tentata a Conrado concordia

38 Mutuis ita sese cladibus conficiebant Germani, atque Imperij coronam partiri ferro, flammisque contendebant, quos longè satius fuisset coniunctis armis, animisque barbaros comprimere, qui Liuones Christi religione imbutos excludere in susceptæ fidei odium moliebantur. Conatus equidem est Innocentius ipsos ad tam sacrum bellum, in quo gloriosissima vulnera accepturi, atque in ipsa morte triumphaturi essent, incitare, quem neophytorum tuendorum cura, ac solicitudo vrebat: cùm præcipuè conuersionis illius gentis, vt refert Iordanus proximis verbis, maximus auctor extitisset, *Liuonia prouincia confinit Dacis, & Polonis pro maiori parte*

con-

conuersa est ad fidem per eius solicitudinem. subditque: *Ibi dominantur fratres Alemanni, quoniam ipsi expugnauerunt terram.* Testes verò eius solicitudinis sunt eius literæ tertio nonas octob. Laterani datæ ad vniuersos Saxoniæ, ac Vvestphaliæ Christi fideles, quæ cùm scitu dignissima contineant, earum partem asscribere visum est: a *Accepimus quòd cùm bonæ memoriæ M. episcopus Liuoniensis fuisset prouinciam Liuoniensem ingressus, in verbo Domini laxans prædicationis suæ retia in capturam inter populos barbaros, qui honorem Deo debitum animalibus brutis, arboribus frondosis, aquis limpidis, virentibus herbis, & spiritibus immundis impendunt, vsque adeo Domino concedente profecit, vt multos a suis erroribus reuocatos, ad agnitionem perduceret veritatis, & sacri baptismatis vnda renatos doctrinis salutaribus informaret. Verùm inimicus homo, qui tanquam leo rugiens circuit quærens, quem deuoret, inuidens conuersioni eorum pariter, & saluti, persecutionem paganorum circumadiacentium in eos iniquis suggestionibus excitauit, cupientium eos delere de terra, & de partibus illis Christiani nominis memoriam abolere. Ne igitur negligentia nostra valeat imputari, si hi qui iam crediderunt, retro cogantur abire, ne præsumant aliqui fidem nostrã recipere, si illi qui iam receperunt, a paganorum incursibus remanserint indefensi, &c.* hortatur vt in arma contra paganos generosè prosiliant, ijsque criminum veniam, sedisque Apostolicæ clientelam pollicetur; eademque ad Sclauos, & Transalpinos scripsit.

a Inn. l. 2. ep. 183.

39 Solicitabat ita Innocentius Germanos finitimosq; populos ad tuendos Liuoniæ fideles, vtque districta in mutuas cædes arma in paganos verterent, cùm Conradus Maguntinus frustra pacem Germaniæ afferre meditatus, transgressusque in Vngariam Hemenradum, siue Emericum Regem, quem Henricum alij vocant, cum Andrea fratre conciliauit, sanxitque fœdus ijs legibus, vt ambo in Sarracenos gladios stringerent, Pannoniaq; Lupoldo Austriæ duci commendata, mare traijcerent, & si in transmarinis regionibus alter mortem oppeteret, alter superstes regnum obtineret, quæ Godifredus b suis annalibus prosequitur. Conatus erat anno superiori ipsos dissidentes coniungere Innocentius, atque Andream, si fratrem armis lacesseret, censuris percelli iusserat; neque Emerico, qui se atrociori scelere deuinxerat, ignauo silentio pepercit. effractis ille templi foribus, Vatiensem episcopum, quem claues sacrarij tradere, atque facessere iusserat, dum vnà cum canonicis diuinam opem imploraret, atque hæc cum lacrymis decantaret: *Aspice Domine de sede sancta tua, & cogita de nobis*, e summo altaris gradu ad solum vi detraxerat, ac templo eiecerat. ob quod facinus eum acerbioribus literis c xi. Kal. iul. datis perstrinxit, vbi hæc grauissima intorsit: *Audiuisti, quòd cùm Heliodorus ærarium, quod erat Hierosolymis, spoliaret, percussus ab Angelo expirasset, nisi pia ei subuenisset oratio sacerdotis. Balthasar, dum spoliato templo vasis sacris in conuiuio vteretur, articulos manus regni sui terminum notauit in pariete depingentis. Pompeius non quia spoliauit, sed quia intrauit solummodo sancta sanctorum, de semper victore victor effectus, commissum iugulo expiauit.* subiungit, vt sponte sua errata emendet, ne censuras in eum iaculari cogatur: qua de re ad Colocensem archiepiscopum etiam scripsit, d vt Regem ad pœnitendum adduceret.

b Godifr. in annal.
c Inn. l. 2. ep. 89.
d Reg. post eand. ep.

Legionen. Regis damnatæ nuptiæ.

40 Verùm maiores contra incestas principum nuptias ipsi labores adeundi fuerunt. Mirum quomodo occidentales plerique Reges ecclesiasticæ, immo diuinæ disciplinæ excusso iugo ijs temporibus adeo ab humani generis hoste illecebris nefarijs pellecti in transuersum acti fuerint, vt quis meritò Dauidicum illud eis occinere, atq; obijcere potuerit: *Et nunc Reges intelligite, & erudimini, qui iudicatis terram, apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.* Commonente scilicet, ac docente eos summo omnium parente, ac doctore, ad hoc a Christo in suprema Ecclesiæ cathedra constituto. Innocentius itaque hoc secundo sui Pontificatus anno, Compostellano archiepiscopo, cunctisque Legionensis regni episcopis onus iniunxit, vt Legionis Regem, & Castellæ Regis filiam in prohibito gradu copulatos diuellere ab inuicem, ac segregare niterentur. extant ea de re ad eos datæ literæ, quibus facti atrocitatem describit, atque in similia scelera diuinas iras effusas demonstrat. *Sanè in oriente vna duobus fuit incestuosè coniuncta, in occidente verò vnus sibi duas præsumpsit iungere per incestum; & incestui quidem in oriente commisso, non solùm consensus, sed & auctoritas clericorum ibi consistentium intercessit; sed in detestabili copula in occidente contracta, licet non absque quorundam ecclesiasticorum virorum assensu fuerit forsitan attentata, auctoritas tamen Ecclesiastica nullatenus interuenit. Valens autem Deus maius peccatum vindicare celeriùs, & a similibus alios deterrere, tam* * *C. quondam marchionem, qui N. Reginæ Hierosolymitanæ priùs adhæserat per incestum, gladio, quàm Henricum quondam Campaniæ comitem, qui ei, & in culpa quodammodo, & in pœna successit, præcipitio, vtrumque verò morte improuisa peremit. Nondum autem in huius iniquitatis auctores in accidente suam exercuit vltionem, sed quanto longanimiùs sustinet, tanto forsan seueriùs vindicabit.* Subdit, vt Raynerium virum incorruptæ integritatis misisset, qui Legionensem Regem peruicacem, regnumque sacris interdixerit, qui nullas tamen in Regem Castellæ censuras intorserat, cùm imperia Ecclesiæ excipere paratus esset. Et infra: *Nuper autem venerabiles fratres nostri Toletanus archiepiscopus, & episcopus Palentinus ex parte ipsius Regis Castellæ, & ex parte Regis Legionensis venerabilis frater noster Zamorensis episcopus ad sedem Apostolicam accedentes postulabant, vt cum eodem Rege Legionensi, & filia dicti Regis Castellæ deberemus super tam incestuosa copula dispensare; propter quod nisi specialis illa gratia, quam ad deuotionem dicti Regis Castellæ habemus, motum animi nostri temperasset, in ipsos ita curassemus seueritatem ecclesiasticam exercere, quod nulli de cætero temporibus nostris ad nos repudiatas toties, & damnatas petitiones afferrent, cùm ipsi etiam nouerint, quod id ab eodem prædecessore nostro sæpius postulatum fuerit, & ab eo inhibitum, non indultum. Tandem verò intelligentes archiepiscopus, & episcopi memorati, quòd non solùm indulgentiam super hoc a nobis, sed vix etiam possent a nobis audientiam impetrare, interdictum in terram dicti Regis Legionensis prolatum tandem a nobis postulauere remitti, asserentes, quod ex eo triplex toti regno periculum ab hæreticis, Sarracenis, & Christianis etiam imminebat, &c.* ab hæreticis, dũ illi suum virus euomerent, tacentibus sacerdotibus; a Sarracenis, ob inrepescentem populorum ardorem; a Christianis, ob sacerdotes ab ijs malè habitos, quòd sibi sacramenta denegarent. subdit argumenta contraria, censuras iustissimè ad diuini numinis tuendam gloriam magno zelo latas, atque in populos commissorum a principibus criminum pœnas deriuari, verùm quia multitudinis miserendum sit, se de seueritate ita remittere, vt interdictum amoueri permittat, vbi tamen Rex, ac Regina interfuerint, templa claudantur: *Relaxamus ergo non totum, sed in vna parte solummodo interdictum, nec perpetuò, sed ad tempus, quamdiu scilicet nobis placuerit, & viderimus expedire, vt probemus interim spiritus, si ex Deo sint, & an (sicut ijdem archiepiscopus, & episcopi asseuerant) sperata inde vtilitas sequeretur, sic videlicet, vt in regno ipso diuina celebrentur officia, sed decedentium corpora sepulturæ ecclesiasticæ non tradantur, in quo tamen clericis gratiam facimus specialem,*

Diuina in nuptias incestas vltio.
* Conradum

Reges gradum in nuptijs vetitum remitti flagitantes repulsi.

in eo

in eo videlicet, vt in cœmiterio ecclesiastico, cessante solemnitate solita tumulentur, &c. Quia verò castra quadam, quæ idem Rex Legionensis dictæ filiæ Regis Castellæ in dotem tradidisse proponitur, ita vt si eam aliqua occasione relinqueret, ipsa cederent in ius eius, impedimentum præstare videntur huiusmodi copulæ dissoluendæ, cùm castra ipsa non tam ob turpem, quàm ob nullam potius causam fuit data, vtpotè cum inter eos matrimonium non existat, & ideo nec dos nec donatio propter dotem, ne ad commodum ei cedat, quod debet in pœnam eius potiùs retorqueri, castra ipsa restitui volumus, & ad id puellam ipsam per excommunicationis sententiam coarctari, auctoritate Apostolica decernentes, vt si ex tam incestuosa, & damnata copula proles est, vel fuerit quæcumque suscepta, spuria, & illegitima penitùs habeatur: quæ secundùm statuta legitima in bonis paternis nulla prorsus ratione succedit. Datum Laterani per manum Rainaldi, domini Papæ notarij, cancellarij vicem agentis VIII. Kal. iunij indictione II. incarnationis Dominicæ anno 1199. Pontificatus verò D. Innocentij Papæ Tertij anno II.

Illicitæ Regis Aragonû nuptiæ Pontificis opera impeditæ.

41 Hactenus Innocentius, quæ ijsdem ferè verbis in eius vita leguntur: auctor enim hanc eiusdem epistolam exscripsisse videtur. Cùm accepisset præterea Pontifex de alijs itidem incestis nuptijs inter Christianos Reges conciliandis agi, rem discutere, ac præpedire diligentissimè incubuit; vi namque (vt ipse ait) regnum Nauarræ Regis superiori anno inuadentibus Castellæ, & Aragoniæ Regibus, sororem Nauarri, quantumuis tertio consanguinitatis gradu coniunctam vxorem Aragonio expetente, Castellanus ab eodem Nauarræ Rege sibi timente, de sorore ei nuptui danda iuramentum extorsit. Id vetuit Innocentius, ad Nauarrum hæc scribens: [a] *Nos igitur attendentes, quòd iuramentum, non vt esset iniquitatis vinculum, fuerit institutum, & quod in malis promissis fides sit penitùs rescindenda, serenitati tuæ districtiùs inhibemus, ne si vera sunt, quæ præmisimus, occasione iuramenti præmissi, quod periurium est veriùs nominandum, procedas ad incestuosam coniunctionem complendam. Datum Laterani III. idus febr.* Cùm verò de Aragoniæ Rege inciderit mentio, silentio hoc non est prætereundum. Cùm nonnulli ipsum induxissent ad iurandum, non petito populi assensu, monetam patris sub ipsius obitum de legitimo pondere diminutam in eodem se ad tempus conseruaturum, Rexque a iurisiurandi religione se liberari, absoluiq; postularet; respondit Pontifex [b] non tam absolutione, quàm interpretatione hîc opus: quandoquidem iusiurandum concipiens monetam aut legitimam, aut illegitimam putabat; si legitimam, sacramentum illicitum, nec seruandum: si verò illegitimam existimabat, licitum omninò fuerat, atque ideo conseruandum. Quapropter consulit, mandatque, vt pro diminuta illa moneta alia pristini, ac legitimi ponderis patris nomine cuderetur. hæc atque alia in hanc sententiam Innocentius.

a Inn. l. 1 ep. 552.

b Idem l. 2 ep. 28.

Inn. cótra Philippû Gall. Reg. adulterû insurgit.

42 Verùm his grauiora Francorû Rex Philippus perpetrauit. cùm enim viuente Cælestino III. legitima vxore eiecta, pellicē induxisset, pessimo exemplo, ac scandalo toti regno creato, summoque proborum omnium luctu, in tanto scelere impurè iaceret: nec paternis Romanorum Pontificum precibus, nec minis flecteretur, Innocentius diuino zelo succensus, cum ipso durius ac grauissimè agere cœpit, vt eius literæ ad cunctos Galliæ archiepiscopos, cæterosque præsules docent, quas velut maioris ponderis, vtpote quæ gestorum hactenus seriem amplectantur, lectori fore gratiores arbitramur: *Auxiatur* (inquit) [c] *in nobis ex amaritudine spiritus, & cor nostrum præ dolore turbatur, dum in causa matrimonij charissimi in Christo filij nostri Philippi Francorum Regis illustrissimi declinare ad sinistram, vel dexteram pertimescimus, ne videamur plus homini deferre, quàm Deo; & rursus regia via in Regem ipsum procedere molestamur, cum in eo propter prærogatiuam dilectionis, & gratiæ, nos ipsos reputemus offendi. Monet enim, & mouet nos vehementius contra eum, & debitum pastoralis officij, & fortiùs Phinees zelantis legem Domini notum vobis exemplum inducit: sed angit nos plurimum, & retrahit aliquantum gratia specialis, quam ad eundem Regem habemus, & quam non solùm circa ipsum, sed circa totum regnum Francorum opportunitate concessa proposuimus exhibere. Reducentes enim ad mentem, & infra nos ipsos sæpiùs recolentes beneficia, nobis olim in suo regno scholasticis insistentibus disciplinis impensa, & a Deo donum scientiæ quantæcumque collatum præter debitum officij pastoralis, quo sumus singulis debitores, nos tam Regi, quàm regno specialiter teneri fatemur, & non solùm a regijs grauaminibus, quantum licet manum retrahimus, sed ad honorem ipsius, & regni eius augmentum ardentius aspiramus. Cæterum attendentes, quod nos Dominus (licet immeritos) in sede iustitiæ collocauerit, & vicarios sui, & Apostolorum principis constituerit successores, ne videamur acceptorum beneficiorum ingrati, si ei, qui nos de puluere suscitatos, inter principes, immo super principes sedere voluit, & de principibus iudicare, hominem præferamus, ne sine causa etiam accepisse dicamur ligandi, & soluendi per beati Petri merita potestatem, dissimulare non possumus, quin exhibeamus iustitiam postulantibus; & errantes ad rectitudinis tramitem reuocemus, ferrum etiam apponentes vulneribus, quæ fomentorum non sentiunt medicinam. Considerantes præterea, quòd salus animæ præferenda sit corporis voluptati, & vtilitati, quàm voluntati potiùs deferendum, cùm multa beneficia præstentur inuitis, ne vel odisse filium, si virgæ parcamus, vel ægro videamur causam interitus præstitisse, si vulneribus solis oleo, vinum super infundere differamus, saluti Regis ipsius consulere disposuimus & honori, credentes, quòd quantumcumque contra nos, immo licet iniustè forsitan moueatur, ad mentem tamen reuersus, cum remedium senserit medicinæ, tanto nobis reddetur, & Apostolicæ sedi deuotior, quanto in corrigendo excessu, per quem Deum sibi reddit offensum, per quem ad excusandas excusationes in peccatis, & in contemnendis Ecclesiæ sacramentis factus est alijs præuaricationis exemplum, per quem etiam fama eius est apud bonos, ne dicamus penitus, plurimum offuscata, maiorem in nos ex charitate fuerit seueritatem expertus. Ecce enim Dux Bohemiæ, sicut accepimus, ipsius secutus exemplum, vxore relicta legitima, simili modo adulteram superinducere non expauit, sed alij principes, & priuata persona iudaizare, dando libellum repudij suis vxoribus sunt parati, nisi principijs citiùs occurratur.* Id etiam Arnoldus Lubecensis eius æui scriptor tradit, asserens Odachetum Bohemum, vxore eius legitima repudiata aliam sibi copulasse. Alijs præterea literis [a] ad Magdeburgensem archiepiscopum, duosque abbates ex A. nobilis mulieris querimonijs sibi innotuisse asserit, quòd cùm ipse princeps ritè ductam, susceptis ex ea liberis, vt legitimam vxorem annis plus viginti habuisset, eam tandem reiecisse, atq; Vngarici Regis sorore sibi coniuncta, ad impuras nuptias conuolasse. Quapropter mandat, vt in ipsum inquireret, seque hac de re faceret certiorem. pergit Innocentius: *Vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, & ex parte Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus sancti, auctoritate quoque beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & nostra in virtute obedientiæ districtè præcipimus, quatenus sententiam, quam idem Cardinalis in Regem, superinductam, & eorum familias, vel in regnum etiam duxerit proferendam, & vos sublato cuiuslibet appellationis obstaculo firmiter obseruetis, & faciatis ab alijs inuiolabiliter obseruari. Si quis enim cuiuscunque dignitatis, vel ordinis eis post interdictum nostrum, vel*

c Inn. l. 2 ep. 189.

Dux Bohemiæ eodem crimine implicitus.

a Ib. ep. 180.

officia

officia celebrare diuina, vel ecclesiastica præsumpserit impendere sacramenta, se nouerit ipsius dignitatis, & ordinis periculum incursurum. Cùm enim ex hoc quæramus solicitè salutem Regis ipsius, & amplius eum, quàm ipse se diligat, diligamus, vtpote quem nos in Domino diligimus ad salutem, ipse se in animæ suæ perniciem diligit contra Deum, non timemus, si quod pro veritate, ac iustitia contra nos scandalum oriatur: quoniam si Deus nobiscum, quis contra nos? nec poterit aduersus nos aliquorum machinatio præualere, quia veritas, & iustitia nos defendent.

43 Hactenus Pontifex, qui præterea hac de re ad Petrum diaconum Cardinalem legatum scripsit a. His consentanea afferunt eius vitæ acta, vbi legatione in Gallias superiori anno missa, eam ipsi prouinciam impositam tradunt, vt cruce insignitas copias congregaret pro Terræ sanctæ reparandis rebus, pacem vel inducias Francos inter, & Anglos conciliaret, ac Philippum vxorem, quam iniquissimè repudiarat, recipere cogeret: felici verò adeo successu rem promouisse, vt maxima Christianorum multitudo in arma sacra concurrerit, & ad inducias admittendas Anglorum Regem repugnantem adegerit. Habes lector hoc ipso anno ab Innocentio datas literas, cum ad Petrum ipsum b III. Kalen. tum VII. Kal. April. ad Francorum Regem, c quibus ab eodem Cardinali legato factas ad quinquennium inter Galliæ, & Angliæ Reges inducias approbat, atque Apostolica auctoritate confirmat, ipsius Petri sinceritatem, fidem, solicitudinemque plurimùm commendat, & Philippum Regem easdem inducias obseruare adhortatur, Cardinali de pace agenti faciles aures daret. harum denique induciarum Rogerius hoc pariter anno meminit. *Circa tertium verò capitulum* (inquiunt acta) *notandum &c.* Pergunt de Philippi coniugijs, petito primo rei exordio narrationem exponere, legatum Apostolicum Diuione concilium coëgisse, vt ecclesiastica seueritate insanis itreritum amoribus percelleret, ac Philippum vrente conscientia, meritamque sibi pœnam præsagiente, ad sedem Apostolicam, vt legati sententiam eluderet, prouocasse: illum verò, cùm tutò in Philippi ditione tantam rem agitari non posse pertimesceret, Viennam se contulisse, indictoque alio concilio interdicti sententia Gallias percussisse.

a Regest. post cit. ep.

b Inn. l. 2. ep. 25. & sup. ep. 23.

c Ibid. ep. 24.

Legatus Diuione cócilium cogit.

44 In quam sententiá ita Rigordus huius temporis scriptor: *Eodem anno* (hoc ipso scilicet) *mense decembri, in festo S. Nicolai conuocatum est concilium apud Diuionem a Petro prædicto Cardinali, omnium episcoporum, abbatum, & priorum totius regni. Sed quia contra Regem Franciæ regnum ipsius sub interdicto ponere moliebatur, a nuntijs Regis ad Romanam sedem est appellatum, tamen ipse Cardinalis appellationi non deferens* (id ipsum namque iusserat Pontifex, vt eius perhibent acta) *in eodem loco astantibus episcopis vniuersis sententiam protulit, sed vsque ad 20. dies post natiuitatem Domini non esse publicandam præcepit.* hæc ipse. Quæ S. Antoninus d exscripsisse videtur, & Iacobus Meyerius, e qui paulò post Rigordum floruit, ista adijcit: MCXCIX. *Philippus comes Namurcensis Balduini frater, circumuentus Gallorum insidijs, prope Lutosam capitur vnà cum viris alijs nobilibus duodecim, in quibus, & Petrus sedis Apostolicæ legatus, patria Duacensis, Cardinalis tituli sanctæ Mariæ in Via lata, qui non diu post dimissus e custodia, Diuione oppido Burgundiæ coegit episcoporum conuentum, in quo Philippo Regi sacris interdixit, propterea quod Ingeburgæ iustæ vxori Mariam superduxerat filiam ducis Morauiæ.* Cur autem solius Diuionensis synodi vterque mentionem fecerit, ea fortasse non incongruè ratio reddi posset: quòd Viennensis, de qua acta, cœpti Diuionensis complementum potiùs, quàm nouum concilium videri potuerit. Quid verò in ea synodo ad colligenda pro bello sacro pecuniarum subsidia actum sit, inferiùs dicetur. Quod verò ad Philippum Namurcensem comitem, aliosque captos attinet, de quibus Meyerius supra, Rogerius, Matthæus Parisius ac Rigordus de his sermone facto, ne tenuissimam quidem de Petro Cardinali comprehenso mentionem edidêre; sed Rogerium audiamus: *Interim Henricus comes de Namur, frater Philippi comitis Flandriæ* (Rigordus comitem hunc in vincula coniectum, non Henricum, sed Philippum cum Meyerio vocat) *& Petrus de Douay miles optimus, & familiaris comitis Flandriæ, & electus de Cambray, frater prædicti Petri, capti sunt a familia Regis Franciæ, & traditi sunt illi. Petrus autem de Capua Cardinalis, & Apostolicæ sedis legatus in Francia, in aduentu suo interdixit Franciam propter captionem prædicti electi de Cambray, & Normanniam propter retentionem Philippi Beluacensis episcopi, & antequam sententia illa relaxaretur, Philippus Rex Franciæ dimisit præfatum electum abire liberum, & Iohannes Rex Angliæ* (de quo infra) *dimisit Philippum Beluacensem episcopum abire, datis duabus millibus marcis argenti pro expensis in ipso, & per ipsum factis tempore Ricchardi Regis Angliæ, & post mortem Ricchardi Regis, vsque ad diem liberationis suæ. Præterea idem episcopus Beluacensis iurauit, coram prædicto Cardinali, & alijs viris ecclesiasticis, quòd de cætero in vita sua nunquam arma gestabit contra Christianos.*

d S. Ant. 2. par. tit. 27 c. vlt.

e Iacob. Meyer annal. Flādr. l. 7.

Legatus captus a Francis ac mox liberatus.

Comes Namurcēsis a Gallis captus

Beluac. episc. liberatus.

45 Cùm in Gallicis rebus nostra versetur oratio, hìc aliqua ex Cæsario a Cisterciensi monacho adducere prodigia alienum non putaui, quæ Parisijs in homine ab humani generis hoste in immanissima flagitia acto, ac nouo, ingentique miraculo veniam a misericordiarum patre consecuto hoc anno euenisse videntur, cùm ille in exomologesi facienda tantum dolorem animo conciperet, vt vox singultibus abscissa, crimina sacerdoti detegere non posset, eaque chartulæ mandasset, vt ex scripto sacerdos recognosceret, manente charta integra diuino miraculo abrasa penitùs, ac deleta reperta sunt: *Annus modo vigesimus est secundus plus minus,* * *eo tempore, quo ad ordinem veni, qui fuit ab incarnatione Domini millesimus ducentesimus vno minus, in quo tale quid a viris religiosis, & literatis, vt sunt abbates, & scholastici, contigisse Parisijs veraciter intellexi. Erat ibi iuuenis quidam in studio, qui suggerente humani generis inimico, talia quædam peccata commiserat, quæ obstante erubescentia, nulli hominum confiteri potuit, cogitans tamen quæ malis præparata sunt tormenta gehennæ, & quæ bonis abscondita sunt gaudia perennis vitæ, timens etiam quotidie iudicium Dei super se, intus torquebatur morsu conscientiæ, & foris tabescebat in corpore: quid plura? tandem miserante Deo, timor ille seruilis verecundiam vicit; qui sicut seta filum, charitatem inducere consueuit. Veniens ad sanctum Victorem, priorem vocauit, & quia confitendi gratia venisset indicauit: ille paratus ad tale officium, sicut omnes sunt fratres eiusdem monasterij; statim venit, in loco ad hoc deputato sedit, præmissaque exhortatione iuuenem confiteri volentem expectauit. Mira res, tantam hora eadem pius Dominus, cuius natura bonitas est, cuius voluntas potestas est, cuius opus misericordia est, cordi eius contulit contritionem, vt quoties confessionem inciperet, toties singultibus intercepta vox deficeret: in oculis lacrymæ, suspiria in pectore, singultus erant in gutture. hæc vt vidit prior, dicebat scholari: Vade scribe peccata tua in schedula, & defer ad me. placuit consilium iuueni, abijt, scripsit, die altera redijt, & si confiteri posset, iterum tentans, vt priùs defecit: & cum nil proficeret, schedulam priori porrexit. Legit prior & obstupuit, dixitque iuueni: Non sufficio tibi solus dare consilium, vis vt ostendam abbati, & licentiauit ei: venit prior ad abbatem, & porrexit schedulam legendam, rem ei per ordinem exponens. Quid deinde gestum sit, audiant*

a Cæs. l. 2. cap. 10.

Pœnitétis scripta crimina diuinitus deleta.

* ab

Eximia pœnitétis contritio.

diant peccatores, & consolentur desperati, & recreentur; mox enim vt abbas chartulam ad legendum aperuit, totam eius continentiam deletam inuenit; impletumque est in eo quod Dominus per Isaiam dicit: Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua. & paulò post aduocantes scholarem, ostenderunt schedulam, dicentes eius peccata esse diuinitus deleta; quam cùm perspexisset, & ex signis benè cognouisset, in tantum cor eius ex magnitudine gaudij est dilatatum, in quantum prius ex magnitudine tristitiæ fuerat angustiatum, & nullam ei iniungentes satisfactionem, monuerunt, quatenus Deo de perceptis beneficijs gratias ageret, atque de cætero cautius viueret. huc vsque Cæsarius.

Peccata e scripto diuinitus deleta. *Isa 44.*

46 Sed ad Innocentium Regum delicta insectantem reuertamur. Ricchardus Angliæ Rex Gaufridum fratrem Eboracensem archiepiscopum vehementer diuexarat. iustitiæ obseruantissimus Pontifex pro eodem præsule omni opera enixus a est, vt eum in Regis gratiam, pristinamque restitueret dignitatem: eodemque argumento ad Regem, ac Rhotomagensem archiepiscopum scripsit, commendauitque, vt inter hos principes pacem omni ratione conciliare studeret; grauiori etiam ad Regem epistola dara sic eum compellat: b *Ne culpa tua nobis, & in præsenti ad detractionem, & in futura imputetur ad pœnam, eidem Cardinali dedimus in mandatis, vt magnificentiam tuã ad hoc per interdictum totius Eboracensis prouinciæ appellatione remota compellat; & si nec sic infra tempus, quod idem legatus tibi statuerit, effeceris, quod mandamus, ex tunc totam Angliam sublato appellationis obstaculo subijciat sententiæ interdicti.* Prætereà circa hoc negotium Petro Cardinali legato literas misit c, quibus contra Eboracensis ecclesiæ sacerdotia, dignitatesque occupantes sententiam tulit. Quomodo verò Ricchardi Regis obitu res Gaufridi ad meliorem statum adductæ fuerint, paulò infra dicetur. Hoc namque ipso anno Ricchardi necem contigisse huius temporis scriptores testantur, atque Innocentij literæ ostendunt; cùm eodem anno, & ad Ricchardum, & ad successorem eius, ac fratrem Ioannem scripsisse reperiatur: cecidit enim planè in Ricchardum diuinum illud oraculum: d *Multos perdidit aurum, & argentum.* dum enim inuestigando thesauro auidè inhiat, in mortem inopinatam incurrit; qua verò ratione hæc obtigerint, a Rogerio, e qui hisce temporibus historiam conscribebat, accipiamus: *Interim V vidomarus vicecomes de Limoges inuento magno thesauro auri, & argenti in fundo suo, misit inde Ricchardo Regi Angliæ domino suo partem non modicam* (de quo Rigordus ad ann. 1199. in vita Philippi Augusti hæc ait: *Thesaurus prædictus, vt ferebatur, fuerat Imperator quidam de auro purissimo cum vxore, & filijs, & filiabus ad mensam auream residentibus, qui posteris quo tempore fuerant, certam dabant memoriam*) *sed Rex eam refutauit, dicens se debere totum suum thesaurum habere de iure donationis suæ, quod prædictus vicecomes nullo modo concedere voluit.* Subdit auctor Ricchardum potiundi thesauri cupiditate æstuantem, rapto exercitu oppidum (cui apud Gallos Chalnz nomen est) obsidione cinxisse, cumque inclusi deditionis, & pacis leges exposcerent, superbè, & immaniter à Ricchardo ipsis denegatas; quare illi ex desperatione sumptis animis ad propulsandas hostiles impressiones se comparauêre, inter quos Bertramnus de Gurdun expetendæ vltionis auidus misso telo Ricchardum, dum in arcem assilire moliretur, brachio transfixit. Ita Ricchardus, cui Fulconem anno præterito mortem, ni ab armis quiesceret, comminatum vidimus, letho proximus; temerè enim chirurgus, vt ferrum auelleret, brachium inciderat. Ioanni fratri Regnum testamento reliquit, opum suarum partem tertiam Othoni Regi Germaniæ diuisit. adijcit auctor egregium erga percussorem clementiæ exemplum, cùm iam id oppidum a Marchadeo expugnatum fuisset: *Deinde fecit coram se venire Bertramnum de Gurdun, qui eum vulnerauerat, & dixit ei: Quid mali tibi feci, quare me interemisti? cui ille respondit: Tu interemisti patrem meum, & duos fratres meos manu tua, & me nunc interimere voluisti. Sume ergo de me vindictam, quamcunque volueris: libenter enim patiar, quæcunque excogitaueris maiora tormenta, dummodo tu interficiaris, qui tot & tanta mala contulisti mundo. Tunc præcepit eum Rex solui, & dixit: remitto tibi mortem meam.* Subijcit Rogerius percussorem e vinculis laxatum, atque centum solidis donatum a Rege, sed abeunti Marchadeum manus iniecisse, atque post Ricchardi mortem exutum pelle in crucem egisse, ac Philippum Regis spurium vindicandæ parentis necis cupiditate ardentem, vicecomiti Lemouicensi mortem intulisse.

Innoc. curæ pro restituendo Gaufrido episc. — *a Lib. 2. ep. 55.* — *b Lib. 2. ep. 56.* — *c Reg. ep. post sand. ep.* — *d Eccl. 8.* — *e Roger. hist. Angl.* — Inuentus ingẽs thesaurus. — Ricch. sagitta ictus — Audax responsum percussoris ad Regem. — Ricchardi clementia in percussorem.

47 His consentanea de Ricchardi cæde, deque tempore obitus habent Robertus de monte a, addens ipsum decem annis regnasse, Rigordus b, Albertus abbas Stadensis c, Iacobus Meyerius d, Martinus Polonus e, ac demum, vt cæteros omittamus, Matthæus Parisius f, quem Ricchardi mortem Christiano principe dignam referentem audire iuuat: *Rex sapientissimus cùm periculum sibi cerneret imminere, exitum suum cordis contritione, oris pura confessione, corporis & sanguinis Domini communione muniuit, & necis suæ auctori mortem suam condonauit, atque liberatum a vinculis abire præcepit; corpus verò suum apud fontem Ebraudi secus pedes patris sui, cuius proditorem se confitebatur, sepeliri iubens, ecclesiæ Rhotomagensi inexpugnabile cor suum legauit.* & paulò post: *Tumore ad cor eius subito perueniente, octauo idus aprilis, die martis (vir martio operi deditus) apud castrum prædictum spiritum exhalauit. Sepultus est autem apud fontem Ebraudi, sicut ipse viuens ordinauerat, cum quo multorum iudicio decus & honor militiæ pariter sepulta sunt.* addit auctor epitaphium:

Pictauus exta ducis sepelit, tellusque Chalutis
Corpus dat claudi sub marmore fontis Ebraudi,
Neustria tuque tegis cor inexpugnabile Regis.
Sic loca per trina sparsit se tanta ruina.
Nec fuit hoc funus, cui sufficeret locus vnus.

Quæ autem de Ricchardi obitu S. Hugo Lincolniensis episcopus præsenserit, eius vitæ auctor sic literis g prodidit: *Nocte quadam cùm graues curæ & sollicitudines præter morem animum eius distraherent, & infestarent, easque præ tumultu earum, & importunitate excutere non valeret, admodum cœpit animo perturbari. Sed illico ad se reuersus, pectus percussit, grauiter ingemiscit, primo mane confessarium accersit, valde se peccasse pronuntiat, quod non ita, vt decet hominem Christianum, omnem curam suam iactasset in Dominum; sed perinde ac si proprijs adinuentionibus ipsi fidendum foret, discruciari & angi inaniter cœpisset. reuera tamen in tam periculoso tum erat itinere, vt si præ curis tanuisset, mirum videri non debuerit. Compertum est postea, illa eadem nocte mortuum fuisse Ricchardum Regem. Nec mysterio vacauit viri sancti turbatio tam insolita, tam vehemens.* His verò opportunè attexenda est ex Godefrido visio de Ricchardi morte cuidam episcopo Romæ diuinitùs ostensa: *Dum,* inquit h, *quoddam castrum, Limogia scilicet, obsideret, & circuiens quæreret, vbi assultus opportunos faceret, telo lethaliter percutitur, quod non sine iudicio Dei factum hoc modo probatur. Siquidem episcopus quidam dum sine causa offensam eius incurrisset, in tantum eum est persecutus, vt a propria sede eum exturbaret, præcipiens ei, ne deinceps eius se oculis offerret. Ille Romam progressus, ad Apostolicum se contulit, qui dum quadam die astaret altari, ipso momento, quo Ricchardus obijt telo, videt ipsum telum secus altaris crepidinem lapsum, cui charta fuerat inne-*

a Rober. Append. ad Sigeb. — *b Rigord. in Philip. Aug.* — *c Albert. Stad. in chron.* — *d Iac. Meyer. in annal.* — *e Mart. pol. in chrõ.* — *f Matth. Par. hist. Ang. in Riccar. 1. & alij.* — Ricch. sepultura. — *g Apud Sur. to. 6. die 16 nouembr.* — S. Hugo Ricchardi obitum præsentit. — *h Godef. in annal. an. 1198.* — Epis. exul telũ quo Ricch. cæsus, Romæ videt

innexa, secundùm vaticinium Merlini olim prædictum: Telum Limogia occidit leonem Angliæ. Quæ autem de Ricchardi anima e purgatorij pœnis erepta narrant historici, suo loco a reddemus.

a Ann. Chr. 1232

48 Defuncto Ricchardo Rege, Ioannes comes Moretonij, qui, vt tradunt Rigordus, Martinus Polonus, & post eos S. Antoninus b, sine terra dicebatur, in illius locum successit c, atque e Normannia in Angliam profectus, apud Londinium in S. Petri Apostolorum principis, ipso dominicæ ascensionis festo, sexto Kal. iunias ab Huberto Cantuariensi archiepiscopo magna episcoporum, comitum ac procerum frequentia, inter quos S. Hugo Lincolniensis versabatur, qui omnes ad ornandam ac cohonestandam pompæ celebritatem fuerant accersiti, consecratus est & corona redimitus. Hæc pluribus Rogerius, addens d principes cismarinarum regionum post Ricchardi interitum non Ioanni, sed Arthuro eius nepoti adhæsisse: *Conuenerunt in vnum* (inquit auctor) *principes Andegauiæ, Cœnomanniæ, & Turoniæ, & adhæserunt Arthuro duci Britanniæ, sicut ligio domino suo, dicentes iudicium & consuetudinem terrarum illarum esse, quòd filius fratris senioris debet ei succedere in patrimonio sibi debito, videlicet in hæreditate, quam Gaufridus comes Britanniæ pater ipsius Arthuri esset habiturus, si superuixisset Ricchardum Regem Angliæ fratrem suum, & ideo tradiderunt Arthuro Andegauiam & Turoniam & Cœnomanniam. Constantia verò mater Arthuri comitissa Britanniæ venit Turonum, & tradidit Philippo Regi Franciæ Arthurum filium suum.* nimirùm custodiendum tuendumque, quod & præstitit, vt subdit auctor. eadem refert Parisius. Hæc verò consultò præterire noluimus, vt quæ infra e de Arthuro dicenda meliùs percipi possint. Addit Rogerius Ioannem ipso die, quo regia corona cinctus, prædicto Huberto archiepiscopo cancellariæ munus contulisse, cùmque ille auctoritatem, qua floreret, regiamque familiaritatem, qua decoratus esset, effusè iactaret, sic illum redarguit: *Domine (salua pace vestra loquar) certè si benè consideraretis nominis vestri potentiam, & honoris dignitatem, non deberetis iugum seruitutis vobis imponere: quia nunquam audiuimus, vel vidimus de archiepiscopo fieri cancellarium, sed de cancellario vidimus fieri archiepiscopum.* Exciderat Huberto Apostolica sententia f, ecclesiastico viro præ oculis semper habenda: *Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus: vt ei placeat, cui se probauit.*

Ioannes Ricchardi successor.
b S. Ant. par. 2. tit. 17. § 32.
c Ibid.
d Rog. vbi sup. & Matth. Par eod. ann.
Angli Cismarini Arthurum salutant.
Arthurus Regis Franciæ clientelæ a matre commissus.
e Ann. Chr. 1202
f 2. Tim. 2.

49 Quod pertinet ad Gaufridum Eboracensem archiepiscopum, cuius nuper meminimus, Ricchardi obitu percepto, dum peractis negotijs, vt subdit Rogerius, ab Vrbe in patriam reuerteretur, iterum ad Innocentium Pontificem redijt, rebus suis melius prospecturus, & consulturus, quibus ex sententia confectis, in Normanniam regreditur, ibique a Ioanne Rege fratre, qui eò se ex Anglia contulerat, honorificè excipitur, ac multi, qui præbendas ad Eboracensem ecclesiam pertinentes hactenus retinuerant, ardente ac impellente conscientia vltrò cesserunt. Interea quomodo imminentia Angliæ mala diuinitùs fuerint propulsata, ex Rogerio addiscemus: *Eodem,* inquit, *anno, cum Vuillelmus Rex Scotorum esset in proposito veniendi in Angliam cum exercitu, accessit* [a] *feretrum sanctæ Margaritæ quondam Scotorum Reginæ. quod est apud Dunefermlin, & pernoctauit ibi, & diuino oraculo in somnis monitus, ne Angliam cum exercitu inuaderet, permisit exercitum suum domum redire.* Cùm verò de gestis in Transalpinis partibus sermonem instituerimus, haud prætereũda videntur, quæ Rigordus hoc itidem anno monumentis consignauit g: *Mense nouembri Michael Senonensis archiepiscopus vir theologus & Deo placens migrauit ad dominum. Cui successit Petrus de Corbolio, quondam Innocentij Papæ discipulus: per cuius manum & auctoritatem primò Cameracensem episcopatum, secundò Senonensem meruit obtinere.* At Petrum Innocentij Papæ non discipulum, sed magistrum extitisse ipsius Pontificis res gestæ, dum de eo ad huiusmodi episcopatus dignitatem ab Innocentio promoto mentio incidit, semel iterumque testantur. In quam sententiam tradit S. Antoninus a, Senonensi archiepiscopo viro, vt ait, Deo pleno ad Deum migrante, Petrum Innocentij Papæ olim didascalum successisse. itemq; de eodem Petro Martinus Polonus hoc facetum ac lepidum scribit b: *Tunc floruit P. de Corbolio* (sic enim eum vocat) *Senonensis archiepiscopus quondam Innocentij Papæ didascalus, de quo dicitur, quòd cùm Papa illi obijceret: Ego te episcopaui. respondit: Ego te papaui.*

Gaufridi ad Eboracensem ecclesiam reditus.
a ad
Rex Scotus admonetur diuinitus ne Angliam inuadat.
g Rig. in Phil. Aug. Fran. Reg.
a S. Ant. par. 2. tit. 17. c. vlt. § 30.
b Mart. Pol. chron. lib. 4. in Inn. 3. par
Facetum responsũ.

50 Cæterùm Ricchardi morte res Othonis non modicum labefactaræ ac perturbatæ fuerunt, quòd ille, dum vixit, omnibus neruis contenderet, vt eidem Othoni nepoti suo Imperium compararet. Quapropter Otho ad Innocentium Pontificem scribens c hæc inter alia: *Testis sit nobis Deus, quòd post mortem auunculi nostri Regis Ricchardi, vnicum nobis estis solatium, & adiutorium, quia scimus veraciter, dum tantùm vos habeamus propitium, negotium nostrum promouebitur, & ad finem bonum, felicem & optatum auxiliante Domino producetur; vnde vos sicut patrem charissimum & dominum modis omnibus honorare proponimus, & omnia iura nostra, sicut audiuistis in literis nostris, proximo conseruare. Negotium enim nostrum vestrum reputetis, quia vobis in adiutorio nunquam deesse volumus, & omnia negotia nostra, quæ vestra sunt, secundùm consilium vestrum terminabimus.* Ad quæ forsitan videtur spectasse Godefridus, dum ait d: *Constabat quia Otho Rex omni penè terreno auxilio, & humano solatio destitutus, quantum ad respectum aduersæ partis, regnum aut Imperium nunquam obtinere posset, nisi adiutorio solius Dei, qui dominatur in regno hominum, & cuique voluerit, dabit illud.* Quãuis enim Ioannes Rex initio ipsi fauere visus sit, citò tamen eum deseruit, quod Innocentius postea ipsi hisce verbis obiecit. e

Othonis res post mortem Ricch. inclinatæ.
c Vatic. Cod. sup. cit. ep. 19.
Otho Põtificis opẽ implorat.
d Godef. in annal. hoc anno.
e Innoc. l. 5. ep. 160.

Innocentius, &c.

Cùm inclytæ recordationis Ricchardus Rex Angliæ frater tuus sedi Apostolicæ cum multa precum instantia supplicarit, vt promotioni charissimi in Christo filij illustris Regis Othonis nepotis eiusdem Regis & tui in Romanum Imperatorem electi efficaciter intendere dignaremur, promittens se ad id operam efficacem impensurum, eodem Rege, prout Domino placuit, sublato de medio, tu qui eidem in regni solio successisti, non solùm precibus, sed etiam promissionibus per literas plures, & nuntios apud nos, & fratres nostros pro eodem negotio instare curasti, asserens te, & terram tuam expositurum omnino ad eiusdem negotij complementum. Nos verò credentes, vt quod promittebas verbo, curares opere adimplere, promotioni eiusdem Regis solicitiùs intendere procurauimus, sicut per Dei gratiam effectus operis manifestat. Sed qualiter tu postmodum deserens nos, & Romanam Ecclesiam, eidem Regi manum auxilij tui subtraxeris, & iurauer is contra ipsum, vtinam nescirent alij, quia non potuit nos latere.] Hæc ille. At de iureiurando Ioannis inferiùs. cæterùm Othonem, dum ab omnibus penè derelictus esset, ab Engilberto cæco, qui diuino numine afflatus futura prædicebat, erectum, ac meliorum spe recreatum testatur Cæsarius f: *Tempore quodam inuitatus a ducissa Saxoniæ vxore Henrici ducis matrona valde religiosa, inter alia multa, quia vnus ex filijs eius Imperator esset futurus, prædixit, quod postea impletum vidimus in Othone, qui Henrico successit in Imperio. Hic cum post electionem in maximis fuisset tribu-*

Pontifex Ioannem prouocat, Othoni faueret.
f Cæsar. l. 6 c. 10.
Prædictũ Othonis Imperiũ.

tribulationibus, & penè omnibus desperatus, ab eodem cæco confortatus est, eo asserente, quia omnibus modis forent implenda, quæ a Deo fuerant præordinata.

51 Sed rursus ad Innocentium, qui in solio iustitiæ disponente Domino constitutus (vt eius vtamur verbis a) ad Apostolicam sedem allatas quæstiones perpendit diligentissimè, sapientissimèque diremit. Extant complures eius epistolæ b ad Compostellanum & Bracharensem archiepiscopos, aliosque hoc ipso anno datæ, quibus in eorundem præsulum causa a se latam sententiam confirmat. Sed præstat hic adnotare, quæ Pontifex ad Martinū Bracharensem archiepiscopū scribens de crucis vsu sanxit c: *Ne pro multitudine & magnitudine quæstionum, quæ inter te, ac venerabilem fratrem nostrum Compostellanum archiepiscopū vertebantur, importabile vobis grauamen incumberet, super quæstione de vsu crucis aliquando ventilata, vos ad concordiam duximus inuitandos: qui nostris acquiescentes consilijs, in hunc modum concorditer conuenistis, vt vterque per prouinciam alterius vniuersam, crucem ante se faciat sine contradictione deferri. Volentes igitur, vt hæc forma concordia nostro mediante studio procurata inter vos & successores vestros inuiolabiliter obseruetur, eam auctoritate sedis Apostolica confirmamus, statuentes, vt nulli omnino hominum, &c. Datum Lateran. 2. non. Iulij.* In eandemque sententiam ad Petrum archiepiscopum scripsit, ad quem item paucis interiectis diebus diploma dedit d, quo decessorum suorum vestigia sectatus, Compostellanam ecclesiam ob B. Iacobi Apostoli ibi quiescentis reuerentiam priuilegijs ornauit & communiuit, eidemque archiepiscopalem sedem ex Emerita, quam Sarraceni occupauerant, Compostellam translatam in omnes sequuturas ætates confirmauit: decreuitque Emeritanum episcopum, cùm ea vrbs ex Sarracenorum manibus, seruituteque in Christianorum potestatem, libertatemque dante numine esset vindicata, Compostellano archiepiscopo obnoxium futurum. Tum subdit de annuo censu, quem Catholici Reges soluendum Compostellanæ ecclesiæ decreuerant: *Illum etiam censum, qui vota dicitur, quem Hispanorum Catholici Reges ex singulis boum paribus a flumine Pisorga vsque ad mare occidentale, & per totam Lusitaniam prouinciam, atque etiam in Toleto, & Transserram annuatim persoluendū pro salute totius terra liberaliter statuerunt, eidem ecclesia confirmamus, & omnimodo interdicimus, vt nulli fas vnquam sit, eum ipsi ecclesia qualibet occasione subtrahere. Dat. Lat. per manū Rainaldi Acheruntini archiepiscopi, cancellarij vicem agentis 2. idus Iulij, indict. 2. incarn. Dom.* MCLXXXXIX. *Pontificatus verò D. Innoc. Papa III. ann.* 2. De hoc censu alibi etiam Pontifex e.

a Inn. l. 2. ep. 93.
b Id. ibid. ep. 93. 124. 125. 126. 127. 140.
c Inn. l. 2. ep. 98.
Archiep. sedes ex Emerita Compostellam translata.
d Ibid. ep. 130.
Census a Regibus cathol. solutus Compostell. ecclesiæ.
e Ibid. ep. 137. 138. 140.

52 Sed ad sapientissima Innocentij iudicia, vnde deflexit, reuocetur oratio. pergunt acta: *Eodem quoq; tempore veterem illam, sed necdum inueteratam querelā, quæ de metropolitica dignitate super totam Britanniam inter Turonensem & Dolensem ecclesias vertebatur, tam prudenter examinauit, tamque subtiliter definiuit, vt licet per prædecessores suos multoties fuerit definita, nunquam tamen, nisi per eum finem fuerit sortita finalem.* Habes, lector, de his prolixiorem Innocentij epistolam f ad Bartholomæum Turonensem archiepiscopum; vbi in primis hæc contenta, quibus Dolensem ecclesiam Turonensi vt metropolitanæ subiecit, sanxitque, ne in posterum Dolensis episcopus pallij vsum affectaret, ac licet post latam sententiam instrumenta aliqua pro Dolensi ecclesia producerentur, se Apostolica auctoritate vim omnem illorum rescindere atque elidere, ne lis sæpius sopita iterum reuiuisceret.

f Id. ep. 79

Innocentius, &c.

Dolensis ecclesia postulabat, vt cum in libertatis semper possessione fuisset, electum Ioannem per dilectum filium nostrum Ior. tit. S. Pudentianæ presbyterum Cardinalem, tunc Apostolicæ sedis legarum auctoritate Apostolica confirmatum consecrare in archiepiscopum, & ei vsum pallij curaremus de solita sedis Apostolicæ benignitate conferre. Cæterùm ex parte Turonensis ecclesiæ fuit ad prædicta responsum, quod cum olim tota Britannia fuisset Turonensi ecclesiæ tanquam metropoli suæ subiecta, Britannis tandem conspirantibus contra Regē Francorum, & proprium sibi constituentibus Regem, occasione B. Sansonis quondam Eboracensis archiepiscopi, qui dum in partibus Britanniæ pateretur exilium, in Dolensi ecclesia cum archiepiscopalibus insignibus ministrarat, Dolensis ecclesia contra Turonensem supercilium elationis assumpsit: Britannis volentibus sibi nouum archiepiscopum, sicut nouum Regem creauerant suscitare. Vnde bonæ memoriæ Nicolaus Papa prædecessor noster Salomoni tunc Regi Britanniæ scribens, quod omnes episcopi regni eius suffraganei essent ecclesiæ Turonensis per literas suas expressit, adijciens tandem vt si contentiosus agere vellet ad sedem Apostolicam destinaret, vt quæ esset sedes metropolitica per eius iudicium appareret. In alijs etiam literis directis eidem Turonensi ecclesiæ metropolim esse Dolensis ecclesiæ, sicut ex prædecessorum suorum monimentis & exemplis priorum patere dicebat, asseruit, &c.] Demū post adductas Vrbani II. Lucij II. Eugenij, Anastasij, atq; Alexandri Pontificū auctoritates, qui apostolica sententia metropoliticę dignitatis cura Turonensi ecclesiæ asseruerant, ita litē dirimit Innocētius:

Turonen. ecclesia Britanniæ Metropolis.
Britanni nouum Regem & metropolitanū sibi cōstituūt.

Audientia ergò sibi propter hoc publica in consistorio bis indulta, quia præter præmissa nihil ad commodum partis suæ potuit allegari: cum quasi prænosceret quod deberet in causa succumbere electioni renuntiare voluit in manibus nostris: & a commissa sibi & socijs suis a Dolensi capitulo super eadem causa procuratione cessare. Nos autem nolentes hominum malitijs indulgere, nec renunciationem recepimus, nec passi fuimus, vt a commisso sibi, & socijs suis a Dolensi ecclesia super eadem causa procuratoris officio resiliret. Ipso igitur, nihil quod ad causam suam faceret postmodum proponente, cum ipsum negotium diu quidem cum multa diligentia nos & fratres nostri sufficientissimè discussimus, præmissis & alijs multis rationibus, per idoneos aduocatos, ab vtraque parte prudenter inductis: quas propter prolixitatem superfluam, in hac pagina prætermisimus annotare: de communi fratrum nostrorum consilio, auctoritate Dei omnipotentis & BB. Apostolorum Petri & Pauli & nostra, vtraque parte præsente, prædictas prædecessorum nostrorum sententias confirmantes, decernimus, statuimus & sancimus, vt Dolensis ecclesia perpetuis semper temporibus suffraganea plenè subiaceat ecclesiæ Turonensi, & debitam ei suæ veræ metropoli reuerentiam & obedientiam, cum alijs suffraganeis ecclesiæ Turonensis impēdat, nec vnquam Dolensis episcopus, ad pallij vsum aspiret: & ne causa toties definita, de cætero valeat in contentionis scrupulum refricari, si qua posthac instrumenta vel argumenta pro parte Dolensis ecclesiæ possent quomodolibet inueniri, nos auctoritate Apostolica nil ea penitus valitura censemus. Nulli ergo &c. definitionis &c. *Dat. Lateran. per manum Rainaldi D. Papa notarij, cancellarij vicem agentis. Kal. iun. indiction. 2. incarnat. Domin. ann.* MCXCIX. *Pontificatus verò D. Innoc. Papa Tertij ann.* 2. At de abdicatione, quam electum Dolensem pertentasse ait Pont. hæc Rogerius g: *Cum Dolensis electus contra se sententiam datam audiuisset, turbatus, nec immeritò, ac tristis plurimum ad præsentiam D. Papa accessit, & se volens dimittere, ipsi domino Papa Dolensem ecclesiam*

Dolensis ecclesia Turonēsi subiecta.

resignauit. Cui dominus Papa, cum hoc vidisset, absque mora respondit: Tu sponsus es, & te sponsa tua exigit. Istud facere absque nostra licentia, quod nolumus, tu non potes: tibi in virtute obedientia pracipimus, vt post vocationem factam ab archiepiscopo Turonensi, infra quadraginta dies ad ipsum, omni excusatione postbabita, tanquam ad metropolitanum tuum recepturus ob eo munus consecrationis accedas. Sic ille. Innocentius porrò alias eiusdem exempli cum paulò ante recensita epistola misit archiepiscopo & capitulo Turonensi a, Francorum Regi b, clero & populo Dolensi, Rhoromagensi archiepiscopo, atque alijs, quorum Rogerius meminit.

a Inn.l.2. ep. 80.
b Ib. ep. 81

53 Vt verò Innocentius Dolensem sua dignitate discedere meditantem munere abire non permisit, ita Conradum Hildesemensem sedis Herbipolensis inuasorem e dignitatis gradu reluctantem dimouit: plurimum enim aduersus superbum præsulem fuisse laborandum, ipsius epistolæ, tum vitæ acta declarant, in quibus hæc leguntur: *Excommunicauit Conradum * Vldesemensem episcopum Imperialis aula cancellarium, virum vtique nobilem, diuitem, & potentem, ingeniosum, industrium, & astutum; quia videlicet ad Herbipolensem ecclesiam sua præsumpsit temeritate transire, monitusque contempsit resipiscere ob errore, pratendens quòd a Cælestino Papa sibi fuerat indultum, vt mutatus maiorem posset assumere dignitatem, sed hac indulgentia cum non poterat excusare, quoniam Herbipolensis ecclesia, quamuis ditior, non tamen dignior, quàm Hyldesemensis existit, & maioris est indulgentia, vt quis transeat ad parem, quàm ad maiorem dignitatem ascendat; & ideo cùm post admonitionem contemptam pracepisset eidem, quatenus vtramque ecclesiam dimitteret, quia cautum est in canonibus, vt qui ad maiorem se plebem contulerit, & a cathedra pellis aliena, & careret propria, ne illis prasideat, quos per superbiam spreuit, vel illis quos per auaritiam concupiuit, ipse tamen excommunicari fecit eundem, & per totam prouinciam publicari.* Hæc ibi quæ & eiusdem Pontificis literis comprobantur, quandoquidem hoc ipso anno ad eundem Conradum prætermissa salutatione scribens c, inuehitur in eum grauiter, quòd Apostolicæ sedis auctoritate contempta (ad quam, vt ait, episcoporum cessiones, depositiones, & translationes spectare compertum est omnibus, eadem dixerat in epistola ad Andegauense capitulum paulo ante data d) ab Hyldesemensi ad Herbipolensem ecclesiam transire præsumpsisset. Quapropter & præcipit e Hyldesemensi capitulo, vt alium sibi eligant episcopum, & Magdeburgensi archiepiscopo f, & suffraganeis eius, pluribusque alijs episcopis, vt illius anathema promulgarent. *Ipsum*, inquit, *in festa principis Apostolorum proximè praterito prasentibus nuncijs eius, inter Missarum solemnia excommunicatum publicè nunciauimus & mandauimus ab omnibus euitari. Idcoque vniuersitati vestra per Apostolica scripta mandamus, & districtè pracipimus, quatenus latam in eundem C. a nobis excommunicationis sententiam publicantes, ipsum singulis diebus dominicis, & festiuis, pulsatis campanis, & candelis accensis denuncietis excommunicatum: & ab omnibus tanquam contemptorem Apostolica iussionis arctiùs euitandum.* Vt verò post imploratam Innocentij Papæ misericordiam episcopatum recuperarit, suo loco dicemus.

*Hyldesemensem
c Ibid. ep. 570.
d Ibid. ep. 529. c. 2.
e Inn. l. 2. ep. 52. vid.
f Inn. l. 2. ep. 196.

54 Cum nostra oratio in episcoporum causis versetur, non est prætereundũ, Innocentium hoc eodẽ anno Hierosolymitano patriarchæ & dominici sepulchri canonicis demãdasse g, vt ad certũ diem procuratores suos ad Apostolicam sedem mitterent, de Tyrensi, & Petertensi archiepiscopatibus causam aduersùs Antiochenũ patriarcham dicturos. Quid demum in Balduini comitis Flandriæ causa egerit, exponamus. Exarserant antea inter Philippum Francorum Regem ac Flandriæ comitem nonnullæ controuersiæ, ad quas extinguendas ad certas leges descenderant, quas sacramento seruaturum Balduinus spoponderat; sed cùm subditorum voluntates ad eas admittendas flectere non posset, a Philippo obtinuerat, vt ipsum iuramenti religione liberaret, at Philippus paulò post facti pœnitens, eas pacis leges C. Pontifici confirmandas obtulerat, sed comes cùm se ijs solutum ostenderet, sedes Apostolica comitem liberum penitùs censuit: enecto postmodum ad Pontificatum Innocentio, tacitis fraudibus ab eo elicuit, vt legatus Apostolicus anathemate, interdictoque incussis Balduinum ad iuratas primò pacis leges seruandas adigeret, mox comite rei iniquitatem exponente, Innocentius censuras a legato reuocandas, conuellendasq; imperauit a. Qua de re b ad Ambianẽsem etiam, ac Tornacensem episcopos scripsit, quod autem Regi Francorum suo nomine significare, iubet archiepiscopum, eidem Regi per literas exposuit c. Ad hæc Balduinum & Mariam eius vxorem, tanquã peculiares, vt ait d, Ecclesiæ filios protegere, tuerique volens, omnino vetat, ne quis sine iusta manifestaque causa ipsos, eorumue loca ecclesiasticæ censuræ subijcere audeat, irritam faciens, si qua in eos sententia ferretur, dum illi ad Apostolicam sedem appellassent. Hæc de tanto principe haud silentio præterijsse oportuit.

g Lib. 1. ep. 503.
Innoc. Regis Franciæ & Flandriæ comitis causã agnoscit.
a Inn. l. 2. ep. 40.
b Inn. reg. post eã. epist.
d Ib. ep. 42
e Ib. ep. 43

Reticendum quoq; non putaui, æquissimũ Pontificem non solùm dilectos filios, verùm etiã exteros ipsos, cæteroqui immeritos ab iniurijs vindicasse; cùm enim exagitati Iudæi patrocinium eius implorarent, dato pro ipsis diplomate hæc iussit e: *Ex Christiana pietatis mansuetudine prædecessorum nostrorum felicis memoria, Calixti, Eugenij, Alexandri, Clementis, & Cælestini Romanorum Pontificum vestigijs inharentes, ipsorum petitionem admittimus, eisque protectionis nostra clypeum indulgemus. Statuimus enim, vt nullus Christianus inuitos, vel nolentes eos ad baptismum per violentiam venire compellat, sed si eorum quilibet sponte ad Christianos fidei causa confugerit, postquam voluntas eius fuerit patefacta, sine qualibet efficiatur calumnia Christianus, veram quippe Christianitatis fidem habere non creditur, qui ad Christianorum baptisma non spontaneus, sed inuitus cognoscitur peruenire, &c.* Verat ne vlla Iudæis iniuria, aut damnum eorum rebus a Christianis inferatur. Sed qui peruicaces homines defendit, eos amantissimo sinu excipiebat, qui ad fidem Christi transuolabant: ita Æduensem episcopum arguit f, quòd Iudæi conuersi, eiusque filij curam neglexisset, atque abbatem & conuentum S. Mariæ de Leycestre quendam Iudæum, qui susceptis Christianis sacris, ex summis opibus & florenti fortuna in abiectam atque egentem defecerat, alere iussit. g

Iudæi ab iniurijs vindicati.
e Inn. l. 2. ep. 282.
f Lib. 2. ep. 198.
g Ibid. ep. 226.

55 Incendebat nimirùm illum zelus lucrãdarum Christo animarum, quo inflammatus ex Apostoli monito ingenium ad omnia flectebat, vt omnes, siue Iudæos, siue gentiles, siue hæreticos, siue schismaticos ad Christum adduceret. Is verò emicuit, cùm Vvulcano Dicliæ atq; Dalmatiæ Rege diuinitùs ad Romanæ Ecclesiæ obsequium reuocato, ad populos ipsi obnoxios conuertendos Ioannem capellanum & Simonem subdiaconum in eas regiones misit, prouinciamque ipsis imposuit h, vt omnia malè antea statuta, atque a vera pietate abhorrentia emendarent. De quo Regi, Reginæque, tum spectatissimo in ijs regionibus viro S..., magno Iupano, vxorique eius, tum Dicliensi archiepiscopo, tum denique regionum illarum archiepiscopis, episcopis, abbatibus, atque clericis literas i misit. Extant itidem a Vvulcano redditæ ad Innocentium literæ, quas ex parte afferre, vt quæ tanti principis pietatem

h Lib. 2. ep. 524.
i Inn. Reg. post eã. ep.

tatem redoleant, illustrenteque, haud molestum fore putaui.

a Lib. 2. ep. 167. *Beatissimo a atque sanctissimo Patri & Domino Innocentio Dei gratia sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici, & vniuersali Papæ Vvulcanus eadem gratia Dioclia atque Dalmatia Rex salutem, & deuotionis affectum.*

Venientibus ad nostram præsentiam domino Ioanne Capellano, & domino S. religiosis, & disceretis sanctæ catholicæ & Apostolicæ sedis legatis amodo lucundati sumus, qui sicut solis splendor in virtute sua radians totum orbem videtur illustrare, ita illorum sancta, & salubri prædicatione totum regnum nostrum creditur fore illustratum. Vnde meritò dicimus: Visitauit nos oriens ex alto. Illorum itaq; probitate, & scientia nos informati Deo, & Paternitati vestræ innumeras grates rependere curamus, quia tales ad nos misistis, quales in voto habuimus suscipiendos, diuino munere præditos, quia omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est. Præsentatis igitur literis vestris, intelleximus, quia postulationibus nostris Apostolatus vestri beatitudo misericorditer acquieuit. Vnde nos cum magna animi deuotione præcipimus, vt per totum regnum nostrum, omnia, quæ secundùm Deum sunt, ordinent, & constituant, &c.]

Litera Regis Diocliæ & Dalmatiæ ad Innoc.

56 Hæc ipse Christianis principibus, summæ in Apostolicam sedem, eiusque ministros obseruantiæ & obedientiæ egregium ad imitandum exemplum præbens. Rescripsit prætereà ad Innocentium, tum magnus Seruiæ Iapanus b, tum Ioannes Dioclienfis & Antibarensis archiepiscopus in hæc verba: c

b Inn. l. 2. ep. 168. c ibid. ep. 169.

Sanctissimo Patri, & domino Innocentio Dei gratia summo Pontifici Ioannes Dioclien. & Antibaren. ecclesiæ humilis minister, tam debitam, quàm deuotam obedientiam.

Gratias vberes refero sanctissimæ Paternitati vestræ de honore pallij, & pontificalis officij plenitudine, quam mihi per dominum Ioannem, & dominum Simonem familiares & legatos vestros concedere dignati estis. *& infra:* Ego verò in proximo nuncios meos ad pedes vestræ sanctitatis transmittam, qui deuotionem meam Paternitati vestræ pleniùs declarabunt.] Hactenus Ioannis epistola ad Innocentium, post quam synodalia acta leguntur, vbi nonnulla decreta ex sanctorum Patrum concilijs quod legati profitentur, renouata. Primò contra simoniacos sancitur, vt tam episcopus, qui pecuniam allectus sacros ordines contulerit, quàm qui prudens ac sciens susceperit, perpetuò deponatur.

Literæ archiepisc. Diocl.

Statuta varia ecclesiastica de cœlibatu sacerd.

De collatione ordinum.

Eorum dein coniugia, qui sacris ordinibus initiati sunt, damnantur: prætereà subditur: *Prohibemus etiam, ne aliquis episcopus, nisi in quatuor temporibus iuxta sanctorum Patrum constitutionem, aliquem ad sacros ordines promouere præsumat; solus enim Romanus Pontifex dominicis diebus subdiaconos ordinare potest. Cùm autem episcopus ordinationem fecerit, non nisi vnum ordinem a subdiacono, & supra conferre præsumat: ordinatus autem in subdiaconum, ad minus per annum in eodem officio deseruiat, & diaconus similiter faciat. Quicunque autem episcopus contra hoc venire præsumpserit, tamdiu a conferendis ordinibus abstineat, donec a Romano Pontifice misericordiam consequatur.* Prætcrimus silentio alios canones in ea synodo sancitos, quòd in lucem editi sint, atque omnibus nota complectantur.

57 Dum Ioannes ac Simon in Diocliæ partibus legationis munere fungerentur, accusatus est homicidij Dominicus Saocensis episcopus, celebratoque concilio, vt illius causa agitaretur, conuictus solummodo est homicidam scientet ad sacros ordines promouisse, ob quam culpam vltro mithra abiecta se episcopatu abdicauit, dein facti pœnitens repetitus dignitatis insignibus, ad sedem Apostolicam prouocauit, reque discussa hanc tulit sententiam Innocentius, quam archiepiscopo Antibarensi literis a significauit: *Cùm secundum Apostolum episcopus bonum testimonium debeat & ab his qui sunt intus, & ab his qui sunt foris, habere, qui ad curam positus aliorum, in seipso debet ostendere, qualiter alios in domo Domini oporteat conuersari, vt e præferens memorandi criminis labem, lucidam gerat sacerdotij dignitatem. Nos attendentes quòd satius sit ei Domino in inferiori ministerio deseruire, quàm gradum sublimitatem appetere cum scandalo aliorum, episcopum monuimus diligenter, vt postquam episcopalia insignia resignarat, vltra pontificale fastigium creatori suo deuotum impenderet amodo famulatum, quod in humilitatis spiritu & contrito animo visus est acceptasse.* Subdit, vt certos episcopatus redditus ad vitam sustentandam attribuat, atque in eos, qui ipsum exagitarent, anathema fulminaret. Qua verò ratione Dominicus temerè dignitatem recuperare pertentarit, sequenti anno videbimus.

a Lib. 2. ep. 172.

58 Aggregatis felicissimè Romanæ Ecclesiæ, a qua diu discissæ schismate fuerant, Dalmatia ac Dioclia, conuertit animum Innocentius in Bulgaros ad Christi ouile instar soliciti pastoris reuocandos, cui sese egregia obtulit tentandæ rei, quæ demum postea in opus perducta est, occasio: excusserat enim Bulgarorum princeps per hæc tempora Græcorum iugum, atque e Romanis veteribus genus suum ducere gloriabatur, ob quæ missis legatis, literisque ipsi gratulatus, vt ad Romanæ Ecclesiæ obsequium rediret, prouocauit, de quo hæc eius acta: *Direxit Dominicum archipresbyterum Bisuntinum, virum in Græca & Latina lingua peritum, ad Ioannem dominum Blancorum & Bulgarorum, qui a Græcorum dominio se subduxerat, per quem tales ei literas destinauit.*

Pro Bulg. conuertendis laborat Innoc.

Innocentius &c.

Respexit Dominus humilitatem tuam, & deuotionem, quam erga Romanam Ecclesiam cognosceris hactenus habuisse, & te inter tumultus bellicos & guerrarum discrimina, non solùm potenter defendit, sed etiam mirabiliter, & misericorditer dilatauit. Nos autem audito, quòd de nobili vrbis Romæ prosapia progenitores tui originem traxerunt, & tu ab eis & sanguinis generositatem contraxeris, & sinceræ deuotionis affectum, quem ad Apostolicam sedem geris, quasi hereditario iure, iampridem te proposuimus & literis & nuncijs visitare, sed varijs Ecclesiæ solicitudinibus detenti, hactenus non potuimus nostrum propositum adimplere: nunc verò inter alias solicitudines nostras, hanc etiam assumendam duximus, immo consummandam potiùs iamdudum assumptam, vt per legatos, & literas nostras te in laudabili foueamus proposito, & deuotione sedis Apostolicæ solidemus &c.] Hactenus Innocentij epistola, quæ etiam in eius suo regesto b habetur. Quomodo autem princeps ille Romani Pontificis legationem, literasque summa gratulatione ac reuerentia exceperit, atq; humanioribus verborum officijs rescripserit, suo loco exponemus. Iam ad Græcorum res, quorum conuersionem ardentissimè sitiebat Innocentius, nos conferamus.

Innoc. literæ Regi Bulgar.

b Inn. l. 2. ep. 257.

59 Miserat anno superiore Constantinopolim Innocentius Papa nuncios, quod eius acta testantur, Albertum subdiaconum, & Albertinum notarium ad Alexium Imperatorem, adhortaturos, vt Terræ sanctæ suppetias ferret, Græcorum ecclesiam ad Apostolicæ sedis obedientiam, a qua contumaciter tamdiu defecerat, reuocandam operam daret. Prætereà Constantinopolitanum patriarcham admonuerat, quod supra tetigimus, vt principem ipsum ad id impellere atque inducere omni studio niteretur. Quid autem exinde factum, missæ vltro citroque lite-

Legati Cõstantinopolim miss.

ratione potiùs dignitatis. Nam rtsi secundùm Ioannem Andreas priùs venerit ad fidem, quàm Petrus, prælatus est tamen Petrus Andreæ, cùm & in Apostolorum catalogo semper primus quasi præcipuus præmittatur, non quòd Petrus sit prior tempore, sed potior dignitate. Ad omnem tamen dubietatem tollendam tua fraternitas debet distinguere secundùm diuersas nominis rationes inter Romanam, & Hierosolymitanam ecclesiam, quòd illa dicenda sit mater fidei, quoniam ab ea sacramenta fidei processerunt; ista verò dicenda sit mater fidelium, quoniam priuilegio dignitatis vniuersis fidelibus est prælata, &c.] Quod ad concordiam conciliandam attinet, in quam pacis amantissimus toto pectore incumbebat, proposuit se concilium oecumenicum celebraturum, ad quod ipsum inuitabat. Ad extremum verò habetur: *Datum Laterani 2. id. nouemb.*] recitatur etiam in Innocentij vita.

a Apud Innoc. l. 2. ep. 200. — 62 Extat præterea Alexij Imperatoris epistola a Innocentio sanctissimo, vt ipse ait, Papæ Romano per Ioannem Georgium Venetum nuncium suum data mense februarij, die, & indictione 2. ex qua idem Pontifex ad Ioannem patriarchā recitat, quæ de cogenda synodo dicta sunt: Innocentij verò responsio continetur pariter in eius regesto b, tum vitæ actis. (b Inn. ib. ep. 203.) Quoniam verò Alexius innuere videbatur, quòd nondum pro Terra sancta e Sarracenorum manibus eripienda elaborandum foret, seque timere addiderat, ne si illi liberandæ præfinitum a Deo tempus antevertere auderet, frustra opus pertentaret, atque adeo sibi a Domino propheticum illud obijceretur: *Sibi regnauerunt & non per me: dominati sunt, nec me nouerunt.* Innocentius ita ipsum informauit atque erudiuit.

Innocentius &c.

Innoc. ad Imp. Cōstantinop. literæ. — Vt non tàm ad reprehensionem, quàm instructionem loquamur, si diligenter consideres, & inspicias veritatem, longè aliter intelliges sentiendum. Bonorum enim omnium dator, qui reddet vnicuique secundùm opera sua, cui seruitia coacta non placent, liberum homini concessit arbitrium, vt super his, in quibus humanum posset inuenire remedium, dominum non tentaret; scriptum est enim: *Non tentabis Dominum Deum tuum*. Est igitur in tanta necessitate populi Christiani, vel potiùs Iesu Christi tam tibi, quàm vniuersis sacri baptismatis vnda renatis libero vtendum arbitrio, & subueniendum exuli crucifixo: ne, si redemptionis eiusdem terræ tempus ignotum hominibus expectare volueris, & nihil agere per te ipsum, sed vniuersa relinquere dispositioni diuinæ, sepulchrum dominicum a Sarracenorum manibus præter tuæ subuentionis auxilium liberetur, & inde per negligentiam Imperialis magnificentia diuinam incurrat offensam, vnde per solicitudinem suam, gratiam Domini poterat promereri. Nunquid enim sensum Domini cognouisti? nunquid consiliarius eius es? Vt certus in dispositione diuina, tunc primùm arma moueas in Paganos, & ad liberationem Hierosolymitanæ prouinciæ accingaris, cum Dominus misereri disposuerit populi Christiani, & hereditatem suam de Sarracenorum manibus liberare.] Ineptissimum quidem in consulendis astrologis Alexium fuisse, cùm aliquid suscepturus esset, notat Choniata c, (c Nicet. Chon. l. 3.) adeo vt cùm aliquando Chalcedone Blachernas petiturus, dictum ab astrologo tempus expectaret, subitò magno hiatu dehiscente terra in periculum ingens adductus fuerit, ipsius gener Paleologus vnà cum alijs malè cruribus affectus, eunuchus verò infossus, atque voragine haustus perierit: (Alexius dū paret astrologo periclitatur.) *Deo monstrante* (vt subdit auctor) *se esse horarum & temporum Dominum, & a se itinera hominum vel prosperari vel impediri.* Insanientem ergo principem astrorum obseruationi, superstitionique addictissimum pluribus monuit Innocentius, vt libero arbitrio, quo pollebat, in tanta re perducenda vteretur. Pergit Innocentius:

63 Gaudemus autem quòd super Ecclesiæ vnione, pro qua Imperatoriæ magnificentiæ specialiter literas nostras direximus, & legatos, sicut ex literis tuis accepimus, promptum videris habere affectum, & ad consummandum, quod scripsimus, intendere diligenter, &c.] Agit postea de generali concilio, quod ad consulendum Ecclesiæ commodis ac vtilitatibus decreuerat celebrare, ac demum hortatur, vt Ioannem capellanum, familiaremque suum & Apostolicæ sedis legatum, quem ipsi mittebat, benignè exciperet, atque honore prosequeretur. data est hæc epistola Laterani idibus nouembris. Præterea eiusdem mensis decimo sexto Kal. ad magistrum L. vicarium suum Constantinopolim scripsit Innocentius. cùm enim accepisset quosdam ibi in sacerdotali tantùm gradu constitutos confirmationis sacramentum conferre, ne id fieret, grauiter vetuit; eodemque die Latinis omnibus clericis, atque laicis ibidem agentibus imperauit, vt eidem Apostolicæ sedis legato obtemperarent.

Quid autem tam Imperator, quàm patriarcha Pontificijs acceptis literis egerint, tradit Innocentij gestorum scriptor: *Cùm autem* (inquit) *Imperator, & patriarcha literas huiusmodi recepissent, & eas sibi fecissent diligenter exponi, non minimum doluerunt de ijs, quæ priùs scripserant pœnitentes; quoniam Imperator ex promissione sua cognoscebat se obligatum, quod cùm Romanus Pontifex conuocaret concilium generale, ipse debebat Græcorum ecclesiam ad illud concilium destinare, statuta concilij accepturus. Patriarcha verò ex responsionibus Apostolicis super suis consultationibus factis cognoscebat, se tam rationibus, quàm auctoritatibus coarctatum ad obedientiam Romano Pontifici exhibendam.* — Imp. & Patr. resiliunt a promissis.

64 *Imperator igitur habito cum Græcis longo consilio ad vltimum sic respondit, quod si Romanus Pontifex faceret in Græcia celebrare concilium, vbi quatuor antiqua concilia fuerant celebrata, illuc Græcorum ecclesia suos mitteret responsales, & fingens se longiùs ire, ad aliam materiam se conuertit, mittens summo Pontifici literas, in quibus nitebatur probare, quòd Imperium Sacerdotio præpollebat, ad quas & dominus Papa respondit.* Recitare pergit Innocentij ad Alexium redditam epistolam, qua falsissimam imperiti principis opinionem confutat, confirmans apertissimis rationibus imperiali dignitati sacerdotalem antecellere, post quæ addit:

Hæc si prudenter attenderit Imperatoria celsitudo, non faceret, aut permitteret venerabilem fratrem nostrum Patriarcham Constantinopolitanum magnum quidem & honorabile membrum Ecclesiæ iuxta scabellum pedum suorum in sinistra parte sedere, cùm alij Reges, & principes archiepiscopis, & episcopis suis, sicut debent, reuerenter assurgant, & eis iuxta se honorabilem sedem assignent. Nam & piissimus Constantinus, quantum honoris exhibuerit sacerdotibus, tua, sicut credimus, prudentia non ignorat. Tulère postea Græci perfidiæ suæ pœnas, cùm diuino numine permittente crucesignati Imperium Constantinopolitanum inuasère; si enim Alexius Innocentij monita audijsset, nunquam Latini ipsius nepotis partes aduersùs ipsum suscepissent.

65 At si nimio fastu turgidi Græci subdere se Christi vicario respuerunt, longè sapientiores Armeni, qui iam ante anno Christi MCXLV. Eugenio se submiserant, iugum illius suauissimum excipere gloriæ ac triumpho duxerunt. De his enim Innocentij vitæ scriptor ita prodit: *Audita fama nominis eius Gregorius Armeniorum Catholicus* (ita vocabatur eorū patriarcha) *& Leo Rex minoris Armeniæ, nuntios & lite-*

literas cum muneribus domino Innocentio transmiserunt ad deuotionem & obedientiam eius se humiliter exponentes. Insertæ sunt huiusmodi epistolæ huius anni regesto.

Innocentio &c.

Vobis, a qui estis caput post Christum cõsecrati ab eo, & caput catholicæ Ecclesiæ Romanæ matris omnium ecclesiarum adeo prudentius, & sanctius, quòd debetis esse in loco Apostolorum sublimis Papa, & vobis sanctis archiepiscopis, episcopis, Cardinalibus, presbyteris, clericis, & omnibus, qui sunt de vestra sancta Ecclesia salutem & fraternitatem. Pax Dei sit inter vos. Gregorius homo Iesu Christi per gratiam Dei, Catholicus totius ecclesiæ Armeniorum, filius vestræ sanctæ Ecclesiæ, quæ est fundamentum legis totius Christianitatis.] Quod intellectu difficile videbatur Constantinopolitano patriarchæ, Romanam scilicet Ecclesiam matrem esse omnium ecclesiarum, pleno ore, vt notissimum certissimumque, hic & infra Armenorum Catholicus profitetur, qui & de Maguntino episcopo, deque Rege diademate solemni pompa redimito, vt supra vidimus, hæc subijcit: Noueritis domine, quòd ad nos venit nobilis, sapiens, & sublimis archiepiscopus Maguntinus, qui nobis attulit ex parte Dei, & ex parte sublimitatis Ecclesiæ Romanæ, & ex parte magni Imperatoris Romanorum sublimem coronam, & coronauit Regem nostrum Leonem, & nobis reddidit coronam, quam nos perdidimus a longo tempore, vnde nos fuimus elongati a vobis, & nos recepimus eam libenter, & cum magno gaudio, & inclinamus, & regratiamus Deo, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & alto Imperatori Romanorum. Sciatis domine, quòd ipse nobis monstrauit vestra præcepta, & nos ea multum libenter audiuimus, & libenter volumus legem, & fraternitatem sublimis Ecclesiæ Romanæ, quæ est mater omnium ecclesiarum, & nos solebamus eam habere, & nunc eam habemus, & libenter volumus esse ad vestrum mandatum, & firmiter sunt ad mandatum etiam vestrum omnes archiepiscopi, episcopi, & omnis clerus nostræ ecclesiæ, qui sunt in multis terris, & sunt multi per Dei gratiam.]

a Lib. 2. ep. 209.

Corona a Pontifice, & Imp. missa Rex Armeniæ redimitus

66 In quam sententiam Leo Armenorum Rex eundem Pontificem sic alloquitur:

Innocentio, &c.

In vestri verò luminis gratia salutaribus monitis reuerendissimi patris nostri archiepiscopi Maguntini instructi, & informati omne regnum nobis a Deo commissum amplissimum & spatiosum, & omnes Armenios huc illuc in remotis partibus diffusos, ad vnitatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, diuina inspirante clementia, reuocare cupimus, & exoptamus.] Et infra, contra Sarracenos subsidium flagitans adijcit, quæ sequuntur: Vestram flexis genibus imploramus pietatem, quatenus lacrymabilibus domini Maguntini precibus, & nostris diuino intuitu aures misericordiæ porrigatis, & miserijs Christianitatis compatientes subsidium Christianissimum nobis accurrendo mittatis, &c. *Datum Tharsis anno ab incarnatione MCXCIX. mense maio, die vigesima tertia.*] De Armeniæ Rege per Maguntinum archiepiscopum corona exornato agit etiam Arnoldus Lubecensis b, cuius tamen textus, vt benè notauit Card. Baron. tom. 12. ann. 1197. num. 11. labefactatus est expuncto a nouatore aliquo Romani Pontificis nomine, quo potissimùm auctore, vt audiuimus, ista peracta fuere. Credi vix potest quàm optimi patris animum pro Ecclesia Dei tanta negotiorum mole grauatum, tamque filiorum præuaricationibus flagitijsq; afflictatum hæc leuarint, recrearintque, quandoquidem totis viribus, studijsque omnibus contendebat, vt catholicos in officio contineret, aberrantesque ad Ecclesiam catholicam reuocaret, nil optatius, iucundiusque ipsi accidere potuit, quàm vt huiusmodi læta nuncia exciperet. Igitur quem gementem sæpius vidimus, par est, vti ingentibus gaudijs delibutum, deque his gratias largitori bonorum Deo referentem audiamus. Extant eius ad Catholicum, Regemque Armeniæ redditæ epistolæ, cum in regesto, tum in eius vitæ actis, ac primò ad Gregorium Catholicum scripsit a 9. Kal. decemb. hoc anno. *Ex eo* (inquit) *te radicatum in fide catholica, & esse catholicum non tam nomine, quam merito experimur, quod Apostolicæ sedis magisterium recognoscens, eam ecclesiarum omnium matrem, & nos caput vniuersorum fidelium confiteris, sicut ex tuarum nobis innotuit serie literarum.* Vbi postquam de primatu Apostolicæ sedis aliqua disseruit, subdit quomodo in pastorali munere se gerere debeat. multa paucis amplectitur; quæ vtinam Ecclesiæ præsules ob oculos sibi proposita haberent, atque implere niterentur: *Esto*, inquit, *circa subiectos magister, vt doceas, vt corrigas pater, mater, vt foueas, doceas minus doctos, superbos corrigas, humiles foueas & deuotos: iustitiam misericordia temperans, & æquitatem in iudicio non relinquens.*

Contra Sarracenos auxilium implorat

b Arnol. Lubec l. 5. c. 62.

a Lib. 2. ep. 210.

Innocẽtij literæ ad Patriarch. Armen.

PP. documenta ad Patriarç.

67 Eodem ferè argumento ad Leonem Regem scribens, ipsum præceptis optimis imbuit b. Sed hæc, aliaque ab ipso de Christi aucta gloria triumphante hauriamus.

b Ibid ep. 212.

Innocentius, &c.

Gaudemus autem, quòd tu sicut princeps catholicus Apostolicæ sedis priuilegium recognoscens, venerabilem fratrem nostrum Maguntinum archiepiscopum, episcopum Sabinensem vnum ex septem episcopis, qui nobis in Ecclesia Romana collaterales existunt, benignè, ac hilariter recepisti, & non solùm per eum institutis salutaribus es instructus, quibus iuxta continentiam literarum tuarum totum regnum tuum licet amplissimum desideres informari, & vniuersos Armenos ad Ecclesiæ Romanæ gremium reuocare, sed ad honorem, & gloriam Apostolicæ sedis, quam constitutam esse nouisti super gentes, & regna, diadema regni recepisti de manibus eius, & eum curasti deuotè ac humiliter honorare, & nos per ipsum, & literas tuas ad orientalis terræ subsidium inuitasti.] Post hæc tradunt acta: *Rex quendam militem cum literis suis ad summum Pontificem destinauit, rogans, & postulans, vt eum super iniurijs, quas super successione principatus Antiochiæ comes Tripolitanus cum hospitalarijs eidem nepoti suo Rupino nomine irrogauerat, ad sedem Apostolicam appellasset, faceret ei iustitiæ plenitudinem exhiberi.* Emerserat verò ingens ea discordia ex immatura Rupini maioris natu filij Remundi Antiochiæ principis morte: is enim suscepto ex Aliza vxore Leonis Armeniæ Regis nepte filio, in extremis vitæ confinijs patrem obsecrauit, vt principatum Antiochenum, qui naturæ iure in se transfundendus erat, si superstes foret, in filium, eundemque ipsius nepotem transmitteret. Sublato in ipso ætatis flore Rupino, tristis pater, filio iustis persolutis, nepotem suum, qui filium ipsi rediuiuum referebat, Antiocheno principatu ornauit, atque vt heredi legitimo nobiles, populumque sacramento adegit. rem tulit grauiter Tripolitanus comes defuncti frater, atque ad inuadendum principatum Hospitalarijs, ac Templarijs fultus se comparauit; subornatis ciuibus Antiochiam occupauit: eosque priori sacramento abiurato, nouo alio sibi deuinxit: quo facto non modò Remundo parenti, verùm etiam Leoni Armeniæ Regi, cuius neptis filius patria hereditate exuebatur, grauissimam iniuriam intulit. Armenus igitur Templarijs atque Hospitalarijs paulò post Tripolitanum deserentibus, eiectum a filio restituit, atque Innocentium rogauit, vt Apostolicam in tanta re auctoritatem adhiberet, ac iura Rupini defuncti filij, auumque

Innocent. Regi Armen.

Armen. Rex appellat ad Põt pro Antiocheno principatu

quæ a Tripolitani conatibus assereret ac vindicaret; cui Innocentius vt meliùs dubia explicarentur, & æqua ferri posset sententia, legatos in orientem se missurum respondit.

68 Habes lector eandem Innocentij epistolam a inter alias hoc anno datas typis cusas; vbi etiam recitatur illa, quam ab ipso Rege acceperat. b Pergunt gesta: *Per eundem militem misit ei D. Papa vexillum, quod postulauerat ab eodem*. de quo Innocentius hæc ad eundem Regem c: *Nos igitur de tua deuotionis sinceritate confisi, ad petitionem dilecti fily Roberti de Margat militis, nuncij tui, in nostræ dilectionis indicium, vexillum beati Petri tuæ serenitati dirigimus, quo in hostes crucis dumtaxat vtaris, & eorum studeas contumaciam cum Dei auxilio, suffragantibus Apostolorum Principis meritis refrenare. Datum Laterani xvi. Kalian.* Quo item die ad Paganum, & Artonem comites, vniuersosque Armeniæ optimates, milites ac populum scribens, d eadem de vexillo habet, cohortaturque eos ad strenuè in Sarracenos cum Rege, vti cœperant, dimicandum.

(a Inn. l. 2. ep. 245. b Inn. l. 2. ep. 244. c Inn. l. 2. ep. 247. Inn. mittit Regi Armen. vexillum B. Petri. d ibid. ep. 246. recitatur ut in Innoc. vita. e Inn. l. 2. ep. 251.)

Monuit e præterea, hortatusque est Innocentius Regem, vt castrum Haston occupatum, quod cùm Sarracenis mera principum, qui iam ante in transmarinas regiones copias traiecerant, dimissum fuisset, ipse detinebat, Templarijs omnino restitueret, qui antequam ab illis occuparetur, vt Pontifex acceperat, pacificè ipsum possederant: demumque addit, si quid in hac re proponere voluisset, libentum ipsi fore coram se vel legatis in orientales partes quamprimum proficiscuturis ius experiri. Quid verò Rex ad Innocentium, alibi videndum.

69 Flagitauerat inter cætera oratorum opera ab Innocentio Armenus, vt crucesignatus exercitus in orientem contra Sarracenos submitteretur, cùm rei bene gerendæ pulcherrima occasio affulgeret. Et quidem anno præterito Pontificem in tam pia expeditione instituenda sanctissimè occupatum vidimus: ob id inter alia Petrum Cardinalem in Gallias miserat, Goffredum verò Venetias, quos insigne rat cruce, vt exemplo cæteros allicerent: qui ambo hoc anno summo zelo operam suam explicuere. Et de Goffredo enim hæc acta: *Misit Goffredum presbyterum Cardinalem ad ducem, & populum Venetorum, ad cuius exhortationem ipse dux, & multi de populo crucis characterem acceperunt, marchioque Montisferrati, episcopus Cremonensis, & abbas de Lucedio, multique alij nobiles de prouincia Lombardiæ cum multitudine plebis innumera deuouerunt se ad officium Crucifixi.* de Petro verò hæc tradunt: *Adeo diuina gratia fauente profecit, quòd innumera tam militum, quam peditum multitudo ad verbum exhortationis ipsius signum crucis suscepit ad obsequium Crucifixi, cum quibus etiam quidam episcopi, & abbates, & alij multi clerici peregrinationis propositum acceperunt, inter quos principales fuerunt Theobaldus comes Trecensis, Ludouicus comes Barrensis, Balduinus comes Flandriæ & Hannoniæ, & comes de S. Paulo, Suessionensis, & Trecensis episcopi, & quidam ordinis Cisterciensis abbates.* Atque eodem Cardinale in concilio Diuionensi ab ipso indicto agente, aliqui præsules Galli trigesimam redditum partem pro alendo milite spopondere; alij soluendæ quadragesimæ, vt ab Innocentio imperatum erat, se astrinxere: sed cùm ij a promissis resilire vellent, Parisiensi, & Suessionensi episcopis, atque Vallis Sarnei, & S. Victoris abbatibus præcepit, vt eos, qui Petro trigesimam polliciti erant, ad quadragesimam saltem persoluendam incussa censurarum religione adigereut; pecuniarū pariter ex alijs regnis subsidia cogeretur, operam dedit, de quo ad Syracusanum episcopum, atque abbatem de Sambacia datæ literæ, f quibus etiam, vt pro voto suscipiendæ ad D. Iacobi templum peregrinationis permutando datæ pecuniæ, atque vacantium sacerdotiorum redditus, parte tamen vicario sustentando reseruata, in ijs quibus animarum cura coniuncta esset, in eam rem conuerterentur; ne verò cæteros grauioribus oneribus, quæ ipse attingere recusaret, arcere videretur, quieccIesiasticis quadragesimam imposuerat, a se & collegium Cardinalium ad decimam soluendam deuoxit, atque etiam nauim proprijs instructam sumptibus, frumentoque onustam ad leuandam Syrorum pauperum egestatem submisit, deque suo ardentissimo rerum Terræ sanctæ reparandarum studio ad Patriarcham scripsit. b

(Auct. vit. Innoc. f Inn. l. 2. ep. 506. a Id. ep. 260. & Innoc. vit. auct. b Lib. 2. ep. 181.)

70 Deinde bene cœpta studiosissimè prosecutus, hoc ipso anno Francorum Regem vehementer hortatus est, c vt vniuersos regni sui crucesignatos non solùm admoneret, sed transfretare compelleret, atque insuper suis ipse impensis eodem copias quam citissimè traijciendas curaret, cùmque ab Aymerico Hierosolymitano Rege operam atque auxilium flagitante legatos accepisset, ex ijs vnum ad Philippum ire iussit, quò pleniùs de orientalium catholicorum depressis rebus faceret certiorem. Cùmque Constantinopolitanus Imperator ob Cypri regnum Hierosolymitano Regi bellum minaretur (defecisse enim a Græcis Cypri Regem Germanis in Terram sanctam vela facientibus anno 1197. atq; a cancellario Imperij corona redimitum tradit Lubecensis d) velle se ait, vt apud Imperatorē literis agat, ne eum totius Christiani populi detrimento bellum mouerer, sed potiùs iuuaret, atque in re Christiana promouenda operam explicaret. Eodem pariter exēplo ad Angliæ Regem scripsit, vt in regesto subditur, in quo habentur etiam pontificiæ literæ e ad vniuersos catholici orbis episcopos, & clericos circa idem negotium missæ, ad huius anni finem datæ, quas pariter f Rogerius totidem verbis reddit: easdem, vtpote Terræ sanctæ miserrimum statum, & tanti Pontificis studia exponentes, ex parte in medium proferendas arbitramur.

(c Inn. l. 2. ep. 245. d Arnol. Lubec. chron. Slau. e Ibid. ep. 260. f Roger. in annal. Angl.)

Innocentius, &c.

Graues orientalis terræ miserias, & necessitates vrgentes, iam potius peccatis exigentibus deflere cogimur, quàm referre, cùm ad eum statum (si fas tamen dicendum est casus, quod dolentes dicimus) eadem terra deuenerit, vt nisi citiùs ipsius fuerit necessitati succursum, & occursum conatibus paganorum, pauci Christiani, qui se defensioni hæreditatis Domini, & Crucifixi obsequijs deuouerunt, hostiles sagittas sui sanguinis effusione inebriaturi credantur, & paganorum gladios suis iugulis placaturi, reliquijs desolationis illius terræ sine spe humani subsidij perdendis totaliter, & ab hostibus occupandis, cùm de partibus illis penè omnes iam redierint peregrini. Id autem hactenus Dominus Iesus Christus, vt probaret adhuc fortiùs fidem nostram, & intelligeret pleniùs, qui sunt eius, misericorditer impediuit, manus eorum in ipsos conuertens, & eos inter se multiformiter discordantes permittens, ad inuicem desæuire, vt Christianis interim ad ipsius Terræ subsidium excitatis facilior daretur facultas recuperandi perdita, & de hostibus triumphandi.] Tum subdit egregiam rei gerēdæ occasionem se præbere diffidentibus inter se, vt ex Aymerici Hierosolymorum, & Leonis Armeniæ Regum literis accepit, tum agit de quadragesima Ecclesiasticis imposita, & decima ad quam se, & Cardinales astrinxit, de qua nos antea. Pergit ipse:

(Innoc. ad vniuersos Episc. literæ.)

71 Adhæc in singulis ecclesijs truncum concauum poni præcipimus, tribus clauibus consignatum, prima penes episcopum, secunda penes ecclesiæ sacerdotem, tertia per aliquem religiosum laicum conseruandis: & in ea fideles quilibet, iuxta quod eorum mentibus Dominus inspirauerit, suas eleemosynas deponere, in remissionem suorum peccatorum mo-

(Truncus in ecclesijs eleemosynarum in id expositus.)

moneantur, & in omnibus ecclesijs, semel in hebdomada pro remissione peccatorum, & præsertim offerentium Missa publicè decantetur. *Et infra*: Quia verò summa necessitas exigit, & communis requirit vtilitas, vt populus Christianus non solùm in rebus, sed etiam in personis contra paganos in succursum Terræ sanctæ sine dilatione succurrat, fraternitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus ad exhortandos, & inducendos fideles, per vos ipsos, & alios viros idoneos prudenter, & diligenter instetis, vt qui sufficientes fuerint ad bellum Domini prœliandum, in nomine Domini Sabaoth signum crucis assumant; alij verò iuxta suarum sufficientiam facultatum, pias eleemosynas largiantur; nos enim de Dei misericordia, & beatorum Apostolorum Petri, & Pauli auctoritate confisi, ex illa quam nobis Deus (licet indignis) ligandi, & soluendi contulit potestatem, omnibus qui laborem huius itineris in personis proprijs subierint, & expensis, plenam peccatorum suorum, de quibus cordis, & oris egerint pœnitentiam, veniam indulgemus, &c.] Idem beneficium ad eos porrigit, qui partem bonorum belli sacri sumptibus addixerint, & cruce signatos, eorumque res in sedis Apostolicæ clientelam admittit. Audisti querentem, & deplorantem Innocentium, quòd peregrini paucis ibi derelictis Sarracenorum crudelitati obiectis, reuersi essent. de quo anno superiori questus fuerat. id verò etiam Albertus Stadensis a, tum Arnoldi Lubecensis supra a nobis allato testimonio comprobatur. Addit præterea idem Stadensis hoc eodem anno reuersum quoque archiepiscopum Hartvvicum sacras beatæ Annæ reliquias, gladiumque Petri, quo Malcho auriculam amputauerat, Bremam detulisse.

Explicatę crucesignatis indulgentię

a Arnol. hist. Slau. l. 5 c. vlt.

Reliquiæ Bremam ab oriente delatæ.

72 Quo studio ad fideles illos defendendos incubuit Innocentius, ne in Sarracenorum seruitutem abducerentur, vel eorum exponerentur furori, eodem satagit illos, qui in Mahometanorum seruitutem ciciderant, ab ea vindicare; non enim modò institutum pium virorum, qui liberandis è Sarracenico iugo fidelibus, quorum fides in seruitute periclitabatur, se suaque deuouerant, collegium Apostolica auctoritate firmauit, verùm ad barbaros Reges, vt ad permutandos captiuos faciles se præberent, solicitauit, tum pro eo, quo incensus erat zelo, ad Redemptorem orbis agnoscendum ipsos prouocauit. b

b Inn. l. 2. ep. 9.

Innocentius, &c.

Lit. Innoc. ad Miramó. olim.

Viri quidam, de quorum existunt numero præsentium portitores, nuper diuinitùs inflammari, regulam, & ordinem inuenerunt: per cuius instituta tertiam partem prouentuum omnium, quos vel nunc habent, vel in futurum poterunt obtinere, in redemptionem debent expendere captiuorum, & vt meliùs valeant suum propositum adimplere, cùm sæpè faciliùs per commutationem, quàm per redemptionem de captiuitatis ergastulo valeant liberari, vt paganos captiuos a Christianis redimant, est concessum quos pro liberandis Christianis debeant commutare. Cæterùm quoniam opera, quæ præmisimus, & Christianis expediunt, & paganis, huiusmodi vobis duximus per Apostolicas literas intimanda. Inspiret autem vobis ille, qui via, veritas est & vita, vt agnita veritate, quæ Christus est, ad eam venire quantocyus festinetis. *Dat. Lateran. 8. id. mar. Pontif. nostri ann. 2.*]

Alterius etiam religiosæ familiæ, cui Calatrauæ nomen erat, instituta, ac pias consuetudines confirmauit, c vitæque rationem definiuit, vt vnà cum bellica virtute, quam in Sarracenos explicabant, monasticæ vitæ pietatem coniungerent. Nec taciti prætermittere possumus priuilegium, quo idem Pontifex Fulconem Corbeiensem abbatem ornauit, vsu annuli ipsi impertito, cuius mysteria his verbis aperit, atque illustrat a: *Inter cæteros siquidem sacramentales ornatus prælatis ecclesiarum conceditur annulus, qui est signaculum fidei, iuxta quod pater filio reuertenti dare annulum in manu præcepit, vt videlicet ecclesiam sibi commissam prælatus ipsius, intemerata fide custodiat, ad quam fideliter obseruandam per visibilem speciem iugiter admonitur.*

c Ib. ep. 52

Abbati Corbeiensi vsus annuli datus

a Lib. 1. ep. 528.

IESV CHRISTI

Annus 1200.

INNOCENTII PP. III. annus 3. VACAT IMP. OCCID. 3. ALEXII ANGELI IMP. 6.

1 Millesimus ducentesimus Redemptoris annus indictione tertia obsignatus, fœlix Ecclesiæ alluxit, cùm Innocentius Romanus Pontifex post ingentes, vt vidimus, pro Ecclesia susceptos impensosque labores, cui meritò congruere possint illa Domini verba: b *Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam*; a patre misericordiarũ, & totius consolationis Deo tandem erectus, recreatusque est. Ac primò quidem de profligatis Romanæ Ecclesiæ perduellibus, illius iura iniquissimè obterentibus, Marcualdo scilicet ac sectatoribus victrices Altissimo laudes cecinit. Qua verò ratione hæc prospera successerint, iam enarrare aggrediamur. Traduxerat tyrannus sæuissimus in Siciliam, vt dictum est, exercitum, non alio consilio, quàm vt regnum illud, Rege puero è medio sublato, sibi vendicaret, idque sine dubio, vt ostendit euentus, perfecisset, ni Pontifex vesanos eius conatus elisisset; C.... tituli S. Laurentij in Lucina presbytero Cardinali, Apostolicæ sedis legato, Anselmo Neapolitano, & Angelo Tarentino archiepiscopis, atque Iacobo consobrino suo, & marescallo cum militari manu in Siciliam, vt supra enarrauimus, destinatis, quos Innocentius III. non. februarij scriptis ad Siculos literis, demissè, reuerenterque excipi iubet, hortaturque eos populos, vt coniunctis cum illis copijs ad communem hostem arcendum, propulsandumque generosè sese compararent. Cinxerat valida obsidione Panormum Marcualdus, ac Sarracenorum princeps Magadeo fortissimas cum eo copias coniunxerat, & Monte Regali capto in spem capiendæ vrbis efferebatur, cùm legatus Apostolicus regio succinctus exercitu laboranti Panormo suppetias tulit. Tum hostis pacem flagitare cœpit, vt longiore mora copiæ dissoluerentur, ijsque dissipatis perfidia postea vinceret, quos aperto bello superare non potuisset, sed a pontificija discussæ fraudes, atq; eo anathemate percusso pax omnium consensu denegata, commissoque prælio, ingenti clade Marcualdus fusus, & profligatus est: Magadeo cæsus, & magna Sarracenorum multitudo ferro deleta: quæ tanta victoria Iacobi consobrini Innocentij virtute potissimùm parta est. Vt autem Marcualdi contusa superbia, quæ indies præferocior, insolentiorque reddebatur, ex Innocentij actis, atque ex epistolis ad ipsum met Pontificem tunc datis, rei gestæ veritatem continentibus audire præstabit.

b Apoc. 2.

Contra Marcuald legati missi.

2 *Interea Marcualdus attractis sibi Sarracenis Siciliæ, multisque sibi nobilibus sociatis, in tantum profecit, quòd obtentis multis ciuitatibus, & castellis venit vsque ad Panormum, & ciuitatem ipsam fortiter impugnabat, vnde oportuit legatum, & mariscallum summi Pontificis, qui Messanæ cum præfato cancellario morabatur, accelerare Panormum. Quid autem de ipsorum aduentu prouenerit, literæ Anselmi Neapolitani archiepiscopi ad D. Papam transmissæ testantur, quarum tenor est talis.*

Marcualdus Panormum obsidet.

Innocentio, &c.

Bona quæ vestrarum orationum interuenientibus meri-

merit is operatus est Dominus his diebus, volui domino meo, sicut vidi proprijs oculis, declarare. *& infra:* Factum est itaque, vt tum pro mandato vestro, tum quia totus exercitus, & populi Panormitani tumultus nimis crescebat, & murmur post diem quartum inter Panormum, & Montem Regalem, quem Marcualdus acceperat, & tenebat, ab hora tertia vsque ferè nonam fuit hinc inde fortissimè præliatum, & tandem sicut Domino placuit, promerentibus sanctis orationibus vestris, post multas partis aduersæ strages, mutilationes, & cædes, & peregregij viri domini marescalli vestri subsidium, qui cum suis in extremo locatus castellum tenebat ipse, optatum habuimus de inimico triumphum: vt enim aliquantulum pleniùs loquar, primi nostri, qui erant in prima belli acie constituti, licet in primis viriliter fecerint, licet complures prostrauerint, & occiderint, multitudinem tamen illorum, qui insimul in eos irruerunt, non valentes sustinere, bis terga dedisse coacti sunt, & benedictus a domino marescallus bis eos recepit, & defendit incolumes, & dum nimis vrgeret, & premeret Teutonicorum, & Agarenorum pars alia, benedictus a domino marescallus, & sui vnanimiter, & * furiosè cógressi in hora vna, & puncto vno castra verterunt, fugauerunt, ceperunt, ceciderunt, occiderunt, sequentes, & persequentes, donec illi, qui gladium euaserunt, loca castrorum cum omnibus tentorijs, & rebus suis desererent, & se per aspera montium, per concaua vallium, & defossa terrarum dispergerent, & in viam perditionis abirent. Quidam autem Pisani, vt dictum est, numero quingenti, & amplius, quibus quidam præerat nomine Benedictus, qui & ipse Pisanus Montis Regalis montana tenebat, & infinita Sarracenorum multitudo erat ibi cum eis, ad custodienda loca debilia constituti.

Commissa cum Marcualdo pugna.

* animosè

Marescallus Pontif. fundit hostes.

3 Sed cum primò nuntiatum est bellum, pedites nostri cum comite Gentili, & comite Malgario, & quibusdam alijs militibus potenter ascenderunt, transcéderunt, & obtinuere montana, & omnes ferè, quot ibi inuenti sunt, in ore gladij posuerunt. Benedictus autẽ ille, qui præerat, cum paucis dicitur euasisse, sed & quidam Sarracenus nomine Magadeo, qui omnium erat magister, & dux, ibi quoq; truncatus, & mortuus fuit; Marcualdus verò quò, & cum quot, aut quibus de suis aufugerit, adhuc nescitur. Scimus autem, quia ille nuper hominum, & diaboli mediator prædictus Rainerius de Manente captus est, & in carcere positus, & multi alij de maioribus, & melioribus, quorũ nomina nescio de exercitu Marcualdi, quot autem, & qui sint occisi, nescimus. Scimus autem multos, & optimos fuisse. Spolia eorum multa, & pretiosa fuerunt, ita quod totus ille dies vix ad exportandum suffecit. Hæc est ergo domine dies, quam fecit Dominus, dies optatæ redemptionis, & lætitiæ dies, in qua magnificatum, & benedictum est nomen vestrum, dies, inquam, quæ & nobis de hoste victoriam contulit, & viro egregio marescallo cum omnibus suis nomen acquisiuit æternum; faciat Deus, vt ei respondeatur secundùm merita sua bona, immo præclara opera sua, vobis autem non commendo, quia opera sua valde bona eum apud vestram magnificentiam recommendant.] Hactenus Anselmus ad Innocentium Pontificem, qui de eadem victoria reportata, vt eiusdem verbis vtar, faciente nobiscum Domino signum in bonum ad Apulos omnes scripsit. a

a Ib. l. 3. ep. 21.

4 Optabat Anselmus, vt egregia beneficia a Iacobo marescallo Siciliæ regno præstita paribus beneficijs compensarentur, cuius votis vltro morem gessit Innocentius, atque amplissimo munere Iacobum ornauit.

Collata a Pontifice in Marescallum præmia.

Innocentius, &c.

Attendentes qualiter in te circa nos, & Romanam Ecclesiam sincerè vigeat deuotionis affectus, qualiter nostris te hactenus exposueris beneplacitis, & mandatis, de communi fratrum nostrorum cons. ecclesiã sanctorũ Nerei, & Achillei, quæ inter titulos Vrbis Cardinalatus gaudet honore, tuæ fraternitati concedimus, confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus, non quòd sufficienter ex hoc nos credamus tuis meritis respondisse, sed vt in eo saltem ex aliqua parte dilectionis propositum, quod circa te gerimus, exprimamus, licet tale sit, quod concedimus, quod paucis vnquam fuerit ab Apostolica sede concessum, immo sæpius multis, & magnis viris petentibus denegatum.] hæc Innocentius.

Sed ad eius acta redeamus, quæ addunt Marcualdum in hac turpi, atque infami fuga, omni supellectili exutum, repertumque in Henrici Imp. scrinio testamentum, cuius ibidem fragmentum redditur, atque id suo loco in eiusdem scilicet principis obitu a Baronio recitatum sic consultò prætermisimus. Quodnam autem Iacobus marescallus Innocentij Papæ consobrinus virtutis præmium a Siculis tulerit, sic tradunt: *In tantum autem præfati Marescalli strenuitas, & prudẽtia, non soliì Regis familiaribus eius, verùm etiam vniuersis comitibus, & baronibus, & omnibus tam indigenis, quàm extraneis grata extitit, & accepta, vt communi consilio, & fauore * comitatus Andriæ donaretur, regali priuilegio aurea bulla munito super ipsius sibi concessione collato.* Verùm qui illi meritos honores decreuere, legitimos sumptus refundere denegarunt; ibidem namque adijcitur: *Quia verò familiares Regis necessarias sibi, & suis denegabant expensas, & propter nimium æstatis ardorem milites sui iam cœperant grauiter infirmari, compulsus est ad propria remeare, multamque pecuniam D. Papa fecit militibus elargiri, tum pro stipendijs, & muneribus, tum pro equis, & armis, quoniam præter quasdam expensas, quas fecerant in Sicilia, nihil penitus a regijs familiaribus exceperunt.* Queritur Innocentius nuper citatis literis, a quòd pro ingentibus sumptibus, quos in tuendo regno suppeditarat, nihil sibi penitus repensum esset (eadem repetit etiam ad Fridericum Siciliæ Regem scribens, vt sequenti anno constabit) deque marescalli reditu mentionem facit, vt paulò post aperietur, sed quanto cum sui, totiusque regni periculo regij ministri abire permiserint Iacobum, immo coegerint potiùs victui necessarijs denegatis, rei exitus illustrabit. Nam Sicilia tanto destituta viro, animos, viresque redintegrauit Marcualdus, ac noua in perniciem regni conflare, moliri que cœpit. Omnium autem malorum auctor extitit Gualterius Troianus episcopus, ac regius cancellarius, qui cuncta ad se, suosque per fas, & nefas deriuabat. de quo acta:

Baron. an. 1197. n. 9.

Comitatus Andriæ Marescallo a Siculis datus.

* comitatu

a Inn. l. 2. ep. 270. & l. 3. ep. 21.

5 *Tum temporis defuncto Panormitano archiepiscopo, metropolitana Panormitana vacabat, ad quam præfatus cancellarius vehementer aspirans, vsque adeo laborauit, quòd fecit se in archiepiscopum postulare, eandemque postulationem per præfatum legatum admitti, summo Pontifice penitus inconsulto, & quamuis nondum pallium recepisset, necdum etiam postulasset, Panormitanum tamen archiepiscopum re, & nomine se gerebat. Quod cùm ad summi Pontificis notitiam peruenisset, redarguit valde legatum, quòd in tanto negotio circa talem personam processerat, antequam suum beneplacitum perquisiuisset, vt tamen illi deferret, de multa benignitate concessit, vt idem cancellarius tam in spiritualibus, quàm in temporalibus procurationem ageret metropolitanæ antedictæ, sic tamen vt se, sicut prius, Troianum episcopum appellaret, & si vellet ecclesiæ Panormitanæ procuratorem, siue ministrum; sed ipse spiritu elationis inflatus, huiusmodi gratiam dedignatus est acceptare, quin potius ad infamandum summum Pontificem de facto Brenensis comitis, nec linguam, nec calamum voluit* cohi-

Cancellarius Panormit. archiepisc. affectat.

Pontificẽ carpit.

cohibere. Quoniam verò pacto summus Pontifex eius improbitatem atque arrogantiam retuderit, sequenti anno narrabitur, cùm etiam de alijs ab Innocentio reportatis in Italia victorijs dicetur. Quemadmodum enim opera Iacobi consobrini sui in Sicilia copias hostium fudit, & nequissimum tyrannum Marcualdum fregit, fugauitque, ita illius nequitiæ ac tyrannidis participem ac socium Dipuldum virtute Gualterij strenui ducis in Campania auxilio cœlitùs immisso vicit atque subegit. at de his suo loco. Interea pergunt gesta cœptam de Gualterio episcopo narrationem: *Gualterius autem Troianus episcopus, & regni Siciliæ cancellarius, quasi totum sibi vsurpauit inter familiares regios dominatum. Itaque tanquam Rex esset, conferebat, & auferebat comitatus, & baronias instituebat, iustitiarios & camerarios, secretarios, & stratigotos, vendebat & pignorabat dohanas, & baiulationes accipiebat, & expendebat redditus, & prouentus, quia etiam familiares instituebat regios, quos volebat, immemor Apostolicæ iussionis, quam ipse cum alijs sibi fieri postulauerat, in hac verba:*

Mala cancellarij administratio.

Innocentius &c.

6 Prohibemus, vt dominium Regis nullatenus distrahatur, nec titulo quolibet obligetur, nisi euidentissima vrgenti necessitate, vtpote si exercitum terra, vel mari oporteat congregari, & tunc de redditibus propter hoc pignori obligatis accepta pecunia in obsequio regis per manus secretariorum expendatur. Præsentium quoque tenore duximus inhibendum, vt nullus vestrûm, qui Regi familiariter adhæretis, nisi ex communi omnium voluntate, vel ex maiori saltem parte consilij sanioris, aliquod arduum regni negotium audeat explicare, vel percipere quicquam de fisco præsumat. Regis quoque patrimonium minimè * consumetur, nisi assensu nostro primitùs requisito. Præcipimus etiam, vt nullus secretariorum alicui personaliter de familiaribus Regis intendat, aut aliquid ei de fisco persoluat, nisi omnibus assentientibus, vel maiori parte volente, per quas thesaurum nuper inuentum iubemus studiosiùs custodiri. Grauat etiam nos admodum, & perturbat, quod cùm perfidus Marcualdus sit per vires nostras, & regias domino Deo faciente contritus, & ad nihilum ferè redactus, quidam, vt audiuimus, in dispendium Regis, & regni, contra nostri formam mandati pacem cum ipso moliuntur, vt qui iudicio iacet diuino prostratus, hac dolosa pace resumptis viribus resurgat ocius ad nocendum, &c.]

Pontificis pro rege da Siciliæ iussa.

* consumatur

7 Addunt gesta de Gualterio episcopo, illum superbia elatum nobilitatis contemptu Apostolicis imperijs, res nouas molitum, pacemque cum Marcualdo inijsse, atq; affinitate noua connixamasse: sed cùm Marcualdus eo modo viam sibi ad tyrannidem munire vellet; contra Gualterius Marcualdi potentia fratrem suû Gentilem fulcire niteretur, vt ipsum, si posset, ad regnum vel summas opes efferret, pugnante inuicem vtrinsque ambitione grauissimis discordijs dissensere: *Vt autem idem cancellarius præconceptam malitiam posset liberius adimplere, callidè procurauit, vt Apostolicæ sedis legatus rediret. Vocauerat autem idem cancellarius Gentilem fratrem suum comitem * Metrupelli, & familiarem regium constituerat, ad sublimationem eius ardenter aspirans; cœpitque cum Marcualdo tractare de pace contra proprium iuramentum, & Apostolicum interdictum, contradicentibus alys domini curia, nisi quos ipse creauerat, vt sibi fauerent, & quanquam eundem Marcualdum sciret à domino Papa cum omnibus suis fautoribus excommunicatum, & maledictum, quem & ipse de mandato Apostolico cum omnibus suis fautoribus excommunicauerat, & maledixerat ore proprio, composuit tamen cum eo, in regiam eum familiaritatem admittens, immo inter vniuersos familiares maiorem constituens, diuidens sibi regnum cum illo, vt vnus in Sicilia, & alter in Apulia Regis & regni negotia procuraret, mandans sub nomine regio vniuersis, vt pacem illam reciperent, & secundum eam intenderent Marcualdo, etiamsi summo Pontifici displiceret. Verumetsi vterque intenderet decipere reliquum, affinitatem tamen contraxere firmauerunt per coniugium inter nepotem vnius, & neptem alterius. Porrò cum vterque deprehendisset fraudem alterius, reuelata sunt abscondita tenebrarum, quoniam Marcualdus per nuntios, & literas suas publicauit vbique per regnum, quòd cancellarius machinabatur hoc & huiusmodi, vt comitem Gentilem fratrem suum ad regni solium promoueret: cancellarius autē è contra, quod Marcualdus resumere vires, & crudelius solito debacchari.* hæc ibi.

* Metrupelli

Cancellarius cum Marcualdo pacem affinitatêque init.

8 Cæterùm de inita à Gualterio contra pontificium interdictum cum Marcualdo pace, grauiter expostulat Innocentius in supra citatis ad Apulos literis, a vbi in eandem sententiam vrget ista:

Pontifex Apulos cū Marcual. pacem ferre vetat a Inn.l.3 ep. 21.

Innocentius, &c.

Verùm Marescallo ipso ad præsentiam nostram propter infirmitatem militum, & expensarum defectum victore reuerso, cancellarius, vt accepimus, contra prohibitionem expressam ei factam sub nomine nostro contradicentibus venerabilibus fratribus nostris Montis Regalis archiepiscopo, & episcopo Cephaluden. familiaribus regijs, & alijs multis magnatibus, qui se, & munitiones suas optimè parauerunt, cum Marcualdo compositionem iniuit, quam timemus in Regis perniciem, & regni periculum attentatã, nisi ei fortiter obuiëtur, & cùm maiora dicãtur eidem Marcualdo iam de bello fugato per hanc compositionem cõcessa, quam ipsemet peteret ante fugam. Ne igitur idem perfidus Marcualdus qui per vires superare non potuit, immo qui nostris est viribus superatus, per fraudes valeat superare, sed magis in suis fraudibus superetur, monemus Vniuersitatem vestram, & exhortamur in Domino, & per apostolica vobis scripta tam ex parte nostra, quàm Regis districtè præcipientes, mandamus, quatenus eidem Marcualdo qui ad oppressionem vestrã reuertitur citra Pharum, nõ respondeatis in aliquo, sed sicut hactenus potius, immo fortiùs, quàm hactenus potenter, & viriliter resistatis, quia si restitere voluerītis, non poterit præualere, cùm virtus eius sit penitùs eneruata, nec moueamini ad literas, si quæ vobis fuerint sub sigillo, & nomine regio destinatæ, cùm non Rex sit auctor earum, sed is potius, qui cõpositionem iniuit. Nec credatis, quòd ob vtilitatem nostram ista scribamus, cum parati sint illi, si consentire vellemus compositioni prædictæ, mandatis Apostolicis obedire. Sed ad ista mouemur potius, ne fiant nouissima vestra deteriora prioribus, & ad extraneos deueniant domus vestræ, & vobis in exilium destinatis, vel varijs cruciatibus interemptis, matres, & natæ vestræ, vxores pariter, & sorores dehonestandæ tradantur in manibus exterorum, sitque peius ijs, qui fuerint in regno relicti, tam turpiter viuere, quàm exulare, vel mori. Noueritis autem, quod licet hactenus pro regni defensione multas subierimus anxietates, solicitudines, & expensas, exponentes pro ipso fratres nostros, consanguineos, & fideles, nunquam tamen circa defensionem eius tepescimus, sed solicitiùs solito vigilamus, sicut in proximo dante Domino per experimentum operis sentietis.] *Datum Later.* Atque hactenus de rebus Siculis ab Innocentio summa prudentia confectis.

9 Verùm haud hic egregij Pontificis præclaris triumphis finis impositus; qui namque ferus tyrannos Marcualdum, ac Dipuldum opera inuictorum ducum profligauit, intolerandam refractarij Regis lasciuiam ecclesiasticis censuris expugnauit. De his dicturi, videbimus primùm, quid Galliæ episcopi gesserint, post Diuionense, ac Viennense

Innocentius ab adultera Franc. Regem abducere aggreditur.

con-

concilia a Petro tituli ſanctæ Mariæ in via lata diacono Cardinale, & Apoſtolicæ ſedis legato ſub anni ſuperioris finem celebrata, quid libidinis agitatus ſtimulis Philippus pertentarit, atque moliri auſus fuerit, memoria repetendum. Petrus Cardinalis legatus, vt ex Rigordo narrauimus, de vniuerſa Gallia eccleſiaſtico interdicto ſubijcienda, ſententiam ferens vetuit, ne ante vigeſimum a Domini natiuitate diem promulgaretur. Dum igitur tradit Rogerius Petrum Capuanum Cardinalem, & Apoſtolicæ ſedis legatum hoc anno ianuario menſe ſtatim poſt Chriſti natalitia ſententiam interdicti dediſſe, de promulgatione intelligendum eſt. Addit

Percuſſa interdicto Gallia.

præterea Petrum lata ſententia inde receſſiſſe, clericiſque pro imperio præcepiſſe, ne diuina celebrari permitterent, baptiſmatis, ac pœnitentiæ adminiſtratione excepta. *Præteritis itaque* (ſubdit Rigordus) *viginti diebus tota Regis Francorum terra interdicto ſubiacuit.* At Innocentij acta id ſingillatim enarrantia in medium adducamus: *Receptis igitur*, nimirum epiſcopi, *literis eius*, hoc eſt Petri Cardinalis Apoſtolicæ ſedis legati, *quidam in auditu auris obedire cœperūt; ſicut canonici Senonenſes, Pariſienſis epiſcopus, Sylnanectenſis, & Sueſſionenſis, Ambianenſis, Atrobatenſis, & quidam alij ſententiam interdicti firmiter obſeruantes: alij verò diſtulerunt obſeruare ſententiam, ſicut Rhemenſis archiepiſcopus, Laudunenſis, Nouiomenſis, Beluacenſis, Morinenſis, Meldenſis, Carnotenſis, Aurelianenſis, Autiſiodorenſis, & alij fortè perpauci nuncios ſuos ad ſedem Apoſtolicam deſtinantes, per quos quaſdam excuſationes licet friuolas prætendebant, ſed promittebant, quod ſi illis expoſitis placeret ſummo Pontifici, ſententiam obſeruarent. Cùm igitur ſummus Pontifex excuſationes illas euidentiſſimis rationibus improbaret, præcepit eiſdem, vt & ipſi pariter obſeruarent ſententiam interdicti, qui audito præcepto, humiliter paruerunt, ſicque tota terra Regis Francorum arctiſſimo eſt interdicto concluſa; ita vt clauſis eccleſijs nuſquam in cœmeterijs ſepelirentur corpora mortuorum, quin etiã ſuper terram ſeruabantur vbilibet inſepulta.* Addit Rogerius Innocentium poſt confirmatam Petri ſententiam, cunctos qui ad Hieroſolymitanam obeundam peregrinationem crucem ſuſcepiſſent, lege exemiſſe, ac præterea indulſiſſe, vt miſſæ ſacrificio intereſſe poſſent, atque eccleſiaſtica ſepultura fruerentur.

Exempti ab interdicto lato cruceſignati.

10 His acceptis Philippus quid egerit, acta produnt: *Rex autem in tantam indignationem excanduit, vt epiſcopos, & alios clericos, qui primò ſeruauerant interdictum, ab eccleſijs ſuis faceret violenter expelli, & bona omnia occupari.* idem tradit Rigordus a, atque ex eo S. Antoninus, Regem in iras efferatum, epiſcopos qui iaculando interdicto aſſenſerant, e ſuis ſedibus deturbaſſe, ſacerdotes, qui templa clauſerant, bonis exuiſſe, atque Inſeburgem Reginam optimis moribus, virtutibuſque ornatam apud Stampas arctiori cuſtodia incluſiſſe. Verùm ad Innocentij vitam reuertamur: *Sed cum plebs vniuerſa clamaret, Rex non valens tantum Eccleſiæ ſeueritatis ſuſtinere vigorem, nuncios ſuos quoſdam, videlicet clericos, & quoſdam milites ad ſummum Pontificem deſtinauit, conquerens multipliciter de dicto legato, ſed tamen aſſerens per eoſdem iuratoriam cautionem, quòd coram legatis, vel delegatis iudicibus ſtaret iuri. Quibus ipſe prudentiſſimus Papa reſpondit, quod diſtinguendum erat, vtrum ſtare vellet iuri dictato, aut iuri dictando, ſi iuri dictato, videlicet ſecundùm ius, quod dictauerat, ſuperinductam a ſuo remoueret conſortio, & Reginam acciperet antedictam, libenter reciperet cautionem oblatam, immo ſine cautione qualibet, ſi hoc faceret, relaxaret ſententiam interdicti, dummodo prius epiſcopi, & clerici deſtituti plenam fuiſſent reſtitutionem adepti. Si verò iuri dictando, videlicet vt ſecundùm ius, quod dictaret, affi-*

a Rig. in geſt. Phil. Aug.

Interdictum tolli per nuncios poſtulat.

nitatis decideretur articulus; cautionem oblatã reciperet ad cautelã, dummodo ſuperinducta remota, Reginã prius reciperet memoratam. De Philippi ad Innocentium legatione, deque eius decernendæ cauſa ait Rogerius a Philippum plures oratores, alios atque alios ad Innocentium miſiſſe, vt interdicto amoto templa Gallis reſtitueret, ac primò, iterumque repulſam paſſum, demum in eam concordiæ ſpeciem deſcendiſſe, vt Rex repudiata adultera Inſeburgem reciperet, eamq; regio more haberet, ſi verò de ea dimittenda experiri iudicio vellet, id Regi Danorum, atque aulæ pontificiæ ſignificatum iri, vt ex vtraque parte a viris prudẽtibus res diſcuti, atq; ex æquitate definiri poſſit.

a Rog. hiſt. Angl.

Propoſitæ a Pontifice conditiones quibus tollẽdum eſſet.

11 Cæterum quæ poſt legatorum in Galliam reditum Rex egerit, Innocentij vitæ ſcriptor exactiſſimè exponit: *Hoc autem cum per nuncios ſuos a ſede Apoſtolica reuertentes audiſſet, ſpiritus eius cœpit multipliciter anxiari, quia nec illam nolebat recipere, quam habebat vehementer exoſam, nec iſtam dimittere, quam habebat nimis acceptam; verùm conuocatis quibuſdam principibus, tam eccleſiaſticis, quàm mundanis, cœpit deliberare cum illis, quid ei foret in hoc articulo faciendum, quibus vnanimiter reſpondentibus, quod parendum erat Apoſtolicæ ſedis mandatis, quæſiuit ab auunculo ſuo Rhemenſi archiepiſcopo, qui ſententiam diuortij promulgauerat, vtrum verum eſſet quod dominus Papa ſcripſerat, videlicet quod illa non erat diuortij dicenda ſententia, ſed ludibrij fabula nominanda, qui cum reſpondiſſet verum eſſe, quod ſcripſerat ſummus Pontifex (non enim audebat aliud reſpondere) ſtatim Rex intulit dicens: Ergo tu es ſtultus, & fatuus, qui talem ſententiam protuliſti.* hæc auctor. Planè quidem ij ſtultitiæ nota infames comperti, vt Philippus ipſe lancinante criminis conſcientia vel inuitus faſſus eſt, qui fœdiſſima perpetranti non modò nõ obſtiterint, verùm indulſerint, varijſque coloribus, fucisque infame flagitium oblinere, ac ſubornare non erubuerint, vt iure in eos cadat illud propheticum b: *Stulti principes Taneos, ſapientes conſiliarij Pharaonis dederunt conſilium inſipiens.* Nec planè alienum in hac re a Philippo Pharaonis nomen, vt qui in ſuſcepto flagitio tamdiu perſtaret, cuius in tantam pertinaciam cor obrigueret, vt in illud diuinas iras detonantis Pontificis minæ hactenus penetrare non potuerint. Quare Rogerius de eodem Philippo ſermonem inſtituens: *Cùm induratum eſſet* (inquit) *cor Philippi Regis Franciæ, nec blandis nec aſperis poſſet emolliri, vt adulteram ſuam dimitteret, &c.* Verùm quoniam ſpiritus vbi vult ſpirat, & obduratos peccatores ad pœnitentiam inflectit, emollitum tandem Philippi cor pertinaciam poſuit, & ad Romani Pontificis voluntatem ſeſe infregit, vt in eo illud Sapientis oraculum comprobetur c: *Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud.* Vt verò hæc euenerint, acta memorata proſequuntur, quæ poſt enarratam primam Regis legationem, de altera tum ipſius, tum Innocentij hæc ſcriptis tradidere: *Remiſſis igitur nuncijs inſtabat, vt prius, quod videlicet remiſſo interdicto cognoſceretur de iure, ſed cum nec minis, nec precibus, nec promiſſis animus ſummi Pontificis flecti poſſet, in fundamento iuſtitiæ ſolidatus, ipſius arbitrio ſe ſubmiſit, qui Octauianum Oſtienſem epiſcopum, legatum in Franciam deſtinauit.* Hanc legationem Rigordus d malè in ſequentem annum coniecit, qui tum ex mox ſubijciendis literis 11. Kal. nouembris anno pontificatus Innocentij tertio datis arguitur, tum quod interdictum hoc ipſo ineunte promulgatum octo menſes tantummodo tenuerit. ſubijciunt geſta, quas Innocentius leges legato dederit: *Talem ei formam præfigens, vt ante omnia ſatisfactionem plenariam de damnis, & iniurijs clericis irrogatis faceret exhibere; ita quod hi, qui propter obedientiam, & reuerentiam Apoſtolicæ ſedis graues perpeſſi fuerant contume-*

A Philippo conuitium in archiep. Rhemẽſem iactum.

b Iſ. 11.

c Prou. 21

Philippus Pontifici paret.

d Rig. in geſt. Philip.

lias, & iacturas, per Apostolicam sedem sibi sentirent, & gauderent congruè satisfactum; deinde superinductam præciperet a regio cōsortio tam localiter, quàm carnaliter remoueri, ut non solum a Regis amplexibus, verùm etiā a regni finibus faceret illam excludi, & præfatam Reginam ab ipso Rege solemniter recipi, & regaliter pertractari, recepta publicè iuratoria cautione, quod eā sine iudicio Ecclesiæ non dimitteret & sic relaxaret sententiam interdicti:

a Lib. 3. ep. 10. 12 Confirmant superiora literæ Apostolicæ a, quibus Inseburgi Reginæ significat Innocentius, Ostiensis episcopi legati opera Philippum priorem animum fregisse; sedis Apostolicæ excepisse imperia, & ad sarcienda ecclesijs illata damna, ipsamque; eiecta inducta, vt Reginam, & vxorem habendam paratum, seque ea de re a legato, Parisiensi, Suessionensi, & Trecensi episcopis certiorem factum.

I. Reginæ Francorum Illustri.

Intellexisse te credimus hactenus, & nunc pleniùs percepisse, quantam solicitudinem, & diligentiam in negotio tuo curauimus exhibere, cum etsi charissimum in Christo filium nostrum Philippum Francorum Regem illustrem ad receptionem tuam iuxta iuris ordinem prius curauimus per literas, & nuncios commonere, tandem vulneribus fotis oleo vinum cum Samaritano duxerimus infundendum, in terram Regis ipsius interdicti sententiam proferentes, & licet Rex ipse læsum se reputans, in clericos, & ecclesias manus suas duxerit aggrauandas, nunc tamen faciente Domino signum in bonum, de mandato nostro per ministerium venerabilis fratris nostri Oct. Ostien. episcopi Apostolicæ sedis legati, quem propter hoc specialiter in Regnum Francorum direximus, cor suum ad obediendum mandatis apostolicis inclinauit, ita quòd tam clericis, quàm ecclesijs satisfaciens plenè de iniurijs, & damnis illatis, & superinducta remota, te velut vxorem suam & Reginam Francorum receperit, & iurari fecerit in animam suam, quod regaliter te tractabit, & præter Ecclesiæ iudicium non dimittet, sicut idem legatus, & venerabiles fratres nostri Parisien. Suessionen. Trecen. & alij quidam episcopi, qui præsentes fuerunt, per suas nobis literas intimarunt.] Extant in pontificio regesto eiusdem Octauiani legati literæ b, quibus rei gestæ seriem enarrat Innocentio vnà cum

b Ep. 13. c Ep. 12. d Reg. post sand. ep. alijs Suessionensis c episcopi, archiepiscopi d Rhemensis, Trecensis, Catalaunensis, & Carnotensis episcoporum eo argumento exaratis, quibus præfixæ aliæ O.... Parisiensis ecclesiæ sacerdotis, qui Innocentio Gallicanæ ecclesiæ triumphum ob Philippi conuersum animum, receptam ab eo Reginam, atque damna ecclesiarum restaurata explicat. Verùm alieno adhuc a Regina animo erat Philippus, eamque parum honorificè tractasse videtur, cùm Inseburges querelarum plenas literas ad Innocentium dederit, qui non sine admiratione ob acceptas ab alijs contrarias literas ita rescripsit:

Innocentius, &c.

13 Monemus serenitatem Regiam, & exhortamur in Domino, quatenus apud eum, qui secundùm Psalmistam, refugium nostrum, & virtus, & in tribulationibus est adiutor, pijs orationibus instare procures, vt idem Rex te in gratia retineat coniugali, & maritali affectione pertractet. Quis enim scit, si petens accipias, inuenias quærens, & aperiatur pulsanti? Pete igitur, quære, ac pulsa, insta opportunè, & importunè, si forsan propter tuæ petitionis instantiam necessitates, & lacrymas tuas respiciat Dominus miserator, & eidem Regi circa te pium inspiret affectum, & ipsum a sua dignetur duritia reuocare. Apud charissimum quoq; in Christo filium nostrum Ca. Regem Danorum illustrem fratrem tuum, cui etiam de nouo nos super hoc scribimus, literis, & nuncijs instare procures, vt ad defensionem causæ tuæ cum aduocatis, & testibus, & alijs, quæ visa fuerint expedire, sufficientes dirigat responsales, cum se per impotentiam excusare non possit, sicque ipsi æquè facile, vel facilius, dummodo assertioni tuæ veritas suffragetur, obstaculum affinitatis obiectæ remouere per suos, quàm alteri parti, nisi propositioni eius veritas subsit, legitimè comprobare. Noueris autem, & habeas pro constanti, quod nos dante Domino in tua tibi non deerimus ratione, licet Regi postulanti iustitiam non potuerimus, nec velimus audientiam denegare. *Datum Lateran. xi. Kal. nouemb.*] Eadem est literarum sententia, quas ad Danorum Regem a Inseburgis fratrem dedit, quem etiam sorori opera non deesse iussit. Reginæ porrò querelis excitatus legatum monuit b, in restituenda pristinæ dignitati Regina operam nauaret; rem tanti momenti sibi videri; vt pro eā causa sanguinem lubentissimè profunderet. Regique Francorum significanti se Apostolicis imperijs obsequutum, & querenti a legato se asperiùs habitum, respondit, ne exulceraret animos, sed ad iussa illius æquissima sese inflecteret;

a Ib. ep. 11 b Ib. ep. 14.

14 Implorante eodem tempore sedis Apostolicæ misericordiam Altissiodorensi episcopo, qui fulminatum à Petro Capuano Apostolicæ sedis legato in Gallias interdictum non seruarat modò, sed auctor vnà cum cæteris fuerat; vt contemptu obtererentur, Innocentius seueritatem elementia temperandam censuit: cùm enim ad Senonensem archiepiscopatum postulatus esset, ad eam dignitatem ob præteritum facinus non admisit, indulsit c tamen, vt episcopali munere, a quo obeundo submotus legati sententia erat, fungeretur. Cæterùm placuit diuinæ prouidentiæ inductam a Philippo ducis Morauiæ filiam, ob quam tanti tumultus in Gallijs commoti fuerant, ex hac vita subducere, ne illius causa Galliarum regnum diutius affligerentur. Antequam verò ex interdicti publica calamitate Gallia emergeret, nouo gaudio illius luctum permulsit. Philippus enim & Ioannes Angliæ Rex post iterata colloquia pacem ac fœdus xi. Kal. iunias inter se pepigere, ac postridie eius diei Blanca filia Adelphonsi Castellæ, eiusdem Ioannis Regis neptis, quam Alienora Regina Ioannis mater in Hispanias profecta receperat, Ludonico Philippi Regis filio apud Purmor in Nortmannia ab Helia Burdegalensi archiepiscopo matrimonio iuncta est; qui cum alijs ipsam fuerat comitatus, adstante celebri episcoporum ac virorum principum corona, qui regias nuptias cohonestarunt. Hæc fusiùs Rogerius d, qui pacis conditiones recenset, eademque de fœdere ac nuptijs Robertus e de monte, Matthæus Parisius f, Rigordus, & alij. Porro hanc Regis Castellæ filiam a Ludouico ductam Parisius Blacam, Rigordus g Blanchiam nominat, Robertus verò Blandam corpore moribusque honestissimam virginem appellat. Quod ad Ludouicum attinet, Philippus Rex, vt Innocentij acta testantur, ex prima vxore, filia Balduini comitis Hannoniæ, comitisque Flandriæ nepte vnicum susceperat, qua postea defuncta, prædictam Insebargem Canuti Danorum Regis sororem in matrimonium accepit. De Philippo item addit Rogerius, Iudæis quos ipso sui principatus initio regno eiecerat, redeundi commorandique liberam fecisse potestatem.

c Lib 3. ep. 18.

Pax inter Francos Anglosq; inita.

Ludouici filij Philippi nuptiæ.

d Rog. in annal Ang. e Rob. de Mont. Appen. ad Sigeb. f Matth. Par. in an. Angl. g Rig. in Phil. Reg.

15 Hoc etiam anno Ioannes Angliæ Rex soluto priore coniugio cum Hannista, quam tertio consanguinitatis gradu attingebat, Isabellam filiam Ailmari comitis Eugolismensis desponsam comiti Marchiæ vxorem duxit, vt tradit Rogerius. De quibus nuptijs etiam Robertus de monte, Matthæus Parisius, & alij, qui post ipsos scripsere. Addit Rogerius Ioannem Nortmannicis confectis negotijs, in Angliam octobris mense cum noua sponsa perrexisse, ibique apud Vvestmonasterium Londini ambos ab Huberto

Can-

Cantuariensi archiepiscopo regijs insignibus decoratus.

Eborac. archiep. a Rege fratre diuexatur.

Hoc interim spatio, quomodo Gaufridus Eboracensis archiepiscopus iussu Regis fratris omnibus episcopatus bonis spoliatus in Iacobum Eboraci vicecomitem, eiusque ministros, qui ecclesiasticas possessiones innaserant, atque in illos, qui Regis animum contra se commouerant, anathematis sententiam tulerit, totamque Eboracensem prouinciam ecclesiastico interdicto supposuerit, ac demum quomodo Ioannes, proborum consilio, ablata bona fratri restitui iusserit, ijdem qui supra Rogerius & Parisius pluribus tradunt. Crebra verò leguntur inter Regem atque archiepiscopum exorta dissidia, quę tamen haud difficili negotio composita & conciliata fuerunt.

16 Quod ad Hubertum pertinet Cantuariensem archiepiscopum, quem Anglorum Regi atque Reginæ coronam imposuisse vidimus, Rogerius post enarratam concordiam per iudices ab Innocentio constitutos inter ipsum initam, atque Cantuarienses ecclesiæ S. Trinitatis monachos, post recensitas amicitiæ conciliatæ leges, quarũ præcipuæ fuere, vt archiepiscopo sacram ædem Lameheensem, eodem quo antea loco, nouis tamen iactis fundamentis ædificari liceret, & ne seculares canonicos ibidem constituere posset, sed regulares dumtaxat, eosque Præmonstratensis ordinis, ac tredecim minimum, vel vt maximè viginti, demum ait eundem archiepiscopum Londonijs apud Vvestmonasterium hoc anno generale episcoporum concilium celebrasse: illud enim ita appellabant olim maiores, quod ex prouincijs vni primati antistiti subiectis cogebatur, vt Cardinalis Baronius demonstrauit a. Quatuordecim porro canones enumerat auctor, quos in eo archiepiscopus Hubertus promulgauit, decreuitque, vt piè inuiolatèque a sibi subiectis seruarentur, idque iure optimo, cùm maximi sint ponderis atque momenti.

Concilium Londinense.

a An.347 n. 8.

Atque in primis vt diuino cultui mancipati pręcipua qua decet reuerentia, & animi deuotione suum munus obeant, huiusmodi profertur decretum:

Can. quomodo celebranda missa.

Salubri prouisione consilij prospeximus, vt a quolibet sacerdote celebrante verba canonis rotundè dicantur & distinctè, nec ex festinatione retracta, nec ex diuturnitate nimis protracta, non est enim ibi diu immorandum propter insurgentes cogitationes, quæ vt muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti. Similiter & omnes horæ & omnia officia apertè & distinctè dicantur, ita quod ex festinatione nimia non præcidantur, vel syncopentur. Quod si obseruatum non fuerit, sacerdotes hoc non obseruantes, post trinam admonitionem vsque ad condignam satisfactionem suspendantur. Saluo in omnibus sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ honore & priuilegio.] Quæ postrema verba singulis adduntur canonibus, licet enim semper in ecclesiasticis statutis subintelligantur, ea tamen suæ in Apostolicam sedem obseruantiæ monumentum Anglicani episcopi perpetuis exarare notis voluere, ex quibus alijsque tum mox, tum alibi dicendis viderint Angliæ nouatores, quàm impudenter eiusdem sacrosanctæ sedis Anglis ipsis reuerendæ, obloquendo & latrando auctoritatem obterant. Sed ad canones redeamus.

Obseruatione etiam dignissimus alter isti proximus, vbi de missarum celebratione, deque sacratissimo Eucharistiæ mysterio hæc habentur: Non liceat presbytero bis in die celebrare, nisi necessitate vrgente, & tunc idem cum in die bis celebrat, post primam celebrationem, & sanguinis sumptionem, nil infundatur calici. Sanè post primam celebrationem diligentissimè absorbeantur stillulæ de calice, & digiti sugantur, vel lingua lambantur, & lauentur, reseruata lotura in vase mundo, ad id specialiter deputato, quæ lotura sumatur post secundam celebrationem. Hæc ita se habeant, nisi in prima celebratione adsit diaconus, vel alius minister honestus, qui loturam sumere possit. His adijcimus, vt reponatur Eucharistia in pyxide munda & honesta, & in pyxide munda & honesta deferatur ad ægrum linteo mundo superposito, & lucerna præcedente ac cruce, nisi æger valde remotus fuerit. Renouetur quoque hostia ipsa singulis dominicis diebus.]

Can. missa bis in die ab eod. sine necessitate non celebranda.

17 Quod ad tertium attinet, vbi de baptismatis & confirmationis agitur sacramentis, isthæc inter alia leguntur: Non liceat diaconibus baptizare, vel pœnitẽtias dare, nisi duplici necessitate, videlicet quia sacerdos non potest vel absens, vel stultè non vult, & mors imminet puero vel ægro.] Ita patres. Id verò de pœnitentijs non de pœnitentiæ sacramento, cuius legitimum ministrum solum sacerdotem esse Ecclesia catholica profitetur; sed de publicis, quæ publicè peccantibus ex eiusdem Ecclesiæ præscripto iniungebantur. Si verò (pergit synodus) in necessitate puer baptizatur a laico, quod fieri potest a patre vel a matre absque matrimonij præiudicio; sequentia immersionem, non præcedentia (quæ scilicet peracta sint) per sacerdotem expleantur.] Ex his vides, lector, in Anglia illum morem viguisse, vt infantes, qui baptismate initiabantur, in vndas sacras, quod antiquitùs fiebat, immergerentur.

De bap.

Cæterùm de confessionis sacramento subdit a: Cùm pœnitentiæ, quæ est secunda tabula post naufragium, tanto maior adhibenda sit circumspectio, quanto magis est necessaria post lapsum reparatio, nos sacrorum canonum statuta sequentes, præcipimus, vt sacerdotes in pœnitentia diligenter attendant circũstantias, * quantitatem scilicet personæ, & quantitatem delicti, tempus, locum, causam, moram in peccato factam, deuotionem animi pœnitentis; & vt pœnitentia talis iniungatur vxori, vnde non reddatur marito suo suspecta de aliquo occulto & enormi peccato: idem in marito conseruetur. Nullus etiam sacerdos post lapsum, antequam confiteatur, ad altare præsumat accedere celebraturus. Id adijcimus ad sacerdotum cupiditatem resecandã, vt missæ non iniungantur in pœnitentia his, qui non fuerint sacerdotes.] Sacrosanctum missæ sacrificium, vtpotè præstantissimum religionis actum, maximè idoneum ad id accomodatumque esse in dubium reuocari nequit. Attamen vt eorum, qui iuxta Apostolicum dictum, quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi, coërceatur auiditas, id iure inhibetur.

a Can. 4.

De confessionis sacram.

* qualitatem

Consultum est insuper b ex Lateranensis concilij præscripto, ne episcopi alijque ecclesiastici Christiano populo grauiores forent, in quam sententiam hæc inter alia: Nos ipsius (nempe modò dicti concilij) instituta humiliter & deuotè sequentes, decernimus, vt archiepiscopus parochias visitans, quadragesimum vel quinquagesimum euectionis numerum, episcopus vicesimum vel tricesimum nequaquam excedant, archidiaconus verò quinque aut septem, decani constituti sub episcopis duobus equis contenti existant. Nec cum canibus venatorijs aut auibus proficiscantur, &c.] Ex eadem insuper Lateranensi synodo prohibetur, ne quis c sine certo titulo ad diaconatus vel presbyteratus ordines promoueatur d. Ne ante canonicam commonitionem præmissam anathematis, aut suspensionis sententia feratur e; neue quidquam pro sacramentorum administratione exigatur.

De non grauandis laicis.

b Can. 5.

c Can. 6.

d Can. 7.

e Can. 8.

Adhæc patres alia sanxere de decimis f soluendis, de clericorum continentia atque honestate g, ac de matrimonio, de quo statuere h: Nec contraha-

De matrimonio.

f Can. 9.

g Can. 10.

h Can. 11

trahatur aliquod matrimonium sine trina denunciatione publica in ecclesia, neque si fuerint personæ incognitæ. Sed nec copulentur aliquæ personæ matrimonio, nisi publicè in facie ecclesiæ & præsente sacerdote, & si secus factum fuerit, non admittantur alicubi * ecclesia, nisi speciali auctoritate episcopi.] His addidere a, quod publici criminis infamia inustis, vt confiteantur ac faciant satis semel atque iterum & tertiò commonitis confestim canonica purgatio indicatur. Præterea eiusdem concilij Lateranensis institutione suffulti, leprosis b sacellum & cœmiterium permittunt. Postremò vetant, ne quisquam a laicis (quod iam sæpiſſimè statutum fuerat) sacerdotia sine episcopi auctoritate recipiat. c Atque hactenus de Londoniensi concilio.

* in

a Can. 12.

b Can. 13.

c Can. 14.

S. Hugo Lincoln. episc. hoc anno moritur.

18 His enarratis Rogerius accuratiſſimus scriptor S. Hugonis episcopi Lincolniensis obitum refert; eodem anno contigisse non solùm Matthæus Parisius, sed ipsius vitæ acta testantur. In primis enim asserunt inter Galliæ Angliæque Reges pacem ipsius opera conciliatam, quam huius anni mense maio confectam certiſſimè constat, id affirmantibus huius temporis auctoribus, quos supra memorauimus, Rogerio, Roberto de Monte, nec non Rigordo, Matthæoque Parisio, qui eodem seculo scripsit, cumque præterea Rogerius oculatus testis asserat, S. Hugonem Lincolniensem episcopum creatum anno post Christum natum millesimo centesimo octogesimo sexto, addant verò acta eum annos quindecim, & quinquaginta octo dies sedisse, non ante hunc annum obiisse necesse est. Licet mendum in huiusmodi annorum numero in acta irrepsisse ex modò allatis auctorum testimonijs dicẽdum videatur, atq; affirmandum potiùs, sanctum antistitem sedem Lincolniensem annis quatuordecim (quod Matthæus Parisius d asserit) ac dies octo supra quinquaginta ornasse. Tradunt enim acta beatum virum die festo S. Matthæi Apostoli & Euangelistæ sacris episcopalibus initiatum, ac 15. Kal. decembris e viuis ereptum fuisse. Hæc præterire noluimus, quibus infrascriptus error exploditur, cùm post res gestas D. Hugonis hæc leguntur: *Porro anno Christi millesimo duecentesimo octogesimo, qui fuit a beati viri obitu ferè octogesimus sextus, octobris sexto die, sacrum eius corpus eleuatum atque translatum est.* Qua ratione eius obitus ad annum millesimum centesimum nonagesimum quartum referendus esset. Igitur ne fœdiſſimè vitæ scriptor errasse, secumque pugnare dicatur, affirmandum est, ista de translatione corporis ab alio adiecta, quod ex ipso contextu orationis satis perspicitur. His de tempore stabilitis firmatisque, præclara tanti præsulis funera celebraturi, quemadmodum superioribus annis plura ex Anonymo eius vitæ scriptore a Baronio nostro reddita accepimus, ita ex eodem alijsque delibabimus.

d Paris. hoc ann.

19 *Cum iam tempus* (inquiunt acta) *aduentaret trãsitus eius ad patriam, acri febre corripitur* (modò laudati auctores quartana eũ laborasse affirmãt.) *Morbo autem ingrauescente, sæpius orando hæc verba repetebat: O pie Deus requiem præsta nobis; bone Domine, Deusque verax dona tandem nobis requiem. Quod quidam de astantibus audiens, quasi pro consolatione dixit ei: Iam domine quiesces. At ille: O verè, inquit, beatos illos, quibus vel in extremo iudicij die requies inconcussa donabitur. Dicente rursus eo ipsô, illum diem ei futurum, Deo volente, iudicij diem, quo esset e vita discessurus, cum magna fiducia dixit: Non rectè sentis; non enim iudicij, sed gratiæ, & misericordiæ dies erit, quo ego defungar. Cum adhuc esset incolumis, & mentio fieret de mortis horrore, dicere consueuerat: Malè profectò nobiscum ageretur, si nunquam mori deberemus.* hæc de morbo, sanctique viri fiducia, cuius etiam egregium exemplum præbuit, dum a præcipuo amico de datis ab ipso iudicijs compellatus est: *Quandoquidem* (inquit) *domine multo tempore, tum ordinarius, tum etiam delegatus permultorum iudex fuisti, diligenter oro, studeas nedum generatim, sed etiam speciatim confiteri, quos & quot priuato amore, vel odio aut promoueris, aut depresseris parum iustè; respondit ille: Odio seu amore, sed nec spe quidem vel timore personæ, vel rei cuiuscunque a veritate iudicij me vnquam exorbitasse penitus memor non sum; si autem de recto deflexi, hoc vel propria ignorantia, aut certè assistentium culpa accidit.* Hæc ipse.

Mori cupit.

Illius æquitas.

Enimuero Romanos Pontifices totius prouinciæ negotia Hugoni committere, ipsumque sancta æquitate difficillimas controuersias, iureconsultiſſimis mirantibus, dirimere consueuisse fidem faciunt acta, quæ subdunt: *Ad verba namque sua tantam adhibebat cautionem, ne quid contra veritatem proferret, vt nedum in dubijs, sed etiam in certiſſimis frequenter hanc adijceret appendicem: Sic modo nobis occurrit. Eadem per omnia cautela in literis sigillo ipsius muniendis ille veritatis amator semper vtebatur. Admonitus etiam, vt testamentum pro more faceret: Tædet me, inquit, huius consuetudinis iam passim in Ecclesiam introductæ; nec habui quicquam nec habeo, quod non sit ecclesiæ, quam regendam suscepi. Attamen ne fiscus rapiat, pauperibus tribuatur totum, quod videor possidere.* Vigebat namque adhuc peruersus ille atque sacrilegus mos, Romanis Pontificibus frustra reclamantibus, vt defunctis episcopis ecclesiastica bona fiscus inuaderet, atque expilaret. Addunt his Rogerius & Matthæus Parisius tum Ioannem Angliæ Regem ad sanctum virum officij causa adeuntem ipsius testamentum confirmasse, & in Domino (vt ijdem aiunt) pollicitum, quod deinceps Præsulum testamenta rationi consentanea, rata habiturus foret.

Heredem ecclesiam instituit.

Vt verò ingrauescente morbo, morteque imminente sese orationi dediderit, obitumque, tum ingentia, quæ Angliæ ac maximè clero imminebant mala, ob quæ lubenter se e vita discedere aiebat, ac prophetico afflatus spiritu præsagierit, enarrat vitæ eius auctor: *Cum iam autem ille, quem diximus, nouembris dies propinquasset, lacrymantibus filijs dixit, vt funeri necessaria præpararent. Facto denique in se spiritu Dei, mala grandia futura prædixit & Regi & regno, in primis autem clero. Dicebat proinde libenter se velle mori, ne tanta cerneret dissidia: & hæc quidem omnia mox ab eius obitu, sicut prædixerat, euenerunt. in quo sicut & in alijs multis apertiſſimè videre licet, eum prophetiæ spiritum habuisse. Decimo septimo nouembris die, cum sentiret vires sibi magis magisque deficere, iussit accersiri monachos, & clericos in obsequium funeris sui, & quia episcoporum nullus interesse poterat, ordine instruxit eos, quemadmodum funus ipsum curare deberent. Iussit quoque, vt non Londonia, vbi ægrotare cœpit, humaretur, sed vt Lincolniam translatum eum in primaria æde sepelirent. Concilium namque vniuersale totius regni Lincolnia celebrabatur, ad quod episcopi omnes conuenerant. Ipse autem interrogatus, num interesse vellet, respondit, etiam. id verò quomodo accipi voluerit, ex sequentibus patebit. Aduesperante ergo die vir pius & misericors sciens, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad patrem totius consolationis, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos; cernensque vbertim flentes charissimos filios, suauiſſimis eos sermonibus consolari nitebatur, dextram etiam capitibus singulorum diutius imponens, Deo & verbo gratiæ eius eos omnes commendauit.* Demum de extremo eius vitæ actu: *Deinde* (nimirum postquam amantiſſimis verbis suos in lacrymas solutos dextera eorum capiti imposita solatus esset) *deficiente voce cum rogarent eum, vt Dominum pro idoneo pastore deprecaretur, tandem respondit: Deus id faciat. quo dicto pauimentum coram eo nudatur, & cinere benedicto in crucis formam sparso, com-*

Imminẽtia Angliæ mala prædicit.

pleto-

plectorij preces inchoauerunt, cum autem versum illum audisset: Clamauit ad me, & ego exaudiam eum; cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum, imponi se cineri poscit (is mos a sanctis olim religiosissimè seruabatur, vt in cinere strati, quò pœnitentiæ sacræ magis indulgerent, emorerentur) *psallentibus illis festinantius, vultu placidissimo spiritum sensim colligebat, quem tunc in manus conditoris tradidit, cùm illud Simeonis canticum inciperetur: Nunc dimittis seruum tuum Domine secundùm verbum tuum in pace. Obyt circa annum Domini 1200. cùm iam sexagenarius esset, deinceps in sabbato pacis æterna quieturus. Tenuit cathedram episcopalem annis quindecim, & quinquaginta, & octo diebus.* Hactenus gestorum scriptor.

In cinere feliciter animam efflat.

20 Recenset postea diuinitùs ostensa de eius gloria prodigia, cuius mirabile quoddam vestigium in sacro corpore impressum effulsit: *Cùm lauarent, capellani videlicet, corpus exanime, lacte candidius foris apparuit: intus verò vitro purius cernebatur.* Iam verò egregium illius funus, vel potius insignem lætissimumq; triumphum spectemus. subdunt gesta sacris vestibus adornato corpore incredibilem hominum multitudinē concurrisse, vt feretro gestando collum submitterent (Londonio enim, vbi dum post tractatā inter Anglos & Francos pacem rediens ex morbo obierat, Lincolniam transferebatur) atque inter alios Ioannem Angliæ, & VVillelmum Scotiæ Reges innumera præsulum procerumque corona stipatos id officium sancto corpori præstare sibi gloriæ & triumpho duxisse. De ijs agunt etiam Rogerius & Parisius, quorum prior trium archiepiscoporum, episcoporum plurium, aliorumque nomina percensset, asserens, quod ad archiepiscopos attinet, fuisse Hubertum Cantuariensem, Ioannem Dublinensem (huius loco habet Parisius Gaufridum Eboracensem) & Bernardum Raguensem.

S. corpus lacte candidum, vitroq; pellucidius visum.

Sic sit placuit (loquuntur acta) *remuneratori omnium bonorum glorificare seruum suum fidelem, qui toties erga sepulturam aliorum solicitus fuerat.* eademq; Parisius. Contigit verò sæpius, vt diuinum numen seruum suum in eo pietatis genere occupatū ita adamaret, vt fœtorem e putridis corporibus halantem percipere nō permitteret. Addunt acta: *Cùm audisset aliquando quendam ex persecutoribus eius defunctum, statim præparauit se, vt illò pergeret, hominemque sepeliret. Occurrentibus verò famulis & dicentibus, certissimè comparatas esse insidias iuxta viam. Tum demum, inquit ille, iuste excusabimur, si pedes compedibus constringantur, & incedendi facultas erepta sit. Quo dicto, relictis alijs, cum duobus tantum eò se contulit, ac funus honorificè curauit.* Sed cœptam sacri funeris historiam prosequamur.

Illius charitas erga inimicū.

Quod ad sepulturam spectat, Rogerius & Parisius sacrum corpus in ecclesia, quam ipse in Deiparæ honorem construxerat, iuxta altare S. Ioannis Baptistæ a prædictis archiepiscopis & episcopis tumulo mandatum esse tradunt. Porro non modò templum illud ædificandum curauerat, verùm in cœmentario etiam opere tantus præsul inseruire ac desudare voluerat, ac proprijs humeris lapides gestare, nec a dignitate episcopali alienum putabat vilissimum laborem suscipere; quo diuina gloria augeretur. Quanti verò apud Deum meriti is labor esset, ingenti miraculo illustratum est, cùm æger accepto in humeros corbe, quo sanctus vtebatur, pristinam valetudinem, vt testatur Parisius a, est adeptus.

a Par. hist. Angl.

Pluribus autem signis veluti quibusdam gloriæ trophæis eius feretrum & sepulchrum Deus illustrauit: ad gestorum namque calcem legitur toto sex dierum itinere, & post exequias ipsius diuinum numen plura miracula sancti sui meritis patrasse, inter quæ illud stupore maximo omnes defixit, quod narrat etiam Parisius, accensas faces, quæ sacro corpori præferebantur, licet vento & pluuia asperaretur cælum, nunquam diebus quatuor ita extinctas fuisse, quin semper ex ijs aliqua arderet. Hæc, aliaque de S. episcopo miracula enarrant acta, quibus adijcienda arbitror, quæ Rogerius scriptis de eo commendauit, virum sanctum, dum in humanis versaretur, dicere solitum, maximum illud sibi videri miraculum, si quis alicuius sancti precibus ex hac vita eriperetur, vt ex illius periculis in cælum euolaret: quod miraculum ait in eo contigisse, qui cùm ad feretrū sancti preces fudisset, vt ex hac vita, ad Christum intuendum, discederet, sequenti nocte animam piè efflauit. addunt etiam infra decimumquintum ab obitu diem D. Hugonem decano ecclesiæ Lincolniensis videndum se obtulisse, monuisseque sibi a Christo concessum, vt e canonicorum collegio vnus breui in cælum demigraret, proinde imperaret omnibus, vt se ad mortem compararent, quæ sors in Robertum felicissimè cecidit, cuius corpus asperrimo cilicio sub veste candida horrere repertum est. Sed ad acta redeamus, quæ cœptam de rebus admirandis narrationem ita prosequuntur: *Mulier quædam cæca ad primum corporis contactum oculorum lumen recepit. Fur quidam cum crumenam pecunia refertam abstulisset a latere cuiusdam fœminæ orantis ad corpus S. Hugonis, miraculosè protinus excæcatus est. Sentiens ergo diuinam vltionem, seipsum publicè accusauit, crumenam reddidit, & visum recuperauit.* Rogerius autem & Parisius aiunt furem fuisse dæmone correptum, verùm vtrumque contigisse potuit. *Miles quidam, cuius brachium cancer planè corroserat, ad corpus S. Hugonis sanatus est. Puer quidam vita functus meritis illius reuixit. Vir quidam languidus a medicis desperatus, ad sanctum beati viri sepulcrum venit, moxque sanus & incolumis surrexit. Denique non longo temporis spatio a sepultura pretiosi thesauri, intra paucos dies ad monumentum eius sex paralytici sanitatis beneficium adepti, tres cæci illuminati, muti duo loquendi facultatem receperunt; duo quoque contracti pristinæ sunt firmitati restituti, & hydropica fœmina eius meritis curata est. Mulier quædam cùm quatuor fecisset abortus, admonita est ab ancilla sua, vt puerulum cereum sancto Hugoni offerret, quod vbi fecit, non abortiuit vnquam, sed sex incolumes pueros enixa est. Sunt & alia permulta illustria miracula, quibus sanctum suum Dominus mirificauit. Hæc pauca interim breuitatis studio commemorasse sufficiat in laudem & gloriam præpotentis Dei, qui viuit & regnat in infinita secula seculorū amen.* Hucvsque res gestæ S. Hugonis Lincolniensis episcopi, cuius innumera miracula prætermittimus silentio, illius verò memoria, quo e vita discessit die, nimirum xv. Kal. decemb. a catholica Ecclesia coli consueuit. a

Multi beneficia ingentia S. viri precibus obtinent.

a Rom. Martyr. eo die vbi Bar. lit. f. b Rog. in Annal. Angl. hoc anno.

21 Nec taciti prætermittere debemus, quæ admiratione digna de Eustachio abbate Rogerius b refert, illum viri sanctissimi Fulconis, de quo anno 1198. mentionem edidimus, in conuertendis populis laboris socium in Angliam traiecisse, atque sacris cōcionibus Anglos magna felicitate, & Christi gloria instruere cœpisse, effulsisse miraculis, atque inter alia apud VVij non longè a Cantuaria quendam fontem sacrasse, cuius beneficio postea cœcis oculorum lumen, auditus surdis, mutis vox, debilitatis incessus hausta ex illo aqua fuerint restituta, adijcitque prodigium in muliere arreptitia, quæ pariter hausta aqua dæmones euomuit: tum de alio fonte diuinitus eiusdem viri S. opera scaturiente tradit populi laborantis aquæ inopia apud Rumenel precibus flexum, a Deo obtinuisse, vt in loci ecclesia e rupe percussa perennes aquæ exilirent, quæ multis morbis præsens remediū attulere; tum plura piè ab ipso gesta subijcit.

a Par. hist. Angl. hoc ann. — Quinque lunæ de nocte visæ.

Eadem Parisius a, qui prodigia cælitùs ostensa adiungit, ac lunas quinque cælo emicare visas historiæ prodidit: *Paulo ante natiuitatem Dominicam apparuerunt de nocte quinque lunæ in cælo, circa primam vigiliam noctis: prima apparuit in aquilone, secunda in meridie, tertia in occidente, quarta in oriente, quinta apparuit in medio illarum quatuor lunarum, habens secum stellas multas, quæ cum stellis suis circuibat quinquies, vel amplius præfatas quatuor lunas. Hæc autem apparitio multis videntibus, & admirantibus quasi per spatium vnius horæ facta est.* Atque hæc de rebus Angliæ dixisse suffecerit.

In Germania de Imperio dissidium.

22 Iam ad Innocentium Romanum Pontificem redeamus, cui in caussis non solùm Galliæ, Angliæque Regum, sed Germanorum etiam principum, inter sese de Imperio certantium, plurimum elaborandum fuit. Cùm enim singulorum iura ac merita quàm diligentissimè perpendisset, reiectis Philippo Sueuo regni inuasore, & Friderico Siciliæ Rege, quorum alter anathemate percussus, alter verò ob ætatem tanto muneri impar erat, Othoni operam suam studiumque porrexit. Quomodo autem hæc se habuerint, nunc discutiendum, ac præcipuè super eare ex epistolis ab eodem Pontifice hoc anno datis atque acceptis. Primum inter eas locum obtinent Othonis literæ b, quibus post vberrimas relatas gratias de collatis in se a Pontifice officijs ait intèr inferiores superioresq; principes circa Rhenum incolentes, quorum pars altera sibi, altera verò Sueuiæ duci parebat, Maguntini archiepiscopi opera ad B. Martini festum inducias initas esse, secùs autem inter Saxoniæ principes, in quam prouinciam decreuerat prouolare, vt Dacorum Regi, sororio suo, auxiliares copias adducenti occurreret, eique sese coniungeret. Addit insuper Maguntino archiepiscopo elaborante principes suos monitis Pontificis consensisse, vt proximè post B. Iacobi Apostoli solemne festum, inter Andernacum & Confluentiam in colloquium descenderetur, cui ex parte quidem sua Coloniensis archiepiscopus, Monasteriensis, Leodiensis, Traiectensis, ac Padebornensis episcopi, Corbeiensis abbas, Brabantiæ dux, & Flandriæ comes interessent; ex parte verò Sueuiæ ducis Salisburgensis, ac Treuerensis archiepiscopi, Frisingensis, Argentinensis, Basiliensis episcopi, Morauiæ dux, Conradus Marchio de Landisbergo, B... Ceringiæ dux, Maguntinus verò internuntij partes obiret, quò de summa rerum deciderent, atque omnibus dissidijs finem imponerent, adeo vt quidquid eorum pars maior de Imperio decerneret, ab ipsis cæterisque Germaniæ principibus integrè inuiolatèque seruaretur. Quamobrem Otho idem, qui Ecclesiæ patrocinium, auxilium atque auctoritatem in omnibus, vt ait, rebus suis optabat, Innocentium supplicibus verbis orat, vt prædictis principibus, ecclesiasticis æquè ac laicis, alijsque, si quos colloquio interesse contigisset, præciperet, vt sibi adhærescerent, ac præsto essent.

Pontifex Othonis partes fouet.

b Lib. Pat. ex regest. Innoc. de negot. Rom. Imp. signatus n. 415 ep. 20.

Innoc. ad Ger. principes epistola de deligendo in Imp.

23 Rogatus igitur ab Othone Pontifex ad vniuersos Germaniæ principes hanc dedit epistolam c.

Vniuersis tam ecclesiasticis, quàm secularibus principibus Alemanniæ.

c Ib. ep. 21

Cùm de discordia, quæ diebus nostris, peccatis exigentibus, super Imperio est suborta, vehementius doleamus, quia non, vt aliqui mentiendo confingunt, ad depressionem eius intendimus, sed ad exaltationem potius aspiramus, cogitauimus sæpius infra nos ipsos, deliberauimus quoque frequenter cum fratribus nostris, & cum alijs viris prudentibus & discretis, non semel tantùm tractauimus, qualiter ad sopiendam dissensionem huiusmodi possemus impendere operam efficacem, fuerunt autem quamplures, qui nobis suggererent, vt cùm duo fuissent per discordiam in Reges electi, de studijs eligentium, & meritis electorum inquireremus solicitè veritatem, quatenus intelligeremus pleniùs, cui esset fauor Apostolicus impendendus; dicebatur enim de altero, quòd receptus esset a pluribus, & insignia Imperialia obtineret, sed opponebatur protinus contra eum, quòd nec ab eo, qui potuit, nec vbi debuit, fuerit coronatus, cùm Tarantasiensis archiepiscopus tanquam extraneus, & ad quem id minimè pertinet, euocatus, ei regni præsumpserit imponere diadema. Præterea obijciebatur eidem, quòd contra propriũ iuramentum, super quo nec consilium a sede Apostolica requisierat, regnum sibi præsumpserat vsurpare, cùm super illo iuramento sedes Apostolica prius consuli debuisset, sicut etiam quidam consuluere prudenter, apud quam ex institutione diuina plenitudo residet potestatis.

Philippi Sueui ius refellitur.

Addebatur etiam contra ipsum, quòd cùm bonæ memoriæ C.... Papa prædecessor noster ipsum pro temeritate sua excommunicationis sententia publicè innodasset, & nuntij nostri, quos pro liberatione venerabilis fratris nostri ..... Salernitan. archiepiscopi quondam in Teutoniam miseramus, datam sibi formam a nobis in absolutione ipsius, qui iam in Regem se fecerat nominari, minimè seruauissent, contra quam nihil agere poterant, idem profectò excommunicatus electus fuerat in Regem, & adhuc excommunicationis sententia tenebatur astrictus. Vnde iuxta sanctorum Patrum canonicas sanctiones ei, qui talis existit, non obstante iuramento fidelitatis, est obsequium subtrahendum.] Proponit etiam eum adhuc anathematis vinculis irretitum cùm electus esset, tum subdit: Hoc quoque contra eundem non modicum facere proponebant, quod contra libertatem Imperij regnum sibi iure nitebatur hereditario vsurpare. Vnde si prout olim frater patri successerat, si nunc succederet frater fratri, libertas principum deperiret, cùm non per eorum electionem, sed per successionem potius regnũ videretur adeptus. Vt cætera benignius taceamus, quæ contra genus ipsius, super oppressione tam ecclesiarum, quàm principum opponuntur, ne ipsum persequi videamur.] Hæc in Philippum, quæ indignum Imperio reddebant: vnde grauiter redarguendi, qui Philippo plus æquo studentes, iustissimum Pontificem in crimen vocare ausi sunt, quod illum reiecerit a, vt taceamus perditissimos nouatores b, quibus solemne est cuncta a Romanis Pontificibus gesta dente maledico carpere, ac traducere. Quod verò ad Othonem spectat, subdit Innocentius:

a Vrsperg. & Naucl. in chron. b Cent. 13 c. 6. col. 1302.

24 Cæterum proponebatur pro altero, quod ab eo, qui potuit, & vbi debuit, fuerat coronatus, cùm a venerabili fratre nostro Coloniensi archiepiscopo, ad quem id pertinet, apud Aquisgrani in solio Augustali fuerit inunctus & coronatus in Regem, sed opponebatur eidem, quòd pauciores eum principes sequerentur.] Hactenus Pontifex de eorum meritis, quos inter summi honoris celsissimæque dignitatis certamen erat. Quid verò in tanta re egerit, his docet: Licet autem nobis fuissent talia sæpe suggesta, & vt sic procederemus, consultum a viris prudentibus, & discretis, volentes tamen honori vestro deferre, vniuersalitatem vestram paterno cõmonuimus dilectionis affectu, & per Apostolica vobis scripta mandauimus, vt Dei timorem habentes præ oculis, & honorem zelantes Imperij, ne annullaretur dignitas eius, & libertas etiam deperiret, melius intenderetis ad prouisionem ipsius, nedum foueretis discordiã, ne per vos destrueretur Imperialis sublimitas, quæ per vestrum erat studium conseruanda. Alioquin quia mora periculum ad se graue trahebat, nos quod expedire sciremus, solicitè procurantes, & curaremus fauorem Apostolicum impertiri, quem crederemus maioribus studijs, & meritis adiuuari.

Discutitur Othonis caussa.

Pontifex hortatur principes de Imp. consentiat.

Gau-

Gaudemus autem, quòd licet monita nostra distuleritis hactenus exaudire, nunc tamen redeuntes ad cor, & quid potius expediat attendentes, iuxta commonitionem nostram, proposuistis, vt accepimus, de Imperij pace tractare. Monemus igitur vniuersitatem vestram, & exhortamur in Domino, & per Apostolica scripta mandamus, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus ijs, quæ præmisimus, diligenti meditatione pensatis, ad eum vestræ dirigatis considerationis intuitum, qui merito strenuitatis, & probitatis ad regendum Imperium est idoneus; quod quasi præcipuum in hoc negotio procurare debetis, cùm præsertim hoc tempore non solùm Imperium probum, & strenuum exigat habere rectorem, sed & Ecclesia non possit, nec velit diutius iusto, & prouido defensore carere, quem nos possimus, & debeamus meritò coronare, ab eo penitus animum remouentes, cui propter impedimenta patentia fauorem non debeamus Apostolicum impertiri.

25 Alioquin vnde crederetis discordiam vos sopire, inde cõtingeret vos maius scandalum suscitare, quoniam præter id quod, si fieret fortè contrarium, Vrbi, & penè penitus toti displiceret Italiæ, Ecclesia quoque id ferret grauiter, & molestè, nec se dubitaret pro iustitia & veritate potenter opponere, quæ Deo desiderat potius, quàm hominibus complacere. Essetis etiam perditionis occasio Terræ sanctæ, ad cuius recuperationem totis viribus aspiramus. Hæc autem vobis prædicimus, non vt libertatis, dignitatis, & potestatis vestræ priuilegio derogare velimus, sed vt dissensionis, & scandali materiam amputemus, cùm is sit a vobis assumendus in Regem, quem nos in Imperatorem possimus, & debeamus meritò coronare; ne si secus accideret, fieret error nouissimus peior priore. Si verò salubribus monitis nostris, quæ de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta procedunt, prudenter, ac reuerenter curaueritis acquiescere; nos cum eo pariter, & pro eo, qui ritè sic fuerit promotus in principem, ad honorem, & exaltationem Imperij efficaciter intendimus, cùm & ipse nobiscum pariter, & pro nobis ad honorem, & exaltationem Ecclesiæ intendere debeat, vt speramus, ita quod eo faciente, qui est Rex regum, & Dominus dominantium, sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, regnum & sacerdotium diebus nostris mutuis subsidijs optatum recipient incrementum. Super iuramentis etiam illud auctoritate Apostolica statuemus, quod ad purgandam eo famam & conscientiam redundabit, vnde non permittaris vos aliquo modo seduci sub specie pietatis ab ijs, qui non communem, sed specialem vtilitatem inquirunt, quod ad hoc specialiter debet principis electio procurari, non vt prouideatur certæ personæ, sed vt reipublicæ consulatur. Quod vtique fieri non potest, nisi persona principis prouida sit, & iusta, strenua, & honesta. Cum is sit a vobis assumendus in Regem, quem nos in Imperatorem possimus & debeamus meritò coronare.] Ac postremò de nuntio, quem eis mittebat, adijcit: Vt autem de nostro beneplacito, & consilio reddamini certiores, dilectum filium. E. acolytum nostrum, virum prouidum, & discretum, nobis & fratribus nostris merito suæ probitatis acceptum, de cuius planè fidelitate confidimus, ad vos duximus destinandum, cui ea, quæ vobis ex parte nostra proponet, indubitata fide credatis.] Rursumque ad ipsos scribens a, eis qui in Regis electione Apostolicis monitis parerent, maximam a se gratiam ituros pollicetur.

a lib. ep. 24.

Lit. Inn. Magũtino archiep.

26 Aliam præterea Conrado Maguntino archiepiscopo epistolam b dedit, vbi in primis valde se mirari ait, quòd de Imperij rebus nec literis, nec nuntijs ab eo certior factus esset.

b ib. ep. 22

Innocentius, &c.

Miramur non modicum, quòd cùm publicè nobis, coram fratribus, promiseris viua voce, quod nihil prius finaliter de Imperij ordinatione tractares, quàm per literas & nuntios tuos nostræ consuleres beneplacitum voluntatis, nuper in colloquio, quod fuit inter Andernacum, & Confluentiam te procurante, sicut procerto didicimus celebratum, aliquid diceris quasi finaliter tractauisse, cum facta compromissione, in quosdam principes tam Ecclesiasticos, quàm etiam seculares, quod illi decreuerint in colloquio, quod in proximo est condictum, ab vniuersis debeat obseruari.] De inito commissoque vtriusque partis concilio Andernacum inter & Confluentiam, ista habet Godefridus a monachus huius temporis scriptor: *Ad quod colloquium se contulerunt Coloniensis archiepiscopus, & Hermannus Monasteriensis, & Treuirensis, & alij quã plures, sed quod consiliati sunt, processum non habuit.* Verùm ad Innocentij redeamus epistolam, qui paucis interiectis verbis Conradum vrget precibus, vt diligentissimè pro Ecclesiæ atque Imperij consulendis rebus nauet operam, consiliaque sibi, dum in aula pontificia versaretur, patefacta in opus adduceret, vt extremus illius vitæ actus primo consentiret, nec partam in iuuentute ob explicitum erga Ecclesiam studium gloriam senex corrumperet, possetque cum Apostolo exclamare: *Bonum b certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, ideoque reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Datum Lateran.*]

Irritus de pace Othonem inter, & Philippũ tractatus.

a Godef. in Annal.

b 2. Tim. 4

Aliæ præterea extant Innocentij literæ c eidem Cõrado hoc anno missæ: cùm enim Otho Rex de Thuringiæ Lantgrauio apud Apostolicam sedem conquestus esset, illum licet iuramento deuinctum haud fidẽ sibi seruare, Pontifex ipsi Maguntino archiepiscopo, cuius infidus princeps neptem duxerat, in mandatis dedit, vt ad reddenda saltem, quæ ab Othone acceperat, illum hortaretur, & induceret. Post has verò atque alias epistolas, quarum infra mentionem faciemus, de tribus ad Imperium electis Innocentij consilium atque decretum recensetur, quod adducendum a nobis, dignitas argumenti expostulare videtur. Titulus atque exordium huiusmodi est:

c nod. cod. Vat. ep. 27

Deliberatio domini Papæ super facto Imperij de tribus electis.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Interest d Apostolicæ sedis diligenter, & prudenter de Imperij Romani prouisione tractare, cùm Imperium noscatur ad eam principaliter & finaliter pertinere, principaliter, cum per ipsam, & propter ipsam de Græcia sit translatum, per ipsam translationis auctricem, propter ipsam melius defendendam; finaliter, quoniam Imperator a summo Pontifice finalem, siue vltimam manus impositionem promotionis propriæ accipit, dum ab eo benedicitur, coronatur & de Imperio inuestitur, quod Henricus optimè recognoscens, a bonæ memoriæ Cælestino Papa prædecessore nostro, post susceptam ab eo coronam cum aliquantulum abscessisset, rediens tandem ad se ab ipso de Imperio per pallam auream petijt inuestiri. Sicut autem * Imperatores sunt in Reges electi, puer (nempe Fridericus Siciliæ Rex) Philippus, & Otho, sic tria sunt circa singulos attendenda, quid liceat, quid deceat, quid expediat. Circa puerum quidem filium Imperatoris Henrici, facie prima videtur, quòd non liceat contra eius electionem venire, quæ iuramento est principum roborata. Nam etsi iuramentum illud videatur violenter extortum, non est tamen ideo non seruandum, cùm licet iuramentum, quod Gabaonitis præstiterunt filij Israël, fuerit per fraudem subreptum, illud tamen nihilominus decreuerint obseruandum. Præterea, etsi a prin-

d Ib. ep. 29

Deliberat quis pro Imperatore agnoscẽdus.

Probatur eam deliberationẽ ad Pontif. pertinere.

* tres

Quid iustum, quid decorum, quid vtile attendit.

Friderici ius ad Imperium ponderatur.

principio fuerit sic extortum, postmodum tamen pater eius intelligens se perperam processisse, iuramentum relaxauit principibus, & literas super electione remisit, qui postmodum puerum ipsum, patre absente, sponte, ac concorditer elegerunt, fidelitatem ei pend penitus omnes, & quidam hominium exhibentes, vnde non videtur contra licita iuramenta venire.] De iureiurando hoc, de quo Innocentius, sic ait Godefridus: *Cui* (id est Friderico) *in Regem electo, viuente adhuc patre, principes Imperij fidem & sacramenta fecerant*. Hoc idem alij. Pergit Pontifex de Friderico: Videtur etiam non decere, vt cùm ipse Apostolicæ sedis sit tutelæ commissus, & sub eius protectione receptus, per eam priuetur Imperio, per quam in iure suo fuerat confouendus; maximè cùm sit scriptum: Pupillo tu eris adiutor. Quod non expediat contra ipsum venire, illa præsertim ratione videtur, quod cùm idem puer ad annos discretionis perueniens intellexerit per Romanam Ecclesiam Imperij se honore priuatum, non tantùm non exhibebit ei reuerentiam consuetam, sed ipsam potius modis, quibus poterit, impugnabit, & regnum Siciliæ retrahet a deuotione ipsius, & negabit ei obsequium consuetum.] Hæc Innocentius, nec falsus vates, postea enim Ecclesia Romana Fridericum ætate auctum infensissimum hostem, vt videbimus, sensit.

Allata pro Friderico argumēta confutantur.

28 Verùm (addit Pontifex) contrarium econtra videtur, quod liceat videlicet, deceat & expediat venire contra electionem ipsius. Quod liceat, videtur ex eo, quod iuramenta illa fuerunt illicita, & electio indiscreta. Elegerunt enim personam non idoneam, nec non solùm Imperio, sed nec alicui officio congruentem, puerum videlicet vix duorum annorum, & nondum sacri baptismatis vnda renatum; vnde non videntur tam illicita, & indiscreta iuramenta seruanda. Nec obest, quod de Gabaonitis obijcitur, cùm iuramentum illud potuerit sine Israelitici populi læsione seruari, hæc autem seruari nequeant absq; graui iactura non vnius gentis, sed Ecclesiæ damno, & dispendio populi Christiani. Nec obstat, quod opponitur iuramenta illa licita secundùm intentionem iurantium extitisse: intelligebant enim, quòd etsi eum tunc in Imperatorem eligerent, non tamen vt tunc imperaret, sed postquam ad legitimam perueniret ætatem. Sed qualiter de ipsius idoneitate poterant iudicare? nonne potuisset esse stultus, vel vsque adeo imprudus, vt esset indignus minori etiam dignitate? Sed pone illos intellexisse, vt tandem imperaret, cùm esset idoneus ad Imperium gubernandum, interim autem pater reipublicæ prouideret. Casus postmodum interuenit, propter quem non potest, nec debet iuramentum huiusmodi obseruari, de quo nullatenus principes cogitabant, scilicet patris decessus. Vnde cùm per procuratorem non possit Imperium procurari, nec Imperator debeat fieri temporaliter, nec possit, aut velit Ecclesia Imperatore carere, videtur quòd liceat Imperio in alio prouidere. Quòd non deceat ipsum imperare, patet omnibus manifestè: nunquid enim regeret alios, qui regimine indiget aliorum? nunquid tueretur populum Christianum, qui est alienæ tutelæ commissus? Sed nec obstat, quod obijcitur ipsum esse tutelæ nostræ commissum, cùm non sit nobis commissus, vt ei obtineamus Imperium, sed regnum Siciliæ potius defendamus. Patet enim illud idem ex verbo scripturæ dicentis. Væ terræ, cuius Rex puer est, cuius principes manè comedunt. Quòd non expediat ipsum Imperium obtinere, patet ex eo, quòd per hoc Regnum Siciliæ vniretur Imperio, & ex ipsa vnione confunderetur Ecclesia. Nam vt cætera pericula taceamus, ipse propter dignitatem Imperij nollet Ecclesiæ de regno Siciliæ fidelitatem, & hominium exhibere, sicut noluit pater eius. Nec valet, quod opponitur, quòd non expediat venire contra electionem ipsius, ne postmodum molestet Ecclesiam, per quam Imperium se cognouerit amisisse. Nunquam enim verè dicere poterit, quòd Ecclesia Imperialem ei abstulit dignitatem, cùm potius patruus eius non solùm Imperium, sed & paternam hereditatem inuaserit, & maternam possessionem occupare per suos satellites machinetur, ad cuius defensionem Ecclesia Romana non sine multis laboribus, & expensis prudenter, & potenter intendit?]

Prætensa ad Imperium Philippi Sueui iura.

29 Quod verò ad eius patruum attinet: De Philippo (inquit) videtur similiter, quòd non liceat contra eius electionem venire: cum enim in electionibus circa electores zelus, dignitas, & numerus attendatur, & de zelo non sit facilè iudicare, cum ipse a pluribus & dignioribus sit electus, & adhuc plures & digniores principes sequantur eundem, iustè videtur electus, vnde contra iustam & legitimam electionem non videtur licere venire. Quòd non deceat, videtur similiter, ne videlicet videremur nostrarum iniuriarum vltores, si, quia pater & frater eius fuerunt Ecclesiam persecuti, eum persequi nos vellemus, & aliorum culpam in pœnam eius præter officij nostri debitum immutare, cùm potius præcipiatur a Domino: Diligite inimicos vestros, benefacite ijs, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos. Quòd non expediat, patenter apparet: cum enim potens sit tam terra, quàm opibus, & personis, non videtur expedire, vt contra torrentem brachia dirigamus, tam potenti nos taliter opponentes, vt eum reddamus nobis, & Ecclesiæ inimicum, & ne maiorem videremur discordiam suscitare, fieretque nouissimus error peior priore, cùm nos potius pacem inquirere & persequi, & euangelizare alijs debeamus, quæ fouendo illum posset de facili prouenire.

Rationes quæ Philippū ab Imperio excludāt.

30 Verùm econtra videtur, quòd liceat nos ei opponere: fuit enim iustè, ac solemniter per prædecessorem nostrum excommunicationis sententia innodatus; iustè quia beati Petri patrimonium partim per violentiam occuparat, partim damnificarat incendijs & rapinis, & super hoc commonitus semel, & iterum per fratres nostros satisfacere non curarat; solemniter, quoniam in celebratione missarum in ecclesia beati Petri in festiuitate non parua, quod ipse postmodum recognouit, cùm pro absolutione sua nuntium ad sedem Apostolicam destinauit, & cùm tandem per delegatos nostros contra formam mandati nostri post electionem suam se fecit absolui: vnde patet, quod fuerit excommunicatus electus. Videtur quoque forsan aliquibus, quòd nondum sit ab excommunicationis vinculo absolutus, cùm quondam Sutrinus episcopus in absolutione ipsius formam non seruauerit sibi datam, cùm forma data eidem fuerit hæc, vt pro absolutione venerabilis fratris nostri Salernitani archiepiscopi, quem ante absolutionem ipsius mandabamus ab ergastulo suæ captiuitatis absolui, ei laborem itineris veniendi ad sedem Apostolicam relaxaret, & postmodum recepto ab eo publicè secundùm formam Ecclesiæ iuramento, quod super ijs, pro quibus excommunicatus fuerat, mandato nostro pareret, munus ei absolutionis impenderet, sed ipse nondum archiepiscopo absoluto, & nullo ab eo iuramento recepto, non in publico, sed clam ipsum absoluere de facto solummodo, quia de iure non potuit, est conatus. Propter quem eius excessum, cùm ipsum rediens recognouerit, ab episcopatu remotus, in monasterio diem clausit extremum.] His consentanea de Philippo anathematis sententia perculso a Cælestino Romano Pontifice, deque Suttini episcopi legationis

mune-

legationis munere perfuncti prænaricatione, Innocentij vitæ acta, & Vrspergensis pluribus sunt prosequuti. pergit Pontifex: Præterea cùm nos Marcualdum & omnes fautores ipsius, tam Theutonicos, quàm Latinos excommunicationis sententia sæpiua innodemus, & ipse non solùm fautor, & auctor iniquitatis eius existat, patet eum excommunicationis sententiæ subiacere.

31 Præterea cum notorium sit ipsum iuramentum fidelitatis puero præstitisse, & nûc regnum Theutonicum, & quantum in eo est, Imperium occupasse, constat eum periurij esse reum. Sed obijcitur, quod si, quemadmodum superius est expressum, iuramentum illud illicitum reputemus, quomodo dicimus eum reum esse periurij, & transgressorem præstiti iuramenti, quod dicitur non seruandum? sed respondetur, quod etsi iuramentum illud illicitum fuerit, non tamen ab eo temeritate propria resilire, sed nostram prius debuisset consulere voluntatem ad exemplum illius iuramenti, quod filij Israël Gabaonitis præstiterant, quod licet fuerit per fraudem surreptum, non tamen sua temeritate resilierunt ab eo, sed Dominum consulere decreuerunt. Præterea cum omne, quod contra conscientiam fit, ædificet ad gehennam, quia secundùm Apostolum, omne quod non est ex fide, peccatum est; & idem Philippus super hoc negotio taliter se excuset, quod regnum aliter nullatenus accepisset, nisi nosset, quod illud inuadere alij disponebant, patet eum credidisse iuramentum illud fuisse seruandum, & ex eo quod venit taliter contra illud, eius esse conscientiam vulneraram. Sic ergo videtur, quod licitè nos excommunicato, & periuro debeamus opponere, & eius conatibus obuiare. Quod ei nos opponere deceat, manifestè videtur ex eo, quod si prout olim patri filius, sic nunc immediatè succederet frater fratri, videretur Imperium non ex electione ei conferri, sed ex successione deberi, & sic efficeretur hereditarium, quod debet esse gratuitum, præsertim cum non solùm Federicus substituerit sibi filium, sed Henricus etiam filium sibi voluerit subrogare, & per hoc forsan in posterum abusio traheretur in vsum.

32 Quod autem expediat opponere nos Philippo, liquet omnibus manifestè: eum enim persecutor sit, & de genere persecutorum fuerit oriundus, si non opponeremus nos ei, videremur contra nos armare furentem & ei gladium in capita nostra dare, &c.] Ostendit quantum ex ea stirpe propagati principes Imperium consecuti Ecclesiæ Romanæ summisque Pontificibus aduersi infensique extiterint. Nempe Henricus IV. Fridericus, & Henricus V. eius filius (de quibus singulis fusè Baronius) Henricus enim, qui primus Imperium de genere hoc accepit, persecutionem grauissimam in Ecclesiam suscitauit, & bonæ memoriæ Paschalem PP. qui eum coronauit, cum episcopis, Cardinalibus & multis nobilibus Romanorum cepit per violentiam, & perfidiam, & tamdiu tenere præsumpsit, donec pro liberatione non sua, sed eorum, qui fuerant capti secum, quos minabatur mutilare tyrannus, priuilegium quodcumque voluit, ei fecit, cumque postmodum idem Paschalis a detentionis suæ vinculis liberatus, prædictũ priuilegium, quod dicendum erat potius prauilegium, reuocasset, dictus Henricus præter Cardinalium electionẽ hæresiarchas quosdam, dati sibi priuilegij occasione creauit & Idolum contra Ecclesiam Romanam erexit, & ex tunc schisma vsque ad Calixtum tempore longo durauit. Huic de eodem genere successit in Imperium Fredericus, qui cum Tyburtinos tunc rebelles post coronationem suam promisisset ad subiectionem Ecclesiæ reuocare, eos sibi postmodum vendicauit, dicens quod ciuitatem ipsam vellet in specialẽ Imperij cameram retinere, & sic eos contra ecclesiam Romanam armauit. Qui etiam cum bonæ memoriæ Alexander prædecessor noster, tunc Ecclesiæ Romanæ cancellarius ad eum a felicis recordationis Adriano Papa, qui eum coronauerat, destinatus fuisset, lectis literis, in quibus continebatur, quod Imperator deberet Ecclesiæ Romanæ deferre, cum ipsa ei coronæ beneficium contulisset, dicitur cum furore, & iracundia respondisse: Nisi essemus in Ecclesia, iam scirent qualiter Theutonicorum enses incidant, & protinus eum infecto negotio, pro quo iuerat, terram suam iussit exire, & eundem Adrianum moliebatur, sed frustra, eum quibusdam deponere, opponens ei quòd esset filius sacerdotis. Ipse idem postmodum contra eundem Alexandrum longo tempore schisma fouit, & quoscunque potuit, contra eum coniurare coëgit, in iuramento apponens, quod nullo tempore pœnitentiam reciperent de huiusmodi iuramento, & ipse idem sub eadem forma iurauit. Ipse quoque cum Venetijs terram Canalcacomitis, quam occupauerat, & alia quædam Ecclesiæ Romanæ restituere per iuramenta principum permisisset, ipsam postmodum fortiùs occupauit, & bonæ memoriæ Lucio prædecessori nostro accedenti in Lombardiam satis fraudulenter illusit, ipsum & successorem ipsius apud Veronam quasi obsessos tenens.

Sueui principes ob Ecclesiam exagitatam infames.

33 Henricus autem filius, & successor ipsius in Ecclesiæ persecutionem suæ dominationis execrauit primitias, cùm beati Petri patrimonium violenter ingressus, illud multipliciter deuastauit, qui etiam quosdam familiares fratrum nostrorum naso fecit in iniuriam Ecclesiæ mutilari. Ipse occisores bonæ memoriæ A. Leodiensis episcopi, quem ipse coëgerat exulare, post interfectionem ipsius, in multa familiaritate recepit, & publicè participauit eisdem, & beneficia postmodum maiora concessit. Ipse venerabilem fratrem nostrum Auximanum episcopum, quia confessus est coram eo, quod episcopatum per sedem Apostolicam obtineret, alapis in præsentia sua cædi fecit, & de barba eius pilis auulsis ipsum inhonestè tractari. Conradus Musca in cerebro venerabilem fratrem nostrum Ostiensem episcopum cepit, & in vinculis posuit, & inhonestè tractauit de mandato ipsius, sicut idem Conradus publicè testabatur, & sicut melius apparuit ex postfacto, cùm non solùm non fuerit cruciatus, aut punitus ab ipso, sed honoribus & possessionibus dilatatus. Ipse postmodum Siciliæ regnum adeptus, publicè proponi fecit edictum, vt nullus vel clericus, vel laicus ad Ecclesiam Romanam accederet. Nec ad eam aliquis appellaret.]

34 De Philippo isto Henrici V. fratre subijcit: Ab Ecclesiæ persecutione incepit, & adhuc in ea persistit: olim enim patrimonium Ecclesiæ sibi vsurpare contendens, ducem Tusciæ & Campaniæ se scribebat, asserens, quod vsque ad portas Vrbis acceperat potestatem, & etiam illa pars Vrbis, quæ trans Tyberim dicitur, eius erat iurisdictioni concessa. Nunc etiam per Marcualdum, Diupuldum & fautores eorum nos & Ecclesiam Romanam persequitur, & regnum Siciliæ nobis auferre conatur. Si ergo id facit in arido, in viridi quid faceret, & si adhuc aridus & exanguis, vtpote cuius adhuc messis est in herba, nos & Ecclesiam Romanam persequitur. Quid faceret, si, quod absit, Imperium obtineret? inde videtur non irrationabiliter expedire, vt prius nos eius violentiæ opponamus, quàm amplius inualescat, quod autem etiam in Regibus filij pro patribus sint puniri, diuina pagina protestatur.] Quædam congerit e sacra Scriptura deprompta exempla, quæ dicta illustrant.

Nonne propter peccatum Sauli dictum est a Domino per Samuelem: Stultè egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi? Quod si non egisses, iam nunc præparasset Dominus regnũ

tuum

tuum super Israël in sempiternum, sed nequaquam regnum tuum vltra consurget. Salomoni quoque legitur a Domino esse dictum: Quia non custodisti pactum meum, & præcepta, quæ mandaui tibi, dirumpens scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo; verumtamen in diebus tuis non faciam propter Dauid patrem tuum, de manu filij tui scindam illud. De Ieroboam similiter dictum fuit a Domino per Achiam: Ecce ego inducam mala super domum Ieroboam & percutiam de Ieroboam mingentem ad parietem. Et ibidem legitur, quod interfecit Baasa, Nadab, filium Ieroboam, & percussit omnem domum Ieroboam, non dimisit nec vnam quidem animam de semine eius, donec deleret eam propter peccata Ieroboam, quæ peccauerat, & quibus peccare fecerat Israël, & propter delictum, quo irritauerat Dominum Deum Israël. De Baasa quoque scribitur dixisse Dominus: Quia ambulasti in via Ieroboã, & peccare fecisti populum meum Israël, ecce ego demetam posteriora Baasa, & posteriora domus eius. Achab etiam dictum inuenitur a Domino per Eliam: Ecce ego inducam super te malum, & demetam posteriora tua, & interficiam de Achab mingentem ad parietem. Nam & Dominus dicit: Ego sum Deus zelotes vindicans peccata patrum in filios vsque in tertiam, & quartam progeniem in his, qui oderunt me, id est, in his, qui circa me paternum odium imitantur.]

35 Postremò pro Othonis causa subdit: De Othone videtur, quod non liceat ipsi fauere, quoniam a paucioribus est electus: quod non deceat, ne videamur non ob gratiam eius, sed alterius odium ipsi fauorem Apostolicum exhibere: quod non expediat, quia respectu alterius videtur pars eius debilis, & infirma. Verùm cùm tot, vel plures ex ijs, ad quos principaliter spectat Imperatoris electio, in eum consensisse noscantur, quot in alterum consenserunt, cum non minus idoneitas, seu dignitas electæ personæ, quàm eligentium numerus sit in talibus attendendus, nec tantum pluralitas quoad numerum, sed salubritas quoad consilium, in eligentibus requiratur, & Otho magis sit idoneus ad regendum Imperium, quàm Philippus, cùm Dominus etiam puniat peccata patrum in filios vsque in tertiam, & quartam progeniem in ijs, qui oderunt eum, id est, in ijs, qui patrum peccata sequuntur, & Philippus progenitorum suorum peccata in Ecclesiæ persecutione sequatur, cum etsi non debeamus reddere mala pro malis, sed bene facere mala facientibus nobis, non tamen debemus honorem pro iniuria in ijs, qui in solita perseuerant malitia compensare, quæ contra nos armare furentes, cum Dominus vt confunderet fortia, humilia elegisse legatur, vtpote qui Dauid in Regem de post fœtantes accepit, videtur, quod & liceat, deceat, & expediat ipsi fauorem Apostolicum exhibere. Absit enim, vt deseramus hominem contra Deum, aut timeamus vultum potentis, cùm secundùm Apostolum non solum a malo, sed ab omni specie mala nos oporteat abstinere. scriptum est enim: Maledictus qui confidit in homine, & qui ponit carnem brachium suum.

Ad responsum Othoné rationes ad examé adductæ.

Pro Othone ad Imperiũ efferendo concluditur.

36 Nos igitur ex prædictis causis pro puero non credimus insistendum, vt ad præsens debeat Imperium obtinere: personam verò Philippi propter impedimenta patentia penitus reprobamus, & obsistendum ei dicimus, ne Imperium valeat vsurpare. De cætero verò agendum per legatum nostrum apud principes, vt vel conueniant in personam idoneam, vel se iudicio, aut arbitrio nostro committant: quod si neutrum elegerint, cum diu expectauerimus, cum monuerimus eos ad concordiam, cum instruxerimus eos per literas, & nuncium nostrum, & consilium nostrum eis duxerimus exponendum, ne fouere eorum discordiam videamur, & dicere cum Ezechia: Sit pax & veritas in diebus nostris, ne si secuti fuerimus a longe, vt videamus finem cum Petro, tandem veritatem, quæ Christus est, negare cogamur, cum negotium istud dilationem non capiat, cum Otho & per se deuotus existat Ecclesiæ, & ex vtraque parte trahat originem ex genere deuotorum, ex parte matris de domo Regum Angliæ, ex parte patris de prosapia ducum Saxoniæ, qui omnes Ecclesiæ fuere deuoti, & specialiter Lotharius Imperator proauus eius, qui bis pro Apostolicæ sedis honore Apuliam est ingressus, & in obsequio Ecclesiæ Romanæ decessit, [a] ei manifestè fauendum, & ipsum recipiendum in Regem, & præmissis omnibus, quæ pro honorificentia Ecclesiæ Romanæ debent præmitti, ad coronam Imperij euocandum.]

a Statuimus

Hactenus Innocentius, qui hoc anno ad Treuerensem etiam archiepiscopum pro Othone scripsisse reperitur. Cùm enim Adolphus Coloniensis archiepiscopus Othoni eidem studens, apud Apostolicam sedem expostulasset, quòd Treuirensis eum se pro Rege habiturum interposito iuramento spopondisset, quem ipse reciperet, idque vt pleniùs præstare posset, Coloniensis ecclesiæ thesaurum pignori a se accepisset, nec tamen sacramento staret, nec thesaurum redderet, Innocentius data [a] epistola promissa complere iubet, alioquin mandat, vt thesaurum restituat, seque Apostolicæ sedi sistat; suspensionem a pontificali officio comminatus, ni dictis obtemperarit.

a Cod. sup. cit. ep. 26.

37 Adhæc, quæ pro Othone Anglorum Regi Ioanni eius auunculo præcipit, ab ipso auscultemus. [b]

b Cit. cod. ep. 28.

Innocentius, &c.

Sanè quid egeris circa charissimum in Christo filium nostrum Othonem nepotem tuum, tua te conscientia conueniat & accuset, & vtinam ita satagas super hoc tuum errorem corrigere, vt infamiam aboleas, & iacturam: quia verò quantumcunque tibi deferre velimus, postulantibus iustitiam nolumus denegare, cum secundùm Apostolum sapientibus simus, & insipientibus debitores, ad grauem prænominati nepotis tui querelam paternum respectum habentes, serenitatem tuam monemus attentiùs & exhortamur in Domino, per Apostolica scripta mandantes, quatenus pecuniam, quam inclytæ recordationis Riccbardus Rex frater tuus ei testamẽto legauit, ad cuius solutionem iuramento diceris obligatus, ipsi soluere non omittas, vt sua saltem illi restituas, qui de tuis ei debueras subuenire. Alioquin nos in sua sibi iustitia nulla deerimus ratione, quo minus secundùm officij nostri debitum procedamus.] Atque his de rebus ad Cantuariensem archiepiscopum scripsit.

Innoc. literæ ad Angl. Reg in gratiã Othonis.

Cæterùm Pontifex grauissima illa verba: *Sanè quid egeris, &c.* quibus hortatur, suadetque, vt errorem corrigere, atque infamiam abolere, & resarcire iacturam studeat, ideo mea sententia inculcat; quoniam Ioannes cum in Normannia agens in Philippi Regis, post anni superioris natalem Domini diem, congressum, colloquiumque descendisset. *Iurauit*, inquit Rogerius, *quòd nullum auxilium faceret Othoni nepoti suo, neque de pecunia, neque de hominibus ad Imperium Romanum adipiscendum.* Quæ postea Pontifex ipsi exprobrauit [c], subditque eodem anno, hoc scilicet, Othonem Imperatorem designatum fratres suos Henricum Saxoniæ ducem, Vvillelmum Vvintoniensem Ioanni Angliæ Regi auunculo misisse, ab eoque Eboracensem, ac Pictauiensem comitatus sibi a Ricchardo olim traditos, duasque partes thesauri ab illo item sibi relictas postulasse, Ioannem verò ob iurandum datum abnuisse. Ea de causa Innocentius Papa ad Ostiensem

c Ina. l. 5. ep. 160.

sem episcopum Apostolicæ sedis legatum ista etiam hoc anno scripsisse a videtur: *Per Apostolica scripta mãdantes, quatenus si qua forsan inter se vel cum alijs obligatione tenentur illicita* (Philippus videlicet Francorum, & Ioannes Anglorum Reges) *eam securè dissoluas, cùm secundùm Prophetam dissoluere debeamus colligationes impietatis, & fasciculos deprimentes, illam enim colligationem censemus illicitam, quæ regiæ deuotionis obsequium erga sedem Apostolicam impediret, præsertim in illo negotio, quod super Imperij Romani ordinatione versatur*. Porrò iusiurandum a Ioanne alijsque præstitum, ab Innocentio rescissum proximo anno dicetur.

a Cod. sup. cit. ep. 25.

Otho prælio potitur.

38 Nec illustris Othonis victoria silentio obscuranda, quam Rogerius historia sua complexus est, eodem anno paulo ante festum S. Petri ad vincula Othonem cum Philippo apud Branesavvichum acies commisisse, ac multis aduersæ partis captis nobilibus victoriam retulisse. De Philippo verò tradit Conradus Vrspergensis b abbas huius temporis scriptor, Philippum Alsatiam vastauisse, & quasdam arces expugnasse. eadem post illum alij; additque c fragmenti historiæ incertus auctor, Othonem comitem eiusdem Philippi fratrem diutina ægritudine confectum, in bona confessione (vt ait) defunctum esse.

b Vrsperg. in chron.
c Naucl. hoc ann. & Germ. chro. l. 19.

Conradi obitus.

Eodem quoque anno e vita migrauit Conradus (de quo supra frequens mentio) archiepiscopus Maguntinus ac S.R.E. Cardinalis episcopus Sabinensis, id testantibus tum Conrado episcopo, qui de eo in peruetusto Maguntino chronico hæc prodidit: *Graui ægritudine fatigatus, & cum de die in diem se conualescere speraret, subitò & insperata morte præuentus Deo spiritum reddidit* MCC. tum Alberto abbate d Stadensi, Henrico Sterone e, Godefrido f monacho, & alijs, quos g inter Rogerius h ita loquitur: *Eodem anno obijt Maguntinus archiepiscopus, qui in ciuitate Maguntia receperat Philippum ducem Sueuia in dominum, & eundem ibidem in Regem coronauerat*. Verùm sicut Rogerio omnes Germanicarum rerum eius temporis scriptores de Conradi morte, quod in hunc annum ceciderit, vt modò vidimus, assentiuntur, ita quòd Conradus Philippum corona exornauerit, altum silentium omnes tenuere. Profectò Conradum pro componenda inter Othonem, & Philippum pace auctoritatem suam interposuisse, ac plurimum elaborasse, tum ipsius Othonis supra redditæ literæ i, tum ex citatis auctoribus aliqui affirmant. Ast omnium instar vnus sit Innocentius Romanus Pontifex, ad Coloniensem archiepiscopum, qui sub anni sequentis initium hæc scribit l: *Postmodum verò audito, quod per sollicitudinem bonæ memoriæ Conradi archiepiscopi Maguntini, a nostra præsentia redeuntis, dispositi sunt principes ad colloquium conuenire, super ordinatione Imperij tractaturi, ne quid ex contingentibus omittere videremur, literas nostras ad eum per proprium nuncium duximus destinandas, consilium nostrum eidem fideliter exponentes. Cæterùm cum nec sic hactenus inter eos bonum concordiæ potuerit prouenire, &c.* in quam sententiam præcitatus Conradus Maguntini chronici scriptor episcopus deplorat, ardentissimis votis, dum abesset in oriente, Conradũ expetitum, vt laceratæ ciuilibus bellis Germaniæ pacem inferret, remque perfecturum fuisse, ni cœptos conatus mors nimium suis funesta elisisset. Porro inde Rogerio errandi oblatam occasionem existimamus, quòd Philippus iam ab electionis suæ exordio Maguntiæ, vt Albertus Stadensis, atque Innocentij gesta testantur, corona redimitus fuerat; quam tamen non Conradus archiepiscopus (quippe qui longè gentium aberat) sed (quod Innocentius Papa ad illum scribens m, & eius res gestæ confirmant) Tarantasiensis episcopus imposuit, atque hactenus de laudatissimo Conrado.

d Stad. in chron.
e Ster. in annal.
apud Canis. antiq. lect. to. 1. pag. 242.
f Godef. in annal.
g Siffrid. ep. l. 2 chr. austral. aliiq;
h Rog. in Angl. annal.
i 14 reg. supr. cit. ep. 20.
l Innoc. ep 30. cod. Vatic. de neg. Imp.
m ib. ep. 1

Dux Bauar. opes ecclesiæ rapit & miserè perit.

39 Reliquum est vt eorum, quæ eius obitum subsecuta sunt, aliqua proferamus in medium. Refert laudatus auctor a extincto Maguntino archiepiscopo, ducem Bauariæ ipsius è fratre nepotem Maguntiam aduolasse, atque omnes illius opes, & sacram gazam, quam pretiosissimam habebat, atque ecclesiæ Maguntinæ reliquerat, diripuisse, nec facinus impunè tulisse; paulo post enim cæsum turpissimè non perceptis sacramẽtis interijsse. Verùm adeo graue facinus perleue existimari potest, si secutæ clades spectentur: exortum namque continuò schisma ecclesiam illam annis pluribus concussit, & ingentia mala inuexit. De his Conradus b Maguntinensis archiepiscopus: *O altitudo, & profunditas iudiciorum iusti iudicis Dei, terribilis in consilijs super omnes filios hominum. Imperator obierat, & surgunt duo Reges pro Imperio litigantes, non est qui a malis imminentibus se abscondat. Maguntinensis archiepiscopus non est, & duo pro eo, quis eorum fiat maior, decertant, ex vtraque parte amici, & fautores promissionibus, & muneribus acquiruntur; & turpe est dicere, ipsi clerici electores simoniæ vitio maculantur, & multiplicantur mala super terram, & scinditur ecclesia Maguntinensium, qui vni adhærent, cum eo recedunt, alij remanent cum altero, vna pars quæ remanserat canonicorum cum suo electo excommunicatur: sed ipsi hanc excõmunicationem se simulantes ignorare, diuina celebrare non omittunt. Durauit hæc contumacia annis octo.* At subobscura auctoris verba ex Godefridi narratione illustranda sunt, qui ait e, grauissimos tumultus Maguntiæ incanduisse, dum alij Philippo annitente Lupoldum Vvormatiensem in archiepiscopum poposcere, alij Siffridum præpositum elegere, atque ex vrbe egressi Bingam se cõtulere, vbi electionem confirmarunt, eoq; audito Lupoldum auxilijs Philippi eiectum Siffridum sociosque Binga depulisse, hunc verò cõfugisse ad Othonem, qui mox Bingam cum exercitu aduolauit, & Lupoldianos graui clade affecit. Demum quod ad Maguntinas res attinet, addit Dodechinus eius ciuitatis mœnia hoc anno refecta, instaurataque: atque his ad Marianum Scotum appendici finem imponit.

a Conrad. in Mag. chron.
b Conr. ib.
Maguntina ecclesia scissa schismate
e Godefr. in annal.

Conradus Hildesemensis ob contumaciam censuris perculsus.

40 Antequam verò e Germania reuocetur oratio, dicendum remanet, quid Innocentius Papa in alterum Conradum Hildesemensem quondam episcopum refractarium egerit: contra verò quàm benignè resipiscentem postea exceperit, atque amplexatus fuerit. extat eius ad Bambergensem episcopum, atque ad Maguntinum scholasticum hoc anno VII. Kalendas februarij data epistola d, vbi postquam ostendit, etsi cuipiam fortasse videri potuerat, impertitæ sibi a Cælestino Tertio indulgentiæ occasione, ad altiorem gradum transcendendi facultatem habuisse, ad parem tamen transire haud integrum fuisse (is verò Herbipolensem sedem propria auctoritate, sicut dictum est, arripuerat) *cum in maiori*, inquit Pontifex, *dignitate propter maiorem vtilitatem facilius soleat dispensari*. deinde post alia recensita, quæ in eiusmodi causa canonici gesserant, ea nos suis locis retulimus, hæc de anathematis sententia in eum prolata subijcit: *Cùm postquam alius de mandato nostro fuit in episcopum Hildesemensem electus, & etiam confirmatus, si ipse præsumpserit Hildesemensem episcopum nominare, & electum ipsum, & eius ecclesiam per suos fecerit multipliciter molestari*. Habentur eius literæ e, quæ paucis interiectis diebus, IV. videlicet nonas februarij, Padeburnensi episcopo, alijsque misit, mandans, vt H. Hildesemensi electo, aduersus Conradi iam cœtu fidelium moti atque exauctorati fautores auxilio essent: *Apostolicæ sedis iniuriam dissimulare nolentes, ipsum in festo principis Apostolorum præsentibus nuncijs eius inter missarum solemnia excommunicatum publicè nuntiaui-*

d tom. 2. ep 268. c. licet extr. de transl. episc.
e Ep. 278.

ciatimus, mandantes sententiam latam a nobis per Theutoniam publicari. Quoniam verò Ecclesia Dei sponsi
a Ioh. 5. sui vestigijs insistit, de quo scriptum est a: *Percutit* (superbos nempe, & contumaces) *& manus eius sanabunt*; dum scilicet qua par est animi demissione obtemperent, Innocentius eiusdem Ecclesiæ post Christum caput addidit, vt litteris sedem Apostolicam facerent certiorem, an imperia pontificia respuerent, vt grauioribus pœnis illum percelleret, an pareret, atque ab vtraque ecclesia Herbipolensi, & Hildesemensi abstineret, vt clementiam, dum non ecclesiastica disciplina eneruaretur, in eum explicaret.

Conradi pœnitentia. At Conradus facti pœnitens cùm pertinaciam fregisset, ab Apostolica sede veniam, dignitatemque episcopalem est assecutus: quæ Innocentij res gestæ b exactissimè describunt: *Qui* (nimirum Conradus) *cùm ab omnibus vitaretur, tentauit multoties per honorabiles nuntios, si forsan intercessione principum, aut oblationi munerum eius posset animum inclinare, quod cùm nullo modo proficeret, proprium tandem recognoscens excessum, primò coram Magdeburgensi archiepiscopo, & multis principibus, ac secundò coram Maguntino archiepiscopo, & multis alijs magnatibus iuramento firmauit, quod mandatis Apostolicis obediret, & exinde per viarum multa discrimina, nec incommoda temporis impetrati ad Apostolicam sedem accessit, in multa contritione cordis, & magna humilitate corporis beneficium absolutionis implorans, qui cum fuisset iuramento rursus præstito absolutus, depositis calceamentis, & pallio cum corrigia in collo, Apostolico se conspectui præsentauit, & prosternens se totum in terram in modum crucis manus expandit, cum grandi fletu postulans indulgentiam, proprium confitendo peccatum. Commota autem sunt viscera summi Pontificis super eum, sed ne dissolueret neruos ecclesiasticæ disciplinæ, post deliberationem multiplicem in summo consistorio præcepit eidem sub debito præstiti iuramenti, vt tam Hildesemensem, quàm Herbipolensem ecclesias omnino dimitteret, qui quamuis omnino confusus obediuit, faciens de necessitate virtutem, misitque munera quædam ipsi domino Papæ, videlicet argentea pulchra visu, qui animo hæsit paulisper, hæsitans vtrum deberet illa recipere, an potius refutare, sed ne ille de gratia sua penitus desperaret, recepit oblata, & ne putaret, quod munerum posset donatione corrumpi, misit ei per honorabilem nuntium vnam cuppam auream pretiosam, maioris quàm illa essent vasa argentia vniuerso valoris*. Etenim summa prudentia iustitiaque præditus Innocentius, memor diuini oraculi ab accipiendis muneribus, quæ etiam excæcant c prudentes, & subuertunt verba iustorū, ptorsus abhorruit: paterna verò charitate nonnihil accipere compulsus, maiori relato munere cunctis ius dicentibus ad imitandum pulcherrimum exemplum dedit. *Volens autem oleum infundere super vinum, cum præcepisset, vt Hildesemensis ecclesia idoneum sibi Pontificem per electionem canonicam prouideret, ordinationem duxit Herbipolensi ecclesiæ differendam, vt si forsan eadem ecclesia iteratò postularet eundem, humilitatum* eligeret, qua deiecerat exaltatum, sicque post annum factum est, vt præuidit*. ita acta, quæ de Salisburgensi archiepiscopo in eandem sententiam subdunt;

b Inn. vit. auct.

Hildesh. episc. pœnitentia.

c Exod. 23

Pontificis benignitas erga delectum Hildesemensem.

* eligeret

Transeuntis ad alteram ecclesiam sine licentia Pontificis pœna. 41 *Ne autem ex aliqua parte suum iudicium claudicaret, similem penè modum aduersus Salisburgensem archiepiscopum obseruauit, qui cum esset Brixinensis episcopus, quoniam ad archiepiscopatum Salisburgensem electus, absque licentia summi Pontificis ad metropolitanam ecclesiam transire præsumpsit, electionem ipsius omnino cassauit, & præcepit eidem, vt ad primam ecclesiam secunda relicta rediret, cassans quicquid egerat apud illam; vnde Burgensem electum a Burgensi episcopatu remouit, quoniam in eum ab ipso fuerat institutus; ipse verò alterius exemplo perterritus humiliter obediuit; cumque postmodum fuisset electus, electionem recipere non præsumpsit, sed cum electoribus suis ad Apostolicam sedem accessit, dispensationis gratiam obtenturus, & quidem obtinuit, vt experimento cognosceret, quod in archa fœderis & virga continetur, & manna*. Hoc namq; anno vi. idus aprilis defuncto Adalberto Salisburgensi archiepiscopo, Eberhardum Brixinensem episcopum in illius locum subrogatum, tum Henricus Stero a, tum Salisburgense, & Augustense chronica testantur; addit verò Salisburgense b *Perchatoldus præpositus eiusdem ecclesiæ Romam pro pallio ab ipso destinatus, infecto negocio Romæ mortuus est: ipse verò episcopus per se vadens Romam, multo labore, & sudore tandem ab Innocentio Papa pallio honoratur*. postquam scilicet imperanti Pontifici paruit, vt ex recitatis Innocentij vitæ actis accepimus. Interim funesta, ac perniciosa exardescente discordia inter Bauariæ ducem, & Ratisponensem episcopum, inflammatoque bello dictu immania contigere, quæ Salisburgensis chronici auctor hisce verbis historiæ mandauit: *Discordia facta est inter ducem Bauariæ Ludouicum, & episcopum Ratisponensem Conradum, cui confœderatus dominus Ebirhardus archiepiscopus Salzburgensis in manu valida venit in auxilium nullo resistente, & diruta sunt castra aliquanta, & ex vtroque facta sunt incendia plurima per vniuersam Bauariam, villarum depredationes, & ecclesiarum, ita vt non ab altaribus abstinerent, & reliquias sanctorum inde auferrent, aliaque quamplurima nefanda, & inaudita perpetrarent*. Ita ipse, qui eodem anno ait pacem inter illos tandem conflatam, compositamque fuisse.

a Stero in annal. apud Canis. antiq. lect. to. 1. p. 242.

b Salisb. chron. apud eund. to. 6 pag. 1259.

Inter Ducem Bauarum & Ratisp. episc. dissensio.

42 De his agens recentior historicus c Eberhardum archiepiscopum malorum omnium auctorem, cum collegis proclamat, acerbè, & contumeliosè contra episcopos inuectus, quod bella mouerent, & agitarent. Sanè si non seruato moderamine, vt aiunt, inculpatæ tutelæ episcopi bella gerant, magna sine dubio obiurgatione, atque animaduersione digni sunt, cæterum si ecclesiæ iuribus consulentes, iniuriam vi, & armis, cum opus sit, prohibeant, veram laudem promereri, & colligere omninò fatendum est: id enim prudentissimos æquè ac sanctissimos præsules præstitisse, cuilibet vel leuiter in retum ecclesiasticarum monumentis versato luce clarius apertum, & conspicuum est. Porrò inter alia, quæ temerè, impudenterque vir improbus contra sacerdotes effutijt, hæc habet: *Et ne omnino res diuinas floccifacere videātur, magno religionis supercilio Chunigundem Augustam albo superum adscribunt*. Hęc ipse. Sed nunquid Germaniæ episcoporum id muneris erat; an præcipuè verò de sacerdotum principe, Romano, inquam, Pontifice ea intelligi voluit? equidem exlitum ordini adijcere tum etiam ad summum Pontificem spectasse, vt antiquiora mittamus, recentia testantur exempla, Alexandri Tertij, qui Eduardum d Anglorum Regem, Helenam e viduam genere Vvisgotham, Canutum f Danorum Regem, ac Thomam g Cantuariensem archiepiscopum, & martyrem: Clementis item Tertij, qui Othonem h episcopum Bambergensem; Cælestini pariter Tertij, qui Vbaldum i Eugubinum episcopum; ac demum Innocentij, qui, vt vidimus superiori anno, Homobonum in sanctorum numerum retulit, quod vel in synodis, vel de episcoporum, & Cardinalium, qui apud Apostolicam sedem reperiebantur, consilio facere consueuerant, mox vniuersæ Ecclesiæ præsulibus, cæteris acclamantibus consentientibusque. Cùm igitur dicat ille maledicentiæ veneno suffusa, imbutaque hęc verba: *Ne omninò res diuinas floccifacere videātur, magno religionis supercilio Chunigundem Augustam albo superum ascribunt*. Eum perstringere, & percellere maledicto videtur, ad quem ea res pertinebat.

c Auen. in hist. Bojar. l. 7.

Auentini in Rom. Pont. dicteriā cōfutatum.

d Append. ad vit. S. Eduard. Sur. to. 3. apud Bar. to 12 an. 1161. n. 1.

e Io Olau. l. 13. c. 7. apud Bar. an. 1164. n. 50.

f Saxo Gra. l. 14. apud eund. loc. cit.

g Alex. 3. vit. & ep. 92. 93. apud Bar. an. 1173. n. 5. 6. 7.

h Gerra. Bamberg. apud eund an. 1189. n. 13.

i Celest. diplom. ex arch. Eug. apud eūd. 1192. n. 1.

Verùm

43 Verùm ne falsò conijcere, aut calumniam adhibere videamur, teddimus hîc, quæ de Innocentio paucis interpositis verbis superioribus adiecit, quæ infensum, odioque imbutum impij hominis aduersus Pontificē animū declarant; sic enim ait: *Spectante itaque atq; concitante Romano sacerdote Philippus, & Otho cognatas acies committunt, frater aduersus fratrem, filius aduersus parentem confligere cogitur, atque inuicem sanguine se polluunt Argentoracū, Aqua Grana, Agrippinensis Colonia, Erfurdia, pluraque alia oppida obsessa, cuncta luctu, & cæde completa sunt. Quis aliam tanta discordia inter Christianos causam attulerit, nisi Romani Episcopi spectaculum, quasi paria componentis? populus Christianus mutuis se vulneribus, cohortantibus Flaminibus Romanensibus contrucidauit.* Hactenus auctor liuore calumnijsque perlita oratione, cuius sententiam laudant, comprobantque perditissimi alij nouatores [a], qui mendacijs, & maledictis pascuntur. At quam falsò, & impiè in parentem optimum hæc proferat, supra a nobis allata confutarunt; qui enim ab eo pro pace concilianda, ruendoque Imperio susceptos, aditosque labores, missas literas, decretas legationes attenderit, ea ipsi Prophetæ verba verè effinget: *Quid est quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci ei.* Nec enim decuit, quod fortè auctori placuisset, anathemate percusso Ecclesiæ perduelli Philippo, ingenti Christianæ reipublicæ damno, ac opprobrio religionis, regnum confirmare, Imperialemq; dignitatem in eum conferre. Plura adduci possent ad infringendam vesani hominis calumniam, suoque splendori asserendam veritatem: verum hæc prudenti cuique sufficerint, quæ tamen prætermittere non debuimus, vt Innocentium a calumnijs vindicaremus, omnesque perciperent, quam fidem auctor promereatur, cuius iure merito Ecclesia scripta proscripsit.

Auentini infana calumnia.

a Cent. 13. c. 10. col. 986.

Impius Auentinus refellitur.

44 Quod autem attinet ad S. virginem Chunegundem Augustam, pluribus miraculis effulgentem ab Innocentio Papa inter sanctos hoc anno aggregatam, testatur hac de re eiusdem Pontificis hoc anno datum diploma, quod ex annalibus Bambergensibus edidit Iacobus Gretserus [b] Societatis Iesu Theologus, & ex eo Surius [c], ac ita inscribitur:

In SS. catalogum Chunegū de relata.

b Iacob. Gret. de diuis Bamberg.

c Sur. to. 2. die 3 mar nona edit.

Innocentius episcopus seruus seruorum Dei, venerabili fratri Thebaudo episcopo & dilectis filijs capitulo Bambergensi salutem & Apostolicam benedictionem.

Cùm secundùm euangelicam veritatem &c.] Nonnulla præfatus, quæ breuitatis ergò prætermittimus, subdit: Nos itaque cognoscentes, quod hoc tenera iudicium sublimius est inter cætera iudicia iudicandum, in ipsius examinatione plenariam volumus adhibere cautelam, & ideo prænominatos iuristurandi religione constrinximus, vt putam nobis super hoc dicerent veritatem. Qui iurati dixerunt, quod, fide ex celebri fama, & solemni scriptura nouerunt, B. Chunegundis S. Henrico Imperatori fuit matrimonialiter copulata, sed ab eo non extitit carnaliter cognita. Vnde cùm dominus Imperator ageret in extremis, principibus & parentibus inquit de illa: Qualem mihi eam assignastis, talem vobis eam tesigno. virginem eam dedistis & virginem reddo. Suam ergo virginitatem Domino consecrauit, & seruauit intactam: ita quod, cùm aliquando, instigante humani generis inimico, suspicio quædam contra ipsam fuisset exorta, ipsa, vt suam innocentiam demonstraret, super ignitos vomeres nudis plantis incessit, & processit illæsa.

Hen. Imp testimonium de virginitate S. Chunegundis.

Comprobatur miraculo.

Item S. Imperator Henricus, & hæc Imperatrix egregia Chunegundis de proprijs facultatibus Babenbergensem fundauerunt ecclesiam, & dotauerunt: quam cum suis omnibus pertinentijs ex feruore deuotionis, quam ad Apostolicam sedem habebant, B. Petro Apostolorum principi obtulerunt, annuum ei censum ad indicium, quod intis sit Ecclesiæ Romanæ, soluendum. Sed & alia plurima beneficia pijs locis, & venerabilibus ecclesijs contulerunt, Christum sibi facientes heredem.

Eius pia opera.

45 Hæc & alia retulere de meritis, de miraculis assetentes, quod eis præsentibus & videntibus, ad memoriam huius virginis cœci visum, claudi gressum, muti verbum, & surdi recuperauerunt auditum, alijsque languoribus impetiti frequenter & euidenter plenam consecuti sunt sanitatem, & quod est mirabilis nouitatis, & noui miraculi, puluis de tumulo eius assumptus sæpè conuersus est in frumentum. Nos ergo de meritis, & miraculis eius multis & magnis, non solùm testimonijs, sed & testibus certiores effecti, cùm secundùm Prophetam laudandus sit Deus in sanctis [a] suis, de fratrum nostrorum consilio, & pontificum multorum apud sedem Apostolicam existentium, ipsam beatam virginem Chunegundem catalogo sanctorum adscripsimus, eiusque memoriam inter sanctos decreuimus celebrandam.

Miracula edita.

a Ps. 150.

Quapropter vniuersitatem vestram monemus, & hortamur in Domino, per Apostolica scripta mandantes, quatenus quod nos solemniter & cautè statuimus, vos humiliter, & deuotè seruetis, vt meritis eius & precibus apud misericordissimum iudicem indulgentiam consequamur. Collectam autem & alias orationes in commemoratione eius dicendas edidimus, quas in hac pagina duximus subscribendas, &c.] *Datum Lateran. 3. nonas aprilis Pont. nostri anno tertio.* Hactenus Innocentij diploma a memorato Iacobo, sed a nouatoribus [b] antea typis mandatum. Hi tamen impiè sanctorum cultum, cælumq; blasphemijs impetêtes, solemnes huiusmodi alhi sanctorum adiectiones, adaudam idololatriam d ctant. Cæterum de Chunegunde ab Innocentio in cælitum catalogo reposita meminere quoq; fragmenti historici incertus auctor [c], Salisburgensis chronici scriptor [d], Stero [e] (qui etiam sacrarum eius reliquiarum translationem multis præsentib. is episcopis factam tradunt) Sifridus [f] presbyter alijque. porro ita in eodem fragmento legitur: *Ossa S. Henrici & S. Chunegundis leuauerunt, sicut ab Innocentio Papa canonizati fuerant.* Verùm S. Henricus non ab Innocentio, sed ab Eugenio sanctis annumeratus fuit.

b Cent. 13 c. 7. & bis Bamberg.

c Frag. hist. incd. an. 1199.

d Chron. Salisburg. an. 1200.

e Ster. apud Canisi ant lect. to. 1. p 243

f Sifrid. epit l. 2. an. 1201.

46 Antequam verò e Germania discedamus, ad Vngaricas paululum res diuertere Pontificiæ literæ nos impellunt. Hoc enim anno cùm audisset Innocentius, Culinum Banum magna conspicuum dignitate virum, Patarenos hæreticos a Spalatensi archiepiscopo pulsos excepisse, ac fouere, Hemmerado Vngarorum Regi præcepit, vt Banum ipsum, ni resipisceret, eum ipsis hæreticis proscribendum curaret: quas literas cùm vigilantissimi pastoris a Dominico grege lupos arcentis, atque infectantis solicitudinem præ se ferant, hic reddendas existimamus.

Innoc. diligentia in hæret. persequendis.

Accepimus [g] *quod cùm nuper venerabilis frater noster Spalaten. archiepiscopus Patarenos non paucos de Spalaten. & Tragurien. ciuitatibus effugasset, nobilis vir Culinus Banus Bossinus iniquitati eorum non solum tutum latibulum, sed & præsidium contulit manifestum & peruersitati eorundem terram suam, & se ipsum exponens, ipsos pro catholicis, immo vltra catholicos honorauit, vocans eos antonomasice Christianos. Ne igitur huiusmodi morbus, si eius non obsistatur principijs, vicina corrumpat, & in regnum (quod absit) Vngaria defluat labes eius, serenitatem regiam rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatenus ad vindicandam tantam Christi, & Christianorum iniuriam potenter, & regaliter accingaris, & nisi Banus prædictus vniuersos hæreticos de terra sua potestati subiecta proscripserit, bonis eorum omnibus confiscatis, tu ipsum & hæreticos*

g Lib. 3. ep. 2 Innoc. lit. ad Vng. Reg. pro hæret. pellendis.

ticos ipsos non solùm de terra eius, sed de toto Vngariæ regno proscribas, & bona talium, vbicunque per terram tuam poterunt inueniri, confisces, nec parcat oculus tuus Bano prædicto, quin contra eum iurisdictionem exerceas temporalem, si aliàs ad viam rectitudinis non poterit reuocari. Nicolaum quoque quondam Faren. episcopum, qui non solùm præter auctoritatem nostram, sed etiam contra prohibitionem expressam Iadertinam metropolim, quam præsumpsit inuadere, detinere præsumit; vnde suspensus a nobis anathematizari mandatur, vt a suo resipiscat errore, tradita tibi potestate compellas, ne iuxta canonicas sanctiones non careas scrupulo societatis occultæ, si manifesto facinori desinas obuiare. Dat. Lat. v. id. octob. Hactenus Innocentius, cuius pro catholica fide monita, ac iussa vtinam ab Vngaro Rege, cæterisque Christianis principibus nunquam obliuioni traderentur.

Innoc. in tollendis schismatibus studiũ

47 Qui modò hæreticæ prauitati occurrere Innocentius studuit, quamlibet imminentis schismatis occasionem remouere summopere contendit. Quapropter ad Consanum archiepiscopum scripsit, vt cum duobus alijs episcopis ad certa loca se conferret, in quibus Græci sacris a Latinis sacerdotibus peractis, & vicissim Latini Græcorum diuinis officijs interesse respuebant, atque ad vtrosque conciliandos, quæ e re diuina fore viderentur, constitueret.

Non solùm autem Nicolaum, de quo paulò ante audisti, sed & alios delinquentes præsules coërcet: etenim præter ea quæ de Gallicanis, Germanisque episcopis antea recensuimus, Pennensem a episcopum acriter obiurgat, ex Cisterciensi abbate creatum episcopum laxioris vitæ genus instituisse, tùm maximè sub B. Laureti, & Cupersanensis comitis fide & clientela se futurum spopondisse, falsò asserentem hac de re ab Apostolica sede literas se accepisse. Qua præterea ratione animaduerterit in Dominicum, qui Suacensi episcopatu cùm se abdicasset, suppressis Apostolicis, atque adulterinis adhibitis literis eandem iterum sibi vindicarat dignitatem, ipse significat b.

a Ib. ep. 9.

b Lib. 3. ep. 35.

Innocentius, &c.

Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, & districtè præcipimus, quatenus, si fortè occasione literarum illarum in aliquo processisti, irritum denuncians penitùs, & inane, iam dictum Dominicum si denuò venire ad partes illas præsumpserit, omni dilationis occasione & appellatione postposita, in aliquo facias monasterio districti ordinis ad agendam pœnitentiam arctè retrudi. Prænominatum autem G. episcopum, si præmissis veritas suffragatur, in loco suo, & dignitate sublato contradictionis & appellationis obstaculo restituas, & facias in episcopatu suo pacificè permanere, illos Ecclesiastica districtione compescens, qui se tibi duxerint temeritate qualibet opponendos. *Dat. Later. Non. decemb. Pont. nostri ann. 3.*

Pœna epis falsario inflicta.

Nouariẽses ob episcopũ pulsum increpati.

48 Quemadmodum contra præuaricatores antistites insurgit, ita eorum, quos iniuria lacessitos, & oppressos cernit, innocentiam tuendam defendendamque suscipit. Quamobrem cùm Nouarienses episcopum suum e sede atque e ciuitate iniquissimè deturbassent, non præmissa salute epistola hac increpuit:

Consulibus, & Populo Nouariensi.

Non c duritię nostræ, sed vestris est excessibus imputandum, quòd Apostolicæ salutationis alloquium nos vobis cogitis denegare: vos enim tanquam ingratitudinis filij, immo velut hostes iniqui insurgere non erubescitis in parentes, in patrem exilium, & in matrem excidium, & multiplex in Romanam Ecclesiam opprobrium operati, matrem ancillare volentes, & eiecto patre hereditatem vobis paternã vindicare, in quo tyrannidem etiam excedítis viperarum, quæ alterius tantum parentum perniciem operantur, in alterum nihil penitus machinantes. Ecce etenim Nouariensem ecclesiam matrem vestram, in qua lauacro estis regenerationis abluti, hostiliter persequentes, eam redigere nitimini sub tributo, & venerabilem fratrem nostrum Nouariẽsem episcopum patrem vestrum, quia sponsæ suæ iniuriam non poterat æquanimiter sustinere, de vestris coëgistis finibus exulare.] Et paulò post aberrantes oues ad caulam reuocare satagens subdit: Licet autem propter hoc iam pridem fueritis excommunicationis vinculo innodati; volentes tamen pleniùs experiri, an adhuc in vobis alicuius deuotionis scintilla remanserit, an in corde vestro dicatis cum insipientibus: *Non est Deus*; vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, & sub diuini iudicij intemminatione præcipimus, quatenus redeuntes ad cor, & quod perperam egeritis attendentes prædicto episcopo, & ecclesiæ Nouariensi super ablatis omnibus, & iniurijs irrogatis satisfactionem plenariam impendatis.] Deinde grauissimas in refractarios, pertinacesq; minas fulminat, adijcitque:

c Lib. 3. ep. 5.

49 Alioquin præter id, quod vos per venerabilem fratrem nostrum Mediolanensẽ archiepiscopum & suffraganeos eius singulis diebus dominicis, & festiuis pulsatis campanis, & candelis accensis excommunicatos mandamus publicè nunciari, & ciuitatem vestram, & terras, quæ vobis responderint, suppositas interdicto. Noueritis nos capitulo, abbatibus, prioribus, vniuerso clero Nouariensi per Apostolica scripta in virtute obedientiæ districtè præcipiendo mandasse, vt nisi infra mensem post susceptionem præsentium mandatum fueritis Apostolicum executi, ex tunc in testimonium vestræ peruersitatis excutientes puluerem de pedibus suis, ciuitatem Nouariensẽ egredi non postponant, & sicut ethnicos, & publicanos vestræ vos iniquitati relinquant.] Extat huiusmodi epistola a, vbi hæc inter alia: *Nec minus teneminι de ciuitate in ciuitatem effugere persequentes, vt eos fugiendo fugare possitis, vel potius ab sui præcipitio reuocare.* Sic ipse. Noua planè bella elegit Dominus: duce etenim Christo, fuga plerumque franguntur funduntúrque hostes, deque eorum iniquitate prostrata clarissima trophæa statuuntur. Postremò pergunt minaces ad Nouariensem populum literæ: Quod si nec sic ad viã potueritis rectitudinis reuocari, eidem archiepiscopo dabimus in mandatis, vt de ciuitate vestra in locum idoneum cathedram transferat pastoralem, vel Nouariensem diœcesim auctoritate fretus Apostolica diuidat, & diuisam episcopis vicinis assignet, sicque sitis in fabulam, & opprobrium seculorum, & pœna vestra causa metus vniuersis effecta deterreat a similibus præsentes pariter & futuros. Nos quoque rectoribus Lombardiæ sub interminatione anathematis dabimus in mandatis, vt vos tam in colloquijs, quàm alijs tanquam excommunicatos euitent, & per vniuersa regna, in quibus nomen colitur Christianum, bona mercatorum vestrorum mandabimus vsque ad satisfactionem congruam detineri. *Dat. Later. 16. Kal nouemb.*

Censuræ in eos fulminatæ.

a Lib. 3. ep. 6.

Quoniam verò de Innocentij in sceleribus persequendis zelo flagrantissimo pluribus egimus, silentio prætereundum non est, ipsum hoc eodem anno in nefaria Calaritani iudicis facinora acriter inuectum, vt data ad eum epistola b ostendit; vbi habetur etiam Sardiniam peculiari quodam, ac legitimo iure ad Apostolicam sedem pertinere. Eodem anno Firmanis scripsit c Innocentius, vt cùm alijs Piceni ciuitatibus inducias, ac pacem coëant, vt nondum conceptum fidei iusiurandum Apostolicæ sedis legato deferant, vtque per totam diœcesim an-

Sardinia Ro. Eccl. obnoxia.

b Ibid. l. 3. ep. 33.

c Id. ibid. ep. 36.

nuum censum Romanæ Ecclesiæ pendendum imponerent; quemadmodum ipsa eorum ciuitas constituisset, eodemne ferè argumento Anconitanis, & Auximanis scripsit. [a]

a Regest. post. ep. 26

50 Fanensem præterea populum, eiusque consules in fidem protectionemque suscipiens ad eos epistolam dedit, quam in medium adducere operæ pretium ducimus, vt inde intelligatur, quàm demissè populi erga Apostolicam sedem se gererent, & quanta ipsa eos benignitate, beneuolentiaque complecteretur.

Innocentius, &c.

Cùm [b] dilectus filius Ioannes Rustici nuncius vester, & procurator cum literis vestris de raro ad nostram præsentiam accessisset, nobis ex parte vestra promisit, quod tam vos, quàm omnes, qui sunt de vestro districtu nobis & successoribus nostris, & Ecclesiæ Romanæ fidelitatem curabitis vniuersaliter exhibere, expeditionem, parlamentum, pacem, & guerram ad mandatum nostrum, & legatorum, ac nunciorum nostrorum per totam Marchiam bona fide iuxta proprias facultates vestris expensis facere sine fraude, appellationibus ad nos, vel legatos, aut nuncios nostros legitimè factis, debita veneratione deferre; procurationes idoneas nobis, legatis, & nuncijs nostris impendere; pro annuo quoque censu quinquaginta libras vsualis monetæ persoluere annuatim, medietatem videlicet pro ipsa ciuitate, & medietatem pro eius districtu, vel, si mallemus, nouem denarios pro vnoquoque fumante, vt more vestro loquamur, exceptis clericis, militibus, iudicibus, aduocatis, tabellionibus, & ijs, qui nullas possessiones habere noscuntur, qui non consueuerunt affictum præstare, quem videlicet censum vestris expensis nostræ Cameræ inferetis, postulans humiliter, & implorans, vt vobis consulatum cum sua iurisdictione confirmare auctoritate Apostolica dignaremur; saluis vniuersis demanijs, quæ liberè semper in nostra, & successorum nostrorum dispositione consistant. Licet autem longè maiora consueueritis alijs exhibere, vt tamen sentiatis, & gaudeatis vos ad illud dominium redijsse, quod de se verè dicere potest: Iugum meum suaue est, & onus meum leue; promissionem, & oblationem ipsius factam nobis ex parte vestra de fratrum nostrorum consilio duximus acceptandam, &c.] Hactenus Pontifex, qui in eandem etiam sententiam ad Esinum populum, atque Pesaurienses consules scripsit. [c]

b Lib. 3. ep. 27.

c Reg. post eand. ep.

51 Hoc anno ex hac vita migrasse traditur S. Raymundus Placentinus, cuius res gestas breuiter percurrendas duximus, quòd præsertim non ita peruulgatæ videantur. Cruce igitur ab episcopo, benedictioneque percepta Hierosolymam profectus, loca sancta summa religione, animique voluptate perlustrauit, reuersusque postmodum in patriam, vxorem suadentibus propinquis cùm duxisset, consueta pietatis opera non prætermisit, & quæcunque lucraretur, tum in domesticis sumptibus tolerandis, tum in leuandis egentibus, ieiunijs & orationibus assiduè intentus, consumebat. Cumque diuini verbi semen, cuius excipiendi auidissimus erat, in eius pectore veluti in nitido, subactoque solo, radices altè egisset, ingentes patientiæ fructus attulit, quæ in filiorum ferenda morte, vxorisque diuturniore infirmitate ad miraculum effulsit. Defunctaque vxore rursus ad S. Iacobum in Compostella peregrinationem instituit, tum limina Apostolorum, aliaque sacra loca, victu eleemosynis quæsito, religiosissimè internis delicijs delibutus inuisit. Romæ cùm ageret, atque inde sanctam ciuitatem Hierusalem cogitaret, diuino monitu Placentiam redijt, vbi nosocomium instituit, ingentique virtutis exemplo administrauit. Quare ab ægrotis, egenisque patris & patroni loco habebatur. Tandem lethali febri correptus decubuit, diuinisque sacramentis communitus anno salutis MCC. ætatis verò LX. quinto Kal. augusti felicem animam in cælum efflauit. Cuius postea s. pulchrum ingentibus Deus miraculis illustrauit. Hæc pluribus in peruetusti Placentinæ ecclesiæ breuiarij lectionibus, quarum veritatis splendidissimo nitore conscriptarum exemplum in bibliotheca nostra asseruatur.

Hæc inter Christianorum res cùm in oriente, vt tradunt [a], in deterius laberentur, *dominus Papa Innocentius* (inquit Robertus de monte [b]) *quadragesimum nummum redditum ad subsidium terræ Hierosolymitanæ petijt*. Quæ præterea confirmantur ex literis ab Innocentij vitæ scriptore recitatis, quas hoc anno datas in dubium reuocari non potest, cùm in ijs & de synodo à Petro tit. S. Marcelli presbytero Cardinali tunc Apostolicæ sedis legato apud Diuionem coacta, & de interdicto, cui adhuc Philippi regnum suppositum erat, mentio fiat. Diuionensem autem synodum præcipitante superiori anno Petrus celebrauit, interdicti verò sententia ex eius præscripto promulgata est sub huius anni initium, atque per octo menses Francorum regnum sub ecclesiasticis censuris ingemuit, vt ex Innocentij gestis vidimus. hæc de tempore dicta sint.

a Naucl. Chronogr. 2. gen. 40. b Robert. in append. ad Sigeb.

Pro subsidio Terræ sanctæ reddituum quadragesima decreta.

Quod verò ad literas pertinet, earum exordium est huiusmodi: *Verendum est nobis, & vobis, &c.* quæ cùm prolixiores sint, atque eiusdem argumenti cum ijs, quas supra reddidimus [c], ne lectori fastidium ingeramus, hæc dumtaxat afferre nobis sufficerit: *Certa die, quam tamen sacerdos prænunciet populo, missa publicè decantetur, singulisque diebus inter missarum solemnia, Deus venerunt gentes in hereditatem tuam, campanis pulsantibus cum oratione consueta dicatur.* Et infra: *Quia verò his, qui diuina se mancipant obsequijs seruitutis, & abstinendum ab illicitis, & licitis parcius est vtendum, ne licitum fiat illicitum, si lasciuè vel illicenter agatur, volumus & mandamus, vt eos ex parte nostra monere diligentius, & inducere procuretis, ne diebus illis, quibus carnibus vesci debent, aut etiam ieiuniorum diebus præter pulmenta pluribus ferculis, quàm duobus, & eis etiam moderatis vtantur, nisi forsan comitibus, baronibus, & alijs nobilibus tertium ferculum, quod vulgo dicitur intermissum, vltra id quod exhibetur familiæ, apponatur; nec de cætero votum peregrinationis adimpleant, herminijs varijs, seu grisijs induantur: ad quorum vtrumque tam clericos, quam laicos, & mulieres, & quæ vel transfretare teneantur ex voto, vel secuturæ sunt in peregrinationis itinere viros suos. Similiter volumus commoueri armigeros, & alios seruitores diligenter, & efficaciter, quantum in vobis fuerit, inducatis, vt coloratis vestibus non vtantur, sed contenti sint alijs conuenientibus indumentis.*

c Ann. 1199.

Indictæ publicæ pro eo preces.

Crucesignatis luxus prohibitus.

Ad hæc etiam tempora spectare videntur, quæ de Rossorum religione ac fortitudine Niceta Choniata memoriæ mandauit, ipsos Christianorum misertos, quos in seruitutem infideles populi abducebant, cùm Blachi Cumanis coniuncti excursiones in Thraciam grauissimas sæpissime imprimerent, episcoporum hortatu in arma procurrisse, gentemque efferam edomuisse. quibus clarissimis religionis nostræ trophæis huic anno feliciter finem imponimus.

Blachi Thraciã vastant.

IESV CHRISTI
Annus 1201.

INNOCENTII PP. III. annus 4. VACAT IMP. OCCID. 4. ALEXII ANGELI IMP. 7.

1 DVcenteſimus primus ſupra milleſimum indictione IV. cum nouo ſeculo exoritur annus, quo & VI. id. ianuarij quartus Innocentij Papæ inchoatur: cùm vigilantiſſimus Pontifex de Romano mirum in modum ſolicitus Imperio, in Germaniam legatione miſſa, & Philippo Sueuo repudiato, Othoni, confirmato ipſi regno, Imperatoriam coronam pollicetur; quæ vt ſe habuerint, ſupracitato codice Vaticano vberrimam ſcribendi materiem ſuggerente, epiſtolarem iam narrationẽ aggrediemur. In prima igitur Innocentius Colonienſi archiepiſcopo, ac ſuffraganeis illius, eiuſdemq; prouinciæ principibus literas miſit, quæ cum ardens eius ſtudium reducendæ, firmandæque concordiæ, & Chriſtianæ religionis, ac publicæ vtilitatis maximam curam, & in legatis mittendis prudens conſilium præ ſe ferant, adducendæ videntur.

Innoc. literæ ad Germanos Præſules.

Colonienſi archiepiſcopo, & ſuffraganeis eius, & nobilibus viris principibus in Colonienſi prouincia conſtitutis.

a Libell. Vat. ep. 30

Nec vos a, nec alios credimus dubitare, quin Imperij Romani prouectio principaliter, & finaliter nos contingat; principaliter, quoniam per Romanam Eccleſiam de Græcia fuit ſpecialiter pro Eccleſiæ defenſione tranſlatum; finaliter, quia etſi alibi coronam regni recipiat, ab Apoſtolica tamen ſede vltimam manus impoſitionem, & coronam Imperij recipit Imperator. Vnde audito quondam, quòd vota principum in Imperatoris fuiſſent electione diuiſa, tanto magis ſumus de ipſorum diuiſione turbati, quanto bonus ſtatus Imperij ea cauſis prædictis ſpecialius ad nos ſpectat, & pro multis, & magnis neceſſitatibus populi Chriſtiani non ſolùm Eccleſia deuotum habere deſiderat defenſorem, ſed & Imperium totum indigere cognoſcitur idoneo prouiſore. Verùm quantumcunque graue nobis exiſteret, & moleſtum, quod Imperij prouiſio videbatur in commune religionis Chriſtianæ diſpendium ex tali diuiſione differri, ne tamen principum dignitatem ignorare, vel lædere videremur, expectauimus aliquandiu, ſi forſan ipſi vſi conſilio ſaniori, vel per ſe ipſos, ſi fieri poſſet, diſſenſioni ſuæ finem imponerent, vel ſuper hoc ſaltem noſtrum conſilium implorarent, vt per eorum ſtudium nobis mediantibus diſcordiæ malum bono concordiæ purgaretur, & rugam ſchiſmatis vnitatis ſimplicitas aboleret. Cùm autem expectatio noſtra nec nobis, nec vobis, immo nec Imperio ipſi prodeſſet, ſed obeſſe potius videretur, ne diſſimulando videremur huiuſmodi fouere diſcordiam, ad concordiam vos curauimus per literas Apoſtolicas inuitare, quas ad multos principum nouimus perueniſſe. Poſtmodum verò audito, quòd per ſollicitudinem bonæ memoriæ C. archiepiſcopi Maguntini a noſtra præſentia redeuntis, diſpoſuiſſent principes ad colloquium venire ſuper ordinatione Imperij tractaturi, ne quid ex contingentibus omittere videremur, literas noſtras ad eos per proprium nuncium duximus deſtinandas, conſilium noſtrum eiſdem fideliter exponentes.

Legatio in Germaniam miſſa pro cõponenda diſſenſione.

2 Cæterùm cùm nec ſic hactenus inter eos bonũ concordiæ potuerit prouenire, aut vtiliter Imperio prouideri, deliberauimus cum fratribus noſtris, quid eſſet agendum, & qualiter poſſet malis imminentibus obuiari. Tandem verò in hoc reſedit conſilium, vt venerabilem fratrem noſtrum Præneſtinum epiſcopum Apoſtolicæ ſedis legatum, religione conſpicuum, præditum honeſtate, magnum Eccleſiæ Dei membrum, quem inter cæteros fratres noſtros ſpecialis dilectionis brachijs amplexamur, & cum eo dilectum filium magiſtrum Phil. notarium noſtrum, virum prouidum & diſcretum, nobis & fratribus noſtris merito ſuæ probitatis acceptum, ad partes Germaniarum ex noſtro latere mitteremus. Quia verò quanto negotium iſtud magis eſt arduum, tanto maiores, & maturiores exigit tractatores, venerabili fratri noſtro Oc. Oſtienſi epiſcopo Apoſtolicæ ſedis legato, qui poſt nos in Eccleſia Romana obtinet primum locum, dedimus in mandatis, vt ſi a negotijs illis, quibus intendit in regno Francorum, ſe poterit expedire, cum ipſis pariter & per ipſos nuper à noſtro latere venientes inſtructus pleniùs ad partes veſtras accedat, & ambo epiſcopi ſimul, vel alter eorum, ſi ambo non poterint intereſſe, cum eodem not. veſtrum conſilium audiant, & vobis beneplacitum noſtræ voluntatis exponant. Ideoque vniuerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus cùm ab eis, vel eorum altero fueritis euocati, ad præſentiam euocantium, aut euocantis accedere non tardetis.] *Datum Laterani nonis ianuarij.* In eundem modum a ad Maguntinæ eccleſiæ capitulum, itidemque ad Salisburgenſem, Bremenſem, & Treuirenſem archiepiſcopos, & ſuffraganeos epiſcopos, atque ſingularum earundem prouinciarum principes ſcripſit. Quo etiam die, nonis nempe ianuarij, eiuſdem argumenti ad vniuerſos tam eccleſiaſticos, quàm laicos Germaniæ principes epiſtolam b dedit, ad cuius calcem legatos eis commendans hæc addit: *Monemus igitur vniuerſitatem veſtram, & exhortamur in Domino, & per Apoſtolica vobis ſcripta mandamus, quatenus legatos ipſos, vel eorum alterum in Theutoniam accedentem, & eundem notarium recipiatis hilariter, &, ſicut decet, honorifice pertractetis, ipſorum monita, & conſilia recipientes humiliter, & inuiolabiliter obſeruantes. Nos enim eis dedimus in mandatis, vt ad concordiam veſtram, & vtilem ordinationem Imperij prudenter & diligenter intendant. Datum, &c.*

a Poſt vld. ep. 30.

b Ib. ep. 31

3 Duobus ferè elapſis exinde menſibus Kalendis videlicet martijs, Othoni regnum confirmauit, atque Imperij inſignia pollicitus, hæc inter alia adiecit. c

Innocen. Othoni Imperiũ cõfirmat.

c Ib. ep. 32.

Illuſtri Regi Othoni in Romanum Imperatorem electo.

Vt non ſolùm diſpoſitio rerum d, & temporum omnipotentem Dominum demonſtraret, ſed ipſa quaſi conformitas operum, & euentuum ad ſe inuicem eundem omnium fateretur auctorem, cæleſtibus Dominus terreſtria conformauit, vt dum mirabili quadam ſimilitudine reſpondere viderimus ima ſummis, vnum & eundem factorem, & actorem omnium cognoſcamus. Ipſe etenim licet ſit magnus in magnis, vt mirabilis tamen & in minimis appareret, ſicut circa mundi creationem, & ſeculorum initia duo magna luminaria in firmamento cæli cõſtituit, vnum quod illuminaret diem, alterum, quòd in tenebris radiaret; ſic proceſſu temporum ad firmamentum Eccleſiæ, quæ cæli nomine deſignatur, duas magnas inſtituit dignitates; primam quæ illuminet diem, id eſt, in ſpiritualibus ſpirituales informet, & animas diabolica fraude deceptas a peccatorum catenis abſoluat, cùm ea priuilegio ſibi traditæ poteſtatis, quos ipſa ligat, & ſoluit in terris, Deus ligatos habeat, & ſolutos in cælis; alteram quæ in tenebris radiet, dum in hæreticos mentis cæcitate percuſſos, & hoſtes fidei Chriſtianæ, quos nondum oriens ex alto reſpexit, Chriſti & Chriſtianorum punit iniuriam, & ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum materialis gladij poteſtatem exercet, vnde ſicut in eclipſi lunæ tenebræ amplius tenebreſcunt, & maioris caliginis obſcuritas inualeſcit,

d Ib. ep. 32

ſcit, ſic ex Imperatoris defectu hæreticorum veſania, & violentia paganorum contra catholicos, & fideles perfidius, & crudelius malitia multiplicata conſurgunt. Hoc autem attendentes ſolicitè, ac volentes malis imminentibus obuiare, circa prouiſionem Imperij ſoliciti fuimus, ſicut per frequentes literas directas ad principes, & legatos tranſmiſſos ad eos omnibus credimus patuiſſe, in quo quantum celſitudini tuæ duxerimus deferendum, & tu ipſe nouiſti, & res perhibet teſtimonium veritati. Nouimus enim qualiter inclytæ recordationis Lotharius Imperator proauus tuus Eccleſiæ Romanæ deuotus extiterit, qualiter pro defendendo eius honore, non ſolùm ſemel, ſed & ſecundò vocatus acceſſerit, qualiter in ipſius ſubſidio finierit dies ſuos, qualiter auus, & pater tuus eius veſtigijs inhærentes prædeceſſoribus noſtris exhibuerint ſe deuotos, qualiter etiam Anglicana domus, ex qua ex parte matris es ortus, in deuotione ſedis Apoſtolicæ ferè ſemper perſtiterit, & perſiſtat, & ei tempore grandis perſecutionis obſequium impenderit opportunum. In te igitur progenitorum tuorum deuotionem ſuſcitare plenius, & abundantius remunerare volentes, credimus, & quaſi pro certo tenemus, quòd non ſolùm in ea te verum oſtendes heredem eorũ, & legitimum ſucceſſorem, ſed tantò ipſos in hoc præcedes amplius, quãto te a nobis magis intelliges honoratum. Inſpiret autem cordi tuo is, qui corda principum habet in manu ſua, & per quem Reges regnant, & principes detinent principatum, vt affectum noſtrum penſes plenius per effectum, quàm noſtro tibi explicemus, vel explicare poſſumus affatu, & ea quæ acta ſunt hactenus, & aguntur, & adhuc dante Domino per nos circa te agentur in poſterum, fideliter in tuo corde reponas, & ita memoriæ recommendes, vt nec obliuioſus videri valeas, vel ingratus, ſed ad Apoſtolicæ ſedis exaltationem, & honorem potenter intendas, & eius plenè beneuolentiam recognoſcas, quia cùm defeciſſent ferè penitus vires tuæ, in tua dilectione nõ tepuit, nec te deſeruit in aduerſis, ſed tamdiu fouit, donec iuxta tuũ te deſiderium exaltaret.]

Commẽdatio maiorũ Othonis ob nauatam ecclesiæ operam.

4 Vtinam Otho ſapientiſſimi patris ſaluberrima monita memoria ſemper coluiſſet, nec tot tantiſque ab Apoſtolica ſede acceptis beneficijs ingratum ſeſe præbuiſſet. Verùm quamuis gratiam poſtea non retulerit, haud tamen Pontifex redarguendus, Othonem elegiſſe, cùm huius electio ex prudentiæ præſcripto peracta ſit: ille enim optimi hactenus principis ſpecimen dederat, atque erga Romanam Eccleſiam obſequentiſſimum ſe demonſtrarat. Conſilia enim, non exitus inſpici, laudarique debent: quis enim diuinæ Saulis electioni vir ſanæ mentis detraxerit, quamuis ille in perditiſſimum principem deſciuerit? Sed rurſus ad epiſtolam.

Nos enim ſerenitatem tuam in eodem conſilio fratrum noſtrorum honorare volentes, vltra quòd in ſeculo ſecularis princeps nequeat honorari, auctoritate omnipotẽtis Dei nobis in beato Petro collata, te in regem recepimus, & regalem tibi præcepimus de cætero reuerentiam, & obedientiam exhiberi, præmiſſiſque omnibus, quæ de iure ſunt, & conſuetudine præmittenda, regiam magnificentiã ad ſuſcipiendam Imperij Romani coronam vocabimus, & eam tibi dante Domino humilitatis noſtræ manibus ſolemniter conferemus. Monemus igitur celſitudinem regiam, & exhortamur in Domino, quatenus ſpem tuam ponas in illo, qui reprobato Saule Dauid delegit in Regem, & talem te ſtudeas exhibere, vt de te quoque dicere valeat: Inueni virum ſecundùm cor meum.] Huc vſque Innocentius.

Othoni coronam promittit

5 Præterea ipſa etiam Kalendis martij ad vniuerſos Germanos principes his de rebus longiorem epiſtolam ſcribens, ea recenſuit, quæ ad tollenda diſſidia, Imperiumque ſtabiliendum per literas, legationeſque peregerat.

Vniuerſis tam eccleſiaſticis, quàm ſecularibus principibus Alemanniæ.

Etſi [a] quondam Imperatores Romanam Eccleſiam in multis afflixerunt, multi tamen in pluribus honorarunt, ita quod per deuotionem, & liberalitatem ipſorum magnifica beneficia nouimus Eccleſiæ proueniſſe. Vnde non eſt aliquo modo credendum, quod, ſicut peſtilentes aliqui mentiuntur, volentes inter Eccleſiam, & Imperium immortalis diſcordiæ materiam ſuſcitare, ad depreſſionem intendamus Imperij, per quod ſi bene fuerit ordinatum, Eccleſiam non ſolùm defendi credimus, ſed etiam exaltari. Nouimus etenim, & vos noſtis, quod eius prouiſio principaliter, & finaliter vos contingit; principaliter quidem, quia per Eccleſiam de Græcia pro ipſius ſpecialiter fuit defenſione tranſlatum; finaliter autem, quoniam, etſi alibi coronam regni recipiat, a nobis tamen Imperator Imperij recipit diadema in plenitudinem poteſtatis. Attendentes autem olim quãtum diſpendium ex defenſoris defectu pateretur Eccleſia, quantumque detrimentum ex Imperatoris carentia ſentiret religio Chriſtiana, licet expectauerimus expectantes, ſi fortè vos ipſi ſanioris vſi conſilio tantis malis finem imponere curaretis, vel ad diuinum, & noſtrum ſaltem recurreretis auxilium, vt per Deum, & nos veſtro ſtudio mediante tanta diſſenſio ſopiretur, quia vos ſuper hoc negligentes inuenimus & remiſſos, vt noſtrum exequeremur officium, vos per literas noſtras paterna curauimus ſolicitudine commonere, vt timorem Domini habentes præ oculis, & Imperij zelantes honorem, ne vel annullaretur dignitas eius, vel libertas deperiret ipſius, ad prouiſionem ipſius melius intendere curaretis. Alioquin quia mora trahebat periculum ad ſe graue, nos quod expedire ſciremus, vtiliter procurantes curaremus ei apoſtolicum impertiri fauorem, quem crederemus maioribus ſtudijs, & meritis adiuuari. Cùm autem nobis ad literas, quas ad multos veſtrûm nouimus perueniſſe, nec verbo fuiſſet, nec facto reſponſum, expectauimus iterum donec audiuimus, quod per ſtudium, & ſolicitudinem bonæ memoriæ C... archiepiſcopi Maguntini a noſtra præſentia redeuntis fuerat procuratum, vt quidam veſtrûm ad commune colloquium conuenirent, de prouiſione Imperij tractaturi: vnde ne videremur ab incepto deſiſtere, literas noſtras ad vos per proprium nuncium duximus deſtinandas, conſilium noſtrum vobis exponentes fideliter, & ſuper ijs, quæ neceſſaria videbantur, diligentius inſtruentes.

a Libell. Vat. ep. 33

Innoc. literæ ad Ger. principes pro Othone.

6 Cæterùm eum nec per expectationem diutinam, nec exhortationem honeſtam, nec inſtructionem plenariam fuit diſcordiæ prioris incommodum ſequentis concordiæ commoditate purgatum, ne quid ex contingentibus omittere videremur, venerabilem fratrem noſtrum Præneſtinenſem epiſcopum Apoſtolicæ ſedis legatum, virum religione conſpicuũ, præditum honeſtate, magnum Eccleſiæ Dei membrũ, quem inter cæteros fratres noſtros ſpecialis dilectionis brachijs amplexamur, & cum eo dilectum filium magiſtrum Philippum notarium noſtrum, virum prouidum, & diſcretum, nobis, & fratribus noſtris merito ſuæ probitatis charũ admodum & acceptum, ad partes veſtras duximus deſtinandos, qui cum venerabili fratre noſtro O. Oſtienſi epiſcopo Apoſtolicæ ſedis legato primum locum poſt nos in Eccleſia Romana tenente, vt tam ipſe a negotijs illis, quibus tenebatur in regno Francorum, ſe poſſet vtiliter expedire, ad vos ſimul accederent, & ex parte noſtra monerent ſalubriter, & inducerent diligenter, vt per vos ipſos, cùm eorum, ſi neceſſe foret, conſilio, & præſidio ad concordiam intendere curaretis, vel ſi

fortè per vos desiderata non posset concordia prouenire, nostro vos committeretis arbitrio, vel consilio, saluo omnibus tam libertate vestra, quàm Imperij dignitate, cùm neminem magis, quàm Romanum Pontificem mediatorem in hoc vos habere deceret, qui voluntatibus & rationibus intellectis promderet, quod esset iustum, & vtile, vosque per auctoritatem cælitus sibi datam super iuramentis exhibitis, quoad famam, & conscientiam liberaret, & ad quem negotium Imperij ex causis superius assignatis non est dubium pertinere. Cæterùm quoniam hactenus nec expectationis nostræ modestia, nec exhortationis studium, nec consilij maturitas, nec instructionis discretio vos commouit, nec legatorum nostrorum vsque adeo solicitudo profecit, vt vel per vos ipsos sepulta discordia, sicut vos sæpe monuimus, concorditer ad prouisionem intenderetis Imperij, vel consilio, aut arbitrio nostro committere vos velletis, cùm dispendium Ecclesiæ, quæ diutius nec vult, nec debet idoneo defensore carere, sustinere nolimus vlterius, vel dissimulare iacturam populi Christiani, cùm alteri de vestris electis fauorem impendere non possimus, propter excommunicationem publicam, periurium manifestum, & vulgatam persecutionem, quam progenitores eius, & ipse in Apostolicam sedem, & ecclesias exercere non latenus dubitarunt. Propter insolentiam etiam, quam exercuerunt in principes, & alios sibi subiectos, & ne libertas principum in Imperatoris electione vilescat, si non per electionem, sed successionem transferri a patribus in filios, & in fratres a fratribus Imperium videatur, consentire in alterum nos oportet.

Cur Philippus repudiatus.

7 Fuit enim nobilis vir Philippus dux Sueuiæ a bonæ memoriæ Cælestino Papa prædecessore nostro propter inuasionem, & deuastationem patrimonij beati Petri commonitione secundò præmissa publicè, ac solemniter excommunicationis sententia innodatus, cùm in Tuscia moraretur, quod ipse postmodum recognouit, dum per nuncium suum ab ipso prædecessore nostro absolutionis beneficium postulauit, & postmodum a tunc Sutrino episcopo, quem cum abbate sancti Anastasij pro liberatione venerabilis fratris nostri... Salernitani archiepiscopi miseramus, contra formam mandati nostri de facto solummodo, quia de iure non potuit, post suam electionem apud Vvormatiam occultè se fecit absolui, vnde patet, quòd fuerit excommunicatus electus, & videtur non immeritò, quod adhuc sit eadem causa excommunicationis sententia innodatus, cum prædictus episcopus eum auctoritate sua non possit absoluere, auctoritate verò nostræ delegationis, nec plus, nec aliter licetet hoc ipsi, quàm quod ei fuerat ab Apostolica sede concessum; ex eo etiam excommunicationis sententiæ subiacere creditur manifestè, quod cùm perfidus Marcualdus, Dei & Ecclesiæ inimicus, cum vniuersis fautoribus tàm Theutonicis, quàm Latinis excommunicationis vulgatæ vinculis suæ iniquitatis meritis sit astrictus, sicut iam vobis per literas nostras directas per prædictum Placentinum ipsius Philippi nuncium intimasse meminimus, quas ad ipsius Philippi audientiam credimus peruenisse, ipse nihilominus, quamuis id non tantùm ex relatione ipsius Iudicis, sed etiam per publicam famam ad notitiam eius deuenerit, eidem excommunicato non solùm communicat, sed eum in malitia sua souet, & per nuncios, & literas suas excitat furorem ipsius, vt charissimum in Christo filium nostrum Philippum Siciliæ regem illustrem nepotem suum, quem iam hæreditate paterna priuauit, adhuc priuet possessione materna.

8 Idem etiam contra proprium iuramentum, super quo nec consilium a sede Apostolica requisiuit, ambitionis vitio regnum sibi vsurpare præsumpsit, non aliam causa necessitatis in Regem eligeretur, quod vtcunque tolerabilius videretur, cum super illo iuramento sedes Apostolica prius consuli debuisset, sicut & eam quidam consuluere prudentes, apud quam ex institutione diuina plenitudo residet potestatis. Nec valet ad plenam excusationem ipsius, si iuramentum illud dicatur illicitum, cùm nihilominus super eo nos prius consulere debuisset, quàm contra ipsum propria temeritate venire, illo præsertim exemplo, quod cùm Gabaonitæ a filijs Israël per fraudem subripuerint iuramentum, ipsi tamen cognita fraude noluerunt contrà illud sua temeritate venire.

Quod autem de genere persecutorum existat, vos non credimus dubitare, cùm Henricus, qui primus Imperium de genere hoc accepisset, bonæ memoriæ Paschalem Papam prædecessorem nostrum cum episcopis, Cardinalibus, & multis nobilibus Romanorum præsumpserit captiuare: Fridericus autem pater ipsius Philippi contra felicis recordationis Alexandrum prædecessorem nostrum longo tempore schisma fouit; Henricus frater ipsius Philippi qualiter se habuerit circa interfectores sanctæ memoriæ A. Leodiensis episcopi, quem ipse prius coëgerat exulare, ac Conradus, qui prædictum Ostiensem episcopum ceperat, satis nostis: qui etiam qualiter venerabilem fratrem nostrum Auximanum episcopum cædi fecerit, & pilos de barba eius auelli, & tractari eum in pluribus inhonestè, qualiter quoque quosdam familiares Ecclesiæ Romanæ naso fecerit mutilari, qualiter prædictum Salernitanum archiepiscopum captiuarit, & quosdam viros ecclesiasticos flammis torreri fecerit, quosdam verò viuos in mare submergi, ad vestram credimus audientiam peruenisse. Hæ sunt paucæ de multis iniurijs personales, quas Apostolicæ sedi circa viros ecclesiasticos irrogarunt. Regales autem iniurias subticemus, quas ei circa possessiones ecclesiasticas intulerunt, ne cui posset peruersè intelligenti videri, quòd pro iure, ac honore Imperij defendendo, iniurias huiusmodi perpetrarint, cùm nos ius, & honorem Imperij conseruare velimus per omnia illibatû. Quod idem Philippus Ecclesiæ persecutor extiterit, & existat, ex ijs, quæ præmisimus, satis patet. Quod pater, & frater eius vobis imposuerint graue iugum, vos ipsi perhibete testimonium veritati. Nam vt cætera taceamus, hoc solùm, quòd vobis in substitutione Imperatoris eligendi voluerunt adimere facultatem, libertati, & honori vestro non modicum derogarunt. Vnde si sicut olim patri filius, sic nunc immediatè succederet frater fratri, videretur Imperium ei non ex electione côferri, sed ex successione deberi.] Plura de Philippi anathemate, & flagitijs ingerit, quæ ex ipso Innocentio prætereo anno attigimus.

Nos igitur quoniam duobus ad habendum simul Imperium fauere nec possumus, nec debemus, nec credimus personæ in Imperio, sed Imperio in persona potius prouidendum, quia etiam ad hoc dignior reputatur, qui magis idoneus reperitur ex causis prædictis, non amaritudinis, sed rectitudinis zelo, sicut is nouit, qui renum est scrutator, & cordium, personam Philippi tanquam indignam quoad Imperium, præsertim hoc tempore, obtinendum penitus reprobamus; & iuramenta, quæ ratione regni sunt ei præstita decernimus non seruanda, non tam propter paternos, vel fraternos excessus, quàm propriam eius culpam; quamuis non ignoremus dictum a Domino: Ego sum Deus zelotes, vindicans peccata patrum in filios vsque in tertiam, & quartam progeniem in ijs, qui oderunt me, id est, in ijs, qui contra me paternum odium imitantur.] Hæc de reiecto Philippo; de Othone subijcit:

Cùm

Cur Otho præferatur Philippo.

9. Cùm autem chariſſimus in Chriſto filius noſter Otho vir ſit induſtrius, prouidus, & diſcretus, fortis, & conſtans, & per ſe deuotus exiſtat Eccleſiæ, & deſcendat ex vtraque parte de genere deuotorũ, cùm etiam electus in Regem, vbi debuit, & a quo debuit, fuerit coronatus, & ipſe ſuæ ſtrenuitatis, & probitatis meritis ad regendum, & exaltandum Imperium idoneus eſſe nullatenus dubitetur, nos auctoritate B.Petri & noſtra eum in Regem recipimus, & regalem ei præcipimus honorificentiam exhiberi, ipſumque ad coronam Imperij, ſicut decet, vocare curabimus, & eam ipſi ſolemniter, & honorificè miniſterio noſtro, Domino concedente, conferre. Monemus igitur vniuerſitatem veſtram, & exhortamur in Domino, & in remiſſionem vobis iniungimus peccatorum, quatenus ei de cætero ſicut Regi veſtro in Romanorum Imperatorem electo reuerenter, & humiliter deferatis, regalem ei honorificentiam, & obedientiam impendentes, &c.] Ex ijs autem amplius confirmatur, quod dicebamus, Othonem ſcilicet cùm ad regnum electus eſt, dignum prorſus corona Imperij extitiſſe. demum additur in fine: Si enim ſalubribus monitis, & conſilijs noſtris, quæ de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta procedunt, prudenter ac reuerenter curaueritis acquieſcere, nos cum eodem, & pro eodem Rege ad honorem, & exaltationem Imperij efficaciter intendemus, cùm & ipſe nobiſcum pariter, & pro nobis ad honorem, & exaltationem Eccleſiæ intendere debeat, vt ſperamus, ita quod eo faciente, qui eſt Rex regum, & Dominus dominantium, ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech regnum, & ſacerdotium diebus noſtris mutuis ſubſidijs optatum recipient incrementum. Super primis etiam iuramentis illud auctoritate Apoſtolica ſtatuemus, quod ad purgandam & famam, & conſcientiam redundabit: eis autem, qui ſuper hoc monitis, conſilijs, & mandatis noſtris humiliter acquieuerint, ſuper honoribus, dignitatibus, & poſſeſſionibus ſuis apud prædictum Regem, & ſuos curabimus vtiliter prouidere. Quod ſi etiam idem nobilis vir Philippus de plano acquieſcere vellet, ac Deo, & Eccleſiæ ſatisfacere, competenter paterna eum curaremus ſolicitudine confouere, & ad honorem, & profectum eius intendere diligenter. *Datum Laterani Kalen. martij.*

Præcipitur Germanis Othonẽ Imp. agnoſcat.

Quo pariter die Hildeſemenſi epiſcopo præcipit [a], vt Othoni Regi ſuo in Romanorum Imperatorem electo honorem & reuerentiam impenderet, atque ad hoc ipſum quoſcunque poſſet, inducere niteretur: quod etiam Salisburgenſi & Colonienſi, plurimiſque alijs Germaniæ archiepiſcopis, epiſcopis, ducibus, comitibus, ac nobilibus viris iniungit [b]. Scripſit præterea ad Aquileienſem patriarcham, eumque plurimum commendat [c], in illa altercatione Imperij Apoſtolicum miſſam attendentem, in alteram partem deſerto Philippo deflexiſſe.

a Lib. Vatic. de negotio Imp ep. 54
b Idem poſt ep. 34. & ep. 35. vſq. ad 45 & ep. 57. & 58.
c ib. ep. 41
d ib. ep. 43

Inn. Ducẽ Bohem. hortatur, vt regiam coronam ab Othone poſtulet.

10 Bohemiæ quoque ducem admonuit [d], faueret Othoni, ac redarguit, ab eo ſibi regium diadema imponi popoſciſſe, qui legitimè regiam dignitatem nondum eſſet conſecutus;

Etſi commendabilis videaris in eo, quod ad honoris tui profectum, & augumentum intendis, reprehenſibilis tamen appares ex illo, quod ab eo imponi tibi petiſti regium diadema, qui nondum legitimè dignitatem regiam eſt adeptus. Qualiter enim poſſet nobilis vir Philippus dux Sueuiæ conferre alij, quod nondum ipſe accepiſſet, cùm non colligantur de ſpinis vuæ, nec de tribulis ficus, nec ſit facilè ſugere mel de petra, vel oleum de ſaxo duriſſimo, tua nobilitas ſatis intelligit per ſe ipſam. Quamobrem his ſubditis hortatur, vt ab Othone poſtulet regiæ inſignia dignitatis. *Cùm autem Apoſtolica ſedes poſt fundamentum, de quo inquit Apoſtolus: Fundamentum poſitum eſt, præter quod aliud poni non poteſt, quod eſt Chriſtus Ieſus, fundamentum totius Chriſtianitatis exiſtat, iuxta illud Euangelij: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, nos qui licet inſufficientibus meritis ad eius ſumus regimen euocati, procurabimus ex collata nobis plenitudine poteſtatis, vt quod factum fuerit, etiam poſterorum tuorum temporibus obtineat firmitatem: eundemque Regem per venerabilem fratrem noſtrum Præneſtinum epiſcopum Apoſtolicæ ſedis legatum, virum ſcientia præditum, conſpicuum honeſtate, religione laudandum, quem inter cæteros fratres noſtros ſpecialis dilectionis brachijs amplexamur, & dilectum filium magiſtrum Philippum notarium noſtrum, virum prouidum, & diſcretum nobis, & fratribus noſtris acceptum duximus commonendum, vt ſe tibi facilem, & beneuolum ſtudeat exhibere, quod ex quanta benignitate procedat, induſtria tua relinquimus diſcernendum.* Ita Innocentius.

11 Non ſolùm autem apud Germanos principes, ſed apud alios etiam Reges, vt deſignato Imperatori præſidio eſſent, elaborauit. Ac primum datis ad Philippum Francorum Regem multa humanitate, verbiſque officiorum aſperſis literis [a], oſtendit ipſius magis rem agi, ſi Othoni potiùs, quàm Philippo Sueuo Imperium decerneretur. At præſtat Pontificem ita Regem compellantem audire: *Ne vel leuem maculam in gloria tua poneres, ſi ſuper ordinatione Imperij Romani, quod ad nos principaliter, & finaliter noſcitur pertinere, ne dixerimus noſtræ diſpoſitioni reſiſteres, ſed noſtræ non ſequereris beneplacitum voluntatis, & ſic cum Apoſtolica ſede regnum Franciæ non ſentiret, cui ſuper arduis negotijs ſemper adhæſit, licet multa & magna nobis, & noſtris fuerint vtrimque promiſſa, nec ad munera tamen flecti potuimus, nec ad preces induci, vt alterutram partem præter conſcientiam tuam vellemus aſſumere, cum velimus tecum fauere alteri, & cum eodem tecum pariter præualere. Vt ergo ſerenitati tuæ noſtræ pateat diſpoſitionis arcanum, noueris quod examinantes merita perſonarum, inuenimus quod alterius promotio, præter alias rationes ſufficientes, & validas, quibus eius debet promotio impediri, & quas venerabilis frater noſter O. Oſtienſis epiſcopus Apoſtolicæ ſedis legatus tibi poterit plenius explicare, nec nobis, nec tibi, nec regno tuo etiam expediret, cùm ſi, quod abſit, Imperium obtineret, ſaltem occaſione nepotis ad regnum Siciliæ ardentius aſpiraret, cùm ad illud iam manifeſtis indicijs ardenter aſpiret. Quod autem huiuſmodi vnio, vel confuſio potiùs non expediat regno tuo, ſatis intelligit regia ſerenitas per ſe ipſam. Promotionem autem alterius ad honorem, & commodum regni tui credimus pertinere, cùm inter eum, & chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Lodouicum filium tuum affinitatis vinculum ſit contentum, & inter te, & chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Ioannem Anglorum Regem illuſtrem, per Dei gratiam plenè pacis ſit concordia reformata.* Quibus amplius comprobantur, quæ ſuperiori anno enarrauimus de compoſita pace inter Philippum Francorum, & Ioannem Anglorum Reges, deque nuptijs Ludouici ipſius Philippi filij cùm Blanca Caſtellæ Regis filia, eiuſdemque Ioannis nepte. Ad poſtremum verò Innocentius Regem magnoperè adhortatur, vt ijs, quæ prædictus Apoſtolicæ ſedis legatus honori eius, atque vtilitati conſulens proponeret, faciles aures daret.

a ib. ep. 46

Innoc. liter. ad Frã. Reg. vt eũ Othoni conciliet.

12 Vt verò Octauiano Cardinali legato omnia explorata eſſent, huiuſmodi epiſtolæ exemplum tranſmiſit, ac poſt laudatam ipſius prudentiam hæc

a Lib. Vat. ib. ep. 47.

hæc iussit a: *Monemus fraternitatem tuam, & exhortamur attentius, & per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus apud Regem ipsum interponas efficaciter partes tuas, vt super hoc monitis nostris, & consilijs acquiescat, cum sufficienter velimus eius indemnitati caueri, & dispositionem nostram ad honorem, profectum, & gloriam eius pertinere credamus.* Octauianus enim Innocentio significarat, licet Philippum, vtpotè ab Anglicanis Regibus multas sibi illatas iniurias recolentem, in Imperij causa sibi aduersantem reperisset, pontificijs tamen consilijs pariturum sperare, modò eius indemnitati ab ipso Pontifice prospiceretur. Denique eidem legato mandat Innocentius, vt si res in Gallijs ex sententia cederet, in Germaniam proficisceretur, quo vnà cum Prænestino episcopo Apostolicæ sedis legato, ex suarum præscripto literarum res Imperij statueret, conficeretque. Insuper Ioannem Anglorum Regem hortatus est b, vt ad Imperium consequendum nepoti sororio faueret, ac pecuniam, quam inclytæ recordationis Riechardus eius frater testamento reliquerat, eiusdem legatis quamprimum largiretur. Cantuariensi præterea archiepiscopo Ioannem ad id cogeret, compelleretque, imperauit. c

b Ibid. ep. 48. Inn. apud Ang. Reg. pro Othone nauata opera.

c Ibid. post eand. ep.

13 Hæc inter quid sedis Apostolicæ legati egerint, referr ab eorum epistolis accipere, quæ grauioris momenti cùm sint, eas prætermittere non possumus, ne officio decsse videamur. Extant igitur tam Cardinalis Prænestini episcopi, quàm Philippi Apostolicæ sedis notarij, quos ab Innocentio in Germaniam missos dicebamus, accuratæ litteræ continuationem, seriemque rerum hactenus ab ipsis gestarum exactissimè continentes, ac primum sibi vendicant locum, quas Prænestinus episcopus in hæc verba ad Pontificem scripsit: d

d Ib. ep. 50.

Innocentio Pontifici, &c.

Legati ad Inn. lit. gestorum a se seriem continentes.

* Trecas

Beatitudinis vestræ mandatum deuotione debita prosequentes, cùm venissemus * Grecas, periculorum euentus, & marium dispendia ferè vbique passi, venerabilem fratrem nostrum Ostiensem episcopum, & magistrum Ægidium acolytum vestrum ibidem nos contigit inuenisse, quibus cómunicatis omnibus, quæ a vobis suscepimus in mandatis, de communi consilio magister Philippus, & magister Aegidius cum vestris, & nostris literis processerunt locuturi cum Rege pro facto Ecclesiæ, quod nouistis, & principibus ad certum locum, & terminum euocandis. Nos verò cùm in Galliæ partibus expectandum duceremus, domino Ostiensi similiter ad expediendum suæ legationis officium secedente, donec a vobis, & ab antedictis socijs nostris responsum acciperemus, propter sæpissimas inculcationes nunciorum Romanæ Ecclesiæ, ne Gallicis quoque nos essemus oneri, coacti sumus versum Leodium festinare, vbi triduo commorantes, nuncios domini Regis Othonis, & prædictorum sociorum nostrorum accepimus, nos literis pariter, & precibus vrgentissimè solicitantes, vt quia negotium nullam vlterius capiebat dilationem, & mora irreparabiliter apparebat damnosa, cùm omni festinatione accelerare deberemus. Cæterùm quia dominus Ostiensis huic negotio maximè necessarius erat, directis ad eum tam Regis, quàm nostris, & sociorum nostrorum literis, vt veniret, nos accepto itinere Aquasgrani Regi obuiauimus, congratulanti nimis de aduentu nostro, & cum deuotione plurima se nobis offerenti: cum quo ingressi Coloniam principes quosdam, ibidem die ipsis præfixa recepimus; ad quosdam enim mandatum nostrum peruenire non potuit, quidam suscepto etiam mandato penitus accedere nequiuerunt, & quidam venire noluerunt, & hoc eos noluisse deprehendimus, quia ne nostros reciperent nuncios, ciuitates, & domos suas clausisse feruntur, Maguntinus præcipuè, Spirensis, Vvormatiensis: quidam præterea nuncij super eodem negotio a quibusdam principibus directi, suspendio perierunt. Hoc etiam sanctitatem vestram latere non volumus, quod si negotium dilatum fuisset, quorundam corda principum sic immutata videbantur, quod in odium Romanæ Ecclesiæ tertium procreassent, nec nobis hoc in principio ita patere potuit, sicut postea ipsorum intentio est plenius per assiduam familiaritatem comperta, etiã accepto consilio ab his, qui honorem Ecclesiæ, ac vestrum diligunt, in conspectu omnium, qui conuenerant, literas vestræ sanctitatis Regi, & de ipsius receptione, & approbatione cunctis exhibuimus, & eum de cætero auctoritate vestra publicè denunciauimus Regem Romanorum, & semper Augustum, excommunicatis omnibus, qui se ei ducerent opponendos, quod vtique tota, quæ aderat, vniuersitas gratanter accepit, & super eo Deo, & prouidentiæ vestræ benedictionem, & gratiarum vota persoluit.

Otho a legato Pontificis Rex Rom. declaratus.

14 Sanè quia factum hoc necesse erat melius solidari, aliud colloquium apud Corbeiam indiximus, quò ad taxatum terminum, accedentes coram ijs, qui ibidem conuenerunt, eodem modo processimus, eos verò, qui se absque rationabili causa iam tertiò citati absentauerant, sub pœna suspensionis, & excommunicationis iterum duximus euocandos, quos si non venerint, aut mandato nostro non obediuerint, secundùm quod vobis placere nouimus, auctore Domino puniemus. Eapropter ad factum hoc laudabiliter consummandum, cuius gloriosus finis æternam gloriam pariet Ecclesiæ, nomenque vestrum continuabit in æuum, supplicamus celsitudini vestræ, & quantum possumus, suademus, quatenus ad stabiliendum id, quod factum est, & feliciter expediendum, quod restat, secundùm quod prouidentiæ vestræ melius visum fuerit, & præsentium latores, de quorum discretione confidimus, Fr. Quil. monachus Cisterciens. Fr. F. canonicus Morarien. nuncij nostri suggesserunt, qui quod in literis minus est, verbo supplere poterunt, manum consilij, & auxilij apponatis, & propositionibus aduersæ partis, si accesserit, intendere non * dignemini, istud pro certo scientes, quia si soli Ecclesiæ principes domino Regi Othoni fideliter adhæsissent, vel adhuc eidem vellent viribus, & animis adhærere, nulla vel modica esset difficultas, in ipsius progressu negotij, finisque desideratis vestris principijs, & nostris laboribus arrideret. Hoc præterea certum sit paternitati vestræ dominum Regem expositum esse, fecisseque liberaliter omnia, quæ imperastis, & facturum libenter singula, quæ vita sua comite sibi duxeritis imperanda.] Ita Cardinalis legatus. Hîc verò opportunè reddentur, quæ de his breuiter tradit in annalibus Godefridus a: *Venit etiam Coloniam circa festum Apostolorum Petri & Pauli Guido Cardinalis Prænestinus episcopus, a sede missus Apostolica, Philippum & quoslibet eius fautores excommunicatos pronuncians, & ad determinatum diem ad colloquium omnes episcopos inuitans regni Theutonici venientes, vt obedirent Othoni, ex auctoritate præcipiens Apostolica; nolentes autem obedire excommunicans.* Hæc auctor, eodemque ex ipso, vt videtur, Ioannes Trithemius in suo Hirsaugiensi b chronico. confirmantur hæc nuncupati ab Othone nuncijs Apostolicis sacramenti forma, qua ille ad seruanda Romanæ Ecclesiæ iura, petẽdos armis illius hostes, atque iudicio Pontificis in causa fœderatorũ Hetruriæ, & Longobardiæ acquieturum, pacemque cum Francorum Rege conciliaturum sese astrinxit: quam nos formam ex libello Vaticanæ bibliothecæ tũ Romanæ Ecclesiæ

* dedignemini

a Godef. an. 1201.

b Chron. Hirsaug. eod. an. & alij.

iura

iura pia Pontificis adducendæ publicæ pacis consilia illustrâda, ac secuturam Othonis perfidiam, ob quam postea Imperio deiectus est, in luce collocandam depromsimus.

IuramentumOthonis Regis illustris in Imperatorem Romanorum electi.

a Liber. var. post ep. 71. Iusiurandum quo se Otho Rom. Pôt. obstrinxit.

15 *Ego Otho [a] Dei gratia Romanorum Rex & semper Augustus, tibi domino meo Innocentio Papa, tuisque successoribus & Ecclesia Romana spondeo, polliceor, promitto, & iuro, quod omnes possessiones, honores, & iura Romana Ecclesia pro posse meo bona fide protegam, & seruabo; possessiones autem, quas Ecclesia Romana recuperauit, liberas, & quietas tibi dimittam, & ipsam ad eas retinendas bona fide iuuabo. Quas autem nondum recuperauit, adiutor ero ad recuperandum, & recuperatarum secundùm posse meum ero sine fraude defensor, & quacumque ad manus meas deuenient, sine difficultate restituere procurabo. Ad hac pertinet tota terra, qua est a Radicofano vsque Ceperanum, exarchatus Rauenna, Pentapolis, Marchia, ducatus Spoletanus, terra comitissa Mathildis, comitatus Brittenorum cum alijs adiacentibus terris, expressis in multis priuilegijs Imperatorum a tempore Ludouici. Has omnes pro posse meo restituam, & quietè dimittam cum omni iurisdictione, districtu, & honore suo: veruntamen cum ad recipiendam coronam Imperij, vel pro necessitatibus Ecclesia ab Apostolica sede vocatus accessero, de mandato summi Pontificis accipiam procurationes ab illis. Adiutor etiam ero ad retinendum & defendendum Ecclesia Romana regnum Sicilia. Tibi etiam domino meo Innocentio Papa, & successoribus tuis omnem obedientiam & honorificentiam exhibebo, quam deuoti & catholici Imperatores consueuerunt sedi Apostolica exhibere. Stabo etiam ad consilium & arbitrium tuum de bonis consuetudinibus populo Romano seruandis & exhibendis, & de negotio societatis Tuscia, ac Lombardia: similiter etiam consilio tuo, & mandato parebo de pace, vel concordia facienda inter me & Philippum Regem Francorum, & si propter negotium meum Romanam Ecclesiam oportuerit incurrere guerram, subueniam ei, sicut necessitas postulauerit, in expensis. Omnia verò pradicta, tam iuramento, quam scripto firmabo, cùm Imperij fuero coronam adeptus.*

Actum Nuxia in Coloniensi diœcesi anno incarnati Verbi 1201. VI. idus iunij, in prasentia Philippi notarij, Aegidij acolyti & scriptoris prafati domini Papa. Hactenus solemne Othonis exactum redditumque iuramentum.

Coloniæ Otho a legato côfirmatus. b Ib. ep. 51

16 Quidnam verò post promulgatam Coloniæ Othonis confirmationem apud Traiectum eodem super negotio gestum atque transactum sit, Philippus Innocentium certiorem faciens, sic enarrat [b]; *Post pronunciationem excellentissimi domini Othonis, Dei & vestra gratia illustrissimi Romanorum Regis semper Augusti Colonia in multorum prasentia solemniter celebratam, quia & nobis, & domino Coloniensi episcopo, & alijs, qui de consilio nostro erant, videbatur quasi modicum profecisse, nisi matrimonij negotium, quod inter eundem Regem illustrem, & nobilem virum ducem Brabantia olim initiatum fuerat, per vigilantiam nostram & solicitudinem compleretur; accessimus & dominus Praenestinus, & ego apud Traiectum super Mosam, vbi multorum principum, comitum, baronum, & nobilium ex remotis partibus multitudine congregata, pronunciatio illa, qua Colonia solemniter facta fuerat, ibidem fuit ferè solemnius repetita, & dispensatione pramissa, per iuramenta nobilium ex vtraq; parte matrimonij fuit negotium confirmatum. Ex tunc autem prafatus dux, qui cum domino Rege non aquis passibus ambulabat, ita per gratiam Dei & merita vestra fuit in dilectione ipsius, & beneuolentia solidatus, vt &[*] filium suũ Regem ipsum assumpserit, & negotium Imperij apud quoslibet esse proprium, sub voce praconis protestetur dicens: Quicunque me diligit, & meus esse voluerit consanguineus & amicus, in huius mihi totis viribus articulo necessitatis assistat, ita quod ex hoc Delos & Gebren. comites viri nobilissimi, & potentes, qui nobis se manifestissimè opponebant, & partem Sueui totis viribus tuebantur, incontinenti, vbi eis innotuit de hoc verbo, ad mandatum domini Regis, & beneplacitum sunt reuersi.*

Traiecti eadem cô firmatio simul pôpa repetita.

* in

Dux Brabantiæ ad partes Othonis se confert.

Fecit etiam præfatus dux edictum generale per totam terram sua iurisdictioni subiectam, in quacunque domo duo, tres, quatuor, quinque, aut sex homines essent, vno tantùm relicto, reliqui secum egrederentur ad pugnam. Omnes etiam amicos suos & consanguineos inuitauit ad bellum, ita quod, sicut publicè dicitur, dominus Rex tam cum duce, quàm cum domino Coloniensi & comite Palatino fratre suo, qui in omnibus potior pars consilij Regis, & consilij nostri semper existit, & alijs episcopis, comitibus, & magnatibus terra in expeditionem producet centum millia armatorum, nec creditur quod eis aliquis resistere valeat, sed dumtaxat omnipotens Deus, a quo factum est istud, quod in oculis omnium est mirabile, Aegyptiorum illorum, Sueuorum videlicet, castra respiciat, & ea deyciat in profundum, & partis dextera iustitiam, causam scilicet sacrosancta Romana Ecclesia tueatur. Nam de Sueuo, vt verum fatear, sicut testis est Deus, mentio non habetur, nisi quod aliquando adscitis aliquibus episcopis, quos potest difficulter habere, Vvormatiensi videlicet, Spirensi & cancellario suo, Lantgrauio etiam & quibusdam comitibus, qui cum eo non ambulant recto corde. Nam dux Bohemia potior pars auxilij sui, & dominus Argentinensis, ac plures de superioribus nobiscum sunt, per illius gratiam, qui rectè cuncta disponit. Conqueritur autem de vobis, idem dux Sueuia, de Romana Ecclesia corã ipsis dicens, quòd ea sola ratione inuehimini contra ipsum, quia sine licentia vestra voluerit imperare, eot intelligere faciens, quod ex hoc deperit libertas eorum, & nemo prater voluntatem Romani Pontificis non poterit imperare, sed sicut per illos, qui in consilio sunt ipsius, frequenter accepimus, nullo modo per Dei gratiam nec proficit, nec profecit, nec potest exercitum congregare. Caterum dominus Praenestinus, & ego cum magistro Aegidio in itinere sumus, Bingam, qua ciuitas est prope Maguntiam, accedendi, vbi credimus Maguntinum, Vvormatiensem, multos comites, & barones ad mandatum sacrosancta Romana Ecclesia, & vestrum, & ad domini Regis seruitium facilè per amicos nostros inducere, nec laborare desistimus, nec etiam desistemus, donec negotium Ecclesia & Imperij, Deo propitio, feliciter consummetur. Quidquid autem profecerimus apud istos, processum etiam huius negotij per ordinem cito per alias literas vobis intimare curabo. Vestrum igitur est in Lombardiam honorabiles nuncios, & literas destinare, vt sicut in Alemannia, ita & ibi negotium Ecclesia, & Imperij procuretur. Huc vsque Philippi legati epistola. At non solùm ij tum ad Innocentium scripsere, sed Otho quoque Rex hasce literas omnibus officij & obsequij significationibus respersas eidem Pontifici misit. [a]

Dux Bohemiæ ad Othone deficit.

a Ib. ep. 52

Reuerendissimo in Christo patri & domino charissimo Innocentio Dei gratia summo Pontifici, & vniuersali Papa, Otho eadem gratia Romanorum Rex, & semper Augustus debitam deuotionem, & fidelem subiectionem.

Othonis literæ ad Innoc.

17 Primitias nostræ promotionis & beneficia paternitatis vestræ mente solicita recolentes, & attribuentes benignitatis vestræ beneficio totum, quod dignitati aut viribus accreuit, vel in posterum accrescere poterit, tam deuotas quàm vberes sanctitati vestræ gratiarum referimus actiones, quia in boni principij proposito perseuerare dignati estis & illud per venerabilem patrem nostrum Præ-

nesti-

nestiuum episcopum laudabiliter consummare, quod ad Deum tantùm, & ad prosecutionem mandati vestri, suo respectu habito, ita prudenter & circumspectè in ijs, quæ legationis suæ ministerio expedienda erant, se gessit, quod licet factum nostrum nimis implicitum in suo ingressu repererit, Deo & orationum vestrarum suffragio sic per opera studiorum suorum effecit, quod promotionem nostram ex parte maxima solidauit.] Siffridum deinde Maguntinum, & Haug. Leodiensem electos ipsi commendat,
a Ib. ep. 53
quod pro Cameracensi proximis literis præstitit a, ista ad calcem addendo: Nec miretur sanctitas vestra, si totam seriem facti præsenti pagina non inseruimus; in proximo enim concedente Domino, qui vos planè super omnibus instruat, solemnes nuncios ad pedes vestros duximus destinandos.] Cæterùm de Othonis nuncijs ad Apostolicam sedem missis meminit Innocentius ad eundem Othonem postea hæc
b Ib. ep. 54
scribens b: *Vt autem* (inquit) *celsitudini tuæ plenius pateat Apostolicæ constantia firmitatis, & de ipso non possis in posterum aliquatenus dubitare, quid nuper apud nos, & a nobis sit gestum, qualiter responsum quorundam principum nuncijs, serenitati tuæ venerabilis frater noster archiepiscopus Maguntinus, & nuncij tui plenius intimabunt.*

18 Igitur acceptis Othonis literis Innocentius episcopo Prænestino Apostolicæ sedis legato, & magistro Philippo notario, & Æ. acolyto suo primum
c Ib. ep. 55
rescribens, c eos laudibus ornat, tum quia nec rebus parcendo, nec personis, vt ait, indulgendo, iniuncto sibi muneri diligenter incumberent, & quia, ne cui forent oneri, cum Apostolo & abundare scirent, & penuriam pati. Quid autem eis præceperit, ipsum refert Pontificem audire: *Cùm ad publicationem super eodem negotio faciendam solemniter processeritis, districtè vobis per Apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus efficaciter insistentes incepto principes, qui Regi fauent, eidem in dilectione, ac deuotione ipsius fortius radicetis, & ad idem alios prudenter, & efficaciter inducatis. Vt autem os iniqua loquentium penitus obstruatur, nec præualeant maledicta quorundam, qui nos asserunt libertatem electionis adimere principibus voluisse, in auribus omnium verbis, & scriptis sæpius inculcetis, quod libertati eorum in hoc facto detulimus, & illæsam eam duximus obseruandam. Non enim nos personam elegimus, sed electo ab eorum parte maiori, qui vocem habere in Imperatoris electione noscuntur, & vbi debuit, & à quo debuit, coronato fauorem præstitimus, & præstamus, cùm Apostolica sedes illum in Imperatorem debeat coronare, qui ritè fuerit coronatus in Regem. In eo quoque stamus pro principum libertate, quod ei fauorem penitus denegamus, qui sibi iure successionis Imperium nititur vendicare: videretur enim Imperium non ex principum electione conferri, sed sanguinis successione deberi, si prout olim patri filius, sic nunc fratri frater, vel natus patri nullo succederet mediante. Frustra ergo bene facta deprauant, quæ falsò nos impugnare confingunt,*
* quia
quam defendimus potius libertatem, sicut facti euidentia manifestat. Et infra: *In ferendis autem sententijs, præsertim excommunicationis, & depositionis in magnas personas cùm non deceat, nec expediat totam districtionem ecclesiasticam pariter exercere, vos volumus, & mandamus cum multa procedere grauitate, non vt impunitam rebellium contumaciam dimittatis, sed vt quod ligandum fuit, tanto ligetur fortius, quanto neruus ad hoc fuit fortior exquisitus.*

19 Deinde de Maguntino archiepiscopo pauca ista subijcit: *Quod autem de venerabili fratre nostro archiepiscopo Maguntino, tu frater episcope secundùm formam mandati nostri fecisti, gratum & ratum nos noueris habuisse.* Illustrantur hæc subobscuriora ijs, quæ Otho ad Pontificem ipsum scripsit. a Ait enim,
a Ibid. ep. 52.
Prænestinum episcopum Siffrido electo Maguntinæ ecclesiæ administrationem concessisse; verùm non solùm administratione illum auxit Cardinalis legatus, sed primò presbyterum, deinde archiepiscopum consecrauit, vt Innocentij literæ sequenti anno datæ testantur b, idemque tradit Godefridus c, additque ipsum Siffridum cum commendatitijs Cardinalis, Othonisque literis Romam profectum, accepto a Pontifice pallio confirmatum esse, quod in Hirsaugiensi d etiam chronico asseritur. at de pallio infra. De ipsius autem in vrbem aduentu quid Innocentius dicat, paulò ante audiuimus; sed vt eò reuocetur, vnde deflexit oratio, eadem epistola Innocentius de victorijs a comite Brenensi de Diupuldo, cæterisque Marcualdi fautoribus reportaris legatos certiores facit, cuius verba infra reddemus, ac postremò subijcit: *De vrbe quoque scire vos volumus, quod eam per Dei gratiam ad beneplacitum nostrum habemus, &c. Datum Anagniæ.*
b Inn. l. 5. ep. 14. quæ etiam habetur C. bon. mem. ext. de elect.
c God. in annal. an. 1201.
d Tri. Hirsaug. chro. ad ann.

Vbi scripta etiam epistola, quam ad Othonem reddidit hoc titulo insignitam: *Illustri Regi Othoni in Romanorum Imperatorem electo.* Ipsum itaque adhortatur, vt spem maximè in eo constituat, qui deponit de sede potentes, & humiles exaltat, diuinam opem, quam expertus erat hactenus, sibi defuturam ne minimum quidem dubitaret, monetque ne temerè sese periculis offerat: *Cæterùm licet in te strenuitatis virtutem plurimum commendemus, quia tamen audacia nonnunquam in principe solet esse damnosa, si personam suam exponat improuidè periculis & fortunæ, sicut nuper fuisses expertus, nisi tibi manus Domini astitisset, personæ tuæ sollicitè studeas præcauere.* Ita Innocentius. sed quodnam fuerit eiusmodi Othonis periculum, non prodit; fortasse esse potuit, quod Albertus Stadensis abbas notat, e inquiens Philippum, &
e Abb. Stad. in chron.
Othonem vires suas hoc anno circa Mosellam contulisse. Anagniæ præterea dum moraretur Innocentius, Coloniensem archiepiscopum, ne ab Othone desisceret, f impensè cohortatus est, quod & sequenti anno iterum, g ac tertiò h præstitit, Adolphi defectionem quasi præsagiens prudentissimus Pontifex, eam rationibus, consilijs, ac monitis occupare, atque anteuertere nisus est; verùm quod infra dicetur, actum egit i. Hæc pro Othone tunc temporis gesta.
f Cit. lib. el. ep. 54.
g Ib. ep. 66
h Ib. ep. 79
i Anno 1203.

20 Verùm haud defuere principes, qui a Philippo starent, ac non solùm in Germania armis, quæ prætermittimus, sed & literis etiam atque officijs, querelis ac legationibus grauiter admodum, vehementerque apud Romanum Pontificem agerent: id primùm Germani quidam episcopi, & principes præstiterunt, quorum nunc inscriptiones literarum audies. ignosce lector, si in ijs diutius moramur, neque enim par est silentio res tantas dissimulare. Extant ergo Germanorum quorundam principum liberiores, atque ardentes ad Innocentium datæ literæ, quibus Philippum de Imperio deiectum falsò conqueruntur.

Sanctissimo l patri, & domino Innocentio sacrosanctæ Romanæ sedis summo Pontifici vniuersali Dei gratia Magdeburgensis, Bremensis archiepiscopi, Vvormatiensis, Pataniensis, Ratisponensis, Constantiensis, Augustensis, Ekstadensis, Hauelbergensis, Brandeburgensis, Misnensis, Nuembergensis episcopi, Babenbergensis electus Fuldensis, Hersueldensis, Campidonensis abbates; Rex Bohemiæ, dux Zaringiæ, & rector Burgundiæ, dux Saxoniæ, dux Austriæ ac Stiriæ, dux Aleraniæ, Turingiæ Lantgrauius, marchio Morauiæ orientalis, Atesensis, Brandeburgensis, marchiones de Orlamunda de Sumsenberch, de Brenen.
l Cit. lib. el. ep. 60. Plurium principũ Germ. ad Pont. literæ in Philippi Sueui gratiã.

nen. de Voitin. comites' salutem, & debitam in Christo reuerentiam.

Extimare non valet ratio, nec rudis simplicitas hoc potest credere, vt inde iuris cuiusque surgat turbatio, vbi iuris soliditas permansit hactenus inconuulsa, quis tam duri etiam, tamque peruersi sensus extimet, vt inde emanet superstitio, vbi quiescere debet sanctitas, diuina etiam ordinatione, non humano iudicio piè, & salubriter est prouisum, vt in vrbe Romana, vbi olim erat caput superstitionis, illic quiesceret caput sanctitatis, & suppliciter est omnibus orandum, vt ad extremitatem non attrahatur principium, ne Omega dicatur reuolasse ad Alpha. Non ergo sacrosancta Romanæ sedis sanctitas, & cuncta piè fouens paternitas hoc sentire vllo modo vos permittit, ea, quæ iuri dissona, & honestati contraria a domino Pranestino vestræ sanctitatis, vt ipse asserit, legato, in Romanorum Regis electione sunt indecenter nimium perpetrata, vt ac vestra mira prudentia prodierint conscientia, nec sanctissimam sancti cœtus Cardinalium credimus huc conniuentiam accessisse. Quis enim huic similem audiuit audaciam? quis verus accedere potest testis, fore hactenus sic præsumptum, cùm nec hoc testetur fabula, nec affirmet res gesta, nec cuiusque hoc codicis asseueret series? Quamuis acerbo, infensoque forent animo, Romanum tamen Pontificem, atque Apostolicam sedem consuetis gloriæ titulis ornarunt: eos namque prætermittente apud catholicos religio fuit; id autem annotare voluimus, quo impudens, ac blasphema recentioris politici Romanæ Ecclesiæ infensissimi hostis audacia retundatur. Vnus enim ex ijs, de quibus scriptum est: Posuerunt in cælum os suum, & lingua eorum transiuit in terra; quemadmodum diuini spiritus opera blasphemo ore, ita Christi vicarij dignitatem lacerauit.

21 Verùm ad principum literas, vnde aberrauit oratio, reuertamur: *Vbinam legistis, o summi Pontifices, vbi audistis sancti patres totius Ecclesiæ Cardinales antecessores vestros, vel eorum missos Romanorum Regum se electionibus immiscuisse, sic vt vel electorum personam gererent, vel cognitores electionis vires trutinarent? respondendi instantiam vos credimus non habere.* Quid ad hæc Innocentius, paulo post audiemus. addunt: *In Romanorum enim electione Pontificum hoc erat Imperiali diademati reseruatum, vt eam Romanorum Imperatoris auctoritate non accommodata vllatenus fieri non liceret.* Verùm, vt Cardinalis Baronius pluribus ostendit, tyrannicè id sibi principes, Ecclesia Dei in seruitutem redacta, arrogarant, quam postea S. Henricus primus æqui amantissimus Imperator in pristinam libertatem vindicauit, constitutione edita, de qua Germani principes dicere pergunt: *Imperialis verò magnificentia, quæ cultum Dei semper ampliare studuit, & eius Ecclesiam priuilegiorum specialitate decorare curauit, hunc honoris titulum Dei Ecclesiæ reuerenter remisit* (quin restituit) *quod constitutio primi Henrici euidenter explanat, cuius series hæc est, vt nullus missorum nostrorum cuiuscunque impeditionis argumentum in electione Romani Pontificis componere audeat, omnino prohibemus.* Extant hæc verba in priuilegio, quod idem princeps Romanæ Ecclesiæ confirmanit, & Baronius [a] ex autographo in arce S. Angeli asseruato typis commisit. Sed rursus ad epistolam.

a Bar. to. 11. ann. 1104.

Querelæ fautorum Philippi aduersus Pontificē.

22 *Si laicalis simplicitas bonum, quod de iure habuit, reuerenter contempsit, Sanctitas pontificalis ad bonum, quod nunquam habuit, quomodo manum ponit? sed cùm vestra sancta curia tanquam piæ matris nos tangat opprobrium, cùm ad Romani Imperij simus astricti titulum, eius iniuriam cogimur non tacere. Vobis ergo suprascriptorum principum cum dolore aperit vniuersitas, quod Pranestinus episcopus in Romani Regis electione contra omnem iuris ordinem se ingessit, nec videre possumus, cuius personam inculpabiliter gerat: gerit enim vel personam electoris, vel personam cognitoris. Si electoris, quomodo quæsiuit opportunitatem, qualiter arbitris absentibus mendacio veritatem, & crimine virtutem mutaret? quomodo enim ea pars principum, quam numerus ampliat, quam dignitas effert, iniustè nimium est contempta? Et si cognitoris; hanc gestare non potuit: Romanorum enim Regis electio si in se scissa fuerit, non est superior iudex, cuius ipsa sententia integranda, sed eligentium voluntate spontanea contuenda; mediator enim Dei, & hominum homo Christus Iesus actibus proprijs, & dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusque discreuit, vt & Deo militans minime se negotijs implicaret secularibus, ac vicissim non ille rebus diuinis præsidere videretur, qui esset negotijs secularibus implicatus* (Si hi principes superioribus verbis innuere velint summum Pontificem certis iustis occasionibus ab vno principe in alium Imperia, ac regna traducere non posse, eos pluribus locis Baronius, tum Perronius, alijque confutarunt.) *Sed si vos iudicem confiteamini, factum hoc excusationem habere non potest: vestrum enim in vos possumus exercere gladium, quia absente alia parte, sententia a iudice dicta nullam habeat firmitatem. Quid ergo prædicti Pranestini sententiam in Othonem firmare potuit, cum nihil ante in eo factum sit? nam quid erit, aut quas vires habere poterit, quod ab ijs fit, quos tenuior compescit numerus, quos minor comitatur auctoritas, quod partis alterius reddit absentia vitiosum? Contra eum ergo, qui talia operatus est minus decentia, vester se rigor exerceat, fit in eum tantùm piè sauiens disciplina. Vobis enim pater sanctissimè insinuare decreuimus, quia electionis nostræ vota in serenissimum dominum nostrum Philippum Romanorum Regem, & semper Augustum vna voce, vno consensu contulimus: hoc spondentes, hoc firmiter promittentes, quod a vestra, & Romanæ sedis obedientia non recedet, & eum Deo, & vobis sua deuotio reddet acceptum, & filialis eum timor imbuet, & defensoris eum strenuitas commendabit. Vnde petimus, vt veniente tempore, & loco, sicut nostri officij est, vnctionis ipsi beneficium non negetis.*

23 Hæc asperiore animo Philippi fautores ad Innocentium Pontificem, qui inania eiusmodi argumenta validissimis rationibus refellit, data ad Zaringiæ ducem grauissima epistola, cuius pars inseritur iuri canonico, extra de electionibus. [a]

a C. venerabilem extr. de elect.

Nobili viro duci Zaringiæ.

Venerabilem fratrem nostrum Salzburgensem archiepiscopum, & dilectum filium abbatem de Salen, [b] & nobilem virum marchionem orientalem quorundam principum nuncios ad sedem Apostolicam destinatos benignè recepimus, & eis beneuolam duximus audientiam indulgendam.] Eberhardum ex Brixiensi episcopo Salisburgensem electum archiepiscopum Romam venisse Salisburgense, vt vidimus, testatur chronicon. Literas quoque, quas per eos quidam nobis principes destinarunt, diligentius perlegi fecimus, & quæ continebantur, in eis notauimus vniuersa: inter cætera verò, quæ dicti principes per easdem nobis literas intimarunt, hac præcipuè obiectione sunt vsi dicentes, quod venerabilis frater noster Prænestinus episcopus, Apostolicæ sedis legatus, aut electoris gessit, aut cognitoris personam. Si electoris, in alienam messem miserat falcem suam, & electioni se ingerens, principum derogauerat dignitati. Si cognitoris, absente altera partium videtur perperam processisse, cùm citata non fuerit, & ideo non debuit contumax iudicari. Verùm nos, qui

b Inn. tod. eod. ep. 61.

Germanorum principū Philippo fauētium querelæ refutantur.

qui secundùm Apostolicæ seruitutis officium, sumus singulis in iustitia debitores, sicut iustitiam nostram ab alijs nolumus vsurpari, sic ius principum nobis nolumus vendicare, vnde illis principibus ius, & potestatem eligendi Regem in Imperatorem postmodum promouendum recognoscimus, vt debemus, ad quos de iure, ac antiqua consuetudine noscitur pertinere; præsertim cùm ad eos ius & potestas huiusmodi ab Apostolica sede prouenerit, quæ Romanum Imperium in personam magnifici Caroli a Græcis transtulit in Germanos, sed & principes recognoscere debent, & vtique recognoscunt, quod ius, & auctoritas examinandi personam electam in Regem, & promouendi eam ad Imperium ad nos spectat, qui eam inungimus, consecramus, & coronamus. Est enim regulariter, & generaliter obseruatum, vt ad eum examinatio personæ pertineat, ad quem impositio manus spectat. Nunquid enim, si principes non solùm in discordia, sed etiam in concordia sacrilegum quemcunque, vel excommunicatum in Regem, tyrannum, vel fatuum hæreticum eligerent, aut paganum, nos inungere, consecrare, ac coronare hominem huiusmodi debemus? absit omnino. Obiectioni ergo principum respondentes asserimus, & adijcimus, quod legatus noster episcopus Prænestinus, nec electoris gessit personam, iuxta quod nobis per literas suas, quidam principum opponebant, vtpotè qui nec fecit aliquem eligi, nec elegit, & sic electioni se nequaquam ingessit; nec cognitoris personam exhibuit, cùm neutrius electionem, quoad factum eligentium, confirmandam duxerit, aut etiam infirmandam, & sic ius sibi principum nullatenus vsurparit, aut venerit contra illud. Exercuit autem denunciatoris officium, quia personam ducis eiusdem denunciauit indignam, & personam regis ipsius denunciauit idoneam, quoad Imperium obtinendum, non tam propter studia eligentium, quàm propter merita electorum, quamuis plures ex illis, qui eligendi Regem in Imperatorem promouendum, de iure, ac consuetudine obtinent potestatem consensisse: dicantur in ipsum Regem Othonem, & ex eo quod fautores Ph. absentibus alijs, & * contemptis ipsum eligere præsumpserunt, patet eos perperam processisse, cùm explorati sit iuris, quod electioni plus consensus vnius, quàm contradictio multorum obsistat. Vnde quia priuilegium meruerunt amittere, qui permissa sibi abusi sunt potestate, videri non immeritò potest, quod iniuria huiusmodi non obstante cæteri vti potuerunt iure suo, & quoniam dux prædictus nec vbi debuit, nec a quo debuit coronam, & vnctionem accepit, memoratus verò Rex, & vbi debuit, videlicet Aquisgrani, & a quo debuit, scilicet a venerabili fratre nostro Coloniensi archiepiscopo recepit vtrumque, nos vtique, non Philippum, sed Othonem reputamus, & nominamus Regem, iustitia exigente, in reprobatione verò præfati Philippi ducis Sueuiæ propter manifesta impedimenta personæ, non accusatione, sed condemnatione potius fuit opus, quia non accusatione, sed condemnatione indigent manifesta.

*contemptus

24 Quod autem in electione vota principum diuiduntur, post admonitionem, & expectationem alteri partium fauere possimus, maximè postquam a nobis vnctio, & consecratio, & coronatio postulantur, sicut vtraque pars a nobis multoties postulauit, ex iure patet pariter, & exemplo. Nunquid enim si principes admoniti & expectati, vel si non potuerint, vel noluerint conuenire, Apostolica sedes aduocato, & defensore carebit, eorumque culpa ipsi redundabit in pœnam? Sciunt autem principes, & tua nobilitas non ignorat, quod cùm Lotharius, & Conradus in discordia fuissent electi, Romanus Pontifex Lotharium coronauit, & Imperium obtinuit coronatus, eodem Conrado tunc demum ad eius gratiam redeunte. Nos ergo per nuncios principum memoratorum eos duximus cōmonendos, vt sicut nos a iuris ipsorum cessamus iniuria, sic ipsi contra ius nostrum se nequaquam iniuriosos ostendant, sed a duce præfato, iusto quidem a nobis iudicio reprobato recedant, & præfato Regi Othoni non abnuant adhærere, nisi tunc demum contra personam, vel factum legitimum quid ab eis obiectum fuerit, & ostensum: sunt enim notoria impedimenta ducis Sueuiæ, scilicet excommunicatio publica, periurium manifestum, & persecutio diuulgata, quam progenitores eius, & ipse præsumpserunt in Apostolicam sedem, & alias ecclesias exercere.] Repetit, quæ in hanc sententiam ex eodem Pontifice recitauimus. deinde sic pergit: Vtrum verò dictum iuramentum licitum fuit, an illicitum, & ideo seruandum, an non seruandum extiterit, nemo sanæ mentis ignorat ad nostrum iudicium pertinere. Quod autem Philippus de genere persecutorum existat, principes non credimus dubitare, cum Henricus, &c.] graues principum Sueuorum in Ecclesiam persecutiones recenset, quas omnibus notas esse ait. addit infra: Insuper si supradictus dux, quod absit, Imperium obtineret, libertas principum in electione periret, & Imperij obtinendi de cætero cæteris fiducia tolleretur. Nam si prout olim Fridericus Conrado, & Henricus postmodum Friderico, sic nunc, vel Fridericus Philippo, vel Philippus Henrico succederet, videretur Imperium non ex electione, sed ex successione deberi. Præterea cùm multi principum ex Imperio æquè sint nobiles, & potentes, in eorum præiudicium redundatet, si non nisi de domo ducum Sueuiæ videretur aliquis ad Imperium assumendus. Cùm ergò nos flecti a nostro proposito nulla penitus occasione possimus, sed in eo potius firmissimè persistamus, & tu nobis sæpe per literas tuas duxeris suggerendum, vt eidem duci nullatenus faueremus, nobilitatem tuam monemus, & exhortamur in Domino, & per Apostolica scripta mandamus, quatenus sicut de gratia nostra confidis, & nos de tua deuotione speramus de cætero, a præfato duce Philippo recedas omnino, non obstante iuramento, si quod ei ratione regni fecisti, cùm eo quantum ad Imperium obtinendum reprobato iuramentum huiusmodi non debeat obseruari. Prædicto verò Regi Othoni, quem nos, concedente Domino, ad coronam Imperij disponimus euocare, patenter adhæreas, & potenter, vt cùm ei ad commonitionem nostram adhæseris, inter primos gratiam, & beneuolentiam eius obtinere præcipuè merearis, ad quod nos pro tuæ nobilitatis amore dab mus operam efficacem. *Datum Laterani.*] Huc vsque Innocentius Papa, deque his omnibus Othonem a fecit certiorem. Aduersabatur etiam Othoni Francorum Rex, cum quo inimicitias gerebat, sibique imminens periculum disijcere studebat. Quare Sueuum in gratiam Innocentij adducere conabatur, deque Pontifice, quod etiam ante vidimus, ob defensas, auctasque Othonis partes querebatur.

a ib. ep. 64.

Sanctissimo patri, & domino Dei gratia summo Pontifici Philippus eadem gratia Francorum Rex salutem, & tam debitam, quàm deuotam in Christo reuerentiam.

25 Miramur plurimum ex eo, quod vos Regem Othonem, b qui sicut vestra nouit paternitas, minus legitimè electus est, tam per nuncios, quàm per legatos vestros modis omnibus in Imperatorem nitimini promouere, præsertim cùm ipse, & omne

b ib. ep. 62.

omne genus suum regno Francorum manifesti semper extiterint inimici. Præterea mirandum est, quod cùm pluries nobis per literas vestras mandaueritis, quod vos & honorem nostrum, necnon & regni nostri proficuum plurimum affectetis, vos hominem, & eius sequaces nobis, & nostro regno inimicos super caput nostrum nitimini imponere, & in Imperium promouere, quamuis regnum Francorum id erga sanctitatem vestram, vel Ecclesiam Romanam nunquam meruerit. Veruntamen vestra noscat sanctitas, quod huiusmodi promotio, quam non considerata ratione intenditis facere, non tantùm in iniuriam regni Francorum; verùm etiam in omnium Regum catholicorum ignominiam noscitur redundare. Præterea grauamina, quæ vos nobis irrogastis, æquanimiter sustinuimus; ista verò, quæ ad detrimentum nostri, & regni nostri exheredationem manifestè imminere videmus, nullatenus pateremur. Quod si in huiusmodi proposito vestro volueritis perseuerare, nos ad id competens consilium pro loco, & tempore conabimur adhibere. Insuper multoties vobis mandauimus, & adhuc mandamus, quod si fortè de Rege Philippo timetis, ne aliquid contra Romanam Ecclesiam velit in posterum machinari, si ipsum in Imperatorem contigerit promoueri, sciatis, quod nos de nobis, & de ipso, & pro ipso vobis competentem cautionem super istis parati sumus præstare, quod si nostro consilio super ijs nollet acquiescere, auxilium nostrum, & consilium eidem Philippo penitus denegaremus; immo potius ei nocumentum inferremus. Super prædictis autem charissimo consanguineo nostro marchioni Montisferrati ex parte nostra indubitanter credatis.] Gallias enim in periculum adduci pertimescebat.

26 Graues erant Francorum Regis querelæ, vtque euentus docuit, iustissimæ, ingruenti verò malo mederi se arbitrabatur Innocentius, si vtrumque principem arctiori amicitiæ fœdere coniungeret, atque odia diligentia sua extingueret: quare ab Othone, antequam ipsius electionem approbaret, legatorum opera exegit, vt iureiurando se deuinciret ex consilio, ac sententia Pontificis pacem cum Francorum Rege initurum, redditisque Philippo Franco literis a, quid pro Galliarum fouenda pace egisset cum Othone, certiorem fecit, vtque cum ipso fœdus coiret, est adhortatus.

a lib. ep. 63

Philippo illustri Regi Francorum.

Miramur non modicum, & turbamur, quòd vnquam de nobis regia serenitas cogitauit, quod super caput eius, & regni Francorum vellemus imponere hominem inimicum, cùm quantumcunque charissimum in Christo filium nostrum illustrem Regem Othonem in Romanorum Imperatorem electum in Domino diligamus, quantumcunq; ad exaltationem intendamus Imperij, plus tamen circa te nostræ vigeat dilectionis affectus, & incrementum regni Francorum ardentius affectemus, maximè te regnante, quem scimus in deuotione sedis Apostolicæ solidatum, vtporè in qua illustris memoriæ Ludouico Regi Francorum patri tuo hereditario iure velut in regno succedas; vnde inter cæteros Reges catholicos, & principes Christianos serenitatem tuam prærogatiua dilectionis amplectimur, & ad ea quæ honorem tuum, & incrementum regni Francorum respiciunt, propensius aspiramus, vtporè in cuius exaltatione exaltari credimus Apostolicam sedem, & in cuius depressione, quod absit, ipsam deprimi crederemus. Quod autem personam nobilis viri Philippi ducis Sueuiæ reprobandam duximus quoad Imperium obtinendum, regalis excellentia non miretur, cum impedimenta eidem obstantia sint quasi omnibus manifesta, & nulla possint rerguiersatione celari, videlicet excommunicatio publica, periurium manifestum, & persecutio diuulgata, quam progenitores eius, & ipse præsumpserunt in Apostolicam sedem, & alias ecclesias exercere: fuit enim, &c. In eundem modum, vt in ea, quæ scribitur duci Zaringiæ vsque peruenisse. (Perpendant Christiani principes, quantam rebus suis perniciem afferant, qui Ecclesiæ violant maiestatem, dum se ijs honoribus indignos exhibent, qui a Pontificum auctoritate pendent.) Ipse quoque Philippus degenerare se credens, si minus perperam ageret, quàm egerant patres eius, & eius mensuram in malitia non impleret, in Apostolicæ sedis persecutione suæ promotionis primitias exercauit, dum terra illa, quam pater eius, & frater occupauerant, non contentus, ad aliud patrimonium beati Petri, quod pacificè prædecessores nostri possederant, manus violentas extendit, & ducem Sueuiæ, ac Campaniæ scribere se præsumpsit, asserens, quod vsque ad portas Vrbis, ita quod in trās Tyberim etiā ducatus acceperat potestatem: vnde propter hoc a prædicto prædecessore nostro post frequentem commonitionem fuit excommunicationis sententia innodatus. Qualiter igitur Ecclesiam Romanam defenderet, qui in eius delectatur offensa? qualiter eam tueretur ab alijs, qui a seipso eam noluit esse tutam?

27 Præterea si dux ipse, quod absit, Imperium obtineret, &c. In eundem modum, vt duci Zaringiæ vsque assumendus. Cæterùm regiæ celsitudinis literæ continebant, quod ne quid contra Romanam Ecclesiam Philippus machinaretur, in posterum de te pariter, & de ipso, & pro ipso nobis paratus eras competenti cautione cauere: sed qualiter illius possemus credere cautioni, qui eorum tam moribus, quàm sanguine se exhibet successorem, qui cautiones per seipsos interdum, & per principes suos prædecessoribus nostris aliquando præstitas non seruarunt, nisi fortè cùm opportunitatem non habuere nocendi. Quod autem eidem Regi Othoni fauorem nostrum, & Apostolicæ sedis gratiam præstitimus, & præstamus, ea præcipuè factum noueris ratione, quod cum duo simul Imperatores esse non possint, & reprobato prædicto duce Sueuiæ, per nos creare tertium non possemus, personam Regis eiusdem ad reprimendam reprobati malitiam nos oportuit approbare, tutius reputantes ante tempus occurrere, quàm remedium post causam quærere vulneratam. In approbatione verò, immo ante approbationem Regis ipsius, tam regiæ serenitatis, quàm regni Francorum memores nos noueris extitisse, cùm ab eo tam per scripturam suam, quàm per proprium iuramentum sufficientem recepèrimus cautionem, vt super facto tuo consilijs nostris, & monitis acquiescat. Præterea cum charissimo in Christo filio nostro Ludouico primogenito tuo, qui in regnum tibi, Domino faciente, succedet, proximæ affinitatis vinculo sit astrictus, & multis principibus tam consanguineis, quàm affinibus tuis tum consanguinitate, tum affinitate coniunctus existat, promotionem eius regno Francorum credimus expedire. Nec est de facili præsumendum, quod pro charissimo in Christo filio nostro Ioanne Rege Anglorum illustri celsitudini regiæ aliquando se opponat, cùm in suis necessitatibus eum sibi non senserit adiutorem, quare teneatur eum contra celsitudinem tuam in suis negotijs adiuuare, præsertim ex quo fauore tuo senserit se iuuari. Verùm præter alias cautiones, quas poteris ab illo recipere, Ecclesia Romana tam te, quàm regnum tuum semper faciet ab ipso securum, & ei, si (quod non credimus) malignari fortè præsumpserit, iuxta officij nostri debitum se opponet, vsque adeo enim regni Francorum

corum diligimus libertatem, vt non solummodo contra eum, sed contra omnem hominem, qui illud molestare præsumeret, pro eius immunitate staremus, & eius defenderemus pro viribus dignitatem.

28 Sunt aliæ rationes, quæ serenitatem tuam a fauore Philippi retrahere satis debent, & ad Regis Othonis auxilium inuitare. Nosti enim, quod si Philippus, quod absit, Imperium obtineret, saltem occasione nepotis, cuius curam sibi vellet ratione sanguinis vendicare, regnum Siciliæ occuparet, quod nunc quoque per satellites suos inuadere, sed in vacuum, machinatur; quod si super hoc compleret, quod auertat Dominus, votum suum, cum Imperium ei virorum vires, regnum autem diuitiarum copiam ministraret, in superbiam iam elatus aliud cogitaret, & regnum Francorum sibi disponeret subiugare, sicut olim obtento regno prædicto dispofuerat frater eius Imperator Henricus, affirmans, quod te de cætero ad fidelitatem sibi compelleret exhibendam. Ad audientiam quoque tuam credimus peruenisse, quod serenitati tuæ in Lombardia parauit insidias de vltramarinis partibus redeunti. Cùm ergo Dominus te de manu quærentis tuam animam liberauit, debes totis viribus præcauere, ne te in priorem necessitatem inducas, neue frustra concris reddere tigridem mansuetam: vnde tutius credimus, vt eum cadere patiaris, qui si staret, statui tuo proposito fratrum non immemor inuideret, & alieno eum ictu prosternas, vel saltem prosterni permittas, quem, si subsisteret, & Imperij monarchiam obtineret, non posses sine multo grauamine sustinere.

29 Potes autem per Regem Othonem, & hostem illum deijcere, & ab eo nunc talia obtinere, quæ non posses ab ipso, postquam plenius inualesceret, impetrare. Vnde festinatione credimus opus esse, cùm ad promotionem eius via sit paratissima, & aperta. Ad hoc serenitatem tuam nolumus ignorare, quod super Imperij Romani negotio quicquid nobiscum fecerit & pro nobis, ratum permanebit, & firmum: si quid autem faceret, & maximè contra nos, quam vtilitatem, & stabilitatem posset habere, circumspectio regalis aduertat. Præterea sicut damnosum reputares & graue, si Romanus Pontifex contra regnum Francorum cuiq; & maximè Imperatori faueret, ita graue nobis existeret, & molestum, si Rex Francorum cuique contra Romanam Ecclesiam, præsertim super Imperio Romano faueret. Absit igitur, vt vel regnum Francorum deserát vnquam Romanam Ecclesiam, vel Ecclesia Romana desit vnquam regno Francorum, &c. *Dat. Lateran.*]

30 Piè erant ac prudentissimè agitata Pontificis consilia, quæ Otho postea perfidia sua confudit, cùm non modò cum Philippo pacem, vti iurarat, colere respnit, sed etiam alia quoq; sacramenta Innocentio data infregit. Reliqua ad Philippum Francorum Regē spectantia prosequamur. Coactum esse Suessionis celeberrimum episcoporum ac doctissimorum virorum concilium, cui Octauianus Ostiensis episcopus Apostolicæ sedis legatus præerat, tradit Rigordus a, atque diebus quindecim præsente Philippo Francorum Rege de ipsius matrimonio vel dissoluendo, confirmandoue magna animorum contentione agitatum, eaque longiore mora tædio affectum Philippum, insalutatis patribus Insburgem Reginam secum abduxisse, & concilio rei nouitate admodum stupore defixo denunciasse, ne amplius tantos excitarent clamores, se Insburgem propriam vxorem agnoscere, nec iam ab ea diuelli vllatenus velle. Recenset idem auctor Philippum excepisse magnificentissimè Parisijs Ioannem Anglorum Regem, quod etiam tradit Parisius b, additque Francorum Regem palatio suo Anglo relicto in alias ædes demigrasse, atque arctissimum, vt videbatur, fœdus astrinxisse; cæteris enim legibus eam addidere, vt si Francorum Rex Anglum lacesseret bello, nobiles viri ad Anglum deficerent; si Anglus Francum peteret, Angliæ proceres ad Francum transuolarent: sed ea concordia parum diu, vt sequenti anno videbimus, tenuit.

a Rigord. in reb. gest. Phil.

b Par. hist. Angl.

31 Percusserat antea aliud fœderis genus cum Philippo Ioannes Anglorum Rex, se Othonem nepotem nulla in re, vt Imperium sibi assereret, adiuturum (malè enim sibi Philippus ab Othone, vt diximus, metuebat) nec inuitus illud Ioannes pepigerat, cùm relicta testamento a Ricchardo fratre Othoni, colore aliquo iustitiæ negare posse arbitraretur. Sed Innocentius, qui Othonis partes contra Philippum Sueuum attollebat, Othonis æquitatem defendendam suscepit, ac primùm precibus apud eum egit a, vt nepotē tueretur & relicta a Ricchardo largiretur: de quo ad Cantuariensem etiam archiepiscopum litteras b dedit, vt Ioannem ad id, quod maximè Anglorum gloriæ vertebatur, adduceret: postea verò cùm eo sacramento Ioannem alligatum accepisset, illud vt iniquum rescidit, conuulsitque.

a Lib. II. Var. ep. 48

b Ib. ep. 59

Cùm charissimus in Christo filius noster Philippus Rex Francorum illustris non potuerit te absoluere a debito, quo teneris inclyto Regi Othoni nepoti tuo in Romanorum Imperatorem electo, quemadmodum nec ipse Rex Otho te posset absoluere a debito, quo teneris præfato Regi Francorum; & ratio dictet & naturæ deposcat, vt auunculus debeat subuenire nepoti, profectò iuramentum, quod eidem Regi Francorum diceris præstitisse, ne videlicet subuenires prænominato Regi nepoti tuo, debet illicitum iudicari. Nos igitur & tuæ saluti, & suæ vtilitati paterna volentes solicitudine prouidere, quia secundùm Prophetam debemus dissoluere colligationes impietatis & fasciculos deprimentes, iuramentum huiusmodi quatùm ad hunc spectat articulum, tam a te, quàm ab ijs, qui per te taliter iurauerunt, decreuimus non seruandum serenitati tua per Apostolica scripta mandantes, quatenus eo penitus non obstante debitum illi subsidium & fauorem impendas.

32 Sed qui parum de electione nepotis sui ad Imperium vocati laborabat, electionibus episcoporum impudenter se ingerebat, atque Angliam ea de causa permiscere cœpit: tradit enim Rogerius ipsum Lincolniam se contulisse pro deligendo illius ecclesiæ episcopo, atque electionis libertatem canonicis adimere voluisse, ex quo plura dissidia emersere.

Nec solùm inter Regem, ac Lincolniensis ecclesiæ clerum post sanctissimi sacerdotis excessum, sed etiam inter Regem ipsum, & Ganfridum fratrē ipsius Eboracensem archiepiscopum exorta dissidia, quod auctor idem refert, additque Honorium Richmundiæ archidiaconum ob sibi illatas ab eodem archiepiscopo iniurias ad Innocentium Papam confugisse, qui ad archiepiscopum scriptis litteris sic eum increpat, ac redarguit: *Quia tantæ præsumptionis excessum incorrectum nec volumus, nec debemus relinquere, tuæ fraternitati per Apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quod taliter, quæ prædicta sunt, corrigas per teipsum, quod aduersum te nos non cogas durius commoueri, qui tolerauimus hactenus temeritatem tuam in multis, alioquin noueris nos venerabili fratri Eliensi episcopo, & dilecto filio abbati de Balthan per scripta nostra præcipiendo mandasse, vt prædictas excommunicationis, & suspensionis, & interdicti sententias taliter a te illatas nullas esse denuncient, & te ad restitutionem eorum, quæ vel a clericis, vel ab ecclesijs archidiaconatus eiusdem, post appellationem ad nos legitimè interpositam, extorsisti, & recompensationem damnorum per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellerent.* Hanc plurésque alias in Honorij causa Innocentij epistolas teci-

Eborac. archiep. a Pontifice increpitus ob censuras iniustè fulminatas.

a Reg. hoc anno.

recitat a Rogerius. Cæterùm eiusmodi dissensiones initia fuere malorum, quæ sanctissimus Hugo Lincolniensis episcopus morti proximus diuino afflatus spiritu, Anglorum Regi, regno, & clero prænunciauerat; cœpit autem iudicium b a domo Dei.

b Auctor eius vita apud Sur. to.6.die 17 nou. super ann. citat.

Diem iudicij imminere concionatores promulgant.

33 Tradit Rogerius eodem anno populos grauiori metu, quasi imminente extremo iudicij die, perfusos cohortuisse, quem terrorem publicum auxere pij magis, quàm prudentes sacri oratores, qui D. Ioannis oracula: *Ego Ioannes vidi Angelum descendentem de cælo, habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua, & apprehendit draconem antiquum, qui est diabolus, & sathanas, & religauit eum per annos mille, & misit eum in abyssum, & clausit, & signauit super eum, vt non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni, & post hæc oportet eum solui modico tempore*; in eum sensum detorquebant, vt dicerent, iam eos mille annos effluxisse, atque argumenta alia ex Christi domini verbis depromebant, quibus inter cætera impendentis mundi finis signa, ingentibus bellis arsurum orbem, ac terræmotibus concutiendum prædixit, quorum plura accidisse expauerant: quod enim ad bella attinet, ijs orbis penè vniuersus conflagrabat: quod verò ad signa, quinque lunæ in cælo noctu fulserant pluribus stellis circumfusæ, de quibus anno superiori diximus: quod ad terræmotus pertinet, maximos hoc ipso anno extitisse antiqui auctores testantur: de ijs enim Longinus c superiori anno hæc habet: *Quinta mensis maij die terramotus in Polonorum regione, vicinisque regnis, & terris, sub meridiano tempore exortus, & frequenti dierum spatio resumptus, pluresque turres, domos, & munitiones attriuit, quæ res raro in Polonia contingens, velut prodigiosa, & apud plerosque in religionem versa videbatur*. Et Fossænouæ chronicon d: *Terramotus grandis*. Consonat Rogerius e: *Quinto idus ianuarij auditus est terramotus magnus in Anglia apud Eboracum, & in finibus eius*. Similia Henricus Stero: f *Terramotus multis terrarum locis factus est magnus, ita vt multas vrbes, & ecclesias destrueret, & mortes hominum fierent: cœpit autem idem terramotus quarto nonas maij*. Hoc ipsum totidem verbis in Augustensi chronico traditur. præterea Matthæus Parisius g hoc literis prodidit: *Hoc anno horrendæ tempestates, tonitrua, coruscationes, grandines, & pluuiarum inundationes, mentes hominum concusserunt, & damna multa in locis plurimis intulerunt*. His igitur, atque id genus alijs illi doctores fortasse permoti, supremum iudicij diem instare, atque imminere denunciarunt; nec ideo exprobrandi, cùm sanctissimi æquè ac doctissimi Ecclesiæ patres ex einsmodi signis idem inferre, prænunciareque consueuerint.

a Hist. Pol. an. 1200. Cromer. eod. ann.

Terræmotus in Polonia.

d Chron. Fossanoua eod. ann.

e Rog. annal. Angl. an. 1201.

f Stero apud Canis. antiq. lect. to. 5. pag. 242.

g Par. Hist. Angl. an. 1201.

h Ann. super.

34 Quoniam verò de signis, ac prodigijs agimus, videamus quæ de Eustachio abbate de Flay, (cuius supra h meminimus) deque admirandis eius rebus enarrat Rogerius. Recenset ergo virum illum pietate, & miraculis conspicuum pro sacra concione promulgasse populis delapsam e cælo epistolam, inuentamque in altari S. Simeonis in monte Golgothæ, lectamque magna religione a patriarcha, adstante populo Christiano, qua ob non seruatum ab hora nona sabbati diem dominicum omnia mala, quibus attriti fuerant, vlciscente numine, in eos redundasse ferebatur, ac longè grauiorum terror, ni resipuissent, incutiebatur. hanc nos prætermittimus, cum apud Rogerium facilè, qui velit, consulere ipsam possit. nullum porro argumentum auctor attulit, quo eam e cælo potius missã, quàm ab aliquo inepto præstigiatore in altari illo ad inijciendam credulis religionem, collocatam argueretur: quam sanè cùm ego discussissem, nec enim cuilibet affirmanti illico fides adhibenda est, monente diuina sapientia a: *Qui credit cito, leuis corde est*; atque Apostolo proclamante b: *Omnia autem probate, quod bonum est, tenete*; fictitiam illam, & ab aliquo impostore subornatam, compositamque existimo. In primis igitur dominici diei obseruandi modus præscriptus latentis fraudis suspicionem mouet. *Volo iterum, vt nemo ab hora nona sabbati vsque ad solem surgentem diei lunæ aliquid operetur, nisi quod bonum est*. Insuetum prorsus, & post hominum memoriam inauditum, vt per literas e cælo missas Christus Ecclesiam instruat: vicarium namque suum in ea constituit, qui vel ex cathedra, vel consultis episcopis in concilijs seruanda decernat. Ipse prætera modus alius ab illo est, quem Christi fidelibus vniuersalis Ecclesia iniungit, cui solemne semper fuit Domini, sponsique sui præcepta non modò vel leuiter non negligere, verùm etiam quàm diligentissimè custodire; cunctisque adhæc suspicionem inijcit insolita, ac in sacris paginis inaudita isthæc iurisiurandi formula, quæ præsertim paucissimis verbis tot, & tanta iuramenta complectatur: *Iuro vobis per sedem meam, & thronum meum, & Cherubim, qui custodiunt sanctam sedem meam*. Et infra: *Iuro vobis per dexteram meam*. Quid de malis intentatis? *Mittam vobis bestias habentes capita leonum, capillos mulierum, caudas camelorum*. hæc enim argumento sunt, illusorem aliquem simpliciorum piæ credulitati imposuisse. Plura alia congereremus, nisi lectori molestiam exhibere vereremur.

a Eccles. 19.

b 1. Thessal. 5.

Fictitia illa epistola apertæ fraudis arguitur.

35 Addit Matthæus Parisius, qui etiam has literas historiæ inseruit: *Cùm autem patriarcha, & clerus omnis terræ sanctæ hunc epistolæ tenorem diligenter examinassent, communi omnium deliberatione decretum est, vt epistola ad iudicium Romani Pontificis trāsmitteretur, quatenus quidquid ipse agendum decreuerit, placeat vniuersis: cumque tandem epistola ad domini Papæ notitiam peruenisset, continuò prædicatores ordinauit, qui per diuersas mundi partes profecti prædicauerunt vbique epistolæ tenorem, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis, inter quos abbas de Flay nomine Eustachius, &c.* Sed ista facili negotio reijci posse videntur, tum ob ea, quæ paulo ante adduximus, tum quia nullus, quod viderimus, horum temporum scriptor de ijs ne verbum quidem fecerit, cùm tamen tantum prodigium iure merito omnium stylo celebrari debuisset. Hæc namque ipsa, quæ affert Parisius, ipsam suspicionem augent. Dolemus huius anni Innocentij regestum, ad quod veluti ad lydium lapidem reuocanda forent, non reperiri.

Id fortasse suspicatus etiam Rogerius, haud firmiter asseuerat, quod postea Parisius, epistolam e cælo missam, sed vt audisti, cautè, & prudenter ait: *Dicebat enim* (Eustachius scilicet) *quod hoc mandatum subscriptum de obseruatione diei dominici, venit de cælo*. Post illud verò recitatum subijcit de Eustachio (quem bona fide id promulgasse non inficias eo) egregiam operam pro erudiendo populo Eboraci collocasse, ad quam vrbem Ioannem Salernitanum tit. S. Stephani in monte Cœlio presbyt. Card. A. S. in Scotia, Hibernia, insulisque adiacentibus legatum accessisse, eumque illum fuisse, qui Cælestino extincto electus cum Lothario suę electioni renuntiarat, licet decem Cardd. ipsum elegissent. *Prædictus verò Ioannes* (inquit Rogerius c) *non manducauit carnem, vinum, & siceram non bibit, nec aliquid quo inebriari potuit, sed aurum, & argentum sitiuit*. Deploranda planè est complurium ecclesiasticorum conditio, qui reliquis superatis

c Rog. hist. Angl.

vitijs, auaritiæ sordibus perliti, insanæ pecuniæ cupiditati, summo aliorum scandalo, suæque animæ detrimento turpissimè succumbunt.

Diuina vltio in superbum blasphemumque doctorem.

36 At longè grauius, atque execrabilius crimen scientia inflati hominis, quod nouo diuinitus repressa est exemplo, vt tradit Matthæus Parisius. Is erat Simon Churnai literis expolitissimus, qui scientiæ suæ opinione adeo omnes imbuerat, vt certatim ad eum audiendum concurreretur: cùm aliquando de rebus theologicis dissereret, ac sententiarum, quas protulerat, maiestate omnes stupore defixisset, rogantibus, vt tam eleganter dicta scriptis mandaret, subiecit se tam facilè, quæ de Christi gloria astruxisset, contrarijs argumentis si vellet euersurum, ac mox diuina vltione perculsus, in amentiam incidit. auctoris enim verba sunt: *Accesserunt quidam ipsius familiariores, & ad discendum auidiores, postulantes a magistro, vt eo dictante quæstiones literis cõmendarent: dixerunt namque indignum esse, & iacturam irrestaurabilem, si memoria tanta scientiæ deperiret; quibus ipse elatus, & maior sibi se, ait oculis subleuatis, temerè solutus in cachinnum: O Iesule, Iesule, quantum in hac quæstione confirmaui legem tuam, & exaltaui, profectò si malignando, & aduersando vellem fortioribus rationibus & argumentis, scirem illam infirmare, & deprimendo improbare, & hoc dicto elinguis penitus obmutuit, non tantum mutus, sed idiota, & ridiculosè infatuatus, nec postea legit, vel determinauit, & factus est in sibilum, & derisum omnibus, qui hoc audierant. Vir igitur intra biennium didicit literas cognoscere, & vltione aliquantulum mitigata, a filio suo quodam diligenter edocente vix potuit pater noster, & symbolum discere, retinere, & balbutiendo pronunciare. Hoc igitur miraculum multorum scholarium suppressit arrogantiam, & iactantiam refrenauit. Hæc vidit magister Nicolaus de Fuly vir magnæ auctoritatis, qui postea episcopus Dunelmensis factus fuit, ex cuius relatu, & certo testimonio hæc literis commendaui, ne vetustas tantum miraculum aboleret, eodem episcopo suadente, & est sermo omni acceptione dignissimus.*

37 His enarratis ad Innocentium Romanum Pontificem redeamus, & quam supra leuiter attigimus, de Diupuldo Ecclesiæ perduelli geminam relatam victoriam spectemus. Primum verò, quæ ad rationem temporis pertinent, diligenter inuestiganda. Sanè vtramque vno, eodemque anno contigisse expressè testatur Fossænouæ chronicon, huius temporis auctor infra afferendus, idemque satis indicant recitanda Innocentij verba. Quod autem altera victoria non ante hunc annum reportata sit, docent eiusdem Pontificis gesta, dum post datas literas quinto nonas iulij, pontificatus anno quarto recensent, ac statuunt acta; quod verò hoc anno reddita ostendit ab eodem Pontifice epistola Prænestino episcopo S. R. E. Cardinali, & Apostolicæ sedis in Germaniæ partibus legato, eiusque socijs, postquam illi de confirmatione Othonis, & alijs, quæ ibi gesserant, ipsum hoc item anno certiorem fecere: si autem superiori anno obrigissent, nó sub erat ratio cur de ijs eos admoneret Innocentius, cùm enim hoc anno, vt vidimus, sint in Germaniam missi, tanta hæc, ipsos minimè latere antea potuissent. Memoria igitur lapsus videtur Fossænouæ chronici auctor, qui huius anni gesta ad superiorem præposuerit, frequens in scriptoribus error, & tolerabilis, si interdum apud quantumuis accuratos reperiatur, cum facillimum sit labilem mortalium memoriam in habenda annorum ratione quandoque hallucinari. atque hactenus de tempore. iam optatissimam narrationem aggrediamur. Recenset igitur auctor Gualterium comitem Brenensem collectis exiguis quidem, sed strenuissimis turmis e Gallijs transilijsse in Italiam, ac temerarium a plerisque existimatum, Innocentium verò misertum eius inopiæ, quingentas auri vncias contulisse, vt milites cogeret, cùm hostes arces munitissimas tenerent, ac literas ad Siculos dedisse, vt ipsum exciperent, illumque ijs succinctum copijs, quamuis Diupuldus maximum, vt ipsi se opponeret, exercitum comparasset, intrepidè regnum ingressum, receptum a Theanensibus, & circa Capuam venientem Diupuldum numerosissimo stipatum exercitu profligasse, cui Ricchardus a consentit, additque Celani comitem virtutis illius admiratione percussum cum eo fœdus pepigisse. Subiungit Innocentij gestorum auctor de incusso hostibus metu: *Cecidit terror eius in omnes, qui suam, & suorum virtutem, & fortitudinem audiebant; compressisque Theutonicis, qui ante aduentum ipsius per regnum liberè discurrebant, descendit pacificus in Apuliam, & redditæ sunt ei quædam ciuitates, & villæ pertinentes ad principatum Tarentinum; videlicet Mathera, & Hydruntum, Brundusium, aliaque quamplures; obtinuit etiam Melfiam, Barolum, Montem Pilosum, & quasdam alias ciuitates, quæ suæ se custodiæ commiserunt, cœpitque pugnare contra Monopolitanos, & Tarentinos, & quosdam alios, qui dominationem eius recipere noluerunt. Castellanum quoque Licij potenter obtinuit, multaque magnalia potenter exercuit, quæ longum esset per singula enarrare.* Hactenus de prima victoria.

Gualterius Brenensis Romam accedit.

a Ricchar in chron. hoc an.

Cancellarius Siciliæ ob scelera arrogantiamq; sacris eiectus.

38 De secunda verò dicturi afferenda sunt primùm, vt temporis exigit ratio, quæ in rebus gestis Innocentij enarrantur, de Gualterio Troiano episcopo, ac Siculi regni cancellario, aduersus quem Pontifici non parum fuit elaborandum; cùm enim arrogans & contumax homo Apostolicæ sedis admonitiones, comminationesque contemneret, Innocentius Petri exerens gladium, grauiter in ipsum animaduertit, eiusq; intolerandam animi elationem, vt prosequuntur acta, deiecit. Exhaustis ille ac dissipatis Siciliæ opibus in Calabriam & Apuliam traiecerat, atque ad conflandas pecunias spoliauit ecclesias omni auro, argẽtoque, siue in calicibus, crucibus, thuribulis, vel iconibus constaret; nec minori feritate pecunias a populis corraserat, quæ omnia postea inanibus largitionibus consumpsit, nec destitit vocare in odiũ Pontificem, aduersus Gualterium coniurationes inire. Quem ita obfirmatũ in scelere, cùm malum impunitate cresceret, Innocentius perculit anathemate, a Panormitana & Troiana ecclesia submouit, atq; omnes, vt a perfido cauere iussit, mox illum ab omnibus contemptũ, qui adeo sui terrorẽ omnibus iniecerat, ait auctor, cumque odio & inuidiæ publicæ pateret, se Diupuldo ac sequacibus cõiunxisse, eoque viso Siculi Regis familiares ipsius sceleris cõscios Friderici nomine Innocentium rogasse, vt cancellarium in gratiam admitteret; cui Pontifex has literas reddidit:

Innoc. liter. ad Frid. ex gestis.

Vtinam puerilibus annis virilem animum Dominus inspiraret, & ætati adhuc teneræ illam sensus infunderet grauitatem, per quam inter fas & nefas discernens, inter fidem & perfidiam iudicares, nec fideles damnares pro perfidis, nec perfidos pro fidelibus exaltares, vtinam non experimenta disceres, sed doctrina, quod in Euangelio legitur: Inimici hominis domestici eius. & quod sapiens protestatur: Nulla pestis efficacior ad nocendum, quàm familiaris inimicus existit. Vtinam intelligeres quod in ætate quondam et nunc etiam tenera constitutum, et vtriusque parentis destitutum solamine, protegendum sedes Apostolica te recepit, et vt manus seruorum, qui contra te coniurauerunt in regno, confringeret extra regnum, radicem pestiferæ arboris visa fuerit amputare, vt venenosi viuæ poculum exsiccaret in fonte, nec in regno etiam tibi deficit manus nostra, immo vos per fratres et milites nostros cohibui-

mus

mus impetus Marcualdi furentis, qui in fideles tuos barbara feritate desæuiens non regni baiulum, vt adulatores tibi aliqui mentiuntur, sed regni dominium nititur sibi per violentiam occupare, te Henrici quondam Imperatoris, et inclytæ recordationis Constantiæ Imperatricis matris tuæ filium esse negans, vt hac occasione tam hos, quàm alios a tuo subsidio reuocaret. Exponit quantos labores pro ipsius tuenda salute adiuerit; deinde valde queritur de regijs ipsis domesticis, qui priuatæ dumtaxat rei studentes prædicto Iacobo Marescallo sine remuneratione dimisso, sub specie pacis, quæ, vt rei monstrauit euentus, proditio potius dicenda erat, Marcualdum anathematis sententia damnatum, iamque deiectum ad Regis exitium erexerant, pluraque addit pro Gualterio comite, eumque de regno optimè meritum ostendit. *Dat. Laterani quinto nonas Iulij Pontificatus anno 4.*

Missus legatus in Apuliam contra Diupuldū.

39 *Misit igitur* (pergunt gesta) *dominus Papa Petrum Portuensem episcopum legatum in Apuliam et terram laboris, præcipiens comitibus et baronibus, castellanis et ciuibus, vt ad mandatum legati cum dicto comite, contra Diupuldum et cancellarium exurgerent vniuersi: qui cùm in Apuliam peruenisset, miser ille solo nomine cancellarius ad præsentiam eius accessit, reconciliari postulans Ecclesiæ vnitati, et præstito corporaliter iuramento, quod pareret vniuersis mandatis Papæ, absolutus est a legato: sed cum mandaret ei, vt non opponeret se comiti Brenensi, respondit, quod si Petrus Apostolus hoc ei præcepisset, missus ab ipso Christo, mandato huiusmodi non pareret, etiamsi sciret, quod propter hoc deberet in inferno damnari, et ponens os suum in cælum, cum linguam traheret super terram, publicè coram omnibus summum Pontificem blasphemabat præsente legato; abijtque ad Diupuldum, et congregatis vniuersis, quos poterant congregare, ad pugnandum contra Brenensem comitem iuxta Barolum processerunt.* Hæc nouus Sennacherib, alterque Rabsaces, qui cum illis pariter, vt mox audiemus, magno miraculo prostratus ac depressus est: nam subdit gestorum auctor alteram victoriam describens:

Cancellarij perfidia.

Ipse verò comes erat ibi cum paucis, nam de fidelibus Regis penè nullos secum habebat ibi: Barolitani quoque licet præcedente die legato iurassent, cum aspicerent multitudinem esse cum illis, et paucitatem cum istis, non permiserunt ipsos intrare. Videns itaque comes se constitutum in arcta, cœpit multipliciter anxiari, maximè propter legatum, cui tanquam formidoloso plurimum metuebat. Sed confortatus in Domino prosilijt ad arma cum suis, et benedictione et remissione a legato accepta, cùm idem legatus maledixisset hostibus in nomine Domini, comes alta voce S. Petrum inuocans adiutorem processit ad pugnam, et cùm acriter dimicare cœpissent, aduersarij terga verterunt, et in fugam conuersi singuli, prout poterant, declinabant, ex quibus multi sunt capti, plures sunt cæsi, plurimi etiam in stagnis, et paludibus suffocati. Videbant enim plerique crucem auream splendidissimam ante comitem miraculosè deferri, fuitque tanta victoria, vt prima quasi nulla videretur respectu secundæ. Nam inter alios captus est Siffredus frater Diupuldi, et Oddo de Lauiano, qui sanctæ memoriæ Albertum Leodiensem episcopum interfecerant, Petrus de Venere sororius cancellarij, et magister Gerardus Salernitanus intrusus, multique alij nobiles & potentes. Magnificatus est erga comes & clarificatus in regno, hostes autem humiliati sunt & oppressi, comes verò Gentilis recepta pecunia, sicut publicè dicebatur, turrem ad mare tradidit Marcualdo, abijtque Messanam. Hactenus vitæ Innocentij scriptor. Similia Fossæ nouæ chronici auctor, qui cùm asserat Gualterium & Rogerium Apuliæ Cardinalem cùm Gualterio Diupuldum fuisse aggressos, affirmandum videtur duos eidem duci astitisse S.R.E. Cardinales, nisi ipsum auctorem hîc etiam hallucinatum affirmemus. Immo dictum etiam Rosfridum abbatem Cassinensem legationis onus cum Petro [a] Galloze Portuensi episcopo obijsse affirmat Ricchardus [a] eandem victoriam prosecutus: quamuis in sequentem annum conijciat.

Comitis Brenensis insignis victoria.

Ante pugnantem aurea crux ferri visa.

[a] Galone

a Ricch. in notar. in chron. anno seq.

40 De vtraque demum victoria Innocentius Papa ad prædictum Cardinalem in Germania legatum, sociosque hoc eodem anno Anagniæ cùm esset, ita scripsisse reperitur [b]: *Pro certo noueritis, quòd nobilis vir [a] Vvalterus comes Brenensis cum alijs fidelibus nostris de perfido Diupuldo, & Marcualdo fautoribus iam secundò mirabiliter faciente Domino triumphauit. Primò in terra laboris, & in Apulia consequenter, & præter strages hominum, hostium spolia, & recuperationes terrarum, multos cepit, & magnos tam Theutonicos, quàm Latinos, ex quibus duos, quos tenet, exprimimus nominatim, Siffridum videlicet Diupuldi germanum, & Oddonem de Lauiano, qui sanctæ memoriæ Al. Leodiensem episcopum interfecit. Et cùm iam quasi totum regnum citra Pharum nostræ pareat voluntati, comes ipse de mandato nostro contra Marcualdum triumphaturus auctore Domino in Siciliam transfretabit.* Eadem repetit in epistola sequenti anno ad Siculos data [c]. Denique de Gualterio adijciunt Pontificis gesta: *Vt autem dominus Papa maiorem impenderet comiti Brenensi fauorem, nobilem virum Iacobum consobrinum, & marescallum suum in Apuliam destinauerat, constituens eos pariter magistros iustitiarios Apuliæ, ac terræ laboris, fecitque sibi castrum Baroli ad custodiam assignari, & reddi montem Pirasum, qui ad comitatum Andriæ pertinebat, regia liberalitate concessum, præcipiens comiti memorato, vt ad obtinendum comitatum prædictum impenderet ei auxilium, & fauorem, cùm autem multa agerent prudenter, & potenter, &c.* reliqua infra. Quod verò pertinet ad Marcualdum omnium turbarum auctorem, Philippo Sueuo impulsore, ac fautore, cunctis iam animi tum corporis viribus enitebatur, vt Siciliæ regno potiretur, iniecisserque in regem cruentas manus, nisi Gualterium comitem, quod testantur acta, reformidasset. Quamobrem de Philippo queritur Innocentius, data ad Germanos principes epistola [d], cuius supra meminimus: *Eidem*, inquit, *excommunicato* (nimirum Marcualdo, de quo ipsi sermo) *non solùm communicat, sed eum in malitia sua fouet, & per nuncios, & literas suas exacuit furorem ipsius, vt charissimum in Christo filium nostrum Fridericum Siciliæ Regem illustrem nepotem suum, quem iam hereditate paterna priuauit, adhuc priuet possessione materna.* Quomodo autem Marcualdo tyranno e medio sublato Italiæ pax postliminio redierit, proximo anno dicetur. Hoc interim spatio cæteras huius anni Innocentij res gestas prosequamur. Igitur non solùm tranquillitati regni Siculi studuit, sed quietem etiam alijs Italiæ regionibus conciliare satagit. Quapropter data ad Picenates clericos, laicosque vniuersos epistola [e], grauiter increpuit, quòd postquā in Ecclesiæ ditionem adducti essent, adeo exitiales rixas exercerent, cumque Senogalli, Fauentini, & Camertes oppida quædam, & bona ad Romanam Ecclesiam spectantia occupassent, minacibus literis [f], vt fraudata restituerent, imperauit.

Innoc. ad Germanos literæ de relata victoria.

b Innoc. sup. cit. eod. ep. 55.

[a] Gualterus

c Id. lib. 5. ep. 38.

Pontificis opera plura loca comiti Brenensi reddita.

d Inn. cit. eod. ep 33

Inn. queretæ aduersus Philip. Sueuum

e Innoc. l. 5. ep. 46.

f Id. ib. ep. 48. 49. 50.

41 Verùm nil magis Innocentio cordi fuit, quàm vt res Terræ sanctæ promoueret, & laborātibus Christi fidelibus opem afferret, nullumque ob id studium, operam, aut industriam prætermitteret. extant eius literæ [g] nonis februarij Laterani datæ, quibus mandat, vt quinquagesima, quam pro huiusmodi subsidio Præmonstratensi ordini, omnibusque Galliarum abbatijs impetrauerat, Templarijs trāsmittatur, quod

Innoc. curæ profuerunt Terræ sanctæ.

g Id. ibid. ep. 44.

a Regest. ibid. post ep. 44. b Var. hist. Angl. hoc anno.

Prouentuum quadragesima ad id in Anglia decreta.

ad alios plures abbates scripsit a. in eandem porro sententiam hæc breuiter Parisius b: *Circa dies istos ad instantiam Innocentij Papæ data est quadragesima pars redditiuum omnium ecclesiarum ad subueniendum terræ promissionis.* Duæ hac de re eius epistolæ recitantur a Rogerio hoc eodem anno, qui breuiter præfatur: *Interim Innocentius Papa super afflictos pia gerens viscera, in hac forma scripsit ecclesiarum prælatis.*

Innocentius episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus, archiepiscopis, & episcopis per regnum Angliæ constitutis salutem, & Apostolicam benedictionem.

Innoc. hortatur ad Angl. lit. pro succursu ubsidio.

Voluit Dominus in occupatione Hierosolymitanæ prouinciæ punire sic nostros excessus, vt passionis suæ quodammodo mysterium innouando, & pœnitentiæ ianuam, & salutis nobis aditum aperiret: qui enim peccata nostra in corpore suo super lignum pertulit, crucifixus iterum in ligno, ad nostrorum absolutionem criminum se quasi permisit affligi, dũ crucem, in qua salus nostra pependit, & quam proprio sãguine rubricauit, a Sarracenis occupari passus est &c.⌋ Porrò solertissimum Pontificem per alias etiã Christiani orbis regiones literas huiusmodi transmisisse par est credere: verùm, vt diximus, non extat quartum huius anni regestum. Subdit autem Rogerius, Hubertum Cantuariensem archiepiscopum die sancto Bartholomæo Apostolo sacra Londonijs apud Vveitmonasterium cùm esset, omnibus suffraganeis Romani Pontificis ex præscripto mandasse, vt adhibita per diœceses diligenti inquisitione, si quos factum crucis signaculum deposuisse reperissent, ad S. Martini, & beatissimæ Virginis Purificationis proximum festum illud resumere, seseque ad peregrinationem accingere, atque instruere compellerent.

c Reg. ann. Angl. ann. 1201. d Rig. in Phil. Aug. Frãc. Reg. eod. Ann. e Ioan. Mariana de reb. Hisp. l. 11.

Fœdera Francos cruce signatos inter & Venetos inita.

42 Quod autem spectat ad Campaniæ comitem, quem vna cum Flandrensi, & Blesensi comitibus cruce insignitum in prædicta epistola Pontifex meminit; Theobaldus is erat Campanus, & Trecensis comes dictus, quem hoc ipso anno defunctum testantur Rogerius c, Rigordus d, alijque e. de eius obitu, ac successore fit etiam mẽtio in actis Innocentij, dũ de bellico apparatu in Terræ sanctæ subsidium agitur: *Cùm de subuentione Hierosolymitanæ prouinciæ tam in Italia, quam in Gallia ingens fieret apparatus, comites Galliarum cruce signati miserunt nuncios suos in Italiam ad ducem, & populum Venetorum, vt ab eis sibi conducerent nauigia opportuna. Tractatum est igitur inter eos de societate pariter ineunda, et postquam sub certis pactionibus conuenerunt, et communiter est prouisum, vt aliquot in Syriam destinatis, cæteri tenderent in Aegyptum, vt caperent Alexandriam, et finitimas regiones, sicque Terra sancta liberaretur facilius de manibus paganorum: vbi ergo Franci, et Veneti societatem huiusmodi firmauerunt, vtrique simul ad sedem Apostolicam nuncios destinarunt petentes, vt summus Pontifex pactiones inter se factas pro subsidio Terræ sanctæ auctoritate Apostolica confirmaret. Ipse verò quod futurum erat præsagiens, cautè respondit, quod conuentiones illas ita duceret confirmandas, vt videlicet ipsi Christianos non læderent, nisi forsan iter eorum nequiter impedirent, aut alia causa iusta, vel necessaria forsan occurreret, propter quam aliud agere possent, Apostolicæ sedis legati consilio attendentes. Veneti autem confirmationem super hoc tenore recipere noluerunt. Vnde pro certo conuincitur, qualis fuerit eorum intentio per effectum operis postea declarata. Contigit interim, quòd Theobaldus comes Trecensis, qui se ad iter peregrinationis magnificè præparauerat, debitum carnis exoluit. Vnde cæteri comites, et barones consilio Regis Franciæ vocauerunt Bonifacium Marchionem Montisferrati, et eum sibi ducem Christiani exercitus præfecerunt, tradita ei maiori ex parte pecunia,*

Campaniæ comes in apparãda expeditione emoritur.

quam sibi pro subsidio Terræ sanctæ comes memoratus congregauerat.

43 Vrgebat maximè eam expeditionem Innocentius, vt Rogerius testatur, quòd nouum discrimen Terræ sanctæ adire timeretur, cùm Sultanus Damasci nepote eiecto Babyloniam occupasset; ex altera parte rei gerendæ tempus commodum videretur, cùm alij Sarraceni principes ab ipso dissiderẽt, & Deus euersurus Babylonios nonnullis iam editis signis, ac prodigijs crederetur, cuius rei fidem faciunt literæ magistri hospitalis Hierosolymitani ad Angliæ priorem exaratæ. a

a Extant apud Rog. hoc ann.

Innocentius, &c.

Saphadinus e Babylonia nepotem eijcit.

Vestræ fraternitati declaramus, quod ille Christianorum hostis nequissimus Damasci dominus Saphadinus, Babylonis effectus est dominus, quia nepotem suum & alios, quorum successionem timebat, de regno Babylonis vt perfidus, & periurus eiecit. Viget adhuc inter ipsum, & Soldanum Aleph, & plures alios nimia discordia, quæ fine careat, & nunquam decidat, vel arescat. Ipse quoque Saphadinus suis odibilis, & infestus domesticas timet insidias, & in nullo loco tutum se credens (vtpote, qui nepotibus suis proditor extitit, & periurus, quos etiam funditus quotidie exheredare conatur) Babyloniam exire non audet, quæ res nobis hoc anno munimen præstitit, & tutelam: parauerat enim contra nos tumidus, & intolerabilis insilire, & Christianitatis, quæ superfuerant, funditus demoliri reliquias. Percussit etiam Deus virga potentiæ suæ Babylonicas regiones in flumine illo paradisi, quod agros hostium irrigabat, ne flueret, nec anno præterito fluctus emisit, propter quod in fame pereunt, & eorum animalia perdiderunt, nec plures eorum veriti sunt, pater filium vendere, diues pauperem, potens debilem, vt sic vitam suam a fame conseruent, quam siccitatem fluminis, si non fluxerit, futuram timent. Hoc etiam quisquis excogitet sapiens, quod si flumen nutu Dei præsenti anno non fluxerit, arua non irrigauerit, in magno discrimine vitæ suæ erunt, quorum iam infinita multitudo necessitate compulsa, & famis austeritate terram nostram, sicut locustarum agmina, repleuit pro sustinendis corporibus suis: vbi quidam terras Ecclesiæ moliuntur, quidam more bestiarum siluestribus herbis vescuntur, quidam fame necati per loca siluestria miratiuè reperiuntur vermibus, & auibus comedendi.

Euphrate arescente Babylonij fame pressi.

Nos igitur in Domino ponentes spem nostram, qui quando vult, prælijs finem ponit. Speramus, quod populo Christiano dat initium miserendi, cùm ipsorum conterit inimicos. Datur etiam gentibus materies admirandi, quod quidam Sarracenus ætate iuuenis, origine vilis, inter pastores a pueritia simpliciter nutritus, de nouo sic omnibus peritus apparet, vt omnes sapientiam eius admirentur, & nomen Iesu Christi publicè prædicat: ita quòd ipsi iam duo millia paganorum, & eo amplius concredentes eius exhortationibus fidem nostram susceperũt, & fonte sacri baptismatis sunt renati, & circumcisionis suæ condolent se sustinuisse dolorem. immenso tamen inimici nostri exultant gaudio, quia nos paucos sciunt, & pecunia pauperes, & armatorum copia sentiunt derelictos, &c.⌋ Subijcit, in maximum discrimen adductæ Terræ sanctæ opem afferat. Si enim ab vno Babylonis, vel Damasci Rege tueri vix se poterat, quid iam existimandum, vbi duorum illorum regnorum vires, & opes coniunctæ fuerunt? *Quibus auditis*, subdit auctor, *dominus Papa Innocentius misit vnum Cardinalem ad Regem Franciæ, et ad Regem Angliæ, postulans subsidium fieri de terris eorum ad subuentionem terræ Hierosolymitanæ, ad cuius mandatum ipsi Reges concesserunt, se daturos ad subuentionem præfatæ terræ quadragesimam partem omnium*

Adolescẽs Sarracenus plures populares ad Christum diuinitus conuertit.

uium

nium redditunm suorum de vno anno; et Rex Angliæ hoc ipsum mandauit fieri de redditibus, et exeaetis, et Vvardis suis Angliæ, et præcepit, vt omnes laici terrarum suarum simili modo quadragesimã partem redditnum suorum darent in eleemosynam ad subuentionem terræ Hierosolymitanæ. Ita Rogerius, qui Galfridi summi in Anglia iustitiæ præfecti Regis recitato imperio, Anglorum annalibus, quos accuratissimè conscripsit, finem imponit.

Rogerius hoc anno historiam absoluit.

IESV CHRISTI
Annus 1202.

INNOCENTII PP. III. annus 5. | VACAT IMP. OCCID. 5. ALEXII ANGELI IMP. 8.

1 Millesimus ducentesimus secundus Redemptoris annus exoritur, indictione quinta notatus, quo meritò diuinum illud Sapientiæ oraculum occini potest: *Bonorum laborum gloriosus est fructus* [a]. etenim post immensos ab Innocentio Romano Pontifice ad Marcualdi impetus propulsandos exantlatos labores, maximo Romanæ Ecclesiæ, atque Italiæ commodo nefandissimus, infensissimusque tyrannus diuina vltione e medio tollitur: cuius antequam infelicem interitum recenseamus, de ijs Innocentij laboribus dicendum, quos fuisse grauissimos eius epistolæ declarant. In primis enim ad Pisanos rescribit [b] quarto non. martij, sinceram fidem ab ipsis per literas ostensam, verùm haud sibi integrè fecisse satis, qui suos e Sicilia non reuocassent, ne Marcualdo opitularentur: quapropter imperat, vt eos inde auocent, ne vlla ratione tyranno fauerent. Præterea ad vniuersos Siculos missis literis præcepit, vt comiti Brenensi Gualterio, quem in Marcualdum [c] eò destinarat, fidem, dexteramque porrigerent. At præstat Pontificem ipsum hæc, aliaque prudentissimè decernentem audire.

a Sap. 3.

b Innoc. l. 5 ep. 4.

c ib. ep. 45

Innoc. Siculos comiti Brenensi contra Marc. fauere iubet.

Innocentius, etc.

Recepimus ab eodem comite super crucem, & euangelia publicè iuramentum, quod nec per se, nec per alium quicquam contra personam, vel coronam regiam attentabit, sed potius hostes Regis, & regni, nominatim autem Marcualdum, Diupuldum, & fratrem ipsius Oddonem de Lauian. & eius germanum viriliter impugnabit, quod ipse fideliter executus bis, concedente Domino, mirabiliter obtinuit de Dinbuldo triumphum, & prostratis multis ex fautoribus eius Oddon. de Lauiana, & Sa. Diupuldi germanum cum quibusdam alijs adhuc detinet vinculis alligatos. Volentes igitur per eum Regi, & regno plenius subuenire, ipsum contra Marcualdum in Siciliam destinamus, sperantes in Domino, quod desideratam de ipso victoriam citius assequetur. Licet autem vsque adeo in obsequio Regis, & regni iam eluceat fides eius, vt de puritate intentionis ipsius nullus penitus debeat dubitare, vt tamen omnis penitus suspicio sopiatur, dilectum filium R. tituli sanctorum Marcellini, & Petri presbyterum Cardinalem Apostolicæ sedis legatum, & nobilem virum Iacobum consobrinum, & marescallum nostrum in Siciliam duximus dirigendos, concessa eis plenaria potestate, vt gerant in illis partibus vices nostras, & personam regiam, si de Marcualdi manu fuerit liberata, faciant per familiares regios fideliter custodiri. Comiti etiam dedimus in mandatis, vt procedat iuxta dispositionem eorum, & ipsorum statutis humiliter acquiescat, &c.] *Dat. Lat.*

Laudes comitis Brenensis

2 Hactenus Innocentij literæ, quas post alias mense maio datas exhibet huius anni regestum. quæ verò his adnectuntur [d], ad Petrum episcopum regium familiarem, ac Panormitanum archiepiscopum designatum scriptæ sunt, vbi Innocentius commendata eius fide, & opera, quam strenuè in Siculi regni causa explicuerat, adeo vt exilium defectioni prætulisset, Gualterij comitis accessu consolatur, atque Sarracenis ex ipsius sententia se scripsisse affirmat. Deinde verò 13. Kalend. octobris Velitris cùm esset, Gualterio comiti, & Apuliæ, Campaniæque præsidi hanc epistolam misit: [a]

d ib. ep. 39.

a ib. ep. 84

Innocentius, &c.

Hoc est consilium, & beneplacitum nostrum, quod tibi sub obtentu gratiæ nostræ mandamus, vt quia tibi locus offertur, & tempus, & tam vrgens necessitas, quam euidens vtilitas hoc requirit, omni excusatione cessante, festines in Siciliam proficisci contra perfidum Marcualdum, qui procul dubio te non expectabit in campo, sed in aliquo recludetur castello, sicque de facili totam terram tibi fauentem inuenies, & tam in expensis, quàm alijs tibi, & tuis sufficienter poteris prouidere, tantumque bonum inde proueniet, quantum nec possumus, nec volumus literis explicare. Quòd si fortè non ires, tantum inde malum accideret, quantum omnipotẽs Deus accidere non permittat. Dum ergo te fama præcedit, & succedit fortuna, res non solùm difficiles, sed penè impossibiles aggredi non formides. *Et infra:*

Innoc. comitẽ Brenensem in Siciliam prouolare iubet ad perseq. Marc.

3 In tua præterea ponimus voluntate, vtrum velis dilectum filium nobilem virum Iacobum consobrinum, & marescallum nostrum tecum venire, an ad custodiam terræ in Apuliam remanere (hoc ipsum eadem die Iacobo præcepit [b]) Apud comites etiam, & barones, aliosque fideles, & præcipuè nobiles viros Rogeriũ Theatinum, & Iacobum Tricaricen. comites quibuscunque modis potuimus, studebimus procurare, vt Diubuldum impediant, & impugnent, ne terram tuam possit offendere, vel intrare, tuque per treguas, & alias conuentiones placabiles componere studeas cum adiacentibus, & vicinis, nec timeas pro terra, quam personaliter deseres, quia si oporteret te damnum incurrere ex hac parte, tantò maius erit commodum, quod consequeris ex illa, vt damnum æquanimiter sit commodo postponendum, &c.] *Datum Velletri* 18. *Kal. octob.*

b ibid. ep. 55.

4 Verùm, vt scriptum est [c]: *Manus Domini pugnabunt pro eo, & adiutor illius contra aduersarios eius erit.* Dum enim ab Innocentio Papa hæc decernuntur, pro eo Deus, sæuo, ac formidoloso Ecclesiæ, Siciliæque hoste prostrato, pugnam confecit, & Marcualdum non conflatis in eum copijs, non armorum terrore intentato, sed exiguo lapillo peremit, sic enim habent ipsius Pontificis vitæ acta: *Marcualdus verò Panormum obtinuit, & tam palatium, quam Regem in suam potestatem recepit, vniuersam penè Siciliam præter Messanam sua subiugans ditioni, misissetque manum in puerum, & vsurpasset sibi coronam, nisi præfatum comitem timuisset* (nimirùm Gualterium, de quo paulo ante dicebamus) *ad quem Rege defuncto regnum hereditario iure, ratione coniugis* (erat enim Tancredi olim Regis filia) *perueniisset, ideoque multifariàm, multisque modis, & apud eundem dominum Papam, & apud eundem dominum comitem cœpit agere, vt accepta pecunia regnum exiret: quod cùm obtinere non posset, tempus opportunius obseruabat. Verùm ille, qui non dimittit virgam peccatorum super sortem iustorum, incepit per se ipsum, ne daret gloriam suam alteri, perfidum grauiter flagellare, quia cùm iam dudum calculosus fuisset, cœpit ex tunc de vitio lapidis tã vehementer affligi, vt præ nimijs doloribus ingentes clamores emittens, irremediabilibus cruciatibus torqueretur, & cùm non posset aliter vehementiam ægritudinis sustinere, secari, vel incidi se fecit: sed subitò miseram animam exhalauit.* Hactenus gesta.

c Deut. 33

Marcual. Siciliã Regemq. in suam potestatem redegit.

Cur Regem e medio non sustulerit.

Marcual. in ipsa vesicæ ob calculum sectione moritur.

5 Hoc verò inter beneficia maxima cælitùs sibi con-

concessa cùm recenseret Innocentius, debitas Deo gratias lætus retulit, atque Montis Regalis archiepiscopo, & Petro episcopo Panormitano Antistiti renuntiato Regis familiaribus triumphales literas dedit.

Innocentius, &c.

Innoc. gratulatoriæ ob sublatum hostē literæ.

a Lib. 5. ep. 89.

Benedictus Deus a, & pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui post nubilum fecit serenum, & post lacrymationem & fletum, gaudium & exultationem induxit, qui non dereliquit virgam peccatoris super sortem iustorum, sed causam vestram discreuit a gente non sancta, & eripuit vos ab homine iniquo pariter & doloso, qui non posuit Deum adiutorem sibi, sed in sua præualuit vanitate: vt omnipotens Deus vos, aliosque fideles tanquam aurum in fornace probaret, quatenus probatio vestræ fidei multo preciosior esset auro, quod per ignem probatur, similis grano synapis, quod quantò plus tunditur, tantò fortiùs inardescit, vnde flagellato tandem miserabiliter pestilentiæ viro, qui iusto iudicio dies suos finiuit in malū, nunc fidei vestræ synceritas inuenitur in laudem, & gloriam & honorem. Licet enim ad tempus propter nubis obiectum solis radius non illuxerit, ex quo tamen nubes euanuit, splendor ipsius gratiùs elucescet: & vos, qui non curuastis genua vestra coram Baal, postquam nefandæ memoriæ Marcualdus interiuit, quæ vestræ circa nos voluntatis impediebat effectum, ea tam vigili studio, quàm studiosa vigilantia studebitis operari, quæ ad Apostolicæ sedis honorem, & regiæ personæ salutem, totiusque regni commodum magnificè redundabunt &c.] *Dat. Velletri* VIII. *Kal. octob.*

Idem de interitu Marcualdi hoc eodem anno ad Coloniensem archiepiscopum literis infra ex parte reddendis significauit. *Marcualdo extincto Guillelmus*, ait vitæ Innocentij anonymus scriptor, *Panormum, palatium ac Regem in sua potestate recepit, & ex tunc se Regis custodem, & magistrum capitaneum Siciliæ appellauit: quidam verò de complicibus nefandæ memoriæ Marcualdi hoc indignè ferentes, se in partem alteram statuerunt. Cancellarius autem* (Gualterius scilicet Troianus olim episcopus) *opportunum sibi tempus aduenisse existimans, per iuratoriam cautionem, quod mandatis Apostolicis per omnia obediret, absolutionis beneficium impetrauit*, hoc quoque testantur Innocentij ad ipsum literæ b proximo anno afferendæ, *regressusque in Siciliam, & adiungens se alteri parti aduersus Capparonem agebat, misitque nuncios & literas domino Papæ, vt legatum in Siciliam destinaret, &c.* Sed de legatione illuc a Pontifice missa infra suo loco post sequentem annum dicetur.

b Inn. l. 6. ep. 71.

Aragoniæ Rex de nuptijs Friderici inter sororemq; suā conciliandis agit.

c Inn. l. 5. ep. 51.

6 Interim antequam Siculis rebus finem imponamus, haud taciti prætermittemus, Innocentium ab Aragoniæ Rege, eiusque matre literas ac nuncium accepisse, ad nuptias inter eiusdem Regis sororem, & Fridericum Siculum Regem ineundas: id enim Innocentius ad Iacobum consobrinum suum per literas testatur c, vbi etiam quid in hoc negotio egerit, sic aperit, eisdem nimirum Siciliæ Regis familiaribus:

Per Apostolica scripta mandauimus, vt super hoc tam intra se, quàm tecum, & cum dilecto filio Rofrido tituli sanctorum Marcellini & Petri presbyt. Card. Cassinen. abbate Apostolicæ sedis legato consilium communicent, & quod ad consummationem huius negotij statuerint, nobis significare procurent, idoneos nuncios super prædictis omnibus sufficienter instructis per sedem Apostolicam destinantes, vt cum nuncio nostro, quem propter hoc destinare proponimus ad Regem, & Reginam Aragonen. accedant, & sponsalia contrahere non postponant, cæterasque perficiant, quæ super hoc fuerint consummanda. Ideoque discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus familiaribus ipsis studeas suadere, vti ad huius negotij consummationem intendant, & tu ipse ad id des operam efficacem. Dat. Lateran. non. iunij. Vt verò eiusmodi sint firmata sponsalia, ab eodem Pontifice infra audiemus.

7 Sed qui tot curas pro tuendo puero regio suæ fidei a matre commisso consumebat, longè maiores pro Ecclesia suæ a Christo solicitudini commendata probè regenda, restituendoque illius splendore collocabat. Cùm ergo religiosam disciplinam plerisque in locis defloruisse summo dolore intueretur, reuocare illam sategit: contulit etiam se ad Sublacense monasterium, vt religiosis salubres & pias leges diceret, vt primum sanctitatis florem recuperarēt a, inter quas ea est: *Quod si proprietas apud quemquam inuenta fuerit in morte, ipsa cum eo in signum perditionis extra monasterium in sterquilinio subterretur, secundum quod B. Gregorius in dialogo narrat se fecisse.* Qua lege rei habēdæ cupiditatem, quę euertere monasteria consueuit, funditus sustulit, ac post multa adiecit: *Nec æstimet abbas quod super habenda proprietate possit cum aliquo monacho dispensare, quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeo est annexa regulæ monachali, vt contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Cùm verò ex his postremis Innocentij verbis: *Quia abdicatio, &c.* maxima illa controuersia inter auctores b cum theologos, tum canonistas exorta, num solemne castitatis votum per religionis professionem emissum relaxari possit, placet communior sententia, qua asseritur, Romanum Pontificem id posse, cùm nulla ratio afferatur, quæ contrarium conuincat, sine sufficienti autem ratione aliquid auctoritati Ecclesiæ derogare integrum non videtur. Loquitur autem hoc loco Innocentius de monacho, qui in communis & regularis vitæ obseruantia triplici voto obstrictus maneat. Cæterùm potest quis ex tali monacho, vt aiunt, non monachus euadere, & tum ad nuptias ei conuolare licebit. Cùm uerò plurimi abbates, priores atque alij vitam effrenatam ac sceleratam ducerent, atque episcopis eos corrigere annitentibus, ad sedem Apostolicam prouocassent Innocentius tum A... S. R. E. Cardinali c Veronensi episcopo, tum episcopo Vvigorniensi d, vt posthabitis eiusmodi appellationibus, in eos disciplinæ rigorem exercerent, prouinciam commisit. Cùmque improbus ille mos induceretur, vt & filij parentibus extinctis in vacantes eorum obitu ecclesias sese nequissimè inferrent atque intruderent, & (quod deterius est) sacerdotia dotis loco filiabus quandoque tribuerentur, vigilantissimus Pontifex Oxoniensi episcopo e ac Romaricensibus abbatissæ f & monialibus, vt tantus abusus omnino tolleretur, in mandatis dedit. Præterea Bisuntino archiepiscopo præcepit, vt laicos, qui clericos ad secularia iudicia trahere conabantur, coërcendos curaret. Eliensi itidem episcopo alijsque in Eboracensem archiepiscopum Anglorum Regis germanum fratrem multorum criminum postulatum inquirendi onus iniungit g: quarto verò idus maij Bituricensi archiepiscopo, alijsque munus imposuerat h, vt de quibusdam ciuibus hæreticæ prauitatis insimulatis inquisitionem exercerent.

a Ib. ep. 82. Habetur c. Cum ad de statu monach.

b Theol. in 4. dist. 38. D. Tho & alij 2. 2. q. 88. ar. 11. Canonist. c. de stat. monac. & summistæ verb. votū.

c Inn. l. 5. ep. 33. 34.

d Ib. ep. 32.

e Id. ibid. ep. 66.

f Id. ibid. ep. 67.

Reprimitur qui clericos ad secularia tribunalia euocarēt.

g Inn. l. 5. ep. 59.

h Ep. 136.

8 Sub eiusdem anni exitu Spalatensi archiepiscopo, atque Ioanni capellano suo præcepit, vt Culini Baui vnà cum asseclis suis hæresis infamia laborantis, regionem lustraret i, eorumque mores, ac fidem diligenter perquirerent, seque ad Henricum Vngariæ Regem ea de re nuper scripsisse, quid verò ab eo respōsi anno MCCIV. acceperit, sic proditū est l:

Innoc. iubet ditionem Culini Bani perlustrari inquirique.

i Ep. 110.

l Apud Inn. l. 7. ep. 212.

Venerabili in Christo patri Innocentio Dei gratia sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici N.... eadem gratia Hung. Dalmat. Ram. Seruiaque Rex salutem, & filialem in omnibus reuerentiam.

Licet

Licet a vniuersi, qui Christianæ fidei religione censentur sacrosanctam Romanam Ecclesiam tanquam piam matrem venerari, ac plurimum diligere teneantur, nos tamen, quos inter deuotos filios eadem Ecclesia spiritualiùs fouet, & amplectitur, ipsius honori, & vtilitati præ cæteris potius, ac deuotiùs pro posse nostro cupimus intendere. Hinc est, quod cùm humilis, ac fidelis sanctitatis vestræ capellanus Ioannes ad præsentiam nostram accedens, duos principaliores ex his, qui in terra Culini Bani, prout ferebatur, damnatam hæreticorum sectam *, secum duxisset, nos inspectis orthodoxæ fidei articulis, quos ad ipsius Ioannis exhortationem illi, ad quos missus fuerat, iam susceperant, eadem capitula sub sigillo nostro contenta domino illius terræ, filio scilicet memorati Culin. qui tunc apud nos erat, dedimus districtè præcipientes, vt ea, & alia, si qua Romana sedes eis de cætero secundùm Deum trãsmittere decreuerit, ab omnibus in terra sua faciat, inuiolabiliter obseruari. Idem etiam cùm hoc iuxta voluntatem nostram admisisset, se in manu nostra, ac I. . . archiepiscopi Colocen. subsequenter obligauit, quod si de cætero supradictos, vel alios homines in hæresi scienter manutenere, vel defendere in terra sua præsumpserit, mille marchas argenti persoluet, quarum medietas vobis, altera verò fisco nostro medietas obueniet. Illi prætereà duo priores, qui cum præfato capellano vestro Ioanne venerunt, tam pro se, quàm pro fratribus suis, a quibus missi fuerant, in præsentia nostra iurauerunt, quòd constitutiones a iam dicto fideli legato vestro promulgatas, & sibi traditas firmiter obseruabunt in perpetuum.]

a Lib. 6. ep. 212.

* fouebant

Quibus pœnis Banus se obliget si hæreticos defenderæ fouerinq.

9 Extant prætereà Innocentij geminæ ad ipsum Henricum Vngarorum Regem hoc anno datæ epistolæ. Cùm enim ille Pontifici per nuncium significasset, Meganipani terras in ditionem suam feliciter redegisse, Innocentius earum altera b ei gratulatur, additque: *Monemus igitur magnificentiam tuam, & exhortamur in Domino, quia sicut nos tibi, & regno tuo in hac parte detulimus, sic celsitudo regalis curet nobis, & Apostolicæ sedi deferre, institutiones Ecclesiæ Romanæ in terra ipsa seruari præcipiens, & eam plenius ad obedientiam nostram reducens, vt fiat vnum ouile, & vnus pastor, cùm hoc ipsum tibi, & regno tuo videatur plurimum expedire. Datum Lateran.* Id planè principibus plurimum expedit: cùm enim reipublicæ fundamentum sit religio, hac pessumdata, omnia prosterni necesse est; quod innumeris experimentis semper compertum fuit. Porrò altera c ex memoratis epistolis legatos se ab eo accepisse ait, quibus Apostolicam sedem consulebat, num ex voto iam antea nuncupato in Terram sanctam sibi traijciendum foret, an verò ob regni turbas id differendum videretur, eumque voti fidem soluere iubet.

b Id. ibid. ep. 18.

Innocentius studium in schismaticis ad ecclesiã reuocandis.

c Inn. l. 5. ep.

10 Nec minus ad alia delenda scelera, quàm hæresim expugnandam diligentiæ afferebat, & quidem modò, vt ferebat occasio, benignum se in aperiendo paterno sinu pœnitentibus impertiebatur, vt Messanensem archiepiscopum admissum flagitium lugentem sacris restituit, iussitque, vt regno defendendo incumberet; modò se asperiorem præferebat, ne disciplinam eneruaret, & corrumperet, ac maioribus sceleribus maiores pœnas infligebat. Ita cùm quidam laicus ad sæuum, sacrilegumq; facinus ab alijs impulsus, Catenensi episcopo linguam amputasset, postea verò facti pœnitens ad Apostolicam sedem accessisset, hæc statuit Innocentius, quæ ab ipso ad Orchaden. arch. scripta refert audire. d

d Inn. l. 5. ep. 79.

Innocentius, &c.

Ex literis tuæ fraternitatis accepimus, quod Lumberd. laicus lator præsentium cum comite suo Catenesiam in expeditione perrexit, vbi castello ab exercitu comitis expugnato, & interfectis penè omnibus, qui erant in ipso, captus est episcopus Catanesiæ, cuius vt linguam abscinderet, a quibusdam, vt dicit, de exercitu comitis est coactus. Quia verò grauis est, & grandis excessus, nos ei secundùm formam Ecclesiæ absoluto talem & ad satisfactionem suam, & ad terrorem aliorum iniunximus pœnitentiam, vt cum festinatione reuertens in patriam, discalceatus, & nudus præter brachas, & laneum vestimentum, curtum, & sine manicis, lingua subtili funiculo religata, & paulisper extracta, vt promineat extra labia summitatibus eiusdem funiculi nexis in collo cum virgis in manu quindecim diebus cõtinuis per terram suam, vnde ipse est oriundus, & terram illam, vnde erat episcopus mutilatus, ac circumpositam regionem, videntibus vniuersis, manifestè procedat, veniensque ad ingressum ecclesiæ, sed nequaquam ingrediens, prostratum in terram disciplinari se faciat cum virgis, quas in manu gestabit, sicque in silentio, & ieiunio vsque post vesperam diem ducat, & tunc ad sustentationem naturæ pane tantùm reficiatur, & aqua. Illis verò quindecim diebus peractis præparet se, vt infra mensem incipiat Hierosolymitanam prouinciã proficisci, vbi per triennium desudet in obsequio crucifixi, arma de cætero contra Christianos nunimè assumpturus, & per vndecim annos omnibus sextis ferijs in pane, & aqua ieiunet, nisi fortè per indulgentiam alicuius discreti pontificis, vel propter debilitatem corporis, vel propter feruorem æstatis hæc abstinentia temperetur. Tu ergo redeuntem hoc modo recipias, & iniunctam sibi pœnitentiam eum facias obseruare.] *Datum apud monasterium Sublacen.*

Pœnitentia publica iniuncta illi qui episcopo linguam præsciderat.

11 Parem seueritatem in vxoricidam infelicissimum distrinxit; qui cùm vnà cum filia, & vxore a Sarracenis in seruitutem abductus fuisset, in summa annonæ inopia imperio principis occisæ filiæ carnibus famem pauerat, & crudeli alio Sarracenorum edicto coactus vxorem interfecerat, cuius tamen carnes nimio horrore perfusus nõ degustarat, funesta tandẽ illa seruitute liberatus multis lacrymis sedis Apostolicæ misericordiam implorauit, cui Innocentius subiectæ pœnitentiæ asperrimum genus imposuit.

Innocentius, &c.

Ad a Apostolicæ sedis clementiam lator præsentium Robertus accedens, peccatum suum grande quidem, & graue lacrymabiliter est confessus, qui cùm captus a Sarracenis cum vxore detineretur, & filia, mandatum exijt a principe terræ, quem ipsi nominãt Admiratum, vt quia famis inualescebat inedia, quicunque captiuus prolem haberet, illam occideret, cuius occasione mandati miser ipse, cùm eum famis angustia perurgeret, occidit filiam, & comedit. Cumque aliud exisset edictum, propriam interfecit vxorem, sed de carnibus eius gustare non potuit, cùm ad vescendum coctæ sibi fuissent oblatæ. Nos igitur tanti criminis horrore turbati, talem ei pœnitentiam duximus iniungendam, vt nunquam de cætero carnibus pro quacunque necessitate vescatur, sed singulis sextis ferijs in pane, & aqua ieiunet, similiter in secunda, & quarta feria quadragesimæ, quæ antecedit Natalem, & eius, quæ Pascha præcedit. Cæteris autem diebus vtriusq; quadragesimæ deuotè ieiunans, vno tantùm sibi pulmento contentus, quod & in sanctorum vigilijs diligenter obseruet. Discalceatus incedat cum tunica lanea, breuissimo scapulari, pœnitentialem baculum ad mensuram vnius cubiti gestans in manu, nihil amplius a quocunque recipiens, nisi quantum ad esum sibi sufficiat vno die, nec vnquam per duas noctes in eodem loco moretur, nisi fortè articulus necessitatis ingruerit, vel propter infirmitatem, vel hostilitatem, aut etiam intemperiem transire non possit; sicque sanctorum limina visitet per triennium, & cùm vene-

a Id. ibid. ep. 80.

Pœnitẽtia inflicta illi qui filiam & vxorem occiderat.

venerit ad eccleſiam, proſtratus non intret, niſi prius cum virga, vel corrigia ſuſceperit diſciplinam: ſine ſpe coniugij perpetuò perſeueret, & publicis ludis nunquam interſit; orationem dominicam centum vicibus dicat in die, ac toties genuflectat. Peracto verò triennio cum literis iſtis ad ſedem Apoſtolicam reuertatur, miſericordiam petiturus, & quod ab ea ſibi fuerit iniunctum, ſataget obſeruare. Vos ergo fratres, filio miſero miſericordiam impendentes, in neceſſitatibus aperiatis ei viſcera charitatis.] *Datum, vt ſupra, tertio nonas ſept.* Ex his videre eſt ingenti quodam facinore patrato Romanum Pontificē ex diuerſis orbis terrarum regionibus conſuli, eiuſq; ſententiā excipi conſueuiſſe. Nec taciti prætermittemus aliam Innocentij epiſtolam de pœnitentijs, quæ clericis in graui ſcelere deprehenſis imponēdę erant, eodem anno ad Lugdunenſem archiepiſcopum datam a, vbi exanctoratos in monaſterium detrudendos decernit.

a Inn. l. 5. ep. 101.

Dirempta de Sypontino archiepiſcopatu controuerſia.

12 Quoniam verò in eius indicijs verſatur oratio, aliqua remanent in hanc ſententiam in medium adducenda. Sypontinis, Garganique populis inter ſeſe vehementer contendentibus, num eæ eccleſiæ ſingulæ archiepiſcopalis ſedis dignitate eſſent inſignitæ, an verò ambæ in vnum archiepiſcopatū coaleſcerent, Innocentius perſpectis anteceſſorum Romanorum Pontificum priuilegijs, vnum eſſe Sypontinum archiepiſcopum, Garganos verò Sypontinis ſubiectos, dato ad Sypontinum capitulum diplomate b hoc ipſo anno Laterani 8. Kal. iunias, decreuit. Cùmq. ad Apoſtolicam ſedem relatum eſſet Lectorenſem epiſcopum in archiepiſcopum Auxitanum poſtulatum grauiter comitiali morbo laborare ſolitum, hæc ad Auxitanum capitulum ſcripſit: c *Nos igitur ſanctorum Patrum nolentes institutionibus obuiare, qui morbo epileptico laborantes a miſſarum ſolemnijs arcendos eſſe decernunt, & præſertim bonæ memoriæ Gelaſij Papæ prædeceſſoris noſtri, qui edidit in ſimili caſu canonicum institutum, quod eſt vltimum ſeptimæ cauſæ capitulum in corpore decretorum, iam dictis Xantonen. epiſcopo, & notario, & dilecto filio abbati de Corona noſtris damus literis in mandatis, vt veritate diligentius inquiſita, quæ ſecundùm institutionem eiuſdem Gelaſij Papæ viderint facienda, Deum habentes præ oculis faciant auctoritate noſtra ſuffulti, appellatione remota. Si verò propter præmiſſam occaſionem, poſtulatio iam dicti Lectoren. epiſcopi iuxta institutionem canonicam non fuerit admittenda, ea penitus non obſtante, vobis eligendi pontificem auctoritate noſtra tribuant facultatem.*

b Id. ibid. ep. 42.

c Id. ibid. ep. 96.

In D. Ber. honorem preces inſtitutæ.

13 Hoc eodem anno I. Lugdunenſi olim archiepiſcopo petente, Innocentius ſacras preces ad S. Bernardi memoriam in miſſæ ſacrificio recolendā dictauit, S. Bernardi collectam ſcilicet, vt vocant, ſecretam, ac poſt communionem ſic ad ipſum reſcribens:

d Lib. 5. ep. 62.

Negare d noluimus, quod petere voluiſti, cùm ex eo tam nobis, quam tibi fructus æternæ retributionis accreſcat. Petiſti namque rogatus a fratribus, vt ad honorem beati Bernardi primi Claræuallen. abbatis, quem Apoſtolica ſedes ſanctorum aſcripſerat catalogo venerandum, nos ipſi collectam, & alias orationes ore proprio dictaremus, tum propter auctoritatem dictantis, tum propter ſtylum dictaminis, cum maiori deuotione dicendas. Et ecce ſicut potuimus ad instantiam dilecti filij fratris Ranerij petitionem tuā curauimus exaudire.

Perfice quæſumus Domine pius in nobis ſanctæ religionis effectum, vt ad obtinendam tuæ gratiæ largitatem beatus Bernardus abbas, & doctor egregius ſuis apud te ſemper pro nobis meritis, & precibus intercedat. Per Dominum noſtrum, &c. Grata tibi ſit Deus huius oblatio Sacramenti, quod in memoriam dominicæ paſſionis, tuæ offerimus maieſtati. Per Dominum noſtrum, &c. Sumat in nobis omnipotens Deus cibus, quem ſumpſimus, operetur effectum, vt incorporet ſibi nos eſus edentes, qui tecum, &c. Datum Lat. 4. idus iunij. Poſtea verò eidem grauiſſimas quæſtiones proponenti a, ſapientiſſimè reſpondit b, quæ extant in titulo de celebratione miſſarum, ac licet terantur manibus omnium, nos præter morem adducemus, tum ob rerum, quas continent maieſtatem, tum quia gratum pleriſque erit literas pontificias integras legere, quas nonnulla ſui parte mutilas canoniſtæ exſcripſerunt.

a Ibid. ep. 121.

b Cum Marthæ extr. de celebr. miſſar.

Innocentius, &c.

14 Cùm Marthæ circa plurima ſatagentis officia in cura regiminis paſtoralis pro maiori parte renuncians in domo Domini, quaſi abiectus eligens habitare cum illis, qui partem optimam elegerunt, ſedes ad pedes Domini cum Maria, vt in eius lege iugiter mediteris. Lippitudini Liæ, Rachelis pulchritudinem præferentes, eam in te credimus vigere intelligentiam ſcripturarum, vt non ſolùm paruulis frangere poſſis panem, ſed prouectis etiam cibum ſolidum miniſtrare, ac nodos ſoluere difficiliū quæſtionum. Verùm quoniam in primatu Apoſtolorum principis Apoſtolicæ ſedis magiſterium recognoſcens, ad eam credis maiores cauſas Eccleſiæ referendas, conſultationibus tuis, quas non ob commodum vtilitatis terrenæ, cùm non ciuilem contineant quæſtionem, ſed animarum profectum, vt videlicet in lucē prodeant obſcura ſcripturæ, nouimus te mouiſſe; libenter quod nobis inſpirat Dominus, reſpondemus. Quæſiſti ſiquidem, quæ ſit forma verborum, quam ipſe Chriſtus expreſſit, cùm in corpus, & ſanguinem ſuum tranſubſtantiauit panē, & vinum, cum illud in canone miſſę, quo Eccleſia vtitur generalis, adiecerit, quod nullus Euangeliſtarum legitur expreſſiſſe. Cùm enim in Euangelio ſic legatur: *Accipiens calicem, gratias egit, benedixit, & dedit diſcipulis ſuis, dicens: Bibite ex hoc omnes, hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*; in canone miſſæ ſermo iſte, videlicet myſterium fidei, verbis ipſis interpoſitis inuenitur. Vnde cùm non Euangeliſta Chriſtum Ieſum dixiſſe teſtetur, moueris non modicum, & miraris, quod aliquis aſſeuerare tentauerit, eum aliquid plus dixiſſe, quàm Euangeliſtarū aliquis aſſeueret. Verùm ſi formam ipſius canonis inſpicias diligenter, præter hoc, de quo tua fraternitas requiſiuit, alia duo, videlicet, eleuatis oculis in cælum, & æterni teſtamenti, poteris in ipſo canone reperire, quæ in textu Euangelico non leguntur. Sanè multa tam de verbis, quàm factis dominicis inuenimus ab Euangeliſtis omiſſa, quæ Apoſtoli vel ſuppleuiſſe verbo, vel facto expreſsè leguntur. Paulus enim in actibus Apoſtolorum ſic ait: Meminiſſe vos oportet verbi Domini Ieſu, quod ipſe dixit: Beatius eſt magis dare, quàm accipere. hoc nullus quatuor Euangeliſtarum deſcripſit. Nullus etiam eorundem expreſſit, quod Paulus ad Corinthios ſcribens, ait: Viſus eſt pluſquam quingentis fratribus ſimul, deinde viſus eſt & Iacobo; nouiſſimè autem tanquam abortiuo viſus eſt & mihi. Ipſi etiam Euangeliſtæ inter ſe mutuò ſuppleuiſſe leguntur, quæ ab eorum aliquo, vel aliquibus ſunt omiſſa. Vnde cùm tres Euangeliſtæ poſuerint: Hoc eſt corpus meum, ſolus Lucas adiecit: Quod pro vobis tradetur. & cùm Matthæus, & Marcus dicant: Pro multis, Lucas dicit: Pro vobis. Matthæus autem in remiſſionem peccatorum adiungit.

Reſpondetur quęſtioni, quę ſit forma verborū in trāſubſtantiatione.

15 Cæterùm ea, quæ adduntur in canone miſſæ, poſſunt ex alijs locis Euangelij comprobari. Ioannes enim ſuſcitationem Lazari deſcripturus, Ieſum ſurſum oculos eleuaſſe aſſerit, & dixiſſe: *Pater gratias ago tibi, quoniam audiſti me*. Alibi etiam dicit:

Hæc

Hæc locutus est Iesus, & sublimatis oculis in cælum dixit: Pater clarifica filium tuum. Si tunc igitur oculos in cælum leuauit ad Patrem, cùm ad corpus exanime animam Lazari reuocat, probabilius esse videtur, quod tunc oculos leuauerit ad Patrem in cælum, cùm panem, & vinum in corpus, & sanguinem proprium commutauit. Cæterùm sicut superiùs est expressum, cùm in textu euangelico, noui testamenti ponatur, hic interponitur, & æterni. Nam vetus testamentum, quod hircorum, & vitulorum fuit sanguine dedicatum, temporalia promittebat: nouum autem, quod est Christi sanguine consecratum, promittit æterna. Et ideo testamentum illud fuit vetus, & transitorium, hoc autem nouum est, & æternum; vel vt vtamur alia ratione, vnde nouum, id est vltimum esse describitur, æternum inde, id est perpetuum comprobatur. Nouissimum etenim hominis testamentum immobile perseuerat, quia testatoris obitu confirmatur, iuxta quod Apostolus testamentum in morte asserit confirmatum; alioquin non valere, dum vixerit, qui testatur. Præterea non solùm scriptura, sed & promissio dicitur testamentum, iuxta quod Apostolus ipse scribit: Ideo noui testamenti mediator est, vt repromissionem accipiant, qui vocati sunt hereditatis æternæ. Sic ergo intelligi debet, quod in ipso canone reperitur: Hic est sanguis meus noui, & æterni testamenti, nouæ & æternæ promissionis scilicet confirmator, sicut Dominus repromittit: Qui manducat, inquiens, carnem meam, & sanguinem meum bibit, habet vitam æternam. Ex eo autem verbo, de quo mouit tua fraternitas quæstionem, videlicet mysterium fidei, munimentum erroris, quidam trahere putauerunt dicẽtes in Sacramento altaris nõ esse corporis Christi, & sanguinis veritatem, sed imaginem tantùm, & speciem, & figuram, pro eo, quod scriptura interdum commemoret id, quod in altari suscipitur, esse Sacramentum, & mysterium, & exemplum.] Berengarianos hæreticos notat Innocentius, quorum imperitiam, simulque nostri temporis nouatorum paucis refellens, & catholicam veritatem confirmans, adijcit:

16 Sed tales ex eo laqueum erroris incurrunt, quod nec auctoritates scripturæ conuenienter intelligunt, nec Sacramenta Dei suscipiunt reuerenter, scripturas, & virtutem Dei pariter nescientes. Si enim ideo quia figura est Sacramentum altaris veritas esse negatur, ergo nec mors, nec resurrectio Christi, cum figura sit veritas, est credenda. Siquidem mortem, & resurrectionem Christi similitudinem, & imaginem esse Apostolus manifestat: Christus, inquiens, mortuus est pro delictis nostris, & resurrexit propter iustificationem nostram. Apostolorum tamen princeps Petrus sic in epistola sua scribit: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Sic ergo tam mors Christi, quàm eius resurrectio est exemplum, vt & nos peccato mortui iustitiæ iam viuamus. Quare si non fuit veritas, quia fuit exemplum, ergo nec verè mortuus fuit Christus, nec verè a mortuis resurrexit: sed absit a fidelium cordibus error iste, cùm ipse Propheta de Christo testetur, quod verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Dicitur tamen mysterium fidei, quoniam & aliud ibi creditur, quàm cernatur, & aliud cernitur, quàm credatur: cernitur enim species panis, & vini, & creditur veritas carnis, & sanguinis, ac virtus vnitatis, & charitatis. Quod autem mysterium fidei dicitur in hoc loco, alibi secundùm Ioannem spiritus, & vita narratur. Nam spiritus est mysterium iuxta illud: Litera occidit, spiritus autem viuificat; fides autem est vita, secundum quod legitur: Iustus autem ex fide viuit. propter quod ipse Dominus dicit: Verba, quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Distinguendum est tamen subtiliter inter tria, quæ sunt in hoc Sacramento discreta, videlicet forma visibilis, veritas corporis, & virtus spiritualis; forma panis & vini, veritas carnis & sanguinis, virtus vnitatis & charitatis. Primum est Sacramentum & non res; secundum est Sacramentum & res; tertium res, & non Sacramentum: sed primum est Sacramentum geminæ rei, tertium verò gemini Sacramenti, secundum autem Sacramentum vnius, & alterius res existit. Credimus igitur, quod formam verborum, sicut in canone reperitur, & a Christo Apostoli, & ab ipsis eorum acceperunt successores; nam sicut superiùs est expressum, multa de verbis, & factis dominicis ab Euangelistis omissa & sermonibus suppleuerũt Apostoli, & operibus expresserunt.] Hæc de prima ex propositis quæstionibus; de altera verò:

17 Quæsisti etiam, vtrum aqua cum vino in sanguinem conuertatur: super hoc autem opiniones apud scholasticos variãtur. Aliquibus enim videtur, quòd cum de latere Christi duo præcipua fluxerint Sacramenta, redemptionis in sanguine, ac regenerationis in aqua, in illa duo vinum, & aqua, quæ commiscentur in calice, diuina virtute mutantur, vt in hoc Sacramento plenæ sint veritas, & figura. Alij verò tenent, quod aqua cum vino transubstantiatur in sanguinem, cùm in vinum transeat mixta vino, licet physici contrarium asseuerent, qui aquam a vino per artificium posse asserunt separari. Præterea potest dici, quod aqua non transit in sanguinem, sed remanet prioris vini accidentibus circumfusa, ita quod vini saporem assumit quod inde conijcitur, quia si post calicis consecrationem aliud vinum mittatur in calicem, illud quidem non transit in sanguinem, nec sanguini commiscetur, sed accidentibus prioris vini comixtum corpori, quod sub eis latet, vndique circumfunditur, non madidans circumfusum. Ipsa tamen accidentia vinum appositum videtur afficere, quia si aqua pura fuerat apposita, vini saporem assumit. Contigit igitur accidentia permutare subiectum, sicut & subiectum contigit accidentia permutare: cedit quippe natura miraculo, & virtus supra consuetudinem operatur. Sed nec inconueniens creditur, aut absurdum, si aqua in corpore Christi esse credatur, cùm legatur de ipsius latere processisse. Illud est autem nefarium opinari, quod quidam dicere præsumpserunt, aquam videlicet in flegma conuerti: nam & de latere Christi non aquam, sed humorem aquaticum mentiuntur exisse, non attendentes, quod de latere Christi duo fluxerunt Sacramenta, & quod non baptizantur in flegmate, sed in aqua, iuxta quod Dominus protestatur: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei. Verùm inter opiniones prædictas illa probabilior videtur, quæ asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari, vt expressiùs eluceat proprietas Sacramenti. Nam cùm aquæ multæ sint populi multi, iuxta quod alibi legitur: Beati qui seminant super aquas, ideo vino aqua vnitur, vt Christo populus adunetur: per hoc enim quod & suscepit ipse de nostro, & accipimus ipsi de suo, tam insolubili nexu coniungimur, vt qui est vnum cum Patre per ineffabilem vnitatem, fiat vnum nobiscum per admirabilem vnionem, ac per hoc ipso communitet mediante cum Patre vnũ efficimur. Pater, inquit, sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos; non pro eis rogo tantùm, sed pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt & ipsi in nobis vnum sint, & mundus credat, quia tu me misisti.] Plura afferri possent, quæ cùm doctissimus Cardinalis Baronius, alijque fusissimè pertractarint, duximus prætermittenda, maximè cùm vberrima

nobis

nobis rerum gestarum messis ex reliquis Innocentij literis hoc anno datis suppeditetur: sed antequam ad illas conuertamus stylum, videndum est, quid ad tertium quæsitum responderit.

18 Tertiò verò loco (ait) fraternitas tua requisiuit, quis mutauerit, vel quando fuerit mutatum, aut quare, quod in secreta beati Leonis secundùm antiquiores codices continetur, sic videlicet: Annue nobis Domine, vt animæ famuli tui Leonis hæc profit oblatio, cùm in modernioribus sacramentarijs habeatur: Annue nobis Domine quæsumus, vt intercessione beati Leonis nobis profit oblatio. super quo tibi taliter respondemus, quod quis illud mutauerit, aut quando mutatum fuerit, ignoramus: scimus tamen, qua fuerit occasione mutatum, quia cùm sacræ scripturæ dicat auctoritas, quod iniuriam facit martyri, qui orat pro martyre (verba sunt Augustini; Pontifex tamen sacræ scripturæ auctoritatem dicere ait, quod ex eadem scriptura infertur) idem est ratione consimili de sanctis alijs sentiendum, qui orationibus nostris non indigent, pro eo quod cum sint perfectè beati, omnia eis ad vota succedunt: sed nos potius eorum orationibus indigemus, quos, cum miseri simus, vndique mala multa perturbant. Vnde quod in plerisque orationibus continetur, profit videlicet, vel proficiat huic sancto, vel illi talis oblatio ad gloriam, vel honorem, ita sanè debet intelligi, vt ad hoc prosit, quod magis ac magis a fidelibus glorificetur in terris, aut etiam honoretur.] Atque hæc est probata omnium theologorum sententia, nimirum sanctorum gloriam dumtaxat accidentaliter, vt aiunt, augeri. Licet plerique (subdit Pontifex) reputent non indignum, sanctorum gloriam vsque ad iudicium augmentari, & ideo Ecclesiam interim sanè posse augmentum glorificationis eorum optare. Vtrum tamen in hoc articulo locum habeat illa distinctio, qua docetur, quod defunctorum alij sunt valde boni, alij sunt valde mali, alij mediocriter boni, & alij mediocriter mali: vnde suffragia quæ fiunt a fidelibus in Ecclesia pro valde bonis, actiones sunt gratiarum, pro valde malis, consolationes viuorum, expiationes pro mediocriter bonis, & propitiationes pro mediocriter malis, tua discretio inuestiget: de cætero tuis orationibus adiuuari petimus apud Deum.] Huc vsque Innocentius.

Concessa multis priuilegia.

19 Conspexisti hactenus patrem optimum & æquissimum iudicem, e Petri solio oimirum obiurgantem, tedarguentem, vindicantem; vidisti iura dantem, insuperque edocentem, ioteure nunc beneficia ac præmia benignissimè pro meritis conferentem. Hoc namque anno Ademaro priori Grandimontensi a Vvaltero præposito S. Petri de monte Sereno b, ac Rogerio monasterij SS. Apostolorum Petri & Pauli, sanctique Augustini in Anglia, eorumque fratribus priuilegia confirmauit c. Electo Rauennati archiepiscopo d indulget, vt ab Imolensi ecclesia ad archiepiscopatum illum traducatur, eique pallium per R. subdiaconum & capellanum suum transmittit; imperatque, vt intra anni curriculum Apostolico conspectui se sistat. P. tit. S. Marcelli presbytero Cardinali Apostolicæ sedis legato testandi potestatem facit e. Ad Dolensem abbatem & conuentum scribens f initam inter ipsos & castri Rodulphi dominum concordiam firmat. Priori & fratribus iuxta specum B. Benedicti regularem vitam ducentibus libras sex vsualis monetæ de S. Petri camera quouis anno soluendas concessit g. Datum asseritur huiusmodi diploma apud monasterium Sublacense 3. Kal. septemb. quod & alio diplomate sequenti anno corroborauit. h

a Innoc. l. 5. ep. 2.
b Id. ibid. ep. 9.
c Id. ibid. ep. 104.
d Id. ibid. ep. 6.
e Id. ibid. ep. 64.
f Id. ibid. ep. 72.
g Id. ibid. ep. 78.
h Id. l. 6. ep. 1.

Donationem a Viterbiensibus F. Rainerio Viterbiensi episcopo, eiusque ecclesiæ factam, ratam firmamque habet a. Siffridi Maguntini archiepiscopi electionem confirmat: ad canonicos enim Maguntinos b x. Kal. aprilis scribens rem ex ordine narrat, atque inter alia hæc habet: *Prænestino episcopo sedis Apostolicæ legato dedimus in mandatis, vt si eundem episcopum* (Vvormatiensem scilicet Maguntini archiepiscopatus competitorem) *quoad temporalia recepisse constaret ecclesiam Maguntinam, vel ministrasse in temporalibus, aut spiritualibus in eadem, postulationem factam de ipso nunciaret irritam.* De qua confirmatione ad ipsum etiam Siffridum scripsit c 12. Kal. april. palliumque ipsi concessit. Portò illum hoc anno confirmatum tradit quoque auctor Siffridus d. Præterea Innocentius data ad illum x. Kal. ianuarias epistola e iniunxit, vt Conrado Herbipolensi episcopo, quem vnà cum eius ecclesia Philippus Sueuus vehementer infectabatur, & exagitabat, auxilio foret, eiusdemque argumenti pluribus Germaniæ præsulibus literas misit f. Augustanum electum, quòd nothus esset, legis rigore soluit g. R. tit. SS. Marcelli & Petri Cardinali, & Cassinensi abbati permittit h, vt ad recuperanda a Roberto de Aquila duo oppida ad monasterium pertinentia alias ei possessiones tradere possit. Ad hæc pactiones inter Henricum Zlesiæ ducem ac Mesconem (quem alij Mieczlauom) patruum firmas reddit i, atque adeo Gnesnensi archiepiscopo, & Cracouiensi & Vratislauensi episcopis imperat, vt illi omnino obseruandas curent. P. de Stuibaldo sororio ac senescalco suo Montem maximum, quem ipsius Pontificis nomine homines de Iuliano nuncupati ei tradiderant, annuo censu imposito concedit. l

a Innoc. l. 5. ep. 93.
b Ep. 14.
c Inn. l. 5. ep. 15.
d Siffr. pro sbyt. epit.
e l. 2.
e Inn. l. 5. ep. 134.
f Reg. post ep. 134.
g Inn. ibid. l. 5. ep. 99.
h Id. ibid. ep. 108.
i Ib. ep. 111.
l Inn. l. 5. ep. 117.

20 Qui autem Augustanum episcopum legitimorum natalium iure orbauit, rogatus a nobili viro Vv.... de monte Pessulano eius filios eodem pariter honore afficeret, iustis de causis supersedendum censuit. Extat eiusdem Pontificis ad illum reddita epistola, quam vtpote grauioris momenti afferendam duximus. Flagitabat id beneficium a Pontifice, vt ditionem suam nulla ex legitima coniuge susceptà prole mascula, in naturalem filium transfunderet, atque Innocentio, vt eum flecteret, Philippi Regis Francorum, cuius filios natalium dignitati asseruerat, exemplum afferebat: cui Pontifex disparem causam omnino esse respondit, tum quod Philippus Rhemensis archiepiscopi A. S. L. auctoritate vxorem deseruisset, quod propinquitatis impedimenta vxori opponeret, quod ius illius repudij tunc anceps & dubium foret, quod nulli principi obnoxius esset, ac sine alterius damno sedis Apostolicæ subijcere se posset: ipsum verò nulla ratione, quàm sola libidine incensum conculcatis sedis Apostolicæ imperijs repudium vxori impegisse, alterius principis esse beneficiarium, nec sine illius iniuria, a cuius sceptro penderet, legitimorum natalium ipsius filijs ius posse conferri.

Innocentius, &c.

m Lib. 5. ep. 128.

Per m venerabilem fratrem nostrũ Arelaten. archiepiscopum ad sedem Apostolicam accedentem tua nobis nobilitas supplicauit, vt filios tuos legitimationis dignaremur titulo decorare, quatenus eis quo minus tibi succederent, natalium obiectio non noceret. Quòd autem super hoc Apostolica sedes plenam habeat potestatem, ex illo videtur, quòd cum diuersis causis inspectis cum quibusdam legitimè genitis, non naturalibus tantum, sed adulterinis etiam dispensarit, sic ad actus spirituales ipsos legitimans, vt possent in episcopos promoueri, verisimilius creditur, & probabilius reputatur, vt eos ad actus legitimare valeat seculares, præsertim si præter Romanum Pontificem inter homines superiorem alium non agnoscunt, qui legitimandi habeat potestatem; quia cùm maior in spiritualibus

tam

tam prudeotia, qoàm auctoritas, & idoneitas requiratur, quod in maiori conceditur, licitum esse videtur etiam in minori. Per simile quoque idem videtur posse probari, cum eo ipso, quod aliquis ad apicem episcopalis dignitatis extollitur, eximitur a patria potestate. Præterea si etiam simplex episcopus scieorer seruum alterius in presbyterum ordinaret, licet ordioator satisfacere domioo iuxta formam canonicam teneretur, ordinatus tameo iugum euaderet seruitutis. Videretur siquidem monstruosum, vt qui legitimus ad spirituales fieret actiones, circa seculares actus illegitimus remaneret, vnde cum quo in spiritualibus dispensatur, consequeoter intelligitur in temporalibus dispensatum. Id autem in patrimonio beati Petri liberè potest Apostolica sedes efficere, in quo & summi Pontificis auctoritatem exercet, & supremi principis exequitur potestatem. Cùm ergo videatur ex his legitimandi auctoritas noo tantùm in spiritualibus, sed in temporalibus etiam penes Romanam Ecclesiam residere, vt super hoc filijs tuis gratiam faceremus ob tua, & progenitorum tuorum merita, qui semper in deuotione sedis Apostolicæ perstitistis, humiliter ex parte tua idem archiepiscopus requirebat. Videbatur autem ex eo trahere maiorem audaciam postulandi, quod non longè petere cogebatur exēplum, sed io fauorem petitionis huiusmodi, quod nos ipsos io causa simili fecisse dicebat, poterat allegare. Cùm enim charissimus in Christo filius noster Philippus Rex Francorum illustris charissimam in Christo filiam nostram I. Francorum Reginam illustrem dimiserit, & ex alia postmodum superducta puerum suscepit & puellam, & tu similiter exclusa legitima superduxeris aliam, ex qua filios suscepisti, sicut cum filijs Regis eiusdem, sic cum tuis credebatur de benignitate sedis Apostolicæ dispensandum, præsertim cùm maior id necessitas suaderet, & tu nobis specialius sis subiectus. Siquidem Rex Francorum ex inclytæ recordationis Regina Francorum legitimum olim suscepit heredem, qui ei optatur, & creditur in regni solio successurus. (erat is Ludouicus, qui, vt aurea diximus, Blancam Castellæ Regis filiam, & Ioannis Regis Anglorum neptem in matrimonium duxerat) Tu verò ex legitima coniuge masculioum non habes heredem, qui tibi & in deuotione nostra, & propria hereditate succedat. Insuper cum Rex ipse in spiritualibus nobis subiaceat, tu nobis etiam in temporalibus es subiectus, cùm partem terræ tuæ ab ecclesia Magoleo. possideas, quam ipsa per sedem Apostolicam temporaliter recognoscit, quare Magalonen. ecclesia mediante, te nobis idem archiepiscopus asserebat temporaliter subiacere.

21 Verùm si veritas diligenter inspicitur, res non similis, sed valde dissimilis inuenitur. Nam Rex ipse a prædicta Regina per bonæ memoriæ archiepiscopi Rhemen. Apostolicæ sedis legati fuit sententiam separatus: tu verò vxorem tuam a te, sicut dicitur, temeritate propria separasti. Ipse quoque prius, quàm ad eum prohibitio de non contrahendo cum altera perueniret, aliam superduxit, ex qua prolem geminam ooscitur suscepisse: tu io contemptum Ecclesiæ aliam superiodùcere attentasti, propter quod ipsa in te gladium exercuit ecclesiasticæ vltionis. Præterea Rex ipse prædictæ Reginæ contra matrimonium affinitatē obiecit, & coram præfato archiepiscopo testes induxit, cuius senteotia conquassata fuit solummodo propter iudiciarium ordinem non seruatum, nos enim post restitutioneoi præfatæ Reginæ super hoc venerabilem fratrem oostrum Octau. Ostiensem episcopum, & dilectum filium I. tituli sanctæ Priscæ presbyterum Cardinalem cognitores duximus concedendos. Tu verò vxori tuæ nihil, quod diuortium ioduceret, sicut asseritur, obiecisti, cùm etsi fides thori sit vnum de tribus boni cooiugij, non tamen ipsorum violatio coniugale vinculum violasset. De filijs quoque Regis eiusdem, vtrum legitimi, an illegitimi fuerint, quamdiu peodet quæstio affinitatis obiectæ, potest oon immeritò dubitari. Nam si affinitas fuerit comprobata, prædictam Reginam non esse Regis coniugem apparebit, & per consequens alia videretur sibi legitimè copulata, & filios ei legitimos peperisse. De tuis verò, quod sint legitimè nati, nec tu ipse proponis, nec vlla præsumitur ratione. Insuper cùm Rex ipse superiorem in temporalibus minimè cognoscat, sine iuris alterius læsione in eo se iurisdictioni nostræ subijcere potuit, & subiecit, in quo forsitan videretur aliquibus, quod per seipsum non tanquam pater cùm filijs, sed taoquam prioceps cum subditis potuerit dispensare. Tu autem alijs nosceris subiacere, vnde sine ipsorum forsao iniuria, nisi præstarent assensum, nobis in hoc subdere te noo posses, nec eius auctoritatis existis, vt dispensandi super his habeas potestatem.

22 Rationibus igitur his inducti Regi gratiam fecimus requisiti, cautum tam ex veteri, quàm nouo testamento tenentes, quod non solùm in Ecclesiæ patrimonio, super quo plenam in temporalibus gerimus potestatem; verùm etiam in alijs regionibus certis causis inspectis, temporalem iurisdictionem casualiter exercemus, oon quod alieno iuri præiudicare velimus, vel potestatem indebitam vsurpare, cùm non ignoremus Christum in Euangelio respondisse: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo, propter quod postulatus, vt hereditatem diuideret inter duos: Quis, inquit, constituit me iudicem super vos, sed quia sic in Deuteronomio continetur: Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem, & sanguinem, causam, & causam, lepram, & non lepram, & iudicum intra portas tuas verba videris variari, surge, & ascende ad locum, quem elegerit Domious Deus tuus, veniensque ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quæcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegit, & docuerint te iuxta legem eius, seqoerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, vel ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdoris imperio, qui eo tempore ministrauerit Domino Deo tuo, decreto iudicis morietur, & auferes malum de Israel, &c. (Excurrit ad illustrandam multis sacræ scripturæ textibus Romani Pontificis auctoritatem.) Licet igitur cum filijs sæpe dicti Regis Francorum, de quibus an fuerint ab initio verè legitimi dubitatur, duxerimus dispensandum, quia tameo tam lex Mosaica, quàm canonica sobolem susceptam ex adulterio detestatur, testante Domino: Manzer, & spurius vsque in decimam generationem in Ecclesiam non intrabunt; canone verò vetante tales ad sacros ordines promoueri; secularibus quoq; legibus non solùm repellentibus eos a successione paterna, sed negantibus ipsis etiam alimeora, supersedeodum adhuc duximus petitioni prædictæ, nec ad præsens super hoc tuis precibus annuendum, donec si fieri poterit, & culpa leuior, & iuris *ratio* liberior ostendatur, licet personam tuam specialis dilectionis brachijs amplexemur, & in quibus cum Deo, & honestare possumus, specialem tibi velimus gratiam exhibere.]

23 Quod verò ad Regem Fraocorum attioet, de ipsius matrimonio loquuntur pontificiæ literæ ad Rhemensem archiepiscopum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, & Apostolicæ sedis legatum hoc anno 3. nooas iunias datæ, a quibus Inseburgi Re- a Inn. l. 5 ep. 40.

ginæ consulendum ait, ne indefensa maneat, neve eius causa a suspectis iudicibus cognoscatur. Cùm verò a Regis nuncijs nuper ad se Romam missis Regem ipsum conqueri accepisset, a sede Apostolica seueriùs secum, quàm cum alijs principibus agi, ad eum pariter scribens, expostulationes istiusmodi haud æquas esse pluribus demonstrat:

a Lib. 5. ep. 50.

Doloris a aculeus nostræ mentis intima penetrauit, & cordi nostro mæror irruit improuisus, eum in eo de nobis serenitas regia, sicut accepimus, conqueratur, super quo ab ipso & meruimus gratiarum, & expectauimus actiones. Proposuerunt enim dilecti filij magistri F... Aurelianen. decanus, & VV... thesaurarius sancti Frambaldi nuncij tui ex parte regiæ celsitudinis in audientia nostra querelam firmius, vt eis iniunctum fuerat, sicut credimus, asserentes, quod de te in causa matrimonij seueriùs tractabamus, quàm alij principes in simili casu consueuerint pertractari. Nã olim inclytæ recordationis Ludouicus pater tuus, & Frider. quondam Imperator, & nuper charissimus in Christo filius noster Ioannes Rex Anglorum illustris eorum prælatis in terris proprijs constitutis aduersus eas, quas habere videbantur, vxores, seruato iuris ordine, & ecclesiastico ab eis fuerunt iudicio separati, quod postmodum sedes Apostolica minimè retractauit. Cæterum si verum attendas, Imperator prædictus ab ea, quæ coniunx dicebatur, segregatus, licet in regno Theutonico, fuit tamen per legatos sedis Apostolicæ separatus, & nos in Regnum tuum legatos nostros destinare curauimus, vt dum matrimonij causam cognoscerent, & eam seruato iuris ordine terminarent: licet autem prædecessor Ludouicus quondam pater tuus, & præsens etiam Rex Anglorum ab his, quos sibi iniunxerant prælatorum terræ suæ iudicio fuerint separati, super diuortio tamen non fuit ad sedem Apostolicam querela delata; vnde quod a prælatis ipsis factum fuerat, cùm nullus penitus reclamaret, noluit reuocare. Vtrum autem Apostolica sedes dissimulare valeat querimonias oppressorum, & mulierum præcipue, quæ quanto infirmioris conditionis existunt, tanto sunt ampliùs in sua iustitia confouendæ, vtinam intelligeret regia serenitas pleniùs per seipsam, vel illi eam melius docuissent, qui consiliarij eius, & familiares existunt, & in vtroque sunt iure periti.

24 *Cùm autem sententiam illam diuortij tanquam inordinatè prolatam bonæ memoriæ Cælestinus Papa prædecessor noster duxerit reuocandam, nos ne, si causa tua maneret diutius in suspenso, cor regium sollicitudo nimia molestaret, per legatos nostros, quos in Regnum Francorum direximus, te voluimus expedire, qui hodie forsan negotium ipsum veritate comperta iuxta tuum desiderium terminassent, nisi eorum iudicium declinasses. Per te namque recessum est a iudicio, præterquam charissima in Christo filia nostra I... Regina Francorum illustris ab appellatione recessit. Nouimus autem, & in hoc etiam tuæ serenitati compatimur, quod huiusmodi querimonia non ex ratione, sed sensualitate procedit, cum æquitatem seueritatem appelles, & iustitiam, quasi violentiam ægre feras. Cæterum potuisset Apostolica sedes, si non tuo detulisset honori, non solum prædictam retractare sententiam latam iuris ordine non seruato, sed in latorem ipsius vltionem canonicam exercere, sicut bonæ memoriæ Nicolaus Papa prædecessor noster in Guntarium Colonien. & Teugald. Treuiren. archiepiscopos in casu penè simili legitur processisse, qui & latam ab eis reuocauit sententiam, & eosdem archiepiscopos deposuit ab officio pastorali, immo etiam in Lotharium Regem, & superinductam excommunicationis sententiam promulgauit, quam idem Rex occasione sententiæ ab eisdem archiepiscopis promulgatæ, relicta Thebga, quam sibi legitimè copularat, Gualdradam, quam superduxerat in coniugem retinebat. Nos autem serenitati regiæ, quantum cum Deo potuimus, deferre volentes, nec in eum, qui sententiam tulerat, cum tibi sit consanguinitate coniunctus, processimus, nec in personam superinductæ, vel tuam sententiam aliquam duximus proferendam, sed terram tantùm post frequentes commonitiones subiecimus interdicto. Cum ergo non secundum seueritatem iuris, sed æquitatem potius te duxerimus pertractandum, non demereri, sed promereri potius deuotionem tuæ serenitatis credidimus, nec lædi te putauimus, si iustè prosequeremur iustitiam, sed iuuari, &c.* De his satis. Iam ab illius controuersiæ, quæ Philippo cum Inseburge erat, contentione, ad difficillimi belli, quod cum Ioanne Rege suscepit, narrationem stylum conuertamus.

25 Nonæ hoc anno inter Anglorum, & Francorum Reges dissensiones exarsere, quarum causam Parisius a in Philippum conijcit, qui in colloquio cum Ioanne habito ab ipso popos cerat, vt Arthuro Britanniæ comiti Normanniam, Turoniam, & Andegauiam cederet, quod Ioannes constanter se facturum negauit b. at Rigordus ait Philippum Ioanni diem dixisse, vt obiectis intra quindecim post Paschæ festum dies Parisijs tanquam fiduciarius pro Andegauiæ, & Pictauiæ comitatibus, ac ducatu Aquitaniæ responderet, at Ioanne imperia sibi facta respuente in Anglorum Regis terras exercitum infudisse, nonnullasque arces cepisse; Arthurum porrò fide ab eo accepta instructum non leuibus copijs in Pictauiam missum, vt eam sibi subijceret, Parisius, & Robertus c de monte consentiunt, eumque confluentibus nobilibus Pictauis, atque in eius obsequium procumbentibus Alienoram Reginam matrẽ Anglorum Regis apud Mirebellum obsidione cinxisse, atque oppido ad deditionem compulso, ipsam in munitissima turri circumclusisse; interim Ioannem discriminis, in quod mater adducta erat, certiorem factum prouolasse cum exercitu, atque obuiam sibi venientes magna clade fudisse, atque inter cæteros ipsum nepotem Arthurum cepisse, ac matre liberata Turones, atque Andegauum in suam potestatem redegisse. *Elapso deinde aliquo tempore* (inquit Parisius) *Rex Ioannes ad castrum Falesiæ veniens, fecit sibi Arthurum nepotem suum præsentari, qui cùm esset coram eo adductus, cœpit eum Rex blandis alloqui verbis, & multos honores promittere, exhortans, vt a Rege Francorum recederet, & sibi vt domino, & auunculo fideliter adhæreret. Arthurus verò stulto vsus consilio, Regi cum indignatione, & comminatione respondens, exegit, vt redderet sibi regnum Angliæ cum terris omnibus, quos Rex Ricchardus habuit in possessione sua die qua decessit, & quia hæc omnia sibi iure hereditario debebantur, affirmauit cum iuramento, quod nisi celerius sibi iam dicta omnia restitueret, nunquam diutina pace frueretur. Audiens autem hæc Rex Ioannes, perturbatus est valde, præcepitque, vt Arthurus apud Rothomogum mitteretur, & ibi in arce noua retrusus sub arctiori custodia seruaretur: sed non multo post idem Arthurus euanuit, modo ferè omnibus ignorato, vtinam non vt fama refert inuida.*

a Par. hist. Angl.

Discordiæ inter Angl. & Fräc. Reges.

b Arg. in gest. Phil.

c Robert. in Append. ad Sig. an. 1202.

Arthurus responso temerario sibi mortem creãt

Audisti ex Parisio vt Anglorum regnum Arthuro deberetur, in quam sententiam Ricchardus ipse, dum in orientem traiecturus Messanæ, illuc vi ventorum impulsus, subsisteret, publicis in tabulis, quas ad concordiam cum Tancredo Siciliæ tunc imperante ineundam confecit, de Arthuro nepote suo, deque celebrandis inter illum, & Siculi Regis filiam nuptijs, hæc inter alia habet: *Pacis, & amicitiæ fœdus arctiori adhuc vinculo astringentes, inter Arthurum egregium ducem Britanniæ charissimum nepotem nostrum & heredem (si nos decedere sine prole contigerit) & illustrem filiam eius matrimonium, volente Domino, duximus contrahendum, quod Domino largiente debitam consummationem accipiet, cum illustris*

Angliæ Arthuro Britanniæ duci debita.

stris puella nubiles annos attigerit, aut prædicto domino Tancredo Regi placuerit, vt infra nubiles annos illa in vxorem nepoti nostro desponsanda tradatur, nos ipsum nepotem nostrum hoc facturum concessimus, si sancta Romana Ecclesia decreuerit similiter dispensare. Hæc apud Rogerium Ricchardus Rex, qui etiam datis ad Clementem III. Romanum Pontificem literis, quas vnà cum prædictis tabulis recitat Rogerius a, repetit, confirmatque. sed ad Ioannem Regem redeamus.

[a Rog. in Ann. Ang. an. 1190.]

[Io. Regis pœnitentia.]

26 Ille igitur Cantuariensi archiepiscopo admonente, & adhortante, peccata sua pœnitentia expiare, atque adeo milites centum sumptibus suis in Terræ sanctæ subsidium mittere, eosque annum integrũ ibidem alere, ac monasterium Cistercienſibus monachis construere decreuerat: quod cùm Innocentius accepisset, eidẽ de his per literas b gratulari adhortatique, vt iniunctam ab archiepiscopo pœnitentiã exequatur. Præterea Rothomagensi c, prædictoque Cantuariensi d archiepiscopis in Regis perduelles vindicandi, prouinciam imposuit: sed in illo planè cernere licuit, quod de diuitiarum, ac solicitudinum spinis diuini verbi semen suffocantibus monuit Dominus: e *Quod autem in spinas cecidit, hi sunt, qui audierunt, & à solicitudinibus, & diuitijs, & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum.* Ioannes enim ex diuino verbo non modò fructum non retulit, verùm in deteriora etiam lapsus est. Quocirca cùm ad Apostolicam sedem perlatum esset, Lemouicensem episcopum ab ipso iniurijs lacessitũ, spoliatum bonis, atque in exilium actum esse, valde his cõmotus Innocentius grauibus literis f imperauit, vt a cœptis desisteret, atque episcopum in pristinum statum restitueret, alioqui se Bituricensi archiepiscopo ad eum compellendum munus demandaturum. Cumque Ioannes, rogatus licet sæpius ab Apostolica sede, & iussus, Othoni nepoti Imperatori renunciato legatum a Ricchardo Rege defuncto relictum nondum soluisset, alijs ad eum datis literis, g vt quamprimum id præstaret, præcipit: *Monemus igitur*, inquit, *serenitatem regiam & exhortamur attentius, quatenus nuncijs Regis eiusdem legatum ipsum cum integritate persoluas, & cum nos ei iam publicè fauorem Apostolicum impendamus, tu quoque in eius auxilium potenter, & regaliter accingaris: alioquin districtionem, quam venerabilis frater noster Cantuariensis archiepiscopus propter hoc duxerit exercendam, ratam haberi volumus, & præcipimus inuiolabiliter obseruari. Datum Laterani 5. Kal. april.* Quomodo autem Anglorum Rex fœdus cum principe nepote suo sanxerit, paulo post ab ipso Othone audiemus.

[b Inn. l. 5. ep. 30. c Id. ibid. ep. 31. d Reg. post eand. ep.]

[e Luc. 8. Redit ad pristina scelera.]

[f Inn. l. 5. ep. 68.]

[g Inn. ep. 68. Lib. M. 8. ex reg. Inn. sup. neg. Rom. Imp. signato n. 415.]

27 Quoniam verò in mentionem de Othone incidimus, videamus, quæ pro eo insuper gesserit Innocentius. Ex ijs igitur, quæ e Germania reuersus nuper E. acolytus suus de Adolpho Coloniensi archiepiscopo sibi retulerat, vt nutantem in officio contineret, eius commendandi occasione arrepta, post alia hæc subdit: h *Fraternitatem tuam monemus, & exhortamur attentius, & per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus charissimo in Christo filio nostro illustri Regi Othoni in Romanum Imperatorem electo, quem ad regnum præcipuè post Dominum tu vocasti, fideliter & potenter assistas, & quoscunque poteris ad deuotionem & fidelitatem inducas.* Et paucis interiectis verbis: *Tu ergo cum alijs taliter te accingas, vt Regem ipsum nobis vt decet opportuno tempore repræsentes, quod præmissis ijs, quæ solent, & debent præmitti, nos eum in Romanorum Imperatorem, auctore Domino coronemus. Datum Laterani nonis aprilis.*

[h Inn. cit. eod. ep. 66.]

Post hæc cùm eiusdem archiepiscopi ab Othone defectionem a pluribus accepisset, ad illum hæc scripsit: i *Licet de fraternitate tua diuersi nobis per literas, & nuncios suos diuersa sæpe significauerint, & aduersa, quia tamen ex diuina pagina didicimus lectione, quod non omni spiritui est credendum, cùm Angelus satanæ se interdum in lucis Angelum transfiguret, non potuimus, sicut non debuimus quicquam de te suspicari sinistri, cum fidem, & deuotionem tuam constantiã, & fortitudinem in multis fuerimus iam experti. Nam quis crederet sanæ mentis, quod Othonem contrahendæ affinitatis, vel obligationis cuiuslibet causa desereres, & abijceres, quem creasti, & illi adhæreres pariter, & faueres, qui in Coloniensis ecclesiæ, ac tuæ personæ contemptum, ad quam specialiter inter reliquos principes electio Regis spectat, per intrusionis vitium nomen sibi regiũ vsurpauit, & in maius tui honoris dispendium, & personæ despectum, cùm tu solummodo Reges in Imperatores electos coronare debeas ex antiqua Coloniensis ecclesiæ dignitate, per Tarantasiensem archiepiscopum imponi sibi fecit regium diadema? Quis etiam crederet, &c.* Pergit Innocentius huiusmodi eum interrogationibus lacessere, grauissimaq; ac firmissima ingerere argumenta, quibus eiusmodi facinus a ratione admodum abhorrere ostendit, ex quibus illa memoria celebranda, atque indelebili stylo exaranda non in marmorum crustis, sed iuxta Apostolicum dictum a, in tabulis cordis carnalibus sacrorum antistitum incidenda: *Nec te*, inquit, *inducere illud debet, quod a quibusdam maliloquis in dispendium tuæ famæ confingitur, videlicet quod labores, & expensas huiusmodi solus nequeas tolerare, cum pro tuenda Coloniensis ecclesiæ dignitate non solùm terrenam erogare substantiam, sed animam etiam ponere tenearis.* Ad calcem verò epistolæ de rebus Italicis certiorem illum faciens subdit:

[i Id. ibid. ep. 79.]

[Inn. Adolphum Colon. a defectione reuocare nititur.]

[a 2. Cor. 3]

Sanè nosse te volumus, quod damnatæ memoriæ Marcualdus, qui nos magis fraudibus, quàm viribus molestabat C. dux olim Spoleti, qui vt in locum eius succederet, in Siciliam accedebat, Otho de Baretsten. qui sanctæ memoriæ Leodiensem episcopum interfecit, & frater ipsius dextera Domini faciente virtutem, miserabiliter expirauerint. Vnde cùm in eorum decessu pars ipsorum sit penè penitus annullata, pro parte maiori a sollicitudinibus regni Siciliæ liberati, super negotio Imperij plenius intendemus; nam etiam charissimo in Christo filio nostro F. illustri Regi Siciliæ soror charissimi in Christo filij nostri illustris Regis Aragonum est de mandato nostro, & assensu suorum familiarium desponsata, & nuncij sunt missi solemnes, qui non solum eam, sed & matrem deducant, vt ipsa puerum nutriat, & puellam. Hactenus Innocentij epistola. Hanc verò in codice alia præcedit eidem Adolpho in Treuirensem archiepiscopum missa. b Plures enim hoc anno ab Innocentio in eiusdem Treuirensis causa datæ, siquidem ad ipsum in primis scribens nonis aprilis incussa anathematis religione imperat, c vt quẽadmodum iuratus spoponderat, Othoni faueret, atque adhæreret, eademq; ie repetit alijs ad ipsum datis literis, Laterani 6. idus nouemb. pont. ann. 5. Cùmque idem archiepiscopus se ea dignitate abdicandi ab Apostolica sede facultatem perijsset, Pontifex Prænestino episcopo Apostolicæ sedis legato hæc mandauit: d *Si pro certo cognoueris, quod talis ei valeat sine diuisione* (Treuirensis scilicet ecclesiæ schismate) *substitus, qui nostrum debeat adimplere propositum, & curam ecclesiæ Treuirensis vtiliter exercere, tu nostra fretus auctoritate licentiam sibi cedendi concedas, prouisurus attentius, vt malum non eueniat, quod timemus, & bonum proueniat, quod optamus. Datum Laterani 16. Kal. decemb. anno 5.* Paucis post diebus quas paulo ante memorauimus ad Coloniẽsem archiepiscopum literas scripsit, mandans, vt in Treuirensi diœcesi ob archiepiscopi, cæterorumque contumaciam spiritualem iurisdictionem exerceat.

[Hostes Eccles. malè pereunt.]

[b Inn. cit. eod. 77.]

[c Id. ibid. ep. 57.]

[d Id. ibid. ep. 75.]

Inn. Patauiensem ep. contumacē sibi sistere iubet.

28 Nec solùm in Treuirensem, sed in alios quoque refractarios Germaniæ episcopos Innocentio fuit laborandum. Plurima patrauerat scelera Patauiensis episcopus atque Apostolicæ sedis mandata contemnebat. Quapropter die dicta Romæ ipsum adesse iussit, atque ad Salisburgensem archiepiscopum post recensita illius flagitia scripsit a: si dicto tempore Patauiensis sedem Apostolicā ad obiecta diluenda non adiret, ipsum ab officio pontificali ac sacerdotali amoueret, & quidquid in ea re gessisset, quantocyus significaret. Distringendæ quoque in alios præsules, qui Philippi partes sustinebant, censuræ fuerunt. Bisuntinus quidem archiepiscopus prodita patria in Burgundiam Philippum exciuerat, eamq; vastandam ipsi exposuerat; quin etiam instructo religioso agmine admiserat in ecclesiam: ob quæ a Prænestino episcopo legato censuris fuerat notatus. Huic Innocentius indixit b diem, & si iussa refelleret, de gradu pellendum denunciauit: iisdemque pœnis inuoluit c Spirensem episcopum, qui Apostolicis imperijs sese opposuerat, & quosdam pontificios cursores malè habuerat. Simili seueritate in Magdeburgensem archiepiscopum vsus e fidelium numero erasum denunciari iussit d, donec vel a legato sacris restitutus esset, vel sedem Apostolicam adijsset. Demum contra Tarantasiensem archiepiscopum, qui Philippum Sueuum antea corona redimire ausus fuerat, sub pœna suspensionis præcepit e, vt (salua sententia, si quam tulisset Prænestinus episcopus Apostolicæ sedis legatus) ad prædictam diem coram se adesset. hæc aduersus contumaces Germaniæ episcopos Innocentius.

a Inn. cit. cod. ep. 69.
b Id. ibid. ep. 70.
c Id. ibid. ep. 71.
d Ib. ep. 72
Tarantasiensem ad suum tribunal euocat.
e Ib. ibid. ep. 73.

Prætetea hoc itidem anno apud vniuersos Germaniæ principes questus est f, tum quod ad eos datæ a se literæ improborum aliquot calliditate supprimerentur, tum etiam quod nonnulli Ecclesiæ Imperijque exosi concordiam, quæ ipsi scripsisset, in prauas interpretationes detorquerent; ac postremò ad annuas inducias hortatur, vt hoc interim spatio de concilianda pace agi posset. Ad extremum silentio dissimulandæ nō sunt breues literæ, quibus Otho Imperator designatus Innocentium de rerum suarum statu certiorem fecit. g

f Ib. ep 78
Queritur literas intercipi supprimique.
Rerum Othonis status.
g Cit. cod. Vat. ep. 80

Venerabili in Christo patri, ac domino Innocentio sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici, Otho Dei gratia, & sua Romanorum Rex, & semper Augustus, debitam subiectionem & reuerentiam cum filiali dilectione.

Paternitati vestræ pater sancte significamus, quod Coloniensis ecclesia Coloniensem archiepiscopum ita nobis in fidelitate aligauit, quod ipsum nunquam firmiorem aut stabiliorem habuimus, quàm nunc habemus, quia si a compromissione facta resilire vellet, non posset. At quā ipsum fefellerit opinio, non ita multò post exitus demōstrauit. Subdit idem princeps de Angliæ Rege: *Sciatis præterea, quod nos cum charissimo auunculo nostro Rege Angliæ sumus confœderati, ita quod contra omnes homines in rebus & in pecunia nobis subuenire tenetur, vna cum regno suo, & nos ei saluo honore & honestate Romanæ Ecclesiæ, cui nos, & ipse nunquam deerimus. Tenetur enim auunculus noster cum Rege Franciæ facere pacem, sicut & nos de mandato vestro tenemur; alioquin pacem & concordiam cum ipso non fecissemus, nisi vobis & Romanæ Ecclesiæ videremus expedire. Nihil etiam teste legato fecimus in præiudicium Regis Franciæ: in spe sumus cuiusdam magnæ nostræ promotionis, de qua cùm certificati fuerimus, quam Deo volente breuiter sciemus, vobis tanquam patri & domino nostro significabimus, & vos cum tota curia per Dei gratiam gaudebitis. Sciatis insuper certissimè, quod omnem promotionem nostram post Deum sanctitati vestræ recognoscimus. Nuncios nostros, vos ad certificandum de statu nostro, vobis sæpius transmittimus: sed si ad vos veniant, ignoramus. Nos enim super omnia prosperum statum vestrum audire desideramus. Ea quæ scripsistis pro nobis in Theutonia, supplicamus idem faciatis in Italia.* Quid ad hæc Innocentius, quidue pro eo in Italia gesserit, proximo anno videbimus.

Vvillelmi Roschildensis abbatis felix obitus.

29 Porro inter tot offusas septentrioni dissensionum, præuaricationumque tenebras Vvillelmus Roschildensis abbas, qui hoc anno in Dania vinculis corporis solutus ad Deum euolauit, sanctitatis suæ multis miraculis illustratæ splendore effulsit. Euocatus olim fuerat e Gallijs in eam prouinciam ab Absalone magni nominis viro, tum Roschildensium episcopo, vt collapsam in ijs partibus regularem disciplinam restitueret pristinæ dignitati, vt ipsius Vvillelmi discipulus, qui eius gesta summa fide historiæ tradidit a (atque ex ipso collegit Baronius b) qui post plurima & egregia eiusdem enarrata facinora, ista ad huius anni periodum spectantia, æternaque memoria celebranda adijcit (post ostensum scilicet illi diuinitus sui obitus diem:) *Iam septimus voluebatur annus, & sacrum agebatur quadragesimæ tempus a cunctis fidelibus sancta deuotione obseruandum, eratque vir domini sedulò occupatus commemorandis nouissimis suis, & quotidie cum summa contritione cordis & lacrymarum profusione, atque multa cum reuerentia sacrificium missæ Domino offerebat, & corporis & sanguinis eius sacrosancta communione sese præmuniebat: ea autem die, qua cœnam Domini proximè antecedit, cum esset in cubiculo cum quibusdam fratribus, conquestus est prior se illam noctem habuisse longè omnium molestissimā: ille contra affirmabat se nunquam potitum esse nocte lætiori atque iucundiori: Vidi enim, inquit, Dominum Iesum, cui duo alij aderant, & ego tertius accessi, & ineffabili sum delectatione affectus. Respondit prior: Forsitan pater sancte, Dominus Iesus te accitum venit ad regnum suum, sicut pollicitus est, priusquam in hoc regnum te conferris. Tum abbas suspirans, & fletibus ora perfundens: Fiat mihi, inquit, secundum verbum tuum &c. In sabbato sancto fratres eum hortabantur, vt sacram vnctionem perciperet: at ille libenter se illius sacratissimæ noctis vigilijs interesse velle aiebat, mirabili feruore succensus erga cultum diuinum: sed neque virium imbecillitas, neque fratres id vt faceret, permittebant. Designati autem sunt certi fratres, qui apud illum ea nocte permanerent: ex quibus vnum ad se accersens: Scis, inquit, fili, quia noua adest solemnitas Christianis omnibus veneranda. Itaque & nos debemus nouis vestibus indui, affer quæso ad me vestem quam habes, vt illa induar. intellexit ille facilè quam diceret vestem, attulitque ei nouum cilicium, eoque, prius ablato veteri, eum induit. Rursus autem admonetur ab adstantibus vir sanctus, vt sacram vnctionem admitteret; respondit ille: Præstante Domino meo Iesu Christo lucem expectabo. iam aurora rutilante cùm canerent in ecclesia fratres, vt venientes vngerent Iesum, prior accitis aliquot fratribus chorum exijt, sacrum oleum secum ferens. Vir sanctus illo veniente tendebat ad extrema, atque hoc solum crebrò repetebat: Cito, cito. Peracta inde sancta vnctione depositus est super cinerem & cilicium: sic enim decere mori Christianum iam olim dixerat beatissimus Martinus Turonum episcopus, ibi tum feliciter emisit spiritum octauo idus aprilis, anno Christi MCCII. ætatis verò suæ 98. a suscepto verò abbatis officio 40.* Hæc de viri sanctissimi exitu auctor.

a Apud Sur. to. 2. die 6 april
b Bar. an. 1161. nu. 17. 18.
Illius pœnitentiæ feruor.

Postea sacrum ipsius funus enarrare pergit, ac plura miracula ipsius beneficio patrata. addit etiam duobus adolescentibus ipsius felicitatem diuinitus demonstratam, alteri quidem pio admodum obiectum esse Angelis stipatum in cælum conscendere, ringentibus inuidia dæmonibus, quod ipsi aditum

Viri sancti exequiæ.

inter-

intercludere non potuissent ; alterum verò haud dispari viso ad meliorem vitam traductum : *Alter ex his Nicolaus nomine a monasterio aufugerat, & dabat operam literis Hildesij, quod est Saxoniæ oppidum. Is vidit personam quandam sibi ignotam in scala candida cælum scandere, & intra albicantes nubes ita recipi, vt tantùm pedes, & extrema vestes cernerentur. Stetit igitur affixis cælo oculis admirabundus, sed mox adest quidam sciscitans, quid ita miraretur? ac deinde subiungens: Hic homo, quem vidisti in cælum recipi, abbas tuus est, qui multa patientia vicit seculi persecutiones: nunc autem coronatur, quia fideliter permansit in mandatis Domini sui. Expergefactus Nicolaus ducitur pœnitentia, reditque ad suum monasterium, & emendationi se offerens, hanc visionem omnibus enarrauit.* Atque hæc de Vvillelmo quem postea Honorius III. Innocentij successor, vt suo loco dicetur, in sanctorũ album retulit.

Cæleste visum de illius felicitate.

30 Viro sancto alterius quoque sancti felicem obitum Fulconis presbyteri, quem miraculis, ac pijs operibus coruscasse in Gallijs vidimus, coniungimus. Is Innocentij imperijs prædicandæ cruci se deuouerat, coactisque maximis copijs Venetias accesserat, vbi sanctissimè e vita discessit: crucesignati verò plures cùm traiectione arcerentur, partim obiere, partim rediere, alij sua consumpsere. Afflictam porrò, & concussam grauissimo terræmotu Syriam hoc anno die 30. maij tradit D. Antoninus [a]; ante Ascensionem Domini, auditam terribilem vocem, magnamque Acconensis vrbis partem cum regio palatio corruisse, Tyrum magna ex parte subuersam, Accam munitissimam arcem solo adæquatam, Tripolim magna ex parte euersam, populi magnam partem obrutam, Antaradon autem illæsam stetisse, in qua B. Petrus Apostolus primam basilicam B. Virgini excitarat, inde secutam terræ sterilitatem, atque epidemicos morbos grassatos esse. Afflictam ergo Terram S. solaturus Innocentius, ne ab hoste consumeretur, auxiliares ei copias submittere omni animi contentione satagit, iamque expeditione egregiè instructa legationem illuc decreuit, cuius obeundæ onus duo S. R. E. Cardinales susceperunt, de quibus præstat Pontificem ipsum audire, ad transmarinos enim patriarchas, episcopos, abbates, priores, & vniuersum clerum scribentē [b] (habentur huiusmodi literæ post alias datas 8. Kal. maij) vbi quædam præfatus ait: *Verùm quia nec cismarini, nec vltramarini hactenus sicut debuerant, Dominum placauerũt, quasi frustra prædecessores nostri Romani Pontifices laborarunt, frustra laborauit etiam populus Christianus, nisi forsan quamplures etsi Hierusalem terrenam recuperare nequiuerint, cælestem tamen, vt credimus, per palmam martyrij sunt adepti. Cum ergo nos prædecessorum nostrorum vestigijs inhærentes fideliũ populos ad subsidium Terræ sanctæ duxerimus cōmonendos, & tam eo faciente, qui actiones nostras aspirando præuenit, & prosequitur adiuuando, multi nobiles, & potentes de regno Francorum; immo etiam multa de diuersis partibus multitudo assumpserint signum Crucis, & in subuentionem vestram viriliter accingantur, ne (quod absit) inanis sit labor eorum, si zizania inter eos superseminante homine inimico, Angelus, qui de ipsorum medio colligat omnia scandala, non mittatur, dilectis filijs nostris Soffredo tituli sanctæ Praxedis, & Petro tit. S. Marcelli presbb. Cardd. Apostolicæ sedis legatis viris prouidis, & discretis tam in opere, quàm sermone potentibus laborem peregrinationis iniunximus, vt vterque, vel alter eorum exercitum Domini cum humilitate præcedat, & eum in concordia foueant, & ad pacem reuocent impacatos.* Extat eiusdem Pontificis ad prædictum G. . . Cardinalem legatum datum diploma [c], quo istiusmodi in vltramarinas partes amplissimam prouinciam impertit.

a S. Ant. 3. par. tit. 17. cap. 9. §. 31.

Terræmotus horrēdus in Syria.

Auxilia Terræ sanctæ submissa.

b Inn. l. 5. ep. 26.

Literę Pōtificis de expeditione sacra.

c Id ibid. ep. 27.

31 Hic verò depellenda calumnia, refutandaque est, quam expeditionis huius occasione Matthæus Parisius pro more suo aduersus Pontifices, & curiam Romanam maleuolentia suffusus optimo Pontifici inurere his maledicentiæ veneno perlitis verbis nititur [a]: *Eodem anno cùm Innocentius Papa ad expeditionem Terræ sanctæ, vt dixit, ad occultandam suam auaritiam, infinitam pecuniam ab ordine Cisterciensi proposuisset extorquere, a B. Virgine correptus ab exactione cessauit timore percussus.* Hunc sanè auctorem Innocentium calumnijs proscindere, aliqua interdum pro libidine comminisci, verbaque Romano prorsus indigna Pontifice ex nequitia affingere, Baronius manifesti illum mendacij coarguit obseruauitque [b]: & certè quemadmodum in tantum Pontificem præclaris virtutibus conspicuum, atque adeo proborum omnium ore collaudatum nec mutire quidem debuisset, ita summæ impudentiæ, ac dementiæ fuit, virum munificentissimum auaritiæ sordibus oblinere, eiusque accusare criminis, a quo maximè abhorreret. Hæc verò ad liberalem Innocentij animum demonstrandum, maleuolique hominis mēdacia refellenda suffecerint, quæ illius æui sinceræ fidei scriptor memoriæ tradidit: *Interea D. Innocentius suum iactans in Domino cogitatum, operibus pietatis plane insistebat: nam validè cum famis inualuisset inedia, ita vt bladum frumenti a viginti vsque ad triginta solidos venderetur, & tunc ipse moraretur Anagniæ, protinus remeauit ad Vrbem, & cœpit necessarias eleemosynas indigenti populo liberaliter erogare, sic autem fecit illas distribui, vt ij, qui verecundabantur publicè mendicare, pecuniam occultè reciperent, de qua sustentarentur per singulas septimanas: illi verò, qui publicè mendicabant, singulis diebus panem acciperent ad sufficientiam vniuersi, quorum tanta erat promiscua multitudo, vt excederent numerum octo millium personarum, alij autem in eleemosynaria domo reciperent alimenta; & sic famelicum populum ab imminenti periculo liberauit, exhortans diuites, & potentes verbis pariter & exemplis ad eleemosynas largiendas.*

Refutatur Parisij calumnia.

a Paris. hist. Angl. an. 1202.

b Bar. an. 1197. n. 16. 17. 18.

Cæterùm hoc anno id Innocentium præstitisse facilè ostenditur, cum Fossæ nouæ chronici auctor magnam annonæ caritatem per vniuersam Italiam incanduisse, atque adeo hunc famis annum ab omnibus appellatum testetur: ne autem calumniator aliquis pontificiam eiusmodi liberalitatem cum hoc pariter anno extinctam arbitretur, cœptam de Innocentij beneficentia narrationem eius gesta prosequamur:

Annonæ caritas.

32 *Ab initio promotionis suæ ad eleemosynas deputauit vniuersos prouentus ad se pertinentes de oblationibus basilicæ S. Petri. Præterea de cunctis prouentibus suis faciebat integram decimam in opus eleemosynæ separari, & de residuo licet occultas, sæpissimè tamē largas eleemosynas impendebat, vniuersasq; oblationes prouenientes ad pedes ipsius secundùm antiquam cōsuetudinem accipiebat eleemosynarius erogãdas. faciebat ergo famelicos refici, nudos vestiri, virgines paupercuIas maritari, pueros expositos enutriri, subueniebat frequenter monachis, & monialibus indigentibus reclusis, & eremitis, domosque religiosas visitabat multoties, & a debitis liberabat, circuibat, & inuestigabat diligenter eleemosynarius eius pauperes, & debiles, maximè nobiles, dabatque illis sigilla, vt per eos, qui ipsa referrent, singulis hebdomadibus pecuniam destinaret ad victum, & sæpissimè talibus quindecim libras per hebdomadas impendebat, exceptis illis, qui quotidie recipiebant aut nummos, aut cibos, aut vestes. Permittebat etiam idem benignissimus Pontifex pauperculos puerulos ante mensam suam post finem refectionis venire ipsius, & de his, quæ coram eo remanserant, victualia exhiberi. Sabbatis quoque faciebat mandatum, lauans, ac tergens, & osculans pedes duodecim pauperum, & singulis duodecim nummos impendens, faciens refectionem omnibus ministrari. Fecit etiam pro-*

Innocentij eleemosynæ.

prÿs sumptibus ad opus infirmorum, & pauperum hospitale S. Spiritus in Saxia apud sanctam Mariam in strata publica iuxta Tyberim, ante basilicam S. Petri, quod quantum ditauerit, & dotauerit ædificys, possessionibus, & redditibus, thesauris, ornamentis, libris, & priuilegÿs, per se satis apparet, & vt religiosus cultus, & hospitalitatis gratia, quæ nunc vigent, ibidem semper abundent. Instituit etiam apud hospitale prædictum stationem solemnem dominica prima post octauam Epiphaniæ, in qua populus illic confluit Christianus ad videndum, & venerandum sudarium Saluatoris, quod cum hymnis, canticis, & psalmis, & faculis a basilica S. Petri ad locum illum processionaliter deportatur, & ad audiendum, & intelligendum sermonem exhortatorium, quem ibi facere solet Romanus Pontifex de operibus pietatis, & ad promerendam, & obtinendam indulgentiam peccatorum, quam exercentibus se ad opera misericordiæ pollicetur, ad quæ vt alios non solùm verbo prouocet, sed exemplis, egenis omnibus ad illas spirituales nuptias concurrentibus panes, carnes, & denarios constituit elargiri, quorum omnium rationem idem prudentissimus præsul exposuit in homilia, quam super illius diei Euangelium exarauit. Quantum verò munificus, & studiosus extiterit circa cultum, & ornatum ecclesiasticum, sequentia manifestant. Multa addunt de innumeris, ingentibusque muneribus, quibus plures ecclesias, monasteria, aliaque sacra loca exornauit, sed ne illa fastidium lectori pariant, cõsultò omitrimus, cùm ea præsertim iam in lucem prodierint. Plura de Innocentij effusa liberalitate addi possent, quæ alibi iam dicta, & suo loco dicenda relinquimus. De obiecto verò cælesti, quod a Parisio indicatur, cùm idem videatur, quod Cæsarius tradit [a], opportuniori loco dicemus aliàs, nunc cæteras Innocentij res gestas afferamus.

a Cæs. lib. 7. c. 6.

Bulgaria ad Ecclesiam conuersa.

33 Hoc anno magnorum principum literas, & legationes a remotioribus regionibus excepit, de quibus in eiusdem Pontificis vita exactissimè agitur, cuius nos ordine seruato a Bulgaricis rebus narrationẽ auspicemur. Meminerit lector vigilantissimu pastorem totius dominici gregis curam gerentẽ legationem cum literis [b] ad Calo Ioannem Bulgarorum Regem misisse. *Ioannes autem*, inquit gestorum auctor, *nuncios, ac literas domini Papæ deuote recipiens, rescripsit hoc modo:*

b An. 1199 in fine.

Venerabili [c], *& sanctissimo Patri summo Pontifici, ego Calo Ioannes Imperator Bulgarorum, & Blacorum gaudium, & salutem mando tibi.*

c Lib. 5. ep. 115.

Notum facimus sanctitati vestræ, quod nos recepimus vestras sacrosanctas literas, quas nobis portauit religiosus archipresbyter Brundusinus, & nos reputauimus eas charas super omne aurum, & quemlibet lapidem pretiosum. Vnde multas egimus gratias omnipotenti Deo, qui visitauit nos seruos suos indignos secundùm suam ineffabilem bonitatem, & respexit humilitatem nostram, & reduxit nos ad memoriam sanguinis, & patriæ nostræ, a qua descendimus. Et nunc sancte pater, tanquam bonus pastor, & caput omnium fidelium Christianorum filios sanctæ catholicæ, & Apostolicæ sedis congregare volens in vnum, requisisti nos remotos secundum corpus.] Et infra: Sanctissime pater significastis nobis per sacras literas vestras, quod nos significaremus vobis, quid ab Ecclesia Romana petamus; hoc autem petit Imperium nostrum ab Apostolica sede, vt nos simus in Ecclesia Romana sicut matre filialitate firmati. In primis petimus ab Ecclesia Romana matre nostra coronam, & honorem tanquam dilectus filius, secundùm quod Imperatores nostri veteres habuerunt. Vnus fuit Petrus, alius fuit Samuel, & alij, qui eos Imperio præcesserunt, sicut in libris nostris inuenimus esse scriptum. Nunc autem, si placitum est sanctitati vestræ nobis istud implere, quicquid Imperio nostro duxeritis iniungendum, illud ad honorem Dei, & Ecclesiæ Romanæ complebitur. Et infra: Verùm si placet vobis sanctissime pater, mittite nobis magnos nuncios, de quibus nobis per vestras literas intimastis, & istum destinare cum eis, & tunc certificabimur de prima missione pariter & secunda. Det vobis Dominus multos annos.] Hactenus ad Pontificem Bulgarorum Rex.

Basilius quoque archiepiscopus, subdunt acta, *huiusmodi literas Papæ transmisit:*

Honoratissimo [a], *& sanctissimo summo Pontifici Papæ, ego Basilius indignus archiepiscopus sanctitatis vestræ, & pastor de Zagor. salutem, gaudium, & adorationem merito vobis tanquam patri nostro speciali. Quamuis non possimus vos corporaliter adorare, vos tamen spiritualiter adoramus, notificantes sanctitati vestræ &c.* Omni officio, ac humanitate refertæ sunt, & in eandem rationem, ac Regis literæ scriptæ. *Receptis his literis*, pergunt gesta, *dominus Papa transmisit ad eos Ioannem capellanum suum cum Apostolicis scriptis habentibus hunc tenorem:*

a Lib. 5. ep. 117.

Innocentius, &c.

34 Petisti humiliter [b], vt coronam tibi Ecclesia Romana concederet, sicut illustri memoriæ Petro, Samueli, & alijs progenitoribus tuis legitur concessisse. Nos ergo, vt super hoc maiorem certitudinem haberemus, regesta nostra perlegi fecimus diligenter, ex quibus euidenter comperimus, quod in terra tibi subiecta multi Reges fuerant coronati. Præterea continebatur in eis, quod tempore bonæ memoriæ Nicolai Papæ prædecessoris nostri Rex Bulgarorum, ad quorum consulta sæpissimè respondebat, cum toto regno sibi commisso ad prædicationem eius fuerat baptizatus, & Rex ipse ab eo archiepiscopum postularat. Legatus quoque Michaelis Regis Bulgarici cum donis regalibus Adriano Papæ prædecessori nostro regias literas præsentarat, & postularat ab eo, vt aliquem ex Cardinalibus in archiepiscopum eligendum dirigeret, quem post approbationem eorum ad sedem Apostolicam remeantem ipse postmodum consecraret. Cùmque idem Adrianus illuc cum duobis episcopis quendam subdiaconum direxisset, Bulgari corrupti donis Græcorum, & promissionibus circumuenti, Romanis eiectis Græcos presbyteros receperunt. Licet igitur tantæ memoria lenitatis nos vsque adeo induxerit ad cautelam, vt nullum ex fratribus nostris Cardinalibus, scilicet præsentialiter ad tuam præsentiam mitteremus; nihilominus tamen dilectum filium I. . . . capellanum, & familiarem nostrum Apostolicæ sedis legatum, virum prouidum, & discretum, quem nos, & fratres nostri suæ religionis, & probitatis obtentu inter cæteros capellanos nostros specialis in Domino brachijs dilectionis amplexamur, ad te duximus destinandum, cui etiã commisimus vices nostras, vt in tota terra tua quoad spiritualia corrigat, quæ corrigenda cognouerit, & statuat, quæ secundùm Deum fuerint statuenda, &c.] Hortatur, vt legatum benignè excipiat, eiusque salubria monita, & statuta seruanda curet. Data est hæc Innocentij epistola 5. Kal. decemb. eiusdemque argumenti literas [c] ad archiepiscopum de Zagota reddidit.

b Lib. 5. ep. 116.

c Ibid. ep. 119.

Misit præterea insignem amoris notis epistolam [d] ad nobilem virum Belloram principem, cuius etiam memorati Dominici Brundusini archipresbyteri opera literas [e] acceperat, quibus Pontificis precibus egregius princeps impensè se commendabat; præfixus verò ijs erat hic titulus: *Ego Bellota* [f] *princeps nimis peccator adoro maiorem sanctitatem vestram superexaltatam vniuerso mundo.* Hactenus ille. Cæterum quid egerit in Bulgariæ partibus Ioannes capellanus, & legatus, suo loco dicetur.

d Ibid. l. 5. ep. 120.

e Ibid. ep. 118.

f Lib. 5. ep. 118.

35 Interea nuncij a Constantinopolitano Imperato-

ratore missi ad Apostolicam sedem peruenere, qua verò occasione hæc fuerit decreta legatio Innocentij gesta, sic produnt: *Alexius autem filius Isaacij quondam Constantinopolitani Imperatoris de carcere fugiens, venit ad summum Pontificem, grauem de patruo suo querelam deponens, quod videlicet patrem suum Imperatorem Isachium, quem sicut fratrem, & dominum debuerat honorare, crudeliter excæcauerat, & inuadens violenter Imperium, tam ipsum, quàm Alexiũ eius filium incarcerauerat, ferreis vinculis compeditum, postulans de eo iustitiam exerceri: contra quem idem Imperator nuncios, & literas suas summo Pontifici destinauit, quarum tenor in ipsis responsiuis Apostolicis explicatur, & ad alia quibus idem Imperator ei scripserat, respondetur.* Recitantur huiusmodi Apostolicæ literæ in ijsdem gestis, sed mutilatæ. Nos verò quoniam multa maximi ponderis amplectuntur, integras ex Innocentij regesto hic reddere operæ precium ducimus. a

Alexius e carcere ad Innoc. confugit.

Contra Alexiũ ad Põt. Imp. Constantinop. literas mittit.

a Inn. l. 5. ep. 122.

Illustri Constantinopolitano Imperatori.

Literas, & nuncios Imperatoriæ dignitatis ea, qua decuit, benignitate recepimus, & tam ea, quæ ijdem nuncij proponere voluerunt, quàm quæ in literis continebãtur eisdem, intelleximus diligenter. Proposuerunt siquidem nobis dicti nuncij tui, & id etiam tuæ literæ continebant, quod cùm Christianorum exercitus, qui venturus est in subsidium Terræ sanctæ, proposuerit tuæ magnitudinis terram inuadere, & contra Christianos arma mouere, nostro conueniebat officio, vt eos a tali deberemus proposito reuocare, ne fortè manus suas de Christianorum nece fœdarent, & Dei exinde offensam incurrerent, ac inimicos Christi debilitati non modicum nõ possent aliquatenus impugnare. Ex parte insuper tuæ celsitudinis adiecerunt, quòd Alexio filio Isachij Angeli quondam Imperatoris, qui ad Philippum ducem Sueuiæ accessit, vt Imperium contra te ipsius possit auxilio obtinere, fauorem nullatenus præstaremus, quia Imperium non debet ad eum aliqua ratione deuolui, cùm illud non per successionem, sed per electionem nobilium conferatur, nisi fortè genitus esset post adeptum fastigium Imperatoriæ dignitatis, quod vmquam idem Alexius non poterat allegare, cùm priusquam pater eius esset in Imperatorem promotus, natus fuerit, & quia pater eius tunc priuata erat persona, in Imperio non poterat sibi ius aliquod vindicare. Id etiam ex parte tuæ celsitudinis fuit propositum coram nobis, quod cum Fridericus Imperator multum offenderit Romanam Ecclesiam, & eam odio iniquo fuerit persecutus, & filij sui patris vestigijs inhærentes eam non modicum aggrauarint, prædicto duci Sueuiæ, vt regnum posset modo quolibet obtinere, non præstaremus subsidium, vel fauorem. Ad quod efficiendum de facili debebamus induci, cùm idem Philippus clericali fuerit charactere insignitus, & personæ huiusmodi nec contrahere possint, nec militari cingulo decorari, vel dignitatem aliquam in populo obtinere, cùm sint excommunicationis vinculo innodati.

36 Nos autem Imperiali prudentiæ taliter duximus respondendum, quod prædictus Alexius olim ad præsentiam nostram accedens, grauem in nostra & fratrum nostrorum præsentia multis nobilium Romanorum adstantibus proposuit quęstionem, asserẽs, quod patrem eius iniustè ceperis, & feceris etiam nequiter excæcari, eos diu detinens carcerali custodiæ mancipatos. Et quia ad superiorem nobis non poterat habere recursum, & nos iuxta Apostolum eramus tam sapientibus, quàm insipientibus debitores, & iustitiam facere tenebamur: cùmque nos eidem dedissemus responsum, iuxta quod vidimus expedire, recessit a nobis, & ad prædictum Philippum sororium suum concitus properauit, cum quo deliberato consilio sic effecit, quod idem Philippus nuncios suos ad principes exercitus Christiani sine qualibet dilatione transmisit, rogans eos, & petens, vt quia pater suus, & ipse fuerant iure suo, & Imperio nequiter spoliati, cum eo Constantinopolitan. deberent regnum intrare, ac ad illud recuperandum eidem præstarent consilium, & fauorem, promittens eisdem, quod tam in subsidium Terræ sanctæ, quàm in expensis, & donatiuis eis magnificè responderet, paratus etiam in omnibus, & per omnia nostris stare mandatis, & quod sacrosanctam Romanam Ecclesiam vellet iuxta posse suum modis omnibus honorare, ac ea efficere, quæ nostræ forent placita voluntati. Cæterùm dicti principes deliberato consilio responderunt, quòd cum in tam arduo negotio sine mandato, & auctoritate nostra non possent procedere, nec deberent, nos volebant consulere super his, ac exinde præstolari nostræ beneplacitum voluntatis, inducentes dilectum filium nostrum Petrum tituli sancti Marcelli presbyterum Cardinalem, qui cum eis transfretare debebat, vt ad præsentiam nostram rediret, & super prædictis omnibus nostram inquireret voluntatem. Verùm idem Cardinalis ad præsentiam nostram accedens, omnia nobis curauit proponere diligenter, & cùm nuncij tui ad nostram accessERUNT præsentiam, super his cum fratribus nostris habebamus tractatum, & illud statuimus, quod tibi poterit meritò complacere, quamquam plures assererent, quod huiusmodi postulationi benignum deberemus præstare fauorem, pro eo quod Græcorũ ecclesia sit Apostolicæ sedi minus obediẽs, & deuota.

Alexius a Pontifice ad Philippũ Sueuũ se cõfert.

37 Super eo autem, quod de iuuando illo ad Romanum Imperium obtinendum, qui Romanam Ecclesiam deberet diligere, & nostris obsecundare mandatis, tua nos celsitudo voluit commonere; noueris, quòd licet prædictus Philippus potens sit, & multum abundet, tamen Rex Otho adeo nostro studio, & diligentia mediante per Dei gratiã est promotus, quod contra eum ille hactenus non potuit præualere, ad quod exequendum, quantum nobis subueneris, licet multa fuerint nobis promissa, Imperialis excellentia non ignorat, quod vtique tantò gratius deberes habere, quantò id te non promittente noscitur procuratum. Si enim idem Philippus obtinuisset Imperium, multa tibi ex Imperio suo grauamina peruenissent, cùm per terram charissimi in Christo filij nostri Friderici illustris Regis Siciliæ nepotis sui in Imperium tuũ insurgere de facili potuisset, sicut Henricus olim Imperator frater suus per Siciliam tuum proposuerat Imperium occupare. Licet autem a tempore inclytæ memoriæ Manuelis prædecessoris tui Constantinopolitanum Imperium non meruerit, vt talia efficere deberemus, cùm semper nobis, & prædecessoribus nostris per verba responsum fuerit, & nihil operibus demonstratum, in spiritu tamen lenitatis, & mansuetudinis duximus procedendum, credentes, vt inspecta gratia, quam tibi fecimus, emendare celeriter debeas quod tam a te, quàm a prædecessoribus tuis minus prouidè hactenus est omissum, cùm & secundùm humanam industriam id deberes studiosissimè procurare, vt ignem in remotis partibus extingueres, non nutrires, ne vsque ad partes tuas posset aliquatenus peruenire. Rogamus igitur Imperialem excellentiã, monemus, consulimus, & hortamur, quatenus quicquid super his duxeris statuendum, operibus nobis, & non verbis dumtaxat studeas respondere, quia nos dilectionem, quam ad te habemus, in opere demonstrare curauimus & effectu. Disposuimus autem nostrum propter hoc nuncium destinare, qui si fortè tardauerit, tu tamen non tardes super hoc nobis, sicut expedire cognoueris, respondere.] *Dat. Lat. 16. Kal. decemb.*

38 Quod verò ad Alexium ſpectat, qui iam ad Philippum aduolatar, Innocentius huiuſmodi profectionem cõfirmat, tum illius anno ſuperiori meminit Godefridus a, Vrſpergenſis, b & Guntherns c in Conſtantinopolitana hiſtoria, ſed præſtat Nicetam d hæc monumentis annalium mandantem audire: *Alexius fratrem Iſaacium Imperio deiectum exæcarat; ſed cum eius cuſtodia non prorſus negligenda eſſet, oblitus pleriſque inuri calamitates, nec deleri poſſe, & vindictam non perpetuò ſtertere, ſed ſeris gaudere mutationibus, & celeriter ingruentem tacito eos pede conſectari, qui nefaria facinora perpetrent, fratrem iuxta duas columnas, quæ in freti littore ſunt, liberè viuere paſſus eſt, neque quemquam ad eum traÿcere vetuit. Erat igitur cuiuſuis Iſaacium adire: tum verò Latinorum, cum quibus arcana conſilia de vlciſcendis iniurÿs, & euertendo fratre Alexio conferebat, literis ad Irenem filiam miſſis, Philippi Alemannorum Regis coniugem, quibus eam ad opem ſibi ferendam inſtigabat, atque inde literas recipiebat, quibus quid agendum eſſet, monebatur.*

a Godefr. in Annal. an. 1201.
b Vrſperg. in chron.
c Nicet. annal. l. 3.
d Apud Caniſ. antiq. lect. to. 5. p. 368

Iſaacius a fratre oc-cœcatus carcereq; incluſus.

Deinde filius quoque eius Alexius cuſtodia eductus, liberè quò libuit, ambulauit, & ab Imperatore contra Protoſtratorem exituro, itineris comes eſt aſſumptus. Is verò de ſententia patris cum Piſano quodam maximæ rotundæ nauis domino conſilio fugæ inito, nauigandi opportunitatem captabat, quæ cum contigiſſet, maius nauigium plenis velis ad Helleſponti Antoniam fertur: minus verò Athyra Alexÿ recipiendi cauſa appulit: & quo id conſilium lateret, nautæ arenam intulerunt, ſuburrandi ſcilicet vacui nauigÿ gratia, quo Alexius Damocrania eo profectus conſcenſo, ad magnã nauem peruehitur. Fuga eius cognita mittuntur ab Imperatore, qui nauem perſcrutentur, nec tamen Alexium deprehendere potuerunt, nam coma in orbem raſa & Latina veſte induta, vt in turba magna obuerſans, inquiſitores latuit, perductus in Siciliam ſorori indicatur: quæ iuſto præſidio miſſo, fratrem amplexa, maritum Philippum orat, vt patri ſuo pro virili opem ferat, ſimul & Imperio & luminis priuato: & fratrem quoque iuuet exulem & extorrem, & errantium ſtellarum inſtar vagantem, neque quicquam ferentem ſecum præter corpus. Hactenus Niceta.

Alexius ſi-bus profugus mutatis veſtibus tonſaq; coma non agnoſcitur.

Cæterum vt Philippus Suenus in Alexium ſe geſſerit, in actis Innocentij traditur: *Ipſe vero* (nimirum Bonifacius Montisferrati marchio dux Chriſtiani exercitus) *de Francia per Alemanniam tranſitũ fecit, vbi cum Philippo duce Sueuiæ, qui ſe Regem gerebat, dicebatur habuiſſe tractatum, vt Alexium ſororium ſuum, filium videlicet Iſachÿ quondam Conſtantinopolitani Imperatoris, cuius ſororem ipſe Philippus duxerat in vxorem, a fœdo captiuitatis ergaſtulo fugientẽ reduci faceret Conſtantinopolim ab exercitu Chriſtiano ad obtinendum Imperium Romaniæ, de quo cùm idem marchio ad ſummum Pontificem acceſſiſſet, cœpit agere a remotis, ſed cum intellexiſſet ipſius animum ad hoc non eſſe directum, expeditis negotÿs ad crucis officium pertinentibus ad propria remeauit.* Quæ deinde ſecuta, infra aperiemus.

Commẽdatur a Philippo Bonifacio marchioni.

Põtifex a reſtituẽdo Alexio alienus.

39 Reliquum nunc vt de tertia legatione dicamus, quam princeps alter, Armenorum ſcilicet Rex poſt aliam anno milleſimo centeſimo nonageſimo nono, vt vidimus, ad Romanum Pontificem decretam miſit, de quo Innocentij vitæ ſcriptor: *Iterum idem Rex alium militem ad ſedem Apoſtolicam deſtinauit, per quem talia ſcripta direxit.* Pergit prolixiorem ipſius epiſtolam recitare, quæ habetur etiam in huius anni regeſto e, vbi gratias Pontifici agit, tum quia nunciũ ſuum benignè & honorificè accepiſſet, tum etiam quia S. Petri vexillũ quod petierat, Regi, vt vidimus f, per eum tranſmiſiſſet, quod ſemper ante ſe in crucis hoſtes ad ſanctæ Romanæ Eccleſiæ gloriam latum iri pollicetur. additque: *Precari autem & exhortari nos voluiſtis, vt contra conatus & violentias paganorum nos murum opponeremus aſcendentibus ex aduerſo, quod quidem qualiter hactenus fecerimus, veſtræ prout credimus, non extat incognitum paternitati, atque de cætero pro lege veſtra, & defenſione fidei Chriſtianæ mandati veſtri gratia, fortitudinis noſtræ clypeum in manu forti & brachio extenſo contra barbaricas nationes opponemus, quouſque deſideratum nobis nuncium mittatis. Mandaſtis ſæpè & ſæpius, quod daremus pacem Antiochiæ & comiti Tripolitano, quod amoris veſtri gratia vtrumque bene aſſerimus. Verùm nulli veniat in dubium, quod per Dei gratiam bene non habeamus poſſe Antiochenorum repugnantiam, & audaciam refrænare, &c.* Queritur de comite Tripolitano & Antiocheno, miſſos fuiſſe ab illis oratores ad Homocodium crucis Chriſti hoſtem, vt percuſſo fœdere ipſum in Armeniam incitarent, multa & grauiſſima damna rei Chriſtianæ inflicta, ſe quoque plures labores tribus menſibus in Antiochenorum finibus tuliſſe, atque inuitum ab expugnatione Sarracenorum diuulſum: tum rogat, vt crucesignatorum exercitum mittat, egregiam enim ob mutua Sarracenorum bella proferendæ Chriſtianæ fidei ſpem atque occaſionem explicari, & ſi in mutuam amicitiam coierint, eorum impetus Chriſtianos non laturos. de Rupini verò controuerſia hæc adijcit: *Super hoc quod nobis ſcripſiſtis de negotio Rupini nepotis noſtri quod abſente alia parte ſuper re incerta non vultis, nec debetis iudicium proferre, hoc exigit vniuerſale ius; verùm pulſati ſumus non modica lætitia, eo quod cauſam noſtram in manibus legatorum veſtrorum commiſiſtis, & literis & firmis mandatis non in manibus perſonarum nobis ſuſpectarum, ſuper quo ſanctitati veſtræ gratiarum exoluimus actiones aſſiduas, & omnium conditori laudes referimus copioſas: ad hoc piiſſimam paternitatem veſtram expoſcimus, & flexis genibus flagitamus, quod eum legatis veſtris, de quibus non modicum confidimus, venerabilem archiepiſcopum Maguntinum, ad ſuccurſum Terræ ſanctæ futurum in eadem cauſa noſtra iudicem conſtituere dignemini, quia nihil eſt, de quo magis lætificari poſſimus* (Cõradum intelligit, a quo, vt diximus a, ex Apoſtolicę ſedis præſcripto corona fuerat redimitus: cùm enim has dedit literas, priori ſcilicet anno, de eius morte nũcium minimè acceperat) *ſcripſiſtis enim nobis, quod per literas veſtras miſiſtis comiti Tripolitano, vt de alieno iure ſe ſubtraheret, quod gratum ducimus & acceptum, & vobis vniuerſas gratiarum exoluimus actiones, ſed ſciatis nihil nobis profuiſſe, quod inſidiatur vt lupus in abſconditis, & non ceſſat diu noctuque ſibi, quos poteſt, Antiochenos & pretio & precibus attrahere.*

Regis Armeniæ ad Pontifice legatio.

e Inn. l. 5. ep. 43.
f apud Inn. l. 2. ep. 209
f An. 1199

a An. 1199.

40 *Igitur ſanctitatem veſtram latere nolumus, quod menſe Iulÿ exercitum noſtrum congregauimus contra barbaricas nationes, quas durius cum Dei auxilio lædere ſperabamus, propter diſcordiam inter eos emerſam, in quo negotio miſimus pro Templarÿs morantibus in regno noſtro, de poſſeſſionibus valentibus viginti millia biſantiorum, vt venirent in auxilium noſtrum ad honorem & defenſionem Chriſtianitatis, qui Antiochiam vſque venerunt, nos in propria perſona cum gaudio & exultatione vſque ad fines Antiochiæ obuiam eis exiuimus. Ad hoc deſtinauit nobis literas magiſter Templi ex parte veſtra directas, quas cùm vidiſſemus, eo quo decuit honore ſuſcepimus; quibus perlectis, per earum tenorem intelleximus vos nos precari, vt eis redderemus Gaſton* b, *& nos in momento pro magiſtro, & quibuſdam fratribus ſuis miſimus ſecundùm preces veſtras, cauſa loquendi cum eis, qui ad nos venientes tractauerunt nobiſcum colloquia. Poſt multas verborum nebulas rogauimus magiſtrum Templi, ad ſupplendas preces noſtras, vt ipſe, & D. patriarcha Antiochenus, & nos mitteremus nuncios noſtros ſimul ad ſedem Apoſtolicam, quia per manus veſtras ipſum Gaſton, ſopita*

b Inn. l. 2. ep. 251.

omni

omni accusatione Templarijs reddere volebamus, & Rupinum dilectum nepotem nostrum ad nutriendum & custodiendum bona fide, & sine malo ingenio in ipso castello eis tradere cupiebamus, & vt deberent semper esse auxiliantes prædicto puero ad acquirenda iura sua, in quantum dignitas ordinis sui permitteret, & vt quodlibet damnum in regno nostro per ipsum castellum non contigisset, & donec nuncij nostri irent, & redirent, precum vestrarum obtentu, quantum valebant redditus pertinentiarum ipsius castelli in corpore terræ nostræ Tēplarijs restituere volebamus, &c. queritur Templarios oblatum fœdus respuisse, cùm Armenum Saracenico bello implicitum vidissent, atque rogaros, vt vires suas ad propulsandos infideles coniungerent, vel saltem Armeniam, dum ipse abesset, tuerentur, non modò respuisse preces, verùm etiam regnum se absente infestasse: *Præterea nos obedientiæ vinculis de cætero Apostolicæ sedi esse obligatos non dubitetis. Ea propter, si placet sanctitati vestræ, cuilibet alteri ecclesiæ Latinæ nec volumus, nec debemus alligari. Hinc est quod sanctitatem vestram humiliter flagitamus, quatenus nobis literas apertas mittere dignemini, vt non teneamur, nec Latini de terra nostra de qualibet conditione, excepta sancta Romana Ecclesia, cuilibet Ecclesiæ Latinæ; & quod nō habeat potestatem, nos seu Latinos de terra nostra excommunicandi, vel sententiam in regno nostro proferendi super Latinos qualibet ecclesia, excepta, vt dictum est, sede Apostolica, &c.*

a Extat in vita Inn. a lib. ep. 44. Armenia sedi Ap. tantum obnoxia.

Porro extat Pontificium hoc anno kal. iulias datum diploma a, quo Innocentius indulget, vt quemadmodum rogarat, Armeniæ regnum Romano Pontifici tantummodo obnoxium esset, vtque tantum Regem de Christiana re bene meritum gratia prosequeretur, diploma edidit, quo a Romana tātùm sede, eiusq; legato omnes vel Latinos, vel alterius gentis, qui in eo regno versarentur, pendere iussit, vetuitque ne quis præter Romanum Pontificem in Armenos censuris ecclesiasticis animaduertere posset.

Volentes igitur, quantum cum Deo possumus, tuæ serenitati deferre, & cum honestate nostra petitiones regias exaudire, tuis precibus inclinati auctoritate præsentium inhibemus, ne quis in te, vel regnum tuum, aut homines regni tui cuiuscunque conditionis existant, qui mediantibus tantum eiusdem regni prælatis sedi Apostolicæ sunt subiecti, præter Romanum Pontificem, aut eius legatum, vel de eius speciali mandato districtionem Apostolicam audeat exercere. Nulli ergo inhibitionis, &c.

41 Quanta Armenorum in Apostolicam sedem religio, ac pietas esset, ob quam ea prærogatiua gaudere meruerunt, illustrant patriarchæ ipsorum literæ, quem Catholicum aiebant, quibus Romano Pontifici ob collatum Leoni regium honorem gratias egit amplissimas, rogauitque laborantibus, ac periculis vndique ab Sarracenis cinctis succurreret, quæ cùm Romanæ Ecclesiæ dignitatem commendent, annalibus inserendæ fuerunt.

Litera Catholici Armeniorum ad dominum Papam.

b Lib. 5. ep. 45.

Post Deum b, qui est caput omnium bonorū, Apostolicam sedem tenenti, & summo capiti totius Ecclesiæ, & totius terrenæ sedis magno Christi confessori, primæ domui hospitalitatis totius populi, & religionis, & successori beati Petri maioris nati post Christum principis, & patris totius mundi, sedenti secundū Deum, & portanti Christum in corpore suo, Innocentio Dei gratia summo Pontifici, & vniuersali Papæ summæ sedis Romanæ Vrbis, qui imperiali triūpho vniuersum mundum suo subiugauit dominio, & nostro in Christo patri spirituali tantæ ciuitatis gloria sublimato, Gregorius minimus, episcopus catholicus omnium Armeniorum, peccator, & seruus fidelium Christi, omnesque archiepiscopi, episcopi, abbates, sacerdotes, & clerici sub nostro regimine viuentes, orationes in Domino assiduas.

Quia supra sedem dilecti discipuli Christi sedetis, vniuersæque dominamini Europæ, eò amplius vos de iure venerari debemus, & quia pater estis totius fidei Christianitatis, mandatum vestrum cum amore recepimus, & posuimus super oculos, & faciem nostram, & referimus laudes Creatori totius mundi, & benedicimus Deum patrem nostrum, qui dignatus est in nos tantum amorem habere, vt ipse amor noster fieret. *Et infra*: In Christo igitur gauisi sumus, quia mater ecclesiarum, quæ totum orbem sua claritate irradiat, voluit catholicam ecclesiam Armeniorum bono corde respicere, & consolari, eo namque quod ita nos respexit, gaudemus in Christo, nam oculi nostri nobis non dederunt malum exemplum ad instruendum fratres, & subiectos nostros, vt præcipitarentur, docente Christo, ne ostendamus gentibus malam consuetudinem. Nos verò, qui minimi sumus, certissimè scimus, & per nos tota Armenica ecclesia nouit vestrum apparentem, & clarum amorem, & immo clariùs vestrum recognoscimus amorem, quia diligitis in Christo nostrum dilectum filium Leonem triumphantem Regē Armeniæ, & sic adimpletum est, quod per Apostolum Paulum dicitur: Honorate alterutrum. & Dominus dicit: Quod tibi vis fieri, alij facias.

42 De cætero ecclesia Armeniorum per me, & per populum tam maiores, quàm minores, qui sunt in montibus, & abbatijs simul manibus eleuatis pacem a Deo exigimus, & gratiarum actiones vestræ exoluimus paternitati propter honorem, quem Rex noster triumphator a vobis semper recepit. Nostræ itaque paruitatis voluntas fuit, & est, & erit in perpetuum, quod quamdiu Deo volente, hac dignitate freti fuerimus, dilectum in Christo filium nostrum Regem, omnes barones, & fideles suos sub vestro dominio stare faciemus: hinc est, quod precibus assiduis vos precamur, vt non tradatis obliuioni ipsum Regem nostrum vobis deuotum, neque orientalem plagam, neque domum Dei, immo succurite oppressis, prout Deus vobis inspirauit, & gentibus, & cæteris necessarijs. *Et infra*: Recepimus ex parte Dei, & vestra remissionem peccatorum, & idem mandatum augmentauimus auctoritate Dei, & vestra omnibus sub sacerdotio nostro constitutis, & præconium non cessamus alta voce mittere, & prædicare sanitatem infirmis, & remissionem peccatorum, & Dominus dixit contrito: Remittuntur tibi peccata, & quia credidit, recepit sanitatem. Item dixit ei: Tolle grabatum tuum, & ambula: quia qui plus diligit, plus accipit, & vos qui consilium Dei scitis, hoc, quod remittitis, remissum est. Idem habemus mandatum præcepto Dei, & vestro remittendi peccata omnibus, qui pro lege Dei fundunt sanguinem. Nam nostra vita alligata est filijs ancillæ Abrahæ, qui crescunt sicut spinæ, nos volentes suffocare, & sicut serpentes nos deglutire volentes, & propter inflammationem suam nocte, dieque non cessant mordere creaturas Christi, nec permittunt eas quietem habere, sed semper exasperant, & infestant. Manè dicimus, quando veniet vesperum; & serò, quando veniet manè, cum dolore, & anxietate nunc vsque sustinuimus, nec est, qui ad lætitiam nos protrahat, &c.]

Armenor. studiū in Rō. Pont.

43 Acceptis ijs literis Innocentius eodem, quo ad Regem scripserat die officiosissimis verbis rescripsit a se Armenos arctissimo semper amore complexurum, omnibusque prosecuturum studijs, ac postquam breui compendio recensuit, quæ ab eo acceperat, hæc adijcit: *Nos autem, qui diligere debemus proximos sicut nos ipsos, de tua fidei puritate gaudemus in Christo, & te velut venerabilem fratrem nostrum, &* ...

a Ep. 46.

ma.

magnum Ecclesiæ Dei membrum gerimus in visceribus charitatis, ac chariſſimum in Christo filium nostrum L. Regem Armenorum illustrem bonorare diſponimus, & vniuerſam Armenorum eccleſiam, vtpotè filiam ſedis Apostolicæ ſpecialem confouere. At de ſubſidio hæc ſubdit: *Ne autem heres ſit filius ancillæ* (Agar ſcilicet a qua Agareni Christianorū infenſiſſimi hoſtes) *cum filio liberæ; immo ne ancillæ filius heredis liberæ ſibi amplius hereditatem vſurpet, ſed ancilla potius, & eius filius expellatur, poſuimus ſignū Thau in frontibus gementium, & dolentium, ita quod per Dei gratiam crucesignatorum exercitus Venetias applicuit pro parte maiori, vnde in proximo naues aſcendent in Terra ſanctæ ſubſidium tranſituri*. Hæc Innocentius, qui longè antea Siſenſi archiepiſcopo cancellario Armeniæ religioſiſſimè commendarat, vt in adducendis ad Romanæ Eccleſiæ obſequium Armenis operam collocaret; nec fruſtra ea monita dederat: is enim redditis summo Pontifici literis a, in illius obſequium non humillimè modò procubuit, verùm etiam cæteros ad officium impulſurum ſpopondit, precibuſque infimis expetijt, ſibi mithram, & pallium mittere dignaretur.

a Apud Inn.lib.5. ep.47.

44 *Quia in remotis partibus inter barbaricas nationes ad Dei ſeruitium ſumus conſtituti, & in propria perſona veſtram nequiuimus, quod moleſtè ferimus, viſitare paternitatem, flexis genibus cordis veſtræ ſupplicamus ſanctitati, vt nos non tradatis obliuioni, immo tanquam obedienti veſtro mandatum veſtrum humeris noſtris imponere non dedignemini. Sciatis nos ad omnia beneplacita veſtra promouenda, & exequenda tam mente, quàm animo promptos, & paratos eſſe. Præterea noua veſtræ planta effecti multa precum inſtantia expoſcimus, vt in memoria dilectionis ſanctæ ſedis Apoſtolicæ annulum, mitbram, & pallium nobis mittere dignemini, & vt eandem remiſſionem, quam peregrinis transfretantibus pro Dei ſeruitio conceditis, ex parte veſtra militibus pugnantibus ſub illuſtri Rege noſtro contra Crucis hoſtes pro honore, & defenſione Chriſtianitatis confirmare poſſimus, qui huius remiſſionis gratia ſumptis animi viribus in bello fiant audaciores*.

45 Egregium illius in Apoſtolicam ſedem ſtudium collaudauit Innocentius b, gratulatus diuino lumine colluſtratū primatum EccleſiæRomanæ agnouiſſe, tum mithram, & pallium Soffridi, & Petri Cardinalium opera ad ipſum miſſurum pollicitus eſt: *Ei a quo bonum omne procedit, licet exiles, quas poſſumus tamen gratiarum exoluimus actiones, quod tam pium tibi tribuit intellectum, & animum tam humilem inſpirauit. Tibi quoque ſicut venerabili fratri noſtro magno Eccleſiæ Dei membro deferre proponimus, & preces tuas in his, quæ a nobis ſecundùm Deum poſtulaueris exaudire. Super eo autem, quod a nobis per tuas literas poſtulaſti, vt fraternitati tuæ pallium deſtinemus, annuere tuis deſiderijs cupientes per dilectos filios Soffredum* tituli ſanctæ Praxedis, & Petrum tituli ſācti Marcelli presbyteros Cardinales Apoſtolicæ ſedis legatos, quos in Terra ſancta ſubſidium deſtinamus, pallium, inſigne videlicet pleuitudinis pontificalis officij, de corpore beati Petri ſumptum tranſmittimus tibi, ab ipſis, vel eorum altero iuxta formam ſolitam, quam ſub bulla noſtra dirigimus, ſolemniter conferendum, &c. Dat. Lat.*

b Ep. 48.

* al Goffred.

IESV CHRISTI
Annus 1203.

INNOC.PP.III. annus 6. VACAT IMP. OCCID. 6. ISAC.ANG.CVM ALEXIO FIL.ITER.IMP.8.

1 Confluentibus certatim ſub Crucis ſigna Italis, Germanis, Vngaris, Gallis, Belgis, Anglis, aliiſque populis, ingentium rerum expectatione, ac triumphorum ſpe occidentalium erexit animos, atque orientem horrore concuſſit annus Chriſti milleſimus ducenteſimus tertius, indictione ſexta: quo Innocentium Romanum Pontificem ad militarem inſtruendum apparatum, atque exercitum in Terram ſanctam tranſmittendum, omni cura, & cogitatione defixum, atque in eos, qui illi moram, atque impedimenta inferrent, ſeriò animaduertentem cernere licet. Quæ ex ipſius geſtis, & epiſtolis, eiuſque temporis auctoribus exactiſſimè deſcribere operam nauabimus, & nonnulla breuiter, quæ ante hunc annum geſta ſuere, perſtringemus. Tantum igitur, tamque magnificè bellicum apparatum adornatum, tantamque Venetijs claſſem comparatam, & Chriſtianos, qui induerant crucem, tanta religione, animique ardore proſiliſſe in arma, vt non modò Hieroſolymitana prouincia recuperanda, ſed etiam Babyloniæ Imperium eo obtinendum bello putaretur, tradunt hiſce verbis Innocentij geſta: *Termino igitur conſtituto crucesignatorum exercitus ad partes Venetiarum acceſſit, tam multus, & fortis, deuotus, & timoratus, vt abſque dubio crederetur, quod per eum Dominus antiqua miracula innouaret, nec ſolùmodo recuperaretur Hieroſolymitana prouincia, ſed & regnum Babylonicum caperetur: nā & Veneti tam magnificè nauigia præparauerant, vt a longis retro temporibus nedum viſus, ſed nec auditus fuerit tantus naualium apparatus*. Hæc ibi, quæ, vt maximi ponderis, ac momenti ab illius æui ſcriptoribus confirmanda videntur.

In ſacra expeditione adornā da laborat Innocentius.

2 Quòd ergo attinet ad exercitum Venetias profectum, videamus in primis, quæ in Conſtantinopolitana hiſtoria a Guntherus Pariſienſis cœnobij in Baſilienſi diœceſi Ciſtercienſis monachus, vt a Martino eiuſdem monaſterij abbate oculato teſte acceperat, monumentis exaratum reliquerit. Martinus igitur ſummi Pontificis iuſſu, vt ſcribit auctor, ſigno Crucis accepto alios ad idem ſuſcipiendum adhortatus, ingentem hominum vim in tranſalpinis regionibus ad militiam Chriſti inflammauit, exercitumque omnibus admiratione defixis virū religioſum potētiſſimas copias ductare, atque obniā certatim effuſis populis Venetias perduxit: ob quod facinus tantum decus collegit, vt iam fama illius latè ſe circumferret, ac D.Martino Turonenſi hominum ſermonibus penè æquaretur. tum adijcit ſummo ab epiſcopo Veronenſi honore, omnique amoris, ac beneuolentiæ ſignificatione exceptum, omneſque eò crucesignatos confluxiſſe, qui Venetijs Alexandriam petere ad eam expugnandam meditabantur, cùm initas in Syria inducias falſa fide abrumpere, atque infringere non liceret; ac de ducibus hæc tradit: *Erant autem in exercitu ſignatorum famoſi, & potentes viri quamplures, tam ſeculares, quàm Eccleſiaſtici, inter quas * Baldinus comes Flandrenſis, & Bonifacius marchio de Monteferrato, auctoritate, & viribus, atque conſilio præcipui habebantur*. Expeditionis illius præcipuos duces Niceta Choniata nominat b, quos ingētis ſtaturæ, & molis gigāteæ fingit: *Erant ij* (inquit) *Montiſferrati marchio Bonifacius, Flandriæ comes Balduinus, comes S. Pauli Ericus, Plea comes Dolocus, & alij complures audaces bellatores, & ſtatura ſuis haſtis propemodum pares*. Plura alia crucesignatorum ducum nomina Iacobus Meyerus in Flandricis annalibus c recenſet: at de nauali apparatu, qui ſumma magnificentia inſtructus fuit, in eo comparando annos tres collocatos Nicetas aſſerit, quibus mille cataphracti equites, & ad triginta millia aliorum equitum, qui ſcuto vtebantur, impoſita fuerunt. *Igitur toto triennio Venetijs fabricatæ ſunt celeres naues equeſtres c. & x. naues longæ LX. rotundæ vltra LXX. ſunt coactæ, quarum vna ob inſignem magnitudinem mundus ab eis appellabatur, eas naues con-*

a Apud Caniſ.tom.5 antiq.lect. pag.358.

Martinus abbas innumeros crucesignatos ſecum trahit.

* Balduinus

b Nic.chō. Ann.l.3.

Crucesignatorum duces.

c Iacob. Meyer. an. 1203.

Classis crucesignatorū.

constituto tempore conscenderunt equites cataphracti M. scutati XXXM. plurimis armorum generibus instructis, sed plerique aegrotantes. Memorati porro Flandriae annales tradunt, instructam ingentem classem, quae ad triremes LX. onerarias LXX. lappagones centum & viginti ascenderet.

3 Auctiorem paulo etiam fuisse scribit Andreas a Dandalus, dum ex trecentis fere nauibus conflatam tradit, ac nonnulla de Henrico Dandalo, Venetiarum Duce, elogia praemittit: *Dux, licet senex corpore, animo tamen magnanimus, ad exequendum hoc personaliter se obtulit*, nimirum Gallorum crucesignatorum oratoribus, *& eius pia dispositio a concione laudatur, & decernitur, vt eo absente vir inclytus Raynerius Dandalo, natus eius, patris vice fungatur. Sequenti anno*, vndecimo scilicet ducatus Henrici, qui in superiorem Christi annum incurrit, *paratis galeis & alijs nauigijs, comites Gallici cum militia, equis & peditibus ascendunt naues & Dux cum multitudine Venetorum & Italicorum, portumque de mense octobris feliciter exeunt. Trecentorum fere nauigiorum stolus erat.* Consentiunt his Iordani verba: MCCII. *mense octobris exijt de Venetijs*, de Duce loquitur, *& eos vsque Iaderam duxit; & ibi erant nauigia quasi trecenta.* Transmiserat antea b Pontifex Venetias legatum Petrum tit. S. Marcelli presbyt. Cardinalem, vt cum exercitu Christiano iret conficeret; at Veneti cum praeuiderent eum ipsorum consilia de Iadera excindenda discussurum, ac disturbaturum, noluerunt in naues excipere, vt legati, sed tantum concionatoris sacri munere fungeretur. Quod acerbo animo tulere Franci, legatusque ad Pontificem redire coactus, cuncta ei aperuit, qui literis vniuersos crucesignatos Christianorum terras inuadere, intentato anathemate, prohibuit. De quibus agens Gunthetus c haec prodidit, crucesignatos incredibili cupiditate petendae Alexandriae arsisse, cuius obtinendae spes ingens affulgebat, cum illa quinque annorum fame, non fluente Nilo, attrita esset, atque ingens hominum multitudo perijsset, alij imbelles tractandis armis viderentur; sed Venetos naues negasse, ni prius Iaderam, Dalmatiae vrbem, cepissent, cum ipsos incenderet vindictae cupiditas ob amissas quasdam mercibus onustas naues, quas Iadertini occuparant. Choniata d vero violato quodam foedere, in se Dandalum Venetorum Ducem concitasse tradit: at Iordanus e ac Meyerus f Venetique historici g Iadertinos a Venetis ad Vngaros tum defecisse affirmant, de cuius vrbis expugnatione haec Andreas Dandalus in Henrici Dandali historia refert.

4 *Dux illico recedens cum stolo Iadram peruenit, quae fauore Regis Vngariae in rebellione hucusque permanserat, & * obtemperantibus Francis incolas monuit, vt solita ad eum subiectione redirent: quibus renuentibus, iubet Dux arma capere & contra ciuitatem insultum facere. Illi integro die renouatis instabant viribus: Iadrenses itaque pondus praelij non ferentes, mane sequenti se voluntati Ducis sine aliqua conditione submiserunt. Dux autem consilio totius populi Veneti, tunc praesentis, vniuersos muros turrimque quaque dirui fecit, & ibidem hyemare disposuit. Ciues itaque Iadrae, ducis gratiam non mereri formidantes, & de regio fauore confisi, ex vrbe exierunt.* Eadem reperit Iordanus e quae licet exeunte anno superiore contigerint, in hoc tamen inserere visum est, vt eo spectantia coniungeremus. E Iaderae ergo excidio hausit grauissimum dolorem Pontifex, & crucesignatos ab inferenda noua Iaderae vastitate abstinere iussit, aculeatisque literis h perstrinxit, quas ab hisce verbis duxere exordium: *Dolemus non modicum, & mouemur, quod dum quibus remissionis impendere gratiam solebamus, & aeternae pollicemur retributionis argumentum, nunc, quod sine moerore multo non dicimus, nostrae salutationis alloquium, & Apostolicae benedictionis praesidium cogimur denegare.*

5 Permoti his literis Galli episcopum Suessionensem, Martinum abbatem, ac magistrum Ioannem Parisiensem misere ad Innocentium, quem flexere ad clementiam; illiusque iussu censuris soluti sunt, cum sacramento prius se deuinxissent, pontificijs omnibus imperijs ad praeterita expianda obsequentes futuros, eaque de re publicum syngraphum, subiecta verborum forma conceptum, b tradidisse.

Balduinus Flandriae & Hannoniae, Ludouicus Blesensis & Claromontanus & H. . S. Pauli comites; Oddo de Chanliet & Vu. frater eius omnibus, ad quos literae istae peruenerint, salutem in Domino. Notum fieri volumus, quod super eo, quod apud Iaderam incurrimus excommunicationem Apostolicam, vel incurrisse nos timemus, tam nos quam successores nostros sedi Apost. obligamus, quod ad mandatum eius satisfactionem curabimus exhibere. Dat. apud Iaderam anno Domini MCCIII. *mense aprilis.* Transmisere illud syngraphum ac inseruere alijs literis c ijdem principes, quibus significarunt Innocentio, se ad paterna imperia, quamuis duriora, animum fregisse: atque in alia literarum parte ipsum mulcere studuerunt, vt aequi ac boni acciperet, si Apostolicas literas, quibus inferebatur Venetis anathema, suppressissent.

6 Adiunxit suas Gallorum precibus Bonifacius marchio Montisferrati, praecipuus in exercitu dux, quem Innocentij gesta pontificijs iussis obsequentem a Iaderae expugnatione abfuisse testantur: datisque Pontifici literis d id se praestitisse non ad infringenda sedis Apostolicae iussa, sed ad illius gloriam tuendam significauit, cum ostensis literis abrumpendus videretur exercitus, cuius cogendi, comparandique auctor ipse Pontifex extitisset.

Sanctissimo patri, & domino Innocentio diuina prouidentia summo Pontifici Bonifacius marchio Montisferrati cum osculo pedum paratam ad omne obsequium voluntatem.

Paternitatis vestrae literis a baronibus exercitus signatorum acceptis, & cum omni reuerentia & deuotione, praesertim sine recognito iuramento absolutionis beneficium Apostolicae consecutis, per nuncium venerabilis patris nostri Petri tituli sancti Marcelli presbyteri Cardinalis Apostolicae sedis legati, communicato baronum consilio, intellexi super facto Iaderae per eundem nuncium ad Ducem, & Venetos a sede Apostolica excommunicationis literas emanasse. Attendens igitur, immo tenens pro certo, quod eo loco & tempore literae vestrae nullatenus possent ostendi, quin statim noster dissolueretur exercitus, & stolium rumperetur; reminiscensque de consilio vestro multa dissimulanda fore loco & tempore, si Veneti ad dissolutionem stolij aspirarent, diuini amoris intuitu; necnon & pro sedis Apostolicae reuerentia, a qua stolium & initium habuit, & postea firmamentum; consilium habui literas illas ad tempus supprimendas, donec mandatum vestrum, atque consilium iterata perciperem iussione, easque de manu nuncij vestri cum omni humilitate flexis genibus magno compunctionis, & deuotionis spiritu suscepi, viroque religioso . . abbati Laudensi ad tempus tradidi conseruandas; super his potius obedientiae filialis expectans mandatum, quam Apostolicae indignationis offensam ex piae intentionis actu necessario incurrisse. Intellexi etiam a Duce & a quibusdam Venetis familiaribus nostris, quod super facto Iaderae nuncium proprium incontinenti vestrae transmitterent Sanctitati, qui vtrum hactenus ad sedem Apostolicam peruenerit, ignoramus: qua spe suspensus nuncium hactenus distuli transmittendum. Hinc est quod paternitati vestrae cum omni deuotionis & humilitatis affectu supplico, vt vestrarum

Marginal notes:

a Andr. Dand. hist. Ven. l. 10. cap. 3.

E trecentis fere nauibus conflata Henr. Dand. Venet. Ducis classis praefectus. Quo anno & mense e portu soluerit.

b Vit. Innoc. auct. Petrus Capuan. Card. A. S. L. ab ea exclusus a Venet. & qua de causa.

c Gunth. in hist. Constantinop. apud Canis. antiq. lect. to. 5. pag. 365.

Obiecto anathem. vetat Iaderam oppugnari. Iadera obsidione cincta.

d Niceph. Chon. l. 3.

e M. S. bibl. Vat. signat. n. 1960.

f Meyer. in annal. Flandr.

* opitantibus

g M. S. diarum Venet. Andr. Dand. vbi sup. et alij

Compulsa ad deditionem ab Henr. Dand.

h Ex pitate tito equa...

Pont. crucesignatos obiurgat ob id censuras contraxisse.

b Innoc. l. 5. ep. 161.

Crucesig. Galli ad veniam obtinend. oratores mittunt.

a Vita Innocentij auct. Gunther apud Canis. vbi sup. p. 366. & alij.

b Extat apud Innoc. l. 6. in fert. in ep. 99.

Innoc. iussu censuris soluti cauent syngrapho dato refectiores.

c Ext. apud Innoc. l. 6. ep. 99.

Student Pontificis in Venetos iras mulcere.

d Ext. apud Innoc. l. 6. ep. 100.

Bonifacius suppressarum lit. Apost. excusationes affert.

Demissa illius erga sedē Apost. studia.

rum suppressio literarum, quæ quidem humilitatis meæ ministerio facta est, & discretionis ac pietatis vestræ confidentia, pacis vestræ tranquillitatem in aliquo non moueat, vel conturbet: præsertim cum ego & Barones exercitus mandatum vestrum parati simus exequi, quicquid iterata nobis iniunxeritis iussione. Confidimus enim, quod circumspectioni vestræ magis complaceat ex sustinentia modica stolidum simul stare, quam ex literarum vestrarum ostensione subita deperisse.]

Pontifex nonnihil placatus Venetis.

7 Remisit seueriorem in Venetos animum Pontifex ad marchionis Bonifacij & Gallorum procerum gratiam: quibus consulentibus Apostolicam sedem, vti se gerere deberent cũ illis in castris, refert gestorum Innocentij auctor, Pontificem respondisse, posse ipsos eum Venetis agere, eorumque vti opera, donec in Syriam appulissent. Ne vero commeatu laborent inopia, ea de re ad Alexium Imperatorem dedisse literas, eumq; pollicitum non defuturos; si vero negarent Græci, subiecto consilio crucesignatos instruxit. a

a Inn. l. 6. ep. 102.

Consulit crucesignatis, vt si negent Græci commeatus, parto viuant.

8 *Si forsan ea vobis contingeret denegari, cum vos deuoueritis ad commune obsequium Crucifixi, cuius est terra & plenitudo eius, orbis terrarum & vniuersi, qui habitant in ea, posset vtique non absurdum videri ad similitudinem Imperatoris terreni, de quo cautum est in iure ciuili, quod si eius exercitus indigeret alimentis, ea poterit accipere vndecunque: possitis & vos cum timore Domini, sub satisfaciendi proposito, ad necessitatem tantum eo fine personarum accipere lasione, &c.*

Cardinales legati abducere tentant crucesignatos a restituendo Alex. iuniore.

9 Agitabant alia in Græcos consilia, de quibus agetur inferius, crucesignati, quos cum Petrus tit. b S. Marcelli, & * Soffredus e tit. S. Praxedis Cardinales legati a restituendis Constantinopolitano Imperio Isacio cœco & Alexio iuniore abducere non possent, in Cyprum primũ, ac dein in Syriam, vt erant iussi ab Innocentio c, applicuere d: e quibus Soffredus, qui prior accesserat, cũ res Syriacas depressas ob Sarracenorum tyrannidem, non sine lacrymis, significasset Innocentio, illum Pontifex mœrentem his literis est solatus. e

b Vita In noc. auct. * al. Gofficdus c Innoc. l. 6. ep. 47.

S. tit. S. Praxedis presbytero Card. A. S. L.

Re infecta in Syriam iter intendunt. d Vit. Innoc. auct. vbi sup. Soffredus Card. iuxtrem Christianam depressam. e Inn. l. 6. ep. 130. Consolatur ad eum Innoc. literæ

Si aliquando in hoc mari magno & spatioso, vbi reptilia, quorum non est numerus, animalia quoque pusilla & magna terrent sæpius nauigantes, mens tuæ discretionis concutitur, incursus fluctuum, & ventorum formidans impulsus, non miramur aliquatenus, nec mouemur, cum in mari timeat omnis homo, ita vt ipse Apostolorum princeps, cui concessum a Domino fuerat, vt super vndas maris ad eum veniens ambularet, videns ventum validum venientem, non solum timuerit, sed fuerit pene submersus, nisi diuina eum dextera erexisset. Fluctuat enim hic mundus vt mare, nec est facile, vt quis in fluctuanti non fluctuet, aut in eo, qui in eodem statu non permaner, immobilis perseueret: præsertim cum nec inuisibiles etiam hostes desint, qui & per se musitabiter, & visibiliter per hostes visibiles, quos immittunt, eos maxime non terrere solummodo, sed deijcere moliuntur, qui manum mittunt ad fortia, & posteriorum obliti, ad anteriora iugiter se extendunt. Sane fide mundo fuisses, mundus quod suum erat forsitan dilexisset, vt omnia tibi mundana succederent, & nihil tuum desiderium præteriret. Verum quia non es de mundo, vt mundana sectaris, cum non quæ tua sunt quæras, sed quæ sunt potius Iesu Christi; nec gloriam propriam expectas, sed Crucis, vel verius Crucifixi; cum Apostolo, etsi non exterius voce, tamen interius mente, clamans: *Mihi absit gloriari, nisi in Cruce domini nostri Iesu Christi*: quo te mundus, & quem per prospera sibi conciliare non potuit, aduersis nititur perturbare.

Non est igitur nobis, vel tibi mirandum, si Crucis obsequio specialiter deputatus, & in terra crucifigentium constitutus, mente ac corpore crucieris: cum non cruciari nequeat Crucis baiulus, dum infirmitati compatitur proximorum, & dolet causam negligi Crucifixi. Ipse siquidem Moyses, qui eduxit populum de Ægypto, & serpentem in eremo exaltauit, murmurationes suorum sustinuit, & insidias hostium est perpessus: & Apostolo, qui gloriabatur in Cruce, angelus sathanæ fuit ad stimulandum deputatus, ne illum reuelationum excolleret magnitudo. Quia vero secundum laborem proprium mercedem recipiet vnusquisque, nec sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, non debes vel inter nimios labores deficere, vel inter onera, quæ quasi solus in partibus illis sustines, desperare; sed in eo, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, potius consolari, vtpote quem dixisse legisti: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* cum nec ignores, quod nõ coronabitur, nisi qui legitime decertarit. Si doleas igitur domum Domini factam esse speluncam latronum; & hæreditatem nostram, immo verius Iesu Christi, non solum ad extraneos, sed ad inimicos etiam catholicæ fidei esse versam, in hoc eius imitator existes, qui de seipso asserit in Propheta: *Zelus domus tua comedit me*; & cui hæreditas propria est præclara. Si tristaris quod terram passionis & resurrectionis Dominicæ possideant Sarraceni, templum conquinât, & veluti impune sanguinem sanctorum effundunt, eius inhæres vestigijs, qui deplorat in psalmo: *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, contaminauerunt templum sanctum tuum, &c.* quæ sequuntur.

Si mœreas quod principes, & alij, qui signaculum Crucis assumpserant, tanquam filij Ephrem, intendentes arcum & mittentes sagittas, sint in die belli conuersi, & a puritate prioris propositi recedentes, negligere videantur reliquias Terræ sanctæ, nobiscum mœrebis pariter, & cum illo, qui eis exprobrat in Propheta: *Filios, inquiens, enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me*; illique te succedere tu ostendes, qui ciuitatem Domini ab amicis etiam asserit inter angustias destitutam.

Pontificis de crucesign. in Græc. discretos bus quere la.

Sit igitur tibi hæc tristitia materia gaudij, & mœror in lætitiam conuertatur: nec doleas si non omnia tibi succedunt ad votum, cum ex contingentibus nil omittas. Gaudeas quoque si pro eo fatigeris ad tempus, qui pro nobis exinaniuit, vt Apostolus asserit, semetipsum, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo; si pro omnibus, quæ tribuit ipse tibi, etiam calicem quem biberat, ipse bibas, cum ipse pro te calicem gustauerit passionis. Nos autem, non tantum indigni Vicarij, sed inutiles serui eius & compatimur passionibus tuis, & doloribus condolemus; & labores tuos, in quibus possumus, intendimus releuare: nec obliuiscimur tui, aut reliquiarum terræ natiuitatis Dominicæ, licet propter locorum distantiam & raritatem nunciorum te non valeamus, vt volumus, per nuncios aut literas sæpius visitare. Nec diffidas ex eo, quod exercitus signatorum in Græciam dicitur diuertisse; quoniam nos, quantum possumus, de Terræ sanctæ sumus subuentione soliciti, & ad eius subsidium totis nisibus aspiramus. Nosse quoque te volumus, quod licet dilectus filius Petrus tt. S. Marcelli presbyter Cardinalis A. S. L. cum Venetis honeste non potuerit transfretare, ante Aduentum tamen a præsentia nostra recessit, ita quod, cũ licetas tuæ deuotionis recepimus, nauem transfretaturus intrauerat. *Dat. Perentini 10. id. augusti.*]

Soffredus patriarcat Hierosolymitanum.

Vocabatur omnium votis Soffredus ad patriarchatum Hierosolymitanum; sed eam dignitatem respuere, electus fuit Vercellensis episcopus. Tentauit vero prius Innocentius subtrahere literis Cardinalem ad onus suscipiendum inflectere ...

Respuit dignitate. Vrgetur ab Innoc. vt eam capessat.

10 *Vt omnem occasionem nobis Dominus tolleret, nec ad excusandas excusationes in peccato negligentiæ locum aliquem reseruaret, quicquid seruus pati potuisset pro Domino pœna, passus est Dominus ante pro seruo. Quis ergo terrena omnia non relinquat pro eo, quem descendisse nouit a cælestibus ad terrena? Quis animam suam non ponat pro illo, qui pro eo spiritum emisit in cruce. Siquidem vt retribuamus ei aliquando pro omnibus, quæ tribuit ipse nobis, nec tribulatio, nec angustia, nec mors, nec gladius nos debet aliquatenus retardare, quo minus si necessitas exigat, & deposcat vtilitas, gustemus pro eo calicem passionis.* Et infra: *Nunquid ergo tuo te factori negabis, vt recenses onus ecclesiæ Hierosolymitanæ subire, quam ipse suo sanguine consecrauit? Si te sibi dignatus est quodammodo eligere successorem, nunquid non adibis hereditatem ipsius, nec suscitabis semen fratri defuncto, qui per te dispofuit forsitan intra peregrinationis, & prædicationis suæ semen euangelicum propagare?* Et infra: *Absit, vt pro eo necessitates effugias, qui pro te, (vt alia taceamus) se in famis, & sitis necessitatem induxit, iuxta quòd legitur in propheta: Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.* Subdit se alteri legato pallium mittere, vt ab ipso illud accipiat, ac legationem vnà cum patriarchatu gerat, suique consilij esse ita ecclesiæ Hierosolymitanæ ipsum conferre, vt tamen Romanæ auferre nolit. Verùm de Vercellensi episcopo patriarcha designato infra agetur. De Goffredi electione loquuntur Innocentij literæ a ad ipsum datæ, quibus hortatur, assensum præberet.

a Inn. l. 6. ep. 129.

11 Hic sanè silentio præterire non possum insignem nobilissimi, atque pijssimi equitis Christiani sententiam, & in perpetiendis laboribus sub durissimo Sarracenicæ seruitutis iugo admirandam constantiam. Cùm enim alij defessi laboribus, quibus miseros immanes domini opprimebant, ingemiscerent, atque ad videndam suauissimam patriam anhelarêt, ille statim eorum increpita ignauia in genua prouolutus a Deo precibus contendit, vt in ea seruitute continuis laboribus attritus criminum pœnitentia absoluta emoreretur. quod Thomas Cantipratensis per hæc tempora contigisse tradit b: *Circa illud tempus, quo annus Domini M. CC. III. voluebatur, expeditio peregrinorum validissima facta est in Terram sanctam, vt Sarracenos, qui Christianorum fines inuaserant, propulsarent. Factis autem congressionibus plurimis, multi ex vtroque populo ceciderunt, plurimi etiam in captiuitatem deducti sunt: inter quos ex populo Dei duo milites, vnus ex Gallia, alter ex Brabantia cum quodam nobilissimo viro in terram gentilium sunt adducti, & contra natales suos, & consuetudinis vsum grauissimis manuum laboribus annis tribus addicti: vt igitur mihi vnus militum enarrauit, die quodam sedebant sub æstu solis grauissimis manuum laboribus fatigati; cùmque optarent milites cum graui cordis suspirio esse in terra sua, ille nobilissimus eorum in pœna socius, fugnitem eorum redarguit, dicens: O miseri quid optatis? redibitis forsitan, & eritis miseriores in iniurijs pauperum, quàm ante fuistis: hic autem si velletis, possetis vtique finem vitæ felicissimum expectare. & hoc dicens flexis genibus ad cælum manus tetendit, & oculos: Nunquam mihi Deus omnipotens redire concedat ad patrios portus, inquit, sed hic finat me mortem peracta pœnitentia præstolari. Mira respondêtis constantia, nec minus mira dispensatio Saluatoris! ambos milites liberatos postea vidimus, & fortè malis, quàm ante maioribus irretitos: pro illo autem nobilissimo ac beatissimo viro cùm Rex Hierosolymitanus, & alij multi nobiles laborassent, nunquam tamen efficere potuerunt, vt eum a captiuitate gentilium liberarent. Insuper & hoc ipsum de eo miles socius eius, qui mihi hæc retulit, referebat, quod tantum post quotidianos labores de nocte orationibus incumbebat, quod ei ad modum camelorum calli in genibus accreuissent.*

b Th. Cantipr. lib. 2. cap 6

Infractus in laboribus animi egregium exemplum.

12 Interea marchio Bonifacius cum Philippo Sueuo societatem, ac pacta contraxit, vt Alexium ad solium efferrent, quæ acta his verbis: *Philippus autem*, nimirum dux Sueuiæ Imperij inuasor, *sicut conuenerat cum marchione Montisferrati, misit Alexium sororium suum, filium videlicet Isachij quondam Constantinopolitani Imperatoris, & eodem marchione sagaciter mediante tractatum est inter ipsum, & exercitum Christianum, vt ipsum exercitus reduceret illum in Græciam, & iuuaret ad Constantinopolitanum Imperium obtinendum, ipseque pecuniam eis promissam solueret, & alia pacta cum eis inita custodiret; post quam Imperium obtineret.* De quibus Niceta Choniata, vt infensus in Latinos, atque odio imbutus erat, hæc stylo acerbiore exarauit: *Classe ad oram soluendam parata, malum malo cumulatur, & fluctus fluctum vrget, vt dicitur. Nam Alexius Isaacij Angeli filius, literis veteris Romæ Pontificis, & Regis Alemanniæ Philippi instructus, qui piratieis istis collegijs plurimum se debituros profitebantur, si adolescentem in patrium Imperium restituerent, aliquanto post cupidissimè ad classem peruenit, & excipitur, vt qui non tantum latrocinium illud contra Romanos* (sic Græcos suos vocare consueuit) *institutum promouere, & honesta specie fucare, sed & pecuniarum aceruis ipsorum auaritiam explere posset.* At tantùm absuit, vt Innocentius id contenderet, quemadmodum calúniatur auctor, vt etiam expresse prohibuerit, sicuti eius literæ paulo post reddendæ apertissimè demonstrant. prosequitur Niceta: *Is*, nimirùm Alexius, *non ætate magis, quàm animo puer, a viris callidis, & versutis susceptus, pepigit, & sacramento firmauit, ea se præstiturum, quæ perduci ad exitum minimè poterant: nec enim maria pecuniarum dumtaxat illis postulantibus promisit, sed & auxilium contra Sarracenos cum Romanis militibus, & quinquaginta triremibus, & quod maius est, ac longè absurdius, Latinorum depranatam religionem amplectitur, & priuilegiorum papalium innouationem, & veterem Romanorum institutorum mutationem pollicetur.* Ita loquitur vir schismaticus, & Romanæ Ecclesiæ hostis: vnde patet, quàm inconsultè typographus ipsum glorioso beati titulo decoratit, deceptus fortasse a Michaele item Choniata Athenarum metropolitano, Nicetæ huius fratre, qui ipsum funebri a oratione Græca, qua pollebat, eloquentia summis laudibus cumulauit, atque ad cælum extulit.

Alexius ad crucesignat. exercitū se confert.

Ab Alexio promissa ex Niceta

a Extat post Nicet. Annal.

13 Huic ego schismatico Pontificum osori Guntherum b sincerè ista percurrentem antepono: *Factum est*, inquit, *dum adhuc nuncij nostri in curia versarentur, certus rumor insonuit, venisse videlicet Alexium iuuenem in castra, Græcum genere, filium videlicet Isaacij Regis Constantinopolitani missum a Philippo Rege Theutonicorum cum nuncijs, & mandatis, quibus enixè rogabat exercitum, vt præfatum iuuenem in regnum suum restituere niteretur, &c.* Et infra: *Certissimè promittens, si ille auxilio ipsorum sedem suam reciperet, peregrinis omnibus tam per Theutoniam, quam per totam Græciam tutam, ac liberam patere viam. Accedebat etiam ad hoc, quod idem iuuenis certissimè pollicebatur, si viribus eorum restitutus foret, eis in commune argenti trecenta marcharum millia* (de ducentis rátum fit mêtio in literis paulo post adducêdis) *se daturum.* c Hæc Guntherus: quibus addunt Flandriæ annales Alexium æs omne alienum a crucesignatorum exercitu contractum se Venetis solutum, simulque Græcam ecclesiam Latinæ subiectûrum spopondisse: ijsque conditionibus iureiurando firmatis auxilium assecutum, quæ ex literis, quas afferemus illustrabuntur. Equidem gesta vitæ Innocentij pulcherrimam huic historiæ lucem his verbis affundunt: *Verum*

Refutatur Choniata.

b Extat apud Canis. to. 5.

Alexius a Philippo Sueuo eō mendatus

c Iacob. Meyer an. 1203.

rum cum hoc, Alexium nimirum in patrium Imperium Latinas copias restituendũ suscepisse, *ad summi Pontificis notitiam peruenisset, scripsit illis hoc modo:*

a Apud eis Innoc. & Reg. lib. 6. ep. 101.

Cum a in manu valido, & extenso brachio egressi fueritis de Aegypto, vt vos ipsos Domino in sacrificium offerretis, doluimus non modicum, & dolemus, quod adhuc Pharao vos persequitur fugientes, vel potius vos sequimini Pharaonem, qui vos sibi quadam necessitatis specie, ac velamine pietatis sub iugo peccati vetustæ nititur subdere seruituti. Et infra cumulatis varijs rationibus ab inuadenda Græcia auocare conatur, cum plures ipsorum adeo retardato aduentu delusi, in suas domos se receperint, Sarracenique interim aucti viribus, animisque, ingentes Christianis clades inflixerint, ac licet Constantinopolitanus Imperator per scelus occuparit Imperium, non eorum esse vel de eare cognoscere, nec ad vlciscendas Isaaci, Alexijue, sed Christi iniurias ad arma prosiliisse, nec illa iam crucifixo consecrata, alteri deuouere sine flagitio posse: *Pro populo autem Christiano doluimus, & dolemus, quoniam inde humiliatur amplius, vnde credebatur potius exaltari. Cum enim multi, qui vos præcesserunt in Terra sancta succursum, quod non ascenderetis audito, ad propria sunt reuersi de proximo vestro passagio diffidentes: Sarraceni de accessu vestro dubij, & de illorum recessu securi, contra Christianos animos assumpserunt, & qualiter peccatis exigentibus præualuerint contra eos, referre nolumus, cùm sit ferè vbilibet diuulgatum. Gaudemus autem, quod receptis literis nostris erratum in vobis intelligentes, deuotè ac humiliter mandatum estis Apostolicum executi, & iuramento præstito, vel recognito, absolutionis beneficium percepistis, vos, & successores vestros, filij comites, cum duobus baronibus Gallicanis ad satisfaciendum iuxta mandatum nostrum super eo quod apud Iaderam excommunicationis sententiam incurristis, per patentes literas obligantes. Vtinam autem pœnitentia vestra sit vera, vt sic pœniteatis videlicet de commissis, quod a similibus de cætero caueatis, quoniam qui adhuc agit quod pœnitet, non est pœnitens, sed illusor, & cani reuerso ad vomitum comparatur pœnitens rediens ad peccatum; est quoque leuius peccatum, quod semel committitur, quam quod commissum semel postmodum iteratur. Nullus itaque vestrum sibi temere blandiatur, quod terram Græcorum occupare sibi liceat, vel prædari tanquam minus Apostolicæ sedi subiectam, & quod Imperator Constantinopolitanus deposito fratre suo, & etiam excæcato Imperium vsurpauit. Sanè quantumcunque in hoc, vel alijs idem Imperator, ac homines eius iurisdictioni commissi delinquant, non est tamen vestrum de ipsorum iudicare delictis, nec ad hoc crucis signaculum assumpsistis, vt hanc vindicaretis iniuriã, sed opprobrium potiùs crucifixi, cuius vos obsequio specialiter deputastis, &c.*

14 Respuere Pontificis monita crucesignati; promissorum enim splendor ipsorum oculos perstrinxerat, ac secundis ventis pro restituendo Alexio Constantinopolim appulere: vt verò vrbem, licèt firmissimis munitam præsidijs adeo vt præter innumeram peditum multitudinem sexaginta millia equitum numerarentur, obsidione cinxerint, expugnarintque, ipsorum literæ b ad Innocentium prosequuntur:

b Extant ib. ep. 211.

*Sæpius per nuncios nostros, immo per ipsum exulem nostrum, & barones nostros a ciuibus postulantes audiri, nec aduentus nostri causam, nec petitionis modum potuimus explicare, sed quoties terra, vel mari stantibus in muro sermones obtulimus, toties retulimus tela pro verbis. Considerantes igitur, quod præter spem nostram cuncta contingerent, in eum statum necessitatis impacti, vt statim necesse haberemus aut perire, aut vincere, cum obsidionem ipsam nulla ratione in quindecim dies protelare possemus, quos victualium omnium incredibilis vrgeret angustia, non ex desperatione quidem, sed inspirato quadam securitate diuinitus suspirare cœpimus ad bella * paucissimi periculis nos audacter opponere, & incredibiliter in omnibus obtinere; ad conflictum etiam campestrem sæpius ordinati inæstimabilem multitudinem fuga in vrbe ignominiosa conclusimus.* Eadem de profligatis Græcis Niceta hæc addens. *Actum hoc est mense iulio ann.* VI.MDCCXI. scilicet Christi 1203.

* promptissimi

Primo cõcursu pedestres Græcorũ copiæ fugatæ.

15 *Aptatis igitur interim terra, & mari bellicis instrumentis die obsidionis octauo violenter ciuitas introitur, grassatur incendium, disponit in campo contra nos acies Imperator, & paratis nobis excipere venientes, constantiam nostram cum paucitate miratus, ignominiosè fræna reflectit in vrbem retrogressus ardentem ipsa nocte fugam cum paucis aggreditur, suamque in vrbe relinquit vxorẽ,* Euphrosyna nuncupabatur, *& paruulam prolem.* Habes hæc pluribus enarrata apud eundem auctorem, qui asserit ipsum Alexium annos 8. tres menses & dies decem imperasse. *Eadem re comperta nescientibus nobis Græcorum proceres in palatio congregantur, & exulis nostri solemnis electio celebratur, seu potius restitutio declaratur, insperatamque lætitiam copiosa in palatio luminaria protestantur. Mane facto prodit in castra copiosa Græcorum procerum multitudo, suumq; cũ gaudio quærit electum, restitutam ciuitati asserit libertatem, & regredienti filio ad fasces Imperij, cum gaudio inæstimabili sublevatum de carcere caput patris Isaacij Imperatoris ostendunt. Præordinatis itaque quæ necessario videbantur, ad ecclesiam sanctæ Sophiæ nouus Imperator cum solemni processione deducitur, & exuli nostro sine omni contradictione Imperiale restituitur diadema cum plenitudine potestatis.*

Capitur vrbe octauo obsidionis die.

Noctu Imp. fugit.

Alexius Imp. salutatus.

16 *His peractis ad solutionem promissorum exilit Imperator, & promissa rebus accumulat, victualia seruitio Domini profutura nobis præbet ad annum, ducenta marcharũ millia nobis soluere pergit, & Venetis sumptibus suis stolium prolongat in annum seque iuramento astringit, quod erigere nobis debeat regale vexillum & in passagio martij nobiscum ad seruitium Domini proficisci cum quantis poterit millibus armatorum, & sub eadem promissione concludit, quod eam reuerentiam præstare debeat Romano Pontifici, quam antecessores sui Imperatores catholici prædecessoribus vestris Pontificibus pridem impendisse noscuntur & ecclesiam orientalem ad hoc pro viribus inclinare, ac toto vitæ suæ tempore milites quingentos cum sumptibus suis in Terra sancta honorificè prouisurum ad seruitium Redemptoris.*

Alex. promittit sese crucesignatis cõiungere.

Hactenus ad Innocentium crucesignati, qui easdem literas Othoni renunciato Imperatori, additis ad calcem aliquot verbis, misere. recitat eas Arnoldus Lubecensis abbas a: alias verò a comite S. Pauli ad Brabantiæ ducem scriptas dictis consentaneas affert Godefridus b, quem auidus lector consulere potest. At de Alexio, qui ob rem malè gestam Latinorumque impressos impetus, immani terrore perfusus, de salute Imperioque actum arbitratus, nocte Constantinopoli Debeltum profugerat, locutus Nicetas de gesto ab illo Imperio hanc sententiam tulit, historiæq; mandauit, in bello timidum ignauumque fuisse, atque in pace ad res gerendas parum idoneum, cæterum suauitate morum, aditus facilitate, & clementia commendatissimum, adulatorum quorum ingentem alebat numerum, vocibus corruptum, calumnijs in aures admittendis procliuem: ob ereptum verò fratri vnà cum Imperio oculorum lumen conscientiæ facibus arsisse ac insignem aliquam calamitatem semper extimuisse; atque ita cum hostem sentiret in pectore, tum quasi deploratis rebus Debeltum fugisse, cum a nemine fugaretur, atque adhuc res suas confirmare posset. De Isaacio ac filio in Imperium restitutis atque id genus alijs fusè Nicetas Choniata, vbi acerbissimo in Latinos odio inuehitur, eosque calumnijs insectatur. At ea ex ijs, quæ

a Arnol. Lub. chron Slau. l. 6. c. 20.
b Godef. in annal. hoc ann.

ern-

crucesignati scripsere, Guntherusque tradit, nullo negotio refelluntur.

17 Euectus ad Constantinopolitanum Imperiũ Alexius cùm patrem suum Isaacium a fratre excæcatum libertati ac solio restituisset, ad exsoluenda Latinis promissa se comparauit, inter quæ illud præcipuum erat, vt Græcam ecclesiam ad Romanæ obsequium adduceret. Scriptis igitur literis ad Innocentium Romanum Pontificem, vbi in patruo feliciter vindicatum scelus, receptumque ex eius manibus sceptrum exposuit, consueta olim ab Imperatoribus catholicis Christi Vicario præstari obsequia submissè detulit, atque ad perducendos ad coniunctionem Ecclesiæ orientales operam omnem collocaturum, atque Latinorum præsulum, qui Constantinopoli versabantur, consilijs religiosissimè obtemperaturum est pollicitus.

Sanctissimo patri, & domino Innocentio Dei gratia summo Pontifici, Alexius fidelis in Christo Imperator a Deo coronatus, Romanorum moderator, & semper Augustus, reuerentiæ filialis deuotum obsequium.

Quanta a mihi fecerit Dominus his diebus secundùm misericordiam suam, Beatitudini vestræ potissimum credidi breuiter explicandum, quam locum eius in terris noscitur obtinere, in cuius manu sunt omnium potestates, & omnium iura regnorum, tam Deo, & sanctitati vestræ in gratiarum actione denotus, quàm merito teneor, & in perpetuum tenebor obnoxius. Nouit plenius sanctitas vestra parricidio in fratrem commisso occupatum diutius, & pollutum Imperium, meque ipsum felici exilio detestabilem euasisse tyrannidem, in quo & mihi cælitùs datum est vestram Apostolicam videre personam.] Insigni ingrati animi vitio id scelus patrasse Alexium tyrannum tradit Iordanus b, cum antea a Turcis abductus in seruitutem ab Isacio maxima vi auri liberatus fuisset, qui excepto diademate cætera omnia eius arbitrio permiserat: hunc verò ex administratione reipublicæ occasionem aucupatum Grecorum voluntates ad se pellexisse, corrupisseque, vt fratri sceptrum eriperet. pergunt Alexij alterius literæ.

a Lib. 6. ep. 210.

b Iordan. M. S. Vat. bibl. sign. n. 1960.

18 Sed nec illud vestrum effugit auditum, quod peregrinorum beata societas crudelitatem abominanda sceleris inauditi, amore fraterno, seu potiùs miseratione paterna exilium meum, & causam iustissimam quidem, sed apud homines desperatam tam misericorditer, quàm viriliter adorsa fuerit subleuare. Et tunc qualiter in manibus eorum tam mea, quàm patris a Domino prosperata sit salus, subleuatum de carcere eiusdem illustris patris mei caput ostendit Imperialibus, vt decet, insignibus decoratum, & restitutum capiti meo cum solemnitate debita Imperij diadema, noctu elapso per fugam detestabili parricida, qui fasces Imperij inauditæ tyrannidis incubatione polluerat. Hic profectò suspirantem ad nos vrbem regiam sermonibus adeo infecerat venenatis, vt ad subuersionem libertatis antiquæ publicè Latinos assereret aduenire, qui Apostolatui vestro locum, & gentem restituere laborarent, meque in odium traherent amicorum, cuius occasione, & studio opus tam insperatum Latinitas inchoasset. Hæc fateor causa potissimum ad subsidium nostrum peregrinorum animos inclinauit, quòd promissione spontanea sub iurisiurandi religione, Christiana sumus deuotione polliciti, totius Christianitatis ecclesiasticum caput, Romanum videlicet Pontificem Apostolorum principis Petri catholicum successorem nos humiliter agnituros, & ad hoc ipsam orientalem ecclesiam pro viribus inducturos, si debitum nobis diuina miseratio restituisset Imperium, intelligentes profectò, quod accedere debeat plurimum honoris, & vtilitatis Imperio, & nomini nostro decus æternum, si tunica Domini inconsutilis suam nostris temporibus, & operibus recipiat vnitatem. Ex hoc quidem, vt dictum est, tam peregrinis vestris sub iuramento promisimus, quàm paternitati vestræ exhibere plenius præoptamus, omnem vobis, & successoribus vestris canonicè substituendis deuotionem per præsentes literas promittentes, quam antecessores nostri Imperatores catholici prædecessoribus vestris patribus orthodoxis Romanis Pontificibus antiquitus exhibuisse noscuntur. Illud pariter promittentes, quod opportunitate nobis a Domino præstita salutari, ad idem orientalem ecclesiam tam prudenter inclinabimus, quàm potenter, super quo prudentiæ vestræ consilio desideramus inniti, ad hæc prædicta inducti præcipuè consilijs salutaribus, & monitis venerabilium patrum C.. Halbest. & G. . . Trecen. & N. . . Suessionen. episcoporum, abbatis de Lnced. & magistri Ioannis Nouiouen. *Dat. in vrbe regia 8. Kal. septembris.*] Hæc nouus Imperator. quid verò tum ad ipsum, tum ad crucesignatos rescripserit Innocentius, sequenti anno videbimus.

Pollicetur Alexius se Græcos ad Pontificis obediẽtiam adducturum

19 Quod spectat ad Vngariæ Regem, quem supra insignitum cruce meminimus; cùm Iaderam ab alijs crucesignatis impulsu Venetorum excisam inspeximus, dum ille assumpta cruce ad Hierosolymitanum iter sese compararet, regni præsulibus Innocentius præceperat, vt Ladislao eius filio fidei sacramento obstringi Vngaros operam darent, atque in eos, qui ab ipso desciscerent, anathema vibrarent. Rogatus præterea ab eodem Rege, dum expeditionem appararet, ne Strigoniensem, & Colocensem archiepiscopos suarum occasione ecclesiarum lites agitare permitteret, 11. kalen. martias respondit a, ita se res moderaturum, vt etiamsi lite certarent, nullum in regno dissidium oriretur. Post hæc nonis nouembris Anagniæ cum esset, Regem eundem hortatus est b, vt Andreę fratri duci subueniret, instrueretque necessarijs, vt voto Hierosolymitano sese exsolueret, quod pater immatura abreptus morte ad opus perducere non potuerat, eiusque persoluendi in eum munus transfuderat: quo etiam die ad eundem Andream scribens c compositam inter illum, Regemq; fratrem concordiam per G.. tit. S. Vitalis presbyterum Cardinalem, Apostolicæ sedis legatum confirmat: præterea dato ad ipsum Hierosolymam traijcientem diplomate d in suam cliẽtelam admisit, eaque gratia cæteros crucesignatos se affecturum pollicetur e. Cum de Strigoniensi, & Colocensi archiepiscopis mentio inciderit, non prætermittendum silentio, Innocentium Strigoniensis ecclesiæ priuilegia corroborasse, vt Vngariæ Metropolitanus sit, Reges, reginæque in illa ecclesia a Strigoniensibus archiepiscopis consecrentur, & corona insigniantur. Datum diploma Præneste 3. nonas maij. paucisque ante diebus, nempè 11. kal. april. Colocensi mandarat, vt Vv. Meganipanum inuiseret, eumque ac Seruiæ principes in Romani Pontificis obedientia confirmaret, atque a Constantinopolitani patriarchæ, qui Apostolicæ sedi obtemperare renuebat, iurisdictione liberaret, quo pariter die ad ipsum Meganipanum scribens f primatum Ecclesiæ Romanæ, atque in cæteras supremum imperium, dignitatemque commendat, eiusdemque argumenti literas Vngarorum Regi, & Seruiæ archiepiscopis, episcopis, principibus, atque optimatibus misit. g

a Id l. 6. ep. 8.

b Id. ibid. ep. 156.

c Ibid. ep. 156.

d lb. ep. 57

e Ibid. l. 5. ep. 147.

Strigoniẽsis archiep est Reges Vngaros cõsecrare.

Laborat Pontifex pro continendis in officio Seruijs.

f Id. ibid. ep. 24.

g arg. post dict. ep.

20 E Seruia ad proximum Bulgariæ regnum sermonem conuertamus. Perlata fuit Innocẽtio Pontifici hæc Bulgarorum Regis epistola, qua ille Romani Pontificis summam auctoritatem a Deo ipsi collatam agnouit, propter eaque poposcit, vt legatos Apostolicos ad se transmitteret, qui ipsum regia corona redimirent, ac patriarcham in Bulgaria crearent;

tent; interpellatum quidem ab Imperatore, & patriarcha Græcorum, vt ab ipsis regiæ ornamenta dignitatis acciperet, sed promissa ipsorum aspernatum, cùm B. Petri successoribus omni studio, & amore obsequi contendat. Inuitarat illum Innocentius Dominici Brundusini opera, teique gerendæ occasionem, & argumentum captarat, vt cum ex prænobili Romana stirpe genus duceret, Romanæ Ecclesiæ adhæresceret.

CaloIoannes Imperator Bulgarorum sanctissimo domino fidei Christianorum ab oriente vsque ad occidentem patriarchæ Papæ Romano.

a Lib. 6. ep. 142.

Ego cartam mitto tibi, a gaudens si nuncius meus inuenict te sanum, & lætum cum omnibus, qui sunt tecum, & omnibus consanguineis, & amicis tuis. Ego sanus sum per virtutem Domini, & beatæ Virginis, & per orationes sanctorum Petri, & Pauli Apostolorum, & per sanctas orationes tuas. Intelligo ego CaloIoannes Imperator Bulgarorum, quod tu habes potestatem a Deo ligandi, & soluendi, sicut habuit beatus Petrus Apostolus, cui dixit Dominus: Quodcunque ligaueris super terram, &c. sic tibi contulit Deus gratiam istam; vnde quem ligaueris, ligatus est, & quem solueris, solutus. Notum facio sanctitati tuæ, quod elapsi sunt sex anni, quod ego semel, secundò, & tertiò misi ad vos, sed nuncij mei non potuerunt ad sanctitatem tuam accedere, & proponere verbum meum, & referre mihi consolationem tuam. Inspirauit Dominus sanctitatem tuã, vt remitteret mihi Dominicum archipresbyterum Brundusinum, per quem intellexi, quod non es oblitus mei serui tui, quem honoraui sicut hominem tuum, & dedi ei literas, quas tuæ sanctitati deferret, quas verum attulerit, vel non attulerit, Deus nouit. Ex quo sciuerunt istud Græci, miserunt mibi patriarcha, & Imperator: Veni ad nos, coronabimus te in Imperatorem, & faciemus tibi patriarchã, quia Imperium sine patriarcha non staret; sed ego non volui, immo recurri ad sanctitatem tuam, quia volo esse seruus sancti Petri, & tuæ sanctitatis, & sciat sanctitas tua, quod ego misi ad te archiepiscopum meum cum omni ordinatione, & pecunia, & pannis sericis, cera, & argento, equis, & mulis, vt adoret sanctitatem tuam pro me seruo tuo. Et rogo per orationes beati Apostoli Petri, & per sanctas orationes tuas, vt tu mittas Cardinales, quibus præcipiat sanctitas tua, vt me coronent in Imperatorem, & in terra mea faciant patriarcham, vt sim seruus tuus tempore vitæ meæ.] Subiectæ sunt Basilij Bulgarorum archiepiscopi literæ b, quas cùm ad sedem Apostolicam cum ingentibus, ac preciosissimis muneribus deferret, emensoque longissimo itinere peruenisset Dyrrachium, a Græcis, qui inuidia peciti Bulgaros a Romanæ Ecclesiæ coniunctione distrahere nitebantur, prohibitus est, ne in occidentem traijceret, tunc verò tyrannus Alexius ereptum Isaacio sceptrum adhuc tenebat, ob cuius metum archiepiscopus legatione persungi non potuit, sed fidissimos nuncios ad Innocentium transmisit.

Bulgarus se Romanæ Ecclesiæ submittit.

b Reg. ep. 13 eand. ep.

21 Acceptis hisce literis Innocentius incredibili voluptate delibutus, quod Bulgari ad Ecclesiam Romanam conuolare cuperent, bene cœpta ardentius vrgere cœpit, redditisque alijs archiepiscopo Basilio de agnita Apostolici culminis dignitate est gratulatus, incitauitque, vt relicto illo ingenti, quo stipabatur comitatu, quandoquidem obeundæ legationis prouincia ipsi demandata esset, persequendo itineri generosè se accingeret, peteret mari Apuliam ibi honorificè susceptum iri, ardere se magno illius videndi, teiq; perficiendæ desiderio: quid etiam misso Dominico Brundusino antea iussisset, significauit. c *Dilectũ filium Dominicum archipresbyterũ Brundusinũ ad eiusdem nobilis,* nẽpe Caloioannis, *duximus præsentiam destinandum, plena ei facultate concessa, vt in tota terra ipsius quoad spiritualia corrigeret, quæ corrigenda cognosceret, & statueret, quæ forent secundum Dominum statuenda. Per ipsum quoque vni archiepiscoporum terræ ipsius pallium, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officij duximus destinandum, mandantes eidem, vt si qui forsan in terra illa promouendi ad ordines essent, vel in episcopum consecrandi, per vicinos catholicos dumtaxat episcopos in ordinandorum ordinatione, & consecratione consecrandorum procedere non tardaret. Eidem etiam dedimus in mandatis, vt de corona progenitoribus nobilis sæpedicti ab Ecclesia Romana inquireret diligentius veritatem, & tractaret de omnibus cum eodem, quæ cognosceret pertractanda, vt per ipsum tandem, & nuncios eiusdem nobilis de omnibus redditi certiores, consultius, & maturius super hoc procedere valeamus. Nuper autem idem legatus noster nuncijs eiusdem nobilis obuiauit ad charissimum in Christo filium nostrum H. . . . illustrem Regem Vngariæ destinatis, cum quibus ad eorum dominum sine mora se asserunt profecturum. Licet igitur prædictos Const. presbyterum, & Sergium comestabilem ad præsentiam nostram duxeris destinandos, quia tamen tibi specialiter memoratus nobilis veniendi ad nos laborem imposuit, & onus suæ legationis iniunxit moneamus, &c.* Hactenus Innocentius, qui eodem die, eademque ferè ratione ad Regem Bulgarorum scripsit. a

c Ep. 143.

a Ibid. ep. 144.

22 Hìc fortè mirabitur lector, cur in Bulgari Regis, & archiepiscopi literis nulla fiat mentio Ioannis Pontificij capellani, cui legationis munus ab Innocentio in ijs regionibus, vt supra vidimus, impositum fuit: at inde id contigit, quod Ioannes nondum eò peruenisset, vt eius ad Pontificem datæ literæ ostendunt b. Significauit enim in primis vnicum Bosniæ episcopum præesse, illumque iam e vita sublatum, magno diuinæ gloriæ incremento futurum, si Latinus episcopus imponeretur, atque etiam plures in ijs terris episcopatus instituerentur: *Tractato negotio illorum quondam Patarenorum in Bosna, sicut iam pridem scripsi sanctitati vestræ, fui in Vngaria aliquantis diebus ex voluntate regia. Interim nuncij illius magni viri Caloioannis venerunt ad Regem, cum quibus, Deo duce, spero me ire ad ipsum, & Christianissimus Rex fecit eos super Euangelia iurare in ecclesia coram altari, quod me securum vsque ad præsentiam eius deducerent.* Et infra: *Noueritis præterea, quòd in Regno Bani Culin. de Bosna non est nisi vnus episcopatus, & episcopus modò mortuus est, si posset fieri, quod aliquis Latinus ibi poneretur, & aliqui etiam ibi tres, vel quatuor crearentur noui, non modicum exinde vtilitatis accresceret ecclesiasticæ, quia regnum est ipsius ad minus dietarum decem, & plus. Ad hoc sciat sanctitas vestra, quod nobilis mulier Sibilia vxor quondam potestatis Constantinopolitan. in vltima voluntate de dote sua legatum reliquit Romanæ Ecclesiæ, &c.*

b Apud Inn. lib. 6. ep. 140.

Bosniæ res.

Legatum a Sibilia Ecclesiæ relictum.

23 Hactenus Ioannis literæ, post quas tabularum exemplũ legitur, quibus Bosniæ monachi schismatici Romanæ Ecclesiæ constitutiones se obseruaturos pollicentur, atque obstringunt. Perfectum verò illud est eiusdem Ioannis opera, & diligentia, cui Pontifex excindendæ in ijs regionibus Patarenorum hæreseos prouinciam commiserat. Inuit illius studium Banus Culinus Bosniæ princeps, quo præsente in publicis ecclesiasticorum comitijs Schismati abrenunciarunt, virusque euomuere certi hæretici, qui sub religionis specie per summum aliorum contemptum se Christianos nuncupabant, ac sacramento ad seruandos Ecclesiæ Romanæ ritus, & mutato nomine se fratres appellaturos deuinxere. *In nomine Dei æterni Creatoris omnium, & humani generis redemptoris anno ab ipsius incarnatione M.CC.III. domini verò Innocentij Papæ III. anno sexto. Nos priores illorum hominum, qui hactenus singulariter Christiani*

nomi-

nominis prærogatiua vocati sumus in territorio Bosnæ omnium vice constituti pro omnibus, qui supra de nostra societate fraternitatis in præsentia Domini I.. de Casem. capellan. summi Pontificis, & Romanæ Ecclesiæ in Bosna propter hoc delegati, præsente patrono Ban. Culin. domino Bosnæ promittimus coram Deo, & sanctis eius stare ordinationi, & mandatis sanctæ Romanæ Ecclesiæ, tam de vita, & conuersatione nostra, quàm ipsius obsecundare obedientiæ, & viuere institutis, obligantes nos pro omnibus, qui sunt de nostra societate, & loca nostra cum possessionibus, & rebus omnibus, si aliquo tempore deinceps sectati fuerimus hæreticam prauitatem. In primis abrenunciamus schismati, quo ducimur infamati, & Romanam Ecclesiam matrem nostram caput totius ecclesiasticæ vnitatis recognoscimus, &c.

a Ann. supr.
b Ex reg. Inn. libellus sup. neg. Imp. ep. 87.

24 Iam ad res occidentalis Imperij nostra defluxit oratio. Cùm Otho, vt vidimus, a Innocentium Papam de felici rerum suarum statu certiorem fecisset, idibus ille ianuarijs reddita epistola b gratulatur: *Nos autem de tua prosperitate gaudemus, & successus tuos proprios reputamus, vtpote qui plantæ nostræ obliuisci non possumus, &c.* Additque: *Nos enim quantum nobis permittit Dominus, vltra forte quam credas supra promotionis tuæ negotio vigilamus.* Et quidem summam ipsius pro Othone vigilantiã, ac solicitudinẽ apertissimè ostendunt apostolica hoc anno datæ epistolæ, de quibus nunc dicendum. Igitur cùm Treuirensis archiepiscopus Innocentio promisisset, atque iureiurando confirmasset, in Imperij negocio ad eius arbitrium se accommodaturum, sprera sacramenti religione, Pontificisque dicta ei lege, per summam perfidiam ad partes Othonianas conferre sese renueret, Innocentius ad Germaniæ episcopos 6. Kal. martij scripsit c, vt diebus dominicis solemni ritu e fidelium consortio eiectus promulgaretur. Quo item die Prænestino episcopo Apostolicæ sedis legato rescribens d Germanis archiepiscopis, & episcopis hæc aduersus Treuirensem archiepiscopũ se iussisse ait. Plurimum autem legatum ipsum commendat, eũ quia inter ignotas antea gentes, & populos lingua dissonos, quam nõ nouerat constitutus, talem se verbis, recteque factis exhibere niteretur, vt eius opera cernentes, illum ex quo omne datum optimum e, & omne donum perfectum emanat, gloria afficerent, sibique laudes, gratesque agerent, quod Angelum pacis eò mittendum duxisset; tum etiam quia renunciato Imperatori plurimorum gratiam comparasset, seque ad Regem Danorum scripsisse, vt cum ipse inter illum, Othonemque fœdus composuisset, confirmassetque, si ob hanc, aliamve causam in Daniam se conferret, veluti Apostolicæ sedis legatum benigno vultu, & perhumaniter exciperet, eiusque consilijs, ac monitis acquiesceret: postea verò pactiones quasdam inter eundem Regem, & Othonem, fratresque confectas Apostolica auctoritate firmauit. Porrò vt in perfidum, & contumacem Treuirensem archiepiscopum vidimus Innocentium animaduertisse, ita archiepiscopum alterum, Adolphum scilicet Coloniẽsem, quod ab Othone maxima existimationis, gloriæq; suæ iactura ad Philippũ transuolasset, grauissimè arguit f, vtq; ad illius partes iterùm se conferat, monet, imperatque. Hoc interim spatio calumniatoribus quibusdã falsò spargẽtibus electionis Othonis, ac Siffridi Magũtini archiepiscopi Innocentiũ pœnituisse, ad Germanos principes hæc scripsit. g

c Ian. cit. Cod. ep. 82
d Id. ibid. ep. 83.
e Iac. c. 1.
f Id. ibid. ep. 99.
g Ibid. ep. 84

Innocentius, &c.

Innoc. cõfutat literas sibi affictas in gratiam Philippi.

25 Miramur non modicum, & mouemur, quod pestilentes quidam filij tenebrarum, sathanæ discipuli prænuncij antichristi, nobis, & Ecclesiæ Romanæ notam voluut impingere leuitatis, tanquam quod cum multa grauitate statuimus, velimus leuiter reuocare. Nec hoc solo contenti moliuntur innuere, licet frustra, quod inter nos, & fratres nostros zelus sit, & contentio, nec sapiamus idem, sed in æmulatione, & contentione ad ea quæ statuimus, procedamus, cùm tantus potius per Dei gratiam vigeat inter nos charitatis affectus, & tam insolubile maneat vinculum vnitatis, vt sit nobis cor vnum, & anima vna, secundùm Psalmistam, ambulantibus in domo Domini cum consensu. Ipsi autem volentes auctoritati sedis Apostolicæ derogare, ac in dubium reuocare, quod fecimus tam super Imperij Romani negotio erga charissimum in Christo filium nostrum illustrẽ Regem Othonem in Romanorum Imperatorem electum, quàm super facto ecclesiæ Maguntin. aduersus venerabilem fratrem nostrum S.. archiepiscopum Maguntinũ falsas præsumpserunt literas exhibere, volentes quosdam ex fratribus nostris a nobis discordes ostendere, ac animos vestros a consilijs nostris, & monitis reuocare. Verùm mentita est iniquitas sibi, quia præualere non potuit veritati figmentum, cum literarum falsitas manifesta sit rectè intuentibus per seipsam, cùm nec literæ, quæ tanquam sub nomine nostro missæ fuerunt Pataniensi, Frisingen. Eisteten. episc. præsentatæ Ecclesiæ Romanæ stylum redoleant, nec illæ, quæ dicuntur a quibusdam nostris fratribus destinatæ, fratrum nostrorum sapiant grauitatem, immo tanta sit inconcinnitas in vtrisque, vt nullus sanæ mentis de ipsis debuerit dubitare. Vnde culpabiles se ostendunt, qui earum procedere occasione præsumunt. Cùm ergo super Imperij Romani negotio, nec super facto ecclesiæ Maguntinæ a nostro velimus proposito declinare, vniuersitatem vestram monemus, & exhortamur attentius, & per Apostolica vobis scripta mandamus, quatenus super vtroque consilijs nostris, & monitis intendatis, scituri pro certo, quod non intendimus ad depressionem Imperij, sicut mendaces aliqui mentiuntur, sed ad exaltationem ipsius propensius aspiramus. *Datum Lateran. 9. april.*] Hactenus Innocentius ad Germaniæ principes. a

a Ib. ep...

26 Ad infringendam eandem calumniam, ne in credulorum mentes irreperet, atque Ecclesiæ grauitati derraheret, si tanta leuitate suffragia ad Philippum derorsisse crederetur, sacer Cardinalium senatus literas ad Germaniæ principes misit, quibus proposita concepti animo doloris ob Germaniæ dissensiones magnitudine, declarauit Othonis, & Siffridi causas cõtra æmulos ab Ecclesia vt æquissimas probari, aliorum verò vt iniustas maturo cõsilio esse proscriptas.

Literæ Cardd. ad vniuersos tam ecclesiasticos, quam seculares principes Alemanniæ.

Confutatur a Cardd. eadem calũnia.

Tam super Imperij Romani scissura, quàm super ecclesiæ Maguntin. discordia pio compassionis affectu dolemus, affectantes vtriusque commodum, & honorem. Cùm autem & dominus Papa nobiscum, & nos cum ipso simus per Dei gratiam vnanimes, & concordes, quoniam ipse nos tanquam fratres, & filios diligit & honorat, & nos eum tanquam patrem, & Dominum reueremur, veneramur, mirari cogimur, & moueri, quod quidam homines pestilentes, illius vtique filij, qui ab initio mendax fuit, & in veritate non stetit, sub nomine ipsius domini Papæ, ac quorundam ex nobis tam super Imperij Romani negotio contra illustrem Regem Othonem in Romanorum Imperatorem electum, quàm ecclesiæ Maguntinæ venerabilem fratrem nostrum Siffridum archiepiscopum Maguntinum falsas præsumpserunt literas exhibere, volentes super vtroque negotio nos discordes ostendere, vt possent auctoritati sedis Apostolicæ derogare. Quia verò Deus Romanam Ecclesiam super firmam petram stabili soliditate fundauit, cuius idem ipsum fundamentum est, & fundator, frustra quis existimat, vt ab ijs, quæ cum multa disponit maturitate consilij, prophana facilitate recedat, præsertim hoc tempore, quo quantum

hominibus est concessum, non impetu voluntatis offertur, sed motu dirigitur rationis, ideoque reprehensibiles euincuntur, qui literis falsis vtentes, Apostolicum moliuntur impedire statum, præsertim cum huiusmodi literæ tam manifestam exprimant falsitatem, vt nemo sanæ mentis super ijs debuerit dubitare. Vniuersitatem itaque vestram rogamus attentius, & monemus, quatenus tam de domino nostro summo Pontifice, quàm nobis ipsis nihil velitis suspicari sinistri, nec credatis immissionibus, quæ fuerint per angelos malos, sed salubribus Romanæ Ecclesiæ consilijs intendatis, quæ non ad depressionem Imperij, sed exaltationem eius intendit. Licet autem aliqui nostrûm pro diuersis Ecclesiæ necessitatibus sint absentes, quia tamen vnum, & idem eos nouimus sentire nobiscum, has literas cum sigillis omnium, qui apud sedem Apostolicam præsentes existimus, sub vniuersitatis nomine destinamus.]

Philippus fert rumorem se ad coronam ca pessendã excitū. 27 Vsus præterea alia arte Philippus Sueuiæ dux, quò studia principum, qui Othoni fauebant, labefactaret, atque infringeret, simulataque Apostolicæ sedis gratia suas res stabiliret, spargi latè rumorem curauerat, Pontificem Romanū ad Imperij coronam eum euocandum Camaldulensium priorem in Germaniam misisse. At Pontifex datis ad Salisburgensem archiepiscopum literis a, fraudem detexit.

a lib.ep.89

Innocentius, &c.

Innoc. cō- futat spar- sam famã. Ad nostram noueris audientiam peruenisse, quod Sueuiæ dux Ph. vt corda principum charissimo in Christo filio nostro illustri Regi Othoni in Romanorum Imperatorem electo fauentium infirmaret, & ex simulato fauore nostro robur aliquod obtineret, fecit per Theutoniam diuulgari, quod dilect. fil. priorem Camaldulen. ad eius præsentiam miseramus, eum ad coronam Imperij euocantes. Cæterum vt coram Deo sub testimonio conscientiæ nostræ loquamur, nec priorem prædictum, nec alium ad ducem ipsum duximus destinandum, sed priorem eundem ab eo missum recepimus offerentem plura, & plurima referentem sub testimonio literarum, quas dux ipse sigillo fecerat aureo roborari. Cumque idem prior ex eius parte proponeret coram nobis, quod paratus erat ad mandatum Ecclesiæ Romanæ redire, a nobis non potuit responsum aliud extorquere, nisi quod cùm redeuntibus ad Ecclesiæ gremium nolimus aditum veniæ denegare, prompti eramus eum recipere, sicut quemlibet pœnitentem. Monemus igitur fraternitatem tuam, & exhortamur attentius, & per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus quicquid maliciosè fingatur, quæcunque immissiones per angelos malos fiant, non credas, quod a constantia mentis nostræ tam leuiter recedamus. *Datum Ferentini 5. idus septemb.*] In eandemque ferè rationem, vti subditur, ad Zaringiæ ducem scripsit. Postea verò cum ipso archiepiscopo b questus est Innocentius, cum Othoni Imperatori designato adhæreret, illi tamen nec literas, nec nuncios, aut auxilium misisse, quod vt in posterum præstet, hortatur imperatque.

b Id.ib.ep. 102.

28 Studuerat etiã Philippus magnis pollicitationibus gratiã Pontificis sibi conciliare. Quænã verò eæ fuerint, Innocētij IV. diploma ex Lugdunensi synodo euulgatū (de quo suo loco dicendū c erit) satis ostendit d, ipsi enim intexuit inter alia datã ad Innocentiū III. prædecessorem suū Philippi epistolã, cuius exemplum infra scriptum est, qua ad aucupandã Innocentij beneuolentiã ingentia promissa cumulabat: spondebat nimirum expeditionem ad reparandas Terræ sanctæ res adornare ac ducere, omnia quæ omnibus ecclesijs siue Romanæ vel alijs erepta essent restituere, nunquam se in prælatorum electionibus ingerere, si vel ipse aut leuir Constantinopolitanum Imperium obtinerent, orientalem ecclesiam ad Latinæ obsequium flectere, nouas leges iustissimas toto seruandas Imperio condere atque anathemate perculsos in exiliũ depellere, affinitatẽ cum Pontifice contrahere, si quæ damna intulisset, sarcire, vt ex subiectis patebit.

c Ann. 1245. d Extat in cod.Valic. signato D. I.

Philip. promissa pro aucupãda Pontificis gratia. Ego Philippus Romanorum Rex semper Augustus antequam Martinus prior Camaldulēsis & frater Odo monachus de Salem venirent ad me tractaturi de pace Ecclesiæ & Imperij, voueram Deo & sanctis eius me iturum vltra mare ad liberandam terram promissionis a gentium feritate: & iterum post eorum aduentum audito verbo eorum super tractatu pacis, de concessione domini Apostolici, in manu prædicti prioris vice domini Apostolici voui, & pronunsi Deo & sanctis eius & eidem priori loco sæpedicti domini Apostolici, me opportuno tempore Ecclesiæ, & Imperio & liberationi terræ prædictæ bona fide absque omni fraude illuc iturum, & opitulante Deo terram illam pro posse meo liberaturum. Huius voti testes sunt Diētalben. Constantien. episcopus & Berchardus abbas de Salem Petrus abbas de Burgo sancti sepulchri, frater Odo de Salem, Hēricus dapifer de Voalteg. Henricus de Sinalenebhe, Henricus Mareschalec. de Papinherto, Helfric oot. Insuper promisi me facturum omnia hic subscripta: omnia bona tam Romanæ Ecclesiæ, quàm aliarum ecclesiarum, quæ antecessores mei Reges vel Imperatores iniustè abstulerunt vel detinuerunt, vel ego abstuli vel iniustè detineo, restituam, & ab eis quietè & pacificè semper possideri ab eis permittam: omnes abusus, quos antecessores mei in ecclesijs habuerunt, vtpota mortuis prælatis bona ipsorum vel ecclesiarum eorū accipiebant, perpetuò relinquam: electiones episcoporū & aliorum prælatorum canonicè fieri permittemus: omnia spiritualia summo Pontifici relinquentes: monasteria irregulariter viuentia, sicut maiestati Imperiali congruit, cum adiutorio domini Apostolici regularibus conuentibus, scilicet Cistercieo. Camaldulen. Præmostraten. subijciemus, & operam dabo, vt tam monasticus, quàm clericalis ordo ea qua decet religione viuat & honestate.

Terræ S. res reparare.

Restituere erepta Ecclesiæ Rom. & alijs.

Permittere liberas electiones prælatorū

29 Aduocatos siue patronos ecclesiarum ab exactionibus, angarijs, parangarijs, in quantum potero, cessare compellam. Si omnipotens dominus regnum Græcorum mihi vel leuiro meo subdiderit, ecclesiam Constantinopolitanam Romanæ Ecclesiæ bona fide & sine fraude faciam fore subiectam, Romanæ Ecclesiæ in omnibus & per omnia fidelis, & deuotus atque filius & defensor semper ero. Generalem legem statuam & obseruari faciam semper & vbique per totum Imperium, vt quicunque excommunicatus fuerit a domino Apostolico in bannο statim sit Imperiali: insuper pro pace & amicitia inter me & dominum Apostolicum semper seruanda & omni mala suspitione auferenda, vt ipse semper benignissimus sit mihi pater, & ego ei fidelissimus, & optimus filius, filiam meã nepoti eius in coniugium dabo & alios vel alias de cognatione mea secundùm voluntatem suam generi suo copulari faciam. De omnibus excessibus meis ad mandatum, & voluntatem domini Apostolici Deo, & Ecclesiæ plenè satisfaciam. Hæc etiam omnia in præsentia domini episcopi Const. & domini Martini prioris Camaldulen. & domini Eberhardi abbatis de Salem, & domini Petri abbatis de Burgo sancti sepulchri, & fratris Odonis de Salem præsentium latoris &c. (adijciuntur alia testium nomina, quæ in superiori instrumenti parte insinuata sunt) me facturum, & obseruaturum bona fide & sine omni fraude iurani, &c.] Hactenos prior Philippi ad Innocentium epistola: eius verò leuir, cuius hic meminit Alexius est quem a Latinis hoc anno enectum vidimus ad Constantinopolitanũ Imperium, recitatæ verò epistolæ hæc alia subditur.

Græcam Ecclesiam Romanæ coniũgere.

Excõmunicatos exilio dānare.

Affinitatē iungere cum Innocentio.

Facere satis de illatis iniurijs

Reuerendo in Christo patri domino Innocentio sacro-

sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici Philippus Dei gratia Romanorum Rex & Augustus salutem & filialis obedientiæ sincerum affectum.

30 Omnium bonorũ largitori & vestræ sanctissimæ paternitati gratias referimus quamplures, quod placuit vestræ pietati venerabili priori Camaldulen. concedere, vt ipse ad nostram accederet præsentiam, super tractatu concordiæ, & amicitiæ inter nos, & vos & pro reformanda pace inter Ecclesiam, & Imperium, secundùm propositiones & conditiones a viro religioso & honesto fratre Odone de Salem, sanctitati vestræ intimatas: indubitanter namque sciat vestra prudentia nostrum esse domino inspirante firmissimum propositum vobis obedientes & deuotos semper existere, & Romanam Ecclesiam totis viribus nostris tueri & exaltare; hoc etiam liquere volentes, quod per nos non stabit, quin de tranquillitate totius Ecclesiæ vnà cum vestro auxilio affectuosissimè cogitare & disponere intendamus. Vniuersas itaque conditiones in chartula ista inclusas bona fide & absque omni fraude semper inconcussè ac inuiolabiliter obseruabimus & executioni plenissimè mandabimus. Cæterum pleno rogamus affectu, vt eis quæ latores præsentium antedictus prior & frater Odo vobis ex parte nostra dixerint, indubitatam adhibere curetis fiduciam, quæcunque enim ipsi cum vestra sanctitate de præsenti negotio tractauerint, nos in totum ratum sumus habituri & inuiolabiliter obseruaturi, &c.] Hæc Philippus quem animaduertat lector haud Innocentium asserere Camaldulensium priorem misisse, sed tantum concessisse sen permisisse, vt ad ipsum accederet, quò scilicet resipiscentem ad Ecclesiæ obedientiam reuocaret.

Philippi ad Innoc. blandæ literæ.

31 Sed ad calumniatores redeamus. Conati igitur quos poterant ab Othone abalienare, omnemque concinnandi subornandique dolos occasionem aucupati sunt. Quid verò ægrotante Innocentio confinxerint, ipse vbi e morbo recreatus, vniuersis Germaniæ principibus significauit a: disseminarant nimirum per Germaniam Innocentium e viuis sublatum, atque illius successorem, cui Clementis nomen affinxerant, repudiato Othone Philippi causam magno animorum ardore amplexari.

a Id. ibid. ep. 95.

Innocentius, &c.

Crediderant quidam ex infirmitate nostra sibi nocendi materiã assumpsisse, ac nos mortuos mentiẽtes, confinxerunt etiã, quod nobis alius fuerat substitutus, quem, vt eorũ crederetur amplius falsitati, vocauere pro sua voluntate Clementem, quietiã cudentes nouã bullam & literas componentes substitutionem illius nisi sunt per Theutoniam diuulgare. Sed benedictus dominus Deus noster, quoniam non nobis, sed sibi potius iniquitas est mentita, & qui parauerant proximo suo foueam, ipsi absque illo inciderunt in eam: iam enim manifestatur eorum malitia, & iniquitas publicatur, qui contra Regem eundem sub fratrum nostrorum & contra ven. fratrem Maguntin. archiepiscopum, sub nostro nomine literas in falsitatis fabrica fabricarunt, sic nocere volentes illis, vt nobis impingerent vitium falsitatis. Cùm igitur mendaces huiusmodi apertè toties sint mentiti, & toties in suæ testimonium falsitatis literis falsis vsi, monemus vniuersitatẽ vestram, & exhortamur in Domino, & per Apostolica vobis scripta mandamus, quatenus si similia forsan confingant de cætero, non credatis, nec moueamini per sermonem, aut epistolam tanquam missam sub nostro nomine, ad credendum quod vsque adeo simus in proposito nostro leues, vt quod maturè disponimus, leuiter reuocemus. Dat. Anagniæ dec. Pont. &c.] Ægritudinis ex qua conualuerat, Othonem certiorem fecit b, cum secundis ac florentibus illius rebus gratulatur. At de Innocentij grauiore valetudine rursus infra hoc ipso anno.

b Id. ibid. ep. 90.

32 Ad augendas præterea Othonis res Pontifex archiepiscopis, episcopis, marchionibus, alijsque Lombardię nobilibus viris missa epistola, ipsos Othonis partibus astringere studuit a, cum Romani, vt inquit, Imperij negotium speciatim ad Lombardiæ ditionem pertineat, ipsorum consilium auxiliumque per Ferrariensem, Papiensem, & Placentinum episcopos, quibus Mantuanum b postea adiunxit, ex quirendum se duxisse ait. Quapropter monere, adhortari, imperare, vt ab ijsdem euocati illos præsules adeant, quibus præsulibus per alias pariter literas præcipit c, vt quid de transmissis conuentionibus Insubres sentiant, velintque, diligentissimè inquirant.

Innoc. Lombardos Othoni nititur conciliare

a Inn. ett. cod. ep. 86.

b Id. ibid. ep. 91.

c Id. ibid. ep. 87.

Archiepiscopis, & episcopis, & alijs ecclesiarum prælatis, rectoribus, potestatibus, consulibus marchionibus, comitibus, & alijs nobilibus constitutis in Lombardia.

Nouit d scrutator renum & cordium Dominus Iesus Christus, cui omniũ sunt cogitationes, & intentiones apertæ, quod in facto Imperij bono zelo processimus, id solicitè procurantes, vt persona talis assumeretur ad illud, quæ pacem Ecclesiæ ac Imperij affectaret, & Vrbis honores diligeret, & seruaret Italiæ toti, ac Lombardiæ specialiter libertatem. Non enim, sicut pestilentes aliqui mentiuntur, volentes inter Ecclesiã, & Imperium immortalis discordiæ materiam suscitare, ad Imperij depressionem intendimus, sed incrementum ipsius potiùs affectamus, vtpote per quod si bene ordinatum fuerit, Ecclesiam defendendam credimus, & in pluribus exaltandam. Nam etsi quidam Imperatorũ Romanam Ecclesiam, Lombardiam, & vniuersam Italiam grauiter fuerint persecuti, sicut vniuersitatis vestræ discretio plenè nouit, nouimus tamen, quod aliqui sunt sedem Apostolicam venerati, ditantes, & dotantes eandem, amantes Italiam, & diligentes specialiter Lombardiam.

d Ep. 91.

33 Attendentes igitur olim quantum dispendiũ ex defectoris defectu pateretur Ecclesia; quantumque incommodum ex Imperatoris carentia sentiret religio Christiana, licet diutius expectauerimus expectantes, si forsan principes, vel per seipsos, vel de consilio nostro finem imponerent tantis malis, quia tamen eos super hoc inuenimus negligentes, paterna ipsos curauimus solicitudine commonere, vt Deum præ oculis habentes, & Imperij zelantes honorem, ad prouisionem ipsius melius intendere procurarent, ne vel dignitas annullaretur ipsius, vel libertas per eorum discordiam deperiret: alioquin, quia mora trahebat periculum graue secum, nos quod expedire crederemus amplius procurantes, illi fauorem Apostolicum præstaremus, quem crederemus maioribus studijs, & meritis adiuuari. Cùm autem ad huiusmodi literas, quas ad multos principum nouimus peruenisse, nobis nec verbo fuisset, nec facto responsum, audito, quod quidam eorum ad commune colloquium disponerent conuenire, per literas nostras consilium nostrum eis duximus exponendum super ijs, quæ necessaria videbantur eos diligentiùs instruentes.

34 Cæterùm cùm nec sic potuissemus proficere apud eos, nolentes vlterius Ecclesiæ, ac Imperij dissimulare iacturam, non posuimus carnem brachium nostrum, nec accepimus vultum potentis, sed in eo ponentes spem nostram, qui non est personarum acceptor, & qui Dauid de post fœtantes accepit pascere Iacob populum suũ, & Israël hereditatem suam, pensauimus, & examinauimus, quantum tamen de plano potuimus studia eligentiũ, cùm priùs nobilis vir Philippus dux Sueuiæ nostrum noluerit super hoc subire iudicium, & intelleximus, quod licet maior pars principum in electionem ipsius ab initio concenisset, plures tamen ex ijs ad

ad quos Imperatoris ſpectat electio, conuenerunt poſtmodum in chariſſimum in Chriſto filium noſtrum illuſtrem Regem Othonem, & quod ex eo, quod fautores præfati Philippi abſentibus alijs, & contẽptis ipſum priùs eligere præſumpſerunt, patet eos perperàm proceſſiſſe, cùm explorati ſit iuris, quod electioni plus contẽptus vnius, quàm conditio plurimorum obſiſtat, vnde quia priuilegium meruerunt amittere, qui permiſſa ſibi abuſi ſunt poteſtate, videri non immeritò poterat, quod iniuria huiuſmodi non obſtante, cæteri poſtea vti potuerint iure ſuo. Præterea dux prædictus nec vbi debuit, nec a quo debuit, coronam & vnctionem accepit: memoratus verò Rex & vbi debuit, videlicet Aquiſgrani, & a quo debuit, ſcilicet a venerabili fratre noſtro Colonien. archiepiſcopo recepit vtrumque. Inſuper ſufficienter examinauimus merita perſonarum, cùm non dubium exiſtat ad nos examinationem huiuſmodi pertinere; eſt enim generaliter, & vniuerſaliter obſeruatum, vt ad eum examinatio perſonæ pertineat, ad quem impoſitio manus ſpectat, quod & principes ſine conditione qualibet recognoſcunt, ſicut expreſsè per venerabilem fratrem noſtrum Salisburgenſem archiepiſcopum, & dilectum filium abbatem de Salem, & nobilem virum marchionem orientalem legatos ſuos recognouerunt, in noſtra præſentia conſtitutos, etiam principes ſæpe dicto Philippo fauentes.

35 Quod autem cùm in electione vota principũ diuiduntur poſt admonitionem, & expectationem alteri partium fauere poſſimus, maximè poſtquam a nobis vnctio, & conſecratio, & coronatio poſtulatur, ſicut vtraque pars a nobis multoties poſtulauit, ex iure patet pariter, & exemplo. Nunquid enim ſi principes admoniti, & expectati, vel non potuerint, vel noluerint conuenire, Apoſtolica ſedes aduocato, & defenſore carebit, eorumque culpa ipſi redundabit in pœnam? Præterea ſicut veſtra credimus vniuerſitas non ignorat, quod cùm Lotarius, & Conradus in diſcordia fuiſſent electi, Romanus Pontifex Lotarium coronauit, & Imperium obtinuit coronatus, eodem Conrado tunc demum ad eius gratiam redeunte. Sunt autem notoria impedimenta, quæ præfato duci ad ſuam promotionem obſiſtunt, videlicet excommunicatio publica, periurium manifeſtum, & perſecutio diuulgata, quam progenitores eius, & ipſe præſumpſerunt in Apoſtolicam ſedem, & alias eccleſias exercere, vnde videri non immeritò poterat, quod ad reprobationem ipſius non erat ordo iudiciarius obſeruandus, cùm * actione non indigeant manifeſta, ſunt enim, &c. Affert cauſas ſuo loco ſupra allatas, ob quas fidelium conſortio eiectus fuerat.

* probatione

At quid poſt hæc cum Inſubribus Innocentius, cum illi ſe de Imperij rebus haud ſatis inſtructos eſſe reſpondiſſent [a]? prolixioribus ijſdem literis rerum hactenus geſtarum ſeriem ex ordine exponit. ea ipſi afferemus, quæ ad narrationem hiſtoricam maximè ſpectare videantur. Igitur de Philippi Sueui loquens criminibus, quibus ſe indignum Imperio reddiderat, hęc adducit. Cùm adhuc faueat Capparono, qui Marcualdo in malitia, & excõmunicatione ſucceſſit, nec vnquam fuerit abſolutus, & quod venit cõtra proprium iuramentum, fuit & de perſecutorum genere oriundus, & eſt Eccleſiam perſecutus, & qualiter libertas principum deperiret, ſi ipſum eligerẽt, qualiter autem Fridericus, & Henricus perſecuti fuerint Lombardiam, qualiter eam ſubijcere voluerint ſeruituti, qualiter Philippus ipſe adhuc patrum ſuorum inhærens veſtigijs regnum Siciliæ nobis, & etiam nepoti ſuo ſubtrahere moliatur, veſtra ſicut credimus vniuerſitas non ignorat. *Et infra*:

a Id. ibid. ep. 92.

36 Monemus igitur vniuerſitatem veſtram, & exhortamur attentius, & per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ob reuerentiam Apoſtolicæ ſedis, & noſtram, & propriæ libertatis obtentu, quod omiſiſti hactenus, ſine dilatione qualibet ſuppleatis, ex ijs quæ iam fecimus plenius intellectis, qualiter in fauorem Regis ipſius debeamus procedere, reſcribentes, non ſolùm conſilium, ſed auxilium veſtrum nobis efficaciter tribuatis, vt quod bene incepimus, melius compleamus. Ecce etenim Dominus noſtrum videtur approbaſſe conſilium, vel nobis illud miſericorditer inſpiraſſe, cùm Rex ipſe de die in diẽ fiat ſe ipſo robuſtior, & regnũ eius iugiter roboretur, & debilitetur quotidie pars aduerſa, nõ tam humana manu, quàm diuina deiecta. Cùm enim hoc anno dux Sueuię ſupradictus terram nobilis viri Langrauij Thuringiæ fuiſſet ingreſſus, & quandam ciuitatem ipſius cũ ſuis fautoribus obſideret, Rex ipſe nutãtibus, etiã quibuſdam ex ſuis cum duce Bohemiæ, & alijs qui auxiliantur eidem in auxilium Langrauij properans obſidentes obſedit, & faciente eum eo Domino ſignum in bonum, Ph. de Thuringia in Saxoniam ad maiorem exercitum colligendum aufugit, ſed nec ibidem illũ expectare præſumpſit, immo ad ciuitatem, in qua ſui obſidebantur, occultè reuertens, relicto exercitu, & diſperſo cum paucis in Sueuiam latenter abſceſſit. Cæterùm Rex prædictus non paucis caſtris, & terris, quæ duci fauerant, potenter acceptis, in locis, quæ ille priùs habuerat, ſolemnes curias celebrauit tam a Langrauio, quàm duce Bohemiæ, quem ipſi Regem appellant, & fratre ipſius marchione Morauiæ, a multis quoq; comitibus Iappanis fidelitatis iuramẽta recepit, & eos de feudis ſuis ſolemniter iuxta Imperij conſuetudinem inueſtiuit, &c. *Datum Anagniæ 3. id. decemb.*]

Lit. Innoc ad Lomb.

Philippus clades in Thuring. accipit.

37 Porrò de Germaniæ rebus, quarum hìc meminit Pontifex, Lubecenſis, Vrſpergenſis, Stadenſis, hiſtoriæ de Lãtgrauijs anonymus auctor, Godefridus, alijque. At de Lantgrauio non dandum obliuioni Innocentium dato ad eum diplomate [a] ipſum ditionemque in ſedis Apoſtolicæ tutelam ſuſcepiſſe. Igitur pro deſignato Imperatore elaborans adhuc Innocentius Saxoniæ ducem hortatur, [b] vt tandem ad eius partes prouolet, iacturamque temporis præteriti maioribus officijs reſarciat, atque Imperatoris gratiam ipſi conciliaturum pollicetur. datæ ſunt literæ *Anagniæ 11. idus decemb. &c.* Idemque ad Zaringiæ, Morauiæ, Auſtriæ, Bauariæ duces, alioſque principes ſcripſit. Quo etiam die alijs tum ad Brabantiæ ducem Othonis ſocerum, tum ad Danorum Regem datis literis illum, vt eundem Othonem non deſerat, pluribus monet, [c] atque hortatur, [d] vt quem Eccleſia fauore, ipſe officijs ſuis complecteretur: *Licet chariſſimus in Chriſto filius noſter illuſtris Otho in Romanorum Imperatorem electus ſerenitati tuæ ſit tam amicitia, quàm affinitate cõiunctus, nihilominus tamen auxilium, quod inter * tua promotionis primitias ei potenter, & viriliter impendiſti, nobis reputamus impenſum, & ad honorem tuum propter hoc ſpecialius intendimus, & profectum, nam quamuis ad fauorem ipſius duplex affinitatis videlicet, & amicitiæ ratio te inducat, vt tamen triplex funiculus non rumpatur deuotionis ſinceritas, quam ad nos, & Romanam Eccleſiam habere te credimus, prædictis accedens eis confert amplius firmamentum, cùm ſine conſcientiæ læſione, ac famæ diſpendio fauere valeas, cui fauemus, &c.* Hæc ad Daniæ Regem Innocentius. Præterea cùm a pluribus accepiſſet Bohemiæ Iappanos ſtrennè pro Othone ſe geſſiſſe, ſcriptis ad eos gratulatorijs literis [e] nauatam legato Apoſtolico operam, præclaramque de fuſo, fugatoque hoſte victoriam commendauit.

a To. n. l. 5. ep. 41.

b Libel. de negot. Imper. ep. 97.

c Id. ibid. ep. 98.

d Id. ibid. ep. 100.

Pont. literæ ad Danor. Reg. in gratiam Othonis.

* ſua

e Id. ibid. ep. 101.

38 *Deuotionem veſtram in Domino commendamus, quod ſicut veridica multorum relatione comperimus, vene-*

Innoc. lit. Iappanis Bohem.

venerabilem fratrem nostrum Prænestinum episcopum Apostolicæ sedis legatum ob reuerentiam Dei, & nostrã humiliter recepistis, & curastis honorifice pertractari, ita quod ad commonitionem eius relictis vxoribus, & filijs vestris in forti manu, & brachio extento cum domino vestro Bohemiam exeuntes, charissimo in Christo filio nostro illustri Regi Othoni in Romanorum Imperatorem electo potenter, & viriliter astitistis: in accessu autem vestro ei plurimum honoris accessit, cum congressum eius ipsius fugerit inimicus, nec coram vobis ausus fuerit comparere, sed disparuerit potiùs, & ad propria redierit relicto exercitu, & disperso. Super hoc igitur nobilitatem vestram prosequentes actionibus gratiarũ, monemus, & exhortamur attentius, quatenus sicut benè cœpistis, eidem Regi de cætero fideliter, & fortiter assistatis, & faueatis, ac promoueatis taliter partem eius, quod ipsius negotium in breui dante Domino feliciter consummetur. Nos enim reputabimus nobis ipsis impensum, quicquid gratiæ, & honoris ei duxeritis impendendum. Dat. &c.

39 Quoniam ad Bohemiam nostra delapsa est oratio, opportunè hîc addere videtur ex vetusto libro priuilegiorum R. E. Othocari ducis Bohemiæ Regis filij literas ad Innocentium, quibus facit certiorem se coram ipsius Papæ nuncio fidem Romanæ Ecclesiæ, ac legitimo Imperatori sacramento spopondisse: at præstat id ab eodem duce percipere.

Othocari filij Regi Bohem. ad Pont. literæ.

Sanctissimo patri, & domino Innocentio diuina prouidentia sanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici, Othocarus Dei gratia illustris Regis Bohemiæ filius, dux Austriæ, & Stiriæ, & marchio Morauiæ cum debita reuerentia pedum oscula beatorum.

Significamus sanctitati vestræ, quod nos ad requisitionem venerabilis viri fratris Valasti, ordinis fratrum minorum pœnitentiarij, & nuncij vestri promisimus, & iurauimus, tactis sacrosanctis Euangelijs, bona fide, & sine vllo malo ingenio in manibus eiusdem nuncij, in præsentia venerabilium patrum, videlicet Conradi Frisingensis, Alberti Ratisponensis, & Bertholdi * Pactarum episcoporum, præsentibus etiam Friderico guardiano fratrum minorum de Stem. & fratre Menhardo subpriore fratrum prædicatorum de Chrenis, & etiam sub nostro iuramento paternitati vestræ tenore præsentium promittimus, quod nos assistemus per nos, & nostros, cum terris, castris, & ciuitatibus nostris, & cum toto posse nostro Romanæ Ecclesiæ, & summo Pontifici, qui pro tẽpore fuerit, & * Vvillelmo illustri Regi Roman. quamdiu in gratia, & deuotione eiusdem Romanæ Ecclesiæ persistiterit, & innabimus eum fideliter, & sincerè, & ad ipsius Regis requisitionem, quam citius commodè poterimus, adibimus præsentiam eius, & recipiemus ab eo regalia, & sibi homagium ligium præstabimus, & hæc omnia, quæ promisimus, & iurauimus, in hac parte seruabimus purè, & sincerè, & sine fraude toto tempore vitæ nostræ; in cuius rei testimonium, & euidentiam pleniorem præsentes literas sigillis prædictorum nuncij, ac pœnitentiarij, & episcoporum, guardiani, & subprioris, ac nostro fecimus sigillari. *Datum in Chrenis 15. Kal. octob. anno Domini M. CC. III. &c.*]

* Pataniensis.

* Othoni

40 Postremò Innocentius Magdeburgensem archiepiscopum acrioribus literis ᵃ perstrinxit, quod Romano Pontifici de agnoscendo Imperatore Othone non consentiret, ac ni pareat, anathemate perculsum, ac episcopatu deiectum iri comminatur.

ᵃ Ib. epist. 103.

Inn. lit. ad Magdeburgensẽ archiep.

Innocentius, &c.

Ecce cùm idem legatus, de quo fiducialiter gloriamur, quod a muneribus excussit manus suas, & de quo verè dicere possumus: Non fuit qui ditaneſrit Abraham, tibi ex parte nostra sub debito iuramenti, quod in tua nuper absolutione præstiteras, districtè præceperit, & nos etiam tibi per literas nostras dederimus in mandatis, vt super Imperij Romani negotio nostræ acquiesceres voluntati, & charissimo in Christo filio nostro illustri Regi Othoni in Romanorum Imperatorem electo, quem nos in Regem suscepimus, tu quoque nobiscum eum in Regem suscipiens, fideliter adhæreres: tu tamen nec eius, nec nostro mandato deferens, nec præstitum iuramentum attendẽs, noluisti, quod mandatum tibi fuerat, adimplere, immo cum propter hoc excommunicatum te renunciauerit, & periurum, relaxasti contra eum, & Romanam Ecclesiã linguam tuam, & nescimus, cuius appellationis obtentu deferre sententiæ contempsisti, cùm etiam in dubio debuisses viam eligere tutiorem, & donec res nostro diffiniretur iudicio, sententiam obseruare. An fortè putas, quod mandatum tibi factum fuerit contra Deum, aut in tali negotio, tanquam ad Apostolicam sedem non spectet, nobis non debeas obedire? Certè multum desipis, si hoc sapis, nam & nos homines sumus, & Deum cæli timemus, nec quicquam vellemus cõtra ipsum statuere, aut supra nos aliquid arrogare. quantum autem in hoc facto deliqueris, & quam merueris ex contumacia tanta pœnam, melius experietis in opere, quàm ex canonica teneas lectione, nisi adhuc quantum possumus, tuæ vellemus honestati deferre, sed nisi deferentibus deferas, & deposito corde lapideo carneum cor assumas, & obedias voci nostræ, quanto differtur amplius, tãtò grauius inferetur. Sanè si fuissemus in facto Imperij personarum, aut munerum acceptores, si potentiam præposuissemus iustitiæ, & peruertissemus iudicium æquitatis, inobedientiam tuam vel dissimularemus omnino, vel saltem minus molestè ferremus.

41 Verùm cùm personarum acceptione postposita non attendentes vultum potentis, nec impotentis iustitiam contemnentes, secuti fuerimus æquitatem, & etiam Dominus iudicium nostrum certis videatur indicijs approbasse, contumaciam tuam nec debemus, nec volumus vlterius in patientia sustinere, cùm secundùm Apostolũ parati simus inobedientiam omnem vlcisci: quam ex hoc etiam tu ipse amplius manifestas, quod expectatus diutius, licet promiseris, nullum tamen propter hoc miseris responsalem. Volentes autem adhuc, si possumus, te ad viam rectitudinis reuocare, monemus, & exhortamur attentius, & per Apostolica tibi scripta in virtute obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, quatenus omni excusatione cessante prædicto legato infra mẽsem post susceptionem præsentium plenè satisfacias de iniurijs irrogatis, & sicut idem tibi ex parte nostra præceperit super facto Imperij, nostræ consentias & obedias voluntati, præsertim cùm idem Rex sufficientem præstare velit super indemnitate Magdeburgen. ecclesiæ cautionem, alioquin noueris nos venerabilibus fratribus nostris Minden. Verden. & Hildesemen. episcopis dedisse districtius in mãdatis, vt ex tunc te singulis diebus dominicis, & festiuis, pulsatis campanis, & candelis accensis, appellatione remota excommunicatum publicè nuncient, & per vicinas diœceses faciant sub solemnitate simili nunciari, suffraganeis tuis, & Magdeburgen. capitulo ex parte nostra in obedientiæ virtute mandantes, vt inobedienti tibi nullam reuerentiam prorsùs impendant, nec te vt Metropolitanum honorent, sed vt excommunicatum euitent. Quod si nec sic arbor tua saturata stercoribus fructus protulerit requisitos, securim ad radicẽ ficulneæ infructuosæ ponemus, vt iuxta prouerbium veritatis, arbor quæ non fecerit fructum bonum, excindatur, & mittatur in ignem, &c.] Hæc de Imperij rebus suffecerint.

42 Cùm de Prænestino episcopo inciderit mentio, pertiucundum lectori fore putamus, si hoc loco, quæ de eo memoriæ Cæsarius ᵃ tradidit, referamus, ᵃ Cæs. l. 9. c. 51.

ac

Piæ consuetudines a legato inductę.

ac pias consuetudines, quas ad venerandum Eucharistiæ sacramentum induxit: *Tempore schismatis inter Philippum, & Othonem dominus Vvido Cardinalis aliquando abbas Cisterciensis* (Eum Cisterciensi ordini olim præfuisse, ac dignissimè Cardinalitiam dignitatem in Ecclesia Dei meruisse, & iniuncto legationis munere auctoritate maximè auctum testatur Innocentius [a]: qui ipsum anno sequenti Rhemensi archiepiscopatui præfecit, vt apostolicæ literæ a D. Ferdinando Vghello, mihi familiaritate coniuncto, in suo egregio de Italia sacra opere adductæ [b] illustrant: *Cùm missus fuisset Coloniam ad confirmandam electionem Othonis, bonam illic consuetudinem instituit: praecepit enim, vt ad eleuationem hostiæ omnis populus in ecclesia ad sonitum nolæ veniam peteret, sicque vsque ad calicis benedictionem prostratus iaceret. Præcepit etiam idem Cardinalis, vt quotiens deferendum esset ad infirmum, scholaris, siue campanarius sacerdotem præcedens, per nolam illud proderet; sicque omnis populus tam in stratis, quàm in domibus Christum adoraret. Retulit eis eodem tempore casum satis miraculosum: Miles quidam in Francia fuit tantæ deuotionis, vt quotiescumque Christi corpus eleuari, siue deferri videret, prostratus illud adoraret; contigit, vt die quadam vestibus suis pretiosis indutus intraret ciuitatem, cumque platea, in qua equitabat, nimis esset lutosa, ex improuiso obuium habuit corpus Domini, quo viso, modicum intra se deliberans, ait: Quid facies modò? si in tanta profunditate te prostraueris, perdita sunt vestimenta tua ac delicata; si verò non descenderis, saluberrimæ consuetudinis transgressorem te semper accusabit conscientia. Quid plura? praualescente deuotione de equo prosiliens in lutum se misit, in quo flexis genibus, eleuatis manibus Christi corpus adorauit; & quia dulcissimus Dominus honorantes se non solùm in futuro remunerat, immo etiam in præsenti nonnumquam rehonorat, hoc egit sua potentia, vt totius luti nec vna quidem guttula vestimentis eius adhæreret, tunc equũ cum multa admiratione reascendit, & amplius in fide confortatus Deum glorificauit. Simile contigit cuidam religiosæ fœminæ in prouincia nostra.* Hæc Cæsarius.

a Inn. cit. Lib. I. ep. 198.

b Tom. I. in episcop. Praenest.

Qui in medio luto se ante Euch. prostrauerat, vestes nõ inquinauit.

43 Quibus opportunè ex eodem auctore inserenda videtur de simplicis viri probitate festiua narratio. [c] Cùm enim vir nobilis monasterij pecora rapuisset, magna religione iussus monachus accipere, quidquid ex ijs posset; ad prandium inuitatus, cùm mensæ appositas ouiũ monasterij carnes vidisset, auidè ijs farcire ventrem cœpit, stupentibus alijs, Cisterciensem abstinere carnibus solitum ita opiparè gulam saginare: ille abbatis sui imperium animo recolebat, & cum nil aliud, quàm quod dentibus raperet, efferre posse putaret, abligurien dis sibi appositis inhiabat. *Dominus Vvido abbas Cisterciensis, postea Cardinalis cum missus fuisset Coloniam ad electionem confirmandam, quæ facta fuerat contra Philippum in Othonem, retulit ibidem quandam sanctæ simplicitatis historiam satis iucundam, satisque mirabilem. Diuebat domum quandam ordinis nostri in terra cuiusdam nobilis viri, atque potentis fuisse sitam, quam idem tyrannus, eo quod Deum non timeret, neque hominem revereretur, multis modis sæpè molestauit de annona, vino, & pecoribus quoties & quantum voluit tulit, quantum voluit, fratribus dimisit: cùmque hoc ex consuetudine, & quasi pro lege habens actitaret, & conuentus querimonijs multis inutiliter tædiati gementes tacerent, die quadam maximam partem rapuit armenti, præcipiens illam ad castrum suũ minari. Quo cognito abbas, & fratres satis turbabantur, in quorum consilio quid facto opus esset, satis tractabatur. Visum est eis, aliquem ire debere ad castrum, per quem saltem res ei innotesceret, maximè abbatem, qui respondit: Ego non ibo, quia monendo illum nihil proficimus, sed iterum tantummodo verberamus. Simili modo excusante se priore, & cellerario, subiunxit abbas: Estne hic aliquis, qui adhuc semel ire velit? Tacentibus cunctis, vnus diuinitus inspiratus, ironicè respondit, Monachus ille vadat, hominem senem, ac simplicissimum nominans. Vocatus est monachus, si ire vellet ad castrum inquiritur, obedit, mittitur: qui cùm ab abbate recederet, ex multa cordis sui simplicitate verbum hoc protulit: Pater, inquit, si aliqua portio mihi fuerit restituta, recipiam, an non? respondit: Quicquid rehabere poteris, accipias in nomine Domini, melius est aliquid, quàm nihil. Abijt ille, venit ad castrum nuncium abbatis, & fratrum cum oratione deferens tyranno. & quia simplicitas iusti secundum Iob lampas est contempta in oculis malorum, tyrannus sermones eius paruipendens & irridens, ait: Domine expectate, donec pransus fueritis, tunc enim respondebitur vobis.*

c Cæsar. l. 6. c. 2.

44 *Hora prandij ad mensam communem positus est & cibaria communia, carnes scilicet in bona quantitate ei sicut cæteris sunt apposita. Vir sanctus verbi abbatis sui reminiscens, & carnes, quæ lautè ministrabantur, de pecoribus monasterij sui esse non dubitans, quantum ex carnibus sumere potuit, cum cæteris, ne inobediens esset, manducauit. Dominus castri ex opposito cum vxore residens, & quia monachus manducaret carnes, satis considerans, finito prandio hominem vocauit seorsum, & ait: Dicite mihi bone domine, solet conuentus vester manducare carnes? respondente illo, nusquam. Adiecit: Quid cùm exeunt? nec intus, inquit, nec extra carnes comedunt. Tunc tyrannus: Et quare vos comedistis hodie illas? Respondit monachus: Cum abbas meus huc me mitteret, præcepit mihi, vt quicquid ex pecoribus rehabere possem, accipere non recusarem, & mihi constabat carnes appositas fuisse monasterij mei, item quia timui nil amplius mihi fore restituendum, nisi quantum dentibus capere possem, comedi propter obedientiã, ne omnino vacuus redirem. Et quia Deus simplicem non proijcit, nec porrigit manum impijs, scilicet contra illum audito eius verbo, & in simplicitate eius motus, immo a Spiritu sancto, qui per os senis loquebatur, admonitus, respondit vir nobilis: Expectate me hic, ego consiliũ habebo. Cum venisset [*] & sinis ei verba per ordinem recitasset, adiecit: Timeo celerem Dei super me vindictam, si vir iste tam simplex, & tam rectus aliquam nunc a me passus fuerit repulsam: similiter & illa respondit, quia eodem spiritu accensa fuit. Reuersus ad senem ait: Bone pater propter sanctam simplicitatem vestram, quæ me ad misericordiam reflexit, monasterio vestro quicquid adhuc de pecoribus est, restituam, de illatis a me iniurijs in quantum potero satisfaciam, & nunquam ab hac die illud turbabo. Ad quod verbum senex gratias illi referens, cum rapina ad monasterium lætus rediit, & abbate & fratribus stupentibus, verba potentis retulit. Pacem ab illo tempore habentes, quanta esset virtus simplicitatis exemplo didicerunt.* Huc vsque Cæsarius.

Faceta viri pij simplicitas.

Illius simplicitate nobilis cõuersus.

* ad vxorẽ

45 At ex lepida iucundaque historia ad lugubre funestumque facinus oculos conuertamus. Plures ab Innocentio de Conradi Herbipolensis episcopi nece datę hoc anno epistolæ, de quibus dicturi, vt par est, in primis eiusdem necis tempus expendamus. & quidem decẽbri ineunte accidisse Trithemius [a] in suis chronicis, & Langius [b] affirmant; licet in eo discrepẽt, quod ille ad superiorem, hic verò ad præsentem referat, sed Langius erroris arguitur ex subijcienda Innocentij epistola, vbi de Conrado inflicta crudeli nece agitur, cùm hoc ipso anno x. Kal. febr. data sit, nec prætermittimus alios ad peruigilium S. Barbaræ illius necem reiecisse. Accepto itaque Pontifex de Conradi occisione funesto nuncio, Salisburgensi archiepiscopo & suffraganeis, atque illius prouinciæ abbatibus, & prioribus lugubres hasce literas [c] misit: *Cum sanguis sanctæ memoriæ A . . . s. Leodien. episcopi adhuc recens de terra clamaret, ecce de nouo audita*

a Io. Trith chron. Hirsaug. & chron. Sponheim. an. 1202.

b Paul. Lang. chr. Citizen.

c Inn. l. 5. ep. 155.

est vox in Rama, ploratus, & vlulatus multus, cum sicut accepimus, filij Belial in Christum domini manus sacrilegas iniecerint, bonæ memoriæ Conradū Herbipolen. episcopum Imperialis aulæ cancellarium nequiter occidentes. Condixerant quidem ad inuicem, vt iniustè virum iustum occiderent, & hereditate sanctuarium domini possiderent, & quia dolorem conceperant, iniquitatem protinus pepererunt, ne quid eorum fraudi deesset, sed osculo traderent filium hominis sicut Iudas, vultus deposuerunt hostiles, & præconceptam diutius cordis malitiam, quam exercere non potuerant inimici, simulata pacis, & amicitiæ fictæ vellere velauerunt, sicque in vestimentis ouium lupi rapaces intrantes ouile, surrexerunt protinus in pastorem, & sanguinem, quem diu sitiuerant, effuderunt. Nec suffecit hoc ipsis, sed vt sanguis sanguinem tangeret, & abyssus inuocaret abyssum, in corpus iam exanime sæuientes, amputata, vt dicitur, eius dextera, quæ frequenter signauerat panem, & vinum in corpus Christi, & sanguinem conuertendum, & capite detruncato, coronam etiam, quam in clericalis religionis indicium ad imitationem Apostolorum principis deferebat, a reliqua parte capitis stricti gladij amputarunt, non attendentes, quòd in capite eius, & manus vnguentum effusum fuerat sacratissimæ vnctionis. Aliter etiam corpus eius conciderunt in frusta, quasi vellent vel quod mactauerant, manducare, ac exponere, quod ceperant tam impia venatione, venale, vel ponere morticinum eius escas volatilibus cæli, & bestijs terræ carnes eius, &c. Funestam adeo cædem deplorat atque in illius auctores anathema atque in terras ipsis obnoxias interdictum fulminat. *Dat. Later. x. Kal. febr. Pont. ann. 5.* Hoc ipso scilicet, numerari enim incipiunt Innocentij anni (quod alibi annotauimus) a xxii. februarij die, in quam eius consecratio incidit.

Conradi ep. Herbipol. cædes crudelissima.

46 Post hæc cùm impij parricidæ ex scelere admisso, vrente eos & lancinante conscientia, ad sedem Apostolicam confugissent, atque temporarium supplicium sibi iniungi submissè, multisque lacrymis exposcerent, eos primùm varijs pœnis mulctauit, quas Innocentius ad vniuersos Christi fideles literis suis recenset: [a] *Bodonem Henr. Fuson. vassallium eius milites eum* * *Enrodo, & Conrado seruientibus suis ad nostram præsentiam venientes, ac confitentes se prædictum episcopum occidisse, cùm de suis excessibus lacrymabiliter pœniterent, & humiliter postularent pœnitentiam sibi pro tanta sceleris immanitate a nobis iniungi, quia pœnitentibus non est misericordiæ ianua precludenda, de fratrum nostrorum consilio dilecto filio H. tit. sancti Martini presbytero Cardinali cõmisimus audiendos, qui confessione illorum audita, postquam fecit eos nudos in braccis, tortas habentes in collo coram nobis diebus aliquot in frequentia populorum astare, de mandato nostro talem pœnam illis iniunxit, vt nunquam de cætero, nisi contra Sarracenos, vel ad defensionem vitæ suæ armis vtantur, varium grisium, ermelinum, & pannos coloratos non portent, ad publica spectacula non accedant, & coniugati non contrahant post mortem vxorum, cantque quam citò poterunt in Hierosolymitanam prouinciã, per quatuor annos ibi contra Sarracenos Domino seruituri. Bodo verò, qui maior existit, tres, vel duos milites, vel vnum saltem in suis expensis secum adducat, & donec ipsi quatuor execrabiles homicidæ Hierosolymitanum iter arripiant, sicut publicè pœnitentes discalceati, & laneis induti vestimentis incedant.*

[a] Inn. l. 6. ep. 51.
* Heroldo

Quæ pœnitentia pro eo scelere iniuncta.

47 *Secundam, quartam, & sextam feriam, quatuor tempora, vigiliasque sanctorum in pane, & aqua ieiunent. Tres in anno quadragesimas, videlicet ante Natiuitatem, & Resurrectionem Domini, & post Pentecosten faciant. Carnibus non tantùm in eisdem tribus solemnitatibus non vescentur, eaque die, qua prædictus fuit episcopus interfectus, carnes non comedent in æternũ. Orationem dominicam decantent centies inter diem, & noctem, & genuflexiones faciant quinquaginta. Corpus & sanguinem Domini nisi in vltimo mortis articulo recipere non præsumant; cum fuerint vltra mare quartam, & sextam feriam, sanctorum vigilias, & quatuor tempora (sicut dictum est) in cibo quadragesimali ieiunent, carnes comedant die dominica, & quinta feria tantùm, orationem dominicam dicant, & genuflexiones semper faciant prætaxatas. Quandocunque aliquam Alemanniæ ciuitatem poterunt intrare securè, ad maiorem ecclesiam nudi procedant, tantum in braccis, cum torta in collo, & virgis in manu, & a canonicis eiusdem ecclesiæ recipiãt disciplinam. Si verò quæsitum fuerit, cur hoc faciant? dicant se hoc facere pro sceleris perpetratione iam dicti, & quando fortè in ciuitate Herbipolen. poterint esse securi in Resurrectione, Pentecoste, Natiuitate Domini, ac in solemnitate maioris ecclesiæ, videlicet S. Panliani exeant ciuitatem, & tamen nudi cum bracis tantùm tortam in collo, & virgas deferentes in manu, in missæ celebratione maioris ad ecclesiam cathedralem accedant, & se ante altare coram episcopo, & canonicis prosternentes in terram, petant humiliter, & recipiant disciplinam ab eis. Cùm autem de partibus redierint transmarinis, ad apostolicam sedem ascedant, recepturi consilium, & mandatum. Datum Lateran.* Apud Trithemium verò additur, Pontificatus nostri anno sexto, Domini verò 1204. at legendum 1203. is enim est Innocentij annus sextus, quo hæc scripta.

48 Neque his pœnis contentus iustissimus scelerum vindex, alias postea addidit, quas ad Salisburgẽsem archiepiscopum, & suffraganeos scriptis literis, ita decernit: [a] *Cæterum vt in homicidas huiusmodi, & fautores eorum per priores literas, quas super hoc vos meminimus destinasse, spiritualiter duximus procedendum, vt tamen temporaliter etiam puniantur, & sicut eorum est excessus notorius, sic memorialis sit in generatione, & generationem sceleris perpetrati vindicta, præsentium auctoritate statuimus, vt tam homicidæ ipsi, quàm heredes eorum vniuersis feudis, & beneficijs Herbipolen. ecclesiæ, quam specialiter offenderunt, ecclesiarum etiam cæterarum, cùm in ea læserint Ecclesiam generalem, careant in perpetuum, nec illa vllo vnquam tempore assequantur, nisi forsan aliquando de sedis Apostolicæ indulgentia secutura posteritas misericordiam mereatur. Adijcimus etiam, vt si beneficia, vel feuda qualibet ecclesiarum vbi fuerint, obtinuerit, vniuersa diœcesis, in qua id attentare præsumpserint, subiaceat interdicto, ita quod nullum in ea diuinum officium, vel sacramentum ecclesiasticum præter baptisma paruulorum, & pœnitentias morientium celebretur, sed nec mortuorum corpora tradantur ecclesiasticæ sepulturæ, donec vel illi a sua præsumptione desistant, vel habitatores eiusdem diœcesis eorum conatibus se opponant, &c.*

[a] Id. ibid. ep. 13.

Pœnæ aliæ in heredes etiã propagatæ

49 Quamuis hactenus dicta de Conrado, deque eius nece satis superque videri possint, alia tamen, quæ Innocentius affert, velut insignes eius sepulchri titulos, ac decora hic adijcienda existimamus, quippe Pontifex ad O. Herbipolensem præpositum nobilem virum G. Burgrauium, & eorum consanguineos hæc inter alia scribit: *Attendentes siquidem quidam iniquitatis filij, quod idem episcopus contrarius esset eorum operibus, nec anima eius in eorum veniret assensum, qualiter eum perderent, cogitarunt.* In quam sententiam Trithemius [b]: *Conradus episcopus Herbipolensis Imperialis aulæ cancellarius cum vitia impiorum constantiùs argueret, a Bodone, & Henrico militibus, & seruitoribus eorum Heraldo, & Conrado in ciuitate Herbipolensi in via publica crudeliter occisus est.* Pergit Innocentius: *Quia bonum certamen certauit, cursum consummauit, fidem seruauit, de cætero reposita est ei corona iustitiæ, quam reddet illi Dominus iustus iudex. Nam si quid humana facis ex humana infirmitate, vel diabolica suggestione contraxit* (Innuit his verbis, quæ iam ante Conradum in Apostolicam sedem admisisse, postea verò supra vidimus emendasse) *hoc in eo*

[b] Trith. chron. Spo[n]heim. an. 1201.

san-

sanguinis lauacrum abluit, & supplicium quod pro tuenda ecclesia sua libertate sustinuit, expiauit, &c. Datum Ferentini 8. idus Iulij. Hæc de Conrado, in quem Innocentij verba iure, ac meritò adiungi, atque adnecti debuissent sepulchrali ipsius inscriptioni, quam recitat Arnoldus Lubecensis abbas illius temporis auctor, dum eius necem recenset, laudesque celebrat, [a] ait enim auctor, dum iustitiam tueretur, & cum stipendiarijs equitibus, qui res Ecclesiæ inuaserant, litem exerceret, atque vt tota res ex iustitiæ legibus definiretur, nonnullas pacis leges inijsset, ab aduersarijs Herbipoli cruentam necem illatam, & in loco, vbi cædes patrata est, sepulchralem molem erectam esse, atque hoc epitaphium exaratum:

a Arnol. Lubec. chr. Slau. l. 7. c. 2.

Conradi epitaphiũ.

Hic procumbo solo, sceleri dum parcere nolo,
Vulnera facta dolo dent habitare polo.

Subdit auctor: *Hæc est vox occisi cum sanguine Abel iusti ad Dominũ clamantis. Dicunt quidam etiã eum occisum in cilicio inuentum, & eum viuentem, curã pauperũ habuisse, & in eorum eleemosyna fertonem auri omni septimana expendisse, nouit Dominus, qui sint eius. Quis virum tam delicatum, sericis ornatum, cilicio crederet indutum? Sed nonnunquam sub forma seculari latet animus spiritualis, & e conuerso sub forma spirituali occultatur heu! animus carnalis.* Atque de Conrado Herbipolensi episcopo satis, iam reliqua prosequamur.

Sub serico cilicio indutus inuenitur.

50 Cum accepisset Innocentius magistrum Præpositinum, Maguntinum scholasticum Siffridi archiepiscopi imperia detrectare, atque literarum, quas ab Apostolica sede obtinuerat, falsitatem obtendere, grauiter illum obiurgat, [b] atque ad saniorem mentem redire iubet, additque archiepiscopo se in mandatis dedisse, vt nisi infra mensem post acceptas has literas id perficeret, sacerdotijs omnibus spoliaret, alijsque conferret. eiusdem argumenti canonicis, clero, & Maguntino populo hortatorias, minacesque literas misit. [c] Archiepiscopo iussit, [d] quidquid Leopoldus Vvormatiensis episcopus in Maguntinam sedem intrusus circa illius ecclesiæ bona, vel iura præstitisset, rescindere, & quoniam Sueuiæ dux Philippus malorum omnium auctor extiterat, quippe qui Leopoldum ad illam sedem (quod solius est Romani Pontificis) transferre tentarat, ipsumque licet anathemate damnatum exauctoratumque adhuc fouebat, Innocentius abbatibus de nouo Burgo, & de Salem præcepit, [e] temerarium principem adirent, suoque nomine commonefacerent, ne in posterum inuasori auxilium ferret, atque vt de gradu deiectũ deserat, & anathemate perculsum declinet, alioquin subdit: *Denuncietis eidem, quod in ipsum, & terram suam amplius forsan, quam existimet, secundùm officij nostri debitum, manum nostram curabimus aggrauare, cùm id vlterius non debeamus in patientia sustinere.*

b Inn. l. 6. ep. 38.

c Id. ibid. ep. 39.
d Id. ibid. ep. 40.

e Inn. l. 6. ep. 160.

51 Rursus verò ad Siffridum Maguntinum breuem equidem, sed grauissimam epistolam dedit, [f] dignamque, quã præsules Ecclesiæ sibi ob oculos proponant: *Ad hoc onus pastoralis officij suscepisti, vbi oues Christi, cuius es ministerio deputatus, verbo pascas pariter, & exemplo, qui cum eas scripturæ pauerìs sacræ pane, verè valeas dici pastor. Ideoque fraternitatem tuam per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad officium tuum spectes, diœcesim visites Maguntinam vt & paruulis lac potum tribuas, & solidum cibum prouectis appones. Ne autem corrumpat fermenti modicum totam massam, & inficiat ouis morbida totum gregem, si quos in ea inueneris simoniacè institutos, ipsos sublato appellationis obstaculo canonicè punias, & si fuerint spoliandi post canonicam destitutionem illorum, eorum beneficia personis idoneis facias assignari. Præterea tam subditos, quàm prælatos super excessibus suis canonicè corrigas, & hæreses pullulantes studeas penitùs confutare. Dat. Lat.* Hæc monita si proponerent ob oculos præsules, atque in opus perducerent, primæuæ sanctitatis splendor in fidelibus emicaret, nec emergerent hæreses, quæ tum in ijs turbis non pullulabant modò in Germania, sed in Gallijs præsulum negligentia radices proferebant. Cùm ergo hæretici in Narbonensi prouincia incuria archiepiscopi impietatis virus maximo Ecclesiæ damno euomerent palam, diffunderentque, Innocentius inertem, ignauũque præsulem grauiter arguit, [a] ac priuilegium quo indulserat, vt cum archiepiscopatu Narbonensi mõtis Regalis abbatiam retinere posset, reuocauit, iussitque altero munere abire. cumque oppidani Charitatenses hæreticæ prauitatis labe infecti essent, Innocentius hoc eodẽ anno Bituricensi archiepiscopo, atque Antissiodorensi episcopo eorũ causam permisit, [b] tum eidem archiepiscopo, & Cadurcensi antistiti castri Burgensis clericos, qui hæretica dogmata publicè seruerant, corrigendi prouinciam imposuit. [c]

f Ep. 41.

Arch. Narb. ob negl. in officio punitur.
a Inn. l. 6. ep. 81.

b Inn. l. 6. ep. 66.

c Id. ibid. ep. 96.

52 Cæterùm Antissiodorensis episcopus, cuius modò meminimus, acerbissimam ea tempestate ob susceptam ecclesiasticam immunitatem propugnandam, defendendamque ab Antissiodorensi comite persecutionem sustinebat, vt datis ad illum literis [d] Innocentius testatur, quibus acriter perstrinxit, atque episcopum commendauit.

d Id. ibid. ep. 149.

Innocentius, &c.

Tanto ibi districtiùs punieris, quanto velut nunc omnia impunè præsumeres, maioris perditionis exemplum transmittis ad posteros, & famosissimum regnum Francorum infamas, dum ecclesiasticam persequeris libertatem, quam inclytæ recordationis Reges Francorum non solùm amplecti consueuerant, sed etiam defensare, ibi tantùm cogi episcopum exulare, vbi episcopi exulantes solebant hactenus tutum refugium, & honorabile receptaculum inuenire. Vt quid miser pallias culpam tuam, & in charissimum in Christo filium nostrum Philippum Regem Francorum illustrem refundis temerè crimen tuum? Nam sicut in literis tuis perspeximus contineri, eundem episcopum regiæ serenitatis nominas detractorem, & tanquam in vltionem iniuriæ regiæ contra eum innuis te commotum, cum ex eo potius motus fueris contra ipsum, quòd iniquitatibus tuis, & excessibus parcere noluit, sed quoniam ecclesiam sancti Adriani euerteras funditus, & quendam vassallum ipsius in eius odium, & præiudicium ecclesiasticæ libertatis exoculare præsumpseras, & tam in bonis ecclesiasticis, quàm alijs deprædationes exercueras, & rapinas, excommunicationis in te sententiã protulit, & tam tibi, quàm hominibus tuis prohibuit ecclesiasticam sepulturã.] Postremò suadet, atque imperat, vt eiectum episcopum honorificè reuocet, ac beneuolentia complectatur, iniustasq; iniurias resarciat, quæ si respuerit, iustissimas Apostolicæ sedis, ac numinis iras vindices intentat.

53 In quam sententiam Philippo quoque Galliarum Regi literas misit [e], in quibus hæc de Francorum regno, deque eius antiqua pietate, quæ in profugis excipiendis omni honore Pontificibus summis, alijsque eiectis improborum tyrannide ecclesiasticis viris tuendis, fouendisque semper effulsit: *Meruerat perpetuæ laudis titulos regnum ipsum ex eo, quod ecclesias, & viros ecclesiasticos in suis immunitatibus conseruabat, defendebat ecclesiasticam libertatem, & non solùm non sæuiebat in suos, sed alienos etiam vndiq; concurrentes, qui propter iustitiam sustinebant exilium, recipiebat hilariter, & honorificè pertractabat suis copijs eorum inopiam subleuando. Hoc autem Apostolica sedes non solùm in membris suis, sed in seipsa etiam est experta, cùm in sua necessitatis articulo refugium ad regnum Francorum habuit, ibique deuotè suscepta, & honorificè pertractata non parum a suis angustijs respirarit, immo etiam vires resumpserit, per*

e Lib. 6. ep. 150.

Francia ob exceptos defensosque ecclesiasticos cõmendãda.

quas

quas faciente tamen Domino, & iustitiam in iudicium conuertente in statum felicitatis antiquæ, quæ cecidisse visa fuerat, fortior resurrexit. Subijcit Pontifex grauem se animo dolorem hausisse, quod regiam clementiam odio in episcopum exulem corrumpi detractorum vocibus pateretur, eiusque bona fisco iniustè addixisset: tum hortatur pristinæ eum gratiæ, ac bonis restituat, a comitis tyrannide vindicet, nec tantam labem suæ dignitati aspergat. Monet se archiepiscopo Senonensi imperasse, vt in comitem censuras distringat, nil verò in Regem adhuc grauius statuisse ob paternam in eum suauitatem, sed vt ipse malè commissa quamprimùm emendet, anxiè expectare.

54 Ignauè se gesserat archiepiscopus Senonensis, cui Pontifex percellendi comitis censuris prouinciam ait iniunxisse: non enim pontificia constantia ad suffraganeum suum defendendum insurrexerat, sed inerti dissimularat silentio, in quem Innocentius asperrimè inuectus, torporem, quo marcescebat, iubet a excutere, pœnasque ecclesiasticas in episcopi oppressores fulminare. Oppressum verò a comite episcopum, ac Regis Francorum ope destitutum Innocentius literis suis erexit, b auxiliumque sedis Apostolicæ ipsi pollicitus est, hortatus ad constantiam, ne ea persecutione frangeret animos, sed felicem potius se putaret iustitiæ causa iniurijs appeti, præclaram triumphandi in medijs malis occasionem porrectam ipsi fuisse: *In eo, quod tibi compatimur, Euangelicæ consolationis nos lectio consolatur, in qua nouimus esse scriptum: Beati, qui persecutionem propter iustitiam patiuntur. Si enim verbum veritatis est verum, immo quia verbum veritatis est verum, cùm persecutionem propter iustitiam patiaris, beatitudo persecutionem huiusmodi limitabit. Gaudeas igitur, vt & nos tecum pariter gaudeamus, quod dignus inuentus es contumeliam pati pro nomine Iesu Christi, cuius ministerium sic geris in terris, vt ad eius consortium, cui laudabiliter in ministerio ipso ministras, assumi merearis in cælis, ipso in Euangelio protestante: Volo Pater, vt vbi ego sum, illic sit & minister meus. Gloriare cum Apostolo in cruce Domini nostri Iesu Christi, gaudens, si quæ desunt passionum Christi, in tuo corpore suppleantur quoniã si cõpateris, conregnabis. Scimus ergo quod vnusquisque secundum suum laborem accipiet, nec sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, gaude quoniam felici cõmercio terrena in cælestia commutabis, & pro temporalibus recipies sempiterna. Cæterùm super insania comitis persequentis tristamur quodam modo inconsolabiliter, & ex intimo corde dolemus, quod datus in reprobum sensum Pharaonem in contumacia sequitur, in Ecclesiæ persecutione Neronem. Cùm enim elatus in superbiam contra stimulum non timeat calcitrare, veremur, ne cùm in profundum venerit vitiorum, contemnat, ne adijciat, vt resurgat, sed tempestas demergat eundem, & os suum putens vrgeat super eum. Monemus igitur fraternitatem tuam, & exhortamur attentius, & per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus non deficias, sed proficias potius, nec mouearis a constantia tuæ mentis, sed in ea potius perseueres, non timens, quid faciat tibi homo, cum Deum habeas adiutorem. Stes sicut stetisti hactenus pro Ecclesiæ libertate, & pro ea murum te defensionis opponas, nec cedas ascendentibus ex aduerso, sed viriliter procedas in eos animam tuam, si necesse fuerit, pro ouibus positurus.*

Quod spectat ad Francorum Regem; misit hoc anno Innocentius abbatẽ Casemarij legatum, eique trium fontium, & de Duno abbates adiunxit, quò Philippum inter & Angliæ Regem pacem conficerent, vt testantur eius literæ, tum ad Philippum c, atque archiepiscopos d, cæterosque Galliarum præsules, quibus mandauit, vt nuncium perhumaniter acciperent, atque pro componenda pace elaborarent, tum etiam ad Ioannem Anglorum Regem, a eiusque regni antistites b. Cæterum de bello inter vtrumque Regem agunt Robertus de Monte, & pluribus Matthæus Parisius, qui eiusdem Ioannis præcipitem, temeritatem paucis hisce verbis satis superque testatam reliquit: e *Venientibus ad Regem nuncijs, & dicentibus: Rex Francorum terram vestram hostiliter ingressus, cepit iam illa, & illa castella, & castellanos vestros caudis equorum turpiter alligatos abducit, atque de rebus vestris pro lubitu suo sine contradictione disponit; Rex Ioannes tale dedit responsum: Sinite illum facere, ego quicquid modò rapit vna die recuperabo. Sic nec iste nec alij similia denunciantes aliud habere potuerunt responsum. Videns tandem Rex Ioannes* (addit auctor) *defectum suum, sesequè omni militari subsidio destitutum, naues sub celeritate conscendit, & in die sancti Nicolai apud Portesmue applicuit, deinde in comites, & barones occasiones prætendens, quod ipsum inter hostes reliquerant in partibus transmarinis, vnde castella, & terras suas pro eorum defectu amiserat, cepit ab eis septimam partem omnium mobilium suorum: nec etiam ab hac rapina in ecclesijs conuentualibus, vel parochialibus manus coercuit violentas. Siquidem habuit huius rapinæ executores in rebus ecclesiasticis scilicet Hubertum Cantuariensem archiepiscopum, in rebus autem laicis Gaufridum filium Petri Angliæ iusticiarij, qui in executione iam dicta nulli pepercerunt.* Hæc Parisius.

55 Sed de his, ac similibus paulo inferius, vbi de zelo Innocentij Regum scelera insectantis agemus. Dum suos Ioannes spoliaret, victoriam latius Philippus proferebat, rerumque secundarum successu tumidus, cùm abbas Casemarij Apostolicum imperium denunciasset, armis temperaret, induciasque cum Anglo ob reipublicæ Christianæ salutem pacisceretur, primum respondere distulit, deinde in consilium re adducta subiecit, non esse Pontificis Regum controuersijs se ingerere, nec teneri imperia sedis Apostolicæ excipere in ijs, quæ ad regni stipendarios spectarent: cuius responsi Innocentius Papa ab eodem abbate certior factus, d vt Regis dicta refelleret, & coargueret, ab eodem Pontifice audire operæ precium erit.

Innocentius, &c.

Vtinam considerasses salubrius, & diligentius attendisses, quod Apostolica sedes nec tibi, nec progenitoribus tuis, aut regno Francorum damnosam hactenus, sed vtilem potiùs se studuit exhibere. Vtinam in die bonorum malorum immemor nõ fuisses, & cum bellorum dubius sit euentus, inconstantiam prosperitatis humanæ non tantùm ex statu præsenti, sed ex eo etiam, qui varijs modis, & ex causis diuersis præsenti potest succedere, mensus esses, & cauisses solicitè, ne responsio tua contra te, vel posteros tuos posset in posterum allegari. Nec hoc dicimus, tãquam nobis potestatem velimus indebitam vsurpare, vel quicquam iniungere, quod ad officij nostri non pertineat potestatem. Quid enim monuimus? quid suggessimus? num quid inhonestũ? num quid iniustum? Certè si benè recolimus, vt faceretis pacem, vel treguas, salua iustitia vtriusque: licet autem causam tecum intrare nolimus, & super hoc in iudicio litigare, ne tamen responsio regia ex nostra sortiatur taciturnitate valorem, ei breuiter cogimur respondere, nihil contra eum tanquã primum confingentes, sed inducentes potiùs ex armario sancti Spiritus validas rationes. Quod enim euangelizare pacem ex iniuncto nobis officio teneamur, Psalmista nos docet: Inquire, inquiens, pacem, & persequere eam, id est, donec inueneris, insequaris, & Angeli, qui Dominicæ natiuitatis primitias pastoribus intimarunt, per nouæ laudis canticũ expres-

Marginal notes: a ibid. ep. 151. — b ibid. ep. 152. — Legati ad pacem cõponendã missi. — c Inn. l. 6. ep. 68. Rigord. & S. Ant. an. 1203. — d Ep. 70. — a Inn. l. 6. ep. 69. & 167. — b ibid. ep. 70. — e Matth. Paris. hist. Ang. an. 1203. — Regis inertis atrogãs respõsum. — d Inn. l. 6. ep. 165. — Inn. refellit querelas Regis. — Pontificis officiũ pacem inter principes cõciliare.

ferunt in ortu eius, cuius vices in terris licet immeriti gerimus, pacem hominibus bonæ voluntatis nũciantes. Ipse quoque Dominus Iesus Christus, quod nascens per ministerium fecerat Angelorum, gustaturus calicem passionis, executus est expressius per seipsum, cum discipulis suis inquit: Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. & resurgens hac voce primùm ad Apostolos fuit vsus: Pax vobis, & iterum dico pax vobis. Idem quoque cum discipulos de forma prædicationis instrueret, pacem eos euangelizare præmonuit, dicens eis; In quamcunque domum ingressi fueritis, primum dicite: Pax huic domui, & si ibi fuerit filius pacis, requiescet super eum pax vestra; quicunque autem non receperint vos, nec audierint sermones vestros, exeuntes foras excutite puluerem de pedibus vestris in testimoniũ illius. Exire præcipit foras, vt eis ecclesiastica communio denegetur; pulnerem illum excutiendum denuncians contra eos, qui non recipiunt verba pacis, qui Moyse cinerem de camino spargente, fuit ad plagam vulneris super omnem terram Ægypti.

56 Quàm grauis autem districtionis sententia in vltimo sint examine feriendi, qui non recipiunt pacis nuncios, nec audiunt sermones eorum, per se ipsam veritas consequenter ostendit, non simpliciter, sed cum quadam affirmatione proponens: Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorũ in die iudicij, quàm illi ciuitati, in ciuitate ciues intelligens, a quibus non excipit ipsos Reges. Præterea nullus dubitat sanæ mentis, quin nostrum sit de his, quæ ad salutem, vel damnationem animæ pertinent iudicare. Nunquid autem non meritorium est damnationis perpetuæ, ac demeritorium salutis æternæ fouere discordiam, fidei domesticos impugnare, domos religiosas destruere, bona religiosorum virorum necessitatibus, & vtilitatibus deputata exponere voluptati prædonum, virgines Deo dicatas opprimere, cogere illos, qui posteriorum obliti ad anteriora se iugiter extendebant, abire retrorsum, & denuò se secularibus negotijs immiscere, qui Domino cœperant militare, affligere pauperes, depauperare potentes, sanguinem humanum effundere, ac ecclesias prophanare? *Et infra*; Audi denique fili charissime verbum, non nostrum, sed Verbi potius, quod erat in principio apud Deum, & quod tandem caro factum est, & habitauit in nobis, in Euangelio protestantis: Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum, si te audierit, lucratus eris fratrem tuum, si te non audierit, adhibe tecum duos, vel tres, vt in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ, quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus. Ecce conqueritur Rex Angliæ frater tuus, frater inquam non cognatione carnis, sed fidei vnione, quod pecces in eum, & in grauamen ipsius extendas, & extenderis manus tuas; corripuit te inter te aliquando, & se solum, cum tam literis, quàm viua voce non semel solummodò, sed frequenter commonuit, vt ab eius desisteres læsione. Adhibuit quoque non solùm duos, vel tres testes, sed multos magnates induxit, vt inter te, ac ipsum ruptæ pacis fœdera reformarêt, & apud te, vt ab eius cessares offensa, interponerent partes suas. Verùm quia hactenus apud celsitudinem tuam penitus nil profectum, quod in eum peccaueras, Ecclesiæ iuxta verbum euangelicum nũtiauit; Ecclesia verò vti circa te maluit affectione paterna, quàm iudiciaria potestate, ideoque serenitatem tuam per prædictum abbatem non potestatiuè corripuit, sed benignè commonuit, vt a fratris cessares iniuria, & cum eo vel in veræ pacis fœdera, vel congruentes treguarum inducias conuenires. Quid igitur restat de cætero, nisi quòd si Ecclesiam non audieris, sicut hactenus non audisti, te sicut ethnicum, & publicanum, quod dolentes dicimus, habeat & post primam, & secundam correctionem euitet? cum si offendere nos oporteat te, vel Deum, velimus ipsum ex tua potius offensione placare, quàm per diuini Regis offensam Regi homini complacere. Sed dices forsitan, quòd non peccas in eum, sed & ille replicabit in contrarium, quia peccas. Quid ergo in huius contradictionis articulo faciemus? Nunquid inquisita plenius, & cognita veritate procedere iuxta mandatum Domini omittemus? Nunquid dissimulabimus stragem corporum, & perniciem animarum, nec annunciabimus impietatem suam impijs, & cohibebimus a violentia violentos? &c. *Dat. Anagniæ 2. Kal. nouemb.*]

57 Monuit a Innocentius legatum suum abbatem Casemarij, quæ ad Philippum Francorum Regem & Galliarum præsules scripsisset, atque imperauit Francorum Regem ad pacem vel inducias cum Anglo ea literarum forma, quas ad vtrumque Regem dederat, conficiendas adduceret, & ad id præsulum auctoritatem adhiberet, si emollire ac flectere non posset, publicè illi anathematis terrorem, ni pareret sedi Apostolicæ, incuteret; alijsque literis imperauit, b vt eum Francorum Rex Anglo inducias concessisset, *de querela Regis Anglorum & eius exceptione vtrum sit iusta, interim cognoscatur; non ratione feudi, cuius ad eum spectat iudicium, sed occasione peccati, cuius ad nos pertinet sine dubitatione censura*, vnà cum archiepiscopo Bituricensi abscisso sibi principis vtriusque respectu diligentissimè cognosceret; et si querelam Regis Anglorum iustam esse deprehenderet, amputata omnis prouocationis mora, procederet; si secus, Francorum Regi iura sua persequenti, vt ea obtineret, opem suam explicaret. Quæ verò belli illius inflammati causæ fuerint, quas Angliæ Rex porrexit, ex Pontificijs literis illustratur, quibus Innocentius Ioanni Anglorum Regi querenti iniustè se a Franco lacessitum obiecit, attenderet num potius ipse prior iniuriam Franco inflixisset: accepisse enim se ex Philippi literis illata ab eo Turonensi ecclesiæ, cuius bona Franco obnoxia essent, damna grauissima; ipsum plures nobiles suis possessionibus pro sola libidine pepulisse, cumque ille eorum querelis pulsatus, vtpote ad quem supremo iure dominium spectaret diem ipsi dixisset, illum repetitis vicibus iudicium elusisse, admonitum a Franco perhumaniter, vt debitum ipsi officium exhiberet, rem contempsisse.

a *Ibid. ep. 165.*

b *Ibid. ep. 166.*

Innocentius, &c.

58 Nosse c te volumus, quod Rex ipse non se, sed te potius culpabilem esse dicat discordiæ suscitatæ, ac quod non occasionẽ solummodo, sed causam præstiteris dissensionis affirmet. Nuper enim nobis per suas literas, & nuncios intimauit, quòd cùm ecclesia beati Martini Turonen. quæ ab eo quicquid habet in temporalibus recognoscit, damna non modica, & quamplures iniurias intulisses, & homines tui quendam ipsius hominẽ occidissent, licet requisitus super hoc sæpius, vt id faceres emendari, tres, vel quatuor terminos petieris, & acceperis successiuè, & Rex ipse semper ad datam diem suos nuncios destinasset, nunquam emendationem a te potuit obtinere, immo per dilationes huiusmodi vltra vnius anni spatium eius animum suspendisti. Præterea cum hominibus, qui spectant ad feudum eius, castella, & terras suas sine ratione pro motu voluntatis propriæ abstulisses, ipse tanquam superior spoliatorum querela pulsatus, tibi non semel solummodo, sed sæpe mandauit, vt id faceres emendari. Quod licet promiseris te facturum, non fecisti tantum, sed grauatos amplius aggrauasti, quòd ipse sustinuit vltra annum satisfactionem expetens, & expectans. Cùmque communicato cum baronibus, & hominibus

c *Lib. 6. ep. 167.*

bus suis consilio, certum tibi terminum statuisset, vt in eius præsentia compareres, quod ius dictaret, sine retractatione securus: licet esses ligius homo eius, nec fuisti tamen ad diem statutum, nec misisti aliquē responsalem, sed mandatum eius penitus contempsisti. Consequenter verò personaliter te conuenit,& super his commonuit viua voce, cum non haberet in votis, vt faceret tibi guerram, si talem te circa eum, qualem tenebaris, ex debito exhiberes.

Verùm cum nec sic satisfacere voluisses, licet re de baronum,& hominum suorum consilio diffidasset, mota tamen guerra ad te quatuor ex militibus suis misit, volens certificari per eos, si velles ea, quæ in ipsum commisetas emendare. Alioquin notum tibi esse volebat, quod ex tunc contra te fœdus cum hominibus tuis, vbicunque posset, iniret: tu autem a facie te quærentium abscondisti, & captasti absentiam, ita quod te videre nullatenus potuerunt. Homines verò tui occurrentes quærentibus nunciarunt se præscire, quid eis a Rege ipso fuisset iniūctum, & quòd non poterant loqui tecum. Adiecit insuper, quòd eo tempore cum nullo ex hominibus tuis confœderationem inierat, nec hominia receperat ab eisdem, sed postmodum confœderatus est cum quibusdam eorum, & a quibusdam recepisse hominia fatetur, quod contumaciæ tuæ asserit imputandum, licet adhuc paratus existat in curia sua, si petieris, tibi iustitiæ plenitudinem exhibere, sufficienti tamen cautione recepta, quod iudicio curiæ acquiescas. Monemus igitur serenitatem Regiam,& exhortamur in Domino, quatenus ad ea, quæ pacis sunt, deuotus intendas, & non solum recipias pacem, vel treguas, si tibi forsitan offerantur, sed eas etiam offerre nullatenus erubescas. Caueas autem solicitè, ne cum iniuriosum tibi afferas dictum Regem, tu ei potius iniuriosus existas, & debitam ei reuerentiam subtrahas, & honorem, quoniam cognita veritate, sicut in tua tibi assistimus ratione, sic ei non possemus in sua iustitia non adesse. In eodem ferè modo scriptum est Senonen. archiepiscopo & suffraganeis eius. in eodem, &c. Capitulo Rhemen. & suffraganeis Rhemen. ecclesiæ. in eodem &c. archiepiscopo Bituricen. & suffraganeis eius.] Hactenus Innocentius, eademque ratione ad Casemarij abbatem a, Senonensem b, ac Bituricensem c archiepiscopos, eorumque suffraganeos scripsit, necnon ad Rhemense capitulum, ecclesiæque illius suffraganeos: sequenti verò anno ad cunctos d Galliæ archiepiscopos & episcopos. Cum porro non ad Rhemensem archiepiscopum, sed ad capitulum scripserit, illius ecclesiæ archiepiscopi Guillelmi innui videtur obitus, qui a Iacobo Meyero superiori anno recensetur e. At de Casemarij abbatis legatione in gestis quoque Innocentij proximo anno reddendis mentio fit.

a Lib. 6 ep. 165.
b Ep. 164.
c Ep. 166.
d Lib. 7 ep. 42. habetur extr. de iudiciis c. Nouit ille.
e Ann. Flo lib. 7.

59 Neque his Innocentij apud Philippum labores finem accepere, nam interpellatus Pontifex hoc pariter anno ab I.... Regina illius vxore, pessimè ab eo habita, operam atque auctoritatem suam apud eundem Regem pro officij munere interponere coactus est. extant Reginæ ad Innocentium literæ f, quæ siccis oculis vix legi possent, cumque miserrimum eius statum exprimant, & quæ perlegantur dignissimæ, eas inserere historiæ duximus.

f Apud Innoc. l. 6. ep. 85.

Spirituali patri ac domino suo Innocentio Dei gratia summo Pontifici filiarum eius minima Insceburges Francia nomine solo Regina seipsam ad pedes in omni humilitate.

In spiritu humilitatis, & in animo contrito sæpissimè vestræ piæ paternitati miserias meas tam per me, quàm per meos explanare curaui, & quia conuersa est ærumna mea iugum Domini non graue, sed grauissimum assiduè porto adhuc pater sanctissime, recogitabo vobis omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, in qua iugiter permanens dilectum meū fasciculum myrrhę mihi factum, inter vbera commorantem sustineo, remedium amaritudinis per vos Christi Vicarium desiderans obtinere. Vos siquidem per Dei gratiam estis successor Petri collega Pauli, qui Corynthium gladio spiritus trucidare minimè formidauit, Phinees imitator, mons in vertice montium positus, ad quem oculi leuandi, tutio oppressorum, refugium miserorum. Vnde ad vos patrem sanctissimum confugio, & vtinam mihi datum fuisset desuper, vt pedes Elisei mihi compatientis amplecti valerem, lacrymis rigarem, capillis extergendo, angustiam animi mei expressiùs opere, quàm literulis exponeremus. Eripite itaque me pater iuste, vt non infigar, libera me ab his, qui oderunt me, & de profundis aquarum, quæ gratis persequuntur me. Persequitur me dominus maritus meus Philippus illustris Rex Francorum, qui non solùm me sicut vxorem nō videt, sed solitudine carceris meam desiderans fastidire iuuentutem opprobrijs, & calumnijs per suos satellites me irritare non cessat ad indignationem spiritus, vt ei contra matrimonij iura, & legem Christi consentiam per præambulos antichristi, qui speciem pietatis habentes virtutem eius abnegant, me pronocare nullatenus erubescit. Sciatis autem pater sancte, quod in nostro carcere nullum est mihi solatium, & innumeras, & importabiles molestias patior, nec enim me auder aliquis ibi visitare, nisi aliqua religiosa persona ad me consolandam accedere, nec de ore alicuius verbum Dei ad reficiendam animam meam possum audire, nec copiam habeo alicui sacerdoti confessionem meam faciendi; missam rarò audire possum, alias horas nunquam; insuper nulla persona, vel nuncius de terra natiuitatis meæ cum literis, vel sine literis ad me venire, vel mihi loqui permittitur; victus mihi aliquando arctus nimium ministratur, pane tribulationis, & potu angustiæ quotidie vtor, nil medicinale prout expedit fragilitati humanæ, nec qui de salute corporis mihi consulat, vel faciat, quod mihi prosit possū habere. Balneum intrare non sinor, si volo minuere mihi sanguinem, facere non possum, & propterea timeo mihi de visu, & ne graues infirmitates mihi superueniant: vestimentorum copia non adest, nec talia sunt, qualia deceret habere Reginam.

60 Accedit ad cumulum miseriæ meæ, quod illæ personæ admodū viles, quę mecū ex voluntate regia conuersantur, nunquam bona mihi verba proponūt, sed contumeliosis sermonibus, & iniuriosis affligunt, de quibus etiam audiui, & scio, quòd prærerquam a me recesserint, mihi compatiuntur, sed inde nihil mihi consolationis impendunt, sed tristem iugiter me compellunt remanere, in quadam domo sum clausa, nec inde possum exire. Quid plura? miserias meas non possem per singula prosequi, quia ea mihi denegantur, quæ nulli Christianæ mulieri deberent denegari,& ea mihi fiunt, quæ nulli fieri deberent quantumcunque abiectæ personæ. Literas, quas sanctitas vestra mihi mandauit, habere non potui. His namq; & similibus, quæ vestræ ad præsens non valeo exponere sāctitati vestrę, ita quod tædeat me viuere, afflicta, cum ignorem quid agere debeam, oculi mei ad vos sunt pater sanctissime, ne peream. Præterea dico non corpore, sed spiritu: cùm enim quotidie morior per gloriam vestram, & propter iura matrimonij illibata seruanda, quam dulcis, quam ineunda, quam suauis mihi miseræ, mihi desolatæ, mihi ab omnibus repudiatæ, & eiectæ vnica mors corporalis adueniret, qua tot mortium discrimina aufugere possem. Verùm quoniam angustiæ mihi sunt vndique, quia si contra Deum egero, mors mihi est, si autem non egero, non effugiam manus persecutorum, a vobis, qui pater estis consolationis, consola-

K 2 tio-

tionem peto. Hoc vestræ, vt iam per me, & clericos meos insinuatum est, significans sanctitati, & rogans, & protestans, quod si minis, ac terroribus compulsa fœminea fragilitate contra iura matrimonij mihi aliquid proposuero, non sit in præiudicium prænominati matrimonij, & a vobis qui persecutor estis confessionis extortæ, nequaquam recipiatur, sed in manu forti,& brachio extento ab hac me cureris absoluere miseria pater benigne, vt si fortè dominus meus Philippus Rex Francorũ illustris diabolica fraude deceptus, contra me super sępe fato matrimonio denuò agere tentauerit, tali loco me procuret sisti vestra paternitas, in quo pristinæ libertati, & primis parentibus restituta liberè meam possim in omnibus declarare voluntatem, & si fide interposita, vel sacramento interuenientente hoc, quod prædixi, fuero timore intercedente confessa, ab illa obligatione Apostolicæ miserationis obtentu me liberare dignemini. Ita verò faciatis pater sancte, vt consolationem vestram sentiam,& iustitiam, quam omnibus exhibetis, mihi nullatenus subtrahatis, & in extremo examine præmium condignum ab omnipotenti Deo recipere valeatis. Valeat pater sancte.] His mœrentis Reginæ acceptis literis permotus, flexusque ad misericordiã Pontifex, vt illam in viri pristinã gratiam restitueret, omnẽ curam, diligentiamq; adhibuit. Quapropter geminas hac de re eodem anno ad Regem
a Lib. 6. ep 86 scripsit epistolas, quarum a alteram mense iunij Ferentini cùm esset; b alteram ad eundem Re-
b Ep. 182. gem dedit, qua ad exuendam inueteratam peccandi consuetudinem hortatur, ne qui hactenus iras continuit Deus, in ipsius tandem caput effundat.

61 Mirum sanè ea tempestate occidentales principes adeo in transuersum actos, vt meritò Dauidi-
c Ps. 2. cum illud ipsis occini potuerit: *Adstiterunt* c *Reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius* (Romanum scilicet Pontificem summum Dei in terris Vicarium). *Dirumpamus vincula eorum, & proyciamus a nobis iugum ipsorum*, diuinam scilicet, atque ecclesiasticam legem. De præuaricatoribus crucesignatorũ principibus, deque Philippo Sueniæ duce supra diximus, de Philippo Francorum Rege modò dictum est, de cæteris mox videbimus, vtque de Philippi æmulo, nempe Ioanne Anglorum Rege susceptam orationẽ prosequamur, nefanda eius facinora recenset, ar-
d Lib. 6. ep. 160. guitque Innocentius Papa: d *Illud autem grauissimum reputamus, quod cum in regno tuo causas ecclesia-*
Innoc. literæ increpatoriæ ad Regem Angliæ. *sticas committimus cognoscendas, tu prohibes delegatis, ne in earum cognitione procedant, iurisdictionem nostram impediens, cum nos, si bene memineris, iurisdictionem tuam curauerimus confouere. Circa clericos autem, & ecclesias postquam regni solium suscepisti, qualiter te habueris in multis, & mansuetudine regali postposita, eos feceris inhonestè tractari, &c.* Arguit pepulisse Lemouicensem episcopum, atque archiepiscopũ Dublinensem, Pictauensem verò, & Sagiensem episcopos crudelissimè exagitasse. Et infra: *Nisi præmissas offensas corrigere curaueris per te ipsum, & a consimilibus abstinere, nec qui forsan in his vltra quàm oportuerit nostrum pro te distulimus officium exercere, propter quod de taciturnitate nostra diuinam offensam incurrisse timemus, nullatenus negligemus, quin post expectationem diutinam, & admonitionem paternam nostrum, sicut conuenit, officium exequamur. Datum Later. 10. Kal. martij.* Nouas postea admonitiones, minasque ob iniustè oppressum antistitem eidem Re-
e Ep. 63. gi adiecit, e atque in eandem sententiam ad Cantuariensem archiepiscopum, atque Eliensem episco-
f Ep. 64. pum scripsit. f Rhotomagensi præterea archiepi-
g Ep. 73. scopo imperat, g vt Sagiensem episcopum non solùm beneuolentia complectatur, sed etiam in Anglorum Regis gratiam recipiendum curet, eundemque Regem inflicta anathematis, atque interdicti sententia (si opus sit) archiepiscopo, & canonicis ablata restituere compellat. Denique missis ad Ioannem literis a arguit, quod cum B. . . Anglorum Reginæ a Ep. 194. impetratis post Ricchardi Regis viri sui obitum Apostolicis literis super dote, ac bonorum mobilium dimidia parte sibi testamento relicta composuisset, ille non solùm non stetisset pactis, verùm & Reginam regno exturbasset, quæ Trecensem comitissam sororem suam adijt.

62 Antequam verò ex Anglia reuocetur oratio, vt tam prauis facinoribus enarratis fatigatum lectoris animum recreemus, inserere lubet hoc anno Innocentium Papam beato Vulstano olim Vvigorniensi in Anglia episcopo sanctorum honorem, cultumque decreuisse, dato ad Vvigorniensem episcopum, & capitulum diplomate, cuius exemplum ex parte infra scriptum est: b *Sanè cùm ad audientiam* b Inn. ep. 62.
nostram tanti viri merita, & miracula peruenissent, maturius procedere cupientes, cum diuinum sit iudicium huiusmodi potius quàm humanum, venerabili fratri Cãtuariensi archiepiscopo, & episcopo Elien. & dilectis filijs sancti Edmundi, & de Vvíburn. abbatibus dedimus in mandatis, vt ad Vvigornien. ecclesiam pariter accedentes vniuerso collegio vestro, & populo ciuitatis ieiunium indicerent triduanum, infra quod omnes vnanimiter peteretis ab eo, qui via, veritas est, & vita, aperiri super hoc viam veritatis ad vitam, ac deinde non per testimonia tantùm, sed per testes, & famam vulgatam, & scripturam authenticam de virtute morum, & virtute signorum, operibus videlicet & miraculis diligenter inquirerent veritatem, & nobis fideliter intimarent. Ipsi ergo cum ad Vvigornien. ecclesiam accessissent, iuxta mandatum Apostolicum processerunt, & qui pauca de multis miraculis eius, super quibus testes deposuere iurati, & in quorum testimonio tota ciuitas acclamabat; scripturam quoque authenticam de vita ipsius ante centum annos Anglicana lingua conscriptam, sub sigillis suis per te frater episcope nobis dirigere procurarunt. Qui postmodum in nostra præsentia constitutus, nobis humiliter supplicasti, vt prædictum episcopum ascriberemus sanctorum catalogo venerandum. Patuit ergo nobis per scripturam authenticam, & depositiones testium, quod ad sepulchrum eius muti loquelam, leprosus mundationem, hydropicus, & paralyticus receperant sanitatem, & quod quàm plura miracula Dominus inuocantibus nomen eius, & prædicti episcopi, ingiter operatur: quare de meritis, & miraculis eius multis, & magnis non solùm testimonijs, sed & testibus certiores effecti, cum secundum prophetam laudandus sit Dominus in sanctis suis, de fratrum nostrorum consilio ipsum beatum Pontificem, & confessorem Vulstanum catalogo sanctorum ascripsimus, eiusque memoriam inter sanctos decreuimus celebrandam. Quapropter vniuersitatem vestram monemus, & exhortamur in Domino, per Apostolica vobis scripta mandantes, quod nos solemniter & cautè statuimus, vos humiliter, & deuote seruetis, vt meritis eius, et precibus apud misericordissimum iudicem nos et vos indulgentiam cõsequamur. Collectam autem in commemorationem eius dicendam edimus, quam in hac pagina duximus subscribendam: Spiritum nobis Domine tuæ charitatis infunde, vt intercedente beato Vulstano confessore tuo, atque Pontifice tuam mereamur dulcedinem in æterna felicitate gustare. Per, &c. Datum Ferentin. a *secundo idus maij.* a septimo

63 Sed ad Innocentium Reges arguentem redeamus extant eius ad Castellæ Regem literæ, c qui- c Ep. 80.
bus in eum inuehitur, quod incestarum nuptiarum inter filiam suam, & Legionensem Regem auctor esset: *Quia tantum Apostolicæ sedis, immo Ecclesiæ generalis opprobrium dissimulare vlterius nec volumus, nec debemus, monemus serenitatem regiam, & exhortamur, & sub diuini iudicij obtestatione mandamus, quatenus*

tenus

tenus omnes colligationes iniquitatis huius omnino dissoluas, quæ fasciculos habent annexos vsque in infernum inferiorem animas deprimentes, & recipias, immo reuoces etiam natam tuam, vt seductam incestuosis amplexibus, cui vis, tantum in Domino, matrimoniali possis fœdere copulare. Alioquin ne tam anima tua, quam filia tua, ac regis ipsius de nostris manibus requiratur, in te, ac terram tuam, sicut expedire viderimus, procedemus, & admonitionem acrior sequetur vindicta, quàm credas. Datum Ferentini nonis iunij.

a Lib. 6. ep. 181. Innoc pro liberando Vvaldemaro apud Danorũ Regem laborat.

b Lubec. chro. Slau. l. 4. c. 18.

64 Scriptis insuper ad Danorum Regem literis a questus est Vvaldemarum Salesuicensem episcopum proscripsisse, qui tandem Pontificis opera, aliorumque studio e vinculis, in quæ fuerat coniectus, euolauit, de quo Lubecensis: b *Quia idem Vvaldemarus vir nobilis erat Regis Canuti filius, magni patrimonij heres, & contra Canutum Regem, & fratrem Vvaldemarum tunc ducem, nunc autem Regem senserat, suspecta multis eius videbatur liberatio. Vnde consilio habito, ipsum consilium communicatum est domino apostolico. Ipsa ergo per suos nuncios mediante tali modo liberatus est, vt nunquam in tali vicinia esset, vbi Regi Vvaldemaro cognato, & æquiuoco importunus existeret.* Sed qui peccantes principes redarguit, cæterorum culpas reprehendere, punire, ac pro viribus emendare nullatenus prætermisit: nam ad montis Regalis monachos criminis contagione notatos, insalutatos scribens c, acerrimè in ipsos inuectus est, contra archiepiscopum quædam oppida occupasse, infanda commisisse scelera, secreta detexisse, vnde mala ingentia per Marcualdum perpetrata erupissent. Guamensem archiepiscopum, ac Duacensem, & Fernensẽ episcopos anathematis sententiã aduersus Vvatafordensem antistitem ferre iussit. d Is enim Lesmorensem episcopũ, dum ad vrbẽ se conferret, in carcerem detruserat, ac manibus in eum crudeliter iniectis, ipsius ecclesiã occuparat. præterea grauiter eum increpat, e quod canonicum quendam cõtra Apostolicæ sedis imperium oppressum teneret.

c Lib. 6. ep. 95.

d Iqu. l. 6. ep. 162.

e Id. ibid. ep. 170. Innoc oppressam libertatem ecclesiasticam asserere in Insubria studet.

f Id. ibid. ep. 44.

65 Prætores etiam, cæterique Insubres magistratus ecclesias, clericosque grauissimè presserant, impositisque exactionibus maximis afflixerant, ad quos Pontifex ad tuendam eorum libertatem, dignitatemq; hæc scripsit f: *Ne igitur sacerdotiũ deterioris hodie conditionis existat in populo Christiano, quàm olim apud Iudæos fuerat, vel gentiles, vniuersitati vestræ sub obtestatione diuini iudicij districtè præcipiendo mandamus, quatenus a prædictis exactionibus, & iniurijs abstinentes, clericos, & ecclesias ad huiusmodi onera nullatenus compellatis, sed recipiatis humiliter cũ actionibus gratiarum, si quis forsan episcopus simul & clerus tantam necessitatem, vel vtilitatem inspexerint, vt absque vlla coactione ad releuandas vtilitates, & necessitates communes, vbi laicorum non suppetunt facultates, subsidia per ecclesiasticos duxerint conferenda. Alioquin enim, & Lateranen. concilium talia sub excommunicatione prohibeat attentari, & vtique iniustum existat, vt laicis spiritualia subtrahantur, qui temporalia clericis subripere non verentur: si qui vestrum de cætero contra mandatum nostrũ venire præsumpserint, excommunicationis se nouerint vinculis innodatos.* Hæc Innocentius, quæ haud silentio prætermittenda fuere, vt perditissimorum huius temporis politicorum impietas refellatur, qui religioni, Ecclesiæ Dei, Deoque ipsi dominandi libidinem anteponunt. at non solùm ipsos reprehendit magistratus, sed Galliæ etiam Cisalpinæ præsules grauiter obiurgat, g illis sese strennè non opposuisse, sibique & Ecclesiæ durissimam passos esse inuiti seruitutem.

g Lib. 6. ep. 45. Excisa praua consuetudo de transfundendis in posteros sacerdotijs.

66 Inualescentem prætereа in dies in ijs ecclesijs damnatum quendam morem vigilantissimus Pontifex conuellendum citissimè operam nauauit. Cùm enim sacerdotia in posteros hereditario quodam iure propagari cœpissent, ne id fieret, datis ad Mediolanensem archiepiscopum, atque ad Nouariensem episcopum, & capitulum literis a grauiter vetuit, prohibuitque, idemque in Hibernia Ioannis tit. sancti Stephani in Cœlio monte presbyteri Cardinalis Apostolicæ sedis legati beneficio præstitit: extat namque Innocentij ad ipsum reddita epistola, b vbi ab eo se accepisse testatur, inter alia quæ inibi flagitia vigerent, sacerdotia & episcopatus ad filios, nepotesque transfundi, atque ob id Guanensem electum, altero in eius locum suffecto, ipsum exauctorasse, cui pallium transmitti postularet; quibus se assentiri respondit. Data est huiusmodi ad Ioannem legatum Innocentij epistola 10. kal. martias, paucis verò ante diebus, nẽpe ad 6. kal. cùm monasticã disciplinam pluribus in locis collapsam, labefactatamq; accepisset, omni studio restituere contendit, ad Castellanum in primis episcopum, aliosq; literis exaratis. Post hęc subditur in regesto Tuscię, Spoleti, aliarumq; Italicarum regionum abbatibus, cõuentibus, &c. Apostolicę sedi proximè subiectis ea de re scriptũ, atq; ex huius epistolæ formula alias ad plures episcopos missas.

a Id. ibid. ep. 121.

b Id. ibid. ep. 158.

Priuilegia ab Innoc. impertita.

67 Verùm ex his, quæ hactenus in medium attulimus, ne quis Innocentiũ in arguendis, percellendisque vitijs dumtaxat grauissimum censorem arbitretur, ingentia beneficia, priuilegiaque, quibus plurimos hoc anno vt parens optimus auxit, producemus, vt virgam & manna in arca pectoris continuisse asserere possimus, atque de ipso id propheticum Ecclesia occinere posset: c *Virga tua* (nimirum in improbis cõprimendis) *& baculus tuus* (in probis sustentandis) *ipsa me consolata sunt.* Nam præter quæ retulimus supra, ecclesiæ S. Lupi Trecensis abbatem, eiusque fratres in S. Petri tutelam recepit, d eorumq; iura, ac priuilegia confirmauit, idque Aldefonso Auriensi episcopo benignissimè impertitus est e. dato ad Petrum Compostellanum archiepiscopum diplomate f eius ecclesiæ priuilegium a Cælestino Papa de præscriptione votorum aliquot, quæ Hispania S. Iacobo sanxerat, firmum reddidit, eidemq; antistiti indulsit g absoluere laicos iudices posse, qui errãtes clericos mulctarant, tum sexu, vel ætate debiles h, qui iniectis in clericos manibus vel leuiter eos læsissent. Corroborauit i etiam monasterij S. Pauli iura ac priuilegia, illudque in Apostolicæ sedis clientelam in D. Pauli honorem accepit, cui factum illud ita deuouit: *Domino sancto, meritoque beato prædicatori præcipuo, egregioque doctori Paulo apostolo Innocentius indignus episcopus seruus seruorum Dei reuerentiæ votum cum deuotione perenni. Cùm aliqua tibi beatissime Paule vas electionis, & gratiæ prædicator per priuilegij paginam conferre videmur, non nostra concedimus, sed tua potius confirmamus, quia bona omnia, quæ habemus tuis interuenientibus meritis a patre luminum, a quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum, nos accepisse fatemur, ideoque magis tua reputamus esse quam nostra, & vtinam ita nostra sint tua, vt tua quoque sint nostra, quatenus qui tuum officium exequendum suscepimus, ad tuum etiam suscipiamur consortium obtinendum. Sacratissimum itaque monasterium, in quo tuum venerabile corpus celebri memoria requiescit, ad ius, & proprietatem Apostolicæ sedis iure pertinens speciali sub beati Petri coapostoli tui, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus, &c.* Eius possessiones ratas habet, aliaque abbati confert priuilegia, vt mitra, annulo, sandalijs, tunica, & dalmatica inter missarum solemnia vtatur. Alijs quoque beneficijs, ac priuilegijs l complectitur priorem, & conuentum de Bomin, abbatem S. Columbæ m de Hay insulæ, eiusque fratres Ioannem n domus S. Trinitatis Ceruí Frigidi ministrum, eiusque fratres, Garganicæ ecclesiæ archidiaconum, & capitulum o abbatem, & conuen-

c Ps. 22.

d Inn. lib. 6. ep. 3.

e Ep. 10.

f Ep. 84.

g Ep. 82.

h Ep. 85.

i Ep. 88.

l Ep. 115.

m Ep. 180

n Ep. 118.

o Ep. 169.

a Ep. 172. b Ep. 173. c Ep. 185.

tum de Caraceto factam vnionem illius ordinis enm Cisterciensi confirmans a, Caraceti abbatem, & eius fratres: b Cassinense monasterium datis literis c ad episcopos, abbates, aliosque ecclesiarum præsides, in quorum parrochijs monasterium illud, ecclesias, possessionesve obtinebat, priuilegium confirmat, quo abbates, & fratres in rerum monasterij inuasores excommunicationis sententiam promulgare possint, Corbeiensem abbatem, cui annuli, & mitræ vsum confirmat. d Sardiniæ episcopis, cæterisque præsulibus indulsit, e vt per literas Apostolicas extra Sardiniam non respondere cogerentur, nisi in ijs eius beneficij mentio edita fuisset.

d Ep. 183. e Ep. 16.

In Sardinia iussu Innocentij turbæ compositæ.

f Ep. 29.

68 Quod verò in Sardiniam fluxit oratio, extant Innocentij literæ, quibus Turritano, Calaritano, & Arborensi iudicibus scripsit, f vt Turritano archiepiscopo obtemperarent, quò feliciter in pacem coalescere discordes animi possent. sed hæc ab ipso Pontifice audire referti *Quantò Sardinia specialius ad Romanam Ecclesiam noscitur pertinere, vtpotè cui tam in spiritualibus, quàm temporalibus est subiecta, tanto propensius præcauere volumus, & debemus, ne quid attentetur in ea, per quod & status perturbetur ipsius, & grauiter Dominus offendatur.* Et infra: *Monemus igitur nobilitatē vestram, & exhortamur, atque per Apostolica vobis scripta præcipiendo mādamus, quatenus ipsum ob reuerentiam sedis Apostolicæ, & nostram recipiētes humiliter, & honorificè pertractantes, quæ super iudicatu Galluren. & Arborea, & nobili muliere ... filia quondam iudicis Galluren. tradenda nuptui, cùm ad nubiles annos peruenit, & alijs vobis ex parte nostra proponet, cum super omnibus plenam nostram nouerit voluntatem, exequi, & efficere procuretis: ita quod deuotionem vestram in hoc plenius cognoscamus, & per ipsius sollicitudinem toti prouinciæ pax perueniat exoptata.* Hæc Innocentius ad Sardiniæ iudices, quibus etiam mandat, g vt coram eodem archiepiscopo fidei sacramento sese obstringerent, vniuersosque præterea archiepiscopos, episcopos, iudices Apostolicæ sedi annuum tributum pendere iubet. h

g Ep. 50. & 147.

h Ep. 31.

Sequaces Marcualdi in Sicilia compressi.

i Ep. 52.

69 At ex Sardinia ad Siciliam progrediamur. Sunt de rebus ad illam pertinentibus Innocentij literæ, ex quibus potissimum afferemus, quæ ad historiam spectare videntur. In primis igitur Messanensi archiepiscopo regio familiari rescripsit, i gratulatusque est superbum hostem è Sicilia depulisse, ac Messanam in Regis fide continuisse: quinam verò fuerit iste turgidus arrogantia, & superbus archiepiscopi Messanensis studio e Sicilia fugatus, non proditur; sed nostra quidē sententia Vuilelmus Capparonus is fuisse videtur, de quo Innocentius Papa ad Insubres, vt vidimus, hoc ipso anno scribit: l *Cùm adhuc fauent* (Philippus scilicet Sueuus) *Capparono, qui Marcualdo in malitia, & excommunicatione successit.* Mandat præterea m Pontifex Messanensi archiepiscopo, vt ab vniuersis comitibus, baronibus, alijsque, qui nondum sibi, vt ait, balij iuramentum detulerant, id suo nomine exigere, ac recipere non cunctaretur, quod vt illi præstarent, alijs eisdem literis n imperauit. Cùm porrò Gualterius Troianus episcopus dānatis ijs, quæ antea contra Pontificem conflasset, eius iam gratiam ambiret, hæc ad eum Innocentius o: *Ex professione namque multorum nobilium, & procerum regni, qui nobis, & Ecclesiæ humiliter paruerunt, & ex illorum defectu, qui conati sunt a spiritu super vbera contra stimulum calcitrare, liquidò cognoscere potes commoda, & incommoda, quæ de gratia & offensa nostra tibi, ac tuis & prouenerunt hactenus, & poterunt prouenire, &c. Datum Ferentini.* Dat a præterea apostolicis literis p ad Petrum Panormitanum archiepiscopum electum, regiumque familiarem, ipsum plurimum commendat, quod inter Siculi regni tumultus, qui tum etiam feruebant, fidem

l inscr. lib. de Imp. re bus ep. 91.

m lib. 6. ep. 53.

n Ep. 54.

o Ep. 71.

p Ep. 159.

Pontifici, Regique seruasset. Cùm enim Innocentius grauissimo morbo implicitus teneretur, sparso de eius morte falso rumore, eoque increbrescente plurium studio, qui illum latè distularunt, defectiones sunt secutæ, bellicique in Sicilia citra Pharum motus excitati, quæ pluribus gesta prosequuntur:

Excitati in Sicilia noui motus sparso morte Pōtificis falso rumore

70 *Cum multa agerent prudenter & potenter* (Gualterius scilicet Brenēsis comes, & Iacobus Pontificia consobrinus ab ipso, vt supra vidimus, Apuliæ, ac Terræ laboris præsides cū pari auctoritate constituti) *venerunt tandem in Campaniam visiture summū Pontificem, quem audiuerant ægrotare, inueneruntque illum Anagniæ tam grauiter ægrotantem, quod a multis mortuus dicebatur. Cùm autem de morte ipsius fama volasset, multæ ciuitates prædicto comiti rebellarūt; quædam verò * expellentes milites suos, alia trucidassent, perdiditque tunc Materam, Brundusium, & Hydruntum, Barolitanique castrum Baroli obsederunt, & coegerunt castellanum, quem ibi dimiserat marescalcus sibi resignare castellum.* Datæ hoc anno ab eodem Pontifice de his literæ a ad archiepiscopum, abbatē S. Andreæ, ac Brundusinum populum, quibus acriter obiurgat, a Brenensi comite magna Apostolicæ sedis, Regisque iniuria desciuisse, eademque tatione, vt subditur b, ad archiepiscopum & populum Hydruntinum, atque episcopum, & ciues Gallipolitanos scripsit, cuius præterea argumenti est epistola c, quam Anagniæ archiepiscopis, episcopis, ac reliquis per Apuliam, & Terram laboris constitutis misit, hortatus, ac imperans, vt in proditores, fautoresque insurgerent, censurisque ecclesiasticis animaduerterent. sed ad acta reuertamur: *Porro cùm summus Pontifex conualescere incepisset, comes, & marescalcus in Apuliam redierunt, & licet recuperare prædicta nequissent, multa tamen acquirere studuerūt, nam ipse marescalcus Andriam, & Minerbium ciuitates obtinuit, & ex tunc se comitem Andriæ appellauit, extruxitque munitionem fortissimam apud Andriam, vbi palatium comitis prius erat: quidam autem filij Belial et ponentes insidias irruerunt in ipsum putantes eū gladijs interficere, sed quoniam armatus erat sub chlamyde, intentionem suam nō potuerunt ducere ad effectū, maximè quia quidam miles ipsius obiecit se illis, quem in sua præsentia interfecerunt. Ipse verò quosdam eorum capiens diuersis supplicijs interemit, omnium autem bona diripiens confiscauit.* Non his tamen deterriti nefarij proditores, qui nouis in Gualterium conflatis insidijs crudeliter incautum trucidarunt; longè prudentior Iacobus, qui non se passus est illis irretiri. at de his suo loco. d

* expulissent.

a Ep. 191.

b Regest. ann. 6. p. eand. ep.

c ibid. ep. 192.

Iacobus Andriæ comitatū adeptus.

Insidiæ Iacobo structæ.

d Anno 1205.

71 Nunc finem huius anni historiæ imponamus adductis sapientissimis responsis, quibus Ioānis Lugdunensis archiepiscopi, qui diuinæ scripturæ oraculis diligentem operam dabat, ac sæpius Innocentium consulebat, dubia discussit.

Innocentius, &c.

Quod e pietatem colendo in mandatis diuinis te libenter exerceas, & in lege Domini iugiter meditando consideres vias eius, epistolarum tuarum verba demonstrant, & testantur fortiùs quoties quibus Apostolicam sedem pulsas, vt pulsanti ianuam veritatis aperiat, & quæ obscura videntur suæ responsionis verbum illustret. Sanè per tuas nos duxisti literas consulendos, cur Psalmista tertiæ diei nullum psalmum inscripserit, cùm ab eo in laudem operis singulorum singuli psalmi cæteris sint diebus inscripti. *Et infra:* Credimus autem quòd tertia dies sit inter cætera commendabilis, maximè propter sacrosanctum mysterium Trinitatis. Psalmographus licet intellexerit super senes, & sicut calamus scribæ velociter scribentis fuerit lingua eius, vt tamen mysterium illud ineffabile, immo ineffabilissimum demonstraret, laudes tertiæ diei omnino suppresit, malens

e Ep. 14.

De Trinitatis mysterio.

super

super hoc prorsus silere, quàm tenuiter balbutire; ad quod vtique designandum & Paulus apostolus cùm vsque ad tertium cælum raptus fuisset, audiuit arcana verba, quæ non licuit homini loqui. Tacens verò tantum mysterium, altiùs quidem extulit, & fortiùs commendauit, vnde præceptum legitur Danieli: Signa librum, & claude mysteria, pertransibunt vt plurimi, & multiplex erit scientia. Clausus enim extitit liber, & signata mysteria, donec leo de tribu Iuda librum aperuit, & eius signacula soluit. Triplex autem est Trinitas personarum in Deo, substantiarũ in Christo, & specierum in Sacramento. In prima tres personæ sunt in vna substantia, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, quia tres sunt, qui testimonium dant in cælo Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt. In secunda tres substantiæ in vna persona, diuinitas, corpus, & anima; nam sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus. In tertia tres species in vnico Sacramento, panis, vinum, & aqua, quia nec panis in corpus sine sanguine transit, nec vinum, & aqua in sanguinem sine corpore commutatur, cùm neutrũ sine reliquo esse possit, sed potiùs totum in toto, & in* toto totum existat. Tertia igitur ineffabilis, secunda ineffabilior, prima ineffabilissima, vt ita loquamur, existit. Sunt in comparatione huius ineffabilissimæ Trinitatis trinitates cæteræ diminutæ. *Et infra:* Quisquis igitur ad notitiam indiuiduæ Trinitatis sine prædicatione, vel lectione peruenit, hanc ei non humana ratio, sed diuina inspiratio reuelauit, vt ei, qui perhibetur dixisse: Prima monas secundam monadem genuit, prima & secunda suum in se reflectunt ardorem, vnde cum Petrus dixisset: Tu es Christus filius Dei viui, audire promeruit: Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis nõ reuelauit tibi, sed Pater meus, qui est in cælis. Denique per septem primitiuos dies, septem præcipua tempora designantur, Patriarcharum, Iudicum, Regum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, & Virginum, quorum assignationem ad præsens omittimus, ne potiùs librũ texere, quàm epistolam scribere videamur: vnde quia tertio loco tempus Regum occurrit, idcircò Dauid, a quo tempus Regum incepit, tertiæ diei laudes subtricuit, nullum ei psalmum inscribens, ne laus in ore eius sordesceret, si fortè seipsum in tertia sabbati commendaret, malens aliena, quàm propria lingua laudari.

* parte.

72 Secundò quæsisti cum orationes quædam ad totam Trinitatem communiter, quædam ad Patrem, quædam ad Filium specialiter dirigantur, cur nulla singulariter ad personam sancti Spiritus referatur, cũ in hymnis siue metricis, siue rhythmicis, quibus Ecclesia vtitur, sæpius inuocetur. *Et infra:* Ob hoc ad Spiritum sanctum collecta nõ dirigitur specialis, quoniam antiquitus in Ecclesia primitiua omnes ad solum Patrem collectæ fiebant, propter auctoritatem principij, quam ei Christus in Euangelio totam attribuit, a quo & Filius ipse nascitur, & Spiritus sanctus procedit. Qui credit (inquit) in me, non credit in me, sed in eum qui misit me. Itemque: Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me, quia ego ex me ipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar. Et iterũ: Verba, quę ego loquor vobis, a me ipso non loquor; Pater enim in me manẽs, ipse facit opera. Solus enim Pater est innascibilis & ingenitus, quoniam ipse solus a nullo est, & omnia sunt ab ipso siue per generationem vt Filius, siue per processionem, vt Spiritus sanctus, siue per creationem vt mundus. hoc ipsũ in præfationibus vsque hodie obseruatur, quæ ad solum Patrem vniuersaliter referuntur. Quia verò quidam hæretici dogmatizare cœperunt, quod Christus non est verus Deus, sed purus homo, inter alias sui causas erroris hanc etiam assignantes, quod collectæ non fiebant ad Filium, sicut fiebant ad Patrem, quia Filius non esset Deus, sicut est Pater, ideo ad confutandã huius peruersitatem erroris Ecclesia prudenter instituit, vt sicut ad Patrem, sic ad Filium dirigerentur collectæ, ad maiorem deitatis expressionem talem conclusionis formam adiungens, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuis, & regnas Deus per omnia secula seculorum. & hanc ipsam conclusionis formã ad cæteras collectas extendit, vt in cæteris quoque collectis eadem Patris, & Filij deitas demonstretur. Verùm quia fuerunt & alij quidam hæretici, qui Spiritum sanctum Deum non esse dixerunt, sed errauerunt, idcirco in hymnis, & litanijs sicut ad Patrem, & Filium, sic ad Spiritum sanctum Ecclesia postmodum proprias, & speciales orationes instituit, antiqua, & consueta in collectis forma seruata. Inueniuntur autem & aliæ quædam orationes ad Spiritum sanctum directæ, sed non authenticæ reputantur, nec Ecclesia vtitur illis in nocturnis officijs, vel diurnis, &c. *Dat. Anagniæ 11. Kal. Ianuar.*] Porro ex citatis, citandisque Innocentij literis ipsum præter morem suum non solùm hyberno tempore, sed a maio etiam ineunte ad martium vsque sequentis anni Roma abfuisse liquet, ac Ferentini maximèq; Anagniæ (sunt Hernicorum in Latio ciuitates) commoratum. cæterũ huiusce rei causa innui quamuis subobscurè in Fossænouæ chronico videtur, vbi hæc pauca leguntur a: *Nonis maij indignatione Romanorum dominus Papa venit Ferentinum.* Quænam verò hæc fuerit indignatio, silentio præterit, sed hic in mentem veniunt, quæ Innocentius ad calcem gestorum a Romanis passus traditur, atque hæc illorum præludia dici posse videntur.

a Chron. Fossæ nouæ an. 1203.

IESV CHRISTI
Annus 1204.

INNOCENTII PP. III. annus 7.	VACAT IMP. OCCID. an. 7. BALDVINI IMP. annus 1.

1 MAgnis in oriente rerum conuersionibus, & Græcorum cladibus insignis extitit Redemptoris annus millesimus ducentesimus quartus indictione septima, quo Alexius Imperator post Isaacij patris obitum a Murziphilo sæuissimè occisus, expugnata Constãtinopoli, tyrannus merito supplicio affectus, parta a Latinis rapidissimis victorijs magna Græciæ pars, laniatum in plures principatus florentissimum Imperium, Balduinus Flandriæ comes in Vrbe principe imperialibus ornamentis insignitus, & Græci, qui Latinorum iugum accepere, ad Ecclesiæ Romanæ obsequium felicissimè reuocati. De his singulis acturi, inspiciemus primum quid Innocentius tum Alexij Imperatoris, tum crucesignatorum principum superiori anno exaratis, supraque iam recensitis literis responderit. b Alexio igitur, qui Latinorum armis in Imperium fuerat restitutus, rescribit c ac gratulatur, quod Ecclesiæ Græcæ cum Latina coniunctionem in votis habere significaret, seque veterum catholicorum Imperatorum exemplo Romanæ Ecclesiæ subijceret, tũ hortatur, vt quo sese illius coniunctionis perficiendæ votũ obstrinxerat, ad exitum perduceret, ac demum spem inijcit ita ipsius Imperium firmius stabilitum iri.

b Apud tom. l. 6. ep. 210. 211.
c Lib. 6. ep. 129.
Alexio ecclesię Rõ. Græcam coniungere meditãti gratulatur Inn.

Innocentius, &c.

2 Recepimus literas, quas nobis Imperialis excellentia destinauit, affectione paterna, & quæ significauit per eas, notauimus diligenter. Gaudemus autem in Domino, & ei qui dominatur in regno hominum, & cui voluerit, dabit illud, gratiarum exsoluimus actiones, quod pium tibi propitius inspirauit affectum, vt desiderares ecclesiasticam vnitatem,

& Con-

vt membrum ad caput, & filia reuertatur ad matrē, & Constantinopolitana ecclesia, quæ Apostolicæ sedi multo tempore deuotionis debitum denegauit, reuerentiam ei, obedientiam, & honorem exhibeat affectares, sicut & adhuc exul cum esses, in nostra præsentia constitutus asserebas te totis visceribus affectare. Vt autem desiderium tuum pleniùs demonstrares, & ad id populos tibi subditos exemplo induceres meliùs, quàm sermone, semel exul, & iterum sublimatus iuramento firmasti, te omnem deuotionem nobis, & nostris successoribus impensurum, quam antecessores tui Imperatores catholici prædictis nostris patribus orthodoxis Romanis Pontificibus noscuntur antiquitus impendisse. Promisso pariter, quòd opportunitate concessa, orientalem ecclesiam ad id prudenter inclinabis pariter, & potenter, sicut per Imperiales nobis literas intimasti. Sanè si dictis facta compenses, & quod polliceris verbis, operibus exequaris, Deum tibi reddes propitium, quē in honorificentia suę sponsę probabis honorare, ac præter id, quod ipse Imperium tuū solidabit in pace, Apostolica sedes illud studebit efficaciter roborare. Cùm enim per Latinorum auxilium post diuinum sis Imperio restitutus, debes non immeritò Romanā Ecclesiam honorare, cuius filij tibi taliter astiterūt, & quæ post Deum tibi, & Constātinopolitano Imperio præcipuè poterit necessarium patrociniū impertiri.] Et paucis interiectis verbis: Monemus igitur Imperialē celsitudinem, & hortamur in Domino, quatenus sic in Apostolicæ sedis deuotione cōsistas, sic efficias, quod iurasti, ne fortè, quæ de tuis labijs processerunt, irrita facere videaris, sed verax appareas in promisso, & in iuramento fidelis. Siquidem si in timore Domini, & Apostolicæ sedis reuerentia Imperium tuum fuerit roboratum, non vacillabit, sicut hactenus vacillauit, sed in illius petræ soliditate fundatum, a qua princeps Apostolorum dictus est Petrus, & de qua inquit Apostolus: Petra autem erat Christus, perpetua firmitate consistet, nec ventorum flatus, nec fluminum impetus, nec pluuiarum formidabit incursus. Alioquin ne vano decipiaris errore, scire te volumus, quod non solùm inimicorum tuorum rebellionem non poteris subiugare, sed ante ipsorum faciem non subsistes. *Datum Anagniæ, &c.*]

3 Acceperat antea Innocentius crucesignatorū literas, quibus Græcos se bello appetijsse iactabant, vt a schismate ipsos auellerent, atque apud Alexiū institisse, vt Romanæ Ecclesiæ veterum Imperatorum more se subderet; at plerisque visum est, eo propagandæ Romanæ Ecclesiæ colore commissum contra nuncupatum sacramentum lacessitis bello Christianis scelus subornare voluisse; quibus Innocentius, vt cœptum adducendæ orientalis ecclesiæ ad Romanæ obsequium opus promoueret, rescripsit, ambigere admodum, num se nouo anathematis crimine contaminassent, atque adeo salutem consuetam non impertiri: si tamen vero zelo perciti præterita gessissent, perficerent promissa, instarent apud Alexium, vt literas ad Apostolicam sedem mitteret, quibus insereret se parendi Romanæ Ecclesiæ sacramento deuinxisse, perpelleretque patriarcham, vt solemnes oratores mitteret, qui eius nomine Pontificum Romanorum primatum agnoscerēt, ac pallium de beati Petri corpore sumptum ad patriarchale munus ritè exercendum flagitarent, ni id fieret, argumento certissimo futurum, ipsos crimen pietatis fuco oblinere voluisse, proindeque ingentibus lacrymis illud eluerent: cæterum abscissa omni mora ad Terræ sanctæ subsidium, cui se deuouissent, proficiscerentur:

Nobilibus viris Bonifacio marchioni Mōtisferrati, & Balduino Flandriæ, Ludouico Blesensi, & Henrico S. Pauli comitibus, & alijs baronibus & militibus crucesignatis spiritum consilij sanioris.

Quia [a] *veremur vos iterato excommunicationis esse labe pollutos, & vtinam non incurreritis fidei læsionem, ideo ad cautelā vobis spiritū sanioris consilij loco salutationis, & benedictionis optamus. Licet enim, sicut ex literis vestris accepimus, apud charissimum in Christo filium nostrum Alexium Constantinopolitanum Imperatorem illustrem institeritis, & obtinueritis ab eodem, vt iuramento firmaret, se omnem deuotionem nobis, & successoribus nostris substituendis canonicè impensurum, &c. Valde tamen præsumitur a quibusdam, quod id ad excusationem vestram feceritis, vt per hoc vestrum velaretis excessum, quàm vt ad matrem filio, membrum ad caput, & pars rediret ad corpus. Verùm quia opera testimonium perhibent veritati, qua id intentione feceritis, melius effectus subsequens demonstrabit, si videlicet Imperator ipse se iuramentum huiusmodi præstitisse per literas confiteatur apertas, quas nobis dirigat in testimonium reseruādas, si apud patriarcham efficiat, vt per solemnes nuncios Ecclesia Romana primatum, & magisterium recognoscat, & reuerentiam nobis, & obedientiam repromittat, & pallium de corpore beati Petri sumptum, sine quo patriarchale officium exerceri ritè non potest, ab Apostolica sede requirat.*

a ibid. ep. 230.

4 *Quod si forsan hoc deuotionis primordium circa suæ promotionis initia denegarit, & noluerit, quod scribimus adimplere, nec oculus vester simplex fuisse videbitur, nec intentio eius pura, immo primæ transgressioni, quam apud Iaderam incurristis, videmini addidisse secundam, dum arma, quæ in hostes crucis credebamini assumpsisse, in Christianorum excidium iterum conuertistis, &c. Dat. Anagn.* Eodem argumento Suessionensi, ac Trecensi episcopis literas [b] misit, cùmque crucesignati post Iaderinum facinus anathemate hac fuissent conditione soluti, ne quæsito quouis fuco Græcorum terras inuaderent, sed in sacrum solummodo bellum, animo ac totis viribus incumberent, ideoque complures vererentur, ne illi rursus ob Alexium in Imperium restitutum anathematis pœnam incurrissent, Innocentius ad eosdem Suessionensem, ac Trecensem antistites scripsit [c], vt ipsos ad facti pœnitentiā adducere studerent, absoluerentq.

b Id. ibid. ep. 231.
c ibid. ep. 232.

5 Iam verò quam polliciti sumus tragicam Constantinopoleos narrationem aggrediamur. In primis Innocentij gestorū scriptor Alexium, atque Isaacium patrem in Imperium restitutos fidem Latinis fregisse, atque adeo expugnatam Constantinopolim, Balduinumque ad Imperialis dignitatis apicem omnium suffragijs euectum describit, literasque Balduini affert, quas licet prolixiores, quia insignes, grauiorisque momenti res continent, inserere historiæ operæ pretium est, cùm pulcherrimam illi lucem affundere possint. Referunt ergo Alexium restitutum Imperio cùm Latini ex vrbe egressi, ne motum dissimilitudo rixas pareret ex aduerso vrbis castra defixissent, vt quæ promissa sibi fuerant, exciperent, repentè in contrarium mutatum Latinos inopinato bello aggressum esse, mox coorta in vrbe seditione in odium Alexij plebem sibi Imperatorem delegisse (quem Nicolaum Choniata vocat) ea re perterritū ad Latinorum, quos periurio insigni læserat, opem confugisse, ac Mursiphilum oratorem misisse, qui suo nomine Blachernas (Imperatorium illud palatium erat) polliceretur, vt præsidio militari illud tenerent, donec promissa exsolueret, sed iterum Alexium pollicitis resilijsse, nouoque periurio marchionem Bonifacium repulisse, tum Mursiphilum occasionem aucupatū noctu Græcis aperuisse, de Blachernis tradendis cum Latinis agi, ac tum seruitutis frænum ipsis iniectum iri, mox illum Græcos hortatos, vt Imperium corriperet, qui scelere grassandum ratus Alexium dormientem inuasit, ac vinculis mancipauit, nec multo post alterum Imperatorē Nicolaum Canabum, quem plebs in D. Sophiæ templo crearat, in

Constantinopolitanum Imperiū occupatur a Latinis.

suam

suam potestatem redegisse, tentasse missis oratoribus Latinos promissis delinire, qui cum ipsi respondissent cum proditore fœdus percuti non posse, atque institissent, vt Alexium libertati atque Imperio restituerent, insequenti nocte clã illi laqueo fauces elisisse, clauã ferrea latera perfregisse, sparsisse in vulgus præcipiti ex alto casu extinctum, magnificentissimamque funeris pompam, vt scelus tegeret, apparasse.

6 *Sanctissimo patri, ac domino charissimo Innocentio Dei gratia summo Pontifici Balduinus eadem gratia Constantinopolitanus Imperator, & semper Augustus, Flandren. & Han. comes, miles suus cum deuota semper obsequij voluntate oscula pedum.*

a Lib. 7. ep. 152. Cum a paternæ solicitudinis zelo, & nostræ congregationis in idipsum amore speciali, quæ circa nos aguntur, sanctitas vestra scire desideret, seriatim vobis declarandum esse decreuimus, quàm mira circa nos vsa sit diuina clementia nouitate, quamque non nobis quidem, sed nomini suo gloriam dederit omnibus seculis admirandam. Mirabilibus eius circa nos semper mirabiliora succedunt, vt etiam infidelibus dubium esse non debeat, quin manus Domini operetur hæc omnia, cùm nihil a nobis speratum aut prouisum ante contigerit, sed tunc demum noua nobis Dominus procurarit auxilia, cùm nihil humani videretur superesse consilij. Et quidem, si bene meminimus, per literas paternitati vestræ transmissas nostri progressus & status narrationem eo vsque deduximus, vt vrbe populosa capta violenter a paucis, tyranno fugato, ac filij Isaacij Alexio coronato mora nostra promissa foret, & ordinata per hyemẽ, vt potenter obtinerentur, si quæ resistere videbantur Alexio, & nunc breuiter narranda suscipimus, quæ circa nos postea cõtigerunt, eo prænotato, quod sicut non opera hominum fuere, sed Dei, quæ Græcis intulimus, ita non hominum opera fuere, sed dæmonum, quæ cum Imperatore nouo, Græcoque per omnia Græcia nobis ex perfidia consueta retribuit. Nos siquidem ne discordiæ inter nos, & Græcos fomitem ministraret moribus nostris aduersa barbaries, de ciuitate exeuntes ex aduerso ciuitatis interiacẽte * portu ad preces Imperatoris castra posuimus, & ex insperato, seu innata malitia, seu Græcorum seductus perfidia, animo recedit a nobis, cui tanta beneficia contulimus, Imperator, & in omnibus cum patre, patriarcha, & mole nobilium nobis promissa periurus, & mendax tot incurrit in periuria, quot nobis præstitit iuramenta. Vnde nostro tandem destitutus auxilio prælia contra nos meditatur incassũ, & nauigij, quod cum adduxerat & sublimauerat ad coronam, procurat incendia, sed voto tam crudeli Deo nos protegente fraudatur. fit pars sua per cuncta deterior, & hominum suorum cædes, incendia, & rapinæ proueniunt, imminente foris pugna, intus timoribus coarctatur, Imperatorem ci æmulum parãtibus Græcis ea occasione caprata, quod nullum ad auxilium nostrum deberet habere confugium. Cumque ei euadendi spes vnica restaret in nobis, iuratum sibi quendam Marchuflum nomine, sanguine sibi propinquum, de quo pro beneficijs impensis super omnes alios confidebat, mittit ad exercitum nostrum, qui Blachernæ palatium nobis sub Imperatoris, & suo iuramento promittit in obsidium, donec nobis cuncta promissa reddantur. Accedit ad palatium recipiendum nobilis marchio, illudit Alexius marchioni, & quos iam nobis dederat, spretis obsidibus, consueta periuria non veretur.

* ponte

Alexius a Latinis resiliens.

Marsiphilus Alexiũ prodit.

7 Nocte insecuta Marchuflus domino suo periurus, & nobis, Græcis reddendi nobis palatij reuelat arcana, atque ex hoc in perpetuum eis eripi libertatem, & ad hoc modis omnibus veniendum esse declarat, nisi deijciatur Alexius, cuius proditionis merito tertius in vrbe Imperator attollitur, in dominum dormientem, & rei nescium sacrilegas mittit manus, cumque carcere tetro concludens, tertium Nicolaum quendam, qui apud sanctam Sophiam Imperiales infulas nouiter vsurparat, traditum sibi Græcorum, qui eum creauerant, proditione rursus incarcerat, mortuoque postmodum Isaacio, qui animum filij sui a nobis præ omnibus, vt dicebatur, auerterat, ac clamante clero Græcorum & populo, vt de terra tolleremur, in breui tantùm sanguinẽ nostrum sitientibus Græcis prælium contra nos proditor iam dictus instaurat, vrbem machinis, & propugnaculis munit, quorum similia nemo viderit vnquam. Cùmque muris miræ latitudinis lapidibus minutis, cæmentoque tenacitatis & firmitatis antiquæ constructus, in altum valde consurgens turres haberet amplissimas pedibus circiter quinquagenis, paulò plus minusve distantes inter quaslibet duas a parte maris, quo noster timebatur assaltus, turris lignea erigitur super murum stationibus tribus, aut quatuor multitudinem continentibus armatorum. Nihilominus etiam inter quaslibet duas turres, seu petraria, seu mangonellus erigitur; turribus autem supereriguntur ligneæ turres altissimæ stationum sex super quæ supremam stationem aduersum nos porriguntur scalæ appodiationes ex vtraque parte, & propugnacula continentes, paulo minus excelsis scalarum capitibus, quàm iacere in altum posset arcus a terra, murum etiam ipsum murus circumcingit inferior, duplexque fossatum, ne muris vlla possent applicari ingenia, sub quibus valerent latitare fossores.

Alexiũ & Nicolaũ Imperiũ affectantẽ in vincula conijcit.

Descriptio ciuitatis Constantinopolitanæ.

8 Interim terra, marique nos tentat perfidus Imperator, nos semper Domino protegente, & suos frustante conatus: nam præter ordinationem nostrã ad prædam victualium procul exeuntibus nostris vsque ad mille animas hominum pugnatorum Imperator occurrit in multitudine grãdi, primoque congressu dissipatur omnino, cæsis, captisque non paucis sine damno nostrorum, fuga ignominiosa consulens sibi clypeum abijcit, arma deponit, & nostris vexillum Imperiale dimittit, nobilemque quam sibi præferre faciebat iconem, quam ordini Cistercien. nostri dedicauere victores. Iteratò nauigium nostrum flammis aggreditur, intempestæque noctis silentio sexdecim suas naues incensas, velis in altum expansis, & inferius colligatis ad proram, flante fortiter austro nostras mittit in naues, sed Domino faciente cum multo nostrorum labore custodimur indemnes, & ardentibus nauibus, clauis infixis catenis hærentibus, nostrorum remigio trahuntur in pelagus, & ab imminenti mortis periculo a Domino liberamur. Nos igitur terrestrem eum prouocamus ad pugnam, & ponte, atque amne transmisso, qui exercitum nostrum separabat a Græcis, cunctis ordinatis ante portam diu stetimus Regiæ ciuitatis, & palatij Imperialis, quod Blacherna nuncupatur, in nomine Domini, agmina Israel præcedente Cruce viuifica, parati ad prælium Græcos excipere, si eis placuisset exire. Et quidem pro militiæ exercitio exeuntem nobilẽ quendam nostri pedites trucidarunt, sic in castra reuersi, terra, marique sæpius prouocamur, sed dante Domino semper, ac triumphaliter obtinemus.

Marsiphilus repulsus.

Frustra immissæ incendiariæ naues in Latinos

9 Mittit ad nos pacis fictæ legatos perfidus incubator Imperij, postulat & obtinet cum duce colloquiũ. Cùmque eidem dux magnanimus obiecisset, quod nulla cum eo pacis posset esse securitas, qui dominum suum carcere conclusisset, postposita misiotandi religione & fidei, ac fœderis inter quantumlibet infideles firmiter obtinentis, & ipsi præripuisset Imperium, eidemque bona consuleret fide, vt dominum suum restitueret, & humiliter veniam postularet, nostras etiam pro se promitteret preces, & quod cum eodem domino suo misericorditer, si vellet,

let, agere deberemus, ac quicquid contra nos egerat venenosè, si rediret ad animum, imputare vellemus errato, lapsui vè consilij, illa vana verba subintulit, quia quæ responderet rationabiliter, non haberet. Obedientiam autem Romanæ Ecclesiæ & subuentionem Terræ sanctæ, quam iuramento, & scripto Imperiali firmarat Alexius, adeò refutauit, vt vitam amittere præeligeret, Græciamque subuerti, quàm quod Latinis Pontificibus orientalis ecclesia subderetur. Nocte igitur insequenti dominum suum latenter laqueo suffocat in carcere, cum quo ipsa die prandium sumpserat Iudæ, & claua ferrea, quam tenebat in manu, latera morientis, & costas inaudita crudelitate confringit, casuque vitam, quam laqueo extorserat, confingit ereptam, ac Imperiali sepultura concessa, propalatum omnibus scelus funeris honore dissimulat.] Hæc Balduinus.

Alexius a Mursiphilo laqueo præfocatus clauaque attritus.

10 Sed antequam eius epistolæ, quod reliquum est, afferamus, opportunè nonnulla ex Niceta Choniata a, qui rum temporis, vt mox audiemus, præcipuum apud Imperatorem magistratum gerebat, & Constantinopoli morabatur, decerpenda sunt. Appetierat, vt notat auctor, vigesimaquinta dies mensis iannarij septima indictione ann. 6712. ab orbe condito, qui in Christi annum 1204. incurrit, cum plebs in seditionem versa exclamat intolerandum Angelorum iugum e ceruicibus depellendum, factoque in templum S. Sophiæ concursu de salutando nouo Imperatore tribus diebus agitatum est, cum prudentes quique ac maximè nobiles purpuram, ne suo eam tingerent sanguine, recusarent, & certissimè scirent Alexium a Latinis propugnatum iri, sed plebs efferata consilium sumere non poterat, & post reiectos nobiles, plebeios magistratus strictis ensibus oblata corona ac veste hortabantur, vt Imperium capesserent, demum adolescentem Nicolaum Canabum Imperatorem inaugurant. Quo accepto Alexius Bonifacium marchionem accersit ac Mursiphilum de regia ipsi tradenda cum eo agere iubet. Is ex ea re occasionem aucupatus, aperto Alexij consilio Imperatorem in odium adducit, dein noctu adit Alexium, fingit plebem facta coniuratione ingruere, eumque summa perfidia in suum tentorium rapit quasi vitam periclitanti seruaret ignota veste tectum in vincula conijcit, tyrannidem occupat, Canabum a suis desertum opprimit, ac demum Alexium veneno necare frustra tentatum mense imperij sexto, die octauo laqueo præfocat. hæc fusius Niceta, quæ dictis superius consentiunt.

a Nicet. Chon. annal. l. 3.

11 De Alexij Angeli nece agens Guntherus ait, Murciflum (sic appellat tyrannum, cuius consilio Alexij pater iam ante occæcatus & in carcerem coniectus) suis illum manibus præfocasse; idemque affirmat Meyerus b, qui necatum Alexium, iustum Imperatorem vocat. Quæ dum narrat Choniata, subijcit se ab eodem tyranno logothetæ & scrinij præfecturæ munere ab eo deiectum, & de certaminibus inter illum ac Latinos collaris agens, hæc de sacra Deiparæ imagine a nostris capta in medium adducit: *Romanis perterritis* (Græcos appellat) *& trepidè fugientibus, solus derelictus*, nempe Imperij inuasor Ducas, *penè perijsset: & genitricis Dei Imago quā Romanorum Imperatores belli sociam asciscunt, ab hostibus capta est.* sed ad Balduini epistolam reuertamur, qui prima e nauibus in muros impressione facta, Latinos ait propulsatos, secundo verò impetu in muros, scalis e nauibus admotis, assilijsse fugientibusque Græcis intra portas ab ingressis exercitum admissum, ingentem Græcorum stragem edidisse, dieque insequenti omnia vrbis loca occupata.

b Iac. Meyer. annal. Flandr.

Imago virginis a Græcis fatalis habita a Latinis capta.

12 Sic nobis hyems tota perficitur, donec nauibus nostris scalis aptatis, & instrumentis bellicis præparatis nos, & nostra recipientes in nauibus quinto idus aprilis, hoc est, feria sexta ante passionem Domini vnanimiter pro honore sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & subuentione Terræ sanctæ, nauali prælio inuadimus ciuitatem, & ea die sine multo tamen nostrorum sanguine (corrigendum Nicetam ex his constat, qui Latinos plures occubuisse ait) fuimus tanta perpessi, vt inimicis nostris in opprobrium verteremur, quorum ea die pars fuit per cuncta superior, adeò vt tracta in terram Græcis compelleremur bellica nostra machinamenta relinquere, & infecto negotio ad ripam redire cogeremur aduersam, ea die, vt videbatur, inutiliter fatigati. Conturbati ergo plurimum, & contriti, sed demum in Domino roborati, definito consilio rursum instauramur ad pugnam, & quarto die 2. id. aprilis, hoc est, feria secunda post passionem Domini, flante borea rursum applicamur ad muros, scalis nauium scalis turrium applicatis cum multo labore nostrorum, permultum resistentibus Græcis, sed ex quo cominus gladios sensere nostrorum, non diù anceps belli durauit euentus. Duæ siquidem naues pariter colligatæ, quæ nostros episcopos Suessionen. videlicet ac Trecen. deferebat, quorum erant insignia, paradisus & peregrina, primæ scalis suis scalas turrium attigerunt, & felici auspicio peregrinos pro paradiso certantes, hostibus admouerunt. Prima muros obtinent vexilla Pontificum, ministrisque cælestium secretorum prima conceditur de cælo victoria. Irruentibus igitur nostris, cedit domino iubēte multitudo infinita perpaucis & propugnacula relinquentibus Græcis, nostri audacter militibus portas aperiunt.

Constinopoleos expugnatio.

13 Quorum cùm Imperator, qui procul a muris in tentorijs stabat armatus, conspicaretur ingressum, statim tentoria derelinquit, & fugit, nostri cædibus occupantur, ciuitas capitur populosa, recipiuntur in palatijs Imperialibus, qui nostrorum enses effugiunt, multaque cæde facta Græcorum, nostri sese recolligunt, aduesperascente iam die arma fessi deponunt, de assultu palatiorum in crastino tractaturi. Suos recolligit Imperator, & crastinam hortatur ad pugnam, asserens, quod nostros in potestate nunc habeat intra murorum septa conclusos, sed nocte latenter dat terga deuictus. Quo comperto Græcorum plebs attonita de substituendo Imperatore pertractat, & dum manè facto ad nominationem cuiusdam Constantini procedunt, pedites nostri non expectata deliberatione maiorum ad arma prosiliunt, & terga dantibus Græcis, fortissima & munitissima palatia relinquuntur, totaque in momento ciuitas obtinetur. Diripitur equorum innumera multitudo, auri, & argenti, sericorum, pretiosarumque vestium, atque gemmarum & omnium eorum, quę ab omnibus inter diuitias computantur, tam inęstimabilis abundantia reperitur, vt tantum tota non videretur possidere Latinitas, & quemadmodum pauca negauerant, cuncta nobis diuino iudicio reliquerunt, vt securè dicamus, quia maiora his mirabilia circa bellorum casus nulla vnquam narrat historia, vt impleta prophetia manifestè videatur in nobis, quæ dicit: Persequitur vnus ex vobis centum alienos, quia si inter singulos victoriam partiamur, quilibet ex nostris non pauciores, quàm centum & obsedit, & vicit. Non autem nobis victoriam vsurpamus, quia saluabit sibi dextera Domini, & brachium virtutis eius reuelatum est in nobis. A Domino tamen factum est istud, & super omnia mirabilia mirabile est in oculis nostris.]

Insignis victoria Latinorū.

14 Hæc ipsa de Constantinopolitana vrbe expugnata latè prosequuntur Choniata & Guntherus, asseruntque præterea a nostris iniectis facibus vrbem magna ex parte conflagrasse: quibus insuper idem Niceta adijcit de fuga ciuium locutus, Ducam Mursiphilum cum omnia ruere videret, Euphrosyna Ale-

xij coniuge, & Eudoxia eius filia correptis, lemboque impositis fugam capessiuisse; dein ab Alexio Eudoxiæ patre captum, luminibus orbatum fuisse, ac demum adductum Constantinopolim iudicum sententia ob necatum Alexium ex altissima columna, quæ in Tauro stabat, præcipitem deiectum, cùm aliquamdiu in pedes descendisset, euoluto corpore in caput allisum miseram animam euomuisse. Hæc pluribus Niceta, Georgius Logotheta, a Guntherus, qui etiã ait Latinos principes in regni diuisione Alexio, homini licet nefario, quia tamẽ regia stirpe ortus erat terræ portiunculã tradidisse. Quænam verò hæc fuerit, prodit Choniata, qui appellat Alexium Imperatorem profugum: is namque Alexius erat, qui Isaacio fratre oculis, Imperioque orbato tyrannidem inuaserat, Latinisque cum Alexio iuniore ipsius nepote accedentibus, noctu Debeltum profugerat, abiecto ignauè Imperio, quod scelere pepererat. *Profugus Imperator ad marchionem profectus panis & vini demenso Imperij insignia commutat, cum Euphrosyna coniuge in locum nomine Halmirum (hoc est salsuginosum) fortunæ suæ respondentem, habitatum missus.* At Bonifacius Montisferrati marchio post captum Balduinum, eum vnà cum Euphrosyna coniuge in Germaniam relegauit, vt idem auctor testatur. Iam ad Balduini epistolam, a qua sumus digressi, redeamus.

a Georg. Logot. hist.

Alexius senior deposito Imperio Halmirum relegatus.

15 Ordinatis igitur diligenter, quæ disponenda rerum poscebat euentus, ad electionem Imperatoris vnanimiter, & deuotè procedimus, & omni ambitione seclusa, cum sex baronibus Venetorum venerabiles viros episcopos nostros, . . . Suession. . . Halberstaten. . Trecen. dominumque Bethlemitan. qui a partibus transmarinis auctoritate Apostolica nobis fuerat delegatus, Acconẽsem electum, abbatẽque Lucedij Imperatoris nostri sub dominio nostro cõstituimus electores.] De duodecim electoribus agitur etiam in pactis Francos inter Venetosq; confectis, quæ anno sequenti afferentur, ac tot solùm fuisse Guntherus mox citandus testatur. Vnde corrigendi Flandriæ annales, vbi quindecim numerantur: [b] *Fuerunt autem quindecim illi electores, Bethlemiticus, Ptolemaidis, Suessionum, ac Tricassium episcopi, cum abbate Lucedij, Flandrus præterea, Blesensis, Monferratensis, Fani Pauli, ac Brenæ comites cum quinque primoribus viris ex nobilitate Veneta.* Hæc auctor. pergit Balduini epistola de impositi sibi diadematis solemni pompa: Qui oratione præmissa, vt decuit, dominica Misericordia Domini personam nostram, quod a nostris meritis procul erat, vnanimiter ac solemniter elegerunt, diuinis laudibus clero & populo pariter acclamante, sequentique dominica, qua Iubilate cantatur, præcipiente Apostolo Petro Regem honorificari, eique obedire quasi præcellenti, & Euãgelio nunciante, quod gaudium nostrum nemo tollet a nobis, cum ingenti honore, atque tripudio, more etiam suo applaudentibus Græcis ad honorem Dei & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac subuentionẽ Terræ sanctæ gloriosè coronatũ ad Imperij fastigia Deo & hominibus amabiles patres memorati pontifices cum vniuersorum applausu, & pijs lacrymis sublimarunt.] De qua electione, Balduinoque ad Imperium euecto, Guntherus c ait duos fuisse Bonifacium marchionem, & Balduinum comitem in exercitu spectatissimos, qui ita ob eximias virtutes omniũ in se conuertebant oculos, vt difficile admodum videretur, quis alteri ex ijs præferendus esset definire, atq; iudicium duodecim electoribus ob id permissum fuisse. Porrò a verisimilitudine alienum est, quod Niceta d de quatuor calicibus, in quorum vno sanguis Dominicus erat, tradit. Reliqua Balduini literæ prosequuntur.

Duodecim ad creandũ Imp Latinum electores cõstituti.

b Iac. Meyer ann. 1204.

Balduinus Imp salutatur.

c Gunth. hist. Const. apud Canis. antiq. lect to. 5. p. 384.

d Nicet. lib. 3.

16 Aderant incolæ Terræ sanctæ ecclesiasticæ, militaresque personæ, quorum præ omnibus æstimabilis erat, & gratulabunda lætitia, exhibitumque Deo gratius obsequium asserebant, quàm si ciuitas sancta Christianis esset cultibus restituta, cum ad cõfusionem perpetuam inimicorum Crucis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ, terræque Hierosolymitanæ sese regia ciuitas deuoueret, quæ tamdiu tam potenter aduersaria stetit, & contradixit vtrique. Hæc est enim, quæ spurcissimo gentilium ritu pro fraterna societate sanguinibus alternis ebibitis, cum infidelibus ausa est sæpius amicitias firmare ferales, & eosdem mãmilla diù lactauit vberrima, & extulit in superbiam seculorum, arma, naues, & victualia ministrando. Quid è contrario fecerit peregrinis, magis edocere sufficiunt in omni Latinorum gente exempla, quàm verba. Hæc est quæ in odiũ Apostolici culminis Apostolorum principis nomen audire vix poterat, nec vnam eidem inter Græcos Ecclesiam concedebat, qui omnium ecclesiarum accepit ab ipso Domino principatum. Hæc est, quæ Christum solis didicerat honorare picturis, & inter ritus nefandos, quos sibi spreta scripturarũ auctoritate confinxerat, etiã lauacri salutaris plerumque facere præsumebat iterando iacturam. Hæc est, quæ Latinos omnes non hominum nomine dignabatur, sed canum, quorum sanguinem effundere penè inter merita reputabant, nec vlla pœnitentiæ satisfactione pensabant laici, monachiue, penes quos sacerdotibus spretis, tota ligandi, atque soluendi consistebat auctoritas. Hæc & huiusmodi deliramenta, quæ epistolaris explicare non valet angustia, impletis iniquitatibus eorum, qui ipsum Dominum ad nauseam prouocabant, diuina iustitia nostro ministerio digna vltione percussit, & expulsis hominibus Deum odientibus, & amantibus sese, terram nobis dedit omnium bonorum copijs affluẽtem, frumento, vino, & oleo stabilitam, fructibus opulentam, nemoribus, aquis, & pascuis speciosam, spatiosissimam ad manendum, & cui similem non continet orbis aëre temperatam: sed nec in his desideria nostra subsistunt, nec ab humeris nostris sustinebimus vexillum regale deponi, donec terra ipsa incolatu stabilita nostrorum, partes debeamus inuisere transmarinas, & Deo dante, propositum peregrinationis explere; speramus enim in Domino Iesu, quòd qui cœpit in nobis opus bonum, ad laudem & gloriam nominis sui, inimicorum Crucis depressionem perpetuam, perficiet, confirmabit, solidabitque.

Græcis obiecta scelera.

17 Paternitatem igitur vestram propensius exoramus, & obsecramus in Domino, vt gloriæ huius, atque victoriæ, & spei peroptatæ, cuius ostium magnum nobis apertum est, principes esse velitis, & duces, vestrisque temporibus & operibus ascribatis decus æternum, quod absque vlla vobis dubitatione continget, si Apostolicæ sanctitati deuotos vestri præcipuè incolas occidentis nobiles, & ignobiles cuiuslibet conditionis, aut sexus eisdẽ desiderijs accensos ad veras, immensasque diuitias capescendas temporales pariter, & æternas salutaribus monitis accendatis, proposita venientibus omnibus Apostolica indulgentia, nobis, & Imperio nostro aut temporaliter, aut perpetuò fideliter seruituris. Vniuersis enim Deo dante, sufficimus, quos nobis Christianæ religionis zelus adduxerit, vniuersos volumus simul, & possumus secundùm status suos, varietatemque natalium & augere diuitijs, & honoribus ampliare. Specialiter autem Deo amabiles ecclesiasticos viros cuiuslibet religionis aut ritus solicitudo vestra paterna potenter inducat, vt aduersus populum prædicationibus publicis, & potentibus verbis accendant, & exemplis edoceant, cateruatimque & ipsi venire festinent in locis amœnissimis, & vberrimis non jam in sanguine, sed in multa libertate & pace omniumque bonorum affluentia ecclesiam plantaturi, saluis semper, vt decet, suorum canonica licentia

præ-

*Quæ sequuntur apud Lubecen. & Godefr. nô extât. Inuitat Innocentium Cô. stantinop. accedat. *tunc videritis.

prælatorum.* Ad laudem etiam, & gloriam Redemptoris & sanctitatis vestræ perpetuum decus, vtilitatemque præcipuam generalis Ecclesiæ pertinere credentium nullus ambigeret, si in ciuitate Constantinopolitana veteribus honorata concilijs, vestra paternitas generale concilium conuocaret, beatissimæ personæ vestræ præsentia confirmandum, nouamque Romam veteri couniret sanctionibus sacris, ac perpetuò valituris. Iam enim ad concilium Græciam rebellem vos didicimus inuitasse, quasi qui* nunc videtis tempora præsignando, licet siue pro rebellione Græcorum, siue pro vtilitatibus mundi, & varijs occupationibus interim videamini distulisse.

18 Ecce nunc tempus acceptabile pater sancte, ecce nunc dies salutis. Cogitasse videtur Dominus temporibus vestris cogitationes pacis, qui scabellum pedum vestrorum vestros posuit inimicos; canite quæsumus tuba sacerdotali in Sion, amantissime pater, vocate cœtum, congregate populum, coadunate senes, & sugentes vbera, sanctificate diem acceptabilem Domino, diem stabiliendæ vnitatis, & pacis, & quam ad Dominum custodimus nostræ fortitudini confirmandæ: quantumlibet enim insufficientes simus ex nobis, sperare audemus in Domino, quod gaudium Domini sit fortitudo nostra ad euacuandum scandalum Crucis, & subijciendam in terris omnem aduersariam potestatem erigentem se aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Recordamini pater sancte cathedræ vestræ sessorum, quorum in cælo gaudent animæ, & in terris viuit gloriosa memoria, Ioannis, Agapeti, & Leonis, seu aliorum, qui ex varijs causis Constantinopolitan. leguntur ecclesiam præsentialiter visitasse, sicut in Apostolicis continetur archiuijs, & inuenietis manifestè, si nos, qui asserunt se legisse, non falluot, quod pro causis longè minoribus eorum quilibet aduentarit. Si quid ex ardenti desiderio vltra quàm decet, ingerimus, ex benignitate consueta, reuerende pater, ignoscite, affectumque nostrum, apicemque negotij vlterius & potius quàm verba spectate. illud autem silere nulla ratione debemus, quod reuerendi pontifices, & abbates nostri, & inferioris status venerabilis clerus tam magnificè, ac decenter, tam honestè inter nos se habuit, ac prudenter, & armis Deo potentibus tam constanter, ac triumphaliter dimicauit, vt coronã victoriæ de manu Domini meritò debeant expectare, & eorum in perpetuum esse meruerit in benedictione memoria, & quod eis in vlla gratia desit, Apostolici fauoris, & gratiæ cumulum pro tam benemeritis euidentius reportare. Illustrem virum Henricum Dandalum ducem Venetorum dilectum nobis, ac meritò diligendum cum amicis, ac socijs nostris Venetis, quos fideles ac industrios per cuncta reperimus, paternitati vestræ pro suæ probitatis merito plurimum commendamus.]

19 Hactenus Balduini epistola, quam encyclicam extitisse, ac titulo dumtaxat, paucisque mutatis ad occidentales Christi fideles missam inde patet, quod ab Arnoldo Lubecensi recitatur sub hac inscriptione:a *Balduinus Dei gratia fidelissimus Imperator Constãtinopolitanus a Deo coronatus, Romanus moderator, et semper Augustus, Flandrensis, & Hennegouensis comes, vniuersis Christi fidelibus archiepiscopis, episcopis, & abbatibus, prioribus, præpositis, decanis, ceterisq; ecclesiarũ prælatis ecclesiasticisq; personis, baronibus, militibus Sarziãtis, omniqu. populo Christiano, ad quos præsens pagina peruenerit, in vero salutari gratiã & salutem.* In Godefridi verò annalibus, b vbi pariter eius exemplum inseritur, data legitur ad Adolphum Coloniensem archiepiscopum. Porrò de Constantinopoli a Latinis capta, deque Balduino renunciato Imperatore agũt præter recensitos auctores abbas Stadensis c, Robertus de Monte d, qui his temporibus scripsere

a Arnol. Lubecens. Slau. l.6. c. 20.
b Godef. Monach. an. 1203.
c Abbas Stad. an. 1204.
d Rob. de Mõt. appẽ. ad Sigeb. eod. an.

Matthæus Parisius a huius seculi auctor, Iordanus, alijque. Innocentius verò Romanus Pontifex accepto de Balduini electione lætissimo nuncio, ad Balduinũ insignem amoris notis epistolam exarauit. b

a Matth. Paris. eod. anno.

20 *Literas Imperatoriæ dignitatis, quas nobis per dilectum filium* b *Barrochium fratrem militiæ templi tua deuotio destinauit, paterna benignitate recepimus, earumque tenore plenissimè intellecto, gauisi sumus in Domino, & in potentia virtutis ipsius, quod is, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, magnifica tecum miracula dignatus est operari ad laudem, & gloriam nominis sui, ad honorem & profectum Apostolicæ sedis, & ad vtilitatem & exaltationem populi Christiani, vt de tua taceamus magnificentia, & virtute. Illud autem inter cætera nobis gratum est, & acceptum, & super eo tuam prudentiam commendamus, quod potentiæ tuæ parum, aut nihil, Deo auctori & nobis totum ascribis, vt exaltet humilitas, quem superbia non extollit.* Præterea sese ad seruandam eius amplificandamque dignitatem, omnem operam, solicitudinemque collocaturum pollicetur, ideoque tam clericis, quam laicis crucesignatis in oriente commorantibus præcipere se ait, vt ad Constantinopolitanum tuendum retinendumque Imperium, cuius auxilio faciliùs Terra sancta ex infidelium manibus eripi, atque in libertatem vindicari posset, strenuè contra hostes ei operam nauarent. Postremò vt Græcorum ecclesiam & Constantinopolitanum Imperium, quod Apostolicæ sedis auxilio diuinaque virtute ipsi subegerant, in eiusdem sedis obsequio conseruare studeat hortatur & monet. *Dat. Romæ apud S. Petrum 7. idus nouemb.*

b Lib. 7. ep. 153.

21 Idibus eiusdem mensis ad episcopos, abbates, cæterosq; in crucesignatorum exercitu Constantinopoli agẽtes clericos longiorem epistolã scripsit, c primumq; illis gratulatur, a Græcis ad Latinos traductũ esse Imperium, Deoq; ob felicem illam rerum conuersionem gratias agit, tantiq; gloriam facinoris in eius potentiam vimque immensam transfundit.

c Ibi. l.7. ep.154.

Tempus aduenisse videtur, in quo destructis vitulis aureis. Israël reuertatur ad Iudam, et ad Hierusalem Samaria conuertatur, quatenus atrio quod secundum apocalypsim Ioannis est extra templum, foras eiecto, non iam in Dan, & Bethel, sed in montem Sion ad dominum ascendatur. Nos igitur ei a quo est omne datum optimũ, et omne donum perfectũ, & si non quantas debemus, quantas tamen valemus gratiarum exoluimus actiones, & ei labiorum nostrorum vitulos immolamus, qui temporibus nostris dedit hanc gloriam nomini suo sancto, & glorioso, quod inuocatum est super nos.

22 Tum de Græcorum errore, quo Spiritum sanctum a Filio procedere negabant, pluribus differit atque in eo doctissimè refutando subijcit: *Quoniam inter humanitatis, & deitatis sacramenta discreuit*, populus scilicet Latinus, de quo loquitur, *vt sicut in Deo non distinguit naturam, sed distinguit personas, ita in Christo non distinguat personam, sed distinguat naturas. Græcus ergo licet credat tres in diuinitate personas, & vnam in deitate substantiam, quod tamen Spiritus sanctus procedat a Filio, sicut procedit a Patre, non credit &c.* Et paulo post subdit ad comprobandam illam Spiritus sancti a Patre & Filio velut vnico principio processionem, Filium maiori amore Patrem quàm Spiritum sanctum prosecuturum, iterumque Spiritum sanctum maiori Patrem a quo procederet, quàm Filium a quo non procederet, complexurum, si ille a Patre tantùm, non a Filio etiam procederet, quæ omnia a ratione & scripturarum auctoritate aliena sunt ac discrepantia: *Ideo namque Pater summè diligit Filium, quia quicquid habet Pater, totum contulit Filio; & ideo Filius summè diligit Patrem, quia quicquid habet Filius, totum accepit a Patre; pari ratione Pater & Spiritus sanctus summè se diligunt;*

quia

quia quicquid habet Pater, totum Spiritui sancto dedit, & quicquid Spiritus sanctus habet, a Patre totum accepit. Nisi erga talis habitudo inter Filium, & Spiritum sanctum existeret, profectò non se summè diligerent, et ita Filius magis diligeret Patrem, quàm Spiritum sanctum, & Spiritus sanctus magis diligeret Patrem, quàm Filium, quod est inconueniens, et penitus impossibile. Nam cum ipsi tres sint vnum et idem, in nullo varium, vel diuersum, non est aliquid in vno, quàm in alio diligendum, cum inaequalitatem identitas non admittat. Vt ergo summè se diligant ad inuicem ipsi tres, oportet, vt Spiritus sanctus sicut procedit a Patre, ita procedat a Filio, quatenus sicut Pater a nullo est, & duo alij sunt ab eo, ita Spiritus sanctus sit a duobus alijs, & nullus ab eo, Filius autem ab vno sit, et alius sit ab eo, ac per hoc sit inter omnes relatiua distinctio in personis, sicut est inter omnes substantialis identitas in natura. Postremò hortatur ipsos, vt Christianum exercitum ad pristinum erga Romanam Ecclesiam amorem retinendum, augendumque inflamment, operamque egregiè nauent ad Graecorum Imperium ad sedis Apostolicae obseruantiam adducendum. *Dat. Romae apud S. Petr. id. non.* Postea verò episcopis ijsdem atque abbatibus a praecipit, vt Constantinopoli in ecclesijs a Graecis ita derelictis Apostolicae sedis auctoritate suffulti Latinos clericos instituendos curarent, quo dignum Deo obsequium impenderent, atque Ecclesiastica bona seruarent, in Romanae Ecclesiae obseruantia perstarent, diuina officia ac mysteria peragerent; tum subdit, vt omnibus Ecclesiasticis viris, qui versentur Constantinopoli, coactis, rogatisque sententijs eum sibi praeficiant patriarcham, in quem suffragia concurrerint, a legatis, vel ab ipso Pontifice confirmandum. Quae post haec ad creatum Imperatorem reliquosque Latinos scripserit, iusseritque, sequenti anno afferemus.

a *Ian. l. 7. ep. 164.*

23 Interea silentio praetermittendae non sunt ad Ianuenses datae literae, cum praesertim Balduini magnificentiam obseruantiamque erga Romanam Ecclesiam testentur b. Miserat ille ad Innocentium ingentia munera, tantoque digna Imperatore, qua praeda allecti Ianuenses aliqui, ea summa Imperatoris Pontificisque iniuria innasere. quibus iustè permotus, praedatores anathemate a Ianuen. archiepiscopo percelli iussit, ciuitatē interdicto serijt ac nisi ea ad archiepiscopū afferrētur, grauiora intentauit, tum iustissimas in eos iras Imperatorem conuersurū: *Cum charissimus in Christo filius noster Balduinus Constantinopolit. Imperator illustris per dilectum filium fratrem Barrochium dudum in Lombardia domorum templi magistrum ad exhibendas suae deuotionis primitias quaedam nobis donaria destinaret, videlicet carbunculum vnum emptum, vt asserit, mille marchas argenti, vnum annulum pretiosum, examito quinque, pallium que peroptimum ad altaris ornatum, & per eundem ad opus templi transmitteret duas iconas, vnam habentem tres marchas auri, & aliam decem marchas argenti cum ligno viuifica Crucis, & multis lapidibus pretiosis, duas cruces aureas, & inter topazios, smaragdos, & rubinos pene ducentos vnam crystallinā ampullam, & duos scyphos argenteos, vnam scutellam desuper deauratam, duas capsellas, & vnam ampullam argenteas, & insuper quinquaginta marchas argenti, Belamutus, & VV...... ciues vestri cum septem galeis in portu de Mothone, ei supradicta omnia nequiter abstulerunt, quamuis ex parte nostra, & Imperatoris praedicti fortiter reclamaret, & diligenter exponeret, quantum ciuitas Ianuen. propter hoc posset incurrere detrimentum. qui cum nullo modo proficeret apud illos, tandem eis videntibus vniuersa distinxit, ostendens quae ad domum templi, & quae ad sedem Apostolicam pertinerent. Cùm igitur Apostolicae sedis iniuria, et praedicti Imperatoris offensa, vobis nec ad honorem proficiat, nec ad profectum accedat, deuotionem vestram monemus, et exhortamur attentiùs, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus praenominatos ciues vestros ad restituendum ablata efficaciter compellatis, etc. Dat. Romae apud sanctum Petrum 11. non. nouemb.*

b *Id. ibid. ep. 174.*

Missa ad Pontificē a Balduino munera Ianuenses diripiūt

24 Quod ad res Terrae sanctae pertinet; ipse Pontifex ad Petrum tit. S. Marcelli presbyterum Cardinalem in ijs regionibus Apostolicae sedis legatum scriptis literis gratulatur, abusus, qui in Cypro inoleuerant, deleuisse, bellumque Pelusij Pisanos inter, ac Ianuenses accensum extinxisse. illū porrò superiori anno Acconem versus nauigasse testatur Guntherus, a dum de Martino abbate illuc profecto agit, subditque ipsum funestissima peste liberatum, quae anno superiori ciuitatem, ingentemque peregrinorum multitudinem consumpsit, vnà cum Conrado quodam missum ipsa circumcisionis dominicae die Bysantina littora appulisse, hunc verò minimè acceptum ob nostros in Graecis subijciendis districtos atque occupatos, quam poscebat opem aduersus barbaros consequi non potuisse, atque ita infecta re Acconem redijsse. Haec fusè Guntherus. Caeterum Pontifex legato proponenti, qua ratione cum Venetis anathematis vinculis irretitis se gerere debeat, hortatur, vt si possit, ad flag. tandam absolutionem polliciat, si verò eum ob rerum, temporumque difficultates cum ijs in prophanis communicare necesse fuerit, pro sua sapientia statuat, nec in eo vllius criminis labem susceptūrum: *Tibi breuiter respondemus, vt ducem, & Venetos diligenter moneas, & inducas, quatenus poeniteant de commisso, & secundum formam Ecclesiae absolutionis beneficium consequantur. Quod si forsan in contumacia sua duxerint persistendum, tibi, qui orientalis prouinciae necessitates, circumstantias negotiorum, & personarum qualitates tanquam praesens poteris intueri, melius duximus relinquendum, vt sine labe peccati hoc agas, quod magis noueris expedire, cùm sit etiam cautum in iure, quod si quisquam per terram haereticorum, aut quorumlibet excommunicatorum transierit, communicare in emendis, & recipiendis necessarijs possit eis, & super participatione patrisfamilias excōmunicati familia excusetur, necessitas etiam, maxime cùm insistitur operi necessario, multum, & in multis excusat, &c. Datum Anagniae 10. Kal. febr.*

a *Gunth. apud Canis. antiq. lect. to. 5. pag. 369.*

25 Paucis verò interiectis diebus, nempè 16. kal. martias ad Venetorum ducem scribēs, in benedictionis locum haec verba praefixit: *Spiritum consilij sanioris*, hortatusque est, vt cum suis ad officium rediret, animumque, ac vires in Terrae sanctae subsidium conuerteret. ipsos porrò ab eodem Petro Cardinali absolutionem tandem consecutos testantur Innocentij gesta, quamuis ij in nullo fecissent satis, impertitam tamen ob alios, quos viuere cum ijs coniunctissimè temporum necessitas flagitabat: *Tunc demum dux & Veneti, qui erant in Graecia, miserunt nuncios ad Petrum tituli sancti Marcelli presbyterum Cardinalem Apostolicae sedis legatum, absolutionis beneficium implorantes, qui misit ad illos cum literis suis thesaurarium Nicosiensem de Cypro, & recepto ab eis secundum formam Ecclesiae iuramento fecit illos absolui, quamuis adhuc in nullo satisfecerint de commisso, malens eos habere stantes, quàm mortuos, praesertim ne ipsorum contagium caeteros inquinaret.* Haec ibi, quae hoc ipso anno peracta Innocentij literae sub anni sequentis initium ad eundem ducem, b ac Ferrariensem episcopum missae demonstrant. c At de his modò satis.

Veneti ad coetū fidelium sine satisfactione admissi.

b *Id. ibid. ep. 202.* c *ibid. ep. 206.*

26 Verùm antequam ab oriente reuocetur oratio, adducamus, quae enarrat Matthaeus Parisius d prodigia de oleo ex imagine Virginis, quod in phialam limpidissimum coniectum in carnem concreuit, cultelloque perstrictum guttas sanguineas effudit: *Eodem anno feria tertia ante Paschalem solemnitatem contigit miraculum omni laude dignissimum, de oleo imaginis*

Sacrum oleum ex imagine virginis defluens.

d *Matth. Par. hist. Angl. ann. 1204.*

ginis Matris Dei apud Sardenai (a Damasco is locus sex milliarijs interuallo distat, vt paulo post idem auctor affirmat) *in hunc modum: Accidit in carcere militum Christianorum in castro Damsceno, quod miles quidem extraheret de armario suo phialam vnam, in qua posuerat de oleo illo, quod de icone Dei Genetricis apud Sardenas distillat, sed cum diligenter phialam illam inspexit, in qua oleum reposuerat lucidissimum, & velut aqua fontis perspicuum, apparuit in ea oleum incarnatum, sed in duas partes diuisum barebat, namque vna pars olei in inferiori parte phiala, & altera in superiori, miles autem accipiens cultellum suum, voluit coniungere partem superiorem cum inferiori: sed continuò vt acies cultelli oleum illud incarnatum tetigit, videntibus capellanis, militibusque captiuis, & cateris vniuersis, gutta sanguinis inde cunctis admirantibus effluxerunt.* Pluribus enarrare pergit, quanam ratione Deiparæ imago a quodam monacho multis eius beneficio patratis miraculis ad pientissimam sanctimonialem Constantinopolim delata fuerit, subditque imagine incredibili atque admirando modo carne indutam, è qua liquor sacer continuò emanaret: *Procedente denique tempore res dictu mirabilis contigit, & hactenus inaudita: nam imago præfata admirantibus cunctis, cœpit paulatim mammillas carnis emittere, & mirabiliter carne vestiri: vnde hus vsque a mammillis deorsum carne videretur induta, a qua liquor ille incessanter distillat, quem liquorem fratres templi ad domos suas deferunt, cum inducias habent a paganis, vt peregrinis orationis gratia aduenientibus inde distribuant, qui honorem Dei Genitricis in diuersis mundi partibus reuerenter attollant.*

Admirabile oleum in carnē concrescens.

Imago carne induta.

27 Admiranda etiam de sacris imaginibus memoriæ tradit Cæsarius, a quæ circa hæc tempora contigisse testatur, quamuis certum annum non prodat: nimirùm dum Philippo atque Othone certantibus sancti Goari ecclesia a Vernero obsidione cingeretur, crucifixi imaginem è fenestra appensam esse, vt illi loco parceretur, quo facto indignabundum militē sagittam in collocantem iacta, transfixisse imaginem, atque ex ea cruorem effluxisse: *Tempore discordia inter Othonem & Philippum in oratorium sancti Goari confessoris, quod situm est in territorio Treuirensi, & est firmissimum tum propter situ loci, tum propter structuram, prouinciales se, suaq; transtulerūt. Quo cognito Vernerus de Boulant vir potens & diues, cùm ad expugnandū illud arietes, machinasque applicuisset, nec tamen profecisset, imaginem Crucifixi ligneam hi qui deintus erant, contra hostes in quadam fenestra posuerant, sperantes, quod ob illius venerationem loco parcerent. Quidam verò ex balistarijs de Cruce non curans, immo locans illam indignans, telum misit, & sacram iconem in brachio profundè satis vulnerauit; mox mirum in modum antiqua renouantur miracula. & ad instar vena humana sanguis de loco vulneris cœpit stillare: timore tanti miraculi postea prædictus Vernerus crucesignatus est. Audiens tāta mirabilia dominus Philippus abbas Otterburgensis locum adijt, de rei veritate inquisiuit, cui cùm ab omnibus hoc quod prædictum est, diceretur, Iudeus, qui tunc casu aderat, abbatem in partem traxit, dicens: Verè Domine verissimum est, quod audistis, & sicut ipse mihi retulit, multo amplius delectabatur in testimonio inimici. Adhuc telum ibi reseruatur, adhuc vulnus & sanguinis stigmata illic ostenduntur, vtraque abbas noster se vidisse testatur.* Hæc ille, ac simile miraculum subijcit b: militem nimirùm dum ecclesia diriperetur conspecta Christi è Cruce pendentis solida imagine linea tunica induta, eius detrahendæ cupidum hasta diuersis ictibus ad eam auellendam, imaginem pupugisse, ac mox ex ijs cruorem ingenti horrore perculsis sacrilegis stillasse: *Circa idem tempus Otho contra Philippum ascendens, cum exercitu vsque ad Virzimburch peruenit, vbi satellitibus eius ecclesiam quandam intrantibus, vnus ex illis crucifixum in eminenti loco positum tunica linea, & cum multo studio consuta tectum vidit, & concupiuit, quam cum manu non potuisset attingere, lancea nisus est extrahere, & quia firmiter imagini connexa fuit, in diuersis locis illam pupugit. Dominus verò, vt sibi factum ostenderet, quicquid eius imagini iniuria, vel contemptus irrogatur, egit sua potentia, vt de singulis punctionibus sanguis vbertim emanaret.*

a Cæsar. l. 10. c. 19.

Sanguis e percussa Crucifixi imagine emanat.

b Idibid. c. 20. Simile in alia effigie miraculum.

28 Iam ad alia stylum conuertamus. Occurrunt Bulgaricæ res, de quibus plura in Innocentij gestis, literisque. meminerit lector Innocētium duobus abhinc annis Ioannem capellanum suum in Bulgariam legatum misisse, qui imposito sibi munere pro dignitate persunctus, nō modò archiepiscopo illius regionis mitram & pallium detulit, verùm permittente Rege duos metropolitas creauit: quin etiam idem Bulgarorum & Blachorum princeps edictum edidit, quo omnes Imperij sui terras Romanæ Ecclesiæ in sacris obnoxias esse sanxit, cùm ad id etiam ea ratione permotus esset, quod Bulgarorum Imperatores coronam, benedictionemque a Romana sede suscepisse historiarum monumentis commendatum repetisset, quæ Innocentij gestorum auctor ita prodidit: *Ille verò profectus pallium, mitram, & annulum præfato archiepiscopo assignauit, recepto ab eo iuramento fidelitatis, & obedientia summo Pontifici & Ecclesia Romana in perpetuum exhibenda, cùmque a præfato Ioannicio, siue Caloioanne domino Bulgarorum, & Blachorum fuisset honorificè ac deuotè susceptus, de ipsius consilio, & assensu duos alios metropolitanos in illo regno constituit, videlicet Belebulnensem, & post Glauensem, quos præfato Zagozanensi tanquam primati subiecit, & apud Trinouum nobiliorem ipsius prouinciæ ciuitatem constituit primatiam. His igitur bene gestis Ioannicius se ac regnum suum & Imperium Ecclesia Romana subiecit per priuilegij paginam aurea bulla signatam, cuius tenor talis est.*

Blachorū Rex subditos Pontifici parere imperat.

29 *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti amen. Cùm placuit Domino nostro Iesu Christo, me dominum, & Imperatorem totius Bulgaria, & Blachia facere, inquisiui antiquorum nostrorum scripturas, & libros. & bona memoriæ Imperatorum nostrorum prædecessorum leges, vnde ipsi sumpserunt regnum Bulgarorum, & firmamentum Imperiale, coronam super caput eorum, & patriarchalem benedictionem, & diligenter perscrutantes in eorum inuenimus scripturis, quod bona memoria illi Imperatores Bulgarorum, & Blachorum Simeon, Petrus, & Samuel nostri prædecessores coronam Imperij eorum, & patriarchalem benedictionem acceperint a summa Dei Romana Ecclesia, & ab Apostolica sede, principe Apostolorum Petro, sed Imperium nostrum voluit benedictionem, & Imperiale firmamentum corona capitis Imperij sui suscipere, & patriarchalem benedictionem ab Ecclesia Romana, & ab Apostolica sede, principe Apostolorum Petro, & a sanctissimo patre nostro, & vniuersali Papa tertio Innocentio, & a quocunque patriarchalis benedictio, & mandatum in ciuitate Imperij mei Trinoui data & concessa fuerit a domino Papa faciendi, & consecrandi archiepiscopos, metropolitas, & episcopos, & reliquas ecclesiasticas, obseruationes sacramentales concedit Imperiū nostrum, vt plenissimam in omni tenimento, & Imperij mei pertinentijs ipsi habeant potestatem. Ecce etenim omnes totius Imperij mei tenimenti, & patriarcha meus metropolitanus archiepiscopi, episcopi, & cuncti sacerdotes Romana subsint Ecclesia, & teneant legem, consuetudinem, & obseruationem, quas tenuerunt beata memoria Imperatores totius Bulgaria, & Blachia primi illi nostri prædecessores, & nos eodem modo vestigia eorum imitantes. Subsignat autem Imperium meum ad securitatem chrysobolum suum, quod nunquam ab Ecclesia Romana, & Apostolica sede principe*

Edictum Ioannitij Bulgari.

Apo-

Apostolorum Petro ipsum videlicet Imperium discedet, neque alij mei Imperij principes disgregabuntur, sed vt vocatus dilectus filius sacrosanctæ, & Apostolicæ Romanæ sedis principis Apostolorum Petri ero, & deinceps quascunque terras Christianorum, seu paganorum meum acquisiuerit Imperium, sub potestate, & mandato eiusdem sacrosanctæ & Apostolicæ sedis Romanæ erunt, & vt præsens chrysobolum Imperij mei ratum, & firmum habeatur, dedi Imperium meum in manibus venerendissimi viri Ioannis sacrosanctæ Romanæ sedis legati, & domini Papæ capellani, in quo & nostrum pium, & a Deo promotum subiugauit Imperium anno sexmillesimo septingentesimo duodecimo, indictione septima, nimirùm ab orbe condito, inciditque in annum in quem hæc coniecimus. extat idem fidei sacramentum inter Innocentij epistolas a eodem anno datas.

a Inn. l. 7. ep. 4.

30 *Misit præterea Blasium Brandizuberen. episcopum cum præfato Ioanne capellano, per quem & quædam donaria in signum deuotionis domino Papæ trãsmisit, literasque hunc tenorem habentes.*

Sanctissimo dominatori & vniuersali Papæ sedenti in sede beati Petri, & domino patri regni mei, tertio Innocentio Papæ sedis Apostolicæ Ecclesiæ Romanæ, & magistro totius mundi.

Spero b in Deum Saluatorem hominum, quòd bene, & multùm bene valeat sanctitas tua cum omnibus sedentibus circa thronum sanctitatis tuæ Cardinalibus sanctæ Ecclesiæ Romanæ. Nouerit magna sanctitas tua, quod filius tuus, & Romanæ Ecclesiæ Imperator omnium Bulgarorum, & Blachorum cum omnibus principibus Imperij mei multùm bene sumus per Deum, & sanctam orationem tuam. Multoties misit Imperium meum nuncios suos ad sanctitatem tuam, sed non inuenerunt opportunitatem transeundi ad sanctitatem tuam. *Et infra*: Verùm Deo adiuuante, & interuenientibus orationibus sanctitatis tuæ, venit ad me præsens nuncius Apostolicæ cathedræ, & primæ sedis principis Apostolorum, & sanctæ, & vniuersalis Ecclesiæ Romanæ Ioannes capellanus, & detulit mihi pallium ex præcepto sanctitatis tuæ, & Apostolicæ sedis, & palliauit dictum archiepiscopum, & fecit eum primatem, & archiepiscopum totius Bulgariæ, & Blachiæ, & portauit Imperio meo literas sanctitatis tuę, & exposuit quicquid ei sanctitas vestra mandauit, & repletum est cor meum gaudio magno, quoniam secundùm voluntatem Imperij mei donauit mihi Deus, & sanctitas tua: & rogo, & deprecor magnam sanctitatem tuam, vt compleat desiderium Imperij mei, & mittat virgam pastoralem ad congregandas oues, & cætera, quæ patriarcha consueuit habere, & faciat præsentem primatem patriarcham in sancta, & magna ecclesia Trinouæ primæ ciuitatis totius Bulgariæ, & habeat ecclesia ipsa post mortem istius patriarchæ, patriarcham in perpetuum ex præcepto sanctitatis tuæ. Et quoniam graue esset propter longitudinem viæ, & guerram hominum in obitu cuiuslibet patriarchæ recurrere ad Ecclesiam Romanam, concedatur ecclesiæ Trinouæ, vt sibi possit eligere, & consecrare patriarcham, ne ex eius absentia terra illa sine benedictione remaneat, & tua consecratio imperfecta, & redundet peccatum in sanctitatem tuam.

b Ibid. ep. 6.

31 Nunc autẽ petimus, vt fiat chrisma ex præcepto sãctitatis tuæ in sãcta & magna ecclesia ciuitatis Trinouę pro baptismate Christianorũ. Sciat sanctitas tua, quod cùm scierint Romæi, quòd recepimus consecrationẽ Apostolicæ sedis, a sanctitate tua non dabunt mihi chrisma. Et aliud peto a sanctitate tua, vt mittas Cardinalem ad Imperium meum, seu istum, qui venit ad me, siue alium a sede Apostolica, & des ei diadema, & sceptrum secundùm Apostolicæ sedis, & Apostolorum principis benedictionem, & mittas priuilegium bullatum auro ad exemplar ipsius seruãdum perpetuò in ecclesia Trinouæ, & hæc omnia dent Imperio meo, & consecrent, & coronent Imperium meum. Omnia autem prædicta quæ mitti debent ad Imperium meum a sanctitate tua, videat præsens nuncius episcopus Brandizuberen. Blasius, vt possit referre, quòd tu scripseris manu propria, & si hæc omnia compleuerit sanctitas tua, ita reputabo cum prosapia Imperij mei, & omnium Bulgarorum, & Blachorũ, quòd sumus dilecti filij orthodoxæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ. & de confinio Vngariæ, Bulgariæ, & Blachiæ relinquo iudicio sanctitatis tuæ, vt dirigas negotium istud rectè & iustè, vt non habeat peccatum anima sanctitatis tuæ, & ita habeat Imperium meum iustitias Bulgariæ, & Blachiæ, quòd Rex Vngarorum habeat iustitias Vngariæ, & cessent occisiones Christianorum in me, & ipsum. Sciat autem sanctitas tua, quoniam quinque episcopatus Bulgarię pertinent ad Imperium meum, quos inuasit & detinet Rex Vngariæ cum iustitijs ecclesiarum, & episcopatus ipsi sunt annihilati, & si iustum est, hoc fiat. Quicquid dicturus est præsens nuncius Imperij mei episcopus Brandizuberen. Blasius sanctitati tuæ, habeas vera, quoniam ex parte mea dicet. Misi sanctitati tuæ examita dupla tria, & cuppam auream, & yperperorum libras quatuor, & scutellas argenteas tres, & gradale argenteum. Imperator Bulgariæ Caloioannes.]

32 Peruenerat archiepiscopus ille Dyrrachium, vt ante vidimus, ac Græci maleuolentia suffusi tum in Bulgaros, tum in Romanam Ecclesiam, ne in Italiam traijceret prohibuere, ac ni diuina illum prouidentia e crudelibus eorum manibus eripuisset, mari submersissent. Dum ille itaque tantis difficultatibus esset irretitus, ab Imperatore Bulgarorum reuocatus, quod iam pontificius legatus eò accessisset, redijt in Bulgariam, receptoque pallio sedi Apostolicæ sacramento obsequentem se futurum spopondit, Innocentiumque delati demisse obsequij certiorem fecit, a vtque ipsum ad Bulgaros ritè baptismo abluendos, ac religione informandos erudiret, enixè contendit: *Multas inclinationes, & magnas preces domino, & gloriosissimo, & cathedrali Apostolicæ sedis, patri totius Christianitatis, & domino meo Innocentio tertio Papæ archiepiscopus Basilius de minoribus, & humillimis totius Bulgariæ, & Blachiæ vestram perfectam benedictionem. Adoro clementissimum Deum, & beatissimam Dei genitricem, vt sanam, & gaudentem vestram sanctitatem meum inueniat scriptũ, & quod mea anima desiderauit per octauum decimum annum, ecce hodie dedit nobis Deus, & sancta tua oratio benedictionem sedis beati Apostoli Petri, & tua sanctitatis. Noscat sanctitas tua, qualiter ego conuersatus sum, tuam quærens benedictionem. Mota est per mensem Iuly quarta die sexmillesimo septingentesimo vndecimo, indictione sexta, mea humilitas ad sanctissimum & gloriosissimum patrem nostrum Innocentium Papam Romanũ, et feci dies triginta in * Durachio iuxta mare, & cum vellem introire nauim gratia transfretãdi, tunc retinuerunt me Græci, & nõ dimiserunt transire.* Et infra: *Literæ mihi ex parte domini Imp. venerũt dicentes: Reuertere cito, quia huc peruenit Cardinalis a domino Papa. Legens ergo literas Imperatoris, & videns quoniã me vocabat, reuersus sum, & perueni Drinaum per mensem septembris, & inueni virum sanctum, iustum, & rectum a tua sanctitate directum, nomen eius Ioannes capellanus, & dedit mihi omnes literas ex parte vestræ sanctitatis, & perlecta mihi fuerunt.*

a Apud Inn. ep. 5.

* Dyrrachio

33 *Vnde valde anima mea est lætata, & manus meas ad cælum extendens, gratias Deo egi, quia visitauit Dominus plebem suam, & pater noster beatus Papa quærens ouem, quæ perierat, vt & eam reducat in sanctũ ouile; & sicut continebatur in literis vestræ sancti-*

tatis, sic dominus Ioannes capellanus fecit secundum edictum magna vestra sanctitatis, vestram mihi dedit benedictionem, & largiens pallium ad plenitudinem pontificialis officij mense septembris octauo die in festo natiuitatis sanctissima nostra Dei genitricis. Et ego cum multa deuotionis humilitate recepto pallio, exhibui fidelitatis obedientiam præsentibus episcopis, qui scribunt sanctitati vestra, & principe nostro, & multis alijs in ecclesia assistentibus. Et iterum pater sancte vestram rogo sanctitatem, vt dispenses, & adimpleas ordinem ecclesiasticum, & qualiter debeam regere ouile, quod mihi est commissum a Deo, & sanctitate tua. Sanctum chrisma non habemus, imò a Græcis receperamus, sed de cætero nos tanquam & vos Græci exosos habent. Et sciatis domine mi, quoniam hæc omnia in sanctitate tua remanserunt, quæ debeat in omnibus dispensare, & de sancto chrismate nos doceas, qualiter gentem baptizare debeamus, & ne remaneat gens absque chrismate sancto, & erit peccatum. Sed in omnibus nos filios tuos perditos, & pereuntes moneas, & mittas mihi pater bone pallia ad opus duorum metropolitanorum Pristhlaue, & Belebusdy, & quicquid aliud nouerit vestra sanctitas, quod sit ad opus mei pontificialis officij plenitudinem, mihi illud vestra dirigat sanctitas. Colla eorum sui dominij brachio supponentes, vt sanctissimo patri, & domino Papa prona ceruice, flexisque poplitibus inclinationem. Hactenus Basilij archiepiscopi ad Innocentium epistola, quæ regesto etiam inserta [a] cum alijs pariter, quas, ne eadem sæpius repetendo lectorem tædio afficiamus, in margine adnotabimus.

Bulgarorū Patriarcha receptio a Pōtifice pallio obediētiam pollicetur.

a Id. ibid. ep. 5.

34 Prosequuntur gesta Innocentium, vt pijs Bulgarorum principis votis morem gereret, Leonem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem misisse, qui ipsum Romani Pontificis nomine regio diademate insigniret: Cùm autem episcopus, & capellanus prædicti ad sedem Apostolicam peruenissent, dominus Papa eos benigne suscepit, & super petitionibus sæpedicti Ioānnis per eundem episcopum præsentatis, habito diligenti tractatu, constituit eum Regem Blachorum, & Bulgarorum, mittens ad eum Leonem tituli sancta crucis presbyterum Cardinalem Apostolica sedis legatum, & per ipsum sceptrum regni, & regium diadema, vt eundem vice summi Pontificis vngeret, & coronaret in Regem, transmisso Apostolico priuilegio, cuius tenor talis est: [b] Caloioanni illustri Bulgarorum, & Blachorum Regi, eiusque posteris ei tam in regno, quàm in deuotione sedis Apostolica successuris in perpetuum, &c. Post confirmatam pluribus fortissimis argumentis sedis Apostolicæ dignitatem, cui supremam Deus in humana quæque auctoritatem attribuit, atque Ecclesiæ vnitatem, a qua qui diuulsus fuerit, pereat, æternisque incendijs addicatur, subdit: Cùm licet immeriti eius vices geramus in terris, qui dominatur in regno hominum, & cui voluerit, dabit illud, vtpote per quem Reges regnant, & principes dominantur cum Petro, & successoribus eius, & nobis in eo nouerimus esse dictum: Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos; cùm ex præcepto Domini oues eius pascere teneamur populis Bulgarorum, & Blachorum, qui multo iam tempore ab vberibus matris sua alienati fuerunt, in spiritualibus & temporalibus paterna sollicitudine prouidere volentes, eius auctoritate confisi, per quem Samuel Dauid in Regem inunxit, Regem te statuimus super eos, & per dilectum filium Leonem tituli sancta crucis presbyterum Cardinalem Apostolica sedis legatum virū prouidum, & honestum nobis inter cæteros fratres nostros acceptū, sceptrum regni, ac regiū tibi mittimus diadema, eius quasi nostris tibi manibus imponendum, recipiendo a te iuratoriam cautionem, quod nobis, & successoribus nostris, & Ecclesia Romana deuotus, & obediens permanebis, & cunctas terras, et gentes tuo subiectas Imperio in obedientia, et deuotione sedis Apostolica conseruabis.

Pontifex ad Bulgarum ornamenta regia mittit.

b Extat etiam in regest. Innoc. lib 7. ep. 1.

35 Ad petitionem insuper venerabilis fratris nostri Blasij Brandizsberen. episcopi, quem ad sedem Apostolicam destinasti, publicam in regno tuo cudendi monetam tuo charactere insignitam liberam tibi concedimus facultatem. Venerabili etiam fratri nostro . . . archiepiscopo Trinouitan. in terris, quibus imperas vniuersis priuilegium concedimus primatia, cuius successores tuos in posterum successores simili ab eis iuramento recepto Apostolica sedis auctoritate coronent, et in terra tua primatus obtineant dignitatem, eique metropolitani tam in Bulgaria, quam Blachia prouincijs constituti subiaceant, et iuxta formam canonicam reuerentiam primati debitam exhibeant et honorem. Sic ergo fili charissime gratiam, quam Apostolica sedes mater tua tibi facit, agnoscas, sic retribuas nobis pro omnibus, quæ tribuimus ipsi tibi, sic regnum tuum in Apostolica sedis subiectione, ac deuotione confirmes, vt cum sub Petro in illius petra fuerit firmitate fundatum, de qua inquit Apostolus: Petra autem erat Christus; nec pluuiarum imbres, nec impulsus ventorum, nec fluminum formidet incursus. Tu quoque præter auxilium Apostolica sedis, quod iuxta deuotionem tuam senties in præsenti, de temporali regno ad regnum peruenias sempiternum. Decernimus ergo, vt nulli omnino, etc. Hoc priuilegium nostra constitutionis, et concessionis infringere, vel ei, etc. Si quis autem, etc. Datum Anagnia per manus Ioannis sancta Romana Ecclesia subdiaconi, et notarij sexto Kalendas martij, indictione septima incarnationis Dominica millesimo ducentesimo tertio, Pontificatus verò domini Innocentij Papa tertij anno septimo. Hic scilicet Christi annos computando ab incarnationis die 8. kal. martias ducentesimus tertius supra millesimum esse comperitur. In eandem sententiam alia rursus ad ipsum data epistola [a] Leonem Cardinalem legatum plurimum ipsi, tum vniuersis [b] Bulgariæ ac Blachiæ archiepiscopis, episcopis, clero, & populo commendat.

a Ib. ep. 8.

b Ep. 9.

36 Ferunt etiam acta eius, legati opera Regi vexillum, in quo signum crucis, & claues geminæ præferebantur, misisse, quorum insignium abdita mysteria in datis hisce literis illustrauit: [c] Tua serenitati dirigimus per eundem vexillum, quo contra illos vtaris, qui honorant labijs crucifixum, cor autem eorum est longinquum ab ipso, ad petitionem venerabilis fratris nostri B. Brandizuberen. episcopi tibi duximus destinandum. prætendit autem non sine mysterio crucem, et claues, quia beatus Petrus Apostolus, & crucem pro Christo sustinuit, & claues a Christo suscepit. Repræsentat itaque signum crucis, vtpote in quo Christus, qui vincit, regnat, et imperat, debellauit aereas potestates, & in quo capiens prædam prædonem absorbuit moriens vita mortem, & Behemot cepit in suis oculis quasi hamo. Clauem autem geminam repræsentat, discretionis alteram, reliquam potestatis, vt cum discreueris inter bonum, & malum, lucem, & tenebras, sanctum, & prophanum, commissum tibi materialem gladium ad vindictam malefactorum, & laudem bonorum exerceas, & arma contra illos apprehendas, & scutum, qui non posuerunt Deum adiutorem sibi. Huc vsque literæ.

c Lib. 7. ep. 1.

37 Constituit etiam, inquit Innocentij gestorum scriptor: Trinouianum archiepiscopum primatem totius Bulgaria & Blachia, misitque illi priuilegium huiusmodi per præfatū legatum: Archiepiscopo Trinouiano Bulgarorum & Blachorum primati, illiusque successoribus canonicè substituendis, in deuotione sedis Apostolica successuris in perpetuum Rex Regum, [d] &c. Eadem quæ in missis ad Regem literis præfatur: Te quoque in regno Bulgarorum, & Blachorum primatem statuimus, & ecclesia Trinouitan. præsenti priuilegio auctoritate concedimus primatia, statuentes, vt tu & successores tui, qui tibi in Apostolica sedis deuotione successerint

Archiepiscopus Trinouian. Primas Bulgariæ creatus a Pontifice.

d Ibid. ep. 2. bullar. to. 1. pag. 37

cate-

cæterorũ metropolitan. Bulgariæ, & Blachiæ praecellatis ratione primatus, & ipsi tibi & eis iuxta formam canonicam reuerentiam primati debitam exhibeant, & honorem, fraternitatem tuam scire volentes, quod apud nos hæc duo nomina, primas, & patriarcha penè penitus idem sonant, cùm primates, & patriarcha teneant vnam formam, licet eorum nomina sint diuersa. Præsenti quoque priuilegio tibi, & per te tuis successoribus inungendi, benedicendi, & coronandi Reges Bulgarorum, & Blachorum in posterum liberam concedimus facultatem: obeunte verò te nunc ecclesiæ memoratæ primate, nullus tuis qualibet subreptionis astutia præponatur, nisi qui canonicè fuerit electus ad eam secundùm consuetudinem approbatam. Electus autem per metropolitanum, & alios suffraganeos eiusdem ecclesiæ, qui poterunt interesse, in episcopum solemniter consecretur. Consecratus verò ad sedem Apostolicam nuncios suos mittat, pallium de corpore beati Petri sumptum, insigne videlicet plenitudinis pontificialis officij, petentes, in cuius susceptione iuramentũ illud nobis, & successoribus nostris, et Ecclesiæ Romanæ præstabit, quod alij primates, et metropolitani secundum generalem consuetudinem nobis præstant, et tu ipse in susceptione pallij præstitisti, cuius formam bulla nostra signatam ad perpetuam memoriam destinamus, exprimentes in ea, vt cùm in Regem quemlibet ex prædicti Regis successoribus coronarit, præscriptum ab eo recipiat iuramentum.

38 *Cùm autem aliquis metropolitanorum, qui tibi iure subiacent primatiæ, viam fuerit vniuersæ carnis ingressus, confirmabis electionem canonicam de persona idonea celebratam, et personam electam in episcopum consecrabis; pro pallio verò nuncios tuos cum nuncijs ecclesiæ, cui præest, ad Apostolicam sedem mittes, nosque illud tibi per eos libenter, et hilariter transmittemus, per te metropolitano episcopo iuxta formam, quam sub bulla nostra recipies, solemniter conferendum, ita tamen, quod si legatum, vel nuncium nostrum contigerit interesse, id cum eo pariter exequaris. Chrisma verò, et oleum catechumenorum, et infirmorum singulis annis in cœna Domini tam in ecclesia tua, quam in qualibet cathedrali ecclesia Bulgariæ et Blachiæ fieri secundum consuetudinem Ecclesiæ Romanæ concedimus, vt quoties necesse fuerit, qui baptizandi fuerint baptizentur, et confirmentur per diœcesanos episcopos qui fuerint confirmandi, nec episcoporum consecratio, nec ordinatio sacerdotum propter defectum huiusmodi vel impediatur penitùs, vel diutiùs differatur, quia licet hactenus apud vos nec in sua ordinatione presbyteri, nec in consecratione sua episcopi consueuerint sacram recipere vnctionem, volumus tamen, vt deinceps non tam ritum nostrum, quàm mandatum diuinum sequentes, per quod in lege præcipitur, vt Pontifices et sacerdotes vngantur, manus eorum, qui ordinandi sunt in presbyteros, et tam manus, quam caput eorum, qui consecrandi sunt in episcopos, solemniter inungantur. Præterea crucem, vexillum videlicet dominicæ passionis ante te per totam Bulgariam, et Blachiam deferendi fraternitati tuæ licentiam impertimur. Decreuimus ergo, etc. Datum vt supra.*

39 Subijciunt acta: *Quia verò secundùm consuetudinem Bulgarorum et Blachorum nec in ordinatione presbyteri, nec in consecratione Pontifices fuerunt inuncti, fecit quod tam præfatus Brandizuberensis episcopus, per Ioannem episcopum Albanensem assistentibus ei duabus episcopis, quam metropolitani, et vniuersi episcopi, ac presbyteri sacram reciperent vnctionem, ac deinde nulli sine vnctione ordinarentur presbyteri, aut consecrarentur episcopi, assignans super ijs rationes in literis memorato primati directis, cui etiam insignia vniuersa per prædictum legatum liberaliter destinauit, taliter ei scribens.*

Episcopi ac presbyteri Bulgari inungi iussi.

Innocentius, etc.

Cùm venisset ad Apostolicam sedem venerabilis [a] frater noster . . . episcopus Brandizuberen. clara nobis insinuatione monstrauit, quod in consecratione sua sacram non acceperat vnctionem, quoniam apud vos non consueuere pontifices, cùm consecrantur, inungi. Nos ergo quod illi defuerat, mandauimus in ipso suppleri, facientes caput eius, & manus per venerabilem fratrem nostrum Ioannem episcopum Albanen. assistentibus ei duobus episcopis secundùm morem ecclesiasticum sacro chrismate deliniri. Hoc enim catholica tenet Ecclesia non solùm ex præcepto diuino, verùm etiam Apostolorum exemplo. In Exodo quippe legitur præcepisse Dominus Moysi, vt Aaron, & filios eius vngeret, quatenus ei sacerdotio fungerentur; & Anacletus origine Græcus, qui a beato Petro fuit in presbyterum ordinatus, & postea in apostolatus officio Clementi successit, tradit in ordinatione sua vngendos episcopos more Apostolorum, & Moysi, quia omnis sanctificatio in Spiritu sancto consistit, cuius inuisibilis virtus sancto chrismati est permixta. Vnde scire te volumus duas esse species vnctionis, exteriorem; quæ materialis est & visibilis, & interiorem, quæ est spiritualis & inuisibilis. Exteriore visibiliter vngitur corpus, interiore inuisibiliter vngitur cor. De prima Iacobus Apostolus ait: Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eũ, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum. De secunda Ioannes Apostolus inquit: Vos vnctionẽ quam accepistis ab eo, maneat in vobis, & non necesse habetis, vt aliquis doceat vos: sed sicut vnctio eius vos docet de omnibus: Vnctio visibilis & exterior signum est interioris & inuisibilis vnctionis, nec solummodo signum, sed etiam sacramentum, quia si dignè sumatur, vel agit, vel auget absque dubio, quod designat.

[a] Extat etiam in reg. lib. 7. ep. 3.

40 Ad exhibendam igitur exteriorem & visibilem vnctionem benedicitur oleum, quod dicitur catechumenorum, vel infirmorum, & conficitur chrisma, quod ex oleo fit, & balsamo mystica ratione; per oleum enim nitor conscientiæ designatur, iuxta quòd legitur: Prudentes virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Per balsamum autem exprimitur odor famæ, propter quod dicitur: Sicut balsamum aromatizans odorẽ dedi. Hoc igitur chrismate vngi debet episcopus non tã in corpore, quàm in corde, vt & interius habeat nitorem conscientiæ quoad Deum, & exterius habeat odorem famæ quãtum ad proximũ. De nitore conscientiæ dicit Apostolus: Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ. nam omnis gloria filiæ Regis ab intus. De odore famæ idem Apostolus ait: Christi bonus odor sumus in omni loco, & alijs sumus odor vitæ in vitam; alijs odor mortis in mortem. Debet enim episcopus bonum habere testimonium, & ab his, qui sunt intus, & ab his qui sunt foris, vt cortina cortinam trahat, & qui audit dicat: Veni. Hoc vnguento caput & manus episcopi consecrantur; per caput enim mens intelligitur iuxta illud: Vnge caput tuum, & faciem tuam laua; per manus opera designantur secundùm illud: Manus meæ distillauerunt myrrham. Manus igitur vnguntur oleo pietatis, vt episcopus operetur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei. Caput autem inungitur balsamo charitatis, vt episcopus diligat Deum ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, & proximum suum, sicut seipsum. Caput inungitur propter auctoritatem, & dignitatem, manus propter ministerium, & officium. Caput inungitur, vt ostendatur illius repræsentare personam, de quo dicit propheta: Sicut vnguentum in capite eius, quod descendit in barbam, barbam Aaron. Caput enim viri Christus, caput Christi Deus, qui de se dicit: Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperi-

Sacræ vnctionis mysterium.

bus misit me. Manus vnguntur episcopo, vt ostendatur accipere potestatem benedicendi, & consecrandi, vnde cùm eas consecrator inungit: Consecrare, inquit, & sanctificare digneris Domine manus istas per istam vnctionem, & nostram benedictionem, vt quæcunque consecrauerint, consecrentur, & quæcunque benedixerint, benedicantur in nomine Domini. Verùm in veteri testamento non solùm vngebatur sacerdos, sed & Rex, & propheta, sicut in libro Regum Dominus præcepit Eliæ: Vade, & reuertere in viam tuam per desertum in Damascum, cumque perueneris illuc, vnges Azael Regem super Syriam, & Iehu filium Namsi vnges Regem super Israël, Elisæum autem filium Saphat, qui est de Abelmeula vnges prophetam pro te. Sed vbi Iesus Nazarenus, quem vnxit Deus Spiritu sancto, sicut in actibus Apostolorum habetur, vnctus est oleo præ consortibus suis, qui secundùm Apostolum est caput Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius. Principis vnctio a capite ad brachium est translata, vt princeps ex tunc non vngatur in capite, sed in brachio, vel in humero siue armo, in quibus principatus congruè designatur, iuxta quod legitur: Factus est principatus super humerum eius. Ad quod etiam designandum Samuel fecit poni armum ante Saul, cui dederat locum in capite ante eos, qui fuerant inuitati. In capite verò Pontificis sacramentalis est delibutio conseruata, quia personam capitis in pontificali officio repræsentat.

Vnctionis Pontificū & principū discrimen.

41 Differt autem inter Pontificis, & principis vnctionem, quia caput Pontificis chrismate consecratur, brachium verò principis oleo delinitur, vt ostendatur quanta sit differentia inter auctoritatem Pontificis, & principis potestatem. Quia verò Christus in sanguine suo fecit nos Deo nostro regnum, & sacerdotes, propter quod Petrus Apostolus ait: Vos estis genus electum regale sacerdotium, idcirco in nouo testamento non solùm sacerdotes, & Reges vnguntur, sed omnes etiam Christiani bis ante baptismum, sed oleo benedicto primum in pectore, deinde inter scapulas, & bis post baptismum, sed chrismate sacro, primum in vertice, demum in fronte. In pectore namque vngitur baptizandus, vt per Spiritus sancti donum abijciat errorem, & ignorantiam, & suscipiat fidem rectam, quia iustus ex fide viuit. Inter scapulas autem baptizandus inungitur, vt per Spiritus sancti gratiam excutiat negligentiam, & torporem, & bonam operationem exerceat, quia fides sine operibus mortua est, vt per fidei sacramentum sit munditia cogitationum in pectore. Per operis exercitium sit fortitudo laborum in scapulis, quatenus fides per dilectionem secundùm Apostolum operetur. In vertice verò baptizatus inungitur vt sit paratus omni poscenti de fide reddere rationem, quia per caput intelligitur mens iuxta quod legitur: Oculi sapientis in capite eius, cuius superior pars est ratio, & inferior sensualitas: vnde bene per verticem, qui est suprema pars capitis, intelligitur ratio, quæ superior pars est mentis. In fronte vngitur baptizatus, vt liberè confiteatur, quod credit, quia corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem, memor eius, quod Dominus ait: Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo. Ante baptismum verò inungitur oleo benedicto, & post baptismum chrismate sacro, quia chrisma soli competit Christiano: Christus enim a chrismate dicitur, vel potiùs a Christo dicitur chrisma, non secundùm nominis formam, sed secundùm fidei rationē; a Christo verò Christiani dicuntur, tanquam vncti deriuentur ab vncto, vt omnes currant in odore vnguentorum illius, cuius nomen oleum est effusum. Per frontis chrismationem, manus impositio designatur, quæ alio nomine dici-

Diuersarū vnctionū mysteria.

tur confirmatio, quia per eam Spiritus sanctus ad augumentum datur, & robur: vnde cùm cæteras vnctiones simplex sacerdos, id est, presbyter valeat exhibere, hanc non nisi summus sacerdos, id est, episcopus debet conferre, quia de solis Apostolis legitur, quorum vicarij sunt episcopi, quòd per manuū impositionē Spiritum sanctum dabant, quemadmodum actuū Apostolorum lectio manifestat: Cùm audissent, inquit, Apostoli, qui erant Hierosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, & Ioannem, qui cùm venissent, orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritum sanctum; nondum enim in quempiam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant in nomine Domini Iesu, tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum, cuius aduentus per vnctionis mysterium designatur, quia columba in qua Spiritus sanctus super Christum in baptismo descendit, ad vesperam in cataclysmo reuertens, ramum retulit virentis oliuæ, cuius vtique sacramentum Dauid propheta prænoscens, exhilarandam faciem in oleo prædicauit.

De confirmationis sacramento.

42 Vnguntur prætetea secundùm ecclesiasticum morem, cùm consecratur altare, cum dedicatur templum, & cùm benedicitur calix non solùm ex mandato legis diuinæ, verùm etiam exemplo beati Siluestri, qui cùm consecrabat altare, illud chrismate perungebat. Præcepit enim Dominus Moysi, vt faceret oleum vnctionis, de quo vngeret tabernaculum testimonij, & arcam testamenti, mensamq; cum vasis, de quibus etiam vnctionibus, si forsitan dubitaueris, cùm a te fuerimus requisiti, fraternitatem plenius tuam instruemus. Verùmtamen vnctionis sacramentum aliud quidem efficit, & figurat in nouo, quàm in veteri testamento. Vnde non iudaizat Ecclesia, cùm vnctionis celebrat sacramentum, sicut aliqui mentiuntur, qui neque scripturas, neque Dei nouere virtutem. Monemus igitur fraternitatem tuam, & exhortamur attentiùs per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus ad mandatum dilecti filij nostri Leonis tituli sanctæ Crucis presbyteri Cardinalis, Apostolicę sedis legati tu quoq; sacrā suscipias vnctionem, ne quid tibi desit ad plenitudinem sacramenti, & cùm sacro fueris chrismate delibutus, archiepiscopos, & episcopos tuos similiter vngas, & per eos facias manus sacerdotum inungi oleo benedicto, illum de cætero in ordinandis presbyteris, & consecrādis episcopis morem seruans, & faciens obseruari, quem Apostolica sedes obseruat, quæ disponēte Domino cunctorum mater est, & magistra. Mittimus autē tibi per Cardinalem prædictum pontificalia ornamenta caligas & sandalia, amictum & albam, cingulum & succinctorium, orarium & manipulum, tunicam & dalmaticam, chirothecas & annulum, planetam & mitram. Pallium verò per dilectum filium Ioannem Capellanum nostrum antea miseramus, & licet Romanus Pontifex non vtatur baculo pastorali tum propter historicam, tum etiam propter mysticam rationem: tu tamen ad similitudinem aliorū pontificum poteris eo vti. quorum omnium rationem idem Cardinalis, sicut a nobis accepit, te poterit edocere. *Dat. vt supra, &c.*] Addunt gesta Innocentij, missa legati opera duobus archiepiscopis pallia, vt ijs in consecrandis episcopis, conferendis ordinibus, ac solemnibus certis diebus, in perficiendo missæ incruento sacrificio vterentur.

44 Præcepit etiam, vt tam a primate, quàm a præfatis archiepiscopis reciperet huiusmodi sacramentum: *Ego Basilius archiepiscopus Trinouitan. primas totius Bulgariæ, & Blachiæ ab hac hora in antea ero fidelis, & obediens beato Petro, sanctæque Romanæ Apostolicæ sedi, & domino meo Papæ Innocentio, eiusque catholicis successoribus. Non ero in facto, vel consilio, vel consensu vt perdant vitam, aut membrum,*

Forma sacramēti a Bulg. primate præstiti legato Pont. alib. ep. 1 r

vel

vel rapiantur, aut spolientur. Consilium quod mihi crediderint ad eorum damnum, me sciente, nemini pandā: eorum certum malum si sciuero, impedire studebo, quòd si non potero impedire, eis quantò citò potero intimabo. Papatum Romanum, honores, dignitates, & rationes Apostolicæ sedis defendam pro posse, saluo ordine meo, contra omnem viuentem. Vocatus ad synodum veniam, nisi præpeditione canonica fuerim impeditus. Apostolorum limina singulis quadriennijs per me, vel per meum nuntium visitabo, nisi eorum absoluar licentia. Legatū Apostolicæ sedis, quem pro certo sciuero esse legatum, deuotè suscipiam, & in suis necessitatibus adiuuabo. Cùm quemlibet de meis suffraganeis in episcopum consecrauero, faciam illum iurare, vt Romano Pontifici, & Ecclesiæ Romanæ perpetuam obedientiam, & debitum honorem impendat. Cæterum cùm aliquem coronauero in Regem Bulgarorum, & Blachorum iuxta indulgentiam mihi, & successoribus meis ab Apostolica sede concessam, ab eo iuratoriam recepiam cautionem, quod et qui tunc Apostolicæ sedi præfuerit, successoribus eius, & Ecclesiæ Romanæ deuotus, & obediens permanebit, & cunctas terras & gentes suo subiectas Imperio, in obedientia & deuotione sedis Apostolicæ cōseruabit. Hæc omnia bona fide seruabo, sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Euangelia in præsenti, & in futuro. Amen. Addūt gesta legatū cùm iter per Vngariam haberet, a Rege ac principibus magnis honoribus exceptum, sed cum ad regni limitem peruenisset, Regem missis nuncijs transire in Bulgariam prohibuisse: vrebat enim ipsam honoris Bulgaro, eum quo gerebat inimicitias, delati dolor: quam iniuriam legato illatam cùm accepisset Innocentius, Vngarum ardentioribus literis a perstrinxit, atque inter cætera hæc obiccit: *Heu, heu fili charissime, vbi est regalis clementia, vbi religio Christiana, vbi speciale deuotio, quam ad nos & Romanam Ecclesiam prædecessores habere? mutatus est color optimus, & aurum in scoriam est conuersum. Parcat igitur tibi Deus, qui animum tuum tam prauo consilio seduxerunt, volentibus inter regnum & sacerdotium discordiam seminare. Sed nos pro certo speramus, quod aut per te ipsū tuum errato correxeris, aut ad commonitionem nostram taliter debeas emendare, vt iniuria transeat in honorem et offensa ingratium reuertatur.* Et infra: *Benignius tibi scribimus, quàm instans materia postularet, ne quis forte literas nostras inspiciens existimaret Apostolicæ sedis fauorem tibi esse subtractum, quod vtique vtilitati, ac honori tuo nullatenus expediret, quia multa gesta sunt, et geruntur in regno tuo, quæ si deducentur ad lumen, correctionem exposcerent grauiorem, non solùm de voto tuo, captione fraterna, et electionibus prælatorum, sed etiam multis alijs, quæ ne nimium conturberis, ad præsens duximus supprimenda. Prouideas ergo tibi, ne in tam te difficultatem inducas, de qua non facile valeas expediri.* Strigoniensis etiam ecclesiæ suffraganeis mandauit, b Regem ipsum ad resarciendam iniuriam inducere niterentur. scripserat antea ad Vngariæ, c & Seruiæ d archiepiscopos, cæterosque præsules, vt Leonem presbyterum Cardinalem, quem ad Bulgariæ Regem mittebat, tanquam Apostolicæ sedis legatum agnoscerent, & quo par erat honore exciperent & complecterentur.

Legato per Vngariam iter interclusū

a Extant in act. & in regest. Inn. l. 7. ep. 126.

b 1eg. post eand. ep. c Ep. 13. d Ep. 14.

46 Ad molliendas iustissimas iras Innocētij, quas legato Apostolico itinere prohibito concitarat Vngarus, oratorem cum literis excusatorijs, in quibus querelas certis capitibus distinctas cumularat, ad Pontificem misit, cui Innocentius alias reddidit, quibus iactatas querelas refregit. Obiecerat in primis Vngarus maiores suos Apostolicam sedem singulari obseruantia ac religione coluisse, parique Romanos Pontifices ipsos amore fuisse prosecutos, ac illo amore videri Innocentium remisisse, idque ex eo colligebat, quod Innocentius Bulgarum infensissimum hostem suum regia dignitate decorare vellet: cui Innocentius, verum illud, Vngaros, ac Pontifices Romanos præcipuo amoris nexu fuisse coniunctos, nec tamen amorem illum intepescere videri debuisse, cùm ipsius pater Alexandri iussu a Colocensi archiepiscopo corona fuisset redimitus, quo tempore maximas illius adipiscendæ difficultates pateretur, quin etiam circa regni sui primordia cum bello graniore appeteretur, sedis Apostolicæ cura ad pacem atque officium fratrem ipsius, ac sequaces adductos fuisse. Querebatur secundò Iannitium occupasse terras, quæ in dotem sorori suæ Græcorum Imperatrici a patre fuissent traditæ, atque etiam Seruiam cum infidelium exercitu popularum, dum ipse in gratiam Apostolicæ sedis coniuncto cum Bohemiæ Rege exercitu pro Orhone Philippo bellum inferret: ad quod Innocentius dolere se grauiter iniuriam vllam ipsi illatam, & curas Apostolicas ad eam sarciendam collocaturū. Opposuerat tertiò Iannitium tyrannū esse, cùm terras suas ferro, flammaq; comparasset, atque adeo regio diademate indignum videri: quibus ita respondet Pontifex, licet aliquas terras inuaserit, aliās tamen iustè obtinere, ipsius maiores, Petrum, Samuelem, aliosque sceptrum tenuisse, cùmque successores a Græcis perdomiti eorum iugo collum subdidissent, hunc paterna iura recuperasse, atque adeo prædecessorum Pontificum exemplo corona illum insignire meditatum: velle tamen, vt iniustè occupata restituat, ac vicissim vt erepta ipsi reddantur, & pax firmissima inter ipsos concilietur, prætermittere se quod obijci iustè poterat, quod cùm Stephanus Meganipaons Seruiæ sedis Apostolicæ coniunctionem expeteret, atque regiæ ornamenta dignitatis ab ea flagitaret, pollicita renocasse, ea tantùm de causa quod ea res ipsi ingrata foret, Seruiaq; ab ipso victa, ac Vulcano substituto cùm æquo animo iacturam se significasset, vt Seruia ad Ecclesiam rediret, & Vulcanus ab Apostolica sede corona cingeretur, ea prouincia Colocensi archiepiscopo imposita, post annos duos rem ad exitum perductā nondum fuisse: quod legatum a se beneuolè, ac magnificè habitum diceret, longè ipsum maiore ignominia præpeditum ne iter prosequeretur, quàm susceperis honorificè fuisset, non posse ipsum fœdera inter verumque iungere, ni vtrumque adiret, tantum se animo dolorem haurire, si obstare vellet, ne Bulgaria ad Romanę Ecclesiæ obsequium rediret, quantum ipse conciperet animo, si Apostolica sedes obsisteret, ne ipsius filius paternum diadema assequeretur: quod demum de Iadera excisa quereretur, quantum in ea re Apostolica sedes, vt ipsi fieret satis, desudasset, significauit. de his acta sermone misturo. Subdunt:

47 *Ex illo autem verbo, quod in præmissis literis continetur, quale denique reputares, si nos impedire vellemus, ne filius tuus carnalis coronari posset in Regem, Rex ipse valde territus fuit, quia cùm fecisset curiam congregari solemniter, vt filium suum paruulum in Regem faceret coronari, timuit vehementer, ne coronationem eius dominus Papa faceret impediri, vnde cùm præfatus Coratnahs ad curiam illam nuncios destinasset, tunc demum obtinuerunt a Rege licentiam transeundi.* Quod spectat ad principem puerum, quem paulò ante memorauimus, extant Innocentij literæ ad Strigoniensem archidiaconum hoc eodem anno 8. kal. maias scriptæ, a quibus prouinciam iniungit, vt cùm Rex pater in Terræ sanctæ subsidium profecturus esset, puerum ipsum, quod idem Rex petierat, corona redimeret, accepto ab eodem Rege parte vice pueri fidei sacramento: id verò munus non archiepiscopo, ad quem cætero qui pertinebat, sed archidiacono imposuit, eum ea tempestate sedes Strigoniensis vacaret: quapropter alia data ad capitulum epistola b, de exorta controuersia noui occasione antistitis agens vtriusq; partis idoneos procura-

Vngariæ filium coronari mit eique fidem obligat. a Inn. l. 7. ep. 37.

b Idē. ep. 15. habetur epist. latinam extr. de postulat. prælat.

curatores, Apostolico conspectui se sistere iubet. atque de Vngaricis satis: iam ad Germaniam stylum convertamus.

Othonis res prosperæ.

a Libell. super neg. Rom. imp. signat. nu. 415. ep. 104. qua recitatur etiam a Lubec. chr. Slau. l. 7. c. 4 & Crantz. in Sax. l. 7. c. 25.

b Ead. libel ep. 105

48 Othonis Imperatoris designati res, nitente atque laborante Innocentio, in dies efflorescebant, cùm enim pontificias literas a præcipitante, ac deuexo superiori anno scriptas accepisset, quibus Pontifex quam hactenus pro ipso ingentem impenderat operam, significabat, addebatque animos, vt cùm opportunè, atque è sententia res fluerent, conatus omnes adhiberet, felicia initia feliciori exitu cumularet: cùm, inquam, Otho huiusmodi literas accepisset, immensas ei gratias refert.

Sanctissimo patri, ac domino Innocentio Dei gratia sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici Otho eadem gratia, & sua Romanorum Rex, & semper Augustus salutem cum filiali dilectione.

Othonis literæ ad Innoc.

Cùm post Deum pater sanctè vos semper habeamus propitium, & benignum, sicut exaltatio, & sublimatio nostri honoris manifestè declarat, honorem nobis diuinitus collatum Deo, & vobis semper velimus adscribere, cùm in cinerem & fauillam negotium nostrum redactum fuisset, si manus vestra, & auctoritas beati Petri in partem nostram non declinasset, hoc semper præ oculis habebimus quoadusque vixerimus.] Vtinam ab huiusmodi proposito nunquam deflexisset, postea enim tot, tantisque beneficijs ab Apostolica sede ornatus, Imperijque diadema eius fauore consecutus in ea prosilijt, vt gremium quo exceptus, ac fotus fuerat, laceraret, ac iure de eo Ecclesia prophetica voce c queri posset: Incrassatus dilectus, impinguatus, dilatatus recalcitrauit. sed de his cùm in ea tempora fuerimus deuoluti: nunc cœptam epistolam prosequamur.

c Deut. 32

49 Sanè (inquit) innotescere vobis cupimus, quod status noster de die in diem prosperatur, & hoc non excellentiæ nostræ, sed Deo, & vobis, & Ecclesiæ Romanæ adscribimus. Regem Bohemiæ, Lãgrauium Turingiæ, marchionem Morauiæ per potentiam non habuimus, sed per magnam vestram sollicitudinem & frequentem, de qua non dubitamus, sed de d e in diem super hoc magis certificamur: curiam enim solemnem habuimus proxima quinta feria ante festum beati Martini, in qua multi principes Imperij fuerunt archiepiscopi, episcopi, duces, comites, & alij quamplurimi nobiles. In ea verò talia sunt ordinata & statuta, quæ scriptis committere non audemus, sed latori præsentium dilecto, & familiarissimo clerico nostro H. de Aquileia memoriter cõmendauimus, & ei firmiter sub obtentu gratiæ nostræ iniunximus, vt vobis omnia per ordinem referat: firmiter enim credimus, quod, quod de nobis incepistis, infra paucos dies, hoc est, in purificatione beatæ Mariæ bono fine consummabitur: principes enim superiores, videlicet archiepiscopus Salzburgen. cum suffraganeis suis, dux Austriæ cum nobilibus terræ suæ, & dux Bauariæ terras eorum a nobis recipient, & fidelitatem præstabunt: ita per Dei gratiam, quod discordia in gratiam conuertetur, expedit enim vobis & nobis, vt consilium vestrum & auxilium apponatis, sicut videritis expedire. Rogamus itaque paternitatem vestram, vt solito more benignè legationem nostram audiatis, & consilium vestrum, quod magnum est, apponatis, & latorem præsentium H. de Aquileia, quàm citius poteritis, nobis transmittatis, quia in prædicta curia consilio vestro & auxilio vnà cum principibus Imperij vti volumus, facturi quod nobis mandaueritis. Ea quæ lator præsentium super ijs vobis dixerit, indubitanter credatis. prædicta curia erit apud Vvoldam: dominus legatus non interfuit curiæ Susati, quia pro negotijs ecclesiæ ac nostris ad partes ierat orientales.]

Innocentius Othoni rescribit.

a Ib. ep. 106.

50 Hisce cum literis Othonis nuncius ad Innocentium peruenit mense ianuario: quo pariter mense, vt Rex postularat, illum cum literis remisit, quarum exordium a est: *Serenitatem tuam in Domino commendamus, quod ingratitudinis vitium fugiens, & Ecclesiæ Romanæ beneuolentiam recognoscens, nobis post Deum profectum tuæ promotionis ascribis, etc.* Cætera breuitatis captandæ studio prætermittimus, atque hæc aureis sanè characteribus exaranda, atque in omnium principum pectoribus altissimè defigenda annalibus inserere suffecerit. *Quanto te Deus amplius exaltarit, tanto magis in eius humilies te conspectu, elationem cordis fugiens et extollentiam oculorum, non solummodo apud Deum, sed etiam apud Imperij principes, et pauperes quoslibet, et minores. beneficia quoque Apostolicæ sedis assidua tecum meditatione recensens, eam sicut debes in capite venereris, et in membris honores.* Data est hæc epistola Anagniæ 8. kal. febr. sequenti autem die ad vniuersos Germaniæ præsules, principesque Othonianos scribens b, cœptum opus ad optatum finem perducant hortatur, eiusdemque exẽpli c ad Lantgrauium Thuringiæ, & ad comitem Palatinum Rheni literas dedit. Cùmque Aquileiensis patriarcha in pallij susceptione Pontifici, ac Romanæ Ecclesiæ fidem atque obedientiam iuratus spondere deberet, præcepit d Innocentius post redditum iusiurandum signo suo munitas literas Apostolicæ sedi mitteret, quibus apertè profiteretur tam in Romani Imperij negotio, quàm in rebus alijs Pontifici se pariturum.

Quanto Princeps sublimior tanto demissior sit.

b Ibid. ep. 107.

c Ib. post eand. ep.

d Innoc. ib. ep. 113.

51 At quemadmodum electo Imperatori istorũ fidem obstringere magis, magisque studuit, ita infidos quà obiurgationibus, quà minis ad officium reuocare operam dedit. Duo præcipui Germaniæ præsules ab Othone desciuerant, Magdeburgensis & Coloniensis archiepiscopi, quorum alterum hoc anno Innocentius grauiter literis e increpuit, quod priorem insolentiam noua cumulasset, iam enim ante a Prænestino episcopo Apostolicæ sedis legato anathemate perculsus diuina mysteria celebrare præsumpserat, ac postea Innocentij iussu, cum grauiori illius ætati pepercisset, absolutus, lapsusque in deteriora ab Imperatore designato ad Philippum non sine graui periurio transuolauit. Quamobrem ab eodem legato a fidelium communione eiectus, prætexta inani appellatione, sententiæ parere contempserat, atque in eundem legatum Romanamque Ecclesiam procaces voces effuderat. Delirum itaque senem ad resipiscendum sarciendamque culpam hortatus est.

e Ep. 108.

Quod spectat ad alterum archiepiscopum Adolphum Coloniensem; Innocentius Maguntino archiepiscopo, Cameracensi episcopo, ac Brenensi præposito, vt ad illum pariter Coloniam se conferant, & coram prioribus monitum, ad meliorem frugem adducere studerent, si renuat eum se abdicaturum minatur, quod proximo anno, vt dicetur, perfecit. Initium epistolæ f est: *Cùm ij qui olim nullam vel modicam nobis & Apostolicæ sedis reuerentiam, & obedientiam exhibebant* (Græci videlicet Blachi, Bulgari, & Armeni) *nunc ad obedientiam nostram & deuotionem Apostolicæ sedis pleni per gratiam Dei reuertantur, vt sit vnum ouile & vnus pastor, dolemus plurimum, & turbamur, quod venerabilis frater noster Coloniensis archiepiscopus, &c. Datum Romæ apud S. Petrum 4. Kal. nouemb.*

f Ibid. ep. 112.

52 Brabantiæ etiam ducem scriptis duobus ante diebus literis asperius perstrinxit g, filiam suam Othoni Imperatori renunciato contra interpositum iusiurandum nuptui tradere recusasse: qua de re Pontificem ipsum conquerentem, monentem, minasque illi intentantem audiamus: *Nunc autem quod graue gerimus, & molestè, occasionibus friuolis adinuentis, ipsam eidem Regi sponso suo tradere malitiosè recusas,*

g Ep. 110.

Inn. querelæ de Brabantiæ duce.

cum

cum solemniter inter ipsos sponsalia sint contracta, & hinc inde tam per te, quam per homines suos præstito iuramento firmato, illæ istum habens, vt asseritur, cum nobili viro Philippo duce Sueuiæ tractatum, vt eam charissimo in Christo filio nostro Friderico illustri Regi Siciliæ, nepoti suo copules in vxorem, quod vtique tanto grauius reputamus, quanto magis ex hoc & animæ tuæ periculum & famæ dispendium procuratur, cum enim prædictus Rex Siciliæ sororem charissimi in Christo filij nostri illustris Regis Aragonum germanam vxorem quondam illustris Regis Vngariæ accipere debeat in vxorem, etiam inter ipsos per dilectũ filium R. tituli sanctorum Marcelli, & Petri presbyterum Card. Casinen. abbatem, tunc Apostolicæ sedis legatum de mandato nostro mediantibus, & iurantibus familiaribus vtriusque sponsalia sint contracta, præter id quod dicta filia tua ipsum Regem Siciliæ linea consanguinitatis attingit; quare non posset eidem matrimonio copulari, sustinere non possemus aliquo ratione, vt contra hoc, quod hinc inde nobis approbantibus est firmatum, temeritate qualibet veniretur. Nos autem ne sanguis tuus de nostris manibus requiratur, quod tenemur ex iniuncto nobis officio de salute animæ tuæ sollicitè cogitare, nobilitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, & in virtute Spiritus sancti districtè præcipimus, quatenus vsus consilio saniori eandem filiam tuam prædicto Regi sponso suo sicut præstito iuramento teneris, tradere non differas in vxorem, famæ tuæ consulens & saluti, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum 6. Kal. nouemb. Pont. nostri anno 7.

53 Cæterùm de Siffrido Maguntino archiepiscopo, cuius modò incidit mentio, dicere non prætermittimus, Innocentium hoc anno XII. kal. maias
a Ep. 51. exaratis ad ipsum literis a, in Maguntinos, qui eum in præsulem accipere renuebant, animaduertere hactenus se distulisse affirmare. Cùmque Bohemorum Rex in ditione sua, quæ a Maguntia longius aberat, cuperet nouam metropolim institui, idque per nuncios adhibita Vngariæ Regis auctoritate & gratia peteret, Innocentius eiusdem archiepiscopi hac de
b Ep. 52. re sententiam rogat, Bohemoque Regi ista retulit: b *Licet tam te, quàm terram tuam velimus, in quibus honestè possimus honorare, quia tamen arduum est negotium, & petitio continet nouitatem, mirari te nolumus, & moueri, si non protinus preces tuas duximus consummandas, cùm magna deliberatione res egeat, vt quod depositum fuerit, tantò stabilius perseueret, quantò cum maiori fuerit maturitate statutum. Siquidem ostendenda nobis est prius & vrgens necessitas, & vtilitas euidens, quæ fieri hoc exposcat, facultas, & voluntas Ecclesiæ, in qua sedes debet metropolitica stabiliri, & vtrum in Bohemia diœceses possint statui competenter, statuenda metropoli supponenda.*

54 *Prætereo conuenienda, & commonenda super hoc est ecclesia Maguntinen. ne si aliter factum fuerit, venerabilem fratrem nostrum Siffridum Maguntin. archiepiscopum, quem ereximus, deijcere videamur, si ex hoc concitauerimus plus in eum ecclesiæ suæ odium, & scandalum ciuitatis, &c. Dat. Later. XI. Kal. maij.* Quo etiam die in eandem rationem ad Maguntinos
c Lib. 9. ep. 13. canonicos & fiduciarios nobiles scripsit c nulla impertita salutatione: in antistitem enim suum, inque Apostolicam sedem contumaces & refractarij perculsi anathemate fuerant: quapropter resipiscant hortatur, subditque: *Non nobis, sed vobis meritò poteritis imputare, si fortè, qui caput abijcitis, membrum aliquod amittatis,* Bohemiam scilicet, quæ Maguntinæ metropoli, vt vidimus, subiacebat.

Bohemia a sede Apost. regiũ nomẽ obtinet.

55 Cum porro Bohemia relicto iam Philippo Sueuo, Othoni Apostolicæ sedis imperio, quod testatur Innocentius, d adhæsisset, hoc anno Pontifex regio illum nomine ornauit huiusmodi dato diplomate: e *Licet ante tuæ promotionis tempora multi fuerint in Bohemia regio diademate insigniti, nunquam tamen potuerunt a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus obtinere, vt Reges eorum in suis literis nominarent. Nos quoque tum prædecessorum nostrorum vestigijs inhærentes, tum considerantes sollicitè, quod a nobili viro Philippo duce Sueuiæ te feceras coronari, qui cum coronatus legitimè non fuisset, nec te, nec alium poterat legitimè coronare, Regem te hactenus non duximus nominandum. Verùm cum ad commonitionem Apostolicæ sedis, et nostram relicto duce Sueuiæ ad charissimum in Christo filium nostrum illustrem Regem Othonem in Romanorum Imperatorem electũ te conuerteris, vsus consilio saniori, et ipse habet te pro Rege, tam intuitu precum eius, quàm tuæ deuotionis obtentu, Regem te de cætero reputare volumus, et vocare. Tu igitur taliter gratiam tibi factam agnoscas, et sic ingratitudinis vitium studeas euitare, vt tua deuotio mereatur, quòd et gratia tibi detur ex gratia, et dato gratis perpetuò conseruetur, prouisurus attentius, vt quantocyus poteris, ab eodem Rege Othone te facias solemniter coronari. Datum Later. 13. Kal. maij.* Cumque Otho nouo Regi confirmasset, quæ olim Imperatores eius antecessoribus iura ac priuilegia concesserant, Innocentius eadem rata, firmaque esse iussit, a eiusque insuper a Ep. 54.
indemnitati consulens, Pragensi & Olmucensi episcopis mandauit, b vt si quis damnum aliquod inferre b Ep. 55.
tentasset, censuris ecclesiasticis compescerent. atque hactenus de Bohemorum Rege.

d Ib ep. 55. e Inn. l. 7. ep. 42. & Bal. to. 2. p. 38.

Crucesignatorum expeditio in Liuoniã contra paganos.

56 Reliquas Germaniæ res prosequamur. Christianam religionem in illis regionibus Liuoniæ episcopus spargebat latè, ac propagabat, omne consilium, studium, operam, laborem, diligentiam ad id conferente Innocentio, quamobrem tum sacerdotes & clericos circumiacentium regionum, qui signo crucis accepto Hierosolymitanam profectionem vouerant ad annunciandã Christi fidem tum laicos, qui rerum inopia, corporisque imbecillitate Hierosolymam pergere nequibant, aduersus barbaros permutato voto in Liuoniam mittendos curaret. Extat his de rebus ad Bremensem archiepiscopum, eiusque suffraganeos, aliosque illius prouinciæ pontificia epi-
stola, c data Romæ apud S. Petrum 6. idus octob. c Ep. 137.
Sæpius etiam hoc anno ad Lundensem archiepisco-
pum scripsit, vt d B. Petri censum per Daniæ ac d Ep. 156.
Sueuiæ regna fideliter colligat, & asseruet, tum vt villicum, qui presbytero cũ vxore sua turpiter agenti nasum absciderat, ac linguã læserat, anathemate soluat, ita tamen sumptus quos ad Vrbem iter facturus expendisset, in Terræ sanctæ subsidium impenderet: tum vt in Lundensi & Vpsalensi archiepiscopatibus euellat & destruat, disperdat & dissipet, ædificet & plãtet, quemadmodum honori diuino, amplificationi Ecclesiæ, suorumq; saluti conducere cognouerit, tum in
fornicarios quosdam clericos animaduertat, e deni- e Ep. 158.
que pallium ad illum transmittit Vpsalensi archiepiscopo, eius quod incendio perierat loco tribuendum. Hildesemensi præterea episcopo, & Magdeburgensi præposito, vt Merseburgensem episcopum a Guidone Prænestino Apostolicæ sedis legato cœtu fidelium amoto, cautione oblata absoluere possint, fa-
cultatem præbet. f atque hæc de Germaniæ re- f Ep. 14.
bus.

Census B. Petri in Dania & Sueuia collectus.

57 Superest vt de Gallicis verba faciamus. Cum Innocentius Papa in Senonensem archiepiscopum superiori anno grauiter, vt ostendimus, inuectus esset, quod Altissiodorensem comitem libertatem ecclesiasticam proterentem minimè coercuisset, memor illius se vicem gerere, de quo scriptum: *Vulnerat et*
medetur, percutit et manus eius sanabunt; g Mœren- g Iob. 5.
tem archiepiscopum suauissimis literis solatur, h h Lib. 6.
lætarique ait, se licet tristitiam ipsi iniecerit, ad pœ- ep. 236.
nitentiam tamen feliciter iniecisse. præterea quorundam calumniam refellit, qui Francorum Regem sibi

de

de hæresi suspectum fuisse, ex literis suis falsò eliciebant, vt verò Senonensem archiepiscopum ex præterita incuria dolore affectum solatur ac fouet, ita in Narbonensem contumacem, atque in deteriora labentem animaduertit. Igitur in primis arguit in hæreticis è Narbonensi ecclesia depellendis ignauè se gessisse, præcipitque, a vt in hac re fratri Rodulpho & fratri Petro de Castro nouo Fontis frigidi monachis in omnibus auxilio sit, quod pluribus alijs imperat b. postea verò ijsdem atque abbati Cisterciensi mandat, tum vt in archiepiscopum inquirant c diligenter, eumque sua submoueant dignitate, tum etiam d vt in hæreticos ipsos tanquam Apostolicæ sedis legati insurgerent, in eandemque Narbonensē, Aquensem, & Arelatensem prouincias crucesignatos mittant, in quam itidem sententiam ad Altissiodorensem episcopum scripsit, e Philippum Galliæ Regem, principesque ad grassantem impietatem excindendam excitarent, & commonerent. De legationis munere Petro ac Rodulpho ab summo Pontifice aduersus hæreticos iniuncto in Albigensium quoque historia mentio fit f. præterea in Narbonensem archiepiscopum vehementer inuectus, montis Aragonis abbatiam ab Apostolica sede eius fidei commendatam ademit. g

Narbonēsis archiep. ob inertiā in iudiciū vocatus.
a Id. lib. ep. 243.
b Reg. post eand. ep.
c Lib. 7. epi 75.
d Ib. ep. 76
e Lib. 6. ep. 239.
f Petrus Vall. hist. Albig. c. 1.
g Ian. l. 7. ep. 7. 8.

58 Cæterùm hæresis, qua inuoluti, infectique plerique in ijs partibus, ac maximè nobiles in cœno vitiorum demersi iacebant, nefanda Albigensium hæresis erat, quæ ex debilibus initijs, nocturnisque conuenticulis in apertum emerserat, suoque veneno non Albigenses modò, sed etiam Tolosanos, Biterrenses, Carcassonenses, Narbonenses prouinciales & circumiacentia loca adeo infecerat, vt summo contemptui sacerdotes, venerationique summæ hæretici haberentur, sacrorumque prædicatorum concionibus, ac sedis Apostolicæ legatorum opera contundi, infringique hoc anno cœpit. Dicta verò Albigensium hæresis, quod Albijs maximè virus suum afflasset, nec illa vna, sed multiplex in plura capita (vt loquitur Innocentius Papa h) hydræ instar dissecta, alij enim hæretici sanctimoniæ laruam induebant, & carnibus, coniugioque abstinebant, alij in omnes libidines effundi triumpho, & gloriæ ducebant. Quàm verò ea hæresis ab omni rationis specie abhorreret, quamque infamis esset, adeo vt audientibus horrorem incutiat, Petrus Vallisernensis i monachus Cisterciensis familiæ prodit, quem auctorem in Albigensium historia monumentis commendanda ducem accepimus, tum quod ipse præsens, dum in conuertendis hæreticis cum abbate suo Guidone operam nauaret, interfuerit, tum quod historiam illam, quam Innocentio Pontifici consecrauit, ita accuratè exarauit, vt ea tantùm proderet, quæ vel hausisset oculis, vel a viris tantæ fidei, ac dignitatis accepisset, vt ea in dubium minimè reuocari possent. Deuota verò propterea Pontifici hæc historia est, quod illius diligentis tot decretis legationibus, tot viris pijs ad diuini verbi iaciendos satus, tot cruceatis immissis exercitibus compressa, profligataque fuisset.

De Albigensibus hæreticis.
h Apud Petr. Valls. post epist. Albig.
i Vallis. c. 2.

59 *Primò sciendum (inquit Vallisern.) quod hæretici duos constituebant creatores, inuisibilium scilicet, quem vocabant benignum Deum, & visibilium, quem malignū Deum nuncupabant. Nouum testamentum benigno Deo, vetus verò maligno attribuebāt, et illud omnino repudiabat, præter quasdā auctoritates, quæ de veteri testamento nouo sunt insertæ, quas ob noui reuerentiam testamenti recipere dignum æstimabant. Auctorem veteris testamenti mendacem asserebant, quia protoplastes dixit: Quacunque die comederitis de ligno scientiæ boni, & mali, morte moriemini: nec (sicut dicebant) post comestionem mortui sunt, cum tamen re vera post gustum pomi vetiti mortis miseriæ fuerunt subiecti. Homicidam quoque ipsum nominabant, tum quia Sodomitas & Gomorrhæos incinerauit, & aquis diluuij mundum deleuit, tum quia Pharaonem, & Aegyptios mari obruit. Omnes veteris testamenti patres damnatos affirmabant. Ioannem Baptistam vnum esse de maioribus dæmonibus asserebāt. Dicebant etiam in secreto suo, quod Christus ille, qui natus est in Bethlehem terrestri & visibili, & in Hierusalem crucifixus, malus fuit, & quod Maria Magdalena fuit eius concubina, & ipsa fuit mulier in adulterio deprehensa, de qua legitur in Euangelio. Bonus enim Christus (sicut dicebant) nunquam comedit vel bibit, nec veram carnem assumpsit, nec vnquam fuit in hoc mundo, nisi spiritualiter in corpore Pauli. Ideo autem diximus in Bethlehem terrestri & visibili, quia hæretici fingebant esse aliam terram nouam, & inuisibilem, & in illa terra secundum quosdam bonus Christus fuit natus, & crucifixus. Item dicebant hæretici bonum Deum duas habuisse vxores, Collant, & Colibant, & ex ipsis filios & filias procreasse. Erant alij hæretici, qui dicebant, quod vnus est creator, sed habuit filios Christum & diabolum. Dicebant & isti omnes creaturas bonas fuisse, sed per filias, de quibus legitur in * apocalypsi, omnia fuisse corrupta, &c.* Qui horrenda adeo in cæleste numen euomere erant ausi, atque insana adeo confingere, non mirum est, si in Ecclesiam pari furore fuerint debacchati. Cæterùm animaduertant Caluinistæ, qui vbi eorum sectæ nouitas ipsis obijcitur, gloriari interdum solent Albigenses idem cum ipsis sensisse, num eorum fidei forma cum hac, quam describit auctor, qui sæpius cum Albigensibus ad confutandos eorum errores est colluctatus, consentiat, ac desinant simplicem populum conciliata falsò suę hæresi antiquitatis fama nefandis erroribus irretire.

Blasphem. in Deum.
Et in sanctos.
* genesi

60 *Ferè totam Romanam Ecclesiam speluncam latronum esse dicebant, & quia ipsa erat meretrix illa de qua legitur in apocalypsi. Sacramenta Ecclesiæ vsque adeo annullabant, vt sacri baptismatis vndam ab aqua fluuiali non distare, sacrosancti corporis Christi hostiam a pane laico non differre publice dogmatizarent. Simplicium auribus hanc instillantes blasphemiam, quod Christi corpus, etsi magnitudinem Alpium in se contineret, iamdudum consumptum a comedentibus, & annihilatum fuisset: confirmationem, confessionem friuolas esse, & inanes omnino reputabāt; sacrum matrimonium meretricium esse, nec aliquem in ipso saluari posse prædicabant, filios & filias generando. Resurrectionem quoque carnis diffitentes, quasdam adinuentiones confingebant inauditas, dicentes animas nostras esse spiritus illos Angelicos, qui per superbiæ apostasiam præcipitati de cælo corpora sua glorificata in aëre reliquerunt, & ipsas animas post successiuam qualiumcunque corporum septem, & terraneorum inhabitationem, quasi tunc demū pœnitentia peracta ad illa relicta corpora remeare.*

Blasphemiæ eorū in Rom. Eccl.

61 *Sciendum autem, quod quidam inter hæreticos dicebantur perfecti, siue boni homines, alij credentes hæreticorum: qui dicebantur perfecti, nigrum habitum præferebant, castitatem se tenere mentiebantur, esum carnium, ouorum, casei omnino detestabantur, non mentientes videri volebant, cum ipsi maximè de Deo quasi continuè mentirentur; dicebant etiam quod nulla vnquam ratione debeant iurare. Credentes autem hæreticorum dicebantur illi, qui seculariter viuentes, licet ad vitam perfectorum imitandam non pertingerent, in fide tamen illorum se saluari sperabant, diuisi siquidem erant in viuendi modo, sed in fide & infidelitate vniti erant. Qui dicebantur credentes hæreticorum, dediti erant vsuris, rapinis, homicidijs, & carnis illecebris, periurijs & peruersitatibus vniuersis. Isti siquidem ideo securius & effrænatius peccabant, quia credebant sine restitutione ablatorum, sine confessione & pœnitentia se esse saluandos, dummodo in supremo mortis articulo Pater noster dicere, & manuum impositionem recipere a magistris suis potuissent. De perfectis*

Qui perfecti apud eos.
Qui credentes & scelerata eorū vita.

fectis

fectis verò hæreticis, magistratus habebant, quos vocabant diaconos & episcopos, sine quorum manuum impositione nullus inter credentes moriturus se saluari posse credebat. Verùm si morienti cuilibet quantumcunque flagitioso manus imposuissent, dummodo Pater noster dicere posset, ita saluatum æstimabant, vt absque omni satisfactione, absque omni alio remedio statim euolaret ad cælum, &c.

Inepta hæretici responsa.

62 Affert auctor faceta duas narrationes, quibus hæreticorum ineptiæ ac deliria egregiè illustrantur. Discesserat e vita hæreticus, cui, dum extremia viribus cum morte luctaretur, euocatus magister manum quidem imposuerat, sed æger antequam dominicam orationem pronunciaret, spiritum efflarat. hinc maxima contentione discruciari atque æstuare hæretici cœperunt, an damnatus, an exceptus cælo esset, cum vterque ritus desiderari videretur: ad soluendum dubium prænobilem equitem consuluere, qui re audita fluctuans animo, graui demum supercilio edixit, saluandum quidem illum esse, reliquos omnes, quibus ritus vterque impertitus non fuisset, æternis pœnis addicendos. Nec minus deridicula ac faceta altera est. Emungebant hæreticorum magistri plures pecunias a discipulis, ac legata corradebant a morituris, quibus certissimam salutem pollicebantur. Accidit ergo, vt prædiues magnas ijs opes relinqueret, quas cum defuncti heres dare nollet, rogauit an ille saluus esset? tum ij magna religione asserere, receptum cælo, nefas de ea re ambigere: quibus alter facetè subiecit: Abûdè est, pecunijs opus non est, vt in cælum admittatur, non enim ita vos improbos puto, vt iam felicitatem adeptum cælo detrahere ac depellere velitis. Addit auctor insana alia ac blasphema hæreticorum dogmata.

Fœda hæreticorũ impudicitia.

63 *Non credimus autem silendum, quod & quidam hæretici dicebant, quod nullus poterat peccare ab vmbilico & inferius. Imagines quæ sunt in ecclesijs dicebant idololatriã, campanas earum tubas dæmonum affirmabant. Item dicebant, quod non peccabat quis grauius dormiendo cum matre, vel sorore sua, quàm cum qualibet alia. Illud & inter supremas fatuitates dicebant, quod si quis de perfectis peccaret mortaliter, comedendo videlicet modicissimum carnium, vel casei, seu oui, vel alicuius rei sibi inhibita, omnes consolati ab illo amittebant Spiritum sanctum, & oportebat eum iterum reconsolari: & etiam saluati pro peccato consolatoris cadebant de cælo.*

Vvaldensium hæresis.

64 Pergit auctor de Vvaldensium hæresi differere, qui sub specie religionis omnem religionẽ & pietatem euertebant, adeo vt suos baptismo ac sacramentis Ecclesiæ abrenunciare cogerent, adeoque de mente deiecti erant, vt in ferendis sandalijs maximam collocarent sanctitatem, vt ob id, non susceptis etiam ordinibus, Christi corpus conficere possent: *Erant præterea alij hæretici, qui Vvaldenses dicebantur, a quodam Vvaldio nomine Lugdunensi. Hi quidem mali erant, sed comparatione aliorum hæreticorum longè minus peruersi: in multis enim nobiscum conueniebant, in aliquibus dissentiebant: vt autem plurima de infidelitatibus eorum omittamus: in quatuor præcipuè consistebat error eorum, in portandis scilicet sandalijs more Apostolorum, & in eo quod dicebant nulla ratione iurandum vel occidendum. In hoc insuper quod asserebant, quemlibet eorum in necessitate, dummodo haberet sandalia, absque ordinibus ab episcopo acceptis posse conficere corpus Christi. Hæc nos de sectis hæreticorum breuiter excerpsisse sufficiat. Quando aliquis se reddit hæreticis, ille dicit, qui recipit eum: Amice si vis esse de nostris, oportet, vt renuncies toti fidei, quam tenet Romana Ecclesia. respondet, abrenuncio. Ergo accipe Spiritum sanctũ a bonis hominibus, & tunc spirat ei septies in ore. Item dicit illi: Abrenuncias cruci isti, quam tibi fecit sacerdos in baptismo, in pectore, & in scapulis, & in capite de oleo & chrismate? Respondet, abrenuncio. Credis quod aqua illa operetur tibi salutem? respondit, non credo. Abrenuncias vela illi, quod tibi baptizato sacerdos posuit in capite? respondet, abrenuncio. Ita accipit ille baptismum hæreticorum, & abnegat baptismum Ecclesiæ. Tunc ponunt omnes manus super caput eius & osculantur eum, & induunt eum veste nigra, & ex illa hora est quasi vnus ex ipsis, &c.* Grassabantur etiam Ruptarij, aliàs Rotarij dicti, qui non tam hæresi infames, quàm sceleribus omnibus contaminatissimi, id nomen ab infestandis obsidendisque vijs ac expilandis viatoribus traxerant. crebra de ipsis tanquam sicarijs crudelissimis apud Vallisernensem mentio, ac plura ab ijs funestis illis temporibus tam apud Innocentij literas, quàm alios auctores crimina perpetrata leguntur. Horrebant eiusmodi pestibus infelices ex regiones, ad quas elidendas legati operam nauare cœperunt.

65 Cum Bituricensis archiepiscopus licet instantibus prædictis duobus Fontis frigidi monachis hæreticos e Narbonensi prouincia eijcere neglexisset, Pontifex ipse suspensionis in eum sententiam ferri iussit, nec modò Philippum Regem per legatos, sed per literas quoque aduersus hæreticos impulit: *Ad sponsæ suæ vniuersalis videlicet Ecclesiæ munimentum, pontificalẽ, & regiam Dominus instituit dignitatem, vnam quæ foueret filios, aliam quæ aduersarios expugnaret: vnam quæ subditorum vitam verbo instrueret & exemplo, aliam quæ iniquorum maxillas in fræno cohiberet, et chamo, ne pacem Ecclesiæ perturbarent: vnam quæ inimicos diligeret et pro persecutoribus etiam exoraret, aliam quæ ad vindictam malefactorum, et laudem bonorum gladium materialem exerceret, et armis quietem ecclesiasticam tueretur. Expedit igitur, vt et spiritualis auctoritas et secularis potestas suæ causam institutionis attendens concurrant ad Ecclesiæ defensionem in vnum, et vtraque alteri suffragetur, vt quos a malo ecclesiastica non reuocat disciplina, brachium seculare compescat, et eos qui feritate propria confidentes, gladium materialem non timent, spiritualis vltio subsequatur. Ne igitur sine causa portare gladiũ videaris, oportet, vt apprehendens arma & scutũ in adiutorium eius potenter assurgas, cuius vestis, quod dolentes referimus, in regno Francorum scissuram patitur, cuius vineam vulpis paruula demolitur, & cuius oues luporum insultibus exponuntur.* Et infra: *Cæterum quia non caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare, vt facientes & consentientes par pœna constringat, si qui comitũ, baronum, vel ciuium eos de terra sua eliminare noluerint, aut eos receptare præsumpserint, aut ausi fuerint confouere, ipsorum bona confisces, & totam terram eorum dominio regio non differas applicare, &c. Dat. Lateran. v. Kal. iun.* Additur in regesto: *Scriptum est Senonen. archiepiscopo et suffraganeis eius, vt eum ad hoc efficaciter moneant, et inducant.*

a Lib. 7. ep. 79.

66 Post hæc significantibus Pontifici Petro & Rodulpho monachis, Apostolicæ sedis legatis in nonnullis ecclesijs legationi suæ subiectis, sacerdoria ac dignitates aliquot tamdiu vacasse, vt prælati & capitula ex Lateranensis concilij præscripto ea conferendi iure excidissent, vbi verò eorum innotuisset aduentus, minus idoneos promouere præsumpsisse, hæc legatis rescripsit: a *Discretioni vestræ mandamus, quatenus si beneficia vel dignitates noueritis personis idoneis assignatas, eas de patientia permittatis ab ipsis pacifice possideri, alioquin personas amouentes prorsus ab ipsis, eas de personis auctoritate nostra suffulti non differatis quantocyus ordinare.* Cùm de sacerdotijs inciderit mentio, silentio obruendum non est, Innocentiũ hoc eodem anno sanciuisse b Apostolicæ sedis legatũ patronis etiã inconsultis eadẽ conferre posse. Decreta etiam fuerat in Gallias alia legatio: cum enim inter Philippum Francorum, ac Ioannẽ Angliæ Reges graui,

Omissa sacerdotiorũ prouisio deuoluta ad Pontificẽ.

b Idib. ep. 163. habetur c. lic. de supplẽd neglig. prælat.

c Lib. 6. ep. 241.

Inn. ad cõciliandam Angl. inter & Frãc pacem studium.

nia, de quibus supra, dissidia arsissent, Innocentins Papa abbati Casemarij, illis in partibus pro Apostolica sede legatione fungenti in mandatis dedit, a vt pacem vel inducias iniri operam nauaret. Cæterùm quid ille persecerit, illustrat Innocentij vitæ scriptor:

a Lib. 7. ep. 44.

67 *Hic*, Innocentius scilicet, *ad reformandam pacem, vel componendam treguã inter Philippum Regem Francorum, & Ioannem Regem Anglorum abbatem Casemarij destinauit* (qua de re superiori anno) *Qui cum ad hoc per annum integrum laborasset, de Francia in Angliam, & de Anglia in Franciam discurrendo, videns tandem se non posse proficere, conuocauit archiepiscoporum, & episcoporum, & abbatum concilium apud ciuitatem Meldensem, in quo* * *præsens Rex Franciæ per eosdem archiepiscopos & abbates fecit ab eo ad sedem Apostolicam appellari, quorum appellationi noluit ipse deferre, nisi iurasset, quod in termino, quem illis præfigeret, appellationem ipsam in proprijs prosequerentur personis. Sed summus Pontifex ab huiusmodi iuramento illos absoluit, indulgens eis de speciali gratia, vt aliquot ex parte omniũ ad prosequendã appellationem venirent. Venerunt igitur in termino constituto Senon. & Bituric. archiepiscopi, Parisien. Melden. Cathalaunen. & Niuernen. episcopi, & multi honorabiles clerici procuratores omnium aliorum, quibus diutius expectantibus, prænominatus Rex Angliæ pro se neminẽ destinauit, negligens prosequi causam suam, ex qua negligentia quantum ei damnum prouenerit satis patet: cum in breui tempore totam Normandiam, & Andegauiam, & Aquitaniam perdiderit penè totam. Prædicti verò archiepiscopi, & episcopi post expectationem diutinam in publico consistorio sub verbo veritatis tanquam pontifices sunt professi, quod ipsi non appellauerant ad mandatum Apostolici eludendum: sed quia sua interesse credebant, maximè cum crederent in hac parte suum Regem iustam causam habere; sed si nec istud sufficeret, & in aliquo essent domino Papæ suspecti, purgationem canonicam offerebant, quam eis dominus Papa remisit.* Hæc ibi. Ingentem illam iacturam, quam Ioannes ditionis suæ passus est, tradunt pariter Robertus, b qui Sigeberto appendicem adiecit, Matthæus Parisius, c ac Flandriæ annales. d Verùm quid tantarum cladium sibi inustarum, raptarumque prouinciarum nuncio accepto socors & effœminatus Ioannes egerit, subdit Parisius: *Quod cum Regi Anglorum fuisset nunciatum, omnimodis cum Regina sua viuebat delicijs, cum qua sibi, se credidit omnia possidere.* Post hæc de portento, quod hoc anno contigit, hæc addit: *Eodem anno Kalendis aprilis in prima noctis vigilia tantus rubor in cælo apparuit in parte aquilonari & orientali, vt verus ignis ab omnibus crederetur.*

* præsens

Ioãni Angliæ Regi Normãnia, Andegauia & Aquitania ereptæ.

b Rob. de Monte app. ad chr. Sig. ann. 1204.
c Matth. Par. hist. Ang.
d Iac. Meyer. in Flan. ann.

Prodigiũ in cælo visum.

68 Postremò, vt Gallicanis rebus finis imponatur, extant Innocentij literæ tum ad e S. Crucis de Stampis decanum, & canonicos ipsos, eorumque ecclesiam in tutelam accepit, quam Philippus Rex Iudæis eiectis ex Synagoga, prophanoque cultu in sacros vsus verterat, construxeratque, tum ad Rhemense capitulum f de archiepiscopi electione agẽs, ob quam magnæ exortæ discordiæ, tum Arelatensem archiepiscopum Auraciensi episcopo graui atque incurabili morbo laboranti socium & adiutorem adiungi iubet g, tum ad alios, h quibus in archiepiscopum Burdegalensem, de quo turpiora ferebantur, inquirendi munus iniunxit, tum ad Ebredunensem archiepiscopum, & Rhoscauden. abbatem, quibus imperat, vt in Ventiensem pariter inquirerent, atque ob commissa scelera exuerent dignitate, denique ad Magalonenses S. Petri clericos, i quibus rescripsit quoties in dominicum diem peruigilium incideret, sabbato ieiunandum, atque pridie S. Matthiæ festo die, ieiunij religionem seruandam decreuit.

e Innoc. ep. 30.
Synagoga in ecclesiam Stãpis conuersa.
f Ep. 116.
g Ep. 134. Habetur. cap. ex parte tua ex. de cleric. ægrot.
h Lib. 6. ep. 216.
i Lib. 7. ep. 84.

69 Quod ad Anglorum Regem, quem paulo ante memorauimus, attinet; illatas sibi a Francorum Rege clades merito accepit, iuxta dominicum illud: a In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis b; qui enim Dublinensem archiepiscopum iniquè bonis spoliatum è regno eiecerat, cismarina sua ditione exutus est. Extat Innocentij epistola pro eodem antistite ad Regem missa, c vbi in primis studia, officiaq; sua erga illum perstringit. *Nouit regia celsitudo, & satis potest memoriter retinere, quoties suauibus verbis, & blandis eam pro ipso archiepiscopo duxerimus commonendam, & per alios fecimus commoneri, & quot & quantas preces tibi porrexerimus, vt eum qui per septem annos extra Regnum exulare fecisti, & in afflictione non modica, & officij erubescentia pastoralis per partes ignotas aliorum suffragia mendicare, in gratiam tuam reciperes, & ei ablata restitui faceres vniuersa. Quid autem super hoc nostra valuerint monitiones, & preces, subsequens rerum effectus euidenter ostendit, cum exauditi non simus, &c.* De his queritur de Rege ipso, iterumque eum rogare, monere, hortari, denique minas iacere. Cæterum Innocentius non hoc solùm, sed alia quoque munera hoc anno Eliensi episcopo commisit: ipsi d enim vnà cum Cantuariensi archiepiscopo ac Vvigorniensi episcopo de controuersijs, quæ dotis causa Regẽ inter, ac B. Riccbardi eius fratris defuncti vxorem erant, diligenter cognosceret, seque certiorem fieri iubet, eique præterea iniungit, e vt cum duobus pariter alijs de dissidijs inter Eboracensem archiepiscopum, & canonicos inquirat. Nec prætermittimus eundem Pontificem, hoc itidem anno antiquum Londoniensis ecclesiæ priuilegium confirmasse, f quo eius antistes in subscriptionibus præ alijs prouinciæ illius episcopis potiorem locum haberet. atque hactenus de Britanniæ rebus.

Iusta in Angliã Dei vindicta.

a Id. ib. ep. 150. habetur etiam c. ex parte ex. de obseruatione
b Matth. 7
c Lun. l. 9. ep. 171.
d Ep. 35.
e Lib. 7. ep. 168.
f Id. lib. ep. 182.

70 Iam ad Innocentij gesta reuertamur. post enarratas Regis Legionensis cum Castellæ Regis filia incestas nuptas, ob quas fidelium communione eiecti, vt vidimus, fuerant, de ipsis postmodum resipiscentibus, ac solutis anathemate hæc breuiter adijciunt: *Licet autem aliquanto tempore in sua contumacia perdurassent, demum tamen redeuntes ad cor, incestuosam copulam dissoluerunt, & cum fuissent ab inuicem separati, præstito secundum formam Ecclesiæ iuramento meruerunt absolui.* Extant Innocentij literæ g 11. kal. iunias ad Toletanum archiepiscopum, & Burgensem, ac Zamorensem episcopos datæ, quibus præcipit, vt B. . . quæ ab illo recesserat, absolutionisque beneficium poscebat, absoluant iuramenti cautione accepta Apostolicæ sedis mandatis parituram, eisdemque ferè verbis ad Compostellanum archiepiscopum ac Zamorensem, & Palentinum episcopos 13. kal. Iulias scripsit, h præcepitque, vt Legionensi Regi, eiusque consiliarijs fautoribusque præcipuis absolutionis gratiam impertirentur, latamque in regnum interdicti sententiam relaxarent: postridiè verò eius diei Compostellano, ac Toletano archiepiscopis, alijsque duobus episcopis in mandatis dedit, i monerent, iuberentque oppida, quæ siue dotis titulo, siue donationis propter nuptias, vel quoquomodo ipsi Legionensi Regi tributa essent, eidem restituere, vel saltem si quid res haberet quæstionis, eadem oppida ipsis traderet, donec ab electis vtrinsque partis consensu arbitris, vel ab ipso Pontifice decerneretur.

Castellæ rex dissolutis nuptijs incestis reconciliatus Ecclesiæ.
g Lib. 7. ep. 67.
h Ep. 96.
i Ep. 93.

71 Recensitis Castellæ rebus occurrũt Aragonicę, quæ ob sui dignitatem, maiestatemque non leuiter delibandæ sunt. Scribit Surita l veteres Aragonum Reges solemni olim pompa redimiri corona non cõsueuisse, sed cum nuberent, aut viginti annorum ætatem attingerent, equites creari solitos, ac tum susceptis regni habenis, regium nomen gessisse, Petrum verò Regem cum reputasset animo suæ fore dignitatis, si Regum cæterorum more vngeretur, quo

Aragonij accessus ad Innocentium.
l Surita l. 2. ep. 5.

maio-

maiori pompa nouæ rei initium daret, Romam profectum ab Innocentio regijs insignibus decoratum. Sed pietate potius, ac religione ductum, quàm inani ambitione constat, cùm insigni animi demissione regnum sedi Apostolicæ stipendarium esse iusserit, regiæque ornamenta dignitatis diuo Petro in eius ara consecrarit. Tantæ nos rei historiam, quò tutius veritatem assequamur, ex pontificio regesto decerpemus.

Ordo coronationis Petri Regis Aragonum.

a Lib. 7. ep. 229.

Anno septimo pontificatus domini Innocentij Tertij Papæ mense nouembris, a Petrus Rex Aragonum ad Apostolicam sedem accessit, vt ab eodem domino Papa militare cingulum, & regium acciperet diadema: venit autem per mare cum quinque galeis, & applicuit apud insulam inter Portum, & Hostiam, adducens secum Arelaten. archiepiscopum, præpositum Magalonen. cum quibus interfuit electus montis maioris, & alij quidam clerici nobiles, & prudentes. Proceres quoque secum adduxit Sanctium patruum suum, Vgonem de Baucio, Rocelinum de Marsilia, Arnaldum de Fotian. & alios multos nobiles & potentes. Missis autem ad illum equitaturis, & somarijs pene ducentis, fecit eum apud sanctum Petrum ad præsentiam suam idem dominus Papa venire, mittens in occursum ipsius quosdam Cardinales, senatorem Vrbis, & alios multos nobiles, & magnates, fecitque illum apud sanctum Petrum in domo canonicorum honorabiliter hospitari. Tertio verò die in festo videlicet sancti Martini præfatus dominus Papa cum episcopis, presbyteris, & diaconibus Cardinalibus, primicerio, & cantoribus, senatore, iustitiarijs, iudicibus, aduocatis, & scriniarijs, multisque nobilibus, ac populo copioso ad monasterium sancti Pancratij martyris prope transtyberim est profectus, ibique præfatum regem per manum Petri Portuen. episcopi fecit inungi, quem postmodum ipse manu propria coronauit, largens ei regalia insignia vniuersa, mantum videlicet & colobium, sceptrum & pomum, coronam & mitram, corporale ab eo recipiens iuramentum, cuius tenoris est talis:*

* scriniarijs

Inungitur a Portuẽsi episc.

Aragonij sacramentum.

72 *Ego Petrus Rex Aragonum profiteor, & polliceor, quod semper ero fidelis, & obediens domino meo Papæ Innocentio, eius catholicis successoribus, & Ecclesiæ Romanæ, regnumque meum in ipsius obedientia fideliter conseruabo, defendens fidem catholicam, & persequens hæreticam prauitatem. Libertatem & immunitatem ecclesiarum custodiam, & earum iura defendam. In omni terra mea potestati subiecta iustitiam, & pacem seruare studebo. sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Euangelia. Deinde præfatus Rex cum multo laudis præconio, & fauoris applausu coronatus redijt iuxta dominum Papam ad basilicam sancti Petri super cuius altare sceptrum & diadema deposuit, & de manu eiusdem domini Papæ militarem ensem accepit, regnumque suum beato Petro Apostolorum principi obtulit, illudque sibi constituit censuale per priuilegij paginam, quam eidem domino Papæ tradidit super ipsum altare, cuius tenor est talis:*

Fiduciariũ se Rom. Ecclesiæ constituit.

73 *Cum corde credam, et ore confitear, quod Romanus Pontifex, qui est beati Petri successor, vicarius sit illius, per quem Reges regnant, et principes principantur, qui dominatur in regno hominum, et cui voluerit, dabit illud. Ego Petrus Dei gratia Rex Aragonum, comes Barcinonæ, et dominus montis Pessulani cupiens principali post Deum beati Petri, et Apostolicæ sedis protectione muniri, tibi reuerendissime pater, et domine summe Pontifex Innocenti, et per te sacrosanctæ Romanæ Apostolicæ sedi offero Regnum meum, illudque tibi et successoribus tuis in perpetuum diuini amoris intuitu, et pro remedio animæ meæ, et progenitorum meorum constituo censuale, vt annuatim de camera Regis ducenta quinquaginta massa* mutina Apostolicæ sedi reddãtur, et ego, ac successores mei specialiter ei fideles, et obnoxij teneamur. Hoc autem lege perpetua seruandum fore decerno, quia spero firmiter, et confido, quod tu et successores tui me ac successores meos, et regnum prædictum auctoritate Apostolica defendetis, præsertim cum ex multo deuotionis affectu me ad sedem Apostolicam accedentem tuis quasi beati Petri manibus in Regem duxeritis solemniter coronandum. Vt autem hæc regalis concessio inuiolabilem obtineat firmitatem, de consilio procerum curiæ meæ præsenti venerabili patre meo.... Arelaten. archiepiscopo, & Sanctio patruo meo, & Vgone de Baucio, & Arnaldo de Fotian. baronibus meis sigilli mei feci munimine roborari. Actum Romæ apud sanctum Petrum anno Dominicæ incarnationis millesimo ducentesimo quarto, * IV. idus nouembris, anno regni mei octauo. His omnibus rite peractis fecit eum dominus Papa per Vrbem ad ecclesiam sancti Pauli deduci, vbi galeas inueniens præparatas intrauit, & Apostolica benedictione munitus ad propria meruit cum prosperitate redire.*

* mutina

* III.

74 Hæc ibi. quæ postmodum sequuntur, proximo anno in medium afferemus. De Petro Romam adueniente, atque ab Innocentio Papa corona redimito meminit Rodericus Toletanus, a deque his, ac de Aragonia ab ipso Petro vectigali Pontificibus facta, Surita b ac Ioannes Mariana, c alijque agnut, quod verò regio diplomati adscriptus est annus 1204. nouembri mense, non modò habetur in manuscriptis Innocentij actis, quę apud nos extant, verùm in pontificio quoque regesto, & in literis ab Innocentio 4. Lugdunensi concilio approbante euulgatis (de quibus suo loco dicendum erit) d vbi idem Petri iusiurandum recitatur, atque ita omnino legendum esse ex epistola, quam Innocentius ad Regem anno sequenti 16. kal. iulias dedit, euidenter colligitur. De his enim ibi, vt iam ante peractis expressa mentio fit, quæ adnotasse voluimus, vt corrigatur mendum, quod in cusa gesta irrepsit, vbi datum legitur anno Dominicæ incarnationis 1205. longè autem grauius, quod attinet ad temporis rationem, errant nouatores, dum ex epitome mundi hæc tradunt: e *Petrus Rex Aragonum, comes Barcinonia, & dominus montis Pessulani regnum suum obtulit ann. 1214. Innocentio III. Papæ, illudque sibi & successoribus suis in perpetuum pro redemptione animæ suæ, ac progenitorum suorum cõstituit censuale, vt annuatim de camera ipsius Regis certi redditus Apostolicæ sedi reddantur, ac ipse & eius successores eidem specialiter fideles, & obnoxij teneantur.* Cæterùm antequam Petrus se ad Vrbem conferret, Innocentius Papa cum literas ab illo accepisset, quibus legatum in Hispanias mitti poscebat, qui principum voluntates contra Sarracenos coniungeret, supersedẽdum rescripsit; eo magis quod barbari tum temporis fortioribus viribus pollerent, eum Marrochetanus Rex ex Maioricarum item Rege, vt acceperat, triumphum egisset, ac regna duo in vnum coijssent, Petrumque hortatur, vt adolescentiam suam Deo deuoueat. Cum autem in Hispaniarum rebus decurrat oratio, silentio obruere non possum, Innocentium hoc eodem anno prædictis Burgensi, & Zamorensi, ac præterea Oxonensi episcopis Astoricensis episcopi nefarijs sceleribus notati causam demandasse. f His in medium adductis, ad Innocentij vitæ acta recurramus, quæ de Gualterio Siciliæ cancellario, deque sedis Apostolicæ legato in Siciliam misso hæc narrant. Venientem in Siciliam legatum Ecclesiæ conciliasse Capparonem, atque ab ipso exceptum Panormo regni administrationem suscepisse: cancellarium verò Gualterium, qui legatum mitti in regnum poposcerat, vrsisse Innocentium, vt ipsum vel Panormitanæ, vel Troianæ sedi restitueret, repulsamque passum, cum Innocentius de suscepti consilij constantia dimoueri nollet. addunt gesta de Diupuldo: *Diupuldus autem Panormum*

a Roder. Tol. de reb. Hisp. l. 6. c. 4.
b Surit. l. 2 c. 51.
c 10. Mar. l. 11. c. 21. an. 1204.
d Ann. 1245.
e Cent. 13 c. 7. col. 901. Error centuriator.
f Lib. 7. ep. 70.

Frid. legati custodiæ traditus.

accedens apud Guillelmũ Capparonem vsque adeo laborauit, quod Regem reddidit in manibus legati, & cancellarij, securitate ab illis accepta, promittens quod & palatium eis redderet, vt de cætero Rex & regnum pacem haberent; cumque de palatio Regem adducens perduxisset in ciuitatem cancellarium, & legatum, facto conuiuio epulabatur cum illis. Interea rumor insonuit, quod operaretur in fraudem, vt cum illos reduceret in palatium, paratis insidijs caperet vniuersos, quod a multis creditur falso fuisse confictum, vt hac occasione caperetur ab illis, & sic captus est, & detentus, sed minus perinde custoditus, per fugam euasit, redijtque Salernum filio in captiuitate dimisso. Hactenus gesta.

75 De Gerardo verò Cardinale legato agit Innocentius in epistola hoc anno IV. non. octobris ad Fridericum Siciliæ Regem data, a vbi se Gerardum S. Adriani diaconum Cardinalem nuper destinasse ait, quem de omnibus consular, de quibus Apostolicam sedem rogauerat, eodemque die ad ipsum legatum scribens b literas a Vvillelmo Capparone nomine regis scripras se accepisse ait, remque omnem de regni pace firmanda seu differenda ad ipsum reijcit: quæ repetit in data ad nobilem virum Vvillelmum Capparonem eodem die epistola. Nondum tamen ille anathematis vinculo solutus fuerat, quamobrem Pontifex insalutatum alloquitur. quod ad pacem attinet; ad eam comparandam L. regium protonotarium c tum Petrum d episcopum Panormi archiepiscopum designatum adhortatur. Extant etiam, vt cæteras res Italicas prosequamur, Innocentij literæ ad Patauiensem e episcopum, quibus Aquileiensem ecclesiam a se petijsse monet, vt ipsum patriarcham sibi asciscere, ac designare posset: qua de re eiusdem episcopi voluntatem exquirit. Porrò Patauiensem episcopum ad patriarchalem sedem euectum hoc ipso anno Henricus Stero testatur: f *Pilgrinus Aquileiensis patriarcha obijt, cui Vvolfkerus Patauiensis episcopus succedit, pro quo Peppo præpositus Aquileiensis constituitur.*

a Lib. 7. ep. 124.
b Ep. 135.
c Ep. 131.
d Ep. 136.
e Ep. 99.
f Ster. in Ann. apud Can. ant. lect. to. 1. pag. 243.

76 Hoc insuper anno scripsit g ad nobiles viros Manuelem, Iacobum, Odonem, Centium, & Deodatum Fraiapani de Trauersa a Tarracinensibus occupata; cumque de iudicio inter se conflictarentur, eos ad Apostolicam sedem causam reijcere iubet. Post huiusmodi autem epistolam recitatur ipsorum Tarracinensium fidelitatis sacramentum Romano Pontifici delatum: *In nomine Christi amen. Nos consules, & populus Terracinen. ab hac hora in antea erimus vecti fideles, & ligij homines domini Papæ Innocentij & successorum suorum, & Ecclesiæ Romanæ. Non erimus in dicto vel facto, consilio vel assensu, vt perdant vitam, vel membrum, aut capiantur mala captione. Consilium quod nobis crediderint, ad eorum damnum nulli manifestabimus; ipsorum certum malum, si forte sciuerimus, impediemus pro posse. Quod si forsitan illud per nos nequiuerimus impedire, significabimus illud per nos vel literas, aut nuncios nostros quam citò poterimus eis, vel tali personæ, per quam credamus, quod eis debeat fideliter intimari. Papatum Romanum, & regalia B. Petri, quæ habet tam in vrbe, quàm extra vrbem, & nominatim Terracinam cum omnibus pertinentijs suis adiutores erimus ad retinendum, & defendendum, & quæ non habet ad recuperandum contra omnes homines. Præterea guerram & pacem ad mandatum ipsorum contra omnes homines faciemus. Restituemus ipsi domino Papæ roccam Circegij, & assignabimus quibus ipse mandauerit. Munitiones quoque quas circa ciuitatem habemus, scilicet Pesclum montanum, & Ferronum, dabimus ad opus, & mandatum ipsius domini Papæ tenendas, nec vi nec dolo auferemus eas illis, qui de ipsius mandato ipsas tenebunt. Reddemus etiam ad mandatum ipsius vniuersa regalia, et iura, quæ in ipsa ciuitate cum pertinentijs suis Romana Ecclesia consueuit, et debet habere. Si Frangipani institerint, faciemus eis iustitiam sub examine domini Papæ, dummodo et ipsi iustitiam nobis exhibeant coram eo. Hæc omnia supradicta iuramus nos amodo seruaturos bona fide et recta intentione, sic nos Deus adiuuet, et hæc sancta Dei Euangelia.*

g Lib. 6. ep. 206.

Tarracinensium fides sacramentum Pontifici exhibitũ.

77 Cumque Florentini consules Fesulanum episcopum ad vrbem suam transferre niterentur, Fesulanum episcopum eis sese opponere, atque anathemate ipsos percellere iubet a, in quo versantur argumento literæ ad sancti Fridiani priorem Lucensem missæ. b Rauennati archiepiscopo præcepit, c vt prætorem & Mutinenses consules, clericos, atque ecclesiasticam libertatem violantes fidelium cœtu moueret: Placentinos episcopum suum acrius insectantes tanquam anathematis damnatos vitari iubet d: Longobardiæ, ac Rauennatis prouinciæ prioribus, alijsque præsulibus imperat, e vt Placentino episcopo in exilium acto Apostolico censu consulant, atque ad illũ scriptis literis indulget f, vt dum ab ecclesia sua exulat, tam vacantes, quàm vacaturas præbendas retinere possit. Qui verò delinquentes Placentinos pœnis iustis affecit, resipiscentes Assisinates ijs exoluit. Horum ciuitas interdicto olim supposita, quod Girardum Gilibertum anathemate damnatum prætorem sibi elegissent, resipiscentibus deinde parens optimus ignouit g ac peramanter amplexus est. Mantuano verò episcopo, vt terras comitissæ Mathildis ipsius Pontificis nomine recipiat, prouinciam tradidit h: inconsulto Papa vel eius vicario, ne vrbis abbatissæ immobilia vendere, alienare, & in feudum tradere vetat: i Casedei abbatem, suosque num in monte Piloso episcopalis sedes restituenda, quæ iam ante ab antecessoribus ablata fuerat, dispicere iubet: l Ioanni Odoni consobrino suo Montorij, alteriusque castri, cui Caminaras nomen, de vrbanorum iudicum consilio dominium m tribuit: Riccardo etiam germano suo nonnulla oppida ab antecessoribus Romanis Pontificibus ipsimet, posterisq; in feudum concessa, a monachorum quorundam insolentia defendit. n Reperitur præterea Innocentij diploma o datum Guidoni magistro hospitalium S. Mariæ in Saxia, & Spiritus S. in monte Pessulano, eiusque fratribus, cuius exordium est: *Inter opera pietatis.* Quo S. Mariæ in Saxia a se constructum xenodochium, cum xenodochio S. Spiritus montis Pessulani coniunxit. qui plura cupiat excusum iam diploma perlegere poterit. p

Florentini a transferendo Fesulano episc. repressi.
a Lun. 7. ep. 30.
b Ep. 21.
c Ep. 41.
Mutinenses anath. defixi ob Eccles. libert. violatam.
d Ep. 73.
e Ep. 134.
f Ep. 131.
Assisinates Ecclesiæ reconciliati.
g Ep. 83.
h Ep. 64.
i Ep. 167.
l Ep. 40.
m Ep. 102.
n Ep. 133.
o Ep. 95.
Coniunctio hospitalis S. Mar. in Saxia cum Hosp. montis Pessulani.
p Bullar. to. 1. p. 38.

78 Hoc etiã anno Ioannes Anglorum Rex Innocentio postulante, illam eidẽ xenodochio donationẽ contulit, quam regiũ huiusmodi diploma amplectitur.

Ioannes Dei gratia Rex Angliæ, dominus Hyberniæ, dux Normanniæ & Aquitaniæ, & comes Andeg. omnibus ad quos præsens charta peruenerit salutem.

Sciatis nos diuinæ pietatis intuitu, & pro salute animæ nostræ, & animarum antecessorum, & heredum nostrorum, & ob reuerentiam domini Papæ Innocentij Tertij, cuius preces super hoc recepimus, concessisse, & præsenti charta confirmasse hospitali, quod idem dominus Papa construxit apud ecclesiam sanctæ Mariæ in Saxia, quæ Anglorum dicitur, & Anglorum fuit hospitio deputata ante basilicam beati Petri positam secus stratam, centum marchas annuatim percipiendas ad scaccarium nostrum in termino sancti Michaelis quousque ecclesia de Gritile, quam dedimus prædicto hospitali in puram, & perpetuam eleemosynam ad vsum, & sustentationem infirmorum, & pauperum eiusdem hospitalis. Et cum vacauerit prædicta ecclesia, cessabimus in solutione prædictarum centum marcharum, testibus existentibus domino . . . Cantuarien. archiepiscopo, & Helien. I. . Norgicen. et VV. . Londonien. episcopis G. . filio Petri com. Essex. com. Gallo marescalco R. . com. Leycestriæ. Datum per manum L. . præpositi Bouer-*

Donatio ab Angl. hospitali S. Mariæ in Saxia facta.
* deuenerit

Beuerlacen. et archidiacono Vuellen. apud Gessin. vigesima quinta die martij anno regni nostri quinto. Hactenus Regis diploma literis insertum Honorij Tertij, [a] qui illud postea auctoritate sua communiuit.

a Hon. 3. l.1. ep.783

Sardinia Ecclesiæ Rom. obnoxia. b Inn. l.7. ep.109.

79 Hoc eodem anno Innocentius ad Pisanum archiepiscopum scriptis literis vetuit, ne Calaritanum marchionem sedi Apostolicæ sacramēto fidei se astringere prohiberet. *Quod insula* (inquit) [b] *Sardinia iuris ac proprietatis Apostolicæ existat, et iudices eius Ecclesiæ Romanæ iuramentum fidelitatis debeant, & soleant exhibere tua fraternitas non ignorat.* Turritano verò archiepiscopo præcepit, [c] vt Pisano antistiti Sardiniam ex ecclesiæ suæ priuilegio statis tēporibus lustranti assisteret, & quādiu in eadem esset prouincia, tanquam Apostolicæ sedis legato deferret, secus verò absenti, aliove tempore accedenti. hæc ad illum Pontifex, cui præterea vt perditos & dissolutos clericos, quemadmodum censebat, corrigere posset, facultatem fecit, [d] indulgetque, [e] ne quod contraxerat pater æs alienum, nisi in Ecclesiæ vsum conuerteretur, soluere non teneatur: cumque Turritanus iudex & vxor eius quarto & quinto consanguinitatis gradu coniuncti essent, & graue alioqui scandalum ex diuortio immineret, eiusdem præsulis arbitrio huiuscemodi causam committit, [f] archiepiscopos verò, cæterosque Sardiniæ præsules ei pro Romano Pontifice laboranti ad victum necessaria suppeditare iubet. [g]

c Ep. 110. d Ep. 112. e Ep. 141. f Ep. 107. g Ep. 108.

Ecclesiastici increpiti ob aditum secularare tribunal. h Ep 111.

80 At quoniam in eadem insula exemptarum ecclesiarum præsules ecclesiastico contempto foro coram laicis magistratibus inter sese iudicio contendebant, Innocentius Papa in ipsos commotus, hęc inter alia exprobrat: [h] *Quia verò in præiudicium ecclesiasticæ libertatis insolentia hæc redundat, vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quòd cum inter vos aliquid habueritis quæstionis, ad seculare forum contra sanctiones canonicas vos inuicem non trahatis, nec coram terræ iudicibus, vel officialibus eorundem, præsertim super causis ecclesiasticis contendatis, sed per nos vel legatum nostrum, cum in Sardinia fuerit, aut arbitros electos a partibus vestram persequimini aduersus personas ecclesiasticas rationem. Alioquin quia priuilegium meretur amittere qui permissa sibi abutitur potestate, quoniam vti libertate nescitis, redigemus vos in perpetuam seruitutem.* Hæc ecclesiasticæ immunitatis cultos, qui præterea eiusdem argumenti Turritano iudici literas dedit, [i] in eumque pariter inuectus est, clericos apud laicos causas dicere, iudiciaque subire coëgisse.

i Lib.7. ep. 113.

81 Demum vt rebus ab Innocentio hoc anno gestis finem statuamus, de eius beneficijs præter illa, quæ cum sese obtulit occasio, iam recensuimus, pauca innuenda remanent. priuilegia enim plura largitus est, multosque in Apostolicæ sedis tutelam accepit annuo censu duorum bisantinorum, vel libræ ceræ, aut rei alterius imposito, nempe Consaldo [l] priori ecclesiæ S. Crucis Colimbriensis, eiusque fratribus, priori [m] & fratribus de Thuregano, rectori [n] hospitalis de Pulchicauel, magistro [o] ac fratribus hospitalis de Bekekeg, Petro de Parisio [p] rectori [q], & fratribus xenodochij Riui cenerarij, & priori [r] S. Mariæ Magdalenæ de Vallesares. alijs præterea diplomatibus [s] beneficia impertitur, Romanæque Ecclesiæ patrocinium spondet.

l Lib 6. ep. 307. m Lib.7. ep 16. n Ep. 43. o Ep. 63. p Ep 80. q Ep. 146. r Ep. 160. s Ep.59.

Episcopalis sedes Lunēsis Sarzanā trāslata. t Ep. 45. u Ep. 24.

82 Cum præterea Cameracensis episcopus pro tuenda aduersus Namurcensem comitem, ecclesiastica libertate ære alieno oppressus esset, vt episcopalia aliquot bona, redditusque creditoribus suis attribueret, potestatem fecit [t] episcopo & capitulo Lunensi concessit, [u] vt sedem illam è Luna ciuitate populo destituta, Sarzanam transferre posset, translatamque auctoritate Apostolica confirmauit. Venturæ [a] Ariminensi episcopo, eiusque successoribus in perpetuum nonnulla, quæ ad S. Petri ius spectabant, annuo censu cōstituto, loca metropolitano adimit. Ad hæc dato Casentinis canonicis diplomate [b] de cuiusdā monasterij olim ab abbate Ioachimo cōstructo, translatione, & compensatione agit. Postremò addimus eundem Pontificem Alexandri III. decessoris sui (quod ipsemet ait) vestigia sectatum Furconij ecclesiam in clientelam recepisse, eiusque iura, ac priuilegia confirmasse. extant apud nos prolixiùs his de rebus diplomata duo vnà cum alijs ad eandem ecclesiam pertinentibus, desumpta ex Aquilanæ ecclesiæ archiuio. Furconio enim Aprutij in Vestinis diruto, & Aquila ex eius ruinis sub Friderico Secundo condita Alexander Quartus Furconiensem ecclesiam illuc transtulit. At de his suo loco dicendum erit. Cæterùm alteri ex his diplomatibus apposita est dies 7. kal. iul. alteri verò ipsæ kalendæ adscriptæ, eidemque diplomati hæ subscriptiones adiectæ:

a Ep.39. b Ep.81.

Furconiēsis sedem Aquilam traducta.

Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ episcopus.
Ego Octauianus Ostiensis, et Velletrensis episcopus.
Ego Petrus Portuensis, et sanctæ Rufinæ episcopus.
Ego Ioannes Albanensis episcopus.
Ego Petrus tituli S. Cæciliæ presbyter Cardinalis.
Ego Guido presbyter Cardinalis sanctæ Mariæ trans Tyberim, et Calixti.
Ego Vgo presbyter Cardinalis sancti Martini, et Equitij.
Ego Ioannes tituli sancti Stephani in Cœliomonte presbyter Cardinalis.
Ego Ioannes tituli sanctæ Priscæ presbyter Cardinalis.
Ego Concius SS. Ioannis, et Pauli presbit. Card. et Pammachij.
Ego Benedictus, et sanctæ Susannæ presbyter Cardinalis.
Ego Gratianus SS. Cosmæ, et Damiani diaconus Cardinalis.
Ego Gregorius S. Georgij ad velum aureum diaconus Cardinalis.
Ego Vgo S. Eustachij diaconus Cardinalis.
Ego Ioannes in Cosmedim diaconus Cardinalis.

Dat. Lat. per manum Ioannis S. R. E. subdiaconi, et notarij Kal. iul. indictione 7. incarnationis Dominicæ anno M. CC. IV. *pontificatus verò D. N. Innocentij Papæ Tertij anno septimo.*

IESV CHRISTI
Annus 1205.

INNOCENTII PP. III. annus 8. | VACAT IMP. OCCID. an. 8. BALDVINI IMP. annus 2.

1 CONfudit luctu Gallorum triumphos, ac defixa in Græcia trophæa magna ex parte euertit, cæso ad Adrianopolim a Bulgaris ipsorum exercitu & Balduino Imp. capto, ac postmodum sublato annus post millesimum ducentesimus quintus indictione octaua: & fortè ea scelerum iusta vltio extitit, quæ in Constantinopoleos expugnatione elatus, & furens victoria miles perpetrarat. Sed antequam lugubrem casum referamus, præmittenda ea videntur, quæ ad Constantinopolitani Imperij res componendas, ac sceptrum fragile cōfirmandum peregerit Innocētius. Sancita percussaque certis legibus fuerant Gallos inter & Venetos fœdera, quæ vt maiori religione seruarentur, Balduinus ab Innocentio his literis flagitauit, [c] vt ea Apostolica auctoritate communiret.

c Innoc. l.7 ep.201. Pactorum inter Venetos & Francos confirmatio a Pontifice petita.

Sanctissimo patri domino Innocentio Dei prouidentia summo Pontifici Balduinus eadem gratia fidelissimus in Christo Constantinop. Imperator n Deo coronatus

manorum moderator, et semper Augustus, Flandriæ, Aynaque comes cum debita subiectione obedientiam humilem, et deuotam.

Statum & processum exercitus Christiani & nostrum nuncijs nostris literis paternitati vestræ plenius explanasse meminimus. Nunc autem conuentiones inter nos & peregrinos ex vna parte, &. . . ducem Venetorum, & Venetos ex altera ante expugnationem regiæ ciuitatis, habitas sigilli nostri munimine roboratas vobis curauimus destinare, sanctitatem vestram, sicut tenemus, attentius rogantes, vt dictas conuentiones ratas habeatis, & eas auctoritatis Apostolicæ munimine confirmetis: sanctitatem etenim vestram nosse volumus, quod cum memorato duce, & Venetis societatem bonam, & fidelem insimul habuimus, & eos cooperatores probissimos, & efficaces ad honorem Dei, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Imperij nostri, sicut ipsa opera demonstrant, inuenimus, & in futuro desideramus habere, cum & ad regimen Imperij nostri, & ad subuentionem Terræ sanctæ, & ad vnitatem Ecclesiæ conseruandam societas eorum vtilis sit, & necessaria, nec sine eorum societate & amore Imperium nostrum ad honorem Dei, & vestræ sanctæ sedis regi valeat competenter.]

2 Misit etiam suos oratores Henricus Dandulus Venetorum dux ad Innocentium, vt fœderi contracto Apostolicam auctoritatem adijceret, datisque literis facti sui in excisa Iadera, atque expugnata Constantinopoli rationem reddidit; eam nimirum vrbem longa rebellione suis imperijs post violata fidei sacramenta se subduxisse, ob quam meritas in eam iras effudisset, nec se, vt ferebat rumor, credidisse, ipsius clientelæ commissam, vel inducere in animum potuisse, sedem Apostolicam in fidem suam eos arripere, qui se cruce insigniant, vt eam gestent, non vt iter conficiant; deinde impressisse in Constantinopolim impetus suos, præstita prius cautione ab Alexio de adducenda in Pontificis obsequium Græcia; demum ijs fidem frangentibus, ac proditione extinctis, nouisque tyrannis exorientibus, qui Latinos lacessiuerant, feliciter de ijs triumphatum; tum demissè efflagitat, vt oratorum petitis placidè obsecundet.

Venerabili in Christo patri, et domino Innocentio Dei gratia sanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici Henricus Dandulus Dalmatiæ, atque Croatiæ dux vester humilis, et deuotus, cum omni deuotione seruitium.

[a] Apud Inn. l. 7. ep. 202.

Notum [a] facio sanctitati vestræ, quod cum crucem assumpserim pro seruitio Iesu Christi, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ transmeandi gratia de Venetijs iter arripuerim, necessitate temporis hyemalis ingruente oportuit me cum stolio meo, & peregrinorum apud Iaderam hyemare, quæ cum rebellis mihi, & Venetijs longo tempore iniustè per proditionem contra iuramenta præstita, * de ciuitate, & ciuibus, secundùm quod moris est, inuicem se inimicantium iustè, vt existimaui, sumpsi vltionem. Verùm quia vt dicebatur, in vestra erat protectione, quod ideo non credebam, quia non existimo vos, nec antecessores vestros illos sub protectione recipere, qui crucem accipiunt tantùm, vt eam portent, non etiam iter perficiant, propter quod peregrini solent crucem accipere, sed & aliena inueniant, & iniustè detineant, paternitati vestræ contra me & Venetos sententiam excommunicationis placuit promulgare, quam patienter & humiliter sustinuimus, vsque quo per dominum Petrum tituli sancti Marcelli presbyterum Cardinalem, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ legatum præstita condigna satisfactione meruimus absolutionem secundùm ordinationem vestrorum nunciorum, & scriptorum paginam vestræ poterit sanctitati clarius innotescere.

* esset

Dandulus excusat se de Iadera excisa.

3 Superueniente autem inspiratione diuina magis, quàm humano, vt opinamur, consilio Alexio filio quondam Isaacij Imperatoris Constantinopolitani, eundi in Romaniam iter arripuimus, & ipsum, sicut Domino placuit, præstita ab eo cautione de obedientia sanctæ Romanæ Ecclesiæ, expulso Alexio auunculo suo, captaque Constantinopolitana ciuitate cum magno periculo, & labore curauimus, prius ab Isaacio patre ipsius, & parentibus eius, & pluribus alijs magnatibus ciuitatis, eadem securitate accepta, quæ cum in dicta promissione mendaces, & fallaces existerent, ipsos tanquam inimicantes sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Christianitatis proditores diffidauimus quibus, scilicet patre, & filio, per Græcorum proditionem extinctis, alijsque Græculis sublimatis, Græcorum sustinentes molestias, & infestationes assiduas tam per mare mittentium ad nos naues accensas, vt nostrum nauigium combureretur, & diuturna bella inferentium, quam per terram multis, varijsque modis communicato consilio omnium clericorum, & laicorum exercitus, conuentionibus quibusdam inter nos & ipsos præmissis, sicut ex tenore exempli dictarum pactionum sanctitas vestra poterit clarius cognoscere, ciuitatem Constantinopolitanam ad honorem Dei, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Christianitatis subuentionem decreuimus debellandam, quod & Christi suffragante misericordia, vestroque merito, nostroque laborioso studio præcipuè præ cæteris viribus contra omnium opinionem perfectum est. Capta igitur ciuitate, multaque strage Græcorum interueniente, Marcoflus, qui tunc erat Imperator cum suis sequacibus de ciuitate aufugerunt, & secundum inter nos scriptum constitutum, & sacramentum adimpleuimus. Cognoscat igitur sanctitas vestra, quod ego vnà cum venerabili populo quicquid fecimus ad honorem Dei, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ & vestrum, laborauimus, & in nostra voluntate habemus similiter laborare. Vnde supplico sanctitati vestræ, quatenus petitiones quas nuncij mei viri nobiles, & discreti, scilicet Leonardus Naugaiosus dilectus nobis nepos, & Andreas de Mulin. quos ad pedes sanctitatis vestræ transmittimus, fecerint, benignè exaudire dignetur vestra sanctitas, & effectus mancipare.]

4 Quænam verò extiterint pacta contracta, ex Innocentij regesto actisque petenda, nimirum, vt sex ex vtraq; parte electores ad creandum Imperatorem constituerentur, qui si in æquas partes distraherentur, sortis alea iaceretur, qua ratione dirimenda inter eos præda, cæteraque componenda essent. *In nomine [a] Dei æterni Amen. Nos quidem B... Montisferrati marchio, & Balduinus Flandriæ, & Hannoniæ L.... Blesen. & Claromontis H.... sancti Pauli comites pro parte nostra vobiscum vir inclyte domine Henrice Dandule Venetiarum, Dalmatiæ atque Croatiæ dux & cum parte vestra, ad hoc vt vnitas, & firma inter nos possit esse concordia, et ad omnem materiam scandali euitandam ipso cooperante, qui est pax nostra, et fecit vtraque vnum, ad eius laudem et gloriam talem duximus ordinem obseruandum, vtraque parte iuramento astricta. Inprimis omnes armata manu Christi inuocato nomine ciuitatem expugnare debemus, et si diuina auxiliante potentia ciuitatem intrauerimus, sub eorum regimine debemus manere, et ire, qui fuerint super exercitum precelecti, et eos sequi secundùm quod fuerit ordinatum. Totum quidem hauere quod in ciuitate inuentum fuerit, a quolibet duci debet, & poni in commune eo loco quo fuerit ordinatum, de quo tamen hauere uobis, & hominibus Venetis tres partes debent solui, pro illo hauere quod Alexius quondam Imperator vobis & nobis soluere tenebatur. Quartam verò partem nobis retinere debemus, donec fuerimus in ipsa solutione coæquales. Si autem aliquid residuum fuerit, debemus*

[a] Ext. in vita Innocent. 3.

Conuentiones de præda diuidenda.

per

per medietatem inter vos, et nos diuidere, donec fueritis * apacati. Si verò minus fuerit, ita quod non possit sufficere ad memoratum debitum persoluendum, vndecunque fuerit prius hauere acquisitum, ex eo debemus dictum ordinem obseruare; saluis tamen victualibus, quæ debent obseruari, & diuidi tam vestris, quam nostris æqualiter, ita quod vtraque pars possit inde congruè sustentari. Quod autem residuum fuerit, partiri debet in aiio hauere iuxta ordinem prænominatum. Vos etiam & homines Veneti liberè, & absolutè absque omni controuersia per totum Imperium habere debetis omnes honorificentias, & possessiones, quas quondam consueuistis habere tam in spiritualibus, quam in temporalibus, & omnes rationes, siue consuetudines, quæ sunt in scripto & sine scripto.

* placati

De electoribus Imperatoris.

5 Debent etiam sex homines eligi pro parte vestra, & sex pro nostra, qui iuramento astricti, eam personam eligere debent de exercitu, quæ credetur melius scire, & melius posse tenere, & melius scire ordinare terram, & Imperium ad honorem Dei & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Imperij, & si fuerint in vno concordes, illum debemus Imperatorem habere, quem ipsi concorditer elegerint. Si verò sex in vna parte, & sex in alia concordauerint, sors mitti debet, & super quem sors ceciderit, debemus pro Imperatore habere, & si plures consenserint in vna parte, quam in alia, illum Imperatorem habebimus, in quem maior pars consenserit; si verò plures partes fuerint, quàm duæ super quem maior pars concordauerit, sit Imperator. Debet verò ille Imperator habere vniuersam quartam partem acquisiti Imperij, & palatium Blacbernæ & Buccam leonis: reliquæ verò partes per medietatem inter vos & nos diuidantur. Cæterùm de partito inter eos Imperio hæc Guntherus a. Prouinciæ autem eiusdem regni in tres partes diuisæ sunt, vnam quæ ad fiscum Regis specialem pertineret, alteram, quam Veneti possiderent, tertiam quæ data est marchioni, Thessalonica videlicet & fines eius amplissimi.] Flandrenses verò annales tradunt b, Balduinum Augustum Bonifacium Ferratensem Creta Venetis permissa Thessaliæ Regem creasse. At quomodo Bonifacius cum Balduino, a quo, vt Niceta c ait, sese subduxerat, in gratiam redierit, atque ab omnibus exceptus Thessalonicam ingressus ac potentissimas vrbes facili negotio in suam redegerit potestatem, idem auctor enarrat, qui tamen, vtpotè Latinorum odio flagrans, ipsum in inuidiam coniectis criminibus adducit.

a Gunth. hist.Const. apud Can. antiq.lect. to.5.

Quomodo inter Victores Imperiũ Orient. diuisum.

b Iacob. Meyer. annal. Fland. an. 1204.

c Nicet. chro Annal. l. 3

6 Sciendum etiam quod clerici, qui de parte illa fuerint, de qua non fuerit Imperator electus, potestatem habebunt ecclesiam sanctæ Sophiæ ordinandi, & patriarcham eligendi ad honorem Dei, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Imperij. Clerici verò vtriusque partis illas ecclesias ordinare debent, quæ suæ parti contigerint. De possessionibus verò ecclesiarum tot, & tantum clericis, & ecclesijs debent prouideri, quòd honorificè possint viuere, & sustentari; reliquæ verò possessiones ecclesiarum diuisi, & partiri debent secundum ordinem præsignatum. Insuper etiam iurare debemus, tam ex nostra parte, quam ex vestra, quod ab vltimo die instantis mensis martij morari debemus vsque ad annum expletum ad Imperium, & Imperatorem manutenendum ad honorem Dei, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Imperij. Deinde verò in antea omnes, qui Imperio remanserint, ipsi Imperatori astringi debent iuramento secundum bonam, & rationabilem consuetudinem, & illi, qui tunc Imperio remanserint, vt prædictum est, iurare debent, quod firmas, et stabiles partes et rationabiles partitiones, quæ factæ fuerint, habebunt. Est autem & sciendum, quod a nostra, & vestra parte duodecim homines vel plures pro parte eligi debent, qui iuramento astricti feuda, & honorificentias inter homines distribuere debent, & seruitia assignare, quæ ipsi homines Imperatori, & Imperio facere debent secundùm quod illi bonũ videbitur, et conueniens apparebit. Feudum verò, quod vnicuique assignatum fuerit, liberè, et absolutè possidere debet de herede in heredem tam in masculo, quam in fœmina, et plenam habeat potestatem ad faciendum inde quicquid fuerit suæ voluntatis, saluo tamen iure, et seruitio Imperatoris, et Imperij. Imperator verò reliqua seruitia facere debet, quæ fuerint facienda, præter ea, quæ ipsi facient, qui feuda, et honorificentias possidebunt, secundum ordinem sibi iniunctum. Statutum est etiam, quod nemo hominum alicuius generis, qui communem guerram vobiscum et successoribus vestris, vel populo Veneto habuerit, recipiatur in Imperio, donec guerra illa fuerit pacificata. Teneatur etiam vtraque pars ad dandum operã bona fide, vt hoc a domino Papa possit impetrari, vt si aliquis contra hanc institutionem ire tentauerit, sit excommunicationis vinculo innodatus. Insuper Imperator iurare debet, quod firmas et stabiles partitiones et dationes, quæ factæ fuerint, irreuocabiliter habebit secundùm ordinem superius distinctum. Si verò aliquid in istis omnibus fuerit addendum, vel minuendum, in potestate, et discretione vestra, et vestrorum sex consiliatorum et domini marchionis, et eius sex consiliatorum consistat. Sciendum est etiam, quod vos præfate domine dux non debetis Imperatori, qui fuerit electus, vel Imperio ad aliqua seruitia facienda iuramentum præstare, propter aliquod datum, vel feudum, siue honorificentiam, quæ vobis debeat assignari, tamen illi, vel ille, quem vel quos loco vestro statueritis super his, quæ vobis fuerint assignata, debeant iuramento teneri ad omne seruitium Imperatori, et Imperio faciendum iuxta omnem ordinem superius declaratum. Dat. anno domini 1204. mense martij indict. 7.

Iniqua de possessionibus Ecclesiasticis conuentio

Constituitur hereditariũ Imperium.

7 Subdunt gesta Pontificem ijs acceptis ancipiti animo, vt in re grauissima fluctuantem ad deliberandum non modò Cardinales, verùm alios prudentia spectatissimos coegisse. Torquebat enim Pontificis animum, multa in ijs fœderis legibus iniqua contineri, ac maximè grauari clericos opprimique; tum grauissima scelera in expugnatione Constantinopoleos patrata, & crucesignatos Christianorum terras, qui ipsos itinere in Terram sanctam non arcebant, contra Apostolicum imperium inuasisse. Contra leniri crimen deleriue videbatur ob Græcorum perfidiam, qui ab Ecclesia se diuulserant, opemque Terræ sanctæ laboranti ferre rogati ab Innocentio respuerant, atque Alexij tyrannidem, defenderant qui Imperio fratrem iniustè depulerat. Sed opponi poterat ipsos vltionem iniquè aggressos, cum expetendæ illius accipiendæque nulla ipsis potestas ac prouincia commissa fuisset. Re ergo vtramq; in partem prudentissimorum examine librata ad marchionem Montisferrati, qui sedem Apostolicam de ea re consuluerat graues literas exarauit. a

a Lib 8. ep 131. extat etiã in gest. Innocentij.

Innocentius, &c.

Vos nullam in Græcos iurisdictionem, aut potestatem habentes, a puritate voti vestri temerè declinasse videmini, dum non contra Sarracenos, sed contra Christianos arma mouistis, non intendentes ad recuperandum Hierusalem, sed Constantinopolim occupandũ, terrenas opes cælestibus diuitijs præferendo. Illud quoque longe grauius reputatur, quod quidam nec religioni, nec ætati, nec sexui pepercerunt, sed fornicationes, adulteria, & incestus in oculis omnium exercentes, non solum maritatas, & viduas, sed etiam matronas, virgines, Deoque dicatas exposuerunt spurcitijs gartionum. Nec imperiales suffecit diuitias exhaurire, ac deripere spolia maiorum pariter & minorum, nisi ad ecclesiarum thesauros, & quod grauius est, ad ipsarum possessiones extenderitis manus vestras, tabulas argenteas de altaribus rapientes, & violatis sacrarijs, cruces, icones, & reliquias asportantes, vt Græcorũ ecclesia

Pontifex arguit crucesignatos ob captã Constantinopolim.

Sacrilegia a Latinis commissa.

quantumcunque persecutionibus affligatur, ad obedientiam Apostolicæ sedis redire contemnat, quæ in Latinis non nisi perditionis exempla, & opera tenebrarum aspexit, vt iam meritò illos abhorreat plusquam canes. Tu verò contra iurisdictionem & potestatem indebitam, vel potius vsurpatam Apostolicæ sedis legati consilium allegasti, tanquam ex eo vobis licuerit cum præfato adolescente ad restituendum sibi Constantinopolitanum Imperium proficisci, quamuis & id potueritis allegare, quod cum vos victualium defectus vrgeret, sine quibus non poteratis votum crucis implere, licuerit vobis propter causam adeo necessariam operas vestras illi locare, qui iustam causam prosequi videbatur, præsertim cum per hoc intenderitis finaliter ad Terræ sanctæ succursum, & Apostolicæ sedis augumentum: cumque pollicitam vobis, & debitam negauerint illi mercedem, iuramentis & pactis penitus violatis, quin etiã armis, igne, dolo & toxico vos sæpius attentauerint, tanquam in arcto positi tracti fuistis, vt contra schismaticos, & periuros debita vobis iniustè negantes exerceretis debitam vltionem. Diuinum enim videtur fuisse iudicium, vt qui tamdiù misericorditer tolerati, & toties non solùm ab alijs, sed etiam a nobis studiosè commoniti, noluerunt redire ad Ecclesiæ vniuersitatem, nec vllum Terræ sanctæ subsidium impertiri, per eos, qui ad vtrumque pariter intendebant, amitterent locum, & gentem, quatenus perditis malè malis, terra bona bonis agricolis locaretur, qui fructum reddant tempore opportuno.

Diuina in regnis transferẽdis prouidentia.

8 Quia verò iudicia Dei nonnunquam adeo sunt occulta, vt a Propheta dicantur abyssus multa, ita vt & Apostolus exclamare cogatur: O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprensibilia sunt iudicia eius & inuestigabiles viæ eius! quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? nos de tam profundo iudicio nolentes temerè iudicare, præsertim antequam de veritate negotij plenius instruamur, cum & illi potuerint iustè puniri propter peccatum, quod commiserunt in Deum, & vos nihilominus iniustè punire propter odium, quod exercebatis in proximos, si tamen proximi sint dicendi, qui proximare contemnunt, cum & propter iustam illorum pœnam forsan iustam Deus dederit vobis mercedem, iuxta quod dixisse legitur in Propheta. Quia seruisti mihi in Tyro, dabo tibi Ægyptum: vnde Assur virgam sui furoris appellat; illud omissis dubijs tibi præ cætero duximus respondendum, in vno pariter & eodem tam Terræ sanctæ, quam Apostolicæ sedi, nec non animæ tuæ salubriter consulentes, vt sub timore Domini, & spe veniæ terram diuino iudicio acquisitam teneas, & defendas, & tenendam, ac defendendam acquiras, populos tibi in iustitia regens, sub pace conseruans, & religioni conformans; ita vt ecclesiastica bona restituas secundum propriam facultatem, pœnitens & satisfaciens de commissis, &c.] Hæc Pontifex ad marchionem Montisferrati. qui oratorem cum literis a omni officio plenis miserat ad Innocentium, vt de rebus gestis faceret certiorem, epistolæ titulus hic est: *Sanctissimo patri, & domino Innocentio diuina prouidentia summo Pontifici suus Bonifacius marchio Montisferrati Dei gratia regni Thessalonicensis & Cretæ dominus, cum optato pedis osculo tam deuotum obsequium quàm paratum.* Cui b Innocentius de eius erga Apostolicam sedem pietatis studio: *Gaudemus in Domino quod progenitorum tuorum vestigijs inhærendo, sicut nobis tuis literis intimasti & dilectus filius de Argento miles & nuntius tuus nobis retulit plenius viua voce, in Apostolicæ sedis deuotione persistis & tam personam quàm terram tuam nostris beneplacitis, & mandatis exponis.* Præterea Mariæ eiusdem marchionis vxori est gratulatus, c quod Græcorũ ritibus abiectis Latinos

a Lib. 8. ep. 59.

b Ibid. ep. 58.

c Ep. 134.

amplexa esset. Fuerat illa nuptui tradita Isaacio Imperatori, de quibus nuptijs agit Niceta, eamque Mariam Pannoniam appellat, ac licet ex Vngarorum regia stirpe sata, ita Græcis ritibus assueuerat, vt ijs pertinacissimè adhæresceret, extinctoq; Isaacio post captam Constantinopolim marchioni Montisferrati in matrimonio collocata pristinos ritus exuere recusaret, sed tandem emollita ad Latinam Ecclesiam se traduxit, cui Apostolicam gratiam & clientelam flagitanti Innocentius est pollicitus.

Pacta crucesignatorum iusta approbata inqua rescissa.

a Inn. l. 7. ep. 208.

9 Quod ad allatas crucesignatorum pactiones attinet; duas ex ijs irritas esse iussit infregitque Innocentius a, alteram qua statutum, vt ecclesiarum possessiones, reseruata clericis portione, qua honorificè vitam sustinerent, Francos inter Venetosq; diuiderentur, alteram qua decretum vt ad eam partem e qua delectus non foret Imperator, electio patriarchæ spectaret. & quidem de prima ita Innocentius Dandulo Venetorum duci: *Cum b ecclesiarum thesauros non sine creatoris offensa manus diripuerit violenta, maiorem culpam incurrerent, qui spoliatas thesauris ecclesias suis possessionibus mutilarent, nec deceret Apostolicam sedem illos hoc modo defendere, qui sic ecclesiasticam offenderent dignitatem. Præterea cum ad honorem Ecclesiæ Romanæ huiusmodi sint inita petitiones, & ferè in singulis hoc expressum, vt ad honorem eius omnia prouenirent, nec debuimus, nec potuimus confirmare, quod contra iuramentum ab vtraque parte communiter præstitum honori sedis Apostolicæ derogaret.* Flagitanti præterea Dandulo duci, vt ob ætatis grauiora incommoda nuncupato expeditionis Hierosolymitanæ voto solueretur, his officiosis verbis suscepta religione ipsum liberaturum negauit Innocentius: *Attendentes, quod tua circumspectio probitatis, subtilitas viuacis ingenij, & consilij maturitas sanioris exercitui Christiano multum sit in posterum profutura, cum Imperator prædictus, & crucesignati studium & solicitudinem tuam vehementer extollant, & inter homines de tua præsertim discretione confidant, petitioni huiusmodi ad præsens non duximus annuendum, ne vel nobis imputaretur ab aliquo, si hac occasione dissolueretur exercitus in Terræ sanctæ subsidium præparatus, vel tibi posset ab aliquo derogari, quod non in obsequium crucifixi assumpseris signum crucis, si tuam & tuorum iam vltus iniuriam non vlciscereris opprobrium Iesu Christi, & debellatis hostibus tuis hostes fidei negligeres debellare. Verùm cum sicut credimus, crucesignati adhuc peregrinationis propositum differre proponant, & ad solidandum Imperium remanere amplius in partibus Romaniæ, circa statum tuum, & necessitatem exercitus, cogitabimus amplius, & statuemus, dante Domino, quod viderimus expedire.*

b Regest. post eand. ep.

Retinendum censet Græc. Imp. Inn.

10 Parto cæterum a Latinis Græcorum Imperio non mediocri lætitia Innocentius, qui oppugnari illud incussis grauissimis censuris vetuerat, est delibutus, cum debellandæ facilius Mahumeticæ in Syria superstitionis spes egregia arrideret, atque ad illud retinendum conatus suos duxit collocandos, iustoque a numine supplicio ob Ecclesiæ Romanæ coniunctionem tandiu spretam perculsos censuit, vt ex ipsius literis c ad Rhemensem archiepiscopum Cardinalem Apostolicæ sedis legatum, ac suffraganeos datis patebit. *Postquam Græcorum populus rupto vinculo pacis ab vnitate discessit, elanguit, & circa fidem renuens confiteri, quod Spiritus sanctus, qui est vnitatis, æqualitatisque connexio procedat à Filio, sicut a Patre procedit. Quia igitur circa processionem Spiritus sancti profiteri renuit vnitatem, merito tenebras mortis incurrit, cùm ipse Spiritus omnem doceat veritatem, sicut Filius in Euangelio protestatur, spirituali etenim intellectu priuatur, quia peccauit in Spiritum, fermentum non eiecit a domo, vt epularetur in azymis sinceritatis & veritatis, sed veteri fermento retento corpus*

c Ep. 69.

Chri-

Christi, quantum in ipso est, comedit fermentatum, &c. Post hæc de Imperij translatione è Græcis schismaticis in Latinos catholicam fidem profitentes agit, additque de Balduino locutus: *Hic igitur sublimatus mirabiliter, nobis humiliter supplicauit, ut Apostolica sedis deuotos clericos simul, ac laicos nobiles & ignobiles cuiuslibet conditionis & sexus Apostolicis dignaremur exhortationibus inuitare, ut ad ipsius accedant Imperium, ab eo secundum qualitates, & merita personarũ gratas diuitias recepturi. Attendentes igitur, quod mutatio huius Imperij dextera mutatio sit excelsi, & ab eo factum sit istud, qui tempora mutat, & transfert regna, cùm per illud Terra sancta posset utilius subueniri, quin potius cùm per illud ista creditur posse recuperari fraternitatem vestram monemus, & exhortamur in Domino per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus tam clericos, quàm laicos efficaciter inducatis, ut ad capescendas spirituales pariter, & temporales diuitias ad præfatum Imperatorem accedant, qui, ut eius verbis utamur, cùm sufficiat uniuersis, quos ad eum Christiana religionis zelus adduxerit, singulos vult, & potest secundùm status suos, varietatemque natalium & augere diuitijs, & honoribus ampliare, &c.* Cæterùm inscriptæ sunt hæ literæ in huius anni regesto[a] Rhemensi archiepiscopo sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, & Apostolicæ sedis legato, eiusque suffraganeis, atque in eandem rationem, ut ibi subditur, ad Rhotomagensem, Bituricensem, Viennensem, Senonensem, Burdegalensem, Lugdunensem, & Turonensem archiepiscopos, eorumque suffraganeos scriptum. Vnde corrigendus est in actis eiusmodi præfixus epistolæ titulus: *Scribitur prælatis Romaniæ*, non enim illis, sed occidentalibus præsulibus has literas misit Innocentius, quod non solùm ex modò dictis, verùm ex ipso quoque contextu apparet.

Pontifex a Balduino rogatus, ut Latinos ad petendũ Constantinopolim inuitaret.

a Inn. l. 8. ep. 70.

11 Quid verò a Balduino Imperatore rogatus ad uniuersos Galliæ archiepiscopos, episcopos, cæterosque præsules scripserit, ab eodem Põtifice referr audire, qui religiosissimi principis pietatem sempiternis monumentis consecraram reliquit[b]: postularat enim ab Innocentio, ut viros pietate spectatissimos ad excolendum ipsius Imperium, ac libros sacros transmitteret, cui Pontifex ita est obsecutus: *Volentes Imperatorem eundem tanto benignius in suis petitionibus exaudire, quanto maiorem in maioribus frequẽter sumus eius fidei sinceritatem experti, vestras uniuersitates rogo, atque hortor per Apostolica vobis scripta monentes, quatenus pium eius desiderium, quantum in vobis fuerit, promouentes, de singulis ordinibus viros moribus, & scientia cõmendandos, ac in religione feruentes ad partes illas destinare curetis, per quos nouella illa plantatio in disciplina Domini erudita fructum reddat suis temporibus opportunum, & quod in eis est mirabiliter susceptum, ad laudem, & gloriam Redemptoris mirabilius consummetur. Memoratos quoque libros, quibus non solùm abundare, sed superabundare vos nouimus, ad partes illas saltim pro exemplaribus mittere procuretis, ut & vestra abundantia illorum inopiam suppleat, & orientalis ecclesia in diuinis laudibus ab occidentali non dissonet, sed sicut est unus Deus, & fides una, ita uno ore ipsum laudet, & glorificet oriens & occasus. Dat. octauo Kalendas Iunij.* Hæc Innocentius, eiusdemque argumenti ad cunctos Parisienses magistros, atque scholasticos literas dedit[c] ad literarum studia instauranda, ut plerique Balduino Imperatore id exoptante, atque exposcente in Græciam traijcerent. præterea orientali consulens Imperio, clero ac populo Christiano in exercitu Constantinopoli versanti iniunxit,[d] ut ad illud in Apostolicæ sedis obseruantia, atque in Latinorum fide retinendum moram in Romaniæ partibus ad annum facerent, ni fortè aliter res Terræ sanctæ exposcerent. pergunt gesta.

b Inn. l. 8. ep. 71.

c Id. ib. ep. 72.

d Id. ib. ep. 64.

12 *Præfatus autem Balduinus comes Flandriæ postquam ad Constantinopolitanum Imperium extitit sublimatus, per nuncios, & apices suos vocauit ad se præfatũ Petrum tituli sancti Marcelli presbyterum Cardinalem Apostolica sedis legatum in Hierosolymitana prouincia existentem, ut accedens in Graciam de personis, & rebus ecclesiasticis auctoritate Apostolica ordinaret. Porrò cum sæpedictus Goffredus tituli sancta Praxedis presbyter Cardinalis similiter Apostolica sedis legatus nollet ibi remanere, post illum ambo pariter recedentes Constantinopolim accesserunt, facta prius sex annorum tregua cum Sarracenis, & tanta eos secuta est multitudo, non solùm laicorum, sed etiam clericorum, quod alienigena penè omnes, & indigenæ multi Hierosolymitanam prouinciam deserentes Constantinopolim adierunt: sed præfatus Goffredus modicam faciens ibi moram per Thessalonicam, ubi cum marchione Montisferrati est aliquandiu commoratus, ad sedem Apostolicam est reuersus.* De reditu Goffredi mentionem fieri audiuimus in supra allatis Innocentij Papæ ad Mõtisferrari marchionem literis: grauiter verò tulit Innocentius legatum ita Syriam in magnum discrimen adductam deseruisse, ipsumque facti arguit destitura prouincia, ob quam crucem induerat, Constantinopolim opum cupiditate aduolasse. *Ecce quod verebamur accidit, & quod timuimus, iam euenit, nam præter id quod bona memoria patriarcha Hierosolymitano tunc temporis viam uniuersa carnis ingresso ecclesia Hierosolymitana vacabat, & ex guerra, qua tunc inter charissimum in Christo filium nostrum Regem Armeniorum illustrem, & Tripolitanum comitem super principatum Antiochenum vertitur, inter Christianos æmulatio quædam erat, postmodum ex inclyta recordat. A. Regis Hierosolymitani & filij eius obitu improuiso regnum Hierosolymitanum penè penitus omni est regimine destitutum.* Eadem repetit alia epistola hoc ipso anno data[a] infra adducenda: at de Regis interitu Robertus[b] de monte hoc anno hæc historiæ tradidit: *Moritur Hamiricus magno illius Christianitatis damno.* Queritur postea Pontifex traxisse secum Christianos Syros, atque ad mali cumulum crucesignatos perperam Hierosolymitanæ profectionis voto liberasse ea lege, ut anno integro pro stabiliendis Constantinopolitani Imperij rebus arma gestarent, tum de ipsorum sceleribus queritur.

Balduinus e Syria legatũ Apostolicum euocat.

Inter Armeniæ Regem & Comité Tripolitanũ bellum.

Regis Hierosolym. eiusq. filij obitus.

a Inn. l. 8. ep. 124.

b Rob. de Monte append. ad Sig. ann. 1205.

13 *Ecce quod cum mœrore referimus, & rubore, unde videbamur hactenus profecisse, deficimus, & angustamur, unde credebamus potissimum dilatari: quomodo enim Græcorum ecclesia quantumcunque persecutionibus affligatur, ad unitatem ecclesiasticam, & deuotionem sedis Apostolicæ reuertetur, quæ in Latinis non nisi perditionis exemplum, & opera tenebrarum aspexit, ut iam meritò illos abhorreat plusquam canes. Illi etenim, qui non quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi quærere credebantur gladios, quos exercere credebantur in paganos, Christianorum sanguine cruentantes, nec religioni, nec ætati, nec sexui pepercerunt, incestus, adulteria, & fornicationes in oculis omnium exercentes, & tam matronas, quàm virgines etiam Deo dicatas exponentes spurcitijs garcionum. Nec suffecit eisdem imperiales diuitias exhaurire, ac diripere spolia principum, & minorum, nisi ad thesauros ecclesiarum, & quod grauius est, ad ipsarum possessiones extenderẽt manus suas, tabulas argenteas etiã de altaribus rapientes, et inter se confringentes in frusta, violantes sacraria & cruces, & reliquias asportantes.* Ex his atque ex supra allatis totidẽ pene verbis Pontificis ad Montisferrati marchionem literis cernere est Nicetã Choniatam[e] eiusmodi facinora in Græcos perpetrata iure exprobrare, quamuis ea duces vetuissent, ut idem auctor testatur; etenim nobilem puellam a raptore quodam vindicans sic milites nostros compellauit: *Vos cum edixistis, ne coniugata mulieris aut virginis aut dedicata Deo puella, vel impudico*

Crucesignatorum grauissima scelera in expugnatione Constantinopoleos

e Nicet. chon. annal. l. 3.

dico

dico aspectu, si caueri possit, quisquam contaminetur, & iusiurandum sa de re sanctissimum dedistis. Pergit Innocentius: *Non sit ergo in ore tuo verbum Domini alligatum, nec sis tanquam canis mutus latrare non valens, sed hoc loquere publicè, ac coram omnibus protestare, vt tanto te amplius pro Deo, & propter Deum obiurgantem inueniant, quanto magis te inuenerunt hactenus negligentem.* Hactenus Pontificis epistola, sed mutila; nam in huius anni regesto adiectum: a *Super absolutione autem ducis, & populi Venetorum contra formam ecclesiasticam perperam attentata, non arguimus te ad præsens, cùm per alias literas super hoc ad te specialiter destinatas te duxerimus arguendum.* Sic ipse. non extat, quod viderim, huiusmodi epistola, inde tamen Innocentij vitæ scriptor ea quæ supra suo loco retulimus, monumentis videtur consignasse. pergunt acta: *Recepto ab eis*, Venetis scilicet, *secundùm formam Ecclesiæ iuramento, fecit illos absolui, quamuis in nullo satisfecerint de commisso, malens eos habere claudos, quàm mortuos, præsertim ne ipsorum contagium cæteros inquinaret.*

a Inn. l. 8. ep. 133.

Arguitur legatus Apost. Venetorũ ducem cum suis anathemate liberasse.

14 Quod ad Benedictum Cardinalem attinet, quem Constantinopolim misit Pontifex, illum Balduino Imperatori, b ac præsulibus c in Constantinopolitano Imperio commorantibus plurimum cõmendauit, vbi nonnulla eleganter præfatus de Ecclesiæ vnitate, quæ inconsutili illa Christi tunica adumbrata erat, deque Græcorum erroribus, quibus miserrimè erant inuoluti, subdit translato Imperio Sacerdotium transferri necesse esse, ac se quidem ad ecclesiam illam in optimo statu collocandam, si rerum grauitas ac moles, quam sustinebat, non obstaret, eò profecturum, sed cum votis morem gerere non possit Cardinali tit. sanctæ Susannæ legato vices suas demandasse. Legato etiam dato hoc ipso anno XIII. kal. iunias diplomate d multa ad eius legationem spectantia priuilegia concessit. exinde ad eundem Cardinalem legatum de Constantinopolitanis ecclesijs componendis scripsit, e quod cum ad concordiam inter Francos, & Venetos seruandam Apostolica sedes minus probè instituta confirmasset, vt quæ illicitè decreta fuerant pontificia auctoritate iusta esse inciperent, atque ob id patriarchatum Veneto contulisset, ita alia sacerdotia, quæ Francis clericis fuerant attributa, si patriarcha obsisteret, ijs concedi operam daret. Iam verò quid de patriarcha, eiusq; electione Innocẽtij res gestæ tradãt in mediũ afferamus: *Qualiter autem*, inquiunt, *fuerit ad electionem patriarchæ processum, ex literis* f *domini Papæ colligitur euidenter in hunc modum Imperatori directis: Postquam dextera Domini, quæ glorificata est in virtute, &c.* Nos earum loco contrahendas in pauca eas censuimus, quas ad clerum dedit g, è quibus historiæ veritas pulchrius, ac iucundius efflorescet.

Legatus Constantinopolim missus.

b Inn. l. 8. ep. 56.

c Ep. 57.

d Ep. 63.

e Ep. 133.

f Lib. 7. ep. 204.

g Lib. 8. ep. 65.

15 Hortatus est ergo ecclesiasticos, qui Constantinopoli agebant, vt patriarcham debito honore exciperent, deque eius electione differens eam se diligenti examine discussisse ait, & contra canones celebratam reperisse non vitio personæ, cuius virtus, & doctrina perspectæ, exploratæque sedi Apostolicæ essent, nec ob aliquorum repugnantiam, sed propterea cum viri laici quantumuis pij nulla auctoritate in res sacras polleant, nullius principis iussu, Apostolico non expectato eligi iure potuisset: verum cum electus tantæ gerendæ dignitati pares virtutes afferat, atque absens, reique inscius ad patriarchatum vocatus sit, velitque sedes Apostolica, ad quam componendæ illius ecclesiæ ius spectet, idoneum virum præficere, tum deuincire sibi Venetos, vt ad obsequium Christi promptiores aduolent, cum etiam inter victores conuentum fuerit, vt ex ea parte eligeretur patriarcha, è qua Imperator electus non fuisset: se eidem ecclesiæ Constantinopolitanæ administrationem commisisse. Imperatorem quoq; parum discrepanti literarum a sententia, ac Dandulum Venetorum ducem excitauit, vt patriarchæ debitum honorem, atque obseruantiam impenderent, cuius eligendi secuturo tempore normam præscripsit, nimirum vt cum ecclesiam vacare contingeret, conuentualium ecclesiarum prælati in ecclesiam sanctæ Sophiæ vnà cum canonicis conuenirent, atque is ad dignitatẽ efferretur, in quem maioris vel sanioris partis suffragia cecidissent.

a Lib. 7. post eand. ep. 204.

16 Haurienda nobis iam est ex actis Innocentij historiæ veritas, deque Constantinopolitani patriarchæ consecratione Romæ a Pontifice celebrata agendum: *Idem igitur*, inquiunt, *dominus Innocentius præfatum Constantinopolitanum electum sabbato quatuor temporum quadragesimæ in diaconum ordinauit, & in sabbato hebdomadæ medianæ in sacerdotem promouit, & sequenti dominica Romæ apud sanctum Petrum in episcopum consecrauit, ac postmodum contulit ei pallium, in signum videlicet plenitudinis pontificialis officij de corpore beati Petri Apostoli sumptum, recepto ab eo fidelitatis, & obedientiæ iuramento sub ea forma iurandi antiqua & approbata, secundùm quam primates, & metropolitani solent in susceptione pallij Romano Pontifici, & Ecclesiæ Romanæ iurare, priuilegium sibi sub hac forma concedens: Prærogatiua dilectionis & gratiæ, quam Apostolica sedes exhibuit ecclesiæ Bizantinæ, cùm eam in patriarchalem sedem erexit ecclesiasticæ plenitudine potestatis quam nõ homo, sed Deus, immo verius Deus homo in beato Petro Ecclesiæ Romanæ concessit euidenter attestatur, & quod Romanus Pontifex eius vicarius sit ostendit, qui & primos nouissimos, & nouissimos facit primos. Sanè cum eadem ecclesia, quæ tunc Bizantina, nunc autem Constantinopolitana vocatur, nec nomen, nec locum inter sedes Apostolicas haberet, Apostolica sedes fecit ei nomen grande iuxta nomen magnorum, qui sunt in terra, & ipsam quasi de puluere suscitatàm, vsque adeo sublimauit, vt eam tam ecclesiæ Alexandrinæ, quàm Antiochenæ, ac Hierosolymitanæ dignitatis priuilegio anteferret, atque post se præ cæteris exaltaret; ita quod cum multæ filiæ diuitias congregarunt, hæc sola per matris gratiam specialem supergressa fuerit vniuersas. Licet autem eadem ecclesia interdum ab obedientia sedis Apostolicæ declinarit, quia tamen ad eam per Dei gratiam humiliter est reuersa, tuis precibus annuentes eandem ecclesiam, cui Deo auctore præesse dignosceris, sub beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti pagina communimus.* Adiecta sunt in regesto pontificio plura priuilegia, quemadmodum a margine adnotantur, h eademq; ĩte data nempe *Romæ apud sanctum Petrum 3. Kal. aprilis Innocentij Pontificatus anno* 8. Subdit, qui acta conscripsit: *Idem igitur patriarcha Venetias est reuersus, vt inde Constantinopolim nauigaret: sed a Venetis est compulsus quasdam cum eis facere illicitas pactiones, quæ cum ad summi Pontificis notitiam peruenissent, eas omnino cassauit, sicut per literas eidem patriarchæ directas apparet.* Sed de his fusius anno sequenti.

Patriarcha Cõstãtinopol. a Pontifice consecratus.

Constantinopolitanus patriarchat. alijs orientalibus a Pontifice prælatus.

h Id. l. 8. ep. 19. 20. 21. 22. 23. 25.

Patriarcha a Venetis ad iniquiora pacta cõpulsus.

17 Felicia & læta hæc, quæ enarrauimus, tristes ac funesti casus insecuti confuderunt, quippe diuini moniti, in die c bonorum ne immemor sis malorum, Latini obliti, prosperis secundisque elati, insolenter sese gessere, atque adeo reprimi meruere, de quo hæc gesta Innocentij: *Cum autem Latini iam pro maiori parte Constantinopolitanum obtinuissent etiam Imperium, & in omnibus eis prosperè successisset, ita vt terror ipsorum quasi fulgur de cælo ceciderit, non solum in Græcos, verum etiam in paganos, ipsi prosperitate nimis insolentes effecti, post vanitates suas liberè declinare cœperunt, & Dominum ad iracundiam prauis operibus incitare. Vnde quid eis merito peccatorum suorum euenerit, ex literis Henrici fratris Imperatoris summo Pontifici destinatis perpenditur manifestè.*

c Eccl. 11.

San-

a Apud Inn. lib. 8. ep. 129.

Sanctissimo a patri ac domino Innocentio Dei gratia summo Pontifici, Henricus frater Imperatoris Constantinopolitani, & moderator Imperij, cum debita reuerentia, humili, & deuota pedum oscula.

Cum vniuersum Christiani exercitus progressum, & laborum peregrinationis nostræ seriem paternitati vestræ per multiplices literas & nuncios frater meus, & dominus Imperator vsque ad martium elapsum nouissimè satis lucidè significauerit, euentus nostros ex tunc prioribus multum dissimiles, immo peccatis nostris exigentibus nimis miserabiles, vobis tanquam patri & domino dignum duxi propalare. Contigit Græcos, qui ex innata malitia, & perfidia consueta, post omne genus securitatis, & cautionis proditioni se semper pronos exhibent, statim post dimissionem nunciorum ad vos vltimò directorum proditionem, quam pridem mente conceperant, rebellione contra nos facta, detegere manifestè. Quo comperto frater meus & dominus Imperator opportunè paucioribus comitatus, quippe nobis per munitiones & marchias pro magna parte dispersis, contra caput rebellionis, Adrianopolim videlicet, quæ ciuitas est Græciæ munitissima, & montibus tantum interpositis, Blachorum affinis populis, vlciscendi animum intendens vrbem regiam egressus est. Eramus tunc temporis sic diuisi; marchio Montisferrati vltra Thessalonicam erat cum multis, ego ex altera parte brachij S. Georgij eram apud Andromiticum cum non paucis, Paganus de Aurelia, & Petrus de Braccel versus Nicæam ex eadem parte, E. de Tric. apud Philippolim cum pluribus, & alij alibi per loca & munitiones dispersi. Porro audito a Ioannitio Blachorum domino, quod Latini in tanta virorum paucitate ciuitatem prædictam obsedissent; quem etiam Græci in auxilium suum, occultè tamen, vt magis læderet, euocarant, irruit subito Blachus ille Ioannitius in nostros cum multitudine barbarorum innumera, Blachis videlicet, * Commannis, & alijs, quibus etiam nimis improuidè obuiam exeuntibus nostris, & remotius quàm oporteret instantibus, & per inimicorum insidias tandem vallatis vndique, proh dolor! dominus Imp. comes Ludouicus, Stephanus de Pertico, & quidam alij barones & milites, quod non sine sanguinearum lacrymarum effusione referre valeo, tanta obruti multitudine, non sine damno tamen illorum, ab inimicis intercepti sunt, nescimus revera qui capti fuerint, qui occisi; accepimus tamen ab exploratoribus nostris certissimis, & fama veridica, quod dominus meus Imperator sanus teneatur & viuus, qui ab eodem Ioannitio satis, vt asserunt, pro tempore honorabiliter procuratur cum quibusdam alijs, quos tamen adhuc expressè nescimus nominare.

Latini in obsidione Adrianop. a Ioannitio fusi.

** Cumanis*

Balduinus a Bulgaris capitur viuus.

18 Sciatis autem quod ab ea die, qua Græcorum fines ingressi fuimus, vsque ad diem infelicis illius congressus, quantacunque nobis & nostris occurreret multitudo, licet aliquando nostri paucissimi fuissent, cum triumpho tamen semper & victoria recesserunt. Inestimabilem verò iacturam, quam nunc nobis dolemus, & plangimus accidisse, ex inconsulta nostrorum audacia, & peccatorum nostrorum meritis credimus contigisse. Illi itaque qui elapsi a prælio manus inimicorum euaserunt, consilio abreuiato cum ijs, qui ad tentoria seruanda remanserant, absque alio damno ab obsidione recesserunt; quibus tendentibus ad vrbem regiam, & tam inopinabiliter desolatis, tantam Dominus subito dedit consolationem, vt quasi in momento omnes simul quotquot dispersi fuerant, tanquam conuocati a Domino, apud ciuitatem quandam quæ dicitur Rodestec conuenirent. Marchio tamen feliciter & victoriosè in suis marchijs, E. de Tric. in suis partibus per Dei gratiam incolumis morabatur, & indemnis. Inspectis igitur ibidem nostrorum viribus, vrbes & castella ex tunc munire cœpimus, quæ contra Græcorum rebellionem tenere posse videbamur, & inter agendum Constantinopolim vsque profecti sumus.]

19 De Græcorum a Latinis defectione, Adrianopoli a Balduino Imperatore obsessa, principeque ipso a Blachis deuicto & capto fusè agit Niceta Choniata, qui ait nostros profligatos quintodecimo aprilis die, indictione octaua, anno ab orbe condito sex millesimo septingentesimo tertiodecimo, Christi scilicet millesimo ducentesimo quinto. Quod de Hugone S. Pauli comite nunc, neque posthac mentio fiat, ea est ratio, quia iam ante, vt idem auctor testatur defunctus fuerat, atque in Manganio monasterio, & S. Serenæ Augustæ monumento sepultus. Cæterum alios inter, qui ex hostium manibus euolarunt, seque Constantinopolim recepere, Henricus Dandulus Venetiarum dux aufugit, quem Nicetas more suo carpens, omnium Romanarum (Græcarum nempe) cladium præcipuum auctorem, versutissimumque proclamat. Addit Nicephorus Gregoras a, qui historiæ suæ initio hanc Bulgarorum victoriam, Balduinique captiuitatem recenset, eundem ducem, haud multo post ex vulneribus in pugna acceptis diem obijsse. Pergit Henricus alter ad Innocentium.

a Niceph. Greg. hist. Rom. l. 1.

20 Licet itaque in personis amissis infortunium lugubre nobis acciderit, speramus tamen in domino, & audenter confidimus, quod inimicorum nostrorum insidias, & assultus, diutius, volente domino, sustinere poterimus, & etiam de longinquo subuentionem, & auxilium expectare. Ecce tamen quod verebamur hoc accidit, & quod fama canebat publica, quoque per literas ipsius Blachi, confœderationem ipsius cum Turcis, & cæteris crucis Christi inimicis continentes edocti fuimus, quas etiam a nobis cum nuntijs ipsius interceptas Apostolatui vestro in vtraq; lingua transmisimus, &c.] Ardentissimis ab Innocentio contendit precibus, vt Constantinopolitani Imperij patrocinium suscipiat, cum ita illius causa cum Terræ sanctæ recuperatione coniuncta sit, vt inde arma in Sarracenos verti facilè possint, & religionis fines latius circumferri, eoque amisso Terra quoque sancta demum a Sarracenis excindenda sit, & Christi nomen in ea penitus interiturum: tum addit hæc, quæ in actis editis vitæ Innocentij desunt: Legatos igitur cum auctoritate Apostolica a latere vestro in Italiam, Franciam, & Alemanniam, & alias occidentalium regiones dimitti petimus, qui integram indulgentiæ plenitudinem, in auxilium nostrum, & subuentionem ad nos propter prædicta venturis deferant, quæ a sede vestra Apostolica indulta est per annum integrum in seruitio Crucifixi in terra Syriæ moraturis. Quoniam autem quæ paternitati vestræ significare cupimus, longum est scriptis inserere, nuncios nostros, & fideles, præcipuè venerabilem patrem nostrum Suessionensem episcopum, qui tam fideliter, quàm constanter pro Terræ sanctæ subuentione, & negotio Romanæ Ecclesiæ laborauit, & adhuc tanquam fidelis, & prudens talenti sibi commissi dispensator, sicut vos ipsi cernitis, laborare non desinit, cuius absentia plurimum nobis esset damnosa, nisi cogens rei necessitas, & ipsa negotij arduitas nos eius præsentia ad tempus carere compellerent, & nobiles viros de Malli, & Ioannem Bliaut paternitati vestræ transmitto, rogans, & cupiens, vt eis in ijs, quæ de facto isto Apostolatui vestro suggesserint, fidem indubitatam adhibere velitis & firmam, & consilium vestrum, & auxilium sicut Ecclesiæ totique Christianitati, nec non & domini, & fratris mei liberationi, qui se vestrum vbique deuotum gerebat, & dicebat militem,

Balduinus ex acceptis vulneribus in vinculis obit.

Bulgari cum Turcis Græcisque fœdere coniuncti.

expe-

expedire videritis apponatis. *Datum in palatio anno Domini millesimo ducentesimo quinto nou. iun.*]

Pontifex pro liberando Balduino ad Bulgarũ scribit. a Inn. l. 8. ep. 127.

21 *Eorum igitur infortunijs* subdunt Innocentij gesta, *dominus Papa compatiens, pro liberatione Imperatoris certum nuncium ad præfatum Ioanniccium cum huiusmodi literis destinauit: Ex illa gratia speciali,* a *&c.* pauca enim prælocutus hæc ad rem nostram spectantia subiungit: *Cùm igitur regium diademo & militare vexillum a nobis per legatum Apostolicæ sedis acceperis, vt regnum tuum beati Petri sit speciale, prouidere volumus diligenter, vt ab hostium liberatus incursibus vndique tranquilla pace læteris. Noueris ergo fili charissime, quod ingens exercitus de occidentalibus partibus est in Græciam profecturus præter illũ, qui nuper accessit, vnde tibi, & terræ tuæ debes summopere prouidere, vnde dum potes pacem ineas cum Latinis, ne si forte ipsi ex vna parte, & Vngari ex altero te studuerint impugnare, non facile possis resistere conatibus vtrorumque. Quocirca serenitati tuæ suggerimus, & consulimus recta fide, quatenus cum Balduinum Constantinopolitanum Imperatorem dicaris tenere captiuum, ita tibi prouideas, vt per liberationem ipsius veram & firmam pacem facias cum Latinis, vt ab impugnatione tua & terræ tuæ penitus conquiescant. Nos enim Henrico fratri eiusdem Imperatoris, qui Constantinopoli præest exercitui Latinorum, per Apostolica scripta mandamus, vt ad pacem tuam pro liberatione ipsius Imperatoris Latinos inclinet, & a tua molestatione cesset omnino. Inspiret itaque tibi Deus, vt nostris monitis & consilijs acquiescas, quatenus regnum tuum, quod beato Petro, & Ecclesiæ Romanæ deuotissimè dedicasti, ab omni perturbatione seruetur illæsum, ad quod diligens studium impendere cupimus, & operam efficacem. Scriptum est . . . Trinouitano archiepiscopo Bulgarorum & Blachorum primati, vt eum ad hoc diligenter moneat & inducat.* Hactenus ad Bulgarorum Regem Pontifex. extant aliæ etiam Henrico Imperatoris fratri perbreues literæ missæ. b

b Ep. 132.

Scriptæ ad Henricũ literæ pro pace cum Bulgaro ineunda.

22 *Nobilitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad liberationem fratris tui diligenter intendens veram & firmam pacem stabilias cũ charissimo in Christo filio nostro Caloioanne Rege Bulgarorum, & Blachorum illustri, vt inter Bulgaros, & Latinos fidelis, & stabilis amicitia de cætero perseueret breuiter scribimus, quia opus est magis opere, quàm sermone, multum enim vtrique poterit esse amicitia fructuosa. Datum, &c.* Addit rerum Innocentij gestarum anonymus scriptor, rescripsisse Ioanniccium, is est Caloioannes, de quo alias pluribus egimus, Pontifici, bellum se mouisse, quod Latini nullam cum ipso pacem, nisi quas recuperarat terras, Imperio Constantinopolitano restitueret, inire voluissent: quibus ipse respondisset longè iustius eas terras a se obtineri, quã ab ipsis Constantinopolis teneretur, cum ipse ea recepisset, quæ eius progenitores amiserant, ij verò ea occupassent, quæ nulla ad ipsos ratione spectarẽt; ipse coronam regiam a summo Pontifice accepisset, at qui se Constantinopolitanum Imperatorem dicebat, eam temerè inuasisset, atque adeo Imperium potiori titulo ad se, quàm ad Balduinum pertinuisse, propterea que præeunte vero vexillo a beato Petro accepto, eiusque insignito clauibus prælium audacter in eos suscepisse, qui adulterinas cruces humeris gestabant, atque ita a Latinis lacessitum, de ijs gloriosissimam victoriam volente numine, ac superbos obterente retulisse, quam non armorum potentiæ, sed beati Petri Apostolorum principis clientelæ adscribebat. Cæterum Balduinum amplius a se vindicari in libertatem non posse, cum è viuis, dum in carcere teneretur, discessisset.

Respõdit Ioanniccius Pontifici Balduinũ obijsse, seque ad pugnã prouocatum.

23 Ante istas verò alias literas Bulgarorũ acceperat Innocentius, de quibus eius gesta: *Profectus ergo,* nempe in Bulgariam, *legatus,* Leo scilicet Cardinalis, de cuius legatione superiori anno, *vniuersa sicut fuerãt constituta compleuit, & rediens, tales ex parte Regis & primatis Bulgarorũ literas reportauit, &c.* Recitantur tum ibi, tum in huius anni regesto, a quas ex parte aliqua afferre grauitas argumenti exigere videtur: *Hoc notum sit sanctitati vestræ pater spiritualis regni mei domine Papa, quod dominus Leo legatus Apostolicæ sedis venit ad Imperium meum secum afferens coronam, & eam benedicens super caput Imperij mei imposuit, & in manibus meis dedit mihi sceptrum, atque vexillum, & benedixit sanctissimo patriarcha regni mei, & totius Bulgariæ ex præcepto vestræ sanctitatis, & valde Deo, & beatissimæ Dei genitrici, nec non & circumspectioni vestræ sanctitatis glorificauimus.* Et paucis interiectis verbis: *Scribo autem vobis, & de Hungaro, quoniam imperium meum non habet aliquam societatem regionum, vel aliquam rem cum eo, neque ei nocet, immo ipse paruipendit, & nocet regionibus imperij mei, & dominus Leo Cardinalis vidit, & vestræ sanctitati annunciabit iustum, vel iniustum, quod est ab imperio meo, aut si ego paruipendo Hungarum; vel si ipse meum imperium paruipendit, & scribat ei sanctitas vestra, quatenus distet a regno meo, quoniam imperium meum nec eum habet paruipendere, nec contra terras eius abire. Si verò ipse venerit contra terras imperij mei, & Deus adiuuerit, vt vincatur, non habeat sanctitas vestra imperium meum suspectum, sed sim liber. De Latinis quoque, qui Constantinopolim introierunt, scribo sanctitati vestræ, vt eis scribatis, quatenus distent ab imperio meo, & sic imperium meum nullum malum eis facit, neque ipsi nos paruipendant. Si forte ipsi conati fuerint contra imperium meum, & paruipenderint illud, & occidant ex eis, non habeat sanctitas vestra imperium meum suspectum, sed sint vniuersa libera. Misi autem ad tuam magnam sanctitatem pueros duos, vnus verò nominatur Basilius, alius Bithlehem, & dentur ex præcepto eis, vt addiscant in scholis literas Latinas, quoniam hic grammaticos non habemus, qui possint literas, quas mittitis nobis, transferre, & postquam ipsi addidiscerint, remittantur ad Imperium meum.* Nonnulla munera, quæ ad ipsum mittebat, recenset. Hisce alia adnectitur epistola, quam Basilius Bulgarorum primas ad eundem Pontificem scripsit, vbi pontificalibus insuper insignibus ac priuilegijs, quæ sibi per illum miserat: de consecratione, quam ab eodem legato fuerat consecutus, eodemque die ipse metropolitanis impertierat, deque Rege corona redimito mentionem facit. sed ad Balduinum redeamus.

a Lib. 7. ep. 230.

A legato Pontificis Bulgarorũ signia regia ab eo consecrata tradita.

Bulgarus adolescentes Romã mittit instruendos vt literas Põtificias reddant.

24 Licet nõnulli morte violenta sublatum arbitrati sint, secus tamẽ accidisse tradidit Baptista Egnatius antiquus scriptor, vt Flandriæ annales plura, quæ attulimus, perstringendo hisce verbis posterorũ memoriæ propagarunt: *Hadrianopolis vrbs Græcorum firmissima, neque Gallis, neque Venetis parere in animum induxit, eò Græci complures odio nominis Latini refugerunt, accitaque in auxilium Valachorum gente, ita vocat, quos supra ab alijs Blachos appellatos audiuimus, tenere vrbem contra nostros obstinatissimis perseuerabant animis: eam ciuitatem Balduinus dum obsidet, commisso prælio interceptusne, an occisus parum constat, nunquam posthac est inuentus, sunt qui ab Ioãne Valachorum Rege captum, ac clam decollatum constanter tradant, Baptista tamen Egnatius fatali refert decessisse morte, Imperio fratri per manus tradito.* Illũ porro interfectum ex antiquioribus tradunt, Robertus de monte b Balduinum, aliosque complures a Ioanne de Blac in bello occisos inquiens, & Niceta Choniata qui hæc prorsus contraria ijs, quæ Ioannes Rex ad Romanum Pontificem scripsit, annalium suorum monumentis mandauit. *Cæterum Balduini mors ita contigit. Scythico bello captus, & vinculis, vt dixi oneratus lõgo tempore Ternobi fuit, cum autem Aspietes ad*

a Rob. de Mote app. ad Sigeb. an. 1205.

Lati-

Crudelissimus Balduini mors, ex Choniatę sententia

Latinos defecisset, Ioannes ira æstuans, & dolore in dies ingrauescenti pene in rabiem actus Balduino educto e carcere pedes a genibus, et manus a brachijs Tenedis planè securi amputari, deinde ipsum in vallem præcipitari iubet, vbi tertio decimo die esca volucrum miserabiliter expirauit: neque verò hunc solùm, sed Romanos etiam captiuos eadem crudelitate interfecit, omni voce, & supplice gestu repudiato, &c. Afferenda quoque hic Georgij Logothetæ sententia ex M.S. peruetusto a domino Leone Allatio optimè de literis merito in Latinū traducti, qui hæc a cæteris diuersa tradit:

a Georg. Logoth.

25 *Vt a verò Itali vniuersam Macedoniam subegerunt, ris eorum, qui primus Constantinopoli Imperium tenuit, regnè administrante Balduino, pro deditione Adrianopolitas solicitant. namque Rex Bulgarorum Ioannes Philippopolim magna Romanorum clade, prædaque ditatus præripuerat. Cùm Italorum iugum Adrianopolitæ detrectassent, Itali in eos copias, quibus Balduinus Imperator & vices ducis Venetiarum Byzantij gerens aderant, educunt, quo Adrianopolitæ in summas angustias adducti ad regem Bulgarorum Ioannem, vt suppetias ferret, & e scopulo in tranquillum deduceret, viros delegant; postulatis ille oblectatus, sociosque sibi Scythas asciscens cū palam in acie aduersus Latinos prodire non posset, ex insidijs eos opprimere statuit, & ipse quidem longè ab Adrianopoli aberat, Scythas verò in Italos mittit, vt Scythico bellandi modo eos aggrederentur. Italis in more est, equis ferocitate exultantibus vehi, ministerique armis circumquaque toto corpore tecto, ideoque segnes, ac tardos in hostes ferri, verùm Scythæ cum leuius armentur, liberius aduersarios impetunt: illud Itali ignorantes a Scythis præter opinionem superantur. Balduinus Imperator captus, & vinculis grauis ad Bulgarorum Regem Ioannem adducitur, illius caput abscissum, sordibusque internis expurgatum, & ornamentis vndique circumseptum, poculi loco barbaro inseruijsse fama est. Adrianopolitæ non statim rem perceperant, nae enim vrbe egressi castris adsultassent Italorum, ac bona diripuissent. Reliquiæ tamen Italorum in tentorijs clarissimis luminibus accensis, quasi adessent, media nocte pedem Constantinopolim referunt ea mane cognito ab Adrianopolitanis, quæ in tentorijs remanserant, prædatum itum est.*

Victi Latini militari arte.

Barbarus cranio Imp. poculi vice vtitur.

Quod ad Balduini Imperij tempus pertinet, cum ipse ad Innocentium scribat se dominica, misericordia Domini, nempe secunda post Pascha superioris anni, quæ in nonum diē maij incidit, Imperatorem electum & sequenti coronatum, tradat verò Niceta quintodecimo aprilis a Bulgaris captum, menses vndecim, & dies sex imperasse dicendum est. At capto Balduino ij, ad quos Imperatoris electio pertinebat, neminem in eius locum subrogandum duxere, nisi comperto ipsius obitu, qui post sexdecim elapsos menses contigit, vt ex Niceta patet, cum Henricus Balduini frater Imperator renunciatus est, quemadmodum sequenti anno disseremus. Interea de Balduino non omiserim, laudatissimum principem extitisse, cuius pietatem obseruantiamque erga sedem Apostolicam Innocentius epistolis supra redditis testatū reliquit. Verū quid plura? ad eius in refrænandis cupiditatibus temperantiam commendandam, inimici ipsius sint indices: etenim Niceta Choniata, cætero quin infenso in eum animo, veritatis omnibus notissimæ vi adactus, de ipso posteritati transfundit, quæ epitaphij pulcherrimi loco esse possint: *Nondum*, inquit, *Balduinus annum ætatis* xxxii. *excesserat, & alioqui vir erat pius, & modestus, ne impudico quidem aspectu mulierem intuitus, quādiu a sua coniuge abfuerat: vacabat diuinis laudibus, necessitatibus conflictantes subleuabat, sua sententia aduersarios æquo animo audiebat, & quod maximum est, bis qualibet hebdomada vesperi proclamari iubebat, ne quis in suo palatio cubaret, qui alienam mulierem attigisset.* Hæc Græcus auctor (atque ex ipso nouatores b) de principe

Balduini insignis castimonia.

b Centuri. 13. c. 6. col. 672.

digno planè Imperio, cui illud diuinæ sapientiæ aptari posse videtur: *Raptus est, ne malitia mutaret* a *intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.* At de Balduino satis, cuius frater Henricus gubernandum Imperium suscepit. quando verò quaue ratione, suo loco dicetur.

a Sap. c. 4.

26 Hæc inter, ingentibus belli tumultibus concussa omnia, laceratumque Imperium nobiliores Græci discerpebant magis, cùm enim totum ad se traducere non possent, partem quisque veluti ex ardenti incendio rapiebat. Hinc plures constitutæ monarchiæ, ac minora Imperia Trebizondæ ad pontum Euxinum, Prusiæq; in Bithynia, Thessalonicæ in Thessalia regnum præter Constantinopolitanum eruperunt, de quibus Niceta: *Vnde multorum dominatus orientem depascebat, tricipiti quadam bellua a vecordibus implexa. Nam Maurozomes Manuel Caichosrois auxilijs fretus, cui non multo ante recuperato Iconio filiam desponderat, nihil non conabatur, vt imperatorio nomine potiretur, & omnem Mæandrium tractum cum Turcis vastabat, Theodorus Lascaris nobilissimo genere ortus, & Imperatoris affinitate inclytus, illo profligato, & rubro calceo induto, ab omnibus orientalibus vrbibus Imperator consalutabatur. Dauid porro Comnenus exercitu ex Paphlagonia & Pontica Heraclea coacto, & Iberum, qui ad Phasidem habitant, legione conducta, pagos & vrbes subigebat, & vt fratrem suum Alexium magnum redderet, præcursorem eius, & præconem agebat.* De Theodoro Lascari, qui hoc anno Imperatoris insignia Nicææ suscepit, hæc Georgius Logotheta b: *Ante dereptionem abscedens, & circa Nicæam Nicænos exorabat, vt semet intus reciperent, sibique veluti domino obtemperarent: cum non proficeret, acrius incumbens, vel vxorem solam admitterent, impensè deprecans, vix tandem illis hoc persuasit. Quare Nicææ vxore relicta, circa Prusam loca omnia excurrebat eo animo, vt illa sibi subijceret, & pro socero Alexio ipse veluti Imperator res ageret ac ministraret: nec spes eum fefellit, namque interim ad Persarum principem sibi amicitia deuinctum profectus, atque auxiliaribus copijs auctus, quæ iam diu animo conceperat, perfecit. Duobus itaque annis integris cū ab omnibus vti despota Lascaris agnosceretur, conuentusque ex viris celeberrimis atque ex Ecclesiæ primatibus Nicææ haberetur, illud inter eos agitatum est, quemadmodum Theodorus ad illa vsque tempora despota, Imperator acclamaretur.* Subdit auctor Camaterum patriarcham, qui Didymothechi versabatur, cum excitus accedere respueret, Michaelem Antoninum in eius locum suffectum imperialibus ornamentis Lascarim cinxisse.

Exorta noua imperia.

Trapezuntini Imperij origo.

b Georg. Logoth. interp. Leone Allatio.

27 Superest, vtdum in orientalibus versamur, Terræ sanctæ res percurramus, cum Soffredus Cardinalis Apostolicæ sedis legatus Hierosolymitanus patriarcha, vt vidimus c, designatus dignitatem illam abnuisset, ac post eum Vercellensis episcopus electus esset, concurrentibus in eum omnium suffragijs ob egregias eius virtutes, ob quas Innocentius legationis prouinciam in Insubria illi commiserat, ratam habuit electionem Pontifex, ac munus arduum suscipere iussit. d Subdunt acta Vercellensem episcopum muneri demisso animo humeros submisisse, adijsse Apostolicam sedem, promotumque in patriarchā non modò pallio decoratum, verùm etiam gerendæ in prouincia sua Apostolicæ legationis ad quadriennium munere ornatum, profectumque Ianuam in Syriam nauigasse. e Extat Innocentij epistola ad cunctos archiepiscopos, episcopos, abbates, priores, omnesque Christi fideles tam indigenas, quam peregrinos in Hierosolymitana prouincia constitutos, vbi se ex communi fratrum consilio venerabilem Hierosolymitanum patriarcham Vercellensem olim episcopum (quem plurimum commendat) mittere ait, illi ad quadriennium in eadem prouincia legationis munus iniun-

c Ann. 1203.

d Inn. l. 7. ep. 222.

Vercellēsis episc. creatur patriarcha Hierosolymitanus.

e Inn. l. 8. ep. 100.

iniungendum duxerat. Quapropter omnes eum demissè, atque honorificè sicut seipsum excipere iubet. Data est 16. kal. iulij; incipitque: *Mediator Dei, & hominum homo Iesus Christus, &c.* Indulget præterea, vt idem patriarcha in quauis prouincia pallio vtatur, a ab excommunicationis vinculo absoluere possit tum eos, qui cum ipso traijcere vellent, b tum etiam omnes in Terræ sanctæ regionibus commorantes, c atque clericis iter gredientibus præbendarum suarum fructus ad triennium percipere liceret, d denique pecuniam ipsi in Terræ sanctę subsidium conferendam mittit, atque ad conflanda e Gallijs auxilia hanc exarauit epistolam, quæ sine titulo afferuatur, verùm ad Galliæ præsules datam esse ex contextu colligitur.

a Ep. 167. b Ep. 168. c Ep. 103. d Ep. 102.

e Ep. 124.

28 *Inopinata captione Constantinopolitanæ vrbis audita tam peregrini, qui erant in Hierosolymitana prouincia, quam indigenæ, qui habitabant in ipsa ad Cōstantinopolitanas partes subito transierunt. Ita quod ipsa Hierosolymitana prouincia remansit viris, & viribus penè penitus destituta, quæ etiam opibus, & operarijs vacuata, quodque periculosius reputatur, cum Hierosolymitanus patriarcha decesserit, nostri recessere legati, & filio Regis defuncto, qui successurus erat in regnum, Rex quoque diem clausit extremum, nec est in ea, qui temporaliter, vel spiritualiter præsit, ac prosit. Ad cumulum autem maioris timoris, & doloris accedit, quod inter comitem Tripolitanum, & Regem Armeniæ, qui pro Antiocheno principatu contendunt, tanta viget discordia, tantaque geritur guerra, vt ille pugillus hominum, qui remansit in terra, quasi totus sit diuisus ad pugnam. Nam Templarij fouent comitem, & Hospitalarij fauent Regi, Antiochenus populus sequitur viam comitis, & patriarcha prosequitur partem Regis. Filius autem Saladini, qui est soldanus Aleppiæ, Tripolitanum adiuuare videtur, sed eundem impugnat dominus Denepotinus: Sephidinus verò, qui dominatur in Damasco, Babylonia, & Aegypto, postquam Constantinopolitanæ vrbis captionē audiuit, adeò cum omnibus Sarracenis indoluit, vt maluisset Hierusalem occupatam esse a Christianis, quam Constantinopolim a Latinis, statimque inita treugua cum omnibus inimicis, ipsemet personaliter longè, lateque discurrit, vt contra Christianos confœderet vniuersos.*

Pro Antiocheno principatu inter Armenū & Tripolitanum discordia.

Sephad. terretur ex Constātinop expugnatione.

29 *Rex quoque Blachorum, & Bulgarorum cum Cuman. Turcis, & Græcis aduersus Latinos pugnantes Domino permittente vicerunt, maioribus in bello peremptis, vnde cum multitudo sagittariorum redire vellet ad propria, dilectus filius Petrus tituli sancti Marcelli presbyter Cardinalis Apostolicæ sedis legatus, de quo valde dolemus, vt ipsam multitudinem ad Constantinopolitani defensionem Imperij retineret, a voto Crucis absoluit, plenam eis peccatorum remissionem indulgens, qui per annum facerent ibi moram. Quare cum nullus omnino succursus expectetur ad præsens in Hierosolymitanam prouinciam profecturus, supra modum timemus, ne Sarraceni ad occupandum residuum Terræ sanctæ fortius animentur, vt ipsa penitus occupata tollatur Christicolis occasio transfretandi, sicque Constātinopolitanum Imperium recuperetur a Græcis, quod vtrique vehementer affectant. Cùm igitur in tanto necessitatis articulo non sit nobis aliquatenus dormiendum, profectò nec sollicitudinem cordis, nec laborem corporis recusamus, dummodo Terræ sanctæ succurrere possimus: vnde cùm a charissimo in Christo filio nostro illustri Rege Francorum præcipuum super hoc subsidium expectetur, quem ob hoc Dominus adeo magnificauit, et exaltauit inter vniuersos principes Christianos, vt Regi regum in hac summa necessitate principaliter ipse succurrat, fraternitatem vestram per Apostolica scripta monemus, &c.*

30 Hactenus Innocentius, qui alteram vniuersis Christi fidelibus ad sacrum subsidium Constantinopolim pergere volentibus epistolam hoc eodem anno misit. a Audisti amantissimum patrem exitialia dissidia de principatu Antiocheno, Tripolitanum comitem inter Armeniæque Regem, cum alijs, quibus Christiana premebatur respublica, funestis malis deplorantem. extant hac de re in huius anni pontificio regesto (quod licet ante datæ, hoc tamen anno, vt putamus, redditæ sunt) eiusdem Regis ad Innocentium Papam literæ prolixæ quidem, at rerum grauissimarum plenæ, atque adeo mea sententia silentio minimè inuoluendæ.

a l. 8. ep. 128.

Reuerendissimo in Christo patri, & domino Innocentio Dei gratia summo Pontifici, & vniuersali Papæ per eandem, & Romani Imperij gratiam Rex Armenus sanctitati suæ deuotus & obediens cum salute grata seruitia, & pedum oscula.

Cùm b constet nobis celeberrime pater, & domine * totius sanctæ Ecclesię, & religionis Christianæ curam, & prælationem dante Domino dignissimè gerere, constat vtique nos ad vestrum refugium tanquam ad tutissimum receptaculum debere recurrere, in quo tota spes nostra, & fiducia post Dominum dependet, & a beatitudine vestra in nostris necessitatibus præsidium postulare. Proinde clementissime pater, & domine ad pedes sanctitatis vestræ genibus flexis, & cum omni supplicatione recurrentes conquerimur, & conqueri non cessamus de domino Petro tituli sancti Marcelli presbytero Cardinali legato vestro nostris in causis suspecto, immo aperto aduersario, cùm enim ad partes regni nostri tum ex iniuncta sibi legatione, tum pro reformatione pacis inter nepotem nostrum, & comitem Tripol. contra iustitiam & appellationem nostram ad Apostolicam audientiam factam Antiochiæ principatum vsurpantem, vt credebatur, accessisset, dominus Catholicus venerabilis in Christo pater noster cum quibusdam suffraganeis suis & clero, nos cum baronibus fidelibus nostris, & principalibus nobilibus, peregrinis astantibus, quanta potuimus honorificentia, & veneratione ob vestri reuerentiam illum suscepimus. Sequentibus diebus de obedientia Armenæ ecclesiæ ad sanctam Romanam Ecclesiam, ad quam iam diu laborauimus, diuina auxiliante gratia deliberauimus, & ad hoc cum multo labore induximus ecclesiam Armenam tempore pontificatus vestri meritorum vestrorum exigentia, ad quod progenitores nostri multis transactis temporibus inducere nequiuerunt, vt ipse Petrus Cardinalis, & rerum est testis effectus. Dominus Catholicus cum solemnitate celebri & obedientiam & reuerentiam per manus ipsius legati secundùm literarum vestrarum formam & mandatum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & vobis exhibens, pallium a beatitudine vestra destinatum coram prædictis personis astantibus cum omni humilitate, & deuotione suscepit, promittens in ordine suo singulis quinque annis per nuncios suos secundùm capitularia Apostolica sanctam Romanam Ecclesiam visitare tanquā matrem, & magistram omnium ecclesiarum, in cismarinis concilijs seu in persona propria, seu per nuncios suos interesse, & quod non deberent celebrari concilia ecclesiastica in cismarinis partibus absente eo, vel nuncio suo ab vtraque parte statutum est.

b Ep. 129. * vos

Catholicus Armeniæ ad mittendos legatos Romam singulis quinque annis se obstringit.

31 Quibus peractis de reformatione pacis inter nepotem nostrum, & comitem Tripolit. tractatur, in quo tractatu Apostolica scripta de commissione, * vt causam, de qua agebatur, fine debito terminarent, quæ dominis . . . tituli sanctæ Praxedis, & Petro tituli sancti Marcelli presbyteris Cardinalibus & legatis delegatis, eidem Petro Cardinali representauimus, confidentes secundùm mandatum vestrum, causam ipsam per eum fine optato terminari, in quibus dominus . . Cardinalis absens pro negotio Christiani-

* lecta sūt

stitutitatis Accon erat, quem in tota causa æquitatis & iustitiæ inuenimus amatorem, repræsentaris Apostolicis scriptis, vt dictum est, causam nepotis nostri ei vices vestras gerenti commisimus, & ab initio causæ semper ad Apostolicam appellauimus audientiam, & in iudicio ipsius causam ipsam commisimus tribus domino patriarcha Antiocheno, Hospitalarijs, Templarijs, & alijs viris religiosis, &c.] De Petro Cardinale queritur secretum fœdus cum Tripolitano comite, Templarijs atque Antiochenis iniisse, ijsque omnem operam porrexisse, quo animaduerso adijcit se ad Apostolicam sedem prouocasse, & causam suam armorum vi persequi cœpisse, eumque sub ipsa Antiochiæ mœnia noctu accessisset, vrbemque capere impetu, & incendere potuisset, Christianæ rei misertum armis temperasse, ac patriarcham Antiochenum excitasse, vt pacem conciliaret ipsum inter atque Antiochenos; interea Templarios, quorum bonis semper pepercerat, in arma prosilijsse, atque Armenos telis impetere cœpisse, atque vna cum Tripolitano comite, Antiochenis & soldano Alapiæ percusso fœdere non parum Christiani sanguinis fudisse, se verò eo animaduerso Templarios, qui in Armenia agebant, eiecisse, bonaque ipsorum occupasse, tumque Petro Card. vrgenti acerrimè, vt Templarijs sua restitueret, id se facturum lubenter subiecisse, si ipsi nepotem suum ab Antiochia recuperanda non propulsaturos sponderent, quod negátibus Templarijs cum pax confici non posset, ait Petrum Cardinalem absente Catholico Armeniæ in celebrato Antiochiæ concilio in Armeniam interdictum ecclesiasticum fulminasse, postquam ad sedem Apostolicam pro ea dirimenda causa appellatum esset: quid verò Armeni denunciata sibi ea sententia egerint, subijcit.

32 Conuenientibus itaque Catholico, & principalibus suffraganeis Catholicatus in vnum, communicato diu consilio mirati sunt de tanta & tam subita exasperatione absente Catholico in Armenicam ecclesiam facta, & reducentes ad memoriam hoc quod statutum fuerat inter dominum Petrum Cardinalem, & . . Catholicon Armeniæ, quia de concilio absens fuit ipse Catholicos, & sine consensu suo data est in diœcesi sua a Cardinale interdictionis sententia, censuere patres nostri illam non tenere, nec obseruari* sententiam, dicêtes: Quide mammillis matris nostræ primò lac dulce, & suaue sugere sperabamus, nunc autem fel amarum & acetum potamus: sperabamus imbre salutifero irrigari, non a grandinosis procellis tempestari. Qui verò nimium emungit, vt bene scitis, elicit sanguinem. Quæ cùm ad notitiam domini . . . Cardinalis, & legati deuenissent, molestè tulit, & habito consilio cum domino Petro collegato suo ad se accedente, quia instantissimè ad audientiam vestram appellabamus, procellam in auram consilio domini . . Cardinalis conuertere studuerunt, sicque factum est, vt ex mandato dominorum Cardinalium, illustris Regis . . & Cypri, omniumque nobilium peregrinorum mẽse septembris ad partes Accon pro reformatione pacis inter nos & Antiochenos & Templarios nuntium nostrum nobilem Constantium de Camardresio dilectum consanguineum nostrum delegauimus, & mediante sapientia & discretione domini Cardinalis iuris, & æquitatis amatoris pax reformata est inter nos & Templarios, sicut per literas ipsius intelligere poteritis. Nos verò nunquam a mandatis sanctæ Romanæ Ecclesiæ discessimus, nec recedemus vita comite, quanquam dominus Petrus Cardinalis ab ea nos eliminare laboret. Nos igitur, qui Dei & vestri gratia tempore pontificatus vestri noua sumus planta vestra facti, cupientes ad honorem Dei, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ fructus odoriferos & suaues producere, ad pedes sanctitatis vestræ recurrimus, flexis genibus rogantes & deprecantes,

Armeni interdictū a legato vibratum spernunt. * debere

Inter Armenos & Templarios pax inita.

vt in iudicio domini Petri Cardinalis & legati, quem suspectum, immo & apertum aduersarium habemus, causam nepotis nostri non committatis, &c.] Hactenus Rex, eiusdemque argumenti epistolam Ioannes Catholicus ad Pontificem dedit. a

33 Alias postea literas Armen. Rex querelis contra dictum Cardinalem plenas, quibus dolet ipsum ab æquitatis recto tramite deflexisse, eundemque versutè egisse arguit, ac Tripolitani comitis, qui iudiciū sedis Apostolicæ repudiabat, partes sustinuisse.

Reuerendissimo b in Christo patri, & domino metuendo Innocentio Dei gratia sancta, & vniuersalis Ecclesiæ summo Pontifici, Leo per eandem, & Romani imperij gratiam Rex Armeniorum sanctitatis suæ seruus deuotus, & obediens cum debita reuerentia grata seruitia, & pedum oscula.

Cum sedes Apostolica omnium penè pulsantium necessitatibus occurrit, ab omnibus filijs iniustitiam patientibus, & oppressionem ad eam recurritur, tanquam ad materna viscera consolationis, iuris, & æquitatis amatricem, vt ab ea lac paruulis, solidus cibus adultis, iniustè oppressis iustitia pro necessitate ministretur, eiusque proinde clementissime pater, & domine reuerendissime ad pedes sanctitatis vestræ, in qua tota spes nostra, fiducia, refugium, & tutela post Deum dependet, cum omni festinatione recurrimus conquerentes, & conqueri non cessantes de domino Petro tit. S. Marcelli presbytero Card. legato vestro, qui in tota causa, quæ vertitur inter nepotem nostrum, & comitem Tripolitan. semper nobis extitit, postposito mandato vestro de commissione, vt causam ipsam sine debito terminaret, non solùm suspectus, immo apertus aduersarius iam per alias literas hoc ipsum sanctitati vestræ significauimus, & adhuc instanter cumulatis querelis significamus. *Et infra:* Cognitis itaque deceptionibus ipsius & illusionibus semper, vt dictum est, talem nobis fieri iustitiam petebamus, qualem nobis facere tis in præsentia vestra constitutis, & ab hoc non recedebamus, nec recedemus vita comite, & ob hoc quancumque excusationem proponat, non processit in causa. Ad vltimum cum de pace nihil profici posset, partem nostram in quantum potuit exasperauit, & prohibuit nobis non mouere guerram aduersus partem aduersam, quod bene obseruauimus vsque quo Antiocheni, & Templarij simul paganis confœderati tuguria nostra de Gastum incendere, sed quid melius eomes quærebat, aut cupiebat, quãm iuxta prohibitionem domini S. . . Cardinalis Antiochiæ dominium violẽter captum in pace possidere iam de cætero nollet, si fieri posset ab aliquo guerram sustinete, semper vtique in nostri perniciem, & comitis melioratlonem laborabat.

34 Post hoc ipse P. . Cardinalis reuersus est, ac . . . ibique simul ambobus Card. nalibus, Rege . . illustri, comitissa Flandriæ (erat ista Maria Balduini vxor, de qua Flandriæ annales anno Domini 1203. tradunt illam cum Ioanne Nigellano in Syriam præcessisse, ac post maris superata discrimina Ptolemaidè applicuisse ac dũ virum ibi opperiretur, ex morbo extinctã fuisse IV. vt quidã norãt, kal. sep.) & magistris Tẽpli, & Hospitalarijs, & nobilibus peregrinis, qui aderant conuenientibus communi deliberatione firmiter statutũ est, sicut per literas ipsorum Cardinalium cognoscetis, vt quæcũq; partiũ subterfugeret stare iudicio ipsorũ Cardinalium, tanquam Christiano nomini aduersam eam persequerẽtur, & spiritualiter, & temporaliter. proinde missus est dominus Cremonen. ad vtrasque partes citandas ex parte omnium prædictorum ad ea, quæ statuta communi deliberatione fuerant facienda, vt quicunque hoc non faceret, excommunicationis sententiam in eum promulgaret eo momento per partes inimicorum securitate nobis ab ipsis

a Ibid. l. 8. ep. 120.

b Extat in M. S. cod. Vallic. signato B. 111.

Rex Armẽ. poscit ab Innoc. iustitiã sibi exhiberi.

ipſis delegata. Delegauimus nuncium C. . . de Camardeſio dilectum conſanguineum noſtrum ad partes actionum ad mandatum dominorum Cardinalium, aliarumque perſonarum, quæ nobis ſuper hoc ſcripſerant, qui in præſentia eorum conſtitutus ex firmo, & expreſſo mandato noſtro obtulit ſe defacto Antiochiæ tantum facere quod ſatis reputaretur, & quicquid faceret, nos ratum & firmum haberemus, comes verò Tripolitan. pertinaci duritia contumax conſilio maligno & ſuperbo informatus ad diem ſtatutum non venit, nec quemlibet reſponſalem miſit, nec etiam per ſuas literas excuſationem vel colorem excuſationis ſcripſit, immo quod conſueuit fecit, quia neque mandatis domini S. . Cardinalis in principio, nec etiã cum viua voce locutus eſt, ei obedire promiſit, immo dicebat ſe nunquam . . . iudicio ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, Cardinaliſque ipſius, nec poſtquam dominus P. . . Cardinalis acceſſit, ad cuius mandatum quatuor vicibus ad partes Antiochiæ acceſſimus, & pluribus vicibus noſtros delegauimus nuncios, non vidimus comitem Tripolitanum, nec nuncios ad præſentiam ipſius S. . Cardinalis accedere, & cum de abſentia comitis conquerebamur, idẽ Cardinalis dicebat ſe binas literas pro eo delegaſſe, & mirabatur multum, & moleſtè ferebat comitis Tripolitani moram, & poſtulantibus nobis iuſtitiam exhiberi, quaſi clauſis oculis præteribat, & nullam iuſtitiam nobis faciebat &c.

35 Hinc eſt, quod ſanctitati veſtræ flexis genibus, & multis lacrymarum gemitibus effuſis ſupplicamus, vt tam de eo, quàm de iniuſtitia a comite vobis & nobis illata ſecundùm iuris, & æquitatis tenorem conquerentibus in breui iuſtitiam diu expectatam fieri faciatis, ne defectu iuſtitiæ, quod abſit, cogamur ad illicita declinare, & dominum Petrum Cardinalem, quem veſtri reuerentia teſte ipſo ſemper honorauimus, penitus ab eccleſia Armenica nuper obedientiæ vinculis vobis alligata, & cauſa noſtra amoueatis, cuius mandatis, ſi ſalua gratia veſtra dicere licet, quia duplex eſt, de cætero non erimus obedientes. Petimus igitur a ſanctitate veſtra hos dari in cauſa iudices D. . . patriarcham Antiochenum venerabilem S. . tituli ſanctæ Praxedis presbyterum Cardinalem, illuſtrem Regem Hieroſolymitanum, & magiſtrum hoſpitalis, quibus conſuetudines patriæ non ignorantibus firmiter detis in mandatis, vt auditis vtriuſque partibus iuſtitia mediante cauſam ipſam poſtpoſita omni appellatione & occaſione diffiniatis, & ſi aliquis iſtorum in termino moreretur, nonminus qui ſupereſſent, cauſam ipſam diffinirent, & ſi fortè aliquis iſtorum de patria abſens fuerit, nihilominus cauſa ipſa diffiniatur.] Multa ex ijs repetunt Cardinales in literis ad Pontificem ſcriptis, quæ cum in ipſius vita in lucem fuerint editæ, a nobis prætermittendæ viſæ ſunt. *Quia verò*, ſubijcit actorum

Abſentibus legatis ea cauſa duobus abbatibus committitur.

ſcriptor, *legati de partibus illis receſſerant, Conſtantinopolim accedentes, dominus Papa cauſam commiſit de Lucedio & de monte Thabor abbatibus & nobilibus viris comitis * Bertolao & de * Formualt hoc modo: Etſi ſemper &c.* a Mandat enim præcipitque, vt tamque conuenientes partem eas diligenter commonendas curarent, vt ſuper eodem principatu vel inter ſe conuenirent, vel compromiſſum facerent, alioqui in contumacem ſpiritualiter ſeipſis, temporaliter adhibito cunctorum Chriſti fidelium auxilio animaduerterent. in eandemque ſententiam Regi Armenorum reſcripſit b. Datæ eius epiſtolæ Romæ apud S. Petrum 3. non. martias, Innocentij pontificatus anno octauo. Cæterùm quid ijs de rebus actum ſit, ex Armeniæ Regis lætiſſimis ad Innocentium literis c colligitur:

* Berrohoe
* Feranalbis
a Inn. l. 8. ep. 1.
b Id. ibid. ep. 2.
c Extant in cit. cod. Vallic.

36 *Reuerendiſſimo in Chriſto patri & domino Inn. Dei gratia ſacroſanctæ & vniuerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici Leo per eiuſdem & Romani Imperij gratiam Rex Armeniæ ſanctitati ſuæ deuotus & obediens cum debita reuerentia, grata ſeruitia & pedum oſcula.*

Lit. Reg. Arm. de Antioch. adepta.

Sicut de tribulationibus, preſſuris, anguſtijs & diſcordia exorta inter nos & Antiochenos nunc vſque paterno affectu condoluiſtis, ſic de ipſius pacis reformatione & proſperis ſucceſſibus nuper emergentibus gaudeatis: occaſione autem ipſius diſcordiæ multa & maiora prouenerunt hactenus contraria & pericula vniuerſæ Chriſtianitati, & maximè ipſi ciuitati propter importunitatem comitis Tripolitan. ſubterfugientis ſtare mandatis veſtris & iudicio legatorum veſtrorum, qui ad ſedandam guerram ex Apoſtolico mandato veſtro iam diu & laborauerunt pro viribus & nihil profecerunt, quod dominationi veſtræ non extat incognitum, ob quam guerram diu paſſam habitantes ciuitatem fame, penuria, calamitate, & miſeria, paupertate, & rerum iactura coacti & afflicti penè extrema trahebant, nequeuntes vlterius portare pondus diei & æſtus, & ni Dominus ſua ſancta pietate naui periclitanti ante ſubmerſionem manum adiutorij porrigeret, procelloſis fluctibus hoſtium crucis crudeliter agitata vultum cogeretur in terga cum pudore referre, verùm omnipotens & miſericors Dominus, qui neminem vult perire, ſed ſaluat omnes ſperantes in ſe ad hoc induxit vniuerſum populum ciuitatis a minimo vſque ad maiorem, quod facti ſunt anima vna & cor vnum ad requirendum dominum ſuum Rupinum dilectum nepotem noſtrum legitimum principatus hæredem.

Rupinus ab Antioc. exceptus.

37 Communicato inter ſe inuicem ſano conſilio dominus & venerabilis patriarcha oculos cordis in antea extendens ad euitanda maiora & intolerabilia pericula cũ vniuerſo clero, maiori parte militiæ & vniuerſo populo nimis perterrito ad nos per literas, & nuntios delegauerunt, rogantes modis omnibus & expoſcentes, quatenus cum dilecto nepote noſtro ad partes Antiochiæ accederemus promittentes, & ſpondentes ſe velle recipere illum tanquam ſuum dominum, quia bene recognoſcebant & nulli veniebat in dubium quin ipſe eſſet legitimus heres domini principis Beomundi aui ſui, & ad eum pertinebat habere hereditariam ſucceſſionem totius principatus Antiochiæ, quod iam iuſto iudicio ventilatum fuerat in publica curia viuente ipſo principe. Quod iam requiſiri fecimus in momento, atque cum fortunato per Dei gratiã exercitu noſtro acceſſimus vſque ad portas ciuitatis, quæ apertæ ſunt nobis & cum pacis ſilentio introiuimus Antiochiam ſine aliqua perſecutione illata, ſine ſanguinis effuſione, aut cuiuslibet læſione, immo vnanimiter corruerunt proni in terram ante pedes ipſius & noſtros, ſicque cum canticis & organis, cum tubicinibus & alijs plurimis inſtrumentis in gaudio & exultatione laudantes & benedicẽtes Dominũ duxerunt illum ad ſanctum Petrum, ſicut mos eſt principibus; ibique ſicut legitimus hæres receptus eſt a domino patriarcha, archiepiſcopis, epiſcopis & viris religioſis adſtantibus, &c. nepos noſter venerabili patriarchæ tanquam domino ſuo ligio iunctis manibus ligium fecit homagium. Quibus peractis dominus patriarcha dedit ei vexillum principale & ſanciuit eum de corporali poſſeſſione ciuitatis totiuſque principatus; & ſic per Dei gratiã conſtitutus princeps ductus eſt ad palatium principale, vbi fecerunt ei milites & clientes belligeri ligium homagium, ſicut debebant, & qui de ligio homagio ei non tenebantur, ſpontanea voluntate tactis ſacroſanctis Euangelijs iurabant ipſum adiuuare contra omnes homines, qui viuere & mori poſſent.

Princeps Antioch. patriarchę Antioch. fiduciarius.

38 Dehinc barones, milites Burgen. eliminati de ciuitate introducuntur, & reſtituuntur eis iuſto ordine domus, hereditates, poſſeſſiones & legitima tenimenta ſua. Similiter viduis, orphanis, & omnibus

in

iniustitiam patientibus iustitia mediante restituta sunt ablata, spoliati iniustè resarciuntur per iustitiam, ita per Dei gratiam in pace redacta sunt omnia, postquam vidimus dominum patriarcham fecisse iudicium & iustitiam, concessimus ei restituere Tarsensem ecclesiam cum omnibus rebus & tenimentis suis, in qua diu suo orbata pastore consecratus est archiepiscopus venerabilis cantor Antiochen. ecclesiæ, concessimus ei etiam reddere Manustanam ecclesiam, quam nostris temporibus, seu prædecessoris nostri non meminimus fuisse de suffraganeis ecclesiæ Antiochenæ, de qua electus est archidiaconus Antiochiæ, cui eleemosynariè largiti sumus tanta bona, quibus regere possit se & ecclesiam sibi commissam, canonicos & clericos ibi Deo seruiẽtes. Abbatiæ sancti Pauli, restitutus est fons Gustoni de quo ad aures nostras replicatę sunt sæpius vacuę querelę & restituta sunt eidem casalia & tenimenta sua. Similiter abbatijs nigræ montanæ restituta sunt casalia & tenimẽta sua sibi ablata, castellum de Gastum, quod super paganos acquisiuimus & propter guerram nunc vsque detinuimus, restituimus Templarijs & facti sumus amici ad inuicem.

39 Sicque per Dei gratiam facta est tranquillitas magna per totam terram: cuius rei veritatem per Hospitalarios, Templarios, & alios viros religiosos, si diligenter inquisiueritis, cognoscetis, & super hoc credimus dominum patriarcham vobis scripsisse. De cætero autem flexis genibus supplicamus circumspectæ dominationi vestræ, quatenus dominum patriarcham iuris & iustitiæ amatorem super hoc recommendare, & gratiarum actiones ei referre velitis copiosas. Atque dilectum nepotem nostrum principem sub alis protectionis vestræ habeatis recõmendatum, & in dominatione principatus sui auctoritate Apostolica ipsum confirmare dignemini, vt exinde dictis fidelibus fideliores, & deuotis deuotiores, nos & ipsum vobis & sanctæ Romanæ Ecclesiæ reddatis. Igitur flexis genibus supplicamus sanctitati vestræ, vt in auxilium nostrum, & principis contra barbaras nationes succursum mittatis, & omnibus ad succursum nostrum accedentibus indulgentiam & remissionem suorum peccaminum concedatis. Per partes nostras, est porta per quam prædecessores nostri introierunt, & sanctam terram promissionis acquisiuerunt.]

40 Hoc eodem anno Martinus abbas, de quo supra frequens mentio, Accone, quò reuersus fuerat, soluens patriam repetijt, secumque sanctorum reliquias detulit, quas in direptione Constantinopolitana acceperat, vt tradit Guntherus a, qui de colentibus eas Angelis obiectum diuinitus visum enarrat. *Tertia siquidem nocte, antequam ipse Martinus sui reditus iter arriperet, quidam clericus admodum ei familiaris, Aegidius nomine natus de Bohemia, cuius nullum verbum nisi Latinè prolatum abbas ipse intelligere poterat, qui & ipse cum abbate in eadem naui redire proponebat, non dormiens quidem, sed vigilans certissimè, sicut ipse penitus affirmabat, vidit Angelos duos in eodem loco, vbi sacræ seruabantur reliquiæ, vbi etiam tam ipse, quã abbas cubiculum habere consueuerant, abbas quidem ob sacrarum rerum diligentem custodiam, ille vero quid ibidem seruaretur, penitus ignorabat. Qui Angeli circa scrinium, in quo sacra Dei munera claudebantur, miræ deuotionis officium satagere videbantur, & Deum, qui hæc famulo suo contulisset, omni reuerentia collaudare: facto autem illo diuina venerationis officio alter alterum exhortantes Deum obnixè precabantur, vt eundem virum, cui tanta bona præstantur, cum omnibus, qui ei familiariter adhærebant, sua defensione protegeret. Quã vtique certissimam visionem cum ipse facto mane abbati recitaret, subito inter ipsa verba ex multa cordis compunctione erupit in lacrymas: Nescio, inquiens, quis sis, aut vnde veneris, aut quid in illo scrinio tuo custodias, sed illud verissimè scio, quia manus Domini tecum est. Quapropter in hac maris transfretatione a tua sanctitatis non recedam consortio, certissimè credens me in illa naui, qua tu vehendus es, periclitari non posse.* Hæc ipse de Angelico viso, qui aliud eadem nocte abbati obiectum recenset, quo significatum terræ, marisque periculis cælesti ope ereptum iri.

a Gunth. hist. Constantinop. apud Canis. antiq. lect. to. 5. p. 358. &c.

Insigne Angelorũ sacras reliquias venerãtium miraculũ.

41 Germaniam igitur regressus, Basileam, vnde primùm peregrinationem susceperat, lætissimè ingressus, inde ad Parisiense monasterium suum se contulit, in eiusque ecclesiæ ara maxima sacrosancta pignora reposuit, vestigium scilicet sanguinis Domini nostri Iesu Christi, qui pro totius humani generis redemptione effusus est; de Dominicæ crucis ligno; sancti Ioannis Baptistæ haud modicam partem; brachium sancti Iacobi Apostoli, & alia plura, quæ auctor commemorat. Ex his, vt auctor vocat, cælestis gratiæ donis Parisiensis ecclesia Philippo Sueuo Imperatorem agenti egregiam partem elargita est, tabulam videlicet inæstimabilis ferè pretij, auro gemmisque distinctam, permulta sanctarum reliquiarum genera continentem, quam aurea alligatam catena Græcorum principes diebus maximè festis veluti certum Imperij pignus collo appensam soliti erant circumferre: eiusmodi verò tabulæ præter aurum, aliasque gemmas pretiosissimas miræ magnitudinis iaspis hærebat, Christum medium inter beatam Virginem, & Ioannem Euangelistam referens, atque admirandæ item magnitudinis sapphirus, vbi diuina maiestas ea ratione qua humanitus exprimi atque adumbrari potest, insculpta cernebatur. De his omnibus fusius Guntherus, hisque Constantinopolitanæ historiæ a se exactissimè conscriptæ finem imponit.

Tabula pretiosissima relliquijs Constantinop. exportata Philippo Sueuo dono missa.

42 Porrò de reliquijs Constantinopoli a Martino abbate in Germaniam, alijsque aliò translatis, Otho de sancto Blasio antiquus auctor a historiæ commẽdauit, illatas occidenti Græcorum diuitias, atque Venetos ornamenta templi sanctæ Sophiæ, quod Iustinianus augustissimo cultu extruxerat, Venetias cũ ingenti auri vi, innumerisque reliquijs adnexisse, Martinum etiã abbatem Cistercienscm partem Dominicæ crucis cum multis alijs sacris spolijs in Alsatiam transtulisse, ac plures vrbes & prouincias ijs nobilitatas esse: addit fuisse diuinæ prouidentiæ, vt Græci qui tot mala aliàs crucesignatis inuexerant, irrogarantq; iniurias, a crucesignatis euerterentur, punireturque eorum scelus, non a Sarracenis, qui reliquias sacras conculcassent, sed a Christianis, qui ipsas toto occidente sparserunt, vt maiori honore colerẽtur. His similia de Cisterciensi abbate reliquias ad suum monasteriũ transferente Vrspergensis affert b. Cùm in Germaniam delapsa sit oratio, quænam gesta fuerint, videamus hoc anno in illis regionibus, audiamusque in primis Arnoldum Lubecensem abbatem, c qui ijs temporibus scribebat. Tradit auctor Othonis res cum in maximam potentiam obtenta Colonia excitatæ essent, repente defloruisse, deiectasque Vuilelmi comitis Iuliaci proditione fuisse, qui Philippo est pollicitus se omnes Othonis studiosos, atque ipsum Coloniensem archiepiscopum in eius partes traducturũ, si parem promissis obsequijs gratiam repositurus esset, eoque nuncio ingenti gaudio Philippum delibutum, comitem muneribus, maioribusque promissis oneratum ad proditionis consilia perducenda incitasse, illumque mox archiepiscopum, cæterosque Othonis proceres artibus suis in Philippi partes pellexisse.

a Otho de S. Blasio append. ad Oth. Frisin.

b Vrsperg. abb. in chron.

c Arn. Lub. chro. Slau. l. 4. c. 1.

43 Verùm Adolphum a Brunone clerico suo ad huiusmodi defectionem adductum testatur Innocentius. Idcirco mandauit d Coloniensibus decano, ac præposito sacerdotijs illum omnibus sine vlla recuperationis spe exuerent: at vtrumque contigisse potuit

Deficit Adolphus

d Lib. Vat. super neg. Rom. imp. ex reg. Inn. 3 ep. 123

 tuit

Adolphus Coloniensis archiep. ab Othone ad Philippū deficiens eūque in Imperatorē consecrat.

a Vrsperg. abb. in chron.

tuit, prædictum videlicet comitem archiepiscopum Brunonis opera ab Othonis amicitia alienasse, præterea eiusdem defectionis auctores extitisse, quos paulo post ex Godefrido audiemus. Pergit Arnoldus, inita coniuratione, collectoque florentissimo exercitu Philippum Aquisgranum petijsse, atque in ea vrbe ab Adolpho Colon. archiepiscopo diademate redimitum, quæ Conradus Vrspergensis abbas confirmat. a Addit Godefridus in annalibus eundem Philippum, antequam regni insignia ab Adolpho acciperet, consilio ibi cum suis inito regium nomen, & coronam deposuisse, vtque ab omnibus denuo eligeretur petijsse, obtinuisseque, atque adeo a Coloniensi archiepiscopo cum Maria * vxore sua inunctū, & consecratum esse. eadem omnino in chronico Hirsaugiensi b leguntur. Philippi itaque res adeo efflorere, vt Australis chronici auctor c tandem regno potitum dixerit. sed ad Arnoldi narrationem redeamus. Ait ergo eam defectionem Coloniensibus, qui in Othonis partibus, ac fide perstabant, ingratam admodum extitisse, ipsumque temeritatis arguisse. Ob rem adeo nouam nullo ab ijs petito consilio tentatam, ac precibus institisse factum reuocaret, repeteret memoria Pontificem ipsius precibus adductum Othonem confirmasse, illumque tantummodo Imperij ornamentis insignire decreuisse: sed cum mentem susceptam archiepiscopus exuere recusaret, Otho, clerus & ciues Colonienses tristem Adolphi rebellionem literis Innocentio significarunt, qui iusta ira in archiepiscopum motus diem ipsi dixit, vt intra sex hebdomadas ad diluenda obiecta se Apostolicæ sedi sistere non detrectaret, quæ ex Lubecensi Crantzius d deprompsisse videtur.

** Irene*

b Trith. chro. Hirsaug. ann. 1205.

c Chron. Austral. an. 1205.

d Crantz. Saxon l. 7. cap. 23

Clerus Adolpho resistit.

e Inn. cit. libell. ep. 117.

f Arnol. Lubec l. 7. c. 3.

44 Plurimum commendauit Pontifex e Coloniensis cleri, ac populi constantiam, turpiter ab officio Adolpho desciscente, ipsos fidem Othoni seruasse. subdit Arnoldus: f *Archiepiscopus tamen neglecto mandato Apostolico, eius præsentia se non exhibuit, vnde dati sunt iudices Henricus canonicus ad sanctum Gereonem, Anselmus, & Christianus parochiani, qui eum legitime citatum monuerunt, vt errori suo renunciaret: quod si nollet, eum excommunicatum deijcerent, & alium idoneum ecclesiæ suæ præficerent, quod & factum est. Cum enim acquiescere nollet salutaribus monitis, sub interdicto positus est, & Bruno Bonnensis præpositus ei est substitutus. Ad quod tamen negotium solemnius exsequendum a domino Papa maiores personæ sunt delegatæ, vt subiecta declarat epistola: Innocentius episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus archiepisc. Maguntino, & episcopo Cameracensi, & dilecto filio scholastico sancti Gereonis salutem, & Apostolicam benedictionem. Vt Adolfus Coloniensis archiepisc. incidat in foueam, quam parauit, &c.* Eam namque recitare pergit auctor, quam Crantzius, g & ex eo nouatores decerpsere h. habetur quoque in M. S. Vaticano libello, i nos verò captata breuitate prætermissis, quæ in periurum, & refractarium archiepiscopum præloquuntur, hæc tantum referemus: *Contra præceptum nostrum, & proprium iuramentum corruptus pecunia, sicut fertur, dominum suū temerarius prodidit, & conuersus in arcum peruersum nobili viro Philippo duci Sueuiæ impudenter adhæsit.* De his ita Godefridus in annalibus: l *Post hæc Coloniensem archiep. scoplū per Treuirensem, Spirensem, & Constantiensem episcopos apud Andernacum sibi conciliat,* Philippus scilicet, *& vt ducem Brabantiæ, & reliquos Lotharingiæ nobiles fideles sibi efficiat, nouem millia marcarum ei donat.* Saleuelt *etiam & alia ab episcopio ablata redonat, plurima promittens, rogat. Coloniensis verò archiepiscopus sacramentum, quod dudum Othoni fecerat paruipendens, & periurium & excommunicationem Apostolici non metuens, post festum sancti Martini, nempe superioris anni, ad ibidem Philippum cum duce Brabantiæ Cōfluentiam venit, & ei iuramentum fidelitatis cum duce ibidem fecit, ibi etiam Rex Philippus celebrem curiam omnibus, qui aderant principibus in epiphania Domini Aquisgrani indicit, & Coloniensis eum ibidem in Regem consecrari, & vngi promittit, quod & factum est, &c.* Quæ omnia iisdem ferè verbis Hirsaugiensis chronici auctor a. Pergit Pontifex.

g Crantz. Sax. l. 7. cap. 24.

h Cent. 13 cap. 8 col. 755. & c. & ex parte c. 6 col. 602.

i Cit. libell. ep 113.

l Godef. an. 1204.

a Trith. Hirsaug. chro. ann. 1205. & seq.

45 *Ac ne quid eius præsumptioni deesset, & ne culpa eius aliquo possit velamine palliari, nuper Aquisgrani, vbi præfatū regem,* nēpe Othonem, *solemniter coronauerat, memoratum ducem publicè coronauit, quamuis excommunicationis sententiam incurrisset, quam in ecclesia beati Petri Colonien. coram multitudine copiosa ipso præsente, ac gerente sacerdotalem stolam in collo & candelam accensam in manu vener. frater noster G. Rhemen. archiepiscopus tunc episcopus Penestrin. Apostolicæ sedis legatus promulgauit in eos, qui a præfato Rege recederent, & parti alteri adhærerent. Vt igitur Colonien. qui noluerunt in malo caput languidum imitari, sed in eiusdem Regis fidelitate persisterunt firmius, & persistunt, expurgato fermento veteri, quod voluit corrumpere totam massam, sit noua conspersio, sicut sunt azymi nihil corruptionis habentes, cum iuxta canonicas sanctiones accusatione non egeant manifesta, vnde nos eius exemplo, qui absens corpore, præsens autem spiritu Corinthium damnauit absentem, potuissemus in eum sententiam promulgare, ad maiorem tamen cautelam de consilio fratrū nostrorum, & tam episcoporū, quam aliorum plurium prælatorum discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, & districtè præcipimus, quatenus cum apud vos sint ista luce clarius manifesta, dictum archiepiscopum pulsatis campanis, & candelis accensis singulis diebus dominicis & festiuis excommunicatum publicè nuncietis, & faciatis per omnes Colonien. ecclesias, & vicinas diœceses sub solemnitate simili nunciare suffraganeos, & omnes vassallos Colonien. ecclesiæ tam clericos, quàm laicos absolutos ab eius obedientia nunciantes, &c.*

Innoc. ad reconciliā dū Othoni Adolphum laborat.

b ib. ep. 118.

46 Postea tamen optimus pastor aberrantem ouem ad gregem reducere satagens, b alia ad eosdem data epistola facultatem dedit, vt a mandatis superioribus literis sibi traditis recedentes, si ita in rem esse indicassent, archiepiscopum admonerent, darent operam intra certum diem in gratiam cum Othone rediret, ab eoque cauerent, ne rursus ab eiusdem Imperatoris fide, amicitiaque recederet, atque ita censurarū vinculis absoluerent. Sed huiusmodi Pontificis conatus in irritum cecidere: addit enim postremò Arnoldus Lubecensis c Adolphum è culmine dignitatis præcipitem deiectum, Brunonemque in ipsius locum suffectū & insignia archiepiscopalia a Pontifice adeptum, partesq; Othonis amplexum Coloniam obtinuisse: at verò Adolphum qui potentia ob plurium magnatum affinitatem pollebat circumposita loca infestasse. Eadem de exauctorato Adolpho, deque creatione Brunonis pluribus tradit Godefridus, d & ex ipso quem penè exscribere consueuit Ioannes Trithemius. e Porrò in cælum laudibus Colonienses tollit Innocentius f ob Adolphum ex Apostolicæ sedis auctoritate reiectum, Brunonemque, qui Othoni faueret, ad archiepiscopalem dignitatem admissum.

c Arnol. Lub. chron Slau. l. 7. c. 3. in fin.

d Godef. in annal. an. 1205.

e Chron. Hirsaug. eod. ann.

f Cit. libell ep. 130

Bruno in Adolphi locū subrogatus.

g Inn. l. 8.

h Ep. 170.

47 Postea datis ad Coloniensem electū literis, g vt quæ prius habuerat sacerdotia biennio retinere posset, vtque h si eum suffraganei sacris episcopalibus initiari neglexissent, alios ad id episcopos cōuocaret indulsit, denique eius confirmans electionē capitulo, cæterisq; Coloniensibus rescripsit: *Nos igitur veritate negotij comperta depositionem illius,* nempe Adolphi, *& electionē istius,* Brunonis scilicet, *gratā habentes vtrāq; auctoritate Apostolica confirmamus in virtute Spiritus sācti sub anathematis pœna districtius inhibentes, ne quis huic confirmationi cōtraire præsumat.* Et paucis interie-

ctio

ctis verbis subdit: *Vniuersitati vestræ præcipimus monentes, quatenus præfatum depositum tanquam excommunicatum omnino vitetis, & prænominato electo tanquam prælato vestro debitam obedientiam impendatis. Nos igitur suffraganeis Coloniensis ecclesiæ dedimus in mandatis, vt cum ab eo fuerint requisiti, manus eius consecrationis imponant, & vt nihil ei desit ad pontificalis officij plenitudinem, pallium de corpore beati Petri sumptum ex consueta Apostolicæ Sedis gratia destinamus.* Huc vsque Innocentius, atque de Brunone recens creato archiepiscopo Coloniensi modò satis, iam aliqua ad Germaniam pertinentia prosequamur.

Innocentij in rebus Othonis firmandis opera.

48 Omnibus neruis, vti superioribus annis, hoc pariter Pontifex contendit, elaborauitq; quo Othoni Imperium firmaret, atque adeo stantibus animos addere, labantes atque ab eo deficientes ad pristinam fidem reuocare non destitit, atque ob id ad omnes tam ecclesiasticos, quàm alios Germaniæ principes, qui in fide Othonis perstabant, scriptis literis constantiam illorum extulit: a *Non est, ait, amicus hominis, sed fortunæ, qui sicut arundo vento, sic fortuitis casibus agitatus ei, cui arridet in prosperis, deficit in aduersis: licet enim varij sint bellorum euentus, nec quod semper voluitur, in eodem statu valeat permanere, non debent tamen viri constantes secundum varietatem rerū labentium variari, sed stabiles potius permanere, scientes, quod finis pugnam coronat, & non qui cœperit, sed qui perseuerauerit, saluus erit, fides etenim in necessitate probatur, & constantia in aduersitate clarescit, nec qui cum fortuna rotatur, constans debet, aut stabilis appellari, aut dici fidelis, qui fidem variat cum euentu. Vnde miramur non modicum, & mouemur, quod quidam principum, qui charissimo in Christo filio nostro Illustri Regi Othoni in Romanorum Imperatorem electo sponte hominium fecerant, & fidelitatis iuramenta præstiterant non coacti, ex eo, quod nobilis vir dux Sueuiæ visus est aliquantulum prosperari, contra honestatem propriã, & fidem præstitam venientes, relicto eo, cui prius adhæserant, eius aduersario adhæserunt, illis merito comparandi, de quibus legitur in psalmista: Filij Effrem intendentes arcum, & mittentes sagittas, conuersi sunt in die belli. Verùm quanto detestamur amplius in talibus leuitatem, tanto in vobis constantiam potiùs commendamus, qui cum eodem Rege in suis tentationibus fideliter perstitistis.*

a Inn. cit. libel. ep. 119.

Colonia ab obsidione Philippi per Othonē liberata.

49 Quod ad secundas Philippi Sueuiæ ducis res pertinet, quarum causa, vt audisti, nōnulli Germaniæ principes contra delatum fidei iusiurandū ab Othone desciuerant, Albertus Stadensis hæc habet: b *Philippus & Otho iterum vires suas circa Coloniam sunt experti, ibi Otho est grauiter vulneratus.* Sic ille, at Robertus de Monte illius etiam temporis auctor hæc annalium monumentis exaranit: c *Otho Rex pugnat cum Philippo duce, & Coloniam ab obsidione liberat.* In quam sententiam Godefridus d ita loquitur: *Post natiuitatem Mariæ Philippus Rex maximo exercitu cōgregato Mosellam transiuit, & in festo beati Michaelis Archangeli ante mœnia ciuitatis Coloniæ veniens, eam impugnare cœpit: sequenti verò die in superiori parte ciuitatis tentoria sua figit, & tota illo die eam impugnat & impetit. His autem qui intus erant fortiter repugnantibus, & aduersarijs viriliter resistentibus cum per quinque dies eam impeteret & nihil proficeret, sed maximum damnum suorum præcipuè equorum ibidem acciperet, relicta obsidione recedit.* Quapropter nequaquam ducem Sueuiæ integra potitum victoria, sed tantummodo prosperis rebus vti visum asserit Innocentius.

b Stad. in chron.
c Rob. de monte hoc anno.
d Godef. in annal. eod. ann.

50 Cæterùm ad hoc tempus Coloniensis obsidionis conijciendum videtur, quod Cæsarius tradit: e *Non est diu, quod sex milites Templi in vicinia Sarracenorum horam quandam canonicam prostrati dicebant, ex inopinato paganis superuenientibus, cum illi surgere vellent & fugere, magister eis innuit, vt tacerent. Mira res, vt Rex cælestis ostenderet, quantum ei magistri fides & discipulorum obedientia placeret, angelos suos misit, a quibus infidelium turba turbata est, quidam capti, & plures occisi, cumque eos, quos angeli vinxerant, Templarij comprehendissent, & illi dicerent: Vbi est exercitus quem dudum vidimus, a quo capti sumus & occisi, responderunt: Quando necesse habemus, veniunt nobis in auxilium, quando non indigemus, reuertuntur in tabernacula sua: intellexerunt enim sanctos angelos illos fuisse, quos ipsi videre non potuerunt, qui laudantibus Deum semper adsunt, ipsosque custodiunt, ipsi reuera sunt castra Dei, qui Iacob cum timore reuertenti in terram suam venerunt in auxilium, fueruntque ei, vt dicit scriptura obuiam angeli Dei, quos cum vidisset, ait: Castra Dei sunt hæc. Hoc miraculum cum recitatum fuisset Regi Philippo in castris, cum rediret de obsidione Coloniæ, respondit: Certè si habuissem, Legem pone in ore, ego psalmum reliquissem & fugissem.* Sed ad institutam orationem reuertamur. Cùm Pontifex Othonis in H. Palatinum Rheni illius fratrem querimonias audisset, nimirum cum Philippo in eundem Othonem conspirasse, grauiter ipsum obiurgare, vtque quamprimum resipisceret, monere atque imperare non prætermisit. extant de his pontificiæ literæ tum ad Maguntinum archiepiscopum, & Ildesemensem episcopum a, tum ad ipsum Rheni Palatinum b datæ. Hermannum insuper Thuringiæ Lantgrauium ad eiusdem Othonis obsequium reuerti iubet, cum antea necessitate potius compulsus, quàm sponte in Philippi castris versatus esset. Othonis partes superiori anno secutus est Lantgrauius, quemadmodum Innocentius c testatur, posteaque ab ipso deficiens, Sueuiæ duci adhæserat, qua de re plura in suis chronicis auctores.

e Cæs. l. 8. c. 47.

Templarijs orantibus Angeli pugnant & Sarracenos capiūt.

a Cit. libell. ep. 120.
b Ibid. ep. 121.
c Idib. ep. 91. ante. fin. & post ep. 107.

Othocarus Bohemus a Philippo diadema accipit.

51 Porrò post epistolam ad Lantgrauium ab Innocentio datam; subditur in laudato sæpius libello: *Scriptum in eandem rationem ad Bohemorum Regem.* De quo ista in Steronis annalibus leguntur: *Ota Kel dux Bohemiæ adhæret Philippo, qui imponit ei diadema.* Insuper Padeburnensem episcopum, d ac Treuirensem archiepiscopum, e qui contra præstitum iusiurandum Othonem reliquerat, Pontifex grauiter arguere, atque ad illos reuocandos incumbere. Postremò Ioannem Anglorum Regem, Othonis auunculum magnopere hortari f, nepoti Imperatori electo opem porrigeret, vtque a Ricchardo Rege fratre suo legatam illi pecuniam (de qua sæpè diximus) tandem aliquando persolueret. Vt verò Othonis rebus, quæ ad præsentem annum spectant, finis imponatur, videamus quid de initis, recensitis supra, inter eum, & Brabantiæ ducis filiam sponsalibus censuerit Innocentius, hanc enim perbreuem illi epistolam misit: g *Cùm inter te, ac dilectam in Christo filiam natam ducis Brabantiæ sponsalia fuerint approbante legato nostro contracta, nostræ voluntatis existit, vt quod initiatum est, legitimè nisi per alium steterit compleatur. Cùm ergo puella ipsa ætati nubili sit vicina, monemus serenitatem tuam, & exhortamur attentius, quatenus vsque ad nubilem eius ætatem expectes, et si pater eius eam tibi tradere noluerit requisitus, ex tunc libere, cui volueris in Domino tamen nubas.*

d Arn. Lub. chr. Slau. c. 6. & 8. Vrsperg. et Paul. Lāg. lib. de Langr. auctor c. 32. 33. Stad. in chro. ann. 1204. Godefr. in annal. eod anno, & alij.
e Stero in annal. an. 1205. apud Canis. antiq. lect. to. 1. p. 244.
f Cit. libell. ep. 125.
g Ibid. ep. 126. 127.
h Ibid. ep. 129. 131.
i Ibid. ep. 128.

Innoc. Philippo Sueuo iura Ecclesiæ inuadenti se opponit.

52 Verùm vt Pontifex, quem putabat de Romana Ecclesia benè merentem Othonem souere, atque defendere, ita competitorem Philippum Sueuiæ ducem, quem cernit Apostolicæ sedis infensissimum hostem, vt par est, insectari. Mirum quam refractarius princeps in ecclesiasticis rebus sibi arrogabat: quare Innocentius diuino exæstuans zelo contra insurrexit, vt epistola ad Aquileiensem patriarcham, atque ad abbatem de Castro nouo data testatur i in ea enim prælocutus plura in Liupuldum, qui sine Romani Pon-

tificis venia ex Vvormatiensi ad Maguntinam sedem, vt vidimus, impudenter transuolarat, vnde primùm anathemate perculsus, deinde exauctoratus fuerat, in prophanum ducem nequissimi hominis fautorem ista a subijcit: *Cæterum idem dux cum debuisset excommunicatum vitasse, ac depositum abiecisse, tanquam de clauibus Ecclesiæ non rectè sentiret, ex eo tempore amplius illum fouit, & non solum in errore suo tanquam primus & præcipuus actor participauit eidem, sed in argumentum gratiæ plenioris in Italiam officium ei suæ legationis indulsit, & ad impugnandum beati Petri patrimonium hostem Ecclesiæ destinauit. Ecce qualiter idem dux Romanam honorat Ecclesiam, ecce qualiter claues Ecclesiæ reueretur, cum quantum in eo est Petri priuilegio violato, quod nullus principum, nullus etiam Imperatorũ hactenus attentauit, translationem episcoporum sibi præsumpserit vsurpare, ac hominem excommunicatum, & damnatum a nobis tanquã non credat testimonio veritatis, quod in collatione clauium ac ipsarum viribus protulit ipse Christus, fouere publicè, ac honoribus studuerit ampliare: cum enim lepræ iudicium secundum legem diuinam ad solos pertineat sacerdotes, quibus vt inter lepram dijudicent, est concessum, non debuerat leprosum contingere, aut sacerdotale sibi officium vendicare, ne cum Ozia Rege percuteretur in fronte, fieretque nota omnibus eius culpa; verùm si virum religione conspicuum, literatura præclarum, præditum honestate, ac damnatum iniustè fouerit, licet eius non esset de nostro iudicio iudicare, aliquibus tamẽ excusabilis videtur, sed cum faueat homini pestilenti, cuius crimen nec peritia literarum extenuat, nec morum inhonorat honestas, nec religio palliat, nec pœna excusat iniusta, excessus eius nequit vllatenus excusari.* Et infra:

a Ian. l. 8. ep. 83.

53 *Licet igitur ex eo, quod eiusdem ducis notorius est excessus, & ipse iam monitus noluerit ab huiusmodi præsumptione cessare, possemus grauiter procedere contra eum, adhuc tamen experiri volentes, si nunc saltem tanquam vir catholicus, aut etiam Christianus beato Petro cælestis regni clauigero magisterium vniuersalis Ecclesiæ, ac nobis in eo claues regni cælorum fideliter recognoscat, discretionem vestrã per Apostolica scripta monemus, & in virtute obedientiæ districtius præcipimus, quatenus ad eum diligenter, ac excusatione cessante personaliter accedentes ipsum secretò prius, & tandem publicè in audientia tam ecclesiasticorum, quam secularium principum, quos contigerit interesse, diligentius, & instantius moneatis, vt sæpè dicto excommunicato nullum de cætero tribuat auxilium, vel fauorem, sed potiùs tanquam depositum illum abijciat, & velut damnatum euitet, ac idolum zeli, quod in templo Dei velut abominationem in loco sancto stantem erexit, de ipso prorsus eliminare procuret, alioquin publicè nuncietis eidem, quod nisi vsque ad tres menses post commonitionem vestram monitis vestris acquieuerit humiliter & deuotè, in eum, et terrã eius manus nostras curabimus fortius forsan, quam existimet, aggrauare, etc. Dat. Rõ apud S. Pet. 11. non. iun.* Hæc Pontifex, qui ad eosdẽ insuper Philippum, nisi infra mensem resipisceret, sacris interdicere iubet: b cõtra verò Magdeburgẽsi archiepiscopo, c & Tullensi d, atque Harberstadensi e episcopis, qui antea varijs de causis anathematis sententia fuerant impliciti, absolutionis beneficium indulsit.

b Ep. 84. c Ep. 78. d Ep. 87. e Ep. 107.

Ordo militiæ Christi institutus ab Alberto Liuoniensi episcopo.

54 Hoc ipso anno militiæ Christi ordinem institutum Dlugoschus, qui Io: Longinus etiam dictus, tradit f: *Albertus tertius Liuoniensis, aliàs Rigensis episcopus, qui Bartholdo Liuoniensi secundo a Liuoniensibus prope Rigam interfecto, successerat, ordinem fratrum de militia Christi nuncupatum, qui gladium, & desuper crucem mantello insutam deferebant, apud Liuoniam instituit, pro defensione fidelium contra barbaros, & tertiam partem bonorum ecclesiæ Rigensis illis in dotem assignauit, quem Gregorius nonus ordini Theutonicorum vniuit, & vt in iurisdictione prælatorum Liuonien. consisteret, constituit.* Eodem anno defuncto Henrico, seu Emerico Vngarorum Rege, ac paulo post Ladislao puero eius filio, regni relicto herede, Andreas Henrici frater Pannonia potitur, cum prius ex Henrici suprema voluntate Ladislai eius filij & heredis curam suscepisset: de quo Andreas ipse Innocentium literis suis, quæ in pontificio huius anni regesto a extant, certiorem fecit. cui rescribens Pontifex, vt illius res diligentissimè administret, etiam atque etiam hortatur rogatque b: *Regem ipsum, inquit, puerum, cui fidelitatem fecisse dignosceris, promissione facta super administratione regni ac tutela suscepta de ipso, tuæ prouisionis industriæ attentius commendamus, vt nomini tuo præconia vera laudis accrescant, cum idem Rex benignum patrem in patruo, & protectorem propitium inuenerit in patrono, & ab altissimo Rege, cui puero Reges venientes de Saba plena deuotionis munera obtulerunt, salus tibi proueniat, & remunerationis æternæ corona. Nec contra ipsum Regem nepotem tuum prauas aliquorum suggestiones admittas, cui tanquam filio pro patre teneris adesse, quem cum sit paruus, & puer, tanto debes chariorem habere, ac pro eo regni negotia diligentius procurare, quanto propensius impensa sibi beneficia recognoscet, cum auctore Deo adultam peruenerit ad ætatem, in qua se patrem non perdidisse cognouerit, sed mutasse. Datum VII. Kal. may.* Hæc Innocentius.

f Longin hist. Pol. l. 6 an. 1205.

Emerici Regis Vng mors

Andreæ fratri commissa regni cura.

a Apud Innoc. l. 7. ep. 226.
b Ian. l. 8. ep. 36.

55 Præterea toto animo studioque in Regis noui regnique commoda incumbens, alijs ad Andream datis literis mandauit, tum pecuniam, c quam defunctus Rex quibusdam reliquerat, erogãdam curet, tum d redditus, quos Regi, reginæque promiserat, persoluat: atque ad eũdem ducem, vniuersosq; regni principes scriptis literis e, ita pueri Regis curã eos gerere monet, vt regias possessiones nulla ratione abalienare audeant, archiepiscopos insuper, episcopos, &c. fidẽ Regi seruare omnino iubet f. Colocẽsi & Vvaradiensi episcopis Ladislai Regis, ac Reginæ familiæ molestiam exhibentes, compescendi prouinciam iniũgit, g & Colocensis ecclesiæ suffraganeos in fide pueri Regis permanere imperat h: ad Andream insuper exaratis literis i excusationem affert, tum cur ei pro postulato Colocensi archiepiscopo morem gerere nequeat, aliumque eligi iubet, tum etiam l quod eius postulatis de Papebergensi episcopatu nõ annuat. demumque 6. kal. Augusti alias ad ipsum, qui Regi demortuo successerat, vt in eius commorantes regno, qui scrinium cum sanctorum reliquijs crucem auream, in qua vitalis ligni particula includebatur, plura ac pretiosa alia, quæ Portuensis episcopus Romam mittebat, vi abstulerant, quamprimum reddere compelleret, monuit, hortatusque est.

Pontifex tuẽdo nouo Vngarum Regi incumbit.
c Ep. 37.
d Ep. 38.
e Ep. 39.
f Ep. 40.
g Ep. 41.
h Ep. 42.
i Ep. 58.
l Ep. 106

56 Quod spectat ad Andreæ regnum; si verùm esse affirmemus id quod paulo ante retulimus, Henricum superiori anno kalendis decembris è vita discessisse, ac præterea eius filium Ladislaum vix mensibus sex diebus quinque, vt tradunt m, in regno exactis defunctum, non ante mensem iunij huius anni Andream regnare cœpisse dicendum est. Sed videamus, quibus beneficijs nouum Regem hoc anno prosecutus sit Innocentius, qui cum rogante illo statim post susceptam regni administrationem (quod paulo ante meminimus) vt n Colocensis archiepiscopus in Strigoniensem sedem transferretur, tametsi id primò illi concedendum non duxerit, demum permisit, vti pontificiæ literæ testantur: o siquidem hoc ipso anno pridie non. octobris Innocentius Strigoniensem præpositum, & capitulum monuisse reperitur, vt archiepiscopum suum è sede Colocensi ad Strigoniensem translatum venerarentur, & colerent. Colocensis verò capituli iuribus ex huiusmodi trãslatione

Ladislai mors.
m Bonf. Decad. 1. l. lib. 7.
Andreas nepoti succedit.
n Inn. l. 7. ep. 226.
o Inn. l. 8. ep. 135. habetur ex. de postul. prælat.

tione nullum damnum inferri declarauit a. atque de Germanicis, Vngaricisque rebus hactenus satis.

a Inn. l. 8. ep. 136.

Innoc. ad Iudæos cō primēdos in Gallijs operam nauat.

57 Iam ad Galliarum res sermonem conuertamus. plura in illis regionibus cōposuit Innocentius, quę nos breuissima oratione libabimus. Igitur grauissima in ijs Iudæos flagitia perpetrare acceperat, ad quæ retundenda ad Philippum Francorum Regem, aliosque principes scripsit, b vt perfidum populum coërcerent, ne nimia libertate in tyrannulos contra fideles desciscerent: *Etsi non displiceat Domino, sed ei potius sit acceptum, vt sub catholicis Regibus, & principibus Christianis viuat & seruiat dispersio Iudæorum, cuius tunc tandem reliquiæ saluæ fient, cum in diebus illis saluabitur Iuda, & Israël habitauerit confidenter, vehementer tamen oculos diuinæ maiestatis offendunt, qui crucifigentium filios, contra quos adhuc sanguis clamat in Patris auribus, crucifixi Christi coheredibus præferunt, & tanquam ancillæ filius cum filio liberæ possit, & debeat heres esse, Iudaicam seruitutem illorum libertati præponunt, quos filius liberauit. Sanè ad nostram noueris audientiam peruenisse, quod in regno Francorum Iudæi adeo insolescunt, & sub specie vsurariæ prauitatis, per quam non solum vsuras, sed vsuras vsurarum extorquent, ecclesiarum bona, & possessiones Christianorum vsurpent, sicque illud impletum in Christianorum populo videatur, quod in Iudæorum persona propheta deplorat: Hæreditas (inquiens) nostra versa est ad alienos, domus nostra ad extraneos. Præterea cum in Lateranen. concilio sit statutum, vt Iudæi nec sub alendorum puerorum obtentu, nec pro seruitio, nec alia qualibet causa in domibus suis habere permittantur mancipia Christiana, sed excommunicentur qui cum eis præsumpserint habitare, ipsi & seruos Christianos habere non dubitant, & nutrices, cum quibus eas interdum abominationes exercent, quas te potius punire conuenit, quam nos deceat explicare. Insuper cum idem concilium testimonium Christianorum aduersus Iudæos in communibus causis, cum & illi aduersus Christianos testibus Iudæis vtantur, censuerit admittendum, & anathemate feriri decreuerit, quicumque Iudæos Christianis in hac parte præferret, vsque adeò eis defertur in regno Francorum, vt non credatur Christianis testibus contra ipsos, sed ipsi contra Christianos ad testimonium admittantur. Quod si aliquando hi, quibus suam credunt pecuniam sub vsuris Christianos testes super facta solutione producant, plus creditur instrumento, quod apud eos per negligentiam, aut incuriam debitor reliquerat indiscretus, quam testibus introductis, immò non recipiuntur etiam testes in hoc articulo contra eos, vsque adeò etiam, quod cum rubore referimus, insolescunt, vt Senon. iuxta quandam ecclesiam veterem nouam construxerint synagogam, ecclesia nō modicum altiorē, in qua non sicut olim, priusquā fuissent eiecti de regno, demissa voce, sed cum magno clamore secundum ritū Iudaicum sua officia celebrātes diuinorum celebrationem in eadem ecclesia non dubitant impedire; &c.* Hæc aduersus Iudæos. demum in hæreticos subijcit vigilantissimus pastor: *Ad eliminandos insuper hæreticos de regno Francorum potenter insurgas, nec lupos ad perdendas oues sub ouina pelle latentes in terra sua latere permittat Regia celsitudo, sed in eorum demonstret persecutione feruorem, quo fidem prosequitur Christianam. Dat. Romæ apud S Petrum 17. Kal. februarij.* De his scripsit c etiam ad Senonensem archiepiscopum, episcopumque Parisiensem, neque ita multo post. 7. scilicet idus febr. eundem Regem rursus hortatus est d, hæreticorum audaciam atque conatus armis etiam, si opus foret, infringeret.

b Id. l. 7. ep. 186.

Decreta Lateran. Concilij in Iudęos nō seruata.

c Ibid. ep. 110.

d Ibid. ep. 212.

Philippus Galliarū Rex Normanniam suæ ditioni adiūgit.

e Lib. 8. ep. 7.

58 Occupatus tum erat in coniungenda Gallicæ ditioni Normannia Galliarum Rex, cumque populos ad fidem sibi præstandam iureiurando obstringeret, Innocentius Rothomagensem archiepiscopum, aliosque episcopos admonuit, e vt hac iure a consuetudine, & a iure non discedatur. At illud patris optimi animum angebat, quod post plurimos impensos a se labores Reginæ pijssimæ fœminæ Regis gratiam conciliare non potuisset, vt quo par erat eam amore complecteretur: quapropter legatione ac literis mœrentem permulsit: a *Nouit ille, qui nihil ignorat, quod super articulo matrimonij pro te fecimus quicquid humano facere potuit, sed peccatis exigentibus parum profecimus, quoniam ad exhibendum tibi maritalem affectum animus charissimi in Christo filij nostri Philippi regis Francorum illustris non potest aliquatenus inclinari, neque nos eius animo amorem possumus inspirare, cum hoc solus Deus facere possit, in cuius manu cor Regis existit. Putat igitur ipse Rex, & multi etiam opinantur, quod perpetuo sit maleficio impeditus, vnde non solum propter affinitatem, verùm etiam propter maleficium a te postulat separari. Licet igitur tibi deesse nolumus, immo quantum cum Deo possumus semper volumus adesse, quia tamen dispositionem Dei mutare non possumus, nec expedit, vt in hoc miserabili statu tu & Rex ipse diutius maneatis, mittimus ad te dilectum filium magistrum ... capellanum nostrum virum prouidū & fidelem, qui tibi solatiū nostræ visitationis impendat, et animum tuum subtiliter inuestiget, cui secure tuā aperias voluntatē nobis fideliter intimandā, vt ea cognita melius tibi prouidere possimus. Dat. 3. non. iul. apud S. Petrum.*

a Ep. 113.

Pontificis cōsolatoriæ literæ ad Reginā eiectam.

59 Quod ad Galliarum res attinet, Pontifex Beluacensem decanum, & capitulum ab iniurijs episcopo inferendis absistere iubet, b Belnacensiq; episcopo præcipit c laicos decimas ex Ecclesiæ præscripto soluere compellat, archiepiscopo, decano, & archidiacono Bituricensibus in mandatis dat, d vt Burdegalensem archiepiscopū ob indignissima scelera, nisi intra mēsem se abdicet munere, nulla mora interposita episcopatu deijciant, atque exauctorent. Guidoni Rhemensi archiepiscopo sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali imperat, tum vt e in prouinciali concilio archidiaconos, & decanos ad sacros suscipiendos ordines adigat, tum f ne aliquem regularem abbatem fideiubere sinat, tum g in ecclesijs Rhemensis prouinciæ, monasterijsque prauos mores corrigat, denique dato ad ipsum, successoresque diplomate, Rhemensis archiepiscopi priuilegia confirmat, inter quæ præcipuum illud recensetur, vt solus Francorum Regem inungere, & corona redimire possit. Præterea Narbonensi archiepiscopo mandat h, se Apostolico conspectui sistat, ijsque se purget, quæ obiecta essent: cum Senonensi archiepiscopo, nonnullisque alijs agit i de Burgundiæ duce, qui consanguineam sibi copularat, factique pœnitens opem, consiliumque flagitabat.

b Lib. 7. ep. 147.

c Ibid. ep. 198.

d Lib. 8. ep. 146.

e Ib. ep. 7.

f Ib. ep. 11

g Ep. 12.

Rhemēsi archiep. datum, vt solus Galliarū Regem inungat.

h Ep. 105.

i Ep. 118.

60 Rursus quod ad res Gallicanas attinet, historiæ exaratum est: *Anno Domini M. CC. V. Philippus Rex Francorum*, inquit Rigordus, l *in pignus charitatis, & dilectionis ecclesia beati Dionysij Areopagitæ contulit pretiosissimas reliquias, quas Balduinus Imperator Constantinopolitanus de sancta capella Imperatorum, quam os Leonis vocant, cum timore & reuerentia præmissis ieiunijs, & orationibus acceperat, scilicet de sancta Cruce, in qua Saluator mundi pependit, ad quantitatem vnius pedis in longum, in grossum quātum aliquis claudere manu potest iuncto pollice indice: de capillis Domini nostri Iesu Christi pueri: de spinea corona Domini spinam vnam, costam vnam sancti Philippi Apostoli cum vna dente ipsius, de panno lineo albo, in quo inuolutus fuit Saluator in præsepio, de purpureo indumento ipsius. Crux in vase aureo cum gemmis pretiosis ornamento posita est ad quantitatem eius facto: aliæ reliquiæ prædictæ positæ habentur in alio vase aureo. Omnes reliquias prædictas Christianissimus Rex Francorum Henrico abbati beati Dionysij propria manu in Parisijs tradidit 7. id. iunij: quas prædictus abbas cum gaudio lacrymarum pleno accipiens regali munifi-*

l Rig. de gest. Philip. Aug.

Reliquiæ Constantinopoli delatæ, ecclesiæque D. Dionysij a Philippo datæ.

cen-

entia exhilaratus psalmos cum orationibus psallendo vsque in dictum venit. Vbi processio monachorum beati Dionysij albis, et cappis sericis induti, nudis pedibus cum vniuerso clero, & populo obuiam occurrit. Et data in eodem loco cũ reliquijs benedictione, cum hymnis & laudibus pulsantibus campanis vniuersis in ecclesia ter beati Dionysij super corpora sanctorum martyrum in vasis maioribus auro puro, & lapidibus pretiosis tectis, cum capite ipsius pretiosissimi martyris Dionysij, & scapula sancti Ioannis Baptistæ habentur recondita. Per omnia benedictus Deus, qui mihi seruo suo licet indigno, & fragili peccatori ferè in senio iam existenti, diutino pictas videre concessit. Hactenus Rigordus.

Libertas ecclesiastica in Anglia oppressa.

61 Sed ad res Angliæ exponendas procurrat oratio. Funestissimus, luctuosissimusque erat hisce temporibus illius ecclesiæ status, de quo gestorum Innocentij scriptor, dum de morte Huberti Cantuariensis archiepiscopi agit, quæ hoc ipso anno obtigit, isthæc literis breuiter propagauit: *Licet beatus Thomas Cantuariensis archiepiscopus animam suam pro ecclesiastica posuerit libertate, nulla tamen vtilitas quoad hoc in sanguine eius erat, quoniam Anglicana ecclesia per principum insolentiam in profundo seruitutis ancillata iacebat, ita vt Apostolicum quoque mandatum in Anglia iam quasi precarium haberetur, & electiones prælatorum nusquam liberè fierent, vt de cæteris abusionibus taceatur. Contigit autem, vt defuncto Vberto Cantuariensi archiepiscopo, &c.* Verùm priusquam ad eius enarrandam mortem nos accingamus, quæ primùm occurrere, præmittenda sunt. In primis ergo Innocentius Papa dato VII. idus martij ad Cantuariensem archiepiscopum, Hubertum scilicet, atque Eliensem, Londoniensemque episcopos diplomate imperat a, Regem precibus, hortationibusque omni studio inducant, Vvintoniensis episcopi eligẽdi potestatem liberam electoribus permittat, postea scriptis 10. kal. ianuarij ad Regem literis b hortatur, ne S. Trinitatis moniales de Cadomo in ius ad laicos iudices vocari patiatur: vnde perspicuum est rerum Innocentij gestarum auctorem iure conquestum, Anglicanam ecclesiam redactam in seruitutem, quæ ex dicendis paulo post patebunt.

a Inn. l. 8. ep. 5.
b Ep. 167.

62 Dum ecclesias Ioannes oppugnaret diuinũ numẽ ipsius terras a Frãcorum Rege, cum quo ex Innocẽtij literis bellum gessisse constat, subijci permisit: at enim Parisius ipsum in Gallias expeditionẽ adornasse, atque a suis desertum, coactum redire paucis post diebus, quàm mare conscendisset, a nobilibus, populo, ac religiosis vim pecuniæ innumeram corrasisse, obiecisseque eos ad recuperanda amissa euntem sequi detrectasse, extinctoque Huberto archiepiscopo Cantuariensi, cuius mors non ingrata Ioanni Regi extitit, apud quem nimiæ cum Francorum Rege coniunctionis suspicione laborabat. Narrat auctor Cantuarienses monachos non consulto Rege Reginaldum superiorem in archiepiscopum elegisse, ac noctu celebratis diuinis laudibus primùm altari, dein archiepiscopali solio imposuisse, electoque Romam profecto, ac flagitanti ab Innocentio, vt electioni suam adijceret auctoritatem, respondisse Innocentium rem se diligentius excussurum. Reliquum est vt recẽseantur breuiter, quæ Innocentius cum Anglis per literas egerit. Primum, vt ex eius diplomate constat, Vvintoniensis monasterij patrocinium suscepit c, dein Petro Vvintoniensi episcopo (cui etiam patrocinium spondet) d imperat, e vt quæ in diœcesi sua emendanda sunt corrigat, postremò cunctis Anglicanis præsulibus mandat, f vt beati Petri denariũ, qui cum fide quidẽ colligebatur in Anglia, sed ministrorũ dolo non integer ad Romanum Pontificem perueniebat, annis singulis exigendum, sibique sine vlla fraude deferendum curent.

Pontifex queritur denarium D. Petri in Anglia collectum a collectoribus aliò auerti.

c Inn. l. 8. ep. 4.
d Ep. 175.
e Ep. 138. & 142.
f Ep. 178.

63 Non in Anglia modo verum in Hispania a Regibus appetita dignitas ecclesiastica defendenda suoque splendori asserenda fuit Regem enim Aragonum semel, iterumq; monuit, rogauitq; ecclesiã Helenẽsem vexare desisteret, atque in integrum restitueret, cuius oppida, possessionesq; eo nomine vsurpatas retinuerat quod episcopi electionẽ sine sua auctoritate attentasset, occupauerat violenter, populatusque fuerat, atq; eatenus retinuerat, quoad ecclesia eas imperata pecunia redimere cogeretur. ad hæc eiusmodi verba addidit: *Nos autem, qui tuam nolumus impedire salutem, sed propensius desideramus in Christo, dilecto filio abbati Cisterciensi P. de Castro nouo & monachis Fontis frigidi, Apostolicæ sedis legatis iniungimus, vt te ad hoc vice nostra diligenter moneant & inducant, & si necesse fuerit, districtione, quam viderint expedire, cessante appellatione compellant. Datum Romæ apud S. Petrum IV. id. martij.* Quo etiam die alijs datis ad ipsum diplomatibus, episcopalem sedem in Maiorica erecturum pollicitus a est, si illa armis potiretur, cique liberam rerum possessionem est elargitus b, quas ab hæreticis, alijsque, qui admoniti illorum conatibus non obstitissent, inuasisset, archiepiscopos verò, episcopos aliosque ecclesiarum rectores in Aragonio regno constitutos Regi in expellendis impijs auxilio consilioque præsto esse iubet c, fratribus de Calatraua eidem aduersus Sarracenos opitulari mandat d, ac demum Cisterciensi abbati, priorique de Castro nouo iniunxit e, vt Senræ castrum eidem Aragonum Regi cum illud Deo iuuante ab hæreticis vindicasset, personaliter, vt eius vtar verbis, in feudum concederent, ita tamen, vt Romanæ Ecclesiæ fidem astringeret, quod id castrum supremo iure ad B. Petri patrimonium pertineret, annuum censum Romanis Pontificibus soluendum statueret, idque literis publicis confirmaret.

Arguitur Aragonum quod Helenensem ep. vexet eo inscio electum.

a Ep. 93.
b Ep. 94.

Erepta hæreticis bona intendenti Aragonio cõcessa.

c Ep. 95.
d Ep. 96.
e Ep. 97.

64 Ex Aragonicis rebus ad Castellanas dilabimur: Asperserat regiæ dignitati non leuem maculam protrita libertate ecclesiastica, laxatisque temerè regni sui infidelibus frænis, Alphonsus Castellæ Rex, quem hoc ipso anno Innocentius Papa tum a vexandis clericis Iudæisque ac Sarracenis fouendis omni studio abducere conatus est f: *Nè charissime in Christo fili ecclesiasticam libertatem deprimere, & synagogam, ac meschitam extollere videaris, neque in ecclesiam sponsam Christi, aut ministros ipsius exerceas, quæ tuæ fidei puritatem offuscent, serenitatem regiam monemus in Domino, & hortamur, quatenus prædicta omnia & in te corrigas per te ipsum, & in alijs corrigi concessa tibi facias potestate. Alioquin quantumcunque personam tuam in Domino diligamus, quia ecclesiarum oppressionem, quarum est nobis cura commissa, pati nolumus, nec debemus, vt regi Deo potius, quam regi homini deferamus, venerabilibus fratr. nostris Oscensi, & Tirasonensi episcopis, & dilecto filio decano Tirasonensi nostris literis nos noueris iniunxisse, vt te ab huiusmodi per censuras ecclesiasticas appellatione remota compescant. Dat. VII. non. maij.*

Castellæ Rex oblatos ac Sarracenos in honore habitos increpatur.

f Ep. 50.

65 Hactenus Innocentius, qui pariter dedit operam, vt alios in viam reduceret, atque intra disciplinæ ecclesiasticæ terminos compelleret. Placentinis ob patrata crimina sacris interdictum fuerat, cumque Apostolicas literas, quibus solita salutatio præmittebatur impetrassent, atque adeo anathemate se solutos iactarent, ipse ne crimina ab Ecclesia impunita viderentur, Insubres admonuit, Placentinos absolutionem hac ratione non consecutos. Huius porro epistolæ g initium est: *Si aliquando*, & habetur ex. de sententia excommunicationis, cui inscripta est dies IX. kal. martij: quo item die Placentino & Terdonensi episcopis alijs literis h mandauit, vt Placentinos, si Ecclesiæ fecissent satis, absoluerent, qua verò ratione in Ecclesiæ gratiam redierint, proximo anno dicetur. Quàm prudenter cauteque in

Placentini de obtenta absolutione falsò gloriabũdi coërcentur.

g Lib. 7. ep. 224.
h Ibid. ep. 225.

his

his se gerere consueuerit Innocentius, amplius, clariusque demonstrant ipsius literæ, quas ad Mutinensem, ac Regiensem episcopos in marchionis Palauicini filij causa cõscripsit. Grauissimis contumelijs Romanam Ecclesiam affecerat, ipsiusque legatum spoliarat: quare sententia anathematis irretitus, solui non meruit, ni pœnitentia iniuriam illatam sarciuisset.

Pisanus archiepiscopus ob inualidam Sardiniæ suprema iura perstrictus. a Lib. 8. ep. 80.

66 Cùm insuper Pisanus archiepiscopus a Calaritano marchione fidei sacramentum sibi, suæq; ecclesiæ delatũ recepisset, grauiter ipsum arguens Pontifex, a plurimum hac de re se mirari ait, cùm ad Romanæ Ecclesiæ ius, supremumque dominium Sardiniam pertinere ipsi episcopo compertum esset, magisque se commotum subdidit, quod eundem virum ab eiusmodi sacramento, vti imperarat, absoluere neglexisset; quapropter ne cunctetur amplius monet, minasque intentat. vtque cætera crimina inulta non reliquit, ita hæreseos pestem hoc anno vti consueuerat, delere aggressus est; aliosque ad eam præfocandam incitauit. Fouebant Viterbienses impios viros, honoribusque augebant, atque ex ipsis plures nefarijs dogmatibus erant infecti: quare pastor vigilantissimus lupos a grege Dominico arcere studens ardentem, & aculeatam hanc ad ipsos epistolam dedit: b *In peccatis excellitis vniuersos facti perfidiores Iudæis, & crudeliores Paganis. Iudæi siquidem semel Dominum crucis patibulo affixerunt, sed vos in membris suis iugiter crucifigentes eundem, opprobrijs ipsum, & contumelijs laceratis, & cum illi credant, licet sub cæcitate peccati, Deum Patrem visibilia, & inuisibilia condidisse, plerique vestrum a Lucifero visibilia credunt esse condita, & creata. Pagani furebant in perimendis Christianorum corporibus, & mactandis, sed vos necare intenditis totum hominem, animas fidelium latenter Christo subripientes, & vtrumque hominem pariter perimentes. Verùm nec isti, nec illi Christum Dominum cognouerunt, propter quod habere videntur excusationem aliquam in peccatis, sed vos tanquam filij Effrem intendẽtes arcum, Christi fuistis charactere insigniti, & adhuc in publico Christiana vultis professione censeri, corde tamen abeuntes retrorsum, ac recedentes a fide, conuersi estis in arcum peruersum hæreticorum laqueis irretiti, ac eorum prauis dogmatibus informati.* Et infra:

Innocentij zelus in Viterb. hæret.

b ep. 85.

67 *Nos autẽ vestris miserijs compatientes imminenti ruinæ vestræ occurrere volumus, & etiam patulam exterminij vestri præcludere, si valemus, pulsantes Deum precibus, & Abrahæ vestigia imitantes, qui a Domino volente subuertere Sodomam, & Gomorrham, multiplicatis intercessionibus impetrauit, quod pro decem iustis non perderet vniuersos. Experiri siquidem volumus vtrum inter vos aliqui fideles remanserint, qui ante Baal sua genua non curuarint, & Niniuitarum exemplo iocco & cinere prostrati, iram Domini mitigent, & furorem, vt parcatur multis pro paucis, ne simul pereant vniuersi. Si quis igitur Dei est, adiungat se nobis, nam gestare volumus gladiũ Finees, & animaduersionem Mosaycam imitari, ac cum Mathathia punire dæmonibus immolantes, vt auxiliante Domino eliminentur de templo perfidi, & indigni, & fermentum hæreticæ prauitatis de massa conspersionis dominicæ salubriter expurgetur. Ideoque per Apostolica vobis scripta monemus, & districtius præcipimus, quatenus cum quidam vestri ciues filij Belial in odium Iesu Christi, & contemptum Apostolicæ sedis & nostrum, post inhibitionem a nobis factam quosdam credentes Patarenorũ in consules eligere attentarint, ipsum, & hæresiarcham videlicet... tiniosi perditionis filium, qui exigentibus iniquitatibus suis de mandato nostro iamdudum vinculo extitit excommunicationis astrictus, & adhuc in contumacia sua perdurat, camerarium instituere non timentes in electos ipsos, & electores pariter, ac eorum complices viriliter insurgatis, resistentes eis magnanimiter, & potenter, ac eosdem acriter expugnantes, & ne valeant radicari firma radice, primos ipsorum conatus frustrare, ac contundere laboretis. Vt autem caulis radicibus stipes arescat penitus, & siccetur, &c.* Hæc zelo fidei catholicæ æstuans optimus Pontifex, quæ haud silentio dissimulare voluimus, quò principes cæterique omnes præclaris vestigijs insistant, impiosque vniuersa in Christianam rempublicam mala inuehentes persequi, eijcere, ac suis finibus longè amandare discant. Demum Innocentius Viterbiensi, ac Vrbeuerano episcopis eiusdem argumenti literis a missis aduersus Patarenos sibi auctoritatem permissam exercere iussit, Viterbium adire, electosque consules magistratu submouere.

Rescinditur electio hæreticorum magistratuum.

a Ibidem ep. 104.

68 Iustissimas iras in improbos detonantem audiuimus, nunc æquum est, vt beneficia in pios effundentem conspiciamus. monasteriorum sancti Vincentij Cenomanensis, b sancti Petri Cluniacensis, c sancti Syluani de Leproso, d sancti Petri Cabilonensis e priuilegia confirmat, eademque monasteria in suam clientelam recipit, quod sancti Iuliani de Pereio magistro, fratribusque, f priori ac fratribus Vallis Caulium, g & monialibus de Gandersiem concedit. h Compendiensi abbati mitræ & annuli vsum permittit, i insuperque annuo imposito censu patrocinium fratrum hospitalis sancti Iacobi de Colle Bertanni; k & hospitalis sancti Rainerij l nobilis viri Vv. de Gaurcbia m ecclesiæ, n quam pia mulier in honorem sanctæ Mariæ Baroli extruxerat, prioris, fratrumq; hospitalis Trinitatis de Vrnolio, o ac Vindocinensis p abbatis, eiusque successorum suscepit.

Priuilegia in plures ab Innocẽtio collata.

b Lib. 7. ep. 184. c Ibid. ep. 185. d Lib. 8. e Ib. ep. 27. ep. 32. f Ib. ep. 99 g Lib. 7. ep. 218. h Id. lib. 8 ep. 43. i Id. lib. 7. ep. 190. k Ibidem ep. 199 l Lib. 8. ep. 66. m Ibidem ep. 48. n Ep. 49. o Ep. 89. p Ep. 164.

69 Claudet periodum huius anni lugubris enarratio de Gualtero Brenensi comite, cuius egregia facinora supra suis locis recensuimus: quippe in rebus gestis Innocentij Papæ hæc de illo anonymus scriptor monumentis mandauit: *Comes autem Brenensis cum multa fuisset magnificè operatus, quæ longum esset per singula explicare, vsque adeo compressit Theutonicos, vt vix auderent de castellis exire, quæ etiam essent necessarijs destituta sperabatur in omnibus, quod ea non possent diutius obtinere: nam & apud Salernum obtinuerat Terracinam, & Turrem maiorem tenebat obsessam. Ipse verò nimis securus effectus personæ suæ custodiam negligebat, de quo cum argueretur a multis, interdum arroganter respondit, quod Theutonici armati non auderent aggredi Francos inermes; vnde cum quoddam Diupuldi castrum quod* * *Sarnum dicitur obsideret, Diupuldus insidias prætendens incautelam summo diluculo armatus cum suis super comitem, & suos nudos in tentorijs quiescentes irruit improuisus, multosque peremit, & cepit ipsum comitem fortiter repugnantem sagittis & lanceis vulneratum, qui captiuus deductus ad castrum post aliquot dies recepta pœnitentia, & viatico debitum carnis exoluit.* His consentanea de Brenensi comite capto a Diupuldo, atque haud ita multo post vita functo tradit Richardus e sancto Germano notarius. q Illa verò hoc anno contigisse, tum auctor idem, tum Fossæ nouæ chronici auctor suis versibus testatur, qui rudi quidem, & incompta musa, sed veritatis amantissima, tum temporis illis in partibus cecinit, quæ instar sepulchralis elogij esse possint:

Brenensis comitis virtus bellica.

* Sarnum al. Soccũ.

Nimium sibi præfidens capitur, atque ex vulneribus obit.

q Richard. in chron. hoc an.

Heu regale genus iubar, & decus omne Quiritum?
Heu genus oppositum vitijs, virtute potitum,
Quod cito sic cecidit, multorum gloria, virtus!
Multis Apulia, caput est a corde recisum,
Et datur, vt culmo viridi cedat Diupuldo.

Brenensis comitis laudes egregiæ.

Hæc auctor impolito carmine; at Gualterus posthumum filium suo appellatum nomine reliquit, cuius vxor postea Tricariensi comiti nupsit, vt ex memoratis Innocentij gestis traditur. atque hactenus de strenuissimo duce. Subdit Richardus victorem Diupuldum

pulsum Salernum, cuius arcem tenebat, reuersum in ciues sæuijsse.

IESV CHRISTI
Annus 1206.

INNOCENTII PP. III. annus 9. | VACAT IMP. OCCID. an. 9. HENRICI IMP. annus 1.

Iniquum a patriarcha Constantinop. extortum Venetis sacramentum.

1 AD tuendam nobilissimæ orientis patriarchalis sedis maiestatem, libertatemque defendendam anno a salute mundi millesimo ducentesimo sexto indictione nona curæ Apostolicæ conuertendæ fuerunt. Diffregerat quidem funesti schismatis vincula Constantinopolitana ecclesia, atque eò ad maiorem sese extulerat dignitatem, quò demissius in Romanæ Ecclesiæ obsequium procubuerat: sed cum Veneti patriarcham a sede Apostolica redeuntem ad conuentiones compulissent, quæ in cæterarum nationum iniuriam redundabant, Innocentius cuius Apostolicum studium non in Venetos modò, sed in cæteras omnes nationes se diffundebat, iustitiæ zelo incensus sacramenti vim labefactauit, atque hæc imperia fecit patriarchæ, quem timidi animi perstrinxit humanis minis, ac terrori succubuisse.

Rescinditur ab Innocentio.

2 *Præsentium tibi auctoritate mandamus, & in virtute Spiritus sancti districtè præcipimus, quatenus iuramentum illud nequaquam obserues, cùm sanctuarium Dei non sit hereditario iure ab aliquibus possidendum, sed in omni gente, qui facit iustitiam, acceptus sit Deo, præcauens diligenter, ne post hoc Apostolicæ sedis præceptum in præmissis articulis vtcumque delinquas, quia si de cætero solos Venetos in ecclesia sancta Sophia canonicos institueris, vel ad hoc impenderis operam qualemcumque, vt semper in eadem ecclesia sit Venetus patriarcha, neminem in ipsa ponendo canonicum, nisi iuret, quod nunquam aliunde, nisi de Venetys eliget, aut recipiet patriarcham, nulla deinceps ratione super his poteris excusari. Sed nec illud obserues, quod absque iuramento diceris promisisse, vt neminem archiepiscopum præter Venetum in tota facies Romania.* Et paucis interiectis verbis: *Licet autem plus debueris Dominum timere, quam homines, ne iurares aliquid propter homines contra Deum, si tamen in illo iuramento per vim & metum extorto præscriptam adhibuisti cautelam, vt iuraueris saluo in omnibus Apostolicæ sedis iure, auctoritate, reuerentia, & honore, nos tibi delictum tuum humiliter confitenti de speciali gratia indulgemus, vt huiusmodi iuramentum nullum tibi possit præiudicium generare, dummodo præceptum, quod salubriter tibi fecimus ad saluandum ius, reuerentiam, auctoritatem, & honorem Apostolicæ sedis, contra cuius statuta ea, quæ sunt iurata redundant, fideliter exequaris, &c. Datum Ferentini.* Hactenus Innocentius a, cuius epistola in actis ipsius etiam continetur, additurque dat. Ferentini, vbi pariter XI. kal. iulij anno nono (hoc scilicet) aliæ eiusdem argumenti Innocentij literæ scriptæ leguntur b ad Petrum tit. sancti Marcelli, & Benedictum tit. sanctæ Susannæ presbyteros Cardinales, quibus præcipit patriarcham moneant, ac pro viribus inducant beneficia ecclesiastica religiosis, honestis ac literatis viris cuiusuis nationis in Constantinopolitanæ vrbis ecclesijs, maximeque in sanctæ Sophiæ templo deferat.

a Innoc. lib. 9. ep. 130.
b Ep. 100.

3 Qui autem tumultus patriarcha Constantinopolim accedente a Francia concitatus, vtque tandem per Apostolicæ sedis legatum compressus fuerit, acta enarrant. Et quidem patriarcha antequam vrbem ingrederetur, literas ad clerum, & populum dedit, quibus aduentus sui factos certiores, officij commonuit, vt ad ipsum debito honore excipiendum se accingerent: sed Franci clerici ipsum excipere, moremve ei gerere respuerunt, & obiecere ipsius promotionem mendacio ab Apostolica sede surreptã, & ad ipsam coram Cardinali legato vnanimi consensu prouocarunt; quorum appellationem admittendam censuit legatus, nec ipsos ad obsequium patriarchæ deferendum adegit. At patriarcha in ipsos, vt contumaces anathematis sententiam distrinxit, quam illi seruare contempserunt, quæ discordia tamdiu tenuit, donec Benedictus tituli sanctæ Susannæ presbyter Cardinalis legatus a latere in Imperio Constantinopolitano constitutus Bysantium appulit, suaque auctoritate discordiã extinxit, ac nonnullas patriarcham inter & Francos conuentiones confecit, quarum ea princeps extitit, vt ex omnibus terris, quæ armorum vi ab hoste compararentur, decimaquinta pars Constantinopolitanæ ecclesiæ attribueretur.

Galli clerici aduersantur patriarchæ.

Conciliata a legato discordia.

In nomine a Domini Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi anno Domini millesimo ducentesimo sexto mense martij indictione nona, Constantinopoli. Hæc est forma concordiæ facta inter dominum Benedictum tituli sanctæ Susannæ presbyterum Cardinalem Apostolicæ sedis legatum, & dominum Thomam Maurocenum sanctæ Constantinopolitanæ ecclesiæ patriarcham ex vna parte, & dominum Henricum, & barones, & milites, & populum ex alia in conquisitis, & acquirendis intra & extra Imperium Romanum. Dominus Henricus de consilio, & assensu omnium principum, baronum, militum, & populi dat ecclesijs, & promittit se daturum in earundem recompensationem possessionum, sicut inferius denotatur, extra muros ciuitatis Constantinopolitanæ quintam decimam partem omnium possessionum, ciuitatum, castrorum, casalium, camporum, vinearũ, nemorum, syluarum, pratorum, pomeriorum, hortorum, salinarum, passagiorum, teloneorum terræ, & maris, piscariarum in mari, & in aqua dulci, & omnium possessionum, etsi in præsenti scripto non reperiantur insolidum declarata: his exceptis, quod de terra, quam habent iuxta muros nominatæ ciuitatis a porta aurea vsque ad portam Blacherna infra murum ipsius, & mare dare quintamdecimam nullatenus tenebuntur; nec etiam de casalibus moneta, in quorum recompensationem casalium dominus Henricus, & prædicti secundum eorundem casalium valorem in prima conquisitione satisfacere de quintadecima ecclesijs tenebuntur.

a Ep. 142.

Conuentiones inter patr. & Imper.

4 *De commercio, quod infra Constantinopolim, vel extra nomine ciuitatis receperint, quintamdecimam non dabunt, si in ipsa ciuitate Constantinopolitana nomine alterius ciuitatis, aut loci, vel alibi commercium soluetur quintamdecimam dabunt Ecclesiæ: si verò cum aliquo ciuitate, vel castro, vel terra, vel insula, quam dominus Henricus subiugare sibi, & Imperio nõ poterit, per annuum censum compositum fuerit, quintamdecimam dabunt ecclesiæ: sed si feudare, vel donare, vel alienare voluerit, hoc faciat salua primo ecclesiarum quintadecima parte. Diuisiones possessionum inter ecclesiam & prædictos hoc modo fient, quod boni viri post bullatum præsens instrumentum infra octo dierum spatium ab vtraque parte eligentur, qui iurati bona fide de possessione cuiuslibet terræ & aquæ quindecim partes facient, & sortes mittent, si aliter conuenire non possint, & supra quam ceciderit sors ecclesiæ, erit ecclesiæ. Hæc autem vsque ad Pentecostes festum proximum venturum bona fide complebuntur. Claustra quoque omnia tam infra ciuitatem, quàm extra libera erunt ecclesiæ, nec in quintadecima computanda. Si de quantitate claustrorum quæstio oriatur, vtraque partium eligat virum idoneum post quæstionem motam infra octo dierum spatium, & illi duo per sacramentum suum tertium eligant, & quod illi tres, vel maior pars eorum astricti sacramento infra viginti dies super hoc bona fide duxerint faciendum, stabile permaneat. Si pro ardua necessitate terræ aliqua claustra fuerint incastellanda, incastellentur de assensu domini patriarchæ, vel diœcesani episcopi, qui si cum incastellatoribus concordare*

nequ-

nequiuerint, sicut supradictum est, de claustris quaestio terminetur. Dabunt etiam decimas Latinorum omnium in perpetuum, videlicet de blado, legumine, & omnibus fructibus terrae & vinearum, quas excolent, vel proprijs sumptibus excoli facient, & de fructibus arborum, & hortorum, quos paterfamilias in vsus comedendi, & manusculorum bona fide conuertet.

5. *De nutrimentis animalium quadrupedum, & de opibus, & lanis decima soluentur, & si progressu temporis Ecclesia a Graecis decimas per exhortationem, & admonitionem acquirere poterit, per eos nullum impedimentum praestabitur. Praeterea clerici, & ecclesiae vniuersae & earum possessiones, & manentes in ipsis possessionibus, & ecclesijs, & religiosae personae tam Graecorum, quam Latinorum, & morantes cum praedictis, & claustra ecclesiarum, & habitantes in eis, & qui ad ecclesiam confugerint, liberi erunt ab omni laicali iurisdictione, secundum liberaliorem consuetudinem Franciae, salua in omnibus auctoritate Ecclesiae Romanae, necnon & Constantinopolis & honore, & iure domini patriarchae, & Imperatoris, & Imperij, & saluis in omnibus capitulis supradictis. De terris verò, quae Deo volente de caetero conquirentur, primò habebit Ecclesia quintamdecimam partem, antequam alicui distribuantur. Haec autem omnia dominus Henricus, & barones ipsius bona fide attendent, & curabunt pro posse effectui debito mancipare. Nulli omnino hominum liceat hanc paginam concordiae, vel pactionis infringere; vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem &c. hanc autem compositionem dominus patriarcha pro se, & successoribus suis se firmiter obseruaturum promisit, & dominus Henricus, & barones, & milites, & populus similiter pro se, & successoribus suis, & hae excepta communi parte Venetorum se firmiter obseruaturos promiserunt. Datum Constantinopoli apud sanctam Sophiam 16. Kal. aprilis. Nulli ergo &c. Hanc paginam nostrae praeceptionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Ferentini non. aug. anno IX.* Has conuentiones Innocentius cum Ecclesiae vtilitati cederent, Apostolica auctoritate corroborauit, easque vti iacent, diplomati suo inseruit.ᵃ

a Inn. ep. 192.

Henricus Imperiũ regit non obtenta imperatoria dignitate.

6 Animaduertisti lector Henricũ, qui primo sẽper loco principes inter recensetur, nunquam Imperatoris titulo insigniri, idque dedita opera factum scias: quamuis enim clauum Imperij teneret, & gubernacula reipublicae tractaret, nondum tamen Imperator renunciatus erat, quippe Niceta Choniata Graecus auctor haec literis mandauit: *Ipsi Byzantium reuersi* (de nostris loquitur) *Henricum Balduini primi ex Latinis Byzantio dominati fratrem Imperatorem declarant. Cum autem vnum annum & menses quatuor rempublicam sine Imperatore administrarent, nemini popularium suorum regni inaugurationem condonare voluerunt, nisi Balduini morte prius explorata.* Haec ipse, vbi cum asserat per annum, menses quatuor rempublicam sine Imperatore administratam esse, Balduinum verò quintodecimo aprilis die captum significet, dicere necesse est Henricum hoc anno, sed non ante xv. augusti diem Imperatorem declaratum. Sed redeamus ad Innocentij gesta: *Post haec,* inquiunt, *patriarcha praefatus solemnes nuncios cum gratuitis obsequijs ad Apostolicam sedem direxit, super diuersis articulis querelas, consultationes, & preces inculcans. Ad quae omnia dominus Papa rescripsit eodem hoc modo: Inter quatuor animalia, &c.* affert Innocentij epistolam, qua plura dubia soluuntur, quae ad regimẽ illius ecclesiae spectabant, & quamuis expressum non habeatur, quonam die, vel anno exarata fuerit, in regesto ᵇ tamen additur: Dat. Ferentini 4. non. aug. anno nono. cum verò prolixior sit atque in lucem edita, ne fastidium lectori afferamus, omittendam censemus. Haud tamen taciti praeterimus Innocentium ex ijs, quae ibi asserit, hoc eodem anno, Nitosiensem

b Lib 9. ep. 140.

archiepiscopum in ius vocasse ᵃ, quo cognosceretur, an Constantinopolitano patriarchae, vel non subijci deberet. Nec praetermittendum, Nicetam Choniatam de Thoma Constantinopolitano patriarcha nuper, vt ait, Venetijs profecto mentionem etiam facere, atque haec in annales suos contulisse: *Ispatrio vestitu indutus erat, qui corpus ita constringebat, vt acubus illi assutus videretur, manibus dumtaxat & pectore aperto: malis ita rasis, vt quemadmodum in impuberi puero, nullum pili vestigium cerneretur.* Per haec tempora Bonifacius marchio Montisferrati ad Innocentium Pontificem cancellarium suum oratorem misit, ad quem Innocentius officiosissimas literas ᵇ reddidit, in quibus summis ipsum laudibus prosecutus est, eiusque postulatis ita respondit:

a Ibib. ep. 141.

b Ep. 188.

7 *Super ijs, de quibus nos per tuas literas consulere studuisti, tibi iamdudum curauimus per nostras literas plenariè respondere, sed quia fortè nondum ad te illae literae peruenerunt, transcriptum ipsarum, de registris nostris assumptum, per praedictum nuncium nobilitati tuae duximus transmittendum, vt perpendas ex eis quod tibi super ijs curauimus respondere. Super facto autem priuigni tui ac Thessalonicensis ecclesiae, quod dilecto filio Benedicto tituli S. Susannae presbytero Cardinali Apostolicae sedis legato scribendum duximus, per transcriptum literarum ipsarum, quod ipsi nuncio tuo concessimus, poteris intueri.* Extant etiam literae, quas ad Benedictum Cardinalem misit; vbi post commendatam summam eius erga Apostolicam sedem obseruantiam ac fidem haec addit ᶜ: *Nos in ijs, quae ad ipsius redundare debeant commodum, & honorem libenter intendimus, & impendimus operam efficacem. Quocirca discretioni tuae per Apostolica scripta mandamus, atque praecipimus, quatenus ea quae dictus nobilis super statu Thessalonicensis ecclesiae ac .... filio quondam Imperatoris Isaacij priuigno suo tibi duxerit proponenda, diligenter audias, & exaudias, quantum cum Deo poteris, & sedis Apostolicae honestate, vt deuotionem, quam hactenus ergo sacrosanctam Romanam Ecclesiam habuerit, sibi sentiat fructuosam, & in eo feruentius inardescat, factus deuotior ex deuoto. Datum apud S. Petrum v. Kal. decemb. anno IX.* Quo etiam die scripta est ea, de qua modò diximus, epistola.

Lit Innoc. ad March. Bonif.

c Ep. 189.

8 Hic praetereundum non est, Innocentium hoc itidem anno ᵈ Antiocheni patriarchae culpam gratia deleuisse, cum ad salutanda Apostolorum limina non accessisset, ac superest, vt antequam ex oriente sermo reuocetur, de rebus Terrae sanctae aliqua adducamus, quae semper Pontifici charissimae extiterunt: quapropter hoc eodem anno Namurcensem marchionem, caeterosque Christi fideles cohortatur, & rogat, quamprimum Constantinopolim proficiscantur, quo Hierosolymitanae prouinciae recuperandae operam dare possint, cuius epistolae ᵉ partem annalibus adscribemus, cum alia scitu dignissima ad Henrici Imperatoris historiã spectantia perstringant: *Nobilitati vestrae praemissa auctoritate districtè praecipimus monentes, quatenus cum dicto episcopo,* nimirum Suessionensi, *ad eundem portum,* Ianuensẽ scilicet, *accedere studeatis, transfretaturi pariter cum eodem, ne, quod absit, exercitus domini occasione qualibet dissoluatur, ipsius episcopi, qui super hoc fideliter, & deuotè laborat, consilijs intendentes. Praeterea praesentibus vobis literis innotescat, quod postquam illustris memoriae * Constantinus Imperator sub hostili custodia diem clausit extremum, charissimus in Christo filius noster Henricus germanus ipsius Constantini * frater Imperator illustris ab vniuerso exercitu Latinorum vnanimiter, & concorditer fuit in apicem Imperij sublimatus, & tam contra .... Blachium, quàm contra alios hostes Imperij postmodum saepius triumphauit, qui etiam ante sublimationem suam victoriosus extiterat contra illos, propter quod firmiter sperare debetis, quoniam ex quo*

d Inn. l. 9. ep. 47.

Excitati Occidentales ad ferend. Henrico Imp. auxilium.

e Ep. 47.

* Balduinus

* Balduini

ad

ad partes illas aura vos salutaris impulerit, etiam qui babitant fines Imperij, ad vestrum introitum contremiscent, & facile subiugabitis vobis nationes exteras ad obsequium Crucifixi. Datum Romæ apud S. Petrum III. *id decem. anno* IX. Alijs quoque Terræ sanctæ loca petentibus literas a misit, quibus si in Vrbem Apostolicam benedictionem percepturi se contulerint, tutum iter Brundusium vsque pollicetur, eidemque antistiti tribuit b, ecclesiasticas censuras ijs, qui hastiludia inierant, remittat, ne sacræ expeditioni mora afferretur. Postremò concedit c ad Thessalonicensem ecclesiam, retenta Suessionensi, donec Constantinopolitanum Imperium stabiliretur, quo demereretur Imperatorem, traducatur. extant etiam Innocentij literæ d ad Hierosolymitanum patriarcham, Apostolicæ sedis legatum, quibus agit de pactis inter Cypri Regem, Henricumque comitem regni Hierosolymitani dominum initis, datæ Laterani 3. kalen. aprilis anno IX. Denique ad Tyrensem archiepiscopum e atque ad P..... Yporiensem electum f scribens, querimoniam in alterum a duce Venetorum ad Apostolicam sedem perlatam ait, vtque mores emendet admonet; alterum verò ad ecclesiam suam, quam in eremum profectus deseruerat, reuerti quamprimum iubet. atque de his satis.

[a Ep. 196.] [b Ep. 195.] [c Ep. 198.] [d Ep. 28.] [e Ep. 138.] [f Ep. 170.]

9 Iam ex orientali ad occidentale Imperium orationem traducamus. Otho Rex Imperator designatus nuncium suum Cameracensem episcopum ad Innocentium misit, quem Pontifex benigno vultu excepit, ac quamuis postea idem Rex ab ipso nuncio, cum in Germaniam esset reuersus, certior fieri debuisset tum de Pontificis consilio, atque etiam de Imperij statu, ne tamen hoc interim spatio in fraudem ab scelesto aliquo induci posset, prudens ac prouidus Pontifex suum erga eum studium explicuit. continentur hæc in ipsius epistola g, vbi constantiam suam sic testatam reliquit: *Serenitatem tuam præsentibus literis præmunimus, reddentes te de gratia nostra plenè securum, quam velut columnam immobilem semper inuariabilem comprobasti.* Et quidem Pontificem in hac sententia persistisse, quemadmodum multis atque perpetuis beneuolentiæ suæ in ipsum argumentis conspicuum fuit, ita etiam in his, quæ hoc anno obtulere sese, effulsit. Etenim in sæpe a nobis laudato, laudandoque Vaticano codice, prædictæ ad Othonem epistolæ, alia ad Ioannem Angliæ Regem illius auunculum præponitur, quem (vti superiori anno atque aliàs sæpissimè præstiterat) etiam atque etiam rogat, monetque, Othonem pecunijs iuuaret, quam inclytæ (vt ait) recordationis Riccardus Rex germanus suus eidem debebat. huic epistolæ adscripta est dies 13. kal. martij Romæ apud S. Petrum Pontificatus anno octauo, nimirum hoc ipso, quo 22. februarij die, vt supra vidimus, nonus Innocentij annus incipit numerari. Cæterùm hoc super negotio etiam tum ad Eliensem, Dunelmensem, Vvigorniensem episcopos scripsit h, quibus magna illum adhibita prudentia admonere atque ad id adducere & impellere iussit, & si fortè adhortationibus infringi non posset, ecclesiastica ad id disciplina adigi operam darent, ac de ijs ad alios episcopos regnique optimates literas i misit. Vt verò Ioannem Regem in Othonem nepotem suum parum æquum monere, arguere, minisque percellere, ita Eboracensem archiepiscopum vtriusque germanum fratrem perstringere l, quod nullum omnino subsidium opemque principi nepoti tulisset. Quocirca rogare, monere, perque Apostolica scripta mandare, vt omni ratione illi auxilia suppeditaret. Porro Ioannem Regem Othoni legatos suos misisse tradit Godefridus, dum de prælio inter eundem Othonem ac Philippum Sueuiæ Regem hæc memoriæ prodit. m

[g Libell. Vat. de neg. Rom. Imp. ep. 135.] [h Id. ep. 133.] [i Id. ibid. 134.] [Rex Angliæ Othoni parum æquus.] [l Ibid. ep. 136.] [m God. in annal. an. 1206.]

10 Philippum ingenti cinctum exercitu Adolphique auxilijs fultum in inferiores Germaniæ partes irrupisse, obuiamque occurrisse Othonem, qui secum Brunonem ducebat, atque Henrici Limburgensis proditione ad castrum Vassimberch cum in loca iniquiora & paludosa adductus esset, mox ab hoste vndique irruente circumfusum, profligatum, fugatumque, tum Othonem cum archiepiscopo oppidum ingressum ab hostibus circumclusum fuisse, eoque animaduerso eum tribus socijs inde se proripuisse, paulo verò post ad deditionem compulsum oppidum ac Brunonem in Philippi potestatem redactum vinculis oneratum, militem verò armis rebusque omnibus fœdissimè spoliatum dimissum esse. Eadem de proditione ducis Limburgensis, Othonianorum cæde, fuga Othonis, deque Brunonis captiuitate breuiter Lubecensis a. De ijs hæc tradit Albertus Stadensis huius temporis scriptor b: *Philippus & Otho iterum vires suas circa Coloniam sunt experti, & Otho iterum grauiter vulneratus.* pergit Godefridus ambos electos opera Henrici de Kalutbin Coloniam propè in colloquium descendisse, quæ verò inter se egissent, plerosque latuisse. de huiusmodi colloquio Robertus de Monte c, Othonem Regem ait cum Philippo duce Sueuiæ multa de pace locutum, re infecta Coloniam reliquisse. Verùm Stadensis d vtrumque sub quadam conditione reconciliationem spopondisse tradit. Cœptam prosequitur narrationem Godefridus, Philippum e colloquio reuersum montem, cui Gymnich nomen erat, insedisse, arcemque imposuisse militari præsidio munitam, vt Coloniensibus frænum inijceret, quo illi metu percussi cũ toto sibi aduersante Imperio Germanico conatus suos elusos viderent, Brabantiæ ducis opera Philippo conciliatos, qui Spirensem episcopum, vt in suam fidem eos adigeret, misit. Subijcit Godefridus Othonem afflictis ita suis rebus in Angliam fugisse, magnoque a Ioãne Rege auunculo honore susceptum, accepta ingenti pecuniæ vi ad bellum instaurandum redijsse, quibus consimilia alij recentiores e historiæ mandarunt. At Robertus de Monte, Matthæusque Parisius aduentum Othonis in Angliam sequenti anno recensent, additque illorum alter certis cum Rege contractis pactis, Othonem triginta millia marcharum argenti secum asportasse, atque in Germaniam redijsse; alter verò tradit Othonem cum Ioanne fecisse verba, ac quinque millibus ab eo marchis acceptis reuersum.

[Otho per proditionem a Philippo fusus.] [a Arnol. Lub. chro. Slau. l. 7. c. 5.] [b Alb. Stad. chr. an. eod.] [c Rob. de Mont. eod. ann.] [d Stad. vbi sup.] [Otho Angliam profectus ad petenda auxilia.] [e Nauel. & alij.]

11 Ad efferendas insuper Othonis partes Innocentius Brunoni Coloniensi archiepiscopo, præterea decano, & magistro H. Scholastico S. Gereonis, item Coloniensibus imperat f dent operam, vt Monasteriensis episcopus delato iureiurando staret, atque etiam ad id præstandum, si opus foret, ecclesiasticis censuris compellant, idemque vt subditur, in Osnaburgensem episcopum ad eosdem iudices scriptum est. Adolphum itidem Coloniensem olim archiepiscopum, Imperij Ecclesiæque perduellem, literis suis resipisceret, hortatus est. g

[f Ep. 137.] [g Ep. 97.]

Adolpho quond. Colonien. archiep.

Quoties te monitis, & consilijs, precibus, & præceptis, minis, & terroribus inducere curauerimus, ne conuersus in arcum peruersum sine causa nobis illuderes, quos ad fauendum ill. Regi Othoni, per literas, & nuncios induxisti, parcens saluti, & famæ tuæ, nondum, sic credimus, es oblitus, quamuis exigentibus culpis tuis, sis in reprobum sensum datus. Sed ecce, iusto iudicio primus ipse in foueam incidisti, quam alij præparasti, quia cum velles prædictum Regem deijcere, deiectus es ipse prior propter notum periurium, proditionem vulgatam, publicam excommunicationem, & inobedientiam manifestam. O si diligenter attenderes, quod laici de te sentiant, quod clerici de te dicant, quomodo

tuam

tuam vilificasti personam, fœdasti ordinem, officium deturpasti, factus tibi ipsi contrarius, & reprobans temetipsum, procul dubio non minus erubesceres de infamia, quàm doleas de iactura. Condolemus vtique tibi, si tamen tu doleas, non quidem ad exercendam vindictam, sed ad pœnitentiam peragendam, quoniam inutiliter vindicare te studes, posses autem vtiliter pœnitere. Quid enim tibi possunt prodesse homicidia, sacrilegia, furta, incendia, & alia facinora, quæ committis? putas ne, per illa valeas apud dominum, aut etiam apud nos indulgentiam promereri? facta sunt nouissima tua peiora prioribus, dum accumulando peccata peccatis pressus pondere vitiorum, ad inferni te profunda demergis. Ne putes, quod verba ista de cordis amaritudine proferamus, cum etsi tuam odiamus offensam, diligamus naturam, memores adhuc illius dilectionis antiquæ, qua te inter fratres & coepiscopos nostros affectuosius amabamus; sed ex compassionis affectu, nouit dominus, verba ista proferimus, quoniam gemimus, & tristamur, dum audimus te de malo vergere semper in peius, quia licet grauiter lædas alios, grauius tamen lædis teipsum, & inde deficis amplius, vnde magis proficere te confidis.

12 Memorare nouissima tua, si forsan a tanto resipiscas errore, ad illum per humilem pœnitentiam te conuertens, a quo te per contumacem inobedientiam auertisti, quoniam hæc sola tibi semita est relicta, per quam venire poteris ad salutem. Licet enim redire non possis ad gradum, a quo merito decidisti, si tamen sub potenti manu Dei te humiliare curaueris, adhuc te poterit eius dextera subleuare; sin autem prauis acquiescendo consilijs, & iniquis operibus insistendo, magis ac magis prouocaueris eius iram, procul dubio non effugies manus eius, quæ te punient grauiter in præsenti, & grauius in futuro. Monemus ergo te, frater, cum lacrymis, & exhortamur in Christo Iesu, qui venturus est iudicare viuos, & mortuos, quatenus nostris salubribus monitis acquiescens per pœnitentiæ medicinam de morte resurgas ad vitam, & ad vbera matris Ecclesiæ reuertaris, quæ pio miserationis affectu recipit filios delinquentes. Quoniam etsi sacrosanctam Romanam Ecclesiam matrem tuam in grauem difficultatem induxeris, de qua per te non posset aliquatenus liberari, quia tamen ille est fundator, & fundamentum ipsius, qui imperat ventis, & mari, dum ipse sit nobis adiutor, non timemus quid faciat nobis homo. *Dat. Ferentini* VIII. *Kal. iulij anno* IX.]

13 Vt ferocientis Adolphi elatos animos compressit, ita Echeberto Bambergensi episcopo, qui cum ob defectionem, ab Innocentio ecclesiasticis censuris iam ante irretitus ac munere interdictus fuisset, demum ad frugem reuersus, clericum suum Romam ad Apostolicæ sedis implorandam misericordiam miserat, absolutionis beneficium largitur a atque ad fidem seruandam animos addidit. extat episcopi eiusdem rescriptum b ipsius sigillo munitum, ab eoque ad Romanum Pontificem transmissum, quo professus est, se *ex fidelitatis* (vt ait) *obedientiaque iuramento olim in consecratione sua concepto, teneri domini Papæ mandatis in negocio etiam Romani Imperij obtemperare. Ego Echebertus Babembergensis episcopus, per hoc scriptum sigillo meo munitum volo fieri manifestum, quod & illo iuramento fidelitatis & obedientia, quod in consecratione mea corporaliter præstiti, profiteor me teneri ad obediendum etiam super negotio Romani Imperij mandatis domini Papæ. Vnde sub illo iuramento spondeo, & promitto, quod super negotio Romani Imperij mandatis domini mei Papæ Innocentij sine fraude parebo, & cum ab eo vocatus fuero cessante iusto impedimento ad præsentiam eius accedam. Mandaui præterea Liupoldo clerico meo, & mandatum non reuocaui, vt præscripta iuret in animam meam.*

a Id. lib. ep. 14.
b Id. ep. 15

Forma sacram. pręstiti Rom. Pont. ab ep. Germ.

14 Verùm dum principes alij refractarij, de quibus modò diximus, in meritas reprehensiones incurrunt, Philippus Sueuiæ dux Othonis in Imperio æmulus, adeo contumax atque in Romanam Ecclesiam contumeliosus, frequentius ab Innocentio monitus, ad se tandem rediens, nuncios literasque pro reconciliatione obtinenda supplex mittit, in omnibus vti profitetur se morem gerere paratum, vt veniam consequatur, vt verò tanta hæc gesta, exactius discentiendum est. Præceperat nouissimè Innoc. Aquileiensi patriarchæ, vt errantem filiū monitis ac minis ad officium reuocare studeret, quod ille egregiè præstitit, idque pontificiæ ad ipsum redditæ literæ a testantur, quas, vt magni ponderis referre operæ pretium existimamus.

a Cit. libel ep. 139.

Aquileiensi patriarchæ.

Dignas fraternitati tuæ gratiarum referimus actiones, quod circa principem illum, quem nosti, mandatum nostrum fideliter exequi studuisti, credentes quod quantum in te fuit, nihil apud eum omisisti de contingentibus, quamuis ex ijs, quæ tibi mandata fuerunt, aliqua videaris apud alios omisisse, responsionem autem ipsius gratam in multis habemus, tum quia sapit catholicam veritatem, tum quia piam deuotionem ostendit, verumtamen in facto ecclesiæ Maguntinæ nec iustè, nec honestè respondit, quia sicut ex ipsius scripto perpenditur manifestè, sic vult dimittere Liupuldum intrusum, vt & nos Siffridū archiepiscopum faciamus omnino cessare, quod quàm sit iniquum, friuolum & absurdum, tua sicut credimus fraternitas non ignorat. Nos igitur postquam correctionem ipsius diutius expectauimus, cumque fecimus frequentius admoneri, super hoc, auctore domino procedemus, sicut videbimus expedire. Illud autem habemus acceptum, quod inter ipsum, & aduersarium suum treguas libenter, vt asserit, admisisset, si ad illum nostri potuissent nuntij peruenisse. Cumque nos ad pacem Imperij aspiremus, suggerimus alteri parti, vt treguas non solum recipiat, sed exposcat, & tu venerabilis frater in Christo, sicut pacis amator, suggeras principi memorato, vt cum treguæ postulatæ fuerint, illas sine difficultate concedat, quatenus nos ex illis occasionem & materiam assumamus, ad pacem Imperij salubriter procurandam, quam vtique toti orbi Christiano necessariam reputamus.] Hactenus Pontifex, qui de his Othonem Regem certiorem fecit b, adhortatus, inducias cum Philippo ad annum mitet.

b Ibid. ep. 140.

15 Cæterum responsio, cuius hic meminit Innocentius, extat in memorato libello c, vbi postquam pluribus ostendere conatus est, se defuncto Henrico Augusto fratre suo totis viribus omnique studio contendisse, vt Fridericus eius filius Imperio potiretur, verùm cum nullum ex principibus in sententiam suam adducere potuisset, tandem non ambitione, sed illis instantibus atque vrgentibus coactum principatum adijsse, de Luipoldo deque alijs quæ Innocentius in reddita modo epistola attigerat, plura affert, e quibus hæc delibanda putaui.

c Id. ib. ep. 138.

Scriptum Philippi ad dominum Papam, &c.

De domino Luipoldo hoc scitote. Contigit statim post mortem Conradi Maguntini archiepiscopi, nos venisse Maguntiam & eius interesse sepulturæ, & tunc concordi, & vnanimi electione cleri accedentibus votis ministerialium, & omnium eorum, quorum intererat & assensu, & mirabili clamore populi, ipse Luipoldus fuit electus, sicque nobis præsentatus; & quia nostrum non est discurrere de episcoporum electione, tantummodo vt ipsa sit concors, & vnanimis, de regalibus eum inuestiuimus, postmodum dominus Siffridus apud Pinginam, vt verè putamus, a tribus, vel ad plus a quatuor se permisit eli-

gi,sed cum nos a dilecto fideli nostro Vr. patriarcha Aquilegen. & a latore præsentium venerabili priore voluntarem vestram intelleximus, statim concepimus animum dimittendi Luipoldum ob honorem, & reuerentiam sanctitatis vestræ, & ob dignitatem sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, quam nos recognoscimus esse matrem, & dominam omnium ecclesiarum, & quam nos semper reuereri volumus, & honorare sicur matrem nostram catholicam, & Apostolicam, & pro posse, & viribus nostris eam semper defendere volumus, & efficacitet suæ intendere exaltationi, ita quoque volumus dimittere Luipoldum, vt & vos inspecto honore Imperij, cuius exaltationi & honori vos tenemini plenitudine auctoritatis, quæ apud vos est dominũ Siffridum cessare faciatis, & nos tunc ad voluntatem vestram, & pro honore vestro ipsum dominũ Siffridum in gratiam nostram recipiemus, quamuis in multis grauissimè ipse nos offenderit, & vel in curia nostra honorificè tenebimus eum,vel de bonis nostris honestos redditus sibi assignabimus, quousque nos prouideamus ei in loco magnæ, & honestæ dignitatis, accedente ad hoc auxilio vestro & Apostolica auctoritate, quod vt putamus,fieri posset in breui.

16 Ad hæc sicur petistis pro reuerentia vestra & licet nobis non multum esset honorificum vel expediens, inter nos & dominum Oddonem treguas libenter admisissemus, si præsati nuncij vestri vsque ad eum peruenisse potuissent. Præterea pro reformanda pace & concordia inter vos & nos,inter Sacerdotium, & Imperium,quam nos semper desiderauimus, subijciemus nos vestris Cardinalibus, & nostris principibus, qui tales sint, qui vt viri catholici pacem, & concordiam sine omni scrupulo dolositatis debeant affectare. Item si nos in aliquos vos, vel sacrosanctam Romanam Ecclesiam offendisse videmur, nos pro honore domini nostri Iesu Christi, cuius vicem in terris geritis, & ob reuerentiam beati Petri principis Apostolorum, cuius vicarius es s,& ob salutem nostram nos ad satisfaciendum vobis supponimus: si verò vos in aliquo nos vel Imperium læsisse videmini, conscientiæ vestræ super ijs vos relinquimus. Cum enim nos piè credamus, & ante passionem, & post passionem dom.num nostrum Iesum Christum B. Petro Apostolo claues regni cælorum contulisse, & tradidisse ius ligandi, atque soluendi, scimus & protestamur, quod vos, qui in locum suum cum plenitudine potestatis successistis, in huiusmodi articulis ab homine non estis iudicandus, sed iudicium vestrum soli Deo reseruatur, cuius iudicium,& examen, quod sibi soli debetur, nobis non quærimus vsurpare. Ad hæc patet sanctissime, quod nos putamur a quibusdam æmulis nostris fuisse excommunicatione innodatos ab antecessore vestro,nunquam verum esse scitote, & tantum præsumimus de mira honestate vestra, & pendentia, quod si super hoc testimonium vestrum inuocaremus, vos huius rei diceretis nos esse innocentes, quod vtique verè dicere possetis. Et vtinam apud Ecclesiam triũphantem ab omni vinculo secretæ excommunicationis nos sciremus nos esse solutos, sicut apud Ecclesiam militantem, cuius nos membrum esse confidimus, verè scimus nos nullo modo vnquam manifestè fuisse ligatos. Super omnibus autem alijs, quæ nobis obijcere decreueritis, sicut deuotus filius vester obedienter nos discretioni vestræ submittemus: confidimus quoque in domino, quod manifestata vobis tota veritate, & cum plenè vobis constiterit,quod multa falsa de nobis sæpissimè vobis suggesta sunt, vos in intimis visceribus paternæ vestræ dilectionis nos colligendo, pio nos adhuc affectu obligare debeatis, & cum sciueritis obedientiam & deuotionem nostram, quam nos vobis, vt charissimo patri nostro spirituali, cum omni humilitate procurabimus exhibere, scimus quoque verissimè,quod in omni nostra tribulatione nunquam adhuc vos,vel sacrosanctam Romanam Ecclesiam dictis vel factis offendimus, quod etiam Deo dante nunquam faciemus. cæterum verbis latoris præsentium fidem firmam adhibere dignemini.] Huc vsque Philippus, qui præterea nuncijs ad Apostolicam sedem missis hanc ad Innocentium epistolam dedit: a

Pontifex ab homine non potest iudicari.

Philippus purgat se a Cælestino deuinctũ anathemate non fuisse.

a Cit. 6 bell. ep. 142.

Reuerendo in Christo patri D. Innocentio sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici, Philippus Dei gratia Romanorum Rex, & semper Augustus salutem, & cum omni reuerentia filialis deuotionis affectum.

Philippus pro pace oratores mittit.

Dilectum, ac familiarem nostrum VV. venerabilem Aquilegen. patriarcham, & præcipuum Imperij principem, vna quoque eum ipso alios fideles, ac familiares nostros G. Burgrauium Magdeburgen. Henricum de Smalinechi, & Euihardum de Lurra, præsentium latores, a latere nostro ad vestram destinanimus sanctitatem, quibus dedimus plenitudinem potestatis, & auctoritatem omnimodam, inter Ecclesiam,& Imperium, & inter vos, & nos pacem, & concordiam reformare, & periculosam tegni, & sacerdotij scissuram feliciter restaurare. Prædictos vtique nuncios, quos ad tam excellens factum idoneos reputauimus, ad vos accedentes, a vestra hilatiter postulamus recipi paternitate, rogantes attentius, & commonentes, quod omnibus ijs, quæ ex parte nostra prudentiæ vestræ intimauerint, fidem, & certitudinem dignemini adhibere, ipsi enim a nostra sublimitate tali modo, & eo fine recessere, quod sacrosancta Romana Ecclesia semper in nobis tanquam mater in filio sinceram dilectionem, & debitam inneniet deuotionem, duntaxat nos eius, & vestrum aliquando senriemus affectum. Quæcunque præfati nuncij nostri pro nobis polliciti fuerint, vt Romanæ Ecclesiæ beneuolentiam habeamus, & fauorem, nos parati sumus gratanter eadem affectu prosequente complere, & ipsorum ordinationem per omnia ratam habere & inconcussam.]

Innocẽtij in conciliandis cõiungẽdisq; principibus studiũ.

b Vrsperg. in chr. an. 1206.

c Cit. lib. 6 ep. 143.

17 At Innocentius, cui nihil antiquius, quam vt Christianos principes Ecclesiæ obsequentes inter se coniungeret, Hugonem episcopum Ostiensem, ac Leonem tituli S. Crucis presbyterum Card. vt pacẽ inter illos conciliaret, in Germaniam legauit. Hoc enim cõtigisse hoc anno tradit Conradus Vrspergensis abbas b, vel insequenti, vti Godefridus auctor recentior describit, qui paulo ante prædictam legationem recenset, eamque Germaniæ principibus missam ait. De his verò legatis Innocentius ad regionum earum principes ecclesiasticos & seculares scripsit c, quibus sensus animi illustrat, paternum suggerit consilium, legatosque suos plurimum ijs commendat.

Innocentius, &c.

Legati in Germaniã mitti.

Eius imirando vestigia, qui omnium viscera in se gerens aiebat: Quis scandalizatur & ego nõ vror, paterno condolentes affectu, si forsan summi sacerdotis exemplo,qui reconciliatio factus est in tempore iracundiæ, huiusmodi possemus reconciliare scissutam ad testautandam concordiam in Imperio & stabiliendam inter ipsum,& Ecclesiam veram pacem, diligens studium & operam impendimus efficacem, & ad hoc specialiter exequendum venerab. fratrem nostrum Hugonem Ostiensem episcopum,& dilectum filium Leonem tit. sanctæ crucis presbyterum Card. Apostolicæ sedis legatos in Thentoniam destinamus. Quocirca vniuersitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus eorum salubribus monitis & mandatis humiliter intendentes, tales vos erga ipsos exhibere curetis, quod nos deuotionem vestram debeamus merito commendare, scituri pro certo, quod cum eos inter cæteros fratres nostros merito suæ probitatis specialiter diligamus,

quod fuerit eis factum, reputabimus nobis impensum.] Huc vsque Innocentius. De eadem legatione agit Lubecensis a: quid verò in Germaniam profecti legati egerint, vtq; Philippum absoluerint, proximo anno dicetur.

a Arn. Lubec. chro. Slau. l. 7. c. 6.

Innoc. opera pro liberando Vvaldemaro episc. e carcere.

b Apud Inn. l. 8. ep. 187.

19 Nec Philippum solum, sed etiam Vvaldemarum Danorum Regem sibi dicto audientem reperit, quo mandante, vt Vvaldemarum Sleuicensem episcopum e carcere emitteret, egregius princeps nuncium & literas b omni officio refertas misit, seque pariturum pollicitus est, quamuis eo dimisso, sibi regnoque magnorum periculorum metus immineret, necemque coniuratione facta sibi conflasset.

Reuerendo in Christo patri, & domino Innocentio Dei gratia sacrosanctæ Romanæ sedis summo Pontifici .... eadem gratia Danorum, & Sclauorum Rex, dux Iuciæ, dominus Nordalbingiæ filialis deuotionis plenitudinem cum affectu.

Regis Di. ad Inn. literæ.

Cum vniuersi quarumcunque per orbem terrarum diffusi Christianæ fidei sectatores sanctitatis vestræ excellentiam venerari, & diligere non seruilis, sed filialis deuotionis obsequijs teneantur, illi tamen si iusta paternitatis vestræ meritis voluerint vicissitudine respondere, ad hoc se debent abundantius recognoscere debitores, quos specialis prærogatiuæ dilectionis, & euidentioris gratiæ manifestis indicijs honoratis. Licet enim ad obediendum, & obsequendum sanctitatis vestræ beneplacitis Christianæ professionis generalibus institutis & gentibus vniuersis communibus teneamur, specialis tamen immensæ benignitatis & beneuolentiæ vestræ nobis impensæ stimulis vrgentioribus excitati ad perficiendum beneuolè vniuersa, quæ vestræ discretioni nouerimus complacere, nos profecto recognoscimus firmius obligatos, quia non solum antecessorum vestrorum, qui antecessores nostros, & regnum eorum sincerè sēper charitatis brachijs amplexati sunt vestigijs incedentes vos constituistis dilectionis, quam ad ipsos habuerant successores, verum etiam eam studuistis incrementis spe quoque maioribus adaugere, & ad perficiendum nostrum beneplacitum, & honorem nostrum, & regni pariter promouendum paterna solicitudine laborare. Susceptis autem pietatis vestræ literis, in quibus nos super liberatione Vvaldemari episcopi sincero affectu & beneuolo monuistis, cum vt salua dilectionis vestræ plenitudine loquimur, plerisque quod petebatur difficile, vel penitus impossibile videretur, eas gratanter recepimus & benignè, nihil graue, quod vobis facile decreueritis, quantumcunque damnum nobis, vel periculum in persona, vel rebus immineat arbitrantes, tanta nobis ex precedētibus meritis vestris dilectionis integritate & constantia demonstrata, quod certissimi sumus, quia circa vtilitatem, & profectum nostrum tam diligenti solicitudine vigiletis, quod ad præcauendum in posterum vniuersa damna & incommoda, quæ nobis penè regni nostri vniuersitas minatur, & metuit imminere, tale debeatis adhibere remedium & cautelam, quod nequaquam super ijs oporteat dubitare, ideo ad implendum omne tametsi arduum videatur incunctanter, & omni deliberatione postposita nobis cognoscimus obsequendum, quicquid vestra prouidentia nobis viderit imperandum.

Illius erga Pont. Rō. studium.

Eiusdem in Vvaldemarum querelæ.

20 Nisi enim proiectis post tergum nostrum omnibus excessibus, & delictis, quibus in nos deliquit episcopus prælibatus, ad ea oculos nullatenus retorquentes in Domino & vobis spem nostram, & cōfidentiam poneremus, nos sicut alij penè cuncti, non solū difficile, sed impossibile crederemus, quod nobis modo vrgenti præcipuè beneuolentiæ vestræ plenitudine facile iudicamus. Sanè licet prouidentiam vestram pluribus occupatam inuiti longis sermonibus molestemus; quod tamen ipsum contra nos maximè excitauit, vestræ dilectioni breuiter reuelandum per nuncium arbitramur, vt odium pro dilectione, & pro bono malum ipsum nobis reddidisse euidentius declaretur. Cum enim Rex Canutus auunculus noster fuisset ab inimicis suis innocenter & immeritò interemptus, quædam de qua adhuc sub iudice lis est, vtrum eam habuerit concubinam, istum de quo nobis est mentio procreauit. Sed cum de generatione illius tanta esset ambiguitas, quippe post mortem eius, cuius filium se affirmat, & de matrimonio illegitimo procreatum, vtrum eum filium prælibati vellet asserere, siue nō, patris nostri arbitrio linqueretur, ipse tamen diuinæ retributionis intuitu in saniorem partem dubia exponendo, ipsum in genus regale, & suā progeniem dignārer suscepit, & nō solum in cognatū, & consanguineum, sed quasi in proprium filium adoptauit. Patre autem nostro de medio sublato, cum frater noster pię memorię Rex Canutus regni gubernacula suscepisset, a patris pijs operibus non declinans, se eiusdem dilectionis, quam pater noster ad hunc habuerat, successorem constituit, & heredem, & beneuolentiam, & dilectionem illi semper exhibuit pleniorem, tantam gratiam, quam a patre nostro susceperat augumentando. Quod inter cætera ad tempus ducatum, qui nobis debebatur, ei nobis in annis teneris constitutis, concessit, eumque abundè innumeris beneficijs, & honoribus ampliauit, sed vnde beneuolentiam se credidit plenius promereri, inde ipsius indignationem, & odium contra se & nos sensit grauiter, & inexorabiliter excitari. Nam cum nobis annis infantiæ iam transcursis ducatus noster & hereditas patris nostri redderetur, cuius ipse, vt supra dictum, fuerat ad tempus procurator, dilectionis sinceræ vicissitudinem, quam ipsi, & nobis reddere tenebatur, in rancorem, & odium indeficiens commutauit. Quod & postmodum (nam secundum proprium ipsius in die consecrationis suæ prognosticum, nihil occultum quod non reueletur, neque absconditum quod non sciatur) indicijs, nimis euidentibus patefecit, omnium enim beneficiorum, quæ a patre nostro, & fratre susceperat, vt de nobis ipsis sileamus, immemor, vel ingratus præmissum fratrem nostrum, & nos regno molitus est, quamuis adiuuante diuina clementia *, remouere, & Regis, & episcopi minus decenter & iuste sibi nominibus maritatis contra nos pugnaturus aciem instaurare. Si itaque breuitatis causa omnibus alijs prætermissis, quæ contra nos relata, & grauia perpetrauit, hæc ad memoriam reuocentur, nisi vestra in omnibus, & super omnia beneuolentia attendatur, quid de illo boni potest conijci, qui etiam in mortem nostram tam innocenter & immeritò non timuit malignari?

* non potuerit

Rogat Innoc. prouideat ne a Vvaldemaro Dania turbetur.

21 Cum igitur & nos & nostra vestræ per omnia committimus ordinationi, procuret vestra prouidentia, vt si ipsum admonitionis vestræ intuitu dimittamus, ita disponatis, vt taliter ad vos perducatur, quod ab inimicis non possit in itinere deprehendi, quia quamuis opera nostra id cognoscamus nullatenus meruisse, Philippus tamen dux Sueuiæ inimicis nostris magis se sociat quam amicis, & qualiter inter nos & Regem Franciæ res se habeat, vestræ magnificentiæ non conuenit reuelari. Ideoque si in manus præmissi nostri aduersarij deueniret, si possent per eum nobis & regno nostro molestias irrogarent, & tum peruenerit, sicut per literas vostras & nuncios nostros accepimus, eum in aliquo alio loco vbi opportunum cognoueritis collocetis; quoniā cum ad dilectionis sinceritatem beneficia, quę ei prius a fratre nostro, & nobis impensa sunt, nequaquam sufficimus augumentare, timemus quod nullatenus melius modo, quam prius possimus eius beneuolentiam promereri, ideoque magis eius absentiam, quam præsentiam affectamus, cui formidamus posse sinceri

affectus constantia copulari. Quod si nec ipsum securè ad vos poteritis perducere, nec sicut dictum est, ei in alio loco munera prouidere, cum beneuolentia vestra ipsum ne nobis noceat permittatis de cætero retinere; tanto clementius nobiscum facientes, quod ferè omnium nobis attinentium consilio prætermisso a vestro nequaquam consilio, & beneplacito volumus declinare. Cætera nuncij nostris vobis committimus enarranda.]

22 His literis acceptis Innocensius misso ex Cardinalium cōsilio legato, Regem hortatus est, vt solutū vinculis episcopum ad Vngarorum Regem, dein ad Apostolicam sedem perducendum illi traderet. extat hæc Pontificis insignis amoris notis epistola a ad Danorum Regem reddita, qua virtutes eius verbis ornat, commendatque.

a Innoc. lib. 8. epist. 188.

Illustri Regi Daniæ.

Innoc. ad Regem Daniæ lit.

Gratias agimus gratiarum omnium largitori, quod in serenissimo pectore tuo tam virtutum abundantiam cumulauit, vt inueniatur in eo, quod vniuersitas hauriat, nec desit ibidem, quod affectio familiaria assumat. Nos igitur specialis dilectionis tuæ prærogatiua gaudentes, tanto securius tibi preces effundimus, quanto ex tuæ celsitudinis literis nostro nuper Apostolatui destinatis purioris deuotionis, quam ad nos habere dignosceris, argumenta tenemus. Sic autem fili charissime conuenit, vt per bonorum præteritorum memoriam, quæ tam a nobis, quàm prædecessoribus nostris tibi, ac progenitoribus tuis sunt affluenter exhibita; teipsum excites ad maiora, nec illa debellatrix virtutum, ingratitudo videlicet vllum, quod absit, in te locum inueniat, quæ cum malorum sit prouocatrix, & exterminatrix meritorum, quocunque semel se ingerit, vix sine graui detrimento recedis. Ex dictarum namque perpendimus serie literarum, quod licet Vvaldemarus Selsvvicensis episcopus pontificalis officij grauitate, vt in se regnum sacerdotio conniret, contra claræ memoriæ . . Regem Danorum fratrem tuum, cui iuramento fidelitatis tenebatur astrictus, temerè coniurauit, omniumque beneficiorum, quæ tam a te, quam tuis progenitoribus copiosè susceperat, impudentes oblitus multa grauia contra honorem regium perpetrarit, tu tamen tanquam Rex clemens, & princeps catholicus, qui que doles quoties cogeris esse fœrus, ob reuerentiam summi Regis, & salubrem admonitionem Apostolicæ sedis, quantumcunque idem episcopus te ac tuum regnum offenderit, quantumcunque etiam id tibi graue, multis etiam impossibile videretur, nobis tamen pro liberatione ipsius exhortantibus & exorantibus incessanter, velociter etiam omni deliberatione postposita duxisti humiliter obsequendum, nihil difficile reputans, quod sibi duximus iniungendum, firmam spem & fiduciam obtinens, quod circa vtilitatem, & profectum tuum tam diligenti solicitudine vigilemus, quod ad præcauendum in posterum damna, & incōmoda vniuersa, quæ penè vniuersitas Regni tui minatur tibi, ac metuit imminere, tale debeamus prouidere remedium, quod nequaquam super ijs tibi deinceps sit dubitandum.

Hortatur ad clemētiam erga Vvaldemarum.

23 Nos igitur plurimum acceptantes deuotionis regiæ puritatem, ac cupientes tam saluti tuæ, quàm tranquillitati regni tui diligenti sollicitudine prouidere, de communi fratrum nostrorum consilio dilectum filium magistrum P. . clericum nostrum virum prouidum & discretum, ac suæ probitatis, & honestatis intuitu nobis, & fratribus nostris acceptum, ad tuam duximus præsentiam destinandum, celsitudinem Regiam monentes, atque etiam exhortantes in Domino, quatenus iuxta preces, & exhortationes nostras memoratum episcopum absolutum, & liberum eidem facias assignari, eidem nihilominus prouidens in securo conductu, vt vsque ad dil. in Christo filium nostrum . . . Vngarorum Regem illustrem ab eodem valeat idem episcopus sine cuiusquam læsione deduci. Nos enim ex tunc auxiliante Deo curabimus prouidere, quomodo securè ad nos valeat peruenire. Verùm quia tam longum iter perficere, vel apud nos per longum tempus manere idem episcopus sine magnis non posset expensis, quas ipsum credimus non habere, de sui episcopatus redditibus tantum ei tribuat ex mandato nostro regia celsitudo, quod ad sedem Apostolicam veniens, ac permanens apud ipsam decenter & honestè se ac suos valeat procurare. Ad hoc paci, ac tranquillitati suæ paterna volentes solicitudine præcauere, dicto magistro dedimus in mandatis, vt conuocatis magnatibus regni tui tam ecclesiasticis, quàm mundanis, candelis extinctis & pulsatis campanis excōmunicationem solemnē auctoritate nostra promulget in eum vel eos, qui te, vel regnum tuum, vel aliquos de tuo regno propter huiusmodi causam ausu temerario infestabit, quodque fideliter ad Apostolicam sedem accedes ipsius mandatum humiliter recepturus. Super eo verò, quod dilectus filius . . & nuncij apud nos multipliciter institerunt, vt in locum prædicti episcopi faceremus dilectum filium . . electum per Apostolicæ dispensationis gratiam subrogari, nouerit regalis prudentia, quod petitionem huiusmodi non potuimus adimplere, cum sanctorum patrum canonicæ sanctiones expressè prohibeant, ne quis locum viuentis vsurpet, antequam idem ab eo canonica fuerit censura remotus. Cùm autem idem episcopus ad præsentiam nostrā peruenerit, quia tunc intelligi poterit suæ redditus libertati, nos de ijs quæ pertinuerint ad cautelam, nihil auctore Domino super hoc negotio dimittemus. In fine autem tuam celsitudinem monemus, atque etiam rogamus, quatenus dictum magistrum sic decenter recipias, & honestè pertractes, vt exinde non immerito tua valeat magnificentia commendari. *Datum 13. Kal. februarij.*]

Rogat legato Vvaldemarum cōmittat.

Promittit se regni quieti consulturum.

24 Cum in Germanos reges inciderit mentio, addendum videtur Innocentium, cum Bohemiæ Rex legitima vxore repudiata aliam sibi adiunxisset, eius causam Salisburgensi archiepiscopo cognoscendam detulisse a.

a Innocen. li. 9. ep. 62.

De matrimonio Regis Bohemiæ cognoscit Innoc.

Salzeburgen. archiepiscopo, & abbati Salzeburgen. diœcesis, & decano Guiren.

Ex parte dilecti filij nobilis viri . . . marchionis Misnensis, & sororis ipsius nostris est auribus intimatum, quod cùm charissimus filius noster . . . Bohemiæ Rex illustris ipsam . . . duxisset legitimè in vxorem, ac eam decem, & octo annis, & amplius velut vxorem legitimam pertractasset, filijs & filiabus ex ea susceptis, tandem suadente humani generis inimico illam a suo consortio separauit; & venerabilis filius noster Pragensis episcopus habito quorundam prælatorum consilio in quodam monasterio ad petitionem, & mandatum ipsius Regis, ipsa volente ad eos accedere, vt suas coram eis proponeret rationes; militibus eiusdem Regis prohibentibus bis, vel ter ingressum eidem, & ex parte illius appellatione ad sedem Apostolicam interposita, sententiam inter eos non est veritus promulgare, ac denique ipse Rex quandam aliam . . sororem videlicet charissimi in Christo filij nostri . . . Regis Vngariæ superduxit. Super hoc autem cum ad nos querimonia deuenisset, causam ipsam venerabili fratri nostro Alberstatensi episcopo, & coniudicibus eius duximus committendam, qui postmodum eandem causam instructam ad nostram præsentiam remiserunt. Cùm denuo tibi fratri . . Salzeburgensi, & bonæ memoriæ . . Magdeburgensi archiepiscopis, & dilecto filio . . præposito Romano causam commisissemus eandē, ipsi præfatum Regem propter idem negotium citauerunt.

Sed

Sed quoniam idem Rex nuncios eorum, vt asseritur, fecit inhonestè tractari, ipsi non processerunt amplius super causa.

25 Interea verò præfatus Rex correctus a Domino sic vt dicitur, & magna contra ipsum aduersitate surgente, reuersus ad ipsum dixisse proponitur: Meritò hæc patior, quia legitimam vxorem meam sine causa dimisi, & propter hoc filios meos, filiasque confudi. Cumque reatum suum taliter recognosceret, conuocatis maioribus terræ suæ nihilominus etiam liberis, & ministerialibus fratris eiusdem vxoris suæ, iurauit ipse, fecitque iurari per suos, quod superinductā expelleret, & legitimam reuocaret: quod postmodum nō impleuit, licet illud per literas signatas sigillo proprio confirmarit. Quamuis igitur ex Apostolicæ seruitutis officio simus omnibus in iustitia debitores, volentes tamen ita prædictorum marchionis, & sororis ipsius iustas petitiones admittere, vt præfatorum Regis Bohemiæ, ac sororis Regis Vngariæ iustitiam non lædamus, discretionem vestram monemus per Apostolica scripta, atque præcipimus, quatenus ad diem, & locum partibus competenter vocatis coram vobis, quos videritis euocandos in ipso negotio mediante iustitia vsque ad calculum diffinitiuæ sententiæ, sublato appellationis obstaculo, procedatis, & causam sufficienter instructam ad nostrum remittatis examen, præfigentes partibus terminum congruentem, quo per procuratores idoneos nostro se conspectui repræsentent, sententiam auctore domino recepturos. Testes autem, &c. *Datum Romæ apud sanctum Petrum 6. Kalendas maij anno 9.*] Atque de Germaniæ Regibus hactenus.

Res Vngaricæ.

26 Superest, vt de finitimo, nempe Vngaro nonnulla subijciamus. Erat is Andreas, qui defuncto nepoti puero, vt ex dictis anno superiori apparet, in regnum successerat. cùm optimi principis specimen daret, morê ei gessit Pontifex atque vniuersis Pannoniæ archiepiscopis, episcopis, cæterisque præsulibus, cunctis principibus præcepit [a], vt eius proximè feliciter, vti sperabat, nascituro filio fidei sacramento se deuincirent. data est huiusmodi epistola Ferentini 7. idus iulij anno nono. Post hæc verò accepto de nato filio læto nuncio Bambergensi episcopo Reginæ fratri, Romæ 3. kal. decembr. rescribens, iniunxit [b], vt Regem adiret, suoque nomine gratulatetur. Cæterùm antequam ex illis regionibus sermo reuocetur, non est prætereundum de Nidrosiensi antistite Innocentium in huius, successorumque gratiam dato diplomate [c], archiepiscopum constituisse, missoque pallio in Noruegiæ regno metropolitanum confirmasse, clericorum percussores absoluendi facultatem dedisse [d], tum etiam tribuisse [e], ne quis nisi sacta ab ipso potestate in eius metropoli episcopos consecrare auderet, mandasse [f] denique, vt beati Petri censum per prouinciam colligendum studeret, atque ad se Romam transmitteret. Postremò ne quid septentrionalium rerum ad hunc annum spectantium præterite videamur, adijcimus Innocentium A. . præpositi, qui Magdeburgensis archiepiscopus fuerat designatus, electionem confirmasse [g].

a Ib. ep. 77.
b Ep. 185.
c Lib. 8. ep. 209.
d Ep. 210.
e Ep. 211.
f Ep. 212.
g Ep. 12.

27 Rapiunt ad se orationem nostram Gallicæ res, vtq; a finitimis Germaniæ ducamus initiū, hoc anno Cameracenses ciues atrocissimis iniurijs episcopum suū affecerant, atque ab eo deficientes ciuitatē hosti traditā, oppidaq; ac possessiones Cameracensis ecclesiæ ferro, igneq; vastatas occuparant, ob quæ cœtu fidelium moti sacris violatis diuina officia celebrare præsumpserāt. Tantis exasperatus flagitijs Innocentius Rhemensem archiepiscopum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, & Apostolicæ sedis legatum, eiusque suffraganeos animaduertere in eos grauiter iussit: [h] vtque contumaces iustè insecutus, ita scelerum pœnitentes fouit, amplexusque est: quare abbati Cisterciensi, Petro de Castro nouo, & fratri Radulpho Apostolicæ sedis legatis mandauit [a], ne archiepiscopum Narbonensem ob ea crimina, de quibus conuictus esset, molestia afficerent, cui iam pœnitentiæ agendæ tempus tribuisset.

h Ib. Inn. lib. 9. epist. 132.
a Id. ibid. ep. 68.

Tulerant ingentes labores legati Apostolici in excolendis ijs regionibus, quæ adeo sentibus, spinisque horruerant, vt non tam verbo, quàm ferro, flammaque purgandæ viderentur; deiecti erant animis, spemque conuertendorum hæreticorum posuerant: quotiescunque enim de diuinis verba apud eos facerent, obgannientes statim hæreticos clericorum scelera, moresque obsoletos obtrudentes, sentiebāt, ne sibi talia, nisi prius emendatis ecclesiasticorū moribus, prædicarent, cùm diuina prouidentia Didacus Oxomensis episcopus vir insigni pietate, qui Roma reuersus non obtenta ab Innocentio exuendi sese episcopatu potestate, ad infidelibus Euangelij lucem liberius inferendam, adducens secum beatum Dominicum, cuius tum virtus mundo efflorescere cœpit; atque apud montem Pessulanum in Arnaldum abbatem, ac fratres Petrum è Castronouo, & Radulphum monachos Cistercienses Apostolicæ sedis legatos incurrens ad resumendos animos cohortatus est, abiectaque omni comitatus pompa Apostolorum more pedites sine pecunijs incederent, regionemque obeundo, virtutum splendore omnibus prælucerent, respondentibusque id se lubenter facturos, si in re adeo noua vir aliquis magnæ auctoritatis exemplo præiret, vir diuinus familia Oxomū missa cum ijs monachis sine pompa, ac fastu in erudiendis catholicis, confutandis hæreticis, euellendisque vitijs studium, operamque defixit.

Didaci ad legatos Apost. salubre monitum.

S. Dominicus Didaci episcopi socius.

28 Cæterùm Arnaldus Cistercij abbas cùm ad celebranda ordinis comitia perrexisset, ijs peractis secum alios duodecim abbates, pluresque eiusdem ordinis religiosos viros adduxit, qui vt ab Oxomensi episcopo edocti erant, summa humilitate, paupertateque more Apostolico eas regiones lustrauere, suj cuique limites serendi verbi diuini definiti. Incedebāt pedibus, victum ostiatim quæritabant, summoque zelo hæreseos errores discutiebant. Inter cæteras porro cum sectarijs consertas publicas disputationes celeberrima illa fuit, quæ cum Balduino hæresiarcha, eiusque nequitiæ socio Theodorico in castro Carmano magno zelo, ac veritatis triumpho habita est: argumentis enim episcopi Oxomensis irretitus hæreticus, negans tamen fateri veritatem, ac æstuans: *Scio,* inquit Theodoricus, *scio cuius spiritus sis, siquidem in spiritu Eliæ venisti.* Ad hæc sanctus: *Et si ego in Eliæ spiritu veni, tu venisti in spiritu Antichristi.* Quanquam etiam diuinum numen nonnulla miracula ad incutiendum impijs terrorem explicuit, inter quæ illud insigne, quod Petrus Vallisarnen. narrat [b] ex segetibus die festo sancti Ioannis a messoribus cæsis sanguinem fluxisse: *Contigit tempore illo prope Carcassonam miraculum, quod præteriri non debet. Metebant hæretici segetes suas in die natiuitatis sancti Ioānis Baptistæ: ipsum enim non prophetam, sed malignissimum esse dicebant, dum igitur meterent, aspiciens vnus ex eis, manum suam vidit, & manipulum suum sanguinolentum, quod videns putauit, quod incidisset manum, sed inueniens eam sanam, exclamauit socys: Quid vltra? Aspicientes singuli manipulos, quos tenebant, inuenerunt eos sanguinolentos, manibus conseruatis illæsis. Venerabilis autem abbas vallium Guido tunc erat in illa terra, qui manipulum sanguinolentum vidit, & ipse mihi hoc narrauit, &c.*

Abb. 12. Cisterc. cū Arnal. alijsque monachis cōtra hæret. prædicāt.

Didaci ad hæreticū elegās responsum.

b Petrus Vallis sar. hist. Albeg. cap. 3.

Sanguis e segetibus fluit.

29 Affert etiam [c] auctor illustre aliud miraculum, quod beati Dominici opera ad hæreseos falsitatem conuincendam, defigendamque in perfidorū oculis Deus patrauit: schedula enim in qua fides catholica a sancto exarata erat, ter flammis iniecta ad proban-

c Cap. 7. S. Dominici miraculum.

dam fidem ter illæsa resiliuit. *Disputauerant quadam die quidam prædicatores nostri viri religiosi aduersus hæreticos, vnus autem de nostris Dominicus nomine vir totius sanctitatis, qui socius fuerat episcopi Oxomensis, auctoritates, quas in medium produxerat, redegit in scriptum; & cuidam hæretico tradidit schedulam illam, vt supra obiectis deliberaret. Nocte igitur illa erant hæretici congregati in vna domo, sedentes ad ignem. Ille autem cui vir Dei tradiderat schedulam, produxit eam in medium. tunc dixerunt socij sui, vt in medium ignem illam proyceret, & si schedula illa combureretur, vera esset fides, immo perfidia hæreticorum; si verò incombusta maneret, fidem, quam prædicabant nostri, veram esse faterentur. Quid plura? in hoc consentiunt omnes, schedula in ignem proycitur, sed cum in medio igne aliquantulum moram fecisset, incombusta penitus ab igne resilijt, stupentibus, qui aderant; vnus cæteris durior, ait illis: Proyciatur in ignem iterum, iterùm resilijt incombusta; quod videns ille durus, & tardus ad credendum, dixit iterum: Trina vice proyciatur, & tunc sine dubio rei exitum cognoscemus: proycitur tertiò, nec tunc quidem comburitur, sed integra ab igne resilijt, & illæsa: hæretici autem visis tot signis, nec tunc ad fidem voluerunt conuerti, sed in sua manentes malitia, districtissimè sibi inuicem inhibuerunt, ne miraculum istud per narrationem alicuius ad nostrorum notitiam deueniret: sed miles quidam, qui erat cum illis, qui aliquantulum consentiebat fidei nostræ, noluit celare, quod viderat, sed pluribus enarrauit. Factum est autem hoc apud Montem regalem, sicut ab ore viri religiosissimi audiui, qui schedulam hæretico tradidit suprascriptam, &c.*

Fidei schedula e flammis illæsa exit.

30 Cùm superius Arnaldi ad Cistercij comitia profecti mentionem ediderimus, atque inde secum duodecim abbates ad confutandos hæreticos adduxisse viderimus, prætereundum non est Innocentium ad eos religiosos viros coactos Cistercij dedisse literas quibus se eorum precibus impensè commendabat, vrgebatque, vt in diuina amplificanda gloria operam strenuè collocarent a.

a Innocent. lib. 9. epist. 519.

Vniuersis abbatibus in generali Cistercien. capitulo congregatis.

Postquam vocante Domino ad officium fuimus piscatoris assumpti; nauiculam nobis creditam duximus supra mare, vt rete nostrum ad capiendos pisces in verbo Domini laxaremus. Verùm hoc mare magnum, & spaciosum sæuissimæ tempestatis fragoribus concitatum tot & tantis aduersus eandem nauiculam cœpit fluctibus intumescere; vt non solùm impedita sit aliquatenus piscationis industria, verùm etiam gubernandi nauiculam penè defecerit disciplina, fremunt etenim maris gurgites, & aquarum colles nunc se vndis exagitatis extenuant, nunc verò alluuionum concursibus se reinflant. Sæuit tota pelagi superficies, & quietis impatiens, nec ad nauigandum exhibet se tractabilem, nec habilem ad piscandum, occultis quoque ventorum spiraculis patefactis ad conquassandum nauiculam, quasi coniurata societate a quatuor mundi partibus multiplices venti prodierunt, & in circuitu eius mutuò inter se contrarietate confligunt, nutare compellitur ipse malus crebrò elisus spiritu procellarum, ac rudentum regimine, crepitu minante fracturam, quasi scinduntur velorum carbasa, & vniuersa ferè torpescunt nautici moderaminis argumenta. Accedit autem ad huius calamitatis augumentum, quod cum in præiacentis æquoris vastitate reptilia, quorum non est numerus, commorentur, ferales bestiæ inter ipsa discurrunt, quæ nisi mutuò sese deuorent, parum putant esse crudele, quod aliorum mortibus non indulgent, præter hæc insuper & piratarum insidiæ non obdormiunt, qui diuersas perambulant vias maris, & quos mare, marisque belluæ, rabiesque ventorum incessanter exagitant, ipsi sæuiore ijs omnibus quotidiana persecutione molestant, vt de charybdi, & scilla, cæterisque maris periculis taceamus. Quamuis igitur tot essemus difficultatibus circumplexi, nauiculam tamen ipsam quibuscunque potuimus gubernare curauimus argumentis, ac interdum in mari hoc reti piscatoris extenso, pisces non modicos conclusimus in eodem, quos cum ad portum educere crederemus, eorum aliqui rete ruperunt, & non solùm ipsi protinus in ventrem pelagi sunt relapsi, sed & alios post se compulere relabi. Laborantes denique reficere rete fractum aquas etiam, quæ nauiculam intrauerût, & computruerunt in ipsa, conati sumus eijcere ab eadem, neue præ confusione maris, & fluctuum naufragio possit eam instans procella demergere, oportet nos ipsam in solo Dei nomine per anchoram fidei stabilire. Quæ sint autem hæc dilectissimi filij, & sub quorum vobis stilo dicantur, prudentiam vestram credimus non latere, si ad ea subtiliter indaganda discretæ considerationis aciem extendatis.

Commẽdat se Innoc. precibus Cisterciensium.

31 Cùm igitur inter tot, & tanta pericula constituti vestris indigeamus meritis, & orationibus adiuuari, oramus, & obsecramus vos per viscera misericordiæ Dei nostri, quatenus nobis in maris altitudine fluctuantibus charitatis vestræ suffragium impendatis, & remis orationum vestrarum piscatorem, & nauiculam subleuantes, illum, qui mari, & ventis imperat, exoretis, vt per suam misericordiam infinitam super nos illuminans vultum suum interiorem, & exteriorem tempestatem serenet, compescat vndique ventos, & mare circumcunque tranquillet, nosque flamini sancti Spiritus nauigationis nostræ vela pandentes, dextera sancta sua dirigat, & conseruet, mittatque nobis spiritum suum a quatuor ventis cæli, quo gubernatore, quo duce, impleta demum sagena piscibus, scopulos valeamus insidiantiû monstrorum effugere, ac inter feruentia procellarum discrimina merces dominicas ad portus tutissimos asportare. De plenitudine verò gratiæ nostræ securi ad sanctæ religionis cultum latius propagandum feruentius insistatis, & de vinea Domini Sabaoth vestræ curæ commissa, quæ per ipsius gratiam a mari vsque ad mare palmites iam extendit; studeatis eradicare nociua, & vtilia plantare curetis, quia bonæ opinionis odorem, & piæ conuersationis fructum apud Dominum & homines proferentes de virtute in virtutem ascendere mereamini, donec Dominum Deorum in Sion videatis. *Datum Ferentini 5. id. iulij anno 9.*

32 Eodem anno pridie nonas iunij Alam Reginâ Francorum Regis matrem è viuis ereptam testatur Rigordus a. quo pariter anno & mense, vt auctor idê addit, audiens Philippus Ioannem Anglorum Regem magnis cum copijs ad Rupellam appulisse, collecto exercitu Pictauiam ingressus, cum ciuitatem principem, aliaque loca præsidijs muniuisset, firmassetque, Parisios redijt, Ioannes verò Andegauû admotis castris cepit, vastauitque. cumque Toarcensis vicecomes a Gallo desciuisset, fœdusque cum Anglo inijsset, Philippus in Pictauiâ reuersus, atque aduersa vtrimque acie ad pugnam instructa, Ioanne Toarci commorante, vicecomitis ditionem penè deleuit. tandem a festo omnium sanctorum die ad duos annos conciliatæ inter Reges induciæ, seseque illi domum receperunt. eadem de inducijs ad duos annos contractis Robertus de Monte b, & Matthæus Parisius c.

a Rig. de gestis Phil. Aug. Frãc. Reg.

b Rob. de Monte an. 1206.

c Matth. Par. hist. Angl. eod. ann.

33 Iam verò quidnam in exorta Cantuariensis archiepiscopatus superiori anno controuersia definitum, ex Parisio videamus: *Ioannes Rex misit Romam nuncios suos, vt electio de Noruicensi episcopo a Papa confirmaretur; eodem tempore Cantuariensis ecclesiæ suffraganei procuratores Romam mittunt, querentes, quod Cantuarienses monachi sine se archiepiscopi electio-*

nem

nem fecissent, monachi verò asserebant, illam ad se solos pertinere. Audit Innocentius vtramque partem, præfigit tempus ad dicendam sententiam 12. Kal. ianuary. Hæc ipse. & paulò post sententiam pro monachis latam recitat, cuius initium est: *Maioris ecclesiæ causas, &c.* Reiecta enim episcoporum electione, factam a monachis approbat. His recitatis Innocentij literis, narrationem prolixam auctor exponit de ostensis cælitus sancti Iuliani opera cuidam rusticano purgatorij, inferorumque pœnis, sanctorumque immensa gloria, quæ ab ipso lector petere poterit, nec enim instituti nostri est, singula hæc diuinitus immissa annalibus intexere. Quod attinet ad res Anglicanas, hoc eodem anno Innocentius datis ad archiepiscopos, cæterosque præsules literis, a Salesberiensis decani electionem rescidit, idque, vt ait, ipsius electionis defectu, non personæ. Roffensem episcopum monet, b ne quamuis senio, ac laboribus confectus, a pontificalibus exercendis muneribus abstineret, ac sanctæ Mariæ in Via Lata Cardinalem, Apostolicæ sedis legatum ab inferendis decano Vvintoniensi, alijsque iniurijs Angliæ Regem reuocare iussit. c De Ioanne Ferentino Apostolicæ sedis legato meminit Matthæus Parisius, d dum ait, hoc anno profectum in Angliam, eaque perlustrata ingentem pecuniæ vim coëgisse, tandemque apud Rodiagum sanctæ Lucæ Euangelistæ festo die celebrata synodo, ex Anglia reuersum: consueuisse olim Apostolicam sedem legatos ad exigendas collectas in prouincias mittere, in ecclesiastica historia frequentissimè legitur. Nec taciti prætereamus Rom. Pontificum prædecessorum exemplum eodem anno Innocentium sectarum, dato ad priorem sancti Andreæ Apostoli in Scotia, eiusque fratres diplomate, e in tutelam beati Petri, suaque accepisse, eorumque priuilegia confirmasse, auxisseque. hæc de Anglicis, Scoticisque rebus suffecerint, iam Hispanicas percurramus.

a Innoc. lib. 8. epist. 182. *b Ep. 202.* *c Ep. 204.* *d Parisbi-stor. Angl. an. 1206.* *e Innoc. lib. 9. ep. 85*

Innocentius curat res Hispaniæ.

34 Toletano in primis archiepiscopo, & episcopo Zamorensi hanc prouinciam tradidit f Innocentius, vt Castellæ Regem Hierosolymitani hospitalis fratribus quædam oppida, possessionesque restituere compellat, cui etiam Compostellanoque mandat, g vt controuersias, quas Castellanus, & Legionensis Reges de quibusdam oppidis exercebant, componere studeret. cumque Petri Aragoniæ Regis frater Oxiensi episcopo Regi obsistente, ne ille tum temporis annos decem natus Almodeuarensi ecclesiæ præficeretur, multa ac nefaria flagitia perpetrasset, Innocentius h officium suum, partesque interposuit. Quod spectat ad Petrum Regem; Pampilonensi episcopo, & P. de Castro nouo, fratrique R. Fontis frigidi monachis Apostolicæ sedis legatis imperat, vt de coniugio inter ipsum, & G. . . de monte Pessulano filiam (de quo idem Rex ad Pontificem ipsum scripserat) cognoscant, i vtque castrum de Sinna, quod ad Apostolicam sedem pertinebat, ipsi Petro traderetur operam adhiberent, si ei aduersus hæreticos pugnanti opus sit, dummodo ab iure eiusdem sedis non subtraheretur, cui etiam hæreticorum bona, quæ inuasisset, retinendi, potestatem fecit. l Producendum verò in lucem putauimus ob rei dignitatem diploma Pontificium, quo Petro Regi concessit, m vt ipsius successores Reges, ac Reginæ a Tarraconensi archiepiscopo regia inunctione Cæsaraugustæ linirentur, alijsq; ornamentis cingerentur: *Cum quanta gloria & honore, tripudio & applausu regium regni Romæ de manu nostra in monasterio beati Pancratij susceperis diadema, postquam per venerabilem fratrem nostrum P. Portuensem episcopum in Regem fecimus te inungi, tua sublimitas non ignorat. Vt dilectionis autem affectum, quem ad tuam habemus personam, per exhibitionem operis euidentius monstraremus, regalia insignia vniuersa, mantum videlicet, & colobium, sceptrum, & pomum, coronam, & mitram ad opus tuum non minus pretiosa, quam speciosa fecimus præparari, & ea liberaliter tibi donauimus in signum gratiæ specialis. Tu verò tanquam deuotus princeps, & catholicus Rex super altare beati Petri Apostolorum principis regnum tuum nobis, & per nos Apostolicæ sedi cum multo deuotionis affectu per priuilegij paginam obtulisti, illud ei constituens in perpetuum censuale, firmiter promittendo, quod iuramentum fidelitatis, & obedientiæ in coronatione tua nobis exhibitum inuiolabiliter obseruabis, & ad illud exhibendum, & obseruandum successores tuos obligari volebas. Nos igitur gratiam tibi a nobis exhibitam ad successores tuos deriuari volentes, præsentium auctoritate concedimus, vt cum ipsi decreuerint coronari, coronam a sede Apostolica requirentes, de speciali mandato per Tarraconensem archiepiscopum apud Cæsaraugustam solemniter coronentur, præstita super prædictis cautione idonea. Et quoniam iure ciuili statutum est, vt mulieres maritorum honoribus decorentur, præsentium auctoritate concedimus, vt per manus eiusdem archiepiscopi eos liceat coronari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem, &c.* Adscripta huic diplomati dies in gestis Innocentij non reperitur, in regesto verò ita apposita est. *Dat. Ferent. 15. Kal. iul.*

f Lib. 8. ep. 198. *g Lib. 9. ep. 2.* *h Ib. ep. 5.* *i Ep. 92.* *l Ep. 102.* *m Ep. 102* Tarracon. archiepiscopo Reges Arag. inungendi potestas data. *n Ep. 101. Extat etiã in gest. In.* De ea re Pontificiũ diploma.

Lusitaniæ Rex erepta restituere iussus.

35 Induenda aduersus alterius partis Hispaniarum, nimirum Lusitaniæ Regem seueritas fuit Innocentio, conculcata enim æquitate princeps monasterium de Lurban Columbriensis diœcesis, pulsis eiectisque monachis, illiæ ac monialibus tradiderat, quo accepto Pontifex (ad quem de eodem Rege multæ huiusmodi querelæ sæpissime delatæ) monasterium, atque omnia alia ad illud pertinentia restitui iussit, Zamorensique episcopo alijsque iniunxit, vt si Apostolica imperia respueret, ecclesiasticis censuris reluctantem compellerent. Hæc omnia fusius in literis ab Innocentio hoc anno ad episcopum, cæterosque datis. a Nec verò omittenda Innocentij Hispanis responsa e Petri cathedra data. consultus in primis a Bracharensi episcopo de tribus quæ ambigeret: primum, vtrum in singulis Apostolorum peruigilijs ieiunium seruandum, cum id compluribus placeret, vt solemnis is cultus sex tantùm tribueretur: deinde an etiam in sacro Christi Domini aduentu ad seruanda ieiunia obstricti simus, cùm de ea re aliud alij sentiant: postremò si festus dies alicuius sancti, cuius peruigilio ieiunatur, in secundam feriam incidat, in præcedens sabbatum ieiunium reijciendum sit: propositis hisce, alijsque quæstionibus Pontifex sigillatim respondit: b

a Ep. 191. Responsa Innoc. Hispaniæ præsulibus.

De ieiun.

Innocentius, &c.

Nos tibi super hoc taliter respondemus, quod apud nos omnium Apostolorum vigiliæ in obseruatione ieiunij celebrantur præter vigilias sanctorum Philippi, & Iacobi, & beati Ioannis Euangelistæ, quoniam illorum festiuitas infra solemnitatem paschalem, istius autem infra natalem Domini celebratur. Ieiunium etiam apud nos in aduentu Domini agitur, & sanctorum vigilias, quorum festiuitates oportet secunda feria celebrari, ieiunamus in sabbato præcedenti. Præterea postulasti Apostolicum responsum habere de illis, qui in quadragesima, vel etiam alijs ieiunijs solemnibus infirmantur, & petunt sibi esum carnium indulgeri. Quorum quidam promittunt eleemosynam se facturos, quidam verò propter necessitatem infirmitatis vrgentis hoc a te sibi quasi ex debito concedi requirunt: super quo tibi duximus respondendum, quod cum non subiaceat legi necessitas, desiderium infirmorum cum vrgens necessitas exigit, supportare potes, & debes, vt maius in eis periculum euitetur. *Datum Romæ apud sanctum Petrum xi. Kal. martij pontificatus nostri anno octauo.*] nimirum exeunte. Præterea eidem episcopo rescri-

b Ep. 3. habetur c. ex scilicet nostrum de obseru. ieiun.

De comedentibus carnes in quadrag. ob valetudinem.

c Ep 4

a Ep. 4.

scripsit a, ne virgarum pœnam, quæ patrio more de ijs, qui alteri iniuriam intulissent, sumi consueuerat, clericis irrogaret: consultus etiam de canonicis regularibus, qui non solùm in causis ecclesiasticis, verùm in alijs pro altero postulare audebant, arceri ab eo munere iussit.

De testimonio pro consecrandis dando.
b Eod. l. 9 ep. 33.

36 Quoniam verò non ingrata esse existimo sapientissimi Pontificis lectori responsa, non abs re erit proximas literas huc afferre, quibus propositis ab Auriensi episcopo egregiè fecit satis. b

Innocentius, &c.

Quæsiuisti per sedem Apostolicam edoceri, vt cum episcopi ad consecrationes episcoporum ab archiepiscopo suo, vel etiam alio euocentur, & ipsi metropolitano electum offerant consecrandum, dicentes: Reuerēde pater, postulat sancta Mater Ecclesia hunc electum in episcopum consecrari, & interrogante archiepiscopo, si sciant illum esse dignum, respondeant, quod illum sciunt, & credunt pariter esse dignum, & te in responsione huiusmodi, ne offenderes hominem, Deum existimes offendisse quinq; contra conscientiam respondendo, cum electi conuersatio aut minus bene tibi cognita, aut penitus sit ignota; qualiter in huiusmodi interrogationibus salua conscientia valeas respondere. ad quod fraternitati tuæ taliter duximus respondendum. Quod cum nos aliquem in diaconum, vel presbyterum promouemus, prior diaconorum, qui nobis assistit, dicit: Postulat sancta Mater Ecclesia catholica hunc subdiaconum, vel diaconum ad onus diaconatus, vel presbyteratus assumi; & nobis interrogantibus, si eum cognouerit esse dignum, idem respondet, quod quantum humana fragilitas nosse sinit, & scit, & testificatur illum ad huiusmodi onus esse dignum. Vnde in tali responsione aliquem peccare non credimus, dummodo contra conscientiam non loquatur, quia non simpliciter se scire illum asserit esse dignum, sed in quantum humana fragilitas nosse sinit, cum illum, quem indignum esse non nouit, dignum debeat æstimare. *Dat. Romæ apud S. Petrum id. mart. anno IX.*]

Quo sensu dicatur digni.

c ibid. ep. 293.

Hactenus Innocentius, qui Toletano archiepiscopo præcepit c, presbyterum se indignum existimantem, qui canonem missæ recitaret, eius loco per simplicitatem psalmum Miserere subiecerat, absolueret. atque hæc de Hispanicis; iam ad Sardiniæ res orationem traducamus. Quamuis Sardinia ad ius Ecclesiæ Romanæ spectaret, vt sæpe diximus, extorserat Pisanus archiepiscopus sibi ecclesiæque suæ a Massæ marchione. Calaritano iudice fidei iusiurandum, quod soli Apostolicæ sedi præstandum erat; cumque frequenter Innocentius institisset, prædictum marchionem sacramenti religione liberaret, nec ille morem gereret, hoc ipso anno imperia minacibus literis exequi iussit d, vel vt saltem intra mensem vel ipse, vel alius procuratoris iure ac nomine ab ipso missus Apostolicæ sedi se sisteret. Præterea Florentino episcopo iniunxit e, primum vt Pisanum populum instrumenta quædam publica iuribus Ecclesiæ Romanæ de Sardiniæ insulæ supremo dominio contraria discerpere compellat, deinde f Gallurensem dominam cogat ad viri Pontificis consobrini consortium thorumque coniugalem redire.

d Ep. 21. & 61.
Pisani iure in Sard. prætenso iussi abscedere.
e Ep. 20.
f Ep. 147.

37 Verùm res aliæ orationem nostram ad se rapiunt, atque hæc de Italicis affert gestorum Innocentij scriptor: *Defuncto apud Constantinopolim Henrico Dandulo Venetorum duce Petrus tyrannus apud Venetias est promotus in ducem: qui abbatem sancti Felicis de Venetijs eligi fecit in archiepiscopum Iadertinum, & auctoritate patriarchæ Gradensis confirmari, & consecrari, mittens solemnes nuncios ad summum Pontificem pro pallio impetrando, quod ei altera vice fuerat denegatum: memor autem offensæ quam in destructione Iaderæ Veneti commiserunt, taliter ei dominus Papa rescripsit: Apostolicæ seruitutis officium laudabiliter exercemus, si iuxta quod docet Apostolus, arguimus, obsecramus, & increpamus in omni patientia, & doctrina, &c.* Extant etiam hæ literæ in Pontificio regesto, vbi ad calcem additur adscripta dies, quæ desideratur in actis. *Dat. Ferentini non. aug. anno nono*; scilicet Pontificatus, qui est hic idem annus. Porro earum summa hæc est, Venetos arguit de Iadertino excidio, de quo dictum supra, maximum inde Terræ sanctæ locis illatum damnum ostendit: quippe Christianum ipsi exercitum summo studio atque infinito sumptu collectum auertissent: *Non ergo*, inquit post alia in hanc sententiam adiecta, *nostra duritia imputetis, sed vestra ascribatis offensæ, quod preces quas pro pallio destinando abbati sancti Felicis, quem vos Iadertinum appellatis electum, per præfatos nobis nuncios porrexistis, non duximus admittendas, quia cum ex ijs, quæ per vos acta sunt contra Iaderam nimis contra nos scandalizatus sit populus Christianus, nolumus propter vos aliquid agere circa Iaderam, pro quo amplius contra nos scandalizari possit Ecclesia generalis, quod vtique fieret, si ad petitionem vestram ei pallium largiendo, absque omni satisfactione factam remisisse videamur offensam, cum iuxta sententiam Salomonis, in quo quis peccat, in eo sit puniendus, quamuis hæc dilatio non tam pœna sit, quam cautela, per quam & nobis & vobis intendimus prouidere.* Hæc ipse, qui demum admonet, vt Deo & Ecclesiæ faciant satis.

• legen. Petrus Zianus.

Negat Innoc. palliū Iadertino electo.

38 Arguit præterea hoc anno Innocentius a rum Spoletinos tabelliones, & iudices pro arbitrio constituisse, tum Ferrarienses a Romana Ecclesia, sub cuius ditione erant, defecisse; qua de re ardentes huiusmodi ad eos literas dedit: b

a Ep. 161.
Ferrariensium ab Eccl. defectio.
b Ep. 179.

Innocentius &c.

Quantum fuerit laboratum apud bonæ memoriæ Lucium Papam prædecessorem nostrum Veronæ existentem, vt ciuitatem vestram a dominio Ecclesiæ Romanæ transferret in aliam potestatem, vestra, sicut credimus, prudentia non ignorat. Ipse verò cognoscens hoc nec sibi, nec vobis aliquatenus expedire, negauit omnino, quod cum multa instantia petebatur, volens vos sub Apostolicæ sedis dominio retinere, quæ de se verè dicere potest: Iugum meum suaue est, & onus meum leue, cum fideles suos non opprimat sicut seruos, sed foueat tanquam filios, a quibus obsequia non extorquet indebita, sed gratuita beneficia elargitur. Vos autem, sicut audiuimus, & dolemus, in contēptum ipsius vestras sine causa ceruices alieno dominio submisistis, vt de vobis dicere valeat cum propheta: Filij alieni mētiti sunt mihi, filij alieni inueterati sunt & claudicanerūt a semitis suis, &c.] Imperat malè cœpta emendēt, ni faciant iustarū pœnarum terrorem infligit. Nec refractarios Placentinos inultos reliquit, namq; episcopalē eis sedē ademit c: Insubres per literas ad episcopos datas ad bellum in eos gerendum cohortatur: altera verò ad Placentinos missa epistola d ipsis minas incutit, quas etiam ad Vercellensem episcopum scribens auget e: quibus omnibus ij præceptis monitisque parentis optimi parere statuunt. Quamobrem Pontifex erga Romanam Ecclesiam illis obedientiam gratulatus, eximi ecclesiasticis censuris iussit f. Verum Placentinis in veterem gratiam receptis, Sutrinos etiam, qui nulla a se potestate facta magistratum regendæ ciuitati præfecerant, anathematis vinculis absoluit g. Rebus etiam Italiæ componendis summopere intentus Innocentius Aquileiensi patriarchæ mandat h, absente pastore Tridentinæ eccl. curam gerat, tum Emonensem, Iustinianumque episcopatus coniūgat i. Firmano electo tum spiritualem & ciuilem iurisdictionem delatam confirmat l, immunitatesque plures ac priuilegia ipsi ac successoribus elargitur. m

Iubentur ab Innoc. redire ad officium.

Placentini increpiti in gratiam reuertuntur.
c Eod. l. 9. ep. 166.
d Ep. 167.
e Ep. 168.
f Ep. 169.
g Ep. 199.
h Lib. 8. ep. 175.
i ibid. ep. 179.
l Ep. 185.
m Ep. 186.

Labo-

39 Labotandum etiam in Alexandrinorum, & Aquensium conciliandis dirimendisque controuersijs Pontifici fuit, quos demum ad concordiam adduxit, quæ, vt se habuerint, ex ipso Pontifice cognoscemus, literia a enim suis pauca præfatus, ita ad Alexandrinos suam orationem conuertit.

a Lib. 9. ep. 83.

Innocentius &c.

Alexandrini & Aquenses conciliati. Felicis memoriæ Alexander Papa prædecessor noster, attendens seruorem deuotionis, & fidei, quam ei Alexandrinus populus tempore grauis, & grandis necessitatis exhibuit, Apostolicæ sedis auctoritate decreuit, vt quoniam Alexandrina ciuitas longè maior est & populosior, quàm Aquensis, episcopalis sedes de illa, cuius diœcesi est contigua, transferretur ad istam. Vos itaque per honorabiles nuntios tam clericos, quàm laicos ad nostram præsentiam destinatos suppliciter postulastis, vt quod idem prædecessor noster prouida deliberatione decreuerar, nos eius vestigijs inhærentes, faceremus executioni mandari: volentes autem in tanto negotio cum debita maturitate procedere, prius duximus inquirendum, vtrum id absque aliquo graui scandalo sortiri posset effectum: & quoniam ex huiusmodi translatione non solum Aquensis ciuitas, sed etiam Papiensis, quæ ipsius defensionem susceperat, scandalizari plurimum videbatur, nos vtriusque partis procuratoribus in nostra præsentia constitutis, plenam concessimus audientiam. qui cum super hoc coram nobis cœpissent multipliciter altercari, partes nostras interposuimus ad concordiam, statutum prædicti prædecessoris nostri taliter moderantes, vt Alexandrinam, & Aquensem ecclesias vniamus, præsenti priuilegio statuentes, quatenus vnus & idem sit pontifex vtriusque, vnam, & eandem pontificalem sedem obtinens in vtraque. Ne autem vnio confusionem inducat, ad discernendum specialiter inter eas, ita duximus salubriter decernendum, vt negotia, & causæ, quæ ad ecclesiam spectant Aquensem, episcopus agat cum consilio Aquensium clericorum; quæ autem ad laicos, cum consilio laicorum; *Alexandr. & Aquen. episcopatus coniuncti.* infra ciuitatem Aquensem vel eius diœcesim, in loco tam ipsis laicis, quàm eidem episcopo idoneo, & securo. Quæ verò pertinent ad Alexandrinam ecclesiam, cum Alexandrini capituli gerat assensu. Habeat autem duplex sigillum, ab vna parte continens imaginem & literas Aquensis episcopi, ab altera verò Alexandrini. Cumque idem episcopus scripserit de Aquen. rebus, aut personis Aquensibus, scribat se tantum Aquensem. Porrò cum scripserit de alijs rebus, alijsque personis, si fuerit in Alexandrina diœcesi, scribat se tantum Alexandrinum; si verò fuerit in Aquensi diœcesi, scribat se tantum Aquensem, & e conuerso, vt cum eiusdem sint dignitatis, neutri per alteram derogent. Chrisma verò vno anno conficiat apud vnam ecclesiam, & alio apud alteram, similiter faciat de baptismo: maiores verò solemnitates æquè distribuat inter illas, vt, quas vno anno celebrauerit apud vnam, altero celebret apud alteram, proprias autem solummodo celebret apud illam, cuius sunt solummodo speciales. Ordinationes verò clericorum, qui pertinent ad Aquensem ecclesiam, in Aquensi faciat ciuitate, vel eius diœcesi, loco tamen idoneo, & securo: apud vtramque ecclesiam vel eius diœcesim, saltem per anni medietatem moretur, nisi forte necessitas, quæ legem non habet, exigat interdum aliter faciendum.

Decreta Innoc. ad seruandā inter eos coniunctionem. 40 Castra verò Aquensis ecclesiæ, quæ tenet episcopus, per homines fideles, & non suspectos Aquensibus faciat custodiri, & si fortè, quod absit, inter Alexandrinos, & Aquenses scandalum oriretur, homines illorum castrorum non iuuent Alexandrinos aduersus Aquenses, nisi esset causa episcopi specialis. Nolumus enim, vt propter hanc vnionem altera ecclesiarum, vel etiam ciuitatum, auctoritatem, vel potestatem, iurisdictionem, aut dominationem habeat super reliquam; ne quod ad vnitatem prouisum est, in contrarium aliquando conuertatur. Cum autem episcopus ex hac luce migrauerit, prædictarum ecclesiarum canonici conueniant apud alteram, de qua inter se poterunt concordare, vel apud alium quemlibet locum, & quem omnis concorditer, aut maior & sanior pars vnius, ac maior, & sanior pars alterius elegerint in episcopum, eius electio per Mediolanensem archiepiscopum confirmetur, dummodo nihil obsistat ei de canonicis institutis. Si verò secundum hanc formam conuenire nequiuerint, aut eligant electores, qui eis episcopum eligant recipiendum ab omnibus, sic electum, aut ad sedem Apostolicam dirigant procuratores idoneos, per quos recipiant in episcopum, quem Romanus Pontifex eis duxerit concedendum. De primo autem accessu episcopi consecrati ad alterutram prædictarum ecclesiarum, aut etiam ciuitatum, hoc statuimus obseruandum; vt sicut episcopi sibi successerint, ita vices alternent, quatenus cum vnus post consecrationem suam primò receptus fuerit apud vnam, reliquus postmodum recipiatur primitus apud reliquam, inuidia penitus relegata, ita dumtaxat, vt in ijs quæ in vtraque ecclesia debet facere alternatim, incipiat ab Aquensi. Prohibemus ergo, ne quis in vtraque prædictarum ecclesiarum de cætero fiat canonicus aut persona, ne propter hoc possit aliqua confusio generari: priuilegia vero, & alia scripta, quæ pertinent ad Aquensem ecclesiam, in secretario ipsius ecclesiæ reponantur. Licet autem vtriusque partis procuratores in nostra præsentia constituti præscriptam formam duxerint acceptandam, quia tamen priuilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate, statuimus, vt si forsan Aquenses contra statutum istud venire contempserint, nisi ad commonitionem Romani Pontificis suæ correxerint præsumptionis excessum, episcopalis sedes de Aquensi ciuitate, sicut præfatus prædecessor noster decreuit, in Alexandriam transferatur: si verò Alexandrini contra idem statutum excesserint, nisi ad commonitionem Romani Pontificis satisfecerint de excessu, præscriptæ vnionis vinculum dissoluatur, &c.) ad extremum additur: *Datum Ferentini, per manus Ioannis S. Mariæ in Cosmedin diaconi Cardinalis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ cancellarij* VI. *id. iunij indict. ... incarnationis Dominicæ anno millesimo ducentesimo sexto, Pontificatus verò domini Innocentij Papæ* 111. *anno nono.*) hactenus Innocentius, in eandemque rationem ad Aquensem clerum populumque scripsit a; tum Alexandrinis quos ad seruandam erga sedem Apostolicam fidem hortatur. b S. Petri vexillum mittit, præterea datis ad clerum illum literis c, de prædicta concordia per ipsum inita egit, monetque vt communi episcopo obtemperent.

a Lib. 9. ep. 84. b Ep. 91. c Ep. 96.

41 Extant etiam in hanc sententiam literæ, quas Mediolanensis ecclesiæ archipresbyter, ac vicecomes ad Innocentium scripsere, quas, vtpote summam populorum erga Apostolicam sedem obseruantiam redolentes aliaque scitu dignissima complectentes, adducere minimè a proposito alienum arbitramur.

Sanctissimo patri, & domino Innocentio Dei gratia summo Pontifici Mediolanensis ecclesiæ archipresbyter, licet indignus, & Ariprandus dictus vicecomes eius humilis, ac deuotus subdiaconus, tam deuotam quàm debitam in omnibus subiectionem.

Placuit beatitudini vestræ pater sanctissime nobis seruulis vestris dare in mandatis, vt ad ciuitatem Alexandriæ personaliter accedentes, clerum, & populum ad pacem, & concordiam cum Aquensibus faciendam, nec non ad vnionem acceptandam, pruden-

denter admonere, & diligenter inducere studeremus. Verùm quod super ijs fecerimus, & quantum laborauerimus, partes ipsæ, & scripta nostra per eas maiestati vestræ directa liquidò declarabunt; quod autem super fidelitatibus, & censu exigendis fecerimus, audiat sanctitas vestra plenissimè veritatem. Conuocauimus siquidem potestatem, consules, & consiliarios Alexandriæ, & ostendimus eis, qualiter tenerentur & obligati essent ad censum, & fidelitates Romanæ Ecclesiæ parandas, qualiter insuper in signum hominij se dederant in manibus felicis memoriæ domini Alexandri, a quo ipsa ciuitas denominationem accepit. Ostendimus etiam eis, & perlegimus instrumentum publicum, in quo omnia ista continebantur, qui verbum nostrum non minus alacriter, quàm deuotè recipientes, & acceptantes, cum omni festinantia præceperunt campanam pulsari, vt multitudo populi conueniret; qui scientes causam vocationis suæ, cucurrerunt quasi ad vocem iucundam, & vix præ gaudio, & exultatione sustinentes verbum sibi proponi, clamauerunt quasi vna voce, cum ingenti lætitia, & tripudio maximo: Fiat, fiat voluntas domini nostri; & sic in omni pace recepimus hominium, & fidelitates potestatis, consulum, & consiliariorum, & vniuersorum, qui ad locum illum concucurrant, & inde fecimus fieri publicum instrumentum, deinde quosdam honestos viros, qui monitores ciuitatis vocantur, fecimus nuncios nostros, quos iureiurando nobis astrinximus, vt singulas oras, vicos, & plateas ciuitatis circuirent, & fideliter ab vniuersis fidelitates, & censum secundùm instrumenti tenorem exigerent, & reciperent, & quicquid super ijs facerent, totum per publicam scripturam nobis ostenderent, & consignarent, quæ omnia bene & solemniter facta sunt.]

Alexandrini Eccles. Rom. fiduciarij.

42 Prosequimur alia ab Innocentio gesta. Sunt aliæ eius literæ tum ad Vicentinos scholares, quibus sacram S. Viti ædem Camaldulensibus patribus ab ipsis inchoatam gratulatur; tum ad Fridericum Siciliæ Regem a, quibus lætitia se exilire ait, dum illum in Apostolicæ sedis gremio educatum, penè ad pubertatis annos acceperat peruenisse, vtque Psalmographi monito cogitatum suum in Domino iactet, auxiliumque ad se regnumque optimè gerendum imploret, hortatur; tum ad nobilem virum P. Colonensem b comitem iustitiæ præfectum, quem ad seruandam Ecclesiæ fidem solicitat; tum ad cunctos Cistercienses abbates, in generalibus comitijs collectos, quorum precibus Pontifex plurimum sese commendat c. Dato insuper diplomate ad archipresbyterum, & canonicos basilicæ S. Petri, e quorum numero ipse olim fuerat, eorum constitutiones confirmat, eosdemque ad eas tuendas obseruandasque cohortatus est d. Tum S. Spiritus in Saxia xenodochio prædium quoddam adiunxit e. Quoniam verò in hæc data ab Innocentio diplomata incidit oratio, addendum videtur, ipsum hoc eodem anno perantiquum Pultariensis conuentus priuilegium firmasse f, præterea Apostolicæ sedis patrocinium cum S. Innocentij, & Anastasij monialibus in Gandersem, tum S. Vedasti Atrebatensis cœnobij religiosis viris spopondisse g. Sed quem hactenus vidimus Innocentium optimi Pontificis, atque pastoria in cæteris omnibus partes obeuntem, nunc lupos etiam a dominico grege sibi commisso diligentia summa vigilantiaque submouentem, Christique fideles in fide orthodoxa confirmantem intueamur. Hoc enim anno Florentinos, vt hæreticos euitent, atque in fide permaneant admonet h, idemque Pratensibus inculcat i, meritasque ob hæreticos pulsos eiectosque laudes impertitur: Fauentinosque etiam atque etiam hortatur l, vt alios hæreticos pauperes de Lugduno dictos, Patarenosque e finibus amandarent, eiusdem denique argumenti literas ad S. Proculi, & S. Stephani Bononien. abbates scribit a. Ad hæc R. fontis frigidi monachum Apostolicæ sedis legatum Narbonam hæretica lue infectam admodum & corruptam catholicæ veritatis præcones mittere iubet b. Postremò Maclouiensem archidiaconum, atque alios in nascentes quosdam hæreticos impellit c. hæc aduersus truculentos lupos vigilantissimus pastor, qui præterea dominici gregis augendi cupidus abbatem de Lakene Sarracenis illis in regionibus commorantibus, Euangelij promulgandi causa in Poloniam mittit, eiusdemque regni archiepiscopos, & episcopos iubet d, quibuscunque in rebus possint, auxilium illi afferre. atque de rebus ab Innocentio hoc anno gestis ista dixisse suffecerit.

Inn. priuilegia confert.
a Eod. l. 9. ep. 157.
Gratulatur Friderico pubertatem attigisse.
b Ibid. ep. 193.
c Ep. 119.
d Lib. 8. ep. 181.
e Lib. 9. ep. 16.
f Ib. ep. 46
g Ep. 106. & 115.
Persequitur hæreticos.
h Ep. 7.
i Ep. 8.
l Ep. 18. & ep. 102.
a Ep. 19.
b Ep. 183.
c Ep. 206.
d Ep. 193.

43 Eodem anno in cælum migrasse traditur e. S. Vbaldesca virgo, quæ in agro Pisano, humili & obscuro loco nata cum annum decimumquintum ageret, Angelico monitu Pisas profecta, & in collegium sacrarum virginum S. Ioannis cooptata, diuino se cultui mancipauit, vbi postquam virtutum omnium illustria exempla explicuisset, septuagenaria in cælum euolauit, maximisque miraculis efflorruit. hæc pluribus in eius actis, quæ apud illas moniales in manuscripto codice continentur. Quo etiam tempore S. Franciscus ad profligatos Christianorum mores emendandos, virtutibusque perpoliendos a Deo euocatus, nouam viuendi rationem arripuit: cum ad Assisinatem episcopum ductus a patre, quò præsente illo se bonis abdicaret, exutis simul vestibus sua omnia patri iura remisit, illud adijciens se in posterum maiori fiducia dicturum: *Pater noster, qui es in cælis.* Quæ hoc anno contigisse testatur Albertus abbas Stadensis, eius temporis scriptor f: *Anno domini,* MCCVI. *B. Franciscus a seculi vanitatibus se conuertit.* præterea Martinus Polonus g, Bernardus Guido h. S. Antoninus i & cum alijs recentioribus l Lucas Vvadingus, qui annales minorum exactissimè conscripsit. Cum verò natus fuerit anno salutis 1182. vt ex Stadensi tradit Baronius m, ipsum vigesimo quinto ætatis suæ anno vitam sanctiorem amplexum, dicendum est, quidquid opinentur alij, quos apud Vvadingum consulere possis, nec enim in eiusmodi rebus immorari diutius operæ pretium existimamus.

e Ferrarius 28. maij ex vita M.S.
Vbaldescæ virg. obitus.
D. Francisci conuersio.
f Stad. in chron.
g Mart. Pol. an. 1206.
h Bern. Guid. lib. Rom. Pont. eod. ann.
i D. Ant. 3 par. tit. 24 c. 7.
l Vvading. appar. § 4
m Bar. an. 1181.

44 Hoc etiam anno pridie Kal. martij solis defectionem contigisse testantur Rigordus n, Godefridus o & alij p, tuncque plurimi, addit Godefridus, humanum caput in sole se vidisse testati sunt. De huiusmodi solis defectione meminit etiam Cæsarius q quam ipsis Kal. martij accidisse affirmat, nisi fortè dicatur ad proximum annum referendam, cum subdat auctor Philippum anno sequenti interfectum, quo item Parisius r hæc tradit: *Sol eclipsim passus est ab hora sexta vsque ad nonam, nec non Luna eodem anno similiter.* Sed parum refert, quo hæc anno contigerint. rursus superiori mense solem ingenti hominum admiratione defecisse affirmat Cæsarius f: *Anno domini millesimo ducentesimo* * *septimo, Philippo Rege celebrante curiam solemnem cum principibus, signum magnum apparuit in sole: in tres siquidem partes diuisus est, ita vt interualla essent inter partem & partem, adinstar lilij tres flores habentis, quod vbi notari cœpit, multi concurrerunt, super tanto miraculo disputantes: Hermannus verò Lantgrauius interpretatus est, quod vnus de principibus Imperij eodem anno moriturus esset, nec erat idonea eius interpretatio. Post multam horam coierunt partes, & redintegratum est corpus solare; abbas Carolus Vilariensis, necnon & monachus eius Vvigerus eidem curia interfuerunt, quæ dicta sunt viderunt, nobis eodem tempore visa referentes: facta est hæc visio* III. *Kal. febr.* Hæc Cæsarius, qui etiam quid huiusmodi defectio portenderit, his verbis illustrauit: *Sol videtur hoc loco designare Romanum Imperium;*

n Rig. de gest. Phil. Franc. Reg.
o Godef. in annal.
p Ant. tit. 19. c. 1. § 3 Io. Marian. & alij.
q Cæsar. l. 10. c. 24.
r Matth. Par. hist. Angl. an. 1207.
f Cæs. ibid. c. 23.
Eclipsis Solis.
** al. sexto*
Prodigium in Sole visum.

*rium: sicut sol magnitudine & splendore præcellit vniuersa sidera cœli, sic idem Imperium augustius fulget cæteris regnis mundi. Apud Romanum Imperium quandoque fuit monarchia, vt sicut stellæ lumen habent a sole, ita Reges, vt regnare possent, haberent ab Imperatore. Triplex solis diuisio designabat schisma Imperij, in tres principes diuisi, qui omnes nomen Romani Regis sibi vsurpabant, primus fuit Fredericus, qui adhuc patre viuente fuit in regem a principibus electus; secundus Philippus; tertius Otho fuit a Coloniensi archiepiscopo suisque auxiliarijs substitutus: isti ambo Aquisgrani coronati fuerunt in Regem. Horum vno occiso, & altero deposito atque defuncto, Fredericus electus, qui hodie imperat, solus regnare cœpit, & quasi ad suam plenitudinem sol diuisus rediit. In quibusdam prouincijs eodem die visa sunt quinque partes: per tres partes, supradictos tres Reges intelligo, per duas reliquas, Bernhardum ducem Saxoniæ, & Bertolphum ducem * Thuringiæ, qui satis pro Imperio ambo laborabant, accipio.*

Illius interpretatio.

*al. Zaringia

IESV CHRISTI
Annus 1207.

INNOCENTII PP. III. annus 10.	VACAT IMP. OCC. an. 10. HENRICI IMP. annus 2.

Patareni Viterbij grassatur.

1 ANno Christi ducentesimo septimo supra millesimum, indictione decima Innocentius Rom. Pontifex zelo catholicæ fidei incensus, in extirpanda hæretica prauitate, funditusque tollenda desudauit. Grassabatur hisce temporibus, ac proferebat sese in nonnullis, maximeque Italiæ locis, impura Patarenorum secta, ad quam extinguendam quid egerit, eius vitæ acta declarant: ipsum anno pontificatus decimo post ascensionem dominicam Viterbium profectum, vt Patarenos, qui eam vrbem infecerant, profligaret, ne quis iustè Romanæ Ecclesiæ eam labem posset aspergere, ipsam in sinu suo fouere hæreticos, quos in remotissimis prouincijs persequeretur, Pontificisque aduentu cognito hæreticos auolasse. Eorum verò domos, in quibus recepti fuerant, ad æternum dedecus funditus dirutas excisasque, tum clero ac populo in concilium vocatis hanc legem tulisse.

Eo proficiscitur Innoc.

Leges ad extirpandam hæresim latæ.

2 *Ad eliminandam omnino de patrimonio beati Petri hæreticorum spurcitiam, seruandam in perpetuum legem sancimus, vt quicunque hæreticus, & maxime Patarenus fuerit inuentus, protinus capiatur, & tradatur seculari curiæ puniendus, secundum legitimas sanctiones. Bona verò ipsius omnia publicentur, ita vt de ipsis vnam partem percipiat qui ceperit illum, alteram curia, quæ ipsum punierit, tertia verò deputetur ad constructionem illius terræ murorum, vbi fuerit interceptus. Domus autem in qua hæreticus fuerit receptatus funditus destruatur, nec quisquam eam reædificare præsumat, sed fiat sordidum receptaculum, quod fuit latibulum perfidorum: credentes præterea, ac defensores, & fautores eorum quarta bonorum suorum parte mulctentur, quæ ad vsum reipublicæ deputentur. Quod si in hoc modo puniti rursus in similem fuerint culpam prolapsi, de locis suis penitus repellantur, nec vnquam reuertantur ad illa, nisi de mandato summi Pontificis digna satisfactione præmissa, &c.* Alias pœnas ijs incutit, vt audiri in iudicijs non possint, publicis muneribus deijciantur, sacrorum communione priuentur, qui ipsos in suas ædes recipere, aut eorum corpora sepulturæ mandare præsumpserit, anathemate percellatur. Sanxit etiam, vt ea lex in legum cæterarum codicem referretur, ac magistratus rempublicam capessituri eam summa religione seruaturos sacramento pollicerentur. *Dat. Viterbij IX. Kalend. octob. pontif. ann. X.*

3 Exercuerat iam ante huius legis seueritatem, cùm præcepit abbati, ᵃ ac monachis sancti Hippolyti Fauentin. vt hæretici cuiusdam Othonis nomine corpus ecclesiastica donatum sepultura, erui, refodique operam darent, & R. Viterbiensi episcopo, ᵇ & clero imperauit Ioanni presbytero a Patarenis odio fidei erepta restitui studerent. Quod pertinet ad Patarenorum, quos sensisse cum Albigensibus coniectura est, errores adeò infames, & horrendi erant, vt Parisius de ijs instituto ad annum sequentem sermone dicat, malle se tacere, quam loqui, qui etiam addit in Transalpinis partibus, & Galliarum, Belgijque limitibus eam hæresim grassatam esse, sed minoritarum, & prædicatorum indefessa opera, ac maxime Roberti cuiusdam Dominicani instituti, qui ex illa hæresi ad religionem se traduxerat, ardenti zelo fuisse repressam; is enim & doctrina, & principum, ac magistratuũ auctoritate armatus, quos vi veritatis confuderat, si in hæresi perstarent, flammis absumebat, adeo vt intra duos, vel tres menses quinquaginta nullo sexus discrimine aut terræ viuos infodi, aut rogis inijci iusserit, vnde hæreticorum mallei gloriosissimum nomen reportauit, quod munus illi ab Innocentio fuisse demandatum, in dubium reuocari non debet. Iam qui persequentem hæreticos Pontificem vidimus, ecclesiasticos defendentem intueamur.

ᵃ Inn. l. 9. ep. 211.

ᵇ Ibid. ep. 257.

Roberti in puniendis hæret. zelus.

4 Celebrasse illum Viterbij omnium ordinum conuentum ex ca ditionis pontificiæ parte, quæ a Roma in Hetruriã & Marchiam excurrit, tradunt ipsius gesta, atque primo die a prælatis, proceribus publicisque magistratibus sacramentum exegisse ipsos Pōtificijs imperijs parituros; secundo omnium petita & querimonias audijsse; tertio omnes leges a laicis aduersus ecclesias atque ecclesiasticos latas ferendasue diuina & humana auctoritate conuulsisse omniaque sacramenta ad eas seruandas præstita rescidisse, vt publicæ etiam paci consuleret, grauissimis incussis pœnis vetuisse, ne populi sedi Apostolicæ obnoxij sua iura armis persequerentur, sed iudicio experirentur. addit gestorum auctor ipsum excitando ad pristinum decus monasterio S. Martini de Monte animum adhibuisse, illudque impertita abbati benedictione amplissimis bonis cumulasse: interea subdit auctor felicem nuncium ex parte Lundensis archiepiscopi, quem in Liuoniam ad traducendos ad Christum ethnicos legatũ miserat peruenisse, nimirum Liuoniam in Christi obsequium gloriosissimè procubuisse ac neminem superfuisse, qui baptismo ablutus non fuisset. De Liuonia ad Christum conuersa pluribus agit Arnoldus ᶜ Lubecensis meminitque Paulus Langius ᵈ inque annum superiorem proximũ refert.

Defensi ab Innoc. ecclesiastici.

Consultũ publicæ paci.

Pergit auctor enarrare Pontificis solicitudinẽ pro concilianda inter subditos Ecclesiæ pace, vtq; ardente crudelissima Tuderti seditione, in qua nobiles ac plebeij mutuis se cladibus atterebant, adactis omnibus sacramento pontificio imperio parituros, concordiæ certas leges sanxerit omnemq; dissensionẽ sustulerit penitus, atque extinxerit, parique prudentia controuersiam Fauẽtinos inter & Rauennatem archiepiscopum de Castro Luci Areoli & S. Potiti lite Rauennati adiudicata definierit atque archiepiscopum in extremam redactum inopiam sacris ornamentis amplissimoque munere decorarit, perlustrarit etiam loca Ecclesiæ obnoxia populosque recepto ab ijs sacramento fidei in officio confirmarit, atque ad Faliscos accedens comitem Ildebrandinum in sua verba adegerit; ac sane hoc anno publicis monumentis consignata reperitur delati ab ipso, vt fiduciario viro obsequij sponsio, quæ in libro ᵉ censuum extat, ex quo hæc verba delibanda existimauimus: *Ipse comes mense, & die scripta fecit ligium homagium dicto domino Papæ Innocentio, coram episcopis Cardinalibus, præfecti vrbis, & multis alijs tam clericis, quam laicis in*

ᶜ Arnol. Lubec. chr. Slau. l. 7. c. 8. &c.

ᵈ Paul. Lang. chr. Citiz. an. 1206.

Tudertinos inter se conciliat.

Rauennati arch. Lucum Areolum adiudicat.

ᵉ Lib. cens. M.S.

eodem palatio, nimirum Faliscorum, *pro castro Montis alti, comitatu de Rossellionis & alijs terris, quas tenet ab eo, sicut apparet per priuilegia Romanæ Ecclesiæ & idem dominus Papa inuestiuit dictum comitem de dictis castris, comitatu, & terris coram omnibus per cuppam argenteã, & inter omnes ij interfuerunt.* Subijciuntur testium nomina, ne fastidium crearemus lectori, a nobis prætermissa. Post adactum iureiurando Ildebrandinum subijciunt gesta Innocentij: *Postea iuit Tuscanum, & per octo dies in ipsa ciuitate moratus, accessit Coruetum vbi apud sanctum Nicolaum nouum sibi fecerat ædificare palatium, requirens pariter, & recipiens iura, quæ fuerant a quibusdam inuasa. Inde per Vetrallam profectus est Sutrium, vbi tribus diebus moratus cathedralem ecclesiam solemniter dedicauit, & sic ad Vrbem feliciter est reuersus.* Hactenus vitæ auctor de Innocentij itineribus gestisque.

Gratulatur Friderico ex hostibus euasisse.

5 Hoc eodem anno datæ fuere ab Innocentio ad Fridericum Siciliæ Regem refertæ atque insignes amoris notis omnique beneuolentiæ significatione literæ, quæ cum illum e custodia, cui traditus fuerat, liberatum Pontificisque optimi inmensos pro illo impensos labores ostendant, hic subijcere censui.

Rege Siciliæ illustri.

Quantæ iucunditatis affectus in Apostolici cordis armario se trãsfuderit, per tuæ serenitatis literas intellecto, quod manus Domini de illorum indignate custodia liberauit, qui quasi diceret lupa oui, agnũ tuum melius te lactabo, curam a te remouerant, quam pia tibi genitrix deputarat. Interim poteris existimare, quod quandiu fuisti, sicut domino placuit, in illo articulo constitutus, cum multarum anxietatum angoribus, circa te se sedulo retorquebat nostræ meditationis aspectus, vtpote qui quasi nobis dicere non cessares: In te iactatus sum ex vterò matris meæ, vehementissimis nos doloribus tabescere faciebas, quia tibi, quem pietate commoti dicere fingebamus: Domine vim patior, festinato non poteramus auxilio respondere. Nec est siquidem sub admiratione ducendum, quod tua nos ita, & contristauit detentio, & liberatio iucundauit, cum etiam propter ballij rationem, quod non tam ex dispositione materna, quàm iure regni suscepimus exequendum, tuæ propterea non possumus tutelæ, ac defensioni deesse, quia cum a voce prophetæ dicentis nobis: Pupillo tu eris adiutor, aures non deberemus auertere, te pupillum in tuo iure tenemur specialius confouere; hinc est vtique, quod pro tua iustitia defendenda, sæpe duximus noctes insomnes, & prandium in cœnam conuertimus, vt vel cogitando soli, vel cum alijs conferendo pacificandi tibi hereditatem tuam modos vtiles inuenire possemus: quoties euntium, & redeuntium nunciorum examina sibi inuicem obuiarunt, qui per varias orbis partes pacis tuæ procuratrices literas derulere: quoties literæ pro tua tuique regni tranquillitate mittendæ notariorum fatigauere calamos, & scribarum atramenta siccarunt: quoties multitudine vndecunque de mundi partibus venientium, propter occupationes instantes, quibus erga tua commoda versabamur, sua doluere negotia retardata.

Sua erga Frid. studia explicat.

6 Quid autem de multis, & magnis dicemus expensis, quas pro diuersis, & varijs regni tui necessitatibus studuimus erogare? sed & fratribus, & consanguineis non pepercimus, quorum etsi fuit labor plurimus, gaudendum quia nonnunquam extitit fructuosus. Nunc igitur, cum iam in tua liberatione, penè nos Deus fecerit præteritorum omnium obliuisci, mulieri euangelicæ comparandos, quæ cum peperit filium, pressuræ minimè recordatur, nobis non restat aliud, quam gaudendum, quia quamuis ad plenitudinem tuæ pacis deesse aliquid videatur, speramus tamen, quod si tuum in domino iactaueris cogitatum, & eorum prouidis consilijs acquieueris, qui te post violentorum custodiam, in suæ sedulitatis obsequium receperunt, ille per quem Reges regnant, & principes principantur, tuum solium confirmabit, & dabit tibi fortitudinem ac virtutem, per quas possis inimicis obsistere, tuumque populum feliciter gubernare. Monemus ergo serenitatem regiam & hortamur attentius, ac per Apostolica scripta mãdamus, quatenus eleuato ad Deum corde quotidianis precibus ab eo consortari corpore ac mente requiras, gaudensque quod in eorum fideli custodia es repositus, vel quorum curam tua tibi genitrix deputauit, vel qui loco eorum, qui ex ipsis decesserant, successerunt, maturis eorum intendendo consilijs, moralibus satagas imbui disciplinis, nos enim tranquillitati, & paci tuæ solicitudine intendimus indefessa, regiæque serenitatis augumentum spiritualibus vigilamus, & temporalibus auxilijs promouere, sperantes in domino, quod diligentiam, & beneuolentiam sedis Apostolicæ matris tuæ, tanquam deuotus filius corde semper & opere recognosces. *Dat. Romæ apud S.Petr. IV. Kal. febr. an. IX.*] Præterea in literis quibus regijs familiaribus de Regis liberatione gratulatur, ait paulo ante quam ipsorum nuncios excepisset, Regis Aragonij legatos peruenisse cum literis, quæ de sorore ipsius Friderico in matrimonium tradenda narrabant, quod ab eorum nuncijs etiam accepisset, ac Fridericum plurimum ipsis commendat, quod etiam commendationis officium eidem apud episcopos, comites, optimates cæterosque præstitit: a postremò ait Friderici literas suasque Aragonum Regi per eius nuncios transmisisse, cohortatumq; vt cuncta quæ pro sorore ad sponsum Regem traducenda opus forent, diligẽtissimè compararet. Quod attinet ad Aragoniæ Regem; Innocentius Pampilonensem episcopum, ac collegas Apostolicæ sedis legatos, causæ de illius ac filiæ G..... Montis Pessulani matrimonio, cuius superiori anno meminimus, instruendæ incumbere iussit. b

a lib. 9. ep. 149.

b lib. ep. 246.

Egregiũ. huius in Othonẽ voluntas.

7 Cæterum quamquam in Regis Siculi res omni cogitatione curaque incumbebat, minimè tamẽ perpetua ipsius in Othonem designatum Imperatorem multorum annorum studia interrupit, quod ipse his verbis ostendit c: *Affectum dilectionis & gratiæ quam ad tuam regalem personam habuimus, & habemus, non oportet nos verbis exprimere, cum hactenus operibus expresserimus, & amodo etiam exprimere intendamus: in tantum, vt nuncij partis aduersæ publicè conquerantur, quod dominus eorum meliorem potuit tecum pro se, quam possit nobiscum pro te compositionem inire.* Hæc Pontifex, quæ verò eodem anno pro ipso egerit, infra dicetur. At quamuis adeo in Othonem propensus, haud tamen Philippo Sueuiæ duci illius æmulo minus beneuolum se impertitus est, nam quemadmodum antea peccantem ac refractarium insectatus est, ita nunc resipiscentem atq; obsequentem paternæ charitatis affectu amplectitur ac fouet, etenim Hugoni Ostiensi episcopo, & Leoni tit. S. Crucis presbytero Cardinali Apostolicæ sedis legatis mandat ad bonam frugem; vt anno superiori vidimus, reuersum absoluat, quod in laudato sæpe Vaticano libello his verbis habetur d: *Hic fuit legatorum processus: primo receperunt publicè iuramentum a Philippo duce Sueuiæ, quod pareret vniuersis mandatis domini Papæ super omnibus, pro quibus erat excommunicatus, & sic eum secundum formam ecclesiæ solemniter absoluerunt: secundo iniunxerunt eidem, vt dimitteret Brunonem Colonien. archiepiscopum, quem in captione tenebat, quem liberè absolutum assignauit eisdem ad sedem Apostolicam perducendum: tertiò induxerunt illum ad hoc quod ipse accepit regalia, licet inuitus a Lupoldo Maguntin. intruso, & idem intrusus spiritualia resignauit in manibus legatorum: quarto ad ipsum obtinue-*

c Libell. Vat. sup. neg. Rom. Imp. pag. 132.

Restituit sacris Philippum Sueuum.

d Cit. libel. ep. 144.

uerunt eum difficultate non parua, vt permitteret Sifridum Maguntin. archiepiscopum per procuratorem suum in spiritualibus ministrare. Quinto fecerunt ipsum dimittere magnum exercitum, quem congregauerat aduersus Regem Othonem. Sexto bis eos ad colloquium perduxerunt tractantes cum ipsis de pace, quam cum consummare non possent, septimo tandem statuerunt inter eos treguas vnius anni; & sic tractatum pacis redigentes in scriptis ad sedem Apostolicam redierunt cum nuncijs vtriusque. Facili negocio refellitur Paulus Langius a, qui dum tradit Bertholdum episcopum coram Philippo Rege se abdicasse infert: *Ex quibus liquet inuestituram episcopatuum eo tempore adhuc fuisse sub potestate atque ordinatione Imperatorum*; etenim contrarium potius inde colligitur, cum Philippus a Liupuldo regalia, spiritualia legati recepissent.

Induciæ Othoné inter & Philippú côciliatæ.

a Paul. Lang. chr. Citizen. ann. 1206.

8 Cæterum de legatione hac Arnoldus Lubecensis abbas hæc affert b, Innocentium maximo desiderio restituendæ pacis Germaniæ Hugonem ac Leonem Cardinales ad Philippum misisse iniuxisseq; ea lege in fidelium communionem admitterent, vt Brunonem vinculis laxaret, atque ad coeundam cum Othone pacem descenderet. cæteris quidem assensit, sed Brunonem liberare se posse negauit, cum Adolphi aliorumque, quorum opera secundò Aquisgrani corona fuerat redimitus, eo facto odia incurreret; legatos verò muneribus a Philippo corruptos relicto in vinculis Brunone ipsú absoluisse, ac dein ad Othonem profectos rei totius certiorem fecisse, vt de pace cum Philippo ageret: quibus ille subiecit præclarè rem agi si Apostolica imperia fuissent executi, ac mox literas Innocentij ostendisse, quibus de Philippo absoluendo liberandoque Brunone sermo erat, ac tum efferatum in iras ipsos proditi muneris sui arguisse; at eos metu perculsos rediisse ad Philippum, significasse se lapsos errore, nec tenere eius absolutionem ni Brunonem vinculis emitteret, ac Philippum ea de causa liberrati Brunonem reddidisse; dein verò Philippum & Othonem cum duobus Cardinalibus paucisque alijs proceribus in colloquium pro concordia ineunda defluxisse, indeque re infecta discessisse. Verum de legatorum lapsu nec Innocentius nec quispiam ex antiquioribus quod recorder, mentionem vllam fecit; immo Pontifex idem hoc præcipuè eis laudi dat quod munera despexerint: *Largitori*, inquit, *omnium c gratiarum grates referimus copiosas, quod tantam vobis tribuit gratiæ largitatem, vt iniunctum vobis legationis officium anus non mediocre continentis, prudenter, & honestè geratis, sicut laudabile vobis testimonium perhibetur, & ipse rerum protestatur effectus: licet autem hoc propter Deum principaliter procuretis, quia tamen, & propter nos specialiter vos id agere minime dubitamus, præter retributionem diuinam, nostram quoque fiducialiter expectetis, præsertim cum pro certo sciamus, vos manus vestras ab omni turpi munere penitus excussisse.*

b Arn. Lub. libro. Slau. l. 7. c. 6.

Philippus absolutus.

Legati ex Lubecen. corrupti.

Bruno e vinculis emissus. Frustra inter electos Reges tétatum de concordia

c Libell. Vatic. sup. neg. ep. 149.

Integritas legatorú.

9 Igitur Innocentius de Philippi absolutione certior factus has ad eum perbreues quidem, sed humanitatis & officij plenas literas dedit d: *Postquam absolutionis gratiam per Apostolicæ sedis legatos secundum formam Ecclesiæ percepisti, salutationis, & benedictionis tibi literas destinamus gratias referentes super ijs, quæ ad exhortationem nostram prompta deuotione fecisti, sed & nos ad tuum honorem, quantum cum Deo possumus, promptam gerimus voluntatem, sicut dilectus filius frater S...... lator præsentium prior domus Camaldulen. vir prouidus, & honestus tibi poterit viua voce fideliter intimare, & ea, quæ de ore nostro veraciter intellexit, serenitatem tuam rogantes, & exhortantes in Domino quatenus ad pacem Imperij reformandam diligenter intendas. Hæc breuiter, & simpliciter tibi scribimus sicut expedire credimus ad cautelam. Dat. Corneti Kalend. nouembris Pontificatus nostri anno decimo.*

d Ib. ep. 145.

Inn. gratulatur Philippo absoluto.

10 Post hanc verò Innocentij epistolam referuntur in prædicto libello aliæ ad legatos, quibus præcipit, vt accepto a Liupuldo episcopo a atque ab Adolpho Coloniensi olim archiepiscopo iureiurando, vniuersis Apostolicæ sedis mandatis pariturós, atque in vrbem intra vnius mensis spatium iter aggressuros, anathemate soluerent. Cumque eorumdem legatorum literas accepisset, hæc rescripsit b.

a Ep. 146.

Philippus Innocétio côciliatur.

b Ep. 148.

Innocentius, &c.

Ex quo princeps petit, & rogat, subeatis laborem ad nostram præsentiam reuertendi monentes eundem, vt animum propensius inclinet ad pacem, quia longe maiora de pace prouenient, quam flagitentur pro pace. Nuncios autem dirigat prouidos & fideles, quibus super his quæ spectant ad pacem, & voluntatem aperiat & tribuat potestatem, ad hoc ipsum alterum principem inducentes, vt vtriusque nuncijs vobiscum præsentibus tractatus pacis possit habere progressum, qui ne valeat impediri procuretis, vt treguæ firmiter obseruentur. Ad plenariam verò liberationem ven. fratris nostri Brunonis Colonien. archiepiscopi efficaciter intendatis, & committatis procurationem ecclesiæ ac diœcesis Maguntinæ alicui viro prouido, & fideli, qui ad mandatum nostrum de procurationis officio debeat respondere, congruam redditurus tam de spiritualibus, quam de temporalibus rationem, vt sic interim & necessitati ecclesiæ consulatur & ius archiepiscopi conseruetur, ita quod ad suffraganeos, & eorum ecclesias se ipsius procuratio non extendat. De negotio vero Traiectensis episcopi nódum ad plenum deliberare potuimus propter absentiam creditorum, quos tamen in proximo expectamus, & tunc remittemus cursorem pro eodem negótio destinatum.] Hæc Pontifex ad legatos, quos paci conficiendæ postea omni studio incumbere iussit c atque postremo de nequissimo Liupuldo hæc addit: *Liupuldum verò noneritis apud Senas hostilibus actibus implicatum, ad nostram præsentiam non venisse, cuius insolentiam, & stultitiam diligenter principi exponatis.*

Imperia legatis data.

De pace inter Philippum & Othoné agitatur

c Ibid. ep. 149. 150.

11 Othonem insuper (cui pariter rescripsit) monet: d Cum eius aduersarius nuncios cum Cardinalibus ad Apostolicam sedem mittendos decreuisset, ipse quoque suos mittat, ne eius causa defensione destituta remaneret. Quæ postea Philippo interfecto acta, proximo sequenti anno dicetur. Ex his exploditur fabella inepta insulsaque, quam auctor e recentior de tanto Pontifice oblocutus inconsultè recenset, eam, vt reor, mutuatus a Conrado Vrspergensi abbate f hoste Romanæ Ecclesiæ infensissimo. Ait ergo ad hoc suggerentibus Germanorum principum nuncijs, Innocentium hoc anno legatos ad Philippum Regem misisse, quo eius filiam Ricchardo comiti nepoti suo desponsandam curarent, cum fore omnino sperarent, vt is Tuscia, Spoleto, & Piceno hac ratione potiretur: quapropter Pontificem ipsum huiusmodi loca regionesque dedita opera ad Romanam Ecclesiam nó reuocasse subdit: denique Innocentium hasce nuptias molitum esse referunt etiam nouatores, g vtpotè, qui nullam de Romano Pontifice detrahendi occasionem prætermittant. Sed hæc longissimè a veritate abesse atque abhorrere, ea quæ supra allata sunt, satis superque ostendunt, iam enim anno superiori antequam nuncij illi ad se mitterentur, huiusmodi legationem decreuerat, ac postea misit vt pacem Othonem inter ac Philippum conciliarent, quod tum a nobis memoratæ Innocentij aliorumque epistolæ, tum veteres auctores, tum denique res ipsæ testantur. Quanto enim studio vrbes ac loca alia quæ ad Roma-

d Ibid. ep. 151.

Othoné monet In. suos ad Apost sedem oratores mittat.

e Naucl. hoc ann.

f Vrsperg. in chron.

Calumniæ in Innoc.

g Cent. 13 c. 10. col. 1301 Kcsellunrn.

Romanam Ecclesiam spectabant, in suam ditionem, potestatemque redegerit, ex ipsius vitæ gestis suo loco vidimus. præterea nusquam legitur (quod scimus) Innocentium eius nominis neptem habuisse: sed tantum de Ricchardo comite eius fratre, in literis ipsius fit frequens mentio. Plura occurrunt, quæ ne lectorem fatigemus, consulto omittimus. fingendæ porrò subornandæque calumniæ occasionem inde Innocentij infensos hostes captasse existimamus, quod Philippus Sueuus, vt eius gratiam colligeret, esset pollicitus, se Pontificis ipsius nepoti filiam suam in matrimonium traditurum. At prudentissimus Pontifex ducem hæc per simulationem agentem, atque eius promissa reiecit, vt suo loco dictum est a. sed, vt ad institutum nostrum redeamus, dum ea quæ narrauimus geruntur, Innocentius Papa S. Apri Turrensibus monachis, B. Petri suæque clientelæ gratiam defert, Magdeburgensis episcopi, quem ipse consecrarat electionem comprobat b, ac S. Mariæ Magdeburgensis præposito & canonicis iura confirmat. c antea verò hoc eodem anno Magdeburgensem decanum & capitulum Othoni Poloniæ ducis nepoti ecclesiæ præposituram tribuendam mandarat. d

Vnde enata calumnia.

a Ann. 1203.

b Inn. l. 9. ep. 240.

c Ep. 262.

d Ep. 213.

12 Cum de Polonia inciderit mentio, opportunè in medium adducenda videntur, quæ ex Innocentij literis ad regiones illas spectantia collegimus. Primo igitur in reprimenda Vuladislai ducis insolentia laborandum admodum ei fuit, cum enim Henricus Gnesnensis archiepiscopus (quem Innocentius eximiæ sanctitatis virum appellat) illum ob iniectas in clericos violentas manus in latam a canone sententiam incidisse denuntiasset, quodque defuncti cuiusdam episcopi bona occupata restituere renueret, ecclesiastica censura perculisset, exardescens ira dux archiepiscopum ipsum eiusque ecclesiam variè diuexabat, Gnesnensis ecclesiæ sacerdotia quorum collatio illius prouinciæ more ad ipsarum regionum episcopos spectabat, vel ipse conferebat, vel ab alijs ex sua sententia conferenda curabat: SS. reliquias sacrique templi ornamenta cæterasque res pretiosas, prædecessorum ducum aliorumque fidelium eximia pietatis monumenta, non ab archiepiscopo vel capitulo, vt par erat, sed a suis administrari volebat, immunitates pessumdabat, captiuum quemdam eadem in ecclesia tanquam in vinculis haberi mandarat, atque a canonicis custodiri sustentarique iusserat: clericos sacris initiatos in carcerem interdum tradi torquerique imperabat; hæc atque alia duci exprobrare Innocentius e vtque ad resipiscentiam rediret monere, hortari grauesque minas intentare, ni dicto audiens foret. eademque scripsit ad vniuersos Poloniæ episcopos f. Gnesnensi verò archiepiscopo iniunxit g ducem si resipisceret, absolueret, alioquin tum ipsum tum eius fautores anathemate feriret, laicosque clericis molestiam exhibentes compesceret h, & cunctos Poloniæ episcopos i clericosque qui sacerdotia obtinebāt l Gnesnensi archiepiscopo pro tuenda ecclesiarum libertate auxilio esse præcepit; contra verò in Posnaniensem episcopum in ea re minus archiepiscopo fidelem grauissimè inuehitur. Poloniæ principibus vetat m ne se præsulum electionibus ingerant, sacerdotia conferant, & vi ecclesias ac bona innadant.

Vuladislaus dux arch. Gnesnensem diuexat.

In eum insurgit Innoc.

e Ep. 225.

f Ep. 216. & 225.

g Ep. 214.

h Ep. 218.

i Ep. 220.

l Ep. 226.

m Ep. 128 212 & 534.

13 Cum ingens verò archiepiscopus pro tuenda ecclesiæ suæ libertate æs alienum contraxisset, ne illius dissoluendi solicitudo optimi præsulis animum turbaret, rogatus Pontifex tribuit n, vt si ante solutionem integram, extremum diem obire contingeret, successor persoluendi debiti onere obstrictus teneretur. Quod verò ad clericos Polonos attinet, de quibus paulo ante memorauimus, non prætereundum silentio ecclesiasticæ disciplinæ solertissimum custodem Innocentium, de illorum corruptis moribus corrigendis, castigandaque libidine, cum prædicto archiepiscopo eiusque suffraganeis per literas egisse a. Sed qui peccantes coarguere ac punire erat solitus, idem probos religiososque viros præmijs atque honoribus ornare consueuit. Archiepiscopum namque optimè de ecclesia meritum, insigni illo priuilegio decorauit, vt crucem eunti sibi præferri iuberet, dummodo Apostolicæ sedis legatus non adesset, hæc enim ipsi rescripsit b: *Quoniam non ignoras, quod in cruce domini nostri Iesu Christi te oporteat gloriari, piè desideras salutare crucis eius vexillum, de conniuentia nostra tua venerationi præmittere, cuius mortificationem iugiter in tuo corpore crederis pro diuini nominis amore portare. Nos igitur attendentes, quod nequaquam tibi sint armaturæ cælestis insignia deneganda, qui contra fortem armatum in mundi atrio suffultus auxilio fortioris certamine incessanter laboras per arma iustitiæ triumphare, præsentium tibi auctoritate concedimus, vt salutifica crucis signum per tuam prouinciam ante te facias baiulari, nisi cum Apostolicæ sedis legatus in Polonia fuerit constitutus, vt in hoc deferas ei, tamquam a nostro latere destinato. Datum Romæ apud S. Petrum 2. id. ianuarij anno 9.*

n Ep. 235. Concedit Inn. arch. Gnesn. vt contractū æs alienū successor soluere teneatur.

a Ep. 233.

b Ep. 236. Permittit ante ipsū crucem præferri. De ea re diploma.

14 Cracouiensis etiam ducis, summi Pontificis Romanæque Ecclesiæ studiosissimi, accepto patrocinio diploma transmisit c cuius partem edimus. *Ea propter, dilecte in Domino fili, sinceritatem deuotionis ac fidei, quam erga nos, & Romanam Ecclesiam habere dignosceris attendentes, personam tuam cum ducatu Cracouiensi, & omnibus bonis tuis, quæ iuste possides, & quiete, sub beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & per scripta &c. auctoritate præsentium districtius inhibentes, ne quis te super eis præsumat indebite molestare. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud S. Petrum non. ianuar. anno 9.* Hæc Pontifex ad principem nimirum Lesconem Album, Casimiri optimi principis filium, quem Cracouienses superiori anno ducem sibi Vuladislao reiecto elegerant, vt Polonicarum rerum scriptores tradunt d, qui ipsum etiam summis laudibus efferunt. Interfuit comitijs illis Fulco Cracouiensis episcopus, qui postea hoc anno mortem oppetijt e: *Genere nobilis,* Longinus inquit, *sed actionibus nobilior, plures libertates, priuilegia, et immunitates ecclesiæ Cracouiensi apud sedē Apostolicam, & signanter vt episcopus Cracouiensis omnibus alijs episcopis prouinciæ & ecclesiæ Polonæ loco & vice prior sit, et primus Gnesnensi archiepiscopo in consecrādo manum imponat, obtinuit.* hæc ille. Porro Fulcone defuncto Vincentius generis nobilitate (quod auctor subdit) doctrina moribusque præclarus Cracouiensis episcopus renunciatus est, & ab Innocentio Papa confirmatus. hunc Polonorum historiam conscripsisse memorant f.

Cracouiæ dux in clientelam Ecclesiæ acceptus.

c Ep. 217.

d Longin. hist. Pol. lib. 6. an. 1206. Crom. l. 7. & alij

e Idem auctores.

Data episcopo Cra con. priuilegia.

f Idem.

15 Iam Polonicis rebus finem imponamus ijs, quæ de censu B. Petro persoluendo, decimisque Pontifex hoc eodem anno rescripsit, quippe qui cunctos Christi fideles illos mouet, vt sacrum vectigal remota fraude pendant: *Si memoriter teneretis g Ananiæ Zafiræque supplicium, qui pro culpa fraudati pretij, quod ex agris acceperant, terribili vltione puniti ad pedes Apostolorum principis repentino interitu corruerunt, in solutione census, quem beato Petro debetis, fraudem vitaretis, vt credimus, adhibere. Ad nostram siquidem audientiam noueritis peruenisse, quod cum ex consuetudine regionis vsualis moneta per annum apud vos tertiò renouetur; & quæ priùs in vsu fuerat, demum reddatur vilior vsu alterius succedente, vos eidem Apostolo censum debitum illo differtis tempore persoluendum, in quo moneta, quam soluitis, vilior vsus erit: licet ergo bonorum nostrorum Omnipotens non indigeat, quia tamen periculosum est vobis, quod debetis eidem, vel per fraudem immutare, vel per ingratitu-*

Receptus a Polonis census Eccl. Rō. debitus.

g Inn. l. 9. ep. 217.

dinem

dinem retinere, vniuersitatem vestram monemus atque etiã hortamur, & per Apostolica scripta præcipimus mandantes, quatenus censum ipsum, sine cuiuslibet fraudis vitio more solito persoluatis: alioquin sententiam, quam venerabilis frater noster.. Gnesnensis archiepiscopus in eiusdem census vel detentores ingratos, vel temerarios fraudatores rationabiliter duxerit promulgandam vsque ad satisfactionem condignam firmitatem decernimus debitam obtinere. Dat. Romæ apud S. Petrum non. ianuarij anno 9. cui etiam archiepiscopo imponit a, vt S. Petri & S. Adelberti canonicos soluere recusantes ad id censuris compellat. Postremo vniuersis Poloniæ ducibus mandat b, ne decimarum solutionem impedirent, vel remitterent. atque de Polonicis rebus hæc dixisse sufficiat.

a Id. ibid. ep. 237.

b Ep. 218.

Electio vtraque arch. Cant. rescissa.

16 Iam reliqua prosequamur, atque videamus in primis, quid in Anglicana controuersia actum sit. Cùm igitur Innocentius archiepiscopi electionem tum a suffraganeis tum a monachis factam improbasset, irritamque esse iussisset, quod acta, Parisiusque c testantur, Stephanus S. Chrysogoni Cardinalis ex ritu a sacris canonibus perscripto, archiepiscopus creatus est: quomodo verò res gesta sit, acta ipsa declarant, Pontificem monachorum conuentui præcepisse, vt quindecim e suis Romã mitterẽt, atque ijs prouinciam eligendi archiepiscopi demandarent, si vtriusque electionem e iure conuelli accideret, ne si iterum ad celebrandam tertij electionem mitterentur, monachi in factiones discederent: qui cum Apostolica excepissent imperia, vtraque electione Reginaldi & episcopi Norvvicensis rescissa quindecim illis monachis imperauit, vt se præsente electionem celebrarent, cumque plura suffragia in Stephanum de Langetuna presbyterum Cardinalem tit. S. Chrysogoni Anglum genere virum doctrina & virtutibus cumulatissimum, quem Innocentius eodem anno e cathedra Parisiensis academiæ d ad Cardinalatum euexerat, concurrissent, eam electionem ab Innocentio mox confirmatã fuisse. ingentibus etiam eundem laudibus ornat Parisius: quamuis asserat illos præsenti anathematis metu, quem Pontifex intentabat, inuitos atque obluctantes id comprobasse, sed hoc de quibusdam refractarijs contingere potuit; quapropter Innocentius ad Ioannem Regem scribens vti paulo post videbimus, hæc habet: *Quoniam absque vi & dolo canonica fit electio de persona idonea concorditer celebrata.*

Steph. de Langetũ eligitur arch. Cãt.

c Par. hist. Angl. an. 1207.

d Par. hist. Angl.

Consecratur a Põtifice.

17 Tulere grauiter, inquiunt acta, eam Ioannis Anglorum Regis oratores, certiorem & rei totius fecere, qui in grauiores iras incanduit, adeo vt nulla ratione eum delinire Pontifex potuerit, sed Innocentius de constantia nil remittens archiepiscopum suis manibus 15. kal. iulias Viterbij consecrauit, donatumque pallio ad ineundam ecclesiæ suæ possessionem misit. Vt verò Ioanne resistente Pontificijs iussis regnum percussum interdicto fuerit, proximo anno dicetur. Interea nihil prætermisit Innocentius, quod ad deliniendum Regis animum pertinere existimaret. Subdit enim Parisius, Innocentium, vt Ioannis gratiam captaret, cùm eum gemmarum auidum, ac pretiosis rebus exquisitis delectari didicisset eximio munere literas ornasse, quarum erat exordium: *Innocentius Papa Tertius Ioanni Regi Anglorum, &c.* Recitat eam auctor, munusculum verò quatuor annuli aurei varijs distincti gemmis fuere, de quibus isthæc ibi Pontifex: *Licet autem his & alijs diuitijs vestra regalis abundet excellentia, in signum tamen dilectionis, & gratiæ quatuor annulos aureos cum diuersis lapidibus pretiosis tuæ magnitudini destinamus, in quibus te volumus specialiter intelligere formam, numerum, materiam, & colorem, vt mysterium potius, quam donum attendas, &c.* Pergit aperire mysteria, quod præstiterat cum Ricchardo eius fratre, cui, vt suo loco vidimus, id genus donum miserat. His ita gestis adijcit Parisius Innocentium literas ad Regem Anglorum dedisse, quibus hortabatur Stephanum sancti Chrysogoni presbyterum Cardinalem canonicè archiepiscopum Cantuariensem electum, demissè, & piè exciperet, ac tum Regem efferatum iussisse monachos Cantuarienses ex Anglia facessere, qui in Belgium se subduxere, quod factum vertit ipsis auctor vitio, cum Rex nullam vim intulisset, pulsisque ita monachis Cantuariensibus addit Ioannem acerbas, & ardentes literas ad Innocentium dedisse, quibus querebatur Norvvicensi episcopo iniquè repulso ignotum hominem, qui diu in regno Francorum hæserat, malæ suspectum Angliæ fidei ad Cantuariensem archiepiscopatum extulisse, violata regni iura, suum consensum a monachis expetitum non fuisse, mirari se, Anglorum officia in sedem Apostolicam tradita obliuioni, non aduertisse aulam pontificiam ex Anglia plures opes, quàm ex alijs regnis sibi inuehi, intrepidè se sua iura defensurum, si Norvvicensis episcopi electio non steterit, se itinera Romam profecturis interclusurum, ne diuitijs Anglia exhauriatur, & cum regni sui præsules scientia, alijsque dotibus polleant, ab exteris iustitiam non emendicaturum.

Missa ab Innoc. ad Ioan. Reg. munera.

His non delinitur Ioannes.

Pelluntur monachi Cantuar.

Ioann. ad Inn. atroces literæ.

18 Receptis ijs literis Innocentius ferocientem principem emollire conatus est, vt literæ pontificiæ a Parisio adductæ illustrant, quibus primum queritur pro benignis, ac suauibus literis aculeatas, & acres sibi redditas, ac si egregia Anglorum Regis erga sedem Apostolicam voluntas sibi necessaria sit suam pariter gratiam ipsi necessariam videri, detulisse se ipsius iuribus, expetitum eius consensum fuisse literas ea de re missas, sed a suis interceptas, electum non ipsi ignotum cum eum tribus literis in Angliam euocare voluisset, si docuerit Parisijs, non id vitio, sed gloriæ gentis adscribendum. demum addit: *Tu ergo fili charissime, cuius honori supra ius deferri curauimus, secundum ius nostro studeas honori deferre, vt gratiam diuinam, & nostram vberius merearis, ne fortè si secus egeris, in eam te difficultatem inducas, de qua non facilè valeas expediri: cum tandem oporteat eum vincere, cui flectitur omne genu cælestium, terrestrium, & infernorum, cuius nos vices in terris, licet immeriti, exercemus. Dat. Later. pontificatus nostri anno 10.* Extorsit præterea ab Anglis Ioannes ingenté pecuniarum vim, omnium enim, vt addit Parisius, bonorum cum laicorum, tum ecclesiasticorum tertiamdecimam partem contradicente nemine, vno excepto Gaufrido Eboracensi archiepiscopo fratre suo, corrasit: is enim ex Anglia recedens, in omnes qui ecclesiæ suæ inuasissent bona, anathematis sententiam tulit. Postremò subijcit Parisius, Regem hoc itidem anno sancti Remigij festo die susceptum ex Isabella vxore sua primogenitum filium, Henricum nuncupasse.

Rescribit obiecta Innocentius.

Extorsiones Ioannis Regis.

Hoc anno in cœlũ migrasse traditur S. Iulianus secũdus Conchen. episc. ob effusam in pauperes liberalitatem insignis, episcopatus enim censum omnem illis erogabat, ac Dauidico oraculo sibi proposito, labores a manuum tuarum quia manducabis beatus es, & bene tibi erit, canistros contexendo sibi, ac beato Lesmo, qui tum ei ministrabat, victum comparabat, ac propè octogenarius obijt, miraculisque ingentibus effulsit, extat in Bibliotheca nostra eius vitæ breuissimè conscriptæ exemplum.

a Psal. 127

19 Quod ad res orientales attinet, Constantinopolitanus patriarcha in Venetos Constantinopoli degentes ob sacram Deiparæ effigiem ab ijs raptam sententiam anathematis distrinxit, quam Innocentius habere ratam ab illo rogatus, confirmauit b, rescripsitque:

b Innocen. lib. 9. epist. 241.

Patriarchæ Constantinopolitano.

Ex tenore literarum tuarum nostris fuit auri-

bus intimatum, quod cum chariſſimus in Chriſto filius Henricus Conſtantinopolitanus Imperator illuſtris quandam iconam, in qua beatus Lucas Euangeliſta imaginem beatæ Virginis proprijs manibus dicitur depinxiſſe, quam ob ipſius Virginis reuerentiam, tota Græcia veneratur, & quaſdam reliquias, quæ erant in capella maioris palatij, ponendas in eccleſia ſanctæ Sophiæ tibi duxerit conferendas; Venetorum poteſtas cum ipſis Venetis ad tuam accedens præſentiam ipſam iconam a te cum inſtantia poſtulauit, aſſerens eam ſibi a præfato Imperatore eſſe promiſſam. Tu verò cum cognoſceres eos in illa nihil iuris habere ipſius petitioni acquieſcere noluiſti, ſed cum ille diutius inſtitiſſet, tale ipſi dediſti reſponſum, quod illam ei nec dabas, nec etiam auferebas, ironicè addens, quod ipſam acciperet, ſi tunc eam in eccleſia poſſet repetire, clauſa quippe erat eccleſia, & præfata icona in ea non erat, ſed in ſacrario ſub ſera triplici collocata. Verùm cum a te nullatenus obtinere potuiſſet, vt ſeraretur eccleſia, in cuius ſacrario erat icona prædicta ab ala ipſius eccleſiæ, quendam in ipſa per funem fecit dimitti, qui quærens per eccleſiam ſæpe dictam iconam, & non inueniens, de mandato poteſtatis prædictæ vnam de magnis eccleſiæ ianuis per violentiam reſerauit.

Veneti imaginem Deiparæ pictam a D. Luca rapiunt.

50 Porrò Veneti eccleſiam ipſam violenter intrantes, cum locum, vbi erat icona, per quendam Græculum didiciſſent, ſacrarij oſtia frangere inceperunt, quod cum ad tuam notitiam peruenisset amaritudine plenus ad alam eccleſiæ acceſſiſti, & deſuper aſpiciens ſacrilegium perpetrantes, ex parte omnipotentis Dei ſub interdicti, & excommunicationis interminatione inhibuiſti eiſdem, ne quod malè inceperāt, præſumerent cōſummare. Sed cùm nec ſic a perpetratione ſacrilegij deſtitiſſent, prædictam poteſtatem cū omnibus conſiliarijs, & fautoribus ſuis, candelis accenſis publicè, ac ſolemniter vinculo anathematis innodaſti; ipſi verò tam anathematis, quàm interdicti ſententia vilipenſa oſtia ſacrarij confregerunt, & aſportantes exinde violenter iconam, eam in eccleſia, quæ Græcè Pantocraton dicitur, collocarunt. Tu verò ad dilectum filium . . tituli ſanctæ Soſannæ presbyterum Cardinalem ſanctæ ſedis Apoſtolicæ legatum accedens ipſi rei ſeriem intimaſti, qui eodem die latam a te ſententiam confirmauit eccleſias omnes, quæ ſunt in parte ſacrilegorum ipſorum ſubijciens interdicto; vnde nobis humiliter ſupplicaſti, vt vtramque ſententiam dignaremur Apoſtolico munimine roborare. Licet igitur nos opinionem illam qua quidam Græci exiſtimant, quod ſpiritus beatæ Virginis in prædicta imagine requieſcat, propter quod ipſam fortè plus debito venerantur, tanquam ſuperſtitioſam minimè approbemus, & pactionem de partiendis reliquijs, & alijs factis initam, tamquam illicitam deteſtemur, ne tamen ſacrilegij crimen remaneat incorrectum vtramque ſententiam interdicti, & excōmunicationis videlicet, ſicut rationabiliter ſunt prælatæ auctoritate Apoſtolica confirmamus & præcipimus vſque ad ſatisfactionem condignam, appellatione remota firmiter obſeruari. Nulli ergo, &c. *Dat. Romæ apud ſanctum Petrum id. ianuary anno 9.*] Hactenus Innocentius in Conſtantinopolitanos Venetos, qui pietatis ac venerationis in Virginem, quo flagrabant ſtudio, pietatem læſerant. Demum datis ad Sueſſionenſem epiſcopum literis [a] in Sueſſionenſi diœceſi quidquid illo abſente tentatum fuiſſet, reſcidit. Cæterùm de eodem epiſcopo Robertus de Monte [b] hæc tradit:

Patriarcha Conſt. in eos cenſuras vibrat.

Eas confirmat Innoc.

Epiſcopus Sueſſionum cum magna multitudine Conſtantinopolim adyt.

a Ep. 150.

b Rob. de Monte ap. pend. ad chron. Sigeb.

IESV CHRISTI
Annus 1208.

INNOCENTII PP. III. annus 11. — VACAT IMP. OCCID. an. 11. HENRICI IMP. an. 3.

1 Assurrexerat penè ad votorum cumulum Philippus Sueuus, atque Othonis fracta potentia, diſſipatis eius amicis, atque ad ſe pellectis, tum quod rei caput videbatur, conciliato ſibi Innocentio atque Eccleſiæ gratia comparata, agente Pontifice pacem cum Othone agitabat, qua ſibi Imperium firmaret atque Othonem iuncta illi thoro filia arctiſſimis vinculis aſtringeret, cum anno Chriſti milleſimo ducenteſimo octauo, vndecima indictione, Imperij, quod iamiam conſentientibus omnium votis erat conſecuturus, ſpem crudeliſſimi proditoris ſcelere cū vita amiſit; atque ita cæſo Philippo deiectæ Othonis res redintegratæ, Innocentioque annitente confirmatæ fuerunt. Sed antequam aggrediamur, de Philippi necis tempore breuiter dicendum eſt. illam in ſuperiorem annum refert Henricus Stero [a]: at aduerſantur cæteri auctores veteres grauiſſimi, videlicet Conradus abbas Vrſpergenſis [b], alter Conradus epiſcopus Maguntinæ hiſtoriæ ſcriptor [c], Albertus abbas Stadenſis [d], Godefridus [e], Siffridus [f], Rigordus [g], Matthæus Pariſius [h], Richardus e ſancto Germano [i] chronicon Foſſænouæ [l], alijque plures: vt verò ſtrenuiſſimi ducis cædes patrata, ex Apoſtolicæ ſedis legato, rem ad Innocentium Papam ſcribente hiſtoriæ veritatem petamus.

Sanctiſſimo patri ſuo, ac domino Innocentio diuina prouidentia ſummo Pontifici Hug. miſeratione diuina Oſtien. & Velletren. epiſcopus, cum debita deuotione ſalutem.

Cùm eſſem in Mantua, ibique dominum . . Cardinalem corporis infirmitate grauatum per dies aliquot expectaſſem feria ſecunda proxima poſt feſtum Apoſtolorum Petri, & Pauli de morte domini Philippi graues inualuere rumores. *Et infra:* Sabbato proximo ante feſtum ſancti Ioannis Baptiſtæ, quo treguas interpoſitas Dominus præuiderat non ſine alterius exterminio terminari, dominus Philippus cum paucis de familia ſua exercitu in cāpo dimiſſo ciuitatē Papembergen. intrauit, eoque hora nona in palatio epiſcopi quieſcente, dictus Palatinus comes, cui dominus Philippus filiam dederat, & abſtulerat, cum duce Bauariæ, & marchione Iſtriæ fratre eiuſdem epiſcopi, & alijs decem viris armatis palatium, in quo dominus Philippus erat, ingreſſus, pulſanſque ad oſtium cameræ more admittitur conſueto. A quo cum Philippus verba iucunda & ioculatoria, ſicut conſueuerat, expectaret, ille ſtatim cultellum, quo erat accinctus exeruit, & D. Philippo gladio ludere prohibenti reſpondit: Non erit hic tibi ludus, & in continenti Dei timore poſtpoſito ipſum trāſfodit gladio, & Henrico imperij ſeneſcalco, facinus prohibere volenti, lætale vulnus infligens, eum quem iam occiderat, timens viuere, iugulauit, & ſic homicida fautorū ſuorum auxilio munitus exilijt, ac piaculare flagitiū, toto iam diſſoluto exercitu adhuc ſicut Domino placuit extitit impunitum. Officio igitur legationis iniunctæ iudicio diuini numinis expirante ad vos cum feſtinatione regredior, a quo iniuctus, licet obedire non renuens, ſum egreſſus.] Hactenus ille.

a Stero in annal. apud Canſ. antiq. lect. tom. 1. pag. 244.
b Vrſper. in chron. ann. 1208
c Conrad. chron. Maguntin.
d Stadenſ. in chron.
e Godef. in annal.
f Siffrid. epit. lib. 2.
g Rigord. hiſt. Fran. in Philippo Auguſt. Reg.
h Pariſ. hiſt. Ang.
i Richard. de ſancto Germ. in chron.
l Chron. Foſſæ nouæ Otho de ſancto Blaſio chron. et Elnoc. ſcriptor fragmenti hiſtoricis incert. auctor, alijq. eod. ann.
m Libell. Varia. ſuper neg. Rom. imp. ep. 153.

Palatinus in Philippum conſurat.

2 Iam pergratum lectori facturos arbitramur, ſi a legatis enarrata ex ijs, quæ paulò ante citati auctores tradunt, confirmare ſtudeamus. Verùm audiamus primùm, quæ a Philippo poſtremò peracta Godefridus [n] annalium monumentis impreſſit. Ait ergo Philippum ampliſſimam legationem ad Innocētium decreuiſſe, quam Aquileienſis patriarcha, alijque con-

n Godefr. in annal. hoc ann.

Oratores a Phil. miſſi ad Inn.

conspicui dignitate viri obiete (de qua ante Godefridum Vrspergensis a egit) vt nimirum cœptum pacis fœdus confirmaret, Adolphum pristinæ restitueret dignitati, atque ab Apostolica sede ornamenta Imperij obtineret: eam verò legationem honorificè susceptam ab Innocentio atque Adolphum benigno vultu exceptum, te tamen certis diebus vtrinque iactata, Brunonem archiepiscopatum adiudicasse, deque ea re ad Colonienses literas dedisse; pacis verò leges, quam legati conciliare cœperant, approbasse, ac legatos nimirum Hugonem ac Leonem, vt rem perficerent in Germaniam transmisisse: de quorum reditu Vrspergensis agit b, nosque inferius adducti a literis, quibus eam ipsis prouinciam demandauit, disseremus: eos verò cum Alpes transilijssent, infausto interfecti Philippi a comite Palatino rumore percussos fuisse. At legatos non in Italia, sed in Germania eum nuncium hausisse ipsi testantur, immo Innocentius literis suis significat, qui ipsis accepta Philippi nece eam prouinciam imposuit, vt cœptum de Philippi filia Othoni in matrimonium collocanda tractatum in opus perducerent, vt hoc pacto pax Germaniæ redderetur, atque vtraque pars aduersa in mutuam concordiam coalesceret. Sed de ea legatione anno sequenti.

a Vrsperg. in chron.

Pacis leges confirmatæ ab Innoc.

Legati ad rem perfic. missi in Germ.

b Id. ib.

3 Quæ porrò causa proditorem in Philippum efferarit, ab c Arnoldo Lubecensi, qui ea tempestate scribebat in Germania, accipere operæpretium est: *Sane Philippus Rex filiam suam Othoni, vtpote nobili viro desponsare decreuerat: sed quia idem Otho nimis erat crudelis, & inhumanus, mutata voluntate propositum desponsationis mutauerat, quod intelligens Otho palatinus pro filia Henrici ducis Poloniæ laborabat, dixitque Philippo Regi: Domine meminisse voluerus clementiam vestram, quam deuotus vobis semper fuerim, & quanta in seruitio vestro in præsenti guerra expenderim, & quanto apparatu nunc contra aduersarios vestros vobiscum procedere decreuerim. Ideo peto, vt nunc in modico pro me sitis, & literas commendaticias domino duci Poloniæ dirigatis, vt cœptum bene inchoatum, pactum videlicet desponsationis, vestra mediante maiestate melius consummetur. Cui Rex: Id quam deuotus faciam, & ille gauisus obtulit literas de instanti negotio ordinatas, & Rex: Vade, ait, & post modicum reuertere, & inuenies literas bullatas. Illo abeunte, mutata sunt literæ in contrarium, & signata bulla regia. Cumque Palatinus literas accepisset, perspexit in schedula maculam quandam exteriorem, sicque concepit suspicionem, veniensque ad suum quendam familiarem: Aperi, inquit, mihi literas, vt earum sciam tenorem, qui perspectis literis expauit, dicens: Rogo, vt Dei intuitu literas me vobis exponere non arctetis, quia nihil aliud nisi mortem mihi imminere video, si eas exposuero, sicque acceptis literis Palatinus alteri nimis importune insistebat, & ita tenorem ipsarum cognoscebat, vnde grauiter efferatus, nihil nisi mortem Regis animo versabat. Dissimulata tamen ira ad Philippum quasi iocundans, & congratulans intrabat. Vna igitur dierum Philippo secretius in cubiculo consistente, quia medianam in vtroque brachio inciderat, Palatinus nudo gladio in atrio regali quasi ludens incedebat, sicque accedens ad cubiculum Regis, ostium clanculo pulsabat, & ingressus simili modo coram Rege se gerebat, cui Rex: Depone, ait, gladium, quia non est his locus modo. Et ille: Immo est locus, vt in perfidiam tuam luas. Et statim vno ictu ceruicem eius tetigit, nec secundum vulnus apposuit, cumque qui aderant, eum impetere vellent, ille aperto ostio violenter exiliens* fugam dedit.* Similia referunt Conradus d Vrspergensis & alij. Ex ijs quæ a Lubecensi audiuimus, facilè intelligitur, quid legati ad calcem prædictæ epistolæ significare velint, dum aiunt Philippum nequissimo proditori gladium exerenti, ludicram armorum tractationem vetuisse. In quam sententiam fragmenti historici incertus auctor hæc scriptis mandauit: a *Palatinus de Vvitesbach, qui lubricus erat, & multorum nobilium homicida, veniens sicut diu dolum in corde conceperat, introitum petijt, & impetrauit; spata extracta quasi ioculator ludum simulans nacta opportunitate Regem circa ceruicem percussit, & statim fugere cœpit, & de ictu illo vitam finiuit.* Sic auctor pergit Lubecensis.

c Arnold. Lubecen. chr. Slau. lib. 7. c. 14. Crantz. hist. Sax. lib. 7. c. 29.

Cur filiã suam Palatino desponsam, Philippus abstulerit.

Palatinus Philippũ occisurus ludum fingit.

* se in d Vrsperg. in chron.

a Fragm. hist. auctor hoc ann.

4 *Philippus tamen non sine ratione literas mutauerat, quia puella, quam Otho desponsare cupiebat, consanguinitate Philippum ex matre contingebat: ideoque Regi displicebat, vt vir tam crudelis & impius & imprudens tam nobili virgini iungeretur. Idem quoque Palatinus crudelitate nimia quendã de melioribus terræ, Vvolff nomine, occiderat: vnde grauiter Philippum offenderat, ipsius tamen regnum cessauit tali facta consummatione, quam consummationem cuidam spirituali viro in Racesburg per visionem manifestare Deus dignatus fuit his verbis: Anno M. CC. VIII. erit consummatio: quæ quidem consummatio ignota fuit, sed circa festum beati Ioannis Baptistæ ipso anno tali modo impleta est.* Hæc ille, atque ex ipso alij. Cæterùm Philippi necem Vrspergensis x. kal. iulij, Stadensis b, Godefridus c, Siffridus d & alij XI. accidisse affirmant. Quod ad sepulturam attinet, illum Bambergæ tumulo mandatum Lubecensis & Godefridus, Stadensis tamen ac Siffridus Spiræ asserunt, sed vtrumque conciliatur, primò enim Bambergæ, vbi necatus terræ redditus fuit, at postea Spiram a Friderico Imperatore nepote suo translatus, quod Vrspergensis e fragmenti historici incertus f auctor, alijque memoriæ commendarunt. Verùm, vt tanti Principis sepulchrum suis titulis decoretur, sint sepulchralis instar epitaphij, quæ de illo Lubecensis subijcit: *Cecidit vir nobilis & potens, multis adornatus virtutibus, erat enim vir mansuetus & humilis, & admodum affabilis, & quia literatus erat, diuina deuotus valde frequentabat. Et cum in ecclesia inter alios lectiones vel responsoria recitaret, clericos siue scholares pauperes a se non remouebat, sed quasi conscholasticos eos habebat. De cuius tamen morte turbata est terra: fit mæror omnium, vna voce plangentium, heu heu cecidit Princeps noster, cessauit gloria nostra, versus est in luctum chorus noster, Imperium a nobis translatum est, & regnum alterius gentis factum est.* Denique silentio præteriri non potest, Philippum malè audisse g, cum pecuniæ ad militum stipendia deficerent, non modò prædia, verùm etiam ecclesias pignori tradidisse. Quare Vrspergensis, cæteroqui plus æquo illius studiosus, iure ac meritò tyranni gladio Deo vindice cecidisse exclamat, qui primus ecclesias tyrannis tradere ausus esset.

Mors Philippi diuinitus, sed obscurè ostensa.

b Stad vbi supra.

c Godefr. in annal. hoc anno.

d Siff. vbi supra.

e Vrsperg. in chron.

f Frag. hist. auct.

Philippi affabilitas.

g Vrsperg. & ex ipso Naucl. chron. an. 1208.

5 Demum piaculare crimen quod dum legati scriberent, adhuc (vt aiunt) impunitum, haud diu inultum mansit, meritas luente pœnas sæuissimo proditore, præterquam quod nonnulli ex laudatis auctoribus, alijque tradunt h ab Othone Rege ob Philippum occisum, proscriptum, dignitatesque ac bona alteri in perpetuum collata, in quo Dauidem imitatus Otho egregium Christianis principibus iustitiæ exemplum explicuit, vtque in similibus sese gerere debeant, documentum reliquit, haud multo post proditor nefarius debito supplicio superstes crudeliter interfectus est, vt plures testantur i: ex quibus Cæsarius l hæc de eius sæuitia ac nece: *Bertolphus Palatinus de Vvitillimbach, Philippi interfector, quem alij Othonem appellant ipse Bertolphum nominat: Iudex erat seuerissimus, ita vt furibus etiam pro damno vnius oboli vitam auferret. & sicut a quodam abbate audiui, quotiens exiuit, laqueos cingulo suo appendit, ne reorum pœna caperet dilationem. Sic quodam mane surgens, & laqueum cingulo suo solito subnectens, huiusmodi vocem in aere audiuit: Bertolphe, quicumque tibi egresso de castro tuo primus occur-*

h Arnold. Lubec. chr. Slau. lib 7 cap. 16. Otho de S. Blasio Godef. hoc anno Crãt. hist. Sax. lib 7. c. 29

i Arn. Lubecen. vbi supra. Conrad. Vrsperg. in chronic. Stero an. anno. apud Canis. to. 1. pag. 344. Godef. in annal. fragm. hist. auct. & alij Chronic. Elnacen. auctor Crantz. vbi supra alijque.

l Cæs. lib. 6. c. 16.

rerit, hoc laqueo eum suspendas: qui vocem pro omine accipiens, mox, vt egressus est, occurrit ei quidam Scultetus suus primo: quo viso, eum satis dolenet, eo quod bonum eum diligeret, dicebat illi: Doleo de occursu tuo, cui ille respondit: Quare? cui ille: Quia suspenderis. Et ille: Quare suspendar? respondente illi Palatino: Nescio, sed praepara te ad confessionem, & ordina de rebus tuis, quia voci diuinae resistere non debeo, ille videns aliter esse non posse, ait: Iustus est Dominus, ego plures in domum meam declinantes insequens occidi, multis sua rapui, nec tibi domino meo vnquam fidelis existi, neque pauperibus peperci, & mirati sunt omnes audientes eius confessionem, & cognouerunt in eius morte peccati poenam esse a Deo. Et quia idem Palatinus sine misericordia iudicauit, cum in vltionem Philippi Regis, quem occiderat, ab Henrico mareschalco eius interficeretur, misericordiam quaesiuit, nec inuenit. Non aequum iudicium, nec a Deo praeceptum, vt minor & maior culpa simili poena plectantur.

Diuinae iustitiae insigne exemplũ.

6 Caeterum Innocentius Rom. Pontifex statim, vt de Philippi nece certior factus fuit, ne quisquam maximo Christianae Reip. detrimento in eius locum sufficeretur, Othonique Imperium stabiliret, omnibus neruis incubuit, quod datae hoc anno de his rebus literae demonstrant, in primisque illam afferemus, quae in Vaticano libello [a] prior ordine habetur ad Othonem missa: *Nouit ille, qui scrutator est cordium, & cognitor secretorum, quod personam tuam de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta diligimus & ad honorem, & profectum tuum efficaciter aspiramus, Sicut opera manifestant, quae pro te non dubitauimus exercere. Licet autem te deseruerint quasi solum amici pariter, & propinqui, nos tamen in tua dilectione constantes, ea studio diligenti non destitimus operari, quae secundum tempus tibi credimus expedire, vigilantes pro te quando tu forsitan dormiebas, quin etiam propter te multa passi sumus aduersa, quae nec etiam tibi voluimus intimare, cum aduersitas te premebat, quidam enim ciuium Romanorum aduersarij sui corrupti pecunia grauem seditionem aduersus nos commouerunt in vrbe, consanguineis nostris multa damna, & opprobria inferentes, nosque non sine multis & magnis expensis seditionem populi potuimus mitigare.* excitatas in vrbe plures seditiones describit vitae Innocentij auctor [b], quarum Ioannem Petri Leonis Ranerij, & Ioannem Capocium incentores ait, ac populum in Pontificem incitare conatos atque ob recuperatam creandi senatoris auctoritatem Sabinamque & maritimam receptas inuidiã conflasse, dein Vrsifilios Caelestini Papae nepotes tumultuatos, demumque vrbis potentiores in mutua odia efferatos mutuis se cladibus attriuisse, quos in concordiam Pontifex adducere operam dedit, licet consulerent plerique eos inuicem se opprimere sineret, ac licet in admittendis pacis legibus diffiderent initio eum ea inter caeteras inserta esset, vt senatum ad ecclesiam pertinere agnoscerent, tandem bello fessos consensisse.

a Libell. Vat. sup. neg. imper ep. 154.

Romani aduersus Pontifici concitati.

b Gest. Innoc. auct.

7 *Dixerunt*, inquit, *quod ad summum Pontificem pertinebat creare senatum, sed quoniam vnus reperiri non poterat, qui esset vtrique parti communis, consulebant domino Papae, vt concederet populo quinquaginta sex senatores, qui praeuidens illis quod per tot senatores vrbs commode regi non poterat quoniam ad inuicem discordarent, pro instanti tamen necessitate annuit postulatis. Electi sunt igitur quinquaginta sex senatores, qui omnes iurauerunt domino Papae fidelitatem, & fidem, & inter praedictos discordantes talem qualem pacem fecerunt, coepitque vrbs a bellorum strepitu paululum respirare, & praedicti schismatici contra D. Papam, & Romanam Ecclesiam obloqui cessauerunt. In tantum ergo virtus & constantia D. Papae profecit, vt statum Ecclesiae, quasi de seruitute ad libertatem reduxit, vt non oporteret eam semper a persequentibus se redimere torquentibus tantum, vt extorquerent sancta, & omnium vna vox erat eademque sententia, quod ipse Pontifex flecti non poterat iniurijs vel offensis, sed obsequio & honore.* Vt verò ingens ille senatorum numerus susceptum munus adeo malè administrarit, vt populus vnum senatorem flagitare coactus fuerit, subijciunt acta: *Senatores autem, sicut D. Papa praedixerat, tam malè in officij regimine se gesserunt, vt a quolibet tam intra vrbem, quam extra maleficia committerentur impune, pace & iustitia penitus relegatis, vnde populus coepit eos adeo execrari, vt oportuerit D. Papam ad communem populi petitionem, vnum eis senatorem concedere, quantumcumque praefatis schismaticis displiceret, qui turbationis tempore publicè iactabant, quod nunquam de caetero D. Papa posset in vrbe vnicum constituere senatorem. Senator ergo per summum Pontificem substitutus pacem & iustitiam protinus reduxit in vrbe comprimens rebelles & praesumptores, nullusque contra illum audebat mutire, potentiam summi Pontificis reformidans.* haec auctor. Sed ad institutam orationem, a qua deflexímus, redeamus.

Romani agnoscunt rurũ esse Pontificij creare Senatorem.

Senatores 58 Romę creantur ab Innoc.

Gesta male a Senatoribus illis respublica.

Depositis 58 Senatoribus vnus tantum creatur.

8 Pollicitus est Othoni Innocentius, quamuis eius causa graues Romae seditiones tulisset, constanter incubiturum, ne Fridericus illi Germanicum sceptrum praeriperet: *Nunc autem aduersario tuo sublato de medio, ne contra te alius suscitetur, quamuis nepos ipsius iam tibi aduersarium se opponat, diligenti studio praecauimus ad promotionem tuam efficaciter intendentes, sicut Apostolica scripta testantur, quae pro te diuersis personis super varijs articulis destinamus &c.*]. Porrò extant eiusmodi Innocentij, quarum ipse meminit, epistolae, namque pluribus archiepiscopis, Aquileiensi patriarchae, eorumque suffraganeis missis literis [a], alium eligere Romanorum Regem, vel inungere seu coronare dimire sub anathematis poena ipso facto incurrenda vetuit: vniuersis principibus ecclesiasticis alijsque praecepit [b] Othonis partes omnino sequerentur, cumque iam ante Bohemorum Rex nuncijs, literisque Innocentio saepè significasset, non voluntate, sed necessitate coactum, ab Othonis partibus alienum se simulasse, ita illum Innocentius [c] adhortari atque vrgere: *Cum ergo ipsa necessitas diuino iudicio sit sublata, excusationem non haberes, si ei de caetero non impenderes auxilium & fauorem.* & paucis interiectis verbis subijcit: *Alioquin praeter diuinam offensam Apostolicam quoque censuram incurres, cum eidem Regi nouimus in suo iure deesse, qui sumus omnibus in sua iustitia debitores.* Eiusdem argumenti ad Thuringiae Lantgrauium, ad Brabantiae ducem, aliosque principes [d], qui praedicto Regi aliquando adhaeserant, literas dedit, Othonemque Salisburgensi, alijsque Germaniae archiepiscopis [e] Zaringiae [f], Morauiae, Saxoniae, Bauariae, atque Austriae ducibus & Misnensi, Brandeburgen. atque Landesbechen. marchionibus valde commendat atque in eo commendando precibus iussisque minas adiungit. Praeterea ad Anglorum Regem [g] eius auunculum, vt commendatum haberet, grauissimè scribit. Post haec perlatae ad ipsum fuere Othonis literae [h], quae cum rerum gestarum post Philippi interitum seriem enarrent, in medium videntur adducendae:

Sublato Philippo Fridericus Imperium affectat.

a Ibid. ep. 155.

b Ibid. ep. 156.

c Ibid. ep. 157.

d Ibid. post praed. ep.

e Ibid. ep. 158.

f Ibid. ep. 159.

g Ibid. ep. 160.

h Ibid. ep. 162.

Reuerendo in Christo patri ac domino charissimo D. Innocentio Dei gratia sanctae Romanae sedis summo Pontifici, Otho eadem gratia & sua Romanorum Rex & semper Augustus debitam subiectionem ac reuerentiam cum filiali dilectione.

9 Quod hactenus fuimus, quod sumus, aut erimus quantum ad regni pertinet promotionem, totum vobis, & Ecclesiae Romanae post Deum debentes, quod & gratantissimè recognoscimus, pro omnibus vestrae gratiae beneficijs vberrimas sanctitati vestrae referimus actiones, erga vos & omnes, qui-

bus

bus bonum vultis, exhibitam nobis benignitatem studiosissimè semper merituri. Vestræ proinde paternitati attentissimè supplicamus, vt intuitu omnis deuotionis nostræ, & honoris Dei, ac vestri ipsius, ac promotionis Ecclesiæ Romanæ respectu, ex quo misericordia Dei, vt speramus, consanguineo nostro sublato de medio, tempus vobis contulit faciendi, omne vestræ discretionis consilium, & auxilium nostræ promotioni, quæ sine dubio vestra est, propensius impendatis. Scire præterea vos volumus, quod archiepiscopus Magdeburgen. & Haluestadensis & Mindensis episcopi ad nostrum auxilium, & seruitium accesserant.] Habes Innocentij literas a ad Magdeburgensem archiepiscopum, quibus ipsi hac de re gratias agit. subdit Otho successus alios prosperos, ducem Bernardum Palatinum comitem proceresque multos atque antistites tam in Sueuia, quàm in Rhenanis prouincijs ad illius obsequium certatim confluxisse; tum rogat, vt Germanos, Italosque, qui nondum se ipsi subdidere, sua auctoritate ad eius partes pelliciat. *Et infra*: Rogamus item, vt si de ecclesia Bremensi & eius electis vobis, siue per Regem * Daciæ, siue per quemcunq; mentio facta fuerit, aut petitio eius negocij executionem vsque ad aduentum nuntiorum nostrorum, quos vobis super eo idoneos quàmtocyus mittemus, differatis scientes pro certo, quia secunda electio sicut & prior & contra Deum, & contra ius, & rationem facta est, & neutrius promotio, vel vobis vel nobis noscitur expedire.] Eiusmodi electi Vvaldemarus Sleuicensis episcopus, cuius supra meminimus, & Barchardus maior Bremensis præpositus fuere, vt Arnoldus Lubecensis testatur b. Subdit Vvaldemarum electoribus suis stipatum Pontificem adijsse, exceptumque honorificentissimè ab Innocentio, qui tamen promouere ipsum respuit, nisi de eius electione illustriùs constaret, eoque in aula pôtificia agente Hamburgensium ac Vvaldemari Daniæ Regis oratores accessisse, eiusque electioni aduersari cœpisse, atque sacramentum exposuisse, quo episcopus se deuinxerat, nunquam in eo loco acturum, in quo suspicionem aliquam sui, ac molestiam Regi mouere posset: hisque acceptis Innocentium Vvaldemarum electum custodiæ tradidisse, donec quid sibi agendum esset cum Cardinalibus decerneret; illum verò lapsum e custodia ad Philippum Sueuum nô petita a Pontifice facultate transfugisse, atque ab eo Bremam adductum, tum verò Innocentium lacessitum ea Vvaldemari audacia, ipsum exaratis ad Germanos literis fidelium communione depulisse.

a Ibid. ep. 163

* Daniæ

b Ibid. ep. 163.

c Arnol. Lub. chr. Slau. l. 7. c. 12. & 13.

10 Redimus ad Othonis literas, quibus finem hisce verbis imponit: Super omnia autem nos & causam nostram, imò vestram vestro subijcimus consilio & voluntati certissimi, quòd paternè erga nos cœpistis, in quo benè hactenus perseuerastis, ad laudem, & gloriam Dei, & Ecclesiæ Romanæ, & vtilitatem optime perficere debeatis.] Hæc Otho, cui Innocentius in hæc verba rescripsit c: *Priusquam ad nos fili charissime, post occasum Philippi quondam ducis Sueuia, quisquam ex parte tua nuncius cum literis peruenisset, peregimus vniuersa, quæ post a nobis per tuas literas postulasti, quin etiam scripsimus multis alijs, prout imminenti negotio credidimus expedire, parati semper efficere, qua ad honorem, & profectum tuum debeant redundare &c. Datum Soræ XIII. Kal. septemb. Pontif. nostri anno XI.* Ad id verò quod de cogendo apud Vvirceburg principum conuentu Otho scripserat, Innocentius eadem die rescripsit d: *Licet antequam ad nos per diuersos nuncios tua literæ peruenissent post occasum Philippi, omnia peregimus, quæ per easdem literas postulasti, audito tamen quod principes Alemanniæ apud Vvirceburch, in natiuitate beata Mariæ debeant conuenire de Imperio tractaturi, protinus per nuncium nostrum cum tuo ad eos literas Apostolicas destinauimus, quales promotioni tuæ credimus opportunas executorem mandati nostri constituentes dilectum filium Herbipolen. electum, de quo plenam fiduciam obtinemus.* Extant huiusmodi mandati literæ a.

d Cit. libel Vatic. ep. 162.

Necato Philippo Othonê euehere studet Innoc.

e Ibid. ep. 163.

a Ibid. ep. 164.

11 At quomodo Innocentius morē gesserit Othoni petenti, sicut vidimus, ad se quamprimum Maguntinum & Coloniensem archiepiscopos remitteret, Godefridus significare videtur, dum ait b Siffridum Maguntinum archiepiscopum capto Brunone metu victoris Colonia exeuntem ad Apostolicam sedem se contulisse atque in ecclesia S. Sabinæ, cuius titulo in Cardinalatu decoratus erat, biennio commoratum, ac Philippo interfecto reuersum in Germaniam, Lupaldum, qui sedi Maguntinæ per nefas incubabat, pepulisse, Brunonem etiam archiepiscopum Coloniensem redijsse, exceptumque a suis magno apparatu atque illi Adolphum, cæterosque nobiles se submisisse, prouinciamque compositam ac pacatam fuisse, sed paulo post ingenti luctu suorum gaudia morte inopina confudisse. Quod ad Adolphum Coloniensem olim archiepiscopum attinet, extat Innocentij data ad ipsum epistola c X. kalend. nouembr. excusanti enim se flagitantique causam suam in Germania cognoscendam idoneis viris mandaret, Pontifex iustis id de causis negat, sedique Apostolicæ sistere se iubet.

b Godef. in an. 1208. Siffridus Lupuldû Maguntia pellit.

Bruno restituitur Eccl. Coloniensi.

Eius mors

c Cit. libel Vat. ep. 206.

12 Sed rursus eundem Pontificem pro Othone laborantem intueamur; cum enim ab eo poposcisset Philippus Francorum Rex, ne Othoni vtpotè hosti suo adhæreret, Innocentius non modò assensit, verum hortatus est d, veteres cum illo susceptas inimicitias poneret.

Phil Gall Rex Otho inobilibit

d Ibid. ep. 165.

Innocentius, &c.

Nosse te quidem asseris, quod Romana Ecclesia præfatum Othonem, vt sæpe dictum Philippum posset deprimere, modis procurabat omnibus sublimare, attendens quod Fridericus pater & Henricus frater eiusdem Philippi multa mala ipsi Ecclesiæ irrogarant, & quia omnes filij prælati Friderici cesserunt in fata, nec aliquis de filijs eius extat, qui possit ad Imperium promoueri, nobis attentius supplicasti, ne ipsum Othonem ad Imperium promouere vellemus, quia nepos est Regis Anglorum, cû quo habes inimicitias capitales, & qui te multoties per satellites suos procurauit occidi, ac idem Otho cum olim comes Pictauien. existeret, terram tuâ, ecclesiasq; combussit, & tibi ac terræ tuæ mala omnia, quæ potuit irrogauit, nec aliquam inde satisfactionem impendit. siquidem persecutio Friderici ab Ecclesiæ mente non excidit, quæ profectò præter alia impedimenta, quæ Philippo ad Imperium obtinendum obstabant, non ex minima parte nos fecit ab ipsius declinare fauore, Dei zelotis exemplo peccata patrum in filios vsque in tertiam, & quartam progeniem vindicantis, in ijs maxime, qui oderunt eum, id est, in illis, qui contra ipsum paternum odium imitantur. Cæterum prouidentiam tuam in Domino commendamus, quod ita piæ deuotionis patrum tuorum memoria delectaris, vt tamen impietatem detesteris illorum, qui sunt Ecclesiâ persecuti. Sed cû Ludouicus illustris memoriæ pater tuus zelo Ecclesiasticæ religionis accensus non dubitauerit se opponere Friderico, quando in schismate gemebat Ecclesia, & Imperium in vnitate vigebat, quanto securius factus robustior patre tuo potuisti cessare a fauore Philippi Sueui filij Friderici, & fratris Henrici persecutorum Ecclesiæ, sæpe monitus, & rogatus a nobis, & maxime tempore quo schisma premebat Imperium, & vnitas Ecclesiam extollebat, præsertim cum ille causam foueret iniquam. Vnde cum tu ei duxeris adhærendum, qui erat offensus, & indeuotus Ecclesiæ habere pro indigno non debes, si

Illum Othoni conciliare nititur Innoc.

Quare Francorû Rex ab Othone alienus esset.

nos

nos fauimus in partem istius humilis, ac deuoti, cum tandem melius nos tibi cauere potuissemus ab isto, quam tu cauere nobis potuisses ab illo, eo quod vtique nos in isto, tu verò nequaquam iurisdictionem haberes in illo.

13 Præterea subiunxisti, quod idem Otho nunquam posset in Imperium sublimari, quin in tuum ac regni tui, & ecclesiarum dispendium redundaret. Enimuerò tanta deuotione regnum tuum Ecclesiæ, tantaque dilectione illa illi est coniuncta, vt neutri sine alterius læsione possit contingere detrimentum. Quod vtique nos solicite attendentes, non tua requisitione iamdudum, sed affectu, quem circa te gerimus prouocati indemnitati tuæ, ac Regni tui super hoc curauimus præcauere, certa promissione ab eodem Othone recepta sub aurea bulla scripto pariter, & iuramento firmata, quod de pace, vel concordia tecum componenda, & obseruanda nostro per omnia parebit arbitrio & mandato, sicut nuncij tui quibus rescriptum ipsius ostendimus intuendum, tam de ipsa, quam de alijs circumstantijs, de quibus contulimus, cum eisdem tuæ regali prudentiæ viua voce poterunt enarrare. Cum itaque videatur rebus taliter se habentibus expedire, vt ad faciendum inter vos pacem, & concordiam intendere debeamus, tu modum, & formam pacis, & concordiæ pertractandæ si eam duxeris acceptandam, nobis poteris intimare, nosque tua voluntate comperta dante Deo ad ipsam quanto certius, tanto efficacius procedemus. Præterea super eo quod de Imperij ciuitatibus tuo regno vicinis per tuas nobis literas suggessisti, tua regalis prudentia diligenter aduertat, vtrum tibi, vel tuo regno expediat, vt ad res Imperij manum mittas. *Dat. Soræ xv. Kal. octobr. Pont. nostri anno* 11.] Huc vsque Innocentius. Postea verò nimirum pridie nonas decembris Othoni significauit, se complures principes, ad quos literas pro ipso dederat, quique Apostolicam sedem consuluerant, cui ipsos adhæsuros mallet, semel iterumque hortatum, ipsi pro viribus fauerēt, in his Aquileiensem patriarcham, Magdeburgensem archiepiscopum, Adolphum olim Coloniensem, Spirensem episcopum, Bohemiæ Regem, Austriæ & Zaringiæ duces. plures ex ijs extant Innocentij epistolæ. a

a Ibid. ep. 167 170. & c. vsq. ad 177.

14 At quomodo Othone Philippi ducis filiæ, cum qua cōsanguinitate erat coniunctus, nuptias cupiente, Innocentius lege ecclesiastica soluendum censuerit, ex Pontificijs literis licet agnoscere. b

b Id. ib. ep 169.

Dispensatio Othoni data.

Licet eodem duce defuncto dispensandi necessitas ex maiori parte cessauerit, quia tamen adhuc ad illam aspiras, sicut per tuas nobis literas intimasti, nos ex illa gratia speciali, quam ad tuam regalem personam & habuimus, & habemus, quod tunc circumspecta deliberatione prouidimus & nunc prouida circumspectione volumus adimplere, committendo legatis nostris duobus, vel vni quos, aut quem ad præsentiam tuam pro negocijs Ecclesiæ ac Imperij proposuimus destinare, vt si vrgens necessitas, vel euidens vtilitas postulauerit, super hoc auctoritate nostra dispensent. Dat. Lateran. non. decemb. Pontif. nostri anno 11. Cæterum tradit Lubecensis c Othonem in frequenti principum conuentu, qui hoc eodem anno B. Martini festo die Francofurti (at Lubecēsis Franckeneuorde habet) celebratus est, rogantibus illis spopondisse Beatricem Philippi filiam vxorem se ducturum, si consanguinitatis impedimenta remouerentur, additque: *Suscepit igitur eam cum patrimonio & diuitijs multis, & trecentis quinquaginta castris. ibi etiam repræsentata sunt domino Regi omnia imperialia cum plenitudine potestatis, & honoris, & beneuolentia, & fauoris.* Hæc Lubecensis paucisque adiectis verbis finem scribendi facit, ad calcem tamen quædam deesse videntur. Iis similia quæ ex auctore retulimus, tradunt Albertus Stadensis d, Otho de S. Blasio a, Godefridus b alijque recentiores. Nec taciti præterimus, quod in Fossæ nouæ chronico c extat, Innocentium tristi nuncio de Philippi nece accepto, duos designasse legatos, videlicet Vgolinum Hostiensem episcopum ac Leonem Brancaleonis S. Crucis presbyterum Cardinalem, eosque in Germaniam misisse, quo Regem Othonem ad insignia Imperij excipienda Romam perducerent. Sed de his anno sequenti.

c Lub. chr. Slau. l. 7. c. 6.

Pacata Germania Othonis cum Philippi filia nuptijs.

d Stad. in chr. eod. an.

a Otho de S. Blasio append. ad Othon. Frising. an. 1208.

b Godefr. in annal. eod. ann.

c Chr. Fossæ nouæ vbi sup.

15 Reliquum est, vt de Gallicis rebus sermonem instituamus, de quibus Robertus de Monte pauca hæc literis d commendauit: *Multi in Gallia cruces in pectoribus acceperunt, pugnaturi contra Albigenses hæreticos.* Sed Rigordus id fusius suis monumentis mandauit; Innocentium nimirum delendæ hæreseos auidum Gualterium S. Mariæ in porticu diaconum Cardinalem legati munere ornatum misisse in Gallias, atque ad Philippum Francorum Regem aliosque principes ardentissimas zelo literas misisse, vt Tolosanam, Cadurcensem, Albigensem, Narbonensem, Biterrensem, aliasque circumiectas regiones hæresi inquinatissimas bello peterent, & inuaderent, atque ob id crucem induentibus se auctoritate Apostolica omnium criminum veniam toto vitæ decursu commissorum, de quibus confessi apud sacerdotem essent impertiri. Eadem de amplissima delictorum indulgentia a Dei vicario ea de causa impertita refert historiæ Albigensium auctor. e

d Rob. de Mont. app. ad Sigeb. an. 1208.

Bellum sacrum in Albigen.

Mouit verò maxime Pontificem ad cogendam sacram militiam, atque in hæreticos effundendam mors F. Petri de Castro nouo, qui cum relictis alijs socijs in Prouinciam ad componēdam pacem se contulisset, vt Prouincialium ope Narbonenses ab hæresi reuocaret, Remundum Tolosanum osorem pacis censuris ecclesiasticis, quem nobilibus prouinciæ coniunctis fœdere, atque in arma coortis ad pacem admittendam firmandamque sacramento compulerat, atque ob crebra eius periuria durioribus sæpius verbis perstrinxerat: vnde illius contracto odio Remundus subornauit perditissimos satellites, qui legatum Rhodanum traiecturum hasta transfodere. Describit illius mortem, & causam Innocentius in literis Pontificijs hoc anno datis f, quibus in illius necis artificem Remundum fulminauit.

e Petrus Vallis. c. 8.

Petrus de Castro nouo necatur odium Remundi concitat.

f Recitantur a Petr. Vallis. c. 8.

g Lib. 11. ep. 26.

Innocentius episcopus seruus seruorum Dei dilectis filijs nobilibus viris, comitibus, baronibus & vniuersis militibus, per Narbonensem, Arelatensem Ebredunensem, Aquensem, & Viennensem prouincias constitutis salutem & Apostolicam benedictionem.

Rem credulam audiuimus, & in communem luctum generalis Ecclesiæ deducendam, quod cum sanctæ memoriæ F. Petrus de Castronouo monachus & sacerdos, vir inter viros vtique virtuosus, vita, scientia, & fama præclarus, ad euangelizandam pacem & confirmandam fidem in prouincia Auxitana cum alijs destinatus in commisso sibi ministerio laudabiliter profecisset, & proficere non cessaret: quippe qui plene in schola Christi didicerat, quod doceret, & qui secundum doctrinam & fidelem obtinendo sermonem, in sana poterat exhortari doctrina & contradicentes reuincere paratus omni poscenti semper reddere rationem, vt poterat vir in fide catholicus in lege peritus, in sermone facundus &c. Concitauit aduersus ipsum diabolus ministrum suum comitem Tolosanum Remundum, qui pro multis & magnis excessibus, quos in ecclesiam commiserat & in Deum sæpe censuram ecclesiasticam incurrerat & sicut homo versipellis & callidus lubricus & inconstans pœnitudine simulata fuerat absolutus, tandem odium continere non præualens, quod cœperat contra ipsum, eo quod erat in ore eius verbum veritatis ad faciendam vindictam in nationibus & increpationes in populis, ac eo fortius in

eo-

eodem comite quo magis pro maioribus erat ipse facinoribus increpandus, tam ipsum, quam collegam suum Apostolicæ sedis legatos ad villam S. Aegidij conuocauit, promittens super cunctis quibus impetebatur capitulis satisfactionem plenariam exhibere.

16 Cum autem conuenientibus illis in villam prædictam præfatus comes salutaria monita sibi facta modo velut verax & facilis proponeret se facturum, & modo velut fallax & durus ea prorsus facere recusaret, volentibus illis demum ab eadem villa recedere, mortem est publicè comminatus, dicens, quod quocumque vel per terram diuertant vel per aquam vigilanter eorum obseruaret egressum: & cōfestim dictis facta compensans, complices suos ad exquisitas insidias destinauit. cumque verò nec ad preces dilecti filij abbatis S. Aegidij, nec instantia consulum & burgensium furoris sui mitigari insania potuisset, ipsi eos inuito comite nimiumque dolente, cum armatæ manus præsidio prope ripam Rhodani fluuij deduxerunt, vbi nocte quieuerunt instante quibusdam eiusdem comitis satellitibus ipsis prorsus ignotis hospitantibus cum eisdem, qui sicut apparuit in effectu sanguinem quærebant eorum. In crastino itaque mane facto & missa celebrata de more cum innocui Christi milites ad transitum se fluminis præpararent, vnus de prædictis sathanæ satellitibus, lanceam suam vibrans, prænominatum Petrum supra Christum petram immobili firmitate fundatum, tantæ proditionis incautum, inter costas inferius vulnerauit, qui prius ipsum respiciens percussorem, & Christi magistri sui cum B. Stephano secutus exemplum, dixit ad ipsum: Deus tibi dimittas, quia ego dimitto, pietatis & patientiæ verbum sæpius repetendo. Deinde sic transfixus, acerbitatem illati vulneris spe cælestium est oblitus, & instanti suæ pretiosæ mortis articulo, cum ministerij sui socijs, qui fidem promouerent, & pacem non desinens ordinare post * iustas orationes in Christo feliciter obdormiuit.

Vt insidiæ a Remundo struct legato.

Extremæ martyris voces.

* inges

17 Qui profectò cum ob fidem & pacem, quibus nulla est prorsus causa laudabilior ad martyrium, sanguinem suum fuderit, clarisiam, vt credimus, miraculis coruscasset, nisi hoc illorum incredulitas impediret. De quorum similibus in Euangelio legitur, quia ibi virtutes Iesus non faciebat multas propter incredulitatem eorum, quia quamquam miracula non fidelibus, sed infidelibus sint in signum, Saluator tamen præsentatus Herodi, qui teste Luca valde gauisus est viso ipso pro eo quod signum aliquod ab eo fieri sperabat, & facere dedignatus est signum, & reddere interroganti responsum sciens quia incredulitas signorum, non credulitatis inductio, sed vanitatis illum admiratio delectabat. Licet autem ipsa praua generatio & peruersa Prouincialium non sit digna, vt tam cito, sicut forsitan ipsa quærit, de suo sibi martyre signum detur, expedisse tamen credimus, vt vnus ipse pro ipsa, ne tota pereat, moreretur, quæ contagio hæreticæ prauitatis infecta per interpellantem occisi sanguinem, a suo melius reuocetur errore: hoc est enim vetus sacrificium Iesu Christi hoc miraculosum ingenium Saluatoris, vt cum in suis esse victus putatur, tunc vincat fortius in eisdem & ea virtute qua ipse mortem moriendo destruxit, a superatis interdum famulis suis superatorem eorum faciat superari. Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, plurimum fructum affert.

Triumphat martyr cū occisus putatur.

18 Sperantes igitur, quod de morte huius fœcundissimi grani sit fructus in Christi Ecclesia prouenturus, cum profectò sit durè culpabilis & culpabiliter durus, cuius animam ipsius gladius non pertransit, nec vnquam penitus desperantes, cum vtilitas tanta debeat in sanguine suo esse, quod suæ prædicationis nuncijs circa memoratā Prouinciā, pro qua ipse in corruptionē descendit tanta Deus tribuat incremēta, venerabiles fratres nostros archiepiscopos eorumq; suffraganeos monendos duximus attētius, & hortandos per Spiritum sanctum in virtute obedientiæ districtè præcipiendo, vt verbum pacis & fidei seminatum, ab eo suæ prædicationis irriguis conualescere facientes & ad impugnandam hæreticā prauitatem, ac fidem catholicam confirmandam, ad extirpanda vitia & plantandas virtutes indefessæ studio sedulitatis instantes, iam dictum Dei famuli occisorem & vniuersos, quorum ope, vel opere consilio, vel fauore tantum facinus perpetrauit, receptatores quoque vel defensores illius ex parte omnipotentis Dei Patris, Filij, & Spiritus sancti, auctoritate quoque beatorum Apostolorum Petri, & Pauli & nostra, excommunicatos & anathematizatos per suas diœceses denuncient vniuersos, & omnia loca prorsus, ad quæ ipse, vel aliquis ipsorum deuenerint præsentibus eis interdicto faciant Ecclesiastico subiacere, singulis diebus dominicis & festiuis, pulsantibus campanis & candelis accensis, donec ad sedem Apostolicam accedentes per satisfactionem condignam mereantur absolui sententiam huiusmodi solemniter innouantes. Illi autem, qui orthodoxæ fidei zelo succensi ad vindicandum sanguinem iustum, qui de terra clamare non cessat ad cælum, donec ad confundendum subuersos, & subuersores de cælo descendat ad terram Deus vltionum, viriliter se accinxerint aduersus hos pestilentes, qui simul in vnum pacem & veritatem impugnant, suorum remissionem peccaminum a Deo eiusque vicario securè promittant indultam, vt eis labor huiusmodi ad operis satisfactionem sufficiat similiter illis offensis, pro quibus cordis contritionem & veram confessionem oris obtulerint vero Deo, huiusmodi siquidem pestilentes Prouinciales, non tam iam nostra diripere, sed nos perimere moliuntur, nec solum ad perimendas animas linguas acuūt, verum etiam ad perdenda corpora manus extendant perditores animarum effecti, & corporum peremptores, &c.]

Censuræ in occisores.

19 Dein in Remundum anathema intorquet, qui illius criminis infamia ob iactas in martyrem minas aspersus erat, subditos fidei sacramento liberat, terrasque saluo supremo dominij iure inuadentibus exponit: Licet autem præfatus comes pro multis & magnis flagitijs, quæ longum esset per omnia enarrare, iamdudum sit anathematis mucrone percussus, quia tamen certis indicijs mortis sancti viri præsumitur esse reus, non solum ex eo, quod publicè comminatus est ei mortem & insidias parauit eidem, verùm etiam ex eo quod occisorem ipsius in multam familiaritatem admisit, & magnis donis remunerauit eundem, vt de cæteris præsumptionibus taceamus, quæ plenius innotescunt multis. Ob hanc quoque causam, ijdem archiepiscopi, & episcopi publicè nuntient anathematizatum eundem, & cum iuxta sanctorum patrum canonicas sanctiones, ei qui fidem Deo non seruat, fides seruanda non sit, a communione fidelium segregato, vtpote qui vitandus est potius quam fouendus, omnes qui dicto comiti fidelitatis, seu societatis, aut fœderis huiusmodi iuramento tenentur astricti, auctoritate Apostolica denuntient interim absolutos, & cuilibet catholico viro licere saluo iure domini principalis, non solum persequi personam eiusdem, verum etiam occupare & detinere terram ipsius, illius præsertim obtentu quod ab hæresi per suam prudentiam fortiter expietur, quæ per illius nequitiam fuit hactenus turpiter sauciata & maculata, quia dignum est, vt manus omnium contra ipsum consurgant, cuius manus extitit contra omnes. Quod si nec sic vexatio dederit intellectum, manus no-

Pœnæ Remundo incussæ.

noſtras in eo curabimus aggrauare: ſi quo modo verò ſatisfactionem promiſerit exhibere, ipſum pœnitudinis ſuæ hæc ſigna præmittere oportebit, vt de toto poſſe ſuo depellat prauitatis hæreticæ ſectatores, & ſe paci ſatagat conciliare fraternæ, cum principaliter propter culpam quam in vtroque noſcitur commiſiſſe, in eum eccleſiaſtica fuerit prolata cenſura: quanquam ſi in ſuas iniquitates Deus voluerit obſeruare, vix poſſet congrue ſatisfacere non tantummodo pro ſe ipſo, ſed pro alia multitudine, quam in laqueum damnationis induxit.

20 Quia verò ſecundum ſententiam veritatis, timendi non ſunt, qui corpus occidunt, ſed ille, qui poteſt mittere corpus & animam in gehennam, confidimus & ſperamus in eo, qui vt a fidelibus ſuis timorem mortis auferret, mortuus die tertia reſurrexit, quod præfati hominis Dei mors, venerabili fratri noſtro Conſoranenſi epiſcopo & dilecto filio A. ..... abbati Ciſtercienſi Apoſtolicæ ſedis legatis, alijſque orthodoxæ fidei ſectatoribus non ſolum timorem non incutiet, ſed amorem accendet, vt eius exemplo, qui vitam æternam temporali morte feliciter eſt mercatus, animas ſuas in tam glorioſo certamine, ſi neceſſe fuerit, pro Chriſto ponere non formident. Vnde archiepiſcopis, & epiſcopis conſulendum duximus, admonendo, preces præceptis, præcepta precibus inculcantes, vt legatorum ipſorum ſalubribus monitis & mandatis efficaciter intendentes tanquam ſtrenuiſſimi commilitones aſſiſtant eidem in omnibus, quæ propter hæc ipſis duxerint iniungenda; Scientes quod ſententiam quam ipſi non ſolum in rebelles, ſed etiam in deſides promulgauerint, nos ratam haberi præcipimus & inuiolabiliter obſeruari. Eia igitur Chriſti milites, eia ſtrenui militiæ Chriſtianæ tyrones, moueat vos generalis Eccleſiæ gemitus: ſuccendat vos ad tantam Dei noſtri vindicandam iniuriam pius zelus. Memento te quia creator noſter noſtri non indiguit, cum nos fecit: qui quanquam noſtro ſeruitio non indigeat, vt quaſi per illud minus in agendo fatigetur, & ſua omnipotentia minor ſit, obſequio noſtro carens, occaſionem tamen in hoc articulo nobis tribuit acceptabiliter ſeruiendi.

Exortatio ad crucesignatos.

21 Cum igitur poſt interfectionem præfati iuſti eccleſia quæ in partibus illis eſt abſque conſolatore in triſtitia & mœrore ſedente fides euanuiſſe, perijſſe pax, hæretica peſtis & hoſtilis rabies fortius inualuiſſe dicatur, ac ſi potenter in eius nouitate procellæ non ſuccurratur eidem, penè penitus videbitur nauis eccleſiæ naufragari, vniuerſitatem veſtram monemus attentius & propenſius exhortamur, ac in tantæ neceſſitatis articulo in virtute Chriſti confidenter iniungimus, & in remiſſionem peccaminum indulgemus, quatenus tantis malis occurrere non tardetis, & ad pacificandum gentes illas, in eo, qui eſt Deus pacis & dilectionis, intendere procuretis: & quibuſcumque modis reuelauerit vobis Deus, hæreticam ibi ſtudeatis perfidiam abolere, ſectatores ipſius eò quam Sarracenus ſecurius, quò peiores ſunt illis, in manu forti & extento brachio impugnando; prænominatum etiam comitem, qui quaſi fœdus percuſſiſſet cum eadem morte, propria non recogitat; ſi forte vexatio ſibi tribuat intellectum, & impleta facies eius ignominia incipiat inquirere nomen Dei ad ſatisfaciendum nobis & Eccleſiæ, imo Deo ſuper eum oppreſſionē vrgendo, ipſum & fautores eiuſdem de caſtris Domini depellendo, & auferendo terras eorum, in quibus relegatis hæreticis habitatores catholici ſubrogentur, qui ſcilicet orthodoxæ fidei noſtræ diſciplinam in ſanctitate & iuſtitia ſeruiant coram Deo. *Dat. Laterani VI.... martij pontific. noſtri anno vndecimo.*]

22 Hic verò attexere lubet quæ Petrus Valliſern. de Remundo tradit eum a pueritia hæreticis addictiſſimum a, duos ex ijs ſub communi habitu ſemper in ſuo comitatu duxiſſe, vt inter eorum manus animam efflaret: ea enim ſtulta opinione erat imbutus, vt ſi morienti quamuis omnium ſcelerum probris inquinatiſſimo illorum manus impoſita fuiſſet, in cœlum euolare præſideret; ſi quando hæretici quædam ad illum munuſcula mitterent, ea in ſummo pretio habuiſſe ſæpius flexis in terram genibus eos adoraſſe, libaſſe oſcula, ſibique impertiri benedictionem flagitaſſe. Præterea celebrabantur noctu in eius palatio hæreticorum conciones, blaſphema ſæpius horrenda in mundi conditorem euomebat, adeo vt re ex voto non ſuccedente aliquando ſacrilegè iactaret vel ex eo conſtare diabolum orbem molitum; adeo diuina ſpernebat, vt ſacerdotem ſacris incumbentem dum ſe ad populum verteret, diceretque: Dominus vobiſcum, mimo præciperet, vt illius geſtus per ludibrium adumbraret; adeo hæreticorum ineptijs faſcinatus, vt ſomnijs veluti oraculis fidem adhiberet, & Ciſtercienſes ſaluari non poſſe iactaret, quòd oues alerent, quæ venerem exercebant, ipſeque homo ſalaciſſimus ſorore propria abutebatur ac patris ſui concubinas iam ab infantia ſua in delicijs habere conſueuerit. matrimonium pro libidine diſſoluebat, adeo, vt auctoris tempore adhuc tres illius vxores vitæ ſupereſſent, cæterùm lubricæ adeo & inconſtantis fidei, vt modò pœnitentiam ſimularet eccleſiæque reconciliari cuperet, mox declinato periculo ad hæreſim deflecteret præſtitamque fidem violaret.

a Ib. c. 4.

Remundi mores.

23 Atque vt eò, vnde declinauit, redeat oratio, cum Remundus b pontificiū in ſe vibratum anathema aēſiſſet, ſolutus fide ſibi præſtita ſubditos Pōtificis iuſſu, expeditionem crucesignatorum in eum conflandam, Fulconem Toloſanum & Nauarrum Conſoranenſem epiſcopos a præſulibus prouinciæ Narbonenſis, alijſque ad Pontificem miſſos Romæ aduerſus ipſum tem vrgere, deque abolenda hæreſi cum Innocentio agere, metu perfuſus oratores miſit, vt ſe in omnibus ad eccleſiæ faciendum ſatis ſignificarēt, rogarētque legatum mitteret, a quo anathematis vinculis liberaretur. Miſſus eſt in eam rem magiſter Milo Pontificis capellanus, cui Theodoſius canonicus Ianuenſis collega adiunctus, atque apud Montilium præſulum concilio hortatu abbatis Ciſtercienſis (de quo dixerat Pontifex Miloni: *Abbas Ciſtercij totum facit, & tu organum eius eris*) celebrato, dies Toloſano comiti apud Valentiam dicta, ſiſtentique ſeſe comiti ſpondentique in omnibus legato obtemperaturum imperatum eſt, vt oppida ſeptem, quæ in Prouincia obtinebat, cautionis ergo traderet, atq; etiam conſules Auenionenſes, Nemauſenſes, oppidique ſancti Georgij ſacramento adigerentur, Toloſano comiti hominij ac fidei iure non futuros aſtrictos, ſi legato non pareret, tum comitatus Ingruenſis S. R. E. fidei committeretur. Accepit duriſſimas leges adactus metu Toloſanus, dictaſque Prouinciæ arces magiſter Theodoſius a Milone eo vocatus ipſius iuſſu præſidiario milite firmans ſanctæ Romanæ Eccleſiæ nomine cuſtodiuit legatuſque in S. Aegidij oppido comitem ſolemni antiquo ritu abſoluit, quem nos ex Petro c afferimus.

b Ibid. c. 9. 10 11.

Miſſi legati ad eum emendandum.

Leges Remundo impoſitæ.

c Ib. c. 12.

Adductus eſt comes nudus ante fores eccleſiæ B. Aegidij, ibique coram legato, archiepiſcopis, & epiſcopis, qui ad hoc conuenerant pluſquam viginti, iurauit ſuper corpus Chriſti & ſanctorum reliquias, quæ ante fores eccleſiæ expoſitæ, cum magna veneratione & in multa copia, a prælatis tenebantur, quod mandatis S. R. Eccleſiæ in omnibus obediret. mox legatus ſtolam ad collum comitis poni fecit, ipſumque comitem per ſtolam arripiens abſolutum cum verberibus in eccleſiam introduxit. Nec ſilendum quod cum comes introduce-

Remundi pœnitentia publica.

duceretur, in ecclesiam, sicut diximus, S. Aegidij cum verberibus disponente Deo nullatenus de Ecclesia potuit exire præ turba per viam qua intrauerat, sed oportuit eum descendere in inferiora ecclesiæ, & per ante sepulchrum B. martyris F. Petri de Castro nouo, quem occidi fecerat, nudum transire. O iustum Dei iudicium! quem enim contempserat viuum, ei reuerentiam compulsus est exhibere & defuncto. Addit auctor illius martyris corpus summo Dei miraculo ab omni corruptionis labe purum ac integrum seruatum, suauissimumque odorem ex illius corpore vestibusque, cum refossum esset, efflasse: *Illud etiam notandum puto quod cum corpus prædicti martyris, qui in claustro monachorum S. Aegidij prius fuerat tumulatum, post longum tempus in ecclesiam transferretur, ita sanum inuentum est & illæsum, ac si ipsa die fuisset tumulatum, mira etiam odoris fragrantia de corpore sancti & vestibus emanauit.* Eadem a Godefrido monumentis consignata fuere. a

Martyris corpus suauem odorem spirat.

a Godef. in annal. an. 1208.

24 Persuaserat interim omnes regiones e Francia venturæ ac imminentis cruce insignitæ militiæ ad excindendos hæreticos fama ac terror, licet enim Tolosanus comes Ecclesiæ conciliatus esset, illius tamen nepos Biterrensis & Carcassonensis comes, alijque earum regionum prænobiles viri hæresim alebant. Eam ergo tempestatem a suo capite propulsaturus Tolosanus, ne suæ quoque terræ infectæ hæresi a crucesignatis occuparentur, ad artes confugit, cruceque a legato aduersus hæreticos insigniri postulat eamque induit, crucis opus clanculum impugnaturus ac disturbaturus, vti Petrus pluribus docet b. In ijs porro, qui aduersus Albigenses hæreticos sacrum crucis signum in Gallijs sumpsere, S. Guillelmus Bituricensis archiepiscopus fuit. Lectis namque Innocentij literis, vt catholicæ fidei ardentissimo zelo æstuabat, aduersus hæreticos accinxit sese, suosque impulit; de quo oculatus testis hæc memoriæ propagauit c: *In ijs autem facile primus fuit beatissimus primas noster Guillelmus, qui nō sine lacrymis multis magnoque animi mœrore, lectis publicè sanctissimi Pontificis literis instar Phinees zelo inflammatus est, crucemque vesti assuens, eam voluit virtutum suarum quasi coronidem, vel consummationem relinquere, vt ecclesiasticæ vnitatis perturbatoribus eliminatis, pacem ecclesiæ restitueret. Etsi autem esset imbecillis corpore, non tamen illi deerat animi constantia & fortitudo: nec tam erat senio fractus, quam ieiunio assiduisque vigilijs confectus. Igitur conuocatis subditis suis, exponit illis Christi Saluatoris beneficia humano generi collocata, crucis mysteria explicat: in ea sola eos gloriari docet, & vt se gratos declarent, hortatur, vt cruce se signari sinant contra crucis irrisores: profert illam Christi sententiam: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. His alijsque eius sermonibus egregiè animati pollicentur se quocumque intendere velit iter, illum alacriter secuturos. Et illi quidem promissis stetere suis, at sanctus episcopus prius e viuis excessit, quam posset voto suo satisfacere.* Quod ad crucesignatos attinet; plurima crucis signa e cælo in hominum multitudinem delabentia B. Mariæ Oignacensi diuinitus ostensa perhibent. Hæc enim in eius gestis d breuiter Iacobus Cardinalis de Vitriaco: *Triennio antequam cruce signarentur Christiani contra hæreticos Prouinciales, dixit se videre cruces in magnam hominum turbam e cælo copiosè descendentes, cum tamen nulla adhuc in nostra regione hæreticorum illorum mentio haberetur. Crebro tunc ei in spiritu tecum conquerendo dicebat dominus se terram illam ferè totam perdidisse, atque ex eis locis tanquam exulem profligatum esse.* Hæc ille. dolendum maximè huius annique sequentis Innocentij regesta deperijsse, vel tenebris obruta iacere, vnde multa de Albigensium hæresi, Innocentijque in ea extirpanda solicitudine plurima excerperemus.

Galli cruce induũt in hæreticos.

Remundi fraudes.

b Ib. c. 12.

c In eius vita apud Sur. to. 1. die 10. ian.

d Iac. de Vitriac. l. 2. eius vit. c. 7.

Cœleste ostensum de crucibus.

25 Hoc eodem anno S. Stephanus, qui prior Chartusiæ præfectus inuitus Innocentij repetitis iussis compulsus administrãdæ Diensi ecclesiæ imponitur, vt gestorum scriptor pluribus tradit a: ex quo reddemus, quæ ad illius consecrationem, rationemque temporis pertinent: *Quæsitus igitur*, inquit, *Stephanus & repertus*, in latebras enim se coniecerat, *precibus & præcepto cogitur electioni consentire: deductus verò a canonicis cum multo gaudio & honore Viennam, ibie a tribus archiepiscopis solemniter est consecratus anno gratiæ millesimo ducentesimo octauo.* hæc ille, corrigendus tamē dũ paulo ante affirmat B. Hugonem Lincolniensem episcopum ferè ante biennium e vita migrasse: eius enim obitus in annum ducentesimum supra millesimum incidit, vt suo loco vidimus. Interea ex Gallicis rebus ad Anglicanas sermonem conuertamus.

a Apud Sur. to. 5. die 7. sept.

26 Hoc anno, vt Matthæus Parisius b testatur, Innocentius Papa cum Ioannem Anglorum Regem nec blandis monitis, nec asperis minis, ad Stephanum nouum Cantuariensem Archiepiscopum excipiendum inflectere posset, regnum de Cardinalium consilio sacris interdixit, qua de re hæc Innocentij gesta: *Quod sic denique factum est*, nimirum Anglia interdicto percussa, *Domino mirabiliter operante, vt per totum Regnum Angliæ simul, ac semel curreret interdictum, quod tam districtè seruabatur vbique, vt præter pœnitentiam morientium & baptisma paruulorum nusquam celebraretur diuinum officium, aut exhiberetur ecclesiasticum Sacramentum, itaquod non solum monachorum, & clericorum, aut quorumlibet regularium, sed etiam episcoporum cadauera seruarentur extra cœmiterium inhumata. Quod demum Rex, propter generalem clamorem, sustinere non præualens, satisfactionem obtulit per nuncios, & literas suas, quam archiepiscopo in Flandria expectanti denunciauit hoc modo.*

b Matth. Par. hist. Ang. ann. 1208.

Sacris interdicitur Anglia.

Ioan. Rex flectitur ad pœnit.

Innocentius &c.

Charissimus in Christo filius noster Ioannes Rex Anglorum illustris nuper nobis per dilectum filium abbatem Belliloci literas huiusmodi destinauit, vt quæ nobis ex parte sua proponeret, crederemus: ipse verò proposuit, quod licet se in negotio Cantuarien. ecclesiæ reputaret multipliciter aggrauatum, ob deuotionem tamen, & reuerentiam, quam erga Romanam Ecclesiam, nostramque personam asserit se habere, paratus est sicut Cantuarien. episcopum te recipere ac tractare, præstita securitate tam tibi, quam tuis, quæ ad hoc visa fuerit opportuna, restitutionem plenariam ablatorum promittens, personis pariter & ecclesijs faciendo.] Refert enim Parisius, Ioannem Regem, vbi sacra a sacerdotibus in Anglia non fieri vidit, ira percitum, episcopatuum, abbatiarum, ac prioratuũ redditus fisco mancipasse; eumque præsules e monasterijs exire renuissent, nisi vi expellerentur, regij verò ministri vim inferre nulli vellent, cum Ioannes id minimè præcepisset, omnia ipsorum bona fisco addicta, tenuemque illis victum suppeditatum: clericorum etiam horrea imperante Rege clausa ac publicata, postremò plurimas grauissimasque religiosis & ecclesiasticis viris illatas iniurias. Pergit Pontifex: Monachos quoque Cantuarien. permittet ad ecclesiam suam redire, & manere securos, quamquam hoc sibi graue periculum videatur, ex eo quod in ipso negotio contra se credit eos de proditione machinatos, regalia verò in manu nostra posuit per eundem abbatem, vt nos ea pro nostro beneplacito conferamus: interrogatus autem cur non idem ipsa conferret, sed nobis potius traderet conferenda, respondit quod nondum animus eius potuerat inclinari, vt familiarē tibi gratiam exhiberet, &c.] Subdit Innoc. se Londoniensi & Vvigorniensi episco-

pis

pis prouinciam imposuisse, vt ipsi regalia Pontificis vice conferant, atque in ecclesiam Cantuariensem inducant; tum hortatur, vt ad colligendam regiam gratiam curam adhibeat, munusque commissum strenue exequatur. *Dat. Anagniæ VI. Kal. iunij pontificatus nostri anno XI.* At quomodo sublata fuerit interdicti censura, proximo anno dicetur. Addit Parisius: *Eodem anno*, hoc scilicet, *albi monachi in principio interdicti cessantes, postea ad mandatum primarij abbatis diuina celebrare præsumpserunt, sed hæc præsumptio cum ad summi Pontificis notitiam peruenisset, ad maiorem sui confusionem denuo sunt suspensi.*

Sorella expugnata.

27 Iam verò in Italiam recurrat oratio. MCCVIII. inquit Fossæ nouæ chronicon, *XI. Kal. martij anno decimo domini Innocentij Papæ*, quamuis si eius electio spectetur, annus vndecimus voluatur, *Sorella capta est & non. ianuarij Sora tradita est & a Theutonicorum tyrannide liberata. Factum est hoc per domini Innocentij Papæ III. sollers studium & laborem in manu camerarij sui domini Stephani*, eum e Fossa noua fuisse insinuat Richardus notarius a, *germani sui Riccardi, domini Cardinalis Petri de Sasso rectoris Campaniæ. Sora autem tulta est per abbatem Cassinensem Roffridum et Malgerium Sorellum & quosdam alios. Durauit hoc Theutonicorum iugum grauissimum 17. annis, per quos tota regio multifarie multisq; modis afflicta est & depaupertata per plurimum.* Et infra: *In ipso loco*, nimirum in Fossæ nouæ monasterio vbi tũ Pontifex morabatur, eò namque post celebratum Dominicæ ascensionis festum ex vrbe se contulit, postea vero ipsum S. Germanum venisse, ibique a Roffrido abbate cum Cardinalibus honorificentissimè exceptum, habitumque docet Richardus b: *dominus Riccardus frater D. Papæ factus est comes Soræ, & exaltatus, & buccina vociferatus per protonotarium a domino Friderico Rege Siciliæ pro hoc delegatum.* Quæ Innocentij vitæ auctor luculenter re a suo petita principio tradidit. Porro Ferentini dum esset Innocentius XI. kal. octob. (eo profectus per mensem ibi commoratus est, vt in Fossæ nouæ chronico traditur) Ricchardus Soranus comes eius frater fidei sacramentum Ioanni scriniario hoc eodem anno Innocentij Pontificatus XI. eidem Pontifici successoribusque detulit. Extat iuramenti exemplum in libro c, qui censuum inscribitur: *In nomine Domini anno incarnationis eiusdem MCCVIII. Pontificatus verò D. Innocentij Papæ III. anno XI. indict. XI. mense octob. die VI. comes Richardus de Sora iurauit fidelitatem, & fecit ligium homagium D. Papæ Innocentio, successoribus suis, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ in præsentia DD. Ioannis Albani Ioannis Sabinen. Nicolai Tusculan. Vgolini Ostiensis episcoporum, Cinthij tit. S. Laurentij in Lucina, Cinthij tit. SS. Ioannis & Pauli, Benedicti tit. S. Susannæ, Rogerij tit. S. Anastasiæ, Petri tit. S. Pudentianæ presbyterorum Cardinalium, & Ioannis S. Mariæ in Cosmedin. S.R.E. Cancellarij Ioannis S. Mariæ in via lata, Pelagij S. Luciæ in septem solijs diaconorum Cardinalium. Iurauit similiter facere guerram, & pacem ad mandatum ipsorum, salua fidelitate & mandato Regis Siciliæ: & idem D. Papa inuestiuit dictum comitem per cuppam argenteam deauratam præsentibus, consentientibus, & approbãtibus omnibus præscriptis episcopis, presbyteris, et diaconis Cardinalibus, iniungentibus mihi scriniario, vt huius iuramentum publicis literis exararem, &c.* Adiecta sunt testium nomina, quæ ad leuandum tædium a nobis prætermissa sunt.

a Rich. de S. Germ. in chron. hoc anno. Germani e Sicilia eiecti.

b Rich. l. c. Frater Innoc. creatur Soræ comes.

c Habetur in Bibl. Vat. Eius iurandũ Põtifici datũ

28 Postea verò Fridericus Siciliæ Rex Richardo comitatus iura firmauit hoc dato diplomate: d

d Extat ibid.

Fridericus Dei gratia Rex semper Augustus, & Rex Siciliæ dilecto Ricchardo comiti Sorano gratiam suam, & omne bonum.

Licet ad retribuenda digna pro meritis beatissimo patri, & domino Innocentio summo Pontifici germano tuo, nos insufficientes & impares reputemur, ne tamen iudicari debeamus ingrati, si nihil egerimus, quod gratiæ suæ debeat esse gratum, nos facientes ad præsens, quod possumus, in posterum (dante Domino) maiora facturi, omne ius, quod habemus in ciuitate Sorana cum Rocca Sorella, Arpino, arce Fontana, Pescho, Solido, Brocco, Rocca de Vino, quas dudum tibi concessimus, & heredibus tuis cum insula, & castelluccio, & terras Ioannis Pagani, quas tibi concessimus in baronias sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, a qua prædictas terras fatemur, & recognoscimus nos habere, in posterum concessimus & donauimus, ita tamen quod tu & heredes tui terras ipsas cum omnibus pertinentijs, & iuribus suis a Romana Ecclesia dumtaxat de cætero teneatis, de fidelitatis sibi præstito iuramento, seruientes eidem de ipsis, prout nobis seruire tenebamini, &c. Dat. Spiræ 5. id. octobris anno 3. Imperij indict. 4. Christi anno 1215.] De his satis, nonnulla nunc ad pietatem spectantia in huius anni calce congeremus.

Confirmatur ei a Frid. comitatus.

29 Iecit hoc anno sanctus Franciscus prima celsioris sanctitatis, ordinisque sui fundamenta, cum enim sacrum faciente sacerdote, illud ex Euangelio a audisset: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* Sibi eam regulam seruandam proposuit, & eremiticam, quam biennio induerat vestem, religioso habitu, quem postea suis præscripsit, hoc anno cõmutauit. b Hæc cum alijs auctoribus Lucas Vvadingus, qui de socijs proximo sequenti anno illi mirificè adiunctis, pluribus agit, quæ si copias ipsum consule, cum ordinis sui annales magna apud doctos laude accuratissime atque ingenti studio conscripserit.

Cõuersio S. Francisci.

a Matth. 10.

b Luc. Vvad. annal. min. ad calcem apparat.

Hoc eodẽ annò S. Andreæ Apostoli corpus Constãtinopoli Amalphim translatum, in illius ecclesiæ monumentis exaratũ est, quæ recenset Cardinalis Baronius, dum de eadem translatione in Romani Martyrologij notis mentionem facit; c eorum verò exemplum publica auctoritate munitum, in Vallicellana nostra bibliotheca asseruatur, sed in aliquibus emendatione eget. Porrò eo delatum est sacrum pignus a Petro tituli sancti Marcelli presbytero Cardinali ante in orientalibus regionibus, vt supra dictum est, legationis munere persuncto, qui Amalphitanus cum esset, patriam tanto munere decorare voluit. ibi verò Petrus Cardinalis laudibus cumulatur tum ob generis claritatem, tum ob bene legationem gestam, tum ob egregias animi dotes, quo nomine, præclaro hoc elogio insignitur: *Petrus sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli sancti Marcelli presbyter Cardinalis scientia, moribus, & honestate in Romana Ecclesia velut lucifer inter astra nitebat.* Hæc ibi, quæ proponere volumus, vt lector norit iure Innocentium in rebus magni põderis legationis onus, aliaque tanto viro imposuisse, vtque huiusmodi literis Petri sepulchrum decorari posset, de ipso enim vti iam defuncto suis literis post sequentem annum datis Innocentius meminit. d

S. Andreæ reliquiæ Amalphim translatæ.

c Bar. ad Rom. mar. die 9. mai f.

d Inn. l. 13 ep. 157.

IESV CHRISTI

Annus 1209.

INNOCENTII PP. III. annus 12. OTHONIS IMP. annus 1. HENRICI IMP. annus 4.

t EMersit ex ciuili intestinoque bello Germania, quo tamdiu concussa ac laniata fuerat, cum anno Christi millesimo ducentesimo nono indictione duodecima, sublato æmulo altero, Otho ab Innocentio summo Pontifice Romæ sacratus Imperator ac diademate solemni apparatu redimitus pacem adduxit. Id enim hoc obtigisse anno Innocentij Othonisque infra adducendæ literæ, veteresque scriptores communi sententia testantur: verùm antequam

Otho potitur Germanico sceptro.

quam ad eorum narrationem nos comparemus, quæ præcessere pro more nostro in medium afferemus. Igitur Innocentius acceptis primum ab Othone nuncijs, paucis rescriptis quibus suam ægritudinem
a Lib. Var. sup. neg. Rom. imp. ep. 178. significauit, monnit a blandè, instruxitque, qua ratione in mittendis ad sedem Apostolicam legationibus se gerere debeat.

Il. Regi Othoni in Romanor. Imp. electo.

Iucundus tuorum nunciorum aduentus ita nos est in ea, qua tenebamur ægritudinis molestia, consolatus, vt ex gratis rumoribus, quos de tuis successibus attulerunt, quadam medicinali virtute nos fecerit de languoris doloribus in sanitatis gaudia respirare. Licet autem super negotijs, pro quibus labores
Mittendi proceres pro corona petenda. præsentium, viros vtique prouidos, & fideles ad nostram præsentiam destinasti, consueuerint secundum morem antiquum maximè pro petitione imperialis coronæ magni principes ad sedem Apostolicam destinari, quia tamen hoc fuit magis in modum consultationis, quam peritionis propositum, & quod nondum est fi. etiam adhuc poterit fieri, nos qui, vt tuo deferre possimus honori, hoc æquanimiter ferimus ex gratia speciali, auditis & intellectis petitionibus, quas ijdem nuncij tuo nobis nomine porrexerunt, super earum aliquibus literas fieri mox præcepimus, sicut nouimus expedire, ac per legatos nostros, quos ad tuam regalem præsentiam e vestigio destinamus, gratum responsum tibi cum Deo tam super negocio matrimonij quam etiam super alijs impendemus, cum eos & ob hoc inter cætera specialiter prouidentimus destinandos, vt ad negocij tui robur ipsi, qui vice nostra fungentur, circa singula, quæ contingunt, auxilium tibi conferant opportunum, vt ex eorum aduentu honorificentia tibi maior accrescat. Adeo namque tuum zelamur honorem, vt honori nostro reputemus accrescere, quicquid per nos tuo regali accrescit honori, firmam gerentes de tua serenitate fiduciam, quod id ipsum de nobis aclanter affectes. *Dat. Later. non. ianuar. pon. nostri anno vndecimo.*]

2 Hactenus literæ Innocentij, qui alias paucis post diebus xv. kal. feb. ad eundē Othonem misit, vt videat
Pontificij consilij maturitas in dispensando. lector, quantam Romani Pontifices circumspectionē maturitatemq; consilij adhibere soliti fuerint, in principibus, quantumuis in celsiore fastigio dignitatis collocatis, ecclesiastica lege soluendis; rogante enim Othone matrimonium cum Philippi Sueuiæ ducis filia, consanguinitate sibi coniuncta, mire liceret, id
b Ibid. ep. 179. responsum dedit b. Pro adducenda quidem antea pace e re Christianæ reipublicæ futurum, si Philippi filiæ matrimonio iungeretur, cum verò iam ille e viuis sublatus fuerit, sublatam quoq; illius contrahendi & legis ecclesiasticæ relaxandæ causam videri; cum verò in pristino ducēdæ illius consilio perstet, ac magna inde vtilitatis spes affulgeat, se legatis Cardinalibus de consanguinitatis gradibus inquirendi ac in ea re statuendi prouinciam imposuisse. Duobus verò ante diebus, nimirum xvi i. Kalend. februar. pontificatus anno xi. ad eundem Othonem literas
c Ep. 180. dederat c, vbi, commendata primum ipsius pietate, ad perstandum in mutua coniunctione cohortatus, subdit se quædam illi postulata proponere, quæ ad compositam Imperium inter atque Ecclesiam concordiam perpetuò firmandam, atque ad tollendam posthac omnem discordiarum occasionem, & materiem plurimum valeant, quæque vti rationi consentanea, nullo prorsus modo negare deberet. Ad hæc igitur obtinenda, atque ad morem ipsi Regi gerendum in ijs, quæ per literas, ac nuncios suos postulauerat, dummodo intra recti honestique finea continerentur, mittere se air Hugonem Ostiensem episcopum, ac Leonem tituli S. Crucis presbyterum Cardinalem, Apostolicæ sedis legatos, quos tum
d Ep. 181. ipsi, tum Germaniæ d præsulibus principibusque plurimum commendauit; seorsum verò eodem die archiepiscopos, atque episcopos illos certiores fecit, a se eius matrimonij negocium ijsdem legatis a Ep. 181
commisisse. Cum verò in primis literis ad archiepiscopos, atque episcopos ac Germanicum clerum literis pontificiæ sollicitudinis magnitudo eniteat, eas annalibus summatim commendandas.

Archiepiscopis, & episcopis, & dilectis filijs abbatibus, & alys ecclesiarum prælatis in Theutonia constitutis.

3 Cum d acceptam Angelus dudum phialam iracundiæ Dei plenam in populos Theutonicos effudisset, effusa est contentio super principes eorumdem, d Ep. 181.
qui diuturni schismatis hostilitate contriti, quasi de Hugo &
torculari suæ contribulationis expressum calicem iræ Leo Cardd.
Dei profundum, & latum non solum ipsi bibere, verum etiam alijs propinarunt. Dominus autem, qui missi legati in Germaniam.
cogitat consilium non afflictionis, sed pacis, reprobans cōsilia principum, & cogitationes dissipans populorum, ab eis tandem discordiæ causam abstulit, ipsosque ad viam concordiæ reuocauit. Quapropter nos, qui ex officij nostri debito ad hoc scandalum remouendum indefessa sollicitudine laborauimus, non possumus non gaudere, quod fidelis Dominus sperantes in se tentari vltra quam possent sustinere non permisit, & in ira misericordiæ memor factus flagellum dignæ suæ indignationis auertit, faciens ita multos ipsius disciplina proficere, quod exercitatis per eam pacatum videtur fructum iustitiæ reddidisse, iam per Dei gratiam nō pœniteat nos constanter cursum cœpti cucurrisse certaminis. Iam feliciter Dominus labores nostri consummauit agonis, ism illa Gamalielis sententia nostrum probat a Domino processisse consilium, iam humana vis impedire non potuit cælestis voluntatis effectum. Nam Altissimus id disposuit, & quis potuit interrumpere? Omnipotens hoc decreuit, & quis valuit immutare? Æmulabaris hactenus te ad inuicem Theutonia omnis tu, & in partes diuisa, mutuis te animositatum tuarum simultatibus conterebas; immisso namque desuper in te spiritu circumferebare vertiginis, & erroris freno, quod iuxta prophetam erat in maxillis populorum, abducta per graues circuitus ducebaris, filij quippe tui fœdera fraterna dissoluerant, & inuidiæ sauciati liuoribus sese passim alter alterutrum trucidabant, vocauerat enim Dominus exercituum in te tempus, in quo iuxta vaticinium sancti viri, vir non parceret fratri suo, & quasi carnem brachij sui, immo quoque voraret Manassen Effraim, & Effraim offenderet Manassen.

4 Hinc igitur non tu sola, quinimo penè totus offendebatur populus Christianus, lugentibus equidem vijs Sion, ideo quod non essent, qui solemnitates dominicas visitarent; ora Deo canentium ex permagna parte conclusa torpebant, culruque diuino Dissensio imperij cladium Orientis causa.
per vsum bellicum minorato, hostilibus impendebatur excubijs quod spiritualibus vigilijs debebatur: denique Terra sancta debita sibi & lugebat, & luget suffragia defuisse, quæ pro peccatis nostris in extremam necessitatem perducta, operas, & impensas, quibus iuuari potuerat, in domesticæ cladis excidiū frustra pertransisse deplorat, vt de malis cæteris raceamus, quæ præter multiplicem desolationem regni dudum in seipso diuisi vniuersam quoque Dei Ecclesiam offendebant. Nos autem pericula tot, & tanta videntes, nimiaque scandalizantium charitate perusti duro compassionis eorum fixorio frigebamur, ac scientes opus iustitiæ pacem esse, iustitiæ non defuimus, donec Dominus de cælo prospexit, & multo a nobis studio procuratæ initia pacis dedit, potens adhuc in tantum eam sua gratia dilatare, vt iuxta prophetantis eloquium populus suus in pulcritudine pacis sedeat, & plebs eius in iustitiæ tabernacu-

lis ac requie opulenta quiescat. Quia igitur plagam, quæ de nouo circumligata est, negligi non oportet, eo quod custodita potest ad perfectam sanitatem proficere, neglecta verò in deteriorem corruptelam redire, venerabilem fratrem nostrum Hug. Ostien. episcopum, & dilectum filium Leonem tituli sanctæ Crucis presbyterum Cardinalem Apostolicæ sedis legatos, viros vtique prouidos, & honestos, quos inter cæteros fratres nostros speciali charitate diligimus, ad partes ipsas duximus destinandos, qui more prudentium medicorum, prout quæuis morbi cura poposcerit, vinum sciant, & oleum superfundere, ac pace iam ex parte in Imperio reformata, satagant vnumquemque perfectius informare: commissa sibi pariter potestate dissipandi, & euellendi, ædificandi nihilominus, & plantandi, quæ vtrorumlibet horum opera nouerint indigere. Quocirca vniuersitatem vestram rogamus attentius, & monemus per Apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes, quatenus eos, immo nos in ipsis, cum debito suscipientes honore prouidis monitis, & mandatis ipsorum efficaciter intendatis. Alioquin sententiam quam tulerint in rebelles, ratam habebimus, & vsque ad satisfactionem condignam auctore Domino faciemus inuiolabiliter obseruari. *Dat. Lat. 17. Kal. febr. Pontific. nostri an.* XI.]

Pabemberg. episc. Philipp. necis accusatus.

5 Aspersus fuerat Papembergensis episcopus conflatæ in Philippum coniurationis, ac societatis cum proditore initæ infamia, atque adeo Innocentius nefarij criminis vindex legatis partes imposuit, vt de episcopi causa cognoscerent: *Si super mem*, inquit [c], *claræ memoriæ Philippi ducis Sueuiæ accusatore contra eum legitimo comparente culpabilis coram vobis fuerit comprobatus, vos eum sublato cuiuslibet contradictionis, & appellationis obtentu, ab omni officio, & beneficio ecclesiastico deponatis. Alioquin indicatis ei purgationem canonicam, in qua si fortè defecerit, eadem ipsum censura damnetis. Quòd si legitimè se purgauerit, denuntietis eum super obiecto crimine penitus innocentem, ante omnia prouidentes, vt si quid contra eum vel eius ecclesiam perperam attentatum, in statum debitum reuocetur. Dat. vt supra*, scilicet XVII. *Kal. febr.* Quo item die Magdeburgensi archiepiscopo iniunxit [d], ad ea feliciter promouenda, quæ Hugo & Leo legati ei proposuerant, diligens studium gratiamque efficacem impenderet. Cùm verò Leo alter Apostolicæ sedis legatus ab Innocentio semel atque iterum S. Crucis presbyter dicatur, corrigendus est auctor recentior [e], qui episcopum Cardinalem Sabinensem vocat. De hac verò legatione ex antiquioribus neminem exactiùs agentem reperimus, quàm Othonem de S. Blasio nuncupatum, qui ad Othonem [f] Frisingensem appendicem adiecit: Scribit ergo ad firmandam inter Othonem ac principes, qui Philippo adhæserant, optatissimam concordiam nullum modum aptiorem reperiri potuisse quàm vt Otho Philippi filiam duceret vxorem; idemque Godefridus [g] & Vrspergensis [h] tradunt. Vt verò legis ecclesiasticæ vis remissa atq; obex consanguinitatis amotus fuerit, Otho e S. Blasio prosequitur: *Itaque ad hæc exequenda generalis curia a principibus apud Herbipolim indicitur, in octaua pentecostes. Principes igitur ex diuersis regni partibus ad hanc curiam conuenerunt, legatique ciuitatum Italiæ subiectionem offerentes interfuerunt, Othonemque regem regali ambitione coronata ciuitate, cum maximo tripudio susceperunt, ibique in palatium regale congregati, extructo tribunali, Rex conscendit Cardinales habens collaterales, reliquis principibus circumstantibus. Itaque Hugo Ostiensis episcopus Cardinalis primo exorsus, de causa regalis connubij pro qua conuenerant, rationabiliter latino idiomate allegauit; interpretem habens Virziburgensem episcopum Regique Othoni, vt pro bono pacis & concordiæ ad abolendam præteritorum malorum memoriam, cum filia illustrissimi principis Philippi matrimonium contraheret, auctoritate Dei & beati Petri, per Apostolicam obedientiam in remissionem peccatorum suorum præcepit.*

c Cit. lib. ep. 184.
d ibid. ep. 185.
e Crantz. hist. Sax. l. 7. c. 30.
f Otho de S. Blasio appen. ad Othon. Frising. ann. 1209.
Crantz. hist. Sax. l. 7. c. 30. 31 & alij.
Modus concordiæ inter Philipp. sequaces & Othonem.
g God. in ann.
h Vrsperg. chro. ann. 1209.
Otho Philipp. Sueu. filia ducit

Theodoricus Colonien. a Leodiensi episc. consecratus.

6 Quod rursus ad Theodoricum Coloniensem archiepiscopum pertinet, addit Godefridus illum hoc ipso anno octauo Pentecostes die, a Leodiensi episcopo coram suffraganeis suis, Coloniæ sacris episcopalibus initiatum. nec prætereunda silentio quæ Cæsarius de eius electione posteritati tradidit, obiecto cælesti viso B. Virginem viro pietate ac literis spectato ostendisse, illum dignitatem archiepiscopalem suos beneficio adepturum, atque postea eadem opera deiectum iri, quod egregias virtutes honoris fastu labefactaturus esset: *Mortuo* [a] *prædicto Brunone, & post occisionem Philippi Othone iam in regno confirmato, de successore in ecclesia Coloniensi satis tractabatur; Hermannus decanus Bonnensis, qui vir est, vt nosti, valde literatus, tam Deum eiusque genitricem, sicut ipse mihi retulit, toto cordis affectu deprecaretur, quatenus tanta ecclesiæ dignus præficeretur, nocte in visu eadem Virgo beata ei apparens, & librum aureis literis scriptum porrigens, ait: Defer librum istum episcopo. Nihil aliud in libro continebatur, nisi Angelica salutationes, id est Aue Maria, gratia plena. per librum intellexit episcopatum, quem cùm ferre vellet Ioanni episcopo Cameracensi, eo quod tam Rex quàm ipsi illi fauerent, probitatem illius cognoscentes, reuocauit eum beata Virgo dicens: Non Ioanni, sed Theoderico sanctorum Apostolorum præposito deferas illum. Quod si in episcopatu non se benè habuerit, sicut per me illum adeptus est, ita per me illo priuabitur. Semper in eius obsequio idem Theodoricus deuotus fuerat, & sicut* [*] *mihi notum est, quotidie missa eius quotidianæ vult interesse, nummum offerens singulis diebus. Tempore electionis, cùm Rex pro episcopo Cameracensi intercederet, eique ab electoribus responderetur, quod idioma terræ ignoraret, cessauit. Hoc ipsum prædixerat præfatus Hermannus. Tunc electores personis quatuor vota sua commiserunt, a quibus Theodoricus in antistitem electus: qui post dies paucos a malis consiliarijs in tantum deprauatus est, vt modicam haberet differentiam inter personas laicas & ecclesiasticas, inter rusticos & monachos, æquè ab his, vt ab alijs telonia recipiens, indebitis exactionibus vtrosque grauans. His alijsque actibus malis Dei Genitrix irritata, egit, sicut ex superiori visione colligitur, vt indignè satis a Moguntino deponeretur episcopo æmulo eius per electionem substituto.*

a Cæsar. l. 7. c. 41.
Ob pietatem in B. Virg. ad eã dignitaté assurgit Theodor.
* al. sibi
Prædictio de eiusd. priuatione ob ingrati animi vitiũ.
Honoris fastu virtutes corrũpit.

7 Quod prædictus auctor refert de Italiæ legatis, qui Herbipolensi conuentui interfuerunt, quique Imperatori designato sacramento se obstrinxere, Innocentij potissimum studio solicitudinique tribuendum videtur: hoc enim anno februario mense Insubres ad id solicitauit [b].

b Cit. lib. Vat. ep. 186

Potestatibus, consulibus & populis ciuitatum Lombardiæ.

Inn. hortatur Insubres iura Imperij seruent Othoni.

Quemadmodum vultis, vt charissimus in Christo filius noster illustris Rex Otho in Romanorum Imperatorem electus iura vestra vobis integra & illæsa conseruet, ita vos sibi debetis Imperij iura illæsa & integra conseruare: ad quæ vtrinque seruanda nos, qui summi mediatoris, licet indigni, locum obtinemus in terris, tam ipsum, quam vos debemus inducere studio diligenti. Cum igitur idem Rex venerabilem fratrem nostrum patriarcham Aquileien. legatum statuerit in Italia pro negocijs Imperij procurandis, vniuersitatem vestram duximus rogandam, & monendam, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eis super ijs, quæ ad ius Imperij pertinere noscuntur, efficaciter intendatis, vt sicut pro ipso apud vos interponimus partes nostras, ita si necessitas postulauerit, pro vobis apud ipsum partes nostras interponere debeamus. *Dat. Later.*

Pat. Aquilei. legatus Imperij in Italia.

Later. v. Kal. martij Pon. nostri anno duodecimo.] In eandem rationem, vt subditur, ad Tusciæ ciuitates, quæ ad Imperium pertinebant, scripsit, idque Aquileiensi [a] patriarchæ significauit, dum gratulatus est ob partes Othonianas, vti iusserat, defensas, susceptumque legationis in Italia gerendæ onus ab illo iniunctum: mandatque comitissæ Mathildis terram in Romanæ Ecclesiæ ditionem redigendam curaret: *Super eo verò, quod de terra comitissæ Mathildis nobis per latorem præsentium intimasti, hoc tibi duximus respondendum, vt eam ex mandato prædicti Regis repetas nomine nostro, & ad opus Ecclesiæ Romanæ recipias, si fuerit restituta, cum idem Rex eam nobis recuperare promiserit, sicut apparet ex rescripto literarum suarum, quarum tenorem præsenti pagina tibi mittimus interclusum.*

a Ibid. ep. 187.

Reposcit Inn. terrã comitissæ Mathildis

8 Non repulit preces Innocentij Otho, cum illius ope egeret, perlatæ enim hoc tempore ipsius literæ [b] fuere, quibus significabat Pontifici, certissimè se comperisse, Siciliæ Regem Henrici olim Imperatoris filium, Imperij quietem turbare, ac res nouas moliri, proptereaque rogare ne opera sua consilioque Fridericum iuuaret.

b Ibid. ep. 188.

Fridericus Imperiũ affectat.

Innocentio &c.

Paternitati [c] vestræ immensas exsoluentes gratiarum actiones, scire vos volumus certissimè, quod optatos euentus nostros post Deũ vobis adscribimus & omnem gloriam, qua diuina nos dignata fuerit clementia sublimare, cum Romana Ecclesia habere semper cupimus pro indiuiso, non immeritò perpendentes, quod ipsa nullo vnquam tempore suum nobis subtraxerit auxilium, & fauorem; siquidem sanctitati vestræ duximus intimandum a quibusdam veridica nos accepisse relatione, quod filius Imperatoris H.. damnum & malum nobis velit, & vt nostram & Imperij turbare velit quietem, idem quoscunque petitionibus & precibus, & præmijs ad hoc inducit, & hortatur: vnde cum Imperij tranquillitas, & regiæ eminentiæ finalis promotio a vestra adhuc, sicut hactenus, prudentia pendere videatur; apostolatus vestri æquitatem omni precum instantia rogamus, & monemus supplicantes vobis, quatenus præfato puero consilium, & auxilium vestrum ad sua contra nos subtrahatis negocia & ea quæ sibi ad præsens expedire possint, sicut de vobis confidimus, nullatenus faciatis sicut nobis & vobis vtile erit vsque dum Deo auxiliante nos ad partes Italiæ, & ad vos veniamus personaliter vobiscum collocuturi: sicut enim huc vsque in negocijs Imperij per omnia vestris obtemperauimus consilijs, & mandatis, sic quoque deinceps quæcunque iusseritis non recusabimus. & si Deus aliquando optatæ præsentiæ vestræ copiam nobis dederit, nos iuxta consilium vestrum pro communi commodo, & pace Ecclesiæ cum sæpefato puero ad honorem Imperij, & ipsius componere curabimus vtilitare. Cætera præsentium lator dilectus familiaris notarius noster magister H.. cuius dictis fidem adhibeatis indubitatam.]

c Ibid. ep. 188.

Officiosæ Othonis ad Innoc. lit.

Rogat ne Friderico faueat.

Promittit in omnibus se illius voluntatibus ac cõmodaturum.

9 Confudit postea hæc omnia promissa Otho insigni perfidia, cui futurorum nescius, vt docebat prudentia, respondit Innocentius, ita se Friderici pueri rebus commodisque consulturum, vt nullum Othonis rationibus damnum inferret. at ipsum hæc differentem Pontificem [d] audire refert.

d Ibid. ep. 189.

Ill. Regi Othoni in Romanor. Imp. electo.

Cum charissimus in Christo filius noster Fredericus Siciliæ Rex illustris tam ex paterna, quam ex materna dispositione finali sit Apostolicæ curæ ac tutelæ relictus, ipseque totum Regnum Siciliæ a Romana teneat, & recognoscat Ecclesia, sicut idem nobis tanquam vassallus domino, ratione fidelitatis debet astringi, sic nos idem tanquam dominus vassallo, ratione legalitatis debemus adesse: vnde super ijs, quæ ad regnum ipsius pertinere noscuntur, nec volumus, nec debemus ei nostrum subtrahere auxilium, vel fauorem, cum secundùm Apostolum omnibus simus in iustitia debitores. Porro nec ipsi nec alij nostrum contra te disposuimus fauorem, vel auxilium impertiri, quem tantopere studuimus promouere, cum pro certo speremus, quod sicut per tuas nobis literas intimasti, tuos optatos euentus post Deum nobis adscribas, & omnem gloriam, qua te diuina dignata fuerit clementia sublimare, cum Romana velis Ecclesia pro indiuiso semper habere, absque dubio recognoscens, quod deficientibus cæteris, ipsa tibi nunquam subtraxerit, sed suum semper impenderit auxilium, & fauorem. Receptis igitur, & intellectis apicibus, quos per dilectum filium latorem præsentium regalis nobis sublimitas destinauit, hoc tibi duximus rescribendum, quod de plenitudine gratiæ nostræ securus, de qua nec debuisti, nec debes aliquatenus dubitare, tuam secundum Deum exerceas potestatem, cum quo si corde puro recte processeris, ipse in viam salutis, & pacis diriget gressus tuos. *Dat. Later. vi. id. martij pontificatus nostri anno duodecimo.*]

Respondet Innoc ita Friderico profuturum vt Othoni non obsit.

10 Quo etiam mense sacramentum fidei ab Othone hisce verbis [a] conceptum pro Romana Ecclesia exhibitum est [b]: *In nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Otho quartus diuina fauente clementia Romanorum Rex, & semper Augustus. Recognoscentes ab eo nostræ promotionis donum misericorditer processisse, a quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum, ipsum eiusque vicarium, & sponsam eius sanctam Ecclesiam disposuimus, & decreuimus magnificè honorare, vt qui nobis in præsenti temporale contulit Regnum, in futuro quoque tribuat sempiternum. Proinde vobis reuerendissime pater, & domine summe Pontifex Innocenti, quem pro multis beneficijs nobis impensis sincerissimo veneramur affectu, vestrisque catholicis successoribus, & Ecclesiæ Rom. omnem obedientiam, honorificentiam, & reuerentiam semper simili corde, ac deuoto spiritu impendemus, quam prædecessores nostri Reges, & Imperatores catholici vestris antecessoribus impendisse noscuntur, nihil ex ijs volentes diminui, sed magis augeri, vt nostra deuotio clarius enitescat. Illum igitur abolere volentes abusum, quem interdum quidam prædecessorum nostrorum exercuisse dicuntur, in electionibus prælatorum concedimus, & sancimus, vt electiones prælatorum liberè, ac canonicè fiant, quatenus ille præficiatur ecclesiæ viduatæ, quem totum capitulum, vel maior, & sanior pars ipsius duxerit eligendum, dummodo nihil ei obstet de canonicis institutis. Appellationes autem in negocijs, & caussis ecclesiasticis ad Apostolicam sedem liberè fiant, earumque prosecutionem, siue processum nullus impedire præsumat. Illum quoque dimittimus, & refutamus abusum, quem in occupandis bonis decedentium prælatorum, aut etiam ecclesiarum vacantium nostri consueuerunt antecessores committere, pro motu propriæ voluntatis; omnia verò spiritualia vobis, & alijs ecclesiarum prælatis relinquimus liberè disponenda, vt quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo recta distributione reddantur. Super eradicando autem hæreticæ prauitatis errore auxilium dabimus, & operam efficacem.*

a Cit. lib. ep. 190.

b Bull. M. S. a Bened. xi. collect.

Othonis sacramentum Inn præstitũ.

Pollicetur præsulum electiones non inuasurum.

Deleturũ hæreticos.

11 *Possessiones etiam, quas Romana Ecclesia recuperauit ab antecessoribus nostris, seu quibuslibet alijs ante detentas, liberas, & quietas sibi dimittimus, & ipsam ad eas retinendas bona fide promittimus adiuuare. Quas verò nondum recuperauit, ad recuperandum pro viribus erimus adiutores, & quæcunque ad manus nostras deuenient, sine difficultate ei restituere satagemus. Ad has pertinet tota terra, quæ est a Radicofano vsque Ceperanum, Marchia Anconitana, ducatus Spoletanus, terra comitissæ Mathildis, comitatus Britennorij, exarchatus Rauennæ, Pentapolis, cum alijs adia-*

Omnes Ecclesiæ possessiones restitutũ iri.

adiacentibus terris, expressis in multis priuilegijs Imperatorum & Regum, a tempore Ludouici, vt eas habeat Romana Ecclesia in perpetuum cum omni iurisdictione, districtu, & honore suo: veruntamen cum ad recipiendam coronam Imperij, vel pro necessitatibus ecclesiæ ab Apostolica sede vocati venerimus, de mandato summi Pontificis recipiemus procurationes, siue fodrum ab illis. Adiutores etiam erimus ad retinendum, & defendendum Ecclesiæ Romanæ, regnum Siciliæ, ac cætera iura, quæ ad eam pertinere noscuntur, tanquam deuotus filius, & catholicus princeps. Vt autem hæc omnia memorato sanctissimo Patri nostro Innocentio sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici, eiusque successoribus per nos & nostros successores Romani Imperatores, & Reges obseruentur, firmaque & inconuulsa semper permaneant, præsens priuilegium conscriptum maiestatis nostræ aurea bulla iussimus communiri. Signum domini Othonis IV. Romanorum Regis inuictissimi. Ego Conradus Spirensis episcopus, vicedominus Siffridi Maguntini archiepiscopi & totius Germaniæ archicancellarij regalis aulæ cancellarius recognoui. Acta sunt hæc anno dominicæ incarnationis millesimo CCVIIII. indictione XII. regnante domino Othone quarto Romanorum Rege glorioso anno regni eius vndecimo. Datum apud Spiram XI. Kal. april.

Pro continenda in eius fide Sicil. operam datu. rum.

12 Extat quoque in libro priuilegiorum Romanæ Ecclesiæ, vbi simillimū proximè sequitur ab Othone datum tum temporis iusiurandum, quod in re tanti momenti prætereundum non censemus. *Ego Otho Dei gratia Romanorum Rex & semper Augustus, tibi domino meo Innocentio Papæ, tuisque successoribus & Ecclesiæ Romanæ spondeo, polliceor, promitto & iuro, quod omnes possessiones, honores, & iura Romanæ Ecclesiæ pro posse meo bona fide protegam & defendam; possessiones autem quas Ecclesia Romana recuperauit, quietas sibi dimittam, & ipsam ad eas retinendas bona fide iuuabo. Quas autem nondum recuperauit, adiutor ero ad recuperandum & retinendum secundum posse meum, ero sine fraude defensor, & quæcunque ad manus meas deuenient, sine difficultate restituere procurabo &c.* recenset, vt in superioris sacramenti forma, terras, quæ ad ditionem pontificiam spectent, ac pollicetur se ad continendam in fide & clientela sedis Apostolicæ Siciliam operam collocaturum, tum subdit: *Tibi etiam domino meo Innocentio Papæ, & successoribus tuis omnem obedientiam & honorificentiam exhibebo, quam deuoti & catholici Imperatores consueuerunt exhibere sedi Apostolicæ: stabo etiam ad consilium & arbitrium tuum, de bonis consuetudinibus pro populo Romano seruandis, & de negocio societatis Tusciæ ac Lombardiæ similiter etiam consilio tuo & mandato parebo. & si propter negocium meum oportuerit Ecclesiam Romanam incurrere guerram, subueniam ei, sicut necessitas postulauerit in expensis.* Hæc Otho. vtrumque verò iusiurandum insertum etiam est publicis actis a anno Christi MCCLXXII, cum Rodulphi nuncius Romæ in sacro consistorio ipsius nomine rata omnia priuilegia habuit ab alijs Imperatoribus Romanæ Ecclesiæ concessa.

Alia confirmatio iurium Rom. Eccl. facta ab Othone.

a Extat in lib. priuil. Rom.

13 Post hæc verò Otho, comparatis instructisque omnibus pro Imperij corona obtinenda Italiam ingressus est, cuius iter Otho de sancto Blasio exactissimè recenset, atque asserit primum ab eo Augustæ Vindelicorum Imperij comitia celebrata, dein valle Tridentina duxisse exercitum, Bononiamque peruenisse, atque ibi cum Italis principibus habitis alijs comitijs Mediolanum perrexisse, vbi copias Italis sibi coniunctis auxerit. In quam sententiam ait Godefridus b, Othonem magno cum apparatu Italiam hoc anno ingressum Insubriæque principibus sibi honoris gratia obuiam euntibus, honorificentissimè exceptum, vrbes, oppida, atque infinitam ex vectigalibus ab Henrici Imperatoris temporibus coactam pecuniam recepisse. Subdit Otho de sancto Blasio: ** Pyrenæum transiens Tusciam applicuit, nuncios ad dominum Apostolicum patriarcham Aquileiensem, & episcopum Spirensem cancellarium suum Romam præmisit. Qui ex persona regis, compositione imperialis consecrationis cum Apostolico facta, ad regem regrediuntur, ipsumque cum vniuerso exercitu ex parte domini Apostolici filiali, affectu compositionem consecrationis intimantes, salutauerunt.*

Othonis iter in Italiam.

b Godef. in Annalib. ann. 1209

* Apenninum.

14 Videamus quæ ipse de accessu suo, deque legatione quam mittebat ad Pontificem scripsit. a

a Libel. de negot. Imp. ep. 191.

Reuerendo in Christo domino, & patri suo dilectissimo Innocentio sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici Otho Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus salutem in Domino, & totius filialis dilectionis plenitudinem.

Cùm nos omnem honorem nostrum, quem obtinendo Romanum Imperium, licet cum multo labore, & sudore post Deum vobis adscribimus, non immeritò nobis de vobis est præsumendum, & in sanctitate vestra est confidendum, quod vos de omni prosperitate, & salute nostra sub affectu paternæ dilectionis nobis congaudere debeatis. Significamus igitur vestræ sanctitati, quod nos iuxta honorem nostrum, & Imperij feliciter dispositis & ordinatis in Alemannia nostris negotijs, cum exercitu forti, & glorioso montes magnos transiuimus, & iam ad Paduam transmeauimus processum ad vos, vt recipiamus a manu vestra benedicta benedictionem, & consecrationem diadematis Imperialis. *Et infra*: Receptis denique nūtijs vestris quos ad nos transmiseratis videlicet Andrea subdiacono & clerico vestro, & Thurando fratre hospitalis sancti Ioannis, auditis quoque omnibus ijs, quæ ipsi nobis ex parte vestra prudenter & discretè proposuerunt, & ijs plenè intellectis habito concilio principum, & fidelium, nuncios nostros honestos, & solemnes latores præsentium dilectos fideles nostros, videlicet Conradum Spirensem episcopum, & regalis aulæ nostræ cancellarium Brixinensem episcopum, Ioannem Cameracen. episcopum, & Henricum Mantuanum episcopum, & magistrum Henricum scholasticum sancti Gereonis in Colonia, Gunzilinum senescalcum nostrum, Cunonem camerarium nostrum H. . . de Finalneche viros vtique prouidos, & honestos ad præsentiam vestræ sanctitatis duximus destinandos, verbum nostrum ad vos deferendum ipsis plenissime committentes, &c. Mandamus igitur vobis, & omni precum vos instantia * vt vos ijs omnibus fidem indubitatam adhibeatis, quæ ipsi ex parte nostra vestræ proposuerint paternitati.]

Otho gratias agit Innoc. de obtento Imperio.

*rogamus

15 Hactenus Otho, ad quem rescribens Innocentius benignè atque honorificè eius oratores se excepisse ait, b ac Petrum Vrbis præfectum & magistrum Ph. notarium suum se mittere, hortaturque fidem illis præstet, suaque imperia exequi non negligat.

b ib. ep. 192.

Illustri Regi Othoni in Rom. Imp. electo.

Quantum auxilij & fauoris impendimus tibi charissime fili ad Imperium obtinendum, totus penè orbis agnoscit, & opera protestantur, quæ perhibent testimonium veritati, teste veritate, quæ dicit: Arbor ex fructu cognoscitur; idest charitas ab effectu. Licet ergo feruentes, & efficaces fuerimus ad tuum promouendum honorem tam in principio, quam in medio, longè tamen feruentiores, & efficaciores esse desideramus in fine, vt ex omni parte cognoscas dilectionis affectum, quem ad tuam regalem personam habemus, pro certo sperantes, quod tu semper tantæ dilectionis memor existens grata nobis curabis vicissitudine respondere, cum etsi tua nobis deuotio valde sit necessaria, nostra tamen dilectio multum sit

Gratulatur Innoc. Othoni beneficiorum memorem se præferenti.

tibi

tibi omni tempore opportuna. Recepimus igitur honorabilis tuæ sublimitatis nuncios honorifice ac benigne, quibus diligenter auditis gratū solito more curauimus dare responsum. Vt autē intentionis nostræ propositum tibi plenius innotescat, mittimus ad tuam regalem præsentiam dilectos filios nobilem virum Petrum Vrbis præfectum, & magistrum Ph. notarium nostrum, quibus fidem adhibeas super ijs, quæ tibi ex parte nostra duxerint proponenda, prouidens diligenter, vt consilium nostrum exequi non postponas.]

a ep. 193.

Othonis sacramentum de securitate Rom. dāda.

16 Cæterùm etsi palam non exprimit quidnam ab eo exegerit, id tamen fuisse arbitramur fidei sacramentum, quod proxime subijcitur a: *Otho Dei gratia Romanorum Rex, & semper Augustus. Notum fieri volumus vniuersis, præsentem paginam inspicientibus, quod nos iuramenta securitatis venerabilibus patribus nostris Innocentio Papæ, & Cardinalibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ & rerum ipsorum, & totius populi Romani in coronatione nostra illuc eundo, ibi stando, & inde redeundo, quæ principes, comites, barones, nobiles, & alij Imperij fideles de mandato nostro, & in nostra fecerunt præsentia, rata habemus, & ea secundum quod in scripto distinctum, & bona fide vtrinque est intellectum, nos obseruaturos promittimus, & firmiter, & inuiolabiliter faciemus obseruari. Datum in castris in monte Malo 4. non. octobris indict.* 13. Sed ad Othonis de sancto Blasio narrationem redeamus: *Qui mox ad vrbem tendens exercitum castra metari ante portas vrbis fecit: ipseque crastina die dominica ante festum sancti Michaelis, quod eo anno 5. Kal. octobris euenit* (b Godefridus id factum ait dominica proxima a festo sancti Michaelis III. non. octobris Parisius IV. non. octob. Verùm Fossæ nouæ chronicon infra reddendum * kal. octob. obtigisse testatur) *a D. Papa Innocētio, & a Romanis honorifice suscipitur, datoque sacramento coram ecclesia se iustum iudicem, ac viduarum & orphanorum tutorem, necnon ecclesiarum, & præcipue patrimonij sancti Petri defensorem pro posse existere, ab Apostolico consecratus coronatur, Imperatorisque & Augusti nomen, nonagesimus sextus ab Augusto*, ponitur ab alijs nonagesimus quartus, *sortitur. Consecrationem igitur desideratam adeptus cum magno tripudio ab vrbe recedens, in partes Tusciæ diuertit.* Hactenus Otho de sancto Blasio, hisque finem scribendi facit.

b Godef. in annal. an. 1209.

* al 5. kal.

Othonis in vrbem ingressus.

c Richar. de S. Ger. in chron.
d Rob. de Monte ap-pend. ad Sigeb.
e Stad. in chron.
f Vrsperg. hist.
f Godef. in annal.
g Par. hist. Angl. hoc anno.
h Dlugos. hist. Pol. l. 6.
* al. 5. Kal
Fossæ nou. chron. an. 1209.

Coronatur in ecclesia sancti Petri.

Solemni pompa ex Vrbe egreditur.

17 Cæterùm de Othone Imperij corona hoc anno redimito, agunt etiam c Richardus notarius, d Robertus de Monte, e Albertus Stadensis, f Conradus Vrspergensis, g Godefridus h fragmenti historici incertus auctor, i Matthæus Parisius, l & vt alios breuitatis gratia omittamus, Fossæ nouæ chronici scriptor, quem maxime, vtpote qui ea tempestate in Latio agebat, audire operæ pretium est: *Adueniente tempore æstatis post ascensionem dominus Papa Innocentius iuit Viterbium aliquando visitans vicinas terras, tū Viterbium reuertebatur, & tamdiu ibi stetit quousque aduenit Oddo Rex cum magno, & inusitato exercitu. dominus Papa pro sua voluntate cum Oddone Rege multa locutus, reuersus est Romam, & Rex Oddo post eum cum exercitu * Kal. octobris. dominus Papa in ecclesia sancti Petri honorificè coronauit dictum Oddonem Imperiali corona. celebrato sacrificio coronationis dominus Papa volens reuerti Romam, non poterat propter innumerabiles armatos equites Theutonicos, qui manebant extra ianuas sancti Petri, vsque in portam Romæ pontis sancti Petri. Oddo coronatus Imperator vestitus imperialibus vestimentis sacratus, mitratus & coronatus iuit cum domino Papa vsque ad portam Romæ, & dominus Papa ibi eum benedixit, & licentiauit, & rogauit eum, vt alio die adueniente recederet a territorio Romano, quod ipse minime fecit, sed deficiente Romano fodro, & adueniente in castris panis & vini inopia, volens nolens recessit a Roma.* Cùm nunc primo de consecratione Imperatoris egerimus, gratū lectori fore arbitramur, si ritum qui obseruari solet ex veteribus monumentis in medium adduxerimus. In Vaticano igitur libro censuum, qui sub hæc tempora conscriptus fuit, hæc produntur: *Incipit ordo Romanus ad benedicendum Imperatorem quando coronam accipit.*

Ritus in consecratione Imperatoris seruādus.
* dabit.

18 *In nomine Christi promitto spondeo, atque polliceor ego N. Imperator coram Deo, & beato Petro me protectorem, ac defensorem esse, &c. Dehinc orationem primam * debet Albanen. episcopus ante portam argenteam basilicæ beati Petri:*

Deus in cuius manu corda sunt Regum, inclina ad preces humilitatis nostræ aures misericordiæ tuæ, & Imperatori nostro N. famulo tuo regimen tuæ appone sapientiæ, vt haustis de tuo fonte consilijs, & tibi placeat, & super omnia regna præcellat. Per, &c.

* dabit.

*Orationem verò secundam * debet episcop. Portuen. inter ecclesiam beati Petri in medio rotæ:*

Deus inenarrabilis auctor mundi, conditor generis humani, gubernator Imperij, confirmator regni, qui ex vtero fidelis amici tui patriarchæ nostri Abrahæ præelegisti Regem seculis futurum, tu præsentem Regem hunc cum exercitu suo per intercessionem omnium sanctorum tuorum vberi benedictione locupleta, & in solium regni firma stabilitate connecte, visita eum, sicut Moysen in mari rubro, Iesum naue in prælio, Gedeonem in agro, Samuelem in templo, & illum cum benedictione syderea, & sapientiæ tuæ ratione perfunde, quam beatus Dauid in psalterio, Salomon filius eius te renuntiante percepit a cælo, sis ei contra acies inimicorum lorica, in aduersis galea, in prosperis potentia, in protectione clipeus sempiternus: præsta, vt gentes illi teneant fidem, proceres sui habeant pacem, diligant charitatem, abstineant se a cupiditate, loquantur iustitiam, custodiant veritatē, & ita populus ille pullulet cælitus benedictione æternitatis, vt semper maneant tripudiantes in pace victores; quod ipse præstare dignetur.

Inungendus in brachio & scapulis ab episc. Ostien.

19 *Deinde vadit ante confessionem beati Petri Apostoli, & prosternit se pronum in terram, & archidiaconus faciat litaniam, qua finita episcopus Ostiensis vngat eū de oleo exorcizato brachium dexterum, & inter scapulas, & dicat hanc orationem:*

Domine Deus omnipotens, cuius est omnis potestas, & dignitas, te supplici oratione seu deuotione atque humillima prece deposcimus, vt huic famulo tuo prosperum Imperatoriæ dignitatis concedas effectum, vt in tua dispositione constituto ad regendam Ecclesiam tuam sanctam nihil ei præsentia officiant, futuraque non obsistant, sed inspirante Spiritus tui dono, populum tibi subditum æquo iustitiæ libramine regere valeat, et in omnibus operibus suis te semper timeat, tibi iugiter placere contendat. Per vnitatē eiusdem, &c. Sequitur hæc oratio: Deus, Dei Filius Iesus Christus dominus noster, qui à Patre oleo exultationis vnctus est præ participibus suis, ipse per præsentem sacræ vnctionis effusionem Spiritus paracletus super caput tuum infundat benedictionem, eandem vsque ad interiora cordis tui penetrare faciat, quatenus hoc visibili, et tractabili dono inuisibilia percipere, et temporali regno iustis miserationibus execnto æternaliter conregnare merearis, qui solus sine peccato viuit, et gloriatur cum Deo Patre in vnitate Spiritus sancti, etc.

Cingēdus corona a Romano Pont.

Demum verò Pontifex Romanus sursum altare imponit ei diadema, ea dicens: Accipe signum gloriæ in nomine Patris, et Filij, et spiritus sancti, vt spreto antiquo hoste, spretisque contagijs vitiorum omnium sic iudicium, et iustitiam diligas, et ita misericorditer viuas, vt ab ipso Domino nostro Iesu Christo in consortio sanctorum æterni regni coronam percipias, qui cum Patre, et Spiritu sancto, etc.

20 Delibutus Imperiali inunctione Otho cum Roma discessisset, in Pontificis congressum & colloquium venire postulauit; verùm Innocentius insidia-

rum metu, iam enim non leuiter animi exulcerati cœpere, pluribus de causis recusauit, cùm id per internuncios præstari posset; hoc enim datæ vltrò citroque literæ ostendunt [a]. Cæterùm Innocentij epistola data est Laterani v. id. octob. Pontificatus anno XII. omniumque postrema est, quæ in sæpe laudato libello Vaticano continetur. Addit Robertus de Monte [b] nonnullos ex Cardinalibus ac senatoribus pro viribus obstitisse, ne Otho regijs insignibus decoraretur, propterea que triduo bellum in Vrbe commissum. De pugna etiam inter ciues, Germanosque, quamuis de trium dierum spatio taceant, agunt quoque Ricchardus [c], Conradus Vrspergensis abbas, [d] & Rigordus [e], qui in illa pugna Germanos multos cecidisse tradit tum Iordanus, qui has discordiæ causas affert: *Propter hoc* (nimirum præstitum ab Othone Pontifici defendendorum S. Petri aduersus quoscunque iurium sacramentum) *& propter expensas quas ab Imperatore Romani petebant orta discordia Romani cum eo confluxerunt, multiq; de Theutonicis occisi sunt. Imperator quoque cum de damnis resarciendis ageretur dicebat se MC. equos amisisse.* Pergit Fossæ nouæ chronici auctor: *Ab ipso tempore Oddo Imperator periurando cœpit habere irrita & vacua omnia præcepta domini Papæ, & infestare, & minuere omnia iura Ecclesiæ: sed quia Dei iudicio exercitus eius fame consequente decrescebat quotidie, ferocitatem animi sui non poterat perficere: vnde dominus Papa cœpit eum monere per archiepiscopum Pisanum & alios episcopos & abbates, vt recederet ab iniquitate & infestatione ecclesiæ, quod facere contempsit, & recognosceret Deum, & viueret secundùm legem Dei omnipotentis, & rationem & iustitiam, & obedientiam Ecclesiæ obseruaret, et perficeret, quæ iureiurando promiserat. omnia vilipendens facere recusauit. Tandem dominus Papa eum excommunicauit. Per Lombardiam, & per Tusciam Oddo dictus Imperator hyemauit, &c.*

a Cit. lib. ep. 194. 195.

Turbæ in vrbe motæ.

b Rob. de Mont. app. ad hunc ann.

c Ricchar. de S. Ger. in chron.

d Vrsperg. vbi sup.

e Rigord. de gest. Phil. Aug. Franc. Reg. 1210. Iordan M. S. Vatic. signat. n. 1960.

Othonis post acceptum diadema perfidia.

His consentit Vrspergensis, qui scribit Othonem exercitum primum dissoluisse atque Italiæ possessionem inijsse, Mediolanensibus Imperij ornamēta commendata reliquisse, eoque facto eorum gratiam sibi conciliasse: deinde refectis copijs regressum in Hetruriam & Marchiam contra fidei sacramentum datum Pontifici terras ecclesiasticæ ditionis inuasisse, præterea violato iureiurando de iungenda cum Philippo Galliarum ac Friderico Siciliæ, Regibus pace, ne Ecclesia bello ciuili laceraretur, Apuliam ingressum, plures Siciliæ Regis vrbes suæ potestati subiecisse, Capuam subegisse, atque in vrbis palatio sedem fixisse, cumque crebris oratoribus rogatus ab Innocentio, vt cœptis absisteret fidemque seruaret, monita Apostolica repudiasset, vt contumacem anathemate defixum fuisse. Verùm de eius in Campaniam ingressu, deque anathemate in illum fulminato, anno sequenti referemus. Atque hanc ingratus princeps benemerito de se Pontifici gratiam reposuit, qui hoc ipso anno ad Innocentium scribens, sic illum compellarat [f]: *Scire vos volumus certissimè, quod aptatos euentus nostros post Deum vobis adscribimus, & omnem gloriam, quã diuina nos dignata fuerit clementia sublimare, cum Romana Ecclesia habere semper cupimus pro indiuisa, etc.* Quod alijs etiam literis suis sæpe, vt vidimus, professus est.

Commendat Mediolanensibus ornamenta imperialia. Infestat Ecclesiæ terras. Siciliam inuadit.

f Cit. lib. b. Vat. ep. 188.

21 Cum hæretici in Gallijs grassarentur, Pontifex illos opera crucesignatorũ, quos anno superiori conscriptos vidimus, omnino delendos curauit. Eorum præcipui duces erant [h]: archiepiscopus Senonensis, episc. Eduensis, episcopus Claromontensis, episcopus Niuernensis, dux Burgundiæ, Odo comes Niuernensis, comes S. Pauli, comes Montisfortis, comes Barrensis, Guichardus de bello-ioco, Vvillelmus e rupibus seneschalus Andegauiæ, &c. Imminebant iam Franci cruce insigniti hæreticos ferro deleturi, quos viri religiosi verbo diuino conuertere non potuetant, quibus Remundus Tolosanus comes obuiam progressus, in omnibus se Ecclesiæ pariturum præsefert: securitatis ergo castra tradit, filium in obsidem, vel sese offert, atque ita ijs conciliatus crucesignatis coniungitur, vnaque contra nepotem Biterrarum vicecomitem pergit. Confluxerat eò omnium vitiorum sentina, nec adductis eorum criminibus stylum fœdare libet. Percepto illi impendentis belli tumore se ad excipiendos arcendosque crucesignatos comparabant, cùm Deus significare ijs hoc miraculo voluit frustra impios sese contra hostes munire, cum ex alto Deus ipse vindictam atque iras effundit: *Egrediebatur* [a] *die quodam canonicus quidã Biterrensis de ecclesia maiori celebrata missa; audiens autem tumultum laborantium in fossatis ciuitatis interrogauit, quid hoc esset. responderunt qui aderant, tumultus est laborantium ad fossata, quia munimus ciuitatem contra Francigenas, qui adueniunt, iam enim imminebat aduentus peregrinorum, & dum ita loquerentur, apparuit quidam senex veneranda ætatis, qui dixit eis: Vos contra peregrinos ciuitatem istam munitis, sed quis desuper poterit vos munire? per hoc innuit quod Dominus de cælo debellaturus esset eos. quo audito illi vehementer moti sunt, & permoti: cumque vellent in senem insurgere, subito disparuit & nusquam potuit inueniri.*

Bellum sacrum in Gallijs aduersus hæreticos.

h Pet. Vall. hist. Albig. c. 14.

Remundi Tolosani artes.

a Id. c. 16.

Prędicitur cælitus Biterrarum excidium.

22 Iam ad Biterras castra crucesignati defixerant, atque Reginaldum vrbis episcopum præmiserant, vt ciues catholici hæreticos, quos ipse in scriptum redegerat, crucesignatis puniendos traderent, vel si id non possent, ex impia vrbe discederent, ne pari cum sceleratis pœna inuoluerentur; idque ijs negantibus, cum nonnulli Biterrenses audacissimi nostros sagittis appeterent, gregarius miles ignorantibus ducibus in muros impetum impetuit, assultu superat, expugnat vrbem, nulloque ætatis discrimine ferro in omnes sæuit flammisque iniectis miseram ciuitatem delevit. Refert Cæsarius [b] capta vrbe agnouisse crucesignatos, catholicos hæreticis esse permixtos, atque ambigentibus quid agerent, ne catholici trucidarentur, vel hæretici se catholicos fingerẽt, respõdisse: Arnoldum abb. Cistercienſem: Cædite, nouit Dominus, qui sunt eius; atque ita militem passim in omnes grassarum, quæ sentẽtia ex nimio in hæreticos prolata odio crudelis & parum prudens extitit: *Fuit autem capta ciuitas sæpedicta in festo S. Mariæ Magdalenæ. O iustissima diuinæ dispensationis mensura! sicut in principio huius libri diximus, dicebant hæretici B. Mariam Magdalenam fuisse Christi concubinam, præterea in ecclesia ipsius, quæ erat in ciuitate, sicut supra tetigimus, ciues Biterrenses dominum suum occiderant, episcopo suo dentes confregerant. Merito igitur in illius festiuitate capti sunt & destructi, de qua contumeliosa tot dixerant, cuius etiam ecclesiam sanguine domini sui, vicecomitis videlicet, nec non episcopi fœdauerant canes impudentissimi; in eadem etiam ecclesia in qua, vt sæpe dictum est, dominum suum occiderant ciues Biterrenses, ipsa die captionis ciuitatis fuerunt vsque ad septem millia de ipsis Biterrensibus interfecti. Notabiliter est notandum quod sicut ciuitas Ierusalem 42. anno a passione Domini nostri a Tito & Vespasiano fuit destructa, ita ciuitas Biterrensis 42. anno ab interfectione domini sui per Francigenas est vastata. Hoc quoque non est omittendum quod sæpedicta ciuitas multoties deuastata fuerit ob causam superius memoratam semper in die festi S. Mariæ Magdalenæ, in cuius ecclesia tantum scelus perpetratum fuerat, dignam recepit sceleris vltionem.*

b Cæs. l. 5. c. 21.

Biterrensium scelera.

Deleta Biterra.

23 Deletis Biterris mouent aduersus Carcassonã crucesignati, quò vicecomes conflata suorũ manu sese incluserat. Primum illius suburbium facto impetu episcopis, abbatibus & clero hymnum: Veni S. Spiritus canentibus captum. Ad alterius expugnationem accincti primũ ob lapidum ab hostibus effusam grandinem

Carcassonæ suburbiorũ expugnatio.

dinem repulsi, vbi milite cruecesignato in fossa fracto crure derelicto, Montfortius strenuum virtutis exemplum præbuit: insigni enim vitæ discrimine altero stipatus in fossatum sese iniecit iacentem militem liberaturus: suffosso postea muro arctiori obsidione pressa Carcassona, vbi illud memoria celebrandum euenit: *Contingebat in illa obsidione quoddam quod non prætermittendum, sed pro maximo miraculo est habendum. Dicebatur quod in exercitu erant homines vsque ad quinquaginta millia, hostes autem nostri omnia in circuitu ciuitatis molendina destruxerant, ita quod non poterant nostri panem habere, nisi de paucis castris circumiacentibus, & tamen in tanta abundantia erat ibi panis, quod modicissimo pretio vendebatur, inde & dicebant hæretici quod abbas Cisterciensis magus erat, dæmonesque adduxerat in specie hominum, quia videbatur eis, quod nostri non comedebant.* Vt verò nostri abundabant commeatu, contra obsessi rerum penuria adacti deditionem ijs legibus fecere, vt nudi exirent, saluis membris ac libertate; vicecomes verò in vinculis teneretur. Eam Carcassonensibus calamitatem olim Berengarius vrbis episcopus prædixerat: *Tunc adimpletum est quod dictum fuerat per venerabilem virum Berengarium, qui fuerat episcopus Carcassonæ. Hic cum quadam die in ciuitate sua prædicaret, ciuibusque, sicut solitus erat, hæresim improperaret, noluerunt eum audire; quibus ille: Vos me audire non vultis, credite mihi, ego tantum mugitum emittam contra vos, quod a remotis mundi partibus venient, qui destruent villam istam. Certissimè autem sciatis quod si ferrei & altissimi essent muri ciuitatis istius, non possetis vos defendere, quin pro vestra incredulitate & malitia condignam recipiatis a iustissimo iudice vltionem. Propter hæc & his similia, quæ eis vir sanctissimus intonabat, quodam tempore expulerunt eum dicti ciues de ciuitate, inhibendo præconis voce districtissimè & sub pœna grauissimæ vltionis, ne quis in emendo vel vendendo sibi vel suis auderet in aliquo communicare.*

Montfortij virtutis exemplū.

Abundãt in castris non sine miraculo cōmeatus.

Carcassona ad deditionem compulsa.

Prædictio excidij vrbis.

24 Coactum postea concilium est prælatorum ac virorum nobilium de præficiendo terræ armis crucesignatorum partæ & comparandæ principe, omniumque suffragia in Montfortium cecidere: quod cum ille recusaret, seque indignum diceret, Cisterciensis abbas legatus Apostolicus atque Oddo Burgundiæ dux in genua prouoluti infimis precibus, vt eam admitteret dignitatem, postulauere, eoque adhuc reluctante legatus apostolica auctoritate vsus, *præcepit ei*, vt ait auctor, *districtissimè in virtute obedientiæ, vt faceret quod petebant. Suscepit igitur terræ gubernaculum vir præfatus ad laudem Dei & honorē Ecclesiæ, & depressionem hæreticæ prauitatis.* Subnectit nō vulgare diuinæ prouidentiæ signum, quo ad eam præfecturam cœlitus euocabatur: *Redibat a quadam die venerabilis abbas vallium Sarnay Guido nomine supradictus, qui negotium fidei contra hæreticos in quantum poterat promouebat, a duce Burgundiæ, ipsius ducis literas habens secum continentes, quod dux rogabat comitem Montisfortis, vt cum ipso se accingeret ad militiam Iesu Christi contra hæreticos, ingentia dona offerens, si in hoc acquiescere vellet ei. Contigit autem, vt dictus abbas veniens a duce dictum comitem inueniret in ecclesia cuiusdam castri ipsius comitis, quod dicitur Rupis fortis, quibusdam negocijs occupatum: cumque abbas vocasset illum in partem, ducis literas ostensurus, transiens idem comes per cancellum ecclesiæ, librum psalterij quem super formulā inuenit, apprehendens diuino nutu ex industria aperuit digitum suum super primam lineam tenens dixit abbati: Exponite mihi scripturam istam, Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis, in manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. quod diuina dispositione prouisum, rei exitus manifestissimè comprobauit, &c.*

De præficiendo principe deliberatur.

Montfortius inuitus eligitur.

a Ib. c. 17.

Diuinæ in illum prouidentiæ signum.

25 Præfectus ergo Montfortius excindendæ earum regionum hæresi, licet exercitu crucesignato ex parte dissoluto, munus non impigrè aggressus, plures hæreticorum vrbes qua vi qua deditione cepit. Obtenta porro vrbe, cui Castro nomen, insigne miraculum obtigit: duobus enim hæreticis, quorum alter pertinax, alter pœnitens erat, sed de cuius conuersione an ficta esset dubitabatur, flāmis iniectis obstinato statim exusto, alter illæsus ex flammis emersit. *Præsentati* a *fuerunt duo hæretici ipsi comiti, alter autem eorū perfectus erat in secta hæreseos: alter verò erat quasi nouitius & discipulus alterius, habito comes consilio voluit, vt ambo incenderentur: alter verò illorum hæreticorum, ille videlicet, qui erat discipulus alterius, tactus dolore cordis intrinsecus cœpit conuerti, promisitque quod libenter abiuraret hæresim, sanctæque Romanæ Ecclesiæ per omnia obediret. Quo audito facta est grandis altercatio inter nostros: quidam enim dicebant, quod ex quo ille paratus erat ea, quæ diximus, adimplere, non debebat morte condemnari. Alij è contrario asserebant illum esse reum mortis, tum quia manifestum erat ipsum fuisse hæreticum, tum quia putabatur, quod ea quæ dicebat, potiùs timore imminentis mortis promitteret, quam amore Christianæ religionis obseruanda. Quid plura? acquieuit comes quod combureretur hac intentione, quod si nunc conuertatur, ignis esset ei pro expiatione peccatorum, si verò fictè loqueretur, reciperet pro perfidia talionem. Ligati sunt ergo ambo strictè duris vinculis & fortissimis per crura, ventrem, & collum, manibus etiam post terga reuinctis. Quo facto inquiritur ab illo, in qua fide vellet mori, qui ait: Abiuro prauitatem hæreticam, in fide sancta Romanæ Ecclesiæ volo mori orans; vt mihi sit pro purgatorio ignis iste. Accensus est igitur ignis circa stipitem copiosus, illo autem qui perfectus erat in hæresi in momento combusto, alter statim confractis vinculis fortissimis, ita sanus exiuit ab igne, quod nulla apparuit in eo combustionis nota, nisi quod summitates digitorum aliquātulum sunt adustæ.* Nō multo post Albia, Lumbers, aliaq; loca in Montfortij (quamuis a Burgundiæ duce, alijsque penè omnibus esset derelictus) potestatem venere, dumque Pissanum ditionis comitis Fuxensis obsideret, accedente Fuxensi, pollicenteque in omnibus Ecclesiæ pariturum, obsidionem soluit Montfortius.

Castrum ab eo captum.

a Ib. c. 22

Hæreticus pœnitens in flamis illæsus.

Captæ vrbes a Mōtfort.

26 Interea Petrus Aragonum Rex b, ad cuius supremum dominium spectabat Carcassona, ferens iniquiùs eam vrbem Montfortio traditam, fidei sacramentum apud montem Pessulanum ipsi delatum ab illo accipere noluit: eam enim vrbem solus obtinere ambiebat, infestusque Montfortio clam nobiles vicecomitatus Biterrensis & Carcassonensis, qui nondum sese dediderant, monuit, strenuè resisterent Montfortio, ipsis auxilium non defuturum: nec modò infestus comiti Aragonius, verùm plures indigenæ Fuxensis alijque ab ipso desciuere; inter quos Giraldus de Papios c, qui castrum Podio Sorguet capto quinquaginta milites Monfortij in fossam turris demisit, atque in eos stipulam, ignem, lapidesque, dum extincti putarentur, proijci iussit; sed diuino miraculo post triduum a Montfortio illæsi, ieiunique extracti fuere. Nec dissimile prope arcem, cui Cabareti nomen erat, contigit: percussus enim miles in pectore, vbi affixum crucis signum gestabat, sagitta a ballista collibrata putantibus omnibus extinctum, sagitta non modò ipso sed nec veste læsa non aliter, quàm saxo percusso licet inermis esset resilijt.

b Ib. c. 26.

Rex Aragonum inuidet Mōtfortio.

c Ib. c. 27.

Seruati diuinitus aliquot crucesignati.

Hoc anno Remundus Tolosanus comes Romā petijt d, vt a Pōtifice sibi ea castra restitui obtineret, quæ cautionis ergo antea legato Apostolico tradidisset; at Innocentius verbis asperioribus excepto de morte Petri de Castro nouo legati, & crimine hæreseos purgationem indixit, vicesque suas episcopo Regiensi ac magistro Theodosio imposuit. Tum verò magi-

d Ib. c. 33.

Remundus adit Innocentium.

Malè ab eo excipitur.

Coactum Auenione concilium. Tolosani excommunicati.

magistro Milone prælatorum concilium Auenionem conuocante, percussi anathemate expositique inuasoribus Tolosani ob non eiectos excisosque hæreticos, vt crucesignatis erant polliciti, Remundoque intentatum anathema, si itineribus censum imponere tentaret. Hæc atq; alia superiora Vallisarnensis.

27 Dum cruce insigniti Franci plura egregia facinora ad diuinam amplificandam gloriam præfecto sibi Montfortio gererent, eo læto nuncio ingenti voluptate delibutus Pontifex, vt Aymericum Narbonæ dominum, ciuesque illis conciliaret, atque ad eadem studia pelliceret, has literas zelo sacro ardentes pietateque multa conspersas exarauit a, nõnullaque præfatus, amplissimamque criminum veniam pollicitus animos his verbis addidit: *Expergiscimini boni filij, & ad palmam huius gloriosi certaminis festinate piaque pœnitentia ducti, quantam fœcundis eius principijs neglexeritis interesse, felicissimo fini vestram studeatis & operam & præsentiam exhibere. Quia cum euangelicus tributor illis æqualiter retribuerit, qui nouissimè venerunt in vineam, & qui primo, licet ij, qui cœperunt, forsan amplius laborarint, præcedentibus tamen atque sequentibus par merces pro pari deuotione reddetur. Dat. Later. id nouemb. Pontificatus nostri anno* XII. Habes lector Innocentij literas b proximo sequenti anno ad eundem Simonem in hanc sententiam datas, atque in hunc modum inscriptas: *Nobili viro Simoni de Montforti, comiti Leicestriæ, vicecomiti Biterrensi & Carcassonensi.* Porrò, quæ ex Petro Vallis. in medio posuimus, maximè ex ijs confirmantur, quæ in S. Guillelmi gestis eius temporia anonymus auctor scriptis mandauit, dum superiori anno recitatis hæc adiunxit: *At nec sic tamen putandus est sacra militia non interfuisse*, post obitum scilicet, qui hoc anno contigit; *Cum enim in Domini exercitu abbas Cisterciensis dux & præceptor esset constitutus* (his similia de abbate Cistercij Bernardus affert, alijque tradunt c, is verò erat Arnoldus Apostolicæ sedis legatus, creatus postea Narbonensis archiepiscopus d, ad quem extant Innocentij literæ proximo anno datæ) *sub cuius ille magisterio in habitu monastico diu Christo militauerat, quonam pacto in re tanti momenti illũ deserere potuit? Etsi igitur corpore absens, sed præsens erat spiritu, nam visi sunt multi militia cælestis exercitus, præcedente crucis signo, quo etiam illi signati erant. hinc illa insignis victoria Christianorum catholicorum, qui illos impios mirabiliter debellarunt.* Quod ad sanctissimi præsulis obitum attinet, eodem anno accidisse ex hoc manifestè apparet, cum superiori anno cruce insignitis nomen adscripserit, antequam exercitus catholicus manum cum hæreticis consereret. defunctus est 4. idus ianuarij, vt auctor testatur: ex quibus corrigendus videtur Bernardus, qui anno 1207. defunctum affirmat.

a Extant post hist. Albig. Petr Vallisar.

Innocen. Narbon. incitat vt Mõtfortio faueant.

b Inn. l. 13 ep. 86.

c Cæs. l. 5. c. 21.

d Id. ibid.

Visus in aere exercitus crucesignatus

28 Videamus iam, quid de noua hæresi ab inferis emergente, sed protinus ab Innocentio Romano Pontifice, Christianissimi Regis opera repressa, Rigordus Cæsarius, & Iordanus prodãt, quorum primus de studijs, quæ Parisijs florebant, nõnulla præfatus subdit e, Almaricum quemdã Carnotensem egregiè philosophicis artibus excultum, sed qui suæ sententiæ pertinacissimè addictus esse consueuerat, ad Theologiã se contulisse, ac docere cœpisse inter cæteros fidei articulos quẽlibet credere teneri se esse mẽbrum Christi: qui error cum ab alijs confutaretur, ad summum Pontificem delata causa iussum, vt publicè illum damnaret, ex quo tantum concepit dolorem, vt pudori diu superesse non potuerit, ecclesiastico tamen ritu illius corpus elatum fuisse. additque nõnullos eius doctrina infectos peiora docuisse: *Post mortem eius surrexerunt quidam venenosa eius doctrina infecti, qui eo subtilius plus quam oportet sapere sapientes ad exsufflandum Christum, & ad euacuanda noui testamenti sacramenta, nouos & inauditos errores & inuentiones diabolicas confinxerunt. Inter alios eorum errores impudenter astruere nitebantur, quod potestas Patris durauit quandiu viguit lex Mosaica. Et quia scriptum est: Nouis superuenientibus abycientur vetera, postquam Christus venit, aboleuerunt omnia testamenti veteris sacramenta & viguit noua lex vsque ad illud tempus. In hoc ergo tempore dicebant testamenti noui sacramenta finem habere, & tempus sancti Spiritus incepisse, quo dicebant confessionem, baptismum, eucharistiam & alia, sine quibus salus haberi non potest, locum de cætero non habere, sed vnumquemque tantum per gratiam Spiritus sancti interius sine actu aliquo exteriori inspiratam saluari posse: charitatis virtutem sic ampliabant, vt id quod alias peccatum esset, si in virtute fieret charitatis, dicerent iam non esse peccatum. Vnde & stupra & adulteria & alias corporis voluptates in charitatis nomine committebant. Mulieribus cum quibus peccabant, & simplicibus quos decipiebant impunitatem peccati promittentes, Dominum tantummodo bonum & non iustum prædicantes.* Subijcit Parisiensem episcopum eo rumore orto Guarinum quendam submisisse; qui cum se eorum doctrinæ sequacem fingeret, omnes errores patefecit, ac mox auctores coniectos in vincula, ac sententia Philippi Francorum Regis flammis iniectos; tum concilio celebrato, Almaricum licet extinctum, vt hæresiarcham percussum anathemate, eius ossa refossa atque cineres in ventum sparsos fuisse.

e Rigor. de gest. Phil Aug Frãc Reg.

Almarici hæresis damnata. Exurit mo ritur Almaric.

Hæreses aliæ.

Eadem tradit Cæsarius huius temporis scriptor, qui plures ab a impijs hominibus confictas hæreses breuiter indicat: *Dicebant non aliter esse corpus Christi in pane altaris, quàm in alio pane, & in qualibet re, sicque Deum locutum fuisse in Ouidio, sicut in Augustino: negabant resurrectionem corporum, dicentes nihil esse paradisum, neque infernum, sed qui haberet cognitionem Dei in se, quam ipsi habebant, habere in se paradisum: qui verò mortale peccatum, haberet infernum in se, sicut dentem putridum in ore. Altaria sanctis statui, & sacras imagines thurificari, idololatriam esse dicebant; eos, qui ossa martyrum deosculabantur, subsannabant, maximam etiam blasphemiam ausi sunt dicere in Spiritum sanctum, a quo omnis munditia est & sanctitas: si aliquis est in Spiritu sancto, aiebant, & faciat fornicationem, aut aliqua alia pollutione polluatur, non est ei peccatum, quia ille spiritus, qui est Deus, omnino separatus a carne non potest peccare, & homo, qui nihil est, non potest peccare, quam diu ille Spiritus, qui est Deus, est in eo. Ille operatur omnia in omnibus, vnde concedebant quod vnusquisque eorum esset Christus, & Spiritus sanctus, impletumque est in eis quod dicitur in euangelio: Surgent pseudo-Christi & pseudoprophetæ, &c.* hactenus Cæsarius. En pessimæ pestilentissimæque lacunæ, vnde perditissimi nouatores impia dogmata hausere. Sed ad Rigordum reuertamur, qui id non prætermittendũ historiæ adijcit, allatos fuisse Parisios quosdam libros pluribus hæresibus inquinatos, cumque philosophiæ fuco disseminarentur errores, Patrum sententia vetitos fuisse.

a Cæs. l. 5. c. 22.

Hæreticorum errores.

Philosophiæ fuco instillatæ hæreses.

29 Nec in Gallijs modò, verum in Anglia religionis causam in graue discrimen adductam enarrat Parisius, cùm regno iam biennio interdicto percusso, atque Ioanne tyrannidem exercente, Innocentius ex Cardinalium consilio Regem anathemate perculit, ac Londoniensi, Helgensi, & Vvigorniensi episcopis prouinciam imposuit, vt sententiam promulgarent. Sed ij metu correpti Apostolica imperia detrectarunt, rumore tamen sparso id solum mussitabatur in circulis, cumque Gaufridus archidiaconus Regis clericus eam protulisset sententiam, sacerdoti salua conscientia in Regis familia, atque obsequio perstare non licere, nec facultate petita abscessisset,

Ioan. Rex percellitur anathemate.

Gaufridi zelus.

adeo

Crudelissima illius mors.
Nefarius adulator Regem corrupit.
Pœna illius.

adeo in eum Ioannes exeanduit, vt vinculis constrictum plumbeo tegmine operiri insserit, ac molis grauitate & victus pennria satisfecere coegerit. Addit auctor Alexandrum quendam cœmentarium improbissimum adulatorem ad Regis aucupandam gratiam docuisse, mala quæ in populum spargebantur non ob interdictum, sed ob plebis scelera a Deo immissa, nec Romanorum Pontificem fulminare in Angliæ Regem anathema potuisse: at Innocentium assentatorem illum sacerdotijs omnibus exuisse alijsque censuris afflixisse, vnde in maximam penuriam redactus, traductusque per omnium ora, victum emendicare coactus est.

Friderici nuptiæ cũ Reg Arag sorore.
a Mar. l. 11 c. 22.
Theodori Lascaris de Turcis victoria.
b Niceph. Greg. l. 1.

30 Addendũ de Hispanicis simul & Italicis rebus ex Ioanne Mariana, a Constantiam Aragonij Regis sororem ex priore viro Emerico Vngariæ Rege, cui Ladislaum puerum pepererat, viduam Innocentio Pontifice curante Friderico Regi Siciliæ connubio iunctam, atque hoc ipso anno ad virum classe deductam esse tradit. Demum quod ad res orientales pertinet; Theodorus Lascaris Græcorum Imperator bis mille tantùm equitibus, ex quibus octingenti Latini strennissimi milites, Iathatinem Turcorum principem viginti ferè militum millia ductantem aggressus vicit, licet enim barbari vndique Christianos circumfunderent, atque Iathatines Theodorum vibrato ictu ex equo deiecisset, non territus Theodorus collectis animis equi pedes anteriores ense truncauit, effusoque in terram Sultano caput amputauit, quod præfixum hastæ in signum victoriæ diuini openuminis reportatæ circumtulit. hæc pluribus Gregoras. b

IESV CHRISTI
Annus 1210.

INNOCENTII PP. III. annus 13. — OTHONIS IMP. ann. 2. HENRICI IMP. ann. 5.

Otho anathemate ictus.
c Stad. in chron.
d Vrsperg. in chron.
e Godef. in annal.
f Stero apud Canis. ant. lect. to. 1. p. 244
g Rigor. de gest. Philip Aug. Fräc Regis.
h Ricchar de S. Ger. in chron.
i Matth. Par. hoc ann. hist. Angl.
Excusationes Othonis.
l Rigord. vbi sup.
Eccl. loca ab Othone occupata.

1 DElibutus Imperiali inunctione Otho, atque ex adepto honore superbia insolescens, rescisso sacramento, occupatis Ecclesiæ possessionibus, inuasaque Sicilia, Innocentij a quo ad Imperium immensis laboribus enectus fuerat, iustissimas in se iras prouocauit, atque ex illius manibus anathematis fulmen anno a salute mundi ducentesimo decimo supra millesimum indictione XIII. in suum caput extorsit. Hoc enim anno e cœtu fidelium motum tradunt, Albertus abbas Stadensis c, Vrspergensis d, Godefridus e, Stero f, fragmenti historici incertus auctor, Rigordus g, Ricchardus de S. Germano h Fossæ nouæ chronicon, vtque alios omittamus, Matthæus Parisius i, qui tamen, vtpotè in Romanam Ecclesiam parum æquus, Innocentijque infensissimus hostis, Othonis suscepta causa, culpam omnem in Pontificem ipsum transfundere audet: natum enim inter eos dissidium ait, quod Papa suo rectore orbato Imperio, plurima oppida, aliaque ad id spectantia occupasset: quapropter dum princeps ius suum recuperare studeret, immeritum in se Innocentij odium concitasse: verùm cur non prodit, quæ ab Innocentio oppida occupata? nullum prorsus sanè afferre potuit, quod Pontifex æqui amantissimus, ab eiusmodi inuasionibus abhorreret. At non sua recuperasse Othonem, sed in Romanæ Ecclesiæ res manus iniecisse ostendunt præter alios Rigordus, atque Fossæ nouæ chronici auctor, ita enim illorum alter l: *Rediens inde*, hoc est ab vrbe, *Imperator, sicut dudum in animo conceperat, occupauit castra, & munitiones, quæ erant iuris B. Petri Aquapendens, Radicofanum, sanctum Quiricum, Montem flasconis, & ferè totam Romaniam & inde transiens in Apuliam, oppugnauit terrã Friderici filij Henrici Imperatoris, & cepit ciuitates multas, & castella in regno Apuliæ, quod totum est de patrimonio & feudo B. Petri, &c.* Similia tradit Iordanus.

Iord MS. Vat. signat n. 1960.
Auersa frustra tẽtata.
a Vrsperg. chron. ann 1209.
b Fragm. hist. inc. auct. hoc anno.
c Crantz. hist. Sax. c. 1.
d Cent. 13 c. 6. 7. 10.
e Ricch. in chro. ann. 1210.
Othonis in regno progressus
Neapolis se illi dedit

2 At chronicon Fossæ nouæ: *Oddo dictus Imperator per Tusciam æstiuo tempore permanens, mense nouembri prohibitus a domino Papa, & excommunicatus, consilio domini P. comitis de Celano, & consilio Diopuldi ingressus est regnũ Apuliæ. Celebrato festo S. Martini super Soram, tota terra vsque Capuam redacta est in suo Imperio, & citius quam potuit, iuit super Auersam & obsedit eam vsque ad natiuitatem Domini non valens eam capere reuersus est Capuam, & hyemauit ibi, faciendo machinas ad capiendas ciuitates, quæ nolebant venire ad suã fidelitatem.* Nullus qui ecclesiasticam historiam vel leuiter delibauit, recensita loca iuris Rom. Ecclesię fuisse ignorat; id namq; Imperialia, regiaq; diplomata suis recitata locis apertissimè demonstrant, quibus congruunt, quæ de ipso Othone differit Vrspergensis abbas a: *Inde peragratis partibus Tusciæ, & Marchiæ contra iuramentum, quod fecerat domino Papæ, manu hostili cœpit inuadere terras S. Petri, ad Ecclesiam Romanam pertinentes.* Hæc ipse: quibus similia fragmenti historici incertus auctor b alijque tradiderunt. Quapropter miramur recentiorem c eam pontificiæ indignationis causam attulisse, quòd Otho per Italiam antiqua Imperij iura reposceret, quorum nonnulla ad Ecclesiam deriuata fuissent. Dicere prætermittimus de nefandis decimætertiæ centuriæ d auctoribus, deque altero eiusdem farinæ impio, qui Stadensis chronicon scholijs fœdauit: nouatoribus enim solemne est, quo flagrãt in Rom. Ecclesiam odio mendacijs contaminare veritatẽ. Consentiunt superioribus, quæ Ricchardus de S. Germano e tradidit historiæ, Othonem regni Siculi opibus allectum, spreto fidei sacramento, quo se Romæ adstrinxerat, cum Diupuldo & comite Celanensi inito fœdere ab ijs Capuam Salernumque recepisse, Cassinensem abbatem plerisque suorum metu diffugientibus simili perfusum terrore ad Othonem se, vt suam ditionem a belli iniurijs vindicaret, contulisse, votique compotem factum. Præterea Diupuldum Capuæ traditis Othoni nonnullis arcibus Spoleti ducem creatum, Imperatorijsque armis fretum, Aquinum strenuè loci dominis sese defendentibus frustra tentasse, Neapolim Othoni portas aperuisse, atque in Auersanos concitasse, qui certis cum eo legibus fœderis initis imminenti periculo sese subduxere, indeque in Apuliam conuersis signis quà sponte quà metu populis iugum imposuisse. Addit idem auctor Capuanos interdicti sententia ac pœna ab Innocentio implicitos, quod præsente Othone cœtu fidelium depulso, sacra fecissent.

Liberãtur fide præstita Othoni subditi.
f Inn. l. 13 ep. 185.
Plures eũ deseruot.

Cæterum addit Rigordus Romanum Pontificem non solum anathematis sententiam promulgasse, verùm eius crescente contumacia illius subditos, quo illi obstricti tenebantur, fidei sacramento soluisse. idem habetur in Innocentij epistola f infra ex parte reddenda: *Sub anathematis pœna vetamus, ne quis eum Imperatorem habere, nominareue audeat.* atque ita ab eo Thuringiæ Lantgrauium, Moguntinum & Treuirensem archiepiscopos, ducem Austriæ, Bohemiæ Regem alienatos, pluresque tum ecclesiasticos, tum alterius ordinis recessisse: quibus similia de Germaniæ principibus ab exauctorato Imperatore deficientibus Vrspergensis & Iordanus tradũt.

g Ep. 79.
Frider. in Catan. ep. ingratus.

3 Quod ad Fridericum Regem attinet, cuius paulo ante mentio incidit; hoc anno eum arguit Innocentius in Cataniensem episcopum cancellarium suum ingratum se gessisse: *Cum etenim*, inquit g, *venerabilis frater noster Cataniensis episcopus regni Siciliæ cancellarius te custodierit hactenus, & nutrierit, ac pro defensione tua, & regni tui labores, & angores, anxietates, & necessitates multiplices sustinuerit, nunc, si verum est quod asseritur, et beneficiorum oblitus,*

tus,

tus, a tua ipsum familiaritate recedere permisisti in scandalum, & odium pariter plurimorum, propter quod alij regni nobiles, dum eundem multis meritis præmium debita intellexerunt remuneratione fraudatum, in tua fidelitate lentescunt, & nonnulli se a tuis obsequijs subtrahent, qui ad ea ex ipsius poterant retributionibus prouocari &c. parciores sumus in referendis hisce literis, quòd in cæteris huius anni ac trium sequentium annalibus seruabimus, cum typis mandatæ circumferantur: quarum tamen numeros non vt in excusis libris, sed vt in regesto Vaticano iacent, censuimus annotandos. *Dat. Lateran. VII. Kal. iulij Pontificatus nostri anno tertiodecimo.* paucis verò ante diebus, nimirum XV. Kal. dato ad Constantiam Reginam eius vxorem Apostolico diplomate, factam a viro donarionem propter nuptias confirmauit a. Asperiora illa monita paterni amoris argumenta extitere: diuinum enim numen imitabatur, de quo legitur, quem diligit corripit & castigat, cum pro eodem tuendo rege assiduè incumberet, id namque ex eius literis ad Pisanos, qui Othonis partes erant secuti, datis perspicuè cernitur, quibus eos ita compellat b:

Arguitur ab Innoc. — a Ep. 80. — Inn. Pisanos ab Othonis obsequio deterret. — b Ep. 185.

Innocentius &c.

Ex ijs, quod gaudentes referimus, si dictis facta respondeant, intelleximus euidenter, quod beneficiorum Apostolicæ sedis esse non vultis ingrati, nec iurisdictionem vobis in Sardinia vendicare, seu etiam excommunicationis sententia innodari. Verum si proposito illi duxeritis insistendum, vt contra nos, & Romanam Ecclesiam Othoni dicto Imperatori excommunicato, & maledicto, qui qualem post factum benefactoribus suis vicem rependat, opera manifestant, impendetetis auxilium ad regnum Siciliæ occupandum, nec ingratitudinis vitium, neque pœnam ab hoc contra vos, & ciuitatem vestram statutam, nec etiam excommunicationis sententiam possetis procul dubio euitare &c. *Dat. Later. XI. kalendas ianuarij Pontif. nostri anno XIII.*]

4 Percurrenda alia pontificij zeli exempla, quæ hoc anno explicuit Innocentius. Lacessiuit illum Rex Lusitanus, qui episcopum Portugalensem acriter insectabatur, quod incestis filij sui nuptijs intercessurenisset, quare initis cum eo ante pactionibus recesserat, appellationeque ad Romanum Pontificem spreta, quorumdam canonicorum eiusdem episcopi domos dirui iusserat, eorumque bona expilatat, cœtu fidelium motos in ecclesiam intruserat, defunctos interdicti tempore tradi sepulturæ imperarat, aliaque in eundem præsulem grauissima flagitia perpetrarat: quæ recenset Innocentius Papa dum ad Zamorenses episcopum & archidiaconum scribit: quibus mandat c Regem ipsum, aliosque ad delendum præteritum facinus inducere conentur, atque in obluctantes ecclesiasticas censuras distringant. Datæ sunt huiusmodi Innocentij literæ Laterani 3. idus maij. quo item die ad Portugalensem ipsum episcopum scribens compositionem illum inter ac Sancium Regem ante factam firmam esse decernit d. Qui verò ad Lusitanum Regem errantem corrigendum incubuit, is Ferdinãdi primogeniti Alphonsi Castellæ Regis studijs fauit: cum enim militiæ suæ prima rudimenta Deo consecraturus, Christiani nominis hostes de paterna hereditate, quam occupauerant, depellere vellet, atque ad eam rem Apostolicæ sedis auxilium reposceret, Innocentius commendato eius consilio, Hispaniæ archiepiscopis atque episcopis præcepit e, principes ad ferendam illi opem adducere niterentur.

Lusit. Regis scelera — Illum corripi iubet Innoc. — c Inn. ep. 54. & 70. — d Ep. 76. — Castell. Reg. primogenitus arma Christo dicat. — e Ep. 179.

Innocentius &c.

Significauit nobis dilectus filius F.... primogenitus charissimi in Christo filij nostri A... Regis Castellæ, quod ipse militiæ suæ primitias omnipotenti Deo desiderans dedicare, ad exterminandum inimicos nominis Christiani de finibus hereditatis ipsius, quam impiè occupatunt, intentionis studium toto conamine satagit impertiri; suppliciter postulans, & deuote requirens, vt ei ad hoc opus feliciter consummandum, & nos ipsi Apostolicum impendamus suffragium, & ab alijs faciamus subsidium exhiberi. Nos igitur opportunum pium eius propositum in Domino commendãtes fraternitates vestras per Apostolica scripta monemus, quatenus Reges, & principes vestros, qui non sunt cum illis ad treugas obseruandas astricti, ad opus simile peragendum sedulis exhortationibus inducatis &c. *Dat. Later. IV. id. decemb. anno tertiodecimo.*] Ad hæc quænam Alphonso Legionensi Regi petenti concesserit, ad Cistercienses monachos datæ literæ a declarant. Instaurarat nimirum oppidum, cui Ventosa nomen est, in monasterij limitibus situm, quod eum multo referrum populo esse cœpisset, atque ob id quietem monasticã disturbaret, a cœptis pius Rex destitit, atque edito publico instrumento pollicitus est nullam in posterũ coloniam intra possessionum Cisterciensium fines adductum iri, cuius promissis Innocentius ab eo rogatus Apostolicam auctoritatem adiecit.

Iuuat illius conatus Innoc. — a Ep. 176.

5 Cum in Hispaniæ rebus versemur, non prætermittendum silentio, Innocentium hoc eodem anno IV. non. mart. dato Laterani diplomate b ad Rodericum arcb. Toleranum nobilissimæ ecclesiæ illius primatum, cæteraque priuilegia a Pontificibus concessa confirmasse; e quo hæc decerpimus.

b Ead. l. 13 ep. 5.

Innocentius, &c.

Iura nobilis, & famosæ Toletanæ ecclesiæ Apostolicæ sedis propriæ ac specialis filiæ conseruare volentes, tuis, venerabilis frater Rodcrice, quem verà in Christo charitate diligimus, rationabilibus postulationibus paternæ pietatis affectu duximus annuendum. Ideoque per præsentem priuilegij paginam, ad exemplar felicis recordationis Vrbani, Gelasij, Calixti, Honotij, Eugenij, Adriani, Alexandri primi, Alexandri secundi, Alexandri tertij, Vrbani secundi, Cælestini prædecessorum nostrorum primatem dignitatem per Hispaniarum regna tibi, & ecclesiæ Toletanæ auctoritate Apostolica confirmamus, teque primatem præsules Hispaniarum respicient, & ad te referent, si quid inter eos dignum exortum fuerit quæstione, salua tamen in omnibus Apostolicæ sedis auctoritate. Verùm personam tuam in manu nostra propensiori gratia retinentes censemus, vt solius Romani Pontificis iudicio eius causa, si qua fuerit, decidatur, &c.]

Primatus Hisp. Tolet. arch. confirmatus.

6 Cõprobauit etiam paucis post diebus S. Iacobi militiam vulgo de Spatha nũcuparam, priuilegiaq; ab Alexandro III. illi concessa corroborauit c. Plura hic Innocentius affert de optimis huius ordinis legibus, quas si cupias, ipsum consule; huius enim anni ac trium sequentium proximorum pontificia regesta, vt diximus supra, typis mandata sunt, quæ Franciscus Bosquetus notis illustrauit, de que illo religioso equestri ordine dignissima memoratu adducit.

c Ep. 10.

Innocentius, &c.

Tempore felicis recordationis Alexandri Papæ prædecessoris nostri in partibus Hispaniarum de diuino, factum munere gratulamur, vbi nobiles quidam viri, peccatorum vinculis irretiti, & inspiratione illius, qui vocat ea, quæ non sunt tanquam ea quæ sunt, superna gratia sunt afflati, & tacti super multis transgressionibus suis dolore cordis intrinsecus, & præteritorum agentes pœnitentiam peccatorum non solum possessiones terrenas, sed & corpora sua in extrema quæque dare pericula pro Domino decreuerunt; & ad exemplum domini nostri Iesu Christi, qui ait: Non veni facere voluntatem meam, sed eius, qui misit me Patris, in habitu, & conuersatione religionis sub vnius magistri statuerunt obedientia com-

Equitum S. Iacobi institutio.

commorari, eo vtique moderamine propositum suum, & ordinem temperantes, vt quia vniuersa turba fidelium in coniugatos, continentesque distinguitur, & dominus Iesus Christus non solùm pro viris, sed pro fœminis quoque de fœmina nasci voluit, & cum hominibus conuersari, habeantur in ipso ordine, qui cœlibem, si voluerint, ducant vitam, & consilium B.Pauli sequantur, qui dicit: De virginibus autem præceptum Domini nostri nō habeo, consilium autem do. Sint etiam, qui iuxta institutionem dominicam, ad procreandam sobolem & incontinentiæ præcipitium euitandum coniugibus suis vtantur, & vnà cum eis ad incolatum supernæ patriæ de conualle lacrymarum & terrena transire peregrinatione nitantur, & lacrymis diluant, & operibus pietatis, si eos super fundamentum suum, quod Christus est, pro cura carnis, & affectibus liberorum ligna, fœnum, stipulam ædificare contingat, cum alij expeditiores, & continentes ædificent aurum, argentum, & lapides pretiosos, & isti tamen, & illi militent vni Regi, & super vnum fundamentum cælestem vnam ædificent mansionem, promissione psalmistæ in domino roborati, qui minora quoque membra Ecclesiæ confortat, & dicit: Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur, &c.] Edoctus prædecessoris exemplo ad quem Petrus Ferrandus ordinis magister se contulerat, atque Apost. sedis clientelam obtinuerat, eodem eos beneficio exornat, quæ verò militari huic ordini imposita essent leges, ita prosequitur.

De coniugatis & continentibus.

7 Inter ea sanè, quæ in professionis vestræ ordine statutum est obseruari, primum est sub vnius magistri obedientia in omni humilitate, atque concordia sine proprio viuere debeatis, illorum fidelium exemplum habentes, qui ad fidem Christianam Apostolorum prædicatione conuersi vendebant omnia, & ponebant pretium ad pedes illorum, diuidebatur quoque singulis, prout cuique opus erat, nec aliquis eorum quæ possederat, quidquam suum esse dicebat, sed erant eis omnia communia. Ad suscipiendam quoque prolem, quæ in timore domini nutriatur, & infirmitatis humanæ remedium, iuxta institutionem Domini, & indulgentiam Apostoli, qui ait: Bonum est homini mulierem non tangere, propter fornicationem vnusquisque vxorem suam habeat, & similiter mulier virum suum: qui continere nequiuerit, coniugium sortiatur & seruet inuiolatam fidem vxori, & vxor viro, nec thori coniugalis continentia violetur. Si autem viri præmortui fuerint, & relictæ ipsorum, quæ ordinem susceperant, nubere voluerint, denuncietur magistro hoc fine commendatori, vt cum illius conscientia, cui vult ipsa mulier nubat, secundum verbum Apostoli Pauli dicentis: Mortuo viro soluta est mulier a lege viri. Cui vult nubat, tantum in domino; quod etiam de viris intelligitur obseruandum. Vna etenim vtrique lege teneantur. Statuimus quoque, vt nullus fratrum, siue sororum, post susceptionem ordinis vestri, & promissam obedientiam vel redire ad seculum, vel ad alium ordinem sine magistri licentia audeat se transferre, cum sint in ordine vestro loca statuta, vbi quisque districtiùs valeat conuersari, &c.]

Ordinis illius statuta.

8 At rursus Innocentium monentem Reges, atque increpantem inspiciamus. Inter Christianos huius temporis principes, nullum immitiorem Ioanne Anglo Rege mea sententia reperies, qui tyrannide, quos poterat, oppressisse, hoc eodem anno exempla factaque probauerunt. Mittimus de Iudæis dicere, quos omnes in carcerem coniectos, pecunia se redimere coegit, vti Matthæus Parisius testatur a. ab eodem accipiamus auctore, quid contra ecclesiasticos hoc anno iniquissimè gesserit. Ait enim coactis Londini religiosarum familiarum præfectis centum millia librarum sterlingorum ab ijs extorsisse: a Cisterciensibus quoque, labefactatis eorum priuilegijs, quadraginta millia librarum argenti, nec non ab alijs magnam pecuniæ vim corrasisse. Cæterùm qui omnes Angliæ ecclesias præsulesque adeò malè habuit, Eboracensem ecclesiam, atque archiepiscopum, quamuis fratrem suum, crudelissimè spoliauit, de quibus ab eodem archiepiscopo certior factus Innocentius hæc rescripsit a, moneri Regem curaret, vt ablata redderet, iniuriasque ac damna sarciret, eoque renuente Eboracensem prouinciam interdicto subijceret. Hæc Pontifex in Ioannem: aduersus quem præterea ad Roffensem ac Saresberiensem episcopos hoc anno literas misit b, cum enim B.olum Anglorum Reginæ, quamuis ab Romano Pontifice sæpissimè rogatus, atque admonitus, dotem nunquam restituere voluisset, vrbes, oppida, ac reliqua loca, quæ ad huiusmodi dotem pertinebant, atque alia ex causa ecclesiastico interdicto essent obnoxia, nouo etiam interdicti vinculo eundem ratione dotis obstrinxit, adeo vt si prius vinculum dissolui contigisset, hoc non prius diremptum foret, quam rex officio fecisset satis.

Ioan. Rex magnas in Anglos vndique corradit.

a Par. hist. Angl. an. 1210.

a Inn. l. 13 ep. 64.

b Arg. de gest. Phil. Aug. Franc. Reg. ann. 1209.

9 Præterea Philippum Francorum Regem, de ecclesiastica libertate cæteroquin benemeritum, Altissiodorensem & Aurelianensem episcopos ob nonnullas causas, quas iustas prætendebat, infestantem, Senonensis archiepiscopi ac suffraganeorum opera monuit: at præstat eundem Pontificem Regem alloquentem audire. c

Philipp. duobus episc. infensu mitigare nititur.

c Ep. 185.

Innocentius &c.

Cum alij Reges, & principes d rationes, & libertates ecclesiasticas persequũtur, nos fili charissime te illis obijcimus in exemplum, quod eas in Regno tuo custodis illæsas, propter quod & Dominus iustus iudex te ac regnum tuum hactenus custodiuit illæsum, qui etiam magnificè augmentauit, nec augmentare, & custodire desistet, quamdiu tu & heredes tui fideliter curaueritis in hoc laudabili proposito permanere, quod & apud Deum est meritorium, & apud homines gloriosum. Nam si ad regna vicina pariter & remota oculos tuæ considerationis extendas, manifestè videbis quàm grauiter Deus illa contriuerit, quæ rationes & libertates ecclesiasticas infringere præsumpserint. Nuper autem, quod dolentes referimus, nostris auribus est intimatum, quod tua regalis sublimitas contra venerabiles fratres nostros Antissiodorensem, & Aurelianensem episcopos indignitatem agi præceperit, non vtique sui moris, sed nec etiam sui iuris, dum eorum sarciri fecisti regalia, imo etiam quædam alia, præter illa, cum necdum de aliquo foris facto confessi fuerint vel conuicti, nec etiam ad satisfaciendum commoniti, vel inducti, leui occasione prætensa, quod quidam eorum milites in tuo exercitu constituti, ad locum, quem eos adire præceperas, ire cum alijs noluerunt, absentibus eisdem episcopis per licentiam a te liberaliter impetratam.] Ex his corrigendus videtur Rigordus e, dum aliam Philippi indignationis causam affert, ipsumque iustè illis iratum ostendere nititur, additque: *Rex eorum regalia confiscauit*; scilicet ea tantum temporalia quæ ab eo fiduciario iure tenebant, *decimas & alia spiritualia eis in pace dimittens*. etenim alia etiam abstulit. pergit Innocentius ipsos ad sedem Apostolicam confugisse, quæ cum afflictis deesse non possit, rogare se, vt in pristinum statum ipsos restituat, ac si quam accepisse iniuriam putat, regia clementia deleat: *Datum Laterani decimo septimo Kal. Ianuarij Pont. tertio decimo tertio.*] Hæc Pontifex, qui præterea Ingeburgem Reginam literis suis solatus est, quam Philippus iterum receptam indignè habebat.

d Ep. 187.

e Rigor. vbi sup. Philippi iratum causæ.

10 Egregiè meritus est eodem anno de catholica reli-

Philipp. in hæret. persequendis zelus. a Godefr. in annal. an. 1210. Hæresiarcha cum sectarijs flammis traditur. b Ber. chr. Rom. Pót. an. 1210

religione Philippus, in hæreseos enim extinguenda lue, Christianissimi principis præclarũ specimen dedit, vt refert Godefridus a: *Hoc anno in aduentu Domini quidam hæresiarcha Bernardus nomine, cum alijs nouem, quorum quatuor sacerdotes erant, Parisios venientes peruertere populum nitebantur: qui episcopo proditi comprehenduntur, & coram magistris & clero statuuntur; sed cum satis cum eis de fide disputatum fuisset, de hæresi conuicti, & a Rege in vigilia Thomæ Apostoli incendio perire iussi sunt.* hæc ille. De hæreticis hoc anno Parisijs deprehensis supplicioque affectis meminit etiam Bernardus b: verùm longè aliter, quàm Philippus Francorum Rex Raymundus Tolosanus, comes se gessit, non enim modò hæreticos non puniuit, sed etiam in suo comitatu permisit ac fouit. Quamobrem Innocentius, cui nihil cordi potius erat, quàm impios pestiferosque homines excindere, fideliumque communione arcere, monitorias literas, minarumque plenas dedit c: *Nobilitatem tuam*, inquit, *rogamus, monemus attentius, & hortamur, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus exterminare a terris eisdem hæreticos, prout te coram nobis promisisse recolimus, non postponas.* Raymundum in vrbem supplicem ad Innocentium se contulisse, quem Pontifex suis pedibus aduolutum, ad Regensem episcopum & M. The: reiecit, quo se de crimine hæreseos, ac de nece Petro de Castro nouo ob catholicam fidem illata purgaret, Petrus Vallisarnensis, vt vidimus, testatur. d Denique subdit Innocentius: *Alioquin exterminatoribus eorumdem terras ipsorum noueris esse concessas diuino iudicio possidendas. Dat. Later.* XVI. *Kalendas ianuarij.* vt verò in Raymundum pontificio edicto non audientem animaduerterit, proximo anno dicendum.

c Inn. l. 13 ep. 180. d Pet. Vallisar. hist. Albi. c. 33

Catholicorum in hæret. zelus. e Stad. in chron. f Godefr. in annal. hoc anno. Albij subacti. g Ber. chr. Rom. Pót. item Tolos. comit. eod. anno.

11 Interea quoniam de Albigensibus incidit mẽtio, videamus quid de catholicis aduersus eos ad arma concurrentibus, auctores hoc anno prodant. Plurimos ex vniuersa Gallia, Anglia, & Lotharingia crucesignatos, contra eosdem Galliarum hæreticos confluxisse, prosilijsseque tradunt Albertus Stadensis e & Godefridus f. vt verò dux exercitus Domini Simon Montfortius comes Albiam ciuitatem totamque ferè Albiensem diœcesim, aliaque hæreticorum loca obtinuerit, docet Bernardus g, quem paulo ante memorauimus. extat Pontificium diploma ad eundem Simonem hoc anno datum. h

Inn. Albiã confirmat Mõtfortio h Inn. l. 13 ep. 86. Lit. Inn. ad Montfortium.

Innocentius &c.

Habuisse baiulos dominici verbi fidem ad sinapis euangelicæ quantitatem felix tuæ translatio promotionis ostendit, dum nominationis tuæ non solum, sed & denominationis vocabula bonis interpretatus operibus in auditu auris obedisti secundum nomen tuum in locum peregrinationis exire, ac sicut mons infirmas partes Ecclesiæ munitiutus, ad verbum prædicatorum fidelium es translatus &c. Cum in manibus tuis quem zelus Domini contra fidei subuersores armauerit, idem Dominus ciuitatem tradiderit Albiensem, nos super hoc in Domino gratulantes, ciuitatem ipsam cum omnibus pertinentijs suis sicut tibi est ad diuinæ maiestatis honorem pro tutela pacis, & fidei defensione concessa, tibi & hæredibus tuis in fide catholica, & deuotione sedis Apostolicæ permanentibus, auctoritate apostolica confirmamus, &c. *Dat. Lateran.* IV. *kalend. iul. anno tertio decimo.*] Eidem etiam prouinciam imposuit i, vt trium denariorum censum, qui ex qualibet domo sita in terra ab hæreticis parta Apostolicæ sedi annis singulis debebatur, colligeret atque ad se transmitteret.

i ibid. ep. 189.

Minerba expugnata.

12 Succubuit præter Albios crucesignatorum sub Montfortio duce virtuti Minerba arx munitissima, in qua hæreticorum perditissimi ideo visi sunt se inclusisse, vt in ea veluti in arctissimo carcere iustissimo supplicio reseruarentur: suorum enim victorias efferente numine, redactoque in catholicorum potestatem oppido, in quod præcedente cruce, & vexillo comitis subsequente, ingressos ait Vallisarnensis a hymnum, Te deum laudamus concinentes, omnes hæretici vnum in locum coacti atque ad fidem catholicam amplectendam a comite admoniti, e quibus centum quadraginta & amplius, seruatis omnibus, qui Ecclesiæ conciliati sunt, in apparatum ardentem rogum summo furore vltro præcipites sese iniecere, vt suos dæmon martyres haberet. In eius porro obsidione miracula duo idem auctor obtigisse historiæ commendauit: *Quando exercitus peruenit ad obsidendum castrum, aqua quadam defluebat prope castrum, & erat modicissima, sed diuina miseratione in aduentu nostrorum ita subito excreuit aqua illa, quod sufficit abundantissimè toto tempore obsidionis hominibus exercitus & equis: durauit verò ipsa obsidio fermè per septem hebdomadas: recedente verò exercitu, sæpe dicta aqua retraxit se, & facta est modicissima sicut prius. O Dei magnalia! O bonitas redemptoris!* Alterum miraculum non minus, vt posteritati transfundatur, dignum est: iniectis enim mappalibus militaribus, flammis, casa, in qua sacerdos rem diuinam egerat, ardentibus cæteris, & volitantibus circum flammarum globis ignem non corripuit:

a Pet. Val. hist. Albig. c. 37. Iniecti flammis hæretici. Fons miraculosus cursu.

Cum recederet comes a castro Minerbæ, pedites exercitus mansiunculis, quas fecerant peregrini de ramis & frondibus, ignem miserunt: cellulæ autem, quæ erant siccissimæ, ita statim accensæ sunt, & tanta in altum per totam vallem flamma erupit, ac si aliqua ciuitas maxima combureretur: erat autem quædam cellula de frondibus similiter, in qua sacerdos quidam tempore obsidionis celebrauerat, alijs mansiunculis circumclusa, quæ ita miraculosè ab igne est illæsa seruata, vt nec etiam aliquod in ea adustionis indicium appareret, sicut a venerabilibus personis, quæ præsentes erant audiui. Statim currentes nostri ad mirabilem visionem, inuenerunt quod cellulæ, quæ combustæ sunt illi cellulæ, quæ incombusta mansit, vndique a dimidij pedis spatio iungebatur. O virtus immensa!

Oratorium inter flammas illæsum.

13 Adiungit auctor b insigne aliud prodigium de crucibus in templo B. Virginis Tolosæ per dies quindecim cõtra parietes recens dealbatos radiare, moxque euanescere conspectis: *Miraculum aliud quod contigit apud Tolosam, dum esset comes noster in obsidione Minerbæ, hic duximus inserendum: in ciuitate illa prope palatium comitis Tolosæ est quædam ecclesia fundata in honore B. M. Virginis, parietes autem illius ecclesiæ de nouo erant forinsecus dealbati: quodam autem die ad vesperum cœperunt videri infinitæ cruces in parietibus ipsius ecclesiæ circumquaque, quæ videbantur quasi argenteæ ipsis parietibus albiores, erant enim cruces semper in motu apparentesque subito statim non videbantur, siquidem multi eas videbant sed ostendere non valebant, ante enim quam posset digitum leuare quis, disparuerat crux, cui volebat ostendere, nam in modum coruscationis apparebant, nunc maiores nunc mediæ nunc minores. durauit visio ista ferè per quindecim dies, singulis diebus ad vesperam. Itaque ferè omnis populus ciuitatis Tolosæ hæc viderunt. Vt verò fides dictis adhibeatur sciat lector, quod Fulco Tolosanus, Raymundus Biterrensis episcopi, & abbas Cisterciensis Apostolicæ sedis legatus, & magister Theodisius, qui in Tolosa tunc erant viderunt, & mihi per ordinem narrauerunt. Accidit autem Deo disponente, quod capellanus prædictæ ecclesiæ cruces videre non potuit prænotatas: quadam igitur nocte intrans ipsam ecclesiam dedit se in orationem, rogans Dominum, vt sibi dignaretur ostendere quod viderant ferè omnes: subito autem vidit innumerabiles cruces non in parietibus sed in aere circumfuso, inter quas vna cæteris maior & eminentior cunctis erat, mox egrediente maiore de ecclesia*

b ib. c. 38. Prodigiũ de crucibus Tolosæ apparẽtibus.

om-

omnes egressa sunt post illam, cœperuntque recto cursu tendere versus portam ciuitatis: sacerdos autem vehementissime stupefactus cruces illas sequebatur, & dum essent in egressu ciuitatis, visum est sacerdoti, quod quidam tandem in ciuitatem reuerenaus & decorus aspectu, euaginatum tenens gladium, crucibus illis præbentibus ei auxilium, quendam magnum hominem egredientem de ciuitate in ipso ingressu interfecit: sæpe dictus itaque sacerdos factus quasi exanimis præ timore cucurrit ad dominum Uticensem episcopum, procidensque ad pedes eius istud sibi per ordinem enarrauit. Nec a verisimili abest hoc obiecto viso pugnam illam Deum portendere voluisse, in qua postea Petrus Aragoniorum Rex Tolosa egressus ac secum hæreticorum copias aduersus Montfortium trahens, dum Murellum obsidione premeret, ab illo cæsus occubuit.

Præsagium futuræ cædis Regis Arag.

Apud S. Aeg. concil. celebrat.

14 Redierat Roma, vt diximus, Tolosanus comes, atque vt se de hæresi ac Petri e Castro nouo Apostolicæ sedis legati nece purgaret, enixe postulauerat. Sed episcopus Regiensis, ac magister Theodisius, quibus Pontifex mandauerat, vt purgationem illi indicerent, cum artibus periurijsque crimen a se depulsurum facile nossent, indicto in oppido S. Aegidij conuentu prælatorum negarũt Raymundo purgationem, ni prius in leuioribus pontificijs mandatis, vt hæreticorum expulsione, tollendisq; vectigalibus obsequẽtem se præbuisset. Eo responso percussus Raymundus inhorruit, vtque demissi erat animi, lacrymas vbertim effudit, quod recuperandæ ditionis spe concepta deiectum se videret; At Theodisius cum eas lacrymas non ex criminum dolore, sed timore emanare nosset, illum scripturæ sacræ textum acutè intorsit: In diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt; vt se manibus comitis lacrymis non mollitum iri significaret. Atque in eo ipso præsulum cœtu ob iustas causas ait Albigensis historiæ auctor [a] fidelium cœtu submotum. Narbonæ postea Rex Aragonum Petrus, comes Tolosanus, & comes Montisfortis in colloquium descendere [b] cui legati Apostolici Uticensis episcopus abbasque Cisterciensis, *qui præcipue post Deum*, ait Petrus [c], *Iesu Christi negotium promouebat*, alijque conspicui dignitate virtuteque viri præsentes affuere; eaque conditio Tolosano comiti oblata est, modò hæreticos eijceret, vt omnem ditionem suam illæsam, illaque etiã iura, quæ supremi dominij titulo in hæreticorum terras obtinebat, integra seruaret; quin etiam quarta vel tertia locorum vectigaliũ ab hereticis possessorum pars in ipsius lucrum cederet: quo ille beneficio spreto in magna se discrimina calamitatesque coniecit. Agitatum etiam de conciliando Ecclesiæ Fuxensi comite, illique propositum, si Ecclesiæ morem gerere nec cruesignatis bello petere vel infestare sacramento polliceretur, Apamias a Montfortio ipsi cteptas restitutum iri; sed eo eas leges non admittente Aragonum Rex Fuxo, alijsque tertis, quæ ab ipso supremi dominij iure pendebant, præsidia imposuit, pollicitusque est legato nullum inde malum in catholicos erupturum, & si comes Fuxensis ab Ecclesia recederet, Fuxum comiti Montfortio traditurum, atque ea de re literas Montfortio dedit: verùm Rex fidem suam postea turpissimè corrupit, sibique æternum dedecus inussit. Illud porrò prætereundum non videtur, Montfortium antequam Narbonensis cœtus dissolueretur, a legatis rogatum, vt pro Carcassonæ ditione Montfortium in hominem ligium acciperet, tandem eorum precibus adductum admisisse. [d]

Quid gestum cum Raymũd

Narbonése colloquium.

a Pet. Val. c. 39. 40. 41.

b Id. c. 43.

c Id. c. 42

Conditiones Raym. oblatæ.

Montfort a Rege Aragon. stipendiarius admittitur.

d Id. c. 47.

15 Antequam verò id colloquium institueretur, diuina prouidentia Montfortium a maximis periculis liberauit, dum Thermarum obsidionem vrgeret, quæ narrat Petrus Vallisarnensis [e]: *Die quodam comes noster machinam quandam paruam, quæ lingua vulgari catus dicitur, faciebat duci ad fodiendum castri murum. Dum igitur comes esset prope machinam illam & loqueretur cum quodam milite, brachiumque suũ super collum illius causa familiaritatis teneret, ecce lapis ingens iactatus a mangonello aduersariorum cum maximo impetu veniens ab alto percussit in capite militem prænotatum, mira Dei operante virtute comes, qui militem illum quasi amplexatus erat, illæsus permansit, miles autem ictum mortis suscipiens expirauit. Alia etiam die dominica erat comes in papilione suo missamque audiebat, contigit autem Dei prouidente clementia, dum staret erectus comes, & audiret missam, quod seruiens quidam Deo disponente, retro ipsum prope dorsum ipsius staret, & ecce sagitta per balistam ab aduersario emissa seruientem illum percussit, & occidit, quod diuina pietate dispositum nullus debet ambigere, vt videlicet dum seruiens ille stans retro comitem ictum sagittæ susciperet, pius Deus Ecclesiæ suæ sanctæ athletam suum strenuissimum conseruaret.*

e Id. c. 42.

Ereptus e periculis diuinitus Montfortius.

16 Cum Fuxensis comitis confirmatę pernicaciæ mentio a nobis paulo supra edita fuerit, hic illius scelera ex Petro [a] Vallisarn. in posterorum oculis defigere visum est, vt Ecclesiæ explicitam in illum mansuetudinem atque in fulminandis aduersus perfidum censuris, occupandisque armorum vi terris æquitatem intueri possint. Non ille modò infectus hæresi, sed etiam affines eo scelere imbuti, adeoque in catholicos efferati, vt in carnificum naturam degenerasse viderentur: ex quibus vnus canonicum prope Apamias sacra facientem obtruncauit, illiusque sanguinem cum Christi sanguine in altari miscuit, viroque religioso oculos effodit. Nec minus ipsius comitis animum hæresis in feritatem asperabat, adeo vt monasteria disturbaret, sacras expilaret opes, in piaa domos meretriculas induceret, fidem datam violaret, reliquias sanctorum sperneret: vnde id memorabile aliquando contigit, vt dum solemnem supplicationem, in qua S. Antonini lipsana summa religione deferebantur, nullo cultu exhibito, fastu superbiens præteriret, Cisterciensis abbas de monte sanctæ Mariæ comiti zelo pio æstuans inclamaret: Nullum tu sancto Martyri honorem defers, at scias te huius vrbis dominij honore in pœnam aliquando exuendum. nec a dictis fides absuit, cum diuina tandem ira ipsum e sua ditione eiecerit.

a Ib. c. 44. 45.

Comitis Fuxi scelera.

Illius impietas.

Prædicitur dirutionis ipsius amissio.

17 Hinc sceleratis eius exemplis ad improbiora pellecti eius satellites, scelera patrare triumpho vertebant. Diripuerat ille S. Antonini castrum ac S. Mariæ in Urgellensi comitatu monasteria: ad quæ alludens vir improbissimus, vt refert Vallisarnensis [b]: *Ecce, ait ei, destruximus S. Antoninum & S. Mariam, nihil adhuc nobis restat nisi vt destruamus Deum;* atque hæc, ac similes blasphemæ voces ioci & sales erant improborum. atque, vt ad eam insaniam prorupisse viderentur, idem comes eiusque furoris socij pendentis e cruce Christi imaginibus crura brachiaque diffringebant, ijsque herbas piperemque contrinere; eò, inquit auctor, Iudæis carnificibus crudeliores, qui Christo saltem crura non diffregere. Aliàs ipso sicarijs stipato ecclesiam ingresso ex suis vesanus quidam Crucifixi imagini per ludibrium galeam imposuit, scutum manibus inseruit, admouit calcaria, moxque correpta hasta furoreque percitus imaginẽ transuerberare cœpit blasphemaq; voce lacessere, vt se ab impetu hostili liberaret. Tanta illius erat perfidia, vt si aliquos deditione caperet, violata mox fide crudelissimè enecaret, iactaretque se cruce insignitos omnes si posset obtruncaturum. Inde eo furore actus, quos aperta pugna vincere non poterat, latronum more comparatis insidijs facto in imprudentes impetu trucidabat. Imbuerat etiam ferinos illius mores a patris improbitate non degener Rogerius filius, qui dum Vaurum obsideretur, in in-

b Ib. c. 46.

Blasphemæ suorũ voces.

Eorum sacrilegia.

Comitis crudelitas

cautam ac simplicem crucesignatorum turbam nihil metuentem crudelissimam carnificinam exercuit. Ex illa sacerdos, qui sese fuga subduxerat atque ad ecclesiam confugerat, dum insequenti sacerdotem se profiteretur ac nudato capite characteris insigne ostentaret, elata securi sacrilegus ictum lethalem capiti incussit, quod immane & crudele facinus Vallisarnensis historiæ commendauit a. Ad tantum hæreticorum elidendum furorem strenuè desudatum est, scripsitque præterea hoc eodem anno Innocentius ad Aquensem episcopum, & Cisterciensem abbatem, eisque quo hæreticæ prauitati expugnandæ crucesignati studijs maioribus incumberent, vices suas commisit b in Gallorum prouincijs, ac locis quæ in epistola enumerat.

a Ibi c. 50.

b Inn. lib. 13 ep. 87.

18 Qui verò totis viribus hæreticos insectatus, resipiscentes atque ad catholicam ecclesiam redeuntes recipi humanissimeque haberi iussit, Narbonensi archiepiscopo eiusque suffraganeis mandat c, Durandum de Osca, eiusque socios, qui ad catholicæ fidei castra sese receperant, benignè tractent, vt alij eorum exemplo allicerentur, eosque priuilegijs muniuit d. Præterea missis ad Tarraconensis ecclesiæ archiepiscopum ac suffraganeos literis suis e præcepit eiusmodi pœnitentes in Tarraconensi prouincia reciperent ex præscripto formulæ catholicæ, quam memoratus Durandus, Guillelmus, Bernardus Biterrensis, cæterique eorum socij Romæ se coram fuerant professi, quam Pontifex epistolæ suæ intexuit:

c Ep. 60. Insignis aliquorum conuersio.

d Ep. 74.

e Ep. 75.

Innocentius &c.

Cognouimus eos fidem sapere orthodoxam, & catholicam astruere veritatem: ad maiorem tamen expressionem appositis euangelijs, & scripto confessionis eorum imposito super illa recepimus ab eis huiusmodi iuramentum: Ego, inquit Durandus de Osca, inter manus tuas consecratas summe Pontifex domine Innocenti, Deum innoco testem in animam meam, quod ita simpliciter, & veraciter credo, sicut in hoc scripto per omnia continetur, & contrarium nunquam credam, & contrarium credentibus pro posse meo resistam. Tibi verò tanquam beati Petri Apostoli successori, archiepiscopis, episcopis, alijsque prælatis, in quorum diœcesibus, & parrochijs commorabor, obedientiam, & reuerentiam exhibebo tam debitam, quam deuotam. Scriptum autem eorum confessionis est tale:

Iusiurandum Pont ab ijs præstitum.

19 Pateat omnibus fidelibus, quod ego Durandus de Osca, & Guillelmus de sancto Antonino, & omnes fratres nostri corde credimus, fide intelligimus, ore confitemur, & simplicibus verbis affirmamus Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, tres personas esse vnum Deum, totamque Trinitatem coessentialem, & consubstantialem, & coæternalem, & coomnipotentem, & singulas quasque in Trinitate personas plenum Deum, sicut in Credo in Deum, & in Credo in vnum Deum, & in Quicumque vult, continetur. Patrem quoque, & Filium, & Spiritum sanctum, vnum Deum, de quo nobis sermo, esse creatorem, factorem, gubernatorem, & dispositorem omnium corporalium, & spiritualium, visibilium, & inuisibilium corde credimus, & ore confitemur. Noui, & veteris testamenti vnum eundemque auctorem Deum esse credimus, qui in Trinitate, vt dictum est, permanens de nihilo cuncta creauit. Ioannemque Baptistam ab eo missum esse sanctum & iustum, & in vtero matris suæ Spiritu sancto repletum. Incarnationem diuinitatis, non in Patre, neque in Spiritu sancto esse factam, sed in Filio tantum, corde credimus, & ore confitemur, vt qui erat in diuinitate Dei Patris Filius Deus verus ex Patre, esset in humanitate hominis Filius, homo verus ex matre veram carnē habens ex visceribus matris, & animam humanam rationabilem simul vtriusque naturæ, idest, Deus & homo, vna persona, vnus Christus, vnus Filius, vnus Deus cū Patre, & Spiritu sancto omnium auctor, & rector, natus ex Virgine Maria vera carnis natiuitate, mãducauit, & bibit, dormiuit, & fatigatus ex itinere quieuit. Passus vera carnis suę passione, mortuus vera corporis sui morte, & resurrexit vera carnis suę resurrectione, & vera animę ad corpus resumptione, in qua postquam manducauit, & bibit, ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris, & in eadē venturus est iudicare viuos & mortuos. Corde credimus, & ore confitemur, vnam etiam non hæreticorum ecclesiam, sed sanctam Romanam catholicam & Apostolicam, extra quam neminem saluari credimus.

Illorum fidei professio.

De Deo trino & vno.

De verbo incarnato.

20 Sacramenta quoque, quæ in ea celebrantur, inæstimabili, atque inuisibili virtute Spiritus sancti cooperante, licet a peccatore sacerdote ministrentur, dum Ecclesia eum recepit, in nullo reprobamus. Nec ecclesiasticis officijs, vel benedictionibus ab eo celebratis detrahimus, sed beneuolo animo tanquam a iustissimo amplectimur, quia non nocet malitia episcopi, vel presbyteri, neque ad baptismum infantis, neque ad sacramentum Eucharistiæ consecrandum, neque ad cætera ecclesiastica officia subditis celebrãda. Approbamus ergo baptismum infantium, qui si defuncti fuerint post baptismum antequam peccata committant fatemur eos saluari. Credimus & in baptismate omnia peccata, tam illud originale peccatum contractum, quam illa, quæ voluntarie commissa sunt dimitti. Confirmationem ab episcopo factam, id est, impositionem manuum sanctam, & venerandè accipiendam esse censemus. In sacrificio Eucharistię, quæ ante consecrationem erant panis & vinum, post consecrationem esse verum corpus, & verum sanguinem domini nostri Iesu Christi firmiter, & indubitanter corde puro credimus, & simpliciter verbis fidelibus affirmamus, in quo nihil a bono maius, nec a malo minus credimus perfici sacerdote, quia non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur creatoris, & in virtute Spiritus sancti, vnde firmiter credimus, & confitemur, quod quantumcunque quilibet honestus, religiosus, sanctus, & prudens sit, non potest, nec debet Eucharistiam consecrare, nec altaris sacrificium conficere nisi sit presbyter a visibili, & tangibili episcopo regulariter ordinatus, ad quod officium tria sunt, vt credimus, necessaria, scilicet certa persona, id est, presbyter ab episcopo, vt supra diximus, ad illud propriè officium constitutus; & illa solemnia verba quæ a sanctis patribus in canone sunt expressa; & fidelis intentio proferentis.

De Sacramentis.

De eucharistia.

21 Ideo firmiter credimus, & fatemur, quod quicunque sine præcedenti ordinatione episcopali, vt prædiximus, credit, & contendit se posse sacrificium Eucharistiæ facere, hæreticus est, & perditionis Chore & suorum complicum est particeps, atque consors & ab omni sancta Romana Ecclesia segregandus. Peccatoribus verò pœnitentibus veniam concedi a Deo credimus, & eis libentissime communicamus: vnctionem infirmorum cum oleo consecrato veneramur. Coniugia carnalia esse contrahenda secundum Apostolum non negamus, ordinariè verò contracta disiungere omnino prohibemus. Hominem quoque cum sua coniuge saluari credimus, & fatemur, nec etiam secunda, vel vlteriora matrimonia condemnamus; carnium perceptionem minimè culpamus, non condemnamus iuramentum, immo credimus puro corde, quod cum veritate, & iudicio, & iustitia licitum sit iurare. De potestate seculari asserimus, quod sine peccato mortali potest sanguinis iudicium exercere, dummodo ad inferendam vindictam, non odio, sed iudicio, non incaute, sed consulte procedat. Prædicationem necessariam valde, & lauda-

De ordine.

laudabilem esse credimus, tamen ex auctoritate, vel licentia summi Pontificis, vel prælatorum permissione illam credimus exercendam. In eis verò locis vbi manifestè manent hæretici, & Deum & fidem sanctæ Romanæ Ecclesiæ abdicant, & blasphemant, credimus quod disputando, & exhortando secundum Deum modis omnibus debeamus illos confundere, & eis verbo dominico veluti Christi & Ecclesiæ aduersatijs fronte contraire vsque ad mortem libera.

De traditionibus.

Ordines verò ecclesiasticos, & omne quod in sancta Romana Ecclesia sancitum legitur, aut canitur, humiliter laudamus, & fideliter veneramur; diabolum, non per conditorem, sed per arbitrium, malum esse factum credimus. Corde credimus, & ore confitemur, huius carnis, quam gestamus, & non alterius resurrectionem. Iudicium quoque per Iesum Christum esse futurum, & singulos pro ijs, quæ in hac carne gesserint recepturos vel præmia, vel pœnas firmiter credimus, & affirmamus; eleemosynas, sacrificium, cæteraque beneficia fidelibus posse prodesse defunctis credimus. Remanentes in seculo, & sua possidentes eleemosynas, & cætera beneficia ex rebus suis agentes, præcepta domini seruantes saluari credimus & fatemur. Decimas, primitias, & oblationes ex præcepto Domini credimus clericis esse persoluendas. Quia verò non solùm fides recta, sed bona etiam operatio exigitur ad salutẽ, quoniã sicut sine fide impossibile est placere Deo, ita fides sine operibus mortua est, &c.] Subduntur plura de laudabili eorum vitæ instituto, quæ cum cæterorum virorum religiosorum sacræ disciplinæ consentiant, prætermittenda censuimus. Quæ porro illius prouinciæ præsulibus iniunxit, vniuersis postea archiepiscopis, atque episcopis imperauit a, eos qui ad fidem catholicam redirent, reciperent fidei præmissa confessione, quam Bernardus Romæ emisisset, cuius exemplum ideo literis suis inseruisset. Quod verò ad Narbonensem archiep. cuius paulo ante meminimus; Innocentius memoratis Regensi episcopo, & Cisterciensi abbati Apostolicæ sedis legatis in illum atque Auxitanum archiep. inquirendi munus imposuit. b

a Eodem lib. 13. ep. 90.

b Ep. 84.

22 Cum verò in Gallijs nostra versetur oratio, opportune hic addendum videtur, Innocentium non solùm pro fide catholica, verùm pro collapsa regulari disciplina restituenda elaborasse, testantur priores eius epistolæ hoc anno datæ c, quibus de religiosa Corbeiensi familia, a laxiore vita ad seueriorem disciplinam reuocanda agit, atque in id omni studio incumbentibus Rothomagensis prouinciæ nigri ordinis abbatibus gratulatus, animos addidit, d vtque adeo singulis annis comitia celebrare possent permittit, atque hæc aliarum literarum est sententia. e Cumque immani adeo facinore se deuinxissent Celensis ecclesiæ canonici, vt abbatem suum e medio tollerent, iustissimus vindex Innocentius, Turonensi archiepiscopo parricidas exauctorare iussit, f ni graue scandalum timeretur, singulos arcta custodia perpetuò inclusos, pane tribulationis, & aqua doloris vt ait ad prorogandum ieiunæ vitæ supplicium sustentari; alioqui si scandali periculum immineret, seculari curiæ vltima pœna plectendos tradi. Quemadmodum verò parricidas atque irreligiosos homines puniendos statuit, ita Burgensis & Palentinæ diœceseon in Hispania abbatissarum insanam ac sacrilegam temeritatem repressit, g quæ monialium suarum confessiones audire, ijs benedicere, publicasque conciones habere ineptissimè præsumpserant.

c Inn. ep. 1. & 2. Restituitur regularium disciplina.

d Ep. 116.

e Ep. 175.

f Ep. 124.

Abbatissæ temeritas sacrilega.

g Ep. 179.

23 Iam in Germaniam orationem traducamus. Delatum ante fuerat ad Apostolicam sedem Bohemiæ Regis facinus, qui repudiata A.. marchionis Misnensis sorore, quam duo & viginti annos atque eo amplius in matrimonio habuerat, ex eaque susceperat liberos. C. Vngarorum Regis sororem vxorem duxerat. Verùm cum res primò Romæ coram Petro tituli sancti Marcelli presbytero Cardinali in contentionem deducta esset, deinde in Germania apud alios iudices, tum ab H. Ostiensi episcopo, ac Leone tituli sanctæ Crucis presbytero Cardinali legationis ibi munere ea tempestate fungentibus, tum ab Innocentio ipso delegatis, ac postremò apud Apostolicam sedem rursus agitata fuisset, tandem Pontifex, vt ex literis ad Misnensis marchionis sororem id. apr. hoc anno datis apparet, litis dirimendæ causa partibus aduersis ad dicẽdam causam diem constituit; atque in eandẽ sententiam ad Bohemorum Regem atque ad Vngariæ Regis sororem scripsit. Per id tempus cum Austriæ dux filio suo Misnensis marchionis filiam matrimonio coniungere vellet, pro remouendo cognationis impedimento ad Innocentium scripsit, qui Salisburgensem & Magdeburgensem archiepiscopos de eo impedimento inquirere, perspicereque iussit, a quæ ad rempublicam vtilitas ex eo coniugio emanare posset.

Rex Bohemiæ vxorem repudiat.

Aust. dux dispensat. pro filio petit.

a ep. 121.

24 Cùm verò de Germaniæ principibus nobis sermo fit, haud silentio prætereundum, egregium Vvaldemari Danorum Regis consilium, namq; orthodoxæ fidei zelo æstuans, ad reprimendam incredulæ gentis feritatem, crucesignatorum militię nomine dato, bello persequi barbaros decreuerat: quare summus Põtifex eum laudibus extulit, bonaque omnia in suam tutelam admisit. vt liquet ex Innocentij epistola: *Quod orthodoxæ fidei zelo succensus ad laudem diuini b nominis, & Christianæ religionis honorem, signo Crucis assumpto, ad reprimendam feritatem incredulæ nationis, regalis exerere decreuisti gladium potestatis pium deuotionis tuæ propositum in Domino commendamus, illudque fauoris Apostolici gratia prosequentes personam & regnum tuam cum omnibus bonis tuis sub beati Petri, & nostra protectione suscipimus. Statuentes, vt quandiu vacaueris operibus huiusmodi pietatis, integra remaneant, & a cuiuslibet temeritatis incursu quieta consistant, &c. Dat. Later. non. maij pontificatus nostri anno 13.*

Vvaldemar. Rex Dan. crucem assumit.

b Ep. 62.

25 Hoc interim spatio longè secus se gerebat Vvaldemarus alter Sleuicensis olim episcopus, qui in Bremensem, vt vidimus, archiepiscopum postulatus, ac postea ab Apostolica sede reiectus ecclesiam illam ciuesque per suos fautores exagitabat. Quare Innocentius Osnaburgensem episcopum, qui iure ad sedem Bremensem vocatus fuerat, quamprimum transtulit, missis ea de re Mindensi electo litteris c. In eandem sententiam ad suffraganeos & canonicos atque ad episcopum ipsum scripsit. at quid post hæc temerarius & audax Vvaldemarus tentauerit, quidve Pontifex gesserit, suis locis dicendum erit. Hoc eodẽ anno nobili viro Alberto Arnesremon in Odonem subdiaconum antea contumaci, postea veniã ab Apostolica sede demisso animo imploranti absolutionis beneficiũ largitus est; id verò ab Innocentio ipso præstat decerpere, vt quàm graui animaduersione digni existimarentur, videamus, qui in Romani Pontificis ministros contumeliosi extitissent. Ita igitur ad Magdeburgensem archiepiscopum, eiusque capitulum scripsit: d *Demum tamen ad compositionem huiusmodi pro satisfactione subdiacono ipsi præstanda spontanei deuenerint, vt videlicet idem nobilis honorificentiam illi, & sibi verecundiam faciendo cum ducentis militibus a loco, in quo præfatum subdiaconum capturauit vsque ad ciuitatem Magdeburgensem, & per omnes conuentuales ecclesias portet opprobrium, quod hariuscare vulgariter appellatur, detque sibi centum milites vassallos, qui nunquam a sua fidelitate recedant, ac turris in qua fuit carceratus, funditus destruatur, & quinque libras monetæ vsualis, cui vel quibus ecclesijs voluerit subdiaconus antedictus, assignet in perpetuum annualiter persoluendas, petatque ab ipso veniam cum viginti nobilibus reuerentiam corporalem exhibendo de more, cum quibus etiam ipse iuret*

Osnabur. episc. Bremam translatus.

c Ep. 158.

d Ep. 127.

Pœnitentia viro nobili inflicta.

se nequaqu[illegible] e sconcepisse in persona vel rebus eidem subdiacono inferre læsionem, sed ex quadam vehementia & calore animi, quod factum fuerat, euenisse. Datum Lat. 5. non. octob. anno 13.

Adolphus Colon. in gratiam receptus.

26 Induerat iã aote partem senectitatem in Adolphnm Coloniẽsem olim archiep. qui spretis pontificijs iussis Philippi Sueui (vt vidimus) partes fuerat secutus. sed demum in amicitiam pœnitentem receptum non pristinæ quidem restituit a dignitati, sed rigore clementia temperato ad spem meliorum erexit.

a Ep. 69.

Adolpho quondam Colonien. archiep.

Ep. 173.

Ad hoc exemplaria cælestis imaginis in diuinis voluminibus sunt descripta, vt eã non solùm venerari curemus, sed etiam imitari, non tam auditores verborum quam rerum factores effecti; quia non anditores legis, sed factores iusti sunt apud Dominum. Sacra quippe scriptura docente didicimus, quod in arca fœderis Domini cum tabula legis virga continebatur & manna, quoniam in pectore summi Pontificis, quod per arcam fœderis designatur, cum scientia legis diuinæ debet virga correctionis & manna dulcedinis cootineri, vt sciat vulneribus fauciati oleum infundere super vinnm, & quem nouit ex rigore percutere, sciat etiam ex benignitate sanare, humiliando superbos, & humiles erigendo, &c.]

27 At Germanicis rebus Polonicas annectamus; datis Pontifex ad Gnesnensem archiepiscopum, & suffraganeos literis b Poloniæ ducis constitutionem, qua statuitur, vt eius maior natu Cracouiensem ciuitatẽ obtineat, firmam esse iussit. Cumq; Christianus, Philippus, nonnulliq; alij monachi diuinum verbum ab Innocentio accepra facultate, magoo cum fructu in Prussia disseminassent, optimatibus quibusdam, alijsque cœlesti lauacro expiatis, Pontifex eidem archiepiscopo mandat tum monachis, tum ijs qui Christianis sacris erant initiati, suam opem auxiliumque præstaret, voluitque, vt randiu in eos pastoris munus exerceret, quoad diuino fauente numine, efflorescente que religione, & crescente fidelium numero, episcopus præfici ipsis posset.

b Ep. 78.

Cracou. maiori natu Phil. duc. Pol. attributa.

Religio in Pruss. propag.

c Ib. epist. 528.

S. Francisci reg. institut.

d Luc. annal. mi. hoc ann.

28 Scripsisse hoc anno diuum Franciscum religiosæ vitæ præcepta, quibus ad virtutes comparandas sui sodales instruerentur, eamque ab Innocentio Papa diuinis visis monito confirmatam tradit Lucas d Vvadingus, qui ipsum Romæ Cardinalium ac principum gratiam sibi suisque conciliasse, res admirandas patrasse, sodalitio suo plures adscripsisse, fuse ostẽdit; ipsum de his lector consulat, cum per annos singulos sancti Francisci, Franciscanorumque res gestas exactissimè literis prosequatur. De imperritis verò hoc eodem anno priuilegijs, suffecerit literas Apostolicas ea continentes in margine eum numeris in regesto Vaticano appositis annotare. Denique concordiam inter B. Campaniæ comitissam, & Philippum Francorum Regem de eiusdem comitissæ filij custodia, ac de clientaris officij sponsione Regi præstanda, quam homagium vocant, ratam, firmamque esse decreuit. e Vtque his similia annectamus, extant data ab Innocentio f diplomata, quibus initam inter Rigensem episcopum, & Christi milites Liuoniæ compositionem confirmat, vbi de eorum instituto hæc insinuat: *Regularem fratrum militiæ templi seruantes aliud in habitu signum præferent, vt ostendant se illis nequaquam esse subiectos.* Præterea alio diplomate concordiam priorem inter fratresque sanctorum quatuor Coronatorum, & priorem, & conuentum Lateranensem firmam reddit. g Plura id genus alia addi possunt, quæ ne tædium lectori afferamus, dedita opera omittimus, atque de occidentalibus rebus satis.

Priuilegia ab Innoc. concessa. Ep. 20. 21. 33. 45. 48. 76. 77. 91. 85.

e Ep. 172.

f Ep. 131. 192.

g Ep. 197.

Ecclesiastici in Oriente oppressi.

29 Iam ad orientales nos conuertamus. Incesserat istis temporibus mos improbus, vt Christiani principes auaritiæ stimulis exagitati, ecclesiastica bona inuaderent; quapropter haud mirum videri debet, si nostrorum ibi res in deterius quotidie labentes, non ita multò post corruerint, cùm certissimis experimentis sit deprehensum, Christianorum opes Deo permittente labefactari, euertique, cùm ipsi Ecclesiam vexant ac lacerant; vt merito diuina illa oracula sint inculcanda: a *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram; apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.* Occupantibus igitur in orientali Imperio ecclesiastica bona principibus, ad ipsos ab eo scelere submouendos, plurimum fuit Innocentio obnitendũ. In primis Henricum Constantinopolitanum Imperatorem, vt Ecclesiæ bona restituat, rogat, b monetque: *Ad ecclesiastica bona manus extendere non deberes, cum Ecclesiæ sponsus Christus amplificauerit tibi manus, nec grauare debes ecclesias, quarum credis ministrorum precibus flecti Christum, vt te ab hostium grauaminibus tueatur, &c. Datum Laterani non. iulij anno 13.* Hæc Innocentius ad Henricum, cui præterea mandat, c reuocaret constitutionem illam, qua simul cum principibus suis cauerat, ne possessiones ecclesijs dono dari, vel testamento relinqui possent, ad quod præstandum commonere, & censuris ecclesiasticis adigi præcepit Othonem e Rocca Athenarum dominum, eiusque Imperij proceres, qui idipsum edicto vetuerant. Iussit præterea Henricum ecclesiastica bona a se occupata reddere, d atque ab alijs similiter iniquè detenta, restituenda curare, quod literis suis etiam ad ipsos datis præcepit, e eosque insuper ab episcopis censuram ecclesiastica, si opus foret, compellendos instituit. f Ad hæc subleuandis religiosis viris, qui a potentioribus opprimebantur, omnem operam impendit. Constantinopolitanus Imperator quędam Templariorum oppida cum abstulisset, Innocentius Atheniensi ac Neopatrensi archiepiscopis & Daualiensi episcopo mandat, g cogant dominis erepta restituere, minasque addit, ni obtemperet: insuperque pro ijsdem equitibus rescripsit h hoc anno aduersus insulæ Negrepõti dominum, & nobilem virum Ni. de sancto Amero, qui ipsorum bona iniustè detinebant: ne verò rectè facta Henrici Imperatoris per inuidiam silentio præterire videamur, addimus hoc eodem anno Innocentium Papam donationem xenodochio sancti Sansonis ab illo factam confirmasse; hæc enim ad præceptorem, fratresque xenodochij sancti Sansonis Constantinopolitani scripsit: i *Castellum quod Garelis vulgariter appellatum, vobis cum pertinentijs suis charissimus in Christo filius noster Henricus Constantinopolitanus Imperator pro liberalitate donauit, domos quoq; &c. vobis, & per vos domui vestræ auctoritate Apostolica confirmamus.*

a Psal. 2.

b Lib. 13. ep. 96.

c Ib. ep. 99. Iniqua edictus in eccles. constitutum.

d Ep. 105.

e Ep. 96. 103.

f Ep. 95.

g Ep. 118. 119.

h Ep. 97. 98. 104. 106. 130. 155.

h Ep. 128. 129.

i Ep. 144. 145. Liberalitas eius in pauperes.

l Ep. 37.

30 Larissensi præterea archiepiscopo, Cithoniensique episcopo imperat, m vt Latinos laicos votiuas decimas soluere compellant: rursusque ad tuenda ecclesiastica iura Gaufridum Achaiæ principem Patracensi archiepiscopo, qui ecclesiam suam ad piratarum arcendas incursiones ædificijs muniebat, impedimento non esse iussit, n cumque eiusdem archiepiscopi Baliuus pro ecclesiæ iuribus tuendis naribus crudeliter mutilatus esset, ecclesiæ bonis alendum rescripsit: o postremò pro archiepiscopo ipso, eiusque ecclesia alias literas hoc eodem anno dedit: p quo etiã anno ad Atheniensem, Neopatrensem, aliarumque ciuitatum electos, dato diplomate q principum virorum, qui intra Thessalonicensis regni, & Corinthi fines habitabant, cessionem confirmat. Cesserant ij iuri suo coram Constantinopolitano patriarcha Henrico Imperatore approbante, quod in monasterijs fundisque ecclesiasticis sibi arrogarant vel prætenderant. Præterea vt amantissimus pater cunctis opem laturus ad Patracensem modò dictum archie-

m Id. ep. 152.

n Ep. 61.

o Ep. 59.

p Ep. 62.

q Ep. 184.

chiepiscopum contra eos, qui fideles in Achaia opprimebant, Græcisque adhærebant, qua de re ab Achaiæ principe certior fuerat factus, ardentes literas dedit: a Thebanum archiepiscopum redarguit b, quod sæpe leui de causa clericos, Christianorum communione arceret, similiterque Achaiæ præsules, ne temerè viros ecclesiasticos censuris grauarent c, coercuit. cumque fratres militiæ Templi Cytoniensis episcopi nomen Pontifici detulissent, quod capellano ipsorum sodali sacrum Viaticum, & calicem quem cum Eucharistia gestabat, vi abstulisset, maleque acceptum rapi in vincula iussisset, & cuidam ipsorum famulo ad augendam ipsis contumeliam, ecclesiastica Sacramenta denegari curasset, vnde sine pœnitentia ac viatico mortem obierat, Innocentius Fermopilensi episcopo, alijsque eiusdem episcopi causæ cognitionem demandauit d. Nobilem mulierem olim Montisferrati marchionis vxorem fratres militiæ Templi etiam diuexantem repressit e, aduersus quam semel iterumque hoc anno literas dedit f. Henrico Imperatori, vt Dominici sepulchri priorem & capitulum in possessione monasterij S. Lucæ de Sciro Apostolica auctoritate concessi fulciret, retineretque, commendauit g. Thermopilensi ac Sardicensi episcopis inhibuit h, ne Thessalonicenses clericos, qui ad Romanæ Ecclesiæ obedientiam redierant, affici molestia permitterent.

a Ep. 23. b Ep. 14. c Ep. 26. Cytoniensis episc. facinus violentum. d Ep. 142. e Ep. 143. f Ep. 98. 107. g Ep. 108. h Ep. 38.

31 Vtque paterno sinu reuersos amplexum vidimus, ita Corinthios, qui ab eius obsequio desciuerant, reuocare diligentissimè studuit i; nec minus industriæ ad seruandam catholicorum concordiam adhibuit; quapropter Latinos Achaiæ antistites monuit l, episcopatuum finibus, quibus Græcorum limites includebantur, contenti essent, atque simultatibus abstinerent. Cùm verò Dunicensis episcopus a sede sua triennio abfuisset, ad illam reuocauit. m Neque hoc loco reticendum in agris oppidisque, quę O.. de Rocca Athenarum domino subiecta erant, vti princeps petierat, Latinis laicis Latinos sacerdotes præfecisse n; cumque Thomas Constantinopolitanus patriarcha Venetis dumtaxat in ecclesia sua Francis alijsque reiectis conferret, de quo apud Pontificem questus fuerat Henricus Imperator ne id in posterum fieret, Innocentiusque; cauit o, decano verò de Blacherna alijsque imperat, vt patriarcham ad id inducere curent. Inopiæ præterea Constantinopolitani cleri p, atque insuper Sardicensis episcopi consulendum rescribit, similiterque Vericensi archiepiscopo ad leuandam eius inopiam Medensem ecclesiam orbam suo pastore, modo intra eiusdem archiepiscopi prouinciæ fines inclusam, concedit q. Quid verò Innocentius aduersus Michalitium tyrannum, qui ab Imperatore desciuerat, sæuissimaque commiserat flagitia, ad eundem patriarcham scripserit, quidue pro Imperio Henrico firmando præstiterit, his verbis refert. r

Studium Innoc. in conciliandà concordia. i Ep. 6. l Ep. 25. m Ep. 104. n Ep. 15. Henrici querelę in patriarch. sacerdotia Venetis tantum conferentem. o Ep. 17. p Ep. 44. & 186. q Ep. 187. Fluctuans Imperiũ Henrico firmare studet. r Ep. 180.

Innocentius &c.

32 Ex literis charissimi in Christo filij nostri Henrici Imperatoris Constantinopolitani illustris nostro est Apostolatui reseratum, quod Michalitius fidelitate, quam eidem præstiterat Imperatori, contempta, hominibus eius minimè diffidatis, & spreto nihilominus iuramento, quod eidem Imperatori & E.... fratri eius, cui idem Michalitius filiam suam tradiderat primogenitam in vxorem, præstiterat A. Imperij comestabulum cum militibus, & alijs vsque centum in dolo capiens, quosdam flagellauit ex eis, quosdam retrusit in carcerem, & quibusdam nequiter interfectis, comestabulum ipsum cum tribus alijs & capellano suo, quod est horribile dictu, suspendit in cruce: ijs autem ad nequitiam postmodum animatus, Latinorum fretus potentia, qui cupiditate cæcati ad ipsum Michalitium confugerant, castra eiusdem Imperatoris obsedit, villas combussit, & omnes Latinos presbyteros, quos capere potuit, & quendam electum in præsulem, & etiam confirmatum fecit capitibus obtruncari. Præterea Lascharus, qui pro Imperatore se gerit stipatus viribus Latinorum, qui postpositis Dei timore, & hominis reuerentia, spretis etiam stipendijs, quæ idem Imperator ipsis poterat exhibere, ab inimicis eius recepere maiora, quam ipse illis valeat erogare, quendam de principibus eius cepit, &, vt dicitur, excoriari fecit eundem. Quia verò si Græci recuperarent Imperium Romaniæ, Terræ sanctæ succursum penè penitus impedirent, ne occasione succursus ipsius iterum perderent locum, & gentem, cum & antequam idem Imperium a Græcis translatum fuerit in Latinos, ipsi a nobis sæpe moniti, & rogati, nunquam Terræ sanctæ voluerint subuenire, quin etiam Isachius Imperator ob gratiam Saladini fieri fecerit in vrbe Constantinopolitana Meschitam, & quia si possent exterminare Latinos, in apostaliæ suæ vitio fortius perdurarent; in odium Latinorum, quos etiam nunc canes appellant, sicque nouissimus error fieret peior priore, cum submurmurare non cessent, quod per Apostolicæ sedis ingenium exercitus Latinorum in Constantinopolim declinauerit captiuandam: fraternitati tuæ per Apostolica scripta præcipimus mandantes quatenus Latinos diligenter moneas & inducas, & eis sub pœna excommunicationis iniungas, ne Græcis, & præsertim præfato Michalitio, qui faciendo necari presbyteros laqueum excõmunicationis incurrerunt, contra Imperatorem prædictum, vel fideles ipsius auxilium præbeant, vel fauorem.] *Datum Laterani 7. id. decembris Pontificatus nostri anno tertiodecimo.* Nec prætereundum visum est Innocentij epistolas extare pro M. Constantinopolitana olim Imperatrice, quibus ipsam in clientelam suam admisit donationes propter nuptias a claræ recordationis Bonifacio Montisferrati marchione, factasq; ab Henrico Imp. cõfirmat a, Eracliensem verò archiepiscopũ atque Cardicensem & Ermipolensẽ episc. eam tueri atque ab improborũ iniurijs incusso censurarum terrore defendere iussit. Denique mandauit b ipsis, vt Sebastiensi episcopo a mõtis sancti cœnobij cura amoto, alteram in illius locum eiusdem Reginæ consilio substitueret.

Turbę Cõstantinop. Lascaris crudelitas. Datũ Saracenis ab Isacio templum Constantinopoli. a Eod. l. 13. ep. 51. 52. b Ep. 37.

33. Claudimus huius anni periodum Hierosolymitanis rebus, quæ Brenensis comitis regni sacri sceptrum dotis nomine ab vxore datum capessentis auspicijs assurgere ac postea deprimi visæ sunt. Iordanus c enim hæc monumentis suis hoc anno exarauit: MCCX. *Ioannes comes Brenensis Ptolemaide applicuit, pergitque Tyrum cum prælatis & baronibus, vbi Reginam desponsat, & coronatur.* tum de excursione in Sarracenos ab ipso facta, vt regni initia præclaro aliquo facinore insigniret nobilitaretque: *Rex prædam magnam egit, & cum suis saluus rediit;* sed breui Sarracenorum potentia ingrandescere cœpit, subiungit enim paulo post: *Sarraceni autem videntes eum inferioris esse potentiæ quam putabant, firmauerunt castrum in monte Thabor & ante Ptolemaidem sæpius discurrebant, propter quod multi peregrini repatriabant diuites & potentes.*

Comes Brenen. Rex Hierus. coronatur. c Iord. M. S. vat. signat. n. 1960. Prædas e barbaris abducit. Inualescunt Sarraceni.

34 Distraxerat tum Christianorum vires ac debilitarat intestina discordia, ex qua Sarracenorum ferocia inualuerat, cui malo vt mederetur Innocentius, Cremonensi episcopo dirimendę controuersiæ, quæ de Antiocheno principatu inter Leonem Armeniæ Regem ac Tripolitanum comitem intercedebat, prouinciam iniunxit; d cumque idem Rex magistro ac fratribus Hierosolymitani xenodochij, quod aduersus ingruentes barbaros auxilio sibi fuissent, ciuitatem Saleph, castellum nouum & Camardum cum omnibus ad ea spectantibus elargitus esset, Inno-

Causa Antioch. principatus cõmissa ep. Crem. d Ep. 112.

nocentius donationem huiusmodi Apostolica auctoritate confirmauit. Extat de his Pontificium diploma, cui insinuatæ sunt literæ a Leone de ea re ad Innocentium exaratæ, vbi illorum militum fortitudinem, quos ideo Machabæis comparat, plurimum commendat.

Reuerendissimo in Christo patri & domino Innocentio Dei gratia sanctæ & vniuersalis Ecclesiæ summo Pontifici Leo per eandem & Romani Imperij gratiam Rex Armeniæ sanctitatis suæ seruus, sanctæque Romanæ Ecclesiæ noua, deuota, & obediens planta; cum omnimoda reuerentia grata seruitia & pedum oscula.

Reuerendæ, ac recolendæ dominationi vestræ cupimus innotescat venerabiles magistrum, & conuentum sanctæ domus hospitalis, præterita æstate, mense videlicer augusto sanctæ sedis Apostolicæ amore, atque reuerentia non solùm nobis, verum etiam vniuersæ Christianitati magnum & necessarium contulisse succursum contra infinitam paganorum barbariem super nos, & regnum nostrum aggregatam, quam Deus disperdat, pro quo a beatitudine vestra tanquam viri strenui vicem Machabæorum gerentes promeruerunt dignius commendari. [Templariorum commendatio]

35 Eapropter reuerende pater, & domine celeberrime, pro tam fortunato & necessario succursu nobis, & Christianitati ab ipsis collato, Deo, a quo bona cuncta procedunt, S. R. Ecclesiæ & vobis ipsius vices gerenti, & dignè gerenti copiosas exsoluimus gratiarum actiones, & a beatitudine vestra illos petimus inde regratiari. Vnde quia dignus est operarius mercede, ex regali largitatis nostræ munificentia, pro salute animæ nostræ nostrorumque omnium progenitorum, habentes præ oculis cordis, quia sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum; donamus, & concedimus sanctæ domui hospitalis amodò in perpetuum, respectu, & reuerentia sanctæ sedis Apostolicæ, atque bonorum meritorum suorum exigentia ciuitatem Saleph, Castellum nouum, Camard. cum omnibus pertinentijs ipsorum, & diuisionibus signatis, & cum omni iure per terram & per mare sibi pertinente, secundùm continentiam scripti, inde priuilegij sigillo nostro regali muniti, & corroborati &c. Dat. Tarsi Ciliciæ medio mense aprilis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei &c. *Dat. Later.* III. *non. aug. anno tertiodecimo.*] At æqui amans Pontifex, vt eorum precibus antea annuerat, ita ipsorum temeritatem ob iura Cardicensis episcopi inuasa, literis corripuit a. Ad hæc querentibus militiæ Templi fratribus, quibus sedes Apostolica iam ab ipso ordinis exordio alba pallia concesserat, nuper Theutonicorum fratres eiusdem coloris pallijs vsos esse, mandat b consuetis vestimentis contenti noua deponerent, deque ea re ad Hierosolymitanum patriarcham Apostolicæ sedis legatum literas mittit c. [Factæ ipsi donationes a Rege Armeniæ.] [a Ead. l. 13 ep. 113.] [b Ep. 117.] [c Ep. 118.]

IESV CHRISTI
Annus 1211.

INNOCENTII PP. III. annus 14.	OTHONIS IMP. ann. 3. HENRICI IMP. ann. 6.

1 SEnsit perfidiæ suæ pœnas Otho, electo a Germanis principibus in Romanorum Regem Friderico, salutis Christianæ anno millesimo ducentesimo vndecimo, indictione quartadecima: dum enim furens ambitione vindictæque cupiditate, ac blandientibus sibi rerum successibus elatus, monitis Innocentij Pontificis maximi conculcatis, occupata ditione ecclesiastica ad inuadendam Siciliam belli molem verteret, Germaniæ populi ab eo desciuere. Vt verò de felicibus eius progressibus, qui turpes exitus habuere, nonnulla afferamus, hæc de ipso Vrspergensis a oculatus testis: *Anno domini millesimo* CCXI. *Otho in Apulia quasdam ciuitates accepit, & Capuam peruenit, vbi & hyemauit.* Idem confirmat Stadensis b, qui ait eundem Imperatorem ciuitates & oppida in Apulia obtinuisse, imo Apuliam totam subiugasse scribit Stero c, quinetiam Godefridus subactæ Apuliæ Calabriam addit d: at Fossæ nouæ chronici auctor e, qui in Latio tum degebat, hæc tradidit: *Adueniente tempore æstatis tota Apulia & terra laboris & maxima pars Calabriæ deuenerunt ad fidelitatem Oddonis dicti Imp.* Pergit Vrspergensis, se eo tempore ad Romanam aulam accessisse, Othoneq; hyberna ducente Capuæ, frequentibus legationibus nisum Innocentium eius animum infringere, proposuisseque se omnia damna Ecclesiæ Romanæ illata inferendaque æquo animo laturum, vt scandalum imminens ab Ecclesia amoueret, modò a Friderico impugnando ac de Francorũ Rege vindicta expetenda abstineret, nec vllo modo a sententia pellendi ex Sicilia Friderici, ac doloris ob ereptam auunculo Normanniam, atq; alias terras bello partas vindicandi dimoueri vnquam potuisse, ac tum Pontificem tria admodum ardua suscepisse, quorũ primum extitit Othonem Imperio deturbare. verum de eo deque alijs sequenti anno disseremus. [a Vrsp. in chro. ann. 1211.] [Othonis in Sicilia progressus.] [b Stad. in chron.] [c Stero in ann. apud Canis. antiq. lect. t. 1. p. 234.] [d Godef. in annal.] [e Chron. Fos. nou. hoc anno.] [Peruicacia illius.]

2 Interea Pontifex aduersus iniquum refractariumque principem ecclesiasticis censuris animaduertit; quippe qui non solùm Neapolitani archiepiscopo mandat e, latam ab ipso in Neapolitanos ecclesiastici interdicti sententiam, ob illius partes sequutas, obseruandum curet, verùm præcipuos Italiæ præsules, in eundem Othonem eiusque fautores anathematis sententiam renouare iussit; ita enim ad Albanensem electum Apostolicæ sedis legatum scribit: *Cum Otho dictus Imperator maledictus, & excommunicatus non cesset Rom. Ecclesiam impugnare; venerabilibus fratribus nostris Aquilegensi, & Gradensi patriarchis, Rauennati & Ianuensi archiepiscopis, eorumque, ac Mediolanensis ecclesiæ suffraganeis, nostris damus literis in mandatis, & in virtute obedientiæ districtè præcipimus, vt excommunicationem in ipsum, & fautores eius prolatam, postposita omni occasione, solemniter innouent, & a suis faciant subditis innouari. Quocirca districtius tibi per Apostolica scripta mandamus, quatenus si aliquis eorum, quod non credimus, mandati nostri extiterit negligens executor, tu eum, appellatione remota, canonica pœna percellas. Dat. Later.* VII. *id. iun.* [e Lib. 14 ep. 71.] [Renouantur in Othonẽ censuræ.]

3 Præterea grauissimè in Bononienses, qui Othonis partibus fauebant scriptis literis inuectus est f; cumque Pisani neglectis Apostolicæ sedis mandatis, ad Siciliæ regnum oppugnandum, *quod*, vt ait, *Ecclesiæ patrimonium esse dignoscitur*, nauales copias Othoni destinassent, Innocentius Turritano iudici imperauit g, vt si illi Sardiniam ingredi tentassent, vnà cum alijs insulæ optimatibus strenuè resistere niteretur. Addunt Stero h plures Germaniæ episcopos Othonem a Papa anathemate damnatum denunciasse. sicque Colmariensium Dominicanorum chronicon hoc anno ipsum principem in vniuersa Germania e sacro fidelium commercio segregatum tradit i, idque Romani Pontificis iussu gestum esse historici fragmenti incertus auctor, alijque l affirmant. Quibus assentitur Godefridus m, refert enim Siffridum Maguntinum archiepiscopum Apostolicæ sedis legatum cum Rege Bohemiæ, alijsque proceribus apud Bauinbergum colloquium de eligendo Friderico inijsse, remque ab aliquibus reiectam; Siffridum tamen in Othonem anathematis sententiam promulgasse, eosque fratrem Imperatoris Palatinum comitem Rheni, Brabantiæ & Lotharingiæ duces archie- [f Lib. ep. 77. Et in fautores.] [g Ep. 100.] [h Stero in ann. apud Canis. vbi sup.] [i Domin. Colmar. chron. hoc anno.] [l Naucler. & alij.] [m Godefr. in annal. hoc ann.] [Defectio principũ ab Othone in Ger-]

chiepiſcopi ditionem populatos & circa quadrageſimam ex Italia redijſſe.

4 Verùm Othonis reditum in Germaniam auctores alij in annum proximum conferunt. Quod porrò Godefridus aſſerit Germaniæ principes Fridericum eligere renuiſſe, de colloquio dumtaxat illo videtur intelligendum, ita enim Foſſæ nouæ chronici auctor: *Interim nuncij Alemanniæ venerunt ad Oddonem dictũ Imp. qui dixerunt ei totam Alemanniam rebellatam fore, & omnes archiepiſcopi, epiſcopi, abbates, duces, principes, comites & omnes barones Alemanniæ elegerunt Fredericum Regem Siciliæ in Imperatorem, & mandauerunt in Siciliam nuncios, qui conducerent prædictum Fredericum ſaluum & incolumem ad recipiendum Imperium in Alemanniam &c.* (De huiuſmodi legatione ab Germaniæ principibus ad Fridericũ miſſa pluribus agit Vrſpergenſis alijque ex eo) *Quo audito Oddo prædictus Imp. congregauit comites Apuliæ & terræ laboris, confirmauit cum eis pacem & ſuam bonam voluntatem, tactus dolore cordis intrinſecus reuerſus eſt Alemanniam, inſidiando qualiter iam dictum Fridericum Regem Siciliæ capere poſſet, ſi auſus foret arripere iter vel per mare vel per terram.* idem de Friderico in Germania hoc anno electo ſcribit Rigordus, idque de Philippi Francorum Regis conſilio factum aſſerit: quod verò de illius in vrbem aduentu ſcribit, proximo eum alijs auctoribus anno in medium afferemus. Interim ſilentio non inuoluenda Friderici Siciliæ Regis diplomata regia, quibus epiſcoporum electiones in regno liberas eſſe ſtatuit: [a]

Fridericus Imp. ſalutatur a Germ.

Rig. in Phil. Aug. hoc ann.

a Lib. cenſuum.

Electiones præſulũ in Sicil. liberæ eſſe a Frid.

5 *In nomine Dei æterni, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti amen. Reuerendiſſimo patri & domino chariſſimo Innocentio Dei gratia S. R. E. ſummo Pontifici, Fredericus Dei gratia Rex Siciliæ, ducatus Apuliæ, & principatus Capuæ. Ne vlla de cætero inter vos, vel ſucceſſores veſtros, & nos, vel heredes noſtros ſuper electionibus celebrandis diſſenſio ſuſcitetur, quæ nonnunquam inter eccleſiam, & regnum rancoris, & indignationis fomitem miniſtrabant, modum & ordinem electionis in poſterum faciendæ, præſentibus literis curauimus explicare, in quibus ſic canonicæ libertati deferimus, vt dignitatem Regiam non lædamus. Sancta ſede vacante capitulum ſignificabit nobis & heredibus noſtris obitũ deceſſoris; deinde conuenientes in vnum, inuocata Spiritus ſancti gratia, ſecundum Deum eligent canonice perſonam idoneam, cui requiſitum a nobis præbere debeamus aſſenſum, & electionem factam non differant publicare: electionem verò factam, & publicatam denuntiabunt nobis, & noſtrum requirent aſſenſum. Sed antequam aſſenſus regius requiratur, non inthronizetur electus, nec decantetur laudis ſolemnitas, quæ inthronizationi videtur annexa, nec antequam auctoritate Pontificali fuerit confirmatus, adminiſtrationi ſe nullatenus immiſcebit. Volumus igitur, & concedimus, vt ſecundum prædictam formam electionis de cætero per totum regnum noſtrum liberè celebrentur, nullo prorſus obſtante reſcripto a ſede Apoſtolica impetrato. Ad huius autem conceſſionis noſtræ memoriam, & robur perpetuò valiturum præſens reſcriptum per manus boni hominis de Gaeta notarij, & fidelis noſtri ſcribi, & bulla aurea typario noſtræ maieſtatis impreſſa præcipimus communiri anno, menſe & indictione ſubſcriptis. Datum in ciuitate Meſſanenſi anno Dominicæ incarnationis MCCXI. menſis februarij, XV. ind. regni verò domini noſtri Frederici Dei gratia glorioſiſſimi Regis Siciliæ ducatus Apuliæ, & principatus Capuæ anno III. feliciter amen.*

6 Cum verò in Apoſtolicæ ſedis iuribus verſetur oratio, his addimus eodem anno pridie kal. febr. Richardum de Aquila Fundanum comitem Rom. Eccleſiam heredem feciſſe, Fundano comitatu atque alijs nonnullis baronijs, vt dicunt, ei relictis, aſſentiente, vt videbitur anno ſequenti, Friderico publicæ verò tabulæ iuſſu comitis confectæ ſunt huiuſmodi [a]: *In nomine Dei æterni. Anno Incarnationis eiuſdem MCCXI. menſis ianuar. vltimo die, ſtante indictione XV. Regnante D. noſtro Frederico Dei gratia Rege Siciliæ, ducatus Apuliæ & principatus Capuæ. Quia labilis eſt memoria hominum, & mens humana ſolicitudinibus occupata præteritorum facilè obliuiſcatur; ſapientium prouidit diſcretio contractus hominum literis publicis annotari. Ideo nos Riccardus de Aquila eadem & regia gratia ſecundus Fundanus comes, attendentes quoquo modo noſtræ humanitatis fragilitatẽ diu in humanis ſolicitudinibus implicatã multa & varia incurriſſe peccata, Diuina gratia inſpirante ad id recurrere feſtinauimus, quod nobis ſalutem pariet & remedium peccatorum. Inde eſt vtique, quod cum teſtamentum ſit vltima teſtatio mentis, nos præſentibus literis nuncupatum teſtamentum facientes ob reuerentiam Dei, & noſtræ ſalutis obtentu, ſanctam Romanam Eccleſiam, cui, auctore Deo, D. & reuerendiſſimus pater noſter Innocentius III. Papa præeſſe dignoſcitur, de ciuitate noſtra Fundana cum omnibus tenimentis ſuis, & redditibus cum aquis, ſiluis, paſcuis, piſcarijs, aucupationibus, montanis, maritimis, & omnibus pertinentijs ſuis heredem inſtituimus, ſaluo in omnibus, & per omnia noſtris hominibus ciuitatis eiuſdem priuilegio libertatis, & immunitatis, quod eis facimus, & eorum heredibus in perpetuum, ſaluis etiam omnibus bonis conſuetudinibus, quas olim eorum antiqui, & ipſi deinde proceſſu temporum habuerunt.*

Fundanus comes Eccleſ. Rom. inſtituit heredem.

a Habetur in cod. cenſuum.

7 *Item inſtituimus Eccleſiam ſupradictam heredem de baronia caſtri Vallis Corſæ, quam hodie a nobis tenet dilectus frater noſter Rogerius, & de quocunque alio beneficio in antea faciemus eidem. Item de baronia caſtri Piſcæ, quam hodie a nobis tenet Riccardus de Ceperano. Item de baronia caſtri Ambriſiæ, quam hodie a nobis tenet Philippus de Sonrino. Item de baronia caſtri Campinelli, ſtatuentes, vt amodo ex ſupradictis omnibus ſæpedicta ſancta Romana Eccleſia huius noſtræ prætaxatæ inſtitutionis ſit hæres in perpetuum. Item de baronia caſtri Aquamiuæ, quam hodie tenet Matthæus de Arginto, & quoniam vltima teſtatoris voluntas ſecundum leges attendenda eſt & ſeruanda, ne aliqua noſtræ voluntatis mutatione fas ſit contra præſens teſtamentum venire, ecce appoſitis, & tactis ſacroſanctis euangelijs, præſentibus dominis Roberto venerabili Fundano epiſcopo, Pandulfo domini Papæ ſubdiacono, & familiari, Sinulpho canonico Ferentino, & ſupradicto Rogerio fratre noſtro iurauimus de cætero nunquam contra præſens teſtamentum venire, vel auſu temerario contra religionem noſtri iuramenti infringere, ſeu mutare, ſed illud curabimus præſtãte Domino perenniter inuiolatum ſeruare. Illud autem præſenti ſcripto non eſt prætereundum, quod dominus Papa, quocunque tempore Deus nos de præſenti luce vocauerit, dabit pro anima noſtra C. vncias auri diſtribuendas per manus dicti Roberti venerabilis Fundani epiſcopi, & Stephani venerabilis domini Papæ camerarij, &c.*

8 Sed ad Innocentium reuertamur. cum eccleſiaſtica cenſura eſſe non debeat (vt ſapientiſſimus Pontifex docet) innocentium oppreſſio, ſed delinquentium correctio, ita per illam improborum inſolentiam coerceri voluit, vt ne inſontes indebita pœna afficerentur, prudentiſſimè cauerit: quamobrem Laudunenſem electum & clerum hoc eodem anno monuit [b], ne ipſi alijque in Laudunenſem populum, vel alium quemlibet anathematis, vel interdicti ſententiam temerè vibrarent. Inſuper Albanenſi electo eodem anno præcepit [c], vnà cum Cremonenſi epiſcopo, & abbate e Columba, Ferrarienſi eccleſiæ epiſcopum præficerent, quamuis Eſtenſis marchio, capta Ferraria, id differri flagitaſſet. cumque marchio arcis Ferrariæ conſtruendæ poteſtatem ſibi fieri ab ſede Apoſtolica popoſciſſet, per breuem ad eundem Alba-

Arguitur electus Laudun. ob cenſuras imprudenter latas.

b Inn. l. 14 ep. 60.

c lib. ep. 73

Permittit Inn. Marc. Eſtenſi arcem conſtruere Ferrariæ.

a Ep. 77. Albanensem electum epistolam misit a. *Dilectus filius nobilis vir marchio Estensis nobis humiliter supplicauit, vt in Ferrariensi ciuitate construendi castrum, per quod ipsam melius defendere valeat, & ad fidelitatem Romanæ Ecclesiæ conseruare, licentiam concedere dignaremur. Nos igitur id tuæ prudentiæ committentes, districtè tibi per Apostolica scripta mandamus, quatenus super hoc statuas ad honorem, & profectum Ecclesiæ, quod videris expedire. Dat. Later. VII. id. iun* Rursus in ecclesiasticæ ditionis finibus tuendis conseruandisque solicitus Vricensi episcopo, & Cisterciensi abbati Apostolicæ sedis legatis Melgoriensis comitatus, qui ad S. Petri iura spectabat, commisit b. Rauennati archiepiscopo mandauit c, Argentam oppidum præsidio militari communiret, & si id minus præstare posset, prædicto marchioni traderet, cautione ab eo antea accepta, Rauennati ecclesiæ fideliter se diligenterque seruaturum. At de his hactenus.

Melgoriẽ. comitatus iuris Pontificij.
b Ep. 33.
c Ep. 74.

9 Iam ad Innocentium cum principibus de grauissimis rebus agentem orationem conuertamus, eum ex prophetica sententia sciret se a Deo constitutum super gentes, & super regna, vt euelleret, & destrueret, & ædificaret, & plantaret, errantes principes, Regesque ipsos castigare verbis, monitisque ad officium reuocare non destitit. Cum igitur Philippus Francorum Rex Antissiodorensem, Aurelianensemque episcopos insectaretur, monitisque pontificijs excusationes opponeret, eluderetque, Innocentius Senonensem archiepiscopum, aliosque præsules, cum ad ablata illis restituenda sedulis cohortationibus iuber d compellere. Quæ verò in eos Innocentius gesserit, quaue de causa fuerit commotus, ex literis e apparet, quas Pontifex anno superiori ad ipsum dedit, nosque ibi retulimus. Eam nimirum discordiã pepererat nonnullorũ militum temeritas, quos ij episcopi possessionum causa, quas iure beneficiario a Rege obtinebant, exercitui regio submiserant, in Britanniam enim mouere iussi, proficisci recusarunt, lactique rationem attulere, quam tradunt recentiores aliqui, vbi nimirum Rex copias nõ ductaret, se eò pergere nõ teneri: ex qua re excanduit adeo Philippus, vt non modò episcoporum bona stipendiaria occuparit, verùm etiam ecclesiastica inuaserit, quorum propterea causam Innocentius Senonensi archiepiscopo defendendam commendauit f. arguit verò Regem præcipitis iracundiæ, quod episcopos non citatos nec auditos ob aliorum factum mulcta grauissima affecisset. Quem prætera hoc anno monuit, regios ministros coërceret, qui bona defunctorum publicabant, quos artem fœneratoriam exercuisse calumniabantur. hæc ad Philippum Innocentius, qui prætera eidem Regi alijsque in Niuernensem comitem, qui Verzeliacense monasterium grauissimè oppresserat, literas misit g, quemadmodum antea rescripserat h in Folcarcariensem comitem, & alios, qui acerbissimis exactionibus viatores diuexabant.

d Ep. 49.
e Lib. 13. ep. 182.
f Ep. 51.
g Ibid. ep. 122. 125.
h Ep. 39.

10 Verùm maiorem etiam erga Ioannem Angliæ Regem seueritatem coactus est adhibere, vti Matthæus Parisius testatur: qui prius de legatione ad Pontificem missa ait Pandulphum subdiaconum ac Durandum Templarium ad Ioannem accessisse, vt de concilianda pace agitarent, Regemque assensisse, vt archiepiscopus Cantuariensis, episcopi, alijque eiecti restituerentur; vt verò illata sarciret damna ac fisco addicta redderet, adduci nunquam potuisse, atque ita rem ad exitum non perductam. Cæterum de Cantuariensi archiepiscopo alijsque in exilium actis Rigordus i: *Idem verò sanctus archipræsul* (Stephanus scilicet Cantuariensis quẽ paulo ante sanctæ opinionis virum nominat) *& alij episcopi a Philippo Rege liberaliter recepti in regno Franciæ exulabant*. verum cum nec ea ratione flectere pertinacem Regem posset Innoc. quibus remedijs eius audaciam furoremque compescuerit, enarrat Parisius, nimirum Anglos omnes præstiti Ioanni sacramenti religione liberasse atque obiecto anathematis terrore vetitum ne ipsi in consuetudine familiari, mensa, vel consilio cõmunicarent; additque iniquissimis tunc consiliarijs corruptum fuisse. His verò auctoribus ac suasoribus innumera ingentiaque flagitia commisit, de quibus sæpe queritur Parisius, vt nullo refellantur negocio impudentissimi nouatores, qui cæco furore perciti, in æquissimum Pontificem, Ioannis scelera vlciscentem, iniqua effutiunt. a

i Rig. de gest. Phil. Aug. Fr. Reg. ann. 1212.
a Cent. 13. c. 10 col. 957.

11 Nefaria etiam facinora eo tempore patrabat Rex Lusitanus, quorum narrationem complectitur Innocentij ad ipsum hoc anno data epistola, qua eundem, vt par erat, arguere, minarique non destitit, subditque: *Obsecramus te fili charissime per misericordiam Iesu Christi quatenus illa mensura contentus, quam Deus tibi donauit, ad ecclesiastica iura non extendas aliquatenus manus tuas, sicut nec nos ad regalia iura manus nostras extendimus, relinquens nobis iudicium clericorum, sicut & nos laicorum iudicium tibi relinquimus, quia secundum Apostolum seruus suo domino stat, aut cadit, ne si alienum tibi officium vsurpaueris, exemplo Oziæ Regis diuinam vltionem sentias. Quoniam igitur excessus huiusmodi multipliciter apud homines obnubilant famam tuam, & conscientiam maculant apud Deum, serenitatem tuam rogamus attentius, & monemus salubriter consulentes, quatenus habens respectũ ad illum cui nuda sunt qualibet, & aperta, qui etiam nec falli poterit, nec corrumpi, prædictum episcopum propriæ restituens libertati ablata eidem restituas vniuersa, & de damnis, iniurijs, & grauaminibus sibi, & ecclesiæ irrogatis satisfaciens competenter, ab eisdem & similibus sic desistas, vt maiestatem diuinam, quam propter hoc grauiter offendisti, valeas complacare, ac cum defeceris, in tabernacula recipiaris æterna. Alioquin quantumcumque te in Domino diligamus, & honori tuo deferre velimus, quia magis est Regi Deo, quam Regi homini deferendum, noueris quod in iure suo non deerimus episcopo memorato, qui sumus omnibus in iustitia debitores. Dat. Later. VII. Kal. mart. an. XIV.* Hactenus Innocentius.

Corripitur Rex Lusitanus.
L. 14. ep. 8. Religiosa ad eum monita.

12 Eiusdem argumenti literas Compostellano archiepiscopo misit b, mandauitque ni Rex flecteretur monitis, ecclesiastica in eum censura animaduerteret; euenitque, vt diuinæ in eum seueritatis aculeis excitatus tandem oculos aperiret, adeo verum illud diuinum oraculum c, vexatio dabit intellectum auditui; qui enim prosperis rebus elatus, sui Deique oblitus, plura in Ecclesiam flagitia patrarat, morbo implicitus percussusque a Deo consilia saniora suscepit, vt minimè de eo dici possit, quod in sacris literis de Rege Asa legitur d: *Nec in infirmitate sua quæsiuit Dominum*; ipsi vero supremam voluntatem ab Apostolica sede confirmari expetenti, ita rescripsit e Innocentius.

b Ep. 19.
c Esai. 28. Resipiscit Lusitanus Rex morbo tentatus.
d 2. Paral. c. 16.
e Lib. 14. ep. 55.

Illust. Regi Portugalliæ.

Is qui tangit montes & fumigant, cor tuum tetigisse videtur ad pœnitentiam salutarem, dum corporali ægritudine te affligens, ad sanandas spirituales ægritudines te induxit, quatenus recogitando annos tuos in amaritudine animæ tuæ, pro excessibus tuis, quibus Creatorem tuum multipliciter offendisti, offerres ei sacrificium vespertinum. Vnde licet infirmus corpore, animo tamen sanus legitimum condidisti, sicut accepimus, testamentum, in quo pro tuorum remedio peccatorũ pijs locis & viris religiosis, nec non infirmis, & indigentibus multa legasti, de filijs, & filiabus, nepotibus, & neptibus tuis, nec non & alijs quibusdam personis, ac etiam de ipso regno prouida deliberatione disponens, quæ omnia suppliciter postulasti, per sedem Apostolicam confirmari,

Gratulatur pœnitenti Inn.

sicut

sicut in scriptis sententiis continentur expressa. Et nos autem ipsius seriem testamenti coram nobis perlegi fecimus diligenter, & intelleximus omnia rite disposita; illis dumtaxat exceptis, quæ de quibusdam monasterijs disponere præsumpsisti, nisi forsan de iure intellexeris patronatus, cum iuxta canonicas sanctiones nulla sit laicis de rebus ecclesiasticis disponendi attributa facultas: quare tuis supplicationibus inclinati, testamentum ipsum in cæteris omnibus approbantes, illud iuxta finale tuæ dispositionis arbitrium statuimus, & præcipimus inuiolabiliter obseruandum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, constitutionis, & præceptionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, &c. vsque incursurum. *Datum Laterani* VI. *Kalend. iun.*] Pridie verò eius diei ad eundem epistolam dederat a, ac sexto die kalend. iun. Compostellano archiepiscopo, & Bracarensi, ac Zamorensi episcopis præcepit b, darent operam ne quisquam contra huiusmodi testamentum Apostolica auctoritate fultum venire auderet.

Confirmat illius testamentum.

a Ib. ep. 56

b Ep. 57.

13 Porrò Regem eodem anno defunctum, Innocentij ad eius filias missæ epistolæ ostendere videntur, namque hoc ipso anno III. id. octob. scripsisse reperitur M.. c ac Terasiæ d Reginæ & S... Lusitani Regis filiabus, quibus Apostolicæ sedis patrocinium, quod enixè poposcerant, pollicetur; qua de re etiam ad Compostellanum archiepiscopum, aliosque Hispanos præsules scripsit e. Cæterum qui Lusitanum Regem pœnitentem benignè excepit Innocentius, alios Hispanos principes virtute spectabiles commendauit, omnemq; eis fauorem impendit. Decreuerant Alphonsus Castellæ Rex atque Fernandus filius Sarracenos suis finibus arcere, quare Pontifex vtrisque animos addit f, propterea que Hispaniæ præsulibus imperat g, ecclesiasticis censuris in eos Reges animaduerterent, qui pacem & inducias inter ipsos & Alphonsum eiusque filium firmatas violare essent ausi, dum illi aduersus Sarracenos bellum gererent. Testantur hæc tum ad episcopos, tum ad Alphonsum Fernandumque datæ literæ. Ne verò interea tumultus aliquis in Hispanijs oriretur, vnde huiusmodi expeditio magno Christi fidelium damno perturbari posset, Innocentius quamuis a Toletano archiepiscopo rogatus, nihil de illius sedis primatu decernere voluit, sed supersedendum censuit. Præterea Petro Aragonensi Regi, cui erat in animo Christiani nominis hostes delere, permisit h, vt quidquid cuiquam ante legitimæ ætatis tempus magno cum detrimento dedisset (maiorem namque reddituum partem in largitiones profuderat) rescinderet, ea tamen lege, vt donationes ecclesijs, alijsue pijs locis factæ, si quæ reuocandæ essent, non alterius quam ecclesiastici iudicis decreto reuocarentur.

Obitus Lusitani Reg.

c Ep. 114.
d Ep. 116.

e Ep. 106. 108.

f Ep. 4.
g Ep. 3.

h Ep. 57.

14 Vindicantem nunc scelera Innocentium intueamur. extant eius literę ad Arelatensem archiepiscopum eiusque suffraganeos, aduersus Raymundum Tolosanum comitem datæ i quibus latam in eum ab Apostolicæ sedis legatis sententiam promulgari iussit: quibus præterea mandat l, vt ad recuperanda ecclesiarum oppida aliaque ab impio comite vsurpata, viriliter prudenterque incumberent. cuius etiam auctoritate suffulti crucesignati in Gallijs comite Simone duce, præclara in Albigenses facinora explicauerũt. Hoc verò anno Tolosanus comes vetera scelera Fulcone episc. Tolosano vrbe exire iusso, nouo scelere cumulauit: cum enim episcopus post mediam quadragesimam, vti mos est in ecclesijs episcopalibus, ordines collaturus comitem sacris depulsum per nuncios rogasset, vrbe tantisper ludendi spatiandiue captata occasione abesset, dum ipse sacros ordines celebrasset, quos præsente ipso in vrbe non poterat: sed comes in iras efferatus viri nobilis opera, vt vrbe protinus abiret imperauit, quod episcopus intrepide detrectauit, cuius constantiam ita Vallisarnensis describit a: *Vir autem venerabilis hæc audiens in feruore spiritus mente intrepida clarissimo vultu tale fertur militi dedisse responsum: Comes (inquit) Tolosanus non me fecit episcopum, nec per ipsum hic ordinatus sum, vel pro ipso, ecclesiastica me elegit humilitas, non intrusit violentia principalis, non exeo propter eum, veniat si audet, paratus sum excipere gladium, vt pertingam ad maiestatem per calicem passionis: veniat tyrannus stipatus militibus & armatus, solum me reperiet & inermem: attendo brauium, non timebo quid faciat mihi homo. O constantia animi! O mirificum robur mentis! manens igitur intrepidus ille Dei famulus de die in diem expectabat tyranni gladium.*

i Ep. 34.

l Ep. 37.

a Petr. Val. hist. Albig. cap. 51.

Constãtia episc. Tolos. aduersus comitis minas.

15 Cùm diutius martyrij palmam expectasset, ad comitem Montfortium Vaurensi obsidioni strenue incumbentem se contulit. id porrò oppidum munitissimum diuina potius virtute a crucesignatis Francis, Germanisque, quam humana captum, dieque festo sanctæ Crucis debellati crucis inimici, qui in cruces catholicorum papilionibus eminentes deijciendas tela iaculari solebant, tassique ipsi sunt, dum adducta machina impetus in muros imprimeretur, canentium sacerdotum magis vocibus, quam hostilium armorum strepitu fuisse percussos, b quod hisce verbis Vallisarnensis testatur: *Dum autem nostri in expugnatione ista instantissimè laborarent, episcopi, qui aderant, & quidam venerabilis abbas curiæ Dei Cisterciensis ordinis, qui de mandato legatorum ipsorum vices in exercitu tunc agebat, vniuersusque clerus congregati in vnũ cum deuotione maxima, Veni creator spiritus decantabant. quod videntes & audientes aduersarij ita Deo disponente stupefacti sunt, & vires resistendi pene penitus amiserunt, quia sicut postea confessi sunt, plus timebant eos cantantes quam pugnantes, psallentes quam insilientes, orantes quam infestantes. Muro igitur perforato iam nostris intrantibus, & aduersarijs cum iam non possent resistere se reddentibus, volente Deo & misericorditer nostros visitãte, in festo inuentionis sanctæ Crucis captum est castrum Vauri.*

Vaurus capitur a crucesignatis.

b Ib. c. 52.

Territi hæretici a sacerdotum cãtu.

16 Eadem de expugnatæ Vauri die Bernardus, c qui addit quadringentos hæreticos perfectos, vt vocat qui nimirum nullis rationibus, vt virus euomerent, adduci poterant, flammis iniectos; Aymericum montis Regalis & Lauriaci dominum, qui arcem defendendam susceperat, cum viris aliquot nobilibus suspendio necatum, octoginta alios gladio cæsos; Gerardam vrbis dominam atque Aymerici sororem in odium hæreseos in puteum proiectas, ac lapidibus obrutas. Ita diuinum numen quas continuerat iras in scelesta capita grauiter opera crucesignatorum effudit, quorum se ducem præcipuum, & quam grata maiestati suæ eorum mors esset, qui in eo bello sacro crucem sumerent, occumberentve, aliquot miraculis ostendit: apud Vaurum enim addit d Vallisarnensis contigisse miraculum, quod sui admiratione multos percussit. Casu namque ardente militis veste redactaq; in cineres ea sola pars, cui crux assuta erat, integra remansit.

c Bernard. Rom. Pont. hoc an.

Varijs affecti supplicijs hæretici.

d Ib. c. 53.

Miracula quædam.

17 Longe illustrius aliud miraculum subdit auctor. e Cùm enim, dum Vaurum obsideretur, innumeri crucesignati impellente Tolosano comite a Fuxensi ruptarijs stipato comparatis insidijs, dum incautius incederẽt atque ad Montfortium properarẽt, immanissime trucidati essent, accedente ad locum Montfortio post captum Vaurum, columna ignea in occisorũ corpora delabi visa est, quæ manibus postea in crucis formã passis reperta sunt: *Comes igitur noster mouens castra cœpit tendere ad quoddam castrum, quod dicitur Mons Gaudij, vbi a comite Fuxi peregrini fuerant*

e Id. ibid.

rant interfecti. Factum est autem dum exercitus tenderet ad castrum illud & dum aliquantulum longe esset, apparuit in loco illo, vbi occisi fuerant peregrini a comite Fuxi, columna ignis, videntibus nostris, lucens & descendens super corpora occisorum. Venientes autem nostri ad locum viderunt omnes occisos iacere resupinos brachijs in modum crucis extensis. O res mira! istud audiui miraculum ab ore venerabilis episcopi Tolosani Fulconis, qui præsens erat. Confirmat hæc Bernardus, a qui ait, episcopum Tolosanum suis oculis illud miraculum hausisse atque veritati testimonium exhibuisse. his similia de fortissimis Christi athletis tradit Vincentius b, innumeram nostrorum multitudinem trucidatam, atque in iacentium corpora igneum globum de cœlo delapsum a pluribus fuisse conspectum; additque illa in cœmiterio ab episcopis atque abbatibus rite dicato sepulturæ esse mandata: atque eodem temporis momento illorum animas lætantium Angelorum cœtu stipatas, in cœlum ferri Mariam Oignacensem longissimo licet locorum interuallo disiunctã, suis oculis suspexisse testatur Iacobus c de Vitriaco Cardinalis episcopus Tusculanus, qui eius gesta conscripsit.

Columna ignis in cadauera crucesignatorum lapsa.

a Bernar. chron. Roman. Pöt.

b Vincent. Bellou. Spec. hist. l. 30. c. 2.

c Iacobus de Vitr. libro 2. c. 7. apud Sur. tom. 3. 23. iul.

18 Hinc porro tempore d Montfortius cum exercitu crucesignato mouere bellum Tolosano comiti cœpit, tum quod Tolosanus ab ipso exulcerato animo discessisset, Vaurum suos ad illud defendendum submisisset, crucesignatorum inermem multitudinem Fuxensis opera trucidasset, vetuisset ne commeatus machinæque ad cruce insignitos adducerentur, maximèque defixus anathemate a legatis, eiusque ditio exposita esset: tum verò Tolosanus episcopus clerum Tolosa discedere imperauit, qui nudis pedibus secum Christi sacrum corpus efferẽs ex vrbe interdicto supposita discessit, nec ita multo post castrum Ferrandi, quod Balduinus Tolosani comitis frater defendebat, Montfortij impetus sensit, excepitque victorem, Balduinus ea lege sese dediderat, vt saluis omnibus sponderet nunquam ecclesiam, aut Montfortium bello lacessiturum. Cumque perrexisset ad fratrem, paulo post regressus Montfortio se coniunxit, atque egregiè excindendæ hæresi operam collocauit. Vrgebat feliciter victoriam comes, conuersisque in Tolosam signis Barensis comitis Germanorumque viribus auctus vrbem, in quam hæreticorum colluuies ex alijs locis eiecta confluxerat, obsidione cinxit: sed breui spes quam in Barensi posuerat, eum fefellit, exercituque commeatus inopia laborante, soluta est obsidio, ac Barensis postea a Montfortio magna suo nomini aspersa ignominia sese subduxit. nec destitit Montfortius hostem debellare, vastare Fuxensis terras, expugnare * Cassutinum, Caturcum in suas partes pellicere, aliaq; bellicæ virtutis egregia facinora explicare. celebrandum porro æterna memoria illud dictum, quod Cisterciensi cuidam hortanti ipsum animosque admonenti, cum Carcassona castri noui itineri sese accingeret, subiecit: *Totum de Deo præsumens* (refert Vallisarnen.) *putatis*, inquit, *quod timeam? Christi geritur negotium, vniuersa pro me orat ecclesia, scio, quod non poterimus superari.*

d Petr. ib. c. 54. 55. & c.

Belli sacri moles in comitem Tolos. versa.

Clerus Tolosa exit.

Castrum Ferrandi captum.

Tolosa frustra obsessa.

* Castutium Caylus.

Aliquot loca accepta.

Egregia Montfortij vox.

19 Cincto mox obsidione Castro nouo a comitibus Tolosæ, Fuxi, Gastone de Bearno, alijsque Vasconibus innumera multitudine stipatis eorum impetus excepit viriliter, ac suorum parte ipsius iussu reuersa ex bello cõtra Mahometanos Hispaniæ, quos Petro Regi in auxilium submiserat, est recreatus. Verùm Petrus malam illi retulerat gratiam, qui redeuntibus pro impensa opera insidias conflarat, de quibus moniti alio itinere deflexerunt, hostili quippe in Montfortium animo erat Petrus, hæreticorumq; partibus fœdissimè implicitus. Hoc fretus auxilio comes ingentẽ paulo post hostium multitudinem fudit, deleuitque: adeo singuli Montfortiani contra triginta hæreticos, quorum dux Fuxensis erat, dimicauere. Hostis verò in fugam actus, vt stragem euaderet, arte vsus, Montfortium inclamare cœperat, quasi sub illius signis hostem persequeretur, cui catholicus victor: Si noster es, hunc fugientem obtrunca, hæreticũ palabundum demonstrans, moxque eum socium vrgente metu trucidasset, ipse cædebatur a nostris, contrariaque hac arte elusi hæretici innumeri cecidere; cùm e catholicis paucissimi fuerint desiderati. Ea relata diuinitus victoria reuersus comes, vbi castrum ingressus est, desiliens equo, nudis pedibus ecclesiam adijt, gratias solemnes Deo redditurus. Fuxensis tamen vt callidus erat, partam victoriam, & Castrum nouum captum ementitus, nonnulla oppida ad defectionem traxit, crucesignati etiam aliqui insidijs interfecti, e quibus Gaufridus ab hostibus vndique circumfusus ac suffosso equo exceptus in pedes inclamanti hosti, vt se dederet, strenuè respondit: a *Christo me reddidi, absit, vt eius me reddam inimicis;* atque ita ab hostibus cæsus palmam nobiliorem collecturus in cælum euolauit.

Monfortia norũ virtus eximia.

Fraus militaris.

Victoria parta de hæreticis.

Pietas Mõtfortij.

a Ib. c. 58.

Crucesignati fortissima vox.

20 Dum crucesignatorum armis deleret Pontifex illis in locis hæreticos, fœdum apostatam non solum repressit in Prouincia, verum ad bonam frugem reuocauit: fuit is Roncelinus, qui monastico abiecto habitu, Massiliæ dominium sibi attribuerat, quique ob apostasiam, incestum, rapinas, aliaque flagitia, cœtu fidelium ab sede Apostolica depulsus fuerat, quocirca Pontifex aduersus ipsum, ac Massilienses, qui eius obsequebantur voluntati, plures epistolas scripsit b, cui postea resipiscẽti ignouit, ac multis præterea præsulibus Massiliæque populo vniuerso, alijsque postulantibus patrimonij curam, ex abbatis venia permisit. Continentur hæc in pontificijs epistolis c, vnde plura, si cupias, decerpere possis. Neque hæreses solum, apostasiamque, sed simoniacam etiam prauitatem acriter est insectatus, eamque ab Ecclesia arcuit, vt testantur eius literæ ad S. Stephani Bononiensem abbatem, & Greg. decretorum doctorem in Alexandrinum episcopum hoc ipso anno datæ d, illum enim a pontificali sacerdotalique munere remouendum decreuit, quod ad gratiam ab Apostolica sede aucupandam, simoniacas pactiones confecisset. postea verò in Bisuntinum archiepiscopum, simoniacæ labis aliorumque criminum postulatum rescripsit e. Quod Innocentius paulo ante ex Apostolo dixerat, omnem simoniæ occasionem a fidelibus submouendam studuit, quocirca sanxit, vt sacerdotia non vacantia ex Lateranensis concilij præscripto obtineri non possent f: nec ea tantum, quæ fœdarent mores, verum etiam quæ Christianos parum decerent, a commissa sibi Ecclesia nisus est propulsare: quocirca Esculano episcopo præcepit g, tabellionum officium clericis, qui sacris ordinibus initiandi forent, omnino interdiceret.

Roncelinus Apostata Massiliæ dominus.

b Vide l. 14. ep. 15. & c.

Pœnitenti permittitur Reipubl. administratio.

c Ib. ep. 93. 94.

d Ep. 113.

e Ep. 124.

f Ep. 12. 25. 26.

g Ep. 128. habetur c. sicut te. clerici vel mon.

21 Cùm optimè sciret, præsulum vigilantiam, & curam Ecclesiæ Christique cultoribus plurimum prodesse, ita minus idoneorum desidiam ingentia mala afferre, qui essent eiusmodi, episcopatu se abdicarent operam dedit, atque adeo Auxitanum archiepiscopum, tanto oneri imparem, vltro dignitatem mandat h deponere, atque ad Vticensem episc. & Cisterciensem abbatem Apostolicæ sedis legatus scribit, ad id adducere nitantur: idemque Rhuteno episcopo præcipit i, cuiiam dudum postulanti, abeundi episcopatu fecerat potestatem. Præterea Vticensem episcopum A. S. L. Carcassonensis episcopi votis indulgere iubet l, qui etiam episcopali onere leuari enixè petierat, quod Turritano etiam archipræsuli, Setano episcopo, qui idem postularant, permisit m. cuius etiam archiepiscopi fidei alia negotia demandauit. Vt verò illi conspicuum erat, nil maiores Christianæ reipublicæ clades, quam odia discordiasq;

Inepti præsules munere amoti.

h Ep. 32. Reg. post eand. ep.

i Ep. 33.

l Ep. 34.

m Ep. 50. 102. & 103.

con-

conflare, in arctiori concordiæ nexu Christianorum animos obstringere contendit. Cum igitur vita functo Suero, qui Noruegiæ regno præfuerat, inter Ingonem illius nepotem, ac Philippum genere moribusque præclarum, magna de rerum summa dissensio flagraret, ad eam extinguendam Nidrosiensi archiepiscopo eiusque suffraganeis scripsit a, de vtriusque iuribus inquireret. Defunctus porro Suero is erat tyrannus, qui sacerdotio abiecto genus suum ementitus sceptrum Noruegiæ innaserat, & cædibus ac rapinis regnum illud funestarat, in quem plures ab Innocentio exaratas literas retulimus in annales b. Tyranni studiosi nepotem illius regijs insignibus decorare nitebantur, contra alij quendam alium Philippum nomine ex veterum Regum prosapia satum ad regnum efferebant, belloque ciuili ardente conuentum erat, vt vterque regiam dignitatem in diuersis Noruegiæ partibus retineret. Sed paulo post ciceumuentus Philippus ab hostibus cum iubetur regno cedere, respondit se Pontificis iudicio stare paratissimum, quod alij respuerunt; in quos discussa melius veritate Innocentius censuras distringere meditabatur.

Noruegia regia scissa. a Ep. 70. b Ann. 1198.

Nidrosien. archiep. & suff. eius.

22 Ad nostram nouerttis audientiam peruenisse; quod obeunte Suero, qui Noruegiæ regno præfederat, fautores eius, qui * Virleibani dicuntur, quendam ipsius nepotem Ingonem nomine sublimare nitebantur in Regem, quorum conatibus viri prudentes, & nobiles, qui genus regium Noruegiæ plenè nouerant, resistentes, iuuenem quendam Philippum nomine, a claræ memoriæ Magno & Ingone antiquis, & catholicis Noruegiæ Regibus trahentem originem, insignem genere, ac morum honestate præclarum in regem concorditer elegerunt. Ipsis itaque pro regno certantibus, & destruentibus male terram, tandem diuina ex alto prospiciente clementia, per tuam frater archiepiscope, ac venerabilis fratris nostri Alocnsis episcopi sollicitudinem, & operam diligentem, sic sunt inter eos pacis fœdera reformata, vt vtroque dignitatem, & nomen regium retinente, si hoc tamen ex dispensatione noster approbaret assensus, Ingo in quadam, Philippus verò in altera Noruegiæ parte regnet. Ijs igitur ita dispositis, contigit, quod idem Philippus, ad quem regnum, sicut accepimus, hereditario iure spectat, cum aduersarijs suis colloquium habiturus accessit, quem ijdem aduersarij sui cum innumera multitudine circumdantes, licet prius fuerit datis obsidibus definitum, cum quantis deberent vtrique socijs conuenire, asserebant firmiter se cum ipso Philippo pacis fœdus nullatenus inituros, nisi a se nomen regium abdicaret, qui constitutus in arcto, ne nobilitatem sui generis macularet infamia, & fœdus pacis initæ violaret, ad appellationis remedium conuolauit; committens causam suam nostro arbitrio terminandā, vt videlicet, quem magis idoneum iudicaremus, ille regio sublimaretur nomine ac honore. Quod principes * Virleibanorum penitus renuentes, se nostro numquam stare velle iudicio proponebant. Licet autem super ijs quorumdam testimoniales literæ nobis fuerint destinatæ, quia tamen per eas non est facta nobis super tali, & tanto negocio plena fides, per Apostolica vobis scripta præcipimus mandantes, quatenus Deum habentes præ oculis, inquiratis super ijs plenissime veritatem, & eam nobis per literas vestras fideliter intimetis, vt per vestram relationem instructi, securius in ipso negocio procedere valeamus. *Dat. Later.* VII. *id. iun. pontificatus nostri anno* XIV.]

*al. Virchibani. Compositio inter æmulos regni Noruegiæ facta. Violatur ab Ingone Sueri tyranni nepote. *al. Virchibanorum. Iubetur arch. Nidros. de re inquirere.

23 Ad enascentes verò inter præsules virosque religiosos discordias tollendas non minorem Pontifex curam adhibuit, ita Regem Vngariæ hortatus c, vt si qua forsitan Strigoniensem inter & Colocensem exoriretur discordia, eos ad cōcordiam adducere niteretur; atque ad vniuersos archiepiscopos, & episcopos scriptis literis ad mutuam inter Cistercienses & Carthusianos animorum studiorumque coniunctionem seruandam, adstringendamque, hæc inter alia a: *Vniuersitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus cum in diœcesibus vestris aliqua fuerit inter eos materia litis exorta, vos sine mora partes vestras interponatis ad pacem inter eos amicabiliter reformandam &c.* Muniit præterea alios religiosos viros sua clientela, ac pluribus prærogatiuis contentis in literis pontificijs, quarum numeros in margine apponimus. Eximio etiam suo in Ecclesiam studio promeruit Poloniæ dux, vt Innocentius illius ditionem Apostolico patrocinio committeret, in cuius rei argumentum quatuor argenti marcharum stipendium persoluere est iussus b: *Cum a nobis petitur quod iustum est, & honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, vt id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilecte in Domino fili deuotionis tuæ sinceritatem, quam circa libertatem ecclesiasticam geris, & quam ecclesijs & personis ecclesiasticis in tuo ducatu recognouisse dignosceris, attendentes, vt ab Ecclesia protectionis gratiam sentias, quam satagis honorare; personam tuam cum vniuersis bonis, quæ inpræsentiarum rationabiliter possides, aut in futurum præstante Domino iustis modis poteris adipisci, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti patrocinio communimus. Ad indicium autem huius a sede Apostolica protectionis perceptæ quatuor marchas, gratis oblatas, singulis triennijs nobis nostrisque successoribus ad Polonia pondus persolues. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis infringere, vel ei &c. vsque incursurum. Dat. Lat.* III. *id. maij anno* XIV. alia Innocentij diplomata possent adijci, sed de his deq; occidentalibus rebus satis, ad orientales nos cōferamus.

c Id. ibid. ep. 81. Pro conciliandis ecclesiasticis Inn. cura. a Id. ib. ep. 107. Eod. l. 14. ep. 6. 18. 40. 42. 43. 46 59. 62. 105. 135. 141. b Ib ep 44. Dux Polō. imposito censu in protectionem accipitur.

24 Hoc anno defuncto Thoma Mauroceno Constantinopolitano patriarcha, Innocentius conuulsis, quæ minus legitimè erant gesta, ab ijs ad quos electio pertinebat, quorum alij eius ecclesiæ decanum in locum demortui subrogarant, alij tres alios renuntiarant, electionem ad leges canonicas reuocari iussit c. quo etiam anno de immanibus Neopatrensis archiepiscopi flagitijs inquirendi Saratoriensi episcopo, ac Thebano decano onus iniunxit d. Præterea adnexus aliena bona ac iura inuadentes, vt anno superiori valde elaborandum fuit, compelli decernit e Bertholdum comitem, & Mariam olim marchionis Montisferrati vxorem, possessiones S. Sophiæ, quas auertetat, restituere, Henricum Imperatorem monet f, vt Templarios equites fatigare desineret.

Thomæ Mauroceni Patr. mors. c Id. ib. ep. 92. d Id. ib ep. 97. e Ib. 98. f Ep. 108.

Innocentius, &c.

Licet iam sæpe pro restitutione ipsius tibi direxerimus scripta nostra, tu tamen preces nostras pertransisti hactenus aure surda, prout debueras non attendens quam benignè, & efficaciter tuas preces curauerimus exaudire, quantumue nostrum auxilium tibi fuerit hactenus opportunum; quod si tibi forsan tua promerente duritia duxerimus subtrahendum, experimento cognosces, quantum tibi vtile fuerit, quantumue subtractum adferat detrimentum. *Dat. Later.* III. *non octob.*

25 Quid porro in Armeniæ Regem eorumdem fratrum bona occupantem rescripserit, ab ipso Pontifice accipiamus, qui ad patriarcham Hierosolymitanum literas g transmisit, quarum partem subijcio. *Nos igitur sustinere nolentes, vt sæpefati fratres suis possessionibus spolientur, quæ ad defensionem Terræ sanctæ sunt potissimum deputatæ; præsertim cum ipsi semper parati fuerint eidem Regi iustitiam exhibere, at ipse contempta iustitia possessiones easdem per violentiam* occu-

g Id. ib. ep. 61. Defendit Inn. Templarios.

occuparit, venerabilibus fratribus nostris patriarcha Antiocheno & archiepiscopo Tiren. & Sidoniens. Tripolitano, & Anteradensi, Nimotiensi, & Famagustano episcopis nostris damus literis in praeceptis, vt auctoritate nostra praedictam excommunicationis sententiam tam apud peregrinos, quam apud indigenas terra solemniter publicantes, eandem faciant per censuram ecclesiasticam, vsque ad satisfactionem congruam, sublato appellationis obstaculo inuiolabiliter obseruari. Charissimum quoque in Christo filium nostrum Ioannẽ Regem Hierosolymitanum illustrẽ per scripta nostra monendum duximus, & hortandum. Vniuersis etiam tam indigenis, quam peregrinis in Hierosolymitanis partibus commorantibus dedimus in mandatis, vt pro reuerentia beati Petri, & nostra, nec non & intuitu Terrae sanctae fratribus ipsis, quorum subsidium eidem terrae noscitur non modicum profuturum, iuxta quod tuo discreto consilio duxeris prouidendum, ad recuperandum iura sua praestent suum auxilium, & fauorem &c. Dat. Later. XVI. Kal. iun. pontificatus nostri anno quartodecimo. Extant eiusdem argumenti literae aliae ad Antiochenum patriarcham [a] & ad Ioannem Hierosolymorum Regem [b] quod etiam alias scriptum additur. Rursus Hierosolymitano patriarche munus imposuit, G. montis Belardi Hierosolymitani regni magistrum equitum ab Hugone Cypri Rege in gratiam recipi, ablataque per iniuriam restitui studeret. [c]

Cōcordiā adducere nititur.
a Ep. 62.
b Ep. 33.
c Id. ib. ep. 103.

26 Quod ad Antiochenum patriarcham attinet, de quo paulo ante mentio facta; plura illi alia Pontifex commisit, nimirum duodeuiginti canonicis, qui in eius ecclesia erant, duos adiungeret [d], vt eiusdem ecclesiae possessiones quasdam, ob bella factas deteriores, in emphyteusim tradere posset [e], vt inquirat [f], num dicti Cypri Regis soror, quam Rupinus Armeniae Regis nepos matrimonio sibi coniūxerat, antea ab O... de Dempera, quemadmodum apud sedem Apostolicam querebatur, legitimè ducta cognitaque fuisset: moerentem ob Terrae sanctae clades solatur [g], hortaturque, vnà cum alijs Christi fidelibus ad spurcitiam omnem, libidinumque sordes extra Terram sanctam amandandas procul totis viribus incumberet, auxiliumque pollicetur; tum ad eijciendos Sarracenos Auoguiae Regem excitauit, dum inter alia haec ad ipsum scribit. [h]

d Ep. 67.
e Ep. 68.
f Ep. 104.
g Ib. ep. 69
Zelus Inn. in expugnanda Terra S.
h Id. ib. ep. 65.

Ill. Regi Auoguiae.

Rex noster potentissimus Iesus Christus, qui dominatur a mari vsque ad mare, & a flumine vsque ad terminos orbis terrae, postquam pro redemptione humani generis semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, & mortis demum angustias spontanea voluntate subiuit in Cruce positus sacratissimi sui corporis extensa brachia tenuit ad signandum, quod non solum postquam assumptus esset, omnia prout promiserat, traheret ad seipsum; verum etiam suae fidei sectatores, in hereditatis suae subsidium, in qua salutem fuerat operatus, assidua mutatione vocaret, vt ad ipsius patrimonium defensandum anxia deuotione concurrerent, pro quorum redemptione preciosissimi sui sanguinis pretium ineffabili pietate persoluit. Propter quod vniuersos principes Christianos, qui sub ipsius tuitionis vmbraculo salubri dispositione proficiunt, tanto sollicitius ad Terrae Hierosolymitanae subsidium intendere conuenit, quanto ex eo, quod inimici Christianae fidei conculcantur, non tam apud homines tituli eis laudis accrescunt, quam apud caelestem Dominum, cui militant, aeternae retributionis praemia cumulantur. Cum igitur progenitorum tuorum vestigijs inhaerendo, ad patrimonium Iesu Christi, contra perfidos detentores ipsius, tam deuotè, quam potenter insistas, propter quod deuotionis tuae propositum dignis in domino laudibus commendamus, celsitudinem tuam rogamus attentius, & monemus, in remissionem tibi, & tuis peccaminum iniungentes, quatenus inspiratum tibi diuinitus tuae propositum salutis, per amplius, & perfectius prosequaris, ad paganorum perfidiam comprimendam, vt per inquietudinem sollicitudinis temporalis, aeternae felicitatis quietem tibi valeas comparare, ac is pro cuius obsequio laboras in terris, in participium sui Regni te admittat in caelis. *Dat. Later. VII. id. iun. pontificatus nostri anno quartodecimo.*]

Rex Auoguiae Christianus.
Amplitudo ecclesiae.
Animat Inn. Reg. Auoguiae contra Sarrac.

27 Postremo, vt hisce rebus ab Innocentio gestis coronidem imponamus, non praetermittendum, post recensitam modo epistolam, aliam eiusdem Pontificis extare ad Soldanum [a] Alapiae, vt ad Christum pelliceret, cuius religione licet imbutus non esset, Christianis fauebat: cui propterea Antiochenum patriarcham enixè commendauit, ne permitteret ipsius ecclesiam a suis Sarracenis infestari.

Soldanus Alapiae Christianis fauet.
a Ib. ep. 66

Nob. viro Soldano de Alapia.

Sicut veridica multorum relatione didicimus, etsi nondum Christianae religionis susceperis sacramenta, fidem catholicam tamen veneraris, in multis Christi fidelibus deferendo. Vnde de illius immensa pietate confidimus, quod te suae visitationis radijs illustrabit, vt gratia diuinae cognitionis accepta, ad cultum aeterni, & veri Dei, qui pro salute hominum factus est temporaliter verus homo, deuotus aspires. Quapropter in nomine Iesu Christi te attentius exhortamur, quatenus iustitiam excolas, & diligas veritatem, quae in salutis semitas dirigant gressus tuos. Et venerabilem fratrem nostrum P.. Antiochenum patriarcham, quem suae probitatis intuitu inter caeteros fratres, & coepiscopos nostros sincera diligimus in Domino charitate, habeas ob reuerentiam nostram propensius commendatum; ipsum, & ecclesiam eius non permittas, quantum in te fuerit, ab aliquibus indebite molestari, quin immo eidem exhibeas auxilium, & consilium opportunum, vt per hoc diuinae maiestatis gratiam, & Apostolicae sedis fauorem tibi valeas comparare. *Dat. Later. VII. id. iun. pontificatus nostri anno quartodecimo.*]

Hortatur Soldan. Alapiae ad Christi fidem.
Commendat illi patriarch. Antioch.

IESV CHRISTI
Annus 1212.

INNOCENTII PP. III. annus 15.	OTHONIS IMP. annus 4. HENRICI IMP. annus 7.

1 PArtis de Sarracenis in Hispania, de Albigensibus in Gallia, de Othonianis in Germania victorijs, illustris affulget annus a redempto humano genere millesimus supra ducentesimum duodecimum indictione quintadecima, quo tria ardua difficillimaque consilia, vt scribit Vrspergensis [b], meditatus est Innocentius, exauctorare nimirum Othonem ac frangere quem flectere non potuerat; Sarracenos e Terra sancta eijcere, atque oecumenicam synodum, ad expoliendos Christianorum mores ecclesiamque pristino splendori restituendam, celebrare: sed cum de his anno sequenti literae datae reperiantur, eò commodius deriuanda videntur, nunc de abrogando Othoni Imperio dicere aggrediamur. Cum plura ab Othone aequitati contraria statuerentur, Pontifex illa conuulsit [c] inter quae sententiam in Cumanum episcopum latam irritam iussit esse: vetuit ne [d] quis aduersus Rauennatem ecclesiam Othonis rescriptis vteretur, quidquid aduersus Liniensis ecclesiae vtilitatem tentatum esset, conuulsit [e]. Praeterea datis ad Maguntinum, & Magdeburgensem archiepiscopos, sedis Apostolicae legatos prohibuit [f] ne quis eorum sacerdotia muneraue, qui ab Othone discessissent, vel essent discessuri, sibi ab Othone delata accipere auderet: in Melphensem episcopum Othonis communione pollutum, nefandissimorumq;

b Vrsperg. chron. hoc ann.
Ardua ab Innocent. suscepta consilia.
c Inn. l. 15 ep. 30. & 36.
Othonis gesta rescinduntur.
d Ib. ep. 83
e Ep. 34.
f Ep. 19.

cri-

a Ep. 114. b Ep. 121. c Ep. 187. d Ep. 137.

criminum reum animaduertendum statuit [a]: Mediolanensem populum adhortatur [b], Othone relicto Ecclesię auctoritatem & iussa sequantur, grauissimasque minas fulminat [c], ni Pontifici morem gerant: quod Alexandrino etiam Italiæ populo imperauit [d]. Inter hæc Otho, percepto Germanicorum tumultuum rumore ex Italia discessit, illum enim Vrspergensis in Germaniam profectum ait, exercitum comparasse, in Thuringiæ Lantgrauium, aliosque, qui a se defecerant, vere atque æstate bellum gessisse. Interea Fridericum Imp. designatum e Tridentina valle per asperrima & inuia Alpium loca, Curiensem Rhœtiam petijsse, indeque a Curiensi episcopo, alijsque Constantiam perductum. tum Othonem accepto Friderici aduentu, e Thuringia reuersum, illumq; comprehendere, vel necare cogitasse, tandem a suis destitutum in Saxoniam se recepisse; atque adeo ipso e regno pulso, Fridericum corona Aquisgrani redimitum. Hæc Vrspergensis alijque. Porro hoc anno, vt Albertus Stadensis [e], & Australis chronici auctor [f] alijque testantur, Philippi Sueui filiæ celebres nuptiæ, quam Otho vxorem duxerat, breui illa extincta in lugubres exequias conuersæ sunt.

Othonis reditus in Germaniam.

Illius conatus irriti.

e Stad. in chro. an. 1212. f Chron. Aust. Nau cler. in chr. Crantz. hist. Sax. l. 7. c. 34.

2 Quod ad Fridericum attinet, Innocentium Papam, illum in Othonem concitasse, Pontificisque opera, plures ad illum ciuitates pellectas Stadensis affirmat [g], additque historici fragmenti scriptor [h], Innocentium nuncios misisse in Siciliam, atque illum ad id induxisse, vniuersisque principibus mandasse, Regis loco illum haberent, ac per suæ ditionis fines iter habentem stiparent. At refert Fossæ nouę chronici verba hoc loco inserere: *Fridericus Rex Siciliæ sola misericordia Dei vocatus in Alemanniam electus Imperator, arripiens iter eundi in Alemanniam, XVI. Kal. aprilis, quod fuit sabbato palmarum applicauit Caietam, ibi honorificè receptus, & ministratus mansit per mensem, postea iuit Romam, &c.* Ex sequentibus quorum nonnulla consumpta vetustate, ac deleta desiderantur, colligitur illum a summo Pontifice honorificentissimè exceptum, atque magnis opibus auctum, instructumque, demum conscensis triremibus Ianuam applicuisse. Contulisse se ad Romanam aulam Fridericum testatur etiam regium huiusmodi diploma, quo donationem Fundani comitatus, in Romanam Ecclesiam, vt superiori anno vidimus collatam, confirmatur [i]. *Sanctissimo patri, & domino Innocentio summo Pontifici Fridericus Dei gratia, & sua Rex Siciliæ, ducatus Apuliæ, & principatus Capuæ, in Romanorum Imperatorem electus, & semper Augustus. De gratia vestra, quam frequentissime sumus experti, indubitatam fiduciam obtinentes præsenti pagina duximus concedendum, quatenus cum dilectum fidelem nostrum R. Fundanum comitem* [*] *credere in fata contigerit, tam de comitatu Fundano, quam vniuersa terra citra Garelianum posita, liberè disponatis. ipsam donando, vel obligando, retinendo, vel concedendo, seu committendo cuicunque personæ iuxta vestræ beneplacitum voluntatis. Ad huius autem cōcessionis nostræ memoriam præsens priuilegium per manus Petri notarij, & fidelis nostri scribi præcepimus, & sigillo nostro iussimus roborari, anno, mense, & indictione subscripta. Dat. Romæ anno dominicæ incarnationis* MCCXII. *mense aprilis XV. indictione.*

Fridericus ab Innoc. opposicus Othoni.

g Stad. vbi sup. h Fragm. hist. aud.

Illius in Germaniam profectio.

i Extat in Censuā. Confirmatio Fundani comitatus Ecclesiæ dati.

* decedere

3 Digressus Roma Fridericus, pontificia beneuolentia munitus hostium insidias euasit, Insubriamq; Othoni addictissimam Estensi marchione, ita iubente Innocentio, stipatus, vt scribit monachus Patauinus [l], succinctusque Papiensium copiarum flore penetrauit, vnde Mediolanenses Papiensibus bellum intulere. At mox Innocentius arrepto eorū patrocinio, quos ceperant, libertati restituere iussit, obiecitq; grassari apud ipsos hereticos, quos nisi ejceret, quātocyus bellum sacrum ijs se indicturum est cōminatus [m].

Mediolanenses Friderico infensi.

l Monach. Pat. chro. l. 1.

m Lib. 15. ep. 187.

Interea superatis Alpibus Fridericus pari felicitate Othonis insidias elusit, qua ante Mediolanensium arma declinarat. Si enim paulo tardius Constantiam peruenisset, in hostis potestatem cecidisset. hæc enim de ipso Rigordus [a], ex quo Iordanus more suo eandē decerpit historiam: *Transiuit per Comas, trāsiuit alpes, & intrauit Alemanniam & venit Constantiam. digna res memoria quod omnis qui intendit Ecclesiā Dei deprimere, in breui deijcitur. Eodem die venturus erat Otho in eandem ciuitatem, & iam præmiserat famulos suos & coquos, qui iam cibos parauerant, nec distabant a ciuitate per tres leugas, quando Fredericus cum sexaginta militibus intrauit, quē Otho cum ducentis militibus eius aduētū sciēs sequebatur. Sed Friderico recepto clausa est Othoni ianua, & ipse cum suis viliter est repulsus, & dicunt quod si Fredericus moram fecisset per tres horas, nunquam intrasset Alemanniam.* Cum in Germaniam sit delapsa oratio, supersunt ad regiones illas quædam spectantia, quæ opportunè hoc loco addenda videantur. Tyrannidem in Bremensi ecclesia occupauerat nequissimus Vvaldemarus, olim episcopus, sed ab sede Apostolica exauctoratus, aduersus quem hæc Romanus Pontifex hoc anno decernit [b]: *Ne igitur idem Vv. & fautores ipsius plenè valeant de sua nequitia gloriari; fraternitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus in eos latas sententias singulis diebus dominicis, & festiuis per vestras ecclesias innouetis, & faciatis per vestras diœceses innouari. Dat. Later. III. Kal. martij pontificatus nostri anno decimoquinto, &c.* Eodem argumento, vt in regesto subditur, ad alios Germanos præsules scripsit, quos etiā ad Bremensem vrbem proficisci, latasque in Vvaldemarum, eiusque fautores, sententias iterum promulgare, ac per totam Bremensem prouinciam publicè ferre iubet [c]. Cæterum hic nouatorum non mirari execrarique vesaniam non possumus, qui odio quo in Romanam Ecclesiam imbuti sunt, furijsque agitati, latam in Vvaldemarum ac Theodoricum, quem paulo ante memorauimus, sententiam in inuidiam adducere non verentur.

a Rigor. in gest. Phil. Fr. Aug. Iord. M.S. bib. Vat. signat. n. 1960.

Vvaldemarus Bremensis sedis inuasor.

b Inn. l. 15 ep. 3.

c Cent 13 c. 6. col. 601 & 606.

4 Hoc anno ascensionis Domini peruigilio Adolphus Coloniensis archiepiscopus, vt notat Godefridus [d], Coloniam accedens Theodoricum a Siffrido Maguntino ob defensas Othonis partes depulit, ac se a Pontifice archiepiscopatu indutum ementiens in eam sedem intrusit: at Theodoricus Romam pudore onustus ad summum Pontificem se contulit. De Theodorici abdicatione agit etiam Cæsarius tum in historijs memorabilibus [e], tum in Engelberti vita [f], qui postea illi subrogatus est. addit Godefridus discordię causas his verbis: *Rege verò* (de Othone loquitur) *ab Innocentio in Imperatorem consecrato, propter retractionem terræ Mechtildis* [*] *quam Papa contulerat, tam graues inter eos oriuntur inimicitiæ, vt Othonem, quem vsque ad hoc tempus paterno affectu fouerat, excommunicaret, eique Fredericum Henrici Imperatoris filium, & Regem Siciliæ aduersarium suscitaret, ad cuius promotionem, Siffrido Moguntinensi archiepiscopo plenariam potestatem legationis contulit, qui Theodoricum archiepiscopum, eo quod fautor Othonis esset, indignè satis deponens, Adolphum restituit: neuter tamen illorum episcopatum recuperare valuit, licet in curia Romana ab vtroque satis pro illo laboratum sit.*

Adolphus archiep. Colonien. occupat.

d Godef. in annal. an. 1212.

Theodoricus ejcitur.

e Cæs. l. 9. c. 41.

f Vit. Engelbert. ep. Colon l. 1. c. 3. apud Sur. to. 6. die 7. nou.

* Mathildis

5 Nec illud silentio inuoluendum, desudante in paganorum conuersione Lundensi archiepiscopo, Innocentium vt ei ad tam egregium opus perficiendum animos adderet, Apostolicæ sedis legati dignitatem contulisse.

Lunden. arch. studium in fide propag.

Lundensi archiepiscopo A. S. L.

Illam de probitate, ac honestate tua fiduciam obtinemus, vt tibi vices nostras, secure in arduis negocijs committamus, sperantes, quod ad diuini nominis gloriam, & Apostolicæ sedis honorem ea fa-

Innoc. lib. 15. ep. 14.

tages promouere. Cum igitur Christianæ fidei zelo succensus ad conuertendum circumstantes paganos ab errore ad veritatem non modicum laboraueris, & adhuc laborare disponas, vt hoc plenius, & efficacius exequaris, nos tibi vices nostras duximus committendas. Venerabilibus fratribus nostris Vpsalensi archiepiscopo, & suffraganeis eius, & episcopis, ac alijs ecclesiarum prælatis per Daciam, & Sueciam constitutis per scripta nostra mandantes, vt tibi ad hoc opus fideliter laboranti tamquam legato Apostolicæ sedis intendant, vt eorum adiutus auxilio talentum tibi commissum cum multiplici nobis lucro resignes, cum te a prædicationis officio, Deo duce, contigerit remeare. Nos enim liberam tibi concedimus potestatem, vt iuxta verbum propheticum euellas, & destruas, & ædifices & plantes, prout vtrumque secundum Deum videris faciendum. *Datum Laterani 2. non. aprilis pontificatus nostri anno decimoquinto.*] Præterea dominici propagandi pascendique gregis studiosissimus pastor, Christiano Philippo, alijsque Cistercensibus monachis, de quibus supra a, in Prussia verbum Dei disseminantibus auxilium explicuit, ac Cistercensibus abbatibus, qui generalia comitia ea tempestate celebrabant, quique illos dicebant acephalos, imperauit b ne a fratribus exagitari traducique permitterent, quos tamen commendatitijs Gnesnensis archiepiscopi literis munitos esse voluit, ne vagandi alijs occasio præberetur. epistolæ adscripta est dies IV. id. augusti, subditurque in regesto, eadem de re ad Poloniæ Pomeraniæque Cistercienses monachos, tum ad Gnesnensem archiepiscopum datas a Pontifice literas. Neque his contentus, pro ijs, qui nuper in Prussia Christianis sacris erant initiati, ad Poloniæ Pomeraniæque duces literas tanto dignas Pontifice scripsit, quas hic referre operæ pretium ducimus, vt discant principes cæterique potentes viri, quomodo cum eiusmodi ad Christi fidem conuersis se gerere debeant.

Religio in Prussia dilatatur.

a An. 1210

b Lib. l. 15 ep. 146.

Cistercien sium zelus.

Lit. ad Polon. principes, vt faueant cõuersioni infidelium.

6 *Quidam vestrum, sicut accepimus, quærentes quæ sua sunt, non quæ Christi, quam cito intelligunt aliquos ex gẽtilibus per Prussiam constitutis, nouæ regenerationis gratiam suscepisse, statim oneribus eos seruilibus aggrauant, & venientes ad Christianæ fidei libertatem, deterioris conditionis efficiunt, quam essent, dum sub iugo seruitutis pristinæ permanserunt; per hoc multorum impedientes salutem, qui fuerant credituri, & temporale commodum Angelorum gaudio præferentes, qui super pœnitentiam agentibus gloriantur. Ideoque vniuersitatem vestram monemus, rogamus & exhortamur in domino, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus intuitu eius, qui venit saluum facere quod perierat, & dare animam suam, redemptionem pro multis, huiusmodi nouellæ plantationis filios non grauetis; sed agatis tanto clementius cum eisdem quanto memoria pristinæ conuersationis infirmi facilius in antiquum relaberentur errorem, cum veteres vtres vix vinum nouum contineant, iuxta euangelicam veritatem. Nos enim venerabili fratri nostro H.... Gnesnensi archiepiscopo nostris damus literis in mandatis, vt tales foueat propensius propter Deum, & defendat eosdem a molestijs indebitis, & pressuris, oppressores eorum indebitis monitione præmissa per censuram ecclesiasticam sublato appellationis impedimento compescens. Datum Signiæ id. aug. pontificatus nostri anno XV.*

Ep. 144.

Innoc. queritur grauari cõuersos ad fidem.

7 Antea verò hoc eodem anno 8. Kal. februarias ad magistrũ fratresque militiæ Templi in Riga dedit literas c, quibus Deo gratias agit ob barbaros ibi ad Christi cultum perductos, petitionique de episcopali sede inibi erigenda supersedendum decreuit. Hic verò insinuandum videtur, Innocentium eisdem militiæ magistro fratribusque concessisse d, vt si quis eorum clericis, alijsque religiosis vim attulisset, a diœcesanis episcopis absolui posset, modo percussio immanis non esset. demũ eiusdem ordinis Hierosolymitanis fratribus, in Bremensi diœcesi commorantibus, vetat a, ne anathemate damnatos homines ecclesiasticæ sepulturæ honore, quod ab ipsis fieri acceperat, afficere auderent. atque de his hactenus. nunc res Vngaricas prosequamur. Grauis ardebat controuersia inter Strigoniensem & Colocensem archiepiscopos de conferendæ regiæ inunctionis auctoritate ac prærogatiua, quam Rex Vngariæ ita diremerat, vt refert Innocentius b: *Prima coronatio Regum Vngariæ specialiter spectat ad solam Strigoniensem ecclesiam. verumtamen si Strigoniensis archiepiscopus non posset vel malitiosè nollet Regem coronare, vel Strigoniensis ecclesia vacaret, coronet Regem Colocensis, nullum ex tali coronatione ius sibi vendicãdo in prima coronatione. Secunda coronatio ei deinceps æqualiter pertineat ad vtrumque, &c.* Conuulsit hæc grauissimis de causis Pontifex, ne noua inde pericula ingrauescerent, subdit enim: *Nos igitur attendentes, quod olim nobis multa precum instantia supplicaras, vt super iure coronandi Regis Vngariæ Strigoniensi ecclesiæ priuilegium concedere dignaremur; nosque tuis precibus inclinati, et super hoc priuilegium concesserimus, fratrum nostrorum subscriptionibus roboratum, considerantes etiam, quod si potestas coronandi Regis Vngariæ, penes diuersas ecclesias resideret, toti Regno graue periculum, & heredibus tuis grande posset dispendium generare; cum sicut plenius ipse nosti, frequenter inter Regum Vngariæ coheredes, super obtinenda regni corona, scandalum sit exortum: quod vtique posset facilius suboriri; si eos diuersos coronatores contingeret inuenire, propter contradictiones & rationes præscriptas, compositionem huiusmodi non potuimus, sicut nec debuimus confirmare.* Qua de re ad Strigoniensem quoque archiepiscopum, & capitulum scripsit c. verum ex Vngaria in Gallias orationem deflectamus.

e Ib. l. 14. ep. 148.

d Ibid. ep. 128.

a Ep. 132

b Lib. 14. ep. 156.

Reg. Vng. coronat. ad Strigõ. arch. spectat.

c Id.

8 Petierat Philippus Francorum Rex nouissimè, vt sæpè antea per nuncios, ab Innocentio Papa, initum cum Regina matrimonium dissoluere liceret. verum Pontifex diuinæ memor sententiæ d: Quod Deus coniunxit, homo non separet, rebus omnibus cum Cardinalibus diligentissime expensis libratisque, morem gerere nullo modo posse, datis humanissimis literis respondit e, idque fratri Guarino, qui apud Regem gratia pollebat per literas significauit f. *Cum per quosdam adulatores, veritatis, & iustitiæ inimicos in eum sit errorem inductus, vt credat se licitè posse iurare, quod Reginam vxorem suam carnaliter non cognouit; pro eo forte quod etsi commixtio sexus inter eorum carnali commercio intercesserit, cõmixtio tamen seminũ in vase muliebri non extitit subsecuta, nos confessiones eiusdem Reginæ sub iureiurando factas subtiliter attendentes, & salutem ipsius Regis paterno zelantes affectu, per nostras eum literas exhortamur, vt suum de cætero ab huiusmodi falsis insanijs auertat auditum, & præfatam Reginam pro Deo, & propter Deum habeat commendatam, quæ pro seruanda lege coniugij, quam Deus in paradiso ante peccatum constituit, longo est martyrio macerata.* Alijs verò literis g Regi omnem dissoluendi coniugij spem ademit; id nimirum a se sine amittendi Pontificatus periculo tentari non posse: *Si super hoc absque generali deliberatione concilij determinare aliquid tentaremus, præter diuinam offensam, & mundanam infamiam, quam ex eo possemus incurrere, forsitan ordinis, & officij nobis periculum immineret, cum contra præmissam veritatis sententiam nostra non possit auctoritas dispensare: quamuis & aliæ confessiones, sicut pro certo didicimus ab eadem Regina sub iureiurando sint factæ, secundum quas coniugium declaratur carnali copula consummatum, &c. Dat. Lat.*

d Matth. 19. Marc. 10.

e Ibid. l. 15. ep. 104.

f Ibid. ep. 105.

De Philippi Reg. matrimonio.

g Ep. 104.

Reginæ iureiurando testata matrimonium consummatum.

Lat. v. id. iun. pontific. nostri ann. xv. Vicit denique Pontificis constantia, Philippus enim demum diuina gratia emollitus Iusebutgem sequenti anno, vt scribit Rigordus a, a qua annis 16. & amplius dissenserat, in gratiam recepit. Ex quo magna lætitia exiliisse Gallos ait, idq; solù in tanto Rege vitio ab ijs versum, quod ab vxore alienus esset: verum Innocentius præterea eundem Regem ad restituenda iniuria ablata Aurelianensi, atque Antissiodorensi episcopis hoc ipso anno semel iterumque monitis minisque compulit, in Senonensem archiepiscopum grauiter inuectus b, quod latam ab ijsdem præsulibus in Gallia ecclesiastici interdicti censuram perperam reuocasset, gestaque ab eo Trecensi episcopo, & Claranallensi abbati rescindi imperauit c, episcopis pacè suasit d eum Rege placidè transigerent: *Quoniam*, inquit, *arcus qui semper est tensus, vires amittit nisi aliquoties extendatur, & nonnunquam Reges & principes melius vincuntur mansuetudine, quam rigore*. At quomodo pax inter eos conciliata, anno sequenti dicetur, iam prosequamur reliqua, quæ Pontifex in Gallijs sanxerit.

a Rigord. in Phil. gestis.
b Eod. ep. 107.
c Ib. ep. 122.
d Ep. 108.

Consulit Innocentius rebus Gallicanæ Ecclesiæ.

9 Cum studiorum causa rixæ creberrimæ excitati consueuissent, Innocentius Parisiensibus academicis expetentibus, S. Victoris abbati eos absoluendi, qui ob percussos clericos in latas a canonicis legibus pœnas incidissent, modò iniuria immanis non esset, fecerat potestatem: eumque ille, de quorundam sententia asserentium beneficia principum latissimè interpretanda, Parisiensibus discipulis, qui violêtas manus alibi etiam in clericos iniecissent, absolutionis gratiam impertitus esset, de hoc Pontifex ipsum arguit, idque ne in posterum facere audeat prohibet e, eosque quos ipse absoluisset, nullo modo absolutos pronuntiauit, si alibi quàm Parisijs eo se crimine cõtaminassent. Deinde querentibus apud Apostolicam sedem sanctæ Columbæ Senonensis abbate & conuêtu, quod cũ in ecclesia sua beati Lupi Senonensis archiepiscopi corpus integrum cũ capite, vt perspicuum erat conditum esset; abbas tamen ac monachi sancti Petri Viui Senonensis sancti caput, atque aliqua eiusdem membra apud se seruari iactarent, idque per suos concionatores longè lateque circumferrent, Innocentius sancti Victoris abbatem, aliosque ab incepto desistere, intentatis ecclesiasticis censuris, iussit, f cùm nec saluti, nec famæ ipsorum congrueret, de prædicatione mendacij quæstum turpem aucupari. Vt verò hos monachos iuste coercuit, ita aliorum clientelam suscepit. Traduxerant se ad fidem catholicam Vvaldenses nonnulli insignes, Durandus de Osca eiusque socij, qui ab Innocentio ecclesiæ fuerant aggregati, quiq; vt cõuertendis hæreticis, vti decreuerant, operam nauare atque cum catholicis libere agere possent, Pontifex commendatitias pro ijs literas dedit Massiliensi, Oscensi, Barcinonensique episcopis nec non Narbonensi archiepiscopo atque Vticensi episcopo Apostolicæ sedis legatis, vt sinistram omnẽ de illis suspicionem amouerent. Quo verò Durandus de Osca socios probè ad virtutem excolere posset, Põtifex tum illi tum alteri Durando auctoritatem tradidit, g vt sodalium noxas plectere possent. Egregium verò in amplificanda diuina gloria posuisse studiũ constat ex Innocentij ad Helenensem episc. literis, h vbi de nonnullis agitur ab eodem Duraudo, einsque socijs ad frugem reuocatis, qui peccatorum pœnitentiæ agendæ cupidi, laudabile viuendi genus instituere decreuerant, idque ab sede Apostolica poposcerant confirmari. Innocentius verò episcopo mandat, si illud e catholicæ puritatis fonte emanare competisset, assensum ac fauorem Apostolica fultus auctoritate præberet. Decurrit sua iam sponte oratio ad trophæa, quæ de perdomita Albigensium hæresi Christi athletæ hoc anno statuerunt.

e Lib. 14. ep. 149.
f Lib. 15. ep. 10.
g Ib. ep. 90.
h Ep. 81.

10 Non tam e terris, quàm e cælo sacrum bellum Albigensibus illatum, vt Petrus Vallisarnensis testis oculatus, quem in hac historia sequimur, demonstrat, a & quasi cælestis Imperator suas acies cogeret ad sui nominis hostes profligandos, visa sunt illius vexilla in cælo defixa: dum enim viri religiosi incitandis ad induendam crucem populis incumbetent, e quibus abbas Bonanallensis Cisterciensis ordinis dum in Rhutenensi diœcesi præ foribus ecclesiæ, quod loci angustiæ multitudinem non caperent, populum ad crucesignatæ militiæ adscribendum nomen pro concione ardenti zelo inflammaret: *Subito*, inquit Vallisarnensis, *videntibus cunctis apparuit crux in aere, quæ versus partes Tolosanas tendere videbatur*. Quod miraculum auctor ab ipsius abbatis ore affirmat excepisse. In Germania quoque Iacobus e Vitriaco, & in Gallia Guillelmus archidiaconus Parisiẽsis, plures suis concionibus ad capessendam crucem incensos ad Montfortium traxere, quorum stipatus auxilijs pluta loca quà vi, quà deditione in suam potestatem redegit. Quo tempore duo insignes crucis concionatores abbates Cistercienses ad episcopatus dignitatem euecti, Guido nimirum Carcassonensi, Arnaldus Narbonensi præfecti.

a Pet. Val. hist. Albig. c. 60. & c.

Crux in cælo conspecta contra Tolosates tendens.

Abbates Cistercié. creati episcopi.

11 Ita porrò Montfortium virtus bellica commẽdabat, vt illum magis pietas ornaret quam hostes traducere probrisque lacessere ingenti suo malo gestiebant. Instabat obsidioni castri sancti Marcelli, ad quod propugnandum Tolosanus, Fuxensis & Conuenarum comites procurrerant, ac parasceues die in tentorio prætorio diuinum officium solemniritu iusserat celebrari. At hostes auditis celebrantium modulatis vocibus, immanes vlulatus per contemptum ac ludibrium, quandiu sacra res tenuit, profuderunt. Vnde nil mirum videri debet, si numen ipsum in diuinarum rerum contemptores sæpius cælum armarit, vt in Altipulli expugnatione accidit: ea enim arx munitissima die quarta ab obsidione defixa cælesti terrore ob densissimam nebulam post occasum solis castrum obruentem perisfis hostibus, ac in fugam erumpentibus, in nostrorum venit potestatem.

Albigen. impietas.

Arx diuinitus capta.

12 Inter cætera etiam b egregia facinora Aginnum prænobilem vrbem ab episcopo euocatus, atque honorificè exceptus, Tolosano comiti eripuit, atque a ciuibus fidei sacramento adactis in dominum est susceptus. Spectauerat ea vrbs ad Anglum, sed Richardus eum sororem Raymundo comiti in vxorem daret, dotis nomine tradiderat; ac mox Pennæ arx ab eodem Richardo munita, obsidione cincta a Montfortio, confluentibus cruce insignitis militibus, deditione recepta. Inde Mosiacum in quo monasterium nobile olim a Pipino ad alendos mille monachos excitatum, ac tum prophanatum ab hæreticis, expugnatum est: iugumque reliqua oppida, exceptis mõte Albano ac Tolosa, accepere. At in eius obsidione præterire non possum, quoties hæretici aliquem e catholicis peremerant, circundare corpus gladiosq; in illius sanguine tingere consueuisse, illudue quod impetu facto in secundum arcis vallum, dignum historia refert Vallisarnensis: *Cum fieret autem insultus iste, episcopus Carcassona & ego per exercitum discurrebamus nostros exhortantes: archiepiscopus autem Rhemensis & Tullensis & Albigensis episcopi, & Guillelmus archidiaconus Parisiensis, abbas etiam Mosiaci cum quibusdam monachis, reliquusque clerus exercitus, in montis descensu ante castrum stabant induti vestibus albis, & nudis pedibus tenentes ante se crucem eum reliquijs sanctorum voce altissima & deuotissima cantabant: Veni creator Spiritus, diuinum auxilium flagitantes: nec defuit exorantibus paracletus, sed mox, et versum hymni: Hostem repellas longius, tertio repetentes inceperunt, exterriti aduersarij diuinitus & repulsi, dimissis babarca-*

b Ib. c. 63.

Aginni exceptus Montfortius.

Hæreticorũ feritas.

Ritus sacer in pugna cõtra hæret.

Sacrocãtu propulsati hostes.

nis ad castrum confugerunt seque intra murorũ ambitũ conclulerunt. Nec pium comitissæ Montisfortis & episcopi Carcassonẽsis charitatis exẽplũ silere possumus; qui cum ad comitem pergerent, deficientes ob æstũ, crucesignatos pauperes modò in suos equos efferebant, modò desilientes ex equis duos equis singulis imponebant, ipsique pedites incedebant. Commendandum pariter æternitati illud Montfortij facinus ac dictum: cum enim Murellum cum flore exercitus ingressus in altera ripa pedites imbellemque turbam vidisset hosti expositam, redire decreuit, cui Marescallo dicenre morti expositum iri subiecit: *Absit a me, vt faciam quod consulitis, pauperes Christi expositi sunt gladio & ego in munitione manebo? fiat de me voluntas Domini, certe ego ibo cum eis.* ac mox cum paucis traiecit hæsitque, donec confecto ponte totus exercitus traijcere posset.

Exemplũ charitatis in pauperes.

Egregiæ Montfortij voces.

13 Continentibus Montfortij victorijs metu perculsus Raymundus Tolosanus comes, cũ ex vna parte ad Murellum, ex altera apud Verdunum castris defixis ad Tolosæ portas sæpius excurreretur, auxilia aliunde conquirere coactus ad Petrum Aragonium confugit, cuius rei occasione hæc auctor subiungit a: *O misericordissimi fratris, videlicet P. de Castro nouo veridica sententia! dicebat siquidem vir bonus, sicut ab illis audiui, qui ab illius ore sæpius audierunt: Negotium inquiebat Iesu Christi in partibus istis nunquam prosperum sortietur effectum, donec aliquis de nobis prædicatoribus pro defensione fidei moriatur, & vtinam ego prior persequutoris exciperem gladium. Ecce miser ille comes Tolosanus eum mortem huic sanctissimo viro videlicet intulisset, eo quod ipsum de perpetratis nequitijs publice & in facie redargueret, vir bonus post hæc se euasisse putauit, post hæc recuperare se credidit terram suam, sed Domino retribuente vindictam, sanguinemque sui martyris vindicante, vnde sperauit se habere lucrum, nisi dispendium grauissimum inde, ac damnum irreparabile reportauit.*

Raymũd. comes fugit in Aragon.

a Vallisar. c.64.

Prædictio P. de Castro nouo.

Addit Vallisarnensis a comite martyris carnificem in pretio ac honore habitum, adeo vt illum omnibus vt sui amantissimum ostentaret; cum tamen illum horrerent animalia, vt nec ipse canis ab eius manu ab eo tempore excipere dignaretur: *Diligenter etiam est notandum, quod dictus comes miser ille occisorem viri Dei in maximo amore & familiaritate receperat, adeo quod per ciuitates & castella ipsum ducens, quasi pro spectaculo omnibus dicebat: Iste solus me diligit, iste solus concordat maximè votis meis: ille eripuit me ab inimico: licet autem crudelissimum homicidam illum comes prædictus ita extolleret, ipsum muta etiam animalia abhorrebant. Sicut enim multorum & proborum virorum canonicorum Tolosanæ ecclesiæ veridica relatione audiuimus, ab illo die quo prædictus homicida memoratum virum Dei occidit, in detestationem tanti sceleris, nunquam canis dignatus est accipere de manu eius.*

Horrent bruta Martyris occisorem.

14 Dum Montfortius Raymundi ditionem suæ potestati subijceret, R. Vticensis episcopus atque electus Narbonensis Apostolicæ sedis legati, qui Raymundi terras prædæ exposuerant, ab Innocentio flagitauere, vt dominij in Tectosages iura in alterum transfunderet, quibus Pontifex hæc respondit b: *Quia nondum est damnatus de heresi vel de nece sanctæ memoriæ P. de Castro nouo, etsi de illis sit valde suspectus, mandamus, vt si contra eum intra certum tempus appareret legitimus accusator, indiceretur illi purgatio secundum formam in literis nostris expressam, diffinitiua nobis sententia reseruata. Needum est ex mandato illo processum, non intelligimus qua ratione possemus adhuc alij concedere terram eius, qua sibi vel heredibus suis abiudicata non est, præsertim ne videremur in dolo castra nobis exhibita de suis manibus extorsisse, cum non solum a malo, sed ab omni specie mali præcipiat Apostolus abstinere.* Subdit se Regensi episcopo & Theodisio canonico Ianuensi munus demandarum, vt in causa ex Apostolicis imperijs procedant, & si comes in contumacia perstiterit, ipsi alijsque denuntient Pontificem, vt pacis & fidei causa exegerit, rem actnrum: quæ afferre voluimus ad pontificij consilij maturitatem in Raymundi causa adhibitam illiusque vesaniam principis illustrandam: ob recentia enim ac immania eius scelera a legatis ad purgandum se postea non est admissus.

Solicitatur Innoc ditionem Raymũdi alteri tradere.

b Iand.15 ep 105.

Pontifex rẽ differt.

Cur ita se gesserit.

15 Sentiebant cum Raymundo Fuxi, Conuenarum comites ac Benearni dominus, qui grauissima mala catholicis intulere, inter quos Rogerius Bernardi Fuxensis comitis filius immani quadam rabie efferatus in crucesignatos, quos latrocinio & insidijs ceperat, horrendam carnificinam exercuit, quam ita describit Vallisarnensis.

Traditores in his nequitia sua prouidebant, quia videlicet lento passu, & per stratam publicam ambulabant, vt non esset facile aduertere, quod non essent de nostris. vt autem appropinquauerunt ad inuicem statim crudelissimi carnifices insurrexerunt in nostros, qui pauci erant & inermes, vtpote proditionis ignari, accidentesque plures de nostris & membratim delacerantes, reliquos secum duxerunt vsque Fuxum, vbi eos tenentes in vinculis tormentis validissimis dilaniabant: cum maximo siquidem studio noua quotidie & inexperta excogitabant supplicia, quibus suos affligerent captiuos, sicut enim ab ore cuiusdam militis nostri audiui, qui ibi tenebatur in vinculis, qui præsens erat & videbat, captiuos suos cruciabant illi tot & tantis tormentis, quod Diocletiano & Maximiano posset æquiparari malitia, vel etiam anteferri: vt enim prætermittamus alia minima, ipsos sacerdotes & diuini mysterij tractatores frequentius suspendebant, aliquando etiam, quod dictu horribile, ligatis ad genitalia membra funibus ferocissimè distrahebant. Sed tetra adeo scelera percensere horretoratio: ab impio & scelerato hæretico ad strenuum Christi athletam Montfortium redeamus.

Crudelitas Fuxensis comitis.

Hæreticis in Sacerdotes.

16 Celebrasse illum hoc anno Apamijs omnium ordinum ditionis suæ conuentum refert Vallisarnensis a ad nefarias consuetudines excindendas, delendam hæresim, potentiorum tyrannidem comprimendam, informandos bonis legibus populos probisque moribus perpoliendos. vtque leges optimæ decernerentur, duodecim dignitate virtuteque conspicuos viros electos, qui sacramento se deuinxere, optimas quas suggessisset prudentia consuetudines, legesque prouinciæ impositum iri; quas cum in scripta redegissent, Montfortium eiusque proceres, admota quatuor euangelijs manu, eas se religiosè seruaturos iureiurando spopondisse; tum episcopos, comitemque, ac viros prænobiles ipsas sigillis suis muniuisse. Hæc de eximio religionis defensore sufficerint: iam ad alium præstantissimum fidei contra Maurorum impetus propugnatorem Alphonsum Regem stylum conuertamus.

a Cap. 65. 66.

Montfortij prudentia in ferẽdis legibus.

17 Perhorruerat Hispania immanissima Maurorũ excursione, qui Castellæ se infuderant atque initio grauiores clades rei Christianæ intulerant, sed demum horrenda illa procella diuina affulgente clemẽtia discussa est, barbarusque concisus. extant verò Innocentij literæ b, quibus Regem Alphonsum ad colligendos animos excitat atque in acie cum ipso dimicaturis sacras indulgentias proponit.

b Lib. 14. ep.154.

Innocentius &c.

De infortunijs, quæ nuper serenitati Regiæ acciderunt, paterno tibi condolemus affectu: & vt fauorem apostolicum excellentiæ Regiæ sentias non deesse, iuxta petitionem tuam, & instantiam dilecti filij Segobiensis electi nuncij tui, qui circa promotionem ejusdem negocij extitit solicitus & attentus, archiepiscopis & episcopis, per Regnum Fran-

Auxilia cõtra Sarrac. Hisp. missa.

ciæ

ciæ ac prouinciam constitutis nostris damus literis in mandatis, vt subditos suos sedulis exhortationibus moneant, & inducant in remissionem omnium peccatorum ex parte Dei, & nostra verè pœnitentibus iniungentes, vt cum Sarracenis in octauis pentecostes proximo affuturis, campestre bellum indixeris, in hoc tibi necessitatis articulo succurrentes, necessarium impendant auxilium in rebus pariter, & personis, vt per hæc, & alia, quæ fecerint, cælestis regni gloriam consequantur. Pari quoque remissione gaudere concedimus peregrinos, qui propris deuotione vndecumque processerint, ad idem opus fideliter exequendum.] Quænam porro huiusmodi aduersæ res fuerint, in literis ad Galliarum præsules datis aperit atque illustrat.

Castella a Sarrac. infesta. Lib. 14. ep. 155.

18 *Recepimus literas dolore plenas, & timore non vacuas, quibus charissimus in Christo filius noster Alphonsus Rex Castellæ illustris significare curauit, quod Sarraceni hoc anno intrantes Hispaniam, in multitudine graui quoddam castrum Cisterciensis ordinis fratrum, quod Salua terra vocatur, hostiliter obsederunt: quod bellicis machinis infestantes, ad vltimum occuparunt.* Eadem Lucas Tudensis dum de Regis consilio præfatur, Alphonsum gerēdi cum Sarracanis belli auidum quoddam oppidum, cui Moya nomē est, in regni limite vastasse, ac barbarū Miramomelinū Abensco, Mumilinum verò Rigordus appellat, per oratores de iniuria querellum rapto exercitu oppidum Salnam terram dictum impetu cepisse ac deleuisse, his similia Rodericus a Toletanus archiepiscopus alijque post eum tradidere. Nec solum ad Francos, vt modo audisti, verum & ad Hispanos etiam præsules hac de re scripsit b Innocentius, imperauitque vt ad pacem induciasque, ex præscripto seruandas, Hispaniarum Reges monerent, atque inducerent; vtque ecclesiasticis censuris, si opus foret, adigerent, atque ad mutuo sese iuuandos tuendosque compellerent aduersus Christi nominis hostes, qui non modo Hispaniarum perniciem exitiumque moliebantur, verum alios etiam Christianos ad internecionem, de quibus nos infra, delere minitabantur: præterea pro imperio Reges cæteros coercerent, ne suas cum Sarracenis copias & auxilia coniungerent, neue in Christianos, infideles re, opera, consilioque iuuarent. In comparando crucesignatorum exercitu ad retundendos Miramomelini impetus multum operæ & laboris præ cæteris Hispaniarū præsulibus Rodericus Toletanus archiepiscopus magna cum pietatis laude contulit. De quo Lucas Tudensis monumentis historiarum commendauit, ipsum Gallias perijsse, instructumque Innocentij auctoritate vrbes obire cœpisse populosque ad induendam contra Sarracenos crucem inflammare, ac tum plures Gallos Deo afflatos in Hispanias ad defendendam religionem procurrisse: tum recenset auctor Ferdinandi Alphonsi Castellæ Regis filij (quem merito ad cælum tollit) immaturam mortem, quæ interea dum hæc aguntur, magno Hispaniam luctu confecit, de qua etiam idem Rodericus c, & alij.

Alphonsus belli primus auctor.

a Rod. de reb. Hisp. l. 7. c. 35. Io. Mar. l. 11. c. 22. aliiq; alij. b Inn. l. 15. ep. 14.

Studet In. conciliare alios Reges Alphonso.

Roderici archiep. zelus.

c Rod. l. 7. c. 36. Marian. l. 11. c. 23.

19 Cum Alphonsus in octaua pentecostes Sarracenis prælium indixisset, summus Pontifex, ad diuinum implorandum auxilium, solemnes supplicationes Romæ decreuit, quæ in Pontificio huius anni regesto describuntur d: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti amen. Quarta feria infra octauam pentecostes fiat generalis processio virorum, ac mulierum pro pace vniuersalis Ecclesiæ, & populi Christiani. Specialiter autem, vt Deus propitius sit illis in bello, quod inter ipsos, & Sarracenos dicitur in Hispania committendum. Ne det hereditatem suam in opprobrium, vt dominentur eis nationes. Et ad hanc processionem omnes omnino moneantur venire, nec ab ea se quisquam excuset, præter illos, qui habent inimicitias capitales. Summo itaque mane conueniant mulieres apud sanctam Mariam maiorem, clerici verò apud basilicam duodecim Apostolorum, & laici apud sanctam Anastasiam; & post collectas, pulsatis simul istarum ecclesiarum campanis, procedant omnes in campum Lateranensem hoc ordine.*

d Inn. l. 15 ep. 180. Solemnis supplicatio indicta ab Innoc.

20 *Mulieres omnes & solas præcedat crux dominica sanctæ Mariæ maioris. Et in prima parte processionis sint sanctimoniales, in vltima verò reliquæ mulieres, quæ sine auro, & gemmis, & sericis indumentis procedant orando cum deuotione, ac humilitate, in fletu, & gemitu nudis pedibus omnes, qui possunt, & per Merulanum, & ante sanctum Bartholomæum veniant in campum Lateranen. & collocent se ante Fulloniam in silentio permanentes: clericos autem crux fraternitatis præcedat, & in prima processionis parte sint monachi, & canonici regulares, in vltima verò rectores, & cæteri clerici procedentes prædicto modo per viam maiorem, & arcum Basilij, veniant ante palatium episcopi Albanensis, & ibi directe in medio campi se collocent. Laicos autem præcedat crux dominica sancti Petri, & post illam sequantur primi hospitalis, & postremi cæteri laici sicut præscriptum est incedentes, & per SS. Ioannem & Paulum, & ante S. Nicolaum de formis in campum veniant & collocent se ab altera parte.*

Ordo in ea seruatus.

21 *Interim verò Romanus Pontifex cum episcopis, & Cardinalibus, & capellanis basilicam ingrediatur, quæ dicitur sancta Sanctorum, & inde reuerenter assumpto ligno viuifico Crucis processionaliter veniat ante palatium episcopi Albanensis, & sedens in scalis, exhortatorium faciat sermonem ad populum vniuersum. Quo finito mulieres sicut processionaliter venerant, ita procedant ad basilicam S. Crucis, & ibi præsto sit presbyter Cardinalis, qui celebret eis missam, dicendo illam orationem: Omnipotens sempiterne Deus, in cuius manu sunt omnes potestates, &c. & sic ipsæ mulieres in pace ad propria reuertantur. Romanus autem Pontifex cum episcopis, & Cardinalibus, & capellanis per palatium descendat in Lateranen. basilicam, clerici verò per porticum, & laici per burgum ingrediantur in illam. Et celebrata venerabiliter missa ipse cum omnibus, nudis pedibus, procedat ad S. Crucem, ita quod eum præcedant clerici, & laici subsequantur, & facta oratione vnusquisque reuertatur ad sua. Ieiunetur autem ab omnibus ita, vt nemo præter infirmos comedat pisces, aut quodcunque pulmentum, sed qui possunt, sint pane, & aqua contenti: qui verò non possunt, bibant vinum bene lymphatum, & modice sumptum, & vescantur herbis, & fructibus, aut etiam leguminibus, omnesque aperiant manus, & viscera indigentibus, vt per orationem, ieiunium, & per eleemosynam misericordia Conditoris reddatur populo Christiano placata.*

Indictum ieiunium.

22 Non frustra tot fidelium effusa suspiris, nec suæ Pontificem in hoc rei Christianæ discrimine anxium spes in Deo collocatæ fefellerunt, neque vt cum psalmographo a loquamur, tot pij viri fraudati a desiderio suo. Parta enim de crucis hostibus læta victoria est, ad quam historiæ commendandam nil consultius visum est, quam ipsas triumphales Regis Castellæ ad Pontificem literas b nostris annalibus insinuare.

Audiτæ Christianorū preces. a Ps. 77.

b Apud Innoc. l. 15. ep. 179.

Sanctissimo patri, ac domino Innocentio, Dei gratia summo Pontifici Alphonsus eadem Rex Castellæ, & Toleti, cum osculo manuum, & pedum salutem plurimā.

A sanctitate vestra credimus non excidisse propositum impugnandi Sarracenæ gentis perfidiam vobis per nuncios nostros deuotè & humiliter intimasse, in omnibus, tanquam patris, & domini nostri subsidium expetentes, quod sicut a patre pio nos recognoscimus benigne, & pie pariter impetrasse. Quocirca cum literis vestris, nuncios nostros, quos ad hoc exequendum idoneos reputauimus, ad partes Franciæ non distulimus destinare, addentes etiam

Victrices literę Regis Castel. ad Pont.

vt omnibus militibus venientibus ad bellum, & omnibus seruientibus, prout decebat, expensas victui necessarias largiremur, quibus possent commode sustentari. Vnde fuit, quod audita remissione peccatorum, quam vos venientibus indulsistis, venit magna multitudo militum de transmontanis partibus, nec non archiepiscopi Narbonensis, & Burdegalensis, & episcopus Nannetensis. Fuerunt, qui venerunt vsque ad duo millia militum cum suis armigeris, & vsque ad decem millia seruientinm in equis, & vsque ad quinquaginta millia seruientium sine equis, quibus omnibus nos oportuit in victualibus prouidere.

Auxilia è Gallijs submissa.

Rex Arag & Nauar.

23 Venerunt etiam illustres amici nostri consanguinei Rex Aragonum, & Rex Nauarræ cum potentatu suo in fidei catholicæ auxilium, & iuuamen. Quibus nobiscum aliquanto tempore apud Toletum facientibus moram, expectabamus quippe homines nostros, qui venturi erant ad bellum, omnia necessaria, prout per nuncios nostros promisimus, non destitimus ministrare, licet expensæ essent propter sui multitudinem importabiles, & onerosæ, non enim solum in ijs, quæ promiseramus, verum etiam in pecunijs specialiter, & in dextrarijs, quibus fere omnes tam milites, quam seruientes pariter indigebant, nos oportuit prouidere. Sed Dominus, qui multiplicat incrementa frugum iustitiæ, ministrauit nobis abunde, secundum suæ gratiæ largitatem, & dedit omnia posse perficere perfectè pariter, & abundè. Congregata itaque nostra, & suorum multitudine viam domini cœpimus proficisci, & venientes ad turrim quandam, quæ Magalon nuncupatur satis munitam, vltramontani ante quam nos peruenerunt per vnum diem, & illam cum Dei auxilio impugnantes in continenti ceperunt.

Arx Magalon. capta a crucesignatis.

24 Licet ante nos eis in omnibus necessarijs largissimè prouideremus; ipsi tamen attendentes laborem terræ, quæ deserta erat, & aliquantulum calida, voluerunt a cœpto proposito retroire, & ad propria remeare, tandem ad magnam instantiam nostram, & Regis Aragonum processerunt vsque ad Calatrauam, quæ non distabat a prædicto castro, nisi per duas leguas, eamque nos ex parta nostra, & Rex Aragonum ex sua, & ipsi ex sua in Dei nomine cœpimus expugnare. Sarraceni autem, qui intus erant, attendentes sancto Dei exercitui non posse resistere, disposuerunt nobis villam tradere, ita quod personæ eorum saluæ discederent, verumtamen sine rebus. Cumque nos istud nulla ratione vellemus acceptare, Rex Aragonum, & transmontani habentes super hoc consilium, viderunt villam esse munitam muris, & antemuralibus, profundis fossatis, & excelsis turribus, & quod non posset capi, nisi suffoderentur muri, & sic ruerent; quod cederet in graue damnum fratribus Saluæ terræ, quorum fuerat, & nõ posset si necessitas incumberet retineri. Vnde apud nos institerunt firmissime, vt villa salua, & integra cum armis, & magna copia victualium, quæ ibi erant, quibus satis indigebat exercitus, nobis redderetur, & personæ Sarracenorum vacuæ & inermes recedere permitterentur. Nos autem attendentes eorum in hoc firmam voluntatem, votis eorum annuimus, ita quod medietas omnium eorum, quæ intus habebantur, cederet in partem Regis Aragonum, & alia medietas in partem vltramontanorum, & nec nobis, nec nostris aliquid voluimus retinere.

Calatraua compulsa ad deditionem.

Recessus Gallorũ.

25 Ipsi autem propositum repatriandi apud se retinentes; licet dominus Deus nobis exhiberet gratiam, & honorem, & nos vellemus omnibus eis sufficientissimè necessaria ministrare, desiderio patriæ coacti, omnes pariter signo crucis relicto, cum archiepiscopo Burdegalensi, & episcopo Nannetensi, licet certitudinem de bello Sarracenorum haberemus, ad propria redierunt, exceptis admodum paucis, qui remanserunt cum archiepiscopo Narbonensi, & Tibaldo de Blesona, qui naturalis noster erat cũ suis, & quibusdam alijs militibus, qui erant de Pictauia, & ij omnes, qui remanserunt, vix erant inter milites, & seruientes centum quinquaginta. De peditibus autem eorum, nullus remansit. Cumque Rex Aragonum apud Calatrauam moram faceret, expectando quosdam milites suos, & Regem Nauarræ, qui nondum ad nos peruenerat; nos cum nostris processimus, & peruenimus ad quoddam castrum eorum quod * Alarcos dicitur. Illud castrum licet bene munitum esset, cepimus, & alia tria castra, quorum vnum dicitur Caracdaa, aliud Benauentum, aliud Petrabona. Inde procedentes peruenimus ad Saluam terram, ibique peruenerunt ad nos Rex Aragonum, qui de suis hominibus non duxit in exercitum, nisi tantum milites generosos, & Rex Nauarræ, qui similiter vix fuit in exercitu de suis plusquam ducentis militibus comitatus. Et quia Rex Sarracenorum in vicino erat nobis, Saluam terram noluimus expugnare; sed procedentes contra Sarracenorum multitudinem, peruenimus ad quædam montana, in quibus non erat transitus aliquis, nisi in certis locis.

** al. Alacos*

Oppida alia expugnata.

26 Cumque nos essemus ad pedem illius montis ex parte nostra, Sarraceni venientes ex parte alia obtinuerunt summitatem montis volentes nobis transitum impedire. Sed milites nostri ascendentes viriliter, quia adhuc pauci Sarraceni ad locum illum peruenerant, eos cum Dei auxilio expulerunt, & castrum quoddam munitum, quod propter transitum impediendum Sarracenorum Rex construxerat, ceperunt, quod Ferrat dicitur. Quo occupato exercitus Domini secure potuit ad cacumina montis ascẽdere, vbi multum laborauit, propter defectum aquarum, & loci ariditatem. Sarraceni autem videntes, quod transitum illum occupare non possent, alium transitum, qui erat in descensu montis, arctissimum & iniuum occuparunt. Talis quippe erat, quod mille homines possẽt defendere ab omnibus hominibus, qui sub cælo sunt, & iuxta transitum illum ex altera parte erat totus Sarracenorum exercitus; & sua tentoria iam fixa. Cumque nos ibi facere moram non possemus ob defectum aquæ; nec procedere propter transitus difficultatem, quidam ex nostris consuluerunt, quod iterum ad pedem montis descenderemus, & alium transitum ad duas, vel tres dietas quæreremus.

Alphonsi cõsilium.

27 Nos autem, attendentes fidei periculum & personæ nostræ dedecus, noluimus huic parere consilio, eligentes potius in difficultate transitus mori pro fide, quam faciliorem transitum quærendo, qualitercumque in fidei negocio retroire. Cumque iam quidem propositum firmassemus, ad indicium cuiusdam rustici, quem Deus nobis ex insperato misit, in eodem loco alium transitum satis facilem magnates nostri, qui primos ictus in bello habituri erant, inuenerunt, & in quodam loco exercitui eorum vicino, licet arduus esset, & siccus, Sarracenis hunc transitum ignorantibus, tentoria posuerunt. Quod cum Sarracenorum exercitus attendisset, processit, vt mansionem illam impediret: nostri autem licet pauci essent, se viriliter defenderunt. Nos autem, & Rex Aragonum, & Rex Nauarræ armati cum militibus nostris in loco primæ mansionis, quæ erat in summitate montis, expectauimus donec totus exercitus Domini peruenit secure ad locum, vbi anteriores nostri castrametati sunt: & ità dante domino factum est, quod licet via esset inuia, & inaquosa, lapidosa, & nemorosa, nihil de nostris amisimus. Hoc autem factum est dia sabbati decimo septimo kalendas mensis augusti. circa serotinam verò horam Sarraceni attendentes, quod omnia tentoria nostra tute fixeramus, dispositis aciebus suis

vene-

venerunt ante loca castrorum, & ibidem quædam præludia belli in modum torneamenti, cum nostris exercuerunt. Attendentes autem ipsi, quod nos illa die nollemus habere bellum, ad castra sua reuersi sunt.

28 Sequenti autem die dominica summo mane venit Sarracenus cum infinita multitudine dispositis aciebus suis; nos autem volentes considerare multitudinem gentis suæ, & dispositionem, & statum, & qualiter in omnibus se haberent, habito prudentum virorum consilio, & in ijs exercitatorum, expectauimus vsque ad sequentem diem lunæ. Ipsis autem sic existentibus, posuimus milites nostros cum peditibus, vt extremos agminis nostri non possent in aliquo molestare. Quod quidem diuina dante gratia sic euenit. sequenti die, scilicet secunda feria omnes in Dei nomine armati processimus dispositis aciebus cum eis pro fide catholica pugnaturi. Ipsi autem promontoria quædam obtinuerunt valde ardua, & ad ascendendum difficilia propter nemora, quæ inter nos & ipsos erant, & propter alueos torrentium profundissimos; quæ omnia nobis erant magno impedimento; ipsis verò maximo expedimento.

29 Verumtamen ille, a quo omnia, in quo omnia, per quem omnia, fecit mirabiliter, & direxit manus sui exercitus contra inimicos suos, & anteriores nostri, nec non & medij multas eorum acies, quæ in minoribus promontorijs existebant, virtute crucis Dominicæ prostrauerunt. Cum autem peruenissent ad extremam aciem, eorum infinitæ siquidem multitudinis, in qua Rex Carthaginis erat, ibidē difficillimos conflictus militum, peditum, & sagittariorum inuenerunt, quos sub maximo periculo, & vix, immo etiam iam non poterant tolerare. Nos autem attendentes bellum illud eis omnino importabile, impetu equorum processimus, signo crucis dominicæ præeunte, & vexillo nostro, in quo erat imago beatæ Virginis, & filij sui in signis nostris superposita. Cumque nos iam pro fide Christi mori constanter eligeremus, attendentes Crucis Christi, & imaginis suæ matris ignominiam, quas lapidibus, & sagittis irruere impetebant in arma furētes aciem illorum infinitæ multitudinis diuisimus, & licet ipsi essent constantes in bello, & firmi super domino suo; Dominus illorum infinitam multitudinem crucis suæ gladio trucidauit: & sic Rex Sarracenorum cum paucis in fugam conuersus est. Sui autem impetus nostros interim non sustinebant, sed statim post maximam stragem suorum, reliqui in fugam conuersi sunt.

Vexill. Reg. Cast. præfert imaginem Deiparæ.

30 Nos autem insequentes eos vsque ad noctem, plures tamen in sequendo interfecimus, quam in bello. Et sic bellum Domini a solo Domino, & per solum Dominum est feliciter cōsummatum. Deo autem honor, & gloria, qui cruci suæ dedit victoriam per Iesum Christum dominum nostrum. Fuerunt autem milites Sarraceni, vt postea vera relatione didicimus, a quibusdam domesticis Regis Sarracenorū, quos captiuos cepimus, centū octuaginta quinque millia; peditum verò non erat numerus. Occubuerunt autem in bello ex parte sua centum millia armatorum, & amplius, secundum æstimationem Sarracenorum, quos postea cepimus. De exercitu autem Domini, quod non sine grandi gratiarum actione recitandum est, & quod incredibile est, nisi quia miraculum est, vix viginti quinque Christiani, aut triginta de toto nostro exercitu occubuerunt. O quanta lætitia! o quot gratiarū actiones! nisi de hoc dolendum sit, quod tam pauci martyres de tanto exercitu ad Christum martyrio peruenerunt. Vt autem magna multitudo eorum credatur: cum exercitus noster in castris eorum post bellum per biduum fecerit moram, ad omnia incendia, quæ necessaria erant, in coquendis cibis, & pane, & alijs, non composuerunt alia ligna, nisi de sagittis, & lanceis eorum, quæ remanserant, & via potuerunt comburere medietatem. Cumque Dei exercitus propter longam moram factam in locis eremis, & incultis deficeret in victualibus, & alijs, ibidem tantam inuenerunt tam ciborum, quam armorum nec non etiam dextrariorum, & aliorum iumentorum copiam, quod accipientes ad suam vnusquisque de ijs omnibus voluntatem, plus ibi dimiserunt ex magna abundantia, quam ceperunt.

Horrenda Sarracenorum strages edita.

Paucissimi e Christianis desiderati.

31 Tertio autem die procedentes venimus ad quædam castra eorum, scilicet Bilche, Barmos, Tolosam, quæ in continenti cepimus. Tandem peruenimus ad duas ciuitates, quarum altera dicitur Biacia, altera Vbeda, quibus non erant maiores citra mare, præter Cordubam & Hispalim. Quarum alteram scilicet Biaciam destructam inuenimus; ad alteram verò, scilicet Vbedam, quia situ loci & artificio fortissima erat, confugerat multitudo hominum infinita ex omnibus villis adiacentibus. Cum enim villa illa nunquam ab Imperatore, vel ab aliquo Regum Hispaniæ expugnata sciretur, vel subiugata, in eadem posse saluare sua corpora se credebant; sed & hanc in breui diuina gratia faciente cepimus, & funditus destruximus cum non possemus habere tantam multitudinem gentium, quæ ad illas populandas sufficere possent, & bene perierunt ibi sexaginta millia Sarracenorum, quorum quosdam interfecimus, quosdam captiuos duximus ad seruitium Christianorum, & monasteriorum, quæ sunt in Marchia reparanda. Hæc igitur sanctissime Pater vobis scribenda decreuimus, pro auxilio toti Christianitati impenso gratias, quas possumus exhibentes, & humiliter supplicantes, vt vos, quem Dominus ad summi sacerdotij gradum elegit; ei cum sacrificio laudis pro salute populi immoletis vitulos labiorum.]

Comparata a Sarracenis loca.

Cædes ingens Sarrac. facta.

32 Hactenus Regis epistola, quæ etiam a Io: Mariana a redditur, & cui precatio in regesto adijcitur.

Oratio.

Omnipotens, & misericors Deus, qui superbis resistis, humilibus autem das gratiam, digna tibi laudum præconia, & deuotas gratiarum referimus actiones; quod antiqua innouando miracula gloriosam tribuisti victoriam de perfidis gentibus populo Christiano: te suppliciter exorantes, vt quod mirabiliter incepisti, misericorditer prosequaris ad laudē & gloriam nominis tui sancti, quod super nos famulos tuos fideliter inuocatur. Per dominum &c. Antiqua planè renouata miracula, quæ Rodericus Toletanus [b] oculatus testis, & Lucas Tudensis huius temporis scriptor recensent, dum ab Rege enarrata pluribus prosequuntur. Sed hæc ad rē nostram satis. Cæterum tantam tamque insignem victoriam alij celebrarunt c. Ex quibus Rigordus huius æui scriptor hæc historiæ consecrauit; *Rex Aragoniæ, miles probatissimus in signum victoriæ lanceam & vexillum ipsius Mumillini Romam misit, quæ adhuc in ecclesia B. Petri in loco eminenti posita, &c.*

a Ioan. Marian. l. 11. c. 25. Reg. a 180

Oratio instituta in gratiarum actionem

b Rod. de reb. Hisp. lib. 8. Luc. Tud. Ioan. Mar. l. 11. c. 23. 24. 25. atque alij.

c Stero in ann. apud Canis. ant. lect. to. 1. p. 244. Rig. de gest. Phil. Aug. Fr. Reg. an. 1212. Godef. annal. ann. 1212. Paris. hist. Angl. ann. 1213. Bern. chr. Rom. Pont. an. 1212. & alij.

33 Verum Richardus notarius d eius tēporis scriptor vexillum auro textum ad summum Pontificem a Castellæ Rege cum literis missum testatur: *Idem Rex Castellæ de tanto Christianis principibus cælitus concessa victoria Innocentio Papæ literas mittit. Mittit etiam de acceptis Sarracenorum spolijs eidem honorabilia xenia, tentorium videlicet totum sericum, & vexillum auro contextum, quod in Principis Apostolorum basilica, in laudem nominis Christi appensum est.* consentit alijs Cæsarius, e qui de Albigensibus locutus ait ab ipsis Miramomelinum Marrochitanum Regem ab ijs excitum, cumque tanto exercitu stipatum occupasse Hispanias, vt eas non absorpturus modò, sed longè vlte-

d Rig. vbi sup. S. Ant. 3 par. tit. 19 c. 2. §. 4. e Richar. de S. Germ. in chron. e Cæsar. l. 5. c. 21.

Munera a Rege Castell. missa Innoc.

Miramomelinus mutur.

vlterius victoriam dilataturus videretur, gloriareturque in literis ad Innocentium scriptis se equos suos in portien ecclesiæ B. Petri stabulaturum, ac vexillum suum in eius fastigio defixum iri. quod partim impletum ait, sed magno illius pudore, dum fracto eius exercitu vexillum ipsius missum Innocentio in eadem ecclesia suspensum est. Eam victoriam XVII. kal. aug. huius anni partam ait, quam tamen imminuit, dum cæsorum numerum ad sexaginta millia tantum ascendisse collocat, cum longe plures deleti. subdit verò barbarum paulo post ex dolore amissæ pugnæ obijsse.

Vexillum barbari erectū in Eccles. S. Petri.

34 Perlectis igitur Regiis literis Innocentius, magna elatus lætitia immensas Deo gratias, laudesque egit ob fractam, attritamque barbarorum insolentiam, qui cælum blasphemis vocibus impetere fuerant ausi: easdemque literas cunctis fidelibus exponi recitarique præcepit. Postremo Regem huiusmodi victoriam exercituum Domino referret acceptam, hortatus est, atque adeo illud meminisset, palamque profiteretur, quod non manus sua excelsa, sed Dominus hæc omnia fecisset, vt videre est ex literis a ab eodem 7. kal. nouemb. ad Regem datis. Ob tantam verò victoriam, quæ potius virtute crucis, quam hostes impugnabant, quàm ense vel hasta bellatorum parta est, decretus est in gratiarum actionem dies festus, celebrandus in Hispania quæ Maurorum imminentem excusserat seruitutem. de quo Ferrarius in notis appositis ad iulij diem 16. hæc tradit: *In Hispania triumphus sanctæ crucis: quod festum institutum fuit ob victoriam ex Mauris ab Alphonso Rege reportatam anno MCCXII. cæsis ducentis millibus hostium.*

a In. l. 15. ep. 182.

Festum triumphi S. Crucis institutū.

35 Ex lætissimo Hispaniarum triumpho traducenda est oratio ad lugubres Angliæ res, quæ hoc anno miserè depressæ sunt: de quibus Parisius ait, per hæc tempora quemdam eremitam Petrum nomine in prouincia Eboracensi palam prædixisse Ioannem in die dominicæ ascensionis Regem non futurum, sed coronam ex ea die ad alium translatum iri; Ioannemque ipsum in vincula coniecisse, vt si exitus dictis non consentiret, morte mulctaretur. Interea verò fama illius prophetiæ increbrescente nobilitatem Anglicanam, cuius odia in se Ioannes conflarat, in eum coniurasse, cumque præstita fide solutos se audissent, communi consensu literas suis sigillis munitas ad Regem Francorum misisse, vt in Angliam accederet, se Angliam ipsi tradituros; Regemque agnituros.

Prædictio Petri erc.

Angli Regem Frā. euocant.

36 Præterea per ea tempora Stephanum Cantuariensem aliosque episcopos ad Innocentium se contulisse, ac mala ingentia, quæ à vibrati interdicti tempore Ioannes patrasset, exposuisse, tumque Innocentium Ioannem e solio deturbandum, ipsiusque regnum ad alium transferendum censuisse; scripsisse ad Francorum Regem, vt proposita sibi diuina gloria rem aggrederetur, capesseret Anglorum coronam, expeditionemque adornaret; tum principibus viris præcepisse induerent pro ea re perficienda crucem, & Francorum Regem ducem sequerentur: ac Pandulphum subdiaconum cum Anglis episcopis in Gallias misisse: Subijcit verò Pandulphū secreto Innocentium adijsse, petijsseque quid agendum tandem, si Anglorum Rex ad pœnitentiam adduceretur; ac tum Pontificem formam pacis præscripsisse, quam si Ioannes admitteret, illum pontificiæ gratiæ restitutum iri. quæ porro illa fuerit, suo postmodum loco afferetur.

Ioannes exauctoratur.

Inn. transfundit in Phil. Angl. coronam.

Mittit ob id Pandulphum in Gall.

37 Antequam verò rebus occidentalibus dicendi finem imponamus, nonnulla alia de Innocentij Papæ gestis addenda supersunt. hoc namque anno Pontifex b literas aduersus eos exarauit, qui Bassanelli, Palatioli, Bassani, & Aliani Romanæ Ecclesiæ oppida per summam iniuriam detinebant, castri Melgorij populum, qui supplex Innocentium rogarat, ne alterum sibi dominum præter Rom. Ecclesiam imponeret, vt in eiusdem Ecclesiæ fide perstarent, amantissimis verbis hortatur. Consultus a Bysuntino archiepiscopo an ecclesia, quæ conflagrarat, non consumptis tamen incendio parietibus, consecranda videretur, hæc respondit: *Liquetis ædificij ecclesia vestra casu quodam igne consumptis, parietibus tamen illæsis, ac mensa principalis altaris in sui extremitate modicam passa fracturam, quæsiuistis per sedem Apostolicam edoceri, si propter hoc ipsius altaris, vel etiam totius ecclesiæ deberet consecratio innouari. Ad quod sic duximus respondendum: Quod cum parietes in sua integritate permanserint, & altaris tabula mota vel enormiter læsa non fuerit, ob casum prædictum nec ecclesia nec altare debet denuo consecrari. Dat. Later. non. octob. pontificatus nostri anno XV.*

b Inn. l. 15. ep. 12.

Ecclesia exusta si parietes steterint iterum nō consecranda. Ep. 164.

38 Superest, vt de priuilegijs hoc anno impertitis nonnulla delibemus a. Corroborauit instituta Bernardi Primi ac sociorum, quorum consilium erat, vt operam omnem confutandis hæreticorum erroribus collocarent. Extant plures eius literæ, in quibus prærogatiuæ viris ecclesiasticis ac religiosis datæ continentur, quas in margine annotauimus b. Iacobo consobrino pontificiorum castrorum magistro ob rem in Marcualdum Siciliæ inuasorem bene gestam concessit c, vt quod supra vidimus, castrum Nymphæ iure fiduciario obtineret. A. . . . Lusitaniæ Regem eiusque regnum in B. Petri tutelam recepit: *Attendentes tuam personam, ornatam prudentia, iustitia præditam, atque ad Regni gubernationem idoneam, eam sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & regnum Portugallense, cum integritate honoris, regni, & dignitate, quæ ad Reges pertinet, necnon & alia loca, quæ cum auxilio cælestis gratiæ de Sarracenorum manibus eripueris, in quibus ius sibi non possunt Christiani principes circumpositi vendicare, ad exemplar felicis memoriæ Alexandri Papæ prædecessoris nostri, qui hoc præfato auo tuo per priuilegij paginam concessisse dignoscitur, tuæ sublimitati concedimus, & auctoritate apostolica confirmamus.* & infra: *Ad indicium autem, quod præscriptum regnum B. Petri iuris existat, pro amplioris reuerentiæ argumento progenitorum tuorum vestigijs inhærendo, statuisti duas marcas auri annis singulis nobis nostrisque successoribus persoluendas: Quem vtique censum ad vtilitatem nostram, & successorum nostrorum Bracarensi archiepiscopo, qui pro tempore fuerit, tu & successores tui curabitis assignare.*

a Ibid. ep. 136.

b ibid. ep. 113. Ep. 5. 31. 33. 78 110 119 142. 229. 164. Ep. 113. Ep. 23.

Rex Lusit. in clientelam Apost. susceptus.

39 Hoc anno d Clara nobilis virgo annos nata duodeuiginti, quos summa cum honestatis laude duxerat, S. Francisci verbis inflammata, terrenis omnibus conculcatis, religiosam Deo vouit seruitutem; & vti ille fratrum, ita ipsa sacrarum sororum in S. Damiani æde collegium instituit, vt gestorum anonymus scriptor e & Lucas in annalibus latius prosequuntur. Quo etiam anno Assisij S. Ruffini episcopi & martyris celebranda translatio incidit, qui veluti redniuus præclaris tum miraculis coruscauit, ex quibus vnum in medium adducemus, vnde percipi liceat quanta prouidentia custodiat Dominus, non solum (quod testatur Psalmographus) omnia ossa sanctorum, verum etiam sepulchralem puluerem. Inter alias igitur res admirandas, quæ ea tempestate obtigere, quasque exscriptas ex Assisinatis ecclesiæ codice, in bibliotheca nostra asseruamus, hæc memoriæ produntur: *Cum reliquiæ sancti Ruffini martyris de nouo translatæ fuissent populo tunc ad ecclesiam ipsius de diuersis partibus veniente, quamplures ad sepulcrum, de quo sanctus martyr translatus fuerat, accedentes, de puluere qui post reliquias extractas remanserat, assumebant, vt illum in honore eiusdem sancti martyris*

d Luc. Ann. an. 1212. S. Clara mundo nuntium remittit.

e Vit. S. Claræ 3. 4. & 5. apud Sur. to. 4. die 12. aug.

Translatio reliquiarū S. Ruffini.

tyris

tyris ad propria deportarent, sed cum ab Assisio per milliare, vel non multo amplius reuertentes distarent, tunc quidam morbo angariati ita quod vlterius progredi non valentes, quidam verò notitia viarum amissa, per vias erroneas gyro vagantes, tamdiu sic impediti detinebantur, quoad pœnitentia ducti ad ecclesiam sancti Ruffini martyris redirent, & ipsum puluerem in loco de quo assumpserant, postulantes ex eo veniam, resignarent: quod cum vidissent canonici, sicut bonæ prouidentiæ viri, habita tunc inter se super hoc competente deliberatione, ipsum etiam puluerem prout expediebat, nequis vltra manum illic apponeret, incluserunt &c.

Puluerem ex eius sepulcro auferre diuino prodigio non licet.

40 Poscit instituti ratio, vt hic attexamus miraculum aliud, quod Tritbemius hoc anno IV. kal. mar. in Adelberto oppidano loci cui Mannendal nomē est in Germania ait cōtigisse, qui cū ex morbo decessisset, diuinæ prouidentiæ arcano consilio post inspecta alterius vitæ malis proposita supplicia ad viuos excitatus asperrimum pœnitentiæ genus septem annis duxit. Qui plura voluerit, auctorem [a] consulat, qui ab Angelo ipsi obiecta fusa oratione prosequitur. Postremo antequam ab Italia orationem deflectamus, addenda, quæ Richardus e S. Germano [b] de Innocentio tradit, ipsum mense iunio Vrbe egressum Signiam venisse, æstiuo tempore ibi moratum, denique septembri mense Romam reuersum esse. iam ad res orientales stylum conuertamus.

Mortuus ad viuos reuocatus.

a Trith. chro. Spanhem.

b Richar. in chron. hoc ann.

41 Labefactabatur in oriente a potentioribus libertas ecclesiastica, ad quam tuendam Innocentius magnam vti cœperat, constantiam præ se tulit. G. de villa Arduini atque ad Thebanum episcopum aliosque præsules bona [c] episcopatui de Londreuilla erepta & Corinthiorum ecclesiæ thesaurum interceptum restitui per literas iussit: præterea cum nonnulli in quos, ob vastatas ecclesiarum possessiones, aliaque perpetrata flagitia, lata fuerat anathematis sententia, resipiscere contemnerent, Henricum Imp. monet [d], nefarios homines non modò patrocinio suo non foueat, verum sua quoque auctoritate compescat. Cumque iam ante Thebano, ac Neopatrensi archiepiscopis & Nazarocensi electo præcepisset, vt manifestos vsurpatores de abbatijs, monasterijs, ecclesijs, iure decimarum, alijsque ecclesiasticis possessionibus, quas per summam iniuriam occupabant, decedere ac veris dominis relinquere, ecclesiasticis censuris adigerent, illique rem neglexissent, Thessalonicensem archiepiscopum & Cardicensem & Sithoniensem episcopos id omnino perficere iussit. [e]

Ecclesiastici ab oppressione vindicati.

c tandis ep. 21. 22. 44. 64. 75. 76.

d Ep. 73.

e Ep. 74.

42 Per id tempus Romanus Pontifex, certior factus, Henricum Imperatorem cum proceribus edicta libertati ecclesiasticæ prorsus contraria edidisse, nimirum vt nullus in vita supremaque voluntate ecclesijs bona elargiri posset, Cardicensi & Sithoniensi episcopis imperauit, vt edicta illa, vtpote a diuinis humanisque legibus aliena, rescindi studerent [f]. Ad alios etiam varijs de causis in orientales oras hoc eodem anno literas misit: ad Thessalonicensem enim archiepiscopū scriptis literis [g] illius ecclesiæ, atq; prædecessorum catholicorum antistitum laudes celebrat, eidemque ecclesiæ priuilegia confirmat, augetque: præterea concordiæ leges inter ipsum ac Dominici sepulchri priorem, & capitulum compositas firmas reddidit [h]. Cumque ad sedem Apostolicam esset perlatum, Thebanos quosdam canonicos in Zaraconiensem episcopum sacrilegas manus iniecisse, eundemq; pluribus contumelijs onerasse, causæ cognitionem archiepiscopo commisit [i]. Thebano archiepiscopo præcipit [l], Græcos Corinthiensis diœcesis abbates, ad reuerentiam obedientiamque archipræsuli præstandam compelleret. Philippensem archiepiscopum subditos in obseruantia erga sedem Apostolicam confirmet hortatur, eiusque Ecclesiam priuilegijs exornat [m]. Ioanni Rodestonensi episcopo, quoniam ad obsequium Romanæ Ecclesiæ erat reuersus, permittit [a] eadem priuilegia, quibus Latini episcopi potirentur, atque integram in suos iuris dicundi auctoritatem indulsit, cæteros pariter Græcos ad Romanæ sedis coniunctionem adducere studeret hortatur [b]. binæ hæ epistolæ Signiæ pridie idus iul. exaratæ fuere.

f Ep. 75.

g Id. ib. ep. 17.

h Ep. 85.

i Ep. 30.

l Ep. 52.

m Ep. 55.

a Ep. 133.

b Ep. 134.

43 Posles verò magistrum Maximum notarium suum Constantinopolim misit. Cum enim ecclesia illa patriarcha orbata esset, ac legato careret, ipsi consulturus, suas vices Maximo imposuit, ad quem scriptæ litteræ, in quibus pluribus de quatuor ecclesijs patriarchalibus disserit: *Scriptum est in Apocalypsi Ioannis, quod in medio sedis, & in circuitu sedis erant quatuor animalia plena oculis ante, & retro; primum animal simile leoni; secundum animal simile vitulo; tertium animal habens faciem quasi hominis; & quartum animal simile aquilæ volanti. Et quatuor animalia singula eorum alas senas habebant. Sedes ista Ecclesia Romana intelligitur; quæ vsitato vocabulo sedes Apostolica nuncupatur, vtique sedes Agni, sedes viuentis in secula seculorum. In medio cuius, quasi filiæ in gremio resident, & in circuitu astant, quasi famulæ in obsequio quatuor patriarchales ecclesiæ, Alexandrina, Antiochena, Hierosolymitana, & Constantinopolitana, quæ per illa quatuor animalia designantur, &c.* Dein singulis mysteria propria attributa explicat: quas literas cum typis cusæ sint, ex more nostro prætermittimus. Alijs XII. kalen. sept. scriptis literis [c] concessit, in Romaniæ partibus anathematis sententia illos soluere posset, qui in clericos violentis iniectis manibus, scelerum vinculis liberari flagitarent: *Nisi*, inquit, *excessus eorum fuerint adeo difficiles, & enormes, vt meritò sint ad sedem Apostolicam destinandi*. Sequenti verò die scripsit cum ad vniuersum Constantinopolitanum [d] clerum, quem iubet a nuncij imperijs non discedere; tum ad Henricum Imp. cui illum plurimum commendauit [e]. At quomodo Innocentius eò legatum suum a latere miserit, proximo anno dicetur: nunc res Syriacas prosequamur.

Maximus notarius missus legatus in orientem. Ep. 155.

c Ep. 151.

d Ib. 153.

e Ep. 154.

44 Acceptis ab Alexandrino patriarcha atque ab ijs, qui in vinculis tenebantur, tristibus literis, quibus ærumnis grauissimis obruti, opem ab eo flagitabāt, rescripsit [f] atque ad meliorē spem captiuos erexit.

f Lib. 14. ep. 146.

Innocentius, &c.

Habito super hoc cum fratribus nostris diligenti tractatu, petitionem tam tuam, quàm captiuorum ipsorum fauore per pendimus apostolico prosequendam venerabili fratri nostro patriarchæ Hierosolymitano Apostolicæ sedis legato nostris dantes literis in mandatis, quatenus ex parte tam nostra, quàm sua præscriptos fratres, ac Reges, & principes in nomine Domini exhortetur, consulendo fideliter, & efficaciter inducendo, vt ad redemptionem illorum per congruam commutationem intendant, & contra persecutores fidei Christianæ ijs pro fide Christi potentibus armis vtantur, quibus vtique Dominus vim suæ virtutis creditur facilius impensurus. Cumque hoc acceptabile opus populus intellexerit Christianus, ad subactionem eorum liberalius suas manus extendat, &c.] Extant verò ad patriarcham Hierosol. literæ [g], quibus, vt de permutandis captiuis ageretur, instare iubet. ingens illud pietatis opus futurū & Christi fideles alios perspecto studio in captis bello e Sarracenorum seruitute eripiendis ad bellum sacrum ardentius inflammatum iri.

Innocentij lit. ad patriarch. Alexand.

g Ead. l. 14 ep. 147.

Innocentius, &c.

Cum ergo captiuis hoc humanitatis solatium, & ex officio charitatis, & ex præcepto Domini debeatur, transgressores profectò videntur qui nolunt, cum possunt, ad redemptionem intendere captiuorum. Pro quibus secundum constitutiones canonicas & legitimas, distrahi debent ecclesiastica bona,

quæ

quæ in alijs casibus alienari non licet. Verendum est enim ne secundum Apostolum, sint iustitiæ diuinæ subiecti, si qui forsitan contra hoc suam iustitiam statuerunt, legem Dei propter traditiones hominum dimittentes, volendo plus rebus consulere quam personis, pecunias magis, quam animas diligentes, quod irrefragabili videtur argumento conuinci, si certe quos liberant pro pecunijs acquirendis; nolint pro redimendis fratribus liberare. *Et infra:* Quicquid autem super hoc actum fuerit, nobis non differas intimare, vt per eam relationem instructi, iuxta quod nobis diuina suggesserit inspiratio, procedamus. *Dat. Later. idib. ianuarij Pontificatus nostri anno* XIV.]

45 Versū est magno prodigio pueros opera dæmonis mentis impotes factos, in arma cōcurrisse expeditionemq; adornasse, vt Hierosolymas, quemadmodū iactabant, ex Sarracenorum seruitute liberarent, de qua hæc Albertus Stadensis a: *Circa id tempus pueri sine rectore, sine duce, de vniuersis omnium regionum villis, & ciuitatibus versus transmarinas partes auidis gressibus cucurrerunt, & dum quæreretur ab ipsis, quò currerent, responderunt, versus Hierusalem, requirere Terram sanctam. Plurimi ex eis a parentibus claudebantur, in vanum tamen, quia fractis clausuris, aut parietibus, exilierunt. Papa auditis his rumoribus, ingemiscens ait: Hi pueri nobis improperant, quod ad recuperationem Terræ sanctæ eis currentibus, nos dormimus adhuc: quo deuenerint, ignoratur: sed plurimi redierunt, a quibus dum quæreretur causa cursus, dixerunt se nescire.* Quo tempore etiam plures mulieres emotas mente nudis corporibus nil loquentes per vrbes oppidaque cucurrisse tradit. De eadem expeditione agunt Godefridus b & alij, qui eam nugatoriam appellant, additque Godefridus, stolidam multitudinem postquam in Italiam peruenit, per ciuitates atque oppida vagos palantesque se effudisse, pluresque varijs in locis in seruos ancillasque detentos, alios verò venientes ad littora, seductos a nautis, ad remota loca transuectos, quod etiam Thomas Cantipratensis c testatur: reliquos verò Romā peruenisse, non tamē Hierosolymitanæ peregrinationis voti religione solutos (plurimi enim simpliciores viri pueris se coniunxerāt) nisi eos, qui senio attriti tantū iter conficere non possent. Hæc pluribus auctor. hoc demum anno refert Siffridus d in Accone Theutonicorum equestris ordinis iacta esse fundamenta.

a Alb. Sta in chron. an. 1212.
Puerorū Hierusalē tendentiū feruor.
Dictum graue Inn.
b Godef. in annal. an. 1212. Frag. hist. incer. auct chr. Domi. Colma. & compilatio chronol. Antonin. 3. par. tit 19 c. 2. §. 4 Matth. Par. hist. Angl. ann. seq.
c Thom. Cantip. l. 2 c. 3.
d Siffr. in epit. l. 2.

IESV CHRISTI
Annus 1213.

INNOCENTII PP. III. annus 16.	OTHONIS IMP. annus 5. HENRICI IMP. annus 8.

1 PAtra diuinitus de formidando Albigensium exercitu ab exigua crucesignatorum manu trophæa, Anglia sedis Apostolicæ stipendiaria effecta, indicta synodus œcumenica, comparataque defendendæ Syriæ auxilia annum Christi millesimum ducentesimum decimum tertium indictione prima insignem reddidere. Voluebat animo Pontifex ingentem quandam expeditionem in Terram S. adornare ad proferendos Imperij Christiani fines, ac fideles eo bello occupandos, in quo non modò sperarentur peritura præmia, sed æternæ etiam palmæ colligerentur. extant enim datæ eo argumento encyclicæ illius ad Christi fideles literæ e quibus monuit, vt non solum ferro sed diuino maximè auxilio se communirent. *Cum longe plus de diuina clementia, quam de humana potentia confidere debeamus, oportet nos in tali conflictu non tam corporalibus armis, quam spiritualibus dimicare. Ideoque statuimus, & mandamus, vt singulis mensibus semel fiat generalis processio, seorsum virorum, & seorsum vbi fieri poterit mulierum, in humilitate mentis, & corporis, cum deuota orationum instantia postulantium, vt misericors Deus auferat hoc a nobis confusionis opprobrium, liberando terram illam, in qua vniuersa redemptionis nostræ sacramenta peregit, de manibus paganorum; restituendo eam ad laudem, & gloriam nominis sui sancti, populo Christiano. Prouiso prudenter, vt semper in ipsa processione verbum salutiferæ Crucis cum diligenti exhortatione populo proponatur. Orationi verò ieiunium, & eleemosyna coniungantur; vt ijs quasi alis facilius, & celerius ipsa volet oratio ad pijssimas aures Dei; qui nos clementer exaudiat in tempore opportuno: singulis quoq; diebus intra missarum solemnia post pacis osculum, cum iam pro peccatis mundi offerenda, vel sumenda est Hostia salutaris, omnes tam viri, quam mulieres humiliter prosternantur ad terram, & a clericis psalmus iste: Deus venerunt gentes in hereditatem tuam, alta voce cantetur. Quo cum hoc versu deuote finito: Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant a facie eius, qui oderunt eum, sacerdos qui celebrat orationem istam super altare decantet: Deus, qui admirabili prouidentia cuncta disponis, te suppliciter exoramus, vt terram, quam vnigenitus Filius tuus proprio sanguine consecrauit, ac manibus inimicorum crucis eripiens, restituas cultui Christiano. Vota fidelium ad eius liberationem instantium, misericorditer dirigendo in viam salutis æternæ. Per eumdem Dominum nostrum &c.* Subditur in ecclesijs locum idoneum designari, in quem fidelium eleemosynæ ad sumptus belli sacri sustinendos conijciantur. Eiusmodi literarum meminit inter alios Richardus a earumque summam breuiter perstrinxit. Ad hæc verò perficienda b, atque ad excitandos pro concione ad bellum sacrum populos archiepiscopis, episcopis, abbatibus varijs Christianæ reipublicæ in locis degentibus, legationis munus iniunxit, eosque spretis muneribus, auaritiæ sordes a se procul submouere iussit.

e Inn. l. 16 ep. 23.
Expeditio in Terr. S. apparatur.
Indictæ solemnes supplicationes.
a Richar. de S. Germ. in chron. hoc ann.
b Ib. ep. 26

2 Cæterum in Gallias huiusmodi subsidij contrahendi gratia legatum e latere misit c Robertum tit. S. Stephani in Cœlio monte, presbyterum Cardinalem, quem Gallicano clero d, Francorum Regi, & Ludouico eius primogenito, Blancæque Ludouici vxori commendauit e. De Roberti legatione, vt infra videbimus, Petrus Vallisarnensis alijque post eum meminere. Nec Gallos modò sed Venetos quoque in sacri belli societatem trahere studuit f. Cumque Petrus Ziani dux Venetorum oratoris opera Pontifici significasset, lætissimo animo apostolicas literas excepisse, expeditionemque florentissimam comparare, vt vnà cum cæteris crucesignatis, quibus suum ipse nomen adscripsisset, profectionem iniret, Innocentius ingenti gaudio perfusus, iam excitatum ardentemque magis inflammauit. Præterea eos, qui in Germania dato sacræ militiæ nomine aduersus hæreticos in Prouinciam mouere decreuerant, ad Hierosolymitanam profectionem hortari statuit g, consultusque an viri reclamantibus vxoribus in sacram militiam referri possent, rescripsit h: *Cum Rex cælestis maior sit Rege terreno, & constet quod vocatos ad terreni Regis exercitum, vxorum non impedit contradictio, liquet, quod ad summi Regis exercitum inuitatos & ad illum proficisci volentes prædicta non debet occasio impedire, cum per hoc matrimoniale vinculum non soluatur, sed subtrahatur ad tempus cohabitatio coniugalis, quod in multis alijs casibus fieri frequenter oportet.* Antea verò Andreæ Vngarorum Regi triennium concesserat, intra i quod votum persolueret: *Ad exequendum votum quo Domino promisisti te ad Terræ S. subsidium profecturum, serenitati tuæ triennium indulgemus, infra quod sic te studeas præparare, vt ad magni Regis obsequium tu quasi Rex magnus, magnificè proficiscens, dilationis incommodum subuentionis commodi-*

Legatio in Gall. missa
c Ep. 28.
d Lib. 16. ep. 27.
e Ep. 30.
f Ep. 32.
Ducis Venetor. pro Terra S. studium.
g Ib. ep. 108.
h Ibid.
Viri inuitis vxoribus possūt crucesignari.
i Lib. 15. ep. 222.
Inn. Vng. Regē ad profectionē Hier. excitat.

moditate restaures, & sequenti doceas apparatu, te non ad voti dilationem emissi, sed subuentionem plenariam inducias postulasse. Ne quid verò tam necessariæ expeditioni moram, & impedimentum afferret, A.. Hierosolymitano patriarchæ mandauit a Soldanum Damasci & Babyloniæ vrgeret Terram S. restituere; se ad ipsum legatos ac literas ad eum solicitandum mittere, non quod flectere speraret, sed vt diuini numinis humilium causam suscipientis gratiam promereretur.

a Lib. 16. ep. 33.

b Ep. 34.

3 Extant huiusmodi Innocentij literæ b, Soldano missæ, quas afferre gratum lectori futurum putamus.

Nobili viro Salphadino Soldano Babylonia & Damasci timorem diuini numinis, & amorem.

Litt. Inn. ad Sold. Babylon.

Daniele propheta testante didicimus, quod est Deus in cælo, qui reuelat mysteria, mutat tempora, & transfert regna, vt vniuersi cognoscant, quod dominatur excelsus in regno hominum, & cui voluerit dabit illud. Hoc autem euidenter ostendit, eum Hierusalem & fines ipsius in manus fratris tui (nimirum Saladini c) tradi permisit; non tam propter eius virtutem, quàm propter offensam populi Christiani, Deum ipsum ad iracundiam prouocantis. Nunc autem ad illum conuersi speramus, quod ipse miserebitur nostri, qui secundum Prophetam, cum iratus est, non obliuiscitur misereri. Vnde illum imitari volentes, qui de se dicit in euangelio: Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde, magnitudinem tuam humiliter obsecramus, quatenus, ne propter violentam detentionem præfatæ terræ plus adhuc effundatur humani sanguinis, quam hactenus est effusum; saniori vtaris consilio, restituas eam nobis, de cuius detentione, præter inanem gloriam forte plus tibi difficultatis, quam vtilitatis accrescet: ipsaque reddita, & dimissis vtrimque captiuis, quiescamus a mutuis impugnationum offensis. Itaque apud te non sit deterior conditio gẽtis nostræ, quam apud nos est cõditio gentis tuæ. Latores ergo præsentiũ ad tuã præsentiam destinatos, rogamus vt benignè suscipias, & honestè pertractes, dignũ illis responsum tribuens cum effectu. *Dat. Later. XIII. Kal. maij pont. nostri anno sextodecimo.*] Eadem a Richardo epistola adducitur, quamuis in annum sequentem coniecerit, cum ad præsentem spectare constet, vt quę anno pontificatus 16. maio mense fuerit exarata.

c Baro. to. 12. ann. 1187. n. 1.

4 Consuderat inter hæc magno luctu Syros Hierosolymitanæ Reginæ obitus, ac ne ea occasione sacrum regnum a quoquam perturbaretur, Templarios Regis illius terram & iura tueri iussit d. Hierosolymitano verò patriarchæ, Apostolicæ sedis legato, eiusque suffraganeis præcepit e, populum in Regis fide continerent. Tum Regi magno ex Reginæ obitu se affectum dolore significauit, ipsumque ad Terram S. propugnandam incendit f. apposita est epistolæ dies, quinta id. ianuar. Neque multo post in Armenorum Regem grauiter inuehi est compulsus, quem ex Antiocheni patriarchæ, aliorumque complurium literis acceperat, aduersus inducias illum inter & Antiochenos ipsius patriarchæ studio initas, ac iureiurando confirmatas, Ruppinum nepotem suum, in Antiochiæ terram, auxilijs omnibus spoliatam, vtpotè nil hostile metuentem, immisisse cum exercitu, omnibus in eam crudelitatis exemplis sæuijsse: inter alia etiam ipsius flagitia, Antiochenum patriarcham recepisse, qui eam dignitatem inuaserat, atque apostolico iussu a patriarcha Hierosolymitano, a fidelium communione vnà cum sequacibus eiectus erat. Quare minas amantissimis monitis temperans cum ipso egit g, vt patriarchę faceret satis, impositaq; ecclesijs dãna resarciret. Factus postea ab Hierosolymitano patriarcha certior Pontifex, tantorum Regem facinorum pœnituisse, vehementerque cupere cum Deo atque Ecclesia in gratiam admitti, patriarchæ præcepit a, Regem, vbi crimen ritè expiasset, sacris restitueret.

d Lib. 15. ep. 207.

e Ep. 208

f Ep. 209.

Increpat Arm. Regem fregisse inducias

g Lib. 16. ep. 2.

a Ib. ep. 7.

5 Alienum minimè futurum arbitramur, rem insignem hoc loco afferre, quam Thomas Cantipratensis enarrat b, virum sanctitate conspicuum, dum Terræ S. peragrãdæ desiderio æstuaret, obiecto cælesti viso voti compotem factum, atque omnium locorum situm memoria adeo præclarè complexum, ac si pedibus ea perlustrasset: *Anno circiter ab incarnatione Domini* M. CC. XIII. *cum crux transmarina vbique fere terrarum prædicaretur, erat vir in Brabantia inæstimabilis sanctitatis, qui desiderium quidem longum habuerat terram, in qua steterant pedes Christi, peregrinus inuisere: sed retardari a contemplatione diuina in corporali exercitio verebatur. In oratione autem existenti in vigilia sancti Petri ad vincula, clauso cubiculo, astitit illi cum ingenti lumine (erat enim nox) Angelus Dei, dicens: Vidit Dominus ingens desiderium tuum, te scilicet velle inuisere Terram sanctam, & nunc ad hoc missus sum ad te, vt desiderium tuum compleatur. Hæc dicens Angelus, hominem apprehendit, & in vna nocte ad omnia loca specialia Terræ sanctæ transtulit, & eadem nocte retulit. Videbatur autem illi ipsa nox omni die lucidior, ita quod omnium ciuitatum Galliæ, Burgundiæ, Lombardiæ, Tusciæ, & Terræ sanctæ loca, dispositiones, & situs his qui terras nouerant, propriissimè designaret. Postmodum verò factum est, vt hortatu quorundam deuotorum virorum, quibus hoc negare non poterat, cum illis crucem susciperet, & eorum dux fieret in Terram sanctam, planeque per viarum demonstrationem cunctis ostenderet, quod nequaquam mendax, sed verus Dei nuncius, qui eum duxerat, extitisset. Hic vir beatissimus, postquam reuersus est, vt vidit quia in honore haberi cœpit apud conuicaneos, dulce solum natalis patriæ dereliquit, & vsque in finem vitæ in alienis partibus sanctè vixit, &c.*

b Th. Cant. lib. 2. c. 40.

Vir pius raptus diuinitus in sãcta loca

Quod attinet ad Cypri Regem, de quo paulo ante mentio incidit; ipsum quoque grauissimè arguit c hoc anno Innocentius, se temerè rebus ecclesiasticis ingerere, atque designandi Nicosiensis archiepiscopi libertatem electoribus ademisse; quin etiam Nicosiensium canonicorum collegium perstrinxit d, agitato de eligendo episcopo consilio duos communibus suffragijs renunciasse, vt Rex eorum sibi gratissimum designaret, quem ipsi sibi præficerent; quæ res cum ecclesiasticis sanctionibus manifestè pugnabat, atque adeo iure meritò paulo ante a patriarcha, vt Pontifex subdit, conuulsa fuerat ac labefactata. Postremo Regem monete, vt Hierosolymitani Regis vectigales, quos ab Sarracenis ad ipsum confugientes custodiæ tradiderat, inhumaniterque habebat, vinculis eximeret, inter quos etiam O.... Hierosolymitano Regi nexu consanguinitatis deuinctus versebatur.

c Ion. l. 15 ep. 102.

Rex Cypri obiurgatus.

d Ib. ep. 104.

e Ibid. ep. 106.

6 Cyprijs atque Hierosolymitanis rebus coniungendæ fuer Constantinopolitanæ, quarum cura cum altè pontificio pectori insideret, Innocentius Pelagium Albanensem episcopum orientalis Imperij legatum Apostolicum creauit, summaque auctoritate instructum misit, vt Græcos, qui Latinis parebant, a schismate abduceret, atque ad Ecclesiæ sinum reuocaret. In quam sententiam ita Henrico Imp. cui legatum commendabat, scripsit f: *Ipse summus angularis lapis Iesus Christus, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, Ecclesiæ fundamentum & fundator existens, inter cætera, quibus salutaria prouidit remedia populo Christiano, ad consolidandam fidei vnitatem, vt & vnus pastor esset, & vnum ouile, sedem Apostolicam totius Christianitatis caput instituit & magistram, a qua sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam Aaron, & ad oram etiam vestimenti, panis intellectus & vitæ ad*

Pelagius Alban ep. Card. legatus in Imp Const.

f Lib. 16. ep. 104.

Missus ad reuocandos ad Ecclesiã Græcos.

Romana sedes Christianitatis caput.

altas

alias procedat ecclesias cum doctrina fidei, & aqua sapientiæ salutaris. Et infra: *Cum non solum necessitas Ecclesiæ, sed etiam utilitas Constantinopolitani Imperij postularit illuc a latere nostro destinari legatum, nos ad exaltationem et commodum Ecclesiæ pariter & Imperij, nec non personæ tuæ specialiter intendentes, vt in missi persona mittentis notitur affectus, illum ad partes ipsas duximus destinandum, quem inter fratres nostros speciali diligimus charitate, &c.* Eodem argumento Achaiæ a principi, cæterisque proceribus b dignitate & opibus pollentibus literas Innocentius dedit, vt legati monitis faciles se præberent. Tum verò archiepiscopis atque antistibus suum legato studium in reducendis Græcis operam porrigere imperauit c, quibus literis ita Ecclesiæ vnitatem commendat: *Inconsutilis Domini tunica vni cessit in sortem, vt in ipsius Ecclesiæ seruaretur vnitas illibata. Ad confirmandum autem in ea mysterium vnitatis, vnum eidem, B. Petrum videlicet, Dominus caput instituit, & magistrum, cui oues Christi, dicente Domino: Pasce oues meas; sunt sine distinctione commissæ, alienis ab ouili dominico reputatis, qui Petrum in suis successoribus non agnoscunt esse pastorem, &c.*

a Ibid. ep. 206.
b Reg. post eand. ep.
c Ibid. ep. 105.
Ecclesiæ vnitas mysticè adumbrata.

Functum pro dignitate augustissimo munere Pelagium, ac magno zelo conuertendis schismaticis incubuisse ex Græcis auctoribus constat, qui cum ab ijs odio vetere in Rom. Ecclesiam imbutis in inuidiam adducatur, eo maioribus ornatus laudibus cēsendus est, quo grauioribus contumelijs ab Ecclesiæ hostibus fuerit proscissus. cuius gesta ita describit Georgius Logotheta, interprete D. Leone Allatio viro Græcis Latinisque literis egregie exulto: *Idem Ericus cum Byzantij imperaret, ad Reginam vrbium a summo Pontifice præsul, quem ipsi legatum indigitant, Pelagius nomine, Papæ prærogatiuas omnes referens, ablegatur. Namque calceos rubros induebat, neque diuersi coloris indumentis amiciebatur; quinimo equi sagulum, & fræna eodem infitiebantur veneno. Et cum moribus esset inhumanioribus, fastus ac insolentiæ plenus, nimium sæuijt in Constantinopolitanos, neque propositum a ratione aberat, omnes enim, vt veteri Romæ colla subijcerent, compellebat. Hinc monachi in carcerem impingebantur, sacerdotes in vincula, & templa omnia occludebantur: nec præter hæc duo tertium statuebat, etenim vel Papam primum omnium pontificum faterentur, illiusque inter sacrorum solemnia memoriam facerent; vel qui id abnuissent, morte penderent pœnam. Ob hoc Byzantij accolæ, & inter eos primas obtinentes angi excruciarique animo, & ad Ericum Imp. profecti: Nos, inquiunt, alio genere orti, aliumque habentes pontificem, nosmet imperio tuo & potestati subijcimus, ita vt in corpora, non in animum & spiritum domineris. Namque in tui defensionem, dum bellum geritur, arma capere necesse est: at nostris ritibus, & cerimonijs cedere, fieri omnino nequit. Aut itaque nos ab vrgenti discrimine libera, aut tanquam liberis ad indigenas aditionem dato. Sic locutis, ille cum tot probis optimisque viris priuari nollet, etiam inuito legato, ac renuente templa reserauit, & vinculis custodijsque circumuentos monachos ac sacerdotes liberauit, & tempestati, qua tum Byzantium iactabatur, subuenit.* hactenus Logotheta schismaticus, qui Pelagij seueritatem exaggerauit, vt illam crudelitatis notaret. Quanto verò orientalis Imperij malo Henricus a Græcorum precibus se emolliri passus sit, ac schismaticis in vetere illo in Romanos Pontifices odio consenescere permissi, ex funesta eorum proditione patuit, cum octingenti tantum d milites Constantinopolim eiusium opera occuparunt. Huius porrò legationem Innocentius hoc anno decreuisse eo cōsilio visus est, vt cœpta Græcorum coniunctio in futura synodo œcumenica confirmaretur.

Georg. Logoth. M.S. bibl. vaticanitate donatum a Leone Allatio n. 34. & 35.
Antiquus Card. habitus.
Schismatici a legato mulctati.
Conqueruntur apud Henricum. Illorum oratio.
Henricus ignauè schismaticos restituit.
Quantum ex eo malum Imperio consecutum.
d Gregoras lib. 4.

7 Non ille orientem modo, verum occidentem, imo totum orbem curis apostolicis complexus, œcumenicum concilium celebrare meditabatur, vt hæreses excindere, schismaticos reuocare, euertere Sarracenos, Christianos mores perpolire posset: literas enim eo argumento ab Innocentio hoc anno datas non modo Vrspergensis tradit, sed chronici Fossæ nouæ auctor hæc scribit: *Dominus Innocentius III. Papa cum fratribus suis Cardinalibus constituit, & ordinauit concilium, & misit literas per omne seculum, vt omnes qui debebant venire & interesse concilio, in tertio anno, in mense nouembri parati essent Romæ.* Cæterum extant huiusmodi literæ in huius anni regesto a quarum partem adducimus: *Vniuersitati vestræ per apostolica scripta præcipimus mandantes, quatenus vos taliter præparetis, quod a præsenti dominicæ incarnationis millesimo ducentesimo tertiodecimo anno, vsque ad duos annos, & dimidium, præfixis vobis pro termino kalen. nouembris nostro vos conspectui præsentetis, cum modestia, & cautela. Ita quod in vestra prouincia vnus vel duo de suffraganeis valeant episcopis remanere, pro Christianitatis ministerijs exercendis; & tam illi, quam alij, qui canonica forte præpeditione detenti, personaliter nequiuerint venire, idoneos pro se dirigant responsales, personarum & euectionum mediocritate seruata, quam Lateranense concilium definiuit, vt nullus omnino plures, quiuis autem pauciores adducere secum possit: nec quisquam superfluas faciat, & pomposas, sed necessarias tantum, & moderatas expensas, ostendendo se actu, & habitu verum Christi cultorem; cum non secularis applausus, sed spiritualis profectus in hoc sit negocio requirendus. Iniungatis autem vos fratres archiepiscopi, & episcopi ex parte nostra vniuersis ecclesiarum capitulis; non solum cathedralium, sed etiam aliarum, vt præpositos, vel decanos, aut alios viros idoneos ad concilium pro se mittant, cum nonnulla sint in illo tractanda, quæ specialiter ad ecclesiarum capitula pertinebunt. Interim verò & per vos ipsos, & per alios viros prudentes vniuersa subtiliter inquiratis, quæ correctionis, aut reformationis studio indigere videntur, & ea fideliter conscribentes, ad sacri concilij perferatis examen; circa subuentionem necessariam Terræ sanctæ, vbi Deus Rex noster ante secula salutem in medio terræ dignatus est operari, opem, & operam efficaciter impensuri, assistendo fideliter, & prudenter ijs, quos deputauerimus ad hoc negocium specialiter procurandum. Nullus itaque se fallaciter excusando, ab executione tam sancti operis subtrahatur, si canonicam vult effugere vltionem. Nemo dissensionum obstacula, vel itinerum impedimenta causetur, quæ Domino faciente signum in bonum ex magna iam parte cessare cœperunt. Nam & quanto imminent maiora pericula, tanto potiora remedia conuenit adhiberi. Numquam enim nauigabit per æquora, qui semper expectat, vt mare non concipiat ex se fluctus. Dat. Later. XIII. kal. maij Pontificatus nostri anno sextodecimo.*

Chron. Foss. nou. an. 1213.
Indicitur œcumenica synodus.
a Inn. l. 16 ep. 27.
Ext. etiā apud Vrsperg.

8 Hactenus Innocentij epistola, quam Vrspergensis & nouatores afferunt b: adiecta verò est in regesto prolixior prouinciarum catalogus, ad quarum archiepiscopos, episcopos, abbates, atque priores, missa fuit, subditurque: *In eundem modum illustri Constantinopolitano Imper. vineam Domini Sabaoth vsque &c. Cum ergo deceat, & expediat, vt tua imperialis sublimitas ad synodum tam solemnem nuncios dirigat speciales, serenitatem tuam monemus, & exhortamur attentius, quatenus præscripto termino, vita comite, viros idoneos dirigere non postponas, per quos tuæ nobis aperias beneplacitum voluntatis. quia quantum cum honestate poterimus, ad tuum libenter, & efficaciter intendemus commodum, & honorem.* Cæterum Reges quibus huiusmodi epistolæ fuere datæ, ibi numerantur, Cypri, Noruegiæ, Chorehaiæ, Corauiæ, Suetiæ, Lumbricensis, Arudiensis, Aragonum, Castellæ, Nauarræ, Legionis, Lusitaniæ, Galliæ rursusque

b Cent. 13 cap. 9. col. 790.
Lit. Inn. ad Imp. Const.
Ad quos Reges missæ lit. synodales

susque eodem modo magistris, fratribusque militiæ Templi atque Hierosolymitani xenodochij: subiunxit quoque, ut cum plura in generali concilio ad eorum ordinis statum pertinentia pertractanda forent, idoneos procuratores mitterent: præterea Constantinopolitano capitulo, abbatibus & conuentibus Cisterciensis & Præmonstratensis ordinis eiuscemodi literas misit, peculiares verò tum ad Hierosolymitanum a, tum ad Alexandrinum patriarcham, quem etiam mœrore oppressum leuare ac recreare conatus est, monuitque, Christiana apud infideles mancipia sedulis adhortationibus confirmaret, ne sub ærumnarum mole succumberent.

a Lib. 16. ep. 33.

9 Porrexit se etiam in septentrionem zelus pontificius, ut barbaros in submotis illis regionibus, quas hyems sæuissima exasperat, ad Christi fidem traduceret, cum enim humani generis conditor, qui omnes homines b vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, infelicem infidelium populorum statum miseratus, plures ea tempestate maxime Estiensis episcopi opera ab infidelitatis tenebris, in admirabile lumen suum euocasset, Innocentius qui salutis animarum zelo æstuabat, ut præsulem tantum iuuaret, vniuersis illum Christi in Saxonia cultoribus duxit commendandum literis c suis, in quibus hæc inter alia: *Eundem sine baculo atque pera portantem coram Regibus, & gentibus nomen Dei vniuersitati vestræ duximus propensius commendandum, charitatem vestram monentes, & obsecrantes in Domino, atque in remissionem peccaminum vobis iniungentes, quatenus ipsum tanquam Iesu Christi legatum recipiatis.* Cumque accepisset Monasteriensem episcopum, suam cum Estiensi episcopo coniungere industriam statuisse, ut Dei nomen coram Regibus & gentibus cum eo circumferret, Innocentius eo consilio plurimum commendato, suis adhortationibus stimulos addidit d: eandemque sententiam complectuntur pontificiæ literæ ad Verdensem & Padeburnensem episcopos tum temporis missæ e. Cæterum de Othone Monasteriensi episcopo tradit Godefridus f, ipsum Coloniam profectũ a quibusdam Imperatoris fautoribus captum, eiusq; iussu Vverdam missum, in carcerẽ coniectum, quamobrẽ vrbem illam a Siffrido Apostolicæ sedis legato sacris interdictam. Neque his contentus Innocentius, literis ad Saxoniæ abbates, archidiaconos, aliosque ecclesiarum præsules scriptis, ut eidem Estiensi episcopo in Liuonia ad ethnicos luce collustrandos discedenti auxiliares copias suppeditent, hortatur ac mandat g, præterea illius electione rata firmaque esse iussa, perbreue 5. Kal. non. diploma, ad ipsum dedit, illumque nulli metropolitano subesse voluit: *Cum,* inquit, h *in memoria hominum non existat, quod Estiensis prouincia cuiquam fuerit metropolitico iure subiecta, præsentium tibi auctoritate mandamus, ne cuiquam, tanquam metropolitano respondeas, absque mandato sedis Apostolicæ speciali.* Ne verò ij qui Christi milites in Liuonia dicebantur, eidem episcopo, ob terrenas opes magno fidei detrimento obsisterent monuit i:

Innocẽtij pro animarũ salute promouẽda studia.

b 1. Timo. cap. 2.

Estiensis epi. vtiles labores.

c Ibid.

d Lib. 16. ep. 124.

e Reg. post eand. ep.

f Godef. in annal. hoc anno.

g Inn. l. 16 ep. 125.

h Ibid. ep. 128.

i Ep. 127.

Etsi cunctis fidelibus cor vnum in domino, & anima debeat esse vna, specialiter tamen ij, qui secularibus desiderijs abnegatis, in medio nationis habitant infidelis, putantes necessarium in carne manere solummodo propter fratres, seruare debent spiritus vnitatem, ut se tanquam Dei ministros irreprehensibiles omnibus exhibentes, ac lucentes sicut luminaria inter eos ipsos ad æmulationem fidei valeant prouocare. Et infra: *Ne igitur, qui Christi milites appellamini, militare probemini contra Christum, vniuersitatem vestram monemus attentius, & hortamur per Apostolicam vobis scripta præcipiendo mandantes, quatenus attendentes, quod non est regnum Dei possessiones, & villæ, sed pax, atque iustitia, & gaudium in Spiritu sancto, extincto prorsus cupiditatis ardore, præfato episcopo, & alijs baiulis verbi Dei pro viribus impendatis consilium, & auxilium opportunum, ab eorum impedimento sic penitus abstinentes, quod de vobis ad aures nostras clamores huiusmodi de cætero non ascendant. Ne si secus duxeritis faciendum, concessis vobis a sede Apostolica priuilegijs, ex quibus assumere dicimini audaciam excedendi, vos reddatis indignos, & a gratia, quam hactenus vobis exhibere curauimus, excidatis. Dat. Laterani 11. Kalendas nouemb. Pontific. nostri anno XVI.* Ut verò Estiensis prouinciæ nouum confirmauit episcopum, ac pro ijs, qui religioni Christianæ in Liuonia recenter nomen dederant, desudauit, ita Lundensi archiepiscopo, ijs præficiendi episcopi tribuit a facultatem, qui nuper in SacKela & Hugenhusen ad Christianorum castra se contulissent, atque Rigensem episcopum, qui nonnullis neophytis molestiam exhibebat, compescendum studuit b. atque hæc de infidelibus ad Christum conuersis dicta sint, cætera ad Germaniam spectantia coniungamus.

a Ep. 119.

b Ep. 120.

10 Proiecta adeo cuiusdam impostoris fuerat audacia, ut episcopi ac legati Apostolici personam indueret ad diuitias ex scelere atque ementita dignitate comparandas: cumque vinculis mancipatus fuisset, Lundensis archiepiscopus, qui Apostolicæ legationis munere fungebatur, de ea re Pontificem consuluit; qui omnia pseudoepiscopi gesta rescindi decreuit c, illumque perpetuæ custodiæ traditum doloris pane, ut ait, & angustiæ aqua sustentari iussit. Præterea in Hildesemensem episcopum, qui anathemate percussus diuina peregerat, oleum sanctum, & chrisma confecerat, insuperque cum Othoni principi studeret, aduersus Thuringiæ Lantgrauium, cuius ditionem vastatam ab Imp. scribit Stadensis d, Romano Pontifici obsequentem arma sumpserat, exemplum statuere decreuit e. Neque illud taciti prætermittimus Innocentium Brabantiæ ducem, modo Othonem desereret, ac Leodiensi episcopo faceret satis, anathemate, vti rogabat, datis 8. Kal. iun. literis absolui imperasse f. *Ex parte nobilis viri ducis Brabantiæ fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum venerabilis frater noster Maguntinus archiepiscopus A.S.L. ipsum, contra ecclesiam Othoni reprobo adhærentem, excommunicationis vinculo innodarit, & terram eius supposuerit interdicto, tam prædictas sententias, quàm eas quas pro damnis venerabili fratri nostro Leodiensi episcopo irrogatis, relaxari misericorditer faceremus: cum paratus existat super primo articulo nostris obedire mandatis, & super secundo satisfactionem congruam prædicto episcopo exhibere, &c.* dicto audientem in gratiam admitti iubet.

Impostor coercitus

c Ep. 23.

d Stad. an. 1213.

e Ep. 71. 72.

f Ep. 56.

Thuringia ab Othone vastata

11 Elusit imperia pontificia Brabantiæ dux; bellum enim atrox sub autumnum episcopo intulit, a quo profligatum fuisse Godefridus g tradit: *Circa autumnum etiam dux Brabantiæ cum episcopo Leodiensi dimicans superatur, vbi omnes fere sui aut occiduntur, aut capiuntur.* Eadem ijdem ferè verbis Trithemius h quæ nobis leuiter delibare non sufficit ad S. Lamberti gloriam magis in luce collocandam. Extat in Bibliotheca nostra i, libri tertij de S. Lamberto episcopo martyre, probatum exemplum ex peruetusto codice Leodiensi descriptum, vnde subijcienda excerpemus. Henricus primus Louaniensis comes seu Brabantiæ, armis atque opibus suis cum Othone Romanæ Ecclesiæ hoste coniunctis, in Leodienses conspirauit. Subinde collecto exercitu, contra præstitam fidem Leodium Dominicæ ascensionis die cum suis inuadit, vrbem prædatur ac deuastat, sacra templa spoliat, expilatque, fœna in ijs infandaque scelera committit, sacrosancta omnia prophanat, funestatque, cunctos denique ad alligandam Othoni iureiurando fidem adigit. hæc anno superio-

g God. in annal. an. 1213.

h Trith. chr. Hirs. eod. anno.

i M. S. Val licel.

Henr. Louanij comes Leodiũ capit

Censuris inuoluitur

ri patrata, ob quæ merito ecclesiasticis censuris per-
culsus, tum ab Siffrido archiepiscopo A. S. L. quod In-
nocentius testatur, tum ab Hugone Leodiensi episc.
in diœcesana synodo, quemadmodum huius historiæ
anonymus auctor tradit, additque: *Interim a ipse*
pontifex Hugo legatos misit ad Romanam curiam, scri-
pto aperiens causam, modum, quantitatem & ipsum au-
ctorem sceleris: suos absolui postulans, qui sicut præ-
missum est, Othoni Regi fidelitatem facere coacti fuerant.
Quo audito summus Pontifex, Innocentius nempe ter-
tius, facto isti condolens, absolutionem omnibus de pro-
missit compatienti animo tribuit. Et infra de nuptijs
Henrici ducis cum Galliæ Regis filia.

a M. S. l. 3. de S. Lab. c. 7.

Phil. Rex Franc. Hẽrico conũgitur.

12 *Interea comes Namurcensis Philippus e viuis*
decessit, quo mortuo dux Brabantiæ conuenit Philippum
Regem Franciæ, defuncti relictam comitis (quæ eius-
dem Regis erat filia) sibi sociens in vxorem. Atque sic
fœderatus Francorum principi, longe factus est ab Otbo-
ne. Intelligent etiam Rex Franciæ in multis ducem si-
bi necessarium, propter instans quod in Anglos mouere
parabat prælium, suas in Leodiensem diœcesim destina-
uit literas ducem pronuncians suum amicum esse at ge-
nerum, & ideo eundem tanquam se ipsum ab omnibus
honorandum: in auribus verò totius diœcesis displicuit
tolis sermo. Porrò cum idem Franciæ Rex multas na-
ues non solum apparatu bellico, sed & varijs instructas
diuitijs circo hæc ipsa tempora in Angliam, inuadendi
eam animo, misisset; & illas comes Boloniensis succen-
disset, inuentaque cuncta arripuisset ac asportasset, inge-
muit Rex, cœpitque fateri ac conqueri se multo aduersa
p rpessum, ex quo illi Henrico duci Brabantiæ excom-
municato associatus fuerat.

Eius classis multam Angl incenditur.

Notanda illius vox.

13 At longè grauiorem diuinam in se animaduer-
sionem deriuarunt homines sacrilegi, quorum flagi-
tia paulo ante significauimus: *Siquidem in primis,*
pergit auctor, *Gerbertus quidam nomine apud * The-*
nas decani gerens dominium, qui nostræ ciuitatis depra-
dationi non solum non defuerat, verùm etiam ad ma-
iorem ecclesiæ nostræ confusionem quendam ascenderat
montem, intransque cuiusdam tentorium inuentis illic
præsulis nostri vestibus, quibus sacro solet altari assiste-
re, eas vestire non timuerat, atque innixus pastorali
baculo, & mitra pontificali imposita nefando capiti suis
garsonibus, alijsque vilibus mancipijs ad se conuocatis,
dignitates & officia, quæ ecclesiæ statum fulciunt, ride-
culè distribuens, istos sibi officiales vel archidiaconos,
alios constituerat præpositos, vel decanos, comminatam
ista gloriosi martyris apparitione vltionem in se persen-
sit immissam: præuentus enim morte subita, propriam
sibi linguam exedit magniloquam, & sic horrendè inte-
*rijt. Simili modo die quadam cùm sedens dux * barba-*
rus cum Rege pranderet Franciæ, præuentus morte ca-
pellanus eiusdem ducis, ac loco decidit videntibus, qui
aderant inibi, & horrenda morte expirauit. Et pau-
lo post: *Præter eas, quas antenominati ciuitatis & ec-*
clesiæ Leodiensis inuasores generaliter cum alijs per con-
cessam diuinitus contra eos victoriam infrascriptam di-
ctæ vltionis luerunt pœnas, omnes insuper illi, quo-
rum consilio & instigatione ad tantum facinus dux ip-
se potissimum inductus est, improuisa morte præuenti
sunt.

* Thenæ oppidum Brabantiæ.

Diuina in sacrilegos vltio.

* Brabantiæ

Plures ex his recensẽt nominatim Aegidius auct Vual. monach.

14 Nec diu crimen impunè tulit Brabantiæ dux,
cum enim lubricæ & inconstantis fidei vir modò Gal-
liarum Regi adhæresceret, mox ad illius hostem Otho-
nem desciceret, ac post exhibita summo Pontifici si-
mulatæ pœnitentiæ signa episcopum Leodiensem,
cui illata damna resarcire erat iussus, bello lacessiuis-
set, diuina virtute deletus profligatusque est, vt me-
moratus auctor prosequitur, ex quibus hæc acci-
pe: Die itaque dominico venit sacer exercitus in cu-
ria de Steppes, vbi dux cum suis nocte præterita fixe-
t tentoria, &c. Et paulo post: *Suas quoque allocu-*
tus acies episcopus præcepit omnes genuflectere, atque

Henricus ad Othonẽ iterum defecit. Ducis in Leodienses

gloriosam Virginem Mariam, & D. Lambertum deuo-
tius exorare, vt ab instanti eos periculo eripere digna-
rentur: absolutosque a peccatis omnibus huiusmodi pau-
cis animabat verbis: Video charissimi, quòd absque
certamine transire non possumus: sed securus loco pœ-
nitentiæ instans vobis iniungo prælium, in animam
meam reuera suscipiens, quod quisquis sic ceciderit, B.
coniunctus martyri æterna paradisi felicitate potietur.
Estote igitur fortes in prælio, præ oculis habentes, quæ &
quanta mala vobis & vestris, vrbi etiam & maximè
ecclesiæ intulerit gens hæc sub excommunicationis ma-
ledicto adhuc ideo innodata. atque hic prorumpens in
lacrymas episcopus, iterum dicebat: Hi ad nos cum mul-
ta veniunt superbia vsque ad muros vrbis nostræ, non
timentes nos persequi, quos modò, sicut scitis, insequi-
mur, tali tantaque angustia compeditis. Habeamus er-
go fiduciam in eo; qui meritis suæ matris Virginis & no-
stri prece martyris a præsenti periculo nos potens est libe-
rare. Et his dictis deuotum exercitum non mediocriter
reddidit animosiorem. Interim verò cunctis cernenti-
bus columba candidissima pium circumuolauit exerci-
tum, quam fuisse vnam cælestium virtutum veraciter
arbitramur.

Columba cælestis eorum exercitum circumuolitat.

15 *Ipsa quoque deuota mulier,* Odilia scilicet Ioan-
nis sacerdotis mater, cui sacerdoti Deus per visa,
quæ auctor idem recenset, multa ostendere ac signi-
ficare consueuerat, *quæ virum Dei genuerat, dum*
intensius vigilijs ac precibus vacaret, vidit in ætris me-
dio gloriosum martyrem armis effulgentem aureis, cly-
peum in humeris gestare clarissimum, hastam quoque
vibrare auream, & equo insidentem candidissimo: quem
gloriosa Virgo in venerando præcedebat habitu, & ad
bellum quantocyus properabant. Sed & quidam ipsum
in acie euntem martyrem confessus est se veraciter
vidisse. Episcopus verò per turmas transiens, exer-
citum benedixit. Porro pro eo quod nostri tertiò flexis-
sent genua, deridebant eos aduersarij; & sese dicebant
ab ipsis præ timore adorari. frater autem ducis, Guillel-
mus nomine, eundem conueniens, bonis, ac sanis consilijs
ipsum inducere conabatur, vt erga episcopum suum do-
minum, in quem ita grauiter deliquerat, se humiliaret;
ac petita venia, eidem sincerè se reconciliaret, ac satisfa-
ceret. At dux diuino ipsum perurgente iudicio, fratrem
indignando respuens: Eia, inquit, miser iam victus es.
Ille verò cum lacrymis gloriosum exorabat martyrem;
vt per eum ab interitu die ista liberari posset: cuius fu-
sas suscepit martyr lacrymas, ipsum a morte liberans
vel hinc etiam maximè, quod (sicut prædictum est) orna-
menta maioris ecclesiæ fideliter excusserat de manibus pes-
simorum. Dux autem super monticulum suas ordinauit
acies, vt inde nostros ex descensu grauius possent in-
fringere. Ipse verò propria arma pristina reijciens (vt
si necessitas se offerret, fuga posset incognitus euadere)
præstolabatur horam, qua solis radius nostrorum reuer-
beraret oculos, sed nubem misit Dominus horum in an-
xilium: quæ stetit in aere, quamdiu conflictus exerci-
tuum perdurauit. Præceperatque dux militibus quinque
de suis pedes incedere, vt in comitem Lossensem repentè
irruerent, & deiectum improuisè interficerent; siqui-
dem ille sibi persuasum habebat, hoc comite victo reliquos
omnes suis viribus nequaquam resistere posse. Habebat
verò ipse dux non minimam copiam militum electorum,
peditum quoque magnam multitudinem, insuper &
multas acies exercitus peregrini: factumque ex Dei
prouidentia extitit, vt nostris econtra manus esset exi-
gua, quo vel sic etiam subsecuta victoria non humano
brachio, sed pio magis martyri deferretur. Illo siquidem
tempore licet iam in quingentos, & eo amplius milites
diffusa esset Hasbanorum progenies: in hoc tamen pu-
gnæ articulo penè quindecim ex eis cum nostro pontifice
adfuerunt &c. pergit auctor:

D. Lambertus præit Leodiensibus.

Militare hostiũ consiliũ diuinæ opt eclusum.

16 *Videntes autem hostiles copiæ nostros paratos ad*
prælium, tanto cum impetu montis descenderunt crepi-
nem,

nem, vt eosdem retrocedere procul compellerent; prostratusque illico fuit comes Lossensis ab illis quinque militibus, quos, vt dictum est, dux in eum antea præparauerat: quem tamen suus frater nomine Henricus, tunc clericus, in equum reposuit, illorum aliquibus interemptis, totumque prælij pondus versum est in ipsum comitem, & secundo, & tertio sic prostratum quidem, sed semper releuatum, ac equo impositum. Interim Henricus dux Ardeniæ, vt nostris timorem immitteret: Ecquid, ait, agitis miseri? quid hic vltra moramini? Et præsul vester captus est, & comes Lossensis interemptus. Quæ cum ipse comes audiret, ac statim mentiri eum, perfidiam pariter illi suam improperans, respondit, seque incolumem ac equo insidentem, nec non iuxta se episcopum ipsum adesse econtra acclamabat. Veruntamen sic ducis Ardeniæ mendacium istud Lossensis gentem comitis commouerat, quod tota in fugam conuersa est, perseuerantibus in prælio Leodiensibus, & pro sua suorumque vita constanter certantibus, de sua quidem virtute nihil præsumentibus, sed patroni sui cum spe & fiducia nomen inuocantibus. cuius audito nomine, statim hostes terga nostris dedere fugantibus: ex quorum numero plurimi prostrati sunt, & de suo exercitu tria & amplius millia interempti. Ad nostrorum autem vestigia quos prius nullos æstimauerant, complosis manibus veniebant superstites, sese suamque substantiam pro vita redimenda cum deprecatione offerentes, sed victores sceleris per ipsos apud Leodium perpetrati non immemores, deprecantium lacrymis intendere non volebant. Dux ipse fugit de acie, &c. quod & viro Dei per visum primo manè præostensum fuerat. Parta est itaque hæc victoria tertio id. octob. hora sexta, dieque illa dominica, qua in Ecclesia cantabatur pro missæ introitu: Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum, anno domini millesimo ducentesimo tertio decimo. quid post hæc Henricus gesserit, sequenti anno dicetur.

Ducis Brabantini artes.

Parta diuinitus a Leodien. victoria.

17 Hic verò nos de profligatis Othonis fautoribus, iisdemque fidelium communione motis simillima annectemus: Mediolanenses, inquit Patauinus monachus a, qui partem Othonis fouebant, cum exercitu infinito super districtum Cremonensium irruerunt; quibus Cremonenses, qui exaltationem principis Friderici summo desiderio affectabant, apud castrum Leonis viriliter occurrerunt, inceptoque bello in die pentecostes, Mediolanenses terga vertentes, militum & peditum non modicam quantitatem simul cum carratio amiserunt. hæc ille. Quibus consentanea Rigordus, atque ex eo S. Antoninus & Bellouacensis tradidere. prælium die ipsa pentecostes initum, cum tamen Cremonenses tum ob diei sanctitatem, tum ob tutelarium martyrum Marcellini ac Petri solemne festum eo die recurrens per legatos flagitassent vti certamen in diem alterum differretur; quorum religionem fucatæ hypocrisis ac socordiæ Mediolanenses damnarunt, quæ Ioannes Crottius fuso & eleganti stylo prosecutus, vbi ter fractos Cremonenses depinxit, ducis oratione in gradum restitutos, atque ad nonum redintegrandum prælium adductos, Marcellini ac Petri martyrum cælesti ope pulcherrimam victoriam de potentissimo, iamq; toties victore hoste, qui religionem Cremonensium in sanctis illis tutelaribus colendis, auxilioque ab iis flagitando, expectandoque fiduciam irriserat, diuinitus retulisse describit: Hæc dicentem, ducem scilicet Cremonensium, confusa militum inuicem sese adhortantium, osculantium, complectentium, frendentiumque murmuratio interpellauit verbo, nutu, signis, brachiisque in aëra iactatis, attestantium sese non latam de hostibus victoriam relaturos: condensati omnes & in cuneos conglobati reassumptis viribus in Othonem Mandellum contendunt, velutique bellatores integri pugnam magno spiritu renouare student. Vtraque acies non longè distans signo

Mediolanenses in Cremonenses exercitũ ducunt.
a Monach. Pat. chron. lib. 1. ann. 1213.

Rig. in Phil. Aug. Frãc. Reg. S. Anton.

Io. Crottius lib. M. S. in bibl. Vallicell.
Cremonẽses S. Petri & Marcellini ope victoria potiti.

in hostes dato sese vicissim efferatis animis cruentare exardescebat, ecce visitat Cremonam oriens ex alto & tanquam excitatus a somno Dominus, post multiplicem afflictionem, sereno benignitatis suæ vultu, vires Cremonensium procumbentes collabentesque respexit: quippe gemini adolescentes venustissimi, nusquam aliàs in agmine eorum conspecti, forma mortali augustiores præsto adsunt, qui niueis induti sagulis, & candidissimis insidentes equis, Aribertenses conflicturos præcedebant. Quibus visis abbas Ceretensis voce intonat, martyres Dei sacrosanctos, Marcellinum & Petrum, sub humana specie illa diuiniori, in auxilium desuper missos: populus Cremonensis oratione Beltrami fiducia plenus, eas iuuenes mirabili fulgore nitescentes, tanquam cælites suos flagrantius inuocauit.

Visi in prælio martyres.

18 Prosiliunt destinata æqualiter mente in prælium compositæ vtriusque cateruæ, miles militi barbarica rabie manum conserturus immiscetur. Verum diu hostis noxius præsentiam illorum adolescentium splendore nimio exhorrescendam sustinere nequiuit, confestim palpitans, & tremiscens ictus similes eouanti leuissimos incutit, genua labant, oculi obtenebrantur, crines rigent, totus denique æstuat, alget, sensu caret, perculsus ira in terram collabitur, vt facillimè Cremonensis turbas Mediolanenses, maiori ex parte geminis impellentibus prostratas tanquam pœnam spreti numinis luituras pro libito capere, & vincire posset. O facinus vix apud posteros fidem habiturum! O irrefragabile Christianæ veritatis monumentum! O prodigium oraculo testium infinitorum viuasi corroboratum! Insubres triplici palma recentiari intumescentes, ac nihil mali, neruis tantarum nationum subnixi, extimescentes, tanquam hallucinantes suique quodammodo obliti, primum in maximo numero, vt imbelles fœmellæ, cateruatim capiuntur, primùm terga vertere compelluntur, talisque fugientium pauor, celerque & tumultuosa festinatio, vt vno in modum densæ caliginis alteri constipato sese inuicem impedirent, ac si qui paulo expeditiores præcurrerant, omnibus certatim ad pontem Serij riui confluentibus miserabiliter in alueum propellerentur: equites palabundi nequaquam commodiorem amnis partem inquisiuntes tranare festinant, pedites ex citeriori ripa deorsum sese mittentes, ad vlteriorem fluminis sanguine spumescentis oram anhelant: cæterum pars earum semiuiua vix extremum ripæ marginem tangit, pars aquarum vorticibus conualuta demergitur, equi dominis excussis, multi hinnientes passim, hac & illac cursitantes, detrimenta accolis vastatis magnificè compensant: hic dilapsus proximis siluis occultatur, ille in saltibus ac paludibus delitescit, alius exanimis perfacile ab insequentibus prehenditur: alius clypeos, torques, loricas, cassides, buccula, enses, brachialia sponte dimittit: quidam corpora sua manusque ligandas victori supplices dedunt, vitam mollioribus iam verbis suam iniquam sortem excusantibus exorant, &c. Speciosissimi duo & albicantes illi propugnatores, domi forisque accuratius perquisiti, minimè reperti sunt, quos Marcellinum & Petrum inuictos Dei pugiles extitisse pro constanti omnium iudicio habitum est.

19 Inter cætera huius gratiæ cælestis indicia, potius oculatissima & apertissima testimonia, proditum est memoriæ, quod enixius orante imbelli multitudine in æde diui Thomæ, dum prima acies Laurentiana pugnaret, tria luminaria ex duodecim æternam flammam, in honorem Apostolorum Christi & martyrum ibi .... nullo spiritu sufflante extincta sunt. Totidem quoque in miseranda turmæ Nattalensis strage, nulla euidenti causa nisi quam postea exitus patefecit, lucem in tenebras commutarunt: etiam non dissimile spectaculum ruinam tertiæ cohortis plebi vrbanæ ingemiscenti præmonstrauit; cum autem minor Aribertensis legio in aciem descensura foret; & tantum quarta portio lucernarum conflagraret, quæ prius defecerant lampades nouem, ite-

Prodigiũ de extinctis, reaccensisque facibus.

rum superno nutu subitaneo igne coruscauerunt, statimque toto inspectante populo duæ columbæ candidiores niue arcam duorum gloriosissimorum egrediuntur, quæ per anteriores delubri fores, loca versus castrorum volitantes, non multo post ad eundem tumulum sacrosanctum, lacrymis nobilium plebisque madefactum, reuersa protinus euanuere. Populus Cremonensis, eo signo cælesti post horam nonam viso, omnes victoriam, victoriam exclamare, gratulatio altissima incessanter fieri cœpta, clamorque ad sidera exaudiri, quamuis fama certior rei feliciter gestæ nondum emanasset. Ita Cremonensis tot cladibus conflictatus partim captus, partim trucidatus, potentiaque mundana quasi effœtus, clarissimum triumphum intercessione sanctorum martyrum assecutus est. De his satis. iam e lætissima sanctorum opera reportata victoria ad lugubre perditissimi hominis facinus orationem conuertimus.

Gertrudis Reginæ Vngar. cædes.

20 Luxit hoc anno Vngaria Reginæ Gertrudis immanissimam cædem, de qua Stero hæc prodit [a]: *Regina Gertruda Vngarorum, mater S. Elisabeth, sponso expeditionem contra Rhutenos mouente, a comite quodam Petro trucidatur: qui & ipse subsequenti nocte in vltionem sceleris cum alijs iugulatur. Cui episcopus de Gran misit in epistola amphibologica: Reginam occidere nolite, timere bonum est, si omnes consentiunt, ego non contradico.* Hactenus Stero. At præstat Longinum audire qui atrocissimũ facinus pluribus enarrat, atq; a Regina ob filiæ D. Elizabethæ ac sororis B. Heduuigis sanctitatem commendanda calumniam amouet.

a Stero in annal. hoc ann. apud Canis. ant. lect. t. 1. p. 245

Funesta Reginæ Vng. Gertrudis mors.

Miserando & miserabili casu, *inquit auctor*, Pannoniorum regnum ea tempestate afflictum, & apud Polonos sibi conterminos, varijsque necessitatibus coniunctos, & apud vicinas exterasque nationes sonorum suæ lamentationis edidit eiulatum: cuius Rex Andreas filius Belæ tertij etsi splendido coniugio, & prolis multiplicitate felix, & insignis esset, & de consorte sua Gertrude filia Bartoldi Moraniæ & Carinthiæ ducis, sorore germana S. Heduigis ducissæ Vratislauiensis, & Henrici cum barba consortis, tres filios Belam, Colomanum, & Andream, quartam verò beatam fœminam Elizabeth Lantgrauio Thuringiæ Ludouico, Hermani principis primogenito, in ætate tenera desponsatam, & multa sanctitate refulgentem, suscepisset, tantæ tamen suæ felicitatis fulgorem, fortuna nihil ad plenum tribuens, caliginoso euentu repente confudit. Præfatam siquidem Reginam Vngariæ Gertrudim, vnus ex maioribus Vngariæ baronibus Bankbanus vocatus, de genere Bor ortus, mucrone transuerberans, funesta occisione, IV. kal. octob. necauit.

Illius necis auctor.

21 Cuius quidem necis duæ a scriptoribus feruntur fuisse causæ. Vna quidem, quod præfata Regina Gertrudis, vxorem præfati Bankbani, in sua curia consistentem, cuidam fratri suo aduenæ & hospiti illudendam consenserat. In cuius sceleris vltionem Bankbanus, stuprati coniugij pœnam, quam a patratore non potuit, a conciliatrice exegit. Sed absurdum videtur, vt fœmina alioqui per se pudica & casta, & quæ sanctam filiam progenuerat, genus quoque ab ingenuis & religiosis parentibus ducebat, stupra & adulteria procurasse credenda sit.

Calumnia in eam iactata.

Refellitur

22 Alia verò, quod cum Andreas Vngariæ Rex ad consilium consortis suæ Gertrudis plures Alemãnos in Vngariam accersisset, & cum illis rebellium Vngarorum castra & munitiones expugnaret, magistratus quoque reipublicæ Vngaris neglectis, Alemannis mandasset, Vngari contemptum iri se dolentes, ad occidendum Regem Andream conspirant. Et cum præbente illis animum & ducatum Bankbano, conspirationem completuri, in curiam Regis aduenissent, Andreas quidem Rex a Gertrude Regina auisatus, fugiens mortem euasit; Bankbanus verò Rege non comperto Gertrudem Reginam supplices manus pro vita tendentem, lanceis & contis perfossam obtruncauit. In cuius necis tam horrendæ vltionem, Andreas Rex Bankbanum & omne genus suum ad interemptionem vsque & exterminium deleuit. Corpus Reginæ occisæ in monasterio de Pilis iusto cum honore sepultum est. Hæc dum viueret in ecclesiam Vratislauiensem liberalem se exhibens, & munificam, nobilem coronam auream, quam pro ornamento diebus solemnibus gestare consueuerat, eidem ecclesiæ Vratislauien. transmisit. Qua conflata, calix aureus iuxta eiusdem Gertrudis Reginæ voluntatem, & desiderium est fabricatus.] Hactenus Longinus.

Probabilior cædis causa.

Pœnæ de cædis auctores expetita.

Gertrudis pium facinus.

23 Fluctuabat eodem tempore grauioribus tumultibus concussa Germania, Othonisque partes in dies debilitabantur, cum certatim populi, ac principes ad Friderici obsequium confluerent, qui vel vt gratiam Pontificiam colligeret, vel pro acceptis a numine ingentibus beneficijs gratum se exhiberet, de restituenda in Siciliæ regno ecclesiastica immunitate, reddendisque locis, quæ sub Apostolicæ sedis ditione erant, alijsque, quæ ad illius iura pertinebant, huiuscemodi diploma dedit; quod extat in libro priuilegiorum Romanæ Ecclesiæ intextum publicis actis Romæ confectis sub Nicolao III. quorum supra meminimus, tum in libro censuum.

De rebus Germanicis.

In nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis amen. Fridericus II. diuina fauente clementia Romanorum Rex & semper Augustus & Rex Siciliæ.

Sacramentum Frid. electi Imp.

Regnum nostrum tunc stabiliri confidimus, cum altissimum, de cuius manu ea quæ possidemus, bona recepimus, honoramus. Tanto enim Domino, qui bona tribuit nobis ad offerendas hostias operis & deuotionis, astringimur, quanto ipsum misericordem in nobis & mirabilem experimur. Cognoscentes igitur gratiam, quæ data est nobis ab ipso. Habentes quoque præ oculis immensa & innumera beneficia vestra charissime domine & reuerendissime pater protector & benefactor noster domine Innocenti Dei gratia summe Pontifex venerande, per cuius beneficium, operam, & tutelam aliti sumus, protecti pariter & promoti: postquam in sollicitudinem vestram mater nostra fel. mem. Constantia Imperatrix & Siciliæ Regina ex ipso quasi vtero nos iactauit; vobis, beatissime pater, & omnibus successoribus vestris catholicis sanctæque Romanæ Ecclesiæ speciali matri nostræ omnem obedientiam, honorificentiam atque reuerentiam semper humili corde ac deuoto spiritu impendemus, quam prædecessores nostri Reges & Imperatores catholici vestris antecessoribus impendisse noscuntur, nihil exinde volentes diminui, sed magis augeri, vt nostra magis deuotio enitescat.

24 Illum igitur volentes abolere abusum, quẽ quidã prædecessorum nostrorũ exercuisse dignoscuntur, & dicuntur, in electionibus prælatorum, concedimus & sancimus, vt electiones prælatorum liberè & canonicè fiant, quatenus illi præficiantur ecclesiæ viduatæ, quem totum capitulum, vel maior & sanior pars ipsius duxerit eligendum, dummodo nihil desit ei de canonicis institutis. Appellationes autem in negocijs & causis ecclesiasticis, ad sedem Apostolicam liberè fiant, earum prosecutionem siue processum nullus impedire præsumat. Illum quoque dimittimus & refutamus abusum, quem in occupandis bonis decedentium prælatorum aut etiam ecclesiarum vacantium nostri consueuerunt antecessores committere pro motu propriæ voluntatis, omnia verò spiritualia vobis & alijs ecclesiarum prælatis relinquimus liberè disponenda, vt quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ Dei, Deo recta distributione reddantur. Super eradicando autem hæreticæ prauitatis errore, auxilium dabimus & operam efficacem.

De electionibus.

De appellationibus

Pos-

De possessionibus Ecclesiæ tuendis.

25 Possessiones etiam, quas Ecclesia Romana recuperauit ab antecessoribus nostris seu quibuslibet alijs, ante detentas, liberas & quietas sibi dimittimus & ipsam ad eas obtinendas bona fide promittimus, adiuuare. Quas verò nondum recuperauit, ad recuperandum erimus pro viribus adiutores: & quæcunque ad manus nostras deuenient, sine difficultate ac mora eas restituere satagemus. Ad has pertinet tota terra, quę est a Radicosano vsque Ceperanũ, Marchia Anconitana, ducatus Spoletanus, terra comitissæ Mathildis, comitatus Bertinori, exarchatus Rauennæ, Pentapolis, Massa Trebaria cum adiacentibus terris & omnibus alijs ad Romanam Ecclesiam pertinẽtibus cum omni iurisdictione, districtu & honore suo. Veruntamen cum ad recipiendam coronam Imperij, vel pro necessitatibus Ecclesiæ ab Apostolica sede vocati venerimus, de mandato summi Pontificis recipiemus procurationes siue fodrum ab ipsis. Omnia igitur supradicta, & quæcunque alia pertinent ad Romanam Ecclesiam, de voluntate & cõscientia, consilio & consensu principum Imperij libere illi dimittimus, renunciamus & restituimus, nec non ad omnem scrupulum remouendum, prout melius valet & efficacius intelligi, concedimus, conferimus, donamus, vt sublata omnis contentionis & dissensionis materia, firma pax & plena concordia in perpetuum inter Ecclesiam & Imperium perseuerẽt. Adiutores etiam erimus ad retinendum & ad defendẽdum Ecclesię Romanæ regnũ Siciliæ cum omnibus ad ipsum spectantibus tam citra Farum quam vltra, nec non Corsicam & Sardiniam ac cætera iura, quæ ad eam pertinere noscuntur, tanquam deuotus filius & catholicus princeps. Vt autem hæc omnia memorato sanctissimo patri nostro domino Innocentio sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici, eiusque successoribus per nos & nostros successores Romanorum Reges & Imperatores obseruentur, firmaque & inconuulsa semper permaneant, præsens priuilegium conscriptum maiestatis nostræ aurea bulla iussimus communiri &c. (sequuntur procerum Germaniæ nomina qui testes adhibiti fuere) Acta sunt hæc anno Domini nostri Iesu Christi M. CC. XIII. indictione prima, regnante domino Frederico II. Romanorum Rege glorioso & Rege Siciliæ anno regni eius Romanorum primo, regni verò eius Sicilię XVI. *Dat. apud Aegram per manus Bertoldi de Tuffe regalis aulæ protonotarij IV. id. iulij.*] Violauit postea insigni scelere hæc sacramenta, ac perfidia Othonem vicit Fridericus, vbi potentiam auctam confirmatamque vidit; sed de ea re suo loco: nunc in Gallias ad suspiciendam diuina virtute profligatam hæresim, atque antiqua renouata miracula contemplanda excurramus.

Dicio Rõ. Ecclesiæ.

26 Celebrabatur ineunte anno Vaurensis synodus a legatis Apost. indicta, vt de extinguenda Albigensium hæresi edomandaque Tolosani comitis, aliorumque procerum perfidia magna consilij maturitate deliberaretur; cum Raymundus ex Aragonia traxit Petrum Regem, ad quem confugerat, magnisque succinctum copijs Tolosam perduxit, vt amissam ditionem vel illius gratia qua plurimum etiam apud Romanum Pontificem poterat, vel armorum potentia recuperaret. Primùm ergo Aragonius, qui magno dedecore partas de Sarracenis victorias suscepto hæreticorum patrocinio obscurabat, indicto tuto in loco colloquio de concilianda pace cum Arnaldo archiepiscopo Narbonensi legato Apostolico ac Montfortio agitare cœpit, rogareque, vt Tolosano, Conuenarum, Fuxensi comitibus ac Gastoni Bearnensi erepta a crucesignatis loca restituerentur: cui legatus in scripta redigere quæ peteret, ac patribus ad Vaurensem synodum coactis transmittere iussit. In eo porro conuentu Aragonius, vt vrbanitate præditus munitusque artibus erat, omnibus comitatis officijs beneuolentiæque significationibus Mõtfortium est prosecutus, ab eoque petijt, inquit auctor: *Vt octo diebus desisteret a malefaciendo inimicis suis; cui nobilissimus & vrbanissimus respondit: Non desistam a malefaciendo, sed ob reuerentiam vestram cessabo his octo diebus a benefaciendo.* Adstrinxit etiam sese sacramento Rex hostium nomine nullam cladem, iniuriamue ab ipsis factum iri: at ij pro insita perfidia in catholicorum terras excurrere, multaque colloquij tempore damna intulerunt. Dissoluto colloquio, regressus Tolosam Aragonius, quæ peteret, scriptis commendata ad concilium Vaurense transmisit; quæ nos ideo prætermittimus, quod ex patrum responsis facillimè eliciantur. Poscebat nimirum, vt omnia quæ Tolosano, Fuxensi, Conuenarum comitibus ac Gastoni Bearnensi erepta fuissent, restituerentur, ijque in gratiam Ecclesiæ admitterentur.

Vaurensis synod. in Albigenses. Rex Arag. Tolosam venit.

Erepta hæreticis restitui poscit.

Agit cum Montfortio de inducijs. Responsũ Montforti venustum. Perfidia hæret.

27 Patres ergo cum non ignorarent Aragonium Montfortij gloriæ inuidere, atque comites Tolosanum, Conuenarum, Fuxensem, ac Bearnensem simulata pœnitentia Ecclesiæ in speciem reconciliari cupere, quo liberiùs postea grassari ac furere possent, coloreque illo Aragonium inani vti se cupere pacem, quò eorum comitum opera contra Sarracenos vteretur, tantis etiam sceleribus sese eos contaminasse, pro quibus intercederet, vt omnino indigni essent, quibus iusto bello erepta redderentur, cum mox ad genium rediturí, catholicos immaniùs oppressuri, fidemque pro viribus euersuri essent, sapienter Petro Aragonio ad singula eius petita respondere; demumque hortati sunt ab ijs fouendis defendendisque desisteret, qui tantis criminibus atque omni dedecore infames essent, non leuem ex eo gloriæ suæ maculam aspergere: reuocaret in memoriam, quantis ab sede Apostolica ornatus beneficijs esset, cui se fiduciarij principis nomine ad colenda eius imperia obligasset, a qua diademate insignitus, a qua ipsius sororius regnum obtineret; nec se vllatenus eiusmodi votis obsequi potuisse: ob summum tamen quem erga ipsum honorem gererent, ea Pontifici Maximo relaturos.

Hæretici comites pœnitentiam simulant.

Illustri & dilecto in Christo Petro Dei gratia regi Aragonum, comiti Barcinonensium, concilium apud Vaurum salutem & sinceram in Domino dilectionem.

a Pet. Val. hist. post c. 66.

28 Petitiones & preces vidimus, quas pro Tolosano & eius consilio & Fuxensi & Conuenarum comitibus, & nobili viro Gastone de Bearno vestra regalis serenitas destinauit: in quibus etiam literis, inter cætera Ecclesiæ filium dicitis vos deuotum: super quo domino Iesu Christo, ac regali vestræ celsitudini gratiarum referimus actiones, & in cunctis quibus secundùm Deum possemus, propter illam mutuam dilectionem, qua vos sancta Romana mater Ecclesia, sicut intelligimus, amplectitur, & vos ipsam, nec non & ob reuerentiam excellentiæ vestræ regalis admitteremus affectuosius preces vestras. Super eo quod pro comite Tolosæ petitis & rogatis, hæc duximus serenitati Regiæ respondendum, quod tam causa comitis, quàm filij, quæ pendet ex facto patris, auctoritate superioris est a nobis exempta, cum idem comes Tolosæ Regensi episcopo & magistro Theodisio a domino Papa negocium suum fecerit sub certa forma committi. Vnde sicut credimus, memoriter retinetis, quot & quantas gratias dicto comiti post multos excessus ipsius dominus Papa fecit: nec non & quam gratiam ad intercessionem vestram, & preces venerabilis Narbonensis archiepiscopus Apostolicæ sedis legatus, tunc abbas Cistercij, apud Narbonam & montem Pessulanum eidem comiti faciebat biennio, si benè meminimus, iam transacto. Volebat siquidem idem legatus omnes dominicaturas, & proprietates eidem comiti remanere integras, & illæsas: & vt illa iura quæ habebat in castris alio-

Responsũ conc. Vaurens. ad Petrum Reg. Aragon.

aliorum hæreticorum, quæ de feudo eius erant, siue alberga, siue quista, siue caualcata eidem integra remanerent. De illis præterea castris quæ erant aliorum hæreticorum, quæ de feudo eius non erant, quæ idem comes dicebat esse quinquaginta, volebat præfatus legatus, vt quartalis & tertia pars eorum caderet in proprietatem comitis supradicti.

Obiecta contra Raymũd. Tolosanũ.

29 Spreta verò comes illa magna gratia domini Papæ, ac prædicti legati, & Ecclesiæ Dei, veniens directè contra omnia iuramenta, quæ olim præstiterat in manibus legatorum, & addens iniquitatem iniquitati, crimina criminibus, mala malis, & Ecclesiam Dei & Christianitatem, fidem & pacem cum hæreticis & rotarijs impugnauit, & damnificauit, adeo vt omni gratia & beneficio reddiderit se indignum. Quod autem pro comite petitis Conuenarum, taliter super hoc duximus respondendum: pro certo intelleximus, quod cum post excessus suos multiplices, & iuramenti transgressionem fœdus cum hæreticis & eorum fautoribus contraxisset, & ipsam Ecclesiam, licet nunquam in aliquo læsus esset, cum eisdem pestilentibus impugnasset, licet postmodum diligenter fuerit admonitus, vt cessaret a cœptis, & rediens ad cor, tandem reconciliaretur ecclesiasticæ vnitati; nihilominus idem comes in sua nequitia extitit, excommunicationis & anathematis vinculo alligatus, de quo etiam, vt dicitur, comes Tolosæ asserere consueuit, quod ipse comes Conuenarum eum ad guerram impulit & induxit: vnde idem comes, actor per hoc guerræ & malorum, quæ Ecclesiæ multipliciter prouenerunt, extitit: veruntamen si talem se exhibuerit, vt absolutionis beneficium mereatur, postmodum cum fuerit absolutus, & habuerit potestatem standi iudicio, si de aliquo querelatur, Ecclesia ei iustitiam non negabit &c.

De Conuenarum comite.

Belli contra Cathol. incentor fuit.

De Fuxẽsi comite.

30 Petit præterea regia celsitudo pro comite Fuxensi, ad quod taliter respondemus, quod constat de ipso, quod hæreticorum extitit a longo tempore receptator, præsertim cum non sit dubium, quin credentes hæreticorum hæretici sint dicendi: qui etiam post multiplices excessus suos, post præstita iuramenta, post obligationes tam personarum quàm rerum, post iniectionem manuum in clericos, & detrusionem eorum in carcerem, pro quibus causis & multis alijs anathematis mucrone percussus, post illam etiam gratiam, quam idem legatus ad intercessionem vestram olim ipsi comiti faciebat, cruentam cædem exercuit in signatos, tam laicos quàm clericos, qui in paupertate, & simplicitate sua, contra Vauri hæreticos in Dei seruitium ambulabant: qualis autem & quanta erat illa gratia, benè recolit, sicut credimus, regia celsitudo: ad cuius preces cum eodem comite compositionem faciebat dictus legatus; sed quod non fuit facta illa compositio, per ipsum comitem stetit: extant enim literæ ad dominum comitem Montisfortis regali sigillo munitæ, talem clausulam continentes: Dicimus etiam vobis, quod si comes Fuxensis noluerit stare placito illi, & vos postea non audieritis preces nostras pro eo, non erimus inde vobis depacati: verumtamen si dederit operam, vt absolutionis beneficium consequatur, & postmodum, cum absolutionis fuerit gratiam consecutus, de aliquo quereletur, iustitiam ei Ecclesia non negabit, &c.

De Gastone de Bearno.

31 Postulatis insuper & rogatis pro Gastone de Bearno, vt restitueretur ad terram suam, & ad fidelitates vassallorum suorum, super quo vobis taliter respondemus, vt alia multa, immo potius infinita, quæ in ipsum Gastonem dicuntur, ad præsens silentio transeamus, confœderatus tamen hæreticis & receptatoribus, seu defensoribus eorum contra Ecclesiam & signatos, & ecclesiarum seu ecclesiasticarum personarum manifestissimus persecutor, venit in auxilium Tolosanorum ad obsidionem castri noui. Interfectorem fratris Petri de Castro nouo Apostolicæ sedis legati habet secum, rotarios diu tenuit, atque tenet. In anno præterito rotarios in cathedralem ecclesiam Oleronis induxit, vbi amputato fune, de quo pendebat pyxis continens corpus domini nostri Iesu Christi, in terram cecidit, & quod nefas est dicere, ipsum corpus Dominicum est per terram extensum (aliud sacrilegium in eodem templo patratum etiam est a rotarijs, vt ijdem patres Innocentio significauere: *Rotarius quidam in irrisionem & contumeliam ordinis clericalis se induit pontificalibus ornamentis, pontificem cantantem missam repræsentare intendens, qui etiam dicitur prædicasse ibidem, & oblationes rotariarum recepisse.*) Transgressus iuramenta, manus in clericos violentas iniecit: pro quibus & alijs causis pluribus, quas ad præsens tacemus, idem Gasto excommunicationis & anathematis est nexibus innodatus: veruntamen si satisfecerit Ecclesiæ, prout debet, & absolutionis beneficium consequetur, & conquestus fuerit de aliquo, audietur de iure suo. Aliter siquidem pro prædictis sic excommunicatis, clarissime princeps, vestram Regiam maiestatem intercedere non deceret, nec nos pro talibus, & in talibus audemus aliter respondere.

Flagitia illius & sacrilega.

Monita synodi data Regi Petro.

32 Adhæc serenitatem vestram regalem monemus, & hortamur in Domino quatenus ad memoriam reuocare dignemini honorem, quem vobis fecit sedes Apostolica, & illum quem inpræsentiarum illustri Regi Siciliæ sororio vestro facit, quid etiam domino Papæ vestra promisistis vnctione, & quid vobis sedes Apostolica dederit in mandatis. Oramus, vt Deus ad honorem suum, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, per multa tempora vos conseruet. Quod si per hanc nostram responsionem vestræ regiæ maiestati non fuerit satisfactum, nos ob reuerentiam vestram, & gratiam Domino Papæ curabimus intimare. *Dat. Vauri xv. Kal. febr. &c.*]

Petri Regis artes.

33 His acceptis Aragonius cum spes suas elusas vidisset, ad alias fraudes se conuertit, induciasque a patribus cum hæreticis contrahi ad certum tempus postulauit. At synodus Vaurensis cum Aragonium id deposcere videret, vt eo nuncio sparso cruce insignita militis dissolueretur, cum etiam hæretici pro innata perfidia induciarum a Rege firmatarum tempore in nostrorum terras excurrerent, & grassarentur, inducias admittere recusarunt. quibus exasperatus Aragonius coniunxit sese hæreticis, eosque ac bona in suam clientelam accepit, atque etiam a Tolosanis, quorum vrbs Francorum Regi obnoxia erat, fidei sacramentum exigere præsumpsit, vtque commissum scelus subornaret, leuibus propositis rationibus ad sedem Apostolicam prouocauit: quibus tamen præsules minimè detulere; legatusque Apostolicus exaratis ad eum literis hæreticorum se partibus irretire, illisue copias auxiliares submittere intentato anathemate vetuit. [a]

A Tolosanis præter ius sacramentum exigit.

Imperat a legato Apost. illi facta.

a Apud Inn. l. 16. ep. 42.

34 Tentauit aliam Tolosanus comes artem ad ditionem amissam recuperandam. Obtinuerat iam ante ab Innocentio, vt ab hæresis, atque illatæ Petro de Castro nouo necis crimine, cuius infamia ac vehementi suspicione laborabat, se purgaret, atque ita traditas antea pontificiæ custodiæ arces vrbesque, cum apud S. Aegidium a Milone legato in gratiam Ecclesiæ admissus fuerat, recuperaret: excipiendæ verò illius purgationis prouincia Regensi episcopo, & Theodisio canonico Ianuensi fuerat demandata. Qui cum in Gallias venissent, Raymundus initio rem cum ijs gerere neglexit, cum omnia Petri Regis auctoritate, & gratia sibi restitutum iri præsideret: catholici verò antistites apud legatos institere non posse ipsos sine nouo pontificio imperio Raymundi pur-

Legati Ap. quibus Raymũdi causa cõmissa, non admittunt Raymũdi purgationem.

purgationem admittere, cum ab eo tempore immanissimis flagitijs se deuinxisset, nec datam antea de pellendis hæreticis fidem seruasset, foretque exploratum ipsum periurio insigni indicibus pontificijs illusurum, ac postea rem catholicam afflicturum, ac perditurum. Quibus monitis edocti legati a Vaurensi synodo consilium in ea re flagitauere, patresque respondere, sine nouo pontificio iusso nil tentandum, atque interea oratores ad sedem Apostolicam mittendos. Vnde cum perfecta synodo Raymundus vrgeret legatos Regensem episc. & Theodisium, vt purgandi sui potestatem facerent, seque ad excipienda Apostolica imperia paratissimum exhiberet: hisce literis rationes exposuere, cur id fieri non posset cuius culpa in ipsum deriuanda erat.

Lib. 16 ep. 46.

Nobili viro Raymundo comiti Tolosano Hug. Dei gratia Regen. episcopus et magister Th. canonicus Ianuen. spiritum consilij sanioris.

35 Nuper literas vestras per quendam militem Quambonum nomine recepimus, in quibus licet continetur expresse, quod parati eratis mandatis nostris humiliter obedire, vos tamen neque mandatis domini Papæ, secundùm tenorem rescripti, quod olim obtinuistis ab ipso, neque mandatis, quæ vobis fecimus in concilio apud S. Aegidium, neque insuper mandatis, & monitis legatorum, & Ecclesiæ quæ vobis apud Narbonam, & montem Pessulanum postmodum facta fuerunt, obedistis in aliquo, vel etiam obeditis, sicut per euidentiam operis manifestè apparet. Sanè postquam recessistis a nobis abiurata pedagia, in vestræ famæ, ac animæ præiudicium, multipliciter adauxistis. Et vt in paucis multa breuiter concludamus, ferè nihil ex ijs, quæ diuersis temporibus in manibus legatorum iurastis, & præcipuè tempore bonæ memoriæ magistri Milonis, prout satis manifestum est, curauistis implere, immo, quod dolentes & inuiti dicimus, rotarios, & hæreticos contra fidem, & Ecclesiam, & pacem etiam tenuistis postmodum, & tenetis, a quibus, & alijs complicibus vestris mille signati & vltra clerici, & laici in grauissimam Creatoris iniuriam, & contemptum occisi fuerunt. Iniquitatem etiam iniquitati addentes, abbatem de monte Albano longo tempore tenuistis in vinculis, venerabilem patrem Agennensem episcopum ciuitate sua, & alijs bonis spoliatum eum rotarijs vestris a sede propria eiecistis. Ad nos etiam aliquando auctoritate domini Papæ citati, contempsistis venire, nec super negotio vestro, quod nobis a summo Pontifice postulastis committi, sumus aliquando requisiti a vobis. Quamuis enim sciueritis nos per octo dies fecisse moram propter factum vestrum ijs temporibus in concilio apud Vaurum, ad nos neque literas vestras direxistis, neque nuncium specialem. Propter igitur supradicta, & alia multa adeo vos fecistis indignos; quod in negotio vestro ad purgationem, secundùm mandatum domini Papæ, procedere non valemus, prout fuit coram nobis a toto concilio definitum. Ideoque vobis per præsentes literas protestamur, quod hæc omnia per proprium nuncium literis nostris domino Papę curabimus diligentissimè intimare, vt ipse circa personam vestram, & factum, secundùm quod suæ beneplacitum fuerit sanctitati, procedat.)

Cur eam repulerint sine nouo Pót. imperio.

36 Mox literas a ad Pontificem legati transmisere, quibus significarunt, vt se in commissa prouincia gessissent, rationesque adduxere, ob quas Raymundum comitem ad purgandum se non admisissent.

a Ext. in reg. Inn. l. 16. ep. 37. Legati rei gestæ Pontifici certiorem faciunt.

Sanctissimo patri, & benignissimo domino Innocentio Dei gratia summo Pontifici Hug. sola Dei permissione Regensis episcopus, & Theodisius Ianuensis canonicus humiles seruitores, cum longitudine dierum & vita perenni, ad oscula pedum se ipsos.

Sanctitati vestræ insinuatione præsentium innotescat, quod de facto comitis Tolosani, quod olim insufficientiæ nostræ prouidentia vestra commisit, processimus in hunc modum. Sanè prius apud S. Ægidium infra tres menses secundum tenorem Apostolici rescripti concilium habuimus archiepiscoporum, episcoporum, & aliorum prælatorum ecclesiæ, baronum, & etiam aliorum, quorum præsentiam nouimus opportunam. Ante omnia per literas nostras comiti memorato mandantes, vt hæreticos, & rotarios de terra sua expelleret; alia etiam mandata impleret humiliter, ad quæ tenebatur astrictus pluribus iuramentis: ne si fortè mandata illa implere negligeret, purgationi suæ impedimentum præstaret: Cumque vocatus venisset ad concilium, & per operis euidentiam manifestè nobis, & toti concilio constitisset, quod mandata, quæ de hæreticis, & rotarijs expellendis, & alijs causis multis, & negocijs, diuersis temporibus a diuersis legatis, & præcipuè a bonæ memoriæ magistro Milone sibi facta fuerant, non impleuerat, nec implebat; consilium fuit omnium, & deliberatio communis, ipsum non debere tunc temporis ad purgationem admitti. Non enim verisimile videbatur, quod in tantis criminibus, videlicet super hæresi, & nece legati bene iuraret, qui toties in minoribus causis, & articulis sua fuerat iuramenta transgressus.

37 Iniunctum itaque sibi fuit a prælatis, qui conuenerant ad colloquium, & a nobis, vt hæreticos, & rotarios de suo districtu expelleret, & alia nihilominus impleret humiliter ac deuote; de quibus constabat ipsum iuramentis plurimis obligatum fuisse, quatenus cum in ijs, & alijs dignum se fecisset, requisiti ab ipso circa personam eius Apostolicum exequeremur mandatum. At ipse recedens a nobis, non solum non impleuit, quæ mandauimus, verùm datus in reprobum sensum ex toto, & oblitus multam gratiam, & misericordiam, quam vltra suorum exigentiam meritorum apud Apostolicam sedem inuenit, cœpit iniquitatem iniquitati adiungere, ac præteritis criminibus, & abominationibus committere grauiora; propter quæ a legatis de communi consilio prælatorum multoties fuit anathematis mucrone percussus, & exposita terra eius. Nec credat Apostolica circumspectio, nos in exequendo mandato vestro extitisse aliquatenus desides, vel remissos: sæpissimè cum dictum comitem ex parte vestra citauimus, & ad præsentiam nostram venire contempsit: nec venerabilibus patribus Carpentoractensi, & Vaisonensi episcopis, & clericis eorum, quibus vsque ad summam fere mille marcharum per me Regensem, & bonæ memoriæ magistrum Milonem sub pœna excommunicationis quondam fuerat condemnatus, & alijs ecclesiasticis, & miserabilibus personis, quas exhæredauerat, noluit satisfacere coram nobis. Quæ omnia per venerabilem patrem Nemausensem episcopum, tunc S. Ruffi abbatem, & literas nostras, & per me Thedisium, qui postmodum ad pedes vestros accessi, benignitati vestræ curauimus diligentissimè intimare.

Raymundus a legatis iussus hæreticos pellere.

Nō paret.

Ob id illius ditio prædæ exposita.

38 Postquam autem a beatitudine vestra hoc anno recepimus super eodem negocio iteratum mandatum; licet a comite ipso nunquam fuerimus requisiti, apud Auinionensem ciuitatem in Prouincia, continuò vocauimus ecclesiarum prælatos, quorum consilio & deliberatione mandatum vestrum tutiùs exequi valeremus. Verùm ego Thedisius grauissima infirmitate detentus, & multi ex prælatis, quia generalis corruptio ibi erat aëris, nequiuimus colloquio interesse; sicque factum est, vt necessariò negocium differretur. Deinde quando tempus habuimus opportunum, venerabiles patres Narbonensis Apostolicæ sedis legatus, & Burdegalensis archiepiscopi, multi prætérea episcopi, & alij ecclesiarum prælati

iuxta

iuxta Tolosam apud Vaurum ad citationem nostram ad concilium conuenerunt, a quibus, prout tenebamur in tanto negocio, consilium requisiuimus diligenter. Ipsi verò post multam deliberationem & diligentem tractatum, consilium suum nobis in scriptis dederunt, quatuor nomine hominum sigillatum sigillis; sicut de verbo ad verbum inferiùs plenius continetur.]

Patres legatis auctores sũt ne Raym. purgatio recipiatur

39 Transmisere etiam ad Pontificem consilium, quod sibi a Vaurensi synodo in re tanti momenti datum erat, cuius hoc exordium est: In nomine Domini nostri Iesu Christi, amen. Hoc est consilium, quod dominus Narbonensis archiepiscopus Apostolicæ sedis legatus, & alij ecclesiarum prælati, qui fuerunt in concilio apud Vaurum, dederunt Regensi episcopo, & magistro Thedisio canonico Ianuensi iudicibus delegatis a domino Papa super negocio comitis Tolosani. Consuluerunt enim eis, quod comes Tolosanus propter multiplices causas, & rationes non debeat ab eis ad purgationem admitti, tam super crimine hæreticæ prauitatis, quàm super nece legati, &c.] annectuntur rationes, ob quas ad purgationem canonicam admittendus non sit; quæ cum supra in literis a legatis Raymundo datis insinuatæ sint, ac literis etiam a synodo ad Innocentium exaratis insertæ, prætermittendæ hoc loco visæ sunt. addunt post hæc legati:

40 Et quia non poteramus ad purgationem iniungendam comiti procedere iuxta consilium prælatorum, per literas nostras bis protestati fuimus comiti sæpe dicto, quod per ipsum stabat & impedimentum præstiterat, ne factum ipsius posset vlterius habere progressum, absque summi Pontificis licentia speciali. *Et infra:* Volentes igitur finem mandati diligentissimè custodire, meram & plenam veritatem, scilicet totius facti seriem, & processum beatitudini vestræ breuiter intimamus; cui soli Dominus imponendi finem tantis cladibus plenissimam scientiam, & potestatem concessit. Ecclesiæ suæ omnipotens Deus præsidentiam vestram in longitudine dierum conseruet.]

Mittũt ad Innoc. oratores.

a Ead. l. 16 ep. 38.

41 At patres Vaurenses cum imminens rei Christianæ periculum prudentia sua discussissent, si Raymundo alijsque proceribus lue hæretica aspersis parta crucesignatorum sanguine loca admissa a periuris hominibus purgatione restituta essent, literas a atque oratores misere ad Innocentium, qui Regis Aragonum artibus circumuentus erat ac persuasus Raymundum aliosque proceres hæreseos labe puros esse, profligatam iam penitus in ijs locis hæresim, atque arma in Sarracenos conuertenda, aduersum quos eos principes sibi strenuam operam nauaturos pollicebatur. At demum fraus patuit, atque expositis Pontifici Raymundi sceleribus, vt hæresim in sua ditione aleret, mille crucesignatos trucidasset, vectigalia auxisset, viros ecclesiasticos insectatus esset, concessa illi antea purgatio reuocata est. Cum verò huius synodi literæ maximam historiæ lucem allaturæ sint, nullatenus a nobis præteriri debuerũt.

42 *Sanctissimo in Christo patri ac beatissimo domino suo Innocentio Dei gratia summo Pontifici, deuoti, & humiles serui eius archiepiscopi, episcopi ac alij ecclesiarum prælati in concilio apud Vaurum, pro sancta fidei congregati negocio, cum omni affectione congruum vitæ spatium, & salutem.*

Agunt gratias ob nauatam cõtra hær. operam.

Ad agendas pro paternitatis vestræ solicitudine dignas grates, cum nec lingua, nec calamus nobis sufficiat, retributorem omnium bonorum exoramus, vt nostrum in hac parte suppleat defectum, & abundè vobis retribuat omne bonum, quod nobis, & nostris, alijsque nostrarum partium ecclesijs tribuistis. Cum enim in partibus ipsis pestis hæretica, ibi antiquitus seminata nostris temporibus vsque adeo succreuisset, quod cultus diuinus ibidem haberetur omnino in opprobrium, & derisum, & in clerum, & bona ecclesiastica, hinc hæretici, inde rotarij grassarentur, & tam princeps, quam populus in reprobum sensum dari a fidei rectitudine deuiarent, tandem vigilantiæ vestræ solicitudine faciente, ita nos ex altis oriens visitauit misericordia, vt per sanctos exercitus signatorum, quos ad emundandas spurcitias pestis huiusmodi sapientissimè deputastis, & Christianissimum eorum principem comitem Montisfortis intrepidum Christi athletam, & inuictum Dominici prælij bellatorem, Ecclesia, quæ tam miserabiliter corruerat, caput inceperit releuare: & in parte maxima iam destructis aduersitatibus, & erroribus vniuersis, terra dudum a cultoribus falsorum dogmatum conculcata, nunc diuino cultui laudabiliter assuescat.

Accus. capita in Tolos. cõ.

43 Restant verò adhuc reliquiæ dictæ pestis, Tolosana videlicet ciuitas, cum castris aliquot, vbi tanquam sordes in sentina cadentes residuum prauitatis hæreticæ se collegit. Quorum princeps comes scilicet Tolosanus, qui ab antiquis temporibus, sicut multoties iam audistis, hæreticorum & fautor extitit, & defensor, pro viribus, quæ sibi remanserunt, impugnat Ecclesiam, & quoad potest pro fidei hostibus, eius cultoribus se opponit. Ex quo enim a sanctitatis vestræ redijt præsentia cum mandatis, in quibus vltra omnem suorum exigentiam meritorum egeratis misericorditer cum eodem, introiuit, sicut manifestè videtur, angelus sathanæ in cor eius, & gratiæ vestræ beneficiorum ingratus, de ijs, quæ coram vobis promiserat, nil impleuit. Immo pædagia sæpius abiurata vehementer adauxit, ac si mandatorum ipsorum beneficio renuntiasse intenderet, ad omnes quos sciuit vestros, & Ecclesię Dei aduersarios se conuertit. Sanè per Othonem Dei & Ecclesiæ inimicum opinatus contra ipsam Ecclesiam vires assumere, sub ipsius confidentia manifestè, sicut asseritur, minabatur, quod ecclesiam de finibus suis, & clerum radicitus extirparet, hæreticos, & rotarios, quos multoties abiurauerat, ex tunc feruentius solito fouere studuit, & tenere. Cum enim catholicorum exercitus obsideret Vaurum, vbi sedes erat sathanæ, ac quasi erroris hæretici primaria: ipse in subsidium peruersorum misit milites, & clientes, & in castro suo, quod Casseri appellatur, fuerunt inuenti & combusti a crucesignatis plusquam quinquaginta hæretici de vestitis, præter credentium eorum multitudinem copiosam.

Defensa ab eo hæresis.

Calcata Apost. imperia.

Iunctum cũ Othone fœdus.

Oppugnati crucesignati.

Exciti hostes Eccl.

44 Inuocauit etiam contra Dei exercitum Senericum Regis Angliæ inimici Ecclesię senescallum, cum quo Christi pugilem, prædictũ comitem Montisfortis, apud castrum nouum Atrij obsidere præsumpsit: sed Christi dextera faciente, cito fuit eius præsumptio in confusionẽ conuersa; ita vt pauci catholici infinitam Arrianorum multitudinem effugarent. Prædictorum autem Othonis, & Regis confidentia defraudatus, vt qui baculo arundineo nitebatur, cogitauit iniquitatem abominabilem, & catholicis auribus detestandam, & ad Regem Marrochitanum suos nuncios destinauit, subsidium eius non solum in terræ nostræ, sed totius Christianitatis excidium implorando. Sed conatum eius, & damnabilem intentionem superna pietas impediuit. Episcopum Agennensem a sede propria expellendo, bonis omnibus spoliauit, Abbatem de Moysiaco cepit, & abbatem montis Albani ferè per annum tenuit captiuatum. Rotarij quoque ipsius, & complices, peregrinos clericos, & laicos innumerabiles varijs affecere martyrijs, & nonnullos detinent, ac diutius tenuere captiuos. In omnibus ijs non est auersus furor eius; sed adhuc manus eius extenta: ita vt fiat quotidie semetipso deterior, & omnia mala, quæ potest, per se ipsum, & filium,

Implorata a Rege Marroc. auxilia.

Præsules malè habiti.

filium, ac complices suos Fuxensem, & Conuenarum comites, & Gastonem de Bearno, viros sceleratissimos, & peruersos contra Dei Ecclesiam;, operetur. Cum autem vltione diuina, & censura ecclesiastica memoratus athleta fidei, comes Christianissimus Montisfortis terram ipsorum, tanquam hostium Dei, & Ecclesiæ sancto & iusto prælio occupauerit ferè totam, ipsi adhuc persistentes in sua malitia, & humiliare se sub potenti manu Domini contemnentes, nuper ad Regem Aragonum recurrerunt, per quem fortè intendunt vestram circumuenire clementiam, & Ecclesiam sugillare.]

45 Et certè prudentissimos antistites vera coniecisse apparuit, per nuncios enim suos Pontificem decepit Petrus Rex, Apostolicum pro illis mandatum mendacijs surripiens, vti postea questus est Innocentius literis infra reddendis ad eũdem Regem, a mandatumque eiusmodi irritum esse iussit, quod ijsdem verbis relatum est in epistola, xvi. kalend. februar. ad Montisfortis comitem missa b, vbi etiam ad loca Tolosano comiti ablata restituenda pro imperio ac potestate compellit: postridiè verò eius diei, quo ad comitem scripserat, eadem ad Narbonensem archiepiscopum Apostolicæ sedis legatum atque ad Regensem episcopum & magistrum Theodisium Ianuensem canonicum scripsit, monitosque esse voluit c. Pergunt episcopi in synodali epistola de Petro: Adduxerũt enim ipsum Tolosam nobiscum, qui de mandato legati, & delegatorum vestrorum apud Vaurum conuenetamus, colloquium habituri. Qui, quæ, ac qualia proposuerit, & quæ nos ei duxerimus respondenda, ex rescriptis, quæ vobis sigillata mittuntur, plenius cognoscetis.] Habentur ista quoque in huius anni regesto d. Igitur primum Tolosani comitis nomine, qui Ecclesiæ pariturum se ac facturum satis præseferebat, petijt Rex, vt pro clementia sua in possessionem rerum, quas amiserat, ipsum vel saltem filium restitueret. Erat is Raymundus iunior, quem nothum fuisse ait Petrus Bermundus Andusianus comes in suis ad Innocentium Papam literis e, quibus postulauit sententiam secundum se ferri de terra, quæ ad vxorem suam Tolosani comitis vnicam filiam ac legitimam pertinere constabat: filij verò ex concubina nati nullam rationem habendam esse. Sed rursus ad synodalem epistolam.

a Ib. ep. 48
b Ibid. l. 15. ep. 211.
c Ibid. ep. 210.
d Lib. 16. ep. 38.
e Lib. 15. ep. 220.

46 Mittitur etiam sanctitati vestræ consilium, quod delegatis vestris super facto comitis Tolosani tribuimus requisiti. Omnes igitur vnanimiter, & concordes hæc præmissa sanctitati vestræ intimamus, liberantes animas nostras, ne pro defectu significandi in negocio fidei de contingentibus aliquid omittatur. Demum verò pro animabus nostris, ac commissarum nobis ecclesiarum substantijs vestræ misericordiæ supplicantes exposcimus per viscera misericordiæ Dei nostri, vt liberationis & pacis, immo vitæ nostræ negotium, quod in parte maxima iam feliciter promouistis, cum manifesta iustitia, & potentia sit in promptu, feliciori fine dignemini consummare ponentes ad radicem arboris damnosæ securim, & eam, ne noceat vltra, perpetuò succidentes. Pro certo namque sciatis, quod si terra, quæ dictis tyrannis cum tanta iustitia, & multa Christianorum effusione sanguinis est ablata, ipsis aut eorum heredibus restituatur, præter scandalum fidelium, qui hoc negotium promouerunt, non solum fieret nouissimus error peior priore, sed excidium exinde clero & Ecclesiæ inæstimabile immineret. Adhæc quoniam enormitates, blasphemias, abominationes, & alia scelera prædictorum per singula præsenti pagina non credimus annotanda, ne librum texere videremur, quædam in ore nunciorum posuimus, quæ sanctis auribus vestris poterunt viua voce referre.] Hactenus synodalis epistola, eiusdemque argumenti literas f

f Reg. l. 16 ep. 45.

Burdegalensis, Vasatensis, & Petragoricensis episcopi Innocentio misere.

47 Scripsit a præterea ad Innocentium Papam Biterrensis archiepiscopus, ac supplicibus votis contendit, ne ab Aragonum Regis fraudibus se irretiri pateretur, qui insolenter iactabat Tolosano comiti eiusque conscijs hæreticis, rotarijs, sacrilegis, homicidis, omnique flagitiorum genere implicitis, possessiones ac bona ab Apostolica sede sua opera ac precibus restitutum iri; Tolosam vitiorum omnium rum temporis sentinam (quæ nunc magna religionis laude efflorescit) aliaque loca nonnulla, quò toties hæreticæ luis reliquiarum illuuies confluxerat, funditus euerteret: *Profecto namq;* subdit ex ardenti zelo fidei catholicæ, quo flagrabat, *si dicta ciuitas*, Tolosa scilicet, *quæ nidus hæreticorum existit, & extitit ab antiquo, ita quod, sicut legitur, ob causam similem fuit olim euersa funditus, & etiam exarata, remanserit pestilentibus memoratis, adhuc flamma egredietur de ipsa, quæ partes nostras & alias circumpositas petus solito profligabit.* hactenus ipse, pariterque de Tolosa excindenda alij Galliarum præsules b Innocentium interpellarunt.

a Ib. ep. 44 Tolosa hær. Albig. sedes.
b Reg. l. 16 ep. 45.

48 His acceptis literis auditisque præsulum Montfortijque oratoribus, qui immania Raymundi aliorumque procerum flagitia Pontifici exposuere, Innocentius, eum se delusum ab Aragonum Rege videret, ipsius oratorum petita repulit, iussaque antea Montfortio data, vt Gastoni, & Fuxensi, & Conuenarum comitibus ablata restitueret, vt surreptitia rescidit, quod non modo infanda comitum Fuxensis & Conuenarũ scelera suppressisset, verùm eos etiã vnã cum Gastone Bearnensi ac Tolosanis in sinum Ecclesiæ redire velle insinuasset, Pontifex datis ad Regem Aragonum literis c, propositis primùm ingentibus beneficijs, quibus a se decoratus esset, quorum causa tum potentia, tum fama auctus fuerat, a tuendis Tolosanis, quandiu hæresi imbuti essent, abstinere vetuit. Significauit se Fulconi Tolosano episcopo prouinciam demandasse, vt Tolosanos pœnitentes fidelium communioni restitueret, quos ipse obfirmatos in scelere reperisset, ciuitate ac bonis deturbaretur: iniquius se ferre in causa Gastonis Bearni & comitum Fuxensis & Conuenarum circumuentum; proinde imperia de restituendis illorum bonis rescindere, cum ob hæresim sceleraque anathemate defixi fuissent: si tamen conciliari Ecclesiæ cupiant, eam rem se legato Apostolico commisisse, ac se postea legatum de latere ad omnia componenda, nisque ijs procetibus dicendum missurum: imperare se vt inducias cum Montfortio ineat, religioseque obseruet; a quo tamen pro terris, quæ supremo iure regno Aragonensi obnoxiæ essent, sacramentum fidei acciperet, & si Tolosani & prædicti principes viri perstarent in scelere, se ad eos excindendos cruce indutas copias immissurum; atque adeo vetare, ne perfidis auxilium operamque explicaret: alioquin ipsum Dei, hominumque odia, ac iustas pœnas incursurum.

Inn. queritur apud Reg. Arag. se deceptũ
c Ep. 48.

49 *Habito cum fratribus nostris tractatu, atque consilio diligenti, volentes honori tuo quantum ad famam, saluti quantum ad animam, & indemnitati, quantum ad terram, paterna solicitudine præcauere, serenitati tuam virtute Spiritus sancti, sub obtentu diuinæ, ac apostolicæ gratiæ districtè prouidimus iniungendum, vt sine mora prænotatos deseras Tolosanos, & complices eorundem, non obstante promissione, vel obligatione quacunque præstita, vel recepta in elusionem ecclesiasticæ disciplinæ.* Postremis hisce verbis alludere videtur Innocentius ad iusiurandum a Raymundo Tolosano comite, eiusque filio, atque a Tolosanis consulibus, insuperque a Raymundo Fuxensi, ac Bernardo Conuenarum comitibus, denique a Gastone Bearnensi, & a Bigerronum comite, ineunte anno seorsim

Inn impe. rat Regi Arag. vt Tolos. destituat.

iuxta Tolosam apud Vaurum ad citationem nostram ad concilium conuenerunt, a quibus, prout tenebamur in tanto negocio, consilium requisiuimus diligenter. Ipsi verò post multam deliberationem & diligentem tractatum, consilium suum nobis in scriptis dederunt, quatuor nomine hominum sigillatum sigillis; sicut de verbo ad verbum inferiùs plenius continetur.]

Patres legatis auctores sunt ne Raym. purgatio recipiatur

39 Transmisere etiam ad Pontificem consilium, quod sibi a Vaurensi synodo in re tanti momenti datum erat, cuius hoc exordium est: In nomine Domini nostri Iesu Christi, amen. Hoc est consilium, quod dominus Narbonensis archiepiscopus Apostolicæ sedis legatus, & alij ecclesiarum prælati, qui fuerunt in concilio apud Vaurum, dederunt Regensi episcopo, & magistro Thedisio canonico Ianuensi iudicibus delegatis a domino Papa super negocio comitis Tolosani. Consuluerunt enim eis, quod comes Tolosanus propter multiplices causas, & rationes non debeat ab eis ad purgationem admitti, tam super crimine hæreticæ prauitatis, quàm super nece legati, &c.] annectuntur rationes, ob quas ad purgationem canonicam admittendus non sit; quæ cum supra in literis a legatis Raymundo datis insinuatæ sint, ac literis etiam a synodo ad Innocentium exaratis insertæ, prætermittendæ hoc loco visæ sunt. adduut post hæc legati:

40 Et quia non poteramus ad purgationem iniungendam comiti procedere iuxta consilium prælatorum, per literas nostras bis protestati fuimus comiti sæpe dicto, quod per ipsum stabat & impedimentum præstiterat, ne factum ipsius posset vlterius habere progressum, absque summi Pontificis licentia speciali. *Et infra:* Volentes igitur finem mandati diligentissimè custodire, meram & plenam veritatem, scilicet totius facti seriem, & processum beatitudini vestræ breuiter intimamus; cui soli Dominus imponendi finem tantis cladibus plenissimam scientiam, & potestatem concessit. Ecclesiæ suæ omnipotens Deus præsidentiam vestram in longitudine dierum conseruet.]

Mittūt ad Innoc. oratores.

a Eod. l. 16 ep. 38.

41 At patres Vaurenses cum imminens rei Christianæ periculum prudentia sua discussissent, si Raymundo alijsque proceribus lue hæretica aspersis parta crucesignatorum sanguine loca admissa a periuris hominibus purgatione restituta essent, literas a atque oratores misere ad Innocentium, qui Regis Aragonum artibus circumuentus erat ac persuasus Raymundum aliosque proceres hæreseos labe puros esse, profligatam iam penitus in ijs locis hæresim, atque arma in Sarracenos conuertenda, aduersum quos eos principes sibi strenuam operam nauaturos pollicebatur. At demum fraus patuit, atque expositis Pontifici Raymundi sceleribus, vt hæresim in sua ditione aleret, mille crucesignatos trucidasset, vectigalia auxisset, viros ecclesiasticos insectatus esset, concessa illi antea purgatio reuocata est. Cum verò huius synodi literæ maximam historiæ lucem allaturæ sint, nullatenus a nobis præteriri debuerūt.

42 *Sanctissimo in Christo patri ac beatissimo domino suo Innocentio Dei gratia summo Pontifici, deuoti, & humiles serui eius archiepiscopi, episcopi ac alij ecclesiarum prælati in concilio apud Vaurum, pro sancta fidei congregati negocio, cum omni affectione congruum vitæ spatium, & salutem.*

Agunt gratias ob nauatam cōtra hær. operam.

Ad agendas pro paternitatis vestræ solicitudine dignas gratias, cum nec lingua, nec calamus nobis sufficiat, retributorem omnium bonorum exoramus, vt nostrum in hac parte suppleat defectum, & abundè vobis retribuat omne bonum, quod nobis, & nostris, alijsque nostrarum partium ecclesijs tribuistis. Cum enim in partibus ipsis pestis hæretica, ibi antiquitus seminata nostris temporibus vsque adeo succreuisset, quod cultus diuinus ibidem haberetur omnino in opprobrium, & derisum, & in clerum, & bona ecclesiastica, hinc hæretici, inde rotarij grassarentur, & tam princeps, quam populus in reprobum sensum dati a fidei rectitudine deuiarent, tandem vigilantiæ vestræ solicitudine faciente, ita nos ex altis oriens visitauit misericordia, vt per sanctos exercitus signatorum, quos ad emundandas spurcitias pestis huiusmodi sapientissimè deputastis, & Christianissimum eorum principem comitem Montisfortis intrepidum Christi athletam, & inuictum Dominici prælij bellatorem, Ecclesia, quæ tam miserabiliter corruerat, caput inceperit releuare: & in parte maxima iam destructis aduersitatibus, & erroribus vniuersis, terra dudum a cultoribus falsorum dogmatum conculcata, nunc diuino cultui laudabiliter assuescat.

Accusca- pita m. Tolos. cō.

43 Restans verò adhuc reliquiæ dictæ pestis, Tolosana videlicet ciuitas, cum castris aliquot, vbi tanquam sordes in sentina cadentes residuum prauitatis hæreticæ se collegit. Quorum princeps comes scilicet Tolosanus, qui ab antiquis temporibus, sicut multoties iam audistis, hæreticorum & fautor extitit, & defensor, pro viribus, quæ sibi remanserunt, impugnat Ecclesiam, & quoad potest pro fidei hostibus, eius cultoribus se opponit. Ex quo enim a sanctitatis vestræ redijt præsentia cum mandatis, in quibus vltra omnem suorum exigentiam meritorum egeratis misericorditer cum eodem, introiuit, sicut manifestè videtur, angelus sathanæ in cor eius, & gratiæ vestræ beneficiorum ingratus, de ijs, quæ coram vobis promiserat, nil impleuit. Immo pædagia sæpius abiurata vehementer adauxit, ac si mandatorum ipsorum beneficio renuntiasse intenderet, ad omnes quos sciuit vestros, & Ecclesię Dei aduersarios se conuertit. Sanè per Othonem Dei & Ecclesiæ inimicum opinatus contra ipsam Ecclesiam vires assumere, sub ipsius confidentia manifestè, sicut asseritur, minabatur, quod ecclesiam de finibus suis, & clerum radicitus extirparet, hæreticos, & rotarios, quos multoties abiurauerat, ex tunc feruentius solito fouere studuit, & tenere. Cum enim catholicorum exercitus obsideret Vaurum, vbi sedes erat sathanæ, ac quasi erroris hæretici primatis: ipse in subsidium peruersorum misit milites, & clientes, & in castro suo, quod Casseri appellatur, fuerunt inuenti & combusti a crucesignatis plusquam quinquaginta hæretici de vestitis, præter credentium eorum multitudinem copiosam.

Defensa ab eo hæresis.

Calcata Apost. impeta.

Iunctum cū Othone fœdus.

Oppugnati crucesignati.

Exciti hostes Eccl.

44 Inuocauit etiam contra Dei exercitum Seuericum Regis Angliæ inimici Ecclesię senescallum, cum quo Christi pugilem, prædictū comitem Montisfortis, apud castrum nouum Arrij obsidere præsumpsit: sed Christi dextera faciente, cito fuit eius præsumptio in confusionē conuersa; ita vt pauci catholici infinitam Arrianorum multitudinem effugarent. Prædictorum autem Othonis, & Regis confidentia defraudatus, vt qui baculo arundineo nitebatur, cogitauit iniquitatem abominabilem, & catholicis auribus detestandam, & ad Regem Marrochitanum suos nuncios destinauit, subsidium eius non solum in terræ nostræ, sed totius Christianitatis excidium implorando. Sed conatum eius, & damnabilem intentionem superna pietas impediuit. Episcopum Agennensem a sede propria expellendo, bonis omnibus spoliauit, Abbatem de Moysiaco cepit, & abbatem montis Albani ferè per annum tenuit captiuatum. Rotarij quoque ipsius, & complices, peregrinos clericos, & laicos innumerabiles varijs affecere martyrijs, & nonnullos detinent, ac diutius tenuere captiuos. In omnibus ijs non est auersus furor eius; sed adhuc manus eius extenta: ita vt fiat quotidie semetipso deterior, & omnia mala, quæ potest, per se ipsum, & filium,

Implorata a Rege Marroc. auxilia.

Præsules malè habiti.

filium, ac complices suos Fuxensem, & Conuenarum comites, & Gastonem de Bearno, viros sceleratissimos, & peruersos contra Dei Ecclesiam, operetur. Cum autem vltione diuina, & censura ecclesiastica memoratus athleta fidei, comes Christianissimus Montisfortis terram ipsorum, tanquam hostium Dei, & Ecclesiæ sancto & iusto prælio occupauerit ferè totam, ipsi adhuc persistentes in sua malitia, & humiliare se sub potenti manu Domini contemnentes, nuper ad Regem Aragonum recurrerunt, per quem fortè intendunt vestram circumuenire clementiam, & Ecclesiam sugillare.]

45 Et certè prudentissimos antistites vera coniecisse apparuit, per nuncios enim suos Pontificem decepit Petrus Rex, Apostolicum pro illis mandatum mendacijs surripiens, vti postea questus est Innocentius literis infra reddendis ad eũdem Regem, a mandatumque eiusmodi irritum esse iussit, quod ijsdem verbis relatum est in epistola, XVI. kalend. februar. ad Montisfortis comitem missa b, vbi etiam ad loca Tolosano comiti ablata restituenda pro imperio ac potestate compellit: postridiè verò eius diei, quo ad comitem scripserat, eadem ad Narbonensem archiepiscopum Apostolicæ sedis legatum atque ad Regensem episcopum & magistrum Theodisium Ianuensem canonicum scripsit, monitosque esse voluit c. Pergunt episcopi in synodali epistola de Petro: Adduxerũt enim ipsum Tolosam nobiscum, qui de mandato legati, & delegatorum vestrorum apud Vaurum conueneramus, colloquium habituri. Qui, quæ, ac qualia proposuerit, & quæ nos ei duximus respondenda, ex rescriptis, quæ vobis sigillata mittuntur, plenius cognoscetis.] Habentur ista quoque in huius anni regesto d. Igitur primum Tolosani comitis nomine, qui Ecclesiæ pariturum se ac facturum satis præseferebat, petijt Rex, vt pro clementia sua in possessionem rerum, quas amiserat, ipsum vel saltem filium restitueret. Erat is Raymundus iunior, quem nothum fuisse ait Petrus Bermundus Andusianus comes in suis ad Innocentium Papam literis e, quibus postulauit sententiam secundum se ferri de terra, quæ ad vxorem suam Tolosani comitis vnicam filiam ac legitimam pertinere constabat: filij verò ex concubina nati nullam rationem habendam esse. Sed rursus ad synodalem epistolam:

a Ib. ep. 48

b Ibid. l. 15. ep. 211.

c Ibid. ep. 210.

d Lib. 16. ep. 38.

e Lib. 15. ep. 220.

46 Mittitur etiam sanctitati vestræ consilium, quod delegatis vestris super facto comitis Tolosani tribuimus requisiti. Omnes igitur vnanimiter, & concordes hæc præmissa sanctitati vestræ intimamus, liberantes animas nostras, ne pro defectu significandi in negocio fidei de contingentibus aliquid omittatur. Demum verò pro animabus nostris, ac commissarum nobis ecclesiarum substantijs vestræ misericordiæ supplicantes exposcimus per viscera misericordiæ Dei nostri, vt liberationis & pacis, immo vitæ nostræ negotium, quod in parte maxima iam feliciter promouistis, cum manifesta iustitia, & potentia sit in promptu, feliciori fine dignemini consummare ponentes ad radicem arboris damnosæ securim, & eam, ne noceat vltra, perpetuò succidentes. Pro certo namque sciatis, quod si terra, quæ dictis tyrannis cum tanta iustitia, & multa Christianorum effusione sanguinis est ablata, ipsis aut eorum heredibus restituatur, præter scandalum fidelium, qui hoc negocium promouerunt, non solum fieret nouissimus error peior priore, sed excidium exinde clero & Ecclesiæ inæstimabile immineret. Adhæc quoniam enormitates, blasphemias, abominationes, & alia scelera prædictorum per singula præsenti pagina non credimus annotanda, ne librum texere videremur, quædam in ore nunciorum posuimus, quæ sanctis auribus vestris poterunt viua voce referre.] Hactenus synodalis epistola, eiusdemque argumenti literas f

f Reg. l. 16 ep. 45.

Burdegalensis, Vasatensis, & Petragoricensis episcopi Innocentio misere.

47 Scripsit a præterea ad Innocentium Papam Biterrensis archiepiscopus, ac supplicibus votis contendit, ne ab Aragonum Regis fraudibus se irretiri pateretur, qui insolenter iactabat Tolosano comiti eiusque conscijs hæreticis, rotarijs, sacrilegis, homicidis, omnique flagitiorum genere implicitis, possessiones ac bona ab Apostolica sede sua opera ac precibus restitutum iri; Tolosam vitiorum omnium tum temporis sentinam (quæ nunc magna religionis laude efflorescit) aliaque loca nonnulla, quò toties hæreticæ luis reliquiarum illuuies confluxerat, funditus euerteret: *Profectò namq;* subdit ex ardenti zelo fidei catholicæ, quo flagrabat, *si dicta ciuitas,* Tolosa scilicet, *quæ nidus hæreticorum existit, & extitit ab antiquo, ita quod, sicut legitur, ob causam similem fuit olim euersa funditus, & etiam exarata, remanserit pestilentibus memoratis, adhuc flamma egredietur de ipsa, quæ partes nostras & alias circumpositas peius solito profligabit.* hactenus ipse, pariterque de Tolosa excindenda alij Galliarum præsules b Innocentium interpellarunt.

a Ib. ep. 44 Tolosa hær. Albig. sedes.

b Reg. l. 16 ep. 45.

48 His acceptis literis auditisque præsulum Montfortijque oratoribus, qui immania Raymundi aliorumque procerum flagitia Pontifici exposuere, Innocentius, cum se delusum ab Aragonum Rege videret, ipsius oratorum petita repulit, iussaque antea Montfortio data, vt Gastoni, & Fuxensi, & Conuenarum comitibus ablata restitueret, vt surreptitia rescidit, quod non modo infanda comitum Fuxensis & Conuenarũ scelera suppressisset, verùm eos etiã vnà cum Gastone Bearnensi ac Tolosanis in sinum Ecclesiæ redire velle insinuasset, Pontifex datis ad Regem Aragonum literis c, propositis primùm ingentibus beneficijs, quibus a se decoratus esset, quorum causa tum potentia, tum fama auctus fuerat, a tuendis Tolosanis, quandiu hæresi imbuti essent, abstinere vetuit. Significauit se Fulconi Tolosano episcopo prouinciam demandasse, vt Tolosanos pœnitentes fidelium communioni restitueret, quos ipse obfirmatos in scelere reperisset, ciuitate ac bonis deturbarentur: iniquius se ferre in causa Gastonis Bearni & comitum Fuxensis & Conuenarum circumuentum; proinde imperia de restituendis illorum bonis rescindere, cum ob hæresim sceleraque anathemate defixi fuissent: si tamen conciliari Ecclesiæ cupiant, eam rem se legato Apostolico commisisse, ac se postea legatum de latere ad omnia componenda, iusque ijs proceribus dicendum missurum: imperare se vt inducias cum Montfortio ineat, religioseque obseruet; a quo tamen pro terris, quæ supremo iure regno Aragonensi obnoxiæ essent, sacramentum fidei acciperet, & si Tolosani & prædicti principes viri perstarent in scelere, se ad eos excindendos cruce indutas copias immissurum; atque adeo vetare, ne perfidis auxilium operamque explicaret: alioquin ipsum Dei, hominumque odia, ac iustas pœnas incursurum.

Inn. queritur apud Reg. Arag. se deceptũ

c Ep. 48.

49 *Habito cum fratribus nostris tractatu, atque consilio diligenti, volentes honori tuo quantum ad famam, saluti quantum ad animam, & indemnitati, quantum ad terram, paterna solicitudine præcauere, serenitati tuæ in virtute Spiritus sancti, sub obtentu diuinæ, ac apostolicæ gratiæ districtè prouidimus iniungendum, vt sine mora prænotatos deseras Tolosanos, & complices eorundem, non obstante promissione, vel obligatione quacunque præstita, vel recepta in elusionem ecclesiasticæ disciplinæ.* Postremis hisce verbis alludere videtur Innocentius ad iusiurandum a Raymundo Tolosano comite, eiusque filio, atque a Tolosanis consulibus, insuperque a Raymundo Fuxensi, ac Bernardo Conuenarum comitibus, denique a Gastone Bearnensi, & a Bigerronum comite, ineunte anno seorsim

Inn imperat Regi Arag. vt Tolos. destituat.

sim a singulis præstitum, publicisque monumentis consignatum, ac plura eius iurisiurandi exempla Raymundus a Terraconensis archiepiscopus ad Innocentium misit, quo terras suas iuraque omnia Petro Aragonum Regi se tradere conceptis verbis profitebantur. Verba verò eorum ad Petrum hæc sunt: *Per detentionem personarum nostrarum, & terræ nostræ possitis compellere, & vrgere nos ad omnia illa exequenda, & obseruanda, quæ dominus Papa & sacrosancta Romana Ecclesia de personis nostris, & rebus decreuerit statuenda.* Pergit Innocentius:

a Reg. Inn. l. 16. ep. 47

Inn. surrepta ab Arag. Reg. diplomata reuocat.

50 *Miramur insuper, & mouemur, quod tu pro terra nobilium virorum Conuenarum & Fuxen. comitum, & Gastonis de Bearno restituenda sibi Apostolicum per nuncios tuos, suppressa veritate, mendacium exprimentes, surripi fecisti mandatum, cum præter multa, & magna eorum flagitia ob hæreticorum fauorem, quos manifestè defendunt, excommunicationis vinculo sint innodati. Verum cum mandatum pro talibus sic obtentum non teneat, illud tanquam surreptum penitus reuocamus. Si verò ijdem Ecclesiæ vnitati reconciliari desiderant, prout dicunt, venerabili fratri nostro Narbonensi archiepiscopo Apostolicæ sedis legato, nostris damus literis in mandatis, vt recipiens ab ipsis non solum iuratoriam cautionem, cum iam sint sua iuramenta transgressi, sed & aliam quam viderit expedire, beneficium eis absolutionis impendat.* Et infra: *Interim ergo inter te, & terram tuam, & dictum comitem Montisfortis ac suam volumus, & mandamus firmas treguas fieri, & seruari, hæreticis prorsus exceptis, cum quibus cum nulla sit societas lucis ad tenebras, nec participatio Christi ad Belial, aut pars fidelis cum infideli, orthodoxæ fidei professores treguas habere non conuenit, siue pacem. Mandantes nihilominus comiti ante dicto, vt tibi pro terra, quam a te tenet, reuerenter exhibeat quod exhibere tenetur. Illud autem excellentiam tuam volumus non latere, quod si Tolosani, ac nobiles sæpedicti adhuc quoque in errore suo duxerint persistendum, nos per indulgentias innouatas crucesignatos, & fideles alios præcipimus excitari, vt ad exterpandam pestem huiusmodi, diuino freti auxilio insurgentes, tam contra ipsos, quàm quoslibet alios receptatores, aut defensores ipsorum, qui plus ipsis hæreticis sunt nociui, procedant in nomine Domini Sabaoth. Dat. Later. * Kal. iun. Pontificatus nostri anno sextodecimo.* Qua de re etiam, vt subditur, ad Montisfortis comitem, Narbonensem archiepiscopum, & Tolosanum episcopum scripsit. afferuntur etiam hæ Innocentij ad Petrum Regem literæ b a Vallisarnensi: verum corrigendus apud illum qui irrepsit, error, dum adscriptus est ijs annus Pontificatus XIX.

* XII.

b Pet. Vall. hist. Albig. c. 66.

51 At non modo paruit Aragonius Pontifici, verùm vt dolis instructus erat, Montfortio insidias conflare cœpit c: ineundi quippe prope Narbonam, colloquij prætextu, firmata muniataque præsidio Aragonensium Tolosa, non Aragonios modo, sed rotarios hæreticosq; ac suos adduxit, adeo vt Montfortius suæ saluti consulens, ab eo sese colloquio subduxerit. Nec multò post Catalanis in Montfortij terras excurrentibus, ac grassantibus, Montfortius per legatos pacem a Petro flagitauit, ac si ob hæreticorum occupatas terras sibi infestus foret, Pontificijs iussis in omnibus pariturum & discordiam æquitate cõpositum iri significauit. quas pacis oblatas leges respuente Aragonio, res in apertum bellum erupit; cum antea clam Aragonius comitis dignitati capitique insidias compararet. Sed antequam huius belli, quod prælio cruentissimo, in quo Petrus Rex occubuit, confectum est, historiam recenseamus, insinuandum videtur a Pontifice, Aragonum Regis consilij perditissimi inscio, datum fuisse IV. non. iul. diploma, quo promissam ab Vrbano II. Aragonum Regi Apostolicam clientelam nunquam defuturam pollicetur, adducitque eius Pontificis priuilegium a vbi Vrbanus hæc inter alia: *Te enim*, Petrum alterum alloquitur, *tanquam Regem B. Petro deuotissimum, & omne tuum regnum in tutelam sedis Apostolicæ speciali dilectione suscepimus. Constituimus ergo auctoritate apostolica sancientes, vt omnes tui successores regnum illud de manu nostra, nostrorumque successorum accipiant, eundem censum, quingentorum scilicet mancusorum rependant, & se B. Petri Reges ministros, & famulos recognoscant, &c. Dat. Placentiæ per Ioannem S.R.E. diaconum Cardinalem XVII. Kal. april. ind. III. anno dominicæ incarnationis 1095. Pontificatus domini Vrbani secundi Papæ octauo.*

c Eadem hist. Albig. c. 67.

Insidiæ Mõtfortio cõparatæ.

a Inn. l. 16. ep. 88. Aragonia sedis Ap. clientelæ commissa.

52 Dignissimus quidem erat Apostolico patrocinio Petrus Rex ob eximium antea erga sedem Apostolicam demonstratum studium, cui etiam regium diadema deuouerat, ob egregias virtutes, quæ in ipso emicabant, ob partas de Sarracenis victorias, ad quos in Castella profligandos anno superiori maxima bellica facinora explicuisset, nisi tot laudes suscepto hæreticorum patrocinio deformasset; adeo vt eius calamitas principibus, qui se hæreticorum fœderibus inquinant, exemplo esse possit. Aliam etiam maculam susceperat; Mariam enim Reginam a se repulerat, atque, vt scribit Surita b, in concubinarum, quas illi hæretici submittebant, amores se effuderat: agitataque tum in Gallijs tum Romæ matrimonij, quod Petrus irritum contendebat, controuersia, lata est hoc ipso anno sententia pro Regina. Extant ea de re ad ipsam c, atque etiam ad Petrum d pontificiæ literæ; quem Innocentius vxorem grauissimis incussis minis recipere iussit: sed apostolica imperia nil valuere: Regina enim a Pessulanis malè habita apud Innocentium questa fuerat, qui Narbonensi archiepiscopo alijsque præsulibus ferendi illi auxilij prouinciam tradidit. e

b Surit. l. 2. c. 63. Iussus Rex Arag. vxorem recipere.

c Inn. l. 15 ep. 219.

d Post eãd. ep.

e Inn. l. 16 ep. 29.

53 Vtinam Petrus monentem consulentemque Innocentium audisset: cum enim in speciem se Pontifici pariturum iactaret, grauiorem belli molem in Montfortium comparabat, ac ferocius quà vi, quà dolo grassabatur. Potentissimo demum succinctus exercitu Vasconiam irrupit, vt eas regiones crucesignatorum armis partas hæreticis redderet, suæque subijceret ditioni. Latè iam ille sui terrorem circumtulerat, ac plura loca ad deditionem partim metu adduxerat, partim in suas partes pellexerat, cum Murellum tribus leucis Tolosa dissitum fossis, murisque debile, sed præsidio forti munitum feria tertia post natalem Virginis diem, vt ait Parisius f, obsidione cinxit. At Montfortius accepto nuncio Murellum periclitari, ni maturè procurreret, impigrè exiguas, quas habebat, copias corripit: cui iam profecturo g, percussa metu vxor ait tristibus præsagijs horrere animum, quòd dormienti ex vtroque brachio sanguis magna vi emanare effundique visus esset. Cui comes: *Certè etsi somniassem hac nocte me interficiendum esse in bello, ad quod propero, securius & liberius irem, vt stultitiæ Hispanorum, & hominum terræ huius, qui somnia curant, & auguria, plenius contrairem.* Cumque Sauerdunum peruenisset, ingressus templum ingenti pietate delibutus, zeloque ardens, gladium, quo præcinctus erat, altari imposuit, susùsque in preces ait: *O bone domine! o Iesu benigne, tu me licet indignum ad tua prælia elegisti, desuper altare tuum hodie arma accipio, vt præliaturus prælia tua a te accipiam iustitiam præliandi.*

Petrus Rex Mõfortio bellum mouet.

f Par. hist. Angl. Murellum obsidet.

g Ib. ep. 91. Spernẽda somnia.

Eo prouolat Mõfortius. Arma ex altari sumit.

54 Moturus Sauerduno cum insigni vitæ discrimini se commissurus esset, vitæ maculas confessionis sacramento expiat, testamenti tabulas scribit, abbatique Bolbonæ commendat, vt si in bello caderet, summo Pontifici confirmandas deferret; mox acie triplici composita, instructaque, Murellum tendit. In medio itinere id nouum contigit, quod auctor

Condit testamentũ.

mira-

miraculo adſcribit. Timebatur ne certo iniquiore loco Altam ripam inter ac Murellum hoſtes occurrerent, copioſo tum præſertim imbre effuſo: verùm cum Montfortius ſacrum templum ingreſſus, preces numini porrigeret, diſcuſſis nubibus cælum clementius ac ſerenum enituit, atque ex periculo diuina virtute euaſit.

Precibus obtinet ſe dari imbrem.

55 In eo rerum diſcrimine Narbonenſis archiepiſcopus S. A. L. magnam præſulum multitudinem congregari iuſſerat, vt bellum ſopiret: cumq; Regem Aragonum ſolicitaſſet, vt in colloquium cum præſulibus deſcenderet, deriſit Rex antiſtitum preces, adiecta in auxiliares Montfortij copias verborum contumelia: ſtultra ipſos ob quatuor gregarios milites, quos ſecum adduxerant, colloquium cum regia maieſtate depoſcere: Toloſani verò reſpondere, ſine Aragonum Rege cum ijs agere ſibi integrum non eſſe. Feroci hoc reſponſo non deterriti præſules inſigni demiſſionis Chriſtianæ exemplo illius animum emollire ſunt aggreſſi. Communi enim conſenſu nudis pedibus illum adire decreuerunt, vt ab hæreticorum tuenda cauſa impugnandaque Eccleſia precibus auocarent, præmiſereque viros religioſos, qui epiſcopos hac de cauſa aduentare ſignificarent, quamquam pia eorum induſtria deluſa eſt.

Legati Ap ſtudiū pro pace adducenda.

Superbū illi datum a Rege Arag. reſponſum.

56 Captata interim occaſione hoſtes in obſeſſam arcem irrumpere pertentarunt. Conclamatum itaque eſt ad arma, atque audaciſſimi quique cæſi. Cumque fruſtra præſulum preces conſumptæ eſſent, ad decernendum prælio cum Rege Montfortius ſe comparauit: in quo ſi inuadendi hoſtis audaciam mirentur alij, cum octingentos equites cum centum millibus conferre meditaretur, prædicent alij bellicam virtutem, qua cæſis viginti circiter millibus octo [a] tantum e ſuis amiſit, plus ego longè pietatem ardentemque ad fundendum pro Chriſto ſanguinem animum ſuſpicio, de quo hæc Vallisſarnenſis: *Cum intraret comes munitionem caſtri, vt ſe armaret, & tranſiret ante baſilicam ſuam, ſubito introſpexit, & vidit Vticenſem epiſcopum celebrantem miſſam, & dicentem: Dominus vobiſcum poſt euangelium, ad offerendum ſtatim cucurrit comes Chriſtianiſſimus, & flexis in terram genibus, & iunctis manibus ante epiſcopum dixit ei: Deo & vobis offero animam meam & corpus meum. O deuotio principis! poſt hæc intrauit munitionem armis ſe muniuit, rediuſque ad epiſcopum in prænotata baſilica denuo obtulit ſe ei & arma ſua.* His robur & præſidium diuinum promeruit, vt quamuis paucis ſuccinctus copijs, numeroſiſſimos Regis Aragonij comitumque Toloſani, Fuxenſis, Conuenarum aliorumque procerum exercitus proſtrauerit, vtque tanto miraculo maior concilietur fides, Vallisſarnenſis, qui his interfuit, verba adducamus.

[a] Iordan. M.S bibl. vat. ſignat. n. 1960.

Mōtfortij commendantis ſe Deo pietas.

Inuictus illius animus.

57 *Conſuluit comiti miles quidam, vt numerari faceret milites ſuos, & ſciret quot eſſent. Cui comes nobilis: Non eſt, inquit, opus, ſatis ſumus ad ſuperandum per Dei auxilium hoſtes noſtros. omnes autem noſtri inter milites & ſeruientes in equis non erant plusquam octingenti, cum hoſtes centum millia eſſe crederentur, pauciſſimos autem & quaſi nullos pedites noſtri habebant. Inſuper & comes nobilis inhibuerat, ne quis pedes egrederetur ad pugnam. Dum igitur comes & milites noſtri mutuo loquerentur, & de bello tractarent, ecce archiepiſcopus Toloſanus aduenit habens mitram in capite, in manibus verò viuificæ lignum crucis. mox noſtri cœperunt deſcendere de equis & ſinguli crucem adorare: epiſcopus autem Conuenarum vir miræ ſanctitatis videns, quòd in iſta adoratione crucis nimia fieret mora, arripiens de manu Toloſani epiſcopi lignum crucis aſcendens in locum eminentiorem, ſignauit eos, dicens: Ite in nomine Ieſu Chriſti, & ego vobis teſtis ſum, & in die iudicij fideiuſſor exiſto, quia quicunque in iſto glorioſo occubuerit bello, abſque vlla purgatorij pœna æterna præmia & martyrum gloriam conſequetur, dummodo confeſſus ſit & contritus, vel ſaltem firmum habeat propoſitum, quod ſtatim peracto bello ſuper peccatis, de quibus nondum fecit confeſſionem, oſtendet ſe ſacerdoti. Qua promiſſione ad inſtantiam noſtrorum militum repetita ſæpius & multoties ab epiſcopis confirmata, ſtatim noſtri per cordis contritionem & oris confeſſionem mundati a peccatis, donantes ſibimetipſis, ſi quis aduerſus aliquem querelam haberet, egrediuntur de caſtro, & tribus aciebus diſpoſitis, in nomine Trinitatis contra hoſtes intrepidi procedebant; epiſcopi autem & clerici intrauerunt eccleſiam deprecaturi Dominum pro ſeruis ſuis, qui ſe pro eius nomine morti exponebant imminenti. ſic orantes & clamantes in cælum, quòd vlulantes dici potius deberent, quam orantes.*

Octingēti inuadere parati cētum millia hoſtiū.

Illorum, prius ſeruor in cruce adoranda.

Indulgentię ijs datę.

Expiant conſcientiam.

Præſulum ardentes preces.

58 *Ibant igitur milites Chriſti gaudentes ad locum certaminis,* [*] *pro eius nomine non ſolum contumeliam, ſed & mortem pati. qui egreſſi de caſtro in campi planitie iuxta caſtrum viderunt hoſtes paratos ad pugnam quaſi totum mundum.* Verùm Pariſius Regem Aragonum adeo ſibi præfiſum ait, vt tunc menſæ accumberet, cum erupit Montfortius, cuius facetum hoc dictum affert: *Per exploratores nouerat comes Simon, quòd Rex Aragonum ſe parauit (tam ſecurus fuit) vt ad menſam ſederet pranſurus; vnde comes iocosè dixit ſuper hoc certificatus cum exiret: Certè ſeruiam ei de primo ferculo. Vide primum ipſe Rex Aragonum gladio transfoſſus, antequam tres buccellas panis deglutiret interemptus occubuit.* cuius rei hiſtoriam ex Vallisſarnenſi proſequamur: *Statim prima acies noſtra audacter in hoſtis inſiluit, & in ipſos medios ſe immiſit: mox ſecunda ſubſequitur, hoſtes penetrat ſicut prima, in quo congreſſu Rex Aragonenſis occubuit & multi Aragonenſes cum eo; ipſe enim vtpote ſuperbiſſimus in ſecunda acie ſe poſuerat, cum Reges ſemper eſſe ſoleant in extrema: inſuper arma ſua mutauerat, armiſque ſe induerat alienis.*

[*] parati

Hoſtium prima acies cæſa.

Par. hiſt. Angl.

Facetum comitis dictum.

Rex Arag in ſecūda acie occūbit.

Pergit de Montfortio dicere, vt in ſiniſtrum hoſtilis exercitus cornu irruperit, quanta ſubierit diſcrimina, quamque egregia facinora in penetrandis elidendiſque hoſtibus explicuerit, ac tum maximè, cum ab hoſte in capite percuſſus pugnum ita valide illius mento illiſit, vt equo deiecerit: quo viſo infinita hoſtium multitudo perculſa in fugam ſeſe effudit: *Quod videntes noſtri, illi videlicet qui fuerant in prima acie, & in ſecunda, inſtantiſſimè inſecuti ſunt fugientes, & grauiſſimè perſecuti, extremos eorum cædentes ex ipſis multa millia occiderunt. Comes verò noſter, & illi qui cum eo erant, lento curſu poſt noſtros qui eos inſequuntur, de induſtria ſequebantur, vt ſi fortè hoſtes conglobarent ſe, & reſumerent animos reſiſtendi, noſtri qui fugientes diuiſi alter ab altero conſequebantur, ad comitem poſſent habere recurſum. Nec ſilendum quod comes noſter nobiliſſimus non eſt dignatus in bello aliquem percutere, ex quo fugientes vidit & vertere ſibi tergum.*

Periclitatur Montfortius.

Hoſtes fugat.

Parcit fugientibus.

59 Subiungit auctor Toloſanum epiſcopum viſa hoſtium ſtrage in Toloſanos, qui caſtro impugnando inſtabant, pietate permotum virum religioſum ad eos tranſmiſiſſe, vt ad faciendam deditionem hortaretur, atque in ſecuritatis teſſeram cucullum ſuum (erat namque monachus) traderet. At illos reſpreta nuncium vulneraſſe, ac mox fuſos deletoſque poſtea Montfortium, parta victoria, ad Aragonij Regis intuendum corpus, quod iam gregarij milites ſpoliarant, illud adduci iuſſiſſe, magnoque dolore e triſti ſpectaculo affectum: *Piiſſimus autem comes videns Regem iacentem proſtratum, deſcendit de equo, alterum David ſuper Saul alterum repræſentans. his omnibus ritè peractis et de hoſtibus fidei tam ſubmerſione, quàm gladio circiter viginti millibus interfectis, Chriſtianiſſimus comes intelligens tantū miraculum Dei virtute, nō humanis viribus factum eſſe, ab illo loco, vbi deſcenderat, nudus pedes ad eccleſiam perrexit omnipotenti Deo pro collata victoria gratias repenſurus: equum etiam ſuum & arma*

Viginti millia hoſt. perire.

Monf. dat equum & arma pauperibus.

dedit

dedit pauperibus in eleemosynam. Discant ex insigni adeo victoria principes, virtutem bellicam pietatis studio non eneruari, sed confirmari; de Montfortio enim hæc tradit Rigordus [a]: *Iste Simon propter virtutem admirabilem in partibus illis comes fortis vocabatur, qui cum esset in bellis strenuissimus, omni tamen die missam & horas canonicas omnes audiebat, semper sub armis, semper in periculo, spreta pro Dei seruitio patria.* Ad maiorem dictis fidem auctoritatemque conciliandam, præsulum de ea victoria gratulatorias ad omnes catholicos, ac triumphales scriptas literas ex Vallisarnensi delibare visum est.

Pietas victori bellicæ non contraria.

a Rig. in gest. Phil.

Præsulum lit. de reportata victoria.

60 *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus, qui sanctam Ecclesiam bona diligunt voluntate. Deus fortis & potens, Deus potens in prælio. Quinta feria infra octauas natiuitatis B. Mariæ Virginis, sancta concessit Ecclesia, deuictis miraculosè inimicis fidei Christianæ, victoriam gloriosam, & triumphum gloriosum in hunc modum. Post correptionem affectuosissimam, zelo paternæ pietatis a summo Pontifice diligentissime Regi factam Aragonensi, inhibitionemque astrictissimam, ne inimicis fidei præstaret auxilium, consilium, vel fauorem, sed ab eisdem recederet indilatè, & treguas haberet firmissimas cum comite Montisfortis: quibusdam etiam literis, quas einsdem Regis nuncius per falsissimam suggestionem contra comitem Montisfortis impetrarat de terris reddendis comitibus Fuxensi, Conuenarum & Gastoni de Bearno, post veritatis cognitionem, cassatis a domino Papa, & tanquam nullius valoris penitus reuocatis: idem Rex correctionem patris sanctissimi non deuotione recepit filiali, sed transiit contra mandatum Apostolicum superbe recalcitrans, quasi cor habens durius induratum, licet venerabiles patres Narbonensis archiepiscopus Apostolica sedis legatus, & Tolosanus episcopus sibi literas & mandatum summi Pontificis transmisissent, mala quæ pridem conceperat, voluit postmodum parturire: quia in terram, quæ per virtutem Dei auxilio signatorum contra hæreticos & eorum defensores fuerat acquisita, intrauit cum exercitu, eamque contra mandatum Apostolicum subiugare, ac prædictis inimicis reddere attentauit, parte eius tum sibi aliquantulum subiugata: cum pars multa residui, ob ipsius securitatem apostatare intenderet, & se ad apostatandum iam pararet, congregatis insimul comitibus Tolosæ, Fuxi & Conuenarum & Tolosanorum exercitu magno valde, feria tertia post natiuitatem B. Mariæ Murelli castrum obsedit.* Et pluribus interiectis verbis:

61 *Christi milites reuerendi, ligni dominici signaculo cum insignijs pontificalibus consignati, in nomine sanctæ Trinitatis tribus aciebus dispositis exierunt. Hostes verò e contrario multas habentes acies, & magnas, suis iam muniti armis tentoria sunt egressi. Quos licet multos milites & populum multum nimis clientes Christi de ipsius auxilio confidentes, & licet illorum respectu paucissimi magnam multitudinem non verentes armati ex alto viriliter sunt aggressi. Statim virtus altissimi per manus seruorum suorum hostes suos confregit, & comminuit in momento: terga enim vertentes in fugam facti sunt, tanquam puluis ante faciem venti, & angelus Domini persequens eos erat: hi turpiter fugientes, hi turpi fuga mortis periculum euaserunt, alij vitantes gladios aqua periculo perierunt: quam plures verò fuerunt in ore gladij deuorati. De illustri Rege Arragonensi, qui cum interfectis occubuit, plurimum est dolendum, quia princeps tam potens, & nobilis, qui si vellet, posset & deberet Ecclesiæ sanctæ vtilis multum esse, nunc Christi adiunctus hostibus, Christi amicos, & sanctam Ecclesiam improbè perturbabat.* Et infra: *Præscripta omnia, sicut quæ vidimus & audiuimus, esse verissima, in verbo Dei perhibemus, consignantes ea nostrorum munimine sigillorum, vtpote reseruari digna in memoriam sempiternam. Datum Murelli, in crastino victoriæ gloriosæ, scilicet sexta feria, intra octauas natiuitatis B. Mariæ anno Domini 1213.*

62 Suspiciat hic lector insigne diuinæ prouidentiæ miraculum, quæ suos tuetur atque in eos asperius animaduertit, qui cum antea ipsius obsequio essent addictissimi, insigni postea perfidia desciuerunt. Petrus enim Rex qui cum paucis copijs sæpius crucis hostes etiam anno præterito cum Castellæ & Nauarræ Regibus ad ducenta prope millia trucidarat, nunc cum potentissimo exercitu, dum impijs sese adiungit, primo crucesignatorum paucorum impetu obtritus est. cuius corpus diu insepultum iacuit, cum anathemate contracto obijsset, vt eius soror Constantia Augusta (fuerat illa mortuo primo viro Rege Vngariæ, Friderico tum Regi Siciliæ anno Christi MCCIX. matrimonio iuncta) queritur: *Constantia Dei gratia Imperatrix semper Augusta, & Regina Siciliæ, Vrgellensi episcopo deuoto suo salutem, & dilectionem.* Super [a] fratris nostri Regis Aragonum, qui tantus erat, casum miserabilem, & causam tristitiæ multiformem eo magis angimur, & mouemur, quò cum toto tempore vitæ suę miles Ecclesiæ fuerit & pro fide bellator extiterit, limen, & terminus in quo stabat furor ille, ac impetus immanium barbarorum, cum Apostolicæ sanctitatis fuerit filius specialis, peccatis exigentibus, in vltimis suis inuentus est alius, vt eius videatur demeruisse clementiam, multis suis laboribus in longo studio iam quæsitam. Narrare vobis non expedit singula, quæ nouistis, & qui nostrorum vulnerum estis participes, & dolorum, ea affectione purissima, qua Regem ipsum, & regnum, ac nos, & domum regiam dilexistis. Nos quidem propter locorum distantiam diu ignorauimus casus illos, qui propter regni nostri causas vrgentissimas celabantur, vbi tandem nobis super ijs indignantibus detecti, statim misimus ad dominum Papam per F. de Gaieta regium familiarem, deuotum, ac fidelem nostrum, preces humiles, & deuotas; responsum, & euentum negocij ignorauimus. Quoniam igitur ad concilium audiuimus vos esse venturos, credentes in causa ista, quæ iusta est, quæ pia est, quæ vestra est, vestro patrocinio releuari, rogamus attentius, & monemus, quatenus super ijs, quæ necessaria sunt, consilium, & auxilium impendatis. Super dolorem siquidem dolor adijcitur, quod eiusdem fratris nostri corpus dicitur insepultum, vt ex eo nobis quotidie moriatur. Erit de studio vestro, vt saltem modico fit dignus tumulo tot prouinciarum dominus, & capax animus tot virtutum. Erit nihilominus de solicitudine vestra apud dominum Papam interuenire suppliciter super statu pupilli regis filij ei salubriter ordinando.] Fuisse verò demum Regis Petri corpus sepulturæ mandatum ab hospitalarijs equitibus, quos magnis opibus affecerat, scribit Surita [b].

Diuina iustitia in Petro cæso emicat.

a Extat hæc ep. in cod. basil. S. Petri. Constantiæ Aug. ad episc. Vrgell. flebiles lit.

Petri Reg. corpus insepultum diu manet.

b Sur. l. 2. c. 63.

63 Vt luctu ea funesta mors oppressit Petri coniunctissimos, eiusque fœderatos, ita diffudit aliorum animos incredibili voluptate: excitati etiã plures ad capessenda in Albigenses arma, vt ea pestis radicitus euelleretur, ipseque legatus [c] Apostolicus Robertus e Corceone Cardinalis, qui ad cogendos in Terræ sanctæ subsidium crucesignatos operam nauabat, contra Albigenses studium conuertit, ac nonnullos concionatores, populos ad eam expeditionem incendere iussit, ipseque signo crucis suscepto in hæreticos sese generosè accinxit. At hæretici tum ob cladem acceptam angi vehementius, atque ad imminẽtes nouas crucesignatorum copias trepidare; Præ cæteris verò tantæ [d] victoriæ nuncio inhorruerant metu Tolosani, oblatisque obsidibus iugum se ac leges accepturos in speciem tulere: vtque insita hæresi perfidia est, paulo post recusarunt. At comes Montfortius in comitis Fuxensis terras irruptione facta obuia populatur, Fuxi suburbium flammis delet

c Vallisar. hist. Albig. c. 75. Robert. Corceon. A.S.L. concionatur in Albigẽ.

d Pet. Val. hist. Albig. c. 74. 75. Montfortij facinora alia.

ac

ac mox in Prouinciam excurrens, Ademarum, Valentiæ comitem, aliosque nobiles, partim compescuit & fregit, partim metu armorum ad suas partes adduxit.

Plures ab eo desciscunt.

64 Defecere interea a Montfortio nonnullæ vrbes, inter quas mons Pessulanus & Narbona, quæ, Aymerico illius domino annuente, Aragonios excepit. Desciuit etiam in Caturcensi prouincia Olima, quæ insigni proditione Iudæque æmula, euocatis ruptarijs (erant ij publici latrones omnibus sceleribus inquinatissimi) Balduinum comitis Tolosani fratrem, sed adeo insignem virtutibus fideique vindicē, quam ille hæresi perfidiaque infamis erat, securè noctu dormientem, vt qui inter suos versaretur, cum eius loci dominus esset, hostium manibus crudelissimis tradidit. Triumphantes ergo sicarij Balduinum ad montem Eucæ fortissimam arcem, cui Francorum præsidium imposuerat, duxere, atque imperarunt, vt arcem sibi dedi iuberet: at ille egregia indutus constantia præsidiarijs id facere vetuit, etiamsi ob id suspendio suffigi intuerentur, sed strenue sese defenderent. Quo audito ruptarij ad frangendam illius constantiam duobus diebus ei omnem cibum potumq; subduxere, cumque per confessionem expiata conscientia dominicum corpus postulasset, id permittere noluere. at Balduinus, vt refert Petrus Vallisarnensis a: *Ex quo*, inquit, *mihi diuinis sacramentis communicare non permittitur, ostendatur mihi saltem Eucharistia, videlicet salus mea, vt in vita ista videam Saluatorem meum; qua a capellano leuata & ostensa, comes eam deuotissimè adorauit.*

Balduinus comes Raymundi fratri dissimilis.

Capitur proditione.

Eius constantia.

a Ep. 75. hist. Albig.

Pietas ac fides.

65 Traductus dein montem Albanum fratris comitis Tolosani & comitis Fuxi aliorumque manibus expositus est, qui in furorem versi suæ immemores dignitatis ex comitibus in carnifices transfusi crudelissima morte, quam narrat auctor, Christi pugilem affecere: *Mox comes Fuxi & filius eius a patris malitia non degenerans & Bernardus de Portellis ligauerunt funem in collo viri nobilissimi ipsum de voluntate imo de præcepto comitis Tolosani suspensuri, quod videns vir Christianissimus instanter ac humiliter quæsiuit confessionem & viaticum, sed canes crudelissimi vtrumque ei penitus denegarunt, quibus miles Christi: Ex quo (inquit) non licet me ostendere sacerdoti, testis est mihi Deus quod prompta voluntate semper & arденти Christianitatem & dominum meum comitem Montfortium* * *& pro hac & in hac defensione volo mori. vix verba compleuerat, ecce tres prænotati traditores eleuantes eum a terra ad nucis arborem suspenderunt.* Quis non horreat tantam crudelitatem comitem Tolosanum Caini instar in fratre exercuisse? sed is hæretico spiritu agebatur, qua etiam vesania perciti dæmonumque furore afflati hæretici, modò occiso e crucesignatis aliquo omnes in illius sanguine gladios suos tingebant; modò cadauera transfigebant vulneribus, modò è sepulchis eruebāt, vt canibus lanianda exponerent, vel per plateas raptarent; modò fœminas ac viros oculis membrisque mutilabant, sæpe deditis arcibus violata fide suspendio enecabant. Sed a funesta adeo ac tetra barbarie stylum reuocemus.

Iussu fratris crudelissimè occiditur.

* colui,

Immanitas hæreticorum.

66 Non iniucundū fuerit Albigensium res absoluere adducto ex eodem Vallisarnēsi, ac descripto ritu b facto, quo Montfortius Almaricum filiū baltheo militari ad illum equitum Christi numero adscribēdum donari ab episcopo Aurelianēsi studuerit: *Ipsa die natiuitatis S. Ioannis venerabilis Aurelianensis episcopus induit se pontificalibus indumentis, celebraturus in papilione quodam missæ solemnitatem. Conuenerunt autem tam clerici, quam milites ad audiendam missam. Astante igitur episcopo ante altare & missam celebrante, apprehendens comes Almaricum primogenitum suum per dexteram, & comitissa per sinistram accesserunt ad altare, & obtulerunt illum Domino, rogantes episcopum, vt faceret eum militem ad seruitium Iesu Christi. Quid plura? statim Aurelianensis & Antissiodorensis episcopi flexis genibus ante altare cinxerunt puerum cingulo militari, incipientes cum deuotione maxima: Veni creator Spiritus.* Ac ne frustra Almaricus pro Christo arma capessiuisse videretur, irruptione in Vasconiam cum patre facta, pluribus locis ad deditionem compulsis vel deletis paternæ virtutis æmulum se probauit. Hactenus de Albigensium rebus: iam cætera ad Gallias spectantia prosequamur.

b Id. c. 70.

Almaricus creatur eques.

Sacer seruatus ritus.

Prima armorum facinora exercita in hæreticos.

67 Innocentius hoc anno dato ad Atrebatensem, Morinensem a, & Tornacensem episcopos Apostolico diplomate b decreuit, eos qui nec tonsura, nec habitu, nec probis moribus se clericos ostenderent, si semel, iterumque, ac tertiò admoniti non resipiscerent, fidelium communione arcerentur. Ad Narbonensem archiepiscopum c Apostolicæ sedis legatum scripsit, milites Christianos, fusis hæreticis, ad propulsandos Sarracenos, qui in nostros expeditionem parabant, oratione sua hortaretur atque impelleret. Rhemensi archiepiscopo d eiusque suffraganeis mandat, nefaria horrendaque iuramenta in Francorum regno concipi solita e medio tolli studerēt, eorumque consuetudinem & vsum penitus aboleri. Pictauiensis episcopi, qui in diœcesi sua Papam se esse iactabat, & S. Radegundis priorem Apostolicæ sedis legatum contemnebat, grauissimèque exagitabat, insolentiam coercet e.

a Lib. 16 ep. 29.

b Lib. 15. ep. 200.

c Ib. ep. 213

Prædicata crux in Sarracenos.

d Lib. 16. ep. 3.

e Ib. ep. 25

68 Neque silentio dissimulanda est epistola ab eo Senonensi archiepiscopo missa, quæ cum de sacrosanctæ Eucharistiæ sacramento rem mirificè & diuinitus gestam referat, opportunè videtur adducenda.

Archiepiscopo Senonensi.

Operante f illo, qui semper suam fœcundat Ecclesiam noua prole, dilectum filium N., latorem præsentium, qui ad nos de partibus tuis Iudæus accesserat, ad te remittimus Christianum: cuius conuersionis modum, & ordinem, quia delectat Dei magnalia enarrare, præsenti paginæ, secundum quod accepimus ab eodem, duximus inserendum. Nuper igitur in domo patris eiusdem habitabat quædam mulier Christiana, quæ a catholica fide adeo facta fuit, Iudæis seducentibus, aliena, vt constanter assereret, erroris Iudaici tenebris obuoluta, quod Christus sibi nec prodesse poterat, nec obesse, ac tantum valere panem de cuiuslibet mensa sumptum, quantum Christianorum hostiam, quæ sumitur in altari. Hæc pœnam incurrere metuens, si fidem Christi publicè abnegaret, in festo resurrectionis Dominicæ tunc instantis, ad ecclesiam cum Christianis accessit, & acceptam Eucharistiam, ac reseruatam in ore, in manu patris prædicti N., qui tunc Isaac vocabatur, proijciens, in hæc verba prorupit: Ecce saluator meus, vt asserunt Christiani; qui cum in quadam pixide vacua, quam habebat in arca, reponere vellet illam, idem quodā ad ostium suum vocante, formidans, ne inueniretur casu fortuito apud ipsum, in alia pixide in qua erant septem libræ Parisien. ipsa nescienter, præ festinatione reposita, pulsanti ostium reserauit. Et cum expeditus ab eo redijsset ad arcam, & in pixide vacua, in qua se dictam hostiam posuisse credebat, non inueniret eandem, inspecta reliqua, in qua pecuniam posuerat antedictam, eam non vtique denarijs, sed hostijs plenam vidit.

f Ep. 85.

Apostatæ famulæ facinus.

Nummi præsente Eucharistia diuinitus mutati.

69 Amicos igitur stupefactus, & trepidus conuocauit, & eis reuelans per ordinem supradicta, cœpit in eorum præsentia hostias vertere cum festuca, vt illam, quam viderat aliquantulum humefactam, cum tradita sibi fuit, ab alijs segregaret, sperans denarios ad naturam redire propriam hac amota. Quo eam discernere ab alijs non valente, circumstantes magnitudinem diuini miraculi aduertentes, delibera-

Iudæi viso miraculo conuersi.

uerunt ad fidem accedere Christianam; sed alijs cum Abrahæ pueris expectantibus, idem N.. nobili viro... regio marescallo vxorem suam, filiosque commendans, & rogans eumdem, vt eos omnes faceret baptizari, ad nostram duxit præsentiam accedendum: quem post multas collationes, super lege, ac prophetis habitas cum eodem, venerabilis frater noster Tusculanus episcopus diligenter instructum in fide catholica baptizauit. Cum igitur huius noua plantatio, non solum rore doctrinæ riganda sit, sed etiam temporalibus beneficijs nutrienda, vt ei Dominus tribuat incrementum, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus ei, ac familiæ suæ ad fidem Christianam conuersæ taliter facias in vitæ necessarijs prouideri, quod pro defectu temporalium retro aspicere non cogantur, vel propter hoc ad fidem Apostolicam denuo laborare; inquisiturus super præmisso miraculo plenius veritatem, & eam nobis fideliter rescripturus, &c. *Dat. Later. VI. id. iunij.*]

Commēdatus ab Innoc. Senonensi archiep.

70 Suspexit hoc anno Gallia, eximia despiciendarum humanarum rerum exempla, in Syluanectensi & Meldensi episcopis, qui spretis opibus atque honoribus, quibus affluebant, religiosæ vitæ se addixerunt, quorum primum Gaufridum gesto annis triginta episcopatu, cum se imparem muneri obeundo ob ætatis incommoda censeret, Cisterciensibus aggregatum esse ait Rigordus a; alterum verò eiusdem nominis ob singulare in macerādo ieiunijs corpore, ac rebus cælestibus contemplandis studium his verbis commendat: *Gaufridus vir sanctissimus Meldensis episcopus, episcopatus similiter renuntians, in monasterio sancti Victoris Parisijs diuinæ contemplationi se arctius mancipauit, qui inter alia sanctitatis opera, quibus viriliter insistebat, abstinentiam admirabilem & cunctis inauditam seculis obseruabat: omni anno in quadragesima, & in aduentu Domini ter tantum in septimana cibum, potum vero nunquam sumere consueuit: in alijs verò temporibus comedebat & bibebat, sed rarò, & talia, quæ sua amaritudine & insipiditate vix aliquis hominum dignaretur gustare.*

Insigne duorum præsulum virtutis exemplum

a Rig. de gest. Phil. Aug. Franc. Reg. ann. 1213.

Admirāda Gaufridi episc. Meld. abstinentia.

71 Illustrata quoque hoc anno Galliæ felici ad Deum transitu Stephani sanctissimi episcopi Diensis, in vita ac post obitum miraculis clarissimi, cuius supra meminimus b. Illum verò dum morbo implicitus esset, alienos morbos curasse magno pietatis exēplo, vt beneficium quod sibi negabat, alijs conferret, tradit vitæ auctor, e quo hæc digna memoria delibamus: *Imminente autem vitæ huius termino, quo Dominus eum a labore ad requiem perducturus erat, in morbum incidit, & extrema gaudij Diensis ecclesiæ luctus interpauit. Videres tum ecclesiæ suæ filios cursitantes cum multis & religiosis & popularibus, humanitatis studio et sua officia exhibentes, sui quisque profectus gratiam promereri cupientes circa frequens ministerium solicitos, pharmaca comparantes & fomenta: sed serui Dei nihil horum curæ erat, quippe qui sciret adesse migrationis tempus. Vrgentibus autem ecclesiæ suæ filijs, vt testamentum faceret: Non est, inquit, necesse, cum omnia sint sponsæ meæ, quam gubernandam suscepi. Benedictionem & consilium petentibus non negabat: de mutua charitate & concordia omnes pariter admonebat. Porrò quædam ægrota mulier, quæ nulla medicorum arte poterat curari, vt audiuit virum Dei decumbere, pro recuperanda salute eius benedictionem summoperè expetijt; tandem ad illum intromissa benedicitur, & sana recedit. Ita ille vir sanctus, cuius memoria in benedictione est, dum corporis aduersa valetudine contabesceret, alijs sanitatem impetrat. Videns autem adesse supremum vitæ diem confitetur peccata sua, petit ecclesiastica sibi porrigi sacramenta, cunctisque rite atque ordine confectis, inter verba orationis migrat ad Dominum septembris die septimo, anno salutis millesimo ducentesimo tertiodecimo, ætatis suæ quinquagesimo octauo, episcopatus sexto. Conditus est in ecclesia beatissimæ Mariæ sponsæ suæ, quemadmodum ipse iusserat.*

S. Stephani episc. Diensis mors.

b Apud Sur. to. 5. die 7. sept. c. 14. 15.

Episcoporum decedentium bona ad Ecclesias pertinere ait.

Moriturus alienos morbos curat.

Sacramētis se munit.

72 Eodem etiam anno Christi virgo Maria Oigniacensis migrauit ad sponsum, vt testatur Iacobus Vitriacensis, S. R. E. Cardinalis, qui familiaritate ipsi coniunctissimus fuit, morientique præsens adfuit, atque a Fulcone Tolosano archiepiscopo rogatus, qui in Belgium ad contrahenda in Albigenses crucesignatorum a auxilia venerat, admiranda illius virginis gesta conscripsit b: *Anno autem*, inquit, *incarnati Verbi millesimo ducentesimo tertiodecimo, nono kal. iulij, pridie natiuitatis S. Ioannis Baptistæ die Dominico sub horam nonam, pretiosa Christi margarita, Maria Oegniacensis siue de Oegnies annum circiter trigesimum sextum ætatis suæ, ad Regis sempiterni palatium introducta est.* Ex quibus corrigendus videtur apud Molanum c error, vbi eam anno millesimo ducentesimo tertio diem obijsse legitur, denarius enim numerus per typographi incuriam, vt par est credere, irrepsit. Vt verò prænuntiarit obitum, idem Cardinalis prodit d: *Eo anno quo migrauit ad Dominum, cum ex officio mihi a Pontificis maximi legato demandato, ad prædicandum, & crucesignandos, quibus Dominus eam mentem adspiraret, contra hæreticos me compararem, illa ex me sciscitabatur, quando redire decreuissem; me autem respondente, longas me moras facturum, illa dixit, licet prorsus nulla tum laboraret aduersa valetudine: Testamento ego tibi relinquo quædam, quæ post obitum meum tua erunt. Iam enim obitum suum, vt diximus, longè ante præuiderat: dicebatque mihi corporis sui dissolutionem imminere, & quia incerta erat, quando essem rediturus, in faciendo testamento properabat: quo me scripsit heredem zonæ suæ, qua cingebatur, & sudarij linei, quo lacrymas detergebat, & quorundam aliorum non magni quidem pretij, sed quæ mihi auro & argento chariora sint.* Commendandum porrò historiæ arbitramur, tanto illam sumendæ Eucharistiæ desiderio flagrasse; vt ex diuini amoris impetu interdum nullas alias voces fingere posset, quam ingeminare preces, vt augustissimum sacramentum sibi præberetur: eoque porrecto tantis delitijs cœlestibus deliburam, vt plures hebdomadas ieiuna traduceret: *Aliquando e ad dies triginta quinque in tranquillo & beato silentio, cum Domino suauiter quiescens nulla corporea vtebatur esca, & per dies aliquot nullum poterat proferre sermonem, nisi hunc solum: Volo corpus Domini nostri Iesu Christi: quo percepto rursus cum Domino in silentio permanebat: illis verò diebus sentiebat spiritum suum tanquam a corpore separatum, sic esse in corpore ac si in luteo iaceret vase, & ipso suo corpore tanquam luteo vestimento circumdari, ita ergo a rebus sensibilibus abstracta, & supra se inquandam ecstasim rapta, tandem post hebdomadas quinque ad se reuertens aperiebat os suum, & mirantibus illis qui aderant, loquebatur, cibumque sumebat.*

Mariæ Oignacen. obitus.

a Iacob. de Vitr. in præfat. & c. 12.

b Id l. 2. c. 13. apud eund. Sur. to. 3. die 23. iun.

c In Ind. natal. SS. Belg. eod. die.

d Iac. de Vitr. lib. 2. c. 10.

Illius dies ab ipsa prænūtius.

Iacob. de Vitriaco scribit heredem.

e Apud Sur. to. 3. l. 2. c. 9.

73 Hoc ipso anno magni bellici motus inter Philippum Francorum & Ioannem Angliæ Reges excitati, qui, resipiscente tandem Ioanne, Innocentij Romani Pontificis iussu sedati fuere. De his dicturi, audiamus in primis, quæ Matthæus Parisius huius anni initio historiæ tradidit: *Galfridus Eboracensis archiepiscopus, postquam per septennium pro libertate ecclesiæ, & executione iustitiæ exilium passus est, diem clausit extremum. Eodem anno mense ianuario redierunt a curia Romana Stephanus Cantuariensis archiepiscopus, Willelmus Londoniensis, & E... Eliensis episcopi, & habito in partibus transmarinis concilio, regi Francorum & episcopis Gallicanis cum clero pariter & populo sententiam, quæ in Regem Anglorum Romæ pro contumacia lata fuerat, solemniter promulgarunt. deinde ex parte domini Papæ tam regi Francorum, quàm cæteris vniuersis in remissionem suorum peccaminum iniunxerunt, vt omnes pariter ad Angliam hostiliter accedentes,*

Sententia in Angl. Rege promulgatur in Gallijs. Phil. Apostol. sedis iussu in Ioannem mouet.

Ioan-

Ioannem Regem a regni solio deponerent, & alium qui dignus esset, auctoritate Apostolica subrogarent. Tunc Rex Francorum * *diu desideratam intelligens accinxit se ad pugnam.* De expeditione ab eo confecta dicere pergit. His quoque de rebus agens Rigordus ista scriptis mandauit: *Causa quæ Philippum regem magnanimum mouerat ad hoc, vt vellet in Angliam transfretare, fuit vt episcopos, qui diu a sedibus suis eiecti in regno suo exulabant, suis ecclesiis restitueret, vt diuinum seruitium, quod iam per septennium in tota Anglia cessauerat, faceret renouari, & vt ipsum regem Ioannem, qui nepotem suum Arturum occiderat, qui & plurimos paruulos obsides suspenderat, & flagitia innumerabilia perpetrauerat, vel pœna condigna subij. eret, vel a regno prorsus expellens, secundum agnominis sui interpretationem omnino efficeret sine terra. At ipse Ioannes Rex hæc omnia metuens, dum prædicta agerentur, composuit cum clero, missis nuncijs ad summum Pontificem, qui Pandulfum subdiaconum suum in Angliam mittens pacem inter Regem & clerum vt potuit reformauit. Quæ quidem compositio quantum ad restitutionem possessionum ecclesiæ & cleri valuit; sed quantum ad ablatorum resartionem, nullatenus est seruata, licet ipse iuramento se astrinxerit ad vtrumque.* Hactenus auctor. extant in huius anni regesto plures de rebus Anglicanis Innocentij literæ, quibus in primis Stephanum S. R. E. Cardinalem cæterosque episcopos exules erigit a, seque ipsis restituēdis suis sedibus incubiturum pollicetur ac significat, additque se vtriq; literarum exemplum mittere, quas nuncijs componendæ pacis gratia tradiderat, de quo postea.

* *heram*

Causæ ob quas illud susceperit.

Qua arte Ioannes periculū declinarit.

a *Inn. l. 15 ep. 38.*

74 Quod pertinet ad Ioannis Regis nuncios, quorum meminit Rigordus; fuere, vt Innocentius in literis ad Ioannem hoc anno XII. kal. mart. datis indicat b, abbas e Belloloco & frater A.. Marcellus atque alij quatuor, qui literas Regis ad Pontificem partulere, quibus ratum se habiturum pollicebatur, quidquid in Cantuariensis ecclesiæ negocio apud sedem Apostolicam egissent: *Quia tamen ex ys*, subdit Pontifex, *non nisi tres ad nostram peruenere præsentiam, ÿ sine alijs nihil facere poterant, secundum earundem continentiam literarum. Præterea non agitur tantum de negocio Cantuariensis ecclesiæ, sed de totius ecclesiæ Anglicanæ, quam impie persequendo niteris ancillare, propter quod anathematis vinculo meruisti innodari. Ii verò tres nuncij nobis ad vltimum obtulerunt, quòd secundum illam formam satisfacere promittebas, quam per dilectos filios P.... subdiaconum, & fratrem D.. familiares nostros tibi curauimus destinare. Verùm cum per te steterit, quo minus secundum eandem formam pax fuerit reformata, & postea priora prioribus attentaueris, nos ad eam, quæ pro maiori parte gratiam continebat, minimè iam tenemur, cum ipsa gratia reddideris te indignum. Vt autem vincamus in bono malum, & omnem tibi excusationum materiam auferamus, adhuc eam parati sumus seruare; si vsque ad kalendas iunij proximè venturas, per iuramenta quatuor baronum tuorum iurantium te præsente, ac mandanti in animam tuam, & per patentes tuas literas repromiseris, quod eam fideliter, & efficaciter adimplebis, secundum expositiones & explanationes, quas ad omnis dubitationis scrupulum remouendum duximus adhibendas, et infra eundē terminum hoc totum significaueris per tuas patentes literas venerabili fratri nostro Stephano Cantuariensi archiepisc. & qui cum eo sunt, episcopis suis: alioquin eius exemplo, qui populum suum de seruitute Pharaonis in manu valida liberauit, Anglicanam ecclesiam in forti brachio de seruitute tua studebimus liberare: prædicentes nunc tibi veraciter, & constanter, quod si pacem recipere, cum vales, non vis, cum volueris, non valebis, eritque inutilis pœnitentia post ruinam, sicut per eorum exempla potes cognoscere, qui diebus istis similia præsumpserunt.* Postremis verbis Pontifex ad Othonē alludente visus est, a quo magna iam principum Imperij pars ob perfidiam peruicaciamque aduersus Rom. Ecclesiam defecerat. Subdit Innocentius se concordiæ formam, quam nuncijs dedisset, Apostolicis literis inclusam ad ipsum transmittere. Prætermittimus has leges, vti in regesto pontificio iacent, adducere, cum lector iam typis cusas consulere possit, eæque in Ioannis regio diplomate, quo ad eas religiosissimè seruandas sacramento se obstrinxit, contineantur, tum in literis a Pandulpho subdiacono, cui Durando viro religioso in legatione collega adiuncto dissoluendarum censurarum ac Regis in Ecclesiæ gratiam restituendi prouinciam contulerat, repetantur. quarum præcipuæ eæ sunt, vt Rex in primis coram se iureiurādo deuinciret Pontificijs imperiis pariturum, prælatos exules suis sedibus ac bonis restitutum iri, quibus iussis alijsque sibi iniunctis, vt demissione Christiana Anglorum Rex obtemperaturum se spoponderit, ex ipsius publico edicto b patebit.

b *Id. lib. ep. 232.*

Mittit oratores ad Innoc.

Vt se cum ijs gesserit Pont.

Incussit Ioanni minas.

a *Ep. 274.*

75 *Ioannes Dei gratia Rex Angliæ, dominus Hyberniæ, dux Normanniæ, & Aquitaniæ, comes Andeg. omnibus præsentes literas inspecturis salutem.*

b *Extat in reg. Inn. l. 16. n. 80. Litera Io. Reg. Angl.*

Per has patentes literas sigillo nostro munitas volumus esse notum, quòd nobis præsentibus & mandantibus ij nostri quatuor barones, scilicet Vv. comes Sar. frater noster R. comes Bononien. Vv. comes Vvaren. Vv. comes de Ferrar. iurauerunt in animam nostram, quòd nos suprascriptam pacis formam bona fide curabimus per omnia obseruare. In primis itaque solemniter, & absolutè iurabimus stare mandatis domini Papæ, coram eius legato, vel delegato super omnibus, pro quibus excommunicati sumus ab ipso, & veram pacem, ac plenam securitatem præstabimus venerabilibus viris Stephano Cantuariensi archiepiscopo, Vv. Londoniensi, G... Eliensi, E... Erfordensi, I... Batomensi, & H... Lincolniensi episcopis: priori quoque ac monachis Cantuariensibus, & Roberto filio Gualteri, ac Eustachio de Vessi, necnon cæteris clericis ac laicis hoc negotium contingentibus, præstando simul coram eodem legato, vel subdelegato publicè iuramentum, quod ipsos cum suis nec lædemus, nec lædi faciemus, vel permittemus, in personis, vel rebus, eisque dimittemus omnem indignationem, & in gratiam nostram recipiemus eosdem, ac tenebimus bona fide. Quodque præfatos archiepiscopum, & episcopos non impediemus, nec faciemus, aut permittemus aliquatenus impedire, quò minus suum liberè ipsi exequantur officium, & plena suæ iurisdictionis auctoritate, prout debent, vtantur, & super ijs tam domino Papæ, quàm ipsis archiepiscopo, & episcopis singulis patentes literas nostras exhibebimus, facientes ab episcopis, & comitibus, ac baronibus nostris, quot, & quos præfati archiepiscopus, & episcopi postulauerunt, iuramenta, & eorum patentes literas exhiberi: quod ipsi bona fide studebunt, vt hæc pax, & securitas firmiter obseruetur.

Pollicetur se iussis pontificijs paritură.

Ecclesiasticos pristinæ gratiæ restituturum.

76 Et si fortè, quod Deus auertat, per nos ipsos, vel alios contrauenerimus; ipsi pro Ecclesia contra violatores pacis, & securitatis mandatis Apostolicis inhærebunt, nosque perpetuò vacantium ecclesiarum custodiam amittamus. Quod si fortè nequiuerimus eos ad hanc vltimam iuramenti partem inducere, videlicet quòd si per nos ipsos, vel alios contrauenerimus, ipsi pro Ecclesia contra violatores securitatis, & pacis, mandatis Apostolicis inhærebunt. Nos propter hoc domino Papæ ac Ecclesiæ Romanæ per nostras patentes literas obligauimus omne ius patronatus, quod habemus in ecclesijs Anglicanis, & omnes literas, quæ pro securitate prædictorum sunt exhibendæ præfatis archiepiscopo, & episcopis, ante suum ingressum in Angliam transmittemus. Si verò nobis placuerit, præfati archiepiscopus, & epi-

scopi præstabunt, saluo honore Dei & Ecclesiæ, iuratoriam & literatoriam cautionem, quod ipsi nec per se, nec per alios contra personam, vel coronam nostram aliquid attentabunt, nobis prædictam eis securitatem, & pacem seruantibus illibatam.

Ablata cuique reddi mandat.

77 De ablatis autem plenam restitutionem, & de damnis recompensationem sufficientem omnibus impendemus, tam clericis omnibus, quàm laicis vniuersis, ad hoc negocium pertinentibus, non solùm rerum, sed etiam libertatum, & restitutas conseruabimus libertates, archiepiscopo quidem, & episcopo Lincolensi a tempore suæ confirmationis: alijs autem a tempore discordiæ inchoatæ. Nec obstabit aliqua pactio, vel promissio, seu concessio, quò minus & damna recompensentur, & restituantur ablata, tam viuorum, quàm etiam mortuorum. Nec de ijs aliquid retinebimus prætextu seruitij, quod debuerit nobis impendi, sed postea debita nobis pro seruitio recompensatio tribuetur, statimque omnes, quos detinemus clericos, faciemus absolutè dimitti, & restitui propriæ libertati, & etiam laicos, qui occasione huius negocij detinentur. Incontinenti quoque post aduentum illius, qui nos debebit absoluere, faciemus de parte restitutionis ablatorum, octo millia librarum legalium sterlingorum pro persoluendis debitis, & faciendis expensis nuncijs prædictorum archiepiscopi, & episcoporum, ac monachorum Cantuariensium assignari, sine impedimento quolibet, per potestatem nostram, ad eos liberè deferenda; vt expediti reuertantur in Angliam, honorificè reuocati, &c. anno regni nostri quartodecimo.]

a Matth. Par. hist. Angl. an. 1213. & alij.

Regna sua in Pontificem transfundit.

78 Verbis facta consensere: Matthæus enim Parisius hæc ad posteritatem scriptis transmisit a: *Rebus, vt iam dictum est, expeditis, conuenerunt iterum Rex Anglorum, & Pandulphus, cum proceribus regni, apud domum militum templi iuxta Doueram, decimoquinto die may in vigilia S. dominicæ Ascensionis: vbi idem Rex, iuxta quod Romæ fuerat sententiatum, consignauit coronam suam, cum regnis Angliæ & Hyberniæ in manus domini Papæ, cuius tunc vices gerebat Pandulphus memoratus; facta autem resignatione, dedit Papæ & eius successoribus regna prædicta, quæ & charta subscripta confirmauit.* hæc auctor; qui alio loco ait Ioannem frementem ira & desperatione, cum Anglos in se concitatos, fulminantem Pontificem, Galliarum Regem Angliæ cum florentissima classe imminentem, atque in Regem ab ipsis Anglis proceribus & ecclesiasticis expetitum videret, Miramamolinum Marrochi, Africæ & partis Hispaniæ Regem solicitasse vt in Angliam auxilio veniret, pollicitumque se illum supremum Angliæ dominum agniturum; barbarum verò demissum illius animum, ac promissa contempsisse: demum omni spe deturbatum ad flectendum omnium acerrimum hostem Innocentium vertisse consilia, regnumque illi stipendiarium ea lege obtulisse, vt hostes, quos in se propositis indulgentiarum præmijs efferarat, intentato anathematis terrore comprimeret. Verùm Parisium mendacia ad lacerandos Romanos Pontifices subornare solitum ex insito odio hæc finxisse non exigua suspicio esse videtur, nec enim aliæ leges Ioanni a Pontifice dictæ ad assequendam Ecclesiæ gratiam, quàm vt exules antistites reuocaret & damna illis illata sarciret, & cætera quæ peruerterat, in pristinam libertatem restitueret; nec illa grauis & odij plena transfundendi in Pontificem regni conditio adiecta est. Id ergo præstitisse ex ingenti pietatis sensu aliorum Regum exemplo, quo erat delibutus, putandum est, vt ipse testatur; vel etiam ex humana prudentia, vt cum in Apostolicam clientelam susceptus esset, Galliarum Regis impetus, quibus sustinendis impar erat, retardaret, eluderetque, cum sine pontificia ope sceptrum retinere non posset. Cæterum in facti ratione exploranda nullius auctoritas maior videtur, quàm vel Innocentij a, qui eam rem Spiritus S. instinctui, vt infra videbimus, tribuit; vel ipsius Ioannis Regis, qui hisce verbis suam mentem toti orbi Christiano explicuit.

Calumnia Parisij.

Refellitur.

a lib. 16. ep. 83.

79 *Ioannes Dei gratia Rex Angliæ, dominus Hyberniæ, dux Normanniæ & Aquitaniæ, comes Andegauiæ, omnibus Christi fidelibus præsentem chartam inspecturis salutem.*

Vniuersitati vestræ per hanc chartam nostram sigillo nostro munitam volumus esse notum, quod cum Deum, & matrem nostram sanctam Ecclesiam offenderimus in multis, & proinde diuina misericordia plurimum indigere noscamur; nec quid dignè offerre possimus pro satisfactione Deo & Ecclesiæ debita facienda, nisi nos ipsos habeamus, & regna nostra, volentes nos ipsos humiliare pro illo, qui se pro nobis humiliauit vsque ad mortem, gratia sancti Spiritus inspirante, non vi inducti, nec timore coacti, sed nostra bona spontaneaque voluntate, ac communi consilio baronum nostrorum offerimus, & liberè concedimus Deo, & SS. Apostolis eius Petro, & Paulo, & sanctæ Rom. Ecclesiæ matri nostræ, ac domino nostro Papæ Innocentio, eiusque catholicis successoribus, totum regnum Angliæ, & totum regnum Hyberniæ cum omni iure, & pertinentijs suis pro remissione peccatorum nostrorum, & totius generis nostri, tam pro viuis, quàm defunctis: & amodo illa a Deo, & Ecclesia Rom. tanquam feudatarius recipientes & tenentes, in præsentia prudentis viri Pandulphi domini Papæ subdiaconi, & familiaris, fidelitatem exinde prædicto domino nostro Papæ Innocentio, eiusque catholicis successoribus, & Ecclesiæ Rom. secundùm subter scriptam formam facimus, & iuramus, & homagium ligium in præsentia domini Papæ, si coram eo esse poterimus, eidem faciemus, successores nostros, & heredes de vxore nostra in perpetuum obligantes, vt simili modo summo Pontifici, qui pro tempore fuerit, & Ecclesiæ Rom. sine contradictione debeant fidelitatem præstare, & homagium recognoscere.

Ioã. Rom. Ecclesiæ se dicat. Publicæ de eare extat charta.

80 Ad indicium autem huius nostræ perpetuæ oblationis, & concessionis, volumus, & stabilimus vt de proprijs, & specialibus redditibus prædictorum regnorum nostrorũ, pro omni seruitio, & consuetudine, quod pro ipsius facere debemus, saluo per omnia denario S. Petri, Ecclesia Rom. mille marchas sterlingorum percipiat annuatim, scilicet in festo S. Michaelis quingentas marchas, & in pascha quingentas marchas, septingentas scilicet pro regno Angliæ, & trecentas pro regno Hyberniæ, saluis nobis, & heredibus nostris, iustitijs, libertatibus, & regalibus nostris. Quæ omnia, sicut supra dicta sunt, rata esse volentes perpetuò, atque firma, obligamus nos, & successores nostros contra non venire; & si nos, vel aliquis successorum nostrorum hoc attentare præsumpserit, quicumque fuerit ille, nisi ritè commonitus resipuerit, cadat a iure regni, & hæc charta concessionis, & oblationis nostræ semper firma permaneat.] Inserta est hæc epistola inter eas, quas Innocentius hoc anno dedit b, ac reperitur apud Cencium camerarium in libro censuum c; & a Parisio affertur, adiectaque est literis Innocentij quarti, Lugdunensi concilio approbante editis, de quibus suo loco dicemus. d

Vectigal ab eo promissum ecclesiæ.

c Lib. 16. ep. 78.
d Extat in bibl. vat.
d An. 1245

81 His adijcit idem auctor mox Ioannem fidei sacramento se Apostolicæ sedi vt fiduciarium principẽ obstrinxisse: *Charta itaq; Regis in scriptura, vt dictũ est redacta, tradidit eam Rex Pandulpho Romã Papæ Innocentio deferendam, & continuò cunctis videntibus homagium fecit subscriptum. Ego Ioannes Dei gratia Rex Angliæ, & dominus Hyberniæ ab hac hora in antea, ero fidelis Deo, & B. Petro, ac Ecclesiæ Rom. & domino*

Sacramẽtum fidei a Ioanne exhibitũ.

meo

meo Papa Innocentio, ac eius successoribus catholicè intrantibus. Non ero in facto, dicto, consensu, vel consilio, vt vitam perdant, vel membra, vel mala captione capiantur. Eorum damnum, si sciuero, impediam, & remanere faciam, si potero. Alioquin eis quam citius potero intimabo, vel tali personæ dicam, quam eis credam pro certo dicturam. Consilium, quod mihi crediderint per se vel per nuncios, seu literas suas secretum tenebo, & ad eorum damnum nulli pandam, me sciente. Patrimonium B. Petri, & præsertim regnum Angliæ, & regnum Hyberniæ adiutor ero ad tenendum, & defendendum, contra homines omnes pro posse meo. Sic Deus me adiuuet, & hæc sancta Dei euangelia, teste me ipso apud domum militiæ templi iuxta Doueriam, coram domino H. archiepiscopo Dublinensi, &c. adiuncta sunt testium nomina. *xv. die maij anno regni nostri xiv.* Extar regium hoc diploma a in huius anni pontificio regestro, & consentanea de Ioanne regnum Romanæ Ecclesiæ vectigale efficiente tradunt ex Vincentio b nouatores c, eamque ab Rege conditionem appositam ex Ranulpho d addunt: si ipse vel heredes promissa non persoluerent, regni iure exciderent.

a Lib. 16. ep. 131. b Vinc. lib. 30. c. 9. c Centur. 13. cap. 2. col. 739. d Ranulp. lib. 7. cap. 33. in polychron.

82 Ceterum Parisius post recitatum diploma de sæua Regis in Petrum eremitam, cuius supra meminimus, animaduersione subdit, apperente iam dominicæ ascensionis die omnibus suspecto, cū se vegetum, & bene valentem videret, quasi mendarij conuictum caudis equorum alligarū raptari per plateas, distrahique iussisse. Quæ res multorum odia peperit, cùm, si superiora subtili examine ponderentur, coronam amisisse putandus esset. Subditque Pandulphum cum regijs literis in Gallias traiecisse, quo exules ecclesiasticos in Angliā reuocaret, ac Philippū maximā in Ioannem expeditionem parantē a cōsilio suscepto abduceret; non posse iam Anglo bellū mouere, cùm Ecclesiæ facere satis paratissimus esset, regnique supremum ius in Apostolicam sedem contulisset. Quæ res ingrata admodum Philippo extitit, qui vehementi spiritu subiecit iam maximas opes in apparatu bellico exhausisse, atque ex imperio Apostolico pro obtinenda criminum condonatione bellum aggressū esse: non destitisset tamen a cœptis, vel Pandulpho paruisset, ni Flandriæ comes, qui fœdus cum Ioanne Anglo inierat, Philippum in ea expeditione sequi respuisset.

Petri eremitæ supplicium.

Aliquo esse fit vera illius prædictio.

Pandulphus in Gall. traijcit ad reuocandos exules.

Pandulphus vetat Franc. Regi bellum Angliæ inferre.

Responsū Philippi.

Flandriæ comes Ioannis fœderatus.

83 Sed ad Innocentium redeamus, qui lætissimis Ioannis literis acceptis ingentes Deo gratias egit, Ioannemque vt promissa perficeret ac legatum, quem vt rogatus fuerat, ad eum mittebat, benignè acciperet, his verbis hortatur e: *Ei qui de malis nouit elicere bona, gratiarum referimus actiones, quod tibi misericorditer inspirauit, vt idonee satisfaceres de damnis, & iniurijs Ecclesiæ irrogatis, cum non solum formam satisfactionis receperis, multimoda deliberatione promissam, verùm etiam personam, & terram tuam Apostolicæ subdideris ditioni, conferendo in perpetuum iure dominij sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ regna tua per ipsam, & ab ipsa tenenda sub annuo censu septingentarum marcharum de Anglia, & de Hybernia trecentarum; sicut in instrumento tuo legitimè inde confecto plenius, & expressius continetur. Quis enim te docuit? quis induxit? nisi Spiritus ille diuinus, qui vbi vult spirat, & nescis vnde veniat, aut quò vadit, diuidens dona singulis prout vult, vt tam discretè, tam piè simul in vnum, & tibi consuleres, & Ecclesiæ prouideres. Ecce sublimius, & solidius nunc obtines illa regna, quàm hactenus obtinueris. Cùm iam sacerdotale sit regnum, & sacerdotium sit regale, sicut in epistola Petrus, & Moyses in lege testantur. Eia igitur magnifice princeps comple promissa, & concesso confirma, vt omnipotens Deus tuum semper & rectum compleat desiderium, & propositum confirmet honestum; sicque te faciat per temporalia bona trāsire, vt non amittas, sed acquiras æterna, &c.*

Resipiscēti Ioanni gratulatur Innocentius.

e Innoc. lib. 16. ep. 83.

subijcit se legatum in Angliam transmittere, atque vt eius salubribus monitis morem gerat hortatur.

84 Eodem argumento ad Cantuariensem a archiepiscopum, & suffraganeos, tum ad alios Angliæ præsules, b virosque auctoritate, ac nobilitate præclaros c scripsit: denique ad periculosissimum extinguendum bellum Philippum Galliarum Regem d solicitauit, vt legati pro mutua firmanda concordia intercessuri monitis aures, animumque accomodaret; sed conciliari illa non potuit, nisi anno e sequenti, postquam in Belgio, & Andibus parta a Philippo gemina victoria Ioannes maioris mali metu pacem expetijt, ac Philippus libens concessit, ne comparatam gloriam aduerso casu aliquo, vt incerti sunt bellorum exitus, labefactaret: præsenti verò anno magna a Ioanne belli moles parata, cùm speraret Othone e Belgio cum principibus fœderatis irrumpente, se verò ex alia parte Anglos, Vascones, Pictonesque ducente amissa recuperaturum, de qua expeditione Parisius f recenset, vt Rex collecto numerosissimo exercitu cùm traijcere in Pictauiam pararet, vt Francorum Regem ex ea parte bello vrgeret dum alij ex Flandria irruptionem in eius terras facturi essent, a proceribus suis destitutum fuisse, cùm dicerent nunquam vnà cum ipso ituros, nisi sacris restitutus esset, proinde excitos episcopos & clericos exules in Angliam, quos maximo honore a Ioanne exceptos Vvintoniæ ita describit auctor.

a Id. 16. ep. 82. b Ib. ep. 85. c Ib. ep. 83. Philippus ad pacem solicitatur. d Ib. ep. 90. e Ann. 1214.

f Paris. hist. Angl.

Ioannes parat traijcere in Pictauia. Deseritur a suis ni absoluatur.

85 *Cùm eorum aduentum cognouisset, venit obuiam illis, & viso archiepiscopo, & episcopis, cecidit pronus in terram ad pedes eorum lacrymis perfusus, obsecrans vt de se ac regno Angliæ misericordiam haberent. Videntes ergo archiepiscopus, & episcopi tantam regis humilitatem, cum lacrymis illum de terra leuauerunt, ducentes a dextris, & a sinistris ad ostium ecclesiæ cathedralis, vbi cum psalmo quinquagesimo, videntibus magnatibus cunctis, & vbertim præ gaudio flentibus, sicut mos est Ecclesiæ, illum absoluerunt. Et hæc absolutio facta fuit in capitulo Vvintoniensi. In hac autem absolutione iurauit Rex tactis sacrosanctis euangelijs, quod sanctam Ecclesiam, eiusque ordinatos diligeret, defenderet, & manu teneret contra omnes aduersarios suos pro posse suo: quodque bonas leges antecessorum suorum, & præcipuè leges Edwardi Regis reuocaret, & iniquas destrueret, & omnes homines suos, secundum iusta curiæ suæ iudicia, iudicaret; quodque singulis redderet iura sua. Iurauit etiam, quòd in omnibus ad interdicti negotiū pertinentibus, infra proximum pascha plenariam restitutionem faceret ablatorum; sin autem, in pristinam excommunicationis sententiam reuocaretur. Iurauit præterea Innocentio Papæ, eiusque catholicis successoribus fidelitatem, & obedientiam, sicut superiùs in scripto redactum continetur, &c.* subdit coegisse iterum potentissimum exercitum, cùmque transfretare appararet, alios iam sua consumpsisse conquestos, ac ni ex regio ærario sumptus suppeditaret, sequi non posse: quod cùm renueret, mare conscendisse, dissipatisque interim eius copijs, in Angliam reuerti magno pudore coactum.

Reuocati in Angliā exules.

Ioannis Regis demissio.

Ad quæ sacramento se deuinxerit.

86 Posthæc idem Parisius pluribus verbis enarrat Tusculanum episcopum Apostolicæ sedis legatum circiter festum sancti Michaelis diem in Angliam peruenisse, summoque honore exceptum, atque ad regnum inter & sacerdotium confirmandam pacem operam collocasse, Regemque omnibus facturum satis pollicitum, atque ante aram ecclesiæ principem, coram clero, populoque diadema regnumque Pontifici Romano in eius legato obtulisse, ac diploma regium de constitutis Angliæ, & Hyberniæ sedis Apostolicæ vectigalibus renouasse at non cereo vt antea, sed aureo sigillo obsignatum, vt in pontificio tabulario seruaretur, tradidisse.

Ioannes legato diadema solemni ritu offert.

87 Dum ista in Anglia geruntur, Norvvicensis

 epi-

Excepti ab Inn. Regis Angl. oratores. a Ibid. ep. 130.

episcopus, alijque regij nuncij in Vrbem peruenere, quos Innocentius magnis beneuolentiæ significationibus complexus est, atque eorum postulata perhumaniter accepit, vt ipse datis ad Regem literis testatur; a vbi gratum eius animum laudibus effert, quod vt ijs, quos læsisset, omni ex parte faceret satis, se ac sua Deo, & Ecclesiæ detulisset: eundemque hortatur Christi sponsam in suo regno quibuscumque posset honoribus præmijsque decoraret: subijcitque hæc verba, quæ vtinam memoriæ Christianorum principum nunquam exciderent: *Quia tunc tibi regalis dignitas integra conseruabitur, cum ecclesiasticam libertatem integram conseruabis, diligenter attendens, quod principes illi penitus defecerunt, qui ecclesiasticam præsumpserunt infringere libertatem: ij verò semper de bono profecerunt in melius, qui iura studuerunt ecclesiastica confouere.* sic ipse, cui innumera tum antiqua, tum recentiora suffragantur exempla; vt planè mente mori censendi sint perditissimi nostri temporis politici, qui obtritis, vel vsurpatis impiè ecclesiasticis iuribus, reipublicæ consulere arbitrantur. Data est huiusmodi epistola pridie non. nouembr. quo etiam die hoc Regi diploma dedit Innocentius, in quo Ioannis eximio augendæ Christiani sacerdotij dignitatis, quam regio Anglorum sceptro ornarat, studio collaudato, ipsius donationem admisit.

Reges a numine fouentur, cum fouent ipsius ministros.

88 *Illo misericorditer inspirante, in cuius manu sunt corda Regum, & quò voluerit vertit illa, te ipsum, & tua temporaliter etiam ei subiacere voluisti, cui noueras spiritualiter esse subiecta; vt in vnam vicarij Christi personam, quasi corpus, & anima regnum, & sacerdotium vniantur, ad magnum vtriusque commodum, & augmentum. Ille vtique dignatus est hoc operari, qui cùm sit Alpha, & Omega, finem retulit ad principium, & principium pertraxit ad finem: vt illa prouincia, quæ olim sacrosanctam Romanam Ecclesiam propriam in spiritualibus habuere magistram, nunc etiam in temporalibus dominam habeant specialem. Tu quippe quem Deus ad hoc idoneum ministrum elegit, tam te, quam etiam regna tua, Angliam videlicet, & Hyberniam cum omni iure, ac pertinentijs suis deuota, & spontanea voluntate ac communi consilio baronum tuorum Deo, & sanctis Apostolis eius Petro & Paulo, sanctæque Romanæ Ecclesiæ, nobisque, ac successoribus nostris in ius, & proprietatem sub annuo mille marcharum censu offerens concessisti, sicut in tuo continetur autentico scripto, cuius de verbo ad verbum talis tenor extitit, &c.* superiùs insinuata est a nobis ea scripti forma, ac proin iterum attexere superuacaneum foret.

Donationem Ioannis admittit Innoc.

89 *Nos autem oblationem, & concessionem huiusmodi piè, ac prouidè factas gratas, & ratas habentes personam tuam, & personas heredum tuorum cum prædictis regnis, & pertinentijs eorundem, & omnibus bonis alijs rationabiliter nunc possessis, & in posterum possidendis, sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, tibi, & ipsis secundùm præscriptam formam de communi consilio fratrum nostrorum supradicta regna concedentes in feudum, & præsenti priuilegio confirmantes: ita quod quilibet heredum tuorum cum regni coronam acceperit, feudum huiusmodi summo Pontifici, & Romanæ Ecclesiæ publicè recognoscat, & eis fidelitatis exhibeat iuramentum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ paginam concessionis, & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem etc. vsque incursurum etc. Datu Later. per manum Raynaldi acolyti, & capellani domini Innocentij III. Papæ xi. non. Nouemb. indict. 11. incarnationis Dominicæ anno millesimo ducentesimo decimo tertio, pontificatus verò eiusdem domini Innocentij anno decimo sexto.*

Redintegrande illius dignitati incubuit. b Eod. lib. 16 ep. 131

90 Pollicitum Regi patrocinium, illi exhibuit: etenim hoc ipso anno literis editis vetat b, ne quispiam quouis prætextu audeat inconsulto Pontifice aduersus Regem prosilire: tum Nicolao Tusculano A. S. L. imperat a, simulac sublatum esset ecclesiasticum interdictum, conflatas coniurationes discutere studeret, atque Apostolicas literas, quas archiep. Cantuariensis, atque alij in Regem obtinuissent, conscinderet, vel igni traderet; dein Angliæ, Vualliæ, Hyberniæ archiepiscopos, episcopos, cæterosque præsules, ac principes viros in Regis heredumque fide persistere iubet b. Eiusdemque exempli alias ad Vv. Scotiæ Regem, atque Alexandrum filium litteras exarauit c. Postremo R. tit. S. Stephani in monte Cælio presbytero Card. A. S. L. interdicti sententiam in cismarinam Angliæ Regis terram ferre vetat d; Anglicanæ insuper consulturus ecclesiæ Tusculano episcopo præcepit, daret operam, quò Angliæ orbatis ecclesijs, episcopatibus, abbatijs, in demortuorum locum idonei subrogarentur, vt ex literis ad eundem legatum datis videre licet, quæ a Matthæo Parisio f etiam afferuntur; earum initium est: *Cùm non possit*, deque ea re ad earum ecclesiarum capitula, de quibus diximus, scripsit g. Inserta est pontificio regesto epistola ad Eboracensem decanum h, & capitulum in eandem sententiam.

a Ibid. ep. 132. b Ep. 134. c Post eand. ep. d Innoc. ibid. epist. 135. Legato pastores ecclesijs præficere iubet. e Ibid. ep. 137. f Par. hist. Angl. hoc anno. g Inn. loc. cit. h Ibid. ep. 55.

91 Iam ex Anglia in Hispaniam orationem traducamus. Alphonsus Castellæ Rex diœceses quasdam Toletanæ olim ecclesiæ subiectas a Sarracenis nuper vindicarat, quod cùm accepisset Pontifex, Toletano archiep. illas, donec Apostolica sedes aliter statuisset, tuendas regendasque commisit. i ascripta est hisce literis a 111. dies kal. ianuarij. anteà verò duobus abbat. mandauit k Lusitaniæ Regem anathematis sententia implicitum non absoluerent, nisi prius ab ipso cauissent exhibiturum se, quæ præstare deberet. Ad hæc idem Pontifex controuersias inter ipsum sororesque de nonnullis oppidis, alijsque rebus dirimere studuit.

Ereptas ab Alphon. sa Sarracenis diœcesis. Illarum curam arch. Toletano committit. i Ep. 152. k Ep. 52. Denegatur absolutio Regi Lusitano, ni fecerit satis.

92 Ne obliti videamur Italiæ, nunc illius res nobis perstringendæ sunt. Premebatur hostium Ecclesiæ tyrannide Marchia Anconitana, ad quam Ecclesiæ restituendam iam ante Azoni Marchioni Estensi iure fiduciario concesserat, modò eam vi armorum sibi compararet, qui eum re non perfecta anno l superiori relictis Aldrenandino magnæ spei, & ingentium animorum adolescente, atque Azone puero filijs e vita discessisset, Innocentius Aldrenandino scripsit eam prouinciam, vti promiserat, ad ditionem Ecclesiæ quantocyus reuocaret, cùm facilè eo tempore Ecclesia eam recuperatura esset, tum subiecit. m *Nobilitati tuæ per Apostolica scripta mandantes, quatenus in negotio ipso procedas; alioquin ne diutius Ecclesia spoliata remaneat, nos procedemus in ipso, sicut viderimus expedire. Dat. Signiæ, v. kal. sept. Pontificatus nostri anno xvi.* Incubuit porro eodem anno Aldrenandino grauis belli moles, cùm Ecelinus vnà cum Patauinis in eum mouisset: cui Innocentius periclitanti non defuit, Gradensique patriarchæ hostes coercere iussit n, munusq; etiam inquirendi in Taruisinum episcopum, qui bona ecclesiæ dilapidabat, indignisque conferebat sacerdotia, demandauit: o necnon sacro exarsit zelo in Malfiensem episcopum, qui cùm anno superiori literis Apostolicis castigatus p non resipuisset, dignitate submoueri est iussus. q

Aldrenandinus Marchiam Anconitanam recuperare iussus. l Monach. Pad chron. lib 1 ann. 1212. m Innoc. lib. 16 ep. 102. Ab Ecelino, & Patauinis bello appetitur. n Ib. ep. 116. o Ep. 19. Episcopi suæ dignitatis obliti castigantur. p Inn. lib. 15. ep. 113 q Lib. 16. ep. 133.

93 Pari studio quo mulctati præsules, qui dignitatem fœdarant monasteriorum, quæ a primæuo sanctitatis cultu desciuerant, abbates increpiti, iussique ad perpoliendos, excolendosque subditorum mores incumbere: ita enim eos, qui Cluniacensibus præerant, obiurgat: *Sicut accepimus tam in vobis, quàm in alijs curæ vestræ commissis adeo pernicioso facti estis exemplo, quod antiquis patribus loco tantum, et habitu non prærogatiua virtutum videamini successisse, sed eo plures contagio corruptionis inficitis, quo pluribus illis, quorum loca tenetis, correctionis exempla vitæ magisterio*

Religiosi ad arctiorem disciplinam reuocati

rio exhibebant. Plures aliæ ad astringendum religiosorum laxiorem disciplinam exaratæ epistolæ a, quæ pontificiam in ea re diligentiam commendant, atque iterum aliæ, quibus sanctioris vitæ cultores amantissime, & beneficijs est complexus. b

a ib. ep. 113.

b Ep. 25. & 61.

Graualonenses dijmmens ea ligati resipicunt.

94 Concludimus hunc annum allato diuinæ seueritatis exemplo in eos, qui censuris ecclesiasticis defixi erant, edito, quorum terræ sterilitate damnatæ fuerunt. Cuius rei testes Graualonenses, qui hoc anno supplices ab Innocentio flagitarunt, vt censuras olim inenssas Apostolica auctoritate amoueret, quò diuina ab ijs vltio recederet, quorum precibus ita indulsit Innocentius.

Archipresbytero de Graualona Nouarien. diœces.

c Ep. 10.

Ex parte c communis de Graualona Nouariensis diœcesis fuit propositum coram nobis, quod licet terra ipsorum fundata sit in solo habili & fœcundo, adeo tamen infortunata est, & infausta, vt nec in rebus multiplicari valeat, nec personis; & tum, fortuna sibi aliquatenus arridente, speratur quod ab huiusmodi debeat infelicitate consurgere, casibus semper opprimitur improuisis: quod ex eo existimant prouenire, quia terra eadem olim, sicut fama est, propter excessus dominorum ipsius supposita fuit sententiæ interdicti, quæ non creditur fuisse postmodum relaxata; vnde Apostolatui nostro humiliter supplicarunt, vt cum nobis in beato Petro Apostolo ab ipsa fuerit veritate promissum, quod quæcunque solueris super terram, soluta erunt pariter & in cælis, eos ab huiusmodi vinculo absoluere dignaremur: præsertim cum animarum quoque periculum ex hoc sibi metuant imminere. Cum igitur maiores propter minorum offensam, & culpa maiorum minores quandoque puniri sacræ scripturæ doceamur exemplis, piam eorum solicitudinem, & timorem commendamus in Domino, & speramus, quod fides, quam de clauibus Petri gerunt, ipsis vtilis esse debeat ad veniam promerendam, cum paralyticum ad pedes Iesu Christi summissum per tegulas fides saluauerit aliena, &c.]

Terra interdicto percussa infœcunda efficitur.

Im. censu spectaturs

IESV CHRISTI
Annus 1214.

INNOCENTII PP. III, annus 17.   OTHONIS IMP. annus 6.
HENRICI IMP. annus 9.

1 EXcindendæ Mahumeticæ superstitionis zelo exæstuans Christi vicarius, anno a partu Virginis quartodecimo supra millesimum ducentesimum indictione secunda præsules ac religiosos viros euangelicis tubis classicum in Sarracenos canere, ac fortissimos quosque viros, diuinæ gloriæ amplificandæ cupidos, ad crucem affigendam vestibus induendaque arma incendere iussit. Ac sanè sacros oratores strenuè suo munere perfunctos testatur Godefridus d his verbis: *Innumerabilis multitudo pro amore Christi & liberatione Terræ S. cruce se signat.* ex ea verò multitudine prima agmina hoc anno in Syriam præmittenda censuit Innocentius e, vt numerosissimis postea secuturis aciebus viam munirent; Grimaldum enim e Monte Silice, atque alios crucesignatos duces ita compellat:

Concitatus in arma sacra occidens.

d Godef. an. 1214.

e Inn. l. 16 ep. 178.

Exhortatio ad crucesignatos

2 *Gaudere potestis in Domino, vobis esse diuinitus, sicut credimus, inspiratum, vt vos ad tanti Regis deuoueretis obsequium signo crucis assumpto in subsidii Terræ sanctæ, ubi peregrinaturi pro Domino, vbi Rex regum & Dominus dominantium dignatus est peregrinari pro seruis, vt eos superna patria ciues, & æterna beatitudinis faceret coheredes. Eia igitur viri prudentes sactate in Domino cogitatum, & ipse diriget gressus vestros non in viribus vestris siue prudentia, sed in illius potentia & misericordia confidentes, qui currum & exercitum Pharaonis proiecit in mare; gloriosus in sanctis suis & in maiestate mirabilis, cuius verbo cæli firmati sunt, & cum imperat mari & ventis, cessat tempestas. Nec est vobis de aduersæ partis multitudine desperandum, si puro corde prælium Domini Sabaoth curaueritis præliari: memores quod in Gedeonis prælio sub breui satis numero suum Dominus restrinxit exercitum, & de inermis funda Dauid emissi lapides armati Philistæi superbiam depresserunt. Cæterum cum procedatis in Domino parare viam exercitui generali, ea remissionis & immunitatis gratia volumus vos gaudere, quam in generalibus literis duximus exprimendam. Dat. xv. Kal. martij pont. nostri an. xvi.* hæc ad crucesignatos Innocentius, qui Venetos ad comparandam classem solicitauit a, tum Insubriæ atque Hetruriæ antistibus Grimaldum ac socios iter per eorum terras habituros commendauit. b

a Ib. ep. 179.

b Ep. 180.

3 Peruasit tunc orientem occidentalium terror, quos Lateranensis concilij ad recuperandam Terram sanctam indicti fama afflauerat: Sarracenos enim bellici Christianorum apparatus metu perfusos Terram sanctam Christianis reddituros præ se tulisse, atque vt a Christianorum armis tuti essent, se patriarchæ Hierosolymitani clientelæ commissuros certamque auri vim, census nomine pensitaturos asserunt literæ c ad Pontificem Venetorum opera transmissæ, quibus Sarracenorum principis potentia, vt tum temporis florebat, effusæ opes, barbarici mores, ac gesta accuratissimè describuntur. Iam enim ante Pontifex, qui Sephadinum ad Christi cultum, quem euangelicis verbis pellicere non potuerat, armis cogere meditabatur, patriarchæ Hierosolymitano, ac Templarijs atque Hospitalarijs equitibus iniunxerat, vt se de Agarenorum potentia literis facerent certiorem; quas propterea nos vt dignas annalibus nostris ex Richardo de S. Germano delibare visum est, vt qui essent ij hostes, contra quos in arma toties coorti Christiani, tot effusi crucesignati exercitus, perspici possit: idque etiam notatu dignissimum non modò Mahumetum ab illis infelicibus populis, vt prophetam habitum, sed etiam immani idololatriæ scelere diuinis honoribus cultum.

Sarraceni tributum Christianis pollicentur.

c Extat apud Richar. de S. Germano an. 1214.

4 *Saladinus, & Sephadinus duo fratres fuerunt. Mortuo Saladino, qui habuit vndecim filios, regnauit Sephadinus, qui occidit omnes nepotes suos, præter vnum qui vocatur Melchisedech, qui tenet terram istam cum omnibus ciuitatibus, castris, & villis, & alijs munitionibus, quæ sunt plus de ducentis: Sephadinus verò habet filios quindecim, de quibus hereditarunt septem, scilicet Melkekemme, qui primus est, & maior natu omnibus. Hic tenet Alexandriam, Babyloniam, Carrum, & totam terram Aegypti in meridie ac septentrione, qui post mortem patris sui Sephadini de generali constitutione patris, & fratrum debet esse dominus omnium & totius terræ. Secundus filius est nomine Coradinus, qui habet Damascum, sanctam Hierusalem, & totam terram, quæ fuit Christianorum, præter modicam, quam adhuc tenent Christiani, quæ sunt inter ciuitates, munitiones, & castra plus de trecentis. Tertius filius est nomine Melkafans, id est, grandis, qui tenet terram, quæ dicitur de Tamella cum tota alia prouincia, quæ sunt inter munitiones, villas & castra plus de quadringentis. Quartus filius est nomine Melkemodam, idest, magnus dominus, qui tenet regnum Doesia cum omni potentatu suo, quæ sunt plus de quadringentis inter ciuitates, munitiones, & castra. Quintus filius est nomine Melchisalaphat, qui regnat, & tenet terram de Sarco, vbi fuit occisus Abel a Caim fratre suo: in quo regno sunt octingenta inter ciuitates, munitiones, & castra plana. Sextus filius est Machometius, qui tenet regnum de Baldach, vbi est papa Sarracenorum Caliphius, qui colitur, timetur, & adoratur, tanquam Romanus Pontifex, in lege eorum, qui non potest videri nisi bis in mense,*

De filijs Sephadini

quam-

quando cum suis vadit ad Machometh deum Sarracenorum, & inclinato capite & oratione facta, suo more Sarracenico, antequam templum exeant, splendidè comedunt, & bibunt; & sic coronatus reuertitur in domum suam cum gente sua.

De Mahumeto & eius Calipho.

5 *Iste deus Machometh visitatur quotidie, & adoratur sicut visitatur & adoratur Dominus Crucifixus a populo Christiano. In ista ciuitate Baldach est papa Caliphius: ciuitas ista caput est totius legis Agarenorum. Septimus filius est nomine Salaphat; hic non habet specialem terram, sed semper est cum patre suo Sephadino: iste portat vexillum coram patre suo, quando equitat; cui vnusquisque fratrum singulis annis pro certo censu dignitatis suæ transmittit mille sarracenatos, & duos dextrarios bene paratos. Sephadinus quando equitat terram, ac visitat filios suos præfatos, incedit velato capite de vno examito rubeo; cui omnes filij inclinant quater ad terram, & exeunt ei obuiam per sex milliaria, ac osculato pede, cum ipse sit super equum, recipit eos ad osculum, etiam manuum; qui cum vnoquoque moratur per triduum semel in anno, & sic a primo vsque ad septimum filios visitat memoratos; & quilibet omni anno pro certo tributo mittit in fisco patris viginti millia sarracenatos: & sic a primo vsque ad septimum dat vnicuique filiorum vnum de annulis suis, in quo imago sua sculpitur, &c.*

6 *Volunt isti libenter reddere in manus domini Papæ Terram sanctam quam tenent, ad opus Christianorum: & vt certi sunt, & securi de alia terra a populo Christiano singulis annis volunt esse sub certo tributo patriarchæ Hierosolymitano, & dabunt inde cautelam Romanæ Ecclesiæ de non impedienda amplius Terra sancta, quam Dominus noster Iesus Christus suis pedibus ambulauit.*

De Sephadini moribus.

Prædictus verò Sephadinus de more prædecessorum suorum faciem suam non ostendit omnibus, nisi decies in anno, quando nuncios recipit Pisanorum, Genuensium, Venetorum, ciuitatum, regum vel principum Christianorum, astantibus centum armatis. Primo die recipit ipsos in prima sala de Cairo, vbi semper est status eius. Tunc recipit literas a nuncijs, sed non audit eos. In secunda die audit in secunda sala, astantibus ducentis Turcis suis bene armatis. In tertio quidem die per turcimanum suum, videlicet interpretem, dat eisdem responsum secundum quod est modus in causa, qui post tertium diem non habent amplius ad illum accessum.

De vxorũ numero.

Habet Sephadinus vxores xv. in lege sua, quæ sunt in vno palatio, insimul dormiunt, comedunt, & bibunt. Si aliqua earum habet ex eo filium, Siphadinus vadit ad eam, quando vult, & dormit cum ea, videntibus alijs. Illam verò, quæ non habet ex eo filium, ad se quando vult per eunuchos suos vocari facit in vesperis, & detinet eam per noctem & diem: & sic facit de singulis: quãdo aliqua istarum moritur, inducit aliam inter alias. In secretiori camera vbi ludit & dormit, nullus habet accessum, nisi vnus tantum senex, in cuius cameræ ostio semper existunt armati quinquaginta.

De eius potentia.

7 *Quinquagenarius est Sephadinus, potens multum in armis ac gente, eloquens valde in lingua sua, qui præcellit hodie omnes, qui viuunt, paganos, excepto Maximuco, in auro. Iam enim muniuit totam terram suam & filiorum, & exercitus congregat infinitos: sed in omnibus ipse cum filijs in prædictum modum cum Romana Ecclesia vult componere pacem. Octo alij filij Sephadini de patris constitutione sic viuunt. Duo ex ipsis custodiunt sepulchrum Domini, ad quos quidquid datur proueniat, & diuidunt inter se. Quatuor alij habent redditus de Calice fluuio, qui irrigat totam terram Aegypti. Et istis quatuor melius valēt isti redditus de viginti millibus sarracenatis. Duo alij fratres minores sunt quotidie in conspectu dei sui Machometh pro custodiate, quam habent, & totum, quod datur ad pedes eius, est de ipsis minoribus fratribus. Hæc sanctissime pater, ita esse in veritate sciatis.*

8 Ad præpotentem adeo barbarum Christiani nominis hostem infensissimum se accinxisse, Hierosolymitanamque expeditionem, cui iam ante se deuouerat, adornasse Andream Vngarorum Regem testantur eius literæ per hæc tempora exaratæ; quibus ab Innocentio flagitauit, vt filium Apostolica auctoritate regia corona redimiri iuberet, publicæ pacis hostes censuris coërceret, suscipiendæ profectionis voto nonnullos viros auctoritate conspicuos ad regnum administrandum eximeret, iura Strigoniensis ecclesiæ stabiliret. Quas literas nos ob rerum, quas continent dignitatem, ad illustrandam historiam afferre operæ pretium ducimus, atque ex libro priuilegiorum Romanæ Ecclesiæ decerpere:

Sanctissimo in Christo patri Innocentio Dei gratia sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici, Andreas eadem gratia Vngariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Seruiæ, Galic. Lodomiriæque Rex salutem, & filialem deuotionem.

Consueuit sedes Apostolica se iusta petentibus exhibere facilem, & in explendis honestis petentium desiderijs non minus efficacem. Hinc est, quod super negocijs nostris, iustis apud paternitatis vestræ mansuetudinem promouēdis non immerito fiduciam nobis repromittimus. Nouit igitur sanctitas vestra, quod Galic. principes & populus nostræ ditioni subiecti humiliter a nobis postularunt, vt filium nostrum Colomannum ipsis in Regem præficeremus, in vnitate & obedientia sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ perseueraturis inposterum, saluo tamen eo quod fas illis sit, a ritu proprio non recedere. Verum ne tam expediens nobis & vobis illorum propositum ex dilatione sustineat impedimentum, quod quidem multis de causis accidere posse constat, si legatum ad hoc exequēdum a latere vestro destinatum præstolamur, a sanctitate vestra postulamus, quatenus venerabili in Christo patri nostro I. Strigoniensi archiepiscopo detis in mandatis, vt apostolica fretus auctoritate, dictum filium nostrum eis in Regem inungat, & sacramentum super obedientia sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ exhibenda ab eodem recipiat.

Petit filiũ Apost. auctoritate inungi Regem.

9 Præterea innotescere volumus vestræ paternitati, nos ad proficiscendum Hierosolymas, sicut & tenemur, studiosè intendere, & omni diligentia festinare. Ideoque regni nostri curam, cuius principes ad dissentiendum proni sunt, & filiorum nostrorum tutelam, quorum ætas patrono indiget, & patri nostro in Christo I. Strigoniensi archiepiscopo, qui & dignitate cæteris præeminet, & fidei constantia probatus est, cum quibusdam alijs, quorum prouidentia & in recessu, & post recessum nostrum credimus regnum plena tranquillitate potiri immutabiliter, possumus commendare. Quapropter rogamus paternitatem vestram, quatenus compatiendo nostris necessitatibus, ipsum ab onere accedendi ad vos habeatis excusatum. venerabiles autem viros Quinquecclesiensem & Geuriensem episcopos, nec non præpositum Albensem, cancellarium nostrum, dudum voto alligatos, & signo crucis insignitos, vt nobis itineris socij sint, vtpote ex quorum societate non modicas vires constat nobis accrescere, a vocatione vestra diligenter imploramus absolui.] Hos cum alijs episcopis a Pontifice ad Lateranense concilium sequenti anno celebrandum euocatos fuisse arbitramur. pergit Rex:

10 Deprecamur insuper paternitatem vestram, vt omnes conspiratores, & infidelitatis machinatores, qui propter regni scissuram filium nostrum nobis viuentibus, & nolentibus in Regem sibi præficere, vel coronare attentauerint, tam clericos quàm laicos sententia excommunicationis *... Meminerit etiam sanctitas vestra anno ante præterito super iure coronationis ad ecclesiam Strigoniensem pertinen-

Et ferri anathema in coniuratos.

*innodet

nentis, per venerabilem. R.. episcopum Vesprimiẽsem nuncium nostrum, vos nobis literas direxisse, continentes laudabile vestrum consilium, & rationem efficacem, quod si coronatio ad plures pertineret, materiam dissensionis & schismatis facilè excitaret, dum vnus vnum, alius alterum in Regem coronaret, quas cum quibusdam alijs a sede Apostolica nobis directis, & continentibus solam Strigoniensem ecclesiam, in officiales domus regiæ iurisdictionem habere in occisione felicis recordationis vxoris nostræ per subreptionem amisisse. Quarum continentiam quia credimus in registro contineri, petimus a sanctitate vestra nobis rescribi.]

11 Ex his ineptiæ arguitur commentitia fabella, quam refert Bonfinius a ab eoque nouatores mutuantur b, nimirum Andream Regem ad sacrum bellum iturum regni administrationem Banebano demandasse, eiusque vxori Gertrudis Reginæ fratrẽ, qui ad sororis ægritudinem leuandam in Vngariam venerat, libidinis ardore impulsum Regina ipsa adiutrice stuprum intulisse. quapropter iratum Banebanum Getrudem confodisse, moxque profectum ad Regem, qui Constantinopoli substiterat, ferrum quo Reginam interemerat, obtulisse, dixisseque: *Si peccaui, eodem me confice, verum si iure ad factum censes, absolue.* At Regem domum ipsum regredi, fideliterque iniunctum sibi munus gerere iussisse, se bello perfecto causam cogniturum; denique Andream in Pannoniam reuersum Banebanum in iudicium vocasse, probanteque illo stuprum vxori suæ Reginæ culpa illatum, quæstione liberasse. Verum narrationem eiusmodi niti mendacio illud aperte ostendit, quod Regina, antequam Andreas Hierosolymitanum iter arriperet, occisa esset, vt Rex ipse testatur. Eam porro calumniam Gertrudi Reginæ de exercito lenocinio, procuratoque adulterio aspersã, vt longe ab eius moribus alienã etiam a Longino c refutatam anno superiori vidimus. Atque de his satis. iam quæ supersunt, ex Andreæ literis in medium adducamus.

a Bonf. de reb. Vng. l. 7. decad. 2.
b Cent. 13 cap. 6. col. 670.
Bonfinij in Gertrudem caluĩnia diluitur.
Refellitur quoque a Longino.
c Longin. hist. Pol. l. 6 an. 1213

12 Nec diffiteri possumus nec volumus, quin decima monetæ vbicunque cudatur in tota Vngaria, vel quicquid loco monetæ succedat, ad ius Strigoniensis ecclesiæ pertineat, quod etiam in formatione pacis anno ante præterito a parte aduersa publicè fuit recognitum, licet minus plenè fuerit scriptum quàm intellectum. Præstatio quoque sacramentorum Regibus & Reginis Vngariæ, eorundemque heredibus, cum cæteris iuribus, sicut in confirmationibus vestris, & antecessorum vestrorum Apostolicorum virorum continetur. Amplius quod admirari non sufficimus, & a notitia paternitatis vestræ alienũ fore nequaquam volumus, Colocensem scilicet archiep. hominem pacis nostræ, in quo sperabamus, ob cuius vehementem affectionem & promotionem super alios ferè totius regni nostri maiorum, & minorum odium incurrimus. Quem etiam nuper a nobis licentiatum peregrinationis causa supra honorem sibi debitum extra regnum cum comitatu duorum episcoporum Geuriensis & Vesprimiensis conduci fecimus, pecuniam quam bonæ memoriæ vxor nostra ad opus & vsum filiorum & filiarum nostrarum congesserat, & apud quendam ciuem nostrum deposuerat, in auro & argento in massa, vasis & vtensilibus aureis & argenteis, ad æstimationem VII. millium marcharum nobis nescientibus abstulisse, & asportasse.

Andreas queritur de latrocinio Colocen. episc.

13 Petimus igitur a sanctitate vestra, super restituendo quod nobis miritè sublatum est, Apostolicam cõmonitionem præmitti, qua interposita, & satisfactione non secuta in tempore, non indignè ferat paternitas vestra, si de ipsius prouentibus damnum nobis illatum resarcire studuerimus. Cæteris autem quæ verbo tenus lator præsentium vobis explicauerit, non minus quàm literis fidem indubitatam adhibeat sanctitas vestra.] Hactenus Andreas Rex ad Innocentium, vt ad susceptam expeditionem in Saracenos promouendam Apostolicum ipsi auxilium explicaret. nec regijs votis Pontificem defuisse putandum est, cum singulari ardore animi ac studio crucesignatorum clientelam arripere consueuisset. Hæc de meditata in Mahumetanos expeditione suffecerint. quid in Albigenses ad abolendas illorum reliquias agitatum sit, nunc intueamur.

14 Deiecti Montfortij victorijs, & crucesignatorum terrore hæretici, ad eludendas meritas pœnas ad Apostolicam, vt certissimum pietatis asylum, magna ex parte confugerant: ac missis oratoribus Tolosates, Conuenarum comes, Gasto Benearniæ dominus, alijque proceres vrgebant Innocentium precibus, vt ipsos in gratiam admitteret. Non leues præterea inter catholicos discordiæ erant exortæ, inter Narbonenses maximè & Montfortium. Tum Aragonia magnis tumultibus fremebat a, cum alij Petri Regis fratribus, qui regnum affectabant, adhærescerent, alij eius filium Iacobum, postea ob res præclarè gestas expugnatorẽ dictum, Regem salutarent, ad quem e Montfortij potestate, in quam ceciderat, regno restituendum b, componendas Aragoniorum seditiones, Narbonensium controuersias extinguendas c, Tolosates d ac nonnullos proceres pœnitentes in gratiam recipiendos e, imponendum principem comparatæ hæreticorum ditioni, ac denique excindendas f hæreseos reliquias, Innocentius Petrum Beneuentanum, S. Mariæ in Aquiro diaconum Cardinalem, legati Apostolici munere auctum in Gallias misit, quem archiepiscopis Ebredunensi, Arelatensi, Aquensi, ac Narbonensi illorumque suffraganeis, vt debito honore exciperent, literis g commendauit: quibus nonnulla de cladibus a dæmone hæreticorum opera inflictis, quorum improbitatem cum equo rufo Apocalypsis comparat; deque adhibita a se in medendis ijs malis diligentia præfatus, de legato hæc addit:

a Surit l. 2 cap. 66. Marian. l. 12. c. 4.
b Lib. 16. post. ep. 171
c Pet. Vall. c. 77.
d Inn. l. 16 ep. 172.
e Post add. ep.
f Ibid. ep. 162.
g Ibid.

15 *Quia ille, qui paci hominum insidet, & saluti, nouas illic dissensionis materias seminauit, ne superexcrescente zizania triticum suffocetur, cum labore tanto & studio seminatum, dilectum filium nostrum Petrum S. Mariæ in Aquiro diac. Card. Apostolicæ sedis legatum, virum vtique literatum, prouidum & honestum, quẽ inter cæteros fratres nostros specialis charitatis brachijs amplexamur, ad partes ipsas a latere nostro destinamus, qui auctoritate, ac vice nostra pacis fœdera iampridem inita corroboret, & confirmet; & vt vir potens in opere, & sermone, nouellam plantationem irrigans, in fide foueat, & consolidet orthodoxa: & generaliter destruat, & euellat, ædificet, atque plantet, quæ destruenda, & euellenda, nec non ædificanda viderit & plantanda, corrigendo & reformando, quod correctionis, & reformationis officio cognouerit indigere. Dat. Later. XVI. kalendas febr. pontificatus nostri anno XVI.* Iisdemque verbis Simoni Montisfortis comiti hoc significauit h.

16 Iniuncta i etiam est legato prouincia, vt Tolosates Ecclesiæ conciliaret, sedisque Apostolicæ clientelæ commendatos haberet, dum in fide catholica perstarent.

h Ib post ep. 171.
i Ibid. ep. 172.

Etsi Tolosanorum excessus grauis sit, & enormis; quia tamen sæpe & nuper per dilectum filium P... Guitardum, & B.. Gilaberti nuncios suos pulsarunt ad ianuam, & humiliter pulsantibus non est Ecclesiæ aditus præcludendus, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus sufficienti ab eis, iuxta quod videris expedire, cautione recepta, ipsos reconcilies ecclesiasticæ vnitati, & sic ciuitas ipsa reconciliata sub Apostolicæ sedis protectione consistat non molestanda de cætero a comite Montisfortis, vel alijs fide catholicis, dum

Tolosates reconciliari iubet Innoc.

in fide catholica, & ecclesiastica pace duxerint persistendum. Quod si forte satisfacere noluerint, & in errore suo duxerint persistendum; nos per indulgentias innotatas crucesignatos, & fideles alios praecipimus excitari, vt ad extirpandam pestem huiusmodi diuino freti auxilio insurgentes, tam contra ipsos, quam quaslibet alios receptatores, aut defensores eorum, qui plus ipsis haereticis sunt nocini, procedant in nomine Domini Sabaoth. Dat. Later. VIII. kal. febr. pontificatus nostri an. XVI. Eademque pro Conuenarum comite, & Gastone supra commemoratis scripsit. Admissos potrò a legato in gratiam Ecclesiae hos viros ptincipes, atque ad fraenum iniiciendum audaciae ac leuitati, ne facilè a fide tesilirent, nonnullas arces praesidiario milite ipsorum sumptibus muniendas tradere iussos esse; tum restitutos sacris Tolosatea ac Narbonenses repressos, testatur Petrus Vallisarnensis a, ex quo a nobis delibandum est, quae hoc anno victoriae de Albigensium pertinacissimis fuerint reportatae.

a Pet Vall hist. Albig c. 77.

Felices Mótfortij progressus

17 Narbonensibus ergo metu imperijs legati pacatis (incutiebat enim illis terrorem illius auctoritas fulta crucesignatorum armis, quos episcopus Carcassonensis & Iacobus de Vitriaco ad Christi defendendam gloriam incenderant) post festa resurrectionis dominicae Montfortius belli molem versus Caturcensium & Aginnensium partes effudit. expugnatum euersumque Maurilliacum, septemque Vualdenses ignibus iniecti: mons Pisatus ab hoste trepido relictus vacuus excisus: Marmanda compulsa ad deditionem, Angli verò, qui regijs signis defixis oppidum defendendum susceperant, in Regulam se recepere: obsessum Cassanolium, vbi haereticorum colluuies erat, cumque Ioannes Anglorum Rex Petrachorae cum ingenti exercitu ageret, haeretici ipsum saepius interpellauere, vt obsessis opem ferret, ac rumor increbuerat ipsum iam immiuere; iniquo enim ferebat animo nepotem, filium scilicet comitis Tolosani, paterna ditione depelli, & confugientes ad se haereticos magna nomini aspersa labe excipiebat. Sed Montfortius ad arcendos eius conatus sese comparabat. ac postquam vi in arcem irrumpere saepius tentatum esset, fatigati perterritique hostes eam imprimendos proximè impetus sustinere non posse vererentur, intempesta nocte diffugere, captumque oppidum euersumque est.

18 Perdomiti etiam alij plursque loca victorem excepere, diruta Doma b, Monsfortis solo adaequatus, cuius loci dominus, cui Bernardo Casuacio nomen erat, illiusque vxor vicecomitis Turenae soror crudelissimè in catholicos saeuierant, inuenti enim Sarlati vtriusque sexus centum quinquaginta oculis ab eo tyranno orbati: nec impar scelere vxor mamillas, pollicesque pauperibus mulieribus amputare erat solita, ne vel nutrire vel labore vitam tolerare possent; eodemque impetu victoriae castrum nouum, ac Benacium in Montfortij potestatem venere. Fuerant ea munitissima oppida haereseos sentina foedissima, e quibus ingentia mala a centum annis superioribus in vicinas regiones inundarant; iisque deletis, pax Caturcensibus, Agiunensibus, Lemouicensibus, ac Petragoricensibus est restituta, quibus Iordanus cōsentanea scribit his verbis: c *Eodem anna comes Simon cepit quatuor castra fortissima haereticorum, vbi securi manebant per annos centum & vltra.* Inde Capdeuacum captum ac Rhutenae admoto exercitu comes Rhutenensis ad dandam Montfortio fidem hominiumque ligium praestandum compulsus. Postea media rigente hyeme occupato Seueraci suburbio vi bs aliunde munitissima, ob summam rerum inopiam ad excipiendum victorem adducta, fraenataeque latronum excursiones, qui inde frequentibus eruptionibus vicina vastare erant soliti.

b Ib. c. 80.

Vicecomi tissae Turenae crudelitas.

c Ior. M.S. bibl. vat. signat. nu. 1960.

19 Appetebant a natalis dominici festi dies, cum a Petro Beneuentano legato apud montem Pessulanum celeberrimum praesulum concilium indictum est, cui archiepiscopi quinque, episcopi vigintiocto, pluresque abbates, atque optimates interfuere, vt de praeficiendo Tolosae aliisque ciuitatibus, quae se fidei ac voluntati legati crediderant, principe agitaretur: eademque tradit memoratus Iordanus, qui Tolosanos ad ambiguam fidem deuinciendam legato obsides dedisse ait b. Montem Pessulanum non est ingressus Montfortius, cum ciuibus exosus esset; in castro tamen vicino agebat, vt facilè cum eo consilia agitari possent. Coacto igitur coetu haec verba ad patres legatum babuisse refert Vallisarnensis: *Repeto & requiro a vobis sub obtestatione diuini iudicij, & obedientia debita, quo Romana Ecclesia tene mini, vt omni gratia, odio, liuore postpositis, detis nobis fidele consilium secundum scientiam vestram, cui melius & vtilius ad honorem Dei & sanctae matris Ecclesiae, & pacem terrae, ad expugnandam vel expurgandam spurcitiam haereticarum concedi & assignari debeat Tolosa, quam comes Tolosanus tenuit, & alia terrae, quas occupauerunt exercitus Christianorum crucesignatorum.*

a Ib. c. 81. Concilium apud montem Pessulan. celebratum.

b Iord. vbi sup.

Legati Ap. ad patres oratio.

20 Matura ergo deliberatione discussis vocatisque ad calculum omnibus, rationibus scriptoque commendatis, omnium voluntatea in eligendo Montfortio consensere: perpensa tamen legati auctoritate, ac literis pontificijs perlectis, archiepiscopum Ebredunensem oratorem ad Innocentium Papam decreuere, qui omnium nomine Montfortium in principem deposceret. Nec praetereundum conuentus tempore in non leue capitis discrimen venisse comitem: cum enim a legato euocatus vrbem ingressus cum filijs duobus esset, ciues quo flagrabant in eum odio, insidias comparauere; sed ijs patefactis, alio suscepto itinere ex ijs emersit. Dissoluto tandem coetu missus Tolosam a legato episcopus Tolosanus, vt vrbem porestati legati commissam firmissimo praesidio ciuium sumpt bus muniret. Paruere metu adducti ciues, ac Raymundi filium e palatio auito eiecere.

Tolosanus comitatus a patribus Mótfortio attribuitus.

21 Vt meritas perfidiae suae poenas ob haereticos defensos Raymundus tulit: ita Philippus Galliarū Rex ob infectatos ferro flammisq; haereticos florentissimas de hostibus potentissimis victoriaa a Deo est consecutus; nec enim aptius vlli rei, quā defendendę religionis zelo partaa ab ipso clarissima trophaea adscribere possumus. Effulsit verò ad terrorem in Othone diuini numinis vindicta: cum enim Pontificijs monitis conculcatis inito cum Ioanne Anglorum Rege, Ferrando Belgij comite, alijsque proceribus Gallicae aulae stipendiarijs perduellibus armorum foedere Philippum Regem bello peteret, foedissima ad Bouinas deletus clade, moxque a suis desertus in miserum adeo statum redactus est, vt nunquam sese erigere potuerit; ac demum amisso Imperio, dolore contabuerit. Nec mirum a Philippo superatum, a quo pietate longe vincebatur: tradit namque Rigordus magnae fidei auctor, Philippum vbi imminere hostem, iamque primas aciea se lacessere, & concurrere accepisset, proximum templum ingressum preces ad Deum ardentissimas, quas periculi magnitudo accenderat, fudisse, dispositisque copijs signa collaturum hanc ad militea orationem habuisse c: *In Deo tota spes & fiducia nostra est posita. Rex Otho & exercitus suus a domno Papa excommunicati sunt, qui sunt inimici & destructores rerum sanctae Ecclesiae, & pecunia qua eis stipendia ministrantur, de lacrymis pauperum, & de rapina ecclesiarum Dei, & clericorum acquisita est: nos autem Christiani sumus, & communione & pace sanctae Ecclesiae fruimur, & quamuis peccatores simus, tamen Ecclesiae Dei consentimus, & cleri pro posse nostro defendimus libertates, vnde praesumere*

Bouinense praelium inter Oth & Phil.

c Apud Rigord. in Phil. Aug. Philippi ad milites oratio.

fidu-

fiducialiter debemus, de Dei misericordia, qui nobis licet peccatoribus dabit de suis, & de nostris hostibus triumphare.

Quæ arte sibi deum aciem suos. a Io. Vill. l. 9. c. 35.

22 Philippum verò maxima in eo bello pericula adijsse tradunt auctores, e quibus Ioannes Villanus id memoria dignum scribit a: Philippi proceres cum aduersa hostibus castra defixa essent, penè defectionem meditatos, atque ad eos sibi conciliandos Regem deposita in altari corona præcepisse, vt illam omnium dignissimo traderent, seque ipsi lubentissimè pariturum, eoque facto confusos conuersis animis fidissimos ipsi futuros sacramento spopondisse. Nec minus periculum diuina ope euasit, cum vndique circumfusus hostibus (illum enim omissis cæteris peti Otho iusserat, victoriam in eo sitam arbitratus) suffosso equo in terram deiectus est. ad quod visus est dæmon allusisse, cum ambiguo responso de pugnæ exitu consulentes illusit, qua de re hæc Rigordus b: *Sicut etiam fama loquacitate cognouimus ipsa vetula comitissa Flandriæ Hispana genere matertera ipsius Ferrandi, filia Regis Portugalensis, vnde & Regina comitissa appellabatur, præstigijs & sortilegijs euentus belli scire desiderans, ab angelis, qui huiusmodi artibus præsunt secundum morem Hispanorum tale meruerat habuisse responsum: Pugnabitur, & in ipsa pugna Rex prosternetur in terram, & equorum pedibus conculcabitur, & carebit sepultura. Ferrandus post victoriam cum maxima pompa a Parisianis recipietur. Hæc omnia rectè intelligenti possunt interpretari in verum: consuetudo enim dæmonis est semper talibus, qui eum colunt, amphibologice loqui, eorum desideria palliata veritate inuoluens, vt suos semper cultores decipiat, & vt ipsi de se bona semper credant dici, quæ Deus ad eorum confusionem & aliorum honorem fieri disponit.* Ex cuius infelicia principis casu, qui magna pompa onustus vinculis Parisios adductus est, vt arctissimæ custodiæ traderetur, quam vrbem illi Otho, dum Francorum regnum inter suos partiretur, attribuerat, discant homines nunquam fallacibus dæmonum oraculis fidere.

b Rigord. sup. Paris. bell. Angl.

Periclitatur in pugna, vincitque.

Fallax dæmonis vaticinium.

Ferrādus in triūpho ductus.

Ludouicus Phil. filius Io. Regē profligat.

Ob gemināam victoriam templum Deo Syluanecti posituū.

23 Adscripsit eam victoriam Philippus diuino numini, cuius gloria alia etiam insigni victoria, quam ipsius filius Ludouicus de Ioanne Anglorum Rege eodē mense in Andegauia reportauit, atque obsidionem qua Rupem monachi hostis premebat, soluere coegit, cumulata est; vtque grati erga Deū animi illustre monumentum ac trophæum statueret, magnificum eidem victori Deo templum Syluanecti posuit, atque ædes amplissimis opibus auctas religiosis viris excitauit, vt scribit Rigordus his verbis: *Quia pater & filius de magnis aduersarijs eodem tempore triumphare meruerunt, in eiusdem triumphi memoriam Rex Philippus ædificari fecit abbatiam de ordine S. Victoris Parisiensis iuxta Syluanectum, quæ appellatur Victoria.* Nec stetere hic Philippi secundæ res: Pictones enim sese illi vltro dedidere ac solo terrore de alijs potentissimis hostibus prælium cōfecit. De superiori Othoniana clade, Philippique victoria (vt eos omittamus, qui Rigordum exscribere consueuerunt c) agūt etiam Vrspergensis d, Stadensis e, Matthæus Parisius f, Godefridus g aliique plures h, quos inter supradictæ historiæ S. Lamberti antiquus auctor, qui illam Francorum Regi diuinitus concessam ostendit, lepidumque ac facetum huiuscemodi Philippi facinus refert.

c Vinc. Bellou. S. Ant. & a.
d Vrsp. in chro. an. 1214.
e Stad. in chro. eod. ann.
f Par. hist. Angl.
g Godef. in annal. Iordan. M. S. bibl. Vat. & Lāg. chr. Carnuen.
h vet. chro. Hirsaug. Bern. chr. Reg. Frāc. Naucl. in chr. Iac. b. Meyer. an. Fland. eod. ann. & alij. Crantz. hist. Sax. lib. 7. c. 35.

Facetum Philippi factum.

24 *Dux Brabantiæ Henricus ante dictus, breui elapso tempore, misit ad Regem Franciæ (quippe socerum suum) legatos plurimum illi se congratulari simulans pro prædicta victoria de Othone obtenta. At Rex, duas sub sigillo regio reclusas dimisit schedulas, quarum dux primam aperiens nihil in ea scriptura reperit; in altera autem sententiam verba huiusmodi continentem legit: Sicut prior schedula scripto fuit vacua, ita & dux fide iustitiaque vacuus est.* Planè fide atque iustitia vacuus, namque Ferrandi Flandriæ atque Hannoniæ comitis, qui Leodiensis episcopi patrocinium sumpserat, metu adductus, Leodium accesserat, atque antistitis pedibus aduolutus veniam poposcerat, & crimen expiaturum promiserat; subinde tamen Francorum Regem socerum suum deseruit, ad exauctoratum sacrisque interdictum Othonem iterum transfugit, illum rursus in Leodienses concitauit, quos vt facilius insequi, & opprimere posset, ipsi huius anni mense maio Mariam filiam suam matrimonio coniūxit (de his nuptijs Flandriæ quoque annales a) Sed genero postea a Francis victo, fractus etiam est Henricus atque a Friderico Imperatore designato sub iugum missus, subdit namque anonymus scriptor b: *Itaque Fridericus, audito quod Francorum Rex Philippus tanta, vt dictum est, victoria Othonem eiusque principes expugnasset: securus Rhenum maximo cum exercitu transiens, circa Traiectum ad Mosam venit, & quicunque illi hactenus restiterant, statim se eidem in omnibus sub fidei iuramento subiecerunt. Peragrata autem omni prouincia, cum ad introitum venisset Brabantiæ, sciens dux quod nullam de commissis consequeretur veniam, si vlterius vellet resistere, sano ductus consilio, se cum filio suo primogenito subdidit per omnia Regia ditioni. Quos a suis Rex secum captiuos abducens finibus, reuersus est ad propria: prius tamen vt præmisimus in omni pacis & libertatis gaudio nostra diœcesi restituta &c.* Hæc ille, qui de Othone subiungit: *Cumque præfatus audisset Otho, quod Fridericus Augustus secum captiuos illos abduceret, timens fugit de Colonia vna cum coniuge sua ducis illius filia, & apud Brunsvvich multo tempore commoratus est.* Ita Othonianus tumor breui instar bullæ elisus est, ac partæ a Philippo victoriæ præcipuos fructus Fridericus collegit.

a Meyer. Fland. annal. ann. 1214.
b Lib. 3. de S. Lamb. c. 16. Godef. in annal. Trithem. chr. Hirsaug. Naucl. in chro. ann. 1214.

Dux Brabantiæ se Friderico submittit.

Othonis fuga.

25 Profligato c igitur penitus Othone, Ioannes Angliæ Rex admodum animo est consternatus, quem in eo bello quadraginta marcharum millia a Cisterciensibus extorta consumpsisse, ait Parisius, iusto Dei iudicio, qui nunquam ex sacris opibus principum res augeri, sed deteri permittit. Cum enim Anglus in se Philippum victrices copias vertere cerneret, de paciscendis inducijs egit, quæ demum in quinquennium a Philippo, quamuis opprimendi hostis non exigua spes arrideret, concessæ sunt. Quod verò ad res Anglicanas attinet; cum Stephanus Cantuariensis archiepiscopus acerbe ferret Nicolaum Tusculanum episcopum Apostolicæ sedis legatum, vacantibus in Anglia ecclesijs præsules præficere, suffraganeorum suorum coacto concilio, legatione missa, ne id faceret prohibere conatus est, sed frustra, ipso Cardinale legato per nuncium apud sedem Apostolicam agente. Quomodo verò hæc omnia se habuerint, ex Matthæo Parisio accipere operæ pretium est: *Quo cum peruenisset,* nimirum Pandulphus, *famam archiepiscopi Cantuariensis in conspectu summi Pontificis non mediocriter denigrauit: Regemque Anglorum tantis ibidem extulit laudum præconijs, asserens se Regem tam humilem, tamque modestum hactenus non vidisse, vt in oculis domini Papæ idem Rex gratiam admirabilem obtineret. Restitit autem Pandulpho ibidem magister Simon de Langetuna, frater archiepiscopi Cantuariensis. Sed quoniam charta Regis auro bullata, domino Papæ de subiectione & tributo regni Angliæ & Hyberniæ, a prædicto Pandulpho nuper delata fuerat, magister Simon in suis contradictionibus non potuit exaudiri. Asserebat præterea Pandulphus memoratus in præsentia domini Papæ archiepiscopū, et episc. in exactione, et ablatorum restitutione tempore interdicti nimis esse rigidos & auaros: quodque ipsum Regem & regni libertates plus æquo deprimebant, & sic propositum archiepiscopi & episcoporum ad tempus accepit dilationem.*

c Rig. vbi sup. Paris. hist. Angl.

Induciæ inter Phil. & Ioan. Reges.

Oritur inter legatū Card. & Steph. Cāt. dissensio.

Innoc. in legati partem propendet & cur.

Legati de Stephan. querelæ.

Hoc

26 Hoc quoque anno Innocentius Papa ab eodem Rege, atque archiepiscopo per legatos Romam missos rogatus, vt latam in Angliæ regnum interdicti sententiam reuocaret; ea de re ad Tusculanum episcopum literas dedit, quas auctor recitat a. Quibus etiam concordiæ leges Regem inter atque episcopos approbat, vt nimirum ad sarcienda inflicta damna præter iam data alia quadraginta marcharum millia traderet, atque insuper duodecim, annis singulis, marcharum millia, donec omnino factum esset satis: *Ad hoc fideliter exequendum obligauit seipsum ipse Rex per proprium iuramentum, & per literas patentes, sigillo suo communitas, nec non per fideiussionem Vvintoniensis, & Noruicensis episcoporum, Cestrensis & Vvintoniensis, & Vvillelmi marescalli comitum, ita quod tam heredes ipsius Regis, quam successores eorum tenebuntur astricti. Quocirca per Apostolica tibi scripta præcipiendo mandamus, quatenus secundum formam præscriptam procedere non postponas, nisi de mera & libera voluntate partes aliter duxerint componendum. Dat. Laterani.*

a Matth. Par. eod. anno.

Concor. inter episc. & Regem inita.

27 Eodem argumento epistola extat in pontificio regesto ad eundem legatum missa b, qua munus ei sit demandatum, vt mox atque Regem sacramento adegisset erepta præsulibus a se restitutum iri, atque in resarciendis damnis illaris Pontificis arbitrio pariturum, interdictum dissolueret, sub quo iamdiu Anglia ingemiscebat: *Tu receptis eius patentibus literis suo sigillo munitis, quibus se profiteatur ad hoc etiam inter alia ex præstito pridem nobis iuramento teneri, quod tam super restituendis ablatis, quam super recompensandis damnis mandatis nostris absque refragatione parebit, relaxes protinus sententiam interdicti, & super vtrisque inquisitionem fieri facias diligentem, quam nobis mittere non postponas. Prætaxatam verò pecuniam distribui facias, secundum proportionem ablatorum, inter eos, quibus est restitutio facienda. Cum igitur hoc mandatum de certa scientia faciamus, volumus & iubemus, vt illud sublato cuiuslibet contradictionis, & appellationis obstaculo exequaris, nisi iam aliter sit de communi voluntate prouisum, vel adhuc conuenerit prouidendum, pro relaxando celeriter interdicto, quia tali ac tanta cautione promissa seruari non decet ob huiusmodi causam diutius circa populum sententiam interdicti, quam circa Regem absque mandato nostro idem archiepiscopus relaxauit, celebrando illi diuina, vt alia taceamus, in quibus ipse fines nostri mandati asseritur excessisse: per quæ tamen ecclesiasticæ libertati nolumus impedimentum afferri, pro qua est summopere insistendum. Datum Laterani x. kal. feb. pont. nostri anno xvi.* Quomodo verò Nicolaus acceptis Innocentij literis Londonij apud S. Paulum magnum archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, priorum, comitum aliorumque optimatum collecto conuentu Apostolicæ sedis iussa peregerit, ac SS. Apostolorum Petri, & Pauli festo die interdicti latam ante sex annos sententiam in principe ecclesia cunctis exultantibus solemni ritu sustulerit, auctor memoratus tradit.

b Inn. l. 16 ep. 164

Interdicti ex Anglia tollendi legato prouincia data.

Solemni ritu dissoluitur.

28 Cum verò prælati Anglicani, qui sua ab Rege expilata querebantur, vectigal Romano Pontifici pendi solitum, dictum vulgo denarium S. Petri, in suos vsus magna ex parte auertissent, illius recuperandi legatis prouincia his literis c iniuncta est: *Cum sicut vestra discretio plenè nouit, singulæ domus totius Angliæ singulos denarios pro censu B. Petri annuatim nobis soluere teneantur, prælati Angliæ, qui eum nostro nomine collegerunt, rem inuito domino contrectantes, maiorem sibi exinde partem non sunt veriti retinere: cum non nisi trecentas marchas nobis persoluerint, & sibi mille vel amplius vsurpauerint. Vt igitur ius Ecclesiæ Romanæ seruetur illæsum, discretioni vestræ præsentium auctoritate districtè præcipiendo mandamus, quatenus prius recipientes ab eis denarium ipsum, prout hactenus exsoluerunt, & eos ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita compellentes, firmiter postmodum ex parte nostra iniungatis eisdem, vt residuum cum integritate persoluant, &c. Dat. Later. v. kal. febr. pontif. nostri an. xvi.*

Innoc. repetit denarium S. Petri.

c ibid. ep. 173.

29 Hoc eodem anno, vt de Hispanicis rebus aliquid dicamus, obijt Alphonsus Castellæ Rex, exactis in regno quinquaginta tribus annis, vt docet Rodericus a Toletanus archiepiscopus, qui eius confessionem excepit, defunctoque iusta persoluit, atque ex eo Ioannes Mariana b, quorum vterque pijssimum principem magnis laudibus ornat. Lucas tamen Tudensis quinquaginta dumtaxat annos eius regno tribuit, dum hæc de eo posteritati tradit: *Rex autem Castellæ Adelphonsus in Domino roboratus, obsedit fortissimum castrum Sarracenorum Alcalzam, & cepit ipsum, & reuersus est in Castellam, cum gloria magna, atque feliciter, vita termino consummato, obijt in territorio Areuali, & vt tantum Regem decebat, Burgis in monasterio de Olgio, quod ipse construxerat, gloriose sepultus est. regnauit annis quinquaginta.* Successit parenti Henricus filius vndennis, qui imbellibus manibus sceptrum sustinere vix potuit: paulo enim post eius mater Eleonora, quæ regni procurationem adierat, ex viri desiderio vitam amisit, reique publicæ administratio Berengariæ Henrici sorori Reginæ Legionensi delata est, indeque a proceribus, qui fœmineam imbecillitatem spernebant, summisque rebus præesse ambiebant, magni excitati motus in Castella fuerunt.

Alph. Regis Cast. mors.

a Rod. Tol. de reb. Hispan. l. 8. c. 15.

b Io. Mariã l. 12. c. 4

Henricus fil. illius succedit. Iord. M.S. bibl. Vat.

Graues motus in Castella.

30 Longè grauioribus Aragonia fluctuauit, cum Sanctius & Ferdinandus Iacobi sexennis pueri ætate contempta, quem etiam illegitimis nuptijs procreatum contendebant, regnum non ambiguis artibus affectarent; ac Sanctius fratrem Ferdinandum vt monachum, & gerendis rebus inutilem excludere niteretur; Ferdinandus verò Ramiri Regis exemplo suam causam tueretur, atque excluso Iacobo se proximum sanguine disputaret. At Aragonij ad declinanda bellorum ciuilium mala missis ad Pontificem oratoribus expetiere, vt Iacobum Regem, qui a Montfortio Carcassonæ seruabatur, sibi restitueret, quod Petri Beneuentani Cardinalis legati opera factum insinuauimus, vbi de eius legationis causis verba fecimus, quibus consentanea Iordanus prodit his verbis: *Mortuo Rege filius eius paruulus Iacobus tutelæ comitis Simonis relictus est, & eius filia desponsatur, sed quia in bello Regi dederat mortis occasionem, prouidit sedes Apostolica, vt puer suis naturalibus redderetur, & per Papæ legatum Rex Iacobus fuit suis fidelibus restitutus, & accepit coniugem Alienor.* extant verò Apostolicæ literæ c ad Montfortium, quibus iubetur Petro legato Iacobum Regem committere: ad quod etiam Aragoniorum minis adduci potuit, quos ipsi bellum indicturos fuisse, nisi Regem restituisset, scribit Surita d additque Petri Beneuentani opera rem perfectam, cum prius Aragonij sacramento deuincti fuissent, se Iacobi vitæ ac regno summa fide ac religione prospecturos. E quibus paterna sedis Apostolicæ solicitudo perspicitur quam in tuendis Regibus ac principibus, quos ætatis infirmitas temeritati versutiæque subditorum exponit, collocare consueuit.

Grauiores in Aragonia.

Iacobus expetitus Rex ab Arag.

Iord. M.S. bibl. Vat. sign. nu. 1960.

c Inn. l. 16 post ep. 171.

d Sur. l. 2. cap. 66

31 Nec defuit Pontifex studio & opera defendendis præsulibus virisque ecclesiasticis, quorum dignitas ab improbis violata fuerat. Strigoniensem enim archiepiscopum e cæterosque Pannoniæ episcopos, in sacrilegos quosdam animaduertere iussit, qui in Colocensem archiepiscopum, & alios clericos violentas manus iniecerant, singulis enim illos festis, pulsatis campanis, accensisque cereis, in eorum diœcesibus, anathemate damnatos publicè denuntiari iussit, ac Poloniæ duces, sacrilegos illos, si ad se confugissent, eijcere mandat f. Cumque archiepisco-

e Id. ib. ep. 159.

f Ib. post eand. ep.

Arch. Lūden. se excusat venire ad conc. a lib. 16 ep. 81.

ſcopus alter, nimirum Lundenſis, excuſationem ad ſynodum non veniendi afferre niteretur, grauem hanc epiſtolam a miſit.

Archiepiſcopo Lundenſi A. S. L.

Arguitur ab Innoc.

Inter cætera deuotionis obſequia, quæ tenentur epiſcopi, & præcipuè archiepiſcopi ſedi Apoſtolicæ tanquam matri fideliter exhibere, hoc vnum præcipuè debet eſſe, vt ad concilium veniant euocati, ad quod archiepiſcopi iuramento præſtito ſunt aſtricti. vnde plurimum admiramur, quod te ſuper hoc excuſare aliquatenus voluiſti; cum etiam non vocatus debetes modis omnibus laborare, vt tam ſancto concilio intereſſes, ad quod ex omni parte cum deſiderio multo current principes & prælati, & totius cleri generaliter flos & decus, vt tot & tantos patres conſcriptos ad ædificationem ſuam videre valeant, & audire, ac mereantur eſſe participes orationum ſuarum, & bonorum omnium, quæ ſancta ſynodus duxerit ſtatuenda. Non aſcendat igitur in cor tuum, vel cuiuſquam pontificis, aut prælati, vt tam ignominioſam maculam in gloria ſua ponat, quod ſe a tanta ſolemnitate, ac opere ſic neceſſario, & tam pio qualibet occaſione ſubducat; quia præter inobedientiæ culpam, & pœnam, indignationem Dei, & noſtram, & confuſionem incurreret, ac opprobrium ſempiternum. Ideoque per Apoſtolica ſcripta mandamus, & diſtricte præcipimus, quatenus tam tu præcipue, quàm cæteri eccleſiarum prælati per tuam prouinciam conſtituti iuxta primi mandati noſtri tenorem, a kal. nouembris proximò nunc futuris vſque ad annum, ſiue per mare, ſiue per terram quocumque modo poteritis ad ſedem Apoſtolicam venire pro viribus laboretis. Speramus enim in Domino, quod interim ille qui potenter imperat ventis, & mari, frementis freti fluctus ſedabit, vt fiat optata tranquillitas nauigantibus, & inimicos reducet ad pacem, vt fiat iter agentibus via tuta, &c. *Dat. Romæ apud S. Petrum IX. Kal. martij pontificatus noſtri anno* XVI.]

Iuſſit deuectam ēm accedere minas.

32 Dolemus non reperiri Innocentij epiſtolarum librum 17. ac 18. vnde annales noſtri rebus a tanto Pontifice præclarè geſtis locupletandi ornandiq; eſſent. decerpta itaque ex libro b cenſuum ſacramenti formula, ex qua Scurienſes Romano Pontifici ſe obſtrinxerunt, huius anni periodum abſoluemus: *Dominicæ incarnationis anno* MCCXIV. *Notum ſit præſentibus, & futuris, quod Petrus de Vach. nuncius militum & proborum hominum Scuria, ad ſummum Pontificem aſſeruit ſe habere mandatum domini Papæ, vt omnes probos homines Scuria, ex parte ipſius D. Papæ moneret, & inducere procuraret, quod ipſi D. Papæ, & S. Eccleſiæ Romanæ iurarent fidelitatem, ad cuius ius, & proprietatem idem caſtrum Scuria ab antiquo dignoſcitur pertinere, & vt idem caſtrum cum pertinentijs ſuis fideliter ad honorem Dei, & D. Papæ, & S. R. E. pro poſſe cuſtodirent, & tuerentur. Milites autem infraſcripti, & probi homines eiuſdem caſtri, ipſius monitis & mandatis ſummi Pontificis fidem, & effectum congruum adhibentes, deuote, & benignè ipſi domino Papæ exhibentes fidelitatis ſacramentum præſtiterunt, & quod idem caſtrum cum pertinen. ſuis pro poſſe fideliter cuſtodient, & ſeruabunt ad honorem Dei, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & domini Papæ, & ſucceſſorum eius ſaluo iure omnium eorum, qui ius habent in eodem caſtro &c.* Adiectæ ſunt plurium ſubſcriptiones quas omiſimus ne tædium lectori crearemus.

b Lib. cenſ. M.S. Vat.

IESV CHRISTI
Annus 1215.

INNOCENTII PP. III. annus 18. OTHONIS IMP. ann. 7. HENRICI IMP. ann. 10.

Concilium Lat. œcumenicum

1 Illuſtrarunt præſentem annum a Virginis partu milleſimum ducenteſimum decimum quintum, indictione tertia, coniuncta in Lateranenſi ſynodo œcumenica totius Eccleſiæ lumina, ad quam Romani Pontificis iuſſu antiſtites, Regum ac principum oratores, alijque viri ſcientiæ prudentiæque laude florentiſſimi, ex vniuerſo orbe confluxerunt; vt ex eo ſolemni conuentu, veluti ex arce publicæ mentis, optima in rebus dubijs ad temperanda Chriſtiana regna, reuocandum ſanctitatis antiquum ſplendorem, reſtituendaſque nomini Chriſtiano Hieroſolymas, conſilia peterentur. In eodem enim concilio errores contra auguſtiſſimam confiſſi Trinitatem diuinitatemque, mundi corporei conditricem, profligati: abrogatum rurſus Othoni male de Eccleſia merito Imperium: dictæ ad excolendos mores ſanctiſſimæ leges; ac denique ſacra in Saphadinum expeditio promulgata. De quibus dicturi primum habitæ ſynodi temporis rationem conſtituamus.

Præſenti anno celebratum conſentiunt auctores.

2 Celebratum hoc anno Lateranenſe concilium veteres ſcriptores, Conradus Vrſpergenſis, Albertus Stadenſis in chronicis, Richardus e S. Germano in chron. Foſſæque nouæ chronici auctor, Godefridus monachus, & Henricus Stero in annalibus, Petrus Valliſarnenſis in hiſtoria Albigenſium, Matthæus Pariſius hiſt. Angl. fragmēti hiſtorici incertus auctor, Patauinus monachus, ac Bernardus in chronicis, recentioreſque innumeri poſteritati conſectarunt, vt nullus de eo ambigendi relictus locus videatur. Cæterum habitum nouembri menſe aſſerunt, ex auctoribus percenſitis, qui menſis meminere a, tertioque idus nouembris, S. Martini feſto die cœptum, ſicuti Foſſæ nouæ chronici auctor mox adducendus, ac Godefridus affirmant. De huiuſmodi igitur ſynodo hæc in Foſſæ nouæ chronico: *Tempore domini Innocentij III. Papæ anno eius* XVIII. *menſe nouembri* III. *id. nouemb. dominus Papa Innocentius primo aſcendit in thalamum, & ibi celebrata oratione, & benedictione ſuper conuentum, ſic exorſus eſt dicens: Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum, antequam moriar, &c. Interfuerunt huic concilio* CCCCXII. *epiſcopi, primates autem & metropolitani* LXXI. *exceptis patriarchis: abbates verò & priores vltra octingen. exceptis omnibus nuncijs archiepiſcoporum & epiſcoporum & aliorum prælatorum, nec non Regum & principum. Initiatum & completum eſt hoc concilium in eccleſia Saluatoris Romæ, quæ Conſtantiniana vocatur.* hæc ibi, quæ aliorum auctoritate ſcriptorum comprobanda ſunt. In primis ergo quod ſpectat ad patres, qui ſynodo præſentes adfuere, duodecim ſupra quadringentos epiſcopos enumerant veteres omnes, quos viderim, vno excepto fragmenti hiſtorici anonymo auctore tres addente, de LXXI. metropolitanis idem habent Vrſpergenſis, Stadenſis, & Stero; de numero verò inferiorum præſulum ſupra octingentos extitiſſe conſentiunt cæteri: & quamuis Stadenſis vltra DCC. fuiſſe aſſerat, centenarium tamen vnum librariorum incuria omiſſum videtur. Demum de loco vbi ſacroſancta ſynodus celebrata eſt, baſilica ſcilicet Lateranenſi Saluatoris & S. Io: Baptiſtæ nuncupata, tradunt memorati auctores.

a Vrſper. Stad. Valliſarnēſis, Par. God. chro Foſſ. nou. Frag hiſt. auctor. alijq.

Prima ſeſſio in feſto S. Martini habita.

Numerus patrū qui interfuere

3 Iam verò, quæ in Foſſæ nouæ chronico omiſſa, ex alijs ſupplenda manent, ac primum de patriarchis qui interfuere dicendum. De quibus Vrſpergenſis abbas, qui ea tempeſtate ſcribebat: *Inter quos*, nimirum antiſtites, *fuerunt de præcipuis patriarchis duo*, *vide-*

Qui patriarchæ præſentes affuerunt.

*videlicet Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus, Antiochenus enim graui languore detentus venire non potuit, sed misit pro se vicarium, Antheradersem * episcopum: Alexandrinus verò sub Sarracenorum dominio constitutus fecit quod potuit, mittens pro se diaconum suum germanum.* Hæc ipse, quæ iisdem reddunt verbis Albertus Stadensis, Matthæus Parisius & Fragmenti historici auctor aliique, vt planè ex ipsorum altero cæteri ea exscripsisse videantur. Sunt porro, qui tradunt, Hierosolymitanum patriarcham Thomam nomine a ad concilium venisse, cæterum, vt Alexandrinus atque Antiochenus patriarchæ alios legarunt, plurimos aliarum ecclesiarum antistites, Reges, principesque, nimirum Siculum Regem, Imperatorem designatum; Constantinopolitanum Imperatorem, Galliarum, Angliæ, Pannoniæ, Aragoniæ, Hierosolymorum, Cypri Reges aliosque principes suos oratores misisse memorati auctores prodiderunt. Ex dictis ergo pateat synodum istam iure ac merito œcumenicam vocandam; quo etiam nomine appellauere b, qui hisce temporibus, vel proximis scripsere, atque adeo sic nuncupandam recentiores c demonstrant. Innocentius itaque sacro patrum concilio, post fusas ad Deum preces, atque vsurpatum euangelicum illud d: *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar,* id est, antequam moriar, huiuscemodi orationem habuit.

* Antididensem. Antedonensem

a Continuator Bell. sacr. lib. 3. c. 2.

Interfuere principū oratores.

b Vrsperg. Stad. & Paris. hoc ann. c Bin. praef. ad hoc cōc. Binius to. 3. in not. ad concil. Lat. IV. œcum.

d Luc. 22. Innoc. ad Patres oratio.

4 *Quia mihi viuere Christus est & mori lucrum, non abnuo, si dispositum est a Deo, bibere calicem passionis, siue pro defensione Fidei catholicæ, siue pro subsidio Terræ sanctæ, siue pro statu ecclesiasticæ libertatis, mihi fuerit propinatus: quamquam desiderem in carne permanere, donec consummetur opus inceptum. Veruntamen non mea, sed Dei voluntas fiat. Et ideo dixi vobis: Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Et infra: *Ego autem illius inuoco testimonium, qui testis est in cælo fidelis, quod non carnali, sed spirituali desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum: non propter commoditatem terrenam, aut gloriam temporalem, sed propter reformationem vniuersalis Ecclesiæ, ac liberationem potissimum Terræ sanctæ. Propter quæ duo principaliter & præcipuè hoc sacrum concilium conuocaui.* Et infra, postquam illius vocis paschæ varias significationes aspersa multis sacræ scripturæ floribus oratione enuncleauit, subijcit: *Triplex autem pascha, siue phase desidero vobiscum celebrare, corporale, spirituale, æternale: corporale, vt fiat transitus de loco ad locum, pro miserabili Hierusalem liberanda; spirituale, vt fiat transitus de statu ad statum, pro vniuersali Ecclesia reformanda; æternale, vt fiat transitus de vita in vitam, pro cælesti gloria obtinenda.*

Causæ ob quas celebrata synodus.

5 *De corporali transitu clamat ad nos miserabiliter Hierusalem in Threnis, per Hieremiam: O vos omnes, qui transitis per viam attendite, & videte si est dolor similis, sicut dolor meus. Ergo transite ad me omnes, qui diligitis me, vt a tanta miseria me liberetis. Ego enim, quæ solebam esse domina gentium, modo facta sum sub tributo: quæ solebam esse plena populo, modo sedeo quasi sola. Viæ Sion lugent eo quod non sint, qui veniant ad solemnitatem: facti sunt hostes eius in capite, loca sancta prophanata sunt vniuersa, & sepulchrum Domini est inglorium, quod solebat esse gloriosum, vbi colebatur vnigenitus Dei Filius Iesus Christus, modo colitur filius perditionis Machometus: insultant mihi filij alieni, & improperant lignum crucis dicentes: Confidebas in ligno: ecce nunc adiuuet si potest. O quantus pudor, quanta confusio, quantum opprobrium, quod filij ancillæ, vilissimi Agareni, detinent matrem nostram, matrem vniuersorum fidelium ancillatam. Illam vtique, de qua dicit psalmista: Mater Sion dicet homo, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus, vbi Deus Rex noster ante secula salutem in medio terræ dignatus est operari. Quid itaque faciemus? Ecce ego dilecti fratres totum me vobis committo, totum me vobis expono, paratus iuxta consilium vestrum, si videritis expedire, personalem subire laborem, & transire ad reges & principes, & populos, & nationes. Adhuc autem & vltra, si clamore valido eos valeam excitare, vt surgant ad Domini prælium præliandum, & vindicandam iniuriam Crucifixi, qui pro peccatis nostris eiectus est de terra, & de sede sua quam sanguine comparauit, & in qua vniuersa redemptionis nostræ sacramenta peregit. Quicquid tamen egerint alij, nos sacerdotes Domini hoc negotium specialiter assumamus, subuenientes & succurrentes in personis, & rebus necessitatibus Terræ sanctæ, ita quod nullus omnino remaneat, qui non sit particeps tanti operis, ne sit expers tantæ mercedis. nam & olim in simili casu per sacerdotes fecit Deus salutem in Israël, quando per Machabæos, vtique sacerdotes filios Mathatiæ, liberauit Hierusalem & templum de manibus impiorum.*

De recuperanda Hierosolymis consilium exponit.

Inn. personam se offert ad Reges Christianos ad eundos, vt ad id ipsos trahat.

6 *De spirituali verò transitu Dominus ait ad virum vestitum lineis, habentem atramentarium scriptoris ad renes: Transi per mediam ciuitatem, & signa Thau per frontes virorum gementium atque dolentium, super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius; deinde dixit sex viris habentibus vasa interitus in manibus suis: Transite per ciuitatem, sequentes eum: & percutite omnem super quem non inueneritis Thau, nemini parcat oculus vester, & a sanctuario meo incipite, &c.* Eo cælesti viso egregium præsulem adumbratum demonstrat. tum patres grauissima oratione ad perpoliendos Christianorum mores, abigendaque vitia incendit, vtque tam arduum consilium in opus perducant monet, vt exemplo cæteris præluceant ac primi in seipsos piè obtruncatis vitijs sæuiant, *qui* (vt ait) *per donum scientiæ sibi a Spiritu sancto datum, desideria carnis cohibet & restringit, vt vita non discrepet a doctrina.* Et infra: *Tempus enim est, sicut B. Apostolus ait, vt iudicium incipiat a domo Domini. Nam omnis in populo corruptela principaliter procedit a clero: quia si sacerdos, qui est vnctus, peccauerit, facit delinquere populum: quippe dum laici vident turpiter & enormiter excedentes, & ipsi eorum exemplo ad iniquitatem & scelera prolabuntur. Cumque reprehenduntur ab aliquo, protinus se excusant, dicentes: Non potest filius facere, nisi quod viderit patrem facientem: &, sufficit discipulo, si sit sicut magister eius. Impletum est illud propheticum: Erit sicut populus, sic sacerdos; quinimo, erubesce Sidon, ait mare. Hinc etiam mala prouenerunt in populo Christiano, perit fides, religio deformatur, libertas confunditur, iustitia conculcatur, hæretici pullulant, insolescunt schismatici, perfidi sæuiunt, præualent Agareni.*

De reuocanda pristina morum sanctitate agit.

Ecclesiastica primum disciplina restituenda.

De transitu autem æternali dominus ait: Beati sunt serui illi, quos cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes. Amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit eis, &c. Incensum obtinendæ diuinæ gloriæ desiderium ardentissimis pietate verbis explicat, concluditque: *Præcipuè desidero manducare vobiscum hoc pascha, vt transeamus de labore ad requiem, de dolore ad gaudium, de infelicitate ad gloriam, de morte ad vitam, de corruptione ad æternitatem. Præstante domino nostro Iesu Christo, cui est honor & gloria in secula seculorum amen.* Hactenus Pontifex ad sanctum cœtum, ad quem aliam orationem habuit in ea Dauidica verba a: *Si dormiatis inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ & posteriora dorsi eius in pallore auri:* quibus magna sententiarum varietate ac maiestate explanatis cunctos ad sacerdotis optimi partes implendas inflammauit: quæ oratio vnà cum superiori cusa est Coloniæ, ac decretis synodalibus præmissa, quò illius legendæ auidum lectorem reijcimus.

a Ps. 67.

Iam

7 Iam ad decreta ipsa veniamus, quæ tum in iisdem Innocentij operibus, tum in conciliorum voluminibus leguntur descripta. Cæterum qui Innocentij libros edidit, monet ea non a synodo, sed a Pontifice ipso post synodum conscripta ac promulgata: *Fuerunt quidem hæc decreta in eo concilio constituta, quemadmodum & in prædictis decretalibus vbique allegando annotatur: veruntamen ab ipso Papa Innocentio in hanc redacta sunt formam, aliquanto post celebratum concilium, id quod cordatus lector facilè deprehendet ex capitibus quibusdam, præsertim ex vicesimanono ex * trigesimo tertio & quadragesimo primo*. Hæc ille. Sed hallucinatus est, errandique occasionem alijs præbuit, vt Cardinalis Bellarminus a rectè animaduertit. Lateranense namque, cuius in hisce capitulis fit mentio, ab hoc cócilio aliud est, peractum scilicet sub Alexandro III. atque ad errorem huiuscemodi depellendum, in Romana editione notantur ad marginē illius canones hic laudati. Hæc ergo vera synodi decreta sunt a synodo ipsa non constituta soiū, sed & edita.

* 46. vel 61.

a Bell. de scrip. eccl. in Inn. III.

Damnata ex professione fidei Albigensium hæresis.

b Cæs. l. 5. c. 21.

In ijs primum obtinet locum illud, quo fides catholica maximè aduersus hæreticos Albigenses, qui ea tempestate Dei Ecclesiā (quod vidimus) plurimum vexauerant, quorum impia dogmata Cæsarius b huius temporis scriptor breuiter refert: *Duo credunt, inquit, cum Manichæo principia, Deum bonum, et Deum malum, id est diabolum, quem dicunt omnia creare corpora sicut Deum bonum omnis animas: corporis resurrectionem negant, quidquid beneficij mortuis a viuis impenditur irrident, ire ad ecclesias vel in eis orare nihil dicunt prodesse: baptismum abiecerunt, Sacramentum corporis, & sanguinis Christi blasphemant: credunt quod anima secundum meritum per diuersa transeat corpora etiam animalium, atque serpentium*. Hæc de Albigensibus Cæsarius, & ex ipso alij c, quæ ad præsens institutum suffecerint: ea enim iam nos ante d ex Petro Vallisarnensi, qui sæpius cum hæreticis certauit, attulimus. Aduersus igitur eiusmodi aliasque hæreses, catholicam mentem profitetur S. synodus: *Firmiter credimus* e *& simpliciter profitemur, &c.*

c Ber. Lut. zemb. catal. hæret. Gabr. Prateol. lib. 5. Sander. de visibili monarch. & alij.

d Ann. 1204. nu. 53. & c.

e Cap. 1. habetur extr. de summa Trin. & fide cath. c. 1.

f Cap. 2. habetur c. damnamus ex. de sum Trin. & fide.

Ioachimi abbatis error damnatus.

8 Subinde abbatis Ioachimi libellus damnatur: *Damnamus* f *ergo & reprobamus libellum siue tractatum, quem abbas Ioachimus edidit contra magistrum Petrum Lombardum, de vnitate seu essentia Trinitatis, appellans ipsum hæreticum & insanum, pro eo, quod in suis dixit sententijs, quoniam quædam summa res est Pater & Filius & Spiritus sanctus, & illa non est generans, neque genita, nec procedens. Vnde asserit, quod ille non tam Trinitatem, quam quaternitatem adstruebat in Deo, videlicet tres personas, & illam communem essentiam quasi quartam, manifestè protestans, quod nulla res est, quæ sit Pater, & Filius, & Spiritus sanctus; nec est essentia, nec substantia nec natura: quamuis concedat quod Pater & Filius & Spiritus sanctus sunt vna essentia, vna substantia, vnaque natura. Verum vnitatem huiusmodi non veram & propriam, sed quasi collectiuam & similitudinariam esse fatetur, quemadmodum dicuntur multi homines vnus populus, & multi fideles vna ecclesia, iuxta illud: Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna, &c. Nos autem sacro & vniuersali concilio approbante, credimus & confitemur cum Petro, quod vna quædam summa res est, incomprehensibilis quidem & ineffabilis, quæ veraciter est Pater & Filius, & Spiritus sanctus, tres simul personæ, ac singulatim qualibet earundem. Et ideo in Deo Trinitas est solummodo, non quaternitas: quia qualibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, siue natura diuina, quæ sola est vniuersorum principium, præter quod aliud inueniri non potest. Et illa res non est generans, neque genita, nec procedens sed est Pater, qui generat, Filius qui gignitur, & Spiritus sanctus, qui procedit, vt distinctiones sint in personis, & vnitas in natura; licet enim alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus, non tamen aliud: Sed id quod est Pater, est Filius & Spiritus sanctus, idem omnino, vt secundum orthodoxam, & catholicam fidem consubstantiales esse credantur, &c.* Nonnulla ad veritatem catholicam confirmandam adduntur. recitat hæc quoque Mattheus Parisius a, dum de eodem libello agit, quem Ioachimus in Petrum Lombardū cōscripserat; additque eam controuersiam, quæ Alexandri Papæ temporibus fuerat excitata, vsque ad Innocentium, sedentibus interea in Romana cathedra, Lucio, Gregorio, Clemente, & Cælestino Pontificibus definitam non fuisse. Pergit synodus: *In nullo tamen per hoc Florensi monasterio, cuius ipse Ioachim extitit institutor, volumus derogari, quoniam ibi & regularis institutio est & obseruantia salutaris: maxime cum idem Ioachim omnia scripta sua nobis assignari mandauerit, Apostolicæ sedis iudicio approbanda, seu etiam corrigenda, dictans epistolam quam propria manu subscripsit, in qua firmiter confitetur se illam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, quæ cunctorum fidelium, disponente Domino, mater est & magistra*. Hic verò adnotauit Binius b Ioachimum abbatem errantem, non hæreticum iudicatum testaturque Honorius Tertius in epistola ad Lucaniæ episcop. extat verò illa apud Matthæum Parisium, incipitque: *Ad audientiam nostram &c.*

Declaratum vnicam esse essentiā in Trinitate personarū.

Quando cœperit error contrarius.

a Matth. Par. hist. Anglican. 1179.

Consulitur Florēsi monasterio.

Ioachimus errauit non tamen hæreticus fuit.

b Conc. to. 3. parte alter.

9 *Reprobamus etiam*, adijciunt patres, *& damnamus peruersissimum dogma impij* * *Amalrici, cuius mentem sic pater mendacij excæcauit, vt eius doctrina non tam hæretica censenda sit. quàm insana*. De Almarico eiusque hæresibus & asseclis supra egimus c. Pœnæ deinde in hæreticos, eorumque fautores constituuntur d atque aduersus Græcos illos, qui Latinorū sacra prophanare tentassent, decernitur e: *Postquam Græcorum ecclesia cum quibusdam complicibus & fautoribus suis ab obedientia sedis Apostolicæ se subtraxit, in tantum Græci cœperunt abominari Latinos, quod inter alia, quæ in derogationem eorum impie committebant, si quando sacerdotes Latini super eorum celebrassent altaria, non prius ipsi sacrificare volebant in illis, quàm ea, tanquam per hoc inquinata, lauissent. Baptizatos etiam a Latinis & ipsi Græci rebaptizare ausu temerario præsumebant, & adhuc (sicut accepimus) quidam agere hoc non verentur. Volentes ergo tantum ab Ecclesia Dei scandalum amouere, sacro suadente concilio, districtè præcipimus, vt talia de cætero non præsumant, conformantes se tanquam obedientiæ filij sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ matri suæ, vt sit vnum ouile & vnus pastor. Si quis autem quid tale præsumpserit, excommunicationis mucrone percussus, ab omni officio, & beneficio ecclesiastico deponatur*.

* Almarici Damnatus Amalricus.

c Ann. 1209.

d Cap. 3. habetur c. excommunicamus ex. de hæret.

e Cap. 4. habetur c. licet ex. de baptis.

In Græcos prophanantes Latinorū sacra latū anathema

10 Exin patriarchalium ordo firmatur: *Antiqua* f *patriarchalium sedium priuilegia renouantes, sacra vniuersali synodo approbante sancimus, vt post Romanam Ecclesiam, quæ disponente Domino super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, vtpote mater vniuersorum Christi fidelium & magistra, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineant, seruata cuilibet propria dignitate, ita quod postquam eorum antistites a Romano Pontifice receperunt pallium, quod est plenitudinis officij pontificalis insigne, præstito sibi fidelitatis & obedientiæ iuramento, licenter & ipsi suis suffraganeis pallium largiantur, recipientes pro se professionem canonicam & pro Romana Ecclesia sponsionem obedientiæ ab eisdem, Dominica verò crucis vexillum ante se faciant vbique deferri, nisi in vrbe Romana, & vbicunque summus Pontifex præsens extiterit, vel eius legatus vtens insignijs Apostolicæ dignitatis. In omnibus autem prouincijs eorundem iurisdictioni subiectis ad eos, cùm necesse fuerit, prouocetur; saluis appellationibus ad sedem Apostolicam interpositis,*

De ordine sedium patriarchalium.

f Cap. 5. habetur c. antiqua ex. de priuil.

Restituitur cler. disciplina.

quibus est ab omnibus humiliter deferendum. Posthæc verò ad Christi fidelium, præcipue ecclesiasticorum emendandos mores expoliendosque, ac disciplinæ robur seruandum plura sanciuntur a. De regularibus hæc inter alia sancta synodus b: *Ne nimia religionum diuersitas grauem in Ecclesia Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cætero nouam religionem inueniat: sed quicumque voluerit ad religionem conuerti, vnam de approbatis assumat. Similiter qui voluerit religiosam domum fundare de nouo, regulam & institutionem accipiat de religionibus approbatis.*

a C.6 est. b C.13. habetur c. ne nimia.

11 Nec silentio prætermittendi videntur canones vigesimus primus & vigesimus secundus, in quorum altero hæc scripta sunt c: *Omnis vtriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis peruenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio sacerdoti, & iniunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reuerenter ad minus in pascha Eucharistiæ sacramentum, nisi fortè de consilio proprij sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum: alioquin & viuens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura.* Ex hoc sanctissimo canone detrahendi Romano Pôtifici euomendæque in pœnitentiæ sacramentum a Christo institutum, traditum ab Apostolis, a SS. patribus commendatum, blasphemiæ occasionem per summam vesaniam aucupati perditissimi nouatores d edendæ apud sacerdotem peccatorum spontaneæ confessionis Innocentium auctorem finxere, quasi cæcitate summa percussi homines videre non possent non Innocentij illud commentum, sed Christi institutum fuisse, vetustisque temporibus illius sacramenti vsum maximè frequentatum; sed cum iam Christiana pietas defloresceret ac primus ille ardor refrixisset, sapientissimè Pontificem decreuisse, vt saltem annis singulis ad illud sacramentum accipiendum ecclesiastica lege fideles obstringerentur. Superuacaneum censeo amplius nouatores refellere; cum ij a Baronio doctissimè, producta in eos omnium sanctorum patrum acie fuerint profligati. Taceo quod si, vt deblaterant, Innocentius inuentor illius extitisset, rē adeo, vt ipsi fingunt, nouam atque intolerandam, respuere, in inuidiam atque odium adducere, memoriæque commendare illius æui homines non prætermissuros fuisse, e quibus colligas nouatores insanum hoc mendacium pro solita impudentia mentiendique voluptate captanda subornasse. sed his missis ad alia nos conferamus.

c Cap. 21. habetur c. omnis vtr. de pœnit. & rem. De cōfess. & euch. sacr. recipiendis.

d Cent. 13 cap. 6. col. 610. & 611.

Calumnia tur nouat. hinc primum institutam confessionem. Refelluntur.

Alia salubriter statuta.

12 In altero canone isthæc leguntur e: *Districtè præcipimus medicis corporum, vt cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos antea omnia moneant & inducant, quod medicos aduocent animarum, vt postquam infirmis fuerit de spirituali salute prouisum, ad corporalis medicinæ remedium salubrius procedatur. &c.* Hæc patres, qui de ecclesiasticis exinde electionibus atque iudicijs, de matrimonio (quod omnino publicum, pœnis clandestino additis, esse iubetur) eiusque impedimentis, deque decimis latius agunt. Obseruatione verò dignissimus canon sexagesimus secundus f, quo de sacrosanctis reliquijs ita cautum est: *Cum ex eo quod quidam sanctorum reliquias exponant venales, & eas passim ostendant, Christianæ religioni sit detractum sæpius, ne detrahatur in posterum, præsenti decreto statuimus, vt antiquæ reliquiæ amodo extra capsam non ostendantur, nec exponantur venales. Inuentas autem de nouo nemo publicè venerari præsumat, nisi prius auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ. Prælati verò de cætero non permittant illos, qui ad eorum ecclesias causa venerationis accedunt, vanis figmentis aut falsis decipi documentis, sicut & in plerisque locis occasione quæstus fieri consueuit.* Hactenus canon, cui alij aduersus simoniacam prauitatem adnectuntur. Ad hæc Iudæos ad immoderatas vsuras Christianis restituendas in posterum cogendos esse decernitur a: ijsdemque Iudæis vnà cum Sarracenis tum viris tum mulieribus, in Christi fidelium degentibus locis peculiarem habitum attribuendum, quo a cæteris dignoscantur. Postremo ne Dominicæ passionis tempore in publico esse audeant b. atque hæc de canonibus celeberrimæ synodi, quos septuaginta omnino apud conciliorum collectores inter Innocentij opera, ac decretalium libro insertos habes, quosque scriptores alij c in summam redegere.

e Cap. 22. habetur c. cum infirmitas ib.

f Cap. 62. habetur c. cum ex eo ext. de reliq. & ven. sāct.

De reliquijs.

De Sarrac. Ind. vsura. rijs.

a C.67. habetur c. quāto ex. de vsur. b C.68. habetur in nonnullis ex. de Iud. & Sarrac. c Barth. Carranz. Mirandis Franc. Longin. a Cortesano.

13 Verùm non modò hæc inibi sancita, sed ex supra laudatis Apostolicis literis d ad generale cogēdum concilium, tribus ab ea die annis ad vniuersos Christiani orbis episcopos datis, actum est præcipuè de sacra expeditione, cuius causa paulo ante synodum ad nobiles Angliæ viros hoc ipso anno scripserat his verbis e: *Dum apud nos archiepiscopus & episcopi Angliæ extiterint in concilio generali, quod ad expediendum Crucis negotium principalius intendimus celebrare, procuratores idoneos ad nostram præsentiam aestinctus.* De qua expeditione post indicatos canones hæc traduntur f: *Ad liberādam Terram sanctam de manibus impiorum ardenti desiderio aspirantes, de prudentum virorum consilio, qui plenè nouerant circumstantias temporum & locorum, sacro approbante concilio definimus, vt ita crucesignati se præparent, quod in kal. iunij sequentis post proximum, omnes qui disposuerunt transire per mare, conueniant in regnum Siciliæ, alij sicut oportuerit & decuerit, apud Brundusium, & alij apud Messanam, & partes vtrobique vicinas, vbi & nos personaliter, Domino annuente, disposuimus tunc adesse; quatenus nostro consilio & auxilio exercitus Christianus salubriter ordinetur, cum benedictione diuina, & Apostolica profecturus. Ad eundem quoque terminum se studeant præparare, qui proposuerunt per terram proficisci, significaturi hoc interim nobis, vt eis ad consilium et auxilium legatum idoneum de nostro latere concedamus.*

d An. 1213.

e Apud Matth. Par. hist. Angl. an. 1215.

f Inter Innoc. opera & apud concil. collect. Extra l. 5. tit. 6. de Iud. & Sarraz.

Indicitur tempus expeditionis in Syriam.

Vbi classis conuenire debet.

Vbi terrestris exercitus.

14 Insinuatum etiam sacerdotibus, quæ crucesignatis pro concione exponenda, vt diuina præ cæteris gratia ornati esse studeant, & si funesto casu crimine aliquo se inquinarint, mox e volutabro consurgant. Imperatum præsulibus omnibus vt Reges, principes, virosq; nobiles ad opes in bellicos sumptus conferendas, atque ad induendam crucem, incusso diuini iudicij terrore, incitarent. Quò verò exemplum præberet cæteris, triginta librarum millia ac nauem rebus instructam omnibus, quam Romanis crucesignatis attribuerat, præter tria marcharum millia ex eleemosynis coacta se donaturum spopondit. Vtque laboris & meriti clericos sibi socios adsciseret, vicesimam clericis, decimam Cardinalibus iniunxit.

Collata ab Innoc. in bellicos sumptus.

Vicesima clericis decima Cardinalibus imperata.

15 Addidit crucesignatis solita priuilegia esse proposita, quò ipsos ad tantum tamque pium opus inflammaret: fautores verò piratarum atque alios nefarios Christianos, qui arma commeatusque hostibus fidei inferrent, grauissimis censuris percussit. Vetita hastiludia: pax inter Christianos principes ad quadriennium promulgata: sacræ indulgentiæ ex meritorum Christi augusto ærario effusæ in cruce insignitos, atque alios qui ipsos iuuissent, instruxissentque. Agunt de his Ricchardus g de S. Germano, Parisius h, Bernardus i, alijque, necnon nouatores l, qui literas Innocentij atque acta synodalia adducunt. Disceptatum præterea in eodem concilio de Imperio a Friderici Othonisque oratoribus, sceptrumque Friderico confirmatum: fulminatum in factiosos Anglos, qui in Ioannem Regem coniurarant: exutus Tolosano comitatu Raymundus ob hæreseos notam: sed de his postea opportunius; nūc alias rēs sacras, quę ad huius concilij historiam pertinent, prosequemur.

Pax ad quadrienn. promulgata.

g Ricch. de S. Germ. in chron. h Par. hist. Angl. i Ber. chr. Rom. Pont. l Cent. 13. c. 9. ex cōc. volumine

Exci-

16 Excitasse in hac Lateranensi synodo magnam sui admirationem Rodericum archiepiscopum Toletanum scribunt Hispani historici a, cum orationem Latinis verbis conceptam multisque sententiarum, quas Italis, Gallis, Anglis, Germanis, Hispanis patrio idiomate (eas enim omnes linguas apprimè callebat) reddidit, luminibus distinctam habuisset: expostulasse etiam grauissimè de Compostellano, Bracarensi, Tarraconensi, Narbonensique archiepiscopis, qui sibi tanquam primati parere detrectabant atque ad eam asserendam sibi dignitatem plura Pontificum Honorij, Gelasij, Lucij, Adriani, eiusdemque Innocentij diplomata, veteraque monumenta attulisse, de quibus fusè dictus Garsias, qui etiam refert quæ aduersarij responderint, ac vicissim Rodericus obiecerit, subditque: *Quæ omnia peregit publicè Rodericus Ximenius Romæ in sui primatus causa, quam obtinuit. Nam summus Pontifex primatus honorem eidem coram omnibus detulit, sicut ante in diplomate concesserat: idemque Honorius & Gregorius eius successores probauerunt* b. Verum Surita & Mariana integra ea lite discessum esse tradunt, cum patres negarét ad dirimendas huiusmodi controuersias venisse, tum archiepiscopus Bracaren. Roderici orationé refellere aggrederetur, Ausetanus pro Tarraconensi se opponeret, alij verò quorum intererat abessent. Fuisse porrò Rodericum egregijs priuilegijs ornatum scribit Mariana, legati Apostolici in Hispania ad decennium munus suscepisse, concessumque, vt Hispalis, cum piorum armis cederet, Toletano archiepiscopo, sublata omni prouocandi contraque disceptandi facultate, subdita esset, tum sacerdotes & episcopos in ijs vrbibus crearet, quæ in Hispania Mauris eriperentur. Agitatum præterea in eodem concilio de nonnullis ecclesijs: docet enim Stero in annalibus c Kymensem sedem in eadem synodo erectam, atque * Rugerum sacris episcopalibus initiatum, quod in Salisburgensi etiam chronico traditur d, licet perperam superiori anno gestum affirmet e. in quo etiam chronico additur Eberhardi Salisburgensis archiepiscopi potissimum opera id perfectum.

Rod. Tol. disceptat de primatu suo.
a Gar. Loaisa in collec. conc. Hisp. in decreto Gundemari pag. 288 cum M S. eccl. Tolet. Sur. l. 2. c. 67. Marian. de reb. Hisp. l. 12. c. 4.
Confirmatur ab Inn. Hisp. primas.
b Haec controuersia vide apud Suritã l. 6.
Ornatur pluribus priuilegijs
c Apud Canis. anti. lect. to. 1. pag. 245.
* Rudigerum
d Apud Canis. to. 5 p. 1259.
e Ibid. p. 1252. ann. 1200.

17 Cohonestatum verò pluriũ SS. virorum præsentia concilium illud fuisse addunt auctores, ac S. Dominicum cum Tolosano episcopo ad Lateranense concilium venisse, quo a se ordo conditus ab Rom. Pontifice confirmaretur. sed Theodoricum f, qui eius gesta pluribus est prosecutus, audiamus: *Anno Christi millesimo ducentesimo decimoquinto, cum ex omnibus orbis partibus ad concilium generale Romam proficiscerentur episcopi & prælati, venerabili & sancto viro Fulconi Tolosano episcopo eò contendenti pijssimus Christi minister Dominicus adiunctus est: quos ita charitas inter se colligarat, & spiritus Iesu moderabatur, vt salutem animarum ardentissimo zelo sitirent. Tempus igitur opportunum rati se adeptos, quod iam pridem conceptum & deliberatum erat de instituendo ordine Prædicatorum, summo Pontifici explicare statuerunt. Cumque ea, qua par erat, humilitate & reuerentia Pontifici sua vota exposuissent, visus est initio nonnihil se opponere Dominus dispensator. Proxima nocte videt idem Christi vicarius in somnis ecclesiam Lateranensem grauem minitari ruinam. Tremefactus igitur & mœrens, videt e diuerso virum Dei Dominicum accurrentem, & suis humeris totam illam ruinosam fabricam sustentantem. Eius visionis nouitatem admirans sapiens Pontifex, & quid ea sibi vellet, sagaciter animaduertens, oblatas ipsi preces hilariter admisit, & pium propositum commendauit. Hortabatur verò beatum Dominicum, vt ad suos rediret fratres, communicatoque cum eis consilio, regulam quandam approbatam eligeret, quam ordo inchoandus sectaretur, atque ita ad ipsum rediens confirmationem ordinis pro voto reportaret.*

f Theod. in vit. S. Dom. l. 2. c. vlt. apud Sur. to. 4. die 4. aug.
Cæleste visũ obiectum Innocentio.

18 *Absoluto generali concilio reuersus ad suos vir Dei, Pontificis verba eis enarrauit. Illi inuocato Spiritu sancto regulam B. Augustini, concionatoris egregij, ipsi quoque concionatores siue prædicatores futuri vnanimiter elegerunt, adiunctis quibusdam arctioris vitæ constitutionibus. Et ne prædicationis officium impediretur, decreuerunt tum terrenas possessiones abijcere, & temporarijs redditibus carere. Mox Tolosæ in ecclesia S. Romani, quam felix ille Fulco eius ciuitatis episcopus illis attribuerat, extructum est monasterium, & in eo cellæ studijs accommodæ, satisque aptum dormitorium. Erant tunc fratres numero plus minus sexdecim.* Eadem ex Vincentio a nouatores b, quamuis huiusmodi visum derideant, eos imitati, qui Domino, vt refert Euangelista, illudebant. Porrò S. Dominicum in Narbonensi prouincia decennium exegisse testatur Theodoricus c: quippe vir sanctissimus assumpto gladio spiritus, quod, affirmante Apostolo d, est verbum Dei, rebus admirabilibus, quas idem auctor refert, præsuris, innumeras hæreticorum acies profligauit, euertitque.

a Vin. l. 30 c. 65. & 67
b Cent. 13 cap. 6. col. 649 650.
c Theodor. vbi sup. c. 9.
d Ephes. 6.

19 Hoc eodem anno de rebus religiosæ familiæ a se conditæ acturum S. Franciscum in Vrbem venisse, atque eo rogante Innocentium ipsius ordinis institutum patrum auctoritati comprobandum proposuisse affirmant e. Sunt etiam qui tradant f in eadem synodo Crucigeros approbatos. Hoc loco abs re alienum non erit, sanctissimis viris alium Dei seruum coniungere, Simonem videlicet ex Alna, Cisterciensis ordinis laicum, quem ab Innocentio Papa ad synodum euocatum scribit Cæsarius, hæc de occasione, quæ Pontifici se obtulit, præloeutus: *Notarius quidam Romanæ curiæ, cum eundem Simonem ex multorum relatione audisset spiritum habere prophetiæ, desiderio videndi eum, ab Vrbe venit in Alnæ monasterium, volens illo præsente peccata sua confiteri, sperans ab eo corrigi, si aliquid omitteret; animari, si minus plenè diceret: Quem cum non inuenisset in abbatia, ductus est in grangiam eiusdem cœnobij, quæ eleniies vocatur, in qua ille magister erat. Quem mox vt frater Simon respexit, causam aduentus eius intellexit.* Et infra: *Misit ad monasterium, petens sibi transmitti confessorem discretum; cui cum præsente conuerso idem clericus peccata sua satis deuotè confiteretur, & in diuersis locis aliqua per obliuionem transsiliret, quædam etiam propter erubescentiam minus integraliter cum suis circumstantijs exprimeret, interrumpens eius cõfessionem iam dictus Simon ait: Quare hæc & hæc peccata subticetis? Ista in tali loco ex leuitate, nulla ex necessitate fecistis; vbique eum corrigens, ita vt valdè miraretur, & cum Regina Austri mediam partem gratiæ eius non audisse fateretur; rediens verò ad vrbem cum gaudio magno, per totam curiam in tantum suum prophetam magnificauit, vt dominus Innocentius Papa ad concilium suum generale illum vocaret, vocatumque de pluribus interrogaret: a quo tam ipse quam cæteri Cardinales didicerunt experimento, quòd spiritu polleret prophetico, &c.* Plura de Christi famulo qui mentium arcana penetrabat, aperiebatque, opportunè in medium affert. Præterea hæc memoratu digna addit: *Sicut audiui a quodam eius familiari, ita eum vexabat, & fortè adhuc vexare non cessat spiritus fornicationis per incentiua carnis, vt dicere possit cum Apostolo: Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satanæ, qui me colaphizet. dicitur tamen adhuc corpore esse virgo.* At de his satis: ad alia quæ superius delibauimus, orationem conuertamus.

S. Franc. ordo approbatus & Crucigerorum.
e Luc. Vad. annal. min. hoc annum 33. 34 & alij quos citat
f Sabellic. Enn. ad 9. l. 6. Nau. l. in chro. & Nonat.
cens. 13 c. 9. & 10. vbi Bergl. & Sebedolium citãs Cæsar. l. 3 c. 33.
Simon prophetiæ do no illustris

20 Cum in Lateranensi concilio de adiudicandis hæreticorum terris, deque Tolosano comitatu controuersia maxima Raymũdum inter & Montfortium agitata fuerit, commodum videtur attexere, quæ prius hoc anno in Albigenses gesta a Ludouico Philippi Regis Francorum filio crucesignato, tum quid ab Innocentio statutum, ac demum quæ secuta inde

bella recensere. Vtq; a primo ordiamur; anno Domini, vt ait Petrus Vallisarnensis a 1215. Ludouicus Regis Galliarum filius debellatis hostibus, ad expeditionem in Albigenses obeundam, implendaque vota, quæ annis tribus imminentium bellorum mole pressus in opus perducere non potuerat (anno enim Christi 1213. ineunte crucis signo in Albigenses se induisse testatur idem auctor b) strenuè sese accinxit, tantæque rei expectatione omnium animos commouit. erectæ mox catholicorum res, hæreticorum verò fractæ ac debilitatæ conciderunt. Confluxit Lugdunum resurrectionis festo Gallicæ nobilitatis flos, Viennamque Ludouico venienti comes Montisfortis occurrit, legatusque Apostolicus Petrus Cardinalis Beneuentanus eundem Ludouicum similiter excepturus Valentiam accessit. Is antea Tolosanos, Narbonenses, aliosque Montfortij hostes absoluerat, atque in suam clientelam receperat, illique ingratus admodum Ludouici aduentus erat, cùm metueret, ne Ludouicus supremus eorum locorum dominus ea vel excindere vel pro summo in ea iure aliquid agere moliretur. Verum Ludouicus vt suauissimis moribus, pietateque imbutus erat, a legato in nullo dissensurum se pollicitus est.

a Pet. Val. hist. Albig. cap. 82.

b ib. c. 68.

Ludou. maior natu Philip. filius dux in Albigenses.

21 Dum res eo loco staret, oratores a præsulibus missi, vt ab Innocentio comitem Montisfortis in dominum ac principem exposcerent, reuersi literas has pontificias comiti reddidere, quibus omnem Tolosani comitis ditionem partasque a crucesignatis terras, aliasque a legato obsidum, præsidiorumque beneficio obtentas ipsius fidei, donec in concilio kal. nou. Romæ cogendo de illis maturius statueretur, commendabat.

Innocentius episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio suo nobili viro Simoni comiti Montisfortis, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Litt. Inn. ad Montfortium.

Nobilitatem tuam dignis in Domino laudibus commendamus, quia pura dilectione, mente sincera & viribus indefessis, tanquam verus & strenuus miles Christi & inuictus catholicæ fidei propugnator, prælia Domini laudabiliter præliaris, vnde in omnem ferè terram tuæ fidei & fidei sonus exiuit, propter quod super caput tuum multæ benedictiones effunduntur, ad gratiam tibi amplius acquirendam, et totius Ecclesiæ precamina congeruntur, et multiplicatis intercessoribus, corona tibi gloriæ conseruatur, reddenda tibi a iusto iudice in futurum, quam propter tua merita speramus esse tibi repositam nunc in cœlis. Et infra:

22 *Cum igitur totam terram, quam comes tenuit Tolosanus, cum alijs terris a crucesignatis obtentis, quæ a dilecto filio nostro Petro sanctæ Mariæ in Aquiro diacono Cardinali, Apostolicæ sedis legato tenentur per obsides vel custodes, vsque ad tempus concilij generalis, in quo de ipsis consilio prælatorum plenius possimus salubriter ordinare, prudentiæ tuæ duximus committendas, vt eas conserues, custodias et defendas, concedentes tibi redditus et prouentus earum, cum iustitijs, et cum alijs ad iurisdictionem spectantibus, cum nec possis, nec debeas proprijs stipendijs militare, saluis expensis, pro munitione et custodia castrorum, quæ de mandato nostro tenentur: nobilitatem tuam cum omni diligentia commonemus, totis affectibus in Domino postulantes pro numine, ac sub obtestatione diuini numinis obsecrantes in remissionem peccaminum iniungendo, quatenus non refugias hanc pro Christo legationem recipere, cum ipse pro te a Patre legatione suscepta, tanquam gigas excurrerit vsque ad crucis patibulum, & ad mortem. Legato quoque præcipiendo mandamus, vt super his statuat & disponat, quicquid ipsi negotio viderit expedire, impendens tibi consilium & auxilium opportunum, & quod statueris, faciat firmiter obseruari: contradictores si qui fuerint vel rebelles, sublato cuiuslibet conditionis vel appellationis obstaculo, ad id quod viderit expedire, districtione compellens. Dat. Later. IV. non. april. pont. anno XVIII.*

23 His legato significatis mouit comes crucesignatorum exercitus in prouinciam Narbonensem; afflatique terrore Narbonæ ciues omnibus Ludouici imperijs se parituros spopondere. Ne igitur in posterum rebellionem facere hæresimue alere murorum firmitate freti auderent, mœnia solo æquare iussi. At Arnaldus archiepiscopus ardenti studio sese opponere cœpit, cum eam vrbem ad suum dominium spectare contenderet. coacto verò præsulum, ac nobiliũ Biterris cœtu, decretum, vt Ludouicus legati auctoritate Narbonæ, Tolosæ, aliorumq; oppidorum mœnia, quod illorum opera occasioneque ingentia mala rei Christianæ impressa essent dirui imperaret. Quibus perfectis legatus celebrato Carcassonæ præsulum nobiliumque conuentu, ex mandato pontificio fidei custodiæq; comitis Montisfortis dictam ditionẽ vsq; ad concilium œcumenicum tradidit. Neque ita multo post comes Fuxi ad legatum accessit, legatusq; Fuxũ Montfortio custodiendum cõmendauit, ac missus Guido Montfortij frater Tolosam, vt fratris nomine eam vrbem teneret, atque ciuibus in eius verba adactis mœnia euerteret. Fracta igitur præsentia Ludouici hæreseos ceruice, Tolosæque mœnibus dirutis, pacataque ea regione, perfecto peregrinationis nimirum quadraginta dierum tempore is princeps pulcherrimis onustus victorijs, ac non ferro, sed metu hostibus fidei perdomitis in paternum regnum se recepit. Hæc pluribus Vallisarnensis.

Narbonẽsis a Lud. subacti.

Vrbium hæreticarum diruta mœnia.

Et Tolosæ.

Compressa hæresis a Lud.

24 Celebrata verò, vt subijcit auctor a, eodem anno Romæ œcumenica synodo, de qua nos plura, de re Albigensi etiam tractatum est. Concurrerant eò comites Tolosæ cum filio, ac Fuxi, vt a concilio amissas terras recuperarent, patresque ad sui misericordiam inflecterent: miserat quoque Montfortius Guidonem fratrem, vt rei suæ agendæ tuendæque strenuè operam nauaret. At Pontifex, rogatis sententijs, Tolosam aliasque a crucesignatis comparatas terras, saluo supremi domini iure, Montfortio adiudicauit; vtque se etiam Raymundo benignum impertiret, veniæque locum aliquem daret, ipsius ditionem in Prouincia sitam custodiri iussit, vt Raymundi filio vel integram, vel ex parte, si probis moribus ornatus foret, ac religionis amans, seseruaret. Verùm ex ea Pontificis clementia ingentia postea mala emersere, cum ille Prouincialium armis fultus, Tolosanos ad defectionem concitauit.

a Ib. c. 83.

Pars comitatus Tolos. relicta Raymũdi filio.

25 Tanta ditione auctus ornatusque Montfortius ad Francorum Regem se contulit, vt clientis officia veluti supremo domino exhiberet, ab eoque blande, & honorificentissime est admissus. Quacunque verò pergeret, summa omnium gratulatione exceptus; effundebatur ex oppidis vrbibusq; cateruatim populus, clerusque composito religioso agmine occurrebat, omnesque vti triumphatori hæreseos defensorique fidei occinebant: Benedictus qui venit in nomine Domini; tantaque in eum populi ardebat pietas, vt plerique vel tacta vestis ora ac lacinia felices se prædicarent. Sed de his satis: nunc ad res Anglicanas stylum conuertamus.

Montfortius beneficiarium se Reg. Gall. profitetur

Magna amoris significatione a Gallis excipitur.

26 Concitati hoc anno sunt in Anglia grauissimi motus, qui penè illud regnum euertere: proceres enim inito fœdere prærogatiuas nobilibus & ecclesijs Anglicanis olim ab Henrico primo concessas a Ioanne Rege per vim extorquere meditati, oratorum opera expetiere, vt eas confirmaret; quas cum ille, petitis ad deliberandum inducijs, regiam auctoritatem labefactare putaret, vnquam corroboraturum negauit: quo illi responso efferati in arma coorti sunt, ac paulo post, conspirantibus cum ijs Londiniensibus, regia vrbe potiti; atque adeo creuit coniuratorum potentia, vt penè ab omnibus Rex desererere-

Angli a Rege priuilegia vetera reuocari petũt.

Repulsam passi rebellant.

teratur. Qui cum se in discrimen amittendæ dignitatis adductum cerneret, ad distrahendas illorum vires omnibus ipsorum tam procerum quam episcoporum petitis annuit, regijsque diplomatibus corroborauit, quæ Parisius historiæ suæ inserit, subditque Regem pontificia gratia prolectandæ cupidum, quò se in iurata fide constantem demonstraret, sapiisse, vt ad omnem dissidij cum Ecclesia tollendam occasionem omnium prælatorum electiones in posterum liberæ fierent; atque ab Innocentio flagitasse, vt suam decreto adijceret auctoritatem; cuius pijs votis amplissimo diplomate ad Anglicanum clerum dato morem gessit: suffecerit verò nobis ad consecrandam rei tantæ memoriam Ioannis regium diploma decerpere a.

Et a Rege trepido extorquent.

Ioannes liberas præsulum electiones fore decernit.

a Ext. apud Paris.

27 *Ioannes Dei gratia Rex Angliæ, dominus Hyberniæ, dux Normanniæ & Aquitaniæ, comes Andegauensis, archiepiscopis, episcopis, comitibus, baronibus, militibus, balliuis & omnibus has literas visuris salutem.*

Quoniam inter nos & venerabiles patres nostros, Stephanum Cantuariensem totius Angliæ primatem & sanctæ Ecclesiæ Romanæ Cardinalem, Vvillelmum Londoniensem, E. Eliensem, E. Herefordensem, Ioannem Bathoniensem, & Glastonensem, & Hubertum Lincolniensem episcopos, super damnis & ablatis eorum tempore interdicti, per Dei gratiam de mera & libera voluntate vtriusque partis plenè conuenit, volumus non solùm eis, quantum secundum Deum possumus, satisfacere, verum etiam toti ecclesiæ Anglicanæ salubriter & vtiliter in perpetuum prouidere. Inde est quod qualiscunque consuetudo temporibus nostris, & prædecessorum nostrorum hactenus in ecclesia Anglicana fuerit obseruata, & quidquid iuris nobis hactenus vendicauerimus, de cætero in vniuersis, & singulis ecclesijs, & monasterijs cathedralibus & conuentualibus totius regni Angliæ, liberæ sint in perpetuum electiones quorumcunque prælatorum maiorum & minorum, salua nobis & heredibus nostris custodia ecclesiarum, & monasteriorum vacantium, quæ ad nos pertinent.

Regiū eade re diploma ab Inn. confirmatum.

28 Promittimus etiam quod nec impediemus, nec impedire permittemus per nostros, nec procurabimus, quin in vniuersis, & singulis monasterijs & ecclesijs, postquam vacauerint prælaturæ, quemcunque voluerint, liberè sibi præficient electores pastorem, petita tamen a nobis prius & heredibus nostris licentia eligendi, quam non denegabimus nec differemus. Et si forte accidat quod denegaremus, vel differremus, nihilominus procedant electores ad electionem canonicam faciendam. Et similiter post celebratam electionem noster requiratur assensus, quem non denegabimus, nisi aduersus eandem rationale proposuerimus, & legitimè probauerimus,* propter quod non debemus consentire. Quare volumus & firmiter iubemus, ne quis vacantibus ecclesijs vel monasterijs, contra hanc nostram concessionem & constitutionem in aliquo veniat, vel venire præsumat. Si quis verò contra hoc aliquo tempore veniat, maledictionem Dei omnipotentis & nostram incurrat. His testibus, &c. Dat. per manum magistri Roberti de Marisco cancellarij nostri decimo quinto die ianuar. apud nouum templum Londini anno regni nostri decimo sexto.

* impedimentum

29 His ita gestis corroboratisque nobiliorum Anglorum priuilegijs b, cum omnium gratiam sibi Ioannes conciliasset, a peruersis consiliarijs in contrariam mentem actus est: insusurrarunt enim illius auribus fractam iam illius auctoritatem, creuisse audacia subditos, regium nomen ægrè sustentari, ac satius fuisse de regno, quam de suscepta semel sententia decedere. Quibus vocibus exasperatus, datam fidem rescindere, reuocare diplomata, procerum potentiam debilitare atque audacissimos quosque armis perdere in animum induxit; cumque non obscura iracundiæ signa præ se ferret, ijs visis proceres ipsum mitigare conatisunt, monuere, vt datæ fidei meminisset, nullam turpiorem maculam ab Rege suscipi, quàm cum sacramenti religionem infringit. Sed cum implacabilem eius animum, atque in alto infixam hærere iniuriam agnouissent, ad discutiendum imminens sibi ab irato Rege periculum in arma conuolarunt.

b Extant apud eūd. Paris.

Ioannes concessa priuilegia rescindere meditatur.

Monetur a proceribus vt fidē seruet. Res in bellum erumpit.

30 Perterritus Anglorum procerum coniuratione Ioannes ad edomandos armis rebelles se accinxit, atque ad comparandam Romani Pontificis gratiam & tutelam oratores misit, qui significarent procerum Angliæ ab eo defectionem, vtque ijs nonnullas leges iniquas extorquere volentibus repugnanteque Rege ac demum publicè profitente stipendiarium esse sedis Apostolicæ regnum, atque adeo se ad Pontificem, vt supremum regni dominum prouocasse, ne quid eo inscio aliquid in regno immutaretur, ipsos re sprera Londinum occupasse, prosilijsse in arma, Regemque ad concedenda petita metu adegisse. Addit Parisius his intellectis Innocentium indignatione in proceres Anglos commotum, qui Apostolicæ clientelæ commendatum principem diuexarent, ex Cardinalium consilio ea omnia, quæ per vim & metū sancita fuerant, edito amplissimo diplomate, rescidisse; in quo post enarratas discordiæ causas, vtque Ecclesiæ abundè fecisset satis, crucem etiam induisset, fideique Apostolicæ esset commissus (illam enim hoc anno sumpsisse Parisius ait, siue ex religione, siue vt aduersus coniuratos clientela pontificia se muniret) hæc ad rem spectantia adiecit:

Ioannis apud Inn. querelæ.

Pontifex illius causam tuetur.

31 *Quia nobis a Domino dictum est in propheta: Constitui te super gentes & regna, vt euellas et destruas, ædifices, & plantes. Itemque per alium prophetam: Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes; nos tanta malignitatis audaciam dissimulare nolentes in Apostolica sedis contemptum regalis iuris dispendium, Anglicanæ gentis opprobrium, & graue periculum totius negotij Crucifixi, quod vtique immineret, nisi per auctoritatem nostram reuocarentur omnia, quæ a tanto principe crucesignato taliter sunt extorta, & ipso volente seruare, ex parte Dei omnipotentis Patris & Filij & Spiritus sancti, auctoritate quoque Apostolorum eius Petri & Pauli ac nostra, de communi fratrum nostrorum consilio compositionem huiusmodi reprobamus, penitus & damnamus, sub intimatione anathematis prohibentes, ne dictus Rex eam obseruare præsumat, aut barones cum complicibus suis ipsam exigant obseruari, tam chartam quam obligationes seu cautiones, quæcumque pro ipsa vel de ipsa sunt factæ irritantes penitus & cassantes, vt nulla vnquam tempore aliquam habeant firmitatem. Dat. Anagniæ non. kal. septemb. pontificatus nostri an. decimo octauo.* Quo etiam die ad nobiles Angliæ scripsit a, eosque a memoratis conuenticulis omnino recedere, Regique iniustam iniuriam sarcire iussit, quo placatus ille emendaret sponte quidquid contra iustitiam, atque æquitatem tentatum videretur; *Ad quod etiam & nos,* inquit, *ipsum efficaciter inducemus: quoniam sicut nolumus, quod ipse suo iure priuetur, ita volumus, vt ipse a vestro grauamine desistat; ne per consuetudines prauas & exactiones iniquas sub nostro dominio regnum Angliæ opprimatur.*

Abrogat extorta ab eo priuilegia.

a Recitat eiusdem literas Paris.

32 Hæc Pontifex ad conciliandos Ioanni Regi Anglos, nec tamen emoti tumultus adhuc Apostolica auctoritate resederunt, quorum auctorem Stephanum de Langetuna archiepiscopum Cantuariensem & Cardinalem cum putaret Ioannes, illum Romæ, vbi solemnes episcoporum in Lateranensi ecclesia indicti erant conuentus, in crimen perduellionis vocauit, quem Innocentius penè coniunctum

Stephanus Cant. arch. Card. perduellionis accusatur.

ac

ac veniam deposcentem damnauit, sententiamque a Vvintoniensi episcopo in eum latam confirmauit; quanquam paulo post in gratiam restituit, vetuit tamen, ne pedem in Angliam inferret, antequam concordia Regem inter & proceres coaluisset. Suscepit porrò in eadem synodo magno ardore Regis clientelam Innocentius, quem Ioannis oratores sibi deuinxerant, incilarantque, vt ait Parisius, nonnulla iniquiora capita regio honori contraria, quæ Angli ab ipso extorserant, atque adeo factione illa implicitos solemni ritu anathemate defixit, vt ipse Pontifex testatur in literis a ad Albedunensem, duosque alios abbates exaratis.

Damnatur ab Innocentio. Data cautione absoluitur. Angli factiosi in concilio anathemate percussi. a Ext. apud Par. ann. 1216.

Innocentius &c.

33 Ad vestram volumus peruenire notitiam, quod nos nuper in generali concilio constituti excommunicauimus, & anathematizauimus ex parte omnipotentis Dei Patris, & Filij, & Spiritus sancti, auctoritate quoque beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, ac nostra barones Angliæ cum adiutoribus & fautoribus suis, qui Ioannem illustrem Regem Anglorum crucesignatum & vassallum Romanæ Ecclesiæ persequuntur, molientes ei regnum auferre, quod ad Romanam Ecclesiam dignoscitur pertinere. Insuper excômunicauimus & anathematizauimus omnes illos, qui ad occupandum vel inuadendum regnum ipsum, aut impediendum euntes in eiusdem Regis succursum operam vel opem impenderunt, & terras eorumdem baronum ecclesiastico subijcimus interdicto &c. *Dat. Later. xvii. kal. ian. pont. nostri an.* 18.] Viros ecclesiasticos, qui factiosorum partibus fuerint irretiti, suis dignitatibus deturbandos decernit, prouinciamque ijs abbatibus imponit, et Apostolicam sententiam in Londinenses, & alios coniuratos, quorum præcipuos duces nominat, sacris interdictus solemni ritu denunciant.

Sententia in Anglia promulgatur. Interdicto subiectæ rebellium terræ.

34 At factiosi, vt ait Parisius, censuras pontificias floccifecere, quos, etsi in Romanos Pontifices admodum iniquus auctor, ea de causa incrimen vocat. cæterum Ioannes pontificia armatus auctoritate ad edomandos subditos ex Aquitania tum ex Belgio, Gallijsque magnas copias auxiliares exciuit, quibus instructus rebelles in magnas angustias adduxit, corumque agros, possessiones, ac domos ferro flammaque corrupit. Vt verò illi acti in desperationem ad sua recuperanda Philippi Galliarum Regis maiorem natu filium Ludouicum, cuius præclara hoc anno in Albigenses facinora vidimus, Regem salutarint, sequenti anno referemus. iam ad Germanicas res deflectamus.

Spretis a rebellibus censuris. Ioannes in eos fertur.

35 Extulere se admodum Friderici res huc anno, quem ait Godefridus Andernaci colloquium cum nobilioribus Germaniæ habuisse, postea profectū Aquisgranum, a Siffrido Moguntinensi archiepiscopo A. S. L. absente Coloniensi solemni pompa inauguratum, regijsque insignibus ornamentis: & peracto consecrationis Imperatoriæ ritu, Ioannem Xantensem scholasticum de induenda cruce liberandaque ex infidelium tyrannide Terra sancta concionem habuisse; tumque incensum zelo Fridericum vnà cum multis præsulibus & principibus eam capessiuisse: quod etiā plures antea in Andernacensi colloquio egisse ait. Sed quanto Ecclesiæ malo Fridericus sumpta cruce votum nuncupatum infregerit, vnde Christiana respublica pessumdata atque afflicta admodum ex ea occasione est, secuturis annis videbitur. Cum verò Coloniensis archiepiscopi, cuius partium erat Fridericum insignibus Imperij exornare, mentio inciderit, prætereundum non est, tunc inter Theodoricum & Adolphum de archiepiscopatu maximam quæstionem motam, atque repudiato vtroque Engelbertum electum fuisse, de quibus Cæsarius in Engelberti gestis b: *Neuter tamen illorum*, nimirum Adolphus & Theodoricus, *episcopatum recuperare valuit, licet in curia Romana ab vtroque satis pro illo laboratum sit: sed vtique trecenta marcha ex redditibus episcopalibus sunt assignata; ecclesia verò Coloniensi libera electio remissa est.* Et paucis interiectis verbis: *Post depositionem Othonis Friderico adhærens*, Engelbertus scilicet, *ac per hoc fauorem domini Innocentij Papæ conquirens communi consensu in archiepiscopum electus est.*

Frid. Aquisgrani inunctus. Crucem induit cū nobilibus pluribus viris. b Caes. in vit. Engel. arch. Col. l. 1. c. 3. apud Sur. to. 6 die 7. nouemb. Engelbertus Colō. arch. eligitur.

36 Cum exauctorati Othonis auctor meminerit, de abdicatione illius in Lateranensi synodo confirmata loqui videtur, cuius rei historia ex a Richardo de S. Germano nobis petenda est. Scribit ergo auctor omnium principum nuncios ad concilium illud confluxisse, in quo non modò de apparanda crucesignatorum expeditione ad impiam Sarracenorum tyrannidem euertendam, verùm de Imperij rebus erat agitandum: misisseque oratores suos Othonem ac Fridericum, alterum vt obtenta venia Imperium recuperaret, e quo deiectus fuerat; alterum vt sibi assereret: atque etiam asperioribus animis vtrinque certatum; quippe cum Othonis orator Mediolanensis genere omnibus illum Ecclesiæ imperijs demisse pariturum proponeret, atque vt in gratiam cum Ecclesia restitueretur, vrgeret, restitit marchio Montisferrati, atque acriter Othonis preces sex de causis non admittendas contendit; primùm quod datum Romanæ Ecclesiæ sacramentum infregisset: secundò quod ea ob quæ occupata anathemate defixus esset, adhuc detineret, nec redderet vti iuratus spoponderat: tertiò quod episcopum Ecclesia eiectum foueret: quartò quod legatum episcopum summa temeritate atque audacia in carcerem coniecisset: quintò quod per summum Romanæ Ecclesiæ maiestatis contemptum Regem Fridericum Regem presbyterorum appellasset: sextò quod virginum Deo deuotarum ædes euertisset, vt arcem excitaret.

a Richar. in chron. hoc ann. Agitatū de Imperio in concil. Otho factorum suorum pœnitentiam pollicetur. Opponit se marchio Montisferrati. Rationes ipsius cur non admittēdus.

37 Adiecit Mediolanensium pariter orationem respuendam, tum quod anathematis vinculis ob partes Othonianas amplexas irretiti; tum quod eorum ciuitas Patarenos hæreticos in gremio foueret. Obiecta diluere, ac retorquere alijs nitentibus, exulcerati animi in asperiora verba prorupere: quo viso Innocentius, assurgens è Pontificio solio manu silentio indicto sacrum senatum dimisit, cumque a B. Martini ad S. Andreæ festum ter concilium coegisset, electionem principum, qui Fridericum salutarent Imperatorem, confirmauit: quo facto Innocentius Ecclesiæ consuluisse putauit, cum tamen postea Fridericus longè Othonem improbitate vicerit; sed tunc ille vt callidus erat, studiosissimum se tuendi diuini nominis fingebat, atque hoc anno ne illius nimia potentia formidinem Romanæ Ecclesiæ incuteret, vel ne Imperio Sicilia coniuncta videretur, suprenoque in illam Romanæ Ecclesiæ dominio detraheretur, Henricum filium Siciliæ Regem creauit, seque astrinxit sacramento post adeptam Imperij coronam e patria potestate emissurum, regioque diplomate illud regnum sedis Apostolicæ vectigale esse promulgauit.

Exorta contētio. Fridericus ab Innoc. Imp. confirmatus.

38 *Sanctissimo in Christo patri, & domino suo Innocentio, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici, Fridericus Dei, & sui gratia Romanorum Rex, & semper Augustus, & Rex Siciliæ, cum filiali subiectione debitam in omnibus Apostolicæ sedi obedientiam, & reuerentiam.*

Frider. Henrico regnū Siciliæ transmittit.

Cupientes tam Ecclesiæ Rom. quàm regno Siciliæ prouidere, promittimus, & concedimus, statuentes, vt postquam fuerimus Imperij coronam adepti, protinus filium nostrum Henricum, quem ad mandatum vestrum in Regem fecimus coronari, emancipemus a patria potestate, ipsumque regnum Siciliæ tam vltra Pharum, quam citra, penitus relinquamus ab Ecclesia Romana tenendum, sicut nos illud

Promittit adepto imperio emācipaturū.

illud ab ipsa sola tenemus; ita quod ex tunc nec habebimus, nec nominabimus nos Regem Siciliæ, sed iuxta beneplacitum vestrum procurabimus illud nomine ipsius filij nostri Regis, vsque ad legitimam eius ætatem per personam idoneam gubernari, quæ de omni iure, atque seruitio Ecclesiæ Rom. respondeat, ad quam solummodo ipsius Regni dominium nosci-tur pertinere, ne fortè pro eo quod nos dignatione diuina sumus ad Imperij fastigium euocati, aliquid vnionis regnum ad Imperium quouis tempore putaretur habere, si nos simul Imperium teneremus, & regnum, per quod tam Apostolicæ sedi, quàm heredibus nostris aliquod posset dispendium generari. Vt autem hæc nostra promissio, concessio, & constitutio debitum sortiatur effectum, præsentem paginam aurea bulla nostra fecimus communiri. *Dat. apud Argentinam anno Domini millesimo ducentesimo decimoquinto kal. iul. indictione quarta.*}

Id actum ne Sicilia ab Imperio pédere putetur.

39 Postremò addere liceat haud contemnendum antiquitatis monumentum, solemne videlicet a Salinguerra Romanæ Ecclesiæ vectigali editum fidei iusiurandum in egregio atque a nobis sæpe laudato Vaticano volumine [a] huiuscemodi verbis conceptum:

a Lib. cēſ.

Datum a Salinguerra fidei sacramentũ

Anno a natiuitate Domini nostri Iesu Christi M. CC. XV. indictione III. tempore Innocentij Papæ III. Pontificatus eius anno 18. die lunæ in vigilia sanctæ Mariæ septimo intrantis mensis septembris in præsentia, & testimonio rogatorum testium infrascriptorum. In nomine Domini amen. Ego Salinguerra de Farraia ab hac hora in antea ero fidelis vobis domino nostro Papa Innocentio, vestrisque catholicis successoribus, & Ecclesiæ Rom. Non ero in facto, vel consilio, vel consensu, vt vitam, vel membrum perdatis, aut mala capiamini captione. Vestrum certum malum si sciuero, pro posse meo diligenter impediam; quod si non potero impedire, significabo illud vobis, aut tali personæ, quam credam vobis pro certo dicturam. Consilium, quod mihi credideritis, ad vestrum damnum me sciente nulli pandam.

Quas terras iure fiduciario a Rō. Eccl. acceperit.

40 *Papatum Romanum & regalia B. Petri specialiter id totum, quod mihi concessistis in feudum de terra quondam claræ memoriæ comitissæ Mathildis, videlicet Medicinam, & duas partes Argellatæ, Membarozone cum plebatu sanctæ Mariæ, Carpum, Carpinetum, Besinatum, Mandrinam, Bibianellum, Castrum Ariani, Foscuudum, Mozole, Bondenum, Ardunt, Pipignacium cum vniuersis curijs, & pertinentijs, iuribus, & honoribus omnium prædictorum castrorum, & locorum & cuncta iura, & redditus, responsiones, iurisdictiones, & honores, vsus, & albegarias, quæ sunt dicti poderis prædictæ comitissæ Mathildis piæ memoriæ, in ijs locis, siue pertinentijs, videlicet in Sablono, Gazolo, Belegaria, Biolotorba, Dianzano, Casale magno, Casale Ligogno, Tregasso, Pregnano, Coniano, Runcalijs, Planzo, Castro Canusiæ, eiusque Curia Fontana, Campogaiano, sancto Martino de Rio fusimulo, Padis, Corregia, fossa Canalis, Milaro, Gurgatellis, Fossulis, Brundiono, Soleria, & in toto podere q. Caualcacomitis, ac vniuerso Imolæ comitatu, & in toto eo, quod est in prænominato podere.*

41 *In episcopatu Bononiensi, Mutinensi, Regino, Parmensi, cæterisque alijs episcopatibus, adiutor ero ad retinendum & defendendum quæ habet, & quæ non habet ad recuperandum, & cum recuperata fuerint, ad retinendum, & defendendum contra omnem mortalem, eandemq; verò terram nec teneo, nec tenebo, nisi a Romana tantum Ecclesia, & pro ipsa soluam ei singulis annis nomine census quadraginta marchas argenti, & seruiam ei pro ipsa terra meis sumptibus. In Lombardia, & Romania cum centum militibus. In Tuscia verò, valle Spoletana vel Marchia cum quinquaginta. Ab vrbe autem & infra versus Apuliam, per Campaniam, & totum regnum Siciliæ cum XX. per mensem integrum singulis annis quandocunque fuero requisitus, tempore veniendi, & recedendi minime computando, et deinde cum sibi placuerit in suis dumtaxat expensis legatos et nuncios Apostolicæ sedis in terram venientes prædictam, deuoti recipiam, et honorificè pertractabo. Hæc omnia promitto bona fide impleturum, et seruaturum, sic me Deus adiuuet, et hæc sancta Dei euangelia. Actum in castro Carpi in ecclesia sanctæ Mariæ in manibus magistri Pelegrini domini Papæ capellani ad hæc specialiter delegati feliciter.* Sequuntur subscriptiones, quas breuitatis gratia prætermisimus.

IESV CHRISTI
Annus 1216.

INNOCENTII PP. III. annus 19.	OTHONIS IMP. annus 8. HENRICI IMP. annus 11.

1 INussit acerbissimum toti orbi Christiano dolorem Innocentij obitus anno Christi millesimo ducentesimo decimo sexto, indictione quarta, qui tanta cum laude pontificium munus sustinuit, Ecclesiæque terminos ea felicitate protulit, vt paucissimos illius virtutibus pares Pontifices orbis suspexerit. Sed ne ante tempus lacrymis indulgeamus, ea primùm sunt afferenda, quibus extremos dies illustrauit. Igitur ad componendum Imperij statum, comprimendosque Angliæ motus geminam legationem decreuit: missus enim ab eo est in Germaniam cum amplissima auctoritate Petrus tit. S. Pudentianæ Cardinalis, de quo hæc Godefridus [a] *Fridericus Rex in festo Apostolorum Philippi & Iacobi, curiam apud Nuremberch habuit: vbi Petrus Cardinalis S. Pudentianæ a domino Papa missus affuit. Huic curiæ Engelbertus Coloniensis electus se exhibuit, & a domino Petro Card. confirmatus, regalia a Friderico Rege suscepit*, eadem alij [b].

Petrus Card. in German. mittitur.

a Godef. in annal. an. 1216

2 Alteram verò legationem gessit magister Vvalo (quanquam alij eundem Cardinalem illa functum asserant) [c] vt tradit Parisius [d], qui eò missum ait, quo Ludouici Francorum Regis filij profectionem in Angliam impediret. Namque perduelles Angli, ijque fidelium cœtu, & communione abscissi, de quibus antea egimus, fractis rebus suis, ac penè desperatis, Regem sibi Ludouicum hoc anno elegerunt, moxque per literas, & nuncios euocauere; quibus princeps annuit, & quamuis Apostolicæ sedis legatus, vt eum a proposito dimoueret, omnem operam collocasset, ille anathemate percelli, quàm ad se confugientibus deesse maluit. de quibus Parisius, insequenti post S. Marci festum die Ludouicum ad patrem Philippum se contulisse, ardentissimisque contendisse precibus, ne iter suum disturbaret, cum sacramento Anglis proceribus se adstrinxisset eorum auxilio non defuturum, ac malle anathemate percuti, quàm periurio fidem infringere; motumque filij lacrymis Philippum assensisse, vt expeditionem in Angliam adornaret: cum tamen rem periculi plenam cerneret, palam ab eo consilio abhorrere videri voluisse, atque ita Ludouicum magnis cinctum copijs instructa classe in Angliam traiecisse, nulloque labore Ioanne cum suis in fugam acto, Londinum peruenisse: vbi ingenti principum omnium gaudio exceptum, plures ab Rege ad se pellexisse asserit. Similia Rigordus [e], Godefridus [f] alijque tradunt. Addit Parisius Vvalonem S. A. L. de Ludouici in Angliam profectione certiorem factum, ad prouinciam sibi impositam fungendam inter medios periculorum æstus penetrasse in Angliam, atque ad Ioannem Regem agentem Glouerniæ peruenisse. Qui aduentu ipsius admodum recreatus spem suam omnem in eum coniecit: hunc verò coacto mox præsulum concilio, Ludouicum eiusque partium studiosos anathemate

b Trith. chro. Hirſ. eod. ann.

c Vinc. spec. hiſt. c. 28. Antonin. 3. p. t. 19. c. 2. & 6.

d Par. hiſt. Ang. eod. ann.

Ludouic. 8. ab Angl. rebellibus Rex saluta tur.

In Angliā traijcit. Ioannem Regē fugat.

Londini excipitur.

e Rigor. de geſt. Phil. Aug. Pr. Reg. ann. 1216.

f Godef in annal. eod. ann. Antonin 3. p. tit. 19. c. 2. §. 6 & alij.

Ludouicus a legato anathe mati ictus

defixisse, ac tota Anglia sententiam promulgari iussisse.

Oratores ad Innoc. mittit.

3 Post secundas verò Ludouici res enarratas de oratorum eius in vrbem aduentu hæc prodit auctor: *Circa dies istos Ludouici nuncij, quos ad curiam Romanam miserat, eidem scripserunt sub hac forma:*

Excellentissimo domino suo Lodouico, domini Regis Francorum primogenito D. de Corbolio, I. de Monte visito, & G. Limeth, nuncij salutem & fidele seruitium.

Oratorũ lit. ad Lud.

Nouerit excellentia vestra, quod nos die dominica ad mensem paschæ venimus ad dominum Papã saluis personis nostris & rebus, & eodem die intrauimus statim ad ipsum. Quem hilarem inuenimus, sed vultu tristem se nobis exhibuit. Et præsentatis literis nostris, & proposita salutatione ex parte vestra, ipse nobis respondit: Dominus vester non est dignus salutatione nostra. Ego verò statim respondi: Pater, credo quod auditis rationibus & excusationibus domini nostri, inuenietis eum dignum salutatione vestra, vtpote Christianum, catholicum, vobis & Romanæ Ecclesiæ deuotum. Et sic illa die a præsentia domini Papæ recessimus. Sed in recessu nostro benignissimè nobis dixit dominus Papa, quod nos libenter audiret quando, & quoties vellemus. Sequenti die martis, dominus Papa misit seruientem quendam ad hospitium nostrum, vt veniremus ad ipsum, & statim venimus ante eum, & ipse multa dixit contra nos, cum proposuissemus causam nostram, & quæ videbantur impugnare factum vestrum, & rationes vestras.]

Quæ fecerint pro inuadẽda Angl. Ludouici argumenta.

Ioannem suis sceleribus indignum se regia corona reddidisse.

4 Quæ verò Ludouici argumenta ad asserendum sibi Angliæ regnum proposita sedi Apostolicæ fuerint, ea adducit Parisius ac refellit, quæ nobis perstringenda visa sunt. Contendebant ergo Ludouici oratores Ioannem verum Regem non fuisse, atque adeo Anglis permissum Ludouicum ad sceptrum capessendum euocare: id verò ita astruebant coniectis in Ioannem pluribus sceleribus, quæ indignum coronæ sustinendæ reddiderant; Arthurum nepotem suum, de cuius morte supra nos egimus, immanissimè necasse, atque ob id crimen in Gallica aula, cuius stipendiarius erat, mortis sententiam in eum latam esse. quibus a Pontifice responsum Ioannem regia inunctione fuisse delibutum, atque adeo inferiorum dignitate, vt erant pares Galliæ, iudicio obnoxium non fuisse, nec illius criminis conuictum.

Quid responsum ab Innoc.

Alia ratio, partam iure belli, Angliam

5 Opponebant etiam iidem oratores, antequàm Anglia sedi Apostolicæ a Ioanne vectigalis constitueretur, bellum cum Anglo iustum, proinde iure belli id teneri, atque eius possessione potiri Ludouicum adactis in sua verba Anglis proceribus, tum regijs vectigalibus ad se iam deriuatis, nec iam alio iure, quàm armorum, ex adepta possessione deturbari posse: si anathematis sententia in fautores procerum lata esset, non propterea illa Ludouicum irretitum, cum non ad proceres iuuandos, sed ad ius suum persequendum, ad quod obtinendum mala alterius voluntate vti licet, in Angliam transfretasse. At Pontifex contra obiecit a synodo œcumenica inducias ad quadriennium indictas; Ioannem etiam crucesignatum extitisse, & Apostolicæ sedis clientelæ commendatum; atque adeo excurrente eo tempore bellum a Ludouico iustè geri non potuisse. Vt verò ea concertatio oratorum cum Pontifice soluta sit, ex ipsis oratorum ad Ludouicum literis accipiamus:

Negat Põtifex ob indictas a conc. Lat. inducias.

Innocentij ex eo bello paternæ angustiæ.

6 Et statim finito sermone, percusso pectore suo cum magno gemitu, infremuit spiritu & dixit: Heu mihi, quia in hoc facto Ecclesia Dei non potest euadere confusionẽ, si enim Rex Angliæ vincitur, in ipsius confusione confundimur, quia vassallus noster est & tenemur eum defendere. Si dominus Ludouicus vincitur, quod Deus auertat, in ipsius læsione læditur Romana Ecclesia, & ipsius læsionem propriam reputamus: securè enim semper habuimus & adhuc habemus, quod ipse in omnibus necessitatibus debeat esse brachium, solatium in oppressionibus, & refugium in persecutionibus Ecclesiæ Romanæ: & in fine dixit, quod melius vellet mori quam aliquod malum vobis accideret in hoc facto, & sic illa die recessimus. Præterea de consilio quorundam Cardinalium expectamus diem Ascensionis, ne quid statuatur contra vos, quoniam illa die solet Papa innouare sententias suas. Dixerat enim nobis Papa, quod ipse expectaret nuncios domini Vvalonis. Valete.]

Miraculũ Veronicæ

7 Hoc interim spatio: *Dum fortunalis alea*, subdit Parisius, *statum regni Angliæ talibus turbinibus exagitaret, dominus Papa Innocentius, quem vacillantis Ecclesiæ cura solicitabat, effigiem vultus Domini, quæ Veronica dicitur, vt moris est, de ecclesia sancti Petri versus hospitale sancti Spiritus reuerenter cum processione baiulat. Qua peracta, ipsa effigies, dum in locum suum asportaretur, se per se gyrabat, vt verso staret ordine, ita scilicet, vt frons inferius, barba superius locaretur. Quod nimis abhorrens dominus Papa, credidit illud in triste sibi præsagium euenisse. Vt plenius Deo reconciliaretur, consilio fratrum in honorem ipsius effigiei, quæ Veronica dicitur, quandam orationem composuit elegantem, cui adiecit quendam psalmum, cum quibusdam versiculis, & eadem dicentibus decem dierum concessit indulgentiam, ita scilicet, vt quotiescunque repetatur, toties dicenti tantundem indulgentiæ concedatur, &c.* His similia tradit Matthæus Vvestmonasteriensis a in suis historiarum floribus, cuius libet Parisij potius epitome appellandus videtur. Verùm sicut in dubium reuocari nequit religiosissimum Pontificem huiusmodi de causis solemnes supplicationes indicere, atque alia pietatis opera peragere consueuisse, ita sunt qui immutatam illam imaginem fabellam suspicentur. nos certè rem in medio adductam, cuiusque iudicio permittemus.

Portendit mortem Innocẽtio

a Vvestm. flor. hist. an. 1216.

Inn. Melgorij comitatum Magalon. ep. sc. tradit.

8 Postremò silentio inuoluendum non est, extare in libro censuum Innocentij diploma ad Magalonensem episcopum, quo Melgorij comitatum fiduciario titulo concessit: *Deuotionem, quam tu, & Magalonensis ecclesia retroactis temporibus ad Apostolicam sedem noscimini habuisse, & habere in futurum speramini attendentes, comitatum Melgorij, siue Montisferrandi, qui ad ius, & proprietatem Ecclesiæ Romanæ noscitur pertinere, cum omnibus pertinentijs eius in feudum concedimus tibi, ac successoribus tuis sub annuo censu viginti marcharum argenti nobis & successoribus nostris in festo resurrectionis Dominicæ persoluendis, saluo nihilominus alio censu, quem pro alia causa Ecclesiæ Romanæ debetis. Itaque tu & successores tui nobis, & successoribus nostris fidelitatem propter hoc specialiter facietis, & per Romanam duntaxat Ecclesiam recognoscetis ipsum, & tenebitis comitatum; & de ipso facietis guerram & pacem ad mandatum ipsius, nec castrũ Melgorij, seu castrum Montisferrandi, cum sint caput comitatus eiusdem, in feudum dare, seu quomodolibet alienare nullatenus præsumatis absque Apostolicæ sedis licentia speciali. Minora etiam feuda, quæ ad ipsum pertinent comitatum, nulli concedetis omnino extra Magalonensem diœcesim commoranti. nulli ergo &c. Datum Laterani IIII. id. aprilis pontificatus nostri anno XIX.*

Vectigal viginti marcharum impositum.

9 Iam immaturum patris optimi funus lacrymis prosequamur: *Anno Domini* MCCXVI. inquit Conradus Vrspergensis abbas b, *Innocentius Papa obijt apud Perusium* XVI. kal. aug. *pontificatus sui anno decimonono.* hæc ille. Verum XVII. kal. augusti, dicunt alij. Hoc anno verò defunctum plurimi scriptores c affirmant, ex quibus hæc Richardus: *Innocentius Papa Vrbem exiens Perusium vadit, ubi mense iulio* XVII. *kal. augusti languore correptus feliciter expirauit.* Cur

b Vrsperg. in chron. an. 1216.

c Par. hist. Angl. an. seq & alij

d Richar. de S. Germ in chron.

verò

vero illuc se contulerit, Martinus Polonus a aperit: *Demum*, inquit, *cum Papa propter subuentionem Terræ sanctæ, inter Pisanos, Genuenses & Longobardos pacem intenderet facere, in itinere ad hoc constitutus, apud Perusium est defunctus, ibique in ecclesia S. Laurentij est tumulatus*. Hoc quoque ijsdem verbis Bernardus b, ac similia Dlugoschus c siue Longinus, alijque. Vnde corrigendus quorumdam recentiorum error, qui in diem alium annumue Innocentij obitum contulerunt. Ac sanè qui eum superiori anno d vel sequenti e vita perfunctum asseruere, ex literis ab Honorio Papa in locum Innocentij suffecto, hoc eodem anno datis erroris conuincuntur. Sedit annis duodeuiginti, mensibus sex, diebus nouem: creatus enim fuerat Pontifex, quod ipse testatur f, VI. id. ianuar. millesimi centesimi nonagesimi octaui anni, migrauitque e viuis, vt dictum est, testaturque Honorius g, decimoseptimo kal. aug. huius anni. Quocirca errauit memoratus Parisius, qui cum asserat Innocentium XVII. kal. aug. sublatum, eius tamen sedi menses quinque, dies quatuor dumtaxat, supra octodecim annos tribuit: Denique scriptores h illi, qui ad prædictorum annorum ac dierum summam non sex, sed quatuor menses adijciunt, Pontificatus temporis rationem, a die quo sacris Pontificalibus initiatus est, VIII. scilicet kal. martij, inire videntur: sepultus vero fuit, vt dictum est, Perusij in principe S. Laurentij templo, vbi nunc requiescit.

a Mart. Pol. chron. l. 4. Moritur Perusij. b Ber. chr. Rom. Pont. an. 1216. c Long. hist. Pol. l. 6. ecl. ann. d Paul. Lang. chro. Citz. an. 1215. e Par. l. 3. Angl. Sedis tempus. f Inn. l. 3. ep. 11. g Honor. l. 8. ep. 1. h Vrsperg. chro. an. 1199 & alij.

10 Lugubre in mortem Innocentij carmen a Richardo i suæ insertum historiæ hic adijcere libuit, quo præclaræ eius virtutes commendatæ, atque in luce collocatæ videntur, quanquam ab impolitiore poeta conscriptum fuerit, in quo non metri, sed sensus ratio spectari debeat:

i Rich. de S. Germ. in chro. ann. 1216.

Nox accede, quia cessit sol, lugeat orbis,
In medio lucis, lumen obisse suum.
Lumen obit mundi, quia decessit pater Innocentius: iste pater vrbis & orbis erat.
Nomen vtrumq; tenens versu notat, hoc quod habebat
Quid mundo posset reddere, quidue Deo.
Si speciem, si mentis opes, si munera linguæ
Attendas, cedet lingua, cadetque stylus.

11 His contraria atque indigna admodum de tanti Pontificis in altero seculo animæ statu nonnulli scriptis prodiderunt, e quibus Thomas Cantipratensis in gestis sanctæ Lutgardis hæc scribit: *Hoc ferè tempore* (inquit l) *dominus Innocentius Papa III. post celebratum Lateranense concilium ab hac vita migrauit, moxque apparuit visibiliter Lutgardi. Illa autem vt vidit cum ingenti flamma cinctum, quisnam sit percontatur. Respondit se esse Innocentium Papam. & illa cum gemitu. Quid hoc est, inquit, communem omnium nostrum patrem tam dirè cruciari? Respondit ille: Tres ob causas ita crucior, quæ etiam æternis supplicijs me iustissimè addixissent, nisi per intercessionem pijssimæ Matris Dei, cui monasterium condidi, in extremis me pœnituisset, & æternam quidem mortem euasi, sed pœnis atrocissimis vsque ad iudicij diem cruciabor. Quod autem ad te suffragia petiturus venire potui, mihi a suo Filio Mater misericordiæ impetrauit. His dictis confestim disparuit. Lutgardis verò eius necessitatem sororibus, vt ei succurrerent, indicauit: porro admodum dolens vicem eius, mirabili se cruciatu illius causa affecit. Nouerit lector nos reuelante nobis Lutgarde, tres illas causas non ignorare, sed pro tanti Pontificis reuerentia referre noluisse.* Hæc Thomas, vt mittamus dicere de nescio quo Cisterciensis ordinis abbate, quem in somnis, Dominum in excelso throno conspexisse ferunt m, ac nudum subinde hominem pontificali infula decoratum, qui sedentem versus velocissimè currens clamabat: *Miserere mihi misero misericordissime Deus*; ac draconem magnum a tergo insequentem & deuorare nitentem.

l Thom. Cantip. vit. Lutg. Virg. l. 2. c. 7. apud Sur. to. 3. die 16. iun. De eius animæ statu visum.
m Compil. chron. ann. 1216.

12 Horret sanè animus hæc de tanto Pontifice audire, ac facilè crediderim illa ab inimicis conficta atque subornata. Quis enim in animum induxerit, Innocentium, cuius laudes boni omnes celebrarunt, animique virtutes ad cælum tulere, tribus sceleribus fœdissimis fuisse inquinatum, ob quæ æternis inferorum pœnis mulctandus esset, ni in extremo vitæ mortis confinio illum pœnituisset? atque vnum ex perditissimis illis prope fuisse, de quibus diuinus vates a: *Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Damasci, &c. & super quatuor non conuertam eum*. quid enim indignius, quam omnibus leges dare, cunctos commonere, præsulibus ecclesiæ, Regibus principibusq; cum opus esset, crimina objicere, minas fulminare, grauissimis vrgere pœnis, crimina denique in omnibus alijs acerbissimè vindicare: ipsum verò scelerum ac flagitiorum cœno inuolutum iacuisse? Certè Dominus pronuntiauit probitatis & sanctitatis simulatores, facili negotio detegi agnoscique posse: *Ex fructibus eorum*, inquit, *cognoscetis eos. Non potest arbor mala bonos fructus facere*; quomodo ergo Innocentius, in quem vtpotè summum inter homines fastigium tenentem coniecti erant omnium oculi, sua crimina tegere, pastorisque optimi personam induere potuit? Cumque, vt affingit fabula, moribus corruptissimis esset, totque in eum odio & inuidia flagrantibus, quos ob perpetrata scelera censuris defixerat, nullam commissorum ab illo criminum suspicionem ad eos emanasse, nec enim quin ea illi objicerent spargerentque, vnquam sibi temperare potuissent. Adde, si de visis loquamur, plurima sæpe iactari, quæ mendacij ex pluribus arguantur, nonnullaque id genus grauissimis in rebus, veluti diuinitus obiecta literis commendari, quæ inter sese pugnare manifestè liqueat, cum veritas diuinitus inspirata sibi perpetuo constans reperiatur. Sane vt ait Apostolus b, *Satanas transfigurat se in Angelum lucis*, sensus etiam interdum hallucinatur, mens sibi inania fingit ludibria, ac sæpe diuinis visis vel hominum incuria, vel leuitate, vel malitia nonnunquam plura adduntur. Cæterum Innocentij animam, Deo permittente, suffragia postulare potuisse, inficias non imus, ignibusque purgatorijs expiandam traditam, cum interdum viri sanctissimi contractas vitæ maculas ibi eluant.

In dubium reuocat ab inimicis fictum.
a Amos. 1.
b 2. Cor. 11

13 Possent innumera veterum scriptorum testimonia ad comprobandas eius animi virtutes produci: sed ijs prætermissis pauca dumtaxat Rigordi, qui eo tempore floruit, & S. Antonini archiepiscopi Florentini verba adducere contenti erimus. Ait igitur Rigordus c: *Innocentius Papa celebrauit Romæ concilium, vir clari ingenij, magnæ probitatis & sapientiæ, cui nullus secundus tempore suo*. S. Antoninus d verò: *Post innumera*, inquit, *opera egregia virtutum, demum beato fine quieuit*. Hæc ille de Innocentio Papa, qui a pluribus etiam alijs vti vir sanctissimus collaudatur. multa luculenter scripsit, de quibus hæc gestorum eius anonymus auctor: *Fecit ante pontificatum libros de miseria conditionis humanæ, de missarum mysterijs, & de quadripertita specie nuptiarum, & postillam super septem psalmos: post pontificatum autem libros sermonum, epistolarum, regestorum, & & decretalium*. Hæc auctor de editis, dum Pontificis vitam contexebat, quam morte fortasse præuentus absoluere nequiuit. Verum ijs plura Innocentius elaborauit, quæ duobus tomis multis abhinc annis edita fuere. Nouissimè accessit tomus tertius quatuor eius epistolarum regesta complectens vt supra dictum. ex quibus alijsque Gregorius nonus decretalium librum potissimum condidit.

Præclara auctorum de eo testimonia.
c Rig. de gest. Phil. Aug. Fran. Reg.
Elogia Innocentij.
d Anton. 3. par. tit. 19 cap. 1.
Scripta ab eo opera.

14 Addamus postremo nonnulla de eius gestis ac virtutibus, quæ illius memoriam commendant, coluisse ipsum veræ amicitiæ leges scribit eius vitæ

au-

auctor; liberalitatemque & magnificentiam in familiares exercuisse, quos ad amplissimos honores extulit. Quos quidem ijs dignos fuisse putandum est, cum vir tanti ingenij prudentiæq; nisi magnorum virorum familiaritate delectari posset. Hæc enim de creatis ab eo. S. R. E. Cardinalibus eius acta tradunt: *Circa familiares suos liberalissimus extitit conferendo illis beneficia & honores: nam de capellanis hos promouit ad dignitates Vgolinum diaconum Cardinalem S. Eustachij, quem præterea fecit episcopum Ostiensem.* Quem postea ad summum pontificiæ dignitatis gradum sub Gregorij IX. nomine exploratæ virtutes extulerunt a: *Leonem in presbyterum Cardinalem S. Crucis, Ioannem in presbyterum Cardinalem S. Mariæ in Cosmedin, quem postea fecit Romanæ Ecclesiæ cancellarium; Petrum in presbyterum Cardinalem sanctæ Pudentianæ Nicolaum in episcopum Tusculanum, Ioannem in diaconum Cardinalem S. Mariæ in Via Lata, Octauianum Cardinalem SS. Sergij & Bacchij, Ioannem in diaconum Cardinalem sanctorum Cosmæ & Damiani; Paulum Hortanum episcopum, Benedictum in episcopum Fundanum &c.* De alijs episcopis pergunt dicere.

a Greg. IX. vit. anonym. script.

A luxu abhorrebat.

15 Singulare verò modestiæ exemplum in comprimendo luxu præbuit, quo cæteros ecclesiæ præsules ad abijciendum fastum, atque ad rerum caducarum despicientiam adduceret; hæc enim memoria dignissima vitæ illius auctor b prodidit, quæ in cusis eius vitæ gestis vnà cum nonnullis alijs desiderantur: *Quia verò superfluitas multa nimis abundat in seculo, maximè in prælatis, vt eos corripere posset liberius & corrigere, illius exemplo, qui cœpit facere & docere, ad talem se mediocritatem reduxit, quod vasa aurea & argentea in lignea & vitrea commutauit; pelles armellinas * & grisias transtulit agninas. Mensam suam tribus ferculis voluit esse contentam, et capellanorum suorū duobus, nisi magna solemnitas, aut aliqua vrgens necessitas amplius postularet; remotisque laicis, viros religiosos adhibuit ad quotidianum ministerium mensæ, vt ei a personis regularibus honestius seruiretur; consuetis tamen officijs viris nobilibus reseruatis, qui festiuis diebus secundum morem deseruiebant in eis. Quandam moderatam summam de thesauro Ecclesiæ separauit, & in sequestro deposuit pro vrgenti necessitate, si quæ forsitan immineret: reliquum verò thesaurum penè totum erogauit hoc modo.* Pergit auctor recensere, vt immensam pecuniæ vim inter plura virorum ac mulierum monasteria, & xenodochia sit partitus. Hactenus de Innocentio, qui vniuerso orbi Christiano ingens sui desiderium reliquit: tum verò maximè Terra sancta in eo grauissimā iacturam passa est, cùm illius diligentia ac studio e Sarracenorum seruitute ereptum iri speraret: iam enim nouus Imperator, Angliæ Rex, alijque principes crucem induerant, quorum ardor vnàcum Innocentio pariter extingui visus est. Atque de laudatissimo Pontifice de Ecclesia Dei, vniuersoque Christiano orbe optimè merito hæc dixisse suffecerit.

b M.S. bibl. Vallicel.

* ia

Ligneis & vitreis vasis vtebatur.

Domesticis ministerijs viros religiosos adhibebat.

Aerarium pro temporum difficultatibus repositum fuerat.

Largissimæ eleemosynæ ab eo effusæ.

Honorius successor illius.

16 Erepto igitur ex hac vita Innocentio XVII. kal. aug. ac supremis funeris honoribus postridie illi habitis, proximo die Perusij, vbi Innocentius obierat, sacra comitia celebrata sunt; cumque vno tantum die Apostolica sedes pastore orbata fuisset, Honorius III. XV. kal. aug. Pontifex renunciatur, de quo hæc Vrspergensis c: *Successit Honorius III. qui prius fuerat Centius nominatus, fueratque camerarius Cardinalium, et pecunias ipsis collatas inter eos fideliter, et prouidè distribuebat, sedit annos decem menses octo.* hæc ille. At de obitus tempore in fine pontificatus dicetur. Quod ad nomen ac munus attinet; cæteri scriptores, ac publica monumenta Vrspergensi adstipulantur, illum scilicet Centium, vel Cencium nomine, Riccbardus d enim illius temporis accuratus scriptor, S. Antoninus alijque ita vocant, ecclesiastici ærarij summum præfectum seu vt vulgo aiunt S. R. E. camerarij officio functum, dein in sacrum Cardinalium senatum cooptatum, ac primum S. Luciæ in via Lata diaconum creatum, nam vt auctores quid affirmant, omittamus, in Vaticano codice liber censuum inscripto, ingenti labore, magnoque Romanæ Ecclesiæ emolumento, ab ipso collecto, sæpe tit. S. Luciæ in Silice diaconus vocatur, vt in publicis quibusdam actis, anno a Virginis partu millesimo centesimo nonagesimo tertio confectis, quibus Leo Frangipanus, Cælestino III. sedente, Romanæ Ecclesiæ bona quædam pignori dedit, hæc scripta sunt a: *Nos quidem Leo Frangipanus ante præsentiam D. Petri Portuensis, et S. Ruffinæ ecclesiæ episcopi, et subscriptorum testium, propria nostra voluntate, pignori ponimus, et obligamus D. Cencio Dei gratia diacono Cardinali, ecclesiæ S. Luciæ in Silice, et D. Papæ camerario, &c.* eademque alibi sæpe repetita in codice ipso: ex quo illud animaduertere non omittimus, duos saltem sub Innocentio tertio camerarij munus gessisse, Octauianum nempe eius consobrinum, anno MCCIV. vt ex alijs ibidem insertis actis constat, quibus præfixus hic titulus: *Instrumentum de castro Nympharum; et Stephanum basilicæ* XII. *Apostolorum presbyterum Card. ann.* MCCVIII. & MCCXV. quemadmodum alia plura monumenta ostendunt. sed ad susceptam orationem redeamus.

c Vrsper. chro. ann. 1216.

Gesta ab eo munera.

d Ricc. chro. S. Anton. 3 p. tit. 19. c 3.

a Lib. censuum.

17 Fuisse Cencium ex diacono Cardinali presbyterum Cardinalem SS. Ioannis & Pauli renuntiatum ipse adepto iam pontificatu literis post sequentem annum datis ad Cistercienses abbates, qui generales ordinis conuentus habebant, locutus, ita illustrat b: *Sanè nos ad eosdem gloriosissimos martyres specialem deuotionem habentes, vtpote qui ad eorum titulum sacerdotij gradum accepimus, &c.* eodemque nomine designatur ab Innocentio III. vt infra videbitur c. Ex quibus erroris Godefridus arguitur, qui Cencium ex Cardinali SS. Quatuor coronatorum ad summum pontificatus apicem euectum affirmat d. Ipsum porro patria Romanum, Sabella gente oriundum Antoninus e, atque alij f scribunt, qui etiam Americi, seu Almerici filium dicunt; consentiuntque sacris pontificalibus IX. kalend. august. initiatum: qui ritus in ecclesia S. Petri Perusij celebratus, vt testatur Pontifex literis quas ad Cistercienses monacos postea dedit g. Cur verò sacra comitia tam cito peracta, causam affert Bernardus h: *Vacauit sedes per vnam tantummodo diem, Perusinis causa electionis Papæ strictissimè arctantibus Cardinales.*

b Honor. l. 2. ep. 1020

c Hoc ann.

d Godefr. in annal. hoc anno.

Illius genus.

e Anton. vbi sup.

f Panuin. in fast. alijque.

g Ann. 1218.

h Bern. chron. Rom. Pont.

18 Postridie eius diei, quo Honorius consecratus est, Christiani orbis tum præsules, ac religiosos viros, quorum etiam precibus plurimum se commendauit, tum Reges ac principes certiores de sua electione fecit. At in pontificio regesto primum obtinent locum literæ, quibus id Hierosolymitano Regi significauit, pollicitusque est omnem se operam ac studium daturum, vt Terræ sanctæ auxiliares copiæ submittere(n)tentur. exorsus igitur: *Magnus Dominus & laudabilis nimis*, ac nonnulla præfatus, subijcit i: *Felicis recordationis Innocentio Papa prædecessore nostro septimodecimo kal. augusti, soluto debito carnis, ad regionem sanctorum spirituum, vt credimus, euocato, & sequenti die celebratis exequijs, ac cum honore debito collocato ipsius corpore in sepulcro; vnà cum fratribus nostris ad eligendum conuenimus successorem; & die tertio Spiritus sancti gratia inuocata, super hoc tractauimus diligenter, & post tractatum diutinum placuit fratribus vniuersis humeris nostris, quamuis insufficientibus, imponere onus istud.*

Lit. de sua promotione.

i Honor. l. 1. ep. 1.

19 *Et licet in primis duxerimus resistendum, ne tamen videremur vocationi diuinæ resistere, submisimus humeros ad portandum; sperantes in eo, qui linguas*

infan-

infantium facit disertas, quod ipse, qui vota fratrum aspirando præuenit, prosequetur etiam adiuuando. Fiduciam enim talem habemus per Christum ad Deum, non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed nostra sufficientia est ex Deo, qui nos ad suum ministerium euocauit. Non ergo propter obitum præfati prædecessoris nostri consternatur cor tuum, neque formidet; quasi propter hoc Terræ sanctæ impediatur succursus, quoniam etsi illius sufficientia nostra videatur inferior; ad liberationem tamen ipsius votis non minoribus aspiramus; quibus ipse Dominus qui sperantes in se nullatenus deserit, effectum tribuat, & profectum: vt quod possibilitas nostra non obtinet, eius nobis gratia largiatur. Serenitatem igitur regiam rogamus attentius, & monemus, & exhortamur in Domino, quatenus de gratia nostra fauore securus; vtpote qui ad subuentionem terræ ipsius tota intendimus voluntate, conforteris in Domino, & in potentia virtutis ipsius, ad conseruationem terræ intendens viriliter, & prudenter, præliaturus prælia Domini, cum tempus aduenerit opportunum, & ob hoc recepturus ab eo gratiam in præsenti, & gloriam in futuro. Dat. Perusij VIII. kal. aug. pont. nostri anno primo.

Restituendæ cultui Christiano Terræ sanctæ incumbit.

20 Consensisse verbis facta, resque Hierosolymitanas pontificio pectori insedisse illustrant eius literæ ad Galliarum episcopos, quos religioso pro imperio monuit, crucesignatos Innocentij morte consternatos erigerent, confirmarentque, se perducendis prædecessoris consilijs tota animi & operæ contentione incubiturum: atque adeo suscipiendæ expeditioni strenuè se accingerent: tum etiam ipsos præsules rogauit, vt suis apud Deum precibus recens impositum onus leuarent; vicissimq; paternam illis sollicitudinem est pollicitus: *Vniuersitatem vestram rogamus attentius, & monemus, & exhortamur in Domino, quatenus insufficientiam nostram apud eum, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, orationibus adiuuetis, & circa commissam nobis dominici gregis curam, diligenter & vtiliter vigilantes, nostrum satagatis humiliter supplere defectum, & iniunctam nobis pastoralis oneris grauitatem vigilanti studio comportetis, & in ecclesiastica vnitate, obedientia, & deuotione Apostolicæ sedis, quibus hactenus ecclesia Gallicana inter cæteras potissimum floruit, & fructificauit suauitatem odoris, sicut ager plenus, cui benedixit Dominus, firmiter persistentes, ad ea quæ pacis sunt, impendatis studium diligens, & operam efficacem.*

21 Attexitur regesto pótificio prolixior catalogus patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum, atq; abbatũ quibus ijsdem penè conceptis verbis scripsit: adiectæq; ad Imperatorẽ Constantinop. literæ [a] quibus catholicæ Ecclesiæ gubernaculis se admotum docet, aperitq; ingens tuendi diuini numinis, edomãdi schismaticorum fastus, Imperijque orientalis, ex quo veluti ex arce firmissima in Sarracenos ac Terræ sanctæ inuasores excurrendum sit, contra Græcorum impetus firmandi muniendique desiderium, ac demum ad pristinam in Romanam Ecclesiam reuerentiam amoremque seruandum est cohortatus. Pari ratione, vt subijcitur, Siciliæ Regi designato Imperatori, Poloniæ ducibus, alijsq; singulis Regibus, & principibus scriptum est. His Perusij gestis cum solis clementiores radij aërem temperarent, augusto mense exeunte, iter in Vrbem est aggressus, pridie nimirum kal. sept. vt affirmat Fossæ Nouæ chronicon his verbis [b]: *Nono kal. aug. consecratus est, pridie kal. sept. reuersus est apud Romam ad S. Petrum, pridie non. sept. receptus est in ecclesia Lateranensi, cum tanto gaudio & veneratione, gloria & iucunditate, quod omnes videntes dixerunt, quod nullus de prædecessoribus suis in receptione similis ei fuisset.*

a Lib. 1. ep. 5.

Consecratur Perusij.

b Chron. Foss. nou. hoc ann.

Romam proficiscitur. Magna excipitur pompa.

22 Quantum verò studium hoc anno contulerit Honorius ad comparanda in gratiam Hierosolymitani regni subsidia, de quibus paulo ante meminimus, epistolæ eius demonstrant. Primum namque Burgundiæ & Brabantiæ duces, Barensem & Antissiodorensem comites, aliosque principes, qui sacræ militiæ nomen dederant, ad traijciendum cum reliquo Christiano exercitu expeditos esse iubet [a], vbi statutum a synodo Lateranensi tempus appetijsset: dein Cluniacensi abbati mandauit [b], vt ordinis sui ecclesiarum redditruum partem Terræ sanctæ subsidio præsidioque mittendam, ex eiusdem concilij præscripto cogat: tum ad incendendos militari ardore Christi milites, qui se cruce insignierant, missis in Gallias ac Germaniam legatis, literisque sacrum in hostem diuini nominis classicum cecinit [c].

Vrget expeditionẽ in Terram sanctam.

a Ib. ep. 8

b Id. ib. ep. 52. & 53.

c Honor. l. 1. ep. 81.

Honorius, &c.

Cum dicatur nobis a Domino per Prophetam: Clama, ne cesses, quasi tuba exalta in fortitudine vocem tuam, tacere amodo non debemus, quin ad prælia Domini prælianda Christianos milites compellamus; nam prope est vt veniat tempus pugnæ, quo Rex noster Dominus dominator suæ crucis vexillum explicet, vt suo congregato exercitu, in manu forti, & extento brachio dimicet contra hostes ad faciendum vindictas in nationibus blasphemorum, qui Hierusalem nostram inclytam ciuitatem in populi Christiani opprobrium sua se iactant detinere fortitudine occupatam.

Honorij ad crucesignatos exhortatio.

23 Videntes itaque Dei potentiam venientem, vocem extollimus, & clamamus, vt eidem obuiam occurratis. Quoniam, etsi filij alieni ad tempus occupauerunt eius regnum exigentibus culpis nostris, ipse tamen est in Israelitico populo regnaturus, qui nostra crimina sanguine suo lauit, fuit enim hactenus dispositione prouida ordinatum, vt dum iter peregrinationis arripere crucesignatorum exercitus retardarent, naues, arma, & alia necessaria pararentur, sed ecce his omnibus pro maiori parte paratis transfretandi terminus appropinquat in sacro generali concilio constitutus, qui non debet amplius prorogari. Eia igitur sumite arma viri, acuite gladios, festinate milites Iesu Christi, vt aduenienre tempore passagij generalis, in præfato concilio denotato, diuino comitante auxilio transfretetis, & congregato exercitu sequamini Regem cæli, cuius vos obsequio deuouistis, firmiter confidentes, quia ipse, qui suum traduxit populum per desertum, saluos reddet homines, & iumenta, & vos, si eum secuti fueritis puro corde, non solum faciet triumphare, verum etiam regio coronabit diademate post triumphum. Ad hoc cum venerabili fratri nostro Tyrensi archiepiscopo dederimus in mandatis, vt vos ad id moneat & inducat, vniuersitati vestræ per ap. sc. mandamus quatenus eidem prædicanti verbum Domini pro succursu Terræ sanctæ tanquam fideli nuncio deuote, ac humiliter intendatis. *Dat. Romæ apud S. Petrum non. decemb. pontificatus nostri anno primo.*] Postremo de vigesima in sacrum subsidium conferenda, persoluendaque, ad Panormitanum archiepiscopum, eiusque suffraganeos [d] extant literæ, tum ad colligendæ illius pecuniæ præfectos, quæ eodem exemplo ad omnes orbis Christiani archiepiscopos, quorum longior texitur catalogus, missæ.

Prouidet in eam rẽ pecuniarũ subsidia.

d Ep. 104.

24 Nec silentio prætereundum, religiosissimi cuiusdam viri in Christum pro nobis in crucem actum singulare amoris exemplum per id tempus editum, qui vi impetuque doloris ex Christi passione ac morte concepti abreptus, in Caluariæ monte pijssimam animam repente exhalauit. Rem gestam ita narrat Cantipratensis [e]: *Circa annum ab incarnatione domini MCCXVI. quidam vir fidelis & bonus de oppido Dinantheo mare transijt: & ingressus Terram sanctam loca singula, in quibus pedes Domini stetisse quibusdam indicijs ferebatur, multa deuotione & lacrymis visitauit.*

e Cantipr. l. 1. c. 25.

Equitis mors ex amoris diuini impetu.

Cumque venisset ad locum Caluariæ, vbi Redemptorem nostrum sustinuit mortis angustias, & crucis supplicium pertulisse, grauissimis suspirijs ingemiscens, cum clamore valido & lacrymis dixit: Quid tibi benignissime domine, quid inquam tibi Christe retribuam pro omnibus, quæ prius amator amabilis mihi mirabiliter tribuisti, vidi prius loca in quibus natus, & inter homines conuersatus doctrinam euangelicam prædicasti, & deitatis tuæ indicia per miracula demonstrasti. Hæc quidem ob amorem & reuerentiam tui sincero corde complexus sum, hunc verò locum passionis & mortis tuæ æquo animo videre non possum, vbi clauis crucifigi, terebrari lancea, & animam pro nobis tradere voluisti. Hæc vt beatus ille perorauit, exclamans, ruptis vitalibus cordis venis spiritum exhalauit, &c. Atque hactenus de Terræ sanctæ rebus, e quibus antequam sermonem ad occidentem reuocemus, quædam ad orientale Imperium pertinentia adiungenda videntur.

Honor. Patr. cum Imp conciliat.

25 Cohorratus a est Apostolicis literis Honorius patriarcham Constantinopolitanum ad pacem, concordiamque cum Imperatore seruandam, modo Ecclesiæ iuribus detrimentum non inferretur. Præterea Regis Thessalonicensis adhuc pueri, regnique patrocinium sumpsit b. Cæterum circa hæc tempora Henricum Imp. e vita discessisse videtur, cum sequenti anno Petrus Autissiodorensis comes e Gallijs ad capessendum Imperium fuerit euocatus. Fuisse verò Henricum magnis virtutibus instructum testantur Græci, e quibus Georgius Logothera c illum ita commendat: *Per Ericum res Romana, & Theodorus etiam Imperator multum detrimenti cepit, cum esset fortis, & ad pugnandum praceps & audax.* & infra: *Vel hoc solo res conspicua erit Nymphæum vsque cum nullus aduersaretur castra posuit, indeque rediens partim præda parta opimus, ac saturus, partim a laboribus feriari optans: neque enim in sustinendis bellorum certaminibus Latina natio perdurat, cum Imperatore Theodoro fœdus init, concordatumque est Cimeni, sic enim mons Achirato adiacens appellatur, vniuersa & ipsum Achiratum a Latinis possideri.* Commendat idem auctor eius beneuolentiam in Græcos: *Romanos,* inquit (ita appellat suos) *& Byzantinos indigenas placidius sequtiusque amplectebatur, & ex illis plures inter primates collocauerat, alios inter milites adnumerauerat, plebem verò veluti proprium populum fouebat.*

a Honor. l. 1. ep. 10.
b Id. ibid. ep. 15.
c Georg. Logoth. Leone Allatio interprete.

Studet pacandæ Italiæ.

26 Iam stylum ad ea conuertamus, quæ cum Italis nouus Pontifex peregerit: quippe vices eius gerens, qui ait d: *Ego cogito super vos cogitationes pacis;* omnes curas diligentiamque eò vertit, vt pacem populos inter conciliaret, confirmaretque; atque adeo aduersus illos, qui ipsam turbarent, grauiter animaduerteret e. Ardebat tunc ciuili bello Insubria, cum Mediolanenses sociatis cum Placentinis armis Ticinenses hostili ardore insectarentur, eorumque extremo exitio populatis magna vastitate agris imminerent: cuius odij causam inde fluxisse, vt supra tetigimus, videtur, quod Ticinenses Fridericum in Germaniam proficiscentem stipassent, atque in Othonis gratiam, cuius partes tuebantur, bellum atrox ipsis intulisse. Iam ante suum ad eos in concordiam adducendos studium Innocentius collocarat, ac post celebratam synodum œcumenicam, in qua toti Christiano orbi publicæ induciæ ad quadriennium erant indictæ, legatos miserat, qui peruicaces incusso censurarum terrore, ad pacem reuocarent; quorum industria cum furore improborum elusa esset, Honorius ad perducenda prædecessoris consilia vibratas a Cardinalibus legatis censuras confirmauit, ac literas ea de re Apostolicas ad Insubriæ populos, atque ad omnes f qui apud ipsos vel auctoritate ob gestos publicos magistratus, vel claritate generis, vel dignitate ecclesiastica conspicui erant, tum ad Malespinæ marchionem & Sabaudiæ comitem, quos a Mediolanensium partibus diuellere est conatus, exarauit,

d Hierem. 29.
e Honor. l. 1. ep. 17.
f Reg. post eand. ep.

Honorius, &c.

27 Cum a in generali concilio pro Terræ sanctæ succursu commodius exequendo prouida fuerit deliberatione statutum, vt principes & populi Christiani, saltem per quadriennium, plenam pacem, aut firmam treguam adinuicem inuiolabiliter obseruarent, & ij, qui acquiescere forte contenderent, per excommunicationem in personas, & interdictum in terras artissimè cogerentur, ac bonæ memoriæ Innocentius Papa prædecessor noster volens, vt huiusmodi constitutio in eos, & dilectos filios Papienses debitum sortiretur effectum, dilectos filios nostros L.... tituli S. Crucis presbyterum, & R.... S. Mariæ in Cosmedin diaconum Cardinales, commisso eis legationis officio, ad eos propter hoc specialiter destinarit, ipsi verbo pacis eis a Cardinalibus prædictis efficaciter, & prudenter, proposito non recepto, contemptis monitis, & prohibitionibus Cardinalium, Papiensem terram hostiliter inuaserunt, ipsam multipliciter deuastantes, in Dei contemptum, Apostolicæ sedis iniuriam, & suarum periculum animarum. Propter quod Cardinales prædicti accensi zelo iustitiæ, in potestates, consules, & principales consiliarios Mediolani, & Placentiæ ciuitatum auctoritate præfati prædecessoris nostri excommunicationis sententiam promulgarunt, & ciuitates easdem supposuerunt ecclesiastico interdicto. Verum quia ijdem in maris altitudinem venientes, ipsius sunt tempestate demersi; vt oculos suos statuant declinare in terram, & non respicientes ad cælum adhuc in sua contumacia perseuerant; nos præfatas sententias confirmantes, manus nostras in eos duximus aggrauandas, præcipientes potestates, & consiliarios, nec non, & societatum magistros ciuitatum ipsarum per totam Lombardiam singulis diebus dominicis, & festiuis, pulsatis campanis, & candelis accensis, excommunicatos publicè nunciari.]

a Ep. 18.
Mediolanenses Papiensibus bellum inferunt.
Studet Honorius censuris eos coercere.

28 Pari studio ad alendam inter Beneuentanos Ecclesiæ clientes concordiam, quæ nonnullorum dissidijs periclitabatur, curas defixit atque ad eam seruandam insignibus amoris notis aspersis literis est cohortatus, e quibus hæc verba veluti præclara paternæ in eos solicitudinis argumenta decerpimus: *Cum b non possit mater obliuisci fily vteri sui, nos qui statum ciuitatis vestræ cupimus prosperari, tanquam filios vos diligimus speciales & in visceribus gerimus Iesu Christi, dantes operam efficacem, vt ciuitas vestra desiderata pace respiret, & assiduis proficiat incrementis, quæ continuis molestationibus est afflicta. Dat. Romæ apud S. Petrum non. decemb. pontif. nostri ann. 1.* Paucis verò ante diebus ipsis rescripserat, cum ista ciuitas ea libertate potiretur, vt qui in ea vrbe habitare cuperet, nuncupato Romanæ Ecclesiæ fidei sacramento, ciuium numero adscriptus censeretur; cauerent, ne eos, qui ad eam vrbem se contulerant, ad pristinas sedes amandarent. Egregie etiam in Mutinenses affectum illustrant c collata in eos præclara beneficia, quibus publicam rem auxit, illorumque fidei & custodiæ Carpi & montis Barauzonis oppida a Mathilde comitissa Romanæ Ecclesiæ tradita cum omnibus ad ea spectantibus, quamdiu ipsius pontificatus teneret, commisit, subiectisque legibus obstrinxit, vt eorum locorum causa sumerent arma, ponerentur ad Romanæ Ecclesiæ imperium, legatos Apostolicos ijsdem oppidis exciperent; ac demum probas consuetudines ac leges, quæ hactenus obtinuerant, nullo pacto temerarent.

Inter Beneuentanos pacē adducit.
b Ep. 93.
c Ep. 191.

29 Rescindenda præterea fuit ab Honorio hoc tempore lata a Patauinis huiusmodi lex, quæ facinorosos homines ad peierandum prolicere atque

illo-

illorum cupiditatem irritare videbatur: *Si quis aliquid ab alio ablatum ad se pertinere iuratus asseruerit, eiusmodi iuriiurando standum*. tum Lucanus episcopus continendus, ne monachis Florensis familiæ, a Ioachimo abbate iam ante conditæ, hæreseos notam inureret, neue ab alijs ea contumelia vexari permitteret, quod anno præterito a Lateranensi synodo [a] vetitum vidimus; cum licet nefandus error ab illius religiosi sodalitij conditore contra diuinam essentiam esset confictus, suam tamen sententiam Romanæ Ecclesiæ censuræ re nondum benè definita subiecisset; tum etiam religiosa disciplina apud Florenses vigeret. Sed de his deque Italicis rebus satis. Conuertenda iam nobis ad extera regna oratio.

Rescindit Pataninor iniquam legem.

a Ep. 87.

Angliæ res turbidæ.

30 Offert primum sese nobis bellis ciuilibus lacerata Anglia, cuius species non minus sub Honorij primordijs, quàm sub Innocentij exitu fœda extitit. Vt verò demum Honorij studio, atque Apostolicæ sedis legati diligentia recreata fuerit, proceresque a Ludouici Galliarum Regis maioris natu filij partibus ad Henricum Ioannis successorem traducti, ordine differemus, vbi primùm quæ ad redintegrandas Ioannis res gesta percurrerimus. Miserat iam ante Innocentius Gualonem tit. S. Martini presbyterum Cardinalem Apostolici legati munere auctum, quò Gallos ab inuadenda Anglia deterreret, reuocaret Anglos ad officium, ac Ioanni Regi operam, & consilium exhiberet, iamque strenuè incumbebat prouinciæ sibi demandatæ, cum relicta ab Innocentio Ecclesiæ gubernacula Honorius capessiuit. Qui vt Anglicanas res alto pectore demisit (intererat enim pontificiæ dignitatis susceptum in Apostolicam clientelam Ioannem, atque etiam vectigalem Ecclesiæ factum tueri) mox Guallonem legatum cœpto operi generosè iussit insistere. *Quia finis*, inquit [b], *non pugna coronat*, ac dedecori verteretur inchoata cum laude, turpi exitu corrumpere: *Iniunctum tibi legationis officium auctoritate nostra, sicut cœpisti, laudabiliter prosequaris, charissimum in Christo filium nostrum Ioannem Anglorum Regem illustrem crucesignatum, vassallum nostrum, ex parte nostra confortans, ne ipsius animus consternatur, quia potens est Dominus, qui humilia respicit, & alta a longe agnoscit, humiliare superbos, & humiles exaltare, ac Apostolica sedes non destituetur auxilio, in quantum Dominus permiserit, & suis videbitur vtilitatibus expedire. Datum Perusij*. Postea cum ab eodem legato accepisset Pontifex, quot & quanta funesta mala ex Anglicanis discordijs in dies orirentur, conceptum animo dolorē delinire ac permulcere alijs literis [c] conatus est, quibus etiam de rebus ad archiepiscopum eiusque suffraganeos, tum ad Angliæ optimates scripsit, ad concordiam seruandam ipsos [d] cohortatus.

Guallonē in legationis munere confirmat Honorius.

b Ep. 6.

c Ep. 27.

d Ep. 24.

31 Verum hæc inter Rex Ioannes dum se vndique periculis cinctum videt, nec sustinendis hostibus parem, partim ex animi angustia, partim ex labore bellico vel nimio fructuū esu, vt ait Parisius [e], lethali morbo corripitur: additque auctor in arcem cui Lafort nomen est contendisse, quod probant etiam literæ Ioannis ad Honorium ex eo loco exaratæ [f], quibus filium suum Romanæ Ecclesiæ commendauit.

e Par. hist. Angl. hoc ann.

Ioannis Regis obitus.

f Ext. apud Honorij regest. lib. 1. ep. 147.

Sanctissimo in Christo, & domino charissimo Honorio Dei gratia summo Pontifici Ioannes eadem gratia Rex Angliæ, & dominus Hyberniæ, dux Normanniæ, & Aquitaniæ, comes Andeg. salutem, & debitam tanto patri, ac domino reuerentiam.

Cum graui infirmitate, & incurabili detineremur, ita quod de nobis penitus desperabatur, multipliciter nobiscum deliberauimus, qualiter regno nostro, si humanitus de nobis contigisset, prouideremus, ad honorem Dei, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & successionem nostram hereditariam perpetuam, tandem quasi mente prostrati, quærentes nodum in scirpo reuersi sumus ad nos, diuina inspirante gratia, qui non deserit sperantes in se, ad memoriam reducentes, quòd regnum nostrum esset patrimonium beati Petri, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, diuina, & Apostolica protectione munitum. Vnde conuocatis magnatibus nostris nobis assistentibus prouidimus regnum nostrum, quod est vestrum, necnon & heredem nostrum protectioni vestræ, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ commendandum.

Commendatus ab eo Henr. sedi Ap.

32 Nos igitur ipsum regnum nostrum, & heredem nostrum ipsis præsentibus, protectioni diuinæ, & vestræ obtulimus, & nunc per literas nostras præsentes præsentamus, attentius flexis genibus paternitatem vestram humiliter rogantes, quatenus ipsum regnum, & heredem nostrum sub protectione vestra suscipiat piæ paternitatis vestræ deuotio, ad ipsius heredis nostri successionem in paternam hereditatem & inimicorum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ aduersantium confusionem perpetuam. Credimus enim & indubitanter scimus, quod si more pij patris dexteram protectionis vestræ ad ipsius defensionem porrigatis, efficax eius successio suscipiet incrementum; ad ipsius prouisionem perpetuam, ad laudem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, gloriam, & honorem. Cæterum quoniam misericordia poscentibus, non est deneganda gratia, paternitatem vestram rogamus, vt manus absolutionis in remissionem peccaminum nobis impendatis, vt ope misericordiæ vestræ suffulti, is, qui citra meritum punit, & vltra meritum remunerat, nos oculo misericordiæ suæ respicere, & in numero electorum nos collocare dignetur. Teste me ipso apud Lafford decimaquinta die octobris. Cum ex eo loco Neuercum profectus esset, paulo post vi morbi oppressus interijt, de quo hæc Parisius: *Cum regnasset Rex Ioannes annis octodecim, mensibus quinque, diebus autem quatuor, ab hac vita, post huius seculi multas perturbationes, & labores inutiles, in multa mentis amaritudine subtractus, transmigrauit, nihil terræ, immo nec seipsum possidens. Sperandum est autem, & certissimè confidendum, quod quadam bona opera, quæ fecit in hac vita, allegabunt pro eo ante tribunal Iesu Christi.*

33 At quomodo Henricus extincto patre, iustisq; illi persolutis coram Apost. sedis legato, episcopis, principibusque Angliæ solemni pompa insigne regni acceperit, idem auctor refert: *Paratis omnibus ad coronationem necessarijs, legatus supradictus associatis sibi episcopis & comitibus memoratis, duxerunt eum ad ecclesiam conuentualem cum processione solemni, Regem acclamando, vbi ante maius altare constitutus, iurauit coram clero & populo appositis sibi sacrosanctis euangelijs & plurimorum sanctorum reliquijs, dictante iuramentum Iocelino Bathoniensi, quod honorem, pacem, ac reuerentiam portabit Deo, & sanctæ Ecclesiæ, & eius ordinatis, omnibus diebus vitæ suæ. Iurauit etiam, quod in populo sibi commisso, rectam iustitiam tenebit, quodque leges malas, & iniquas consuetudines, si quæ sint in regno, delebit, & bonas obseruabit, & ab omnibus faciet obseruari. Deinde fecit homagium sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Innocentio Papæ de regno Angliæ, & Hyberniæ, & iurauit quod mille marcas, quas pater eius Romanæ contulerat Ecclesiæ, fideliter persolueret, quamdiu prædicta regna teneret.* Et infra: *Coronatus est autem Henricus tertius anno ætatis suæ decimo, in die Apostolorum Simonis & Iudæ, scilicet* XXVIII. Post hæc enarrare pergit bellica gesta Ludouici Francorum Regis filij, qui, vt supra vidimus, Angliam inuaserat, vbi hoc anno nonnullis oppidis, quod auctor pluribus tradit, potitus est: *Verum animabat*, inquit Parisius, *eos qui partes Regis fouebant quamplurimum, quod singulis diebus dominicis ac festiuis Ludouicus cum complicibus eius & fautoribus excommunicari videbant.*

Henricus Angliæ regno succedit.

Regia illius consecratio.

Susceptū ab Ecclesia ipsius patrocinium.

34 Cum certior mortis Ioannis Regis fama ad Pontificiam aulam peruasisset, Honorius non leuem ex illius principis obitu dolorem hausit, ipsius filium Henricum religionis vi ac metu, quod maximum apud fideles præsidium erat, defendendum suscepit; legatumque ad partes suas strenuè obeundas inflammauit, ac ne aduersis vllis rebus animum adijceret, est cohortatus. a

a Honor. l. 1. ep. 32.

G... tit. S. Mart. presb. Card. Apos. sed. legato.

Imperia legato data.

Duris nobis rumoribus nunciatis, videlicet quod claræ memoriæ Ioannes Rex Angliæ viam esset vniuersæ carnis ingressus; repleti sunt lumbi nostri dolore, & sicut parturientis angustia nos possedit, tum quia ipsum, vtpote vassallum Ecclesiæ Romanæ, ac ipsius filium specialem sincera dileximus charitate in Domino; tum quia tuis laboribus & angustijs, quas multiplicatas non ambigimus ex hoc esse, compatimur affectu paterno; tum etiam quia maior nobis instat necessitas subueniendi natis eiusdem Regis pupillis, quorum esse tenemur ex iniuncto nobis Apostolatus officio defensores dicente scriptura: *Pupillo tu eris adiutor*. Et infra: Licet de tua constantia geramus spem certam, te tamen Apostolicis exhortationibus duximus confortandum, ne cor tuum huiusmodi tribulationibus, & angustijs consternetur, quoniam fidelis Deus, qui te supra id, quod potes, non patietur tentari, sed faciet etiam in hac tentatione prouentum, vt valeas sustinere. Et quidem forsitan pius, & misericors Dominus mortem Regis ipsius ad bonum filiorum eius conuertet, vt eos qui patris persequebantur personam, ad eorum fidelitatem reducat, cum odij causa sublata de medio, ipsius cessare possit effectus.] Nec sua Pontificē fefellit opinio, scribit enim Parisius Anglos proceres odio, quo in Ioannem flagrabant, extincto Ioanne, in amorem & misericordiam erga filium verso, studia mutasse, sed de ijs suo loco. Pergit Pontifex:

35 Tuam ergo discretionem monemus, & exhortamur in Domino per apos. tibi scripta mandantes quatenus sicut vir fortis, & constans dilatato animo circa tutelam, & curam prædictorum pupillorum & regni, tantò solicitudine inuigiles promptiori, quantò Apostolica sedes ad id fortius nunc tenetur, & tu ipse vice illius &c.] Instruit legatum summa auctoritate, quæ ad exequendam tuendorum Ioannis filiorum prouinciam desiderabatur. Præterea se Apostolica auctoritate vibratas ab eo in illa causa censuras confirmaturum. tum subijcit: Ad hæc volumus, & mandamus, vt iuramenta, quæ barones Angliæ contra Regem prædictum nobili viro Ludouico primogenito Regis Francorum vel alijs præstiterunt, denuncies tamquam illicita non seruāda. *Dat. Romæ apud S. Petrum 111. non. decemb. pontificatus nostri anno primo*] Eodemque ferè exemplo b Vvintoniensi, Vvigorniensi, & Oxoniensi episcopis, Dublinensi archiepiscopo, nobilibus Angliæ viris, regias partes sequentibus; præterea Burdegalensi archiepiscopo atque optimatibus cismarinis Regi obsequentibus literas misit, præcipuè Vvillelmum regiorum castrorum magistrum, quem vulgo vocitant Angliæ marescallum, cuius supra cum Parisio mētionem fecimus, religioso pro imperio c hortatus, vt in regis fide obedientiaque permaneret.

b Reg. post eand. ep.

c Ib. ep. 44

Rebelles Angliæ proceres increpat.

36 Vt continere in officio hos principes viros studuit ita alios qui a Ioanne Rege desciuerant, eumque bello acriter erant persecuti, reuocare obiecto religionis metu conatus est, inculcauitque iam ad alendam rebellionem sublato Ioanne Rege colorem deesse, proinde ipsorum dignitatis interesse cum Henrico, quem ætas probabat innocentem, in gratiam redire; nec enim ferre legum æquitatem, vt paterni sceleris (si quod fuerit) pœna in filium transfunderetur: *Etsi* d *hactenus habueritis velamen malitiæ, cùm contra claræ memoriæ Ioannem Regem Anglorum dominum vestrum arma gerere dicebatis, proponentes ipsum imposuisse vobis iugum intolerabile seruitutis, iam nunc excusationem habere non poteritis in peccatis, nec notam proditionis quoquam velamento velare, nisi ad fidelitatem filiorum eius, qui vos nullatenus offenderunt, protinus redeatis, cum cessante causa, cessare debeat & effectus. Iam enim non videbimini odio habuisse personam, ac vestram iniuriam repulisse persequentem quodamodo persequendo, sed potius malitiam excogitatam sectari, si eiusdem Regis persequimini filios innocentes, quos deberetis defendere potius, & fouere: quibus patris iniquitas obesse non debet, cum iuxta verbum Domini, nec pater filij, nec filius patris debeat iniquitatem portare, sed potius anima quæ peccarit &c. Dat. Romæ apud S. Petrum kal. decemb. pontif. nostri an.* 1. Paruere nonnulli proceres apostolicis impetijs, atque etiam ex ipsis Ludouici ducibus ab eius partibus se subduxere, cum maiori damno verterent iras numinis ac sedis Apostolicæ incurrere, quam præpotentis principis gratiam amittere: inter quos comes de Roceio diuino timore percussus, cum se anathemate defixum nosset, damnato iniquo bello a sede Apostolica fidelium communioni restitui postulauit, obtinuitque. a

d Ep. 82.

a Ib. ep. 39

Pontificia studia ad Gallos cœptis abducendos.

37 Grauioribus autem curis distrahebatur Honorius, ne ira Henrico Angliæ auitum sceptrum assereret, vt Philippum Galliarum Regem exasperaret, dum in Ludouicum ipsius filium censuras ferre cogeretur; atque adeo amoris ac beneuolentiæ vias omnes explorans Cistereiensi & Clareuallensi abbatibus, qui gratia apud Philippum ac Ludouicum plurimum poterant, prouinciam imposuit b, vt pontificio nomine vtrumque adirent, & in genua prouoluti per sacra quæque obtestarentur, ab inuadenda pupilli Apostolicæ clientelæ commendati ditione temperarent: & parentem quidem, vt filium patria auctoritate a cœptis auocaret; Ludouicum verò, vt si quam eo facto dedecoris labem suscepturum putaret, illius dolorem diuino numini, sedique Apostolicæ remitteret, a qua vinci non pudori, sed gloriæ & triumpho ducendum esset, demum si repudiaret preces, denuntiarent diuinas humanasque pœnas in eum cumulatum iri.

b Ep. 83.

Honorius &c.

Deuotioni vestræ, de qua fiduciam gerimus pleniorem, per Apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus Regem adeuntes prædictum, vice nostra fusis lacrymis humi prostrati, eundem preces precibus cumulando, moneatis prudenter, & obsecretis per aspersionem sanguinis Iesu Christi, quod pro ipsius reuerentia, & Apostolicæ sedis honore dimissa præfatis pupillis offensa, si quam in eum pater commisit ipsorum, ex corde puro impendat studium diligens, & operam efficacem, vt prædictus filius eius ad propria redeat, & occupata de regno prædicto pupillis restituat ante dictis, quatenus sic & nos, & seipsum expediat a necessitate, quam nobis idem primogenitus eius ingessit.

Decretum ad Ludouicum ab batum legatio.

38 Ad eundem quoque nobilem accedatis, ipsum modo simili obsecretis, & intuitu illius, qui dominatur in regno hominum, & cui voluerit donat illud, a persecutione pupillorum ipsorum desistat, & eis restituat occupata, & sic vincens salubriter semetipsum, se vinci permittat a nobis, Deo ignominiam, & Apostolicæ sedi donans, si quam ex hoc se forsitan existimat incursurum: cum tamen propter Dominum vinci a nobis nequaquam ignominiosum existat; quoniam armis carnalibus non pugnamus, sed spiritualibus potius, quæ sunt potentiora, gladio videlicet verbi Dei. Viuus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, vsque ad animæ, ac spiritus diuisionem pertingens. Sed & eidem nihilo-

hilominus protestemini, quod si vestris monitis, immò nostris non acquieuerit, cum præfatis pupillis nulla possimus ratione deesse, contra eum cælum & terram curabimus inuocare, aggrauaturi manus nostras in ipsum in quantum poterimus, secundum quod nobis fuerit desuper inspiratum. *Dat. Romæ apud S. Petrum VIII. id. decembris pontificatus nostri anno primo.*]

39 Defendendam porrò Henrici causam Honorium suscepisse non diuexandi Ludouici animo, frangendæ Gallorum potentiæ, quæ coniunctio eo regno admodum se extulisset, sed æquitatis zelo, testatur ipse in literis Gallicanis patribus scriptis, quos postquam prudentiæ obseruantiæque in sedem Apostolicam laude ornauit, suum his verbis in Gallos studium illustrat.

Significat Pont. sui non esse consilij Gallorū res deprimere.

Honorius &c.

Quantum s Romana Ecclesia regni Francorum turbationem desideret euitare; immò quantum eius tranquillitatem affectet, facile poterit intelligere quisquis deuotionem ipsius regni ad illam, & grata subsidia, quæ in illo inuenit tempore opportuno, intenta mente voluerit cogitare. Quis enim nesciat, quod Reges, & regnum Francorum semper in Apostolicæ sedis deuotione firmiter perstiterunt; quod semper in difficilibus, arduisque negocijs astiterunt ei studio indefesso; & nunc contra hæreticam prauitatem, nunc contra paganorum barbariem eidem deuote, & humiliter obsequendo, illam vtrisque formidabilem reddiderunt? Hæc quidem obsequia & alia, quæ recenseri sub epistolari breuitate non possent, & merita nihilominus ecclesiæ Gallicanæ, cuius fides ac deuotio nullo vnquam tempore defecerunt, pro vobis sufficienter vt credimus fideiubent, quod inter cætera regna mundi illud quadam prærogatiua diligimus charitatis, eiusq; statum semper tranquillum esse cupimus, & felicem. Absit enim ab Apostolica sede & a nobis, qui ei, disponente Domino, præsidemus, vt nobis tantorum veniat obliuio meritorum, & vt tantæ ingratitudinis vitio laboremus; quod ijs non studeamus obsequijs, sinceris affectibus respondere.]

a Hon. l. 1. ep. 21.

Collatia in Gallos ab Honorio encomia.

40 Postremo vt Anglicanis rebus finis imponatur, diuinæ sententiæ memor Honorius: *Pupillum et viduam suscipiet* b, vt pupillo Regi consuluit, Berengariæ quoque Anglorum olim Reginæ opem & consilio affuit, primum namque pactiones ab illa cum Joanne Rege de dote initas, auctoritate muniuit firmauitque c: deinde Turonensi archiepiscopo eiusque suffraganeis mandauit d, ipsam ab iniquorum hominum vi & iniurijs tuerentur, ne magno cum sumptu atque incommodo nuncios ad Apostolicam sedem mittere cogeretur: deinde eundem archiepiscopum, atque episcopum Cœnomanensem in Berengariæ clientes, causa non cognita, ecclesiasticis censuris animaduertere vetuit. e

b Ps. 149. Berengaria Angl. Regina defensa. c Hon. l. 1. ep. 161. d ib. 164. e Ep. 165.

41 Complexus est eodem paternæ beneuolentiæ studio aliam prænobilem viduam, Blancam nimirum Sanctij Regis Nauarræ sororem comitissam Campaniæ, eiusque filium Theobaldum Trecensem comitem in infirma ætate constitutum, quem Erardus Brennensis sua ditione depellere meditabatur. contendebat enim vxoris Philippæ minoris natu filiæ Henrici Trecensis comitis ac Regis Hierosolymitani nomine comitatum ad se pertinere; verum obscura admodum atque inuoluta ea erant iura, ob quæ Philippus Galliarum Rex, accepto a Theobaldo fidei sacramento, spoponderat eam causam in iudicio non discussum iri, donec Theobaldus viriles annos adeptus esset, ne ob id Galliarum pax turbaretur, vel pupillus iniuste opprimeretur; tum etiam eas Erardi nuptias ob sanguinis coniunctionem ab Innocentio vetitas fuisse, qui grauissimè scripserat Conradum

Erardum Brennensis reprimit.

Montisferrati comitem gladio, Henricum verò Trecensem præcipitio ob tentatas cum Regina Hierosolymitana nuptias male perijsse. similem tamen Erardus occasionem mortis Alberti patriarchæ Hierosolymitani aucupatus, cœca dominandi cupidine, temere inierat: cui obstabat etiam ipsam non maiorē natu Henrici filiam thoro sibi iunxisse, atque adeò inania penitus atque irrita ipsius iura erant. Quibus permotus Honorius Galliarum præsulibus scripsit, vt censuris Erardum ac Philippam, si quid noui molirentur, comprimerent; cum maximè id bellum in Terræ sanctæ perniciem, cui subueniendum erat, redundaret.

42 *Ipse verò*, nimirum Erardus Brennensis, *post obitum prædicti patriarchæ* (is erat Albertus, cui inquirendi propinquitatis partium gradus munus ab Innoc. fuerat demandatum) *captata successoris absentia, non est veritus eam sibi clandestinè copulare, ambitiosa cupiditate tentatus; cum non sit filia primogenita, quæ in vtrumque succederet, si sus haberet alterutra succedendi. Et cum anno præter. to cum multis applicuisset Caietam, cæteris ad sedem Apostolicam attendentibus, ipse tanquam conscius mali sibi, eiusdem prædecessoris nostri declinauit aspectum; sed concito cursu Ianuam nauigauit, vt celeriter transalpinans, contra dilectum filium nobilem virum Th. Trecen. comitem sufscitaret scismæ si posset, non solum in graue scandalum regni Franciæ, verum etiam in grande dispendium Terræ sanctæ. Sed speramus in Domino, & in potentia virtutis ipsius, quod eius machinatio non poterit præualere, cum Philippus Rex Francorum illustris per suas præfato prædecessori nostro literas intimarit, quod eum dictum Th. ad suum comitatum receperit, per priuilegium sibi regale concessit, quod auctoritate petyt Apostolica confirmari, quod vsque ad legitimam eius ætatem, nullam de ijs contra ipsum querelam audiret.*

Hon. lib. 1. ep. 79.

Philippus Theobaldo fauet.

43 *Volentes igitur imminentibus periculis obuiare; vniuersitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mādamus, quatenus dictos Erardum, & Philippam, si forte occasione præscripta præsumpserint malignari; Deum habentes præ oculis, sublato cuiuslibet contradictionis, et appellationis obstaculo, per censuras ecclesiasticas cōpescatis, mādatum Apostolicum taliter impleturi, quod de diligentia studiosa mereamini cōmendari. Dat. Romæ apud S. Petrum.*] Hæc Honorius, qui alijs literis a Galliarum præsules Blancæ ac Theobaldo defendendis incumbere tum hoc, tum sequenti anno præcepit: eum enim Erardus bello Theobaldum petijsset, atq; in Campaniam factis excursionibus prædas abegisset, Pontifex ab O. Burgundiæ comite de enascente discordia certior factus, ne sacra expeditio dissolueretur, Syluanectensi episcopo, & abbati S. Genouefæ sequentis anni VI. nonas martias prouinciam dedit, censuris ecclesiasticis Erardum inducias a synodo œcumenica ad quadriennium indictas violantem coercerent: qua in re alios Galliarum præsules, si quis restituendæ cultui Christiano Terræ sanctæ pius ardor ipsos vreret, strenuam nauare operam præcepit. b

a Ibid. ep. 295.

44 Dum hæc decernit Honorius, T... Reginæ Lusitani olim Regis filiæ, ac Berengariæ etiam Reginæ, & Castellæ olim Regis filiæ patrocinium flexus earum precibus admisit (eæ verò incestis nuptijs Alphonso Regi Legionis copulatæ fuerant ac postmodum imperijs pontificijs censuratum vi ex vetito thoro diuulsæ) præterea initam Apostolicæ sedis iussu concordiam inter Henricum Castellæ, atque Alphonsum Legionis Reges, ratam firmamque esse iussit c. qua etiam de re ad Toletanum archiepiscopum, & episcopos quosdam scripsit d, Henricum insuper literis minacibus monet e, vt Toletanę ecclesiæ possessiones, a se regnique principibus vsurpatas restituat, aliosque ad id compellat. Neque inuoluendum silentio, Honorium Legionensem Re-

b Reg. post eund. ep. Theraliæ, & Berengariæ Regin. patrocinium arreptum. Inita inter Legion. & Castel. Reges pax confirmata. c Ep. 55. d Reg. post eand. ep. e Ep. 83.

gem, de quo paulo ante memoraui, etiam atque etiam rogasse a, vt I. Caluam Apostolicæ sedis subdiaconum Legionensium scholarum magistrum, & Albanensis episcopi nepotem regij sigilli præfectum crearet.

a Ep. 51.

45 Hoc anno cum Pragensis episcopus Apostolicam sedem consuluisset, an a gerendis sacerdotijs natalibus illegitimis procreati submouendi essent, carnesue in feria sexta cum in illam festū natalis Domini incurreret, degustari possent, Honorius hæc rescripsit b: *Quæsiuisti, an seculares canonici minus legitime nati sui sint renuntiare beneficijs compellendi; cum de iure ad sacros nequeant ordines promoueri, nec in beneficijs secum fuisse probent a Romano Pontifice dispensatum, nec ecclesia taliter indigeat ordinatis. Ad quod fraternitati tuæ taliter respondemus; quod si multitudo est in causa, vt huiusmodi non possint sine scandalo remoueri, eos in beneficijs sic susceptis poteris conniuentibus oculis tolerare. Explicari præterea postulasti, vtrum illis sit licitum, qui nec voto, nec regulari obseruantia sunt astricti, carnes comedere, quando in sexta feria dies Dominicæ natiuitatis occurrit. Ad hoc tale damus responsum; quod illi qui nec voto, nec regulari obseruantia sunt astricti, in sexta ferio si festum natiuitatis Dominicæ ipso die venire contigerit, carnibus propter festi excellentiam vti possunt secundum consuetudinem Ecclesiæ generalis, nec tamen ij reprehendendi sunt, qui ob deuotionem voluerint abstinere. Dat. Laterani xv. kal. nouembris Pontificatus nostri anno primo.*

b Ep. 44.

Respondet dubijs Pragensis episc.

46 Eodem anno in plures varia beneficia, præter superius allata conjecit. primum Nepoleoni e Raynaldo, & Brancaleoni de Armaleone, oppidum quoddam Cocoionem nuncupatum, in vitam concessit c; dein in fidem recepit, multisque priuilegijs muniuit, tum Lucam d S. Saluatoris Messanensem archimandritam eiusque religiosos viros, qui legibus & institutis D. Basilij regebantur, tum Theodisium e Agathensem episcopum eiusque successores, tum priorem ac fratres canonicos Lateranensis basilicæ, seu patriarchij Saluatoris, ad quos duplex diploma dedit, in quorum altero f his verbis eiusdem basilicæ dignitatem celebrat: *Sanè multæ congregauerunt diuitias, & auxerunt honores, sed hæc basilica supergressa est vniuersas. Cum enim sit mater omnium, & multas filias habeat de latere consurgentes, ad ipsam veniunt omnes gentes, dantes Domino laudem & gloriam, & ipsam pietatis officio venerantes. Accedit autem ad cumulum honoris eiusdem, quod Romanus Pontifex, qui Iesu Christi vices gerit in terris, apud dictam basilicam quasi continue residens, ipsam continuis prouehit incrementis, vt ex hoc ostendatur inseparabilis vnio, & indissolubilis connexio charitatis. Eapropter dilecti in Domino filij, qui eidem basilicæ quotidie deseruitis, postulationes vestras grato fauore prosequimur, & clementer concedimus quidquid vobis cedit ad cōmodum, & proficit ad augmentum. In primis autem ecclesiam ipsam cum personis omnibus ibidem Domini seruitio dedicatis, & omnibus bonis, quæ ad ipsam pertinere noscuntur, sub speciali sedis Apostolicæ defensione, protectione, ac cura suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus; statuentes, vt ordo canonicus, qui secundum Deum, & beati Augustini regulam in eadem ecclesia institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus obseruetur, &c. Dat. Later. per manum Raynerij prioris S. Fridiani Lucani S. Romanæ Ecclesiæ vicecancellarij VII. id. nouemb. indictione quinta incarnationis dominicæ anno millesimo ducentesimo decimo sexto, pontificatus verò domini Honorij Papæ III. anno I.*

Data ab Honorio beneficia.

c Ep. 11.

d Ep. 45.

e Ep. 106.

f Ep. 58.

Lateranēsis basilicæ dignitas.

Collata in canonicos ab Honor. beneficia.

47 In altero verò diplomate g hæc inter alia, quæ breuitatis studio omittimus, leguntur: *Medietatem omnium oblationum principalis altaris integram sine expendio aliquo, ex alia vero medietate, septem videlicet vnciarum, quæ sunt episcoporum, quoties episcopatus vacant, partes, quæ episcopos contingerent, ex beneuolentia sedis Apostolicæ, & paterna benignitate vobis vestrisque successoribus in perpetuum concedimus, & confirmamus. Ita tamen, postquam episcopi fuerint substituti, illas debeant portiones habere, saluo tamen in omnibus seruitio Ecclesiæ, quod de ipsis vncijs debetur, &c.* Porro episcopi, quorum hic meminit Honorius, episcopi sunt Cardinales, quorum adhuc muneris erat, vti Pontifex paulo infra testatur, sacra ibi missarum solemnia peragere. Cæterum post diplomata a nobis modo laudata, inter plura Lateranensis ecclesiæ iura ac possessiones enumerat Pontifex, tum ecclesiam S. Ioannis ante portam Latinā, cum suis, vt ait, capellis quæ varijs in locis erant; tum Vallismontonis, Mesellanici, Carpineti, Solfaratæ, aliaque oppida, innumeraque pene bona, quæ recensentur ibi, huiusmodi verò diplomati dies quarta apposita est iduum nouemb. & annus dominicæ incarnationis millesimus ducentesimus decimus sextus, pontificatus verò Honorij primus.

g ibid. ep. 107.

48 Eodem anno institutæ a D. Dominico religiosæ disciplinæ formulam ab Honorio auctoritate Apostolica confirmatam tradit Iordanus a, tum in eius gestis Theodorius b, qui etiam memorabile visum sanctissimo viro diuinitus obiectum enarrat: *Postquam vir Dei Dominicus ex mandato Pontificis ad fratres suos de deligenda regula retulit, iterum Romam profectus est, domino illum comitante, & in omnibus dirigente. Interim verò Innocentius III. Pontifex desijt esse in humanis, & ei succedens Honorius Apostolicæ sedis dignitatem obtinuit. Egit itaque apud illum seruus Dei, vt contra hostes Ecclesiæ Prædicatorium ordinem confirmaret. More autem suo nocte in ecclesia orans vir Dei sedentem ad Patris dexteram Filium surgere vidit iratum, vt interficeret omnes peccatores terræ, & disperderet omnes operantes iniquitatem. Stabat verò in æthero aspectu terribilis, & contra mundum in maligno positum tres lanceas vibrabat; vnam qua superborum erectas ceruices trajceret, alteram qua cupidorum viscera configeret; tertiam qua carnalibus voluptatibus deditos confoderet. Cumque eius iræ nemo posset resistere, occurrit clementissima Mater eius, & pedes illius complectens, rogabat vt parceret eis, quos suo sanguine redemisset, & iustitiam misericordia temperaret. Cui Filius: An non vides, inquit, quantæ mihi irrogentur iniuriæ? Iustitia mea tot mala amplius non patitur impunita. Contra Mater: Tu qui omnia, inquit, nosti, benè perspectam habes viam, per quam illos ad te reducturus es. Habeo seruum fidelem, quem mittes in mundum, vt verba tua annuntiet eis, sicque conuertentur ad te omnium Saluatorem. Habeo etiam alium seruum, quem ei adhibebo adiutorem, vt similiter operetur. Filius dixit: Ecce placatus suscepi faciem tuam: attamen velim videre eos, quos tanto muneri designasti.*

a Iord. in S. hib. vat. b Theodor lib. 2. c. 1. apud Sur. to. 4. die 4. aug.

Cæleste visum D. Dominico obiectum.

49 *Obtulit ergo Mater Filio beatum Dominicum, & ait Dominus; Benè & accuratè is faciet, quæ dixisti. Porro beatus Dominicus socium suum in hac visione diligenter contemplans, ad id vsque tempus ignotum sibi, postera die in ecclesia inuentum agnouit, ruensque in sancta oscula & sinceros amplexus ait: Tu es socius meus: tu mecum pariter curres: stemus simul, & nullus aduersarius vincet nos. visionem quoque, quam iam diximus, enarrauit ei, atque ab eo die fuit illis cor vnū & anima vna in Domino, quod etiam a successoribus suis iusserunt perpetuò obseruari. Huius visionis seriem & notitiam per S. Franciscum accepimus, cui beatus Dominicus ante ordinis confirmationem eam patefecit. Ea verò visione animatus, certiorque effectus B. Dominicus ad Pontificem accedens, quemadmodum ab ipso & fratribus erat conceptus ordinis Prædicatorij & omnium, quæ obtinere voluit, confirmationem impetrauit*

S. Dominicus & S. Franc. mutua amicitia coniunctissimi.

uit anno salutis MCCXVI. *&c.* Hactenus ille. idem de Dominicana familia ab Honorio hoc anno Apostolica auctoritate confirmata tradit inter alios Vincentius a, qui ait S. Dominicum post celebratum concilium Lateranense, Innocentij hortatu ad suos profectum, omnes qui sexdecim numero erant vnanimi consensu S. Augustini regulam elegisse, quibusdam additis arctioris vitæ constitutionibus, eademque tradit S. Antoninus b. Extat ea de re pontificium hoc diploma extremo anno datum c: *Dilecto filio fratri Dominico priori S. Romani de Tolosa, & fratribus suis regularem vitam professis, & professuris, salutem & Apostolicam benedictionem. Nos attendentes fratres ordinis tui futuros pugiles fidei, & vera mundi lumina, confirmamus ordinem tuum, cum omnibus castris & possessionibus habitis & habendis, & ipsum ordinem eiusque possessiones, & iura sub nostra gubernatione, & protectione suscipimus. Dat. Romæ apud S. Sabinam* XI. *kal. ian. pontificatus nostri anno primo.* Aliud præterea diploma ad eos dedit, quo ordinem amplissimis priuilegijs cōmuniuit, quod cum inter Apostolicas constitutiones in lucem editum d sit, consultò prætermittimus.

a Vinc. spec. hist. li. 30. c. 66. b Anton. 3 par. tit. 19. c. 3. & alij c Hon. l. 1. ep. 149.

Honorius ordinem S. Dominici confirmat.

50 Desudabant ij viri sanctissimi, vt ex literis e ab Honorio sequenti anno ad ipsos, in tam egregio opere confirmandos, datis constat, in excolendo agro dominico, euellendisque Albigensium hæreseos sentibus, quæ tunc atque aliquot annis sequentibus Raymundi iunioris audacia repullulare visæ sunt. Is enim attributæ sibi paternæ ditionis ea parte, quæ in Prouincia erat, non contentus, sociatis cum Auenionensibus, Massiliensibus f, alijsque finitimis, armis, dum procul Montfortius ageret, Belliquadrum, quæ vrbs ad Montfortium spectabat, obsidione cinxit: venientemque ad ferenda obsessis auxilia comitem propulsauit. Quæ res mox hæreticorum inflauit animos, ac secutæ plurium locorum defectiones, inter quæ Tolosa ipsa rebellauit. Sed cum in eam reuersus comes vi irrumpere omnia ferro flammaque delere pararet, Fulco Tolosanus episcopus ad conciliandam concordiam intercessit. Tum verò Montfortio sumptibus bellicis exhausto nonnullos proditores improbum consilium, quamquam specie bonum, suggessisse scribit Bernardus g, vt Tolosanos triginta millibus marcharum mulctaret: atque circumuentus comes, cum in exigenda huiusmodi pecuniæ vi subditorum in se odia incendisset, ditionē amisit; subdit enim auctor: *Qui consilio Achitophel acquieuit, & periculum non praeuidit: sciebant enim qui sibi talia suadebant, quod in illa pecunia colligenda multa in offensione vniuersorum & singulorum committerentur, quibus cogerentur affectare pristinam libertatem, & ad se antiquum dominum reuocare: facta namque talliа qua debebatur, cum dura & graui instantia petebatur, & propter pignorum extorsionem etiam domorum ostia claudebantur, sub qua populus gemebat seruitute: interim tractabatur secrete cum comite veteri in Hispania peruaganti qualiter Tolosam rediret, & fieret quod optabat, sicut factum extitit infra annum.*

d Bullar. to. 1. in Honor. 3. an. 1216. e Hon. l. 1. ep. 391. f Vallisser. hist. Albig. c. 84. g Bernard. chro. Rom. Pont.

Raymundus iunior Belliquadrum obsidet. Propulsat Montfortium. Rebellat Tolosa. Metu ad officium redit. Monfortius proditorum cōsilia admittit. Ex eo abalienati populi.

Hoc anno (vt in notis quæ apud nos extant, scripsit Cardinalis Baronius) reperta sunt corpora SS. Alexij & Bonifacij in eorum ecclesia Romæ in monte Auentino. Seruaturque in illius ecclesiæ archiuio recensita historia.

IESV CHRISTI
Annus 1217.

HONORII PP. III. annus 1. | OTHONIS IMP. annus 9. PETRI IMP. annus 1.

1 LVgebat adhuc Henrici mortem Constantinopolitanum Imperium, cum redacto perfidia Theodori Comneni in seruitutem nouo Imperatore, Græcorum artium ignaro, in anceps discrimen adductum est anno Seruatoris millesimo supra ducentesimum decimum septimum indictione quinta; atque ex eo tempore Latinorum res sensim inclinatæ; donec penitus fœdiore alia proditione conciderunt. Consilium equidem Constantinopolitanorum nonnullorum fuerat ad firmandas res Imperij Andreæ Vngariæ Regi potentissimo sceptrum dare, illeque mox literis Honorio sibi vel socero comiti Antissiodorensi delatum esse diadema significarat; flagitaratque, vt cum ob id expeditio in Terram sanctam, cui iam ante se deuouerat, vrgenda esset, crucesignatis diem ad sequenda illius signa indiceret. Cui Honorius, oblatum Imperium gratulatus, rescripsit a, ne ob id succurrendæ Terræ sanctæ deesset, quæ de regno & filijs statuerat (Vngariam enim Belæ, Galitiam Colomano transmisisse infra videbimus) probauit, petitis verò alijs annuere distulit, cum res non ita sibi perspecta atque explorata videretur.

Andreas Vng. Rex oblatum sibi Imp. Orient. scribit Honor. Petita ab eo a Pont. a Hon. l. 1. ep. 211.

Illust. Regi Vngariæ.

2 Illa dilectionis prærogatiua tuam personam dileximus hactenus, & diligimus, quod libenter admittimus preces tuas, in quantum cum Deo, & nostra possumus honestate, nec tua miretur sublimitas, si vsquequaque precibus, quas nuper nobis per tuas literas porrexisti, ad præsens non duximus annuendum, quoniam nobis de ijs, quæ petebantur, plenè constare non poterat, nec de circumstantijs eorumdem, quas in illis attendi potissimum oportebat. Ex ipsarum sanè accepimus literarum tenore, quod cum toto desiderio ad Terræ sanctæ liberationem aspires, firmum habuisti propositum iter peregrinationis accipere in termino distincto in concilio generali, sed arduus de nouo casus emergens, videlicet, quod vniuersitas Latinorum in Græcia commorantium ad te suos nuncios destinarunt in Imperatorem Constantinopolitanum te, vel nobilem virum comitem Antissiodorensem tuum socerum electoros, prædictum terminum te præuenire compellit, vnde nobis eisdem literis supplicasti, vt vniuersis crucesignatis nostris curaremus literis intimare, te per terram, ad eiusdem terræ subsidium profecturum, & moneremus eosdem, vt se tuo comitatui adiungentes tecum votum peregrinationis exequantur assumptæ.

Quid responsum ab Honor.

3 Nos ergo de tua exaltatione gaudentes, & illi gratiarum exhibentes multiplices actiones, qui ad præfatæ Terræ succursum vota tua ex clementia suæ bonitatis præuenit, ipsum suppliciter exoramus, vt adiuuando eadem prosequatur, & crucesignatis, qui ad sæpe dictæ sanctæ Terræ subsidium terrestri proposuerunt itinere proficisci, nostris literis exhortamur, vt circa pascha iter arripiant tecum ad sæpedictæ Terræ subsidium profecturi. Tu ergo caueas diligenter, ne per hoc Terræ sanctæ retardetur succursus, qui multa est procuratus solicitudine, ac labore; quoniam hoc in Dei offensam, Apostolicæ sedis iniuriam, & tui sempiternum opprobriū redundaret; quod & a nobis non posset in patientia tolerari. Super eo verò, quod de regno, & natis tuis deliberatione prouida ordinasti, exultantes in Domino, gratias agimus bonorum omnium largitori, a quo huiusmodi dispositio creditur prouenisse. De alijs equidem, quæ a nobis eisdem literis postulasti, venerabilis frater noster H... Ostiensis episcopus, Apostolicæ sedis legatus cum illuc venerit cognita veritate, ac consideratis circumstantijs vniuersis, auctoritate nostra statuet, quod Apostolicæ sedis honori, & tuæ saluti viderit expedire. *Dat. Later.* III. *kal. febr. pontificatus nostri an.* 1.

Rogat ne ea res Terræ S. fraudi sit.

4 Verum Andreæ Regis socer Petrus comes Antissiodorensis, qui vxoris Iolantæ sororis Balduini primi, ex qua plures liberos susceperat, nomine potio-

Andreā occupat Pet. Antissiod. comes.

tioribus suffragijs ad Imperium vocabatur, e Gallijs contento cursu Romam aduolauit, vt a Romano Pontifice Imperatoria innunctione delibutus maiorem sibi apud Constantinopolitanos auctoritatem conciliaret; de cuius aduentu, regiaque consecratione, hæc Fossæ nouæ chronicon: MCCXVII. *mense aprilis quidam comes Francigena nomine Petrus de Alsuula a Græcis vocatus & electus in Imperatorem Constantinopolitanum, applicuit Romam cum vxore & filijs, & alio comitatu. honorifice a domino Papa Honorio, & a clero, & a cuncto populo Romano est receptus, v. id. prædicti mensis in ecclesia sancti Laurentij foris murum cum magna gloria & decore coronatus est a summo Pontifice cum vxore sua.* Hæc ille quibus similia Richardus notarius a, Iordanus b & alij, qui etiam eandem Augustam Iolem seu Iolam vocant.

Quæ illius iura. Romam contendit

Cingitur ab Hon. imperatorio diademate.

a Rich. de S. Germ. chron.

b Iord. M. S. bib. vat.

5 Peracta celebritate Imperator induit Vuillelmum marchionem tam ipsius, quàm Demetrij marchionis fratris Regis Thessalonicensis pueri nomine vniuersa ea ditione, quæ ab alijs Imperatoribus, Balduino nimirum & Henrico, Bonifacio ipsorum parenti fiduciario iure tradita fuisset, quam rem Honorius Apostolico diplomate promulgauit c. celebrata vero ideo extra mœnia regia consecratio, ne quid iuris orientale Imperium in occidentale sibi comparasse videretur, ac ne Constantinopolitani patriarchæ iuribus inungendi orientis Imperatoris detractum putaretur, Honorius literis Apostolicis illi significauit d se maximis de causis, nimirum ad sedandos Imperij tumultus Petrum imperiali diademate cinxisse, nec sui esse consilij, vt ecclesiæ Constantinopolitanæ in consecrando Imperatore auctoritas vllo pacto labefactata, imminutaue censeretur.

c Hon. l. 1. ep. 378.

d Ibid. ep. 525

Patriarchæ Constantinopolitano.

6 Qui statuit terminos gentium, secundum numerum Angelorum, & vtrorumque ministeria ordine miro dispensat, sicut choros Angelorum varijs dignitatibus, quæ proprijs vocabulis teste Apostolo appellantur, mirabiliter insigniuit, sic & Ecclesiam adhuc militantem in terra diuersis tam spiritualium, quam temporalium distinxit titulis, potestatem penes vnum, videlicet Romanum Pontificem Christi vicarium, & Apostolorum principis successorem omnium magisterio pro firmamento fidei remanente, vt pulchra fidelibus, & infidelibus terribilis apparens, vt castrorum acies ordinata procedat prospere, donec Regina tandem a dextris summi Regis in vestitu sedeat deaurato feliciter in perpetuum regnatura. Vnde cum constet, quod omnis a Domino est potestas, qui solus potestatem habet in regno hominum, & quæcumque vult, suscitat super illud, nemo illi temere debet resistere; ne secundum Apostolum potestati diuinæ resistere videatur, quin potius tenetur quilibet in operibus manuum Domini exultare, quæ semper iuxta Prophetam misericordiam, & iudicium esse constat.

Cur Petrum coronauit.

7 Sane factum est nuper a Domino, quod Imperio Constantinopolitano vacante, vocatus ad illud charissimus in Christo filius noster P.. Antissiodorensis comes ad sedem Apostolicam, cum nobili muliere I.. vxore sua ex insperato veniens nobis opportunè importunè, in omnimodæ humilitatis spiritu supplicauit multiplicatis intercessionibus plurimorum non solum exorantium, sed etiam obtestantium in nomine Iesu Christi, vt dignaremur ipsum in Imperatorem, & vxorem suam in Imperatricem de nostræ potestatis plenitudine coronare. Nos autem licet id pluries denegassemus eisdem, ne quis posset, quamuis de superfluo, suspicari, quod id in ecclesiæ Constantinopolitanæ præiudicium faceremus; quia tamen timebatur a multis, ne si sic a nobis confusus abscederet, non solùm sibi, sed vniuerso Imperio graue dispendium immineret, condescendentes tandem ipsos sine tuo, vel alterius præiudicio, vel contemptu in ecclesia B. Laurentij foris muros Vrbis duximus solemniter coronandos. Quod ad hoc diuino nutu credimus esse actum, vt cum Imperatores Constantinopolitani, qui fuerunt pro tempore, cornu superbiæ contra Romanam Ecclesiam erigentes, dedignati fuerint recognoscere ipsam matrem omnium Christi fidelium generalem, propter quod ab eis Imperium est translatum, nunc in Ecclesia generali nec vestigium appareat perfidiæ præcedentis: isto tanquam deuoto, & humili filio a summo Pontifice coronato: quare generatio, & generatio laudent opera Domini, qui suscipiens mansuetos, vsque ad terram humiliat peccatores. Cum igitur beneplacitis nostris te tanquam honorabile membrum capiti obsequi deceat humiliter & deuotè, fraternitatem tuam rogamus & monemus attentius, per Apostolica scripta mandantes, quatenus quod per nos actum est, immo per ministerium nostrum Dominus voluit operari, gratanter acceptans, Imperatorem prædictum ad solium suum cum nostræ gratiæ plenitudine accedentem suscipias hilariter, & benigne, paternum affectum erga ipsum omnimodis exhibendo. Speramus itaque, quod & ipse, qui vir catholicus extitit, nunc a Domino exaltatus, tanto Deum, & Ecclesiam studebit humilius venerari, quanto se recognoscet priorem gratiam accepisse, & qui hactenus per magnanimitatis virtutem, & operum magnificentiam se dignum exhibuit Imperij dignitate, prouectus de virtute proficiet in virtutem ad honorem, & gloriam Iesu Christi & totius populi Christiani. Noueris autem, quod nos eidem iniunximus, quod tibi, & ecclesiæ tuæ de omnibus iuribus, & consuetudinibus debeat plenariè respondere. *Dat. Later. 11. id. aprilis pont. nostri ann. 1.*

8 Ad comparandam nouo Imperatori maiorem auctoritatem, flectendosque ad illius obsequium aduersarios censurarum vi, cum religio sæpius armis potentior sit, legatum illi Apostolicum, nimirum Ioannem Columnam presbyterum Cardinalem tit. S. Praxedis, vt scribunt Fossæ nouæ chronicon alijque, itineris socium adiunxit. Extant verò pontificiæ literæ a de imposito Ioanni huiusmodi munere orientis Latinis præsulibus, principibus Imperij, Venetis ac populis datæ, quibus debitam in legatum obseruantiam commendat, deque illius virtutibus hæc adijcit: *Ecce dilectum filium nostrum I. tituli S. Praxedis presbyterum Card. virum vtique prouidum & honestum, potentem in opere ac sermone, quem propria meritis probitatis nos & fratres nostri speciali complectimur in Domino charitate, quia genere nobilis, & geminans animi nobilitate genus se omnibus exhibet gratiosum, pleno sibi concesso legationis officio, illuc tanquam magnum Ecclesiæ Dei membrum prouidimus destinandum, &c. Dat. Later. XI. kal. maij pont. nostri anno 1.*

Legatus Apost. Petro datus comes.

a Ibid. ep. 418.

9 Quo maiori dignitate demandatum sibi munus Ioannes exequi posset, illum Honorius descripta in his literis auctoritate auxit b: *Si contigerit coram te aliquem episcopum de aliquo crimine solemniter accusari, quod probatum iuxta constitutiones canonicas pœnam depositionis inducat, possis contra ipsum probata crimine secundum iuris ordinem depositionis sententiam promulgare. Liceat quoque tibi ecclesias diuidere, ac vnire, cessiones episcoporum recipere, nec non si aliquem ipsorum ad episcopatum alium contigerit postulari, postulatione recepta libere ipsum transferas, si necessitas, & vtilitas hoc exposcit; excommunicatos nihilominus, & auctoritate sedis Apostolicæ interdictos absoluas, forma ecclesiastica obseruata, & eis iniungas quod de iure fuerit iniungendum. Tu tamen sicut vir prouidus, & discretus, in his honori sedis Apostolicæ deferas, cum videris expedire. Dat. Later. VIII. kalen. maij pontif. nostri anno 1.*

Prærogatiuæ legato datæ.

b Ep. 419.

Nil

10 Nil Petro legati auctoritas, nil susceptæ tanto apparatu imperatoriæ infulæ profuerunt, quin, vt instar victimæ, quæ ornatur corollis, dum ad cædem ducitur, cum pompa periret: Græcorum enim terras ingressus Theodori Angeli Comneni proditione, a vnà cum legato in carcerem fuit coniectus. historia in Fossæ nouæ chronico ita describitur: *Incipientes iter transierunt mare euntes per Imperium Romaniæ gaudentes. maior potestas Imperij Romaniæ & ditior inuitauit prædictum Imperatorem, vt dignaretur ire per terram suam, promittens ei omnes expensas vsque in ciuitatem Constantinopolitanam, callidus insidians, & decipiens Imperatorem: tunc Imperator cum domino Cardinali ingressi sunt terram prædictæ potestatis, quæ potestas & dignitas apud nos dicitur Comnenio, nomine Theodorus, qui postquam recepit Imperatorem, & dominum Cardinalem, voluit eos occidere; sed responsum est ei ab amicis & fidelibus dicentibus: si istos occideris, semper habebis guerram ab Imperio, & a summo Pontifice, & tu & heredes tui: si seruaueris eos viuos, non erit qui te debellet; posuit eos audacter in custodiam, & constricte custodiuit eos in ergastulo.*

a Hon. l. 1. 2. ep. 544.

Petrus a Theodoro circumuentus.

11 His consentit Iordanus cum alijs memoratis supra auctoribus, qui proditionis conflatæ modum, atque Imperatorem in conuiuio, quo exceptus fuerat, captum describit: *Cum recessisset de Roma*, Petrus nimirum, *& cum eo legatus Apostolicæ sedis Ioannes de Columna Cardinalis de Brundisio in Dyrrachium transijt: Imperatrice autem cum filiabus diuertente per mare, ipse Imperator cum Cardinali & toto comitatu, recepto baronum homagio, sed prodituoso, accepto consilio per terram transijt, & in via cum Theodoro fœdus inijt, a quo proditoriè inuitatur, & in conuiuio capitur & paucis fugientibus multitudo prostrata est. Hic Theodorus pro Imperatore se gerebat, quia plus cæteris Emanueli propinquus fuerat, & tenebat totum Zagora a Duratio vsque marchiam Blachiæ.*

Græci in illius obsequia fictè procumbunt. Init fœdus cum Theodoro. Excipitur conuiuio, & capitur. Exercitus cæsus cũ ducibus caueret.

12 Ex his refellitur Georgius Logotheta, qui ad extenuandam obruendamve suorum Græcorum perfidiam tradit, Petrum electum declaratumque ab Romano Pontifice Imperatorem (in quo primùm errat, non enim ab eo, sed a Constantinopolitanis electum, quamuis Romæ insignibus regijs decoratus fuerit, testatur Honorius b) in Macedoniam ingressum, vt Constantinopolim contenderet: sed Theodorum, occupato Dyrrachio, ipsum in fugam effusum auertisse, iamque Dyrrachium prætergressum, adductumque inter Albaniæ angustias tanta clade fudisse, vt ipse Imperator in prælio cæsus sit; impedimenta omnia direpta, Latinique omnes in vincula abducti, aut trucidati. At Petrum non cecidisse in prælio, sed proditione circumuentum conuincunt Honorij literæ ad Reges principesque in eo luctuosissimo casu exaratæ vt Petro liberando operam darent. Extant verò ad Theodorum Comnenum scriptæ c, quibus ipsum ob conflatam turpiter proditionem perstringit, solicitatque, vt Ioannem Cardinalem, legatum sedis Apostolicæ e custodia dimittat, ac ni pareat, minas grauissimas incutit, vtque ad id citius perfidum principem inflecteret, legationem ad eum decreuit, qua Andreas subdiaconus pontificius est functus.

Georg. Logotheta virtuti Græcorũ perfidiam vertit.

b Hon. l. 1. ep. 211.

Refellitur

c Lib. 2. ep. 543.

Theodoro Com. spiritum consilij sanioris.

Honorij ad Theod. literæ.

13 Rem duram d, rem amaram, rem perniciosam exemplo, rem multi dispendij es aggressus, Dominum non metuens, Ecclesiam vilipendens, contemptor famæ, terræ tuæ periculi non prouisor. Ecce detestabile facinus, quod in dilectum filium nostrum I.... tituli S. Praxedis presbyterum Card. A. S. L. manus temerarias extendisti, non expauescens eum detinere captiuum. Porro credebatur hactenus, quod sapientia regnaret in Græcia, sed tu qua maturitate consilij, qua prouidentia rationis id nedum in executionem facti, sed etiam in deliberationem propositi deducere præsumpsisti? Prudenter quidem egisses, si conseruasses tibi fauorem sedis Apostolicæ specialem, cuius aliquando patrocinium claræ memoriæ Michael frater tuus pro te, sicut pro seipso per solemnes nuncios specialiter inuocauit: sed ecce patras aduersariam, quam deberes recognoscere matrem, & in ea illum tibi opponis contrarium, qui est Regum, & in regno hominum dominator. Sanè non erat nostri propositi tibi ac tuis alicuius turbationis moliri dispendia, sed dolemus, quoniam tu compellis. Certe quid facti detestatio exigat, si præsumptionis immensitas in te non abstulit rationis iudiciũ, videre poteris per teipsum. Considera, considera, si sedes Apostolica in tantæ præsumptionis excessu manum vltionis remittere debeat, præsertim cum in isto negocio atrocem iniuriam persequatur Dei, vniuersalis Ecclesiæ, ac totius ordinis clericalis.

14 Verum si catholicus esses, opera catholici exhiberes & ad Terræ sanctæ negocium auxilij, non impedimenti manus extenderes, & placares seruitio Dominum, non iniuria prouocares. Sed vidimus euidentem te dare materiam, & manifestam causam, vt ad vlciscendum hoc facinus in te, ac tuos crucesignatorum exercitus conuertatur, & sic vltrò te periculis, & terram tuam damnis exponis: sed videat Deus, & iudicet, quia supersedere non possumus, nec dissimulare debemus, quin super hoc excitemus aduersum te tales, & tantos, quod erit tibi sera pœnitentia post ruinam. Verum quia in talibus bonũ commonitionis sedes Apostolica præmittere non consueuit, cum illius vicem, licet immeriti, geramus in terris, qui peccatoris quærit reditum, & neminem vult perire, quamuis non exhibueris opera filij; nos tamen nolentes omittere quod est patris, dilectum filium Andream subdiaconum, & capellanum nostrum virum vtique prouidum, & fidelem propter hoc destinantes, nobilitatem tuam monemus, & exhortamur in Domino, quatenus recognoscens Deum creatorem tuum & Romanam Ecclesiam, quæ tibi esse poterit, si per te non steterit, plurimum fructuosa, prædictum Cardinalem liberum, & illæsum cum suis vel redire permittas, in hoc tibi, ac tuis salubriter prouidendo. cum iacere non debeas, vbi ne caderes metuere debuisti. alioquin tibi habes, quod imputes, quem monitio non sine paterna comminatione præmunit. *Datum Ferentini.*

Andreas ad Theod. missus.

15 Præterea Andream Pannoniæ Regem per literas etiam atque etiam hortatus est, vt Theodorum ad Petrum Imperatorem legatumque ex vinculis eximendos compelleret:

Hortatur Pontifex Regem Vngar. ad Imperatorem vindicandum.

Illus. Regi Vngariæ.

Lib. 2. ep. 544.

Cibauit nos Dominus Deus absynthio, & inebriauit amaritudine mentem nostram, quia vox lamentationis, & doloris auribus nostris insonuit, nuntiumque durum recepimus, & amarum, videlicet charissimum in Christo filium nostrum P. Constantinopolitanum Imperatorem illustrem & dilectum filium nostrum I. tituli sanctæ Praxedis presbyterum Cardinalem, Apostolicæ sedis legatum, a nefando, & perfido Theodoro proditionaliter captos esse, multis eorum, qui cum ipsis erant, crudeliter interemptis. In quo etsi occisorum multitudinem lugeamus & prædictorum Imperatoris, & legati personis continuis curarum angustijs nostrum angentibus animum anxiemur, cogitamus tamen & alia, quæ nisi ille prouideat, qui aspera in vias planas, & praua in directa, ex hoc inopinabili, & lamentabili casu euenient detrimenta.

16 Ex hoc enim Græcorum perfidia insolescet, consternabuntur animi Latinorum existentium in partibus Romaniæ, propter hoc in graui discrimine positorum. Christiani quoque existentes in partibus

Mala ex eo casu oritura.

bus transmarinis, qui a Constantinopolitano Imperio personarum, & rerum auxilium expectabant, his auditis rumoribus obstupescent, & assumet audaciam feritas paganorum, & sic dicti casus tristitia totum tangit populum Christianum, quæ cum communis sit alijs, nobis ac tibi esse dignoscitur specialis, cum nec Apostolicæ sedis legatus, nec dictus Imperator, qui tibi tam propinquo vinculo est coniunctus, sine nostra, & tua iniuria, & opprobrio valeat detineri. Hortamur igitur serenitatem tuam, rogamus, & obsecramus in Domino, quatenus omni mora postposita solemnes nuncios ad præfatum Theodorum cum omni festinatione transmittas, & ab eo Imperatoris, & Cardinalis personas blandis aspera regaliter admiscendo requiras, quia confidimus, quod eos considerstione tua restituet libertati, præsertim metuens tui exercitus apparatum, quem ipsi nuncij tui sibi poterunt insinuare, prudenter innuendo te vsurum viribus, si proficere nequiuerit precibus apud eum. *Dat. Ferentini v. kal. aug. pont. nostri anno secundo.*] Hactenus Pontifex, in eandemq; sententiã sunt literæ, quas ad Constantinopolitani Imperij baiulum a, ad ducem populumque Venetum b, ad Achaiæ principem aliosque c dedit. denique Senonensi d ac reliquis Galliæ archiepiscopis e, eorumque suffraganeis munus impositit, vt nonam crucesignatorum militiam sub duce R.. de Courtenay iterum ad subsidium illis ferendum pararent: vt verò Theodoro in gratiam cum Pontifice redeunte vetitæ fuerint collectæ crucesignatorum copiæ in ditionem Theodori incurrere, sequenti anno dicetur.

a Ibid. ep. 545
b Ep. 546.
c Ep. 548. 549.
d Ep. 211.
e R. 3. post cand. ep.

17 Hoc eodem anno, vt cætera ad orientale Imperium spectantia exponamus, Honorius Demetrij pueri Thessalonicensis Regis eiusque regni patrocinium accepit, eaque de re literas dedit tum ad Regem ipsum, tum ad Ioannem Card. Columnam f, antequam eum in vincula coniectum accepisset; cui etiam præceperat, vt populos illos iureiurando adigeret Demetrio se fidos & obsequentes fore. Admisit etiam in clientelam Cypri Regem g & Raymundum h Rupini Antiochiæ principem enixè commendat, tum Albanensi episcopo i, tum militiæ templi magistro ac fratribus l, tum maiori ac populo Antiocheno m, tum maxime Armenorum Regi a se laudato, quod eidem Raymundo nepoti suo, iam ante eius tutelæ commisso, regni gubernaenla, quod ad pupillum pertinebat, tradere decreuisset. Denique cum clerus ille Antiochenæ ecclesiæ patriarcha viduatæ præficere optaret Pelagium Albanensem episcopum, idque pet nuncios suos ab Apostolica sede postulasset, Honorius iustis id se de causis abnuere n mandareque, vt infra tres menses alium sibi eligat. Vt vero beneficijs est profecutus, ita Philippensem principem qui episcopum suum per summam impietatem, sæuitiamque interemerat animaduertit o. Enerardo enim patriarchæ ac suffraganeis prouinciam imposuit, vt anathemate ipsum percellerent, eiusque ditionem tandiu ecclesiastico interdicto damnarent, donec crimen titè expiasset; ac si seueritatem pontificiam contemptu eluderet, principum potentiam ad pertinaciam infringendam implorarent. atque adeo datis ad magnates orientalis Imperij alijs literis p excitauit, vt patriarchæ atque episcopis in vlciscendo scelere opera non deessent. sed de his satis. ad alia in quibus Pontificis aelus magis emicuit, nos conuertamus.

Arrepta ab Honor clientela Regis Demetrij.
f Hon. l. 1. ep 376.
g Ep. 377.
Et Regis Cypri.
g Lib. 2. ep. 539.
h Ibid. ep. 556.
i Ep. 557. 561.
l Ep. 559.
m Ep. 562.
Pelagius Card. in patriar. ex petitus ab Antioch.
n Ep. 612.
Philippus princeps ob casum ep. anathematum datur.
o Ep. 579.
p Reg. post cand. ep.

18 Suspensus tum erat vniuersus orbis Christianus expectatione exitus sacræ expeditionis in concilio Later. decretæ, ad restituẽdas Christiano nomini Hierosolymas, magnaque piorum mentes spes erexerat diuina ope nunc demum Sarracenos partum præteritis victorijs decus amissuros, nec amplius terram illam, Christi sanguine imbutam, hostium pedibus calcatum iri. conspectæ enim in cœlo sutre cruces, quæ populos ad triumphale illud signum assuendum vestibus, corripiendaque arma incenderunt. Ferebat etiam fama cœlesti viso præsagitum sedente Honorio Pontifice infideles ex Hierosolymis depulsum iri: quo rumore plures ad dandum sacræ militiæ nomen incitatos fuisse Vrspergensis a testatur. Vrgebat etiam expeditionem illam Honorius, qui eum nonnullorum pium ardorem ex morte Innocentij elanguisse cerneret, inflammare illum Apostolicis literis, confirmare fluctuantes legationibus, atque e Petri solio veluti ex summa arce sacrum classicum canere adeo, vt eius clangor in extremis orbis Christiani oris personaret, tum cumulare preces, promissa exaggerare, indulgentiarum præmia effundere, diuinamque crucesignatis opem solemnibus supplicationibus conciliare non destitit.

De expectatione Hierosol.
a Vrsperg in chron.

19 Non responderunt tamen votis & expectationi successus, cum sacræ synodi pia consilia funestis casibus præpedita essent, Petro enim Imperatore capto nulla e Constantinopoli auxilia submissa: Germania pendente adhuc Othonem inter & Fridericum de Imperio lite omnes suas vires effundere non potuit: Anglia ciuili bello laborabat: Hyberniam eadem flamma corripuerat: Scotia armorum societatem cum Ludouico iunxerat: Gallia partim in Angliam copias transmiserat; partim de Campaniæ principatu Theobaldum inter & Erardum ambigua, & ancipiti contẽtione distinebatur; partim Albigensium rebellione fluctuabat: Aragonia pro restituendo Tolosano comire bellum pijs mouebat: reliqua Hispania Mauris pellendis intenta erat: Italia omnino pacata non erat, adeo vt ex occidentis Regibus Vngarus tantũmodo trãsfretarit; qui etiam immaturo recessu egregiè cœpta afflixit. Præterea eo anno Syris frugum inopia laborauit: quæ omnis conceptas recuperandæ Hierosolymæ spes ac vota Christiani populi fefellerunt. Quamquam ea expeditio vtilitates alias ac victorias pepetit, de quibus antequam agamus, solicitudinem Honorij in accendendis fidelibus, comparandoque bello sacro contemplemur.

Cur votis fidelium belli sacri pares exitus non successerint.
Hierosolymæ spes.

20 Aduertenda in primis contra Sarracenos Insubtum arma, quibus se mutuo petebant, Ostiensem episcopum legatum misit, qui incusso censurarum terrore ad pacem ipsos adduceret. Quos etiam Honorius ita Apostolicis literis b, post descriptam non sine lacrymis miseram regni Hierosol. conditionem, compellauit, vt ardorem illum bellicum defendendæ Christi causæ consecrarent: *Accingantur fideles, & sint filij potentes, tempus est enim, vt faciant vindictam in nationibus, in gentibus scilicet detinentibus, & contaminantibus Terram sanctam, in ijs qui (?) tam faciunt gloriam Crucis Christi, & exprobrant ignominiam Dominicæ passionis. Properare igitur necesse est ad tanta felicitatis brauium, & tollat fidelis quilibet crucem suam, & sequatur vexillum gloriæ summi Regis, nec excuset se aliquis a seruitio Iesu Christi, qui vult regnare cum ipso, quin potius abneget semetipsum, & exeat de terra, & cognatione sua, in manu illius dimittens omnia, qui contulit vniuersa.* Simillima ad Ianuenses & Pisanos, quos mutuæ potentiæ linor vexabat, scripsit c, vt bello sacro strenuè se accingerẽt, partarumque olim de infidelibus victoriarum memoria odium omne in Christiani hostes nominis effunderent.

Studium Honorij in concitandis fidelibus.
b Lib. 1. ep 189.
Ostiens. ep. in Insub. missus
Pontificia ad Insubres exhortatio.
Ianuenses & Pisani ad pia arma solicitati.
c Hon. l. 2. ep. 752.

21 Cum vero bellici Coloniensium apparatus ingens fama ad eundem Pontificem pernasisset, diuino enim amore accensi trecentas naues ad ferenda Syriæ auxilia instruxerant, eximium illorum zelum commendauit gratulatusque d est his verbis: *Tam sanctum propositum in corde vestro fuisse firmiter stabilitum opera manifestant. Nempe a vestræ conuersionis exordio studuistis, vt audiuimus, cum multo desiderio, & fer-*

Accinguntur se bello Colonien. gratulatur.
d Ibid. ep. 197.

& feruore acies dominicas instaurare, in nauibus, victualibus, armis, instrumentis bellicis, & alijs necessarijs opportunis, & more Abrahæ ad liberationem iusti Loth festinatis, assumptis trecentis vernaculis expeditis; hoc est trecentis nauibus, quas ad sanctæ Trinitatis honorem, cum perfectione operum, per centenarium designata, in expeditionem exercitus Domini lætanti animo præparastis, proficisci volentes in eis mense aprili proximo nunc futuro, reliquis per terram ad portus properantibus opportunos, etc. illos sponte animatos propositis diuinis præmijs atque indulgentijs magis incēdit.

Conflata a Colon. trecentar. nauium classis.

22 Eadem de trecentarum nauium a Coloniensibus & Frisonibus constructa classe refert Matthæus Parisius a: illos tamen cum Guillelmo Hollandiæ & Gregorio Vvide comitibus, quarta dumtaxat die kal. iulij mare conscendisse testatur Godefridus b. Exciti fuerant ij populi ad capessendam crucem florentissimamque illam adornandam classem diuinis prodigijs, cum vexilla, Christi Domini cruces nimirum, cœlo fulgurare conspectæ essent, quod miraculum his verbis describit Parisius in sua Anglorum historia: *Sub his diebus mense maio, feria scilicet sexta ante pentecosten, excitata fuit prouincia Coloniensis in obsequium Saluatoris. Nam in villa de Bebon Frisiæ apparuit in aere triplex forma crucis: una coloris candidi versus aquilonem: altera versus meridiem, eiusdem schematis & coloris: tertia medio colore colorata, habens crucis patibulum, & formam hominis in eo suspensi, brachijs eleuatis & extensis, cum infixione clauorum in manibus & pedibus, & capite inclinato. Et hæc media fuit inter alias, in quibus corporis humani effigies non apparebat. Alia quoque vice & alio loco, in villa scilicet Frisiæ, quæ Fuserhuse appellatur, crux apparuit iuxta solem crocærulei coloris; & hanc plures quam priorem viderunt. Tertia apparuit in villa de Doctham, in qua B. Bonifacius martyrio coronatus est. vbi in festo eiusdem martyris, cum multa hominum millia conuenissent, visa est crux magna, & alba, ac si lignum trabis ex transuerso alterius trabis artificialiter construeretur. Mouebatur autem paulatim ab aquilone ad orientem, & hanc plurimi homines conspexerunt, &c.*

Cur tanta classis ab ijs comparata.
a Par. hist. Angl. hoc anno.
b Godef. in annal. eod. anno.
Christi e cruce pendentis imago in cælo a populis cōspicitur

23 Compararunt etiam se ad Hierusolymitanum iter multi viri principes Luipoldus Austriæ, alijque duces, qui se Andreæ Vngarorum Regi commixerunt: extant verò ad hunc literæ e pontificiæ, quibus ipsum crucesignatū Apostolicæ clientelæ commendatū iri pollicetur. Tum subdit se Apost. auctoritate quę ab ipso de transmissis in filios regnis decreta erant fulcire: *Dispositione*, inquit, *quam de terra tua fecisti regnum Vngariæ primogenito tuo Bela, regnum vero Galitiæ Colomano relinquens, & eorum alterutri vel vtrique sine liberis decedenti Andream instituens successorem sicut iuste ac prouide facta est, auctoritate Apostolica confirmamus.* Cum vero idem Rex ex pietatis sensu, quo erat delibutus, imprudenter seruandi sexta quaque feria panis & aquæ ieiunij voto se astrinxisset, flagitassetque eleemosynis alijsue pijs operibus cōmutari, cum negarent medici sine graui valetudinis periculo austeri adeo ieiunij rigorem ab ipso tolerari posse, Pontifex rem totam Ostiensis episcopi prudentiæ cōmisit, vt quod ipsius saluti æternæ conduceret magis, statueret. Eidem etiam Regi permisit d vt quinque vel sex ex ipsius arbitrio ab archiepiscopo Coloniensi absoluerentur, qui se ad Hierosolymitanum bellum profectuos voti religione obstrinxerant, vt ad regni tutelam permanerent.

Austr. & alij duces cum And. Rege Vng. Hier. pergunt.
e Hon. l. 2. ep. 240.
Constituta ab Andr. de regnorum success. ab Hon. confirmantur
Consulitur sedes Ap. ab Andr. de cōmut. ieiun voto.
d Ibid. ep. 285.

24 Nec Andreæ modo patrocinium arripuit, sed nobilis quoque viri C.. de Auenis pariter crucesignati e tum etiam I... Norvvegiæ Regis, qui licet crucem non induisset, egregias tamen in regno suo crucesignatorum copias conflari iusserat: *Intelleximus*, inquit, *per literas tuas, quod receptis bonæ memoriæ Innocentij Papæ prædecessoris nostri literis, quibus te ad Terræ sanctæ subsidium hortabatur, etsi non in persona propria, in tuis tamen te potenter ad Iesu Christi obsequium præparasti, pro maiori parte milites, & alios homines terræ tuæ in terra Hierosolymitana succursum in præparatis a te nauibus transmissurus.* Et infra: *Te ac regnum tuum, crucesignatos quoque prædictos, & omnia bona eorū sub apostolica protectione suscepimus, &c.* egregium adeo in rem Christianam studium commendat, & clientelam pontificiam pollicetur. Post hæc verò modum, qui in distribuenda crucesignatis vigesima ecclesiasticorum redituum parte ab synodo œcumenica ad triennium imperata seruandus esset, de consilio Cardinalium præscripsit a, eam tamen soluere minimè cogendos decreuit b S. Sepulchri fratres, quos alijs etiam priuilegijs c communiuit. Ex contrario verò plurimos ecclesiasticos viros, qui vigesimam fructuum ab Innocentio per literas imperatā conferre cunctabantur, nulla interposita mora pecunias persoluere religioso pro imperio cogit. d

Ostien. ep decidēda res data prouincia.
e Ep. 200. 201.
Ep. 306.
Rex Norvueg. copias aduersus Sarrac submittit.
Actæ illi ab Honor gratiæ.
Procurātur ab Hō. stipendia crucesignatis.
a Ep. 312.
b Ep 495.
c Ep 494. 499
d Ibid. ep. 255.

25 Interea crucesignatis Messanam adeuntibus Cusentinum archiepiscopum illuc legauit, ipsos pro concione hortaturum, vt armis se tum spiritualibus, tum militaribus prudenter instruerent, seque inuicem Christiana charitate complecterentur, ait namque e: *Sanè cum felicis memoriæ Innocentius Papa prædecessor noster, inspirante Domino, aspirans ad subsidium Terræ sanctæ disposuerit hoc tempore personaliter accedere in Siciliam, si Dominus annuisset, vt ipsius consilio, & auxilio disponeretur salubriter populus Christianus, cum benedictione diuina & Apostolica profecturus, nos qui eidem in onere successimus, & honore, si viderimus aliquatenus expedire, libenter illuc personaliter venissemus, vtpote qui ad promouendum tantum Christi negocium modis omnibus aspiramus, sed cum gens sine duce, ac sine capite procedere videatur, non fuit de fratrum nostrorum vel aliorum consilio, vt nunc in Siciliam accedere deberemus, ne si hac vice non impleretur desiderium populi Christiani, crederetur de cætero res penitus desperata. Cæterum ne ibi omnino reputemur absentes, absentiam nostram per tui præsentiam prouidimus compensandam, eo tibi fiducialius committentes Christi negocium promouendum, quo te ad id assumpto crucis signaculo, quam ab olim cum Apostolo gestas in corde, specialius ascripsisti, &c.* Præcipit legato vt Messanam se cōferat, hortetur crucesignatos ad piratarum & Sarracenorū eludendas insidias, vt coniunctis agminibus iter suscipiant, atque intentato anathemate vetet, ne quis sepulchrū Domini adire audeat, cum ex eo Christiani exuerentur opibus, quibus Sarracenorum potentia cresceret; tum ipsos excitaret, vt æquo animo ad ea se duci loca paterentur, in quibus meliorem diuinæ gloriæ operam nauare posse crederetur; eandemq; Brundesino episcopo, qui vnà cum alijs in oriētem erat traiecturus, prouinciam demandauit f.

Plures crucesignati Messanā confluunt
e Ibid. ep. 500.
Promiserat Innoc. se eo ad fauste illuc precandū iturum.
Cur non eo perrexerit Honorius.
Id munus archiep. Cusent. imponit.
f Reg. post eand. ep.

26 Paucis verò interiectis diebus, nimirum IX. kal. augusti Ianuensi archiepiscopo significauit g, Vngariæ Regem ducemque Austriæ atque alios proceres crucesignatos proximo natalis D. Virginis festo in Cypro conuenturos, eoque patriarcham Hierosolymitanum, ac Templariorum magistros proficisci iussos, vt de inuadendo hoste quaue parte in illius terras irrumpendum esset deliberaretur, atq; pro ea qua valebat sacra eloquentia crucesignatos, qui Ianuam confluxerant, moneret, vt Cyprum peterent, coniunctis animis, ac viribus nauigarent, ne a piratis interciperentur. Demum de Albanensi episcopo, cui legationis prouinciam iniunxerat, adijcit: *Nos enim venerabilem fratrem nostrum P.... Albanensem episcopum A. S. L. de cuius prudentia, & virtute, non tam argumentorum præsagia, quam rerum experimenta nobis fidem faciunt pleniorem prouidimus illuc auctore Domino destinandum, vt vice nostra Christi negocium, prout idem inspirauerit, ordinet & disponat, &c.*

g Lib. 2. ep. 536.
Iubentur crucesign. Ianua. in Cyprum nauigare.

Subij-

Subijcit, quæ in literis ad archiep. Cusentinum paulo ante citatis leguntur, eodemque argumento, vti subditur, missæ sunt literæ ad electum Pisanum, atque ad episcopos Massiliensem, Castellanensem, & Caietanum, & ad Brundusinum, & Cusentinum archiepiscopos. Quo etiam die Hierosolymitanum Regem de Andreæ ceterorumque profectione epistola participem fecit. a, hortatus vt Cyprum vsque ijs occurrat, vel saltem præcipuos nuncios obuios mittat, consilio eos auxilioque iuuet. Eodemque argumento b patriarchæ Hierosolymitano, ac magistris fratribusque militiæ templi, atque hospitalis Hierosolymitani scripsit.

a Ibid. ep. 537.
b Reg. post eand. p.

Ex Cypro belli moles in Sarracenos versa.

27 Igitur Andreas Pannoniæ Rex cum Luipoldo Austriæ duce, pluribusq; alijs principibus viris Hierosolymitano regno subsidium laturus, crucesignatas copias, vti constituerat, in orientales oras traiecit, c id quod non modò plerique scriptores & literis tradidere, sed Honorius etiam Papa restatum reliquit. Vbi verò eos illuc peruenisse inque Sarracenorum ditionem ingressos accepit, ad diuinum implorandum auxilium solemnem in Vrbe supplicationem habuit, paremq; ab singulis episcopis aliarum ciuitatum celebrari præcepit. At præstat hæc ab ipso Pontifice accipere. d

c Godef. in annal. Chr. Aust. Stero in annal. apud Canis. antiq. lect. to. 1 p. 246 Chr. Dom. Colmar. Epist bell. sacri Chr. Salisb. & alij.
d Hon. l. 2. ep. 939.

Archiepiscopo Arboren. & vniuersis episcopis, ac omnium ecclesiarum prælatis, tam exemptis, quàm alijs per Arboren. prouinciam constitutis.

Aduersus hostes visibiles inuisibilibus armis, idest orationibus dimicare veteribus exemplis instruimur, quæ nostris quoque temporibus innouata, quando exercitum Dominus infidelium multitudinem bello Hispanico tradidit in manus paucorum fidelium, gloriamur. Ecce autem tempus, quo vniuersi fideles ad hæc debent arma concurrere: ecce tempus, quo cinere debent aspergere caput suum: ecce tempus, quo debent in cælum lacrymarum, & orationum vocibus exclamare, vt ille, qui non in multitudine dimicat, innouatis signis & mirabilibus immutatis secundum omnipotentiam suam, multitudinem in paucitate deuincat. Charissimi etenim filij nostri Andreas Vngariæ Rex illustris, & Austriæ, ac Morauiæ duces, viri vtrique dignitatis honore conspicui, sed non minus fidei deuotione præclari cum nonnullis baronibus, comitibus, & alio comitatu suo Dei munere, ventis vsi felicibus, littora Hierosolymitanæ prouinciæ feliciter attigerunt, qui attendentes, quod non est differentia in conspectu Dei cæli liberare in multis, aut paucis, quia non in exercitus multitudine, sed de cælo victoria ministratur, terram Babyloniæ in multitudine quidem paruam, sed strenua, de superno confisi auxilio sunt ingressi. Quis fidelis hoc audito lacrymis, & orationibus indulgere non debeat, ac ad Dominum oris, & cordis vocibus exclamare? cum pars corporis nostri quod est ecclesia, corporis cuius caput est Christus, corporis cuius sumus singuli membra, forsan hac ipsa hora gloriosa pro fide Christi certamina inear, suisque diffidens viribus, ac de sola diuinæ virtutis miseratione confidens, ad eam facilius impetrandam, nostrarum suffragia orationum exposcat.

Indictæ ab Hon. solemnes pro Christi exercitu supplicationes.

Fideles in Babyloniæ limitem incurrunt

28 Sanè nos, cum ad nostram peruenit notitiam illos terram prædictam intrasse, animam nostram effudimus coram Deo; illum pro eis in lacrymarum affluentia deprecantes; & quia de meritorum nostrorum qualitate diffidimus, tam clerum, quam populum Vrbis conuocauimus in basilica Saluatoris, atque inde ad venerandam gloriosæ matris eius Ecclesiam prælatis capitibus beatorum Apostolorum Petri, & Pauli pedibus nudis processionaliter iuimus, vt præfatis Iesu Christi athletis eius genetricis obtentu supernum impetraremus auxilium, ad quod nostra non sufficere merita sciebamus. Verum quia per eos totius populi Christiani negocium geritur, quare dignum est, vt ad exorandum pro eis Christianus quilibet in oratione humiliter prosternatur, solemnes propter hoc processiones in singulis ciuitatibus, & alijs locis, in quibus est frequentia populorum, prima sexta feria cuiuslibet mensis prouidimus faciendas, sperantes, quod ille, qui dictatam in Niniuitis sententiam eorum humiliatione inspecta misericorditer reuocauit; quique vno Moyse orante pro populo Israel, conuertit Amalechitas in fugam, & solem Iosue precibus stare fecit, qui denique suos ad se, de quacunque tribulatione clamantes, se auditurum ineffabili pietate promisit; deuotè pulsatus tot fidelium suorum clamoribus, nequaquam continebit suæ viscera pietatis; sed propter semetipsum inclinabit ad preces seruorum suorum propitius aures suas, & effundens iram suam in gentes quæ non nouerunt eum, & in regna, quæ non inuocant nomen eius, ad laudem, & gloriam suam confringet cornua peccatorum.

Publicæ preces cōposito religioso agmine ab Honorio Romæ habitæ. Pontifex nudis pedibus capita SS. Petri, & Pauli gestat.

29 Ideoque charitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus hæc cum deuotione debita fieri faciatis, ita vt quilibet vestrum, nisi iusto impedimento excusetur, intersit, suis indutus insignibus, & pedibus nudis, quatenus exemplo vestro ad idem prouocetur deuotio subditorum. Religiosis autem in locis solitarijs commorantes, hæc in claustris suis eo deuotius exequantur, quo magis a mundanis tumultibus sunt immunes. Subditos verò vestros, tam mares, quam mulieres solicitè moneatis, vt ad hæc facienda, non in veste preciosa seu in alio inani cultu conueniant, sed in eo per quem seipsos ad deuotionem mutuo prouocent, ac humiliationem internam exterioris habitus humilitate demonstrent. Memores, quod Niniuitæ, de quibus iam sermo processit, in humiliatione sua se saccis a minore vsque ad maximum induerunt, adeo vt ipse Rex abiecta regali purpura se sacco induerit, & asperserit cinere, propter quod apud eum, qui humilia respicit, meruerunt misericordiam inuenire. Ad hæc crucesignatos omnes ad celerem succursum illorum sedulis exhortationibus animetis, & faciatis per alios ad hoc idoneos animari, ita quod in instanti passagio, Deo duce, transeant vniuersi, ijs vestrum qui muniti sunt crucis signaculo cum illis pariter profecturis in nomine Domini Iesu Christi. Vt autem de statu terræ vos certiores reddamus, & ad prouidendum, quæ sunt necessaria cautiores; tenorem literarum quas nuper a magistro domus militiæ templi recepimus, præsentibus de verbo ad verbum duximus inserendum, qui talis est:

Indictæ toto orbe solemnes supplicationes.

30 *Reuerendissimo in Christo domino, & patri Honorio, Dei prouidentia, sanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici; suorum subditorum deuotissimus frater V. de Carnoto pauper militiæ templi magister humiliter debitam cum osculo pedum reuerentiam, & obedientiam.*

Magistri Templ. ad Pont. lit.

Paternitati vestræ statum Terræ sanctæ, quam Dominus proprio sanguine suo consecrauit, præsentibus duximus intimandum. Hoc igitur vobis constet, quod ad discessum præsentium innumera peregrinorum multitudo, tam militum, quam seruientium viuificæ crucis insignita charactere, ab Alemmannici Imperij, & aliorum regnorum varijs partibus cōfluens, apud Accon aduentarat. Sephedinus verò magnus Soldanus in terra Babylonis commorans, ibidemque existens immobiliter de se minime confidebat. Verebatur etenim Regis Vngariæ, & ducum Austriæ & Morauiæ aduentum, qui cum copiosa multitudine militum, ac seruientium cleri, & populi apud Accon applicuerunt. Timebat etiam dictus Sephedinus nauigium Frisonum, quod apud Accon in proximo applicaturum ferebatur. Coradinus verò

filius

filius eius in marchijs nobis adiacentibus iter suum direxerat, & accessus.

31 Etiam hoc vobis intimamus, quod annis pluribus retro actis, non recolimus paganismum in statu fuisse debiliori, quàm nunc extat; quem patet omnipotens de die in diem permittat peiorari. Sed in partibus nostris frumenti, & hordei, & omnium humanæ sustentationis necessariorum caritudo est maxima. Seges autem fallens agricolam in hoc anno, in minima quantitate fuit recollecta. Expectabāt etiam indigenæ, quod seges de partibus afferretur transmarinis, sed minimum in hoc anno fuit apportatum. Est & aliud incōmodum, videlicet super equitaturis adeo graue, quod equi nullo modo possunt venales inueniri. Quocirca vniuersis crucesignatis, ac signandis bona fide consulatis, quatenus de prædictis se studeant præmunire, de quibus in partibus nostris nullū inuenient consilium vel iuuamen. Cæterum sciatis, quod ante aduentum Regis Vngariæ, & ducis Austriæ prouisum fuit a domino patriarcha, & Rege, & peregrinis, & fratribus Hospitalis, & nobis, quod versus Nespolim Syriæ iter arriperemus, cum Coradino, si nos expectaret, pugnaturi. Post aduentum verò prædictorum magnatum in hoc omnes vnanimiter assensum exhibuimus; quatenus in manu forti, per mare, & terram in Babyloniam proficisceremur, ad obsidendum Damiatam, vt sic cautius, & prouisius, versus sanctam terram Hierosolymitanam iter præpararemus. Omnes igitur crucesignati, seu crucesignandi solicitè moneantur, vt quam maiorem poterunt, secum ducant copiam victualium, & equorum. *Dat. Later. VIII. kal. decembris pont. nostri anno secundo.*]

Syria cōmeatus inopia laborat.

32 Hactenus Honorij litteræ. quo exemplo alias reliquis Christiani orbis episcopis eum misisse ipsemet indicat. Cæterum prioribus epistolæ verbis significare videtur Honorius, spectabilem victoriam, quam prædicti Colonienses crucesignati, dum apud Vlyssipponem hyematuri substitere, de Sarracenis reportauerunt, quam ij ipsi, qui interfuere, huiuscemodi literis postea significarunt a:

Germanicæ copiæ in Lusitania subsistunt.

a Apud Honor. l. 2. ep. 817.

Sanctissimo patri ac domino Honorio Dei gratia sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici. S. Vlixbonensis S... Elborensis, & magister in Hispania militiæ templi, & prior in Portugal a hospitalis Hierosolymitani, & commendator militiæ S. Iacobi de Palmela salutem, & pedes humiliter osculari. Sanctitati vestræ præsentibus innotescat, quod Domino faciente, qui sperantes in se non deserit, quadam nauigij multitudo crucesignatorum de Alemannia, & de Flandria, & de alijs partibus post multa maris naufragia, ac diuersa pericula in nauigando per quatuor menses laborantes, quod XV. dies solet a pluribus nauigari, ad portum de Vlixbona appulit ex insperato. Vnde nos prænominati episcopi considerantes, quod non nisi vt Hispania liberaretur, eosdem peregrinos Dominus tantum in vijs detinuerat, & ad nos tali tempore adduxerat, quod transfretare non poterat vllo modo cum abbate Alcobatiæ, & alijs viris religiosis, Templarijs videlicet, & Hospitalarijs, & militiæ S. Iacobi commendatore, alijsque regni magnatibus, dictos ad hoc induximus peregrinos, vt ex quo transfretandi eisdem deerat facultas, hyemarent nobiscum ad Hispaniam liberandam, & ad inimicos sanctæ fidei expugnandos; vnde etiam iterum habere possent victualia, & expensas. Quo habito & concesso, & ad verba exhortationis nostræ ferè omnibus de diœcesibus nostris, & similiter de toto regno per proprias diœceses signo crucis imposito, insimul processimus ad quoddam castrū obsidendum, quod dicitur Alcazar, quod etiam inter omnia Sarracenorum castella in Hispania erat nociuum Christianis.

Ea occasione vsi Lusitani in Sarracenos consurgunt. Alcazar obsident.

At plurimos maximèque Frisones cum alijs ibi hybernare abnuisse, ac post festū S. Iacobi diem Vlyssippone cum octoginta circiter nauibus recessisse, auctor est Godefridus b, qui hæc omnia singillatim ac fusè prosequitur. Addit verò Parisius, qui eadem summatim recenset, illos apud Caietam & Tornetum * Italiæ loca hyemasse: quibus consentanea tradit Richardus a. sed ad epistolam redeamus, quæ pergit:

b Godef. in annal. an. 1218.

*Cornetū

a Richar. de S. Ger. chron.

33 *Consequenter autem ipsis de Alcazar obsessis paganis postulantibus auxilium a Regibus, per totam Mauritaniam citra mare commorantibus, quatuor Reges de Sibilia videlicet & de Geen, & de Badaleuzi, & de Corduba, cum toto posse suo & cum fere omnibus, qui sunt citra mare paganis inopinatè venerunt super nos, ita quod sequenti die nobiscum campestre bellum habuerunt inter se iactantes, quod & castrum liberarent, & nos omnes, quos non perderent gladio, ducerent captiuatos. Sed omnipotens, cui proprium est superbis resistere, eorum mirabiliter frangens superbiam, dignatus est exercitui suo subuenire, tribus miraculis præostensis. Primum fuit quod cum nos de regno Portugaliæ essemus eadem hora paucissimi, in nocte præcedenti bellum ex improuiso, recepimus magnum exercitum de Templarijs, & de Hospitalarijs, & de magnatibus Regnorum Portugalen. & Legionen. Secundum fuit, quod in aere apparuit vexillum crucis gloriosum exercitui in victoria signum. Tertium fuit, quod in ipso belli conflictu, visa est vtrique parti diuinitus candidatorum turba, quod etiam testati sunt ipsi, qui fuerunt ibidem captiui Sarraceni, interrogantes vbi essent milites candidati, qui super eos compluebant tela, & eorum oculos excæcabant, propter quos etiam terga repente verterunt in fugam, ita quod densissima durante strage per decem, & amplius milliaria, ibique duobus Regibus interfectis, de Geen videlicet, & de Corduba, de cunctis, nisi fuga præsidio, aliquis non euasit.*

Quatuor Sarraceni Reges arma in Christ. iungunt.

Cōspectū in aëre crucis signum.

Visæ quoque cœlestes acies pugnare in infideles.

Cæsi duo Reges Sarr. cum infinita multitud.

34 *De tantis ergo miraculis, & de tanta victoria exercitui Domini collata diuinitus congaudentes, ac de vestræ sanctitatis abundantia præsumentes ad pedes vestræ clementiæ prouoluti petimus, quatenus ad Hispaniæ liberationem a sanctitate vestra mandatum exeat, vt & dictus exercitus peregrinorum ad cultum perfidiæ paganorum de tota Hispania penitus extirpandum nobiscum per annum remaneat, & quod tam ipsi, quam nostrates crucesignati, et signandi, illam habeant indulgentiam, quam haberent, si Terræ sanctæ subsidium personaliter exhiberent. Item petimus, vt ex quo guerram habemus cum Sarracenis * .... dominus Papa Innocentius statuit, expendatur eadem vigesima, quæ a clericis in Hispania debet solui. Item petimus, vt peregrinos, qui propter nimiam moram, vel infirmitatem, vel paupertatem facti sunt impotentes accedere ad Terram sanctam, iubeat hinc reuerti ad propria cum plena suorum peccaminum vestra sanctitas remissione.*

Petitur ab Honor. vt hæreant crucesign. ad pellendos Hisp. barbaros.

* quam

35 Hactenus literæ ad Honorium, quem etiam Guillelmus Hollandiæ comes crucesignatorum magister equitum alijs reportatæ victoriæ certiorem fecit, addens b Reges Legionis, Castellæ, & Nauarræ aduentus crucesignatorum occasione inducias cum barbaris initas infregisse, spemque subijciendæ Christianæ religioni totius Hispaniæ affulgere: vrgeri se magnis precibus, vt vnà cum alijs moram trahat ad Sarracenos excindendos; seque in ea re a sede Apostolica consilium supplicem flagitare, expectareque imperia.

Guillel. Holland. comes cruces. dux.

b Apud Hon. lib. 2. ep. 818.

Consulit Honoriū an debeat subsistere.

Sanctissimo patri, ac domino sacrosanctæ Rom. Ecclesiæ summo Pontifici Honorio V vill. Holl. com. crucesignatorum comestabulus eius deuotus miles, debitam deuotionem, et ad oscula pedum humilem subiectionē, etc.

Ad aures vestræ sanctitatis cupio venire, quod cum in obsidione castri cuiusdam Sarracenorum Alcazar Christianis valde inimicum, et damnosum, moram per aliquod tempus, cum centum nauibus faceremus, diuina clementia prouidente, cuius nutu omnia disponuntur, ipsum castrum expugnauimus, duo millia Sarracenorum in ipso captiuando; ex quibus ipse dominus castri Abur

Alcazar captum a crucesignatis.

Sarraceni plures baptismo abluti.

nomine, natione tam inter Christianos, quam apud Sarracenos præcellens sacrosancto Baptismate cum centum alijs ablutus est. Credo, immo vehementer opinor, quod per eumdem Hispania Sarracenorum in magna parte fidei catholicæ debeat subiacere.

Reges Legionis & Nauarræ cruce in Sarr. consignati.

36 *Noverit sanctitas vestra, quod occasione nostri Rex Legionensis et Gal. Rex Nauarra, et alij quam plurimi, tam archiepiscopi, quam episcopi, cum principibus totius Hispaniæ signum crucis, super Sarracenos Hispaniæ susceperunt, et treguas cum ipsis Sarracenis diu habitas infregerunt, proponentes in proximo bella cum ipsis Sarracenis committere. Rogauerunt etiam nos, et cum maxima instantia monuerunt, quatenus in Hispania per instantem æstatem dignum duceremus remanere cum ipsis supra Sarracenos, omnipotenti Deo fideliter ministraturi. Quia igitur pater sanctissime, spes nostra, consilium ac salus tota in vestra dependeat paternitate, ego tanquam filius obedientiæ mandato vestro paratus sum obtemperare; et cum omne desiderium meum ad vestram pendeat voluntatem et beneplacitum, paternitati vestræ humillime supplico, quatenus per latorem præsentium mihi dignemini demandare, vbi, et quando per aliquem nunciorum vestrorum voluntatem vestram plenius percipiam, per eumdem gratiæ vestræ largitatem vberius accepturus.* De huiuscemodi victoria diuinitus concessa agit etiã, præter Godefridum a & Parisium, supra laudatus, vt recentiores omittamus, Cæsarius huius temporis scriptor, qui eam ab ijs se accepisse testatur, qui certamini interfuerant.

Guillel. offert se paratum excipiendis pontificijs imperijs.

a Cæsl. 8. c. 46.

Pontifex ob partã victoriam numini gratias agit.

37 Victricibus præsulũ literis acceptis Honorius, ingenti gaudio affectus, immensas gratias laudesque Deo agere, victores vt accepta ei cuncta referrent, atque in diuinam eius potentiam, victoriæ gloriam refunderent, hortari, denique ipsorum postulatis respondere. proximo enim ineunte anno hæc rescripsit b: *O ineffabilis pietas, o immensa clementia, o inæstimabilis benignitas Dei nostri, qui a seruis suis offensis cõtinuis prouocatus, continuò adest ipsis in veritate inuocantibus nomen eius, breuis, et quasi momentaneæ deuotionis obtentu offensas longi temporis obliuiscens, et iuxta vocem propheticam ad eos, qui ad ipsum conuersi fuerint se conuertens.* Et infra, vbi ipsos hortatus est ne ob partam victoriam superbia insolescerent, eiusque gloriam viribus suis, sed diuinę potentię adscriberẽt, tũ de conspecta in cælo cruce, cuius virtute barbaros fuderant, subdidit vt ad diuino numini referendas grates magno pietatis sensu se compararent.

b Lib. 2. ep. 820.

Ad agendas gratias Lusitanos excitat.

38 *Ad agendas gratias illi, qui signo crucis, quod in cælo apparuit, præfigente exijt in salutem populi sui, vt saluos faceret Christianos suos pro vestra possibilitatis modulo assurgatis. quod et nos acceptis vestris literis fecimus in affluentia lacrymarum, ad exoluendas Deo pro tanta dignationis gratia dignas laudes, Vrbis clerum, et populum adunantes. Porrò cum Terræ sanctæ succursum impediri occasione aliqua non velimus, petitionem, qua rogastis, vt crucesignatos, qui ad ipsius Terræ sanctæ succursum propter corporum infirmitatem, aut rerum inopiam procedere non valentes, arma vel alia bona sua conferrent ad reparandum castrum Alcazar, sub remus ad propria libere remeare, concessa eis plena suorum indulgentia peccatorum, non duximus admittendam; ne forte per hoc contra vos ipsos Dominum contingeret prouocari, qui sicut credimus, merito deuotionis, quam ad ipsam Terram sanctam habent crucesignati prædicti, victoriam contulit antedictam. Ad hæc ipsis crucesignatis per literas nostras iniungimus, vt dum eos in partibus vestris morari contigerit, plenam suorum peccatorum veniam indulgeatis, ac si vltra mare morerentur in seruitio Terræ sanctæ. Datum Lateran. 11. idus ianuarij Pontificatus nostri anno secundo.* Cæterum crucesignatos ipsos Pontificis imperio paruisse, alijsque crucesignatis orientalibus in oris commorantibus, subsidio aduersus Sarracenos profectos ostendent ea, quæ sequenti anno dicentur.

Imperat crucesignatis iter in Syriam instituerent.

39 Quid verò egerint hoc eodem anno in Terræ sanctæ regionibus Andreas Pannoniæ Rex cæterique crucesignati, Godefridus a atque ex eo vt videtur, Matthæus Parisius, & Iordanus b referunt: Christianos, cum iam induciæ pactæ effluxissent, comparato florentissimo exercitu in hostium terras erupisse; in quo Vngariæ, Hierosolymæ, & Cypri Reges, tum duces Austriæ & Bauariæ, vnà cum alijs Germaniæ strenuissimis nobilibus viris, qui sub signis erant, præeunte patriarcha Hierosolymitano, magna episcoporum multitudine stipato, præferenteque cum sacro cantu partem dominicæ crucis, quæ hactenus a fidelibus recondita fuerat (fuisse enim illam ingruente cum Saladino bello in partes diuisam, illiusque partem in prælio amissam, alteram hactenus religiosissime seruatam prouectorum ætate virorum assertio consentiebat) exhibita ergo sanctissima cruce: *Rex Vngaria*, inquit auctor, *& dux Austria occurrentes deosculati sunt eam, cum tali signo obuiam euntes soldano Babylonis, cuius filius Coradinus iactauerat se pugnaturum cum Christianis.* Addit auctor, cum instructis egregiè agminibus moueret Domini exercitus, hostem trepidum terga subduxisse, nostrisque populandos agros reliquisse, atque ita nostros regionem Christi domini vestigijs olim consecratam perlustrasse, lauisseque in Iordane fluuio: deinde mõtem Thabor in quo a Sarracenis arx munitissima, ad infestandam Ptolemaidem, vt supra vidimus, excitata fuerat, magna cum difficultate ascensu superasse, ac Ioannem Hierosolymitanum Regem, præcipuum barbarorum ducem, qui ex arce ad abrumpendum nostris iter procurrerat, prostrasse, reliquosque in fugam egisse; in descensu tamen, cum iam hostis vires collegisset, fidelium pluribus debilitatis, sauciatisque partum decus amisisse. Ex his Albertus Stadensis c refellitur, qui montem Thabor a nostris superiori anno recuperatum tradit.

a Godef in annal.
b Iord. M. S bibl. vat sig. n. 1960

Elata in Sarrac. a patriarch. crucis dominipars.

Pie ab Andrea & Luipoldo adoratur. Illa Præeunte mouet in Coradin.

Sarraceni fuga se subducunt.

c Stad. in chron.

Mons Thabor frustra tentatus.

40 Addit Godefridus in tertia aduersus hostem irruptione patriarcham cum dominica cruce nõ perrexisse, & Christianas copias grauissima a Sarracenis ex insidijs damna accepisse, atque ob hyemis asperitatem rerumque ac vestium inopiam, nisi vis frigoris remisisset, in extremum discrimen adductas, postea exercitum in quatuor agmina diuisum, Regesque Vngariæ, & Cypri, frustra Vngarum patriarcha retinere nitente, Tripolim abscessisse, quæ Iordanus d confirmat, cuius historici verba, cum nonnulla alia afferat, decerpemus: *Exercitus* (inquit) *Domini quadrifariã diuisus est & Rex Vngaria & Cypri Tripolim profecti. Rexq; Vngaria breui tempore commoratus magno damno Terra promissionis recessit: peregrinos enim, galeas, dextrarios & iumenta cum armis secum traxit: multum admonitus a patriarcha ne sic recederet, tandem excommunicatus est cum sua sequela.* Sideolinm communione ob id eiectum etiam tradit Parisius e. pergit auctor: *Alia pars timidorum & effæminatorum remansit in Acon. Rex verò Hierusalem & dux Austria cum Hospitalarijs S. Ioannis & episcopis prædictis, & quibusdam alijs castrum* (illud Cæsariense fuisse ait Godefridus f cuius beneficio Cæsaream recuperatum iri spes affulgebat) *celeriter et vtiliter firmauerunt, licet inimicorum sæpius narraretur aduentus, & in ecclesia B. Petri patriarcha celebrauit in purificatione B. Virginis: Templarij verò auxiliantibus peregrinis, & Hospitalis de domo Theutonicorum, castrum peregrinorum readificauerunt, quod prius dicebatur Filij Dei. vbi ea in fossione moneta ignorata inuenta est, qua labores & sumptus alleuiati sunt.*

Tertia in hostem excursio infeliciter succedit.

Intempestiuus Reg Vng. recessus.

d Iord. M. S bibl. vat sig. num. 1960.

Designatur a patriarc. anathemate.

e Par. hist. Angl.

In illius fundamẽ. inuentus thesaurus. Arx a Rege Hier. magnis operibus firmata.

f Godef. in annal.

41 Iam ad occidentales sermonem conuertamus. Misit ad Honorium eodem anno suos oratores Fridericus electus Imperator, vt de adepto pontificatu Honorio gratularetur, Imperij insignibus ab

Fridericus suos ad Hon. oratores mittit.

eo redimiri flagitaret, tum de apparanda alia in orientem expeditione, crucem enim, vt ante diximus sibi affixerat, ageret: cui Honorius, vt rem qua opus erat consilij maturitate tractaret, legatum Apostolicum ad ipsum se transmissurum rescripsit a: *Nos ergo ad ea, quæ Dei, & Ecclesiæ Romanæ honorem, ac exaltationem tuam respiciant aspicientes, ad te legatum nostrum disponimus destinare, per quem, tam super ijs, quæ ex parte tua nobis fuere proposita, quam super Terræ sanctæ succursu celsitudini regiæ secundum quod expedire videbimus, curabimus respondere, &c.* monet ipsum vt se in obedientia erga Romanam Ecclesiam retinenda constantem exhibeat, postremo additur: *Dat. Later. VI. id. april. pont. nostri anno I.* Postridie verò eius diei tum ecclesiasticos, tum laicos fidos Friderico obsequentesque esse iussit b. Quamuis verò non constet, quidnam literis ad Pontificem datis postulauerit, verisimile tamen est, ipsum Imperij ornamenta, atque insignia conferri sibi petijsse. Nec prætermitto Honorium initæ Fridericum inter & Vvaldemarum Danorum Regem concordiæ, Vvaldemari rogatu, auctoritatem suam adiunxisse: c

a Hon. l. 1. ep. 159.
b Ep. 160.
c Ep. 220.

42 Aliam per idem tempus legationem accepit Pontifex ab Rege altero, nimirum Othocaro Bohemo, quem commendauit plurimum d, quod Apostolicæ sedis studiosissimus esset, quo etiam nomine nobiles Bohemiæ viros effert laudibus e. Et quamuis ex pontificijs ad ipsum literis non ita perspicuum sit, quonam ipsius postulata spectauerint, tamen ex ijs quas Pontifex ad episcopos Pragensem & Olomucensem scripsit f, constat Regem rogasse, vt audaciam T. . . nepotis sui infringeret, qui crucesignatæ militiæ nomine dato, regium quoddam castrum proditione occuparat, ac præstiti a se iurisiurandi religione posthabita, tum Regis tum ecclesiarum bona opesque diripiebat. Quibus Honorius episcopis mandauit, inuasorem ad restituendam, quam detinebat, arcem censuris ecclesiasticis compellerent.

d Ep. 181.
e Ep. 182.
f Ep. 280.
Nepos Othoc. Regis in Bohem. seditiones excitat.

43 Verum qui Bohemorum Regem ob summam illius erga sedem Apostolicam obseruantiam extollit, deinde ab officio recedentem arguit g primùm quòd clerici in eo regno non solùm coram laicis iudicibus causam dicere cogerentur, verum extremo quoque, & ignominioso supplicio ab ijsdem afficerentur; tum quòd latum a Pragensi episcopo interdictum floccifaceret, quanquam eadem sententia cautum esset, vt qui illud violassent, anathematis pœnam continuo incurrerent; postremò quod episcopi aliorum ecclesiasticorum virorum iura inuaderent: quocirca admonet, vt quod contra bonum & æquum videretur, etiam a nemine interpellatus corrigeret atque emendaret. apposita est epistolæ dies decimo kal. iul. Agit etiam his de rebus Ioannes Longinus h, additque Andream (ita Pragensem episcopum vocat) primo Regem regnique optimates ecclesiasticam libertatem proterentes fidelium cœtu abegisse. inde verò, cum illi ecclesiasticas censuras contemptui haberent, vniuersum Bohemiæ regnum sacris interdixisse; denique ipsorum furorem veritum, sede IV. id. april. relicta Romam se recepisse, neque inde postea pedem extulisse. At longè verius est ex recensitis Honorij literis colligi episcopum primò regnum interdicto subiecisse, deinde quod interdictum ludibrio haberetur, in principes illos anathematis pœna animaduertisse. Præterea Pontifex Maguntinum archiepiscopum grauiter arguit, i interdicti sententiam a Pragensi episcopo latam, atque ab Apostolica sede confirmatam, reuocare ausum esse.

Ab Honorio censuris ictus.
g Ep. 514.
Pontifex apud Regem queritur nonnulla.
h Long. hist. Pol. l. 6. an. 1216.
Obiurgatur ab Hon. Mag. arch.
Bohemia ob eccl. libertatem violatam a Prag. ep. sacris interdicta. Interdictũ a Magunt. arch. perperam sublatum.
i Hon. l. 2. ep. 523.

44 Verùm cum Rex patris optimi obiurgationẽ ea qua par esset animi demissione excepisse præseferret, Honorius insignes amoris notis ad eum literas exarauit a: *Sicut princeps catholicus redargutionem Apostolicam, qua te paterno affectu, prout ad nostrum spectat officium, corripuimus, non solum patienter, sed gratanter etiam recepisti, sicut nobis eædem tuæ literæ declararunt, tuam nihilominus excusans humiliter innocentiam, super ijs, quæ contra ecclesias, & ecclesiasticas venerabilis frater noster Pragensis episcopus te asserit vsurpasse. Petitionem ergo, quam nobis fecisti per literas ante dictas, vt videlicet ante aduentum solemnium nunciorum tuorum, quos in breui asseris te missurum, nihil contra te vel terram tuam ad petitionem ipsius episcopi faciamus, eò benignius admittentes, quò inter cæteros mundi Reges te, tuæ deuotionis merito, quadam speciali diligimus charitate, nihil contra te, vel terram tuam post receptionem literarum ipsarum, ad petitionem ipsius episcopi fecimus, vel etiam faciemus, quousque nuncij tui venerint supradicti, nisi forsan vsque adeo eorum differretur aduentus, quòd meritò videretur eos non debere vlterius expectari. Dat. Later. IV. nouemb. pont. nostri ann. 2.*

Rex Bohem. pontificijs monitis obtẽperat.
a Lib. 2. ep. 697.
Honorius blandè cũ eo agit.

45 Hoc eodem anno cum statuisset Albertus Alsatiæ comes subsidio proficisci Christi fidelibus Liuoniæ, qui ab ethnicis hominibus vexarentur, Honorius eius animum Apostolicis literis vehementius accendit b. Præterea cum archiepiscopus Magdeburgensis nonnullas infidelium terras imperio Christiano adiunxisset, metropolitico iure subiectas esse iussit c. Cumque Christianorum numerus illis in regionibus mirum in modum auctus esset, Liuoniensi antistiti nouas ecclesias cathedrales ibi cõdendi, atque episcopos præficiendi partes demandauit. c Quo item anno plura tribuit priuilegia Lundensi archiepiscopo; primùm enim potestatem ei fecit d, singulos e monachorũ singulis ordinibus ad familiæ suæ emendandos expoliendosque mores deligendi: deinde legationis munus in Lundensi & Vpsalensi prouincijs iniunxit e. Tum concessit f vt re necessaria vrgente filios non legitime natos sacris initiari posset. Postremò Lundensis archiepiscopi primatum in Suetiæ regnum confirmauit g: is enim metropolitanum Vpsalensem archiepiscopum consecrare, eique pallium a Lundensis & Vpsalensis ecclesiæ nuncijs obtentum ab Apostolica sede, tribuere consueuerat, Vpsalensis verò iureiurando interposito, ipsi se fidum obsequentemque futurum polliceri: id ergo Innocentius diploma Andreæ Lundensi archiepiscopo dato, aliorum Romanorum Pontificum exemplũ secutus, ratum firmumque iussit esse. Perstrinxit h verò acerrimè Salisburgensem archiepiscopum ob creatũ temere Vvolcherum abbatem, cum lis adhuc coram iudicibus a sede Apostolica delegatis penderet, præcepitque malè gesta euoluto ab acceptis literis mense rescinderet.

Albertus comes in Liuon. pro fide tuenda expeditionem meditatur.
b Lib. 1. ep. 197.
c Ep. 430.
d Lib. 2. ep. 655.
e Lib. 1. ep. 199.
f Ep. 246.
Lundensi arch. Suetiæ primas confirmatur.
g Lib. 2. ep. 727.
h Ep. 616.

46 Præerat verò per id tempus Salisburgensi ecclesiæ Eberhardus, qui quamuis hac in re ab religione officij incautè deflexisset, mox tamen quidquid contra iustitiam atque æquitatẽ esse videbatur, emendauit, namque ab eo rogatus Honorius, vt nouam Apostolica auctoritate sedem in Sechgobensi vrbe erigeret, quo fideles quorum salus ob tenebras ignorantiæ, quibus in ijs Stiriæ versus Vngariam partibus erant inuoluti, periclitabatur, a nouo episcopo Christiana religione excolerentur, Eberhardi zelum ac virtutem datis ad ipsum hisce literis laudibus extulit: *Et tibi meritum incomparabile comparas apud Deum, & nobis spiritualium præstas materiam gaudiorum, quia sicut minister Christi, & mysteriorum Dei prouidus dispensator, familiæ tibi creditæ non plus præesse cupiens, quam prodesse, postponis lucra temporalia profectibus animarum, & in grege tibi commisso non quæ tua, sed quæ sunt Christi requirens, non tam pasci ab ouibus, quam eas pascere delectaris; quin potius, ne quod absit, illas non agnoscere, vel non agnosci ab illis*

Salisburg. arch. flagitante Sechgob. sedes erigitur.
Hon. ep. 741.
Commendatur ab Hon. arch. zelus.

arguaris a Domino, cui es redditurus de omnibus rationem; nec ipse voce prophetica conqueratur: Factus est sicut grex perditus populus meus, & si cum nequiueris visitare, curam gregis ipsius in plures diuidere prouidisti, nuper vnum ei praficiendo pastorem, & nunc praficiendi alium licentiam a nobis cum instantia postulando, &c. Dat. Later. IV. non. decemb. pont. nostri an.2.

Inita inter Kaliciæ ducem & patruum cōcordia ab Hon. corroborata.

a Lib. 1. ep. 249.

b Ibid. ep. 273.

c Long. hist. Pol. l. 6. an. 1214.

d Hon. l. 1. ep. 266.

47 Vt æquissimis Eberhardi postulatis annuit Honorius, ita ab Vvladislao Kaliciæ in Polonia duce precibus solicitatus, vt initam cum Vvladislao patruo concordiam auctoritate Apostolica corroboraret, eius votis morem gessit patrociniumque illius arripuit a. de pacis vero confectæ legibus extant literæ ad Gnesnensem archiepiscopum eiusque suffraganeos b. Portò de ducum discordijs agit breuiter Ioannes Longinus c: archiepiscopo verò, quem modo memorauimus, alijs scriptis literis Pontifex testatur d magnum sibi dolorem attulisse mala, quæ Poloni ex ethnicorum hominum incursionibus patiebantur, sacri Hierosolymitani voti vinculis absoluere, ac permittere, vt tum ipse, tum alij illius prouinciæ crucesignati, in Christi hostes arma conuerterent. atque hoc argumentum complectuntur Apostolicæ literæ ad Prussiæ episcopum: cui insuper Pontifex permittit e, vt eos crucis signaculo insignire posset, qui aduersus barbaros dimicare vellent.

e Ibid. ep. 298.

Leskodux Polon profitetur Rō eccles primatum.

f Ep. 392.

g An. 1207 ex Longino & Chromer.

Illius eadé de re lit. Honorio transmissæ.

48 Neque illud hoc loco reticendum videtur, extare in pontificio huius anni regesto f, Leski Poloniæ ducis literas ad Pontificem, quibus Romanam Ecclesiam omniū matrem esse profitetur, seq; ei semper obedientem fore de eo nos supra egimus g:

Honorio Papa L. dux Polonia filialem obedientiā.

Omnes quos aqua baptismatis in vnitate ecclesiastica disciplina solidauit, scire debent, & confiteri sanctam Romanam Ecclesiam esse totius orbis magistram, & dominam. Nam vt ex instructione patrum nostrorum episcoporum, & aliorum ecclesia rectorum didicimus, quod hac Ecclesia est mater nostra, qua ex vberiori iure calitus sibi concesso, in soluendo, & ligando plenitudinem habet potestatis; huic sic nos filij ecclesia submittere colla humiliter debemus, vt & ipsa materna charitatis affectu nos pertractet, et nos ei debitam exhibeamus reuerentiam. Ego igitur inspecto tenore vestrarum literarum Deum laudaui, Deo referens gratias, quod singulis prout vult sua dona largitur, & quod vos patrem & rectorem totius orbis constituit. Promitto igitur sancta Romana Ecclesia, omnimodam fidelitatem, & me paratum in defensionem ecclesiarum, quādocunque eas per aliquos inuasores opprimi videro. Peto etiam vos, vt in omnibus meis necessitatibus vos meū sentiam protectorem. Hactenus Leako cuius pietas illustribus adeo notis exarata nouatorum de Ecclesia detrahentium sceleratam impudentiam confundere potest. sed de eo satis: a pio principe ad impios Albigenses sermonem traducamus.

Honorij studiū in Albigen. ad pietatē traducendis.

h Ep. 190. Parisiensis Acad. doctores excitat ad nauādam in ea re operam.

49 Apostolicam in primis solicitudinem, Honorius ad submittendos in eas partes viros scientia, ac pietate excultissimos, ad imbuendos catholica doctrina eos, qui priorum cœtui, abiurata hæresi, se aggregarent; tum confutandos errores, collocauit h. Parisienses enim academicos literis suis excitauit, vt in prouinciam Tolosanam ad nauandam strenuè erudiendis populis operam excurrerent: *Vniuersitatem vestram rogamus attentius, & monemus per Apostolica scripta mandantes, quatenus illuc aliqui ex vobis accedant, qui causam Dei agentes, eo animo lectioni, pradicationi, & exhortationi vigilanter insistant, & sicut boni dispensatores multiformis gratia Dei, illam in alterutrum administrent, ita quòd exterminato exinde veteri Gebuseo populum acceptabilem Deo reddant. Nos enim cuilibet illuc diuini amoris intuitu accedenti secundum feruorem deuotionis, peccatorum suorum veniam de diuina confisi misericordia pollicemur, quam indubitanter quisque sperare potest, etiam nemine pollicente, quia ille, de cuius munere venit, vt sibi a fidelibus suis laudabiliter seruiatur, dat virtutes, & pramia largitur, & in pauca fideles constituit supra multa. Datum Laterani XIV. kal. febr. pontificatus nostri anno primo.*

50 Desudabat tum felicissimè in ea prouincia D. Dominicus vnà cum suis, ereptisque ex dæmonis manibus innumeris animabus gloriosissimas palmas non sine magnis exantlatis laboribus colligebat. quem Honorius currentem sponte ad brauium hisce apostolicis vocibus incitauit:

Priori, & fratribus S. Romani pradicatoribus in partibus Tolosanis.

Gratulatur D. Dominico in ea prouincia desudāti.

Gratiarum omnium largitori, gratiarum dignas referimus actiones in gratia Dei, quæ data est vobis, in qua & statis, & stabitis finaliter vt speramus, quia interius charitatis flamma flagrantes, exterius famæ fragrātis odore, qui & sanas delectat, & reficit mentes infirmas, quibus etiam, ne remaneant steriles, spirituales mandragoras, tamquam studiosi medici, exhibentes, eas semine verbi diuini vestra salutari fæcundis fœcunditatis, sic velut serui fideles talenta vobis credita erogantes, vt eadem reportetis Domino geminata, sic sicut inuicti Christi athletæ, scuto fidei & galea salutis armati, non timentes eos, qui corpus possunt occidere, verbum Dei, quod est penetrabilius omni gladio ancipiti, magnanimiter contra fidei exercitus inimicos, sic in hoc mundo vestras animas odientes, vt in vitam æternam custodiatis easdē.

Hortatur ipsum ac socios ad perseuerātiam.

51 Cæterum quia finis, non pugna coronat, & currentibus in stadio virtutibus vniuersis sola perseuerantia brauium accipit destinatum, charitatem vestram rogamus, & hortamur attente, per Apostolica vobis scripta mandantes, & in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus magis, ac magis in Domino confortati euangelizare verbum Dei studeatis; opportunè, importunè instantes, & opus euangelistæ laudabiliter adimplentes. Si quas autem propter hoc tribulationes passi fueritis, non solum eas æquanimiter toleretis, sed gloriemini cum Apostolo, in eisdem gaudentes, quia digni habiti estis pro nomine Iesu contumelias sustinere. Hoc enim leue, & momentaneum tribulationis immensum pondus gloriæ operatur, ad quam non sunt condignæ huius tēporis passiones. Nos quoque intendentes vos tamquam speciales filios fauorabiliter confouere, petimus, vt pro nobis offeratis Domino vitulos labiorum, si forte quod nostris meritis non valemus, vestris suffragijs assequamur. *Dat. Later. VII. kal. febr. pont. nostri an. 1.*

Bertrand. Card. missus contra Albig.

a Lib. 1. ep. 241.

b Ep. 283.

c Ep. 286.

d Ep. 304.

52 Ne denique Apostolici officij partes vllas prætermitteret, Bertrandum tit. SS. Ioannis & Pauli presbyt. Cardinalem legationis munere auctum ad conciliandos Ecclesiæ hæreticos, sopiendos enascentium bellorum fragores, aliasque controuersias æquitate dirimendas misit, datis tum ad ipsum a literis, tum ad Galliarum archiepiscopos b Ebredunensem, Aquensem, Viennensem, Narbonensem, & Auxitanum, aliosque inferiores præsules, illi obtemperare iussit. Imposuit etiam legato munus, vt in Massilienses qui c non sine hæreseos suspicione clerum immaniter oppresserant, atque etiam dum solemnis supplicatio ageretur, in eos sceleratissimè impetum fecerant, diffregerant cruces, laniarant sacras vestes, tum sanctissimam Eucharistiam conculcarant, nisi ritè crimen expiarent, anathema atque interdictum iacularetur: tradidit præterea discutiendæ Narbonensem inter & Montfortium exortæ controuersiæ prouinciam d: quem tamen postea archiepiscopum, qui se Narbona iniuria pulsum querebatur, atque episcopum Helenensem Romam euocauit: Montfortio verò concessit, ne apud

aliud,

a Ep. 693.

euocauit. Montfortio verò concessit a, ne apud aliud, quam legati tribunal, causas suas disceptare cogeretur.

Raymundus iunior Montfortio bellū infert. Belliquadrum obsidione captum.

53 Cæterùm incubuit hoc anno Montfortio belli grauissimi moles, quæ anno superiore proditorum scelere ac nefario consilio conflata est, tandemque illum anno sequenti oppressit: dum enim ex sedis Apostolicæ imperio e suo comitatu ad comprimendos nonnullos Prouinciales hæreticos irrupisset, atque Azemarum comitem persequeretur, Raymundus senior comes exauctoratus, captata Montfortij absentis occasione, ex Aragonia prorupit, ac silenti agmine Tolosam muris exutam ingressus ciues ad defectionem traxit, vrbemque diligentia summa aggeribus defixisque palis muniuit; tum ad expugnandam arcem, dictam Narbonense palatium, in qua Simonis ac fratris Guidonis necnon Almarici & Guidonis alterius filiorum Simonis vxores vnà cum familia versabantur, impetus conuertit. Exeruit tum Bertrandus in Tolosanos ecclesiæ censuras, quas perduelles contépsere: moxque eo correptis copijs, exactis prius a Montalbanensibus admodum suspectis obsidibus, ad cingendam obsidione Tolosam aduolauit.

Deficiunt Tolosates a Montfortio. Eo prouolat Montfortius. Armatus in Garumnam cadit. Feliciter emergit.

54 Diuiserat exercitum initio, vt castra duobus in locis metaretur; sed cum imbelles copiæ viderentur, in vnum omnes suos coacturus, dum fluuium trajiceret, is casus, quem Vallisernensis narrat, contigit:[b] *Dum comes Montisfortis totus armatus & in equo armato nauem intrare vellet, in flumen cecidit, vbi aqua profundissima cernebatur; qui cum non appareret, timor & tremor, & planctus nimius nostros tenuit vniuersos, Rachel plorat filium, infernus dolose exultans vlulat, nostros appellat orphanos viuo patre: sed qui ad preces Heliæ securim in aqua supernatare voluit, nostrum de aqua abysso leuauit principem, manus coniunctas ad cælum deuotissime extendentem, quem nostri de nauigio cum gaudio suscipiunt, & sanctæ matri Ecclesiæ seruant incolumē.* Periculo liberatus comes, maiori ardore conatus omnes in vrbem impressit, quos hostis audacia fregit: dum vero in ea versaretur obsidione, Carcassonensi atque Aginnensi prætoribus vrbanis D. Dominici res (Romam enim hoc anno diuisis per Hispanias & Gallias socijs se contulisse scribit eius vitæ auctor) c, commendauit his verbis: *Mandamus vobis & præcipimus, quatenus omnes res & domos charissimi nostri fratris Dominici canonici, vt propria custodiatis & defendatis. Datum in obsidione Tolosæ idibus decembris.* Quod tacendum non est visum, vt singulare amoris in virum sanctissimum argumentum; vnde non exigua in Montfortium laus redundat.

b Vallis. hist. Albig. cap. 85.

c Apud Sur. to. 4. l. 2. c. 2.

Tolosam obsidet. Illius in D. Dominicum studium.

Iacobus Rex Arag. Montfortio infestus.

55 Coniurarunt interea aduersus Montfortium Iacobus Rex Aragonum, qui magnas copias ad ferenda Raymundo auxilia instruxit, tum Fuxensis comes Raymundusque iunior, qui in armorum perfidiæque societatem Auenionenses, Massilienses, Belliquadrenses, Tarrasconenses, ac S. Ægidij ciues traxit, adeo vt in extremū discrimen fideles adducerentur; enim licet ij principes non ad tuendos hæreticos prosilirent in arma, sed de principatu contenderent: Ex eo tamen religionis causa non parum labefactabatur. Quæ cum ad Romanum Pontificem emanassent, mox Bertrando A.S.L. scriptis x. kal. nou. literis d præcepit, vt Iacobum atque Aragonios Montfortij ditionem inuadere, atque imperatas ab synodo œcumenica inducias violare vetaret; ac si ius aliquod in comitem contenderent, iudicio apud sedem Apostolicam & æquitate, non armis certarent: si verò mouerent bellum, ipsos anathemate terrasque interdicto sacro feriret. alijs etiam literis e Iacobum Regem atque Aragonios a ferendo Tolosanis auxilio abducere conatus est, perstrinxitque, magno religionis dāno Apostolico legato repugnasse.

Qui populi in Montfortium coierint.

d Ep. 692.

Vetat Honorius Aragonios Montfortium bello petere.

e Ibid. ep. 818.

Iacobum ab ea coitione abducere nititur.

Illustri Regi Aragonum.

56 Vtinam praua consilia tuam adolescentiam non seducant, nec impellant ad aliquid faciendum, per quod videaris ingratus & immemor beneficiorū & gratiæ, quæ Apostolica sedes tibi studuit exhibere, te de illorum manibus, quos inimicos reputas eruendo, ac reddendo tibi terram tuam, pariter & te terræ. Profecto sic cœpit Apostolica sedes ostendere affectum suæ dilectionis in paruulo, vt merito deuotionem inuenire debeat in adulto. Ad quod si te aliud non deberet inducere, sufficeret, quod Regnum tuum ad Romanam Ecclesiam noscitur pertinere. Audiuimus autem, & audientes nequiuimus non mirari, quod ciuibus Tolosanis, qui negocium pacis & fidei, tantis personarum, & rerum laboribus, & dispendijs in illis partibus procuratum, subuertere moliuntur, ad hoc impendis, consilium, & iuuamen legato Apostolicæ sedis, in cuius oculis hæc attentant, immo verius nobis ipsis, quorum ibi gerit personam, & vices, te vnà cum illis opponere non verendo.

Increpat cum Tolosanis sentire.

57 Quoniam igitur quanto magis ad honorem tuum, & exaltationem intendimus, tanto amplius cupimus, ne aliquid facias, per quod circa te nostra gratia tepescere debeat, serenitatem tuam rogamus, monemus & exhortamur, attentius per Apostolica scripta tibi, sicut possumus districte præcipiēdo mandantes, quatenus sicut charam habes diuinam, & apostolicam gratiam, memor literarum, quas super eodem negocio iamdudum direximus tibi, & baronibus regni tui, Tolosanis ipsis per te vel tuos non impendas, vel impendi permittas contra negocium pacis, & fidei, ac legatum ipsum, quem propter illud ad partes illas direximus, consilium, vel iuuamen, sed ab eorum ciuitate reuoces omnes tuos, qui ad eam accessisse dicuntur & ad eam propter hoc accedere de cætero non permittas, nec aliam terram, quæ in partibus illis Ecclesiæ Romanæ nomine possidetur & ad cuius tuitionem legatum misimus antedictum, per te vel tuos impugnes aliquatenus, vel molestes; preces, & preceptum nostrum taliter auditurus, quod in te deuotionem speratam, & debitam agnoscentes, ad commodum, & honorem tuum feruentius aspiremus; alioquin ita posses contra te nos, & Romanam Ecclesiam prouocare, quod regnum tuum per extraneas gentes comprimere cogeremur. *Dat. Later. v. kal. ian. pontif. nostri an. 2.*]

Rogat vt cœptis abstitat.

58 Hactenus Pontifex qui sequenti die S.. virum principem procurandis Aragoniæ & Cathaloniæ rebus præfectum (nondum enim Iacobus ob ætatem, gerendis rebus imparem, regnum moderari poterat) literis questus est a Regem, eius atque aliorum procerum opera, magno fidei periculo Tolosanorum partibus se implicuisse. Pari solicitudine Honorius Tolosanos, qui defecerāt, ad officium grauissimis literis b reuocare, tum Auenionenses c Massiliensesque atque alios fœderatos, qui in Montfortium arma sumpserāt, scriptis ad magistratus literis, ab ea nefaria societate diuellere tentauit, quos cum Bertrandus legatus Apostolicus ecclesiasticis censuris defixisset, ijs pollicitus est, si imperijs ecclesiasticis se accōmodarent, vibratas censuras dissolutum iri, atque Ecclesiæ complexu amantissimè excipiendos fore.

a Ep. 803.

b Ep. 817.

c Ep. 816.

Ciuibus Auenionensibus spiritum consilij sanioris.

Cum vestra non ignoret discretio, quantis periculis, & dispendijs personarum, & rerum negocium pacis, & fidei sit in partibus Prouinciæ procuratum, miramur non immerito, & mouemur, quod illud dicimini perturbare dilecto filio nobili viro S.. comiti Montisfortis, immo catholicæ fidei, cuius propugnator existit, etiam Apostolicæ sedis legato, qui personas, & vices nostras in partibus illis gerit, vos pertinaciter opponendo.

59 Licet autem idem legatus, vestris prouocatus iniurijs, in vos, & terram vestram excommunicationis & interdicti ac demum expositionis sententiam promulgarit, nos tamē cupientes vos ad viam rectitudinis reuocare; vniuersitatem vestram monemus, rogamus, & obsecramus in Domino, & per apostolica vobis scripta, sicut possumus, districte præcipiendo mandamus, quatenus ab infestatione dicti comitis, immo Dei, & Ecclesiæ quiescentes, erga ipsum legatum tales vos exhibere curetis, quod non solum absolutionis beneficium, sed aliam quoque gratiam ab ipso, & a nobis mereamini obtinere. Nos enim volentes procedere vobiscum in spiritu lenitatis, eidem legato nostris damus litteris in mandatis, vt si ad eius voluntatis redire mandatum, ipse a vobis idonea cautione recepta, præfatas sententias sine difficultate relaxet, & vos sicut Ecclesiæ filios benignè pertractans, querelas si quæ obortæ sunt inter vos, & comitem memoratum, amicabili studeat compositione sopire, & si forte aliquid difficultatis vel emerserit in futurum, quod per eum nequeat terminari, illud ad nos referre procuret, vt nos veritate plenius intellecta, procedamus sicut secundum Deum, & iustitiam viderimus procedendum. *Dat. Later. xv. kal. ianuar. pont. nostri anno secundo.* In eodem modo scriptum est super hoc consulibus, & populo Massiliensi, & hominibus Terrasconensibus, Belliquadrensibus, consulibus & populo Villæ sancti Ægidij.]

Iubet Auenionē ses ad fædus damnare.

Studet alios ab eo diuellere.

60 Commonerat hosce populos Raymundus iunior alterius Raymundi exauctorati filius, qui beneficio Apostolico male erat vsus, cum enim iuste ob patentis crimen omni ditione exui potuisset, in concilio tamē Lateranensi ijs paternis terris, a quæ in Prouinciam excurrebant, benigne donatus fuerat. Hunc ergo Honorius ingrati animi aduersus Ecclesiam, quā in discrimen in ijs partibus coniecerat, vitij arguit, desisteret a male cœptis, paternoque infortunio ad non temere affligendam fidei causam erudiretur.

Raymūd. iunior huius coniurationis auctor.
a Lib. 2. ep. 831.
Solicitatur ab Honorio vt redeat ad officium.

R... filio nobilis viri Raymundi quondam comitis Tolosani spiritum consilij sanioris.

Licet pater tuus sic vehementer offenderit, vt non solum ipse, sed etiam eius posteritas propter eius offensam exheredationis noscatur sententiam meruisse, Apostolicæ tamen sedis benignitas tuam adolescentiam miserata, quamdam partem terræ, quā idem pater tuus extra Rhodanum obtinebat, in sua tenuit potestate, vt de illa tibi paterna non sequenti vestig a gratiam faceret, prout expedite videret. Tu autem, sicut dolentes accepimus, factus paternæ malitiæ imitator, subuertere niteris fidei, & pacis negocium in partibus illis tot personarum, & rerum dispendijs procuratum; terram vltra Rhodanum positam perturbando, in Apostolicæ sedis iniuriam, & contemptum, qui domesticis edoctus exemplis scire deberes agnoscere, quam periculosum sit contra stimulum calcitrare. Romana enim Ecclesia non suis fulta viribus, sed diuinis, etsi pressuras interdum sustineat, ex quo tamen contra rebelles incipit extendere manum suam, vbi grauius conculcata, & oppressa videtur, ibi mirabilius Deo faciente triumphat.

61 Monemus igitur nobilitatem tuam attentius, & hortamur, vt consilia praua despiciens, quibus fuisti hactenus circumuentus, & Apostolicæ sedis benignitatem potius, quam austeritatem satagens experiri, terram ipsam sitam vltra Rhodanum, per te, vel per alios non perturbes, sed ita mandatis nostris te deuotum exhibeas, quod effectu Apostolicæ gratiæ non frauderis. Patris igitur tui pericula te cautum efficiant, ne ponas Deum tibi contrarium, & te Deo, sed si aduersus aliquem pro te, vel tuis adiutoribus, iustam te credis habere querelam, illam apud Apostolicam sedem deferre procures, a qua iustitiæ recipies complementum. *Dat. Later. xv. kalen. ianuar. pont. nostri an. 2.*]

Incussit illi minas.

Iubet cōtrouersias Sedi Ap. cōmittere

62 Compescere etiam studuit Honorius a Fuxensem comitem, qui se ob defensam hæresim ditionis suæ parte a Montfortio spoliatum dolebat, atque ex aduersa Vasconiæ parte infesta in illum signa attollebat. Cum vero modica spes esset eos principes Apostolicis iussis frænatum iri, atque scelerate correpta arma posituros, Pontifex Montfortij salutis anxius, ne tot circumuentus hostibus sub illorum insidijs atque potentia, vt sequenti anno contigit, satisceret, Philippum Galliarum Regem literis solicitauit b vt viro nobili clienti suo stipendiarioque Gallicæ aulæ operam explicaret, in eo bello religionis causam & Francorum rem agi, quos hostes ex ijs locis penitus excindere, erecta tot prælijs crucis ac fidei trophæa prosternere molirentur, coniunctum enim Montfortij causa regium honorem, cum ab ipso comes principatum magna ex parte (minor enim Aragonum sceptro obnoxia erat) fiduciario iure accepisset: proinde copias ex ijs, qui bello sacro sumpta cruce se non deuouissent, conflatas auxiliares submitteret; sui enim esse consilij crucesignatos in Terræ S. subsidium mittere. c Tum etiam Galliarum episcopos excitauit, vt cum religio in Montfortio, cuius illum sæpius in laudatis supra literis propugnatorem vocat, periclitaretur, strenuam ad incēdendos fideles, vt in illius auxilium aduersus Tolosanos prosilirent, operam nauarent. Hæc de pontificia solicitudine ad recrudescens Albigensium bellum sopiendū dixisse suffecerit; quæ exinde secuta, vtq; in ea Tolosæ obsidione Simō occubuerit, sequenti anno afferemus; nunc reliquas res Gallicas ad hunc spectantes perstringamus. Postulanti per id tempus Tolosano episcopo ab Apostolica sede, episcopatu sese abdicandi potestatem, vel diœcesim in plures distraheret, annuere recusauit Honorius d, vt vero postea anno Christi 1317. a Ioanne XXII. iustissimis de causis plures episcopatus in eo erecti fuerint ac Tolosana ecclesia archiepiscopali dignitate decorata, suo loco e dicetur; nunc vero dissentire potuit Honorius, cum episcopus potentiā sua & opibus ad comprimendos hæreticos vteretur, nec permisit Fulconem munere discedere, quod strenue ac pro dignitate gerebat. Lingonensem vero episcopum, abdicationem Virdunensis episcopi ab episcopali munere admittere, eumque anathematis vinculis exoluere iussit f.

Redocere nititur ad concordiā Fuxensē comitem.
a Hon. ep. 814.
Hortatur Philippū Gall. Reg. Montfortio succurrat.
b Ep. 832.
c Ep. 829.
Negat ep. Tolos. abdicandi di uidendiue episcopatus.
d Ep. 805.
e An. 1317
f Ep. 229.

63 Nec Montfortium modo Honorius Philippo vt illi opem ferret, sed Iacobum etiā g montis Pessulani legitimum heredem commendauit, ne quid in illius dignitatem nouaret, tētariue permitteret, cum a matre decedente e viuis sedis Apostolicæ clientelæ commendatus esset; demum Narbonensem archiepiscopum, atque episcopum, ac Pessulanum populum eiusque consules, ab Romana Ecclesia in tutelam acceptos tueri iussit h. Extant aliæ de Apostolico illo patrocinio ad montis Pessulani magistratus literæ i, in quibus de vectigali Romanis Pontificibus eo nomine persoluendo agitur: *Ad exemplar felicis memoriæ Innocentij Papæ prædecessoris nostri, personas vestras, & terram ipsam, cum omnibus, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum iustis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, sub beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti pagina communimus. Ad perpetuum autem deuotionis indicium duas marchas auri, centum massamutinis computandis pro marcha, quas sedi Apostolicæ liberaliter obtulistis, sicut in eiusdem prædecessoris nostri regesto noscitur contineri, nobis, ac successoribus nostris singulis annis in festo resurrectionis Dominicæ persoluetis. Nulli ergo &c. Datum Laterani xv. kal. maij pont. nostri anno primo.* Neque illud hoc loco prætereundum est silentio, quod cum apud montis Pessulani electos,

g Ep. 402.
Mons pessulanus fidei Apost. commendatur
h Epist. 401 403.
i Ep. 399.
Census a ciuibus ecclesiæ persoluendus.

prava consuetudo inoleuisset, vt nullum sepeliri permitterent, nisi pro terra sepulchrali quædam pecuniæ vis solueretur, id fieri vetuit Romanus Pontifex datis hac de re literis a ad paulo ante memoratum Magalonensem episcopum loci diœcesanum. Extat huiusmodi decretum extra de sepultura.

Clericorū auaritia coercita. *a Ibid. ep. 400 habetur c. abolendæ extra de sepult.*

64 Hoc quoque anno rogatus ab archiepiscopo & capitulo Bituricensi, vt Guillelmum eiusdem archiepiscopi decessorem vita & miraculis clarum sanctorum numero ascriberet, religiosam huiuscemodi causam ad inquisitionem Antissiodorensis episcopi ac duorum Cisterciensium abbatum reiecit. cui rei testimonio sunt literæ de eo negocio ad eos datæ b, vbi memoratum archiepiscopum, & capitulum nuncios suos ad Innocentium Papam iterum, ac sæpius eam expostulatum, misisse testatur; ipsum vero Innocentium supersedendum censuisse; quo serui Dei interim sanctitas magis magisque miraculis effulgeret, atque adeo Apostolica sedes maturius iudicium proferret, subditque:

Agitatum de Guill. arch. Bitur. SS. catalogo apponēdo. *b Ep. 158.*

65 *Cum agitur ex parte ipsorum asserentium, quod Dominus post mortem illum pluribus decorauit miraculis, & adhuc per eum ipsius sanctitas clarescit; id ipsum nunc a nobis fuerit postulatum, nos attendentes, quod licet, ad hoc, vt aliquis fidelis sanctus sit apud Deum, meritum sufficiat vitæ solum; ad hoc tamen, vt sanctus apud homines habeatur, necessaria sint miracula cum eodem, de vtroque decreuimus inquirendum, eo quod alterum non sufficit sine altero, videlicet meritum, si miracula non fuerint subsecuta; neque miracula, si ea vita meritum non præcessit; cum multi dicturi sint in die illa: Domine, domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & virtutes fecimus in nomine tuo multas? quibus, quia non noui vos, discedite a me operarij iniquitatis, Dominus, prout ipse testatur in Euangelio, respondebit. Vnde oportet, quod approbentur miraculis opera, & operibus miracula fulciantur &c.* Prouinciam impone Antissiodorensi episcopo instituendi sancti examinis de vita & miraculis illius, eaque in publicas tabulas redacta ad sedem Ap. transmittere iubet.

Quæ desiderentur, vt quis SS. catalogo adscribatur.

66 Vt vero Guillelmo alium eius nominis præclarum Galliarum antistitem adiungamus: Eodem tempore, vt tradit Bernardus c, obijt Guillelmus Niuernensis episcopus, qui duorum millium pauperum inopiam quotidiano victu sustentabat, alebat sustentabatque. Neque taciti prætermittimus Pontificē per literas ad Galliarum archiepiscopos & episcopos vetuisse, ne anniuersariorum pro defunctis occasione missarum solemnia sanctorum vel de feria prætermitterentur: *Mandamus d quatenus nullam in vos negligentiæ torporem obrepere permittatis, quo minus & pro anniuersarijs defunctorum, & pro festo vel feria, secundum temporum congruentiam, missarum solemnia conuentualiter celebretis. Dat. Anagniæ IV. non. Iulij.* Habetur huiusmodi decretum extra de celebratione missarum e.

c Bernard. Rom. Pont. an. 1217. Guill. Niuern. ep. mors. Alebat duo millia pauperū. *d Hon. l. 2. ep. 530.* De festo omnium SS. celebritate statutum Honorij. *e Cap. Cum creatura extra de celebrat. missarum.*

67 Affulsit ineunte hoc anno ad sedem Apost. certior fama Henricum regia inunctione fuisse in Anglia delibutum, ac labantem patris coronam non modo in suo capite generosissime firmasse, votum etiam, se ad Hierosolymitanam profectionem, cuius voto Ioannes bello & morte oppressus se non exsoluerat, obeundam indita cruce deuinxisse, vt primitias regni pietate consecraret: quare Honorius luctui adhuc indulgens literis significauit, quantum ex Regis Ioannis obitu dolorem hausisset, atque ipsius imbecillitate moueri, tum ad meliorum spem erexit luctumque permulcere iussit, nunquam illi sedis Apostolicæ clientelam defuturam, atque optime de diuino se numine sperare breui illius opera omnia pericula ab illius capite propulsatum iri f.

Anglicanæ res. Henricū Regem consolatur. *f Hon. l. 1. ep. 164.*

Henrico illustri Regi Angliæ.

Audito inclytæ recordationis Ioannis Regis Angliæ patris tui obitu deplorando, tacti sumus dolore cordis intrinsecus, & vsque ad animam ipsius doloris gladius pertransiuit, inhærente animo nostro illo deuotionis affectu, quod idem Rex regno suo spiritualiter Apostolicæ sedi subiecto, ad Iesu Christi obsequium eius manitus signaculo deuouerat; & magnifice præparauerat semetipsum, ac statu nihilominus regni tui, & tua, tuorumque fratrum puerili ætate tantis periculis tanti patris solatio destituta se menteis oculis nostræ iugiter ingerente, ita vt te ac illos videremur quodammodo intueri ad Apostolicæ sedis auxilium paruas brachia protendentes, ac dicentes nobis: Attende in nos Domine, & vide tribulationem nostram, & exurgens adiuua nos, quia tu es relictus adiutor orphanis, & pupillis.

Illius orbitatis dolore afficitur.

68 Nobis igitur in huiusmodi mœroris angustia tabescentibus, lætus nuncius de tua coronatione receptus non modicum nos refecit, & dedit consolationem in illo, qui nos in omni tribulatione nostra misericorditer consolatur sperantes; quod ipse, qui iustitiam diligit, & malitiam execratur, faciat misericordiam suam tecum, te ab instantibus periculis suæ virtutis potentia liberando; & sicut voluit, vt ipsi patri tuo in regni gubernatione succederes, ita ipso volente, illi etiam in Apostolicæ sedis deuotione succedes, eo nostram hanc fiduciam plurimum roborante, quod ætatis tuæ primitias dedicans Domino Deo tuo, ad exequendum pro ipso patre tuo votum, quod emiserat, de subsidio Terræ sanctæ, te suscepto crucis signaculo, sicut gaudentes accepimus, obligasti; vnde merito est sperandum, quod ille in cuius manibus reges, & regna consistunt, per hoc adolescentiæ tuæ celerius gratiam suæ benedictionis infundet; & te ac regnum tuum oculo benigniori respiciens, tribulationes, quas inuitissime pateris, simul ætatem, & deuotionem tuam miseratus, auertet.]

Erigit in meliorum spe Henrici animū.

69 Explicuit sane in tuendo Henrico Honorius paternam, vt erat pollicitus, diligentiam, exitusque docuit pias ad recuperandum regnum pontificiam beneuolentiam, quam florentissimum exercitum Henrico profuisse, vt immerito Romanam Ecclesiam in inuidiam vocet Parisius ob factam a Ioanne Rege Angliam sedis Apostolicæ stipendiariam, cum illius patrocinio ab exterorum imperio fuerit vindicata. Quæ ergo hoc anno Honorius ad asserendum Henrico sceptrum gesserit, intueamur. Actum sane de Henrico erat, ni Philippum Galliarum Regem armorum potentia belliquę gloria florentissimum ab effundendis in Angliam omnibus suis viribus sedis Apostolicæ minæ continuissent: is enim princeps adeo Ecclesiam coluit, vt ipsi sedis Apostolicæ gratia quam transfusa in filium Angliæ monarchia potior videretur, quem Honorius hoc anno filium Ludouicum a coeptis auocare imperauit a.

Patrociniū illius felici successu arripit.

Imperat Philippo filium ex Anglia reuocet. *a Ep. 404.*

70 *Tristitia nobis est, & dolor continuus cordi nostro, quod nobilis ille L. natus tuus, a paterno fœdere semitis, tanquam columba seducta recedens, cor suum contra Dominum obfirmauit, auertit enim oculos suos, ne respiciat cælum, & ne iudiciorum Domini recordetur, dum contra Romanam Ecclesiam matrem omnium fidelium arma mouens Christi exhæredare nititur cohæredem pupillum, & orphanum Apostolicæ sedis auxilio destitutum, ac crucis charactere insignitum a sede propria depellendo. Debuerat siquidem primitias militiæ suæ Domino dedicare, vt vires potentiæ suæ primum exerceret contra inimicos fidei Christianæ, vt debellaret gentes, quæ nobis exprobrant gloriam Dominicæ passionis, et funiculum hæreditatis suæ, terram scilicet suo sanguine comparatam misericorditer, detinent in opprobrium populi Christiani.* & infra:

71 *Quamquam videatur in sua malitia nimium obstina-*

illinatus, impleas tamen patris officium circa ipsum, & eum nunc blandimentis inducas, nunc verbis deterreas pungitiuis, commonendo sibi diuinum iudicium, Ecclesiæ scandalum, fidelium imprecationes, quorum propositum impedit, & vota retardat, ne possint, sicut tenentur & cupiunt, terram Domini liberare. Non enim credimus superiorem vim rationis sic in illo depressam, ut non sit memor operum Domini, & ad discretionis iudicium non assurgat. Quis scit, si respiciente Domino, cor ipsius percutiat illud, vt pœnitentia lamenta producat, & stillicidia profluat lacrymarum, vt sic in spiritu contrito, & humiliato delicta defleat iuuentutis, & reuersus ad patrem, tamquam filius prodigus, dato in manibus eius annulo recipiat stolam primam, &c. Dat. Later. XI. kal. maij pontif. an. 1.

Nititur RegẽScot a Lud. ad Henr. traducere.

72 Singularem etiam ad abducendum a partibus Ludouici Regem Scotiæ atque Henrico conciliandũ, operam adhibuit Pontifex. Is enim princeps, vt narrat Parisius a, iuncta cum Ludouico armorũ societate Northumbriam ad illius obsequium compulerat, eiusque potentia in quamcumq; se partem verteret, maximum ad sceptrum firmandum momentum afferebat. Corripuit ergo illum principem Honorius; magnum sibi dedecus secutis rebellium castris inussisse. In quibus literis b cum Angliæ Regem naturalem illius dominum vocet, aut nomine vectigalis alicuius ditionis, quæ in Anglia consisteret, putandum est, vel fatendum contrarium Bonifacio sensisse, qui Scotiæ Regem nunquam Angliæ stipendiarium fuisse cum Eduardo contendit c.

a Par. hist. Angl.

b Lib. 1. ep. 169.

c An. 1299 Bonif. l. 5. ep. 466.

Illust. Regi Scotiæ & complicibus suis spiritum consilij sanioris.

Obiurgat a supremi domini fide resilijsse.

73 Multum famæ vestræ derogat, & saluti, quod a fidelitate vestri domini naturalis, & a deuotione Romanæ Ecclesiæ matris vestræ secuti conspiratorum perfidiam recessistis; non erubescentes simul vtrumque relinquere, qui pro eorum vtrolibet obseruando debueritis, si exegisset necessitas, carceres, & exilia sustinere. Monemus igitur discretionem vestrã, rogamus, & obsecramus in Domino, per apostolica vobis scripta firmiter præcipiendo mandantes, quatenus charissimi in Christo filij nostri Henrici Regis Angliæ illustris innocuam respicientes ætatem, & ad ipsam Romanam Ecclesiam, in cuius iniuriam est huiusmodi conspiratio attentata, debitum respectum habentes, ad ipsius regis fidelitatem, & deuotionem Apostolicæ sedis relicto impiorum consilio redeatis, non obstantibus iuramentis illicitis præstitis Ludouico, quia si conuersi ad dexteram reuocaueritis prouide, quod improuide attentastis, vobis nostram ac Apostolicæ sedis gratiam, & fauorem specialiter pollicemur; nihilominus ad gratiam ipsius Regis integrè rehabendam, & iura vestra insuper consequenda, Apostolicum vobis auxilium promittentes. *Dat. Later. XVI. kal. febr. pontif. nostri an. 1.*] Eædem literæ d ad plures viros dignitate & opibus pollentes missæ.

d Reg. ll. post ead. ep.

Henrici studiosos in fide cõfirmat.

74 Hæc ad reuocandos ad officium Henrici hostes Honorius, a quo plures literæ alijs, qui in Henrici fide perstabant, datæ, quibus ipsos in illius obsequio confirmabat, atque hortabatur, vt Gualoni Cardinali, cui pontificias vices in exercenda Regis tutela commiserat, operam suam commendarent. Quo argumento Pambrochium comitem summum in Anglia iustitiæ præfectum ita compellat e. *Licet de tua constantia geramus spem certam, & indubitatam fiduciam habeamus, te tamen Apostolicis exhortationibus confortandum duximus, & hortandum, ne cor tuum in huiusmodi tribulationibus consternetur; sed quanto fortuna videtur asperior, tanto exurgas constantior contra eam; cum virtutis sit proficere in aduersis. Tuam erga nobilitatem monemus, & exhortamur in Domino, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus, sicut vir constans, & fortis in fidelitate ipsius Regis firmiter perseueres; circa regni defensionem, & curam eiusdem Regis inuigilans solicitudine circumspecta, & Cardinali prædicto, cui plenam contulimus potestatem, vt ea, quæ ad defensionem, & vtilitatem sæpe dicti Regis, & regni expedire viderit, exequi valeat vice nostra intendens humiliter, & deuote; scituris, quod ipsi Regi, & adiutoribus suis auxilium nostrum non deerit, quantum ille permittet, qui superbis resistit, & humilibus gratiam impertitur. Dat. Later. XIV. kal. febr. pontif. nostri anno 1.* Iisdem etiam penè verbis alij Henrico addictissimi ad perstandum in fide excitati:

e Lib. 1. ep. 170.

Archiep. Dublinẽsi cõmittit officio Hyberniæ prouincia data.

75 Corripuerat eadem belli ciuilis flamma Hyberniam, in qua cum plures ad Ludouici partes transuolasse accepisset Pontifex, ad extinguendum grassans incendium Dublinensi archiepiscopo Apostolicas in ea insula vices demandauit, vt censuris perduellionis reos percelleret. Gualonem a præterea S. Martini Cardinalem legatum in Anglia summa auctoritate instruxit ad submouendos suis dignitatibus præsules, qui coniuratorum partibus implicitii essent, ad præficiendos ecclesijs Angliæ, Scotiæ, & Vualliæ viros strenuos, qui fidissimi Henrico essent futuri, ad exuendos adeptis sacerdotijs eos, qui censuris deuincti diuina celebrassent, nisi a Ludouici partibus abscedere iussi obtemperassent, ad prorogandam crucesignatorum, qui in fide Henrici perstarent, vel ad eius castra transirent, quam vouerant Syriacam profectionem, donec bello confecto publica pax adducta esset, ad rescindenda eorum sacramenta, vt vitio plena, & illicita, qui a Ioanne ad Ludouicum antea desciuerant, atque illorum obsides, qui ad officium redire cuperent, intentato custodibus anathemate subiectisque illorum terris interdicto, siue in Anglia, Scotia, aut Flandria sitæ essent, libertati restituendos: demum, vt nullas paterni officij in Henricum partes prætermitteret, de quærenda illi principi vxore, vt prolem ex ea suscipere, atque regnum confirmare posset, in iisdem datis legato literis adiecit:

a Ep. 167.

Auctoritas Gualoni in præsidium Henrici demãdata.

76 *Fuit nobis ex tua parte suggestum, vt cum sæpedictus Ioannes Rex Anglorum positus in extremis, nobis, & Ecclesiæ Romanæ commiserit regnum, filios, ac omnia bona sua, de matrimonio cõtrahendo inter charissimum in Christo filium nostrum Henricum natum, & heredem ipsius, & personam, per quam ipsi, & regno eius possit vtilitas prouenire, cogitare solicite dignaremur. Cum autem tu, & fideles ipsius super hoc melius deliberare possitis, vtpote de personis, quarum affinitas potest ipsi Regi, & regno existere vtilis certiores, id tuæ ac illorum prouidentiæ duximus relinquendum, vt super hoc habeatis, prout videbitis expedire, tractatum; & nos postmodum, si necesse fuerit, fauorem Apostolicum, sicut erit conueniens, impendemus. Dat. Later. XVI. kal. febr. pontif. nostri an. 1.*

Quærendæ Henrico vxoris legato cura committitur.

77 Henrici etiam incolumitatis, illiusque optimis institutis informandi ac perpoliendi solicitus, tum vt regiam dignitatem qua par erat pompa sustineret, hæc eidem legato scripsit: b *Ad ipsius Regis custodiam, & doctrinam, cum consilio prælatorum, & magnatum sibi fidelium deputes viros industrios, & fideles, vt per eos solicite informetur in dicendis pariter, & agendis, ipsumque per regnum incedere faciens sicut Regem, prout pensatis temporum & locorum circumstantijs videris expedire, proprium sibi sigillum facias fabricari, super ipsius sigilli custodia opportunam adhibens diligentiam, & cautelam, & prouidens, quod tam cancellarius, quam alij officiales regij singuli, quod suum est solicite ac fideliter exequantur. Datum Anagniæ, v. non. kal. pont. nostri an. 1.*

Paternæ aliæ erga Henric. Pontificis curæ.

b Lib. 1. ep. 496.

78 Cæterum tradit Matthæus Parisius c Ludouicum certiorem factum, ni Anglia excederet, anathematis sententiam a Gualone legato in ipsum latam ab Romano Pontifice cœnæ Domini die confirma-

c Par. hist. Angl. hoc anno.

Ludouicus ex Angl. recedit ad tempus &c.

matum iri, ab insula decessisse, neque eodem aureum paschale tempus se recepisse: postea vero reuersum cœpta fuisse prosecutum: quocirca Apostolicæ sedis legato, de quo paulo ante memoraui, vnà cum clero vniuerso sacris induto vestibus, tū ipsum tum eius partium studiosos, præcipueque Lincolniam obsidentes, ab cœtu fidelium fuisse ablegatos: contra vero pœnitentiæ sacramento expiatis, armisque contra regni ecclesiæque perduelles decertantibus, cunctorum delictorum veniam indulsisse: ipsos porro, etsi numero longe impares, strenue atque alacriter signis cum hostibus apud Lincolniam collatis, facili negocio hostium copias diuina ope profligasse, ac deleuisse, paucis fuga lapsis, ac Londinum ad Ludouicum se conferentibus, ac post eam acceptam cladem cum Francorum classis Ludouico subsidio veniret, partim ab Anglis captam, vel depressam mari vel fractam fuisse; quapropter Ludouicum Londini obsessum necessitate pressum, pacem cum Henrico opera potissimum Apostolicæ sedis legati, 3. id. septembris confecisse. Hæc fusè Parisius, qui compositæ pacis conditiones affert. Ex quibus liquet Ludouicum, vti conuentum fuerat, omnesque cum eo anathemate perculsos, tactis sacrosanctis euangelijs iurasse, se ab Ecclesiæ iudicio non discessuros ac Pontificijs imperijs parituros in posterum atque ita absolutos, statimque Ludouicum in Galliam traiecisse. Rigordus a verò cessisse ex Anglia scribit non ob Henrici potentiam, sed ob exploratam Anglorum, a quibus exceptus fuerat, in se conflatam coitionem. Quibus etiam de rebus alij post Rigordum & Parisium scripsere. b

Illius copiæ apud Lincolniā dissipatæ.

Eiusdem classis profligata. Londini obsidetur.

Cedit Angliā & pacem init cum Henrico.

a Rig. in gest. Phil.

b Vuell. monast. for. hist. hoc anno. Anton. 3. par tit. 19 c. 3. §. 1. Nauc. ge. 13. c. 16. col. 1331. ex Boët. l. 13. & alij. c Reg. Hon l. 4. ep 743 d Hon. l. 2. ep. 809.

Gratulatur Lud. Honorius imperijs Pont. paruisse.

Rescindit latas in eū censuras.

79 Concepta huiusmodi pacis formula regesto Pontificio inserta est c, quam hoc anno conciliatam probant datæ idibus ianuarij anni sequentis, tum literæ ad Ludouicum proximo anno, in quibus legati opera confectam ab eo cum Henrico pacem gratulatur Pontifex censurasque omnes, quibus ob gestum bellum deuinctus fuerat, conuellit d. *Inducunt nos tua consideratio magnitudinis, & specialis qua te amplectimur affectio charitatis, vt deuotis tuæ magnificentiæ precibus, assensum, quantum permittit honestas, beneuolum præbeamus. Cum igitur reprobato peruersorum fallaci consilio, qui te prius suis suggestionibus fascinantes impulerant, vt deserens imitanda progenitorum tuorum vestigia erigeres te contra Romanam Ecclesiam matrem tuam, humiliter, sicut sapiens filius, ad eius deuotionem redieris, mediante dilecto filio nostro G... tituli S. Martini presbytero Cardinali A.S.L. faciendo pacem cum charissimo in Christo filio nostro Henrico Rege Anglorum illustri consanguineo tuo, cuius regnum non absque Apostolicæ sedis iniuria, cum ad eam pertineat, impugnabas; nos precibus tuis benignum impertientes assensum, literas contra te, vel adiutores tuos laicos occasione huiusmodi a sede Apostolica impetratas, te seruante inuiolabiliter pacem ipsam, vires statuimus non habere. Nulli ergo &c. Datum Later. id. ian. pont. nostri anno 2.*

Angliæ pax restituta.

80 Erexit ergo demum sese ex intestino ac funesto bello Anglia, omnesque regni illius tandiu discissæ partes sub Henrico felicissime coaluerunt, malisque præteritis modus tandem positus: inter quæ illud non minimum erat prophanari sæpius templa, res sacras a prædonibus expilari, quamquam illi non semper crimen impune tulere. Ex ijs enim facinorosum, qui thecam, in qua dominicæ crucis particula erat inclusa, abstulerat, correptum dæmone fuisse, ac socios similis pœnæ terrore a scelere submouisse, ita describit Parisius: *Versus villam de Dunestaple castra mouentes*, nimirum Ludouici milites, quos auctor ruptarios appellat, *ecclesiam B. Amphibali magistri beati Albani in villa de Redbernia sitam, vbi Domino cooperante innumerabilia miracula celebrātur, monachos vsque ad femoralia spoliabant, sanctorum insuper reliquias super sanctum altare rapientes, funestis eas manibus polluerunt. Inter quos & quidam ex eis crucem quandam argenteam & deauratam, in qua portio quædam dominicæ crucis continebatur, tollens in sinu suo, socijs ignorantibus, abscondit. Sed antequam ab ædibus oratorij recessisset, a dæmonio arreptus, corruit in terram, dentibus stridens & ore spumans, surgensque festinanter a dæmonio agitatus, in socios ensem vibrare disposuit. At illi eius miseria condolentes, ligatis manibus illius, causam penitus ignorantes, ad ecclesiam Destaplude perduxerunt in supremo furia constitutum.*

Sacrilegus a dæmone correptus.

Socij a crimine eo viso deterriti.

81 *Intrantes autem ecclesiam prædones, vt eam spoliarent, obuiauit presbyter indutus vestibus albis, vt malitiam comprimeret impiorum: veruntamen aliquantulum de socio, quem furiosum ducebant, perterriti, manus cohibuerunt a rapina, vbi vidente presbytero, & multis alijs crux prædicta cecidit in terram de sinu exiliens furiosi. Quam reuerenter ac stupens presbyter arripiens & a terra in editum eleuans, quid hoc esset, a prædonibus requisiuit. Tandem in se reuersi cognouerunt per virtutem animaduersionis diuinæ, quod a monachis, quos in proxima villa spoliauerant, crucem furtim sustulisset. In summa igitur angustia prædones constituti, timuerunt valde, ne etiam spiritus nequam inuaderet, & sicut socium suum fecerat, cruciaret. Tunc prædones nequissimi crucem illam cum tremore presbytero tradiderunt, adiurantes per virtutem Dei & in periculo ordinis sui, vt, antequam cibum sumeret, ad locum accedens, crucem monachis restitueret. Presbyter vero cum festinatione ad oratorium B. Amphibali veniens crucem reuerenter tradidit, & omnia quæ circa illam mirabiliter acta sunt, priori & fratribus enarrauit, &c.* Spectat etiam ad res Anglicanas Reginam Angliæ, relictā a Ioanne viduam in Apostolicam clientelam ab Honorio a susceptam, atque episcopis commēdatam b fuisse. Factam c etiam B.. Anglorum olim Reginæ potestatem, vt in clericos animaduerteret, qui abiecto habitu clericali scelera patrabant, moxque illo resumpto decori incedebant, vt ex iudicum seueritate euaderent. Hactenus de Anglicis: iam ad Hispanicas res orationem conuertamus.

Regina Angliæ clientelā accepta.

a Hon. l. 2. ep. 173. b Ibid. ep. 176. c Lib. 2. ep. 534.

Henrici Reg Castell. immatura mors.

Lugubre illius mortis genus.

82 Luxit hoc anno Castella immaturam Henrici Regis, qui miserando rerum humanarum fragilitatis exemplo in ipso vitæ & imperij limine, dum Palentiam profectus atque in episcopalium ædium area cum æqualibus luderet, decidente fortuitò (vt aiunt) tegula, collisus, paucos post dies extinctus est. Quanquam vulgarum fama est, aliquem e proxima turri eam tegulam quæ Regis caput fregit, saxo petensisse: Immo Iordanus non casui, sed parricidæ alicuius sceleri diserte rem tribuit: *Ludente*, inquit, *puero male custodito quidam e turri tegulam proijciens caput eiusdem pueri percussit, qui mortuus est. Regina hoc audito pro Ferdinando filio misit, qui cum patre in Legione erat, & Regina cum magistratibus Palentiam iuit & cœperunt cum comite Aluaro de concordia tractare, sed nihil audire voluit, nisi infans Ferdinandus eius custodiæ traderetur: quo sibi negato & regno per Reginam filio tradito anno ætatis suæ XVIII. &c.* agit de tumultibus postea concitatis, de quibus nos anno sequenti.

Iord. M.S. bibl. vat. signat. nu. 1960.

Tractatū frustra de pace cum Aluaro comite.

Berēgaria filio Ferd. regnum tradit.

d Marian. de reb. Hisp. l. 12. cap. 7.

Diuersæ auctorum sententiæ an ad Berengariam Blancam regnū pertineret.

83 Successit igitur Ferdinandus Alphonsi Regis Legionensis & Berengariæ sororis Henrici filius natu maximus ex eo incesto matrimonio, quod Innocentij auctoritate, atque censuris dissolutum fuerat: regnum vero ipsi contra patrias leges publicis comitijs delatum ait Mariana d, atque ætatis prærogatiua Blancæ Ludouici Galliarum Regis primogeniti vxori debitum fuisse, sed cum Hispani, exteri principis imperium exhorrescerent, Berengariam filiumq; Ferraudum prætulisse, ac ne Hispania Galliæ committeretur, obstitisse. Plures alij etiam Marianæ consentiunt: Verum non desunt, qui negent Blancam

Beren-

Berengaria natu maiorem fuisse: inter quos Matthæus Parisius illius temporis scriptor, dum in ea oratione, quam in alia causa, nimirum in regni Anglici controuersia, Innocentio oratoribus Ludouici respondenti affingit, inducit Pontificem Berengariam Blanca sorore natu maiorem extitisse asserentem, potioraque illius in Angliam, quam Blancæ iura extitisse, si Ludouicus Blancæ vxoris filiæ Alienoris Ioannis sororis nomine regnum illud affectaret. Parisij etiam sententiæ suffragari ea ratio videri potest, quod nonnullis ante annis Berengaria virum duxerit, quàm Blanca Ludouico nuberet, cum datæ ab Innocentio literæ fuerint anno 1198. quibus Berengariæ incestas nuptias dissolui iussit, quas Mariana a post illud tempus collocat: Blanca verò principi Ludouico anno 1200. post ascensionem Dominicam, vt Rigordus b asserit, thoro iuncta fuerit. de his satis; alijs enim ea discutienda regumque iura disceptanda relinquimus. vt porro Ferdinandus transfundente in illum regium insigne matre regno successerit, nec ipsi gestando sceptro, damnati ex incesto thoro natales obstiterint, sequenti anno dicetur. Nunc ea quæ ad ecclesiasticam historiam pertinent; percurramus.

a Ib. l. 12. cap. 20.
b Rigor. ad an. 1200.

84 Ad comprimendos grassantes in Hispania Iudæos, ne illorum nefaris societas Christianorum mores inquinaret, si nullo signo a fidelibus discernerentur prouinciam dedit Honorius Palentino episcopo ac duobus alijs dignitate præditis c, vt Iudæos ad ea perficienda compellant, quæ de ipsis in generali synodo statuta fuerant, quo a cæteris dignosci possent, idque genus alia vetuit. Tum literis ad vniuersos Christi fideles datis d, ne quis eos ad sacrum suscipiendum baptisma vi adigeret, neue eos festis ipsorum diebus aliaue occasione iniuria afficeret. Deinde Roderico Toletano archiepiscopo postulante eius ecclesiæ iura firma iubet esse e. Postea verò decano, archidiaconis, magistro scholarum, ærarijque ecclesiæ Toletanæ præfecto permisit f, vt vbicumque archiepiscopus cum pallio celebrasset, mitris vti possent. Præterea g munificentissimam donationem a Tharasia olim Regina Portugalensi Ecclesiæ factam, auctoritate sua, episcopi illius precibus adductus, corroborauit. Inseritur apostolicis literis ipsa donatio, cuius exordium est: *Ego Regina Tharasia gloriosi Ildefonsi filia ad laudem & gloriam Domini nostri Iesu Christi, & ob honorem & amorem beatissimæ virginis Mariæ, & pro remissione peccatorum meorum, & remissione animæ meæ, & parentum meorum facio testamentum, & chartam donationis per huius scripturæ firmitatem, Portugalensi sedi, de ciuitate Portugalensi sine alio herede cum omnibus suis redditibus, & suis adiacentibus, &c.*

c Hon. l. 1. ep. 210.
Iudæi in Hisp. signo distingui a Christ. iussi.
d Id. lib. 2 ep. 726.
e Ibid. ep. 235. 236.
f Id. lib. 2. ep. 771.
Donatio Reg. Tharasiæ confirmata.
g Id. l. 1. ep. 365.
Ciuitas Portugal ab ea episcopo tradita.

85 Iussit etiam Honorius Burgensem & Palentinum episcopos dare operam h, vt Legionensis Rex castrum Toraff, aliaque fratrum militiæ S. Iacobi bona per vim a se occupata, illis reddat. Extat quoque Apostolicum diploma ad Sanciam & Dulciam eiusdem Regis filias, quæ monasterium construere in animum induxerant, ipsis enim Pontifex petitum B. Petri patrocinium pollicetur i. Ad hæc Compostellanum archiepiscopum nonnulla in synodo ab se decreta, quæ clericorum libertati aduersarentur, reuocare l monuit. Insuper in Ouetensem episcopum animaduertendum decernit m, qui puerum annorum tredecim diaconum consecrarat. Pars huius epistolæ insinuata est extra de temporibus ordinationum & qualitate ordinatorum, quamuis loco Oneten. Conuentren. legatur. Exinde datis literis ad priores Saguntinum & Molinensem n in gratiam Hispaniæ clericorum, cum in Toletana & Conchensi diœcesibus is mos valeret, vt clerici virique religiosi pro emptis possessionibus nulli seruituti præstandæ stipendijsue conferendis obnoxij essent, vetuit ne Calatrauenses equites huiusmodi ab ijs onera exigerent. Postremò cum M.. Regina anathematis vinculo, quo ob incestas nuptias cum H.. Castellæ olim Rege contractas irretita Innocentij iussu fuerat, post illius obitum soluta esset, idque ab Honorio ratum haberi demisse postulasset, Pontifex eius votis respondit a.

h Ibid. ep. 368.
i Lib. 2. ep. 574.
Increpitus Oueten. episc. qui puerum 13. ann. diaconum cõsecrarat.
l Lib. 2. ep. 475.
m Lib. 2. ep. 541.
Habetur cap. vel non ext. de tempor ordin.
n Id. lib. 2. ep. 610.
a Ibid. ep. 734.

86 Reuocant orationem ab Hispania ad se Sardiniæ res, quæ non leuibus tumultibus agitatæ sunt; cum Pisani, Sardiniæ suæ ditioni adiungendæ cupidi, exercitum in eam insulam, sedis Apostolicæ vectigalem, traduxissent atque ad iniiciendum incolis frænum, tuendumque arreptum loci imperium arcem operibus magnis munitam excitassent: quare Honorius, ne defendendis Ecclesiæ iuribus deesset, Vgolinum Ostiensem episcopum, cum huiusceemodi imperijs misit b.

b Post ep. 305.

Ostiensi episcopo Apost. sed. legato.

Cum potestas, & populus Pisanus super facto Sardiniæ nostris iurarint stare mandatis, fraternitati tuæ præsentium auctoritate mandamus, quatenus eis vice nostra sub debito præstiti iuramenti præcipias, vt potestatem ipsam, & eorum exercitum de Sardinia protinus reuocent, & ad propria redire compellant: & de cætero ipsam Sardiniam, quæ ad Apostolicam sedem noscitur pertinere, per se vel per alios non infestent, restituentes Apostolicæ sedi terras quascumque in ea dicti potestas, & exercitus occuparunt, & castrum quod contra mandatum bonæ memoriæ Innocentij Papæ prædecessoris nostri, sententia excommunicationis contempta, in Ecclesiæ Romanæ præiudicium erexerunt, faciant penitus demoliri. Quod si forte eos ad id inducere non potueris, ipsis præcipias, vt illud N... custodiendum Apostolicæ sedis nomine, quantocyus studeant assignare.]

Vgolin. Ost. episc. Pisas legatus missus

87 Adiecit Pontifex legato Cardinali discutiendæ electionis Pisani archiepiscopi prouinciam, vt eam si iure celebratam reperiret, auctoritate Apostolica confirmaret: sin vero contra leges tentatam, rescinderet, collegiumque canonicorum, repudiata cuiuscumque prouocationis mora, alium designare iuberet. Non prætereundum porro videtur hunc legatum postea summum pontificatum adeptum esse, ac Gregorium IX. vocatum; cuius virtutes cum maxime commendet Honorius, quæ ipsum ad augustissimam omnium dignitatem extulerunt, pontificiæ a nobis literæ adducendæ visæ sunt, vt digna de ipso opinio concipi ac delibari possit, cuius etiam laudes non parum illustrat expetente D. Francisco, Minoritarum ordinem illius clientelæ ab Honorio fuisse commendatum c: viro enim sancto addictissimus erat, quod studium postea in eius sodales maxime explicuit, vt non frustra censendus sit Honorius his encomijs illum decorasse d.

Is postea sub Greg. IX. nomine pontificatum gessit.
D. Francisci erat amantissimus.
c Luc. Vvad. annal. to. 1.
d Lib. 1. ep 303.

88 *Volentes dilectionem, quam ad vos, & ciuitatem vestram habemus, ostendere per effectum, per eum ad vos quasi cælo inclinato duximus descendendum, qui est vir vtique secundum cor nostrum, potens in opere ac sermone, & in quo spiritus noster in veritate quiescit, vt vos commonefaciat Apostolicæ sedis vias, & in thuribulo aureo, quod est in manu ipsius incensa vestræ deuotionis accendat, & sic in conspectu Domini fumus incensorum vestrorum ascendat de manu eius, quoniam Angelus Domini exercituum est, cuius labia scientiam custodiunt, & lex vere potest ex ore ipsius requiri. Ecce enim ad vos venerabilem fratrem nostrum Hug. episcopum Ostiensem Apostolicæ sedis legatum transmittimus, qui vtique cælum est enarrans gloriam Dei & tamquam stellarum fulgoribus, morum venustate præfulgens, in cuius profecto sunt pectore, velut in firmamento luminaria duo magna, quibus diei præsit, & nocti, doctrina videlicet noui, & veteris testamenti, quæ spiritualibus*

Laudes Vgolino datæ.

spi-

spiritualia cooperando, diei quasi luce solis illustrat, & minoribus lac prabendo potum, non escam noctes illuminat quasi luna, vt imbre doctrina calestis terram cordis vestri perfundens, & inebrians, ipsam faciat fructum iustitia germinare, vosque in deuotione sancta Romana Ecclesia matris vestra reducat, & corroboret in eadem, cordaque patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum conuertat, vinum infundens, & oleum vulneribus sauciati, ac secundum datam sibi a Deo sapientiam gregem dominicum pascens, quod est infirmum consolidet, & quod agrotum est sanet, quod fractum est alliget, & quod est abiectum reducat, & pingue fortiuè conseruet.

89 *Monemus igitur vniuersitatem vestram, & exhortamur in Domino, per apostolica vobis scripta pracipiendo mandantes, quatenus ipsum tamquam Apostolica sedis legatum, immo personam nostram cum exultatione recipiatis & gaudio, ac honorifice pertractetis, ea qua vobis ex parte nostra praceperit, sine difficultate qualibet effectui mancipantes, ac salubria ipsius monita & pracepta recipientes humiliter, & deuote seruantes. Alioquin sententiam, quam ipse propter hoc rationabiliter tulerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino firmiter obseruari. Dat. Later. 11 non. mart. pont. nostri an. 1.*

90 Cum hæc de Sardiniæ imperio Pisanorum cõtentio ad secutura tempora infelicissime propagata sit, bellumque magno ardore cladiumque ingenti varietate gestum, funesta illius initia adductis marchionissæ Massæ ac Sardiniæ dominæ literis notare visum est. Illa enim Pisanorum improuisa irruptione in discrimen amittendæ dignitatis adducta, atque vndique cincta periculis ad Romanum Pontificem, vt supremum insulæ dominum supplex confugit, vt Pisanos coërceret atque ex alieno principatu abire præciperet.

Pijssimo patri, & domino suo Honorio Dei gratia summo Pontifici B.. eadem, & sua gratia Massa marchisia, & iudicissa Calaritana, & Arboren. subiectionem perpetua seruitutis.

Cum a post decessum præclaræ memoriæ illustris viri domini, & patris mei Vv. marchionis Massæ & iudicis Calaritan. omnis clerus, & vniuersus populus terræ Calaritan. conuenissent in vnum, vt me in iudicatum Calaritanum, qui iure hereditario me contingebat, more solito confirmarent, susceptoque baculo regali, quod est signum confirmationis in regnum, de manibus venerabilis patris, & domini mei archiepiscopi Calaritan. cum assensu, & præsentia suffraganeorum suorum, & omnium nobilium terræ Calaritanæ iuraui protinus eisdem, coram ipsis ante cætera, & præter alia, quod regnum Calaritanum non alienarem, neque minuerem & castellum alicui aliquo titulo non donarem, neque pactum aliquod aut societatem aliquam cum gente qualibet extranea inirem aliquatenus, aut facerem sine consensu, & voluntate omnium eorumdem.

a Extat apud Hon. l. 1 ep. 479 Marchionissa Massæ Sardiniæ Regina inaugurata.

Pisani insulæ imperium affectans.

91 Post non multum verò temporis post istud, habito consilio cum melioribus terræ meæ, suscepi in virum nobilem virum P.. nomine, filium quondam iudicis P.. Arboreæ, ob multiplicem guerram inter præfatos progenitores nostros diu habitam a nobis sedandam, in cuius matrimonij dispensatione super quarto & quinto gradu consanguinitatis, quo nos attingebamus, a felicis memoriæ antecessore vestro nobis concessa, in manibus memorati archiepiscopi Calaritani prædicto antecessori vestro, suisque successoribus in perpetuum pro Ecclesia Rom. iuxta formam ab Apostolica sede mihi expressam, iuramentum exhibui vnà cum virò meo fidelitatis debitæ. Cuius formam, & seriem bulla regni mei bullatam, & per meum vobis nuncium destinatam, credo vos habere in armario Ecclesiæ Rom.

92 Cumque post hæc, heu proh dolor! altissima frueret pace in tota terra mea; ecce Pisanorum consul cum multis sibi sequacibus nobilibus, multis minis, & terroribus, multisque adulationum persuasionibus in tantum, & taliter institit mihi, quod sine maximo rubore ac intimo cordis dolore proferre nequeo, vt sine consilio, & voluntate bonorum terræ meæ virorum, iuraui sibi, & communi Pisan. in perpetuum vnà cum viro meo de nouo fidelitatem; atque inuestitura terræ meæ cum viro meo ab eodem consule per vexillum Pisanum suscepta, tamquam fatua, & insipiens prioris iuramenti oblita, donaui pariter cum viro meo, ad instantiam consulis memorati, collem quemdam, cum suis pertinentijs memoratis Pisanis. In quo postea ipsi ædificauerunt sibi munitissimum castrum in damnum, & occupationem, non solum terræ ipsius, sed totius Sardiniæ.

Regina eorum minis territa Pisanis se obnoxiam sacraméto dicit.

93 Nunc autem cum sperarem ab eis, secundum sua mihi præstita iuramenta, protectionem a quolibet mihi vim inferente, atque defensionem, nec ipsi terram, vel honorem, aut aliquod ius meum debebant mihi, seu viro meo auferre, quacumque de causa, vel minuere, en contra Pisanorum potestas, quæ cum maximo exercitu intrauit in Sardiniam, præter multa damna, quæ mihi, & hominibus terræ meæ tam clericis, quam laicis crudeliter intulit, & quotidie infert, ius & honorem viri mei & meum omnibus modis aufert, & conatur in posterum viribus auferre. Nam & introitus portus per omnia sibi vendicauit, & vẽdicat; & homines terræ meæ nobiles etiã capiendo, atque incarcerando me, ac viro meo inuitis, iudicium sibi Regis, & dominii violẽter vsurpatur, tanquam sit dominus terræ naturalis & iudex.

Ab ijsdé diuexatur

93 Quocirca cum non sit mihi, vel viro meo refugium aliud præter Deum, quam vestrum, nec ab alio aliquo speramus iuuari, ac manu teneri, quam ab Apostolica pietate, licet auolauerim, tanquam inscia sine pennis, ac deuiauerim, quò non debebam, velut amens effecta deceptaue peregerim, quod me in posterum pœniteret, tamquam mobilis, & mollis puella, tandem tamen, vt filia prodiga in me reuersa lacrymabili voce ac genuflexo, modis quibus valeo vestram exoro dominationem, & paternitatem, quatenus etsi non filiationis respectu, quo me meis priuaui omnino meritis, pietatis tamen diuinæ interuentu, ac officijs debito pastoralis, quo & ouem erroneam ad ouile humeris apportare, & oppressis iniuste tenemini subuenire; mihi & viro meo seruis, & fidelibus vestris, nec non & toti Sardiniæ, prout melius expedire sanctitatis vestræ discretio viderit, quantocyus, vt optamus, nõ dedignemini occurrẽdo subuenire. Et quemadmodum sperabamus secure in brachio potenti antecessoris vestri, tantum & eo amplius, secundum vobis gratiam de supernis collatam, in vestræ fortitudinis inuincibili robore confidentius deinceps valeamus persistere.

Implorat sedis Ap. auxilium factumq; damnat.

94 Supplicamus præterea vir meus seruus vester, & ego, & precum iterata instantia modis, quibus valemus, pariter imploramus, vt vestræ indulgentiæ auctoritate habita, liceat nobis, si expedierit, vel cum Iudice Turritano, aut cum Ianuensi, seu cum alia gente extranea pactionis inire, ac societatis fœdus, vt vinculo absoluto iniusti sacramenti Pisanis ipsis præstiti possimus ab eorum manibus liberari, & colla excutere onerata ab iniquo iugo, & importabili eorumdem; neue teneamur iuramento iniuste eis præstito, si quoque modo potuerimus nos ab eis nõ defendi. Cum & primum nostrum iuramentum irritum, heu proh pudor! & inane fecerimus, propter quod reparandum non deberet, vt credimus, posterius valere, & quia suum nobis iusiurandum fregerunt, propter quod eis fides non esset vsquequaque a nobis obseruanda.

Petit sibi liceat cũ alijs contra Pisanos fœdus inire.

Præ-

Exponit Pisanor. insolentiã.

95 Præterea sanctissime pater, ac metuende domine timor, & tremor maximus nuper venerunt super me, ac cunctos terræ meæ, pro eo quod ipsi sæpefati Pisani, non solum de nono insultant, & valde iactant, verum etiam constantissime asseuerant, castrum illud memoratum, vestra gratia voluntaria, & gratuita voluntate, in suo robore, vt fundatum est, & perpetua duraturum firmitate. Quod si verum est, quod absit, non solum ius & dominium meum, cunctorumque Sardiniæ iudicum, ex toto violenter occupabunt; verùm etiam sacrosancta ipsa Ecclesia Romana, non dico nullas, sed valde modicas in tota Sardinia sui iuris vires habebit; vel dominari poterit in ea, vt olim consueuit. Nam si bonæ memoriæ magistro Blasio Turritano archiepiscopo, in Apostolicæ sedis obsequio, quondam ad Calatim venienti, pro eo quod credebatur ab ipsis Apostolicæ sedis legatus, multas iniurias, ac mortis minas nequiter intulerint, cum non essent in fortitudine aliqua constituti, multo fortius, ac vehementius credendum est, nullum in posterum Romanæ sedis nuncium, aut etiam legatum alium, qui non sit Pisanus, posse suas vices inter eos explere, precipue cum sint modo in arce roboris radicati, & in specula superbiæ apud semetipsos firmissime fundati.

Efflagitat legatum mitti.

96 Eapropter domine venerande, ac sanctissime pater charitate illa, quæ Christus est, qua & tenemini potenter subuenire oppressis violenter, mittite nuncium vestrum virum vtrique honestum pariter & discretum, auaritiæ execratorem, & charitatis, iustitiæque amatorem, qui perscrutetur subtiliter, & inquirat, quique etiam diligenter inuestiget, & veritatem sciat, quis profectus, aut defectus, quod commodum, aut incommodum, quod grauamen, aut leuamen, quę iustitia, vel iniustitia de oppido illo acciderit hactenus, vel denuò speretur posse accidere toti terræ Sardiniæ; vt ex tunc ad plenum cognita veritate, secundum sapientiam vobis cælitus datam, valeatis terram istam, vt velitis ordinare. Ego enim, & homines terræ meæ clerici, & laici, non solum nuncium manifestum, qui sanctitati vestræ ostenderet nostra grauamina, non audemus vobis transmittere, verum etiam literas ipsas solas, nisi furtim & occulte nequimus destinare. Hoc tamen totum taliter vestræ sanctitatis dominationi supplicans committo, taliterque vestra discretio id moderetur, quod ad aures ipsorum Pisanorum venire non possit, me vobis talia contra eos scripsisse; alioquin eorum manus effugere non possem, cum sim circumuallata eorum hostili manu, & sub potestate degam crudeli eorumdem.]

a Lib. 2. ep. 751.

Pisani Honorio parent receptique in gratiam ecclesiæ.

97 Cæterum Honorius tum opera Vgolini legati, tum literis a Pisanos adduxit, in Sardinia vsurpata dimitterent, vt testantur ipsius literæ ad eorum archiepiscopum exaratæ, quibus literis in mandatis dedit illos in fidelium communionē reciperet b. Non propterea pacata Sardinia est: Vbaldus enim ac Lambertus prænobiles Pisani, qui insulam in suam tyrannidem redigere nitebantur totos in eam conatus effudere ad quos comprimendos iterum Honorio desudandum fuit. Neque illud hoc loco prætereundum, Honorium grauiter arguisse c Florentinum antistitē, quòd Apostolicæ sedis legato, cuius paulo ante meminimus, in Tuscia agente, Pisanos canonicos ad concilium euocare ausus esset. Viduata nuper fuerat pastore ecclesia illa, vt Honorij literę ostendunt d, atque haud ita multo post nouus archiepiscopus in eam sedem adscitus est e. Præterea in Florentinos vehementer inuectus est f Pontifex, quod ecclesiam ipsam Florentinam ad pugnam prouocassent.

b Ibid. ep. 749.

c Lib. 1. ep. 411.

d Ibid. ep. 305.

e Lib. 2. ep. 647.

f Ibid. ep. 672.

98 Ianuenses porro administrationem castri Bonifacij, quod ad Romanam Ecclesiam pertinebat, Othoni archiepiscopo, ac S. Siri, & S. Stephani abbatibus remittere iubet g, ex præscripto scilicet pacto aliàs inter ipsos & legatum Apostolicum inito: & episcopis, Assisinati, Vrcerino, alijsque mandauit, a vt Petrum basilicæ S. Petri canonicum, quem Massæ præfecerat, legatū reciperent. Quod verò ad Othonem Ianuæ archiepiscopum attinet; confirmauit ei Honorius, eiusque successoribus archiepiscopalem dignitatem, alijsque priuilegijs muniuit dato ad ipsum diplomate b amplissimo, e quo hæc decerpimus: *Nos igitur, qui in sede Apostolica B. Petro Apostolorum principi, licet non suffragantibus meritis, ex diuina dispositione successimus, reuerentiam, deuotionem, & sedulitatem obsequij, quam Ianuensis ecclesia, & tota ciuitas Ecclesiæ Roman. tempore necessitatis exhibuit, diligenter attendentes, considerantes etiam, quanta nobis, & successoribus nostris incrementa, & commoda per Ianuensem ciuitatem poterant prouenire, & antecessoris nostri felicis memoriæ Innocentij Papæ vestigijs inhærentes, qui Ianuensem ecclesiam archiepiscopalis dignitatis excellentia sublimauit, ad honorem, exaltationem, & gloriam præfatæ ciuitatis, quæ B. Petro, & sanctæ Rom. Ecclesiæ fidelissima, & ad seruiendum ei sicut dictum est promptissima perseuerat; & de cætero idem se facturam propensius pollicetur; ad exemplar tam ipsius Innocentij, quam felicis recordationis Alexandri, Clementis, Cælestini, & Innocentij prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum eamdem dignitatem tibi, & successoribus tuis communi fratrum nostrorum consilio duximus confirmandam.* Et infra:

g Ibid. 750. 548.

a Ep. 605.

b Lib. 1. ep. 418.

Priuilegia Ianuensi ecclesiæ ac reip. data.

99 *Præterea illam sincerissimam deuotionem, tam tuam, quam ciuitatis tuæ, multimoda obsequiorum seruitia, quæ Rom. Ecclesiæ fideliter, ac liberaliter impendistis, in memoria retinentes, vt Ianuen. clerus & populus, ad seruitium, & honorem Ecclesiæ tanto feruentius accendatur, quanto ecclesiam, & ciuitatem Ianuen. a sede Apostolica cognouerit amplius honorari, communicato fratrum consilio ad exemplar iam dictorum Alexandri, Clementis, Cælestini, & Innocentij prædecessorum nostrorum legationem transmarinam tibi, tuisque successoribus in perpetuum duximus concedendam.* Et infra:

100 *Denique, vt Ianuensis ciuitas, quæ cælestis numinis adiuta fauore de inimicis crucis Christi triumphum frequenter, & victoriam reportauit, & plurimas eorum vrbes mira quadam, & inuincibili potentia subiugauit, ampliori honoretur fastigio dignitatis; equo albo, cum nacto albo in processionibus vti, & crucem, vexillum videlicet dominicum per subiectam vobis prouinciam portandi, sicut prænominati antecessores nostri concessisse noscuntur; tibi tuisque successoribus licentiam damus, & liberam vobis concedimus facultatem. Ad hæc Ianuēsi ciuitati medietatem insulæ Corsicæ ad exemplar eorumdem prædecessorum nostrorum concedimus, ita scilicet, vt nobis, nostrisque successoribus Ianuensis populus, cum exinde fuerit requisitus, fidelitatem iuret, & pro pensione vnam libram auri singulis annis nobis, & successoribus nostris exsoluat, Saluis nimirum feudis, tam vestris, quam Pisanorum sicut a decem annis, & supra obtinuisse noscuntur, &c. Datum Later. per manum Ranerij sanctæ Rom. Ecclesiæ vicecancellarij VIII. kal. maij indictione VI. incarnationis Dominicæ anno millesimo ducentesimo decimoseptimo pontificatus vero domini Honorij Papæ III. anno primo.*

Corsicæ pars qua lege Ianuēsibus data.

101 Quod porro attinet ad episcopos sacris ab Honorio hoc anno pontificalibus initiatos, in huius anni regesto hæc leguntur c: *Istos consecrauit D. Honorius, episcopum Penuensem, episcopum Cremonensem, archiepiscopum Brundusinum, episcopum Firmanum, episcopum Papiensem, episc. Portuensem, episcopum Sabinensem, episcopum Helenensem, episcopum Signinum.* Postea additur d: *Istos dominus Honorius Papa III. consecrauit, episcopum ciuitatis Castellanæ, Interamnensem, Placentinum, Laudensem, archiepiscopum Viennensem, Tripolitanum, Callensem: archiepiscopum*

Episcopi hoc anno ab Honorio consecrati.

c Lib. 1. post ep. 424.

d Reg. l. 2. post epist. 732.

Regi-

Reginum archiepiſcopum, archiep. Arelatenſem. Quod ad Placentinum ſpectat, extant apoſtolicæ literæ ad Placentinos inſequenti anno pridie id. febr. datæ, quibus ad ſedem ſuam illum remiſit. Per id quoque tempus Salutiarum epiſcopo reſcripſit non teneri in die cœnæ Domini ad metropolitanum accedere, vt eum eo ſacrum chriſma conſecraret, hoc ipſi miſſo diplomate a: *Non videtur metropolitano licere, vt ſuffraganei ſui iura minuat vel immutet, niſi ſuper eo antiqua, & approbata conſuetudine vel ſpeciali priuilegio muniatur. Vnde reputari poteſt indignum, vt in die cœnæ Domini, quo debent in eccleſijs ſuis epiſcopi chriſma conficere, lauare iuxta exemplum Domini pedes pauperum, & reconciliare publice pœnitentes, ad metropolitanam eccleſiam, quæ per quadraginta milliaria, & amplius a te diſtat, chriſma ibidem cum metropolitano tuo confecturus accedas; quamquam idem metropolitanus tam in tua, quàm in alijs metropolitico ſibi iure ſubiectis eccleſijs, non ex ſpeciali priuilegio, vel antiqua, & approbata conſuetudine, ſed ex vſurpatione potius hoc obtinuiſſe hactenus videatur.*

a Ibid. ep. 759.

Suffraganeus ad Metropol. pro conſecrando chriſmate ſe conferre non tenetur.

102 Affecit pluribus prærogatiuis religioſos viros, ad quos exaratas eo argumento literas in margine breuitatis ſtudio apponimus b; confirmauit etiã Apoſtolica auctoritate religioſum S. Trinitatis ordinem ſub Innocentio III. conditum, atque approbatum, vniuerſiſque Chriſtiani orbis archiepiſcopis, epiſcopis ac præſulibus c, Regibus, cæteriſque principibus viris d ac populis e plurimum per literas commendatum eſſe voluit. Poſtea verò eccleſiam S. Thomæ Apoſtoli, & S. Michaelis archangeli de Formis in vrbe, illis ab Innocentio III. conceſſam, in tutelam recepit, ac priuilegio communiuit f, vbi pauca præfatus ſubiungit: *Cum igitur ordo ſanctæ Trinitatis modernis temporibus inceperit, eiſque Dominus in tantum dederit incrementum, quod a mari vſque ad mare ſuos palmites iam extendit, cuius regulam diligenter examinatam felicis memoriæ Innocentius Papa prædeceſſor noſter auctoritate apoſtolica duxit confirmandam, & ad eiuſdem ordinis propagines augmentandos eccleſiam ſancti Thomæ Apoſtoli, & ſancti Michaelis archangeli de Formis in vrbe vobis, veſtriſque ſucceſſoribus præfatam regulam obſeruantibus apoſtolica auctoritate conceſſit. Nos ad exemplar prædicti prædeceſſoris noſtri eccleſiam ipſam ſub B. Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti priuilegio communimus. In primis ſiquidem ſtatuentes, vt ordo ſanctæ Trinitatis, qui ſecundum Deum, & præſcriptam regulam in eadem eccleſia inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obſeruetur, &c. Dat. Later. per manum Raynerij S. R. E. vicecancellarij v. kalen. mar. indictione quinta, incarnationis Dominicæ anno* MCCXVI. *pontificatus verò domini Honorij Papæ III. anno* 1. Aduertendum verò videtur hic anni initium, vt ſæpe fit, a concepti Chriſti die deſumi, in Honorij verò pontificatus annis numerandis a natalitio Domini computari.

b Lib 1. ep. 192. 214. 247. 256. 318. 325. 326.

Ordo S. Trinitatis ab Honorio confirmatus.

c Lib. 1. ep. 259.

d Ibid. ep. 261.

e Ep. 260.

f Ep. 319.

IESV CHRISTI
Annus 1218.

HONORII PP. III. annus 2. · OTHONIS IMP. annus 10.

1 PRæclariſſima crucesignatorum copiæ, quæ in Sarracenorum terras incurrerant, diuina ope fultæ, anno Redemptoris milleſimo ducenteſimo decimo octauo, indictione ſexta, facinora explicuerunt, & ſi felicibus initijs pares ſucceſſus reſpondiſſent, tota Aegyptus Chriſtianorum imperio adiuncta fuiſſet. Sed antequam geſta a fidelibus in oriente aggrediamur, nonnulla nobis de legato ad cruce inſignitos ab Honorio miſſo, vt quæ ad religionis cultum ſpectarent, componeret, delibanda videntur. Is erat Pelagius Albanenſis epiſcopus geſta antea Conſtantinopoli, dum Henricus viueret, legatione clarus; quem Honorius Apoſtolicis literis a orientalibus commendauit, eoſque diuinam gratiam, amandatis procul omnibus vitijs, ſibi conciliare monuit: tum nuncio reportatæ anno ſuperiori in Luſitania non ſine diuinis prodigijs victoriæ, ad debellandos numinis hoſtes incitauit.

Pelag. Albanen. ep. in crucesignat. exercitu legatus.

a Hon. l. 2. ep. 117.

Honorius, &c.

2 Ammonitarum dux Achior interrogatus ab Aſſyriorum principe Holoferne, qua virtute, cuiuſque Regis potentia confiſus populus Iſraël eius imperium contempſiſſet: populus, inquit, iſte colit dominum Deum cæli, a cuius cultura quotieſcunq; receſſit, datus fuit in prædam, gladium, & opprobriũ; quoties verò pœnituit, & clamauit ad dominum Deum ſuum, dedit ei virtutem, & potentiam reſiſtendi. Hoc nimirum exemplo, & alijs multis, quibus erudiri debuerat, arguitur populus Chriſtianus, qui & Deum ſic ad iracundiam prouocauit, ab eius mandatis auditum, & greſſum a ſemitis auertendo, vt propter eius offenſas in ſuam hæreditatem gentes venire permiſerit, & ipſum digna ſatisfactione placare, ad percutientem ſe humiliter reuertendo, hactenus non curauit, propter quod ad liberationem Terræ ſanctæ, quaſi fruſtra laborarunt prędeceſſores noſtri Romani Pontifices; fruſtra laborauit & populus Chriſtianus, niſi quia multi ad id feruenti deſiderio inſiſtentes, etſi terrenam Hieruſalem recuperare nequiuerint, cæleſtem tamen per martyrij palmam, vt credimus, ſunt adepti.

3 Speramus autem, quod etſi omnes quotidie offendamus in multis; ille tamen, qui miſericordiam ſuam in ira non continet, tandem ſuo decreuit populo miſereri, cum innumera multitudo de cunctis Chriſtianorum partibus, eo inſpirante, ſuſcipiens ſignum crucis ad ſubuentionem veſtram, & ipſius terræ liberationem viriliter ſe accingat, & ipſe Dominus iam fecerit nobiſcum ſignum in bonum, crucesignatis per Hiſpaniam tranſeuntibus non ſolum miraculoſam tribuendo victoriam, verum etiam illos quorundam oſtenſione ſignorum miſericorditer cõfortando [admirandam huiuſcemodi crucesignatorum victoriam ſupra b enarrauimus, de ipſorum verò profectione, atque Acconem poſt ſæuas tempeſtates ſuperatas appulſu, agit Godefridus. c]

Relatæ in Hiſp. diuinitus victoriæ exẽplo crucesignatos in Sarracen. excitat.

b An. ſup.

c God. f. in Ann. an. 1218.

4 Ne verò, quod abſit, inanis ſit labor fidelium, qui ad ipſius terræ liberationem inſiſtunt, ſi zizania inter eos ſeminante homine inimico, angelus qui de ipſorum medio colligat omnia ſcandala, non mittatur; venerabili fratri noſtro Pelagio Albanenſi epiſcopo Apoſtolicæ ſedis legato, viro vtique prudentia, honeſtate, ſcientia, & benignitate conſpicuo, laborem peregrinationis iniunximus, vt exercitum Domini cum humilitate præcedens concordes in concordia foueat, & ad pacem reuocet impacatos. Ne igitur vltramarini populi peccata præpediant, quod ciſmarini deuotio de Dei miſeratione confiſa nititur obtinere; vniuerſitatem veſtram monemus, & exhortamur attentius, & per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos tales exhibere curetis, & ſic commiſſos vobis populos excitetis ad opera pietatis, vt ipſis in cælum clamantibus, Dominus ſabaoth eorum humiliatione placatus exercitui ſuo victoriam tribuat, & barbarorum feritate confuſa hæreditatem ſuam reſtituat hæredibus Dei, cohæredibus autem Chriſti, quatenus conueniant in Hieruſalem, qui eam diligunt, facientes, & gaudentes cum lætitia, qui in triſtitiæ tempore iam tanto fuerunt, in hymnis, & confeſſionibus Domino benedicant, & Redemptoris noſtri ſepulchrum nũc exigentibus culpis noſtris factum inglorium, reddant iuxta vocem propheticam

Ad mutuã animorũ coniunctionem hortatur.

gloriosum, &c. Monet crucesignatos, vt legatum quo par est honore prosequantur, eiusq; imperijs obtemperent, cum in eum ad diuinam augendam gloriam summam contulerit auctoritatem. *Dat. Romæ apud S. Petrum xv. kal. iun. an. 2.*] Hæc etiam scripsit a ad regionum illarum Reges, duces, cæterosque principes viros, ac peculiare ijs de rebus diploma b ad legatum dedit. Pelagium porro Brundusio cum Iacobo Andriæ comite Romani exercitus principe in orientē hoc anno traiecisse, testatur Richardus notarius c.

a Reg. post vnd. ep. b Ep. 1173. c Richar. de S. Ger. in chron.

5 Accinxerat se Syriacæ profectioni Pelagius, cum magna virorum principum multitudo ex Gallijs Ianuam confluxit: inter quos Burdegalensis archiepiscopus, Parisiensis, atque Andegauensis episcopi, Marchiæ & Niuerni comites, dignitate eminebant; qui flagitauere ab Honorio, vt legatū Cardinalem itineris comitem ipsis adiungeret. Quibus Pontifex scriptis quinto kal. aug. huius anni literis rescripsit d, se ad eos R. tit. S. Stephani in Cœlio monte presbyterum Cardinalem non ad gerendam legationem, sed ad diuina oracula pro concione exponenda, cum ad id sacra eloquentia valeret, mittere; nec legati munus ipsi, vt deposcebant, posse committere, cum iam illud Pelagio demandasset, ad quem in ijs, quæ ad legati apostolici partes spectarent, cōfugere, eiusq; imperijs obtemperare hortatus est. Præterea eiusdem argumenti epistolam e misit ad comitem Niuernensem, vbi susceptum ab illo profectionis Syriacæ consilium laudibus effert, & aliam Beluacensi electo, qua potestatem transfretandi fecit f.

d Hon. l. 3. ep. 1. R. tit. S. Steph. in Cœlio mōte presb. Card. ad hortandos crucesignatos missus. e Lib. 2. ep. 1294. f Lib. 3. ep. 108.

6 Peruenere interea ad Honorium sub augusti mensem e crucesignatorum Pelusiacam Pharum obsidentium castris literæ, quibus docebant belli molem in Aegyptum multiplices ob causas esse conuersam, cum eo debellato regno Terra sancta Christianorum armis facilè comparanda videretur; ex Aegypto nimirum infidelium copias effundi solitas, magnas inde a barbaris opes hactenus petitas, stetisse tandiu Hierosolymitanas res, dum Aegyptus Damasceno regi non paruit; vbi ea regna sub eodem sultano coaluere, tum demum collapsam rem Christianam fuisse; præclaras verò rei gerendæ spes affulgere, magnis iam molibus turrem Phaream in medio Nilo sitam obsideri, disiectam iam hostium classem. Quo verò statu Christiana res versaretur, Ioannes Rex Hierosolymorum, dux Austriæ, patriarcha Hierosolymitanus, archiepiscopus Nicosiensis, alijque præsules his verbis descripsere g:

Cur in Aegyptū crucesignati irrupere. g Apud Honor. l. 3. ep. 38.

7 *Congregato exercitu ex varijs nationibus quantum potuimus nauigium in magnis expensis curauimus ordinari, de confidentia Dei, cui non est differentia superare vel in millibus, vel in paucis, ac de vestra celeri subuentione sperantes, illud attentauimus negocium, licet rebus, & viribus impares infidelibus inimicis, quod nec a Regibus vel ab Imperatoribus nouimus attentatum. Significamus igitur vobis, quod primi nauigantes de exercitu Christiano tertia feria proxima ante pentecosten applicuerunt portus Damiatæ, in quo accessu misericors Dominus mirabiles primitias gratiæ suæ nobis impendit, & futurum fauorabilem se ostendit. Nam contra spem omnium, nullo infidelium resistente, licet multa millia essent in ciuitate, & extra, pauci descenderunt de nauibus ad terram, & ante præfatam ciuitatem libere castra posuerunt.* Prima illa agmina, quæ Pelusium applicuere, Coloniēses ac Frisios fuisse indicat Iordanus h, quibus comitem de Saroponte præfectum fuisse ait: *Exercitus capitaneum elegit comitem de Saroponte, & ad portum maris Damiatæ applicat & hostiles terras occupat ante Regis & cæterorum aduentum.* & infra: *Facta quoque est generalis fere lunæ eclipsis, eoque tempore multi barones de Francia cum populo copioso transfretare incipiunt, Rex autem Hierusalem cum reliqua parte exercitus peruenit ad locum.* Hæc Iordanus, quæ vero secuta sint, ex memoratis literis accipiamus:

German. in obsid. Pelusio virtus egregia. h Iord. M. S. bibl. Vat. sign. nu. 1960.

8 *Eo quidem tempore, quo latores præsentium nuncij nostri recesserunt a nobis, status obsidionis talis erat. Siquidem erexeramus machinas nostras ad expugnandum turrim quamdam sitam intra fluuium, brachium Nili, scilicet a qua turri protenditur catena ferrea per medium fluuium vsque ad ciuitatem, præstans impedimentum nostris nauibus transituris.* Ijs catenis litus clausum ait Godefridus a eo consilio, ne naues, quæ ex Æthiopia secundo flumine aromata deuehunt, in mare non soluto vectigali euaderent: inde enim ea in alias longè submotas terrarum oras inferri consueuisse, ingentesque opes ex eo sultanum conficere solitum: *Tamen in recessu nunciorum ita processeramus in negocio Iesu Christi, quod naues, & galea nostra galeis inimicorum nostrorum in fluuio præualebant, & in superiori parte fluuij consistebant, ita quod hostiles galeæ liberum nauigium non habebant, nec aliorum Sarracenorum galeæ habebant aditum ad ciuitatem.*

Pelusiacæ obsidionis descriptio. a Godef. in annal. hoc ann.

9 *His igitur vobis nunciatis supplicamus sanctitati vestræ in Domino, & pro Domino, flexis genibus exorantes, quatenus Christiano exercitui magnis periculis exposito curetis misericorditer, & celeriter subueniri. Non enim de virium nostrarum confidentia tantum onus subire præsumpsimus, sed de vestra post Deum sperantes subuentione ausi sumus in remotis partibus obsidionem inchoare, & ciuitatem excellentissimam, atque munitissimam impugnare. Qua obtenta firmiter speramus, vt totam possemus Aegyptum obtinere & Terram S. pro qua laboramus, finaliter obtinere.* Subijciunt soldanum maximas contra Christianos copias contrahere, ac verendum, vt nisi matura auxilia cōcurrerint, demum fideles sub barbarorum potentia fatiscant, indeque res Terræ S. pessundatum iri. Quibus Honorius permotus Gallis alijsque, quos Ianuam confluxisse antea vidimus, religioso pro imperio præcepit, vt coniunctis armis animisq; versus Pelusium vela facerent, Ægyptumque cultui numinis subijcerent. Eadem Honorius crucesignatis alijs, qui ex Germania Venetias concurrerant, imperia fecit, vt recto itinere Pelusium ad ferenda auxilia contenderent, vt testatur in literis, quibus eorum animos, qui in Pelusij obsidione versabantur, excitauit; monuitque b promptissima ipsis auxilia suppeditatum iri: defigerent vero præcipuam in numine spem, ad cuius defendendā causam ancipites periculorum æstus penetrarant; illius ope fultos numerosissimos hostium exercitus dissipaturos, continuis propterea precibus ac vita ab omni vitiorum labe, & contagione aliena illius gratiam sibi comparare niterentur.

Implorāt crucesignati auxilium a Pontifice. Imperat̄ mare conscensum crucesignatis Pelusium cōtendere. b Hon. l. 3. ep. 39.

10 *Receptis literis vestris, & nuncijs, & intellecto quam arduam rem estis, de diuino auxilio confidentes, aggressi, etsi subito concussa fuerint ossa nostra, dum paucitatem vestram respectu oppositæ multitudinis pensaremus, mox tamen occurrente nobis, quod legitur: Dominum formidabunt aduersarij eius, & super ipsos in cælis tonabit; fuimus fiducia, & consolatione repleti.* Et infra: *Volentes autem operationi diuinæ, nostræ humilitatis ministerium adhibere; continuo Ianuam, Venetias, ac per alios Italiæ portus literas nostras direximus, crucesignatos, qui ad portus ipsos conuenerant, & conuenire debebant, attentius exhortantes ac monentes, terrarum episcopis ac rectoribus, vt diligenter exhortentur eosdem, vt ad succursum vestrum celeriter festinantes, versus ciuitatem Damiatam in nomine Domini sabaoth dirigant iter suum, &c.*

Significat Honorius crucesignatis Pelusium obsidentibus quid egerit pro mittendo subsidio.

11 Hortatur ad seruandam mutuam animorum coniunctionem, atque cœlestis auxilij expectatione erigit, cum vniuersa Ecclesia pro felici armorum piorum successu in preces sit effusa, ni tamen isti fortè impuriore vita diuinam in se iracundiam asperarent, seruarunt illi imperatam aliquandiu concordiam. Verum aduentu Pelagij legati Apostolici animos fidelium

Orta inter Pelagium leg. & Ioā. Reg. Hier. magno rei Christianæ exitio discordia.

lium fuisse diuisos scribit Iordanus, qui contentionis causam adducit: *Superuenit & legatus Pelagius; & cum Rege* (nimirum Ioanne Hierosolymitano) *qui prius exercitui dominabatur, colloquium sua auctoritatis habuit, allegans quod ipse debebat exercitui praesse, quia & passagium erat per ecclesiam ordinatum, & crucesignati ad suum regnum non pertinerent: Rex autem verba dissimulans, pro domino se gerebat, ac per hoc exercitus est diuisus, & quisque affectionem sui domini sequebatur.* Interea prouolasse ingentibus succinctum copijs sultanum ad defendendum Pelusium, cuius bellicum apparatum nostris terrori fuisse vidimus ex ipsorum literis, Christianosque ex aduersa ripa lacessere cœpisse, Ricchardus scribit; sed promeruere diuinum auxilium effusæ continuæ ab vniuersa Ecclesia preces: post varios enim impressos impetus, vt idem auctor a Stadensis b, Godefridus c ac Parisius d, & alij tradunt, Pharea turris expugnata est. Non modico tamen cruore stetit victoria: addunt enim lectissimos viros naui impositos cum admotis scalis in turrim loricati certatim continua serie assilirent; tanto pondere diffractis ijs, omnes in flumen, tristissimo nostris, hostique lætissimo spectaculo præcipites effusos: Christianos tamen resumptis animis nouos impetus nouis adhibitis machinis impressisse; ac Pharo tandem potitos omnesque paucis exceptis, qui in signum victoriæ reseruati vitæ, Acconemque missi, obtruncatos: Cuius munitissimæ turris expugnationem ita Godefridus describit: *Tandem magister Oliuerius scholasticus Coloniensis ex puris eleemosynis pauperum ædificium construxit, in qua erant propugnacula & pons. Hoc opus in die S. Bartholomæi turri appositum est, Sarracenis viriliter in eadem turri se defendentibus, modo sagittis, modo lapidibus, modo lanceis, & maxime per ignem. Attamen diuina clementia orationibus, & lacrymis pauperum placata, extinctus est ignis in ponte, & turrim Christiani audacter intrant; & capiunt. & sic quidam ex Sarracenis sunt interfecti, quidam in Nilo submersi, quidam in aquam se projicientes euaserunt, & plusquam centum capti sunt.*

a Richar. de S. Ger. hoc ann. 1217.
b Stad. in chron.
c Godef. in Annal.
d Par. hist. Angl.

Coloniensium militus expugnatione præcipua gloria.

Admota Pelusio castra.

12 Redacta in Christianorum potestatem Pharo admota sunt Pelusij obsidioni castra, magnisque molibus ea ciuitas florentissima opibus, milite, cõmeatu muroq; duplici munitissima vrgeri cœpta, interea Saphadinus a crucesignatis propulsatus non diu pudori superfuit; Godefridus enim institutæ narrationi adjicit: *Post captam siquidem turrim in profundo Nili fluminis sitam, Saphadinus inueteratus dierum malorum dolore* (*sicut asseritur*) *nimio tactus, exhæredator fratruelium suorum, & vsurpator regnorum Asiæ, mortuus est & sepultus in inferno.* Sic auctor. idem de Saphadini interitu ijsdem pene verbis Matthæus Parisius, qui hæc fusius prosequitur; additque Saphadino successisse Coradinum eius filium, sæuissimum hominem, quem ad satiandam ob Damiatæ obsidionem iracundiam, Hierusalem mœnia, ac turres deiecisse, ait vrbemque solo æquasse; sed hac de re proximo anno dicetur. Contraxie verò admodum, depressitque infidelium animos Pelusij obsidio, adeo vt ad conflandas copias educendaque ex arcibus præsidia illarum plures funditus euerterint, quas aduersum Christianos tueri non posse metuebant. ita tunc arx munitissima monti Thabor imposita ac septuaginta turribus cincta, a qua anno superiore Rex Hierusalem propulsatus fuerat, excisa est e: tantum vero ex Pelusiaci belli euentu læto aut tristi omnium fluctuabant animi, vt Honorius Senonensi archiepiscopo scripserit in hæc verba f: *Rem aggressus est exercitus Christianus existens in partibus transmarinis, in qua consistit aut plena victoria; aut vincendi desperatio manifesta. obsedit enim ciuitatẽ Damiatã opulentã & magnam, &c.*

e Godef. vbi sup.
f Hon. l. 3. ep. 136.

13 Augebant sanè præ cæteris Pontificis vigilantissimi proferendæque religionis Christianæ cupidissimi animum illius successus curæ grauissimæ, quas in cæteros præsules etiam transfudit sollicitauitque a, vt omni ratione crucesignatos ad ferenda auxilia maturare iter juberent, quos vt incitaret magis atque incenderet, rerum hactenus egregie a Christianis gestarum seriem exposuit, vt ex referenda victoria partem gloriæ decerperent: *Confisi autem de diuino auxilio præsumimus meliora, cum Dominus faciens nobiscum signum in bonum impijssimum soldanum Saphadinum præcipuum malleum sanctæ Terræ nuper rebus humanis exemerit, & inter infideles discordiam immiserit generalem antiquo soldano Damasceno filio Saladini pugnante contra patruum suum, & filium eius soldanos, & sic totam terram infidelium perturbante, vt alto consilio eius, qui admirabili prouidentia cuncta disponit, manus conuerterint in seipsos, per quod sperandum est, quod Deus regnum eorum in seipsa diuisum disposuit desolare, qui etiam propugnatorum suorum deuotionem respiciens, eis ex insperato tradidit turrim quamdam mirabilis fortitudinis, quæ sita in medio fluminis, & protensis catenis ferreis accessum ad dictam denegans ciuitatem; eam inexpugnabilem reddere videbatur; tanta siquidem latitudinis, vt trecenti armati consisterent in eadem, quos omnes cum ea in suorum fidelium manibus tradidit Dominus Deus noster ac etiam in hostes suos tantum terrorem immisit, vt montem Thabor, quem in grande dispendium Christiani populi castellauerant, & alia quadam munita loca suffossis muris præ timore reliquerint, nullum locum sibi satis tutum putantes, si Christianus exercitus contra sæpe dictam præualuerit ciuitatem.*

Excitat Galli ad mittenda crucesignatis supplementa.
a Reg. post eand. ep.

Sarraceni inter se animis diuisi.

Arx in monte Thabor excitata ab ipsis euertitur.

14 *Hæc attendentes venerabilis frater noster patriarcha Hierosolymitanus, & episcopus Albanen. Apostolicæ sedis legatus, nec non & charissimi filij.. Rex & magistri Hospitalis & militiæ Templi, & sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitan.... dux Austriæ, .. ac principes exercitus Romanorum alijque prælati, & magnates consistentes in obsidione prædicta, literis suis, & precibus, quæ lapidea etiam corda emollire possent ad lacrymas, nobis instantissime supplicarunt, vt cum expensæ, quas fecerunt, & faciunt in machinis, & galeis, ac alij bellici sumptus eos pecunia sic exhauserint, vt viris bello strenuis, qui pro defectu rerum remeare coguntur, necessaria ministrare nõ possint, & sic exercitus paulatim quotidie dilabatur, eis post Deum in cismarinorum auxilio totam spem habentibus, tam bellatorum, quam pecuniæ succursum mittere festinemus. Monemus igitur vniuersitatem vestram, & obsecramus per aspersionem sanguinis Iesu Christi, qui pro vobis tradidit semetipsum, quatenus ponentes ante oculos vestræ mentis, quantum gaudium quantaque exultatio erit iustis in Domino, si cœptum negotium finem ipso dante habuerit exoptatum; & apud vos recogitantes econtra, quantam confusionem, quantumque mœrorem contrarium afferret toti populo Christiano, præfato exercitui succurratis, sicut res expostulat festinanter; prouidentes, quod vos filij crucesignati proximo martio, vel saltem maio transfretetis, &c.*

15 Compellat archiepiscopos & episcopos, imperatque vt censurarum terrorem consignatis cruce militibus iter suscipere detrectantibus incutiant: tum prouinciam imponit in sacri belli stipendia coactam redditruum vigesimam equitibus religiosis designatis a sede Apostolica impertiantur, quo necessaria auxilia instrui conflarique possint: tum ipsos exemplo suo incitat, vt qui præter Cardinalium decimas, atque ab Innocentio III. collatas pecunias vltra viginti marcharum millia pro bello sacro consumpserit, ac iam quinque millia in tam pio opere sit collocaturus. Cũ vero de Ioanne Rege Hierosolymitano Templarijsque atque Hospitalarijs calumnia disseminata a maleuolis fuisset, ipsos sacras opes in suos vsus auertisse, eaque patriarchæ, legati, ducis Austriæ, aliorumque

De colligendis in crucesign. stipendia decimis imperat.

principum literis ab ijs depulsa fuisset, adeo vt e contra omne suum ærarium ad sustinendos in Pelusij obsidione sumptus effunderent præcepit, vt ipsorum integritatem promulgarent, ac tanquam veros Christi athletas, & Christianæ fidei defensores prædicarent; ad detergendam quoque ex aliorum populorum animis eandem calumniam, ad alios Galliarum, Angliæ, & Siciliæ præsules scripsit [a] nefarium rumorem sopirent.

a Lib. 3. ep. 339.

Præclara de Hospit. virtute testimonia.

b Extat apud Hon. lib. 2. ep. 1215.

16 Præclarum verò de Hospitalariorum virtute edidit per hæc tempora testimonium Andreas Vngariæ Rex in regio diplomate [b], quo ad referendam ijs equitibus gratiam, a quibus egregie exceptus fuerat, atque eximia charitatis Christianæ in proximum exempla explicari viderat, amplissima bona contulit illorumque operam laudesq; his verbis æternitati commendauit: *Quia sacratissimam domum Hospitalis S. Ioannis Baptistæ de Hierusalem, prout antea didiceramus auditu, cum ad sanctæ Terræ subsidium accessimus diuersis virtutum operibus in totius Christianitatis profectum, & honorem resplendescere cognouimus, huius sacratissimi collegij toto corde totisque viribus subiantes desiderio diuinæ pietatis intuitu, in redemptionem animæ nostræ, & animarum prædecessorum nostrorum memoratæ domus meritis, & interuentu veniam apud Deum consequi cupientes; quasdam nostræ largitionis donationes & eleemosynas sanctæ domus Hospitalis de Hierusalem, in manus fratris Guarini de Monteacuto dictæ sanctæ domus Hospitalis venerabilis magistri, & omnium fratrum eiusdem domus præsentium, ac futurorum ad vsus, & proprietatem, & ad ius memoratæ domus, & ad possessiones perpetuas decreuimus fore largiendas.*

17 *Nec immerito, cum illic personaliter hospitati videremus innumerorum pauperum cœtum diurno pastu quotidie sustentari, fessos languidorum artus lectis ternijs, varijsque ciborum copijs refici, mortuorum corpora cum debita veneratione sepeliri, & vt in genere singulorum referamus, quæ per singula generum enarrare non possumus, vt Mariam, & Martham sacratissimum sæpe dictæ domus Hospitalis collegium, nunc varijs sinceræ contemplationis vsibus intendere, nunc contra Dei aduersarios & hostes crucis Christi, aduersus etiam Amalech incessabili perfecta militia conflictu, de die in diem dimicare, &c.* Adiecit huic diplomati apostolicam auctoritatem Honorius, quod etiam pontificio inseruit, ex quo hæc decerpsimus [c]. neque has solum donationes, verum alias etiam tum ab eodem Rege Hospitalarijs [d], tum a Friderico Romanorum Rege [e], atque a Treuerensi archiepiscopo [f] factas magistro ac fratribus Hierosolymitani hospitalis S. Mariæ Theutonicorum.

c Lib. 2. ep. 1205.
d Ibid. ep. 1226. 1227. 1228.
e ibid. ep. 957. 958
f Ep. 959.

Hugon. Reg Cypr mors.

18 Quod ad Andream Vngariæ Regem attinet; ipse turpiter admodum e Palæstina, superiore anno exeunte, Tripolim se subduxerat, ac secum Hugonem Cypri Regem traxerat, qui magno sui desiderio ac luctu omnes confecit. de quo hæc Iordanus: *Eodem anno*, nimirum præsenti, *Hugo Rex Cypri in Tripoli moritur, relicto Henrico paruulo IX. mensium & duabus filiabus, vna nupsit Gualtero comiti Brennensi, altera Isabella filio principis Antiochiæ*. Hausit grauissimum ex illius morte dolorem Honorius, cum egregij principis præclaræ virtutes magnam amplificandæ religionis expectationem concitassent; atque ex eius morte Cypri regnum varijs tumultibus fluctuare cœperit, & auxilia quæ Syriæ submittebantur, ob intestinum malum fuerint intercepta. Suscepit verò Pontifex Reginæ ac filiorum patrocinium, ac Pelagio episcopo Albanensi A. S. L. tuendæ Reginæ, & procerum qui tumultuabantur, comprimendæ temeritatis prouinciam imposuit [g], cum summo Templariorum equitum magistro defendendo eidem regno incumbere iussit [h], ne Cyprij tumultus Terræ S. rebus perniciem afferrent; denique ingentem Reginæ viduæ luctum his literis delinire studuit [i].

Suscepti ipsius filiorum ab Honorio patrocinium.

g Ep. 1270.

h Reg. post eand. ep. Ep. 1267.

Ill. Reginæ Cypri.

19 Credimus, immo pro certo tenemus, quod pro morte claræ memoriæ H. Regis Cypri viri tui eo fortius angustiæ te circuodant, & dolor animum tuum angit, quo tibi, & liberis tuis grauius ex hoc sentis imminere dispendium, ac regnum Cypri vides sine regimine periculosius fluctuare. Vnde nos, qui eius vices in terris gerimus, qui est mœrentium consolator, tanto benignius tibi super huiusmodi dolore compatimur, quanto Regem eumdem deuotiorem Ecclesiæ Romanæ cognouimus, & rumor mortis ipsius nos vehementius conturbauit. Ne autem quisquam ex hoc contra te, aut regnum prædictum audaciam molestationis assumat, nos in consolationem doloris, & angustiarum tuarum solatium, tuam & pupillorum tuorum personas, ac regnum præfatum, sub Apostolicæ sedis, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti patrocinio communimus, districtius inhibentes, ne quis vos, & regnum præfatum præsumat temere molestare. Nulli ergo &c. *Dat. Later. IV. id. iul. pontif. nostri an. 2.*] Hactenus de Cypri ac Syriacis rebus: nunc ad Constantinopolitanas sermonem traducamus.

Theodor. Angel. ecclesiæ conciliatur.

20 Rediit ad coniunctionem Romanæ Ecclesiæ Theodorus Angelus Comnenus Epiri dynasta, ad quam ineundam Crotonensis episcopus atque Effrem eremita, qui vltro citroque ad Theodorum & Honorium commeabant, intercessere. Cum ergo Theodorus oratorum opera schisma abiuraret, Apostolicis imperijs obsequentem se fore polliceretur, ac Ioannem Columnam tit. S. Praxedis presbyterum Cardinalem legatum, qui vna cum Petro in vincula abductus fuerat, libertati redditurum, Honorius episcopo Crotonensi Theodori absoluendi recipiendique in ecclesiæ gratiam partes imposuit mox atque legatus Cardinalis Brundusium aut in alium locum qui tutus foret, se contulisset. tum præcepit, vt Latinis qui cum Theodoro versabantur, ex omnibus quæ compararent, pro belli sacri stipendijs decimas persoluere imperaret. in ijs vero litteris Honorius nullam Petri Imperatoris mentionem edidit ac nobis incompertum est, an e viuis discessisset in vinculis, an libertati Imperioque fuerit restitutus.

Iubetur absolui modo legatum liberet.

21 Ambiuit vero sedis Apostolicę gratiam Theodorus indictæ crucesignatorum expeditionis, quæ aduersus ipsum a Venetis, Gallis, Vngaris & Constantinopolitanis conflabatur, terrore adductus, quos omnes Honorius propositis, vt vidimus anno superiori, indulgentijs aduersus ipsum concitarat. Pontifex vero cum omnes curas in recuperanda Syria proferendisque religionis Christianæ limitibus defigeret, ab instruenda contra Græcos expeditione facile destitit; oblatasque a Theodoro pacis conditiones admisit: imo tanta fuit ipsius conciliandi Ecclesiæ, Græcosque ab schismate abducendi cupiditas, vt ipsum in sedis Apostolicę clientelam receperit [a] & crucesignatis, qui Venetias & Anconam confluxerant, intentato anathematis terrore ab inuadenda Theodori Comneni, vt filij Ecclesiæ obsequentissimi, ditione reuocarit. quo argumento ad episcopum & clerum Venetum & Anconitanum literæ [b] sunt datæ. Alijs vero literis Theodorum est hortatus [c], vt promissa non scriptis, sed operi mandaret, legatum solueret atque alios, inopes maxime quos tenebat in vinculis, diuina pronocatus misericordia liberaret.

Reuocat Honorius crucesignatos ab inferendo bello Theodoro

a Ep. 881.

b Ep. 884. & reg. post eand. ep.
c Ep. 882.

Theodoro duci Comneno.

22 Gratum gerimus, & acceptum, quod sicut ex relatione venerabilis fratris nostri Ioannis episcopi Crotonensis accepimus, ipsum & fratrem Effrem eremitam nuncios nostros hilariter recepisti, & honorifice pertractasti, ac dilectum filium nostrum Ioannem tituli S. Praxedis presbyterum Cardinalem A. S. L. honoras, & erga illum te mansuetum exhibes, & beni-

Accipit illum in clientelam Apostolicam.

benignum, tuamque personam ad sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ deuotionem exponens, ac ipsam primam recognoscens, & matrem, nobis obedire proponis, sicut deuotus filius pio patri. Pro quibus deuotionem tuam in Domino commendantes, ei a quo est omne datum optimum, & omne donum perfectū gratiarum referimus actiones; suppliciter postulãdo, vt ipse, qui hæc tibi misericorditer inspirauit, det & perficere, ac perseuerare in ijs vsque in diem Domini Iesu Christi. Super quo & tu ipse debes humiliter exorare, cum ad id & fides catholica, quam tenes, vt credimus, te inducat, & fructus non modicus, qui ex hoc prouenire tibi poterit, in præsenti præter æternæ gloriæ diadema, quod tibi si perseueraueris, reddet Dominus iustus iudex.

22 Inde est quod nos recepto pro te ab eodem episcopo, sicut ei per tuas literas, quas coram nobis legi fecimus, præcepisti corporali iuramento, quod prædictum Cardinalem omnimodæ restitues libertati & filius obediens nobis eris, ex cõsueta clementia, qua Ecclesia consueuit ad se redeuntibus gremium aperire; te annumerandum duximus inter Ecclesiæ filios speciales; & petitiones, quas idem episcopus ex parte tua nobis porrexit, in quantum cum Deo potuimus, de fratrum nostrorum consilio exaudire curauimus, sicut per effectum euidenter apparet, firmiter æstimantes, quod & tu debeas adimplere promissa, prout Deum timentem, & catholicum virum decet.

23 Cum igitur sola perseuerantia brauium accipiat virtutibus in stadio currentibus vniuersis, nobilitatem tuam monemus & exhortamur in Domino, quatenus in deuotione, ac obedientia Apostolicæ sedis, & nostra sic firmiter perseueres, id potius per exhibitionem operis, quam per scripta monstrando, quod & diuinam gratiam merearis, & fauorem Apostolicum plenius obtinere. Præterea, cum ex iniuncto nobis Apostolatus officio, te ac alios Ecclesiæ filios debeamus ad pietatis opera inuitare, nobilitatem tuam rogamus attente, & monemus in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatenus diuinæ pietatis intuitu, & nostrarum precum obtentu, captiuis apertas viscera pietatis, & pauperes præsertim, & alios, de quibus nullum potest tibi cõmodum prouenire, restituas libertati, vt & misericors Dominus te a tuorum absoluat vinculis peccatorum, qui se illis non dimissurum testatur, qui fratribus non dimittunt; solicite recolendo, quod iudicium sine misericordia fiet ei, qui non facit misericordiam, beato Iacobo attestante. *Dat. Later. VIII. kal. febr. pont. nostri anno secundo.*]

Hortatur captiuos vinculis liberet.

24 Dimissum a Theodoro Comneno Ioannem Columnam Cardinalem tradit Ricchardus a Constantinopolim ad gerendum legati munus se contulisse. Imposita in primis illi prouincia est, vt docent literæ b Pontificię, clericis Constantinopolitanis, qui multa mala ab impijs hominibus pertulerant, opem ferret. tum de nonnullis quæ aduersus canonicas sanctiones a Græcis gerebantur, a legato ipso consultus illud agendum rescripsit, quod titulo de transactionibus inseritur c. deinde abdicationes antistitum ab episcopali munere recipiendi, eosque ecclesijs alijs præficiendi potestatem ipsi legato fecit d atque alia tribuit priuilegia e. postremo hæc de pallij vsu pro Corinthiensi archiepiscopo scripsit f:

Dimissus Ioan. legatus Constantinop. se confert.
a Rich. de S. Germ. in chron.
b Hon. l. 2. ep. 1173. 1174.
Munera illi ab Honorio imposita.
c Cap. 12 parte extr de trãsact.
d Lib. 3. ep. 61.
e Ib. ep. 62
f Ep. 95.
Patr. Constan. accepto a Rõ. Põt. pallio illud alijs largitur.

25 *Cum in generali concilio prouida sit deliberatione statutum, vt Constantinopolitanæ sedis antistes, postquam a Romano Pontifice receperit pallium, quod est plenitudinis officij pontificalis insigne, præstito sibi fidelitatis & obedientiæ iuramento licenter suis suffraganeis pallium largiatur, recipiens pro se professionem canonicam, & pro Romana Ecclesia sponsionem obedientiæ ab eisdem; discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus eidem archiepiscopo, quem ex prædictis causa dumtaxat super vsu recepti taliter pallij nolumus impediri, vtendi eo libere tribuas facultatem. Dat. Later. XV. kal. nouemb. pontif. nostri anno tertio.* Constantinopolitanum verò patriarcham, cuius modo facta est in apostolicis literis mentio, redarguit a Honorius, quod nonnulla sibi arrogaret, quæ ad Romanum Pontificem pertinerent.

a Lib. 3. ep. 24.

26 *Sicut b ex relatione multorum accepimus, tu supra te volens extendere alas tuas, simplices clericos & cum suppis manicatis interdum legatos de tuo latere dirigis cum ea plenitudine potestatis, qua legati sedis Apostolicæ diriguntur. Illi enim per patriarchatum tibi commissum causarum audientiam, quæ ad te, vel ad ipsos per appellationem minime deferuntur, sibi vendicare præsumunt, & inconsultis prælatis eorum subditos excommunicant, excommunicatos absoluunt, præponunt episcopos archiepiscopis suis metropolitico iure subiectos; appellationibus non deferunt, quas contingit ad sedem Apostolicam interponi, & vris qui in episcopos manus iniiciant violentas, absolutionis beneficium impendendo, cum tales iuxta priuilegium tuum ad Romanum sint Pontificem destinandi. Ecclesiastica etiam beneficia conferunt, non expectantes quod ad te potestas eadem conferendi iuxta Lateranense concilium deuoluatur:* Et infra:

b Lib. 2. ep. 1002.
Arguitur ab Honor. nonnulla sibi præter ius arrogare.

27 *Insuper nuper G. Constantinopolitan. canonicus a te transmissus ad partes Thebarum, & Achaiæ legatus, veniens Andrauillam, literis sua legationis ostensis, terras nobilium virorum G. principis Achaiæ, & O. de Rocha domini Athenarum sine rationabili causa sententia subiiciens interdicti, prælatis earum iniunxit, vt interdictum huiusmodi tam per se, quam per suos subditos inuiolabiliter obseruarent; propter quod ipsi ad sedem Apostolicam appellarunt appellationi sua festum omnium sanctorum terminum præfigentes, sed idem G. appellationem more suo temere paruipendens interdicti sententiam postmodum protulit in eosdem, &c.* Id genus alia illi exprobrat, denique graues minas intentat, ni cœptis desisteret.

Vibrari a suis temere censuras.

28 *Et quidem si hæc ita se habent, quæ sunt specialiter Romani Pontificis vsurpando, & aliorum iustitiam, ipsos multipliciter opprimens inuadendo, videris non pastoralis curam regiminis, sed thronum superbiæ, ac pestilentiæ cathedram conscendisse. Cum igitur quantacumque dignitate præfulgeas, te nobis scias esse subiectum, qui tempus accepimus iustitiam iudicandi, & quantumcumque tibi deferre velimus, dissimulare non possumus nec debemus talia contra Deum.* Dato verò ad vniuersum clerum Constantinopolitanum diplomate, constitutionem Innocentij, qua cauebatur, ne patriarchæ electio, nisi in S. Sophiæ ecclesia haberetur, firmam esse iussit c. Neque de Gaufrido Achaiæ principe illud reticendum, Honorium eius rogatu crucesignatis mandasse d, vti principatum illius tuerentur. Atque hæc de rebus orientalibus dicta sint.

c Lib. 2. ep. 960.
d Ibid. ep. 1239. 1240

29 Acturi de reliquis, præmittamus quæ cũ Italis gesserit hoc anno Honorius Papa. Resipiscẽtes in primis Pisanos e, Vercellenses, Alexãdrinos f, Ferrarienses g, ad consortium fidelium, e quo exacti fuerant, admisit: nec Pisanos modo in gratiam recepit, verum beneficijs est prosecutus eorumq; ecclesiam priuilegijs auxit, quę literis ad Vitalem eorum archiepiscopũ exaratis continentur h, e quibus hæc decerpsimus.

Pisani consulati ecclesiæ donariq; priuilegijs.
e Ep. 778. 781.
f Ep. 1145. & l. 3. ep. 111.
g Apud Honor. l. 2. ep 1024.
h Ibid. ep. 868.

Honorius, &c.

30 Legationem quoque Sardiniæ a prædecessore nostro Papa Vrbano, prædecessoribus tuis concessam, & felicis memoriæ Innocentij secundi, Eugenij, Anastasij, Cælestini, & Innocentij tertij Romanorum Pontificum priuilegijs in perpetuum roboratam, tibi tuisque successoribus præsentis scripti pagina confirmamus, & confirmationem ipsam ratam, & inconuulsam perpetuis temporibus decernimus

permanere. Denique vt Pisana ciuitas, quæ fauore cælestis numinis de inimicis Christiani nominis victoriam frequenter obtinuit, & eorum vrbes plurimas subiugauit, amplius honoretur, equo albo cum nacco albo in processionibus vtendi, & crucem vexillum scilicet Dominicum per subiectas vobis prouincias portandi &c. Datum Laterani per manum Ranerij S. R. E. vicecancellarij vi. idus februarij indictione sexta, incarnationis Dominicæ anno millesimo ducentesimo decimo septimo (inita scilicet anni ratione a festo annuntiationis die) pontificatus vero Domini Honorij Papæ tertij anno secundo.]

a Lib. 2. ep. 869. b Ep. 870. Pisanos inter & Ianuen. pax inita.

31 Scripsit etiam de ijs ad archiepiscopos a, cæterosque Sardiniæ præsules atque ad clerum populumque Pisanum b. Eosdem insuper Pisanos ipso Pontifice auctore pacem cum Ianuensibus hoc anno pepigisse restatur apostolicum diploma, quod extat in M. S. libro priuilegiorum Rom. Ecclesiæ, præterea rogatus Honorius ab eodem archiepiscopo, num delegare posset in diœcesi sua laicum iudicem, coram quo clerici a laicis postulati ex Pisanæ ecclesiæ consuetudine causas dicerent, id fas esse respondit c. Cæterum duo prænobiles Pisani Vbaldus ac Lambertus fratres, opibus, potentiaque florentes, bellum hoc tempore ad inuadendam Sardiniam sedis Apostol. stipendiariam atrox gesserunt: quorum impetus cum incusso censurarum terrore nullo modo retardati essent, Honorius ad illos armorum vi frangendos se conuertit, propositisque indulgentiarum præmijs, Mediolanenses excitauit d, vt Mariani Turritani iudicis, siue reguli imminente maritio transfretaturi ad defendenda B. Petri iura signa sequerentur, eodemque argumento e Ianuensibus Pisanisque Ecclesiæ conciliatis literæ exaratæ. Cæterum non Pisanos modo, verum plures quoque alios maxime religiosos viros officijs & gratijs ornauit Honorius, vti eius diplomata ostendunt f sumptoque Forosempronienfium patrocinio, Fanensibus a quibus forum Sempronium excisum fuerat, imperauit g, ne in patrias sedes redire volentibus moram & impedimentum afferrent, vel molestiam exhiberent, tum prænobilis pueri Henrici Frangipani h arrepto patrocinio Terracinenses ad seruanda illius iura est cohortatus, in quibus literis hæc in Frangipanæ clarissimæ familiæ laudem exarantur: *Inuicta fides, & deuotio indefessa, quam magnifici viri antiqui Frangipan. a progenie in progeniem erga Romanam Ecclesiam habuerunt, nobis efficaciter persuadet, vt nunc eorum superstites paterno complectentes affectu, eius fauorabiliter foueamus, & ipsorum iura illæsa seruemus, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum nonas maij pontif. nostri anno secundo.* Eodemque exemplo epistolam misit i ad Pipernates.

c Ep. 1289. Vbaldus Lambertusq; Sardiniæ inuasores. d Lib. 3. ep. 117. e Reg. post eand. ep. Ep. 32. f Lib. 2. ep. 872. 887. 893. 918. 1090. l. 3. ep. 224. h Ep. 1049 g Lib. 2. ep. 972. Frangipanorum commendatio. i Reg. post eand. ep.

32 Vt benemeritos de Ecclesia patrocinio Apostolico munitos ab iniurijs hostium vindicauit, beneficijsque ad seruandam fidem prouocauit, ita nonnullorum potentiam audaciamque frænare censuris conatus est. Arcuit l fidelium communione Viterbienses ob affectos grauissimis iniurijs viros ecclesiasticos, atque Florentino episc. mandauit m ne quam in clericalem ordinem cooptaret, donec Florentini legem reuocarent, quam tulerant, vt clerici paternam hereditatem adire non possent. Repressit Bodienses qui episcopum suum in exilium egerant, quibus idcirco Placentinos fauere vetuit n. increpuit Bononienses ciues o in comitissæ Mathildis ditione, quæ ad Romanam Ecclesiam pertinebat, ausos inuadere: obiurgauit Mediolanenses p qui aduersus œcumenicæ synodi decreta & data sedi Apostolicæ promissa, expeditionem aduersus Parmenses & Cremonenses parabant q: Placentinis vero qui iurisiurandi Rom. Pontifici præstiti religione spreta, Mediolanensium partibus studebant, intentato censura-

Iniqua a Florentinis in clericos lata lex. l Lib. 2. ep. 1292. 1293. m Lib. 3. ep. 40. n Hon. l. 3. ep. 90. & 72. Lib. 2. ep. 999. ep. 1314. ep. 780. ep. 941. 954. 955. 973. 1316. 1260. 1261. l. 3. ep. 42.

rum terrore perculit. Ac sane insignis tum fuit Mediolanensium inconstantia, qui cum supplices ab Apostolica sede sacrorum communioni restitui flagitassent, eaque amouendi interdicti prouincias Bergomensi antistiti, & electo Mediolanensi imposita fuisset, vt ex literis vii. kal. mart. huius anni datis a constat, mox a promissis deflexere, iterum tamen ad officium reuocati sunt; atque reuersos Vgolini Ostiensis episcopi A. S. L. opera, cum Cremonensibus ex Pontificis præscripto, concordiam iniisse ostendunt apostolicæ literæ b, quibus illam Honorius auctoritate sua muniuit, firmauitque: quemadmodum etiam initam pacem eosdem Mediolanenses inter ac Papienses superiori anno comprobarat c. Hæc de apostolicis in conciliandis dissentientibus populis reducendisue ad officium Honorij curis suffecerint: nonnullarum modo rerum sacrarum, quæ maxime pontificij muneris sunt, afferenda historia est. Occurrunt primo ea quæ in regesto Vaticano de episcopis ab Honorio sacris pontificalibus initiatis traduntur d: *Istos dominus Honorius PP. III. consecrauit anno pontificatus sui tertio Nepesinum episcopum, Sypontinum archiepiscopum, Tudertinum episcopum, Portuensem episcopum, Tusculanum episcopum, Colocensem archiepiscopum, Carnotensem episcopum, Pensaurinensem.*

Mediolanenses dicta Pont. respuunt. a Lib. 2. ep. 937. Vgolini opera conciliati. b Lib. 3. ep. 199. c Lib. 2 ep. 613. Episcopi ab Hon. hoc anno consecrati d Lib. 3 post ep. 136.

33 Adscripsit etiam idem Pontifex sanctorum numero Vvillelmum archiepiscopum Bituricensem, quem cœleste numen gloriæ suæ participem esse editis maximis miraculis ostenderat, quæ cum ad sacrum examen reuocata essent, deque eius vitæ sanctitate oculati testes sacramento adacti, sacros illi honores, vt gratia apud Deum florentissimo atque ad obtinenda precibus diuina beneficia magna auctoritate pollenti decreuit: qua de re diploma Apostolicum, clero populoque Bituricensi exaratum e, in quo post celebratam numinis in seruos suos munificentiam, subiungit:

Reponit in SS. catalogo Vvillel. Bituricen. arch. e Lib. 2. ep. 1097.

Honorius, &c.

Ipsis miraculis, quæ inquisitores prædicti nobis sub suis sigillis inclusa, prout in mandatis receperant, transmiserunt, examinatis per quosdam de fratribus nostris primitus diligenter, ea demum in pleno consistorio fecimus solemniter recitari, & cum sanctitatem morum, & signorum virtutem ad fauorem petitionis, pro qua prædicti archiepiscopus, & canonici, vna cum episcopis, & prælatis Bituricensis prouinciæ alijsque quampluribus vehementer instabant, concurrere videremus, diuinum & humanum secuti iudicium, de fratrum nostrorum consilio, post multam deliberationem habitam cum eisdem, sancti meritis confidentes, ipsum sanctorum catalogo duximus adscribendum; statuentes, vt in die depositionis ipsius annua eiusdem festiuitas deuote a vobis, & alijs Christi fidelibus annis singulis de cætero celebretur. Quocirca deuotionem vestram monemus in Domino, & hortamur, per Apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes, quatenus eiusdem sancti memoriam cum celebritate debita venerantes, eius apud Dominum suffragia humiliter imploretis. *Datum Romæ apud S. Petrum 16. kal. iunij pont. nostri anno secundo.* Alijs vero literis f archiepiscopo Bituricensi, cui metropoliticam dignitatem a Paschale II. Rom. Pont. attributam confirmauit g, collocandi in honorificentiore loco sacri pignoris potestatem fecit, ac fidelibus h translationis pompam cohonestaturis præsentia sua, vel singulis annis eo recurrente die ad eius sepulchrum accessuris, quadraginta dierum indulgentiam proposuit. eiusdem vero Vvillelmi sanctorum catalogo appositi Vincentius i atque ex eo nouatores l meminere.

Indulgentiæ translationi assistentibus propositæ. f Lib. 2. ep. 1098. g Ep. 1117 h Ep. 1099 i Vinc. spec. hist. l. 30. c. 185. l Cent. 13 cap. 10 col. 1037.

34 Efflorescente etiam in dies Ioannis eremitæ sanctitatis gloria, quam a morte ad vitam excitasti, varijsque perniciali bus morbis eius suffragijs sanati

homi-

Sacra inquis. de miraculis Eremitæ haberi iussa.
a Hon. l. 2. ep. 1161.

homines efferebant, rogatus Honorius est a religiosis viris S. Mariæ de Gualdo, vt illum sanctis annumeraret. qui in ea re magnam consilij maturitatem adhibendam ratus, Bragnuariensi & Lutherino episcopis ac priori S. Fortunati diœcesis Beneuentanæ prouinciam tradidit a, vt de viri illius pij vita ac miraculis inquirerent; *Tanto* (inquit) *maturiori consilio circa ea consueuimus procedendum, quanto in ijs erratur, quam in alijs, mole carnis grauatus humanæ considerationis intuitus potest falli. Quapropter prudentiæ vestræ, de qua fiduciam gerimus pleniorem, per apostolica scripta mandamus, quatenus inquiratis, tam de vita ipsius eremitæ, quam de miraculis supra dictis diligentius veritatem, & quod super ijs inueneritis, sub sigillis vestris nobis remittatis inclusum; vt præeunte diuina gratia, & sequente, statuamus exinde, quod fuerit statuendum. Datum Romæ apud S. Petrum III. non. ian. pont. nostri an. 2.* Quod etiam ijsdem pene verbis scripsit tum de seruo Dei Gulielmo de Paradito abbate, ad Lundẽsem archiepiscopum b atque episcopum Roschildensem, & abbatem quemdam Cisterciensis ordinis; tum etiam ad archiepiscopum Auxitanum c, Consuranensem episcopum, atque Bonifontis abbatem diœcesis Conuenarum, de Bertrando Conuenarum episcopo, miraculis clarissimo.

b Id. ib. ep. 1124.
c Lib. 3. ep. 142.

D. Dominicus Romæ mortuum ad vitam reuocat.

35 Emicuit quoque Romæ per hæc tempora D. Dominici sanctitas, dum enim sacris concionibus magno cum Christi fidelium emolumento operam daret, adolescentem Napuleonem nomine, Stephani Cardinalis Fossæ nouæ ex fratre nepotem, ab equo deiectum, collisumque, ac subita morte extinctum, ad vitam reuocauit. eaque occasione S. Hyacinthus Cracouiæ canonicus religioso Prædicatorum ordini adscriptus est. Iuo enim electus Craconiensis episcopus, quem alij eius patruum, alij vero consanguineum appellant, in vrbem vnà cum ipso se contulerat, cumque egregio excitati mortui edito spectaculo interfuisset, Dominico intima consuetudine coniunctus, Hyacinthum ipsum nonnullosque alios in regulari disciplina erudiendos tradidit, vt Prædicatorum familia in Poloniæ regno propagari posset; quod postea mirifice factum. Hæc pluribus Ioannes Longinus d, tum ij qui res SS. Dominici e & Hyacinthi f preclare gestas scriptis commendarunt. cæterum Iuonis in vrbem aduentus eam causam Longinus affert, quod electionis suæ ad Craconiensem episcopatum petendam confirmationem aduenerit, cum Vincentius illo episcopatu abijsset, seseque religiosæ seruituti apud Cistercienses magna cum virtutis laude consecrasset. Quod rursus ad S. Dominicum attinet; tradit Theodoricus g, ipsum per id tempus Romæ commorantem duos alios a mortuis excitasse, atque apud S. Xistum, vbi cum socijs degebat, admiranda patrasse, quam deinde ecclesiam, cum æde S. Sabinæ in Auentino monte Pontificis iussu commutauit, traductis ad illum monialibus, anno sequenti, S. Mariæ Transtyberinæ, quarum vir Dei, imperante Pontifice, spiritualem administrationem, regimenque suscepit.

Hyacinthus illius disciplinæ religiosæ cõmissus.
d Long. hist. Pol. lib. 6. an. 1218.
e Theod. l. 1. c. 2 & 3 apud Sur. to. 4. die 4. aug.
f Leander. Albertus apud Sur. to. 4 die 16 aug. & alij.
g Theod. vbi sup. c. 3. &c.

Reginaldus vir doctrina insignis.

36 Interea quomodo Reginaldus decanus, eruditione, virtuteque præclarus Romam venerit cum episcopo Aurelianensi, atque B. Dominicum allocutus, religiosum eius ordinem ingredi exoptauerit, memoratus supra auctor pluribus prosequitur h. ex quo hæc de obiecto ægrotanti eum temporis admirabili viso afferre sufficerit: *Morbo ingrauescente, natura succumbens deprimitur, & salus a medicis desperatur, confidens autem in Dei virtute beatus Dominicus, ad preces se conuertit. Illo orante, magistro Reginaldo vigilanti, & ardore febrium admodum æstuanti, Regina cæli virgo mater apparuit visibiliter cum duabus speciosissimis puellis, dixitque ei: Pete a me quod vis, & dabo tibi. Deliberanti quid peteret, altera ex puellis illis suasit, ne quid peteret, sed se totum beatissimæ matris Dei permitteret voluntati. Ille salubri parens consilio, illius se penitus subiecit arbitrio. Tum mater Dei extendens manum virgineam, ægri oculos, aures, nares, os, manus salutari, quam attulerat, vnctione liniuit, proprias verborum formulas ad singulas vnctiones proferens. Porro ad pedum vnctionem ita dixit: Pedes tuos in præparationem euangelij pacis perunge. & ad renes dixit: Stringantur renes tui cingulo castitatis. Omnem quoque Prædicatorij ordinis habitum ei demonstrans: Hic est, inquit, habitus ordinis tui. Atque ita & ab ægrotantis oculis cælestis illa visio, & a toto corpore morbus omnis ablatus est, stupentibus medicis, quorum iudicio vita eius desperata fuerat. Nihil horum latebat beatum Dominicum, quippe cuius meritis & intercessione Reginaldo contigisset ea visio. Tertio inde die, cum assideret Reginaldus beato Dominico, rursus adfuit clementissima Virgo, & vt erat pollicita, vnctionem illam in Reginaldo iterauit. Aderat tum religiosus quidam ex ordine hospitali, qui testabatur se vidisse beatissimam Virginem totum Reginaldi corpus sua manu perungentem. Illa salutaris vnctio corpus eius ab omni concupiscentia adeo purgauit, vt quemadmodum ipse fassus est, nec primi in eo motus postea extiterint. verum hæc omnia beatus Dominicus, ab eo adiuratus, non prius reuelare voluit, quam ille e vita excessisset.* Eodem anno VII. kal. maij ad cœlestes nuptias euolasse traditur B. Francha virgo, abbatissa Placentina, miraculis clarissima; cuius gesta summatim ex perantiquo illius ecclesiæ breuiario exscripta extant in nostra bibliotheca. Atque de Italicis rebus hactenus: iam reliqua huius anni exponamus.

h Ib. c. 11. 12.

Sanatus B. Virginis opera.

Iubetur D. Dominici sequi institutum.

37 *Anno Domini* MCCXVIII, inquit Vrspergensis a, *Otho Imperator obijt.* eadem alij b; ex quibus Albertus Stadensis: *Anno Domini* MCCXVIII. *Otho Imp. anno regni sui XX. in castro Hartersburg ineffabili contritione compunctus ita vt coquinarijs suis præciperet, vt collum suum conculcarent, XIIII. kal. iunij obijt, e Sifrido Hildesemensi episcopo absolutus. Hanc absolutionem Papa Honorius confirmauit. Sepultus est autem in Brunsvvich. Castrum Vverda a Bremensis ecclesiæ ministerialibus occupatur. Rex Fridericus Herefordiæ celebrata curia in Imperio confirmatur, &c.* Sic ille, quibus respondent tradita a Richardo notario c, Godefrido d atque alijs e. Is eandem finis Othonis, qui multis abhinc annis ab Innocentio Romano Pontifice anathemate damnatus, demum morti proximus, diuino munere obtinuit, vt ad pœnitentiam atque ad Ecclesiam reuerteretur, vt nullius prorsus desperanda sit correctio, quod ex sacris literis recte monuit Augustinus. Hic vero non duximus reticendum, nos hactenus Othonis vt Imperatoris annos notasse, non quod Imperij iura gereret, cum exauctoratus ab Rom. Pontifice esset, vetitumque ne quis eo nomine ipsum dignaretur; sed in eo Baronij in re simili exemplum secutos, ne in consignandis temporibus historiæ series confunderetur. Neque inuoluendum silentio visum anno insequenti cœlitus obiectum pijssimę Christi famulę, scilicet Othonis materteræ, cui Imperatoris anima, primum suffragia exposcere, tum purgatorij ignis pœnis soluta, gratias maximas agere, quod visum a Thoma Cantipratensi hisce verbis enarratur f.

a Vrsperg. in chron.
b Stad. in chro. God. in annal. gesta S. Lãberti episc. lib. 3. c. 16. chr. Citra. Long. hist. Pol l. 6. & alij plures
Otho Imp. magna pœnitentiæ signa in morte edit.
c Rich. de S. Germ. chron.
d Godef. in Annal.
e Crantz. in Saxon. lib. 7. c. 35. alijq. recet.

38 *Othone Imperatore mortuo quædam cognata eius in monasterio virginum præerat, quæ zelo castimoniæ circa subditas mire feruebat. Obseruans ergo die quadam fenestram locutorij, summo mane quemdam leniter pulsantem eudiuit, qua aperta, ecce Imperator apparens matertera dixit: Defunctus ego sum, & in purgatorio pœnis excrucior. Dirigas ergo nuncios ad diuersa & deuota cœnobia, & decies mille psalteria pro me legi facias, ita vt ad singulos psalmos decem ictuum disciplinæ, & ad cuiumquemque versum addatur salutatio Angelica, Aue*

f Th. Cãt. l. 2. c. 53. nu 19.
De illius animæ statu obiectum visum.

Aue

Aue Maria; & oratio Dominica, Pater noster; psalmus vero, De profundis, quãdo accipitur disciplina, dicatur. Talibus remedys post mortem viuens mirmi liberari. (Et nota quod idem Otho, benignissimus Imperator, anno precedenti mortem suam, infinitam annonam tempore caristia diuersis monasterijs, & pauperibus diuiserat larga manu.) Nec mora, missis nuncijs ut praecepit matertera, negocium eius ab omnibus summa cum deuotione susceptum est & perfectum. Apparens ergo dicta matertera ad eundem locum fenestræ, quem diximus, cum aurora, tanta claritate circumdatus est, vt illa nullo modo eum cerneret: sed audiuit: Gratias redde tibi, & pro me misericordissimo Domino gratias age, quia iam a poenis ereptus, ad gloriam transeo sempiternam. Nec mireris lector, quia ab illis audiui, qui interfuerunt diutina languori eius & morti, quod omni die sacerdotibus Christi dorsum suum tradidit flagellandum, & eius contritio tanta fuit, vt ille cuius superius fecimus mentionem, vero dignus Conradus Hildesemensis episcopus testaretur, vix se posse credere, quod Otho Imperator, post tantum contritionis poenitentiam, vel ad horam post mortem purgatorii sustineret. Occasione vero Othonis abs re non erit alienum id genus aliud facinus a principe alio ad exitum vitæ perducto, per hæc tempora editum atque a Cæsario[a] his verbia literis traditum:

Philip. comit. Namur. insignis contritio.

a Cæs. l. 2. c. 18.

39 *Ante hoc triennium (monumentis hæc consignabat anno circiter MCCXXI.) defunctus est Philippus comes Namurensis, vir potens & nobilis, filius Balduini comitis Flandriæ: antequam moreretur, tantam ei contulit Dominus in infirmitate contritionem, vt talis contritio non esset visa in aliquo homine nostris temporibus. quatuor abbatibus ordinis nostri simul & sæpe confessionem suam facere consueuit, in tantum se accusans, tantum plangens, vt omnes ad lacrymas prouocaret. Nec ei ista sufficiebant, quin laqueum collo suo injiceret, rogaretque confessores suos, vt se traherent in plateam, dicens: Sicut canis vixi, dignum est vt moriar sicut canis. filias fratris sui Balduini comitis, qui factus fuerat Rex Græciæ, tradiderat Regi Franciæ, cuius filiam duxerat vxorem: quidam dixerunt, quia vendiderit eas, de quo facto plurimum dolebat. Deportari se fecerat in pauperrimam domum ciuitatis suæ, in qua pauper spiritu migrauit ad Dominum. Volens autem pius Dominus tantam eius remunerare contritionem, miraculis eum glorificare dignatus est, tanquam dilectum confessorem: sepultus in ecclesia sancti Albani martyris, in qua ipse instituerat conuentum canonicorum, de suis iustis redditibus, eis stipendia adhuc sanus ordinans, tantis vsque hodie signis coruscat, vt de remotis regionibus infirmi aduenientes ad eius tumbam sanitatem recipiant, ipsamque terram circa sepulchrum effodientes, secum pro benedictione deportent.*

40 Sed ad res Germanicas reuertamur. Hoc anno Honorius Olmucensi episcopo mandauit[b], vt ecclesiasticum interdictum apud exempta etiam monasteria in Pragensi dioecesi seruandum curaret, tum ipsum functione episcopali interdixit[c] quod in eadem dioecesi celebrasset. Pragensi vero episcopo prouinciam commisit[d] sacerdotia auferendi a canonicis suis, qui ab ecclesiastici interdicti legibus desciuissent. Dein latam ab Innocentio III. anathematis sententiam aduersus Vvaldemarum, qui in sedem Bremensem, vti suo loco diximus, per summam tyrannidem inuaserat, ratam firmamque esse iussit[e], datis ea de re ad vniuersos Bremensis dioecesis Christi fideles Apostolicis literis. porrò Bremenses superiori anno Vvaldemaro exacto, Gerardum legitimum episcopum suum in ecclesiam illam induxisse, refert Albertus Stadensis[f], quamobrem iratum Othonem, vnà cum fratre, Bremensem prouinciam incendio ac direptioni tradidisse. Consultus vero Pontifex, quid agendum esset de mortuorum cadaueribus, quæ ab schismaticis sub Vvaldemaro ecclesiasticæ sepulturæ mandata fuerant, exhumanda non esse respondit[a]. adhæc ipsi archiepiscopo Bremensi mandat[b], ne Liuoniensi episcopo molestiam facessat, neue illam ecclesiam conetur metropolis suæ iurisdictioni subjicere, grauiterque ipsum redarguit[c], quod crucesignatos Christi fidelibus Liuoniæ suppetias afferre prohibuisset.

b Lib. 2. ep. 991.

c Ep. 994.

d Lib. 3. ep. 3.

Gerardus electo Vvaldemaro episcopatui Bremen. restitutus.

e Lib. 2. ep. 1018.

f Stad. in chro. ann. 1217.

a Hon. l. 2. ep. 1059. Habetur c. a nobis ex. de sac. non iter.

b Ep. 1038

c Ep. 1039

41 Edoceri etiam ab Apostolica sede petierat episcopus * Lundensis, quid agendum esset de apostatis in custodia detentis, qui ad recipiendum abiectum habitum nec blanditijs nec minis adduci poterant; cui rescripsit Pontifex[d]: *Tales (si volueris) potius sub graui custodia carcerare, ita quod solummodo vita sibi misera reseruetur, donec a sua præsumptionis nequitia resipiscant.* Præterea archiepiscopo ipsi eiusque suffraganeis, presbyterorum liberis hæreditates ex testamento adeundi facultatem ademptam respondit[e]. Denique ad Apostolicam sedem perlatum, quandam apud Danos legem, iuri communi contrariam inoleuisse, vt rei aduersus legitimas accusationes inficiatione quoquo modo tueri se possent, vetuit Honorius clericos huius legis, vt pote iniquæ beneficio vti, atque affirmantis crimen, probationes audiendas constituit, datis ad archiepiscopum Lundensem eiusque suffraganeos literis[f]: *Volentes*, inquit, *vt hac pestis contraria animi iuri penitus extirpetur a clero, mandamus quatenus in huiusmodi probatione negatiua (dum tamen possit affirmatiua ex aduerso probari) neminem audiatis.*

* Turonensis Apostatæ detrudendi in carceres.

d Ep. 1067 habetur c. nobis in tra de Apostatis.

e Ep. 1068

f Ep. 1131 habetur c. ad nostram ex de probat.

42 Hoc anno Honorius haud parum laboris insumpsit, quò Regem Bohemiæ ad faciendam Pragensi episcopo iniustam iniuriam adigeret, vti ipsius literæ testantur ad Ratisponensem antistitem ea de re exaratæ[g], tum illæ quas Rex ad ipsum dedit[h] postulans aliquem ad se legationis iure ac nomine ab Apostolica sede mitti. extant eiusdem Regis ad Pontificem literæ in libro priuilegiorum Rom. Ecclesiæ, quarum partem decerpimus: *Gratias ago paternitati vestræ, quod inter cæteros principes me diligatis; & cupiatis pro salute animæ meæ: verumtamen cognosco quod multa mendacia fuerunt Sanctitati vestræ de me dicta. nunquam violentas manus in clericos inieci, nec collectas imposui, interdictum licet iniuste impositum seruaui, auxi iura ecclesiarum, paratusque semper sum id facere, & iura ecclesiæ semper manu tenere, & sic promitto sanctitati vestræ, vt intelligetis latius per nuncios meos.*

Honor. Pragen. episc. causam suscipit.

g Ep. 1079

h Ep. 1129

43 Quemadmodum vero Pragensi antistiti Pontifex præsidio fuit, ita Prussiæ episcopo roganti, vt auxiliares copiæ submitterentur aduersus barbaros, qui Christianos a suscepta fide minis atque immanissima persecutione abducere nitebantur, opem explicuit, Germanosque præsules solicitauit, vt crucesignatos qui iter Hierosolymitanum suscipere non possent, ad expeditionem in Pruthenos comparandam se instruerent. cum maxime ea gens gentilitijs erroribus inuoluta adeo effera esset, vt filias seruata vnica enecarent; vxores obuiæ cuiusque libidini prostituerent; captosque in bello hostes dæmonibus immolarent. Qua sane in re Christianæ religionis pulcherrimos triumphos suspicere debemus, quæ barbaros in tantam immanitatem efferatos ad mansuetudinem & veri numinis cultum reuocauit. Vtque Romani Pontificis in paganis ad Ecclesiæ gremium alliciendis curæ eniteant, pontificias eo argumento scriptas ad Maguntinum archiepiscopum, eiusq; suffraganeos episcopos literas[i] adducendas arbitror:

Pruthenos Christianos tuetur.

i Ep. 1190

Honorius, &c.

In Prussiæ partibus populus est a fide prorsus exorbitans, & plusquam bestiali deditus feritati; qui vt ea faciant, quæ non conueniunt, inter alia multa, quæ de ipsorum immanitate feruntur, quotcumque feminini sexus mater pariat, perimunt præter vnam,

Prussorum infidelium immanitas

tan-

tanquam Domino velint in propagatione humani generis obuiare; passim, & sine verecundia plures eorum prostituunt filias, & vxores, ac captiuos immolant dijs suis intingentes gladios, & lanceas, vt prosperam fortunam habeant in sanguine prædictorum: gentem etiam illam, quam de medio ipsorum misericors Dominus, qui neminem vult perire, ad agnitionem veritatis adduxit, in fidei nostræ contemptum, nouis, & intolerabilibus exactionibus inquietant, multifariam molientes eos de tenebris erutos ad tenebras persecutionibus reuocare.

Prussiæ episcopi pium studium.

44 Porro venerabilis frater noster episcopus Prussiæ, ac alij, qui per Dei gratiam quasdam ibi construxerunt ecclesias abominantes impietatem huiusmodi, & eorum qui de nouo ad Christum venerunt angustiis miserantes, & vt ibidem fidei possit negocium promoueri; statuerunt, si tamen sibi suppetant facultates, necandas comparare puellas, ve educantes easdem, eas lucrifacere possint Christo, ac ibi scholas Pruthenorum instituere puerorum, qui vt gens illa conuertatur ad fidem, addiscant efficacius quam aduenæ prædicare, ac euangelizare Dominum Iesum Christum. Volentes etiam episcopus & alij prædicti subuenire fidelibus tribulatis, illorum præsertim instanter implorant auxilium ad resistendum barbaræ nationi, qui nondum crucis signaculum receperunt, nec disponũt suis humeris illud affigere in terræ prædictæ subsidium profecturi; & qui signo crucis accepto, viribus, & facultatibus eisdem non suppetentibus, non possunt exequi vota sua, &c. *Dat. Romæ apud sanctum Petrum* XVII. *kal. iul. pontif. nostri anno secundo.*] Hactenus Honorius qui eodem exemplo literas ad plures archiepiscopos eorumque suffraganeos exarauit a, nimirũ ad Magdeburgensem, Coloniensem, cui etiam hoc anno pallium misit b, Salisburgensem, Gnesnensem, Lundensem, Bremensem; ac Treuerensem. extant etiam literæ in eandem sententiam scriptæ c tum ad crucesignatos qui Syriacam profectionem ornare non poterant, tum ad episcopos aliosque illarum regionum Christi fideles dedit: donationem insuper iam ante, nimirum salutis anno MCXII. ab Vratislao duce de Kalis Christiano Prussiæ episcopo factã sua auctoritate muniuit d firmauitq.

a Reg. post eand. ep. b Ep. 1046 c Ep. 1147 1148. 1149. 1150. 1151. 1154. d Ep. 1146.

Adiungimus Prussiæ rebus tristem calamitatem Frisiæ, quæ intumescente oceano plures terras vrbesque ac plusquam centum millia hominum aquis mersa defleuit, cuius eluuionis causam piæ fœminæ diuinitus patefactam refert Cæsarius, nimirum ob contemptam a viro nefario immani sacrilegio Eucharistiam, ac populi cumulata sceleribus scelera diuinum numen eam vindictam exercuisse.

Frisia oceani eluuione mersa.

45 *Anno gratiæ* MCCXVIII. *mare in partibus Frisiæ terminos suos egrediens multarum prouinciarum terras occupauit, villas deleuit, ecclesias lapideas deiecit, tantam extinguens hominum multitudinem, vt summa centum millia transcenderet. Ita exaltati sunt fluctus eius, vt turrium altitudines operire viderentur, & procella procellam impellens, generale diluuium minaretur. Et sicut dictum fuit abbati nostro, cum eodem anno visitationis gratia Frisiam intrasset, fluctus furentes etiam vsque Coloniam peruenissent, si non is, qui eos excitauerat, genitrice sua, vt postea dicetur, precibus compescuisset.* Tantæ cladis causam hanc auctor subijcit: *Quidam arte pugil in eadem prouincia extitit, qui quotiens de taberna ebrius redijt, totiens vxorem verberibus & plagis satis tribulauit. Tempore quodam timore mariti infirmitatem simulans, ne simulatio eadem posset notari, corpus Domini sibi dare postulauit; venienti sacerdoti pugil cum scypho ceruisiæ ebrius occurrens, bibere monuit. & cum ille responderet: Corpus Domini porto, non modo bibam; iratus Friso cum scypho pixidem percussit, & omnes hostias de illa excussit, ita vt per pauimentum dispergerentur. Matronæ*

Sacrilegus in Euchar. tantæ calamitatis causa.

verò, quæ consolationis gratia conuenerant, super singulas hostias, tanquam stellas radiantes viderunt, quas sacerdos gemens ac dolens in pixidem recollegit, & abijt.

Diuinus fulgor in Eucharist. visus.

46 *Friso verò a decano prouinciæ citatus, excommunicatus est, sed non curauit. Qui tandem ad hoc compulsus est, vt cruce pro tanto sacrilegio signatus cum iam dicto sacerdote, etiam crucesignato, veniret Romam. Cui dominus Honorius Papa culpam confitenti pro pœnitentia iniunxit, vt mare transiret, ibique tribus annis in armis Christo seruiret. Quid plura? mare transierunt ambo, & ante Damiatam mortui sunt ambo. Quibus defunctis cum anno eodem Dominus prouinciam terribiliter, vt supra dictum est, plagasset, & causa plagæ populum lateret, matronæ cuidam valde religiosæ, Domino in ieiunijs, orationibus, vigilijs, & eleemosynis seruienti, matertera videlicet domini Vvimboldi abbatis S. Bernardi, beata Dei genitrix Maria lacrymis eius mota, populique miserta, apparens, sic ait: Propter iniuriam Filij mei in sacramentum corporis eius factam submersa est Frisia, & adhuc amplius plagabitur, si condigna pœnitentia non fuerit subsecuta. Ex quibus verbis colligitur, quod non solum pugilis, sed communibus populi peccatis exigentibus hoc euenerit.*

Obiectũ piæ fœminæ cœleste visum.

47 *Moxque adiecit Mater misericordiæ: Leua oculos tuos contra mare; quod cum fecisset, contemplata est pixidem a pugile percussam in summitate fluctuum natantem: quæ cum in tantum approximasset, vt posset agnosci, ait: Ecce corpus Filij mei, in loco enim vbi dispersum est, ædificanda est ecclesia, & debet ei tanta exhiberi reuerentia, quomodo sepulchro dominico. Hoc etiam noueris, quod ambo mortui sunt, pugil scilicet & sacerdos, sed pugil, eo quod sine contritione obierit, sepultus est in inferno; sacerdos verò tenetur adhuc in purgatorio. Retulit tamen nobis Theodoricus prior de Lesse, eundem pugilem, quantum ad signa exteriora, cum proficisceretur, satis magnam habuisse contritionem: sed credendum est beatæ Dei genitrici Mariæ. Hac visione cognita, dominus Theobaldus episcopus Monasteriensis, ad cuius diœcesim maxima pars Frisiæ pertinet, missis literis suis per Isidam S. Bernardi cellerarium, sicut ipse nobis retulit, solemnem prouincialibus pœnitentiam iniunxit. Quod autem insufficiens fuerit, ex hoc probatur, quod anno præterito denuo punita est Frisia, multis millibus per aquarum inundationes submersis. Matrona quædam prædiues ex prædicti pugilis domo ecclesiam ædificauit.*

Diuina in sacrilegũ vindicta.

48 Adducta est hoc anno in Gallia Narbonensi in grauissimũ discrimen cæso in hostili eruptione Montfortio fides catholica, quæ demũ secuturis annis Gallorum Regum ope pristino splendori restituta refloruit. Piam vero athletæ Christi strenuissimi mortem præterire non possumus, ne ipsius gloriam obscurare videamur, cum ex ea victrices æternitatis palmas collegisse putandus sit. Vrgebat Tolosæ obsidionem quam hæresi excisa Christo subijcere ac perduelles, qui Raymundo seniori adhærebant, edomare moliebatur, breuique illam videbatur ingressurus, cum Tolosanis ex vrbe erumpentibus, totoque impetu in castra penetrantibus, cum eos repulisset, staretque fortiter ad nouos illorum conatus excipiendos, lapide a ballistis contorto ictus corruit, ac mox vulneribus quinque a sagittarijs confossus, vt Christo morienti similis Christi miles moreretur, felicem animam cælo exhalauit, cuius pietatem, virtutemque eo explicitam die, ita Petrus Vallisarnensis historiæ tradidit: a

Religio in Tolosana prouincia periclitatur.

Montfortius Tolos. obsidionẽ vrget.

49 *In ipso autem hostium egressu, venit nuncius ad comitem, qui missam, sicut diximus, audiebat, sollicitans eum, vt suis succurreret indilatè, cui vir deuotus: Sine, inquit, diuina audire mysteria, & redemptionis nostræ prius cernere sacramenta. Adhuc eo loquente, venit alter nuncius dicens: Festinate, ingrauatum est*

a Vallis. hist. Albig. cap. 86

Obsessi in eum erũpunt.

bel-

bellum, nec nostri possunt diutius sustinere. Ad qua vir Christianissimus: Non exibo, nisi prius meum videro Redemptorem. Cum autem sacerdos sacra consecrationis hostiam eleuaret ex more, vir deuotissimus, flexis in terram genibus, sed manibus eleuatis in cælum: Nunc dimittis, inquit, seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum. Et addidit: Eamus, & si opportuerit, moriamur pro illo, qui pro nobis dignatus est mori.

Strenuè propulsatur.

50 *His dictis vir inuictissimus ad pugnam properauit. Ingrauabatur autem bellum vtrinque, pluresque hinc & inde vulnerati fuerant & interfecti: sed adueniente milite Iesu Christi, nostris audacia & viribus duplicatis aduersarij omnes expulsi sunt, & vsque ad fossata a nostris viriliter sunt retrusi. Retrahentes se comes, & qui cum eo erant aliquantulum propter grandinem lapidum, & intolerabilem ruinam sagittarum, steterunt ante machinas cledis ante se positis, quibus se tuerentur a lapidibus & sagittis.* Et paucis interiectis verbis: *Vnde illud quod sequitur, quis scribere vel audire, quis inquam istud sine dolore poterit recitare? quis sine singultibus audire? quis inquam non resoluatur & penitus liquefiat, audiens contritam pauperum vitam? Omnia quippe sunt ipso recumbente contrita, ipso moriente mortua, ipse etenim erat mœstorum consolatio, ipse debilium fortitudo, ipse in afflictione refrigerium, ipse refugium miserorum, adeo lacrymabile propositum exequimur.*

Montfortium saxo feriunt.

51 *Dum staret comes fortissimus, sicut iam dictum est, cum suis ante machinas suas, ne hostes denuo exirent ad sæpe dictas machinas diruendas, ecce lapis mangonello aduersariorum proiectus percussit in capite militem Iesu Christi, qui ictu lethali recepto, pectus suum bis percutiens, Deoque & B. Virgini se cōmendans, mortem imitatus B. Stephani, & ipse lapidatus in vrbe cum ipso in domino obdormiuit. Nec silendum, quòd iste fortissimus miles Domini, immo ne fallamur gloriosissimus martyr Christi, postquam ex ictu lapidis vulnus excepisset lethale, quinque a sagittarijs vulnera receperat ad similitudinem Saluatoris, pro quo mortem patienter sustinuit, cum quo post mortem, vt credimus, feliciter gloriatur & viuit.*

Instar martyris moritur.

52 Egregias illius dotes, animique & corporis ornamenta descripsit auctor a: *Erat genere præclarus, virtute robustus, in armis plurimum exercitatus. Erat præterea, vt accedamus ad formam, statura procerus, cæsarie spectabilis, facie elegans, aspectu decorus, humeris eminens, brachijs exertus, corpore venustus, membris omnibus agilis & stabilis, acer, & alacer, in nulla sui vel modica parte etiam ab hoste vel inuido reprobandus. Demum vt ascendamus ad maiora, erat facundia disertus, affabilitate comis, contubernio amabilis, castitate mundissimus, humilitate præcipuus, sapientia præditus, in proposito firmus, in consilio prouidus, in iudicio iustus, in militia exercitijs sedulus, in suis actibus circumspectus, in incipiendis arduus, in perficiendis indefessus, totus diuinis seruitijs mancipatus.*

a Ib. c. 18. Illius eximiæ animi & corporis dotes.

53 Successit parenti filius Almaricus b, in quo paternæ virtutis signa emicabant, in cuius verba sacramento adacti nobiles, qui terras a patre beneficiario iure acceperant. Cumque dissolueretur exercitus, pluresque, qui Muntfortij metu in officio continebantur, excusso iugo quotidie descifcerent, multorum recessu debilitatus obsidionem soluere est coactus: castroque Narbonensi, quod tueri non poterat, hosti dedito paternum corpus Carcassonam deportauit. Atque his Petrus Vallisarnensis; qui omnia vt dictum est, vel oculis, vel a viris fide, probitate dignitateque conspicuis, ac præsentibus hausit, historiæ suæ finem adiecit. Agunt de his Bernardus c, Antoninus d, alijque recentiores, quos superuacaneum est omnes recensere: ex antiquioribus Rigordus e, qui cædis Simonis annum non indicat, tum Parisius a, qui illam in sequentem conijcit. Verùm hoc ipso anno contigisse præter alios auctores testantur apertè Honorij literę b, quibus Almarico comparatam ex hæreticis ditionem patri iam ante attributam Apostolico diplomate confirmauit,

b Ib. c. 86. Almaricus parenti succedit.

c Bern. chr. Rom. Pont. & chr. comit. Tolos. d Anton. 3 par. tit. 19. c. 3 §. 1. e Rig. in Phil. Aug. Franc. Reg.

a Par. hist. Angl. b Lib. 3. ep. 21.

Honorius, &c.

54 In regestis felicis memoriæ Innocentij Papæ prædecessoris nostri perspeximus contineri, quod ipse Biterren. Carcassonen. & Albigen. ciuitates, ac alias hæreticorum terras, quas Dominus tradidit in manibus inclytæ recordationis patris tui, ac exercitus Christiani, eidem patri tuo, cui principes eiusdem exercitus cum consilio legatorum Apostolicæ sedis, illas regendas commiserant, nec non hæredibus eius in fide catholica, & deuotione sedis Apostolicæ permanentibus confirmauit; principalium dominorum & aliorum, si quibus forte competit, iure saluo, exceptis hæreticis, & fautoribus, credentibus, defensoribus, & receptatoribus eorumdem; eodem patre tuo tres denarios per singulas domos eiusdem terræ annualiter Rom. Ecclesiæ promittente; ad indicium, quod terras ipsas in deuotione Apostolicæ sedis & sancta religione conseruare de cætero disponebat. Idem etiam prædecessor noster statuit in concilio generali, vt terra, quam crucesignati obtinuerunt aduersus hæreticos, credentes, fautores, & receptatores eorum cum monte Albano, atque Tolosa dimitteretur atque concederetur, saluo catholicorum per omnia iure, virorum, mulierum, & ecclesiarum, comiti memorato, vt eam teneret ab illis, a quibus est de iure tenenda. Nos igitur tuis iustis precibus inclinati, terras, quas ipsi patri tuo, & hæredibus eius dictus prædecessor noster noscitur confirmasse, ad eius exemplar tibi, ac hæredibus tuis auctoritate apostolica confirmamus, &c. *Dat. Later. XVI. kal. septemb. pont. nostri an. tertio.*

Tolosani comitatus ab Honorio illi confirmatus.

55 Vniuersos vero archiepiscopos, episcopos aliosque ecclesiarum præsules mœstissimis literis Pontifex hortatus est c, vt ad ferendam Almarico opem Christianorum populorum animos accenderent.

Iussi episcopi Almarico opem ferre. c lib. ep. 20.

Honorius, &c.

Cum discussis errorum tenebris, & belli cladibus propulsatis, iam pacis, & fidei viderentur tēpora rediisse, illo, qui felicibus inuidet actibus armante partes suas reprobos Tolosanos, & Auenionenses, Raymundum quondem Tolosanum comitem, & filium eius, nec non Fuxen. & Conuenarum comites, ac filios ipsorum & complices eorumdem; in tantum permittente Deo secundum multam iudiciorum suorum abyssum, præualuerunt contra pietatem impietas, & tenebræ contra lucem, vt bonæ memoriæ Vv. de Baucio princeps a genere clarus, sed clarior deuotione, ac fide, a nefandis Auenionensibus nō solum occisus sit, sed etiam in frusta concisus; ac ille Christi athleta intrepidus, illa turris fortitudinis, illud munimen fidei Christianæ, ille videlicet inclytus comes Montisfortis machinis Tolosanorum corruerit impiorum. In cuius ruina ita erecta sunt cornua confringenda ipsorum & complicum eorumdem, vt ad eradendum, quod absit, de terra stirpem comitis memorati, ac alios in partibus illis pro defensione Christianæ fidei consistentes accitis vndique viribus se accingant: vnde procul dubio graue illi videtur periculū imminere, nisi succursum habuerit festinatum. Satagentes igitur inualescentibus malis validioribus obuiare remedijs, vniuersitatem vestram rogamus, monemus, & obsecramus in Domino, per apostolica vobis scripta districte præcipiēdo mandantes, ac iniūgentes in vestrorum remissionē peccatorū, quatenus prouide attendentes, quod si eorumdem impiorum factio præualeret, fides, & pax in partibus illis generale paterentur naufragium & ea quæ per vestrum, ac aliorum fidelium studium, & laborem facta sunt in

Vuill. de Baucio ab Auenionen. in frusta concisus.

exterminium hereticæ prauitatis, & restaurationem fidei Christianæ, in antiquum confusionis reciderent labyrinthum; ad subuentionem dilecti filij nobilis viri Almarici primogeniti dicti comitis ac aliorum, qui cum eo decertant pro defensione fidei Christianæ solicite intendatis, fideles per vestras diœceses & parochias constituros, qui crucesignati non sunt ad subsidium Terræ sanctæ, ad celeriter succurrendum eisdem, immo ipsos fidei Christianæ sedulis exhortationibus animando. Nos autem de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, ex illa, quam Deus nobis, licet indignis, ligandi, atque soluendi contulit potestatem, omnibus non crucesignatis pro subsidio Terræ sanctæ, qui laborem istum in proprijs personis subierint, & expensis, plenam suorum peccaminum, de quibus veraciter fuerint corde contriti, & ore confessi, veniam indulgemus, & in retributione iustorum salutis æternæ pollicemur augumentum, &c. eodem beneficio eos complectitur, qui milites submiserint, opesue in stipendia erogarint. *Dat. Lat. III. id. aug. pontif. nostri an. 3.*

Philippus Gall. Rex in Tolosanos moue re cogitat.
a Lib. 3. ep. 49
b Ep. 50
Actæ illi ob id ab Honorio gratiæ.

56 Hæc inter constituit Philippus Francorum Rex catholicis aduersus Tolosanos hæreticos subsidio venire: cumque insignem bellicum apparatum adornaret, seque ac suos in Apostolicæ sedis tutelam accipi poposcisset, Honorius ipsum alacri promptoq; animo voti compotem fecit a, postulantique redditumm ecclesiasticorum vigesimam hæc rescripsit b: *Deo in cuius sunt manibus corda regum, gratiarum referimus actiones, quod antequam literæ nostræ, quibus incitare tuam magnificentiam studebamus, ad perfidorum Tolosanorum & suorum complicum malitiam comprimendam tibi fuerint præsentatæ, tu diuino Spiritu incitatus id faciendi propositum assumpsisti, sicut literæ tuæ nobis exhibitæ declararunt. Sane quod per easdem literas postulasti, vt de vigesima Regni Franciæ, & alys collectis, & colligendis ibidem, huic subuenire negotio curaremus, animum nostrum quasi quadam perplexitate perstrinxit, &c.* Subdit tanto ferendi Terræ S. auxilij desiderio arsisse, vt ne partem aliquã indictæ vigesimæ ad se deriuare videretur, colligendę illius prouinciam episcopis iter suscepturis, vel alijs viris probis, si episcopi militiæ sacræ non se dedissent, imposuerit; ac non modò sua commoda ex ea vigesima non aucupatum, sed etiam pontificium ærarium consumptis plusquam viginti marcharum millibus pro Hierosolymitani regni rebus exhausisse; atque adeo vehementer ab ea vigesima in alios vsus conuertenda abhorruisse. Sed cum hic quoque diuina causa agatur, rem ita temperasse, vt vigesimam in ijs diœcesibus tribuat, quarum episcopi Syriacæ expeditioni non se accinxerint, additque:

Vigesima Phil ex nõ nullis prouincijs attributa.

57 *Ad hoc quia in Arelaten. Viennen. Narbonen. Auxitan. Ebredunen. & Aquen. prouincijs pauci sunt crucesignati pro subsidio Terræ sanctæ, illarum vigesimam totaliter deputamus negotio memorato per manum dilectorum filiorum nostrorum Bertrandi tituli sanctorum Ioannis, & Pauli presbyteri Cardinalis, Apostolicæ sedis legati, & nobilis viri Amalrici comitis Tolosani in ipsius vtilitatem negocij conuertendam. Monemus igitur celsitudinem tuam, & obsecramus in Domino, quatenus ad hoc fidei, & pacis negocium, quod per tuas, et regni tui vires hactenus promotum esse dignoscitur, intendas sic magnifice, & potenter, quod magnificentia regni tui per hoc specialiter inuretur in terris, & in cælis æterna tibi præmia reseruentur. Datum Laterani nonis septembris pontificat. nost. anno tertio.* Hactenus Honorius, qui de huiuscemodi re ad Galliarum antistites scripsit c.

c Idib. ep. 51.
Defensa ab Honorio immunitas ecclesiastica

58 Porro non modò aduersus Tolosanos atque hæreticos alios, verum in nonnullos etiam, cæteroqui catholicos viros, qui vel ecclesiastica iura inuadebant, vel ecclesiarum præsules vexabant, Honorio laborandum fuit. In primis abbatibus nonnullis mandat, vt a Philippum Regem ad ecclesiasticam tuendam libertatem, atque improborum hominum episcopos regni infectantium conatus comprimendos adhortationibus suis impellant b, ac Ioannis viri prænobilis in primis, qui Aurelianensi archiepiscopo, & Blesensi episcopo negocium facessebat; regemque ipsum ad arcem quandam eidem archiepiscopo reddendam inducant: tum Ioannem, de quo modò memorauimus, eiusque criminum socios, Christi fidelium communione arcendos decernit c, quos tamen paulo post actorum pœnitentia ductos communioni restituit d. Neque mitius per ea tempora antistes Nannetensis a Britanniæ comite tractabatur, a quo in exilium pulsus fuerat, eiusque ecclesia plurimis ab eo damnis afficiebatur; cuius impetus ac ferociam Pontifex reprimere conatus est, vti plures eius epistolæ declarant e. Verum cum idem comes nec monitis nec minis a sententia discederet, Honorius illum quoque e cœtu fidelium segregandum duxit f; nec ita multo post eodem resipiscente, & controuersias cum episcopo transigente comite, latas in eum sententias reuocauit g, initamque inter ipsos concordiam sua auctoritate muniuit h. Præterea Melgorij seu Montisferrandi comitatum Magalonensi episcopo ab Innoc. III. iure fiduciario tributum confirmauit i. Neque silentio prætereundum est, Honorium scriptis ad Ambianensem episcopum literis statuisse l, clericos secularibus negotiationibus implicitos, si iterum ac tertio cœptis non destitissent admoniti, clericale priuilegium amissuros, eorumque bona legibus municipalibus obnoxia fore: *Mandamus*, inquit, *quatenus si tales tertio a te commoniti, ab huiusmodi non resipuerint: sed prætermissis diuinis officys, negotiationibus institerint supradictis, cum facto priuilegium abyciant clericale, tu quominus dum his se implicant, de suis facultatibus, statutis & consuetudinibus patriæ subiaceant; non defendas eosdem.* Recitãtur hæc verba libro tertio decretalium m, atque a sacrorum canonum professoribus frequentissime laudantur. Præterea dato ad eundem episcopum alio diplomate n cauet, ne quis clericatus occasione homicidij pœnas effugere posset.

a Lib. 2. ep. 906.
b ibid. ep. 907.
c Id. Lib. ep. 912 & 1044.
d ibid. ep. 1030.
e Epist. 1001. 1234. 1235.
f Id. lib. 3. ep. 157.
g Id. ibid. 376.
h Id. lib. 4. ep. 646.
Melgorië. comit. ab Honorio datus episcopo.
i Id. l. 2. ep. 897. & 1690
i ibid. ep. 1182.
l ibid. ep. 1096.
Clerici seculi negotijs abstinere iussi.
m C. ex literis ex de vita & honestate clericorũ.
n Hon. l. 2. ep. 1096.

59 Hoc ipso ineunte anno rogatus Pontifex a Ludouico Francorum Regis primogenito, vt ipsum inter atque Henricum Regem initæ paci (de qua superiori anno egimus) Apostolicam auctoritatem adhiberet, pontificio diplomate o postulatis morem gessit: *Per tuas nobis literas supplicasti, vt pacem inter te, & chariss. mum in Christo filium nostrum Henricum Regem Anglorum illustrem, consanguineum tuum, mediante filio nostro G., tit. S. Martini presbytero Card. A. S. L. amicabiliter factam Apostolico roborare munimine dignaremur. Nos igitur pys precibus tuis benignum impertientes assensum, pacem ipsam. sicut prouide facta est, & sponte ab vtraque parte recepta, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, &c. Dat. Later. id. ianuar. pontificatus nostri anno secundo.* Quo etiam die nobilissimi principis precibus literas in eum eiusque adiutores laicos, quæ ab sede Apostolica emanarant, reuocauit p modò compositam pacem religiose seruaret. Porro Honorium nonnullos hoc anno ex ecclesiasticis viris, qui Ludouici partibus adhæserant, anathematis vinculis soluisse reperimus q.

Inita inter Ludou. & Henr. pax ab Hon. confirmata.
o Lib. 2. ep. 890.
Reuocatę censurę in eum eiusq;
p Lib. 2. ep. 899.
q ibid. ep. 1163. 1187.

60 Quod ad Henricum Angliæ Regem, cæterasque res Anglicanas attinet; illum in primis, vtpote adolescentem, monitis per literas instruxit r, hortatusque f est, vt Berengariam olim Angliæ Reginam (vxor fuerat Ricchardi Regis) bona dotalia refunderet. tum eiusdem Reginæ patrociniũ arripere t atque iniquorũ hominum vexantium conatus coërcere

Berẽgaria Henrico commẽdata.
r Ep. Sup. Matth. Par. hist. Angl. hoc anno
f Hon. l. 2. ep. 1080.
t Ibid. ep. 1008

cere

a Ep. 1007. 1010. 1013. 1021. b Ep. 1283. c Id lib. 3. ep. 339. d Hon. l. 2. ep. 1012. Habetur c. ex parte tua. ex de cler. coniug.

cere a, ipsique tribuere, vt ecclesiastici interdicti tẽpore, missæ sacro priuatim adesse possit: quod etiam Isabellæ Reginæ, Ioannis Regis olim vxori permittit b: cui insuper insequenti anno concessit c, ne quis Pontificis iniussu anathema in eam vibrare auderet. Præterea datis ad Berengariam literis statuit d onerum immunes nõ fore clericos illos, qui abiecta tõsura vxorem duxissent, ac rursus clericali habitu resumpto, se pro clericis agerẽt, quo eius iurisdictioni se subducerent: *Cum igitur*, inquit, *reddenda sint, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo, æquanimiter duximus tolerandum, si a talibus iustitias debitas, velut ab alijs exeratis exigas & seruitia consueta.*

Sauaricus de Malaleone opitme de Henr. meritus. Percutiẽdæ monetæ priuilegio donatur. e Extat in lib. censuū. Confirmatur illud ab Honorio.

61 Nec dandum obliuioni visum est Honorium iustis regijs postulatis facilem se impertijsse cum enim Ioannes Anglorum Rex spectatissimæ nobilitatis viro Sauarico e Malaleone, ob nauatam egregie in eius obsequio operam laboresque aditos, percutiendæ monetæ in eius ditione potestatem fecisset, huiusmodi priuilegij confirmationem a summo Pontifice flagitasset eam persoluendæ Apostolicæ sedi vnius marchæ auri lege imposita e obtinuit: *Sicut tua nobis exhibita petitio continebat, idem Rex pensatis tuæ deuotionis obsequijs in terra tua cudendæ monetæ tibi liberã de liberalitate regia concesserit facultatem, sicuti in eius literis plenius continetur. Nos concessionem huiusmodi gratam habentes, eam tibi sicut ipsam iuste obtines & quiete auctoritate Apostolica confirmamus, marcham auri annis singulis, quibus moneta ipsa cuditur, nobis, & successoribus nostris exoluens. Nulli ergo &c. Dat. Later. xv. kal. may pontificatus nostri anno II. &c.*

e Ep. 819. Pandulph Norvvic. elect. legatus in Angl. missus. f Lib. 3. ep. 54.

62 Quod spectat ad G... S. Martini presbyterum Cardinalem Apostolicæ sedis in Anglia legatum, cuius potissimum opera, vti paulo ante de Pontifice accepimus, pax inter Henricum Regem & Ludouicum pacta fuerat e, ex Angliæ legatione redeundi, vt ille enixe postularat, potestatem fecit, misso eius loco Pandulpho Norvvicensi electo de cuius legatione hæc ad ipsum scripsit f: *Cum dilectus filius noster G..... tit. S. Martini presbyter Card. qui expertam prudentiam, & constantiam suam in regno Angliæ viriliter, ac per Dei gratiam feliciter exercuit, sicut scis, nobis frequẽter supplicauerit humiliter, & instanter, ac etiam per fratres nostros fecerit supplicari, vt ipsi continuis fatigato laboribus redeundi licentiam concedere dignaremur; nos attendentes labores ipsius diutinos, & simul præsentiam eius Apostolicæ sedi, cum sit vir magni consilij, necessariam affectantes, licentiam ei concessimus toties postulatam. Verum quia expedire credimus, immo scimus, vt ibi sit aliquis de latere nostro missus, qui Regem, & regnum ipsum in tranquillitate studeat conseruare, te de cuius circumspectione ac fide indubitatam fiduciam obtinemus, & quem certissime nouimus Regem & regnum sincera diligere charitate, illuc concesso tibi legationis officio duximus destinandum, &c. Datum Laterani secundo idus septembris pont. nost. an. tertio.* Hæc Honorius qui eiusdem etiam

g Ep. 55. h Centur. 13. c. 10. col. 1135. i Lib. 3. ep. 124. Nullus in Scotiam mittẽdus legatus nisi ex eo regno oriundus sit.

argumenti literas Angliæ archiepiscopis, reliquisque præsulibus misit g. Cæterum Pandulphum creatum hoc anno Noruuicensem episcopum tradunt post alios etiam nouatores h. extant præter modò recitatas aliæ Honorij ad Pandulphũ literæ, quibus iussit iam initas pacis leges inter Alexandri Scotorũ Regis patrem, Ioannemq; Angliæ Regem irritas vel raras haberet. postremò Cœlestini atque Innocentij Romanorum Pontificum vestigia sectatus, Alexandrum eiusque regnum Romanæ Ecclesiæ vectigale recentibus beneficijs auxit i; in quibus illud additum: *Adijcimus vt nulli de cætero, qui de Scotia regno non fuerit, nisi quem Apostolica sedes propter hoc de corpore suo specialiter destinauerit, licitum sit in eo legationis officium exercere.* At de his hactenus.

Prærogat. Toletan. eccl. confirmatæ. a Lib. 2. ep 795. Eugenius III. Bracharensi archiep.

63 Reliquum est, vt gesta hoc anno in Hispanijs percurramus. In primis Honorius antiqua Toletanæ ecclesiæ monumenta, Roderico archiepiscopo rogante, ex Romanorum Pontificum regestis collecta ad ipsum misit: *Supplicasti*, inquit a, *nobis frater archiepiscope, vt cum in regestis Romanorum Pontificum quædam contineantur munimenta ecclesiæ Toletanæ, illa conscribi, & tradi tibi sub bulla nostra muniminе faceremus, ne regestis ipsis perditis casu fortuito, aut vetustate consumptis, ius ecclesiæ contingat cum pereuntibus deperire. Nos igitur tuæ sollicitudinis prouidentiam commendantes, præsentium significatione testamur, quod in regestis felicis recordationis Eugenij Papæ III. prædecessoris nostri continentur literæ in hæc verba; Ioanni Bracharensi archiepiscopo.* Plura subijcit tum ad A.. Hispaniarum Regem, tum ad Tarraconensem, tum ad Ioannem Toletanum archiepiscopos pertinentia, quod postea etiam præstitit de pluribus

b Ibid. ep. 796. c Ep. 797. d Ep. 798. e Ep. 799. f Ep. 800. g Ep. 813. h Ep. 816. i Ep. 845. l Ep. 846. m Ep. 847. 932.

Vrbani secundi b, Adriani IV. c Anastasij IV. Alexãdri III. Paschalis II. d, Gelasij II. e ac Lucij II. Romanorum Pontificum literis ad alios exaratis. Cumque Rodericus paulo ante memoratus causam de ecclesiæ suæ Toletanæ primatu apud Apostolicam sedem summa cum diligentia tractasset, Honorius eius decisionem iustis de causis in aliud opportunius tempus distulit f; qua de re ad archiepiscopum ipsum scripsit g. interim ipsi successoribusque primatum tribuit h in Hispalensi prouincia, rursus in Christianorum ditionem redacta; præterea potestatem Roderico fecit, ecclesijs diu suis sacerdotibus orbatis alios in demortuorum locum eligendi i, eosque absoluendi l, qui clericis violentas manus intulissent, modò atrox percussio non esset. Eidem tamen archiepiscopo præcepit m, vt Hispaniarum Reges, principesque ad pacem vel saltem inducias ex concilij œcumenici præscripto adduceret.

Ferrandi Reg. Castellæ immi. bello petitur a patre. Mar. de reb. Hisp. l. 12. c. 7.

64 Impendebat tum Castellæ belli grauissimi terror, cum gentis iura Ferrandum ex incesto thoro natum sceptri successione excludere viderentur, Ludouicus Galliarum heres futurus dotali Blancæ vxoris titulo ad se regni illius iura trahere, posterisque materno iure debitum disceptare posset, hinc Alphonsus Legionis Rex Castellæ coronam vt Berengariæ dotem, quamquam dissolutæ eæ nuptię ex legibus Ecclesiæ fuissent, affectaret, atque ob id Ferrando filio infestus esset; proceres etiam Castellæ ab armis non quiescerent. Qui omnes motus Honorij studio, vt arma in Sarracenos verterentur, consuleretur que Christianæ rei, tandem sedati fuere: is enim Ferrandum a maiori optimatum parte Regem creatum, qui in adolescentiæ ineuntis primæuo flore magna futuræ virtutis signa præ se ferebat, legitimum Castellæ Regem agnouit, illumque ac regnum in Apostolicæ sedis clientelam suscepit n, atque archiepiscopo Toletano Valentinoque & Burgensi episcopis vibrandarum in eos, qui regni quietem armis turbarent, censurarum prouinciam tradidit o.

Ferrandi causa ab Honorio suscepta. n Hon. l. 3. ep 18. o Ib. ep. 19. p Ep. 18.

65 De arrepto verò Ferrandi patrocinio hæc literæ ipsi transmissæ p: *Ad impendendam circa te, & regnum tuum curam, & sollicitudinem specialem & ætatis tuæ consideratione inducimur, & præclaræ inclytæ recordationis A.. Regis Castellæ aui tui meritis prouocamur. Tuæ igitur serenitatis precibus benignum impartientes assensum, personam tuam, & regnum ipsum sub speciali Apostolicæ sedis & nostra protectione suscipimus, et præsentis scripturæ pagina communimus. Nulli ergo &c. Datum Laterani XIV. kal. aug. pont. nostri anno tertio.*

Declarat Pont. illũ regni legitimum heredem.

66 Tam insigne beneficium alio cumulauit Honorius dato Apostolico rescripto, quo ad extinguenda bella imminentia promulgauit illegitimos natales ipsi non obfuturos, quo minus in Legionis regno Alphonso patri succederet, quod iam ante probasse

visus erat Innocentius III. eum pontificijs literis concesserat Alphonso, vt Ferrandum in filium reciperet, idque ab vtriusque regni Castellæ & Legionis ordinibus fuerat confirmatum, vt bella occasione successionis nascitura comprimerentur, quade re hoc diploma Ferrando dedit a.

Cur matrimonium vitiosum ad regnum obtin. non obfuerit.

a Lib. 2. ep. 1195.

Ferrando ill. Regi Castellæ.

67 Regiæ dignitatis sublimitas non solum in ijs, quæ meram iustitiam continent, sed in ijs quoque, quæ gratiam sapiunt, fauorem debet apostolicum inuenire. Quod attendens felicis memoriæ I. Papa prædecessor noster, cum sopita discordia, quæ olim inter charissimum in Christo filium nostrum A.. illustrem Regem Legionen. patrem tuum & recolendæ memoriæ auum tuum A.. Regem Castellæ, occasione diuortij inter parentes tuos edita super hoc constitutione apostolica celebrari periculosissime vertebatur, pax inter eos, per concessionem Regi Legionen. ab ipso patre tuo te secundum regiam consuetudinem solemniter recipiente in filium, per quod voluisse videtur te suum esse legitimum successorem, prono animo, & voluntate libera tibi factum de concessione ipsa, nullo tempore reuocanda, præstito iuramento, sicut in eius literis perspeximus contineri, esset de consilio, & consensu prælatorum & baronum vtriusque regni voluntarie reformata, eidem paci propter euidentem vtilitatem, & vrgentem necessitatem robur apostolicæ auctoritatis impendit, illam gratam habendo, & ratam; & super hoc ad vtriusque Regis instantiam suæ confirmationis literas concedendo.

Sancitum ante ab A. Castell. & Legiõ. fuerat pro legitimo habendum.

68 Nos igitur tuis, & charissimæ in Christo filiæ nostræ B. ill. Reginæ matris tuæ precibus inclinati factum ipsius patris tui, cum saluti eius expediat, vt quod iuratum, inconcussam obtineat firmitatem, gratum habentes & ratum, illud, sicut prouide factum est, auctoritate apostolica de speciali gratia confirmamus, & præs. scrip. pag. cõmunimus, te ipsius successorem legitimum declarãtes. Nulli ergo &c. *Dat. Lat. vii. id. iul pont. nost. an. 2.*] Coniũcta postea sunt ea ratione in Ferrando Castellæ & Legionis sceptra, atq; hactenus firmissime coaluerunt: vnde facilius Mauri debellati, eiectique ex Hispania fuerunt, in quos parente filioque conciliatis, comiteque Aluaro, qui dum vixit, fax regni extiterat, extincto sacrum bellum comparatum est, vt b Mariana scribit.

Id decretum ab Innoc. & Honor. cõfirmatũ.

In Ferrãdo regna Castell. & Legion. postea coniuncta.

b Marian. de reb. Hisp. l. 12. c. 7.

69 Vrgendi sacri illius belli, obeundæque in exercitu piorum legationis prouinciam impositam Roderico Toletano archiepiscopo ostendunt Honorij literæ tum ad ipsum, tum ad suffraganeos, atque ad Abulensem & Burgensem exaratæ, quibus propositis insignibus illis victorijs, quæ ab Alphonso Ferrandi materno auo Castellæ Rege anno huius seculi duodecimo partæ fuerãt, in quibus varijs prælijs plusquam ducentis millibus Sarracenorum cæsis res Christiana admodum efflorueras, ad consternatum metu hostem opprimendum incitauit c: *Ecce tempus opportunum, vt credimus, ad insurgendum contra eos, quibus estis circumdati, Agarenos, cum miraculo illius victoria, quam Dominus exercituum anno nunc quinto caelitus ministrauit, adhuc esse credantur attoniti, & crucesignatorum incursu, qui stragem asseruntur fecisse maximam in finibus eorumdem, dicantur plurimum animis consternati.*

Bellum in Sarracen. versum. Excitatur Hisp. ab Honor.

c Hon. l. 2. ep. 844.

70 *Et licet dignum, ac necessarium videretur, vt propter hoc ad vos destinare legatum de nostro latere deberemus; quia tamen dubium nobis erat, vtrum in mouenda illis guerra Regum consilia concordarent, nos tamẽ pensantes prudentiam venerabilis fratris nostri archiepiscopi Toletani, odorem nominis cuius etsi fama dudum ad nos præconio tanta pertulerit, vt profusa in eius laudibus videretur, nunc tamen illam auaram in eisdem comperimus extitisse, cum scientiæ, circumspectionis, modestia, honestatis, ac omnis industria longe plus quam illa retulerit, inuenerimus in eodem; ei onus huiusmodi duximus imponendum legationis officium, eidem ad id per vestras prouincias concedendo, vt cum ad guerram illis mouendam ipsorum Regum consilia concordauerint; ipse quasi alter Iosue vos præcedat, & aderuendam de illorum manibus terram, quam prophanatis Dei sanctuarijs detinent occupatam, animos vestros æternis, & temporalibus præmijs incitatos secũdum datam sibi a Deo prudentiam moneat, exhortetur, & erigat, vosque in eam, eiectis ancillæ filijs, qui hæredes esse cum filijs liberæ non merentur, diuino comitatus auxilio introducat, &c. Dat. Lat. 111. kal. febr. pont. nostri anno secundo.*

Tol. arch. leg. ap. in exercitu creatus.

71 Neque Ferrando dumtaxat, verum Adelphonso etiam Lusitano Regi, successoribusque Pontifex apostolicum patrocinium pollicitus a ea loca vniuersa concessit, quæ Sarracenorum imperio eripuisset. Nec absimile est, quod hoc eodem anno de ethnicorum regionibus Danorum Regi tributis traditur b. Denique cum Alphonsus Rex prædicti Adelphonsi auus, principis Ecclesiæ Romanæ stipendiarij nomine, duas auri marchas singulis annis Romano Pontifici persoluendas statuisset, Honorius eidem Regi mandauit, vt ipse successoresque huiusmodi censum apud Bracharensem archiepiscopum, ad sedem Apostolicam transmittendum, deponerent; similique modo Aragonum Regem monuit c, censum pro Barchinonensi comitatu erogaret; eaque de re ad Tarraconensem archiepiscopum scripsit, a quo etiam Regem ecclesiasticis censuris ad id adigi voluit, cui postea Regi permisit d datis ad SS. Io & Pauli presbyterum Cardinalem literis, vti comitatum Amilianum amitæ suæ tutelæ committere posset, modo nullum inde Rom. Ecclesiæ alteriue damnum afferretur. Postremo non prætereundum, extare Honorij literas e ad Dominicum canonicum Bracharensem, ex quibus instauratum apparet in generali synodo decretum de non retinendis pluribus sacerdotijs, quibus animarum cura & onus incumberet, nisi ab sede Apostolica facta potestate.

Alph. Regi Lus. donata quæ Sarracenis eriperet.

a Ibid. ep. 805.

b Lib. 3. ep. 77.

Repetitũ ab eo vectigal sedi Ap. debitũ. Reposcitur ab Arag. Reg census pro Barchin. comitatu.

c Lib. 3. ep. 78. 75.

d Lib. ep. 96

e Lib. 2. ep. 804.

IESV CHRISTI

Annus 1219.

HONORII PP. III. annus 3.	VACAT IMPERIVM.

1 PArtis in Ægypto Christianorum victorijs clarissimus exoritur Seruatoris annus millesimus ducentesimus decimus nonus indictione septima, cum crucesignati omni cura, conatuque intenti in euertenda Sarracenorum tyrannide, qui Christianum Terræ sanctæ populum crudelissime vexabant, sacraque loca flagitijs polluebant, Damiatam munitissimam vrbem post diuturnam obsidionem, post innumera perlata incommoda, post immensos impensos labores, effusosque sumptus, diuina tandem ope subegerunt, quemadmodum testantur Richardus notarius f, Albertus Stadensis g, Godefridus h, monachus Patauinus i, Matthæus Parisius l, Henricus Stero m, Vincentius n, & ex eo S. Antoninus o, vt solet, alijque. Rem vero expositurі, instituti ratio exigere videtur, vt ea prius, quæ ab alijs antea, ac præsertim ab Romano Pontifice peracta fuere, adducamus.

Vrgent Christ. Pelusiacã ob sidionem.

f Ric. de S. Ger. in chr.

g Stad. in chron.

h Godef. in annal.

i Monachi Pat. chro. lib. 1.

l Par. hist. Angl.

m Stero in annal. apud Canis. antiq. lect. to. 6. p. 276

n Vinc. l. 30 c. 88.

o S. Anton. 3. p. tit. 19. c. 3. § 3.

2 Ex indicta in Lateranensi concilio vigesima ad tolerandos belli sacri sumptus stipendia contrahere operam dedit p, cumque ex legati, & Bethleemitani episcopi literis accepisset vrgendæ Pelusij obsidioni pecuniarum subsidium necessarium esse, mox quinque millia marcharum ex pontificio ærario suppeditauit, tum sexdecim alia millia a præfecti ærarij Templariorum Parisiensis domus tradi impetrauit, vt ex lite-

p Hon. l. 3. ep. 208. 236. 242. 244. 282. 336. 379. 488.

a Lib. 4. ep. 561.

literis a patet ad Pelagium Albanensem episcopũ A. S. L. datis quibus etiam illius querelas refregit. Expostulabat legatus crucesignatorum arma in Prouinciã, aut Græciam auerti, tum crucesignatos suis stipendijs defraudari; vnde verendum erat, ne res Christiana labaret. Cui Honorius rescripsit crucesignatorum vota non commutari, sed cum Albigenses ferociores Sarracenis consurgerent, Constantinopolitanumque Imperium periclitaretur, fidelium, qui se bello sacro non deuouerant, arma eò conuertenda fuisse: de pecunijs vero non submissis iactam temere culpam his argumentis amouit.

Respõdet Honorius vigesimã in suas manus non venisse.

3 *Superfacto vigesima nobis aliter scriberes, si ea, quæ de tuo, & aliorum fratrum nostrorum consilio de illa fuere disposita, melius in memoriam reuocares: sicut enim potes recolere ab ipso nostræ promotionis exordio, ad suspicionem tollendam, fuit de consilio communi prouisum, vt ipsa vigesima in nostris manibus non veniret, sed colligeretur in vnaquaque diœcesi, et per tres, aut quatuor crucesignatos illius probatæ fidei, & prudentiæ, ad te sub episcoporum & aliorum testimonio deferretur, per manus tuas cum consilio eorumdem magistrorum Hospitalis, & Templi, ac domus Theutonicorum distribuenda inter crucesignatos egentes, & vtiles Terræ sanctæ, ac specialiter inter eos, in quorum diœcesi collecta fuisset. Vnde ad manus nostras nihil inde peruenit, sed pro ea iuxta prædictam constitutionem ferenda frequenter literas nostras, & nuncios destinauimus: quod si a nobis commoniti minus benefecerunt, non est quod nobis debeat imputari.*

Significat ærarium exhausisse

4 *Maio quoque proximo præterito quinque millia marcharum, duo millia quingentas per Templarios, & totidem per Hospitalarios tibi de camera nostra transmisimus, & sic illis & his, quas ad præsens transmittimus, ac illis, quas in nauigio Romanorum expendimus, computatis, triginta millia marcharum expendimus in negocio memorato, totumque nobis parum videtur præ magnitudine desiderij, quod habemus de felici processu tuo, & ipsius exercitus Christiani. Noueris autem multitudinem signatorum ad Terram S. festinare succursum; ad quem etiam charissimus in Christo filius noster Fredericus illustris Rex Siciliæ in Romanorum Imperatorem electus, speratur recepta Imperij corona in proximo accessurus. Quare sicut alter Iosue populum Domini corrobora, & conforta, sustine, & sustinere doceas difficilia quæque animis indefessis, vt opus Dei, quod laudabiliter incepisti, ipso auctore valeas feliciter consummare. Datum Reate.*

Pollicetur noua auxilia.

5 Contendit mox Honorius Apostolicas curas, vt Christiano exercitui, qui in Ægypto periclitabatur, supplementa mitteret, atque omnes crucesignatos, tum Fridericum præcipue, qui se bello sacro sumpta cruce deuouerat, excitauit, vt laborantibus correpto exercitu auxilio proficisceretur. At versutus princeps, qui non ad pietatem, sed ad pompam eo signo se induerat, vtque facilius Imperiũ sibi assereret, hisce literis, quibus se in parando bello occupatum significabat b, studium Honorij elusit, speque inani lactauit.

b Apud Honor. l. 3. ep. 272.

Sanctissimo patri, & domino Honorio Dei gratia sacrosanctæ Romanæ sedis summo Pontifici, Fredericus eadem gratia Romanorum Rex semper Augustus, & Rex Siciliæ commendationem, & reuerentiam tam debitam, quam deuotam.

Receptis deuotione debita literis Apostolicæ sanctitatis, & intellectis Terræ sanctæ rumoribus, per easdem & gauisi plurimum sumus, & vehementius contristati. Gauisi siquidem, quod sicut nobis, & vniuersis Christi fidelibus per certa datur indicia cognoscendum, vult omnipotens Deus terram illam de manibus hostium liberare. Contristati, quod nisi succurratur exercitui Christiano tam celeriter, quam potenter, imminet vincendi desperatio manifesta. Nos autem his & alijs subtiliter indagatis cognoscentes ad oculum, quod maior nunc instat necessitas, quam vnquam institerit, vt Terræ sanctæ necessitatibus succurratur, & maxime Christiano exercitui, qui pro Christi nomine in magno discrimine constitutus, aut nullo medio necesse habeat vincere, aut perire, quod si exigentibus peccatis nostris accideret ille dispendiosissimus labor, qui pro Terræ sanctæ recuperatione assumptus totum orbem Christianum concussit, non sine perpetui doloris memoria, quod Deus auertat, irritus redderetur;

6 Considerantes etiam, immo ad animum & cor nostrum plenius reducentes, quod, & quantum pro nobis operata sit diuinæ dextera pietatis, quæ dum essemus omni solacio destituti, ad auitum nos Regnum, & Imperium non nostris meritis, sed sola misericordia sublimauit; firmum propositum de succursu Terræ sanctæ cordi nostro diutius reseruatum, auide, necessitatis instantia intellecta, firmius roborantes, edictum omnibus crucesignatis indiximus, vt ad præparationem ipsorum sic omni studio elaborẽt, vt in termino, quem eis dabimus subsequentem, parati sint cessante contradictione transire. Demum, vt demonstretur in opere, quod de subsidio Terræ sanctæ diu gessimus in affectu, in præsentia multorum principum, qui ad mandatum nostrum in * Valdensi curia fuerant congregati, solemnem, immo generalem curiam apud Magdeburch in media quadragesima duximus indicendam, omnibus principibus præsentibus, & absentibus iniungentes, vt ad curiam conueniant nominatam, &c. *Dat. apud Hagenovve id. ianuar. indict.* VII.] verum de regni insignibus ab Henrico sibi, vt ait, tradendis infra dicetur.

* Fuldensi

Frid. in sed. ap. cliẽtelam acceptus.

a Lib. 3. ep. 279.

b Ibid. ep. 269.

7 Delusus Friderici artibus Honorius promouendæ illius imperiali cõsecrationi incubuit, laudibusque extulit ob datum militiæ sacræ nomen: in fidem & clientelam a, vti postulauerat, vnà cum regno suo accepit: Salisburgensi archiepiscopo & episcopis Herbipolensi & Traiectensi mandauit b, tuendis Friderici iuribus operam darent, Fridericum denique cæterosque crucesignatos etiam atque etiam cohortatur, vti nostris in Damiata obsidenda occupatis, atque in periculum adductis, subsidio quamprimum proficiscantur, ijsdemque crucesignatis anathematis pœnam intentat, ni iter ad proximum S. Ioannis Baptistæ festum arriperent. apposita est eiusmodi literis dies tertia id. februar. His vero acceptis Fridericus, alias omni officio ac humanitate refertas rescripsit c, quarum præcipuam partem subijcio:

c Apud Hon. l. 4. ep. 531.

Sanctiss. patri, &c.

Quid facimus pie pater, quod ad referendas vobis gratias, quas beneficia exigunt, vix vires nobis, & merita suffragantur, cum tanta sit affluentia benignitatis, & muneris, quod ad recompensationem eius inaniter se videatur erigere nostræ propositum voluntatis? Ad Deum ergo humilitate supplici recurrentes, petimus incessanter ab eo, vt ipse vobis tribuat piæ actionis præmium, qui præstitit pietatis affectum. Nos etiam quantum possumus, & valemus, vestris nos mandatis exponimus & beatitudini commendamus.

Deludit officia Honorium.

8 Sane quantum nobis attulerint commodi, ac honoris, & Crucifixi negotio complementi vestræ literæ nouiter destinatæ, narrare non expedit, nam videbitur citius per effectũ.] Quam insigni perfidia hæc promissa violarit, inferius videbitur. Recepimus enim literas ipsas decimo die ante festum B. Ioannis, in quo generalis debet curia celebrari, & specialiter pro negocio Terræ sanctæ, vnde si deessent literæ memoratæ, multi forte principes, comites, & barones aliquam occasionem prætenderent, quæ per literarum præsentiam penitus est deleta] Deriuauit in cæteros infidus princeps dilatæ profectionis crimen, cum ipse

Fingit magno se rei Christianæ promouendæ teneri studio.

cōs ab aggrediendo itinere retardaret, adiecit alias preces, quibus solicitauit Honorium, vt ipsum imperiali diademate redimiret.] Quia cum vobis fuerit fidei nostræ deuotio manifesta, non pœnitebit vos tantam nobis fecisse gratiam, & præstitisse fauorem; immo speramus de misericordia Saluatoris, quod ad augumentandum honorem nostrum, & commodum potius vestra benignitas & diligentius accendetur. Super eo vero, quod vestra nobis sanctitas nunciauit de terra Ecclesiæ, quam nos dedisse quidam vobis detractores, & æmuli nunciarunt, coram Deo, & vobis veraciter protestamur, quod de conscientia nostra nullam exinde concessionem fecimus, nec etiam mentionem, nec de cætero dante Domino faciemus, nisi quod vestrum & Ecclesiæ respiciat incrementum. Et si fortè contra hoc, quod non credimus, aliquid apparuerit, sciatis a conscentia nostra esse penitus alienum, propter quod patet, & domine, cum huiusmodi ad vos perueniunt, quia scitis nonnullos in turbationibus & schismate delectari, autem vestrā eorum accōmodare relationibus non velitis, sed os loquentis malitiam vestris redargutionibus obruatur. *Dat. apud Nuremberch.* XVI. *id. iun. septima indictionis.*]

Hactenus ad Pontificem Fridericus, qui iam cœperat ecclesiastica iura innadere, sed quoniam a Pontifice Imperij insignia expectabat, blandis verbis crimen excusauit.

9 Cæterum antequam ad traijciendum apperet dies, Honorius Friderico rogante, ipsi cæterisque crucesignatis profectionis tempus a festo S. Ioannis Baptistæ ad diem S. Michaeli sacrum protulit a. Verum eum Fridericus neque adhuc profectionē adornaret, a Pontifice est increpitus, causam numinis negligentius capessere; sed tandem dum varia impedimenta prætexeret, obtinuit expeditionem in diem S. Benedicti differret. At præstat ipsum parentem arguentem, obsecrantem, minantem, increpantem filium audite b.

a Ep. 458.

b Ep. 576.

Honorius, &c.

Ecce fili charissime, quod ad hoc tibi duo præfixi sunt termini, sed elapsi, quod adhuc commodum reportarunt? quas naues? quas galeas ad transfretandum regia fecit solicitudo parari? Quæ vasa vsui transfretationis accommoda de sumptibus tuis vel mare recepit vel littus agnouit? Esto, charissime, quod transitus tuus impedimentis aliquibus hactenus fuerit retardatus, clarere tamen deberet magnus in apparatibus magnis affectus, vt opus, quantum illud possibilitatis effectus extenderet, esset efficax promptæ voluntatis interpres. Et quidem in talibus vellemus esse te præducem potius, quam sequacem; & non solum repetitioni dilationis non nimis insistere, sed petentibus fortiter obuiare. Verum propter impedimenta, quæ ad excusationem tua pagina continebat, honori tuo, quantum in Domino possumus, prouidere volentes, dilationem tibi concedimus postulatam festum beati Benedicti proximo futurum terminum præfigentes, quo ad Terræ sanctæ succursum iret atripias, prosecuturus, quantum sufficientia possibilitatis affuerit, votum tuum. Interim vero non dormias, ne in termino iam tertio laqueum, quod absit, excommunicationis incurras. Excita temetipsum, & alios vigilare compelle, vt medio tempore paratis ijs, quæ desiderātur ad talia, terra quæ funiculus est hæreditatis dominicæ fructuosum sentiat tuæ magnitudinis, quem diu desiderauit, & expectauit aduentum.

Honorij de Frid. expeditionem differente querelæ.

10 Festina, festina expectare diutius, quoniam dum est in promotione negocium minori consumatur auxilio & facilius perficitur in profectu. Festina Rex egregie ad summi Regis obsequium, vt non videaris omnino post terga relictus, sed rāto feruentiori affectione, ac euidentiori vtilitate procedas, quanto de maiori mora & minori solicitudine quorumdam iudicio notari videris. Festina si fortè Dominus tanti cōsummationem negocij tuæ gloriæ reseruauit, vt in dextera tua perficiat multorū manibus inchoatum. Certe claræ memoriæ auus tuus Fredericus ad id se viribus totis accinxit, & quis scit, si & tu Fredericus nepos ipsius, illius memoriam non solum præsentibus renouabis in nomine, sed etiam ad posteros prorogabis in opere, si quod ille feruēter in affectum assumpserat, tu salubriter produxeris ad effectum. Nihil ergo in tanto negocio vel tu ipse omittas, vel a tuis, quantum in te fuerit, patiaris omitti. Quoniam cum tibi robur ætatis sufficiat, & potentiæ virtus abundet, si furtè, quod absit, tam fauorabilem causam neglexeris, quanto maiora de manu Domini recepisti, tanto id a te maioris exactionis periculo requiretur. Illud autem latere te nolumus, quod cum redeuntibus multis breuis sit, sicut accepimus, exercitus Christianus, nisi succursum habuerit in proximo passagio martij, grande, quod Deus auertat, posset eis imminere discrimen. *Dat. Reate kal. octob. pont. nostri anno quarto.*]

Pontificis ad illum exhortatio vt maturet iter.

Proponitur illi aui exemplū.

11 Hæc ad Regem Honorius: insuper episcopos ac reliquos Germaniæ præsules anathematis sententiam promulgare a iussit in crucesignatos, qui voti religione spreta in loca sancta traijcere neglexissent. Verum quia non Christianos vinculis irretire (vt ait) sed ab ijs potius absoluere quærebat, eosdem cruce insignitos absoluendos decreuit, si resipiscerent, seque recurrente S. Benedicti festo die Hierosolymorum subsidio profecturos iureiurando pollicerentur. Quemadmodum vero Germaniæ milites, ita aliarum etiam regionum crucesignatos ad Hierosolymitanū iter impulit summus Pontifex; in quadam enim epistola ad patriarcham Gradensem b, vbi nonnulla præfatus est & Christiani exercitus Damiatam obsidentis virtutem ad cœlum extulit, subdit: *Crucesignatos, qui de portu Venetorum ad partes Hierosolymitanas transfretare disponunt, nec non nautas, qui eos transfretare promittunt, vt ad partes Damiatæ, vbi est exercitus Christianus, studeant applicare moneas omnimodis, & inducas, excommunicationis tam in crucesignatos, quàm in nautas, si contra monitionem tuam venerint, generalem sententiam, auctoritate nostra, sublato appellationis obstaculo promulgando, mandatum nostrum taliter impleturus, quod exinde illi, cuius causa geritur, placeas, & nos diligentiam tuam possimus in Domino merito commendare. Dat. Later.* x. *kal. febr. pont. nostri an.* 3.

Incussum crucesignatis moras nectētibus anathema.

a Ep. 577.

b Lib. 3 ep. 250.

Iussi Damiatam cōtendere

12 Interea Christi fidelium exercitus Damiatam ingenti premebat obsidione, & quanquam grauiora ipsi incommoda patiebantur, Deum tamen subsidio præsidioque sibi adesse crebro experti sunt, namque Godefridus c eius æui auctor hæc literis exarauit: *Sane nocte S. Agathæ virginis Deus innouans virtutis suæ miracula tantum pauorem soldano Babylonis & satrapis eius incussit, vt relictis castris, ignorantibus etiam Aegyptijs, quos ad resistendum ordinauerat, in sola fuga spem poneret. Quidam apostata, qui multo tempore legem Christianorum transgressus cum soldano militauerat, stans in ripa clamabat Gallico legato, Regi, & alijs, fugam eorum nuncians. Itaque fugientibus Aegyptijs Christiani certatim & alacriter absque omni impedimento hostium & sanguinis impensa transierunt: & sic per gyrum ac firmiter obsessa est ciuitas. Direpta sunt etiam fugientium tentoria, & vniuersa naues, cum plurimis spolijs.*

c Godef. in annal.

Aegyptij diuinitus in fugam acti.

Potiuntur eorum castris Christiani.

13 *Post hæc adueniente Coradino Rege cum Alapinis, & magna multitudine, hostis resumptis viribus & animis locum illum occupat, a quo Christiani transitum miraculosum fecerant, & sic eos obsidentes ciuitatem ipsius periculosius obsederit, & nisi per diuinum consilium prima castra, quæ erant inter mare, & fluuium, retenta fuissent maxime per Theutonicos, & Frisones, portus ab*

Coradinus in castra Christ. eē tat irrum-pere.

fecisse, argumento literæ sunt ab Honorio proximo insequenti anno ad ipsos scriptæ, e quibus dignum videtur exordium aliaque pauca inserere: *Etsi humanæ conditionis infirmitas non sufficiat dignas grates exsoluere domino Deo nostro, super inenarrabili dono eius, & multitudine misericordiæ suæ, quam in captione Damiatæ fecit nobiscum, & cum alijs inuocantibus nomen eius, graues labores vestros, ac longas afflictiones, & continua pericula miseratus, receptis tamen diu desideratis huius lætitiæ nuncijs toto mentis annisu dignationis diuinæ beneficio assurreximus, & in toto corde nostro confitentes eidem, & mirabilia eius pro nostræ possibilitatis modulo enarrantes, & processionaliter gratias, & laudes exsoluimus, & exsolui mandauimus per omnes fere prouincias Christianas, insinuantes eisdem quantum nunc egeatis multitudine sociorum.*

Gratulatur ijs de relata victoria Honorius.

19 *Cum vos oporteat & ciuitatem prædictam incolere, & conuicinas, sine quibus illa retineri vix posset, Christiano nomini, si desuper datum fuerit, subiugare, fideles ad succursum vestrum per literas nostras animare studuimus, & per viros idoneos mandauimus animari, factas propter hoc a principio indulgentias innouantes, ac mandantes, vt illi, qui iam sunt crucis charactere insigniti, cogantur ad exequenda celeriter vota sua, &c.* Et infra: *Ne autem occasione terræ vobis iam data a Domino, vel sicut speramus in posterum danda, aliqua, quod absit, inter vos possit dissensio suboriri, tam super iam acquisitis, quam de cætero dante Domino acquirendis plenam ipsi legato* (Pelagio scilicet episcopo Albanensi, quem paulo ante ob similitudinem muneris quo in Dei exercitu Apostolicæ sedis nomine fungebatur, Iosue appellauerat) *tam in temporalibus, quam in spiritualibus commisimus potestatem, ita vt per se, aut per alios libere illam exerceat, prout res videbitur postulare. Ideoque vniuersitatem vestram rogamus attentius, & hortamur, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes, quatenus eidem in prædictis omnibus deuote ac humiliter more solito intendatis. Datum Viterbij vi. kal. martij pont. nostri ann. 4.*

Pollicetur noua auxilia.

20 Præfecit eodem anno Antiochenæ ecclesiæ diu pastore suo viduatæ Petrum Capuanum, Petri olim S. Marcelli presbyteri Cardinalis e fratre nepotem [a]: verum cooptato postea hoc eodem anno in amplissimum Cardinalium collegium ipso Petro, Rainerium S.R.E. vicecancellarium ei sufficit, vti Pontificis literæ [b] ab eodem exaratæ testantur.

Petrus Capuan. creatur Antioch. patriarcha.

a Hon. l. 3. ep. 417.

b Lib. 4. ep. 631.

21 *Cum dilectum nostrum magistrum P.... Capuanum, quem deputaueramus ad regimen ecclesiæ memoratæ, certa nos certa de causa providerimus retinendum, eumdem in fratrum nostrorum collegium assumendo, tandem ad multam instantiam dilectorum filiorum Anselmi, Vlrici, & Opranai canonicorum ipsius ecclesiæ, qui sicut viri prouidi, & fideles pro ea solicite, ac fideliter laborarunt, illum nobis pro vestra & ecclesiæ vestræ vtilitate subtraximus, per cuius industriam labores nostri releuabantur præcipue, & de cuius prudentia solatium potissimum habebamus, videlicet charissimum nobis R.... sanctæ Rom. Ecclesiæ vicecancellarium, virum scientia, vita, & fama præclarum, & elegantia morum, ac conuersationis dulcedine gratiosum, ipsumque vestræ præficientes ecclesiæ, ac in patriarcham proprijs manibus consecrantes, pallium sibi tradidimus, plenitudinis videlicet officij pontificalis insigne, vt ab Apostolica sede tanquam sponsus de thalamo suo ad vos in ornatu patriarchali procedat, &c.* Præcipit vt patriarcham debito honore prosequantur, illiusque monitis obtemperent. *Dat. Viterbij vii. id. decemb. pont. nostri anno 4.* Antea verò literis iv. kal. nouemb. datis ad vniuersos Antiocheni patriarchatus archiepiscopos, episcopos cæterosque præsules, sacra per eos theologiæ studia in regionibus illis exercenda, & colenda, hæresesque arcendas curauit [c], denique sanctissimam Eucharistiam summa cum reuerentia custodiri, atque a sacerdotibus tractari iussit [a].

Rainerius Petro subrogatur.

Quo cultu seruanda sit Eucharistia.

c Ibid. ep. 611. 612.

Honorius, &c.

a Ep. 622.

Cum olim vas aureum manna plenum, Christi corpus deitatem continens præfigurans, in arca fœderis auro tecta infra sancta Sanctorum fuerit collocatũ, vt mundè in loco venerabili seruaretur, dolemus plurimum, & tristamur, quod in plerisque prouincijs sacerdotes sanctiones canonicas, immo diuinum iudicium contemnentes, sacram Eucharistiam incaute custodiunt, & immunde, ac indeuote contrectant, quasi nec creatorem timeant, vel recreatorem diligant, aut iudicem omnium expauescant. Quamquam Apostolus terribiliter comminetur deteriora illum mereri supplicia, qui Filium Dei conculcauerit, vel sanguinem testamenti pollutum duxerit, aut spiritui gratiæ contumeliam fecerit, quam transgressorem legis Mosaicæ, qui mortis sententia plectebatur.

Habetur ex c. sane de celebratione missarum.

22 Ne igitur de cætero propter incuriam sacerdotum in indeuotos diuina indignatio grauius exardescat, districte præcipiendo mandamus, quatenus a sacerdotibus Eucharistia in loco singulari, mundo etiam, & signato semper honorificè collocata, deuotè ac fideliter conseruetur. Sacerdos verò quilibet frequenter doceat plebem suam, vt cum in celebratione missarum eleuatur hostia salutaris, quilibet reuerenter inclinet, idem faciens, cum ipsam portat presbyter ad infirmum, quam in decenti habitu superposito mundo velamine ferat, & referat manifeste, ac honorifice ante pectus, cum omni reuerentia, & timore, semper tamen lumine præcedente, cum sit candor lucis æternæ, vt ex hoc apud omnes fides, & deuotio augeatur. Prælati autem huius mandati grauiter punire non differant transgressores, si & ipsi diuinam & nostram volunt effugere vltionem. Vos autem sic obseruari faciatis prædicta; quod non efficiamini vindictæ participes, sed coronæ. *Dat. Viterbij x. kal. decemb. pont. nostri anno 4.*] His nonnulla ad Constantinopolitanum Imperium adnectenda videntur. Defixus fuerat anathemate ob innasas res ecclesiasticas Achaiæ princeps, qui cum obfirmatus in scelere perstaret, ab Honorio confirmata [b] in eum lata ante sententia percelli meruit. rescissa etiam sunt auctoritate apostolica fidei sacramenta, quibus præter fas nonnulli se illi adstrinxerant [c]. Neque illud prætereundum, eundem Pontificem Margaritæ Imperatricis patrocinium sumpsisse [d], præterea vetuisse, ne quis inconsulto Romano Pontifice eam e fidelium cœtu segregare posset, vti pontificia ad ipsam diplomata ostendunt.

Quo ritu ferenda sit infirmis.

b Lib. 3. ep. 437.

c Ibid. ep. 416.

d Ep. 311. 499.

23 Iam ad Fridericum, vti sumus polliciti, reuertamur. Cum ipse ab Honorio literis atque oratorum opera postulasset, vti Henricum Saxoniæ ducem ad insignia imperialia sibi tradenda compelleret, Pontifex illi morem gerendum esse duxit [e]: *Cum tam literis, quam nuntijs tuis nobis intimare curasti, quod nobilis vir H... dux Saxoniæ insignia imperialia detinet, & tibi resignare contemnit; nos tuis aspirantes profectibus, & honori, dilectum filium priorem S. Mariæ nouæ de Vrbe, virum vtique magni consilij, & honestate perspicuum ad te duximus destinandum, vt ipsum commonefaciat vice nostra, & eo mediante ipsa regiæ serenitati resignet; ad quod illum monere, ac hortari nostris curauimus literis diligenter, &c.* Monet Fridericum, vti ducem in gratiam recipiat, si monitis pontificijs paruerit: si vero respuerit iussa, certiorem facit datam Halberstadensi & Hildesemensi episcopis prouinciam, vt ipsum anathemate percellant, ac Brunsvvicum ecclesiastico interdicto subijciant. *Datum Lat. vi. id. febr. pontif. nostri an. iii.* Porro Henricum Pontifici dicto audientem fuisse, Stadensis [f] scribit: *Fridericus conuentu habito apud Goslariam principes conuocauit; vbi dux Henricus ei Imperij insignia præ-*

Frider. ab Honorio flagitat sibi insignia imperialia restitui.

e Ep. 273.

Pontifex Frid. morem gerit.

f Stad. in chron. hoc anno.

Redduntur ab Henrico:

sentauit; quod etiam Stero refert a, additque Othonem morti proximum eadem insignia Imperij Henrico Rheni Palatino, vt Friderico traderet, reliquisse.

a Stero in annal. apud Canis. antiq. lect. to. 1 p. 246

Alexandrini Friderico parere ab Honorio iussi.

24 Præterea cum Alexandrinus populus Pontificẽ rogaret, num ei placeret ipsos in Friderici auctoritate futuros sacramento polliceri, id responsum b retulere: *Super eo, quod nostræ voluntatis scire beneplacitum petijstis, vtrum videlicet vos velimus cum alijs amicis vestris de Lombardia charissimo in Christo filio nostro Frederico illustri Regi Siciliæ in Romanorum Imperatorem electo fidelitatis iuramentum præstare, si ab eo fueritis requisiti, vobis duximus præsentibus intimandum. Quod si alij ciues Lombardiæ dicto Regi fidelitatis præstiterint iuramenta, sustinemus ad præsens pro pace vestra, vt si ab ipso fueritis requisiti, iuretis eidem. Saluis tamen in omnibus fidelitate, ac iure sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ matris vestræ. Dat. Reate III. kal. sept. pont. nostri an. 4.*

b Hon. l. 4. ep. 555.

Fridericus iura eccl. inuadit.

25 Cæterum Fridericus cum malè audiret, grauissimeque ab Honorio esset obiurgatus iura ecclesiastica inuasisse, vt tegere verbis scelera nouerat, pluribus literis ad eundem exaratis c, multis excusationibus hanc a se accusationem depellere conatus est; atque in extrema nouissimarum literarum pagina hæc addit: *Vt igitur rancor, vel opinio concepta, vel concipienda in animo vestro deleatur omnino, & Rex vester deuotus Ecclesiæ filius*, de seipso loquitur, *sit vobis more solito commendatus, in visceribus charitatis, per has literas nostro sigillo munitas vniuersis notum esse volumus, tam præsentibus, quam futuris, quod omnes cõcessiones & dona, quæ alicui fecimus, tam de ducatu Spoleti, terra comitissæ Mathildis, quàm de alijs, quæ B. Petri patrimonio pertinere noscuntur, duximus irritanda, nostro sancientes edicto, vt nullum aliquo tempore robur obtineant firmitatis. Alias vero petitiones, quas per magistrum Aiatrinum misistis, subsequenter studebimus effectui mancipare. Dat. apud Haginouiæ VIII. id. septemb. VIII. indict.* Dein misso ad cunctos vectigales suos regio diplomate, in Spoletanos ac Narnienses animaduertendum decreuit d, nisi ad Romanæ Ecclesiæ obedientiam, a qua desciuerant, reuerterentur.

c Apud Honor. l. 4. ep. 527. 572.

d Hon. ib. ep. 591.

26 Porro non solum iura ecclesiastica Fridericum, vt vidimus, inuadentem Pontifex redarguere coactus est, verum etiam inuehi in Bohemiæ Regem eiusque optimates episcopum, atque ecclesiam Pragensem per summam iniuriam insectantes, vexantesque: quare vehementes literas ad Ratisponensem, & Pataniensem episcopos dedit e, quibus & rerum a se in ea causa gestarum ordinem seriemque exponit. Præ se tulerat antea, vti vidimus, Othacherus Bohemiæ Rex pontificijs imperijs pariturum, expiaturum crimen, Pragensem episcopum pristinæ auctoritati restituturum, reuocaturũ male contra Ecclesiam gesta: ijsque blandis pollicitationibus apostolicam seueritatem eluserat. Sed cum postea promissa in opus non perduceret, ac tum ipse tum proceres ecclesiam Bohemicam opprimerent, intruderent in dignitates alios, alios spoliarent, fraudarent decimis, aliaque patrarent, quibus iura ecclesiasticorum labefactata erant, eorumque dignitas contemptui patebat, Honorius hanc illis prouinciam imposuit f:

e Ep. 651.

Othach. Rex Bohem. promissa eludit.

f Ep. 541.

27 *Licet sæpedicto Regi tanquã præcellenti, & baronibus tanquam ab eo missis deferre velimus; quia tamen non est deferendum hominibus cõtra Deum, cui est contra omnes homines deferendum; de fratrum nostrorum consilio discretioni vestræ per Apostolica scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus Regem, & barones eosdem, vt præfato episcopo ac damnis illatis, & subtractis fructibus, nec non irrogatis iniurijs satisfactionem exhibeant competentem, et ab ipsius de cætero molestatione desistant, recepta super his ab ipsis pignoraticia, vel fideiussoria cautione, moneatis prudenter, & efficaciter inducatis. Quod si monitis vestris, quod absit, infra duos menses acquiescere fortè noluerint, denuncietamus eos ex tunc excommunicationis, & totam terram eorum interdicti sententijs subiacere, quas vos renouantes singulis diebus dominicis, & festiuis, faciatis easdem appellatione remota, tam ab episcopis, quam ecclesiarum prælatis, & alijs omnibus vicinis inuiolabiliter obseruari, donec redeuntes ad cor relaxari easdem sententias mereantur. Dat. Reate IV. non. aug. pont. nost. an. 4.*

Intententur illis censuræ ni pareat.

28 Arguit præterea Honorius a Salisburgensem archiepiscopum, qui cum episcopalis sedis in Secchouensi ecclesia excitandæ facultatem ab Honorio flagitasset, Pontifex ea ratione concesserat, vt nullum ex ea re damnum in Rom. Ecclesiam ac Luipoldum Austriæ ducem crucesignatum redundaret. Is vero non petito ducis, vt debuerat, assensu, episcopatum Secchouensem erexerat, illique ecclesias quasdam attribuerat, quibus moderandis pastores designare ducis partium erat. Quod grauissimè ferens ducissa Austriæ Theodora questa est apud Honorium viri iura infringi, dum pro Christiana fide in oriente aduersus Sarracenos dimicaret. cuius querelis permotus Pontifex, qui Luipoldum optime de re Christiana meritum in clientelam Apostolicam admiserat, atque etiam vetuerat, ne quis in eum non petita a Sede Ap. facultate anathema vibraret, archiepiscopo perperam gesta rescindere ac reuocare imperauit b: *Mandamus, quatenus diligenter corrigens per teipsum, quod in eiusdem ducis præiudicium attentasti, eius iura non minuas, sed conserues penitus illibata, & donec ipse, dante Domino, ad propria reuertatur, nihil in præiudicium suum, vel terræ suæ attentare præsumas; mandatum nostrum taliter impleturus, quod propter hoc tibi durius scribere non cogamur; quia sibi illatam iniuriam, immo nobis in ipso non possemus æquanimiter sustinere. Dat. Romæ apud S. Petrum non. maij pont. nostri anno tertio.* Hactenus Pontifex. verum cum dicat Stero c Eberhardum potestate sibi ab Rom. Pontifice facta, Secchouensem episcopatum hoc anno condidisse, neque Honorius ad eum amplius (quod viderim) hac de re scripserit, par est credere, ducis postea assensum accessisse: concilium verò prouinciale hoc anno ab eodem archiepiscopo celebratum, addit Stero, interfuisse episcopos Patauensem, Frisingensem, Gurzensem, Chiemensem ac Secchouensem.

a L. b. 3. ep. 444.

Ducissa Austriæ queritur viri iura infringi a Salisburg. archiep.

b Ibid. ep. 494.

Iubetur arch. Salisb. gesta reuocare.

c Stero in annal. apud Canis. antiq. lect. to. 1 p. 246

29 Acrius inuehi compulsus est Honorius in Vpsalensem archiepiscopum, eiusque suffraganeos episcopos, qui Ioannem tyrannum Sueciæ regni inuasorem, prætermisso Vvaldemari Daniæ Regis nepote, defuncti Erici filio, quamuis Danus nepotis iura sedi Apostolicæ committeret, regijs insignibus decorassent: quare commotus Lubecensi, Szerinensi, & Kaskeburgensi episcopis partes imposuit, archiepiscopum Vpsalensem, si regia inunctione Ioannem consecrasset, ad dicendam causam Romano Pontifici se sistere iuberent.

Vpsalen. arch. obiurgatur Io. Sueciæ scepteri inuasorem coronasse.

d Hon. l. 4. ep. 551.

Lubecen. Szerinen. & Kaskeburgen. episcopis.

Charissimus in Christo filius noster Vvaldemarus Danorum Rex illustris nobis insinuare curauit, quod claræ memoriæ Erico Rege Sueciæ rebus humanis exempto, nobilis vir Io. regnum Sueciæ ad defuncti filium dicti Regis Danorum nepotem iure hæreditario deuoluendum, quorundam magnatum eiusdem regni fauore suffultus violenter inuasit. Porro idem Rex intellecto, quod venerabiles fratres nostri .... archiepiscopus Vpsalen. & suffraganei eius in Regem volebant inungere superadictum nobilem, ne id facerent, inhibuit appellando; præfatum nepotem suum, & omnia iura eius Apostolicæ protectioni supponens, ac præfigens terminum, quo per se, vel per nuncios suos in nostra comparerent præsentia, ijs, qui venirent pro tutela dicti nepotis sui iustitia responsuri: sed ipsi legitima eius appellatione contempta in Regem inunxerunt nobilem antedictum,

Ericus Rex Sueciæ moritur.

Prætermisso eius filio Io. Rex salutatus.

Vvaldemarus pro nepote se opponit.

ctum, in præfati nepotis sui pupilli, ac etiam post patris obitum nati grauissimum præiudicium, & contemptum nostrum, ac sedis Apostolicæ manifestum.

Honorius præsules Regiæ iniurionis auctores ad sedē Apost. euocat.

30 Nolentes igitur huiusmodi præsumptionis excessum sub dissimulatione transire, cum debitæ pœnæ remissio audaciam tribuat delinquendi, per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus inquisita plenius veritate, si vobis constiterit dictos archiepiscopum, & episcopos ad inunctionem huiusmodi post appellationem legitimam processisse, auctoritate nostra firmiter iniungatis ipsi archiepiscopo, & vni episcoporum, qui astiterunt eidem, vt infra competentem terminum sibi præfigendum a vobis, cum procuratoribus aliorum apostolico conspectui personaliter se præsentent, de huiusmodi satisfacturi contemptu, ipsos ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellentes. Quidquid autem inde feceritis, nobis per literas vestras veraciter intimetis. Quod si non omnes, &c. *Dat. Reate VII. id. aug. pont. nostri ann. 4.*] Demandauit alijs literis a ijsdem episcopis munus, vt pacem inter dissentientes principes conciliare niterentur, ac si rei euentus ex sententia non processisset, de re tota confectis publicis actis sedem Apostolicam instruant.

a Regest. eand. ep.

Nititur dissentientes conciliare.

Tuetur Liuoniēsem episcopū.

31 Eodem tuendæ æquitatis zelo Bremensium canonicorum collegium, quod Liuoniēsem ecclesiam Bremensi subijcere affectabat, atque adeo illam neglectis iussis apostolicis, iniurijs multis affecerant, religioso pro imperio grauissimè increpuit, vetuitque ne amplius negocium Liuonum episcopo facesserent. Cur verò ad canonicos, non ad archiepiscopum his de rebus scripserit Pontifex, ea videtur intercessisse causa, quod Gerardus Bremensis archiepiscopus hoc anno diem extremum clauserit, vti Stadensia tradit, cui Padeburnensis eiusdem nominis præpositus suffectus est. Neque illud hoc loco reticendum, Honorium Liuoniensem episcopum in Apostolicæ sedis tutelam vnà cum ecclesia sua recipi flagitantem admisisse b: quanquam ei roganti, vt nouam in Liuonia metropolim erigeret, haud morem gesserit, cum nondum id e re Liuoniensis ecclesiæ videratur.

Gerard. arch. Brē. mors.

Succedit alter Gerardus.

b Ep. 589.

32 Insigne hoc anno patrocinij sui in eos, qui illud supplices implorant, potestiæ prodigium edidit B. Virgo detractis diuinitus ab nobili adolescente vinculis, qui se illius apud Deum suffragijs commēdarat, quod Cæsarius his verbis historiæ monumentis commisit c: *Eodem tempore quo dominus Engelbertus Coloniensis archiepiscopus ædificauit castrum in Furstinberg, contra nobilem virum Gerardum de Brubach, iuuenis quidam miles de eius exercitu, Theodoricus nomine facere sibi volens nomen ante idem castrum, captus est. Diu ibi vero incarceratus, cum pecuniam pro sua solutione dare spopondisset, extractus de carcere, positus est in domo superiore, cui addita sunt vincula, & serui ad custodiam deputati, habebat enim circa pedes annulos ferreos, & circa brachium eiusdem generis manicam, quæ annexa catena parieti cautè satis erat infixa. Nocte quadam cum esset dormiens inter sex satellites, tam se quam reliquos captiuos custodientes, & Dominam nostram, necnon & alios sanctos solito inuocasset, abdormiuit. Et ecce in somnis vidit se transpositum in monasterium nostrum, de quo cum vellet egredi, sedens in equo more sanctorum, necessitate vinculorum, dixerunt ei duo ex monachis nostris, Menegundus scilicet, & Henricus cognatus eius secundum carnem: Nolite egredi, sed reuertimini, quia sancta Maria de Heisterbach liberauit vos, hoc etiam nomine vocatur domus nostra, ad quod verbum ille euigilans, gauisus est, & de visione cogitans, vtrumnam esset vera, an fantastica, sive volens, mox vt digitos adposuit, pedem vnū sine difficultate extraxit. Simili facilitate manum a catena liberauit, sæpius ista tentauerat, sed non profecerat, cumque ex motu vinculorum vnus seruorum euigilasset, territus miles, circulum reponere voluit, nec potuit. Tunc primum intelligens tale miraculum Dei genitricis meritis circa se gestum: seruo rursum obdormiente, leniter surrexit & vincula adhuc seruans in vno pede, per linteamen per fenestram se dimisit & fugit, quod dum seruus comperisset, clamore fugam eius prodidit, sed manus humana capere non potuit quem virtus diuina protexit, multi eum tubis & canibus insecuti sunt, & cum sæpius in proximo sub frutetis latitaret, inuenire eum non potuerunt, qui ad nos veniens, eosdem circulos pro gratiarum actione super altare beatæ Mariæ virginis obtulit, & qualiter eius meritis liberatus sit, nobis per ordinem recitauit. Acta sunt hæc anno gratiæ MCCXIX.*

c Cæs. l. 7. c. 29.

B. Virgo adolescentem captiuum vinculis liberat.

33 Eodem anno, pactis inter Andream Regis Pannoniæ filium, & Leonis Armeniæ Regis filium nuptijs apostolicam auctoritatem adiecit Pontifex, gratulatusque est hoc dato ad Andream diplomate a: *Cum sicut tam ex tuis, quam charissimi in Christo filij nostri L. Armeniæ Regis illustris literis intelleximus, quod inter te, & Regem prædictum conuenerit, vt natus tuus ipsius filiam accipiat in vxorem, ita vt eidem Regi ratione filiæ suæ prout heres succedat in regnum habiturus illud toto tempore vitæ suæ, si etiam contingat eam decedere, antequam reducatur ab illo, nos quod super hoc prouide ac vtiliter factum est, te, ac Rege prædicto supplicantibus, duximus approbandum. Dat. Later. IV. non. martij pont. nostri ann. 3.* Eodemque argumento ad Armenum scripsit b. Tum Vgolino Colocensi archiepiscopo permisit c, vt cum regales Pannoniæ ecclesias adiret, pallio vteretur: contra verò Strigoniensi archiepiscopo, ne in diœcesi Colocensi sacra faciens pallium indueret, neue incedens crucem præferre sibi iuberet, vetuit. d

a Lib. 3. ep. 325.

Initæ matrimonij sponsiones inter Vng. Regis filiū & Reg. Armen. filiā.

b Regest. ps. eand. ep.

c Ep 485. 486.

d Ep 487.

34 Quod attinet ad res Polonicas; celebranda videtur futurorum seculorum memoria Henrici cum barba ducis liberalitas, qui Trebnicense monasterium S. Hedvvigis vxoris consilio magnis operibus excitatum, atque mortis reos homines piæ illi fabricæ ad expiandum crimen mancipari iusserat, hoc anno numini consecrauit. Tot verò tantisque amplificauit opibus, vt Longinus hæc scribat: *Constructum iam monasterium dux Henricus ex consilio beatæ Hedvvigis datauit, & auxit largissimis redditibus, qui ad omnes sumptus necessarios sufficerent mille personis, & perpetuæ exercendæ hospitalitati, sua eleemosyna promereri cupiens, vt dignus esset audire Dominum in extrema iudicij die dicturum: Hospes fui, & collegistis me: ipsa quoque B. Hedvvigis contulit eidem monasterio bona sua dotalia.* Vt verò cætera ad ecclesiasticam huius anni historiam spectantia aduectam; Pontifex Gnesnensem archiepiscopum legationis in Prussia iniuncto munere abire iussit e. Erat is Henricus, quem de ecclesiastica immunitate optime meritum appellat Ioannes Longinus f, ipsumque hoc eodem anno defunctum præterquam quod idem auctor & Cromerus g, qui illum ornant laudibus, testantur, pontificiæ literæ h illustrant: cum enim duo ab ijs, ad quos electio pertineret, in locum Henrici demortui renunciati essent, Honorius verò neutrius electionem ex canonum præscripto factam cōperisset, vtraque reiecta Iuonem episcopum Cracouiensem metropolitanæ illi sedi præfecit. hæc omnia pluribus ibi contenta. Verum quamuis ita se habeant, attamen auctores paulo ante laudati Vincentium quemdam nobili loco natum Henrico suffectum, atque ab Rom. Pontifice confirmatum asserunt.

Henrici ducis pietas.

Vit. S. Hedvv. c. 6. apud Surium die 15 oct. Long. hist. Polon.

Magnificētia & opera Trebnicēsis monast.

e Ep. 457.

f Io. Long. hist. Pol. l. 6.

g Cromer. lib 7.

h Hon. l. 4. ep. 576.

35 Neque illud prætereundum silentio, Honorium Christiano Prussiæ episcopo præcepisse i, vt ad sopiendum atrox bellum, quod inter Danorum Regem Vvaldemarum, cum quo armorum societatem Luneburgensis dux ipsius nepos coniunxerat, & marchionem Brandeburgensem exarserat, ex quo agro-

i Ep 469.

Permittit Hon. pro bono pacis matrimon. principibus in gradu vetito.

tum vastitates, templorum incendia, populorum cædes, vrbium excidia secuta erant, Prussorumque Christiana res destituta iacebat, consanguinitatis in quarto gradu canonicum impedimentum amoueret, vt marchio filiam Luneburgensi duci in matrimonio collocaret, eoque fœdere principum inuicem amicitia adstrictis animis reuocaretur, pax atque arma in infideles felicius verterentur: *Nos*, inquit, *de discretione tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, tuis, & dictorum nobilium precibus inclinati, per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus super his auctoritate nostra statuas, quod secundum Deum videris statuendum.* Hæc Honorius, qui vt pacem inter hosce principes catholicos adducere nitebatur, ita alios ad bellum conrra hæreticos incendit.

Aucta Albigensiu res.

36 Crescebat in dies effrænata Albigensium potentia, postquam Montfortius, vt iuximus, illa Christianæ fidei in ijs partibus columna firmissima cecidisset, nec Amalricus in comitatu Tolosano legitimus successor crebras populorum defectiones comprimere, nec Raymundi vtriusque impetus sustinere poterat, quē amisso etiam fratre Guidone Bigerronum comite, qui in obsidione castri noui Arriani telis obrutus occubuerat, furori ac potentiæ hæreticorum se subducere coactum narrat Bernardus [a]. Ad erigendam igitur periclitantis fidei causam Honorius Philippum Galliarum Regem, vt vidimus, ad retundendos Albigenses excitarat, qui hoc anno filium Ludouicum potentissimo succinctum exercitu misit, quem plures in eo bello præsules sunt secuti, cum diuini nominis causa ageretur: ex quibus Catalaunensis episcopus fuisse videtur, ad quem Honorij extant literæ [b], quibus ipsius inferendi Albigensibus belli consilium probat, commendatque.

Guidonis Biger. cō. mors.

a Bern. in chro. ann. 1218

Ludouic. Gall. R. fil. mouet in Albig.

b Hon. l. 3. ep. 378. 383.

37 Reuocatus etiam ad meliorum spem Amalricus [c] patrocinioque apostolico tectus: verum quāuis id bellum magno fragore initio in hæreticos detonuerit, postea breui illius terror euanuit. Marmanda a Ludouico expugnata alijsque obuijs locis subactis ad Tolosæ mœnia egregius princeps perrupit, cumque diebus quadraginta quinque varios in vrbem impetus præsente S. A. L. Bertrando Cardinale impressisset, ciusque magnis animis se tuerentur, cōsumpto iam expeditionis, quam vouerat, tempore, initis nonnullis concordiæ legibus in paternum regnum se recepit; eo verò abscedente omnia in peius ruere cœpere, pluraque loca arcesque Raymundo se dediderunt.

c Ibid. ep. 351. 352. 353.

Marmandæ capit. Bern. vbi sup.

Tolosam frustratē tat.

Turbæ ab Erardo excitatæ in Cāpania.

38 Excitatæ præterea turbæ in Campania, quam Erardus Breuensis Philippæ vxoris nomine inuadere, atque Theobaldum & eius matrem Blancam comitatu depellere nitebatur. Sed ne ob id bella in Gallijs recrudescerent, nonnullis abbatibus prouinciam imposuit Honorius [d], vt censuras in eos distringerent, qui pendente causa de Philippæ natalibus iustine, an illegitimi essent, bellum mouissent: *Mandamus, quatenus ipsius comitissæ, & filij eius homines, & illos, qui ijsdem ad hoc iuramenti vinculo sunt astricti, vt ipsi comitissæ ac filio eius contra præfatum Erardum, & eius fautores assistant viriliter, & potenter, si terram, quam possident, perturbare præsumpserint, pendente coram nobis causa natalium supradictæ Philippæ, moneatis prudenter, & efficaciter inducatis eos, ad id si necesse fuerit per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogentes. Dat. Reate v. id. Iul. pont. nostri anno tertio.* Postea vero cauit [e], ne anathematis sententiæ in prædictos Erardum ac Philippam reuocarentur, nisi prius ipsi se Ecclesiæ imperio parituros, atque memoratis comitissæ Campaniæ, comitique facturos satis sacramento adacti pollicerentur: quod cum præstare in animum induxissent, censuris eos anno insequenti solui iussit [f].

d Ep. 515.

Censuræ in belli auctores.

e Lib. 4. ep. 540.

f Lib. 5. ep. 149.

39 Eodem anno Honorius Philippum Francorum Regem ad inducias cum Anglorum Rege protrahendas apostolicis literis est hortatus [a], cumque a Franco accepisset [b] eum dicto sibi audientem fuisse, hoc nomine gratias illi egit [c]. Publicæ vero tabulæ de huiusmodi inducijs in annos quatuor initis, insequenti anno Londini confectæ fuere, eorumque exemplum in regesto pontificio continetur [d]. Adscripta est postremæ huic epistolæ dies VI. id. maij: antea vero VII. kal. martij Ludouici primogeniti eiusdem Regis filij rogatu concessit [e], vt nonnulli presbyteri alijque inferiorum ordinum ecclesiastici viri ad superiores gradus dignitatesque prouehi possent, quamuis publice ab Ecclesia pœnitentiam agere coacti essent.

Induciæ Anglos inter Gallosque protractæ.

a Ibid. ep. 394.

b Ep. 435.

c Ep. 443.

d Apud Hon. l. 4. ep. 743.

e Lib. 3. ep. 306.

40 Cum vero percrebuisset, Ludouicum Regis filium moliri specie insectandorum hæreticorum, Pictauiam & Vasconiam inuadere, atque ab Henrici Angliæ Regis ditione, in potestatem suam adducere, (Rupellam certe ad deditionem compulisse, ante quā in Raymundum duceret, scribit [f] Bernardus) Pontifex B... SS. Ioannis & Pauli presbytero Card. A. S. L. mandauit [g]: ne id ab illo tentari pateretur; cum maxime Henricus crucesignatus pupillus tutelæ Rom. Ecclesiæ relictus esset, in eaque secundo a Deo spem suam omnem posuisset: quocirca ab aliorum iniurijs vindicauit, vt plures hoc anno epistolæ ad Pandulphum Norvvicensem electum, & Apostolicæ sedis legatum datæ ostendunt, quibus Regi aduersantes compescere iubet [h], arces tempore belli excitatas euertere, Vvalliæ principem ad Angliæ arces & oppida tuenda conseruandaque adigere [i]: ecclesiarum Hyberniæ præsules ad consueta obsequia Regi præstanda [l], ac principes Angliæ viros [m] ad regia iura asseruanda strenueque defendenda compellere, amissa Regis loca recuperare [n]: postremo vetat [o], ne Angliæ præsules, nisi bona cum Regis venia pastores ecclesijs præficerent.

f Ber. chro. Rom. Pont. hoc ann.

g Ep. 451.

h Ep. 392.

i Ep. 396.

l Ep. 398.

m Ep. 399

n Ep. 407.

o Ep. 428.

41 Hoc anno Pontifex Srephano Cantuariensi archiepiscopo, S. R. E. Cardinali, corpus S. Thomæ Cantuariensis in honorificentiorem locum transferendi potestatem dedit [p], vniuersisque Christi fidelibus martyris ecclesiam intra translationis octauas adeuntibus, quadraginta dies de iniuncta criminum expiatione remisit [q]: dein memorato archiepiscopo concessit, vt quarta pecuniarum templo oblatarum pars post huiusmodi translationem in eo instaurando impenderetur. Postremo eidem archiepiscopo & Conuentrensi episcopo, abbatique de fontibus Cisterciensis ordinis, de vita Hugonis Lincolniensis episcopi sanctissimi, ac miraculis, quæ eius opera numen explicuerat, instituendi religiosi examinis prouinciam contulit [r], vt bS. catalogo adscriberetur.

Translatio reliqu. S. Thom. Cantuar.

p Ep. 266.

q Ep. 267.

r Ep. 430.

Honorius, &c.

42 Gratias agimus gratiarum omnium largitori, quod sicut ex vestris fratres archiepiscope, ac episcope, ac venerabilis fratris nostri... Eboracen archiepiscopi, necnon aliorum omnium episcoporum Angliæ literis fuit expositum coram nobis gratiam, & gloriam dans Dominus, tanta sanctæ memoriæ Hugonem Lincolnien. episcopum præuenit, & subsecutus est gratia, vt multas per eum in vita ipsius virtutes dignaretur mirabiliter operari, & nunc diebus istis tanta eum clarificauit gloria, vt ad dandam scientiam primæ stolæ beatæ immortalitatis ipsius, sepulchrum vbi corpus requiescit, eiusdem stola tandem beatificandum secunda diuinis faciat coruscare miraculis, ita quod eius inter alios sanctos non inuocari suffragia sic indignum, cum lucerna super candelabrum sit ponenda, vt omnes, qui sunt in domo ipsius, gaudeant beneficio claritatis. Quare nobis fuit humiliter supplicatum, vt eum sanctorum catalogo faceremus adscribi, vel saltem super præmissis inquiri diligentius veritarem.

Agitatum de Hug. SS. numero appo. nendo.

43 Licet igitur tot & tantorum testimonijs plenam fidem nos deceat adhibere, volentes tamen in tam arduo facto cum omni maturitate procedere, discretioni vestrę per apostolica scripta mandamus, quatenus tam super vita prædicti sancti, quam miraculis ante mortem, & post mortem, nec non alijs huiusmodi negocij circumstantijs inquiratis diligentius veritatem, & quæ inueneritis, nobis fideliter rescribatis, vt per vestram relationem instructi procedamus exinde, prout secundum Deum viderimus procedendum. Quod si non omnes, duo vestrum &c. *Datum Romæ apud Sanctum Petrum v. kal. maij pont. nostri anno tertio.*

Reginaldus Rex sedis Ap. vectigalem se constituit.

44 Transfudit eodem anno Reginaldus Rex supremum insulæ, cui imperitabat, dominium in Apostolicam sedem, quò pio illo opere diuinam sibi gratiam conciliaret, cuius literas a eo argumento Honorio transmissas ad commendandum memoriæ insigne adeo pietatis exemplum ex parte adducimus: *Sanctissimo patri, & domino Honorio Dei gratia summo Pontifici Reginaldus Rex* b *Insularum commendationem, cum osculo pedum. Nouerit sancta paternitas vestra, quod nos, vt participes simus bonorum, quæ fiunt in Ecclesia Rom. ad monitionem, & exhortationem dilecti patris domini P.. Norwicen. electi camerarij, & legati vestri dedimus, & obtulimus ei nomine Ecclesiæ Rom. & vestro, & catholicorum vestrorum successorum insulam nostram de mari, quæ ad nos iure hæreditario pertinet, & de qua nulli tenemur aliquod seruitium facere; & deinceps nos, & hæredes nostri in perpetuum tenebimus in feudum dictam insulam ab Ecclesia Rom. & faciemus et per hoc homagium, & fidelitatem, & in recognitionem dominij nomine census nos, & hæredes nostri in perpetuum annuatim soluemus Ecclesiæ Rom. duodecim marchas sterlingorum in Anglia apud abbatiam de furnis Cistercien. ordinis, in festo purificationis B. Mariæ. Et si non esset ibi aliquis ex parte vestra, vel successorum vestrorum, deponentur dictæ duodecim marchæ per nos, & hæredes nostros penes abbatem & conuentum Ecclesiæ Rom. nomine. Hanc donationem, & oblationem dictus dominus legatus recepit ad voluntatem, & beneplacitum vestrum, & post receptionem factam ab eo sic ipse dominus legatus dictam insulam dedit mihi, & hæredibus meis in feudum perpetuo possidendam, & tenendam nomine Ecclesiæ Rom. & me inde per annulum aureum inuestiuit, &c. Actum Lond. in domo militiæ Templi x. kal. octob. anno Domini millesimo ducentesimo decimonono. Et ne super his aliquando possit dubitari, has literas fieri fecimus & sigillo nostro muniri.* At de his satis.

a Extant apud Hon l. 4. ep. 629 & l. 7. ep. 289.
b insulæ man.

Incitat Honorius Hispanos ad pellendos Sarrac.

45 Non defuit Honorius crucesignatis aduersus Mauros pro Christiana fide laborantibus, ad quos stipendijs donandos Roderico Tolerano archiepiscopo A. S. L. concessit, tum b vt partem pecuniæ in Hierosolymitanum subsidium imperatæ in Maurorum bellum auerteret, tum etiam c, vt eos, qui belli gerendi causa mare se transmissuros vouerant, voto commutato, aduersus Mauros concitarent. Deinde vniuersis Hispaniæ Christi fidelibus contra illos dimicaturis peccatorum veniam indulsit d. tum Sanctij Nauarræ Regis, qui crucesignatorum numero nomen adiecerat, patrocinium hoc exarato diplomate e suscepit: *Deo in cuius manibus sunt corda regum, gratiarum referimus actiones, quod in te sic ignem suæ charitatis accendit, vt signo viuificæ crucis assumpto, magnifice, sicut decet Regiam celsitudinem, ire proposueris contra inimicos fidei Christianæ. Vt autem hoc tam laudabile ac salubre propositum melius, & tutius prosequaris, personam tuam ac regnum tuum cum omnibus iuribus, & honoribus tuis, sub beati Petri, & nostra protectione suscepimus, & præsentis scripti patrocinio communimus; districtius inhibentes, ne quis interim iura tua subtrahere, aut inuadere, vel quomodolibet audeat temere perturbare. Dat. Romæ apud S. Petrum xv. kal. iul. pont. nostri an. tertio.* Hæc ad Sanctium Honorius, qui etiam ab Iacobo Aragonum Rege rogatus, ipsum cum regno in fidem ac tutelam recepit a, beneficijsque est prosecutus b.

b Lib. 3. ep. 264. 369.
c ibid. ep. 334.
d Ep. 338.
e Ep. 454.

Sanctij Reg Nauarræ zelum cõmendat. Illum accipit in clientelã.

a Ep. 455.
b Ep. 456.

46 Præterea archiepiscopo Tolerano, de quo antea memorauimus, permisit c, vt decreti œcumenicæ synodi executionem de nouo habitu Iudæis decernendo, quo a cæteris dignoscerentur, in aliud tempus reijceret. Archiepiscopum vero Compostellanum eiusque suffraganeos tertio quoque anno prouinciale concilium conuocare iussit d. Sed quoniam in Maurorum rebus versamur, non est prætereundum Rom. Pontificem literis ac nuncio ad Miramomelinum missis e postulasse, vti permitteret Christi fideles in regno suo ex legis euangelicæ præscripto vitam agere.

c Ep. 349.
d Ep. 518.
Hortatur Miramomelinum Christianos bene tractet.
e Ep. 559.

Nobili viro Albuiacob Miramomelino timorem diuini nominis, & amorem.

Expedire tibi non credimus, & reuera non expedit, vt verbis acquiescas eorum, qui tibi fortè suadent, vt existentes in terra tua Christianos vti lege sua liberè non permittas. Porro Daniel, & tres pueri ducti a Babylonis Rege captiui permissi sunt a præposito eunuchorum ipsius, quibus voluerint vti cibo, & potu, & sicut proposuerunt in corde suo nequaquam mensa regia polluentes, licet Rex ipse vesci eos cibo, & potu regio per dies singulos præcepisset. Legitur etiam, quod Pharao Rex Ægypti, qui populum Israeliticum afflictionibus multis oppresserat, in luto & latere seruire compellens, grauibus & memorabilibus plagis vsque ad internecionem filiorum correptus a Domino, pro eo quod indurato corde ipsum abire, vt suum offerret Domino sacrificium, non sinebat. Holofernes autem Iudith Hebræam Deum adorare secundum legem ipsius, & Cyrus reædificari per Esdram vnum ex captiuis populi Iudæorum templum Domini permiserunt.

Pontificiæ ad re ad barbarum lit.

47 Et quidem cum nos, quibus Christus, licet immeritis, gregem suum & ouile commisit, exercere inter Christianos patiamur innumeram legis tuæ hominum multitudinem ritus suos, vt in hoc nostræ ac tuæ gentis non sit dispar conditio, sed æquum hinc inde humanitatis solacium, non te decet difficilem, sed potius fauorabilem, & facilem inueniri. Sanè cum ad nos cura pertineat de commissis nobis a Domino, vbicumque consistant, populis Christianis, ne videamur mercenarij, ad quem non pertinet de ouibus vmbram tenere, sed solicitudinem prouidi potius exercere pastoris, cum humilitate, qua nil splendidius fulget in ceruice Pontificis illius serui, qui de se dixit: *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde*; magnitudinem tuam attentius obsecramus, quatenus existentes in terra tua homines gentis nostræ vti lege sua libere patiaris. Domini enim est terra, & plenitudo eius, & vniuersi qui habitant in eadem, habentis in regno hominum potestatem, & illud ad quem voluerit transferentis. Rogamus insuper, vt latorem præsentium dilectum filium Consaluum fratrem hospitalis Hierosolymitani, familiarem nostrum, quem charum habemus admodum & acceptum, ad tuam transmissum præsentiam benigne suscipias, & honeste pertractes. *Datum Reate non. septemb. pont. nostri anno quarto.*]

48 Euocant ad se nunc res Italicæ orationem, & in primis Honorium omni cura & cogitatione vel in pace inter Christianos populos concilianda, vel in religiosis ordinibus ad arctius viuendi genus reuocandis a, vel in præfractorũ hominum reprimendis b conatibus, vel in officijs beneficijsque in Apostolicæ sedis studiosos conferendis defixum cernere licet. Acerbum diuturnumque bellum inter sese gesserant Tudertini & Interamnenses fœderati, cum Narniensibus & S. Gemini incolis; cumque tandem Pontifi-

a Lib. 3. ep. 431. 491. & l. 4. ep. 536.
b Lib. 4. ep. 537. 550. 558.
Studet reuocandæ inter dissentientes paci.

cis

eis imperio se parituros iurati spopondissent, Honorius pacis conditionibus præscriptis, in pristinam illos concordiam adduxit: cui rei argumento sunt literæ apostolicæ ad vniuersos Christi fideles datæ a. Cumque Interamnensis ecclesia ob memoratum bellum diu pastore viduata esset, ac Narniensis Spoletanusque illius iura occupassent, a Raynerio Interamnæ episc. Pontifex postulatus, apostolica auctoritate vsurpata restitui iussit b, pacemque Odonem Frangipanum inter & Petrum Frangipanum ac fratres Hostiensis episcopi opera firmatam, seruandam curauit, eaque de re ad Tartacinenses scripsit c. At de his hactenus.

a Hon. l. 3. ep. 270.
b Ibid. ep. 521.
c Ep. 570.

Collata hoc anno a Pont. priuilegia.

49 Superest vt de collatis hoc anno a Pontifice in varia hominum genera officijs beneficijsque breuiter disseramus. Aczoni abbati sancti Benedicti trans Padum mithræ vsum tribuit d, cuius etiam, annulique vsum Niso monasterij S. Mariæ Carrensi abbati e permisit. deinde in fidem tutelamque recepit Alexandrinorum Italiæ populum f, quorum fidei sacramentum se excepisse in alia ad ipsos data epistola dixit g. tum primicerio & clericis scholæ cantorum ex oblationibus altaris Apostolorum Principis portionem quandam concessit h: *Cum felicis memoria Cælestinus Papa prædecessor noster vobis de portione oblationum altaris beati Petri, qua contingit Romanum Pontificem, annuas duodecim libras de gratia contulerit liberali; nos eiusdem gratia volentes addere gratiam, vt de virtute studeatis proficere in virtutem, de oblatione prædicta decem libras nostro tantum tempore vobis annuatim duximus largiendas, ita quod ex hoc successores nostri nullatenus obligentur. Dat. Romæ apud S. Petrum* XII *kal. maij pontific. nostri anno* III. Cæterum huiusmodi cantorum scholam pontificij sacelli cantorum collegium esse, quod hactenus perseuerat, haud in dubium reuocari posse arbitramur. Dein Mediolanensis ecclesiæ suffraganeos Henrico archiepiscopo parere atque obsequi statuit i. Fuisse illum ab Honorio sacris pontificalibus initiatum probant apostolicæ literæ XVII. kal. sept. Reate datæ, tum hæc verba in regesto adiecta de episcopis: *Istos dominus Honorius III. Papa consecrauit archiepiscopum Mediolanensem. Item* XIV. *kalend. decemb. consecrauit apud Viterbium Ranerium, oriundum de comitatu Tudertino, de castro, quod dicitur castrum vetus in patriarcham Antiochenum, qui de prioratu S. Fridiani; Lucani ad officium vicecancellaria assumptus, & officium suum honeste per triennium exercuit, & tres menses, Lingonen. & Narnien.* Quod porro supra Pontificis Reate commorantis meminimus, addendum videtur, quod de illius ex vrbe discessu tradit Richardus l de S. Germano, nimirum Pontificem Roma Reate profectum ad mensem octobr. commoratum, Viterbium postea ac tandem Romam se contulisse, Romanorumque effrænatam arrogantiam temeritatemque non ferentem Viterbium regressum.

d Ep. 285.
e Ep. 289.
f Ep. 403.
g Ep. 404.
h Ep. 407.
i Lib. 4. ep. 547.
Consecrati ab Honorio ep.
l Rich. de S. Ger. ann. 1219.

Ecclesia Vrbana S. Xysti ab Honorio D. Dominic. collata. Laudes illi a Pont. tributæ.

50 Exercuit præterea in D. Dominicum, qui tunc Ecclesiam suæ sanctitatis luce collustrabat, pontificiam liberalitatem: ecclesiam enim S. Xysti vrbanam illi ac socijs administrandam tradidit m, e quibus literis hæc in D. Dominici & sociorum laudem scripta excerpimus: *Ligna pomifera in Ecclesia paradiso plantare, ac fouere plantata, iuxta quod ex officij nostri tenemur debito, cupientes dilecto filio fr. Dominico, & fratribus sui ordinis, ecclesiam S. Xysti de Vrbe duximus concedendam, sperantes in Domino, quod tam ipse, quam fratres sui poma noua, & vetera, quæ sponsus legitur sponsa seruasse, ministraturi sint esurientibus animabus, &c. Datum apud ciuitatem Castellanam* XVI. *kal. ianuar. pont. nostri anno* IV. Commendatat n etiam ante eandem sacram familiam nouo splēdore in Christi Ecclesia effulgentem archiepiscopis, episcopis, cæterisque præsulibus, quos etiam monuit, vt illis euangelij semina iacientibus omni studio præsto essent: quibus apostolicis literis alias similes ab eodem Pontifice pro Minoritis datas recitat Lucas Vvadingus. a

m Lib. 4. ep. 654.
n Ibid. ep. 647.
a Vvad. Annal. Min. ann. 1219. n. 28

D. Dominicus ea loca deuotas Deo virgines inducit.

51 Quod ad sacrum S. Xysti templum attinet; ex ijs quæ paulo ante dicta sunt, in comperto esse videtur, Honorium illud S. Dominico tribuisse, quod adhuc vir Dei a memoratis monachis veluti accōmodatum habuerat, atque hoc ipso anno monialibus transtyberinis tradidit. Rem gestam narrat eius vitæ scriptor b: *Ad quem sane*, nimirum S. Sabinæ titulum, *cum se contulissent fratres cum omnibus rebus suis, agente beato patre Dominico, tempus ab illo præstitutum est, quo deberent sorores in ecclesiam sancti Xysti, vbi fratres hactenus habitauerant, succedere. Anno igitur a nato Saluatore 1219. XII. kalendas martij, in quem diem tunc inciderat prima dominica quadragesima, abbatissa cum sororibus S. Mariæ Transtyberinæ possidendam accepere ecclesiam sancti Xysti, ibique habitare cœperunt, Domino perpetuo seruitura. Erat inter illas puella quadam Cæcilia, annos nata decem & septem, ea in ipso porta ingressu prima ante omnes habitum ordinis induit ministerio beati viri, in cuius manus tertiò obedientiam promisit. Post eam abbatissa cæteraque sorores & multa alia cum habitum suppliciter suscepere & professionem fecere: quæ omnes erant numero quatuor, & quadraginta. Porro Romani illam insignem beatissimæ matris Dei imaginem, quæ apud moniales trans Tyberim fuerat, inde tolli nolebant, quod facilior illic eis ad illam contemplandam aditus pateret. Itaque vir sanctus nocte sequenti, duobus Cardinalibus, Nicolao Tusculano episcopo, & Stephano, cuius nepotem ad vitam reuocarat, comitantibus, et cum permultis alijs, simul etiam magna luminum copia tum præcedente, tum subsequente; nudis pedibus incedentibus, illam cunctis optatissimam & dulcissimam virginis Matris imaginem proprijs humeris reuerentissime deportauit: quam sane sorores nudis pedibus orantes expectabant, & cum lacrymis, multaque animi exultatione exceperunt: permanetque ea apud illas vsque in hodiernum diem.*

b Vit. S. Dom. l. 2. c. 3. apud Sur. to. 4. die 4. aug.

Solemni pompa imaginem Deiparæ transfert.

52 *Hæc est imago illa veneranda, quam B. Gregorius Pontifex ob sauientem pestem profligandam, quodam paschali tempore in processione cum litanijs per vrbis circuitum reuerenter referri iussit, cui etiam tota aeris cessit infectio, & eius præsentiam ferre non sustinens. Mira autem successit serenitas & audita sunt voces in aere iuxta imaginem, ista canentes: Regina cœli latare alleluia: quia quem meruisti portare alleluia, resurrexit, sicut dixit, alleluia. & beatus Gregorius subiunxit: Ora pro nobis Deum alleluia. Reposita est ergo reuerenter admodum per B. Dominicum, & duos Cardinales apud virgines imago virginis Matris.* Hæc auctor, qui addit c de muliere a S. Dominico octauo post die sacram concionem habente a dæmone, magno miraculo, liberata; quæ se postea Deo dicauit, eaque a B. viro Amata vocata est. & post multa enarrata miracula quæ cœleste numen sanctissimi viri opera explicuit, de contemptis ab illo terrenis opibus, cœlestibus enim tantummodo animo & cogitatione inhiabat, hæc adijcit:

Admirāda quædā de ea imagine.
c Ibid. c. 9.

Quantum paupertatis amans esset D. Dominic.

53 *Diligebat autem verus Iesu Christi imitator euāgelicam paupertatem præ cunctis mundi opibus. Offerebat ei & fratribus, cum Bononiam venisset, Odericus quidam possessiones suas, quæ æstimabantur libris Bononiensibus amplius quingentis: sed ille diuitiarum contemptor prorsus eas recusauit, conscriptamque inde coram Bononiensi episcopo chartam iussit rescindi. non enim voluit, vt fratres haberent possessiones, sed eleemosynis frugaliter victitarent, contenti vilibus indumentis, & paruis atque humilibus ædibus. Absente eo F. Rudolphus procurator Bononiensis cœnobij paruas & vilissimas fratrum cellas nonnihil in sublime euehere cœpit: reuersus autem vir Dei vbi in id conspexit, procura-*

rato-

ratorem, & alios dolens & gemens reprehendit, erumpensque in lacrymas: Itane, inquit, tam cito vultis paupertatem abijcere, & magna palatia struere? Ipsoque iubente opus illud, quoad vixit, mansit imperfectum.

E familia sua terrenas possessiones exaludit. 54 Et sanè D. Dominicum se a terrenarum rerum amore omnino diuulsisse, vtque familiæ suæ viri se a caducarum rerum possessionibus abdicarent, diuino afflatum spiritu instituisse illustrant Honorij literæ, quibus ipsum ac socios præsulum liberalitati commendat.

Hon. l. 4. ep. 647. *Archiepiscopis, & episcopis, & abbatibus, & alijs ecclesiarum prælatis, ad quos literæ istæ peruenerint.*

Dilecti filij prior, & fratres ordinis prædicatorum pronide attendentes, quod qui abscondunt frumenta, maledicuntur in populis, frumentum suum, verbum prædicationis videlicet, quod est pabulum animatum, super aquas multas, idest populos multos, seminant incessanter, & sarcinis diuitiarum mundanarum abiectis, quo expeditius currant per mundi huius agrum, quem plus solito sentes operiunt vitiorum, in abiectione voluntariæ paupertatis eunt, & flentes semina sua mittunt, vt Domino dante misericorditer incrementum, ad eius aream suos cum exultatione valeant manipulos reportare. (Pont. ea, de re lit.)

55 Ipsos igitur, quorum & propositum sanctum, & ministerium necessarium arbitramur, vniuersitati vestræ affectuose duximus commendandos, charitatē vestram rogantes, & exhortantes in Domino, ac per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus pro reuerentia diuina, ad officium prædicandi, ad quod deputati sunt, benigne recipientes eosdem ac populos vobis commissos, vt ex ore ipsorum verbi Dei semen deuote suscipiant, sedulo admonentes pro nostra, ac Apostolicæ sedis reuerentia in suis eis necessitatibus liberaliter assistatis, quatenus ad illud suscipiendum vestris exhortationibus præparati tanquam bona, & fructifera terra pro vitiorum tribulis incipiant segetem germinare virtutum, & dicti fratres per cooperationem vestram, suscepti ministerij cursum felicius Deo consummantes, optatum reportent sui laboris fructum, & finem, salutem videlicet animarum. *Datum Viterbij VI. idus decemb. pont. nostri anno IV.*] (Commēdatur ab Hon. prælatum liberalitati.)

56 Eodem anno celeberrima omnium sacri minorum ordinis comitia generalia a S. Francisco ante indicta, peracta esse, sanctumque Dominicum ijs interfuisse Lucas Vvadingus supra laudatus de ijs susissime ostendit, quem lector consulat. Comitijs habitis, sex fratres familiæ suæ diuino nutu delegit, ac Marrochium misit, vt incultas illas regiones euangelij iactio semine excolerent, hique Vitalis, Bernardus, Petrus, Adiutus, Accursius & Otho fuere; ipse in orientem se contulit atque ardentissimo propagandæ fidei ac Mahometanæque delendæ superstitionis cupiditate inflammatus ad Soldanum contendit, atque ante illius conspectum productus, incredibili ardore euangelium promulgare cœpit, adeo vt infidelem admiratione percelleret, cui veritatis probandæ gratia obtulit, ve ingenti igne in media ciuitate accenso, ipsum sacerdotesque Mahometi flammis exponeret, eoque negante vllum Mahometi ministrum id ausurum, spopondit solum in medijs flammarum globis, illæso corpore, contra Mahometi errores certaturum, si fidem suam iureiurando vellet astringere, se eo viso miraculo, probataque Christi diuina virtute, vnà cum populis sibi subditis Christiana sacra amplexurum. At Soldanus siue populi seditionem pertimesceret, siue errorem abijcere nollet, oblata respuit: sanctum tamen virum summa veneratione est prosecutus, muneraque ingentia cum in eum conferre meditaretur, Franciscus ijs spretis in Christianorum terras se recepit, vt melius in ijs ad pietatem excolendis perpoliendisque operam collocaret.

(S. Franciscus socios Marrochium ad prædicandū mittit. — Proficiscitur in orientem ad Mahumet. — Vrget Soldanum vt ipsum cū sacerdotib. Mahum. in medio rogo disputare in perat. Barbarus conditionē respuit.)

57 Dum felicibus ijs initijs Franciscana, ac Dominicana familiæ orbem virtutum suarum splendore in admirationem raperent, Grandimontenses laici religiosi temerarium facinus in alios eiusdem ordinis sacerdotes, quos vnà cū priore coniecere in vincula, fœdissimo exemplo pertentarunt, aliumq; priorē sibi pro arbitrio præfecere. ob quam vesaniam proteruiamque cum defixi anathemate fuissent, postea que ad mentem reuersi sceleris veniam flagitarent, Honorius electo & decano Bituricensibus subiectis pœnis ad crimen expiandum incussis conciliare ipsos Ecclesiæ præcepit [a]: *Singulis diebus dominicis vsque ad annum in capitulo verberentur, & omni sexta feria viuant in pane & aqua, nisi prior clementius agendum duxerit cum eisdem. A perceptione quoque Dominici corporis, & sanguinis per annum abstineant, nisi forsan mortis videretur articulus imminere. Præterea omnes illi, qui fuerunt principales tantæ iniquitatis auctores, ab administratione, seu dispositione temporalium rerum toto vitæ suæ tempore arceantur, nisi prior, inspecta vtilitate domus, aliter processu temporis duxerit prouidendum, &c.*

(Insanum Grandimonten. laicorum facinus. — a Lib. 3. ep. 310. Pœnæ ad illud expiandum ijs ab Honor. impositæ.)

IESV CHRISTI
Annus 1220.

HONORII PP. III. annus 4. | FRIDERICI II. IMP. annus 1.

1 ORnatus est Romæ solemni pompa imperialibus insulis ab Honorio Fridericus Senatoris anno millesimo ducentesimo supra vigesimum indictione octaua. Solicitus enim promouendæ in oriente rei Christianæ Pontifex eo honore illum augere gerebat in votis, vt maiori auctoritate, atque alacritate bellum sacrum capesseret. quæ priusquam aggrediamur, nonnulla ea ijs delibanda, quæ antequam in vrbem se conferret, Pontificem inter ac Regem agitata transactaque fuere. Misit in primis Honorius ad Fridericum Alatrinum subdiaconum, vt nonnulla reposceret Romanæ Ecclesiæ iura, atque ecclesiasticam dignitatē suo splendori assereret sicuti ostendunt regiæ literæ oratorum opera ad Pontificem missæ, nonnulla ditionis pontificiæ loca ab inuasoribus occupata ad Ecclesiæ dominium reuocaret, Siculi regni iura in filium Henricum transfunderet, deque ea re nouum diploma ederet, ne si vnà cum Imperio Siciliam retineret, regnum illud stipendiarium Ecclesiæ, ab aula pontificia ad imperatoriam traductum putaretur. Quæ quanta prudentia consilijque maturitate flagitaret Honorius, secutura tempora docuerunt. At Fridericus, cum se benignum nuncio apostolico imperitus esset, de restituendis ijs pontificiæ ditionis locis petitis annuit: ac de re Sicula hæc Honorio rescripsit [b]:

(Subdiaconus Alatr. pro reposcendis ecclesiæ iuribus ad Fridericum missus.)

Sanctissimo in Christo patri, & permaximo benefactori suo domino Honorio Dei gratia sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici, Fridericus eadem, & sui gratia Romanorum Rex semper Augustus, & Rex Siciliæ, commendationem & reuerentiam tam debitam, quām deuotam. (b Extant in regest. Hon. l. 4. ep. 632.)

2 Exhibitam nobis in nostris negocijs, petitionibus, & necessitatibus vniuersis vestræ gratiæ plenitudinem deuote recognoscimus, & recognoscentes Apostolicæ sanctitatis pedibus humiliter inclinamus, vtpote qui per Romanæ Ecclesiæ, & vestræ paternitatis grata subsidia, & fauorem reminiscimur nos adeptos, quidquid honoris, & gloriæ possidemus. Verum si ad tot beneficia, & tantorum cumulum meritorum nostra, prout cupimus, & debemus, deuotio non respondet, non minus feruet internus voluntatis affectus, quem vtique quoties expedit, libenter producimus in effectum. Sane petitionibus, & præ-

præceptis vestris, quæ per magistrum Alattinum subdiaconum, & capellanum vestrum nostræ celsitudini direxistis, sicut promisimus per magistrum Bonum, hominem de Gaieta, Messanensem decanum, notarium, & fidelem nostrum in continenti post reditum eius promptum & beneuolum curauimus impertiri assensum, excepta innouatione priuilegij de regno Siciliæ, quam nobis sub spe obtinendi a vestra paternitate ipsius regni in vita nostra dominium reseruantes per Tarentinum electum vestræ supplicauimus sanctitati. Sed postquam nouimus vestram exinde voluntatem, priuilegium ipsum duximus innouandum; addito tamen, quod si charissimum filium nostrum absque hærede, & germano mori contingat, succedamus eidem in tenendo in vita nostra ab Ecclesia regnum ipsum, quod per eiusdem electi literas intelleximus a vestra nobis benignitate concessum.

Concedit Honorius Frid. filio successurum in Siciliæ regno.

3 Nihilominus adhuc de vestra beneuolentia, & de nostra, quam ad Ecclesiam & vos gerimus deuotione non modicum confidentes, petitionem de ipsius regni nobis in vita nostra dominio reseruando, cum in vestra fuerimus præsentia constituti, a vestra beatitudine obtinere speramus. Quis enim deuotior inde erit Ecclesiæ, quàm qui Ecclesiæ vbera suxisse recolit & in eius gremio suscepisse inde custodiam & ætatis, ac salutis, & honoris augumentum? Quis fidelior? quis accepti beneficij magis memor? Quis de gratitudine commendabilior existimari potest, quam is, in quo crescit cum fide deuotio? acceptorum beneficiorum tenax memoria perseuerat, & suæ deuotionis debitum, se cognoscens videlicet debitorem, soluere nititur iuxta benefactoris arbitriū, & mandatum. Siquidem susceptam gratiam recognoscimus, si iugiter profitemur eandem, dictus capellanus vester, qui summa cum diligentia, & deuotione improbus, & importunus insistit ad ecclesiæ procuranda negocia, non ignorat, & poterit firmiter protestari, & in hoc etiam potest intelligi euidenter, quod præfatum filium nostrum vberibus matris Ecclesiæ nutriendum elegimus & ipsius curæ fiducialiter committendum.]

Blanda ac fallacia Frid. promissa.

4 Addit subdolus princeps se in publicis Norimbergæ celebratis comitijs principes Germanos pellexisse, vt Syriacæ profectionis votum nuncuparent: paratum se equidem accinctumque itineri, sed crucesignatos eorum culpa, quibus ipsorum censuris ad iter compellendorum prouincia iniuncta erat, bello necessaria non instruxisse, proindeque si ita Pontifici visum fuerit, hoc consilium suscepisse, quod subijcit his verbis: Verentes ne arripientibus nobis iter illi (nimirum crucesignati) remaneant, & sub occasione aliqua nos relinquant, decreuimus eos præmittere ante nos, si de vestræ fuerit arbitrio voluntatis, & nos subsequi, prout decet. Sed timemus, ne si ad hęc obnixius intendamus, dum circa eadem fuerimus occupati, aliqui dies possint vltra præfixum nobis terminum præterire. Quod quidem non in fraudem loquimur, teste Deo, cum in procinctu simus itineris, & parati ad ipsam diem, & tam honorem Ecclesiæ, quā negocium Crucifixi per Theutoniam efficaciter procuremus, facientes iurare milites strenuos, & electos ad pugnam, vt nobiscum debeant transfretare, ac paces, & treugas in quantum possumus prorogantes pro eodem negotio melius exequendo. *Et infra:*

Petit Frid crucesignatos ante se præmitti.

5 Super his, & alijs nuncios destinamus ad pedes vestros, latores præsentium magistros Stabilem, & Petrum notarios & fideles nostros, qui vobis faciant plenam fidem de aduentu principis memorati (scilicet Fuldensis abbatis) Quem ecce mittimus ad vos & populum Romanum, vt vestræ paternitati deuotionem nostram & principum voluntatem exponat, expositurus nihilominus, tam per literas nostras, quam viua voce senatori & populo Romano deuotionem, quam gerimus ad Ecclesiam, & personam vestram, & attentius moniturus eosdem ex parte nostra, vt se gerant taliter circa Ecclesiæ, & vestram reuerentiam, & honorem, quod in aduentu nostro eos merito commendare possimus, & ad merita respondere, significantes eisdem, quod si secus facerent, quod non credimus, cum præbere nobis debeant deuotionis exemplum, Ecclesiæ matri nostræ, quam modis omnibus confouere, ac defensare tenemur, & vobis deesse aliquatenus non possemus, &c. *Dat. apud Hagenovve XI. kal. mar. indict. 8.*]

Romani Honorio pareant sollicitati.

6 His acceptis literis Honorius, studium Regis erga sedem Apostolicam sibi ab eo significatum commendat: & quamuis non leuibus curis suspensus fluctuaret, ne, vt reipsa contigit, Fridericus fucum illi faceret, atque interim orientales sub potentia Sarracenorum satiscerent, prorogauit a tempus ad sacrū arripiendum iter in proximas kal. maij, quibus remota omni mora tum ipse, tum cæteri crucesignati proficiscerentur: *Porro qui satis diligit, satis timet; vnde non mirum, si de retardato processu tuo in subsidium Terræ sanctæ tibi timeamus, & nobis, tibi ne per toties repetita dilationis instantiam, offensam, quod absit, potentissimi Regis incurreris, nobis ne facultate prorogationum huiusmodi causam illius summi Pontificis, qui pro salute populi in ara crucis se ipsum obtulit hostiam Deo Patri, videamur negligenter reliquisse. Verum adhuc instas, vt adijciatur quarta dilatio, & non intendis, quod citatus tribus edictis, si ad iudicium venire contemnit, potest contumacia reprehendi. Sed scimus, quod ad purgationem moræ nonnullas causas excusationis allegas. Scimus etiam, quod non sic eas interpretantur æmuli, vt amici. Nos autem, ne tam chari filij famam exponere videamur contemptui, vsque ad kal. maij proximas tui processus terminum prorogamus.* Et infra:

a Hon. l. 4. ep. 592.

Honor. Fridericū arguit tēpus spemque omnium fallere.

Prorogatur ad kal maij anni seq expeditionem Syr.

7 *Sane considera, considera, cuius sit caussa, quæ geritur, quia Christi; cuius commodum, quia prosequentium ipsam; cuius gloria, quia totius populi Christiani, & negligis esse prosecutor causæ Dei, procurator cōmodi tui, & Christianitatis athleta? Et quidem ad ista te Dominus beneficijs allicit, miraculis prouocat, & exemplis informat: beneficijs allicit, quia tam depressum aliquando, sic tandem erexit in altum; miraculis prouocat, quia de Damiata munitissima ciuitate plene desiderium pusilli exercitus Christiani, spe iam debilitata, perfecit; informat exemplis, quia non solum nobiles, & potentes, sed etiam pauperes, & debiles hoc salubre negocium sunt aggressi. Quapropter diligenter aduertat Rex tam grandis & nobilis, tam potens & fortis, quod in ijs eo minus excusationis competere poterit, quo plus videtur suppetere facultatis. Exurgat igitur excellentia regia, exurgat princeps egregius, quoniam, vt speramus, paratus est Dominus grandem offerre triumphum, qui multam iam attulit de paucorum labore coronam. Accingere, accingere gladio circa femur potentissime principum terrenorum. Accingere in humilitate potens; accingere in potentia humilis, vt non in brachio tuo confisus, de manu altissimi suscipias in tanti consummatione negotij gloriam, quæ speratur.*

Eloquens ad Frid. exhortatio, vt maturet iter in Terr. S.

8 Quod ad literas pertinet, quas Fridericus, vt supra testatus est, abbatis Fuldensis opera Romanis misit; ingenti omnium lætitia acceptas, atque in capitolio publice perlectas fuisse, Romani officiosissimis literis b rescripsere; ob regia erga Romanam rem studia Deo ipsique maximas gratias agere; eius se in vrbem aduentus cupiditate teneri, ac solemnem illum diem, quo Imperij insignibus decorandus erat; auidissime expectare, in omnibus ipsi morem gesturos, modò nihil Rom. Ecclesiæ almæque vrbi detraheretur; denique Pontifici summo omnium patenti, speciatim vero suo, dicto semper, vti Rex monuerat, se audientes futuros.

b Extat in reg. Honor. l. 4. ep. 693.

Glo-

Gloriosissimo domino Frederico Dei gratia Regi in Romanorum Imperatorem electo semper Augusto & Regi Siciliæ, Parentibus eadem gratia alma ac veneranda vrbis illustris senator, & populus vniuersus Romanus salutem, & hostium tam visibilium, quam inuisibilium, salutus, ac inimicorum crucis victoriam gloriosam, & post Imperij terreni sceptra longæua, ac felicissima gaudia regni cælestis ineffabilia, vel aliter salutem, & Romani Imperij monarchiam feliciter gubernare.

Dulcis, & lætabunda materia super receptione literarum vestrarum nobis a serenitate vestra transmissa, publiceque in capitolio perlecta corda nostra multimodis gaudijs exhilarauit, & gaudia, quæ se in corde totius reipublicæ non capiebant, cum iucunditate foras fecit patenter exire, nec immerito: intelleximus enim rum ex ipsarum serie literarum, rum per honorabilem, prouidum, & discretum virum abbatem Fuldensem legatum, & nuncium, ac principem serenitatis vestræ, quod vos, qui ad Romani Imperij apices estis electi, almificam vrbem, senatum, populumque Romanum, & totam rempublicam sincera diligitis affectione, & eius augumento & promotioni efficaciter intendere disposuistis; & vt nomine, ita & re Romana respublica imperiali celsitudine decorari, magnificari possit merito, & augumentari. Ad quod magnificentiam regiam inuitant senatus, & Romanorum circa vos stabilis, & pura sinceritas, & indefessa, & merita fructuosa in vestris agendis a senatu, & populo multifariam, multisque modis ostensa, & in vrbe honorificentia præsentialiter Regiæ maiestati exhibita. Super quo rerum omnium auctori quanras possumus laudes referimus, qui vos ad fastigia Romani Imperij sublimauit, & magnificentiæ vestræ cælitus inspirauit, quod talem circa nos, & Rom. rempublicam geritis voluntatem, ipsi m altissimum modis, quibus possumus deprecantes, vt sublimitatem vestram in tali circa nos conseruet sinceritate, & vobis Rom. Imperij gubernacula concedat per longa temporum spatia feliciter gubernare. Nos ergo de tanta magnificentia, indubitata fiducia confidentes aduentū vestrum tota mente cupimus, & optamus, parati & expositi in omnibus, & ad omnia cum Rō. Ecclesiæ & almæ vrbis honore, quæ imperiali debeār & possint celsitudini complacere; & ille dies nobis iucundus, & festiuus occurret, quo serenitatē vestram tēpore coronationis præsentialiter poterimus intueri, & laudes tantæ magnificētiæ debitas exhibere; & quidquid proficuus poterimus, & honoris imperatoriæ maiestati grataanter curabimus exhibere.

Romanorum ad Frid. literæ de illius coron. expectatione

Significāt magno illius excipiendi desiderio teneri.

9 Super eo autem, quod per easdem literas & nūcium rogastis, & monendo solicitastis, vt Rom. Pontificem, communem omnium patrem, & vestrum & nostrum, sic propensius honorare curaremus, ut ipsius benedictionem, & gratiam redeuntes, quod ad instar nostræ deuotionis nationes cęteræ sint deuotę, & vos, qui estis Ecclesiæ lacte nutriti, & obedientiæ filius, & Rom. Ecclesiæ aduocatus, pariter & defensor ad grates nobis reddendas sitis omni tempore fortiter illigati, gratum gerimus & acceptum; & regiam serenitatem dignis in Domino laudibus commendamus, & cum multa gratiarū prosequimur actione regiæ serenitatis sinceritatem, quam vt ex ipsarum literarum tenore perpendimus euidenter, vos circa nos gerere plurimum gratulamur.

Excusant se ab Honorio dissensisse.

10 Proinde præsentibus literis regijs sensibus innotescat, quod nos in eo proposito firmi sumus & stabiles, ac fuimus semper, vt ea facere velimus & operari, quæ Rom. Ecclesiæ, quæ non ab homine, sed ab ipso Iesu Christo est in Vrbe fundata, honorem respiciat, & incrementum; nec de ijs, quæ possumus & debemus, quidquam aliquando prætermittere, quod ad conseruandum inter nos, & Rom. Ecclesiam indissolubile vinculum dilectionis, & pacis facere videatur, & a benedictione eius, & latere nunquam discessimus, nec dante Domino discedemus. Nam Rom. Ecclesia nostra specialis est mater, quam non offendimus, sed diligimus, & veremur. Iucunda satis est, sicut nostis, matris Rom. Ecclesiæ & filiorum dilectio, cum ipsa mater de nostro profectu, & nos filij versa vice de matris exaltatione lætemur. Et inde est, quod inter alios dilectos filios & deuotos, quos vbique terrarum mater sibi Ecclesia generauit, nos speciales & proprios reputat, & in nos affectum totius charitatis effundit; & nos inter alios, & præ alijs semper habuerit, & habebit, dante Domino, suum propugnaculum speciale, & nos ad depressionem illorum, qui cōtra Ecclesiam matrem & dominam nostram superbiæ calcaneum erexerunt, quidquid fauoris, & auxilij potuimus, curauimus indulgere, vtpote qui honorem eius non alienum, sed proprium reputamus. Verum, si quæ est vel erit, quod absit, discordia inter ipsam & nos, sic ad eam sedandam propensius intendemus, quod in aduentu vestro in pace, & quiete vestræ coronationis solemnitas in Vrbe per summum Pontificem peragetur.] Dissensisse illos cum Honorio anno superiore ex chronico S. Germani vidimus, atque efferuato fastu Pōtificem Roma abesse coegisse.] Rogamus itaque maiestatem regiam, quatenus Ecclesiæ Rom. exaltationi, ac nostræ prour conuenit intendatis, vt de fidelibus fideliores regiæ magnitudini semper assurgere teneamur, quia quidquid commodi vel honoris ipsi feceritis, nobis qui sumus Ecclesiæ catholici filij, reputabimus esse collatum.]

Pollicentur in Rō. Pont. auctoritatē futuros.

Sua in illā studia exaugerant.

11 Hactenus ad Fridericum Romanorum literæ. Quod vero ad Fuldensem abbatem attinet, cuius mētio in extremis superioribus literis edita est; cōstat ex literis apostolicis accessisse [a] illum ad porrigendas Friderici nomine Honorio preces, vt ipsum imperialibus ornamentis redimiret, ac in Germaniam legatum ad continendos in officio religionis metu populos mitteret. Excepit benigne regium oratorem Pontifex; significauit tamen Friderico alium dignitate præstantiorem mittendum fuisse. Et quamuis alij Romanorum Reges pro expetenda imperatoria inunctione archiepiscopos, episcopos ac alios dignitate florentissimos principes mittere soliti essent, omnia tamen obstacula morasque remouisse: libentissimeq; ipsum imperiali cōsecratione ex veteri more decoraturum, missurumque in Germaniam legatum: denique ad maturandum in Italiam ad excipiendas imperiales infulas est cohortatus.

[a] Hon. l. 4. ep. 695.

Excitatur Frid. ad suscipiendū iter in Italiam.

12 At Fridericus non illico iussum iter est aggressus, verum aliquot postea menses in Germania substitit, tantæque moræ culpam varijs a se excusationibus propulsare conatus est ijs literis, quibus veritus ne Pontifex se minime conscio Romanorum tegnum in Germania Henrico filio delatum ægre pateretur, hæc scripsit [b]: *Quamquam per vestras non receperimus literas, plurimum tamen intelleximus ex relatu, quod Ecclesia mater nostra super promotione charissimi filij nostri non modicum sit turbata, eo quod de ipso iamdudum in gremium suum posito, & totaliter mancipato super hoc ampliorem curam, & solicitudinem spopondimus minime habituros, nec post promotionem eiusdem aliquod significauimus apostolicæ sanctitati, & quod etiam aduentum nostrum beatitudini vestræ toties nunciatum continue vsque adeo distulisse: super quibus sanctitati vestræ veritatis seriem duximus explicandam. In conspectu namque clementiæ vestræ inficiari nec possumus, nec debemus, quin erga promotionem vnici filij nostri, tanquam qui ipsum paternis affectibus non possumus non amare, laborauerimus hactenus iuxta posse, quod equidem nequiuimus obtinere.*

Henricus eligitur Rex Romanor.

[b] Extat in reg. Hon. l. 5. ep. 40.

13 *Dum autem apud Frankenford, vbi pro hentiandis principibus iuxta morem Imperij indixeramus generalem curiam, personaliter venissemus, secundum man-*

Frid. rem apud Pontificem excusat.

mandatum vestrum accedendi ad pedes vestros iter exinde, duce Domino, arripiunt, ex præsentia dilectorum principum nostrorum venerabilis .. Maguntin. archiepiscopi, & Lantgrauij Thuringiæ, qui ad curiam conuenerant memoratam, discordia, quæ iam multo elapso tempore suborta fuerat inter eos, ex accumulatione virium, & militia vtriusque sic conualescere tunc incepit, quod toti Imperio discrimen & periculum minabatur. Quod præsentes principes attendentes & tanto volentes periculo obuiare, se de loco non recessuros aliquatenus iurauerunt, nisi prius inter prædictos principes dictante sententia iuxta posse ipsorum vel compositione amicabili tractaretur, & nos etiam nostris literis firmauimus illud idem. Cumque super hoc fuisset per principes diutius laboratum, quia labor eorum effectum aliquem non habebat, eo quod nullam inter ipsos poterant concordiam seminare, & ipsa controuersia vsque adeo insurgebat, quod propter discessum nostrum, quem imminere videbant, plura incommoda, & maxima dispendia Imperij proinde sequebantur;

14 *Ex insperato præsentes principes, & maxime illi, qui prius promotioni dicti nostri filij obuiarant, nobis inscijs, & absentibus elegerunt eundem; cuius electio cum nobis patefieret, sicut fuerat celebrata absque vestra notitia seu mandato, sine quo nihil præsumimus, nec volumus aliquid attentare, ipsi electioni contradiximus cõsentire, sed constituimus apud eos, quod si vellent hoc gratum, ac ratum nos habere, quilibet scriptum suum proprio sigillo munitum conficeret, vt electionem ipsam vestra sanctitas acceptaret.* Verum Fridericus mendacij arguitur ex Stadensi idoneo eius æui auctore, qui ait ipso volente filium Francofurti a principibus Regem iussum quod etiam apostolicis literis a infra recitandis comprobatur: & sanè consueuisse Fridericum callidis huiusmodi artibus Apostolicam sedem eludere, ex allatis supra liquet, atque ex infra adducendis clarius illustrabitur. Pergit Fridericus:

Facinus colorat mẽdacij.

a Lib. 4. ep. 184.

15 *Fuit etiam ordinatum, vt vnus ex eis tunc processu electionis eiusdem ad vestram præsentiam se conferret. Sed postmodum quomodo restiterit, ab ore nostro cum erimus, dante Domino, coram vobis, vel per A., capellanum vestrum dilectum nostrum clarius audietis. nihilominus tamen disposuimus, quod dilectus familiaris noster C., Meten. episcopus Imperialis aulæ cancellarius propter hoc ad pedes vestros accederet, qui etiam annuens votis nostris, cum esset ad instantiam nostram ad iter accinctus, quodam sibi superueniente languore, huc vsque distulit iter suum.* Extant in regesti pontificij huius anni calce Metensis episcopi sigilli imperialis præfecti literæ, quibus se tertiana acutissima a persequendo itinere retardatum ait, atque Henrici sine pontificio assensu celebratam electionem pluribus coloribus excusat: ingrauescente nimirum inter Maguntinum archiep. atque Thuringiæ Lantgrauium bello, atque Friderico in Terram S. discessuro ob incertos rerum euentus, expertaque ex crebra Imperatorum mutatione mala, ad eligendum sibi ex stirpe regia principem excitatos. Addidit etiam se olim diu ante electionem celebratam sedem Apostolicam de celebrãda ea electione consuluisse, nec responsum vllum elicere potuisse, deinde vero ab vno e Cardinalibus amicissimo edoctum fuisse, dixisse Honorium nil ad se de electione Romani Regis pertinere. Verum illius interfuisse, ne ea electio tentaretur, ex eo conspicuum est, cum ob id Henricus Siciliæ regno donari emittique patria potestate iussus esset, ne in Friderico Sicilia Imperio coniuncta videretur: Henrico vero electo Romanorum Rege pontificium consilium elusum erat, nec metus aberat, ne Sicilia ab aula Apostolica diuelleretur. Quibus porro officijs verborumq; lenocinijs ex eo offensum Honorij animum lenire ac permulcere studuerat Fridericus, ex subiecta literarum parte accipiamus.

Præfecti sigilli imperialis excusatio apud H. n.

16 *Videtur autem nobis beatiss. pater, & præsumptione colligimus euidenti, quod cum habeatis nos, & filium nostrum in visceribus charitatis, non ob aliud promotionem nostri filij grauem fertis, nisi quia de vnione Regni cum Imperio dubitatis. Quod equidem timere, aut suspicari non debet Ecclesia mater nostra, quia cum sequestrationem ipsorum modis omnibus affectemus, nobis in vestra præsentia constitutis, mandatum & desiderium vestrum de omnibus adimplebitur iuxta votum. Absit enim quod Imperium commune aliquid habere debeat cum Regno, aut occasione filij nostri de electione sua ipsa ad inuicem vniamus; immo eorum vnioni, ne possit esse temporibus aliquorum, totis nisibus obuiamus, prout videbitis operis per effectum, quia in ijs, & in alijs tales nos exhibebimus apostolicæ sanctitati, quod meritò gaudere poterit mater Ecclesia talem filium procreasse. Nam etsi in Regno ius aliquod Ecclesia non haberet, & nos sine herede decedere legitimo eueniret, prius ipsi Rom. Ecclesiam, quàm Imperium dotaremus. Vnde de tam euidenti, & manifesto turbatione Ecclesiæ atque vestra, quam super promotione dicti nostri filij assumpsistis, miramur.* Et infra: *Ecce quod e vestigio sine maiori difficultate venimus, nec in veniendo moram protrahemus aliquatenus longiorem. Vestrum erit pater & domine in absentia nostra de Imperio curam & solicitudinem obtinere, vt filius vester in honore seu dignitate sua nullum pati debeat detrimentum.* Porro Honorium id statim egregiè præstitisse argumento sunt apostolicæ literæ tum ad vniuersos Germaniæ principes datæ a, quibus iura omnia Friderici, Christi fidelibus Terræ sanctæ subsidio perrecturi, illæsa atque illibata seruari decreuit; tum ad episcopum Bambergensem b, quemadmodum Regem noua conflata consilia abijcere iubet.

a Lib. 5. ep. 63.

b Ib. ep. 71.

17 Quod pertinet ad Metensem episcopum imperialis sigilli præfectum; cum mandasset illi Pontifex ditionem comitissæ Mathildis Romanæ Ecclesiæ redderet, atque adeo Raynaldum subdiaconum suum ad eam ditionem reperendam misisset, ille varijs pollicitationibus, dilationibusque rem elusit. quare commotus Honorius Fridericum vrgebat c, vt promissis staret, iuberetque male occupata confestim restitui. paruisse illum Pontifici atque in nuncios Apostolicos comitissæ Mathildis principatus castri Gonzagæ, Pepugnaci, Bodeni, nec non Marchæ aliorumque locorum iura transfudisse, atque in eos, qui ea detinerent, graues minas inflixisse, ostendunt literæ pontificiæ, tum aliæ Friderici, quas anno sequenti afferemus, tum etiam aliæ eiusdem Pontificis d, quas conficiendæ breuitatis causa prætermittimus. iam vero Fridericum in vrbem ad excipiendas imperiales infulas contendentem nostra sequatur oratio.

Legatus Frid. in Italia recusat ditionem eccles. restituere.

c Ep. 139.

Vrgetur Frid. promissa impleat.

Lib. 4. ep. 850.

d Ibid. ep. 779.

18 Stipatus florentissimo comitatu transilierat alpes Veronamque felicissime peruenerat, vbi cum substitisset, suas ad Honorium literas e idib. septemb. transmisit, quibus suam erga eum atque Apostolicam sedem obseruantiam & obedientiam testatam voluit esse. Datæ sunt in castris prope Bononiam III. non. octob. Dein Bononiam cum accessisset, oratores ad proximum in Vrbem aduentum significandum ad sedem Apostolicam cum huiuscemodi literis f misit: *Ne fatigentur tetris multis repetitionibus aures vestræ, expedire non videmus pater sancte multimoda beneficia, quæ a vobis, & sacrosancta Rom. Ecclesia matre nostra sincero, & paterno affectu a primis cunabulis in nostris semper necessitatibus potenter, & patenter recepisse meminimus, iterum atque iterum replicare, sed quod, receptam gratiam gratitudine debita cognoscamus, quod iugiter profiteamur eandem, & plene iam multis innotuit, et augmentata in nobis deuotio sic plenius indicabit, quod non se pœnitebit mater Ecclesia talem procreasse filium, & lacte proprio refouisse.* Et infra: *Ad pedes sanctitatis vestræ ardenti desiderio*

e Lib. 5 ep. 140.

f Extant in regest. Hon. l. 4. 130.

pro-

properamus sperantes, quod paterna gratia, quam nostris profectibus verbo semper, & opere ostendistis, exuberabit in deuotum filium vsquequaque, & ab arbore, quam plantauit ecclesia, coluit, & refouit expectatum fructum iuxta vestrum desiderium colligetis, &c. Commendat Honorio suos oratores, atque efflagitat, vt eorum postulatis auersas aures non præbeat. *Dat. in castris prope Bononiam IV. non. octob. indictione octaua.*

Honorius tuendis iuribus Ecclesiæ studet.

a Hon. l. 5. ep. 184.

19 Cæterum Honorius Rom. Ecclesiæ iuribus, commodisque consulturus, antequam Romam Fridericus perueniret, Nicolao episcopo Tusculano A. S. L. & Alatrino subdiacono suo hæc mandata transmisit a.

N. episcopo Tuscul. A. S. L. & di. fi. Alatrino subd. & capellano nostro.

De ferendis optimis a Frid. legibus.

De communi fratrum nostrorum consilio præsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus efficaciter studeatis, vt capitularia, quæ vobis mittimus præsentibus interclusa, sub competentibus verbis, seruata sententia, sub nomine regio in leges publicas redigantur, nobisque mittantur regiæ bullæ roborata munimine, in die coronationis sub imperiali nomine in basilica principis Apostolorum solemniter publicanda. Ad hæc prudenter, & caute studeatis inuestigare, ac perspicere regium animum, & propositum tam super vitanda regni, atque Imperij vnione, quam super subsidio Terræ sanctæ expresse regijs auribus inculcantes; quod videtur contra promissa, & priuilegia sua manifeste venisse; cum & filium suum coronatum in Regem Siciliæ, in Romanorum Regem eligi procurarit, & prælatos & magnates regni ad coronam vocarit Imperij, & ab eis de nouo fidelitatis exegerit, & exigat iuramenta, per quæ in sedis Apostolicæ, nec non posteritatis suæ dispendium videtur præfata vnio procurari; vnde multi non immerito admirantur.

De non ducendo ex aula Apost. Sicilia.

Excitari ad ferenda Terræ S. auxilia iubet.

20 Necessitatem vero Terræ sanctæ exaggeretis, sicut res ipsa deposcit, insinuantes regiæ celsitudini, quomodo fiducia & spes illius negotij in eo post Deú quasi tota dependet, sicut per nuncios, & literas legati, prælatorum & baronum exercitus Christiani euidenter apparet, & quomodo ipsum ita instanter ad coronam vocauimus specialiter hac de causa: & addatis, quod nisi in instanti passagio exercitui Christiano magnifice succurratur, est procul dubio formidandum, ne prædictum negotium Terræ sanctæ penitus dissoluatur (profligatas, vt metuebat Honorius, res Terræ sanctæ fuisse Friderici incuria infra videbitur.) Quidquid autem super his poteritis intelligere, nobis curetis quamcitius fideliter intimare. *Dat. Later. IV. id. nouemb. pont. nostri an. V.*

Fridericus imperialibus insulis ab Honorio decoratus.

b Ibid. ep. 350.

21 Inde vero, paucis interiectis diebus summus Pontifex in basilica principis Apostolorum Friderico Imperij insignia ritu solemni contulit, eaque de re Pelagium episcopum Albanensem, atque Apostolicæ sedis legatum in exercitu Christiano Terræ sanctæ breui hac epistola certiorem fecit b.

P. Albanen. episcopo A. S. L.

Quia scimus animum tuum super statu Imperij expectatione suspensum, ecce tuæ fraternitati exponimus nos dominica ante aduentum Domini proxima, charissimum in Christo filium nostrum Fredericum Romanorum Imperatorem semper Augustum, & Regem Siciliæ, & illustrem Imperatricem consortem eius in principis Apostolorum basilica cum inæstimabili alacritate, ac pace ciuium Romanorum solemnissime coronasse. Qui facta tribus diebus in monte malo mora continua, tandem præstita nobis securitate, quod tibi, & Christiano exercitui in proximo martio succursum magnifice destinabit & in sequenti augusto personaliter transfretabit, regnum cum pace ac gaudio est ingressus, ea quæ ad subsidium Terræ sanctæ pertinent, prouisurus. Confortare ergo in Domino, & in eius seruitio exercitus Christiani corda confirma desideratum succursum fauente Domino magnifice habiturus. *Dat. Later. XVIII. kal. ianuar. pontif. nostri an. V.*]

Constantia fit eiusdem honoris particeps.

22 Quod ad Friderici vxorem attinet; hortatus illum fuerat Pontifex, vt secum eam duceret, quo vna cum ipso diademate redimiri posset. His porro de Friderico Romæ Imperij insignibus a Pontifice decorato, plerique auctores adstipulantur a, e quibus Richardus, Godefridus ac monachus Patauinus festo S. Cæciliæ gesta tradunt. At non possumus hoc loco non mirari, quomodo Conradus Vrspergensis abbas eius temporis scriptor asseruerit, Fridericum ab Vgolino episcopo Ostiensi corona redimitum. Id forte auctorem in errorem inducere potuit, quod tunc ab episcopo Ostiensi cruce fuerit insignitus, vt Richardus b e S. Germano monumentis transfudit: *Tunc ipse Imperator*, nimirum post accepta solemni pompa imperialia insignia, *per manus Ostiensis episcopi, qui postmodum in Papam Gregorium est promotus, resumpsit crucem, votum publice innouauit, multosque, qui interant, nobiles idem facere ammonuit.* A Pontifice vero cum vxore Constantia regiæ ornamenta dignitatis accepisse indicat: *Fridericus Rex vocatus a Papa venit cum consorte sua Constantia ad coronam relicto in Alemannia Henrico filio suo, & ambo in principis Apostolorum basilica mense nouembri in festo B. Cæciliæ satis cum omnium Romanorum gratia & honore sunt Imperij diademate insigniti.*

Ep. 62. a Rich. de S. Ger. Vrsperg. Stad. in chron. Conrad. in chro. Magunt. mon. Pat. lib. I. chro. Stero in annal. apud Can. antiq. lect. t. I p. 369. Austral. Eluang. Colmar. chr. Longbist. Pol. l. 6 aliisq. recentioris. eod. anno.

E manu Vgolini crucē accipit Frid.

b Rich. de S. Ger. in chro. ann. 1220.

23 Eodem vero die Honorius inter missarum solemnia anathematis sententiam tulit aduersus hæreticos omnes, eorumque fautores, receptatores, defensoresque, atque in edentes seruantesue constitutiones, plebiscita & consuetudines, quæ ecclesiasticæ immunitati repugnarent, scriptis anno sequenti ineunte apostolicis ad Bononiensem episcopum hac de re literis c: *Nouerit fraternitas tua, quod nos nuper in basilica principis Apostolorum præsente charissimo in Christo filio nostro Frederico illustri Romanorum Imperatore semper Augusto, & Rege Siciliæ, in celebratione missarum, postquam capiti suo imposuimus Imperij diadema, de consilio fratrum nostrorum accensis candelis excommunicauimus ex parte Dei omnipotentis, auctoritate quoque beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & nostra, omnes hæreticos vtriusque sexus quocunque nomine censeantur, & fautores, receptatores, & defensores eorum, nec non & qui de cætero seruari fecerint statuta edita, & consuetudines, vel potius abusiones introductas contra Ecclesiæ libertatem, & nisi ea de capitularibus suis infra duos menses post huiusmodi publicationem sententiæ fecerint amoueri. Item excommunicauimus statutarios, & scriptores statutorum ipsorum, nec non potestates, consules, rectores, & consiliarios locorum vbi de cætero huiusmodi statuta, vel consuetudines edita fuerint, vel seruata; nec non & illos, qui secundum ea præsumpserint iudicare, vel in publicam formam scribere iudicata, &c.* Postremo additur: *Fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipimus mandantes, quatenus præscriptam sententiam per ciuitatem, & diœcesim tuam solemniter, & frequenter publicari facias, & inuiolabiliter obseruari. Datum Laterani II. nonas ianuar. pontificatus nostri anno quinto.* Hæc Pontificem episcopis etiam alijs rescripsisse, in dubium reuocandum non videtur.

c Hon. l. 5. ep. 310. habetur cap. nouerit extr. de sent. excō.

Anathema in hæreticos eorumq. fautores in ea celebritate fulminatum.

24 Promulgata pariter in basilica Vaticana edicta imperialia in ipsa suæ consecrationis celebritate regestum pontificium ostendit, atque hæc in margine verba apposita leguntur: *Hæc est noua sanctio Friderici secundi Imperatoris Romanorum edictaliter edita, & publicata in basilica principis Apostolorum in die qua Imperiali diademate coronauit eum Romana Ecclesia mater sua, lex siquidem constitutiua de abrogatione,*

Ibid. ad ep. 486

Latæ a Frid. leges in basil. S. Petri.

& destructione omnium statutorum & consuetudinum aduersus ecclesias, clericos, vel ecclesiasticam libertatem, & de abolitione omnium haresium, & hareticorum diffidatione, & banno. Cum vero ea in autenticis a extet, indicasse eam sufficerit. Confirmat idem chronicon b S. Germani, dum ait Fridericum Romæ cum esset, leges pro tuēda ecclesiastica dignitate Paterenis excindendis, testamentis crucesignatorum fulciendis, agricolis ab iniurijs vindicandis post imperialia inaugurationis pompam, vt feliciter auspicaretur Imperium, tulisse, Romanoque limite egressum in regnum se contulisse, exceptum magnifice ab abbate Cassinensi, ac Suessam, Theanum, Roccam Draconis, Rogerij comitis Aquilani fidei commendata regno restituisse; ac demum Capuæ publica nobilium comitia ad componendum regni statum, probisque legibus instituendum celebrasse.

a Authen. Frider. II.
b Rich. de S. Germ.
Recipit se in Siciliā.
Gesta ab illo in regno.

25 His de Friderico enarratis reliquum est, vt de alijs Italiæ rebus disseratur. Non modo in comitatu Mathildis repetendo, verum ad arcendam etiam perduellium Rom. Ecclesiæ vim, qui eam antea in Sardinia per tyrannidem occupare conabantur, plurimum laboris atque operæ contulit. Vbaldus Lambertusque eam ob causam e cœtu fidelium, vt supra vidimus, segregati erant: quorum audaciam infringere Pontificem conatum plures epistolæ ostendunt atque adeo archiep. Arborensi præcepisse c, ne ipsis Arboreanam prouinciam inuadentibus auxilio foret: spōsalia ante Benedictæ domicellæ cum Lamberto inuita ipsa repugnanteque contracta irrita iussisse d, vetuisse e ne iudex Turritanus filiam suam cum Lamberti filio matrimonio coniungat: tum Senensibus f imperasse, ne in ditionem Mariani Turritani Reguli, vulgo iudicis, cuius patrocinium arripuerat g, dum in suscepta expeditione crucesignatus versaretur, impressionem vllam facere pertentarent. Cæterum archiepisc. Arborensis, de quo paulo ante memorani, anathematis vinculis fuerat irretitus, quod ab Vbaldo, cæterisque Sardiniam sibi subijcere molientibus stetisset: verum noxæ pœnitentem Pontifex absoluendum decreuit h. Antea vero Sardiniæ archiepiscopos, episcopos atque abbates ob præstita legato apostolico, quem humanissime accepere, officia literis commendauit. i

c Lib. 4. ep. 674.
Lamberto Sardiniæ inuasori opponit se Pontif. x.
d Ibid. ep. 676.
e Ep. 688.
f Id. l. 5. ep. 175
g Ibid. ep. 177.
Arboren. arch ob sequutas Vbaldi partes censoris percussus.
h Ep. 106.
Petita venia absoluitur.
i Ep. 83.

26 Rescidit præterea Honorius l pro egregio in rem literariam studio editas a Bononiensibus leges, quæ dantis operam literis iuuentutis immunitates, eruditorumque virorum dignitatem labefactabant; obiecitque ciuibus ipsos ea in re non leuem ingrati animi maculam suscepisse, cum Bononia excitatæ in ea academiæ beneficio ad magnas opes splendorem amplitudinemque effloruisset: *Cum*, inquit, *ex studio literarum præter infinita commoda, qua sensitis, ex eo vestra ciuitas inter alias sit famosa, & in vniuerso mundo nomen annuntietur ipsius, factoque sit altera Bethleem, domus videlicet panis, qui paruulis frangitur in eadem, ex qua exeunt duces, qui regant populum Domini, quoniam in studio eruditi assumuntur ad regimen animarum, non solum debetis a scholarium grauaminibus conquiescere, verum etiam illos honoribus preuenire, attendentes quod ipsi gratuito ad studendum vestram praelegerint ciuitatem, qua cum prius esset hominis, per eos ibidem congregatos ciuitys fere supergressa est ciuitates prouincia vniuersas.*

Antiquatæ leges a Bononiēs. in academicos latæ
l Lib. 4. ep. 728. 729.
Laus Bononien. academiæ.
Defensa immunitas ecclesiastica.

27 Explicuit etiam pontificium studium in tuenda cleri dignitate, quam nonnulli magistratus ac populi deprimere nitebantur: quorum audaciam monitis, adhortationibus, minis pœnisque ecclesiasticis incussis coercuit: inuectus in primis acerrime est in Taruisinos, qui grauissimis sceleribus se deuinxerant, vastarant diœceses Cenetensem, Feltrensem, ac Belunensem, atque episcopos Belunensem, Feltrensemque interemerant; tum neglectis Apostolicæ sedis precibus monitisque ac minis, in loca Feltrensis, Belunensisque ecclesiarum populabundi ingressi, ea vel euerterant, vel in suam redegerant potestatem, episcopum, qui in occisi locum suffectus erat, in vincula coniecerant, parique morte erant affecturi, nisi intempesta nocte e vinculis auolasset. Grauissimas ergo in sacrilegos minas fulminauit a, ac nisi intra mensem facta conuulsissent, episcopum Taruisinum, omnemque vrbis ac diœcesis clerum religioso pro imperio excedere iussit. Parmensium etiam insolentiam, qui in episcopum suum, cæterosque ecclesiasticos viros multa nefariaque facinora patrarant, Aquileiensis & Gradensis patriarcharum opera comprimendam curauit b. Neque his dissimilia aduersus Auximanos scripsit c; postremo memorato Aquileiæ patriarchæ mandauit d laicos ab imperanda extorquendaque pecunia inhiberet.

Taruisini ob patrata scelera increpiti.
a Ep. 839.
b Lib. 5. ep. 178.
c Ibid. ep. 242.
d Ep. 248.

28 Nec prætereundum silentio seuerioris ecclesiasticæ disciplinæ documentum memoratu dignissimum ab eodem Pontifice hoc anno editum in nōnullos parricidas, qui episcopo suo cruentas manus intulerant, quorum aliqui vrente conscientia, pœnitentia ducti, Apostolicæ sedis misericordiam summa demissione implorarunt. Pontificem ergo ad episcopos Viuariensem & Tricastrienſem ea scribentem, tātique flagitij seriem enarrantem e, inducere operæ pretium censui: *Piaculare flagitium, quod Bertrandus de Cares, & eius complices cōmiserunt bona memoria Anicien. episcopum crudeliter occidendo, flere libet potius, quam referre, ipsa immanitate flagity verba profundis intercidente suspirys, & lacrymas inuitis etiā oculis exprimente. Quem enim non moueat, quisue siccis oculis recitet, virum nobilitate spectabilem, dignitate insignem, meritis vita laudabilem, dominum a vassallis, pium ab impijs, patrem a filys pro tuenda ecclesia sibi commissa iustitia interemptum! Licet autem multi aduersus Deum, & aduersus Christum eius conuenerint, dictus tamen Bertrandus vniuersorum, & singulorum nequitiam supergressus, solus cum ordinatum fuisset, vt dicitur, ne quis ipsum episcopum tangeret, in eum sacrilegas manus extendere ac armatus inermem, mansuetum crudelis, patrem filius occidere non expauit.*

e Lib. 4. ep. 810.
Anicien. episc. crudeliter cæsus.

29 *Tanti ergo facinoris atrocitate permoti, eundem Bertrandum & eius in tanta impietate consortes, qui ad nostram præsentiam accesserunt, longo tempore sustinuimus ante fores palaty nostri excubare discalceatos, & nudos, aures, & oculos ab eorum eiulatibus, & lacrymis auertendo, vt & ipsi per difficultatem huiusmodi enormitatem flagitij sui plenius intelligerent, & aly quoque quibus illorum culpa fuit in scandalum, de ipsorum confusione non solum exemplum, sed etiam solatium reportarent. Porro ipsis aures nostras clamoribus indefessis sine cessatione pulsantibus, tandem attendentes non sanis, sed male habentibus esse opus medico, secundum euangelicam veritatem, ne illos, vlteriori difficultate adhibita, desperationis barathrum absorberet, eorumdem se ad satisfactionem omnimodam offerentium recipi fecimus iuramenta, & eisdem beneficio absolutionis impenso, talem iniungi pœnitentiam sub debito præstiti iuramenti, quod videlicet omnes, qui conuenerunt ad insidias contra ipsum episcopum, nec tamen præsciuerunt eum debere interimi, nec eius interitum procurarunt, sine dilatione resignabunt Anicien. ecclesia, si quis eorum in feudum tenet aliquid ab eadem, nec illud vnquam de catero repetent, nec ea de causa inquietabunt ipsam ecclesiam; nec inde mouebunt ei aliquam quæstionem. Ad hac in ciuitate Podien si secure poterunt, vnam facient quadragesimam, ostiatim induti saccis, vel cilitys, ac detonsis capitibus mendicantes in pane, & aqua bis in hebdomada ieiunando. Quod si forte secure non poterunt esse in ciuitate prædicta, secundum prænotatum modum vnam faciant quadragesimam in aliqua de ciuitatibus conuicinis, qua peracta, in præfata ciuitate Podien. vel alia vltra mare*

Flagitij auctores cōscientiæ facibus cruciati confugiūt ad sed. Ap.
Admittūtur ad pœnitentiā.
Iniūctæ ijs publicæ pœnæ.

tran-

transibunt in Terræ sanctæ seruitio per biennium moraturi, ac omnes sextas ferias ieiunaturi in pane, & aqua toto tempore vitæ suæ, nisi eos euidens infirmitas excusauerit, vel solemnitas natiuitatis Dominicæ occurrerit eo die.

30 *Prædictus vero Bertrandus, cuius est detestabilior culpa, resignato secundum quod supradictum est feudo, si quod ab ecclesia ipsa tenet, ac deposito cingulo militari contra Christianum nunquam de cætero arma feret. Tres quadragesimas in ciuitate Podij, si securus poterit ibi esse, alioquin in alijs vicinioribus faciet indutus sacco, aspersus cinere, tonso capite, discalceatus & ostiatim mendicans, ac pane solo, & aqua contentus tribus diebus qualibet septimana. Insuper per tres quadragesimas supradictas omni die dominica toti clero, & populo ciuitatis, in qua ipsas faciet quadragesimas, nudum se offeret cum virgis, quas in manu deferet ad verberandum. His peractis vltra mare transibit per septennium moraturus ibidem in seruitio Terræ sanctæ, ac in suo reditu apostolico se conspectui præsentabit cum literis patriarchæ, ac aliarum autenticarum personarum, quæ in partibus illis tempore illo erunt; continentibus qualiter ibi per dictum septennium fuerit conuersatus. Toto tempore vitæ suæ duas in anno faciet quadragesimas, & sextas ferias, ac solemnes vigilias in pane & aqua, nisi certa corporis infirmitas præpediat, vel occurrat Dominicæ natiuitatis solemnitas, ieiunabit. A communione quoque corporis & sanguinis Domini abstinebit septennio, nisi fuerit in mortis articulo constitutus. Si vero post tres quadragesimas prædicto modo peractas ad Carthusien. vel Cistercien. ordinem transire legitime poterit & transierit, erit a supradicta pænitentia excusatus. Ideoque fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus eos ad agendam pænitentiam suprascriptam monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota, si necesse fuerit, compellatis. Dat. apud Vrbem veterem v s. id iul. pont. nostri ann. I V.*

Declarat Honorius Ioachim. abbat. hæreticum non fuisse. 31 Flagitauit per id tempus patrocinium Apostolicæ sedis Florensis ordo, nonnullis exprobrantibus Ioachimum abbatem, eius sacræ familiæ conditorem, hæreseos labe inquinatum fuisse, atque obijcientibus commentarium in Petrum Lombardum conscriptum, sententia Lateranensis concilij damnatum: at Honorius eosdem monachos ab aduersariorum iniurijs vindicauit, ac Ioachimum catholicum habendum esse censuit a, quamuis notatua patrum censura ob fœdissimos errores esset, auctor enim scripta omnia Rom. Pontifici tradi iusserat, ab Apostolica sede vel comprobanda, vel corrigenda, dictaratq; epistolam, quã suo chirographo muniuerat, vbi illam se fidem tenere constanter professus est, quam Rom. Ecclesia omnium mater & magistra teneret. Denique Italicis rebus adijciendum videtur, Honorium Firmanis percutiendæ monetæ potestatem fecisse b, *Vniuersitatis vestræ deuotis precibus inclinati, habendi proprium cuneum ad cudendam monetam, citra valorem imperialium, liberam vobis auctoritate præsentium concedimus facultatem. Dat. Lat. V I I. id. decemb. pont. nostri anno* v. Iam ex Italia in submotas ad septentrionem regiones pontificium zelum secuta nostra excurrit oratio.

a Lib 5. ep. 168.

Cur absit ab illo ea infamia.

b Ibid. ep. 195.

Firmanis percutiendæ monetæ ius ab Honorio traditum.

Crescentius Card. A. S. L. in regna septentrionalia missus. 32 Recruduerant in Dania intestina bella, quæ potius religione quàm armis sopitum iri arbitratus Danorum Rex, ab summo Pontifice precibus contendit c, vt legatum apostolicum ad componendas seditiones concitatas transmitteret: idemque alij Sueciæ, & Bohemiæ Reges ad temperandum ecclesiarum septentrionalium statum, vt ex literis d eodem exemplo ad tres eos Reges exaratis patet, flagitarant. Ad iusta tantorum principum vota descendit Honorius, ac legati apostolici munus Gregorio Crescentio tit. S. Theodori diacono Card. in Dania, Suecia, Polonia, ac Bohemia commisit: summaque ad peruicaces ad officium reuocandos, ac gerendas res instruxit. Tum de iniunctis illi partibus exhibendaq; obseruantia ad Lubecensem, Raseburgensem, Szerniensem, Caminensem, Pragensem, Olomucensem, Noscensem episcopos, Vpsalensem, Gnesnensem, Lundensem archiepiscopos, aliosque inferiores præsules scripsit a. Demum ad coercendam principum ambitionem ecclesiasticas censuras in eos omnes est iaculatus, qui Regis Danorum successorumue iura labefactarẽt: præterea finitimis Daniæ Regibus populisque publicis literis significauit b suarum partium fuisse Daniæ inuasoribus anathema incutere, cum illud regnum ab Apostolica sede fiduciario iure penderet.

c Ibid ep. 20.

d Ep. 314. & reg. post eand. ep.

a Ep. 314. & reg. post eand. ep.

b Ep. 180. Dania S. A. stipendiaria.

33 *Charissimis in Christo filijs illustribus Regibus, & dilectis filijs principibus, & vniuersis Dei fidelibus regno Daciæ circumpositis catholicam seruantibus vnitatem.*

Quanto specialius regnum Daciæ ad Ecclesiæ Rom. noscitur iurisdictionem spectare, tanto ad conseruationem eius propensiori studio debemus intendere, quia non immerito multa reprehensione digni existere videremur, si quod est iuris Ecclesiæ Romanæ pateremur imminui, vel turbari. Inde est, quòd ad exemplar felicis memoriæ Alexandri, & Innocentij prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vobis omnibus sub interminatione anathematis arctius inhibemus, ne quis præscriptum regnum inuadere, vel turbare præsumat, aut iura charissimi in Christo filij nostri .... illustris Danorum Regis, vel hæredum suorum minuere audeat, vel sibi quomodolibet vsurpare. Si qui autem nostræ prohibitionis transgressores extiterint, indignationem nostram, & Ecclesiæ Rom. se nouerint incursuros, & anathematis vinculo feriendos. *Dat. Later.* x v I. *kal. decemb. pont. nostri anno* v.

Vetat Honor. obiecto anathemate ne quis eam inuadat.

34 Complexus ijsdem officijs apostolicis Bohemos, quibus Danos prosecutus est, dissensionesque atque discordias inter Pragensem episcopum & Bohemiæ Regem, proceresque iam ante, vt vidimus, exortas compescere studuit scriptis ad Salisburgensem archiepiscopum, & Kirmensem episcopum, & Cisterciensis ordinis abbatem S. Crucis literis c: *Post diutinam moram, quam venerabilis frater noster Pragen. episcopus apud Apostolicam sedem traxit pro quæstione inter ipsum ex parte vna, & .... illustrem Regem, ac barones Bohemiæ ex altera, super decimis, iurisdictione ecclesiastica, ecclesiarum immunitate, ac nonnullis alijs ad ecclesiasticam pertinentibus libertatem subortæ, pro qua etiam ipse Rex & barones excommunicationi, & regnum eius subiacent interdicto, tandem procuratoribus ipsius Regis & baronum in nostra præsentia constitutis, vtraque pars arbitrio nostro libere se commisit.* Et infra.

Nititur epis. Pr... ges. Ot... chero con... ci... re.

c Honor. ep. 678.

Electus controuersiæ arbiter fuerat.

35 Vbi subiecit se rem totam cum Cardinalibus contulisse, pacisque formulam conceptis verbis confecisse, a qua cum aduersæ partes parum discreparent, Regis procerumque oratores instituisse, vt Pragam episcopum mitteret, illum ab Othachero humanissime exceptum iri, fidemque suam sacramento adstrinxisse, se episcopum ad sedem Apostolicam incolumem reducturos, si concordia non coalesceret, aut aliquod sui dignitatisue periculum aditurus videretur, ijsque adductum assensisse, atque adeo hæc Salisburgensi archiepiscopo, alijsque imperia fecit: *Interponatis prudenter, & solicite partes vestras ad reformandam concordiam inter eos, quæ si studio vestro mediante prouenerit, eadem sufficienti, & idonea cautione firmata, præfatas excommunicationis, & interdicti sententias relaxetis. Alioquin episcopum ipsum ad nos reduci iuxta promissum nobilium prædictorum incolumem facientes, easdem sententias præcipiatis vsque ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruari. Dat. Viterbij* x I I I. *kal. apr. pont. nost. anno* I V. Hæc Pontifex ad archiepi-

Iniuncta Salisb. arch. partes in concordiam adducat.

ſcopum, cui etiam mandauit, vt Pannoniæ Regem Conſtantiæ Romanorum Imperatrici dotalia bona reddere compelleret. a

a Lib. 5. ep. 220. 221.

Ioannes Sueciæ Rex ob bona eccl. occupata increpatus. Vvaldemari epiſc. inſignis cõuerſio.

36 Dimouit etiam comitem Aſcariæ fidelium cœtu, cum, ſcelere immani, abbati Nieubergenſi oculos effodiſſet. Ioannem Sueciæ Regem monuit hortatuſque eſt, ne res Eccleſiæ occuparet, neue epiſcopos adulterinos intruderet. Excepit verò paterno ſinu Vvaldemarum epiſc. qui cum toties olim ob innumera a ſe commiſſa flagitia anathemate perculſus fuiſſet, ægrotus admiſſorum tandem ſcelerum pœnitens, veniamque ex Eccleſiæ ritu conſecutus, vbi conualuit, nuncio rebus humanis remiſſo, in Ciſtercienſi familia ſe Deo conſecrarat, quem Honorius Ciſterciēſibus abbatibus commendauit b: quo exemplo docemur de nullius emendatione ſpem abijciendam, cum teſtetur Iſaias: *Ecce non eſt abbreuiata manus Domini, vt ſaluare nequeat.*

b Ibid. ep. 136.

Iſ. 59.

Stephanus Rex Seruię cõfirmat cũ Rom. Eccleſ. coniũctionem.

e Lib. 4. ep. 681.

Illius ea de re literæ.

37 Miſit hoc anno ad ſedem Apoſtolicam Stephanus Seruiæ, & Diocliæ, aliarumque prouinciarum Rex oratores, vt exoleſcentem cum Romana Eccleſia coniunctionem (recepti enim antea ab Innocentio atque a ſchiſmate Dioclij, Dalmatæque reuocati fuerant) redintegraret, atque has literas obſeruantiæ erga Rom. Eccleſiam teſtes exarauit e: *Sanctiſſimo patri, & domino Honorio Rom. ſedis Eccleſiæ vniuerſali Pōtifici Stephanus Dei gratia totius Seruia, Dioclia, Tribunia, Dalmatia, atque Obblumia Rex coronatus, inclinationem ſumma fidelitatis conſtantia. Quemadmodum omnes Chriſtiani diligunt vos, & honorant, et pro patre, & domino retinent, ita nos deſideramus ſancta Romana Eccleſia, & veſtra fidelem filium nominari affectans, quod benedictio, & confirmatio Dei, & veſtra ſit ſi placet ſuper coronam, & terram noſtram ſemper manifeſte, & ob hoc vobis noſtrum epiſcopum Methodium nomine deſtinamus, vt quidquid ex veſtra ſanctitate, & voluntate proceſſerit, nobis per latorem præſentium literis ſi placet reſcribatis.*

Miſſi in Liuoniam & Eſton. a Rom. Pōt. euang. præcones.

38 Delibutum ingenti gaudio tam felicibus nuncijs fuiſſe Honorium par eſt credere, quem etiam admodum recreauit, intueri barbaras gentes atque infidelitatis tenebris obrutas, euangelica luce colluſtratas miteſcere, ac fide ſuſcepta Eccleſiæ ſeſe aggregare. Hi erant Liuoniæ, Eſtoniæ, Pruſſiæque populi, ad quos excolendos euangelicos præcones illuc mittendos curauit, datis ea de re literis ad abbates, præpoſitos, priores tum Ciſtercienſes, cum cæterorum ordinum, quos ad induſtriam in tanto opere collocandam his verbis incendit. d

d Ibid. ep. 700.

Honorius, &c.

Cum ſicut venerabiles fratres noſtri Liuonen. Selomen. & Lealen. epiſcopi noſtris auribus intimarunt, in partibus Liuoniæ duritia cordium paganorum tanquam terra vaſtæ ſolitudinis imbre gratiæ diuinæ compluta, & ex parte vomere ſanctæ prædicationis exculta in eis ſemen verbi Dei feliciter in ſegetem pullulet, quin etiam albæ ſint iam regiones ad meſſem, quæ quidem, Domino dante benignitatem, multa eſt, operarij vero pauci; expedit, vt alij mittantur illuc metere, quod alij ſeminarunt, quatenus ſecundum euangelicam veritatem, qui ſeminant, ſimul gaudeant, & qui metunt.

Iuſſi Ciſtercienſ. tanto operi incumbere.

39 Cum igitur per Dei gratiam in ordine veſtro ſint multi ad huiuſmodi opus idonei, charitatem veſtram rogamus attentius, & hortamur, per apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus monachos, & conuerſos, quos prædicti epiſcopi vel miſſi ab eis a vobis duxerint poſtulandos, illos ad opus miniſterij huius non ſolum permittatis accedere, verum etiam tranſmittatis, vt & ipſi erudientes plurimos ad ſalutem mereantur tanquam ſtellæ in perpetua æternitate lucere, ac vos retributionis eorum, quam ſine vobis nequeunt promereri, participium promerentes poſſitis apud Deum, & homines commendari. *Dat. Viterbij XIV. kal. maij pontif. noſtri anno IV.*] Extat etiam pontificium diploma a ad epiſcopos, quibus Honorius poteſtatem fecit, vt religioſos viros, rogato eorum, qui ipſis præeſſent, aſſenſu ad inferendum ijs populis euangelium mitterent. Quemadmodum etiam per eos dies epiſcopo Reuellenſi, qui ardenti fidei Chriſtianæ amplificandæ ſtudio inflammatus apud ethnicos Eſtoniæ euangelium ſerebat, conceſſit b, vt quos ad id operis ex iiſdem religioſis familijs idoneos noſſet, de præpoſitorum, ad quos ea de ſe ſcripſit c, licentia adduceret.

a Ep. 702. Solicitati epiſcopi diſſeminãdo euangelio operã darent.

b Ep. 689.

c Ep. 690.

40 Tum Pruſſiæ Chriſti fideles ſacro baptiſmate nuper ablutos eſt cohortatus d, vt tanti beneficij memores ſuſceptam fidem retinerent, præclara virtutum opera ederent, ærumnis non frangerentur; quinimo gaudio triumpharent, dignos ſe habitos ab hoſtibus Chriſti contumelias pati: fidelem Deum vltra vires eos tentari haud permiſſurum: momentaneum, ac leue tribulationis, immenſum gloriæ pondus in nobis operari; eos ſe officijs beneficijſque ſemper proſecuturum.

d Ep. 733. Pruſſos in fide confirmat.

Honorius, &c.

Gratias agimus largitori omnium gratiarum, qui propria gloria & virtute vos de varijs errorum tenebris in admirabile lumen fidei aduocauit, & in regione habitantibus aliquando vmbræ mortis, reuelauit vobis per Spiritum ſanctum eum, qui eſt lux mundi, Filium ſuum dominum Ieſum Chriſtum, vt in agnitione ipſius vias vitæ certiſſime ambulantes, qui aliquando non populus Dei fuiſtis, nunc populus Dei ſitis, & qui non conſecuti miſericordiam, nunc miſericordiam conſecuti, poſſitis in adoptione filiorum Dei merito gloriari, hæreditatem incontaminatam in cœlis, & immarciſcibilem adepturi.

Apoſtolica ad eos exhortatio.

41 Quapropter vniuerſitatem veſtram monemus in Domino, & hortamur, quatenus vos ipſos dignos diuinæ vocationi reddentes, cum omni timore Domini ſtetis in fide viriliter & conſtantes, exercendo fidei opera in virtute, non contriſtati aliquibus tribulationibus, quæ ad tempus ſunt, ſed lætati potius, quod digni habiti eſtis pro nomine Ieſu contumelias ſuſtinere. Fidelis enim Deus non patietur vos tentari vltra quam ſuſtinere poſſitis, ſed faciet cum tentatione prouentum; quia quod momentaneum eſt, & leue tribulationis immenſum vobis pondus gloriæ operatur. Sic enim clarificabitur Chriſtus in vobis, ſi vos irreprehenſibiles conſeruantes, gentem veſtram, ſecundum carnem, ad æmulationem prouocaueritis veritatis, vt in eo, quod nunc de vobis, tanquam de malefactoribus forte detrectat, tandem ex bonis operibus vos conſiderans ad Dominum conuertatur, & vos lucrifacientes animas multas Deo coronam gloriæ mereamini potiorem. Nos autem, qui vos, tanquam filios benedictos a Domino, gerantes in viſceribus charitatis, confidimus, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem domini Ieſu Chriſti, vobis in omnibus, quibus poſſumus, libentiſſime aſſiſtemus, omne vobis ſolatium, & auxilium impenſuri: & quoniam in libertatem vocati eſtis adepti gratiam filiorum, vos conuerſos, & cęteros ad Dominum conuertendos in omni conſeruabimus libertate, alijſque dignis fauoribus proſequemur, quia non commodum rerum temporalium, quod cito periret, ſed lucrum quod erit perpetuum, in vobis quærimus animarum, &c.] Pollicetur eum ſacrum in Sarracenos bellum confectum erit, crucefignatos aduerſus infideles ſeptentrionales immiſſurum: iam Chriſtianorum vires diſtrahi non potuiſſe, ne debilitatæ vtrobique fatiſcerent. *Dat. Viterb. VIII. id. maij pont. noſtri an. IV.*

42 Triumphauit vero in Suecia de impiorum crudeli-

Nicolaus sacerd. dũ euchar. ferret cæsus miraculis fulget.

delitate editis pluribus miraculis sacerdos sanctissimus Nicolaus nomine, qui dum Eucharistiam ægroto deferret, a sicarijs obtruncatus fuerat, cuius memoriæ cum templum poneretur, rogatus Pontifex ab Scarensi episcopo, vt illud ad pelliciendam fidelium pietatem alicuius sacræ indulgentiæ præmio decoraret, concedendæ illius episcopo facultatem tribuit a. Cui etiam miunxit vt clericorum audaciam coerceret b, qui cæde facta, habituque abiecto vxorem ducebant: tum vt prauas quasdam consuetudines abrogaret, ob quas illius regionis viri, vxoribus in adulterio deprehensis, ijsq; repudiatis, nouis se affinitatibus implicabant, & patrem eadem pœna cum matre quæ filium in lecto casu oppressisset, comprehendebant, quæ Honorius hæc vtpote ab ratione penitus abhorrentia improbauit c vetuitque. Per ea ariã tẽpora in ijs regionibus prauum morem penitus abolendum statuit d, quo plus aquæ, quam par erat vino contra traditum seruatumque in ecclesia Dei ritum sacrificio missæ adhibebatur: qua de re ad archiepiscopum Vpsalensem scripsit.

a Lib. 4. ep. 162. b Ibid. ep. 356. Abrogatę nefariæ Suecorum consuetudines. c Ep. 159. 174. Vetitum ne plus aquæ quam par sit vino misceatur. d Ep. 172. Habetur e. perniciosus ex. de cel. miss. e Ep. 133. f Ibid. g Ep. 134.

43 Hoc anno Pontifex e episcopum Portuensem legationis munere aduersus hæreticos in Gallijs fungentem, grauibus curis oppressum solatus est f, atque episcopos ecclesiæ Narbonensis suffraganeos laboris & gloriæ socios adiunxit g.

Eodem anno Giroldus abbas Cluniacensis ecclesiæ Valẽtinæ præficitur, qui postea Hierosolymitanus patriarcha creatus est. auctor enim Cluniacẽsis chronici hęc de eo scripta reliquit h: *Giroldus siue Giroudus anno MCCXX. ex abbate Cluniacensi fit episcopus Valentinensis, & postea fuit patriarcha Hierosolymitanus. Obijt VII. id. septembris: iacet iuxta sepulchrum Domini Hierusalem. cuius anno secundo congregatus est exercitus Domini in Accon & antequam prædicarent crucem in Saxonia, apparuit triplex forma crucis in aere, & in medio illarum apparuit crucis patibulum figuram hominis habens in eo suspensam cum infixione clauorum in manibus & pedibus & capite incoronato.* Sic ille, qui de eodem prodigio videtur loqui, quod suo loco ex Parisio narrauimus.

h Chron. Clun. M.S. Prodigiũ cęleste. An. 1217.

Curę Honorij in informando instituendo optimis Henrico.

44 Iam ad Anglicanas res sermonem traducamus: solicitam curam gerens Pontifex pro adolescente Rege pupillo crucesignato, sibique in tutelam tradito, ipsum in primis a prudentibus honestisque viris optime instituendum, erudiendumque curauit, eaque de re cum Pandulpho Norvvicensi electo, legato Apost. literis agere i, tum dare operam, vt nemo illius res inuaderet atque omnia per fraudem aliauetatione intercepta restituerentur. Cui rei testimonio sunt plures epistolæ l ad eundem legatum aliosque datæ, in quarum altera Isabellam Regis matrem grauissime arguit m Henricum filium insectatam esse, quæ res dictu incredibilis, ipsique Pontifici admodum insolens visa est. contra vero vicecomitis Lemouicensis aliorumque fidem collaudat, Regis causam aduersus matrem propugnasse. Legato etiam, de quo paulo ante mentionem fecimus, mandauit n, vt denarium B. Petri, ac vigesimam cogendam, atque ad se transmittendam diligenter satageret, cum ærarium pontificium in submittendis crucesignatis Hierosolymitanis subsidijs exhausisset, atque etiam eam ob causam alieno ære admodum premeretur.

i Lib. 4. ep. 751. Tuetur illius iura. l Ibid. ep. 954. 755. 967. & l. 5. ep. 35. 145. 295. m Lib. 5. ep. 144. n Ib. ep. 35. Reposcit denarium S. Petri.

45 Hoc anno corpus S. Thomæ archiepiscopi Cantuariensis summo Põtifice approbante in dignorem locum translatum esse indicat Henricus Stero o. Ac sane Pontifex extremo anno ad priorem & conuentum ecclesiæ Cantuariensis diploma dedit, vbi hæc de huiusmodi translatione, diuinisque beneficijs eius intuitu diuinitus impertitis p: *Cum, sicut vobis referentibus intelleximus, archiepiscopi, & episcopi, qui ex diuersis locis ad translationem corporis ipsius martyris conuenerunt, accessuris infra quindecim dierum ad solemnitatem translationis eiusdem, quibus nos ipsi dies relaxauimus quadraginta de iniunctis eis pœnitentijs, diuersas remissiones duxerint faciendas, vestris nos precibus inclinati, quod super hoc a nobis, & ipsis factum est decernimus, quo ad vnius anni, & prædictorum quadraginta dierum remissionem perpetuis temporibus valiturum. Datum Laterani XV. kal. ianuar. pont. nostri anno quinto.*

Translatio corp. S. Tho. Cãt. arch. o Stero in annal. apud Canis. antiq. lect. to. 1. p. 247. p Hon. l. 5. ep. 13. 14. Indulgentiæ celebritati assistentibus proposita.

46 Interea sedato iam magno in Hybernia cõcitato tumultu, cum omnes, relictis Ludouici Galliarum Regis primogeniti partibus, ad Henricum se contulissent, Pontifex archiepiscopum Dublinensem legationis onus ad rebelles comprimendos iniunctum deponere iussit a. eodemque Iacobum capellanum ac pœnitentiarium suum legatum misit, virum, vt ait, scientia ac religione probatum, quò pullulantia ibi vitiorum germina, adhibita falce apostolica resecaret, qua de re tum ad archiepiscopos, cæterosque Hyberniæ præsules, tum ad Regem Scotiæ b, Regemque Vltoniæ & Connatiæ (quem etiam in fidem susceperat c) tum postremo ad legatum ipsum d scripsit.

Abrogatũ Dublinen. archiep. legationis officium. a Ibid. ep. 800. b Id. lib. 5. ep. 13. 14. c Id. ib. ep. 322. d Id. ib. ep. 22. 23. 24.

Eodem anno Alexandrum Scotiæ Regem in colloquium cum Rege Anglo apud Eboracum venisse, deque Ioanna illius sorore in matrimonium ducenda egisse, tradit Matthæus Parisius e, qui rum matrimonium nuptiasq; in annum sequentem conijcit. Verum illos hoc ipso anno affinitatem solemni ritu iunxisse testatur Pontifex literis ad Norvvicensem electum Apostolicæ sedis legatum supra laudatus f, quibus id sibi gratissimum fuisse affirmat.

Alexãder Scotię Rex iungit affinitatem cũ Henr. e Par. hist. Angl. hoc ann. f Hon. l. 5. ep. 35.

47 Addit Parisius Honorium hoc eodem anno in sanctorum numerum retulisse Hugonem episcopum Lincolniensem, eaque de re ad vniuersos Christi fideles literas g dedisse: *Cum sanctæ recordationis Hugonem Lincolniensem episcopum, quem sicut nobis plenarie constat, diuini muneris largitas tam in vita, quam etiam post vestem mortalitatis exutam insignium miraculorum multitudine illustrauit, sanctorum catalogo adscripsimus, vniuersitatem vestram monemus, & exhortamur in Domino, quatenus eius apud Deum patrocinia deuote imploretis: ad hæc statuentes, vt die depositionis ipsius, eiusdem festiuitas annis singulis deuote de cætero celebretur. Dat. Viterbij xiij. kal. maij pontif. nostri an. IV.*

Hugo ep. Lincoln. adscriptus SS. catalogo. g Ext. apud Par. hist. Angl.

48 Dum hæc ab Romano Pontifice decernuntur, Huguicio eius subdiaconus & capellanus ad vigesimam, quæ in sacro contra Sarracenos bello erat cõsumenda, colligendam ab ipso Pontifice in Hispanias missus, legationis munere sibi impudenter arrogato, multa immania summo Apostolicæ sedis dedecore facinora perpetrabat: quibus Honorius illico occurrere, audaciamque hominis infringere atque adeo archiepiscopo Tarraconensi aduersus illum inquirere imperare h, ne scelerum ipsius infamia in Romanam Ecclesiam redundaret. Rodericum vero Toletanum redarguit i Huguicioni fauisse, quem etiam cum aduersus Mauros, vti constituerat, proficisci nequiret, vigesimam eam ob causam receptam restituere iussit l. Tum Iudæum quemdam Barchinonensem Azzachum nomine atque Aragonum Regis Alfachimum appellatum, ab vsuris alienum, catholicorumque studiosum, tum ab ipso tum ab episcopis rogatus, patrocinio apostolico arcendum minime censuit, dato ad illum diplomate m, in quo Romanæ sedis erga infideles, vt eos ad Christi obsequium pelliciat, humanitatem & clementiam his verbis explicat: *Sedes Apostolica pia mater vbera charitatis, quibus filios suos nutrit, ad alienos interdum studio pietatis extendit, quos locum sui tabernaculi dilatando in fide nititur parturire, vt si forsan ad æmulationem quomodolibet prouocati in adoptionem veniant filiorum, Christusque formetur in illis, & ipsi conformentur eidem, adorentque ipsius pedum vestigia, qui ei aliquando detrahebant. Dat.*

Huguicio collector vigesimæ legati munus sibi arrogat. Coercetur ab Honorio. h Ep. 790. i Ibid. l Ep. 792. Iudæus in Apost. client. susceptus. m Lib. 5. ep. 60.

apud

apud Urbem veterem VII. *kal. septemb. pontif. nostri anno* V. Hæc Honorius: qui suis ad Regem literis [a] illud in Azzachnm beneficium se contulisse testatur, memeratoque archiepiscopo mandauit, tum vt illum vexari non permitteret [b], tum ne Iudæos noua signa gestare compelleret. [c]

a Ib. ep. 61. b Ep. 87. c Ep. 104.

Obiurgatur Rex Arag. Iudæis oratorum munus committere.

49 Verum quanquam Honorius, ab Rege postulatus, hac in re morem illi gessit, reprehendit tamen, dum legationes ad Mitomemelinum eiusque imperio subiectos decerneret, eam prouinciam Iudæis demandare consueuisse, qui magno Christianorum damno, ipsorum consilia Sarracenis proderent: quocirca Pontifex Regem ipsum monere [d], hortarique, fidelium opera in ea re vteretur; non fieri verisimile, vt qui a Christi fide tantopere abhorrerent, se Christi cultoribus fidos exhibeant. eaque de re ad Terraconensem archiepiscopum Barcinonensem atque Illerdensem episcopum scripsit, vt Regem ab imponendo Iudæis eo munere anocarent, cumque Legionis, Castellæ, ac Nauarræ Reges in obeũdis huiusmodi legationibus Iudæorum opera vterẽtur, ab ea re literis apostolicis deterruit [e] ac Toletanum arch. A. S. in Hispania legatum ac Palentinum, Burgensem, Legionensem, Zamorensemque episcopos a fœdissimo ac pleno periculi exemplo eos Reges monitis abducere iussit. [f]

d Ep. 166. Monet quantũ ex eo discrimen impendeat.

e Reg. post sand. ep.

f Reg. post eand. ep.

Rex Lusit. arguitur ecclesiasticos oppressisse.

g Ep. 296.

50 Percellendus asperioribus monitis fuit Lusitanus, qui grauissimis facinoribus regium decus inquinarat; ob quæ e fidelium cœtu ablegatus fuerat. Quem effrenato furore in ecclesiarum bona grassantem hisce literis [g] Honorius apostolica constantia arguit, atque ad officium & resipiscentiam reuocare est conatus.

Quod solitæ salutationis alloquium tibi salutis propriæ contemptori subtrahimus, tua culpa mœrenda meretur, quæ te iam a communione fidelium separauit. Cum enim scias, vel scire debeas, quod omnis est ab Omnipotente potestas, qui solus habet in regno hominum potestatem, & quemcumque vult suscitat super illum regiæ dignitatis potentiam, quam gratis a Domino accepisti, debueras in eius beneplacitis exercere, seruando iustitiam, quæ Reges exaltat, & sectando quæ valet ad omnia pietatem, vt de gratia in gratiam, & de virtute proficiens in virtutem; regnum terrenum commutares felici commercio in æternum, quod Deus eum diligentibus repromisit. & infra, vbi patrata ab ipso scelera in oculis defixit, redactam in seruitutem sponsam Christi ecclesiam, imposita monasterijs, xenodochijs, ecclesijs, alijsque locis pijs intoleranda vectigalia, fœdissimos adulteratum amores, quibus se contaminarat, laxatũ crudeliter furorẽ in Bracharensem archiepiscopum a tot sceleribus paterna cura reuocare molientem; contemptas censuras ecclesiasticas, occupata archiepiscopi bona, euersas domos, excisas vineas, euulsas arbores, denique agros ferro ac flamma vstos; subijcit.

51 *Et nunc, Rex intellige, sunt hæc opera catholici principis, an tyranni? Utinam saltem exempla Pharaonis Regis Aegypti, qui veri Dei notitiam non habebat, inter sanctum discerneres, & prophanum, ne ad subiugandas tibi res ecclesiasticas inhiares, cui cum per Ioseph tota terra Aegypti fuerit subiugata, sola terra sacerdotum remansit libera, & excepta: quin etiam sacerdotium statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur. Vel vtinam Oza pœna te, ne ad sancta manum extenderes, terruisset, qui pro eo quod arca inclinata manum apposuit, vt sustentaret eandem, percussus obijt, Domino vlciscente; cum ex culpa simili similem, immo ex grauiori grauiorem debeas formidare vindictam. Sed ad hæc cur in archiepiscopum, virum vtique literatura, & honestate conspicuum, desæuisti? Nonne Nathan propheta Dauid Regem corripuit, increpando; & Isaias Ezechiæ dixit: Morieris tu, & non viues; & tamen neuter inde iniuriam pertulit, sed honorem? Et quidem quantum eumdem archiepiscopum intendis grauius persequi, tantum sibi caussam das gratiæ ac gloriæ potioris, cum beati sint, qui persecutionem propter iustitiam patiuntur; sed præter periculum animæ, quod quasi sero tibi paras, famam tuam enormius dehonestas, multis dicentibus: Ecce homo qui sibi Deum non posuit adiutorem, sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum & in sua præualuit vanitate.*

Incusse il. luminæ.

52 *Ut autem vel nunc fosso pariete mentis tuæ, illuminet Dominus cor tuum radio rationis, & visis abominationibus tuis pessimis, abominatus easdem reijcias, & ad salutaria dirigaris; celsitudinem regiam rogamus, monemus, & hortamur attente, obsecrantes per aspersionem sanguinis Iesu Christi, quatenus culpas tuas humiliter recognoscens conuerti festines ad Dominum, &c.* Hortatur vt vitiorum cœno emergat damnaque illata sarciat: ni crimina expiet, significat Palentino, Astoricensi, Tudensique episcopis illius anathemate, ac regni interdicto feriendi impositam prouinciam: Bracharensis archiepiscopi sententias auctoritate Apostolica confirmatas fuisse. Cumque annus ex suscepta ab illo anathematis nota effluat, iuste posse perhorrescere, ne illius subditi sacramenti religione liberentur, ipsius studiosi consortio fidelium pellantur, regnique iura in inuasores transfundantur. *Dat. Lat.* XI. *kal. ianuar. pont. nostri an.* V.

Res orientales.

53 Superest vt ea aggrediamur, quæ pro Christi fidelibus orientalium regionum Rom. Pontifex peregit, præter ea enim, quæ apud Fridericum Imperatorem, vt vidimus, egit, Contadum scholasticum Maguntinum ac pœnitentiarium suum in Germaniam legauit [a], quo crucesignatos, ac Fridericum ipsum ad sactum iter arripiendum pro concione impelleret, quamquam a vafro & Christiani nominis causæ parum vel nihil solicito principe pontificia diligentia elusa est. Postea vero cum nuncios ac literas ab exercitu Christiano apud Damiatam commorante accepisset, ac subsidio prompto egere agnouisset, Cõradum, de quo mentio edita est, monuit [b], Crucesignatos ad traijciendum vehementius incenderet. At pontificias literas hæc, aliaque scitu dignissima complectentes in medium afferre operæ pretium existimamus.

a Lib. 4. ep. 744. 745. 843.

b Lib. 5. ep. 234.

Honorius, &c.

Venerabilis frater noster.. Albanensis episcopus A. S. L. nec non dilecti filij vniuersus exercitus Christianus existentes apud Damiatam in seruitio Iesu Christi, suis nobis nuncijs & literis intimarunt, quod nunc maiori, & maturiori succursu, quam nunquam indiguerit, indiget Terra sancta, cum multis de partibus illis reuersis ad propria Christianus exercitus sit nimium rarefactus; ita quod nisi nouis bellatoribus celeriter instauretur, non solùm terram Sarracenorum aggredi non audebunt, verùm etiam vix poterunt parta tueri: quin etiam timent, ne in manibus hostium relinquantur in vniuersorum Christi fidelium opprobrium sempiternum, & in perditionem perpetuam modicæ terræ transmarinæ, quæ adhuc a Christi fidelibus obtinentur. *Et infra*:

Christianus exercitus apud Pelusium debilitatus.

Spem inijcit Pelagio Friderici aduẽtus.

54 Ad hæc, vt læteris nobiscum, & alios lætifices audientes, noueris, quod charissimus in Christo filius noster Fridericus Romanorum Imperator illustris & Rex Siciliæ, nuper in dominica, quæ præcedit dominicam de aduentu, in omni pace ac tranquillitate suscipiens de manibus nostris Imperij diadema, in omni deuotione, affixit suis humeris publicæ signum crucis, præstito ex intimo mentis feruore corporaliter iuramento, quod in proximo futuri mensis augusti passagio transfretabit, auctore Domino, in subsidium Terræ S. venerabilis quoque frater noster Meten. episcopus imperialis aulæ cancellarius, & dilecti filij nobiles viri.. dux Bauariæ, ac Vuarnerus de Bollandia

dani-

dapifer, nec alij marchiones, comites, barones de Theutonia & Apulia plures quam quadringenti, & eum eis numerosa militum & peditum multitudo, recepto palam Crucis signaculo, in proximo passagio martij se transfretaturos in prædictæ terræ subsidium deuouerunt. Propter quod expedit, vt crucesignati, & crucesignandi ad transfretandum sine omni mora festinent, quatenus coadunatis viribus procedentes facilius, vt speramus, auctore Domino inimicos nominis Christiani valeant profligare. *Dat. Later. v. kal. decemb. pont. nostri anno* v.] Vt Conrado pœnitentiario in Germania subsidij crucesignatorum contrahendi partes commisit, ita idem in Anglia Pandulpho Norvvicensi electo Apostolicæ sedis legato a, atque in Alsatia Constantiensi episcopo b munus iniunxit, vt nimirum earum regionum crucesignatos ad sacrã expeditionem obeundam cogerent, Ianuenses stimularos, quod secus Damiatæ c captæ consultum promissumque esset, quam ipsis videretur, adhortari ne propterea Terræ sanctæ subsidio esse cunctarentur, mutuam populorum concordiam conciliare d, ne auxilijs illi submittendis impedimento essent, idque genus alia gerere. e

a Lib. 4. ep. 750. b Lib. 5. ep. 62. c Ib. ep. 10 d Ibid. ep. 294. e Lib. 4. ep. 807 & l. 5. ep. 48. 111 291.

55 Interea ad sedem Apostolicam defertur Ioannem Hierosolymorum Regem, Damiata ad ciuitatem Acconensem cum suis se subduxisse: veritusque ne eiusmodi profectio Christianæ rei periculum aliquod crearet, ad ipsum in officio continendum hanc epistolam exarauit. f

Ioan. Rex Hierosol. Pelusio in regnum se recipit. f Ib. ep. 26.

Io. Regi Hierosol. illustri.

Audiuimus te secessisse a partibus Damiatæ, & ad ciuitatem Accon collectis tuis viribus accessisse, quod si eo proposito, & consideratione fecisti, vt paganorum partes illas infestantium incursibus obuies, & conatus elidas, tuam commendamus in Domino prouidentiam, maximè si Christiani a parte illa vsque adeo infestantur, quòd tanto videantur auxilio indigere. Porro aliàs regiam magnificentiam non deceret alijs pro fide Christiana pugnantibus, te vacare quieti, vel negocijs specialibus occupari. Illud profectò credere non valemus, quòd quidam somniant, te contra regnum Armeniæ velle arma mouere; cum credamus tantam esse in regia serenitate prudentiam, quòd perspicuè vides, quantum periculum, quanta iactura, quanta confusio per hoc euenire posset fidelibus constitutis in partibus orientis, ac toti populo Christiano, & quantum Apostolicæ sedi, & vniuersis fidelibus te redderes odiosum, si nunc totius orbis Christiani viribus pro succursu tuo, & Terræ sanctæ concussis, tu communi vtilitate posthabita intenderes speciali, quæ nisi communi promota feliciter, non posset stabiliter promoueri.

Excitatur ab Honor. ad cœpta prosequenda.

56 Licet igitur confidamus, quod tu hæc prudenter attendens, euitabis aliquid attentare, per quod perire, ac euacuari posset totus labor, quem hactenus pro Terra sancta subijt populus Christianus, ex abundanti tamen sub obtentu gratiæ diuinæ, ac nostræ, & sub anathematis pœna, tibi auctoritate præsentium districtissimè inhibemus, ne hoc tempore aliquatenus arma moueas contra ipsos Armenos, aut quoslibet alios Christianos, sed studeas, vt tota Christianitas vltramarina in vnitate consistat, & venerabili fratri nostro P... Albanensi episcopo A.S.L. qui strenuitatem tuam frequenter suis nobis literis commendauit, sicut personæ nostræ reuerenter intendens studeas, quod commune populi Christiani negotium desideratum largiente Domino consequatur effectum; postmodum tuis specialibus commodis operam diligentius vtiliusque daturus. Alioquin, quantumcunque tuam diligamus personam, & deferre regiæ dignitati velimus, contra tamen communem vtilitatem, immo contra ipsum Deum deferre tibi, vel cuiquam alij non possemus. *Datum apud Vrbem veterem III. id. aug. pontificatus nostri anno* v.

Monetur Pelagio obtemperet.

57 Sanè Ioannem Hierosolymorum Regem Armeniæ regnum ad vxorem suam iure hæreditario pertinere contendisse, apostolicum diploma a ostendit. namque Pontifex suppliciter ab eo rogatus, vti regnum ipsi confirmaret, suum illi ius auctoritate apostolica stabiliuit ac firmauit, IV nonas febr. pontificatus anno IV. hoc ipso scilicet. Verum Raymundum Antiochiæ principem & crucesignatum, idem Armeniæ regnum ad se spectare censuisse, atque adeo nuncio ad Honorium misso petijsse, vti Pelagius Albanensis episcopus, & Apostolicæ sedis orientalibus in oris apud exercitum Christianum legatus, regni insignia sibi conferret, ostendunt literæ b ipsiusmet Pontificis, qui rem totam legato permisit. Nec prætermittendum videtur, intentum sacro parando subsidio Honorium ingentem pecuniæ vim cogendam, atque ad memoratum Albanensem episcopum transmittendã curasse: cui rei testimonio plures pontificiæ literæ, cum ad eum, tum ad alios hoc anno c exaratæ.

Praetensa ab illo nõ nulla in Armenii iura. a Lib 4. ep. 662. b Hon l. 5. ep. 263. c Ibid. ep. 785. 786. 793 795. & l. 5. ep. 18.

58 Hoc interim spatio, quo in statu nostræ res in orientalibus oris essent constitutæ, epistola hæc ab Petro e Monte Acuto magistro militum templi, qui aderat, ad episcopum Elyensem docet: *Noueritis quod in primo passagio post captionem prædictam apud Damiatam tot peregrini applicuerant, quod vna cum residua remanentis exercitus possint sufficere ad munitionem Damiatæ, & defensionem castrorum. Dominus quidem legatus vnà cum clero promotionem exercitus Iesu Christi præoptans populum pluries ac diligenter admonuit de faciendo equitatu super infideles: sed barones exercitus, tam transmarini, quam cismarini considerantes, quod gentes exercitus ad munitiones dictarum ciuitatum & castrorum, & ad progressum faciendum vlterius ad Christianitatis vtilitatem non possent sufficere, in hoc consentire noluerant. Soldanus enim Babylonia cum infinita perfidorum multitudine non longe a Damiata castram etatus super vtrumque fluminis brachiũ pontes construxit, ad impediendum Christianorum progressum. Qui cum tanta multitudine ibidem expectat armatarum, quod maximum periculum de vlterius equitando fidelibus immineret, veruntamen ciuitatem prædictam & castra fossatis, & littus vndique munimus, expectantes a Domino consolari per subsidium nobis aduenient in succursum.* Et infra:

Lit. Templar. magistri de Aegyptiacarũ rerũ statu. Sarraceni magnis viribus Christianorum progressus abrũpunt.

59 *Expectauimus iamdiu Imperatorem & nobiles alios, per quos sperauimus releuari, in quorum aduentu opus multorum manibus inchoatum ad finem sperabamus perducere optatum. Si vero de spe succursus huius in proxima æstate, quod absit, frustraremur, vtraq; terra Syria videlicet & Aegypti tam illa, quæ nuper est acquisita, quam illa, quæ diu possessa est, in casu dubio sunt constituta. Nos itaque et aliæ gentes cismarinæ tot & tantis sumptibus in exequendis Iesu Christi negocijs adeo prægrauamur, quod ad consuetas expensas non sufficimus, nisi diuina clementia, & fidelium virorum subsidio nobis in proximo succurratur.* Dat. *Accon.* XII. *kal. octob.* Hactenus Petri epistola, quam refert Parisius d anno insequenti; verum in hunc conijciendam esse illud demonstrat, quod Petrus ipse dum hæc XII. kalend. octob. scribebat, Accone morabatur, neque adhuc, vt indicat, Damiata in deditionem Sarracenorum venerat: verum id facile euenturum timebatur, nisi tempore æstiuo proximo Fridericus Imp. alijque nobiles, vti sperabatur, suppetias tulissent. Cæterum Sarraceni sequenti anno sub initium septembris Damiata potiti sunt.

Querelæ illius de Friderici mora. d Matt. Par. hist. Angl.

Hoc interim spatio duas etiam epistolas ad Ioannem Columnam tituli Sanctæ Praxedis presbyterum Cardinalem, Apostolicæ sedis in orientali Imperio legatum Pontifex scripsit, quarum altera hortatur e, ne ex patriarchæ Imperatorisque Constantinopolitanorũ morte nimirum dolorem contra-

e Hon. l. 4. ep. 836.

hat

hat, neue animum abijciat, sed munus strenue administret: altera vero mandat a, vt Demetrium Regem Thessalonicensem, eiusque regnum solicite & peramanter foueat, ac tueatur.

a Id. lib. 5. ep. 23.

IESV CHRISTI
Annus 1221.

Honorii PP. III. annus 5. — Friderici II. Imp. 2. Roberti Imp. 1.

1 INgemuit Christianus orbis expugnatum tanto apparatu bellico, tantisque laboribus Pelusium inopino casu in potestatem infidelium anno Seruatoris millesimo ducentesimo supra vigesimum indictione nona recidisse, victricem exercitum e tot Christianis nationibus diuersis conflatum non Sarracenorum potentia, sed astu bellico vndiq; Nili eluuionibus circumfusum ad deditionem compulsum fuisse, conceptasq; recuperandæ Terræ sanctæ ac latius circumferendi in Ægypto Christiani nominis spes infelicissime euanuisse. Verum antequam tantæ calamitatis seriem exponamus, afferendum videtur, quanto studio, opera & solicitudine incubuerit Honorius, vt occidentales ad submittenda auxilia adduceret. Non ille otio quietique, vt ex literis b ad Albanẽsem episcopum A. S. L. datis patet, se permittere, aut segniter agere, sed in ea omnes neruos industriæ, diligentiæque suæ contendere, atque adeo Christi fidelium animos ad nomen sacræ militiæ dandum accendere, quique iam dedissent, ad profectionem impellere, inertes monitis minisque vrgere. præterea imperatam pecuniam cogere, eamque nostris pro Christiana religione aduersus hostes fidei, orientalibus in regionibus decertantibus vnà cum militaribus copijs subsidio mittere, plures ipsius epistolæ hoc anno exaratæ illustrant. In primis archiepiscopum Rothomagensem eiusque suffraganeos monet c, vt concionatoribus, qui iussu suo e suggestis Christi fideles ad nomen militiæ sacræ dandum cohortati erant, iniungeretur, prouinciam suam strenue obirent, ardenterq; Christianos ad arma pro religione capessenda inflammarent d, Conradum capellanũ ac pœnitentiarium suum quamuis episc. Hildesemensem renunciatũ (cuius ratam habet electionem) excitauit ne demandatum sibi prædicationis munus negligeret e, Saxoniæ verò ducem f, vt suam illi operam commodaret, auxiliumq; porrigeret. Extant etiam Pontificis literæ g ad Germaniæ principes, quos Honorius crucesignatos iniquis exactionibus vexare vetuit.

b Hon. l. 5. ep. 309.
c Ibid. ep. 316.
Honorij studia pro mittendis orienti subsidijs.
d Ep. 357.
e Lib. 6. ep. 15. 16
f Ib. ep. 18.
g Ep. 17.

2 In Italia verò præcipuam in comparandis crucesignatorum copijs prouinciam dedit Vgolino episcopo Ostiensi, quem meritis effert laudibus in literis ad patriarcham Aquileiensem & Gradensem, tum ad archiepiscopos Mediolanensem, Rauennatem, Ianuensem, ac Pisanum, cunctosque Insubriæ, Piceni, Æmiliæ, & Tusciæ episcopos, ac præsules alios exaratis h: *Talem ad commonefaciendum super hoc Christi fideles oportuit nos eligere, qui Zelum Dei habens secundum scientiam, non minus merito sanctitatis, & operum exemplari, quam virtute vocis ad obsequendum Domino populum efficaciter excitaret, & ecce a dextris est nobis vir dexter venerabilis frater noster Vgolinus episc. Ostiensis, qui dextera diuina tanquam cedrus Libani plantatus in Ecclesiæ paradiso altitudine contemplationis erectus, virtutum odore suauitatis, fama sinceritate penitus imputribilis, non solum sua fortitudine ad sustentationem domus Domini operatur; verum etiam honestatis candore ipsius superficiem conuenustat. Sed licet ipsius præsentia chara nobis valde careremus inuiti, vtpote suius consilio, & auxilio plurimum indigemus, ne tamen tantum Christi negocium nostris postponere commodis videremur, cum ad hoc prouidimus deputandum, vt fungens plene legationis officio pro Christo euangelizet populis verbum crucis, &c.* Hortatur illius obtemperent monitis, suamque in promouenda diuini nominis causa operam explicent. *Dat. Later. 11. id. mart. pont. nostri anno v.*

Vgol. legationis in Italia pro conficiendis crucesignatorũ copijs munus datũ.
h Ep. 460.
Vgolini elogium.

3 Gratulatus est Vgolino Fridericus eam illi prouinciam impositam, vtque versutus princeps religionis laruam induere solebat, ac studium crucesignatæ expeditionis promouendæ præ se ferebat, cum ab ea animo abhorreret, legato hæc scripsit a: *Vt efficacius, & expeditius possitis hoc tam pium, & salubre negotium promouere, vobis imperialis celsitudinis auctoritatem plenam concedimus potestatem, vt omnes illos, qui per terram vestræ legationis sunt suppositi nostro banno, dum tamen plene super hoc nostris curauerint obedire mandatis, in fauorem prædicti negotij, quod magis humeris nostræ maiestatis incumbit, & ardentius quam aliquid aliud cupimus promouere, ab ipso banno, cum expedire videritis, absoluere valeatis, quidquid enim super hoc duxeritis faciendum, firmitatem volumus inuiolabilem obtinere. Nos enim, qui a matre nostra Rom. Ecclesia culmina in hoc seculo summæ felicitatis accepimus, quidquid sua in hoc negocio, & alijs fuerit de liberatione statutum, intemerata volumus stabilitate vigere. Dat. Salerni iv. id. febr. indict. ix.* Apposita est eadem dies binis literis ad Imperij clientes b ac populum Mediolanensem c ab Friderico missis, quibus ciuitatem sanctam barbarorum iugo oppressam luget, vtque ipsius signa in ea sacra expeditione sequantur, eleganti oratione hortatur.

Friderici ad Vgolin. literæ.
a Apud Hon. lib. 5. ep. 450.
b Ext. in reg. Hon. l. 5. ep. 45.
c Hon. ib. ep. 47.

4 *Post obtentã de multa, & varia hostilitate faciente Domino victoriam, post plurimos laboriosos agones, in quibus Imperij virtus, & gloria imperatoria maiestatis eniteat, decet nos omnium creatorem, per quem viuimus, mouemur, & sumus; per quem imperialis culminis optatis felicitatibus gubernamur, toto corde, tota mente, & omni virtute diligere, & ei deuotissime omnibus viribus totaliter adhærere: quia etsi successus nobis mundanæ prosperitatis arrideat, absit, vt fauor transitoriæ felicitatis nos a nostri conditoris amore pariter, & timore deflectat. Considerantes igitur ne sine amaritudine amarissima recolentes salutifera crucis triumphale vexillum, dominicam sepulturam, ciuitatem sanctam, in qua salutem nostram est Dominus operatus, & venerabile templum, & cœnaculum grande stratum, in quo Domino pascha discipuli parauerunt, conuersa in theatrum, & seculare ridiculum, vbi Rachel plorat filiorum suorum iugulum; horrendum facinus, & triste spectaculum, tacti dolore cordis intrinsecus & rubore de succursu celeri diebus & noctibus cogitamus, galeas & naues, prout res exigit, magnifice præparantes.* Sed hæc ad ostentationis pompam iactasse Fridericum Honorij literæ ostendunt.

Ext. in reg. 5. Hon. n. 449
Hortatur literis Mediolanen. ad sacrum bellum.

5 *Eia milites fideles Imperij arripite velociter arma Christianæ militia, quia iam Rom. Imperij victrices aquilæ prodiere. Duplicis quidem retributionis donatiua percipiunt, qui celsitudini nostræ in proposito huius sanctæ peregrinationis assistunt; quia præter imperialem gratiam adipiscuntur felicitatem æternam, &c.* Stimulat ipsos ad iungenda cum illo arma veterum Romanorum exemplo, qui suos Imperatores, dum victorijs remotissimas orientis terras peragrarent, stipabant. In alijs vero literis pie Christi domini ferentis crucem exemplo ad illius signum vestibus affigẽdum, ornandumq; in orientales oras iter his verbis excitat: *Heu quantum opprobrium, quanta confusio, quantus pudor! non compatiuntur membra capiti suo, quod pro nobis tot voluit opprobria, tot supplicia sustinere. Non compatiuntur filij matri, a cuius sunt vberibus satiati, quam inimici crucis percussam, & flagellatam suis vestibus spoliarunt. In humeris quidem proprijs vexillum suscepimus crucifixi, qui crucem propter nos, cui affigendus fuerat, suo corpore baiulauit.* Erant

Inanis & fucata eiusdem oratio.
Ext. in reg. 5. Hon. ep. 451.

hæ

hæ principis istius artes, cuius si verba eloquentiæ floribus distincta attendantur, spirare pietatem videri posset; cum tamen longe a verbis nefaria illius opera discreparent.

Friderici fraudes.

6 Non illum diuinæ gloriæ amor, non defendendi Christiani nominis zelus agebat, sed aucupandis suis commodis, firmandæ potentiæ, colligendæque inani gloriæ omni studio incumbebat. Cumque alios ad capessendum iter accenderet, ipse profectionis tempus segniore mora fallebat. qua in re Honorius grauissimis hisce querelis cunctantem vrget: *Vtinam attenderes, quam desiderabiliter te præstolatur exercitus Christianus militans Domino in partibus transmarinis, & aduerteres quantam de te spem promiserit Ecclesia generali, credenti pro certo, quod preponens Hierusalem in principio lætitiæ tuæ, postpositis alijs, ad recuperationem eius totis desiderijs aspirares; præsertim cum ad hoc tibi Dominus omnem obtulerit facultatem. Sed nunc multi murmurant, multi clamant, quod postponis exequi votum tuum, at vt velle illud exequi videaris, galeas, quas feceras præparari, detines, quasi tecum in tuo comitatu ducturus easdem; quæ si forsitan nunc transirent, magnum possent conferre auxilium exercitui Christiano, qui eo indiget vehementer. Vt igitur hoc a te opprobrium auferas, nec nos facias ab hominibus lacerari, qui dilationem voti nobis præcipue imputantes contra nos iurant incessanter, immo vt illi complaceas, cuius te obsequio deuouisti, serenitatem tuam rogamus, monemus, & hortamur attente, obsecrantes per dominum Iesum Christum, quatenus ei, qui est veritas, verax existens causam eius in veritate pertractes. Dat. Later. id. iun. pont. nostri anno v.*

Ep. 709. Obiurgatur ab Honorio rem Christianam negligere.

Si nolit proficisci mittat exercitum.

7 Pontificijs literis acceptis Fridericus se, vt Apostolico imperio pareret, quadraginta triremes, quas instructas habebat, confestim Terræ sanctæ subsidio misisse, Maltensemque comitem & Catanensem episcopum regni Siculi cancellarium viros industrios classi præfecisse respondit. cui rescribens [a] Pontifex 13. kalend. august. id sibi acceptissimum fuisse testatus est: at si ipsius consilij fuerat non proficisci, debuisse prius instructas triremes mittere, cum magnas vtilitates Christianis parere potuissent, nunc verò tantum ex ijs commodum sperari non posse; nec falsò rem conieceri Honorius, nil enim aliud præclari egere, quam vt tristi deditionis Pelusij spectaculo interessent tum ipsum extimulat ne ita Siculis rebus se addicat, vt Christi causam deserat, ac nuncupatum Deo votum infringat.

Quadraginta triremium classem mittit. Præfecti illius. a Ep. 769. Rescribit Honorius metuere ne sero missa sint auxilia.

8 Pellicere etiam ad sacri belli societatem submotas ad septentrionem nationes conatus est Honorius, vt testantur literæ [b] ad archidiaconum Guesnensem & alios, quibus imperat, vt crucesignatos Terræ sanctæ subsidio transmittant, ac ne finitimarum regionum populi Christianæ religioni nuper aggregati præsidio destituti relinquerentur, complures alios ad induendam crucem inducant: prætereea vigesimam cogant [c], quam vel in instruendis nauibus impendant, vel exercitui Christiano ad militum stipendia mittant. quo interim spatio quinque marcharum millia Nicolao episcopo Tusculano, de quo infra, misit [d], pollicitus insuper totam Germaniæ vigesimam quamprimum transmissum iri. quindecim verò marcharum millia marchioni Montisferrati tradiderat, de quo hæc ad Pelagium episcopum Albanensem A.S.L. scripsit [e]: *Et ecce dilectus filius nobilis vir marchio Montisferrati cum militum multitudine strenuorum, vexillo Principis Apostolorum, & signo crucis accepto, ad festinum eidem terræ subsidium se accingit, qui nobis hoc tribuentibus quindecim millia marcharum argenti, tuus & Ecclesiæ Romanæ vexillifer constitutus obsequi tibi tenetur super negotio memorato.*

Poloni ad bellum sacrum sollicitati. b Ep. 732. c Ep. 426. 502. 720. d Ep. 459. e Ep 732. Marchio Montisferrati cum exercitu parat in orientem traijcere.

9 Dum hæc ab Romano Pontifice decernuntur, & coguntur vndique auxilia, nonnullorum temeritate, quos imprudens zelus agebat, præterita trophæa excitata repente conciderunt. Submiserat Fridericus, antequam quadraginta illas triremes mitteret, ducem Bauariæ, cumque is Pelusium secundis ventis contendisset, eòque mox Ioannes Hierosolymorum Rex cum flore Christianæ iuuentutis se statim contulisset, proposuit in militari consilio Bauarus mirari Imperatorem ipsos tandiu marcescere otio, nec præclarum aliquod facinus in hostem ausos: mouenda Pelusio castra, penetranda Ægypti interiora, victoriamque latius circumferendam, reque agitata deliberatum est in hostem signa attollere. De profectione ducis Bauariæ in orientem extant equidem pontificiæ ad Pelagium A. S. L. Pelusij agentem literæ [a] anni superioris kal. nou. datæ, quibus monet Bauarum cum parte exercitus proximo martio transfretaturum, cum Fridericus nisi sub augustum ob varias difficultates traijcere posset.

a Ep. 183. Christiani Pelusio versus Kairum mouent.

10 Ingentibus sane viribus Christianos bellum aggressos testatur [b] Godefridus, & ad ducenta millia hominum Pelusio egressos (quanquam Albericus in suis apud Parisium [c] literis longe minorem numerum collocat) ac secundum Nilum partim terra partim flumine versus Kairum iter magnis animis corripuisse: quibus iam milliaria quatuordecim circiter progressis obuij Sarraceni, qua flumen in duo dimortia se findit, strenue obstitere. Excitasse etiam barbaros arcem munitissimam in vlteriore ripa, quã nouam Damiatam dixere, vt iter nostris abrumperent, Iordanus scribit [d]. Vt verò imprudentissime in Sarracenorum dolos inciderint, ex Templariorum equitum magistri Petri de monte acuto, qui cladi interfuit certiorem tristis historiæ seriem hauriamus: *Post festum Apostolorum Petri, & Pauli dominus Rex, & legatus, totusque exercitus Christianus tam per flumium, quàm per terram ordinate procedentes, inuenerunt soldanum, & cum eo inimicos crucis innumeros, sed tamen ante faciem eius fugientes. Sicque processum est sine damno, donec peruentum fuit ad tentoria soldani, flumine tamen medio, quod nequiuit exercitus pertransire, sed in ripa fluminis fixit tentoria, præparans pontes ad faciendum transitum ad soldanum. Itaque flumen Taphneos a magno flumine Nili se deriuans, a castris soldani nos separauit.*

b Godef. in annal. hoc anno. c Par. hist. Angl. d Iord. M. S. bibl. Va. Occurrit soldanus. Propulsatur. Occupat vlteriorẽ ripam fluminis.

11 *Cumque ibidem moram faceremus, recesserunt ab exercitu multi non licentiati, ita quod in decem millibus armatorum, & amplius fuit exercitus diminutus. soldanus interim per vallum antiquitus factum, galeas, & galiones, Nilo crescente, misit in flumen ad impediendum nauigium nostrum: ne nobis victualibus destitutis a Damiata venirent alimenta, cum per terram, prohibentibus Sarracenis, venire minime potuissent.* His addit Godefridus [e] Sarracenos a terrestri exercitu egregie propulsatos in nostram classem furorem vertisse, atque ad septingenteas, & quinquaginta naues igne Græco vssisse: *Interclusa itaque via tam terræ, quam fluminis, ad necessaria nobis deferenda, habuit consilium exercitus de reditu faciendo: sed fratres soldani Seraph & Coradinus, soldani Alapiæ, & Damasci, atque soldani alij, Camela videlicet, & Haman, & Coilambar, cum Regibus paganorum quamplurimis, & multitudine paganorum, qui in eius subsidium aduenerant, nobis reditum denegabant.*

Multi e Christianorum castris abeũt. e Godef. in annal. Exusta nostra classis. Interclusi nostris cõmeatus.

12 *Exercitus tamen noster de nocte recedens, & per terram, amisit victualia, quæ ferebat in flumine, & homines multos, quia excrescente Nilo soldanus fecit aquã deriuari per meatus occultos & canales riuulosque antiquitus constitutos, ad impediendum regressum populi Christiani. Cum igitur in paludibus sommarias, supellectilia, clitellas, currusque ac omnia fere necessaria exercitus Christi amisisset, nec vltra procedere, vel reuerti, aut alicubi confugere potuisset, victualibus destitutus, nec pugnam facere cum soldano propter lacum*

Reditum cogitant Christiani. Bellicæ Sarracenorum artes. Vincuntur astu non armis Christiani.

me-

medium, inter aquas inclusus, ficut piscis reti includitur, fecit inuitus, & in augaria positus pactum de reddenda Deditionis conditiones. *Damiata soldano, & esclauis eius, qui inueniri poterant in Tyro & Achon, pro vera cruce, & pro esclauis Christianis regnorum Babyloniæ & Damasci.*

13 *Nos igitur cum alijs nuncijs, de communi legatione totius exercitus, Damiatam adiuimus, populo ciuitatis pactiones nobis iniunctas omnibus ostendentes, quæ episcopo Acconensi, cancellario, & Henrico comiti de Malta, quos ibidem inuenimus, plurimum displicebant. Voluerunt enim ciuitatem defendere, quod nos multum approbaremus, si vtiliter fieri potuisset. Maluimus quidem in carcere perpetuo detrudi, quàm ciuitas incredulis redderetur; sed &c.* Pergunt enim literæ ipsos atque alios proceres, qui Pelusij in præsidio erant, sustinere obsidionē in animum induxisse, sed cum explorassent vires sibi ad eam tuendam deesse, demum deditioni assensisse: barbarum verò stetisse pactis, atque annorum octo iuratis inducijs diebus quindecim exercitum Christianum pane & polenta sustentasse.

14 Quod ad Gualterum cancellarium Maltensemque comitem spectat, erant ij illius classis duces, quam Fridericus, dum solitas moras fallet, tarde submiserat, tradirque Riechardus a cancellarium ob deditam Damiatam iras Imperatoris metuentem Venetias se subduxisse, comitem verò in Siciliam redeuntem a Friderico coniectum in carcerem suaque ditione exutum fuisse; additque Regem Hierosolymitanum, Pelagium legatū, ac patriarcham, cæterosque dato a soldano præsidio Acconem adductos fuisse. pergit idem auctor funestam hanc cladem lugubri ode describere, e qua hæc afferenda duximus.

a Rich. de S.Germ. in chron. hoc anno.

Damiata, quæ tot empta laboribus,
Tot effusis empta cruoribus
Christicolis olim principibus
Paruisti, nunc pares hostibus.
Per te fama sonus exierat,
Damiata non est quæ fuerat,
In te Christi fides floruerat,
Quam ancilla nunc stirps dedecorat. Et infra:
Vbi nunc d cus est Ecclesiæ,
Christiana flos & militia,
Legatus, Rex, & dux Bauariæ?
Victi cesaunt viri perfidiæ.
O quam praue ducti consilio
Exierunt duces in prælio!
Damiata tu das exilio,
Quos fouisti ferè biennio, &c.

15 Præterire verò hic non possumus Christianos iusto diuini numinis consilio non modò Ægypti potiundæ spe, vt videbatur, certa excidisse (scribit enim Godefridus b soldanum regnum Hierosolym. restituturum, euersasque Hierosolymæ mœnia instaurare pollicitum ac Damiatam cum agro ad viginti milliaria excuterent reliĉturum, modò vlterius in regnum non penetrarent) verum partas etiam antea terras amisisse, cum plures non diuina gloria, sed rerum terrenarum amor ageret, atque inter se grauissime in partiendis Sarracenorum spolijs contenderent. Sanxerat c quidem Honorius, vt quæ ex hoste terræ compararentur, ad sopiendas discordias legati arbitrio permitterentur: sed principes pontificijs imperijs parere recusarant, Ioannesque Hierosolymitanus Rex Damiatæ dominium occuparat. qua de re querentibus Ianuensibus hæc anno superiori Pontifex responderat. d

Promissa antea a soldano Christianis ne vlterius progrederentur. b Godefr. annal.

c Lib 4 ep. 64. Amissi Damiatæ ob Christ. peccata.

d Lib. 5. ep. 10.

16 *Querelam, quam facitis de Hierosolymitano Rege illustri, & quam faciunt nonnulli alij de Italia, nullus potest facere iustius, quam nos ipsi: si enim aliquis debuit honorari in negotio Damiatæ, Ecclesia Rom. debuit honorari præ omnibus, quæ procurauit captionem illius magno studio, & etiam dispendio, sicut scitis. Sed tamen fuit auditus aliquorum, vt nec legato nostro, qui gerit personam nostram in partibus illis, & qui pro capienda ipsa ciuitate sustinuit tot sollicitudines, discrimina, & labores, & per cuius studium Deus tradidit illam in manibus exercitus Christiani, nec vobis ipsis ex hoc exhibitus fuerit dignus honor, sed concitato tumultu ad clamorem populi, aliter quam decuerit, de ipsa fuerit dispositum ciuitate, non expectato nostro consilio, vel mandato; cum etiam hodie per sollicitudinem ipsius legati, & non paruas expensas Rom. Ecclesia teneatur. Nos tamen considerantes statum temporis, nec volentes hoc tempore facere scissuram aliquam in exercitu Christiano, dissimulamus ad præsens omnia supradicta, promissuri aliter, cum fuerit opportunum, &c. Dat. ad Vrbem vet. 6. kal. aug. anno v.*

Quantę, ea obtentaturæ, Christianos fuerat discordia.

17 Verùm eas contentiones breui Sarracenus diremit, quas vicarius Christi componere non potuerat. Quod verò ad deditionis Pelusij tempus attinet, factam postridie natalitij Deiparæ asserit Philippus Albeneius, in literis a ad Cestriæ & Lincolniæ comitem exaratis, atque ijs superius a nobis allatis consentit. Iisdem quoque respondent illa, quæ Richardus notarius b, Albertus Stadensis c, Godefridus d, Vincentius e Bellouacensis, monachus Patauinus f, Srero g, permultique alij, qui Damiatæ deditionem in hunc annum conijciunt. Illud verò cum Petri e monte Acuto opinione, vel coniectura potius plane consentit, qui priori anno acquisitas subactasque a nostris Syriæ Aegyptique terras in maximum periculum ac discrimen adductum iri prædixerat, si auxilij a Friderico Imp. æstate insequenti ferendi spes Christianos elusisset: quod etiam Honorius hoc anno eidem principi, eius moras conquestus, hisce verbis obiecerat h: *Certè pollicitis tuis grauiter diceris Christianum exercitum fefellisse, ita quod sub tui expectatione securus in magno est hodie discrimine constitutus.* Vt non sit mirum, si Pontifex idem afflictas Christianorum opes deplorans, de negligente, contumacique principe queratur, rantique infortunij culpam in ipsum deriuet, atque exprobret, literis i mœrore ac lacrymis imbutis.

a Extant apud Par. hist. Angl. b Rich. de S.Germ. in chron. c Stad. in chron. hoc anno. d Godef. in annal. e Vincent. spec. hist. l.30.c.94. f Monach. Patauin. lib.1. g Srero in annal. ex qua Canes anteq hoc. c.14.247. Causa tanti mali in Frid. negligentiam refusa. h Hon. l.6. ep.1. i ibid. ep. 61.

Honorius, &c.

18 Mœrore plenas tibi cogimur literas destinare; quia nostram animam acerbi doloris gladius pertransiuit; adhuc incessanter concidimur vulnere super vulnus. Cum enim flebilis casus exercitus Christiani nos dolore intolerabili sauciauerit; deplorantes non tam labores, & sumptus, quos iam per quinque annos indesinenter pertulimus, quosque Christianus populus in rebus, & personis subijt, esse prorsus amissos, quàm confusionem Christiani nominis, & ipsius iniuriam Iesu Christi, qui peccatis nostris exigentibus blasphematur. Ecce noui doloris vulnere sauciamur; clamante contra nos vniuerso populo Christiano, & nobis ruinam præfati exercitus imputante, ac publicis improperante clamoribus, quod totum orbem confudimus Christianum, eo quod te, sicut noueras, transire non compulimus in subsidium Terræ sanctæ, culpam tuam in nos penitus refundendo, & vtique non prorsus immerito, quia teuera dum tibi nimis detulimus, reliquimus Christianum exercitum sub periculo casus, quem hodie deploramus.

Lugubres Honorij de illo que tela.

19 Vt enim recenseamus ab exordio culpam nostram, scis quod te iam a pluribus annis crucesignatos sub spe, ac specie tui transitus detinente, nos tuæ morem gessimus voluntati, ne promotio tuæ sublimationis, ad quam aspirabamus ex animo, posset nobis aliter facientibus retardari. Postmodum vero te cum instātia postulante, vt excommunicaremus te & crucesignatos Theutoniæ vniuersos, nisi vnà cum illis in subsidium Terræ sanctæ trāsires infra eum, quem ipse tibi

Dolor aliæ ex alijs more exprobrat.

tibi terminum præfixisti. In hoc quoque gessimus tibi morem, sed quoties ipsum prorogari terminum postulaueris, & quoties in hoc tuæ acquieuerimus voluntati, & nos scimus & tua prudentia non ignorat. Denique quam solemniter, & quam publice in tua coronatione promiseris, te in succursu dicti exercitus transiturum, cismarini nouerunt, & etiam transmarini. Vnde propter expectationem tui subsidij, quod etiam per literas tuas promisisti exercitui sæpe dicto, refutata est compositio, per quam Hierosolymitana ciuitas restituebatur cultui Christiano; ac demum tota Christianitas passa est illius confusionem opprobrij, quod nulla poterit obliuione deleri.

Ob spem aduentus Frid. non receptæ ex oblatæ pacis legibus Hierosolymæ.

20 Quid igitur mirum, si contra nos, & contra te murmurat, immo clamat populus Christianus, si credit, & dicit nos tibi dedisse licentiam remanendi, ac per hoc nobis imputans totum malum, quod accidit, nos & Rom. Ecclesiam pro te inauditis lacessere contumelijs non desistit? Certe si hoc tecum digna meditatione pensaueris, recognosces in te grauis culpæ periculum, nec ante lætitia lætaberis, quam feceris aliquid, per quod satisfecisse Deo & hominibus videaris. Expergiscere igitur, expergiscere serenissime princeps, & ad vindicandam iniuriam Christi, & nominis Christiani accingere totis viribus, toto corde, &c.] Plura addit, vt eius animum ad suppetias crucesignatis illis quamprimum ferendas accendat, quæ nos, ne orationem latius diffundamus, prætermittere ducimus; tum etiam literas a quas haud ita multo ante, ac legatione ad Pontificem Fridericus miserat, in quibus magno se dolore ex Christiani exercitus infortunio affectum ostendere conaretur, affirmaretque omnem operam studiumque in sacra expeditione instruenda ornandaque conferre. sed ad Honorium reuertamur, qui minacibus eum verbis percellit:

a Extant in regest. Hon. lib. 6. ep. 81.

21 Illud autem nolumus te latere, quod si nec Christianæ fidei zelo, nec nostris exhortationibus excitatus, in negocio, quod absit, fueris tepidus memorato, nos tibi non parcemus vlterius, nec saluti nostræ, ac vtilitati totius populi Christiani te amplius præferemus: quinimmo te tanquam voti proprij contemptorem excommunicatum solemniter publicabimus; idque per totum Christianum orbem faciemus in confusionem tuam publice nunciari. Tu ergo sicut vir sapiens, & catholicus princeps, diligenter attende quæ dicimus, & caue prudenter, ne te ipsum in eius articulum difficultatis inducas, de quo facile nequeas expediri.] Postremo de legatione ad Fridericum decreta subiungit: mitti Nicolaum Tusculanum episc. A. S. L. quem honorifice excipere, atque illius monitis faciles aures præbere adhortatur. *Datum Laterani XIII. kal. decemb. pontificatus nostri anno sexto.*

Intentat anathema cunctanti.

22 Postea eundem episcopum Tusculanum monuit b Pontifex, vt si reuera Fridericus Terram sanctam recuperare in animum induxisse comperisset (quippe qui sinistræ suspicioni locum fecisset) daret operam, vt ad se quamprimum de huiusmodi negotio in colloquium veniret; tumque literis ad cunctos Imperij populos missis, eoque die, quem constitueret, expeditionem mouendam ediceret, omnesque hortaretur, secum traijcerent Hierosolymitanum regnum e manibus impijssimorum hominum vindicaturi. De hac legatione ad Fridericum ab se missa cunctos occidentalium regionum episcopos certiores fecit, eosque sibi commissos populos, ad subsidium Terræ sanctæ ferendum, resque ibi labantes reparandas adhortationibus incitare iussit. Extant enim in pontificio regesto huius argumenti literæ archiepiscopo Senonensi, eiusque suffraganeis tum temporis missæ, subditurque eodem modo ad archiepiscopos, ipsorumque suffraganeos Galliæ, Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, Germaniæ, Pannoniæ, Tusciæ, Insubriæ scriptum esse.

b Hon. l. 6. ep. 142. Inuitatur ad colloquium pro sarcienda clade Fridericus.

Hactenus de Syriacis Ægyptiacisque rebus: nunc ad Constantinopolitanas nos conuertamus.

23 Capessiuit hoc anno Imperij orientalis habenas Robertus Petri antea comitis Antissiodorensis, atque Ioles Augustæ filius, qui ad consecranda egregio aliquo facinore regni auspicia, ecclesiarum iura defendenda suscepit; atque initam duobus abhinc annis opera Ioannis Cardin. Columnæ Apostolicæ sedis legati ecclesiam inter & principes illos concordiam confirmauit. huiusmodi porrò conciliatæ concordiæ exemplum extat in apostolicis literis ad patriarchas, archiepiscopos, episcopos, cæterosque ecclesiasticos viros anno insequenti datis a, quibus summus Pontifex ad eandem concordiam auctoritatem etiam suam adiunxit.

Robertus imperium Constantinop. adipiscitur.

Ecclesiarum iura confirmat.

a Ibid. ep. 285.

24 *Robertus Dei gratia fidelissimus in Christo Imperator a Deo coronatus, Romaniæ moderator, & semper Augustus omnibus præsentes literas inspecturis salutem, & imperialis gratiæ celsitudinem.*

Nouerit vniuersitas vestra hanc esse pacem initam inter Ecclesiam ex vna parte, & bonæ memoriæ dominum Cononem tunc baiulum Imperij, & barones nostros citra Macram ex alia in præsentia venerabilis patris, & domini I.. tituli S. Praxedis presbyteri Card. A. S. L. Clerici, & ecclesiæ vniuersæ, & religiosæ personæ, tam Latinorum, quam Græcorum cum familijs suis, & seruientibus, & qui ad ecclesiam confugerint, claustra ecclesiarum; & manentes in ipsis liberi erunt ab omni laicali iurisdictione, ita tamen, quod non prohibeatur, quin laici manentes in claustris regiæ ciuitatis, alij scilicet a seruientibus, & familijs clericorum & religiosorum & hominibus ecclesiæ in tallijs, & excubijs, quæ fuerint pro communi vtilitate terræ ponant sicut alij, & hoc fiat cum conscientia domini patriarchæ vel capituli sanctæ Sophiæ, & aliorum prælatorum in eadem Vrbe regia positorum; nec etiam impediatur a clericis in talibus iudicium, quod inducit pœnam sanguinis a laicis exerceri, vbi videlicet membrum, vel vitam debet amittere, nisi & tales ad ecclesiam refugerint.] & infra ad asserendas ecclesijs possessiones, quas sub Græcis Imperatoribus tenuerant, additum.

25 Omnes ecclesiæ cathedrales habeant omnes possessiones suas, quas habuerunt tempore Alexij Bambacoraci Imperatoris libere ab omni exactione, & laicali iurisdictione, saluo tamen debito, & iusto acrostico; si quod debent pro possessionibus ipsis. Præterea possessiones ecclesiarum habitæ & habendæ, & manentes in ipsis possessionibus sint liberæ, ita quod ecclesia non recipiat homines Imperij, nec Imperium homines ecclesiæ, & si recipiantur hinc inde, salua sit iustitia vtriusque, sicut inter barones Imperij nunc seruatur.] Et infra de decimis hæc sancita: Miles quicumque habet trecentas yperperatas terræ ad assisiam Imperatoris, per se diuidet, & dabit vndecimam, & partem duorum millium yperperorum, videlicet pro centum yperperis vnum, & dimidium. Minora vero feuda diuidantur cum feudis dominorum propinquorum. Latini vero integre dabunt decimas in aridis, liquidis, pecoribus, auibus, & eorum fructibus; alij vero, qui sunt in iurisdictione Latinorum, dabunt tricesimam pro decimis, sicut Latini decimas vsque ad decem annos; & exinde dabunt integre decimas, nisi per ecclesiam Romanam remittatur eisdem, seu terminus prorogetur. Has, & omnes alias ecclesiasticas libertates, etsi in præsenti scripto non reperiantur in solidum declaratæ, volumus ecclesias habere secundum liberiorem consuetudinem Franciæ.

26 Facta fuit hæc pax Constantinopoli dominica, qua cantatur: Gaudete; anno Domini millesimo ducentesimo decimonono. Nos quoque præscri-

ptam pacem a baronibus, & fidelibns nostris factam, & iuratam, per omnia ratam habemus, & eam de dictorum baronum, & fidelium nostrorum coosilio, & assensu recepimus, quam approbaram a cunctis baronibus, & alijs nostris fidelibus, tam pro nobis, quam pro ipsis serusre, ac complere iuranimus. In huius autem rei testimonium præscos scriptum bulla oostra imperiali, ac nostrorum baronum bullis fecimus roborari. Actum mense innij anno Domini millesimo ducentesimo vigesimoprimo Imperij nostri anno primo. Cæterum venerabiles patres archiepiscopi, & episcopi, eorum capitula, & subditi citra Macram, qui præscriptã pacem cũ nostris baronibns inierunr, oec non reuerendus pater M.. patriarcha Constantinopolitanns, qui compositioni factæ pacis non interfuit; sed postmodum ad suum patriarchatum veniens ante dictam pacem recepit, huic scripto pro maiori firmitate pacis prædictæ sua apposuerunt sigilla. Hanc quoque composirionem nobilis vir G. ... marchio Bondonitiæ bainlus regni Thessalonicen. pro Rege ac regno Thessalonicen. recipiens, & acceptans seipsum completurum & sernatnrum inrauit.] Hactenns confectæ compositionis exemplnm. Porro Robertnm Henrici Imp. fratris filium fuisse, auctor est Gregoras. At ex sorore nepotẽ fuisse alij affirmane. a

> a Niceph. Greg. l. 2.

27 Quod ad patriarcham Cõstantioopolitanum attiner, de quo Robertus postremis literis eidem transactioni non interfuisse memorat; erat is Matthæus, qnem hoc anno illi ecclesiæ præfecit Honorius, quippe qui, com electores ecclesiæ Constantinopolitanæ, vita functo patriarcha, in successore deligendo dissiderent, ab illis per nuncios ad Apostolicam sedem procuratorio nomioe missos rogatus, patriarcham creauit episcopum Equilinum, cui Matthæi nomen impositum erat, vt constat ad capitulum clerumque Coostantioopolitanum scriptis b. dato insuper ad patriarcham diplomate priuilegia ecclesiæ Constantinopolitanæ in suo robore manere decernit c, quorum vnum est, vt postulatus patriarcha Reges in Imperio illo, annuente priocipe, inungere possit. Dein constitutiooem synodalem a Pelagio episcopo Albanensi editam, dum legationis olim munere illis in regionibus fungeretur, ipsum atque episcopum Salembriensem seruandam curare iubet d, qua vetaretur ne cui principi, nisi sacro oleo inunctus esset, religioso instructo agmine honoris gratia obuiam iretur, neue lecto euangelio liber exosculandus deferretur. ac oe e sacris ordinibus initiati, tabellionis munus obirent.

> Matthæus ab ecclesia Equilina ad patriarch. Constan. traductus.
>
> b Lib. 5. ep. 397.
>
> c Ibid. ep. 392.
>
> d Ep. 439.
>
> e Reg. post eand. ep

28 *Ad audientiam nostram noueritis peruenisse, quod cum venerabilis frater noster P.. Albanensis episcopus, dum in partibus Romaniæ legationis officia fungeretur, synodali decreto vetuerit, ne persona aliqua alia quam inuncta processionaliter reciperentur alicubi in partibus antedictis, & ne lecto euangelio liber ad osculandum alijs, quam personis deferretur inunctis, quidam statutum huiusmodi temere violare præsumunt in scandalum aliorum. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus eos, qui contra prohibitionem huiusmodi, honorificentiam personis non inunctis exhibere præsumunt, ab huiusmodi præsumptione cessare monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescas. Dat. Lat. viii. id. martij pont. nostri an. v.*

> Non excipiẽdi principes instructo agmine religioso nisi cõsecrati sint.

29 Reuocanti iam ab orientalibus ad occidentales res orarionem occurrit primum Italia, ac licet plura antea de Friderico fallaci spe ferendi orienti auxilij Honorium deludente atque ab eodem Pontifice ardcotissime solicitato verba fecerimus: de illo tamen adhuc repetendus sermo est, vt nonnulla loca ad ditionem pootificiam spectantia, quæ improbi inuaseraot, sua auctoritate sedi Apostolicæ restitueret. Hoc igitur anoo Fridericus solemnibus habitis Capuæ comitijs, lataque Pontificis monitis sententia in detinentes iura comitatus Mathildis ad Rom. Ecclesiam pertinentia illa omnia in eius ditionem reuocanda decreuit. qua de re extat imperiale diploma in bibliothecę Vaticanæ libro censuum, cuius alias meminimns, tum in bullario M. S. quod apud oos est: vbi etiam continentur Honorij literæ, quibus ista a principe ipso petijt.

> Ditionis Mathildis comitissæ a Friderico Ecclesię restitui iussa

Fredericus diuina fauente clementia Romanorum Imperator semper Augustus & Rex Sicilia.

Per præsens scriptum notum facimus tam præsentibus quam futuris, quod nobis existentibus in præterito mense oouembris ix. indict. in castris apud sanctum Leonem ad monitionem charissimi in Christo patris domini. Honorij S. R. E. summi Pontificis, & nunciorum eius fieri fecimus quoddam rescriptum bulla aurea roboratum, qnod continebat: Fredericns Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus & Rex Siciliæ, per præsens scriptnm notum facimus vniuersis tam præsentibus, quam futuris, quod cum ad resignationem comiratus, terræ & poderis quondam comitissæ Mathildis faciendam S. Rom. Ecclesiæ voiuersali matri oostræ, ad qusm pertinet pleoo iure, serenitas nostra * contra quoslibet deteotores speciale mandatum, ac etiam generale tam per literas, quam per dilectum filinm. C... venerabilem Meten. & Spiten. episcopum cancellarium nostrum sub pœna mille marcharum argenti. Et infra:

> Imperatoris ea de re diploma.
>
> * edidit

30 Tam de castro prædicto (nim. Gonzagæ) quam de alijs castris, scilicet Pepngnan. Bondon. nec oon de toto ipso comitatu, podere ac terris comitissæ prædictæ dictos capellanos nomine Rom. Ecclesiæ inuestimus, & eos constituimus possessores & mandamus de castris prædictis per venerabilem episc. Taurineosem vicarium nostrum in corporalem possessionẽ induci, præcipientes tam militibns & habitatoribus castrorũ ipsorum, quam omnibus alijs vasallis de ipso comitatu, seu terris & podere ipsius comitissæ præfatæ, quos omnes ad præsens absoluimus ab omni iurameoto, quo nobis tenentur ratione terrarum ipsarum, qnam dictis ouncijs domini Papæ vel alteri eorum seu cuilibet alij ab Ecclesia Rom. misso abiuratis alijs iuramentis cootrarijs istis præstent fidelitatis nomine Rom. Ecclesiæ iuramentum. Quod si non fecerint, sciant se ex nuoc omnibus bonis comitatus, poderis, siue terrarum ab eisdem possessis hac nostra sententia in perpetuum fore priuatos, & milites & habitatores ipsius castri Gonzagæ desuper ponimus in perpetno banno oostro.

31 Præterea iniungimns firmiter & mandamus potestatibus, consulibus seu rectoribus ciuitatum sub pœna mille marcharum, vt omnes possessiones comitatus prædicti detentas ab ipsis sub pœna prædicta mille marcharum sine difficultate ac mora restitnant, & absoluant omnes homines de comitatu & terris prædictis ab omni iuramenro, districtu & obligationibus, quibus ratiooe alicuius iurisdictionis, quã hactenus exercnerunr in eos, tenentur eisdem, & remoueant consules, rectores, baiulos, & si quos officiales posnerint in eis, & extrahant qoosunque posuerunt in banno de terris ipsis sub obtentu fidelitatis & gratiæ nostræ, ipsis oihilominus iniungentes, vt dictis capellanis vel eorũ alteri seu cuilibet alij ad hoc a sancta Rooiana Ecclesia destinatæ ad retinẽdam possessionem terrarum, quas habent, & ad recuperãdum quam non habeot, præstent anxilium, consilium, vel fauorem. Verum quia ipsi filij dictorum comitum nostram cootempserunt senteutiam & mandatum, prædictum castrnm infra terminum sibi datum neqnaquam vt superius legitur nostrnm, promulgatam sententiam contra ipsos & alios detentores comitatus prædicti poderis seu terrarum in nostra publica curia publicari fecimus & vt firma semper & inconuulsa

per-

permaneant, maiestatis nostræ aurea bulla iussimus communiri, &c.]

Episcopia Frid. inuasi.

32 At quamquam Fridericus eo facto non mediocrem gloriam restituris Ecclesiæ Rom. suis iuribus collegit, non leue tamen aliunde dedecus aliarum ecclesiarum labefactata dignitate, libertateque oppressa suscepit: quem merito Honorius tentati facinoris perstrinxit, atque magna constantia vetuit, ne electionibus episcoporum se immisceret a: *Et quid est*, inquit, *quod iamdudum audiuimus, & nuper etiam percussit aures nostras, quod ad electiones episcoporum videlicet manus extendas, electioni Auersanæ præsertim ecclesiæ & episcopatuum in prouincia Salernitana vacantium te immiscens? An forte suspiras ad progenitorum tuorum abusum, quem Dominus zelotes abominans ita illis sua prouidentia obuiauit, vt præter te vix de ipsorum progenie quis superſit? sed & cælis abiurasse te abusum eundem, & bonæ memoriæ Innocentio Papæ prædecessori nostro, & postmodum nobis renuntiationem huiusmodi priuilegio confirmasse* (hisde rebus suo loco diximus) *nunquid ergo spretis priuilegijs & promissionibus tuis & iuramentis religione contempta gladium in nos acues? &c.* Alia eodem pertinentia, vt a cœptis animum eius auertat, adijcere, adhortari, ne improbis hominibus faciles aures det; famam gloriamque suam inquinet; secum ipse voluat, quam prospere, quam feliciter cuncta ei venerint, dum Apostolicæ sedis amplexibus hæserit: procerto vero sciret irritato concitatoq; illius in se odio omnia sibi acerba atq; aspera euentura; eorum, qui superbè se in illam extulere, infelices exitus, atque exempla imitari perhorrescat: prouidentiæ ac solicitudini suæ potissimum acceptum referat ipsius filium pacatum in Germania regnum tenere: non deesse sibi tum in Germania, tum in alijs Imperij prouincijs, atque ipsa Sicilia vires ad ea molienda, quæ admodum illi ingrata futura essent. Tum subdit:

a Ep. 1. Honorij ea de re querelæ grauissimæ

Illum a cœptis auocare nititur Pontifex.

33 *Cum semper ad personam tuam veri patris affectum gesserimus, & geramus, Imperatoriam maiestatem monemus, & rogamus attente per Dominum obsecrantes, quatenus nobis, & tibi prospiciens, inter te, & Ecclesiam nasci tantum scandalum non permittas, quia profecto si in hoc scandalizati a te fuerimus, in quo contra nos nostra reputaremus interiora moueri, huiusmodi doloris aculeus transuerberaret cor nostrum, & per intima ossium pertransiret; sed cum ad te ob hoc dilectum filium .. priorem S. Mariæ nouæ cum nostris literis, & transcripto tui priuilegij dirigamus, per teipsum, quæ aliter, quam deceat, acta sunt, corrigas, electiones iuxta priuilegium, & promissiones tuas libere, ac sine impressionis vitio fieri permissurus. Alioquin noueris, quod id nulla poterimus ratione in propria animæ periculum sustinere; præsertim cum contra nos intra, & extra Rom. Ecclesiam iugiter acclametur, quod tibi detulerimus in plurimis contra Deum: sed difficultates tuas, in quas te hactenus ingessisti, & inducis, in totius orbis notitiam adduceremus, cæli, & terræ testimonium inuocantes, quod ad hoc procedimus dolentes plurimum, & inuiti. Dat. Laterani* XII. *kalendas septembris pontificatus nostri anno sexto.*

Siculorum nobilium potentia a Friderico euersa.

34 Laceratum videbatur multorum dominatione regnum Friderico, atque ad arces & oppida, quæ ipsius leges accipere renuerent, in suam potestatem redigenda animum atque arma conuertit, vt chronicon S. Germani asserit b: Soram, quam Richardus olim Innocentij Papæ frater tenebat, eripuit, suæque violato olim dato sacramento, vti supra c insinuauimus, ditioni subiecit: Boianum & Celanum recepit, offusoque armorum terrore omnibus iugum iniecit, inque Siciliam traijciens solemnia totius regni comitia egit, ac plures leges in blasphemos, aleatores, detractoresq; alienæ famæ distrinxit. vetuit ne meretrices cum honestis fœminis ad balnea accederent; neue intra vrbium septa habitarent: Iudæi præferrent signa, quibus a Christianis discernerentur, pœnis grauioribus imperauit.

b Ric. de S. Ger. ann. 1221.
c Ann. Christ. 1208.

35 Vt porro imperatoriæ potentiæ terror Honorium ab asserendis Ecclesiæ iuribus non reuocauit, ita alios inferiores principes continuit, ne in Ecclesiæ damnum quidquam pertentarent. Atque inter cæteros, Azolinum marchionem Estensem, cui, vt supra vidimus, comitatum Anconitanum administrandum tradiderat, noui quidquam in eo moliri vetuit a, quẽ ipse nunquam a Romanæ Ecclesiæ ditione diuellere decreuerat: *Cum ciuitatem Anconitanam, & comitatum ipsius in demanium Apostolicæ sedis duxerimus retinenda, nobilitati tuæ præsentium auctoritate mandamus, quatenus contra eam, & comitatum ipsius nihil attentes, vel facias attentari, quod ad guerram pertineat, vel per quod possit discordia suboriri. Dat. Later.* VIII. *id. april. pontif. nostri an.* v. Populo vero Anconitano imperat b, ne quem alium, quàm Rom. Pontificem, dominum agnoscant: quos tamen eidem marchioni auxilio iubet esse c. Ne ab hostibus opprimeretur.

Azolinus marchio quippiam nouare in Ancon. marchia vetitus.
a Lib. 5. ep. 519.
b Ibid. ep. 303.
c Lib. 6. ep. 2.

36 Interea perlatum fuit ad Apostolicam sedem Gualterum comitem Crotonensem Reate inuadere in animum induxisse: quamobrem Honorius illico eum rogare e, hortari, mandare, vti armis abstineat, cum vrbs illa in S. Petri patrimonio numeraretur: si quis aliquid ab ea sibi deberi contenderet, ipsum adiret, ac se ad ius suum cuique tribuendũ paratum esse.

Gualterus repressus ab inuadẽdo Reate.
e Lib. 5. ep. 758.

Verum quam iniquissime per id tempus sese cum Romana Ecclesia gesserint Lambertus ciuis Pisanus, & Vbaldus anathemate damnati, qui Sardiniam, quod supradictum est, per summam tyrannidem inuaserant, eamque in dies magis vexabant, plures ostendunt Honorij literæ f ad Bartholomæum capellanum, A. S. L. quem etiam in archiepiscopum Calaritanum tyrannis fauentem ecclesiasticis censuris animaduertere iussit g; etsi resipiscentem haud ita multo post absoluit h; ipsique præterea mandauit, tum vt diuina officia, vbi Vbaldus ac Lambertus eorumue fautores præcipui non adessent, ianuis clausis celebranda curaret i; tum vt ab illis discedentes, & ad obedientiam Ecclesiæ se recipientes absolueret l: id quod antea pro Castrensi populo ad ipsum redeunte decreuerat. m

Districti in Sardinia inuasores censuræ.
f Ibid. ep. 571. Lib. 6 ep. 21 &c.
g Lib. 5 ep. 718. 741.
h Lib. 6 ep. 29.
i Ib. ep. 34.
l Ep. 35.
m Ep. 10.

37 Nec Romanæ modò, verum aliarum quoque ecclesiarum ab inuasorum audacia vindicandis iuribus; neue præsulum inertia dissiparentur, studuit Pontifex, sanxitque ne illarum ornamenta aurea, argentea, sericaue distrahi, possessionesue abalienari possent: cum centum nisi annorum præscriptio in Lateranensi ecclesia valeret; qua de re subiectum diploma loquitur: *Cum Lateranensis ecclesia speciale membrum Apostolicæ sedis, & Rom. Pontificis propria sedes existat; statuimus, & sancimus, vt sicut contra Romanam Ecclesiam non nisi centenaria currit præscriptio secundum constitutiones canonicas, & legitimas sanctiones, ita quoque ipsi ecclesiæ minoris temporis præscriptio non obsistat, &c. Dat. Later.* IX. *kal. maij pont. nostri anno* v. Confirmauit n præterea redintegraram opera sua inter Perusinos & Tifernates pacem: Tarnisinos cum Feltrinis & Belunensibus in gratiam reuersos fidelium cœtui, e quo abacti fuerant, suo decreto restituit o. Quo tempore Placentinos & Cremonenses in mutuam concordiam venisse testantur tabulæ publicæ hoc anno confectæ, quarum exemplum apud nos est.

Præscriptio annorum 100. in eccl. Later. occupatis bonis non valet.
Lib. 5. ep. 702.
n Id. l. 5. ep 329. & 330.
o Ibid. ep. 601.

38 Cum vero ad ecclesiarum sustinendum decus, populorumque salutem promouendam maximi intersit præsules doctrina & sanctitate conspicuos illis regendis admoueri, eos qui sceleribus suis, quam gerebant, dignitatem violassent, vt Anglonensem episcopum p, vel qui literarum experres essent, vt epi-

p Ep. 109.

ſcopum Calinenſem ab adminiſtrando epiſcopatu ſubmouit, de quo poſtremo hæc ad canonicorum Bremenſium collegium ſcripſit a: *Quis confeſſus eſt coram nobis ſe nunquam de grammatica didiciſſe, nec etiam legiſſe Donatum, & per euidentiam facti vſque adeo de illiterata & inſufficientia ſua conſtat, quod contra Deum eſſet, & canonicas ſanctiones, tantum in epiſcopo tolerare defectum, ipſum a pontificalis officij executione, & ab adminiſtratione Calinenſis eccleſiæ penitus duximus amouendum*. Ad reſtituendam etiam priſtinæ dignitati religioſarum familiarum diſciplinam, primænumque ſanctitatis reuocandum ſplendorem plura ſtatuit, vt ex ipſius literis in margine annotatis explorarum eſt. Neque illud ſilentio prætereundum in Pontificio regeſto hæc de epiſcopis ſacris pontificalibus ab Honorio, quinto pontificatus ſui anno, a XVIII. die menſis Iulij ad alterius anni eundem menſem excurrente initiatis reperiri a: *Iſtos Dominus Honorius Papa III. conſecrauit hoc anno, epiſcopum Aprutinum, epiſcopum Sagienſem, epiſcopum Vrbinatem, epiſcopum Soranum, epiſcopum Anagninum, epiſcopum Feſulanum, epiſcopum Suanenſem, epiſcopum Liuienſem, epiſcopum Sabinenſem, epiſcopum Praeneſtinum*.

a Ep. 724. Habetur e-quamuis ex. de ae. & qual.

Epiſc. Calin. expers literarum dignitate deturbatur.

Lib. 5. ep. 559. 615. & l. 6 ep. 28. 43.

a Reg. Ml. l. 5. poſt ep. 761.

Epiſcopi hoc anno ab Honorio conſecrati.

39 Ex Italia in Germaniam ſtylum conuertamus. Fungebantur ibi legationis munere Gregorius Creſcentius, S. Theodori diac. Cardinalis, ad quem binas legimus pontificias literas hoc anno datas, quarum vnis Honorius rationem b præſcribit, quam caute cum Rege Bohemiæ illiſque principibus viris in negotio Pragenſis epiſcopi ſe gerat. Rex enim concordiam tandem cum epiſcopo inierat, ſeque ei facturum ſatis pollicitus fuerat, vt ex apoſtolicis literis conſtat, quibus Pontifex eidem concordiæ robur firmitatemque addit c. Alteris vero literis legatum eundem inquirere iuſſit d, num rei Chriſtianæ magis expediret plures in regione Pragenſi epiſcopatus inſtitui. Præter Gregorium vero Accunciua etiam, de quo ſæpe memorauimus, ſubdiaconus & capellanus Papæ, legationē eius nomine in Germania obibat, ad quem etiam ſcripſit e, Honorius ipſum incitans ad hæreticos Boſnæ profligandos, & exigendos, eaque de re ad archiepiſcopum Strigonienſem, & cunctos Pannoniæ epiſcopos alias graues literas exarauit f, quem inſuper archiepiſcopum Vngariæ Regem ad arcendos Sclauos piraticam facientes impellere iuſſit g. Ipſemet vero eundem Regem monuit, ne impedimento eſſet, quo minus Chriſtiani e Sarracenorum manibus vindicarentur h; neue ſermonem aut conſuetudinem cum ijs haberet i, quibus ſacrificijs eſt interdictum.

Greg. Creſcentius Card. in Germ. legatus.

b Hon. l. 5. ep. 408.

c Ibid. ep. 540.

d Ep. 733.

e Lib 6. ep. 69.

f Ib. ep. 72

g Lib. 5. ep. 540

h Ibid. ep. 563.

i Ep. 564.

40 Hoc etiam anno vniuerſos regni Sueciæ Chriſti fideles hortatur l ſummus Pontifex, vti intermiſſum per quinquennium cenſum Rom. Eccleſiæ perſolui conſuetum quamprimum ad ſe mittendum curent. Ac de tranſmiſſo cenſu ab epiſcopo Nidroſienſi gratias ei agit m. tum victorem crucesignatorum exercitum, qui ethnicos in Pruſſiæ regionibus fudiſſent, monuit n ne ex adepta victoria inſoleſcerent; captiuos Prutenorum epiſcopo traderent, quo illos ad ſacra Chriſtianorum ſuſcipienda adducere poſſet. Dein epiſcopo Vratislauienſi ac nonnullis alijs inquirēdi onus iniunxit o, num Poloniæ ducem ſubſidio Terræ ſanctæ pergere, an vero ibidem remorari aduerſus ethnicos Prutenos pugnaturum vtilius foret: inde Henricum Aſcariæ comitem ob mutilatum conuentus Niemburgenſis abbatem, anathematis ſententia implicitum, qui pœnitentia ductus ad Apoſtolicam ſedem ſe contulerat, abſoluit p. Denique archiepiſcopo Spalathenſi pallium miſit q.

Expetitū a Sueciæ deinceps eccl. Rom. vectigal

l Ep. 354.

m Ep. 358

n Ep. 355.

o Ep. 538

p Ep 651. 728.

q Id lib. 6. ep. 75. 76.

Hoc anno defunctus traditur in Germania religioſiſſimus presbyter Srippo nomine, de quo hæc Cæſarius r: *Vt autē noueris non eſſe curandū quacumq; morte iuſtus moriatur, idem Stippo, cum in acutis laboraret anno præterito*, ſcribebat auctor, quod ipſe a teſtatur, inſequenti anno, *materia rapta in cerebrum, totus factus eſt phreneticus, ita vt multas blaſphemias exprimeret. Defuncto eo, atque ſepulto, Dominus merita eius volens oſtendere, miracula ad eius tumbam dignatus eſt operari: infirmi, ſicut audiui, ſuper illam dormiunt, & ſani ſurgunt*.

r Cæſ. l. 11 c. 36.

Stippo vir ſanctiſſimus in phreneſi moritur.

a Id. l. 10. c. 42.

41 Iam vero ad exponendas Galliarum res decurrat oratio. Suſcepto ante ab Rom. Pontifice legationis munere Conradus Portuenſis epiſcopus illis in regionibus fungebatur, ad quem plures hoc anno epiſtolas Honorius dedit: atque in primis, dum recrudeſceret in dies Albigenſis hæreſis, excitati nõnulli viri ardentes pietate, diuinæque amplificandæ gloriæ zelo, poſtulauere ab Honorio facultatem inſtituendi in Narbonenſi prouincia religioſorum equitum ordinis, qui Templariorum in oriente contra Sarracenos certantium exemplo ad confirmandam fidem catholicam, excindendam hæreſim, immunitatemq; eccleſiaſticā ſeruandam arma tractarent. Probauit pium conſilium Honorius ac Portuenſi epiſcopo A. S. L. eiuſmodi ordinis militaris condendi, modò alicuius ſacræ familiæ diſciplinæ approbatæ ſe addicerent, auctoritatem contulit. b

Conradus Portuen. in Gallijs contra Albigen. legatus.

Agitatum de inſtituē do militari ordine aduerſus Albigenſes.

b Hon. l. 5. ep. 679.

42 Implicitī tum erant infectique Albigenſium partibus Auenionenſes, ad quos bello edomandos Honorius legatum præcipere, Auraſiæ comiti, qui in eos arma erat moturus, præſto adeſſet: tum eiuſdem legati animum in impios oratione ſua vehementius incendere c, eiuſque imperio Rhotomagenſem præcipue archiepiſcopum ea in re præſto eſſe iubere d: legatum epiſcopos hæreticis fauentes omnino compeſcere, dare operam e, ne fideles bonis ſuis a catholico exercitu ſpolientur, neue eccleſiæ quamuis exemptæ pecuniam ad hæreticos impugnandos conferre recuſarent f; adhæc Pontifex g cauere, ne capitula eccleſijs paſtoribus viduatis eiuſdem legati iniuſſu epiſcopos præficiant. Ex his porro coarguuntur abbas Vrſpergenſis h & nouatores i ipſum auctorem ſecuti, qui aiunt hoc anno Conradum Cardinalem epiſcopum Portuenſem in Germaniam ab Apoſtolica ſede allegatum, quo crucesignatos depoſitum crucis ſignum recipere compelleret; vt concionatores inſtitueret, qui alios ad nomen ſacræ militiæ dandum induceret inflammaretque: ipſe enim Cardinalis epiſcopus in Gallijs legationis munere fungēs morabatur, eaque diligenter exequi ſtudebat, quæ illi Pontifex, vt antea diximus, demandarat. Minus itaque a vero abeſt, quod Bernardus l tradit, Conradum hoc anno ex Ciſtercienſium ordine Cardinalem epiſcopum Portuenſem ad partes Albigenſes & Toloſanas ab ſede Apoſtolica miſſum eſſe.

Auraſiæ comes Auenionenſibus bellum inferre parat.

c Ibid. ep. 684. 683.

d Ep. 686.

e Ep. 727. 727.

f Ep 687.

g Ep 587.

h Vrſp. in chron. hoc anno.

i Cent. 13 c. 5. col. 560.

l Ber. chro Rom. Pont hoc anno.

43 Cæterum Honorius non ſolum epiſcopi Portuenſis opera in regno Francorum vſus eſt, verum etiam alios præſules varijs in regionibus, vt archiepiſcopum Senonenſem m, Bituricenſem, ac Rhemenſem in ſuis prouincijs ad excindendas enaſcentes hæreſes auctoritate inſtruxit n. Præcipuam verò operam in propugnanda aduerſu Galliæ Narbonenſis impios fide contendit. Cum autem Fuxenſis o & Conuenarum comites, eorumque filij, tum maxime Raymundus alterius Raymundi Toloſani olim comitis filius rem Chriſtianam admodum labefactarent, illos grauiſſimis literis ab eorum patrocinio eſt conatus auocare p. Raymundo iuniori in primis denuntiauit, ni ad officium rediret, illa ditionis parte, qua ex ſedis Apoſtolicæ benignitate donatus fuerat, exutum iri propoſuit, vt ipſius parens ob defectionem a fide Toloſæ, comitatuſq; iure excidiſſet, cuius ſi ſequeretur exempla, pares exitus pertimeſcendos ſciret.

m Lib 5. ep. 68.

n Reg. poſt eand. ep.

Proceres Albigen. partium ſtudioſi.

o Ep. 682.

p Ep. 688.

44 *Adhuc autem experiri volentes, vtrum blanda*

moni-

monitio emollire possit cordis tui duritiam, teque ad viam rectitudinis reuocare, nobilitatem tuam monemus, & exhortamur in Domino, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus apud temetipsum recogitans quanti periculi sit, quod pracisus es ab ecclesiastica vnitate, ad sinum Ecclesia, qua parata est recipere redeuntes, humiliter reuertaris, in manibus venerabilis fratris nostri G.. Portuen. episcopi A. S. L. pracise iurando, & prastando alias idoneas cautiones, quod parebis mandatis omnibus, qua nos; vel ipse tibi duxerimus facienda. Et infra: *Alioquin habeas pro constanti, quod etiam spe reseruata promissionis te omnino priuabimus, & per sententiam expresse tibi abiudicabimus etiam dictam terram citra Rhodanum existentem; nec confidas in eo, quod nunc tibi successisse videtur, quasi contra Deum valeas praualere; quia si tibi abiudicari contigerit terram ipsam, nunquam illam excommunicatus diu poteris retinere, cum ab ea possessione sit facile deyci, qua sine iusto titulo noscitur detineri.* Hæc Honorius.

Abrogatã illi ab Ap. sede in adepto principatu ius. a Lib. 6. ep. 43.

45 Tandem in contumacem hominem apostolica monita spernentem animaduertere, atque huiusmodi sententiam in illum ab Apostolicæ sedis legato iam ante latam firmam iussit a esse: *Cum dilectus filius noster. B.. tituli sanctorum Ioannis & Pauli presbyter Cardinalis tunc Apostolica sedis legatus attendens, quod R.. filius R.. quondam comitis Tolosani, non solum imitabatur patris malitiam, sed etiam anteibat, sententialiter eidem abdicauerit omne ius, quod in terra, qua dicti patris sui fuerat, vel erat, in legatione Cardinalis pradicti videbatur habere; nos eiusdem Cardinalis sententiam, sicut iuste lata est, & in ipsius Cardinalis literis plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus, &c. Dat. Later. VIII. kal. nouemb. pont. nostri anno VI.* Ad firmanda vero Almarici iura, ditionem quã catholicus exercitus ex hæreticis armis pepererat, quamque Innocentius III. Simoni Montfortio optimo, strenuissimoque duci tradiderat, Honorius de catholica fide bene merenti eius filio atque hæredibus confirmauit. b

b Lib. 5. ep. 680. Pontificiũ in conuertẽdis infid. studium.

46 Hæc decernebat in Gallijs, vt firmissimus fidei propugnator ac vindex ad excindendas hæreseon sẽtes, cum apostolico illo quo traducẽdarum ad Christi cultum omnium barbararum gentium flagrabat zelo datis encyclicis literis Galliarum archiepiscopis; Maguntino, Treueren. Colonien. Bremen. Magdeburgen. in Germania; Lundensi in Dania; in Norvvegia Nidrosiensi; Vpsalensi in Suecia; Strigoniensi & Colocẽsi in Vngaria; in Sclauonia Ragusino & Antibarensi; Aquilegiensi & Gradensi patriarchis in Italia tum Capuano, Rauennati, Pisano, Mediolanensi archiepiscopis, in Hispania Toletano, Terraconensi, Bracharensi, Compostellano, nec non principum monasteriorum abbatibus Cisterciensi, Cluniacensi, Clareuallensi, Columbano, iussit sacerdotes doctrina ac pietate insignes pro Christi nomine traijcere maria, pericula penetrare, labores suscipere, in extremas terrarum oras excurrere sanguinemque constanter profundere paratissimos ad se transmitterent, vt inferendæ illis infidelibus euãgelij lucis prouinciam auctoritatemque conferret. qua de re data Rhemensi archiepiscopo imperia c historiæ inserenda duximus.

c Ep. 504.

47 *Fraternitati tua per apostolica scripta mandamus, quatenus in prouincia tua quatuor viros opinionis sincera ac literatura probata, vel tres, seu saltem duos cuiuscumque religionis, vel ordinis, & Cistercien. prasertim, cui Dominus benedixit, a mari vsque ad mare, ipsius extendendo palmites, eligas, qui super nitentes asinos ascendentes, habentesque vitam in patientia, & mortem in desiderio sponte velint animas suas afferre discrimini, ac benedicere Domino parati pro ipsius nomine, si opus fuerit, martyrium sustinere: ac ipsos vsque ad festum S. Martini ad prasentiam nostram transmittas, secundum circumspectionis apostolica prouidentiam, vnà cum illis, quos de prouincijs alijs ad nos mandamus transmitti, ad solitudinem diuersarum gentium destinandas, vt in eis fungentes legatione pro Christo reconciliari obsecrent illas Deo, quasi per ipsos Domino exhortante, & tanquam ciues Apostolorum & domestici Dei easdem verbo doctrina illuminent, pacem gentibus tribuendo, ac cum exultatione ad nos, seu ad Dominum potius reuertentes iustitia manipulos referant; & ab eodem vita senatum recipiant, sanguine proprio laureati. Quod si forsan prelati eorum, qui animas suas sponte periculo duxerint offerendas, voluntati eorum prasumpserint obuiare, prasumptionem eorum monitione pramissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescas. Dat. Laterani*

Iudæi nota distingui iussi.

48 Eodem tuendæ religionis studio, ne Iudæi qui inter Christianos versabantur, suum illis facile virus afflarent, ipsos nota aliqua distingui iussit, quo ab eorum fraudibus caueretur, tum ad expoliendos continendosque mores, disciplinam ecclesiasticam ne dissolueretur adstrinxit. Inolescebat ea in Anglia corruptela, vt clerici ducta vxore sacerdotia retinere præsumerent, quos Honorius datis Cantuariensi a & Eboracensi archiepiscopis, atque episcopo Dunelmensi literis, gradu ac sacerdotijs deturbari præcepit b. Cum vero ad Anglicanas res defluxerit oratio, addimus Honorium pactis inter Berengariam Anglorum olim Reginam atque Henricum Regem de illius dote initis auctoritatem suam adiunxisse, datis ea de re literis tum ad Berengariam c ipsam, tum ad Stephanum d S. R. E. Cardinalem archiepiscopum Cantuariensem: cui præterea, vt nouos grauesque in Anglia motus pacaret, iniunxit e. eademque ad principes Angliæ scripsit f. Eiusmodi porro motus a Guillelmo Foret concitatos Parisius testatur. g

Clerici vxorati sacerdotijs exuti. a Lib. 5. ep. 583. b Ibid. ep. 572. & 480. Stephano Card. pacandæ Angliæ partes datæ. c Id. ibid. 364. d Ibid. ep. 365. 652. e Ep. 576. f Reg. post eand. g Par. vbi sup.

49 Inter hæc Alexandro Scotorum Rege regni insignia sibi ab Iacobo capellano Apostolicæ sedis in Anglia legato dari postulante, Pontifex a legato consultus respondit h, imponendæ illi coronæ prouinciam ad ipsum non spectare, cum Scotus Anglorum Regis vectigalis putaretur, caueretque, ne tantam rem sine Regis Angliæ consensu aggrederetur: *Super eo, quod charissimus in Christo filius noster.. Rex illustris Scotorum a te postulat coronari, tibi breuiter respondemus, quod nequaquam eius coronatio ad te spectat cum charissimo in Christo filio nostro.. Regi Anglorum illustri subesse dicatur. Vnde volumus, vt te inde aliquatenus intromittas, ne regnum Anglia alij regno postponere videremur, nisi forte id de ipsius Regis Anglia, ac consiliariorum suorum procederet voluntate; cum nolimus alterum in alterius iniuriam honorare; sed si ad hoc memoratus Rex, & eius consiliarij consentirent, tunc ad coronationem alterius procedere posses, de consilio pralatorum Anglia, ita quod iuri alterius exinde nullatenus derogetur. Dat. Laterani.*

h L. 6. ep. 797. Vetat legato Hon. Alexandrum regni insignibus redimire ni Anglus asſenserit.

50 Aperuit Honorio hoc anno Ecelinus vir in Marchia Taruisina opibus ac potentia florentissimus pium nuncij rebus humanis remittendi consilium, siue ea simulatione sanctitatis Pontificem vellet deludere, siue reipsa diuini illum spiritus instinctus afflabat, qui hominem ab immanissimis flagitijs, quibus se erat contaminaturus atque æternæ perditionis via abducere moliebatur. Vtcumque sit, consilium optimum si mãdatum fuisset operi Pontifex scriptis ad eũ literis laudibus extulit, ac beneficijs est prosecutus i: *Cum temporali militia, & desiderijs secularibus abnegatis in religiosa conuersatione, ac habitu disposueris agere residuum vita tua; nos precibus tuis benignum impertientes assensum, personam tuam cum ijs qua retinere pro tua sustentatione curasti, videlicet Guticum cum curia sua; Tres villas cum Pudissolo, Villaraza, Lorica, Ramone, Castellione & cum ijs, qua habes in Angarano, eiusque districtu, sub B. Petri, & nostra protectione*

Ecelinus religiosam vitam amplecti delib erat. i Ep. 593. Promissũ illi Apost. patrocinium.

suscipimus. Ornat eo etiam priuilegio vt cum prouincia sacris interdicta fuerit, secrete diuinis mysterijs intersit, ouo pietati vacare, & cælestibus rebus animum transfundere liberius possit.

Abiecto post consilio in tyrannum decidit.

51 Vtinam Ecelinus, quod verbis præ se ferebat, reipsa perfecisset: non enim tot tantisque malis Italia concussa sub tyrannide miserrima luxisset: adeo enim sæua infandaque peregit, vt iure merito de ipso mortalium omniũ deterrimo illud poetæ vsurpari possit [a]:

[a] Iuuen. sat. 8.

Quid Nero tam sæua crudaque tyrannide fecit.

Vgo abb. Cister. ord. mirac. clarus.

Sed ne lectorem adductis illius flagitijs horrore percellamus, ad sanctissimum abbatem Cistercienſem Vgonem nomine orationem traducimus, qui cum viuus sanctitatis suæ odore omnes perfudisset, etiam post mortem editis magnis miraculis illustratus est: qua de re Honorius a Bonæuallis religiosis viris rogatus Viennensi archiepiscopo, atque episcopo Gratianopolitano de illius vita patratisque eius operā cælestibus prodigijs inquirendi partes demandauit. [a]

De illo in SS. num. merũ referẽdo agitatũ [a] Hon. l. 6. ep. 68.

IESV CHRISTI

Annus 1222.

HONORII PP. III. annus 6.	FRIDERICI II. IMP. 3. ROBERTI IMP. 2.

1 LAnguebant ex accepta superiori in Aegypto clade Christianorum animi, cum ineunte Redemptoris anno vigesimo secundo supra millesimum ducentesimum indictione decima Honorius ad euersas res excitandas, fideleſque recreandos stadium pontificium defixit. Alebat eum fallaci spe Fridericus Imp. qui instruendæ nouæ expeditionis speciem præ se ferebat, teque diligentius librata solemne cum ipso cæterisque principibus Christianis colloquium celebrare decreuit, ad quod literis suis Pelagium Albanensem episcopum S. A. L. ac Ioannem Regem Hierosolymitanum, si tamen Syriacæ res id permitterent, allicere est conatus.

Honorij adamassis redintegranda diligentia.

Eius ad leg. Apost. literæ.

P... Albanensi episcopo A. S. L.

2 Cælestis altitudo consilij ex ijs, quæ mala videntur, bona nouit elicere & aduersa feliciter in prospera commutare. Licet igitur grauem iacturam, & grande opprobrium in partibus transmarinis nuper passus fuerit populus Christianus, & inimicis fidei videatur nimis prospere successisse, speramus tamen in eo, in cuius manu cuncta sunt posita, & cuius nemo potest resistere voluntati, quod permisit cadere suũ exercitum, vt resurgeret fortior, & passus est infideles erigi, vt grauius allidentur. Cum enim charissimus in Christo filius noster Fridericus Romanorum Imperator semper Augustus, & Rex Siciliæ dudum in animo gereret ad liberationem intendere Terræ sanctæ, nunc propter casum, qui accidit, digno dolore permotus, & animatus diuinitus ad vlciscendam tantam iniuriam Christi, & populi Christiani, tanto feruentius ad id se præparat, & accingit, quanto ipsum prędicti casus aduersitas, & indignatio vehementius animauit. Denique nos, & ipse ad id vnanimiter intendentes, celebre colloquium nuper habuimus specialiter pro negotio memorato: & post multos tractatus super hoc diligentissime habitos, demum concorditer disposuimus aliud colloquium in Lombardia in ciuitate Veron. circa festum B. Martini proximum celebrare, in quo nos, & ipse Imperator personaliter esse decreuimus, Domino annuente, & ad illud Christianos principes tam ecclesiasticos, quam mundanos, ac fideles alios, quos expedire videbimus, conuocare, vt prosecutio dicti negotij, quod Christianos tangit communiter vniuersos, cum deliberatione in tanto negotio necessaria ordinetur, & vniuersi, & singuli eo magis proprium ipsum negotium reputantes, quòd cum ipsorum consilio & deliberatione ordinatum fuerit, ad illud prosequendum fortius animentur.

Indictum Veronæ celeberrimum colloquium.

3 Cum igitur ad ipsum colloquium, in quo tam de ipsius Imperatoris passagio, quam de alijs negotium contingentibus decreuimus plenius ordinare, inuitemus charissimum in Christo filium nostrum Ioannem Regem Hierosolymitanum illustrem, & in eo propter notam industriam, & probatam prudentiam tuam, habere tuam quoque præsentiam affectemus, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus super hoc habens consilium cum ipso Rege, & patriarcha, & alijs, quos ad hoc videris opportunos, quòd sine discrimine terræ, quam Christiani tenent in partibus transmarinis, possis venire ad colloquium sæpe dictum, ad illud personaliter venire cures termino suprascripto, quòd si venire forte nequiueris, per literas, vel nuncios tuos super iam dicto negotio tua nos fraternitas procuret instruere, de quibus videris expedire. Id autem fraternitati tuæ volumus esse notum, quòd ipse Imperator volens propositum, & desiderium suum super dicto Terræ sanctæ negotio facere manifestum, & ad sublimitatis sequelam alios animare, in iam celebrato colloquio publicè in conspectu multitudinis prælatorum, principum, & baronum, ac aliorum, qui ad colloquiũ ipsum conuenerant, manu propria spontanea voluntate iurauit, quòd iter transfretandi arripiet termino, quem sibi seu in colloquio apud Veronam, vt duximus celebrando, seu circa tempus, quo colloquium ipsum indictum est, duxerimus præfigendum. *Dat. Verulis* VII. *kal. maij pont. nostri anno* VI.

Ioannes Rex Hierosol. ad illud euocatur.

4 Honorium porro in huiusmodi congressum cum Friderico venisse Verulis, ex eorum epistolis cõpertum est, adscripta enim ea eo loco est pontificijs literis [a] quintadecima dies kal. maij, in imperatorijs vero ad Siculos datis IX. kal. eiusdem mensis Verulis pariter consignata. Postero vero die Honorius diploma ad Germaniæ episcopos eo argumento dedit. His consentit chronicon [b] S. Germani, dum ait Honorium Anagniam profectum Imperatorem euocasse, cum quo diebus quindecim Verulis colloquium celebrauit, decretumque ab ijs, vt Veronæ Christianorum omnium principum amplissima comitia haberentur, quibus de Terra sancta recuperanda perdomandisque Saracenis ageretur; demum Imperatorem a Pontifice data illi iurataque fide, quod certo tempore exercitum in Syriam duceret, in regnum discessisse, iussaque obsidione arctiore cingi Mongeoul arce, in Siciliam aduolasse, vt Mirabetti Saracenorum ducis insulam infestantis conatus coerceret.

Verulis ab Honor. & Frid. conuentus habitus.

[a] Id. lib. 6. ep. 347.

[b] Rich. de S. Germ. ann. 1220.

Mirabetus Saracen. reprimitur.

5 Cæterum quamquam illud colloquium non Veronæ, vt affirmat chronicon Eluangense, celebratum fuit, in Campania tamen anno insequenti habitum est, cui tum patriarcham tum Regem Hierosolymitanum interfuisse, apostolicæ literæ [c] eodem anno afferendæ admonent. Interim Honorius vt Fridericum ad promissa incitaret, illum vxoremque, ac filium vnà cum Imperio, Siciliæ regno, vniuersisque eius iuribus in Apostolicæ sedis fidem & clientelam recepit; atque ad vniuersos Germaniæ antistites scripsit [d], cauerent ne quisquam Friderici res, dum in expeditione Hierosolymitana versaretur, inuaderet, minueret, perturbaret: atque ipsi singuli, si opus foret, iniquorum hominum audaciam censuris ecclesiasticis comprimerent. Ostentabat sane Fridericus ingens instaurandæ rei Christianæ desiderium, siue tum reipsa diuino zelo arderet, qui postmodum in eo refrixerit, siue vt ea huiusmodi inanium promissorum pompa gloriam apud homines colligeret, vel sua etiam commoda, ad quæ sectanda artibus valebat, aucuparetur. cuius literæ [e] his temporibus Honorio datæ incẽsi pietate principis animum ac speciem præfefe-

[c] Lib. 8. ep. 176.

Arripitur Frid. in clientel. Apost.

[d] Lib. 6. ep. 350.

Præsefert Frider. redintegrãdi sacri belli cõsilium.

[e] Extat l. 6 Hon. ep. 81.

ſeferunt: *Triſtis, & triſtitia nuncius venerande pater nobis rumor inſonuit, & cordi noſtro gladium doloris affixit, quia glorificauit Dominus in peccatis noſtris vexillum hoſtium, vt conculcaret exercitum Chriſti ſui. Et quis eſt iam in populo Chriſtiano, qui ad talem non inhorreat confuſum euentum, videns eum, qui crucem perſequitur, triumphare de cruce? Quaſi non ſit otioſum credere, quod in plebe ſua Chriſto diſplicet cultus fidei, dum vias ita dirigit perfidorum. Proh pudor filios Eccleſiæ fugant catuli ſynagogæ, & de bello Domini magnificatur victoria Machometti. Hæc inquam tanti doloris acerbitas inter omnes, quos fidei character inſignit, tanto nos vehementius exacerbat, quantum ad motiuum ſubſidium zelus feruentior accingebat: & quod in ijs apud nos pater ſanctiſſime decens ſolicitudo non dormiat, nec dormiuit vſque modo, id quod præceſſit inſinuat, & apparatus inſtans manifeſtat, &c.* addit ſuos oratores illum certiorē facturos, quantum in Sarracenos apparatū inſtruat. *Dat. apud Pan. VIII. kal. non. ind. x.*

6 Erectus in ſpem excitandæ afflictæ rei Chriſtianæ, contundendæque infidelium potentiæ Honorius, incendebat quoſque viros principes ac nobiles, vt ſe ad delendam acceptam ignominiam compararent; pollicebatur illis apoſtolicum patrocinium: qua de re
a Lib. 7. ep. 49. comiti Sapronio datæ literæ a; recuſabat eos voti religione ſoluere, qui ſe bello ſacro deuouiſſent, inter quos Brabantiæ ducem varias excuſationes obtendentem profectionem adornare iuſſit. Tum Guillelmo marchioni Montisferrati, qui cruceſignatis alijs ſeſe coniuncturus cum delecta militum manu mare traijcere conſtituerat, quindecim millia marcharum
b Ibid. ep. 397. ſpopondit b. Cumque idem marchio comiti Dalfino Aluerniæ centum ſe milites eò ducturum pollicenti Pontificis nomine mille marchas promiſiſſet, Hono-
c Ep. 141. rius ratum habuit. c

7 Quod rurſus ad Pelagium epiſcopum Albanen-
d Ep. 303. ſem attinet; mandauit d Pontifex, vt principis Antiochiæ vxori, eiuſque liberis præſidio eſſet, cum Rupinus eius vir cruceſignatus in vinculis verſaretur: Præterea pecuniam ab archiepiſcopo Senonenſi A. S. L. coactam in cruceſignatorum ſtipendia ſubſidio mitti voluit e. Interea vero cum accepiſſet Pontifex Templarios inimicitias in equites Hieroſolymitanos nationis Germanicæ ſuſcepiſſe, quod ex pontificio priuilegio pallio albo vterentur, ipſorum iras permul-
e Ep. 378. cere, lenireque animos conatus eſt f: *Moti eſtis ali-*
f Ep. 307. *quantulum contra eos, quod quantum ſit veſtra religione indignum, quiſquis recogitare voluerit, facile recognoſcat. Si enim vos ab huiuſmodi motu nec apoſtolica, nec imperialis reuerentia cohibet, cohibere ſaltem omnium id audientium ſubſannatio vos deberet, quibus videtur, ſicut eſt reuera, ridiculum vos indigne ferre alios a vobis album portare mantellum, præſertim a veſtro habitu ſic diſtinctum ſignaculo ſpeciali, vt timeri non poſſit, ne quis vnius ordinis fratres ordinis eſſe alterius arbitretur, &c.* Complexum vero ſingulari beneuolentia fuiſſe Honorium hunc ſacrum equeſtrem ordinem, cuius viri nobiles fratres domus S. Mariæ Theuronicorum vocitabantur, demonſtrant eius literæ anno huius ſeculi vigeſimo datæ, quibus nouellam planta-
g Lib. 5. ep. 251. tionem appellat, ampliſſimiſq; priuilegijs exornat g.

Rupinus princeps Antioch. detentus in vinculis. Illius vxor ac liberi in patrocin. Apoſt. admiſſi.

8 Hoc anno, vt reliqua ad orientales regiones ſpectantia proſequamur, Pontifex quorundam Græ-
h Lib. 6. ep. 127. corum in Cypro epiſcoporū audaciam patriarchæ h Hieroſolymitani, ac Tyrenſis & Cæſarienſis archiepiſcoporum opera reprimendam ſtatuit, qui per ſummam fraudem iniuriamque metropolitani Latini ac præſulum ipſius ſuffraganeorū, auctoritate legatorum Apoſtolicæ ſedis inſtitutas, diœceſes ſibi vſurpare conabantur: monſtri ſimillimam rem inquiens, vti ſynodus œcumenica docet, vnam eandemq; diœceſim vnius inſtar corporis duos, diuerſoſque pontifices proinde ac duo capita habere: quocirca cauſa diligenter cognita, intruſos illos quamprimum eijciant.

Vetiti Græci epiſcopi in Cypro cū Latinis in eadem diœceſi præſſe.

Cypri vero Regis, qui ab eo flagitabat, vt concordiæ alēdæ cauſa eos præſules Græcos Græcis præeſſe per-
mitteret, preces ipſius repulit, reſcripſitque a: *Cum* *a Ep. 127.*
in prælatorum Latinorum diœceſibus regni tui quidam Græci Romanæ inobedientes Eccleſiæ, etiam in eccleſijs Latinorum tanquam pontifices cōmorentur, pro quibus nobis humiliter ſupplicaſti, vt in dictis diœceſibus prout ſunt remanere permitteremus eoſdem; nos licet tibi & regno tuo deferre, quantum cum honeſtate noſtra valemus, & Græcos ad obedientiam ſedis Apoſtolicæ reuertentes fouere, ac honorare velimus, mores & ritus Græcorum ipſorum, quantum cum Deo poſſumus ſuſtinendo, in ijs tamen, quæ periculum generant animarum & eccleſiaſticæ derogant honeſtati, apud nos eſſe non debet acceptio perſonarum.

9 *Quare talia de cætero ſuſtinere nolentes, cum monſtruoſum eſſet, ſicut in conſtitutionibus dicitur concilij generalis, vnam & eandem diœceſim diuerſos habere pontifices, tanquam diuerſa capita vnum corpus haberet, venerabilibus fratribus noſtris patriarchæ Hieroſolymitano, & Tyren. & Cæſarienſi archiepiſcopis noſtris damus literis in mandatis, vt eos morari de cætero velut præſules in dictis diœceſibus nullatenus patiantur, ſacerdotibus, & diaconibus Græcis prædicti regni nihilominus firmiter iniungentes, vt præfato archiepiſcopo, & epiſcopis Latinorum, prout ſunt, & fuerint in eorum diœceſibus conſtituti, canonicam obedientiam iuxta compoſitionem faciant ſupradictam, ſe tanquam obedientiæ filij conformantes ſacroſanctæ Rom. Eccleſiæ matri ſuæ, vt ſit de cætero vnum ouile, ac etiam vnus paſtor, &c. Dat. Later. III. kal. ian. pont. noſtri anno 6.*

10 Præterea Surianos (quos vocabant) Iacobitas & Neſtorianos in diœceſi Nicoſienſi commorantes in archiepiſcopi illius b auctoritate eſſe iuſſit. *b Ibid. ep. 199.*
Deinde plurimos epiſcopatus ab Ioanne Card. Columna A. S. L. varias ob cauſas coniunctos Honorius ſua auctoritate firmauit c. Tum G. e villa Arduina Achaiæ principem concordiam inter Eccleſiam atque Imperij principes iam ante initam admittere, eique ſtare iubet d, grauiſſimis ad ipſum exaratis literis, quibus primum ob nefaria ſcelera Pharaone nequiorem eſſe affirmat: ille enim ſacerdotum agros poſſeſſioneſque non modo immunes liberaſque cenſuerat, verum quotidianum illis victum publice præberi voluerat; ipſe vero damnis maximis atrociſſimiſque iniurijs eccleſiaſticos viros affeciſſet, abbatias, eccleſias, earumque bona ac iura occupaſſet. Sed hæc ab ipſo Pontifice proteruum principem ad officium ac diuini numinis metum reuocare annitente excipere e *e Ep. 276.*
præſtat.

G. Villarduin Achaiæ princeps ob ecclesiæ oppreſſas increpitus. c Ep. 240. 277. d Ep. 276.

11 *Si Dominus, in cuius manu ſunt omnium poteſtates & omnium iura regnorum, a Græcis propter eorum inobedientiam pertinacem Imperium transferens ad Latinos, te magnificauit multipliciter ac ditauit, nimis ei viſus es hactenus iniqua viciſſitudine reſpondere, Eccleſiam eius, immo ipſum in ea impie perſequendo, quam etſi non virtutis amore, ſaltem pœnæ formidine debueras in omnibus honoraſſe, cum facile ſit ei, qui aufert ſpiritum principum, dignam de ſuis iniuriatoribus ſumere vltionem. Sed quod non ſine admiratione referimus, & dolore, te Deo, Deumque tibi, quaſi ſerio volens ſtatuere inimicum, longe in hoc quodammodo inhumanior Pharaone, qui nedum terram ſacerdotalem eſſe voluit liberam, & exemptam, verum etiam ſacerdotibus faciebat alimenta de publico miniſtrari; miniſtros eius, in quibus honorari, & ſperni ſe aſſerit, grauibus damnis, & atrocibus iniurijs affeciſti, abbatias, eccleſias, & ipſarum poſſeſſiones cum pertinentijs earundem, papates & alia iura eccleſiaſtica, mobilia, & immobilia manu nimis auida occupando, &c.*

12 Defigit Pontifex alia in ipſius oculis ſcelera, vt poſt hæc temere tentata ab Ioanne Card. legato, de

quo paulo ante memoraui, iterũ ac sæpius vt ecclesiæ satisfaceret satis admonitus, iussusque, superbia tamẽ elatus parere recusasset; quamob causam cum legatus eum anathemate percussisset, ipsiusq; ditionem interdicti sententiæ subiecisset, adeo non resipuerat, vt gesta impie alijs maioribus cumulando; præsules & clericos exilio mulctasset, qui eos hospitio excepissent in vincula coniecisset, sanctuaria violasset, sacras reliquias comtemptui habuisset, ecclesiarum agricolas vectigalibus onerasset, quorum facies inustis etiam turpissimis notis fœdasset. demum vbi asperioribus illum verbis perstrinxit, ex apostolica clementia resipiscenti Ecclesiæ gremium explicat; si vero flectere pertinaciam nolit, significat datã a Arbeniẽsi ac Thebano archiepiscopis prouinciam, vt interdicto ipsius ditionem percellant, ac tum grauem adeo ab ipso vindictam expetiturum, vt illius magnitudo audientes horrore perfundat.

Illius principis pertinacia.

a Ep. 333.

13 Fregit superbos spiritus is princeps tum diuino terrore tum minis pontificijs correptus, quem redijsse in gratiam cum episcopis atque ad Honorij nutum voluntatemq; concordiam firmasse argumento sunt pontificiæ epistolæ ad ipsum b aliosque c anno insequenti exaratæ, quibus illum beneficijs atque officijs plurimis est complexus d. Quod vero ad pacis cõceptam formulam ab Honorio oratoribus Achaiæ principis exhibitã attinet; ea fuit quam anno superiori retulimus a Roberto Imperatore confirmatam, quamque, vt ibi diximus, Pontifex hoc anno ratam firmamque esse constituit e. Cuius tamen conditiones biennio post est interpretatus, atque ad mitiorem sensum detorsit, vt apostolicæ ostendunt literæ ad Robertum Imp. datæ f.

b Hon. l. 8. ep. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46.
c Id. ib. ep. 35. 36.
d Id. l. 8. ep. 25. 46. 67.
e Lib. 6. ep. 285. 298. 299. 300.
f Lib. 7. ep. 140.

14 Affectus quidem egregiè erga ecclesiasticos videbatur Robertus, quorum seruãdis confirmandisq; iuribus facile assensit, sed vt mollioris erat ingenij atq; in tractandis armis parum peritus, sub ipso Imperium Constantinopolitanũ misere a schismaticis lacerari illiusq; splendor obsolescere cœpit: cui Honorius vt de sancita cum episcopis concordia est gratulatus, ita auxilia flagitanti opera non defuturum est pollicitus.

Honor. lit. ad Rober. Imp. Constantinop.

Ill. Constantinopolitano Imperatori.

Imperialis celsitudinis literis per dilectum filium H. dominici sepulcbri Constantinopol. priorem nobis humiliter præsentatis, & ipsorum continentia benigne prout decuit intellecta, super eo, quod per ministerium, & solicitudinem diligentem dilecti filij nostri Ioannis tituli sanctæ Praxedis presbyteri Card. inueteratam materiam dissensionis, & scandali, quæ inimico homine superseminante zizania passa fuerat, pluries recidiuam exsufflatam asserens, & extinctam, inter ecclesiam Constantinopolitanam, & Imperium pacem, & concordiam tam admirabili, quam amicabili fœdere stabilitam, per easdem literas astruebas, lætati sumus plurimum, & gauisi, ei a quo omne datum optimum, & omne donum perfectum existit, gratiarum referentes vberes actiones. Super eo vero, quod tam te, quam Imperium prænotatum circumquaque multipliciter vltra solitum deprimi asseris, & affligi per inimicos fidei orthodoxæ, paterno tibi cõpatientes affectu, ad honorem Dei, & Ecclesiæ ac augumentum Imperij te de ipsis optamus feliciter triumphare.

Intestinis seditionib. laborat Imp. orientale.

15 Vt autem sinceræ dilectionis affectum, quẽ ad progenitores tuos habuisse dignoscimur in te abũdantius deriuatũ agnoscas, Imperialem volumus celsitudinem non latere, quod nos de tuo, & cõmissi tibi Imperij statu prospero soliciti existẽtes, omnes illos, qui cõtra te, & Constantinopolitanum Imperium Græcis adhæserint, ipsisq; præstiterint auxilium, & fauorem, excommunicationis mucrone percussimus, & mandauimus excommunicatos per ciuitates maritimas nuntiari; nobili viro Huberto comiti de Blandraco, & socijs eius in subsidium Imperij venientibus eamdem concedentes indulgentiam, quæ statuta fuit in succursum transfretantibus Terræ sanctæ. Tu igitur de gratiæ nostræ fauore securus, tuum iactans in Domino cogitatum, & defigens in eo ancoram spei tuæ, ad anteriora iugiter te extẽdas, pro certo sciturus, quod nos personam tuam sincero in Domino zelantes affectu, auxilium & consilium apostolicum, in quibus expedierit, & decuerit, tibi curabimus efficaciter impertiri. *Dat. Later. v. kal. iul. pont. nostri anno* vi.] Quo etiam die literas eodem argumẽto ad proceres, magistratus virosque nobiles Constantinopolitani Imperij scripsit a, etiam atque etiam eos omnes cohortatus, vt Roberto obsequentes, atque inter sese coniuncti essent: sacro diuini timoris iugo subijcerent sese, assuescerentque; quem magno sui damno abrecisse viderentur, vnde prima illis salutis spes affulgere deberet, hostibus terrori, reipublicæ munimẽto defensionique essent: ecclesiarum iura seruarent: prompto animo Imperatori parerent, strenueque adessent: cunctos qui aduersus illum Imperiumque Constantinopolitanum Græcorum partes sequerentur, ijsue opem atque auxilium tulissent, ab sede, piorum cœtu, concilioque se abigere.

In factiosos vibratum ab H. anathema.

a Hon. l. 6. ep. 447.

16 Gerebat tum magno terrore bellum aduersus Robertum, ac ditionis suæ limitem latius proferebat Theodorus Comnenus, vir lubricæ fidei atque artibus instructissimus, qui vt antea simulata pietate ad auertendum a se ob coniectum in vincula Petrum Imperatorem Latinorum occidentalium imminens graue bellum, supplex in Ecclesiæ obsequium procubuerat, atque ab Honorio fidelium consortio aggregatus tectusque apostolico patrocinio fuerat, ita vbi eam procellam dissipatam vidit ac Latinorum Constantinopolitanorum vires depressas, lacessere ipsos, atque grassari cœpit. quamobrem anathemate defixus contempta religione victorias maiori apparatu circumtulit, quem ideo Honorius in literis salute negata, sed meliora consilia precatus ad pacis fœdera cum Roberto Imp. paugenda monere, hortari, ac rogare, simulque laudi tribuere, quod blande humaniterque Ioannem Cardinalem habuisset. at hæc ab Pontifice b audire præstat.

Theodorus Comnenus ad pacem cum Roberto ineundã solicitatur.
b Lib. 7. ep. 14.

Theodoro Cominiano spiritum consilij sanioris.

17 Licet enormiter nos, & Ecclesiam Rom. offenderis dilectum filium nostrum I. tituli S. Praxedis presbyterum Card. ausu sacrilego capiendo; quia tamen, sicut idem rediens nobis retulit viua voce, ipsum deuote tractasti, & in liberatione honorasti decenter, personam tuam, nisi per te steterit, quantum cum Deo possumus, diligere disponentes, libenter tuis secundum vtrumque hominem profutura prouectibus cogitamus, & vtinam nostris cõsilijs acquiescas, quia sicut speramus in Domino, nunquam exinde tibi nisi grata poterunt prouenire. Sane nobis tacentibus non ignoras, quod res vnitæ concrescunt, & dispereunt disgregatæ; indeque fit vt discordia homines inter se inuicem aduersantes, nisi alter sopiatur, tandiu in vtriusque partis dispendium militet, donec perdat alteram, vel vtranque, sicuti e conuerso concordia nititur ad conseruantiam sibi obsequentium, & augmentum.

Monetur dubios esse bellorũ exitus.

18 Quare saluti, & quieti tuæ plurimum, sicut nec ipse dubitas, expedire credentes inter charissimum in Christo filium nostrum R. Imperatorem Constantinopolitanum illustrem stabiliri pacis perpetuæ firmitatem, quia tibi plurimum erit decens, vt id monitus a nobis efficias, nobilitatem tuam hortamur attente; quatenus prouide circumspectans ineuitabilia rerum damna, incomparabilia personarum pericula, & animarum irreparabilia detrimenta, quæ tibi ex discordia poterunt prouenire Christianissimo

Impe-

Imperatori prædicto, sicut Christianus es, te studeas pacis termino copulare; ita quod bonam de te de cætero fiduciam obtinentes, magis, ac magis tibi reddamur fauorabiles, & benigni, nec si contrarium egeris, cogamur aliud cogitare. *Dat. Later. VI. kalend. octob. pont. nostri anno VII.* Hæc Pontifex. sed de Theodoro iterum paulo inferius.

Donatio a Gallis Cōstant. Honorio facta.

19 Perfunctum equidem egregie ac pro dignitate Ioannem legationis munere, præter ea quæ attulimus suis locis, indicant literæ Francorum cleri Constantinopoli agentis, qui grati animi causa summo Pontifici sacroque Cardinalium senatui munus quoddam misere cum huiuscemodi literis [a]: *Sanctissimo patri, ac domino Honorio Dei gratia summo, & vniuersali Pontifici vniuersitas clericorum Francigenæ vniuersitatis Francorum Constantinopolitan. salutem, & deuotissima pedum oscula. Cum venerandus pater Ioannes tituli S. Praxedis presbyter Card. quondam Apostolicæ sedis legatus, tanquam immobilis Ecclesiæ columna, ad honorem Dei, & Ecclesiæ Rom. ecclesias nostras feliciter ordinauerit, per dilectum filium procuratorem nostrum, magistrum Gilbertum, latorem præsentium mille yperperatas terræ de collata eidem vna vobis, & sacro cœtus Cardinalium præsentamus. de quibus yperperatis magister Alexander decanus Thessalon. subdiaconus vester de mandato domini legati yperpera recepit, vobis ea personaliter delaturus.* At quoniam Ioannis Cardinalis incidit mentio, donationem ab ipso duobus abhinc annis in religiosos S. Praxedis tituli sui viros collatam, & a summo Pontifice, qui eam apostolicis literis intexuit [b], hoc anno confirmatam non prætermus. Persimilem donationem ab Ioanne de quodam Chalcedonensis diœcesis loco canonicis SS. Cosmæ, & Damiani in Silice tum temporis factam iisdemque ferè verbis conceptam amplectitur aliud Honorij diploma, quo ipsam ratam iubet esse [c], sed rursus ad Honorij gesta redeamus.

a Reg. l. 6. ep. 466.

b Ibid. ep. 429.

c Ep. 462.

20 Exceptis paterna beneuolentia Roberti Imp. oratoribus, qui ad flagitanda eliciendaq; ex occidente auxilia venerant, Honorius datis Roberto literis, quæ secum egissent oratores, significauit [d], gratum illius ob accepta beneficia animum collaudauit, commendauit pietatem, erexit animos, spemque ex circumfusis periculis ipsum feliciter emersurum iniecit: *Licet in regimine Imperij multa tibi obijciantur aduersa, nequaquam tamen tua debet magnanimitas perturbari, sed cum quod auro ignis, hoc faciat tentatio viro forti, tua crescat virtus magnifice in aduersis, vt clarior elucescens, tua faciat latius laudes præconia prædicari, quia etsi mirabiles sint elationes maris, mirabilis tamen Dominus in excelsis, si perfecte in Christo confidis, facile conuertet procellam in auram, qui fideles suos tentari non patiens vltra quam valeant sustinere, facit etiam cum tentatione prouentum.*

d Lib. 7. ep. 15.

Excitatur ad meliorum spem Robertus.

Promittitur illi auxilium.

21 *Nos quoque tibi nequaquam deerimus, sed in omnibus opportunitatibus assistemus, sicut Apostolica sedis filio speciali. Ideoque serenitatem tuam rogamus, & monemus attente, quatenus tuum iactans in Domino cogitatum, qui nunquam in se sperantes confundit, nullatenus terrearis, sed te fortibus aduersarijs exhibens fortiorem, atrium tuum potenter studeas custodire, vt tandem omnia, quæ possides, sint in pace, quam cum omnibus hominibus, quantum ex te est, & præcipue cum Latinis existentibus in partibus Romaniæ volumus, & consulimus te seruare, cum ex dissensione multa possint imminere pericula, sicut e contrario solent de pace commoda multimoda prouenire. Dat. Later. VIII. kal. octob. pont. nostri anno VII.* Hæc Honorius ad Robertum, quem etiam nonnullis officijs est prosecutus.

Matthæus patr. munus indigne gerit.

22 Inter hæc Matthæus, quem ecclesiæ Constantinopolitanæ superiori anno præfecerat, multis partibus ab religione officij discesserat, ecclesiarum rea detraxerat, euangelicę prędicationis munus neglexerat, in re diuina communicarat cum hominibus a fidelium commercio segregatis, idque genus alia perpetrarat; quocirca ipsum Pontifex grauissimis literis [a] arguit, ac minis percellit: *Timemus ne de te dicere nos oporteat, pœnitet nos hominem hunc fecisse. Cum enim huius rei gratia te ad Constantinopolitanæ ecclesiæ regimen vocassemus, vt quasi lucerna super candelabrum luceres in domo Domini, proficiendo verbo tuis subditis, & exemplo, tuusque esset super tuos humeros principatus, ac prodesses potius, quam præesses, tu sicut ad audientiam nostri apostolatus peruenit, non factus forma gregis ex animo, sed in clero potius dominans, factus es multis offendiculum per exemplum.* Et infra:

a Ep. 374.

Obiurgatur ab Honorio.

23 *Mercenarium te exhibes potius, quam pastorem, cum lac, & lanam quærens ex ouibus, vagas non reducas ad caulas, nec lentas stimules, & languidas non sustentes, prædicationi minime insistendo, qua ipsas arguere, obsecrare, ac increpare deberes in omni patientia, & doctrina. Missarum vero solemnia rarissime celebras, & excommunicatis communicare non metuis, & cum Venetis, vt habetur ex fama publica dicitur, iniustis contra nationes alias illicitas pactiones, & vt quasi velis ab aquilone tuum solium collocare, excommunicatos a legato Apostolicæ sedis passim absoluis, & appellationibus legitime interpositis ad eamdem deferre contemnis.* Et infra: *Ne igitur tacti dolore cordis intrinsecus dicere compellamur, delebimus hominem, quem creauimus, fraternitatem tuam monemus & exhortamur in Domino per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus in his, & alijs teipsum taliter corrigas, & emendes, insistens sollicite officio pastorali, euangelistæ opus adimplens, vt securim infructuosæ arbori apponere non cogamur. Vtinam autem sic obiurgatio hæc circa infructuosam ficulneam foderis sima correctionis apposita, quod fructum afferat requisitum, & succidi non debeat in futurum. Dat. Alatri XV. kal. iul. pont. nostri an. VI.*

Incussit illi minas Apostolicæ.

24 Hoc anno, ne Græcorum res prætereamus, defuncto Theodoro Lascari Ioannes Ducas Batazes siue Vatacius dictus, apud Græcos in Imperio successit. cũ enim Theodorus Imperium arripuisset anno quarto supra millesimum ducentesimum, vt Niceta Choniata testatur [b], Nicephorus vero Gregoras [c] ipsum octodecim annos in Imperio affirmet exegisse, Ioannis ingressus in hunc annum conijciendus videtur; qui Ioannes Irene Theodori filia in matrimonium ducta, ab eo successor designatus fuerat, quique vir magno ingenio, animi constantia & morum grauitate insignis ab auctore prædicatur. Inflixisse ipsum Roberto sub ipsis Imperij initijs grauissimam cladem scribit Nicephorus Gregoras [d]. Alexius enim & Isaacius, qui Lascari sanguine erant coniunctiores, quàm Ioannes affinitate successor quæsitus, frementes ira sibi Imperium transmissum non fuisse, se ad Robertum contulere, promissisque pellexere, vt Ioannem ad transfundendum in ipsos Imperium bello peteret, sed cum instructa classe exercitus in Asiam traductus esset in mediterranea loca, quæ paulo ante Henricus Imperator Latinis subiecerat, progresso Ioannes Vatacius florentissimis cinctus copijs occurrit, initoque prælio magna clade Latinos fudit, ac mox circumiectæ Græcorum vrbes occasionem aucupatæ excusso Latinorum Imperio, vltro in Ioannis obsequium se contulere, atque ex eo Latinorum res admodum fractas debilitatasq; Græcorum vero se extulisse scribit auctor.

Theodorus Lascaris Nicænus Imp. moritur.

b Nicet. chron. Alexio Angelo lib. 3.

c Greg. l. 2.

Ioannes Ducas in Imperio succedit.

d Niceph. Greg. hist. lib. 2.

Alexius & Isaacius ad Robertum se conferunt.

Ioanni Ducę bellum mouent.

Profligantur ac Robertus plura in Asia loca amittit.

25 Subdit de Theodoro Angelo, qui Demetrio absente Thessalonicā occupauit, atq; imperialia insignia corripuit. sed de ijs anno sequēti. Regem vero Thessalonicensem per id tempus ad Honorium se contulisse demōstrant literæ pontificiæ Tornacensi episc. datæ, [e] quibus sacerdotiũ Regis Demetrij capellano confert.

e Lib. 6. ep. 280.

Honorius, &c.

Cum charissimus in Christo filius noster Demetrius Rex Thessalonicensis illustris in no-

stra

stra constitutus præsentia supplicarit instanter, vt dilecto filio Eustachio capellano suo prouidere in aliquo beneficio, diuino, & sic intuitu dignaremur; nos deferentes Regiæ dignitati, ac sperantes, quod idem Rex imitari debeat progenitorum suorum vestigia, qui semper deuoti Ecclesiæ Romanæ fuerunt, eius precibus duximus annuendus &c. *Dat. Anag. 2. id. martij pont. nostri an. 6.*] At Theodorus potiundi Imperij ambitione æstuans, cum Demetrius Thessalonicæ Rex ad contrahenda auxilia venisset in Italiam, vt Gregorius scribit a, occasione visus, expugnatis pluribus arcibus vrbibusque, Thessalonicam regni principem in suam potestatem redegit, ac mox ea victoria elatus imperialia insignia corripere meditatus, cum Thessalonicensem archiepiscopum, vt ijs ipsum redimiret, adducere non potuisset, ea a Bulgariæ archiepiscopo eblanditus, Imperatorem se gessit. Ira quatuor Imperia ex collapso orientali erupere, Constantinopolitanum Latinorum, Dauidum Comnenorum Trapezuntinum, Lascarorum Nicænum, Thessalicum Angelorum, quæ demum ob imbecillitatem funditus conciderunt, breui autem istud postremum sterit.

Demetrius Rex Thessal. in Italiam venit.

a Niceph. Greg. l. 2.

Theodor. Comenus illius regnum occupat. Imperialia insignia corripit.

b Hon. l. 6. ep. 180.

hoc vero anno cæpisse b expugnatamque Thessalonicam e pontificijs literis ad Tornacensem episcopum exaratis, ac paulò ante a nobis allatis, atque ex Nicephora Gregora colligitur.

26 Delapsa est ad res Italicas oratio, quas nonnulli Germani proceres turbare moliti sunt. Tyrannidem enim per id tempus in ducatu Spolerano, Rom. Ecclesiæ ditioni obnoxio, occupare moliebatur Bertoldus filius Conradi olim ducis, de quo suo loco memoraui, eique præsto erat Gonzalinus aulæ imperialis dapifer, quorum iniquis studijs Pontifex ecclesiasticæ immunitatis custos & vindex illico obuiam ire, legationem ad Fridericum decernere, ipsum monere, hortari, etiam atque etiam rogare, vt nequissimorum hominum conatus coerceat. Constant hæc ex eiusdem Friderici literis, quibus tum Honorio c Papæ, tum S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus d ostendere nititur, hæc iniussu suo ab illis tentata esse, atque ægerrime a se ferri. Sed præstat ipsum Imperatorem in hac sua ad Cardinales epistola audire.

Bertoldus Spolet. ducatum affectat.

Opponit illi se Honorius.

c Reg. Hon. l. 7. ep. 42. d Ib. ep. 41.

Facti culpam a se amouet Fridericus.

27 *Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, & Rex Siciliæ, dilectis in Christo patribus, & amicis suis, dominis N... Ostiensi N... Tusculan. episcopis; S. basilicæ duodecim Apostolorum T.. tituli S. Sabinæ, B.. tituli SS. Ioannis, & Pauli presbyteris, & SS. Cosmæ, & Damiani, & P.. S. Georgij ad velum aureum diaconibus Cardinalibus salutem, & intimæ dilectionis affectum.*

Alia vice scripsimus fideli nostro G.. imperialis aulæ dapifero, quod iniuriam illatam dilecto in Christo patri, & amico nostro domino R.. sanctæ Mariæ in Cosmedin venerabili diacono Card. rectori ducatus Spoleti, & iuramenta, quæ fuerunt per eundem dapiferum ad suggestionem, Bertoldi filij quondam ducis Conradi ab Ecclesiæ Rom. fidelibus de ducatu recepta, molestè nos plurimum ferebamus, vtpote qui eidem G.. cum discessisset a nobis, duximus specialiter inhibendum, ne aliquid contra sedem Apostolicam attentaret, vel quidquam præsumeret; vnde inter ipsam, & nos scandalum, quod absit, contingeret suboriri.

Ea de re ad Card. literæ.

28 Nunc autem literis vestris, & discreto, ac prudenti viro magistro R. subdiacono, ac notario apostolico ad nos nuncio destinato (nimirum ab Honorio Papa, vt Fridericus alijs literis postremaque hac epistola testatur) qua decuit affectione recepris, factum huiusmodi tanto molestius tulimus, quanto manifestius nobis innotuit detestandæ illius dapiferi temeritatis excessus, & quanto minus credidimus, quod rem tam arduam, quæ adeo nobis displicere deberet, absque nostra conniuentia attentaret. Porro cum nonnulla vnquam ratione velimus, quod mater nostra Rom. Ecclesia, cuius ror recolimus beneficia, per nos, aut nostros lemter se reputet offensam; prænominato dapifero sub pœna gratiæ nostræ districte præcipiendo mandamus, quatenus quæcunque in marchia attentata sunt, & ducatu, non differat reuocare, ac nequaquam de cætero simila præsumpturus ecclesiæ baliuus, suis amotis, restituat bannum relaxando, cui omnes supposuit, qui non iurarent eidem, & quæ recepta sunt ab eorundem locorum hominibus iuramenta.

Iubet erepta restitui Ecclesiæ.

29 Præterea super prædictis omnibus contra sedem Apostolicam attentatis, eam sibi satisfactionem exhibeant, quod liquido cognoscatur hæc nobis nolentibus præsumpta fuisse, ac nos indignationem, quam ex hoc aduersus ipsum concepimus, mitigemus. Quocirca paternitatem vestram affectuose duximus exorandam, quatenus congrue velitis fauore prosequi exuberantem ad Rom. Ecclesiam nostræ deuotionis affectum; quo ita studemus nostrum Imperium sedi Apostolicæ coaptare, vt debeamus semper, quantum in nobis est, inter Ecclesiæ vbera retineri. Vt autem plenius, & nitidius exhiberemus quem ad Apostolicam sedem habemus deuotionis ardorem, iuxta voluntatem præfati nuncij apostolici, in marchia, & ducatu mandauimus negotium expediri. *Dat. apud Iohan xxii. nouemb. xi. indictione.*] Insertæ sunt pontificio regesto literæ tum ad Gonzalinum a, quas Fridericus se scripsisse memorat, tum ad Bertoldum b primum nequitiæ auctorem, tum eiusdem sententiæ ad Spoletani ducatus c & marchiæ d populus exaratæ.

Sua in Rom. Ecclesiam studia iactat.

a Reg. loc. cit. ep. 46. b Ib. ep. 45. c Ep. 47. d Ep. 48.

30 Præterea Fridericus oratores suos ad Apostolicam sedem cum alijs literis e misit. Verum Gonzalinus nequaquam imperata perfecit, quod locum suspicioni dedit, multisque ansam admonendi Pontificis, Fridericum iussa reuocasse. Quod cum accepisset princeps item a magistro domus S. Mariæ Theuronicorum, quem Honorius ad eum miserat questum vel infidelitarem vel moram, per literas f apud Apostolicam sedem hac se ratione excusare conatus est, nempe nolle se Ecclesiæ iuribus detrimentum vllum inferri, ac Deum testem nihil ab ipso contra eius literas, ac iussa per dictum supra Roffridum subdiaconum notarium apostolicum transmissa attentatum esse, vt de hac re ne cogitauerit quidem: postremo vt sciat Pontifex, sibi delara a veritate prorsus abhorrere, Gonzalinum ipsum enim paulo ante memorato magistro mitterer, quò apostolica mandata sine mora exequatur. At suspicionem de Friderico postea auxit, Gonzalinum adhuc cunctatum imperia non peragisse, quocirca merito excandescens Pontifex Theuronicorum fratrum magistrum iterum cum vehementioribus literis ad Imperatorem misit, qui nuncius insequenti anno ineunte ab ipso id responsi g retulit.

e Ep. 43. 54.

f Ep. 55.

Verbis opera non respondet.

g Ep. 64.

31 *Sanctissimo patri domino suo Honorio Dei gratia sacrosanctæ Rom. Ecclesiæ summo Pontifici, Fridericus eadem gratia Romanorum Imperator semper Augustus, & Rex Siciliæ, salutem & reuerentiam, tam debitam, quam deuotam.*

Cum super ijs, quæ Gonzalinus dapifer noster, & Bertoldus filius quondam ducis Conradi, ac eorum complices in marchia Anconitana, & ducatu Spoletano fecerût, ad nos magistrum Roffridum subdiaconum, & notarium vestrum, & literas misissetis, statim dapifero ipsi sub pœna gratiæ nostræ scripsimus, vt quæcumque per ipsum, & quoscumque alios facta essent nomine nostro in partibus supradictis, tanquam nobis nolentibus attentara non postponeret reuocare. Quod cum non fecerit, ipso ad nostram præsentiam veniente, nos indignati plurimum & turbati, quia nostris videbatur missionibus illusisse, ac ali-

Excusat se Frider. iussa operi mandata non fuisse.

qui-

quibus præstitisse materiam suspicandi, quod contra literas de reuocatione illorum dapifero memorato directas mandatum aliud fecissemus, quod testis est nobis Deus, in cor nostrum etiam non ascendit. *Et infra:*

32 Nos enim banna posita, iuramenta recepta, & quæcunque alia per dapiferum eumdem, & alios nomine nostro in marchia & ducatu facta sunt, euacuamus, & relaxamus omnino, & vniuersis de eisdem partibus ea mandauimus non seruare. Præterea vt nullus de cætero excusationis sit locus, si quod mandatum, si qua scripta, vel nuncij nostro directi nomine præsentibus contrarij apparerent, tam mandatum, quam scripta, & nuncios decernimus non valere. Cum satis iam perpendi valeat, & cognosci, quòd facto, vel verius præsumptioni dapiferi supradicti, & complicum suorum nequaquam consensimus, sed illud potius nimis grauiter tulimus, & moleste, ac in eodem simus solidati proposito, vt nihil vnquam velimus facere contra Rom. Ecclesiam, licet ab ipsa etiam prouocati, ex quo lædi a nobis se reputet, vel offendi, paternitati vestræ supplicamus attente, quatenus nos tanquam Ecclesiæ Rom. filium deuotissimum, & sinceræ deuotionis alumnum firmissime teneatis: super omnia enim cupimus eos, qui ante nos fuerunt quantumcunque sedis Apostolicæ deuotos non solummodo imitari, sed etiam ampliori Ecclesiæ Rom. deuotione ac honorificentia superare. *Dat. apud Precbmam* 1. *die ianuarij* XI. *indict.*]

Hactenus Fridericus. leguntur etiam literæ a ad populos Spoleti ducatus marchiæque, quarum hic meminit. Hoc anno iniurias suas apud Fridericum cum questi essent ecclesiastici Siciliæ viri, ad laicorum tribunalia se trahi, atque a principibus illis regijsque ministris, malis multis affici, vectigalibus onerari, acerbissimisq; exactionibus vexari opprimiq; ipse iniquis illis hominibus imperauit b, vt ni indignationis suæ vim experiri vellent, ab eiusmodi iniurijs abstinerent: velle se tum ecclesijs tum ecclesiasticis regni sui viris iura omnia illibata manere, eaque libertate, & immunitate frui, quæ apud illos Guillelmi secundi Regis religione ac liberalitate vigebat.

a Ep. 65. 66.
Beneuolè se oppressis ecclesiasticis exhibet.
b Reg. Hon l. 6. ep. 552.

33 Quod ad Raynerium S.R.E. Cardinalem Spoletani ducatus rectorem attinet; quanta in tuendis ecclesiæ iuribus pertulerit, Honorij ad Senenses aduersus Parentium, & Andream fratres, ciues Romanos eiusdem Cardinalis insectatores literæ c docent. Aucti fuerant ij amplissimis a Pontifice honoribus ac muneribus decorati, atque in tantam prorupere audaciam, & tot iniurijs clementiam apostolicam lacessiuere, vt ecclesiastica fulmina ex pontificijs manibus in suum caput extorserint. Ac Parentius quidem alteri Parentio Romano ciui, qui Vrbeuetere dum comprimendis hæreticis incumberet, pro fide sanguinem fuderat, longe dispar nō sine grauissima susceptæ hæreseos suspicione ac infamia Lucana vrbe, in qua præfecturam gerebat, episcopū & clerum expulerat, baptismique ac pœnitentiæ sacramenta porrigi vetuerat, & virum probum ob expiata sacra confessione crimina mulcta affecerat. Alter verò nimirum Andreas R. Cardinali S. Mariæ in Cosmedin ducatus Spoletani præsidi ob administrata defensaque Ecclesiæ iura mortis terrorem incusserat, ipsiusque administros spoliarat, sauciaratque. Nefarios ergo homines, qui nobilitatem fœdarant criminibus, anathemare perculit, scriptisque Senensibus magistratibus, aliarumque vrbium præfectis literis voluit, ne quis illorum commercio se contaminaret.

Parentius & Andreas ecclesiæ infensissimi.
c Ep. 340.
Desixi anathemate.

34 Aduersus Lucanos verò, qui vnà cum Parentio semel iterumque ab ipsis prætore creato in ecclesiarum bona inuaserant, qui ecclesiasticos viros durissime vexauerant, qui episcopum & clerum ciuitate exegerant, qui in deterius ruentes interdicti sententiam in se latam contemnebant, Pontifex ad Iannenses scriptis literis hæc decernit a: *Vniuersitati vestræ sub obtentu gratiæ diuinæ, ac nostræ, per apostolica scripta firmiter iniungendo mandamus, quatenus dictos ciues, donec præfatum Parentium a regimine suæ ciuitatis eiecerint, & .... episcopo, & clero Lucan. cum honorificentia debita reuocatis, eis de damnis, & iniurijs, ac Apostolicæ sedi de contemptu satisfecerint competenter, nullatenus receptetis, nec a vestris permittatis ciuibus receptari, nullumque cum eis exerceatis, vel a vestris exerceri permittatis commercium, vel cōtractum, nec eis soluat debita permittatis, nihilominus bona eorum, quæ ad terram vestram euenerint facientes interim detineri. Si qui verò huiusmodi mandatum scientes aliquos de prædictis ciuibus interim scienter in suis hospitijs receptauerint, vel tenuerint, aut contraxerint cum eisdem, aut debita ipsis persoluerint, hoc ipso sint excommunicationis vinculo innodati.*

Lucani ecclesiasticos pellūt.
a Lib. 6. ep. 341.
Prohibētur Ianuēses inire cum ijs commercia.

35 Post hæc cum Parentium, & Lucanos admissorum scelerum pœniteret, & misericordiam ab Apostolica sede episcopi, & cleri opera demisso animo postularent, pater optimus eius in terris vicem gerens, de quo scriptum est b: *Nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti*, illos ecclesiasticis censuris ab episcopo ipso, & priore S. Fridiani, ac Petro canonico Lucensi solui iussit c; ea tamen lege, vt plebiscita omnia, improbasque consuetudines cum Ecclesiæ libertate pugnantes, & canonicarum imperialiumque sanctionum auctoritati derogantes penitus abolere iureiurando interposito pollicerentur: latas post clericorum discessum contra ipsos eorumque ecclesias sententias reuocare, acta rescindere, castra, rura, loca, possessiones, bonaque alia ac iura ecclesiastica ab omni onere, violenta exactione, vectigali, idque genus alijs immunia perpetuo seruare, ecclesiarum bona non modò non inuadere, verùm inuasores pro viribus arcere, ecclesiasticæque libertatis tum apostolica, tum imperialia priuilegia sarta tecta habere; denique ecclesias in integrum restituere, ac malè percepta ecclesiasticis viris reddere. Per quod etiam tempus resipiscentes ciues Fanenses ob euersam Forosempronensem ecclesiā Christi fideliū commercio iam ante interdictos absolui imperat. d

Inflictis pœnis ad officium reuocati.
b 2. Pet 3.
c Hon l. 7. ep. 30.
Ecclesiastica libertas sancita.
d Ib. ep. 8.

36 Nec solùm aduersus Lucenses, sed in alios quoque Romanæ, aliarumue ecclesiarum iura inuadentes, Honorius inuehi, & animaduertere est compulsus, atque iterum latæ aduersus Vbaldum, fratrem fautoresque, qui Sardiniam infestarent, sibique per summam tyrannidem vindicarent, anathematis sententia comprehendere e. Prætores insuper Mediolanenses f, qui archiepiscopum suum insequerentur, & exulare cogerent, eique necem inferre molirentur, tum Cremonenses g, qui monachos S. Sauini Placentiæ perquam inhumaniter tractauerant. Adhæc grauiter reprehendit, tum Papienses h, quod nonnulla ecclesiæ bona vsurpassent, decretaque libertati ecclesiæ aduersantia edidissent, tum Fesulanum episcopum i, quod obedientiam a monasterio Vallis vmbrosæ Apostolicæ tantum sedi obnoxio exegisset. Neque illud hoc loco prætereundum silentio, Pontificem ipsum conatus filiorum * Æzolini Opitergium occupantium, a patriarcha Aquileiensi l, atque alijs m comprimendos curasse.

Renouatę in Sardiniæ inuasores censuræ.
e Ibid. ep. 387.
f Ep. 172. 425.
g Ep. 396.
h Ep. 373.
i Ep. 366.
* Ezelini
l Lib. 7. ep. 195.
m Ibid. ep. 592.

Per idem tempus cum Placentinus episc. in Vrbem ad Apostolorum limina quotannis hyberno tempore non sine maximo incommodo venire teneretur, nuntiumue mittere, atque ab Apostolica sede perijsset, iter hoc in mitius tempus differret, eius postulatis precibusque morem gessit n, mense maio ad id constituto.

n Lib. 6. ep. 152.

37 Cum vero de sacris Apostolorum liminibus perlustrandis inciderit mentio, abs re non erit illud referre, quod de muliere energumena in ęde B. Petri a dæmo-

a Cæſ. l. 9. c. 26
b Lib. 10. c. 48. ann. 1221.

dæmonis vexatione liberata narrat Cæſarius a: *Mulier quædam in Briſeke ſatis crudeliter hoc anno*, nimirũ 1223. quo auctor ſcribebat, vt ex ipſo ſupra b indicauimus, *vexabatur. Hanc diabolus, cũ eſſet quinquennis hoc ordine intrauit; die quodam cum lac manducaret, frater eius iratus dixit: Diabolum comedas in ventrem tuum: mox puella ſenſit eius ingreſſum, & vſque ad maturam ætatem ab illo vexata eſt. hoc anno primum meritis Apoſtolorum Petri & Pauli, quorum limina viſitauit, liberata eſt.* Hæc auctor atque alia ad hoc tempus ſpectantia, quæ eorum cupidus lector ab ipſo petere poterit. c

Correpta a dæmone mulier per luſtratis liminibus Apoſtolorum liberatur.

c Cæſ. l. 7. c. 3. 25. 40. 42. lib. 8. c. 13. 53. l. 9. c. 9. 28. lib. 10. c. 41. l. 11. c. 29. 37 l. 12. c. 58.
d Hon. l. 6. ep. 481.

38 Sed ad Honorium regrediamur, qui hoc ipſo anno indulgentias S. Mariæ Maioris baſilicam ſtatis diebus inuiſentibus ab ſe, alijſq; Romanis Pontificibus conceſſas, apoſtolicis literis confirmauit d: *Deuotio, quam habemus ad glorioſiſſimam Dei genitricem Mariam ſemper virginem nos inducit, vt ea quæ ad honorem ſtatuuntur ipſius, totis viribus amplexemur. Vnde ne vnius anni, & quadraginta dierum a felicis recordationis Xyſto III. in die conſecrationis baſilicæ S. Mariæ Maioris, ac vnius anni & quadraginta dierum a Clemente III. in ſolemnitate conſecrationis eiuſdem, quando lapidem altari maiori ſuperpoſuit conſecratum ab ipſo feſto conſecrationis, vſque ad octauas aſſumptionis eiuſdem beatæ Dei genetricis Mariæ, prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, nec non & vnius anni, & quadraginta dierum a nobis, veſtigijs inhærentibus eorumdem, ab eodem feſto conſecrationis vſque ad dictas octauas omnibus ſingulis deuote accedentibus ad eccleſiam memoratam conceſſa indulgentia poſſint ab aliquibus proceſſu temporis in dubium reuocari, eaſdem indulgentias præſenti pagina præcepimus annotari. & eas auctoritate apoſtolica confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Dat. Later. XIV. kal. aug. pont. noſtri an. VI.* e. Cæterum de Honorio ipſo hæc quoque in pontificio regeſto leguntur f: *Iſtos dominus Honorius Papa III. conſecrauit*, anno nimirum conſecrationis ſuæ ſeato, qui ad nonum diem kal. auguſti huius anni extenditur, *arch. epiſcopum Beneuentanum, epiſc. Norvvicenſem, epiſcopum Ortanum, epiſcopum Beluacenſem.*

e Lib. 7. ep. 37.
f Reg. Hon. l. 7. p. ſ. ep. 480.

Inſoliti terræmotus in Italia.
g God. in annal. ann. 1222.

39 Hoc anno terra ingenti concuſſa motu plura Italiæ loca diruta ac ſolo æquata fuere, quibus de rebus Godefridus g hæc annalium monumentis tradidit: *In Longobardia talis terræmotus fuit ipſa die natalis Domini per duas hebdomadas quotidie bis perdurans, vt in pluribus locis ædificia & eccleſias euerteret, homineſque cum ſacerdotibus opprimeret. Brixiam quoque ciuitatem fere totam cum populo obrueret, rupes de montibus euelleret, caſtra dejiceret, & ſic inauditas calamitates & miſerias perpetraret. Romæ etiam terra mixta ſanguine viſa eſt de nubibus pluere.* Hactenus ille, qui Coloniam etiam III. id. ianuar. magno terræmotu quaſſatam tradit. De terra ſanguine mixta cœlo miſſa adſtipulatur Pariſius: quamuis pluuiam hanc inſequenti anno de cœlo delapſam literis commendarit. Quod ad terræmotum pertinet, ijs conſentanea ſcribunt alij. Cæſarius vero auctor eſt h, Brixiæ tum ſupra duodecim hominum millia interijſſe, Mediolanenſes vero periculo conterritos vrbeque egreſſos, octo dies eoque amplius in tentorijs moratos. Quidnam vero in Cypro per idem tempus euenerit, huiuſmodi verbis enarrat i: *In anno præſenti, qui eſt milleſimus ducenteſimus vigeſimus ſecundus ab incarnatione Domini, ſicut narrant quidam de eiſdem partibus venientes, duæ ciuitates in Cypro a terræmotu corruerunt: in vna vero illarum, dum epiſcopus in altari ſtaret, miſſamque celebraret, eccleſia tremefacta cecidit, & tam ipſum quam reliquum populum extinxit.* Hæc porro, quantum ex ijſdem auctoribus colligitur, anno ſuperiori extremo incboata in hunc protracta fuere: quamuis Patauinus monachus l ea ad ſequentem annum reijciat. De huiuſmodi etiam terræmotu meminit Honorius Papa literis de Guillelmo epiſcopo Eboracenſi inter ſanctos referendo proximo anno aprilis menſe ineũte in Angliam miſſis, dum ait: *Nuper namque in pluribus locis Dominus terram tangens & faciens eam tremere multos conterruit ad ſalutem.*

Alia prodigia.
h Cæſ. l. 10 c. 49.
i Id. ibid. c. 48.
Duæ vrbes in Cypro terræ hiatu deletæ.
l Monar. Pat. chr. 1223.
Hon. l. 7. ep 182.

40 His expoſitis reſtat, vt res ſeptentrionales percurrat oratio. Non ſolum Honorius aduerſus Sarracenos Hieroſolymitana loca occupantes, violanteſque, verum aduerſus alios quoque Chriſtianæ, & catholicæ fidei perduelles cruceſignatos hoc anno monitis ac iuſſis ſuis impulit. Fideles, qui nuper in Liuonia Chriſtianam religionem ſuſceperant, infeſtabant, atque acriter inſectabantur ethnici illarum regionum; quamobrem ſummus Pontifex Chriſti fideles Saxones literis ſuis a in impios inflammauit, & in Liuoniam aduerſus illos proficiſcentibus, eam peccatorum veniam indulſit, quæ ab œcumenica ſynodo ſubſidio Terræ S. euntibus tributa erat. Tum grauiter in Templarios inuehitur b, qui Liuones recenter ad Chriſtum traductos, de quibus modo memoraui, magna cum eorum offenſione vexarent & iniqua alia perpetrarent. Deinde iudicium, quo ferro candenti cum recens baptizatis in Liuonia temere exercebatur, penitus remouendum decernit c. Poſt Rhutenorum quorumdam audaciam cohiberi iubet d, qui Græcos ritus in eam prouinciam inducere conarentur.

Liuonia a barbaris infeſtata.
a Lib. 6. ep 181.
In eos fideles excitati.
b Ibid. ep. 218. & 220.
Iudicium candentis ferri periculo exercens vetitum.
c Ep. 210.
d Ep. 221.

41 Ad excolendos ſacrarum literarum ſcientia eccleſiaſticos perpoliendoſque Eberhardo Salisburgenſi archiepiſcopo cuiuſdam monachi aſſumendi poteſtatem permiſit e, qui ex præſcripto generalis concilij canonicos eccleſiæ illius theologicis inſtitutis erudiret, quo ſacras conciones habere ac partas cœleſtis doctrinæ opes poſtea in populos transfundere poſſent. Dein archiepiſcopum Magdeburgenſem, eiuſque ſuffraganeos ſacrificijs interdicere, atque a reliquo fidelium cœtu & communione ſeiungere iubet f nequiſſimos, ac ſæuiſſimos quoſdam, qui abbatem Niemburgenſem oculis orbant ac mutilarant: nonnullis vero Colonienſis diœceſis eccleſiaſticis viris iniunxit, vt Lotharingiæ ducem g perpellerent ad ſatis præpoſito S. Mariæ ad gradus faciendum, a quo ad Apoſtolicam ſedem properante, & in vincula a ſe coniecto ducẽtas marchas vnà cum iureiurando eas non repetendi extorſerat. Quod rurſus attinet ad Magdeburgenſes res; conſtruebatur h ibi per id tempus magnis ſumptibus nobiliſſimum S. Mauritij templum, cuius fundamenta Vgolinus Oſtienſis epiſc. ac Leo S. Crucis presb. Card. Apoſt. ſedis legati iecerant; cumq; ad perficiendum illud opes deeſſent, Honorius cunctis Chriſti fidelibus ſacra cõfeſſione expiatis criminibus eandem eccleſiam feſto martyris die, vel etiam infra octauas luſtraturis, & pecuniam, & ſubſidia pro opere perducendo collaturis quadraginta dies ex iniuncta ipſis pœnitentia remiſit. Interea Gregorio Creſcentio S. R. E. diacono Cardinali & Apoſtolicæ ſedis in Germania legato vetuit, ne Pragenſem epiſcopum Bohemiæ regnum ingredi cogeret, niſi antea epiſcopi ſecuritati cautum eſſet.

e Ep. 224.
f Ep. 238.
g Ep. 244.
h Ep. 362.

42 Eodem anno poſtulatus ab Andrea Pannoniæ Rege, vt fidem ſuam, quam multiplici iuriſiurandi nexu ad eximendum e vinculis filium improbis hominibus vel inuitus obligauerat, ſolueret, id ei reſponſi dedit i Pontifex: *Nuper ex parte tua fuit propoſitum coram nobis, quod cum dudum.. Regi nato tuo ſecundo genito ad regnum Galetiæ ſibi datum per venerabilem fratrem noſtrum Strigonienſem archiepiſcopum auctoritate ſedis Apoſtolicæ coronato in Regem... filiam nobilis viri... ducis Poloniæ matrimonialiter copulaſſes; tam a te, quam ab ipſo duce corporali iuramento* pra-

Vngariæ Rex ſacramenti ex ſortis religione ſolui poſtulat.
i Ep. 204.

præstito, quod neuter vestrum dissolui huiusmodi matrimonium procuraret, quinimmo Regem prædictum in obtinendo regnum ipsum defenderetis toto tempore vitæ vestræ, casu sinistro accidit Regem ipsum cum sponsa sua, & pluribus alijs viris nobilibus a tuis hostibus capturari, & tamdiu extra regnum ipsum mancipatos custodia detineri, donec necessitate compulsus, cum ipsos aliter liberare non posses, iuramento præstito promisisti, quod & . . . filio tuo tertio genito concesseris ipsi regnum præfatum . . . filiam nobilis viri Misözlau matrimonialiter copulares, super quo vtique apostolicæ prouisionis suffragium postulasti.

Colomanus cum sponsa ab hostibus carceri traditus.

Qua lege liberatus.

43 *Nos igitur hæc, & alijs petitionibus tuis in præsentia fratrum nostrorum diligenter expositis, de ipsorum consilio iuramentum huiusmodi tñ eo duntaxat, quod regnum prædictum alij Regi auctoritate apostolica coronato primo concessum tetigisse videtur, tanquam illicitum & primo iuramento contrarium decreuimus non tenere. In eo vero quod spectat ad aliud matrimonium contrahendum; expedire non videmus, vt absoluaris a nobis. Cum enim, sicut accepimus, præfatus filius tuus, & filia supradicti M. . in minori existant constituti ætate, antequam ad nubiles annos perueniant, tibi cautius, & consultius prouideri poterit in hoc casu. Super eo autem, quod causam, quæ vertitur inter te, & charissimam in Christo filiam nostram Constantiam Romanorum Imperatricem semper Augustam & Reginam Siciliæ, ad nostram petijsti audientiam reuocari; noueris nos eidem Imperatrici nostras super hoc literas destinasse, credentes, quod & ipsa velit libenter, vt idem negotium ad Apostolicæ sedis remittatur examen, &c. Dat. Lat. vi. kal. febr. pontif. nostri anno vi.* Quibusdam etiam præsulibus Vngaris de contractis Belam inter ac Græcorum Regis filiam sponsalibus, inquitendi prouinciam demandauit [a], cum ijs solui Vngarus a Pontifice flagitaret: inde vero apostolicis literis ad cunctos Pannoniæ episcopos in Regis gratiã missis, perduellium conatus reprimi iubet [b]. Cæterum quamuis Andreæ Regis iussu filius regni insignia acceperit, ipsi tamen Regi omnes fidos obsequentesque esse imperauit.

Absoluitur Andreas a sacramento dato.

a Ep. 401.

b Ep. 404. & lib. 7. ep. 52.

44 Hoc interim spatio hæretici Albigenses motus in Gallijs excire, omnia perturbare, orthodoxos insequi, & vexare, catholicam religionem afficere contumelijs, proterere, sacra denique inquinare, conculcare ac polluere [c]. quamobrem Honorius Francorum Regem, principes, populosque aduersus illos excitare, inflammare, impellere. ad posteros enim transfusæ sunt apostolicæ literæ [d] eadem reexaratæ, quarũ ad Regem datas afferemus: *Nosti fili charissime, quantum his temporibus sancta Ecclesia, peccatis nostris exigentibus, grauiter sit concussa, maxime circa partes Albigẽsium intra terminos regni tui. Hæretici manifeste impugnant Ecclesiam Dei, & aperte prædicant contra fidem nostram, scholas infidelitatis tenentes, & episcopos suos contra nostros in totius sanctæ Ecclesiæ dedecus erigentes. Quantum autem laborauerit Romana Ecclesia ad exstirpandam de regno tuo pestem illam, non tantum per censuras eccles. verum etiam auxilium temporale in personis, & rebus, quod potuit, impendendo, ad tuam, & omnium fere notitiam credimus peruenisse.*

Albigensium hæres. in Gallijs recrudescit.

c Cæs. l. 5. c. 21.

d Ep. 399. 383.

45 *Scire autem debes fili charissime, quod secularis potestas tenetur rebelles gladio materiali comprimere, quos spiritualis gladius non potest a sua malitia cohibere; & quod principes terrarum debent purgare malis hominibus terras suas, ad quod etiam si negligentes extiterint a sancta Ecclesia de iure possunt compelli. Cum igitur alijs principibus scribamus, vt purgent ab hæreticis terras suas, & pestis illa in regno tuo solito acrius inualescat, vt iam videantur inimici fidei, quod dolentes referimus, præualere, & infideles de fidelibus triumphare, tuam decet excellentiam, si honori tuo, & saluti animæ tuæ vis, sicut teneris, consulere, dictos hæreticos de regno tuo cum ipsorum fautoribus tam potenter, quam celeriter expugnare; ne si diutius differas, fides ibi omnino pereat, illud residuum terræ, quod tenent catholici, amittatur, & quod timendum est, pestis illa ad loca etiam tibi proxima se transfundat: quantum autem Ecclesiæ Dei, ac toti regno tuo posset inde periculum imminere, tuam discretionem non credimus ignorare.*

46 *Ne igitur tuo defectui, vel nobis, qui te ad expellendum dictos hæreticos debuimus excitare, sicut multoties improperatum est, nobis fidei submersio possit aliquatenus imputari, excellentiam tuam rogamus attentius, & exhortamur in Domino, quanturocumque possumus affectu, de communi fratrum nostrorum consilio requirentes, & in tuorum remissionem peccaminum iniungentes, quatenus terram illam totam, quam in partibus illis a te in feudum immediate comes tenuit Montisfortis, cum eam comes ipse non sufficiat defensare, & iam obtulerit eam tibi, sicut per solemnes nuntios, & fide dignos . . Nemausen. & . . Bitteren. episcopos, & per literas ipsius comitis, quas inde confectas vidimus, nuper nobis innotuit, in dominio tuo accipias, a te, & hæredibus tuis libere deinceps & quiete in perpetuum possidendam, & ad releuationem dicti negotij nobiscum sito, & viriliter, sicut regiam decet magnificentiam, te accingas, ita tamen, quod terræ illius dominium extra manum tuam, aut filiorum tuorum nullatenus alienes.* Certe ditionem Raymundi comitis Tolosani, Albigensium patroni, ademptam ipsi fuisse, & Simoni Montisfortis comiti catholicarum partium pijssimo ac strenuissimo duci adiudicatam a Lateranensi synodo suo loco dictum est ac Papa Honorius testatur [a]. qui pergit:

Almaricus Tolos. comitatus iura Regi Gall. transmittit.

a Ibid. ep. 486.

47 *Pro certo autem scias, quod Raymundum quondam Tolosanum comitem, & filium eius cum eorum fautoribus dudum excommunicauimus, nec ad emendationem, licet benigne admoniti, volunt, vt debent, sed contumaciter in sua malitia perseuerant. Ad promotionem verò huius negotij tam de vigesima, quæ propter hoc colligitur, & indulgentijs ijs, qui contra Albigen. crucem assumpserint, faciendis, quam de protectione, & defensione terræ tuæ, si aliqui, quod absit, in te vellent insurgere, quamdiu vacaueris huic negotio Iesu Christi bona fide, consilium quod poterimus, & auxilium impendemus. Dat. Alatri 11. id. maij pont. nostri anno vi.* Hactenus ad Regem Pontifex: cuius etiam de vigesima cogenda atque ad bellum aduersus hæreticos conferenda plures epistolæ [b] extant.

b Ep. 378. 382. 383.

48 Quod ad Raymundum seniorem pertinet, cuius in recitatis modò literis meminit Honorius; Tolosam, vt dictum est, occupauerat, atq; hoc eodem anno repentina morte augusti mense ereptus est, ecclesiastica sepultura priuatus, quia nondum Bernardi tempore donatus & cohonestatus erat, qui hæc omnia literis consignauit [c], quique eum Ecclesię Dei aduersarium & sathanam appellat. Eo extincto Raymundus filius de pace cum comite Montisfortis ineunda agitare cœpit, de qua scripsit etiam Honorius tum ad Regem, tum ad episcopum Portuensem. [d] Prætereundum vero non est hoc anno septembri mense cometam apparuisse, quem monachus Patauinus [e], proximum Philippi Francorũ Regis obitum portendisse ait, idemque Philippi gestorum scriptores [f] tradidere. Addit Cæsarius [g] ad duas hebdomadas post occasum solis visum mole admodum ingenti emicuisse, Iudæos vero Messiæ prænuntium esse arbitratos. Sed ineptijs Iudæorum relictis, ad grauiora nos conferamus.

Raym. senioris mors infausta.

c Bern. in chro. Rom. Pont. & Com. Tolos. ann. 1222.

Caret sepultura.

d Hon. l. 7. ep. 13.

e Monac. Pat. chron. lib. 1. ann. 1222.

f Rig. de gest. Phil. Aug. Fr. et Reg. Guill. Brit. Philipp. l. 12

g Cæs. l. 10 c. 20.

49 Rogatus Romanus Pontifex ab episcopo Diensi, vti sanctorum catalogo adscriberet Stephanum eius decessorem, qui innumeris miraculis coruscaret, & ad cuius tumulum maximi hominum concursus ex varijs Christiani orbis regionibus fierent, episcopum Portuensem legatum, paulo ante memoratum diligentissime iubet [h] inquirere de serui Dei vita,

Inquiritur de vita & mirac. B. Steph. Dien. ep.

h Ep. 27.

subsidium exhibere. Quia igitur Mauri, quibus terra ipsius noscitur esse contigua, eum adeo crebris lacessere dicuntur iniurijs, vt credatur vix posse contingere, quin tandem inter eos guerra manifestior oriatur, vos tanto studiosius contra illos volentes assistere dicto Regi, quanto certius est eos non solum ipsius Regis, sed etiam Christianorum omnium existere inimicos, vniuersitatem vestram rogamus, & obsecramus in domino Iesu Christo, ac in remissionem vobis iniungimus peccatorum, quatenus si forte ipsi Mauri guerram Regi fecerint sæpe dicto, eidem pro reuerentia Iesu Christi, & honore nominis Christiani, personarum & rerum auxilium viriliter, & efficaciter impendatis, vt ipsorum Maurorum feritas, auctore Domino, per vestræ virtutis auxilium comprimatur, &c. Indulgentiarum præmia ijs, qui ipsi in eo bello auxilia tulerint, pollicetur. *Dat. Alatri* XVII. *kal. iul. pont. nostri an.* VI. Verùm posthæc Regem ipsum reprehendit [a], ob inducias a se cum Mauris initas nobili viro G.... Garziæ de Tagra nuncupato ordinis militiæ S. Iacobi aduersari, ne Christianæ religionis hostea lacesseret, aduersus quos cum suis toto vitæ tempore bellum gerere decreuerat, ac vetuisse, ne quis illi in suo regno comeatus aliaq; bello necessaria venderet: quocirca monet a cœptis desistere, suumque illi potius fauorem liberaliter explicare cohortatur.

Bellũ 'parattro Christianos adesse iubet Honorius.

[a] *Lib. 7. ep. 35.*

IESV CHRISTI
Annus 1223.

HONORII PP. III. annus 7. | FRIDERICI II. IMP. 4. ROBERTI IMP. 3.

1 CElebratum est de redintegranda Hierosolymitana re anno Christi millesimo ducentesimo vigesimo tertio indictione vndecima militare cõcilium in Campania, cui Honorius Romanus Pontifex, patriarcha Hierosolym. Fridericus Imperator, Ioannes Rex Hierosolymorum, ac religiosorum equitum magistri, alijque viri principes interfuerunt. Extant de tanto præclarissimorum virorum conuentu, deque ferendo subsidio Honorij ad Philippum Francorum Regem binæ literæ [b], quarum posteriores, cum rei gestæ rationem atque ordinem exactius declarent, exscribemus.

Celebre in Cãpan. habitum colloquiũ de re Hier instauranda.

[b] *Non. Lg. ep 141. 176.*

Regi Francorum ill.

Iustus Dominus in omnibus vijs suis, qui vnicuique pro meritis condigna retributione respondet, circa negotium Terræ sanctæ spem populi Christiani fouit aliquando prosperis, & interdum debilitauit aduersis. O quantùm Christicolis videbatur arridere prosperitas! O quantum illuxisse credebatur fidelibus feliciũ aurora successuum, quando crucesignatorum exercitus Ægyptum aggrediens, post turrim captam, post transitum fluminis, post hostes exterritos, in aduersariorum stationibus castra fixit, & Damiatam, quæ robur censebatur Ægypti, duris obsidionis angustijs coarctauit! Res quidem agebatur miraculi, vt Dominus, qui elegit infirma mundi, vt confunderet fortiora, ciuitatem expugnationi difficilem, eo tempore tradidit gerentibus bellum eius, quo inualuerat multum partis aduersæ potentia, & abbreuiatus erat non modicum nostrorum numerus bellatorum.

Quid gestum in eo sit Hõ. Philippo Franc. Regi significat.

2 Habebat autem in ijs vniuersitas Christiana, vnde protenderet, quasi certæ spei fiduciam in futurum; verum succedentibus prosperis victores obliti nomen Domini post triumphum, dato virtutibus libello repudij, sic contraxere cum vitijs, quod derrahebatur fidei, vbi conuertendi fuerant infideles, & maior erat peccatorum commissio, vbi maior remissio sperabatur. Quapropter prouocatus Dominus dexteram in sinistram, & gratiam mutauit in iram, citharam nobis vertit in luctum, & gaudium transtulit in mœrorem cum nostris in manu hostili conclusis, & perdita Damiata, breui dierum numero sic exinaniti sunt temporis longi labores, quod non solum blasphemorum iniurijs nomen est expositum Christianum, verum etiam quoad aliquos, qui aliquando communicauerant fidei, contemptui datus est ipse Christus; vnde facta est durior post prosperitatem aduersitas, & eo minus habuerit cõsolationis afflictio, quo minus argumenta prosperitatis præteritæ, subsecutæ iacturæ pari poterat coniecturam. Sed licet iniquitates nostræ quandoque diuiserint inter nos, & Dominum nostrum, non est tamen aggrauata eius auris, vt non exaudiat, nec abbreuiata manus eius, vt saluare non possit: misericordiam quippe non continebit in ira, quin saltem propter nomen suum, ne vlterius blasphemetur in gentibus, potenter exurgens, iudicet causam suam, & exaltans humilem in salutem, iniquos abigat, & consternat elatos.

3 Ecce ipsius inspiratione, vt firmiter credimus, charissimus in Christo filius noster Fridericus illustris Romanorum Imperator semper Aug. & Rex Siciliæ, omissis multis arduisque negotijs, quorum onus honorem imperialis celsitudinis sequebatur, venit ad nos in Campaniam nobiscum de prædictæ terræ subsidio tractaturus, ibique præsentibus venerabili fratre nostro patriarcha, & charissimo in Christo filio nostro Ioanne illustri Rege Hierosolymitano, Bethlehemitano episcopo, magistro Hospitalis, præceptore Templi, & magistro domus Theutonicorum, ac alijs, quos ad tractatus huiusmodi e diuersis mundi partibus credidimus adhibendos, singulis, quæ natura negotij requirebat, diligenti meditatione pensatis, idem Imperator ad nostrum beneplacitum, & consilium prædictorum transfretandi terminum, in festo B. Ioannis Baptistæ post biennium proximo secuturo prompta voluntate suscepit, corporale super hoc exhibens spontaneus iuramentum.

Pollicetur Fridericus in Syriam expeditionẽ ducturũ.

4 Denique vt ad id plenius suum manifestaret affectum, & plus fidei daretur negotio, ac omnino suspicionis contrariæ scrupulus tolleretur, ad instantiã patriarchæ prædicti, & aliorum orientalium in nostra, & fratrum nostrorum præsentia, & multitudinis hominum, qui ad colloquium venerant, se ducturum in vxorem legitimam filiam Regis eiusdem, iurisiurandi religione firmauit. Sane probabili præsumptione tenemus, quòd a Domino factum est istud, vt votis fidelium optatæ rei successus exoluat, quòd præconceptæ spei præludia promiserunt ad sui restaurationem negotij tuum, & aliorum Regum, ac principum animos ipse Filius summi Regis accendet, qui de secreto Patris, in publicum egressus ad seruos, ad ima descendit, vt subditis ad summa pararet ascensum sub resta nostræ mortalitatis, figulus in terris visus, & cum hominibus conuersatus. Tuum procul dubio expetit & expectat auxiliũ causa Christi, & probatam domus tuæ potentiam desiderat Terra sancta. Nunquid non habuerit de iuuentutis tuæ primitijs, & de maioris ætatis reliquijs, quasi de vitæ decima non habebit? O quantum accresceret eiusdem terræ subsidio, si de propagata deuotione patris in filios per vnum ex ipsis subuenires in tantæ necessitatis articulo crucifixo! O quàm magnifice ad succursum deuota Gallia se pararet, vt mittenti placeret, & misso! Absit, vt post terga remaneat, quæ præcedere consueuit. Absit, vt tam salutari Christi seruitio gens tam Christiana se subtrahat. Absit, vt quæ pro Domino hactenus onera multa sustinuit, in peculiari bello Dei Filij soluat militiæ cingulum, arma relinquat rubigini, animum neges victoriæ, cum corona non desit victoribus per gratiam & meritum in præsenti, per gloriam & præmium in futuro.

Filiã Regis Hierosoly. sibi despondet

5 Hinc est quod excellentiam tuam affectuose

Ee 2 roga-

Hortatur Honorius Reg. Fräc. iungat arma cum Friderico.

rogamus, serenissime Regum, & a te instanter poscimus Christianissime principum, obsecrantes per Patrem & Filium, & Spiritum sanctum, per sanguinem Iesu Christi, vt exurgas in adiutorium Christi tui, qui quodammodo in se prodigus, & parcus in seruis, temporali morti se tradidit, vt te a faucibus mortis eriperet sempiternæ. Exurgas, & liberes terram illam, in qua salutem humani generis operatus est personaliter ipse Saluator. Exurgas ad contritionem nationis prauæ, atque peruersæ, quæ vbi sit Deus Christianorum improperat, & multis insultat opprobrijs nomini Christiano. Et quidem illatas subditis tuis offensas vlcisceris, & Dei tui non vindicabis iniurias tam atroces? Ad hæreditates tuorum manus inuasorũ extendi non pateris, & patieris hæreditatis Dominicæ tãto tempore detentores? Ne igitur in Deo periculose dissimules, quod iuste non tolerares in homine. pungat cor tuum tui contumelia Creatoris, accendat te zelus fidei Christianæ, vt sic in forti manu, & extento brachio terræ memoratæ subuenias, quod insinuato nobis subuentionis tuæ proposito, ante faciem aliorum te fructuose ponamus exemplar, in tuis laudibus gloriantes, tibique accrescat cumulus meritorum non solum ex ijs, quæ feceris per teipsum, sed ex alijs etiam, quæ facti tui similitudine subsequantur. *Dat. Later.*] Hactenus Honorij ad Philippum epistola: postquam subditur in pontificio regesto alias eodem exemplo, nõnullis verbis immutatis, Regibus Pannoniæ, Angliæ atque alijs missas esse. Ijs consentanea scribit inter cæteros Richardus a.

a Rich. de S.Germ. in chron. an. 1222.

1223. Ipsum inter & Angl. inducias producit.

6 Cæterum prioribus ad Philippum literis ait Põtifex, se in prædicto colloquio, pacem ad parandam vbique subsidia maxime pernecessariam inter principes, ac populos Christianos inuiolate seruandam statuisse, ipsumque etiam atque etiam rogare & monere, cum Anglo pacis fœdera ineat, vel saltem induciarum tempus protrahat, quas adhuc seruarant: moueret ipsum effusus Christi sanguis, quo æterno Patri reconciliati sumus, secumque volueret, & repeteret mente, cui cum proximo suo pax non est, animi tranquillitatem, sine qua pacis æternæ præmia non feruntur, vix aut nunquam adesse. Denique Norvvicensi episcopo, magnæ probitatis viro, quem idcirco ad illum legarat (erat is Pandulphus in legationibus Apostolicæ sedis obeundis sæpius adhibitus ac versatissimus, ex subdiacono Rom. Ecclesiæ, episcopus creatus) benignas aures daret, eiusque monitis acquiesceret. Philippum porro ex voluntate Pontificis inducias se prorogaturum pollicitum, sed ne perficeret, ipsius obitum obstitisse. Pontifex literis ad Ludouicum Regem eius filium, ac successorem insequenti anno datis testatur. b

b Hon. l. 8. ep. 282.

7 Quod attinet ad pactas nuptias inter Fridericum (cuius vxorem Constantiam Aragonum Regis filiam superiori anno postremum diem obijsse indicat Stadensis affirmatq; Richardus c) & Isabellam Ioannis Hierosolymitani Regis filiam; ademit Pontifex cognationis impedimentum, quod inter eosdem intercedebat, dato ad Fridericum huiuscemodi diplomate d: *Cum zelo fidei Christianæ succensus, & inspirante Domino aspirans ardenter ad vindicandam iniuriam Iesu Christi, & terram eius de perfidorum manibus vindicandam accepta cruce illuc denoueris transfretare, ac vt exhiberes circa Christi causam feruentioris deuotionis affectum, & ad persecutionem eius te arctius obligans, alios ad id efficacius exhorteris fastigium excellentiæ Imperialis decenter humilians, ad consilium nostrum, & fratrum nostrorum nobilem mulierem I... natam charissimi in Christo filij nostri I.. illustris Regis Hierosolymitani, affidaueris publice in vxorem; nos prouide attendentes, quod tanta res, quæ noscitur principaliter Dei esse, non erat impedimento aliquo retardanda, sed potius fauore beneuolo prosequenda, impedimentum consanguinitatis, vel affinitatis, si quod obsisteret, tunc decreuimus submouendum: et nunc, vt non obstante, quod in quarta consanguinitatis linea eadem I... tibi dicitur attinere, legitime copuleris, auctoritate præsentium dispensamus. Dat. Signiæ non. aug. pont. nost. an. 8.* Celebratas vero Brundusij an. MCCXXV. scribit Richardus.

c Rich. de S.Germ. in chron. Constantiæ mors. *d Hon. l. 8. ep. 7.*

8 Porro de Ioannis ad Pontificem aduentu memorant plures auctores, quos non operæ est recensere: illumque non solum ab Honorio benigne exceptum, verum muneribus quoque donatum, & in Angliam dimissum referunt cum alijs nouatores a. Et quidem auctor est Matthæus Parisius b. Ioannem Brennum Hierosolymitanum Regem, sub octaua Apostolorum Petri & Pauli in Angliam subsidia petitum venisse; inde in Gallias regressum solemni pompæ interfuisse, in qua Philippo vita functo, Ludouicus regijs insignibus decoratus est, vt anonymus auctor c, Antoninus d, & alij affirmant. Atqui non Ioannes modo, sed etiam maxime Honorius subsidia bellica pro Hierosolymitano regno comparanda curauit, vt eius ostendunt literæ ad Lantgrauium Thuringiæ e, ad ducem f & populum Venetum, ad Austriæ ducem g, ad archiepiscopum Pisanum h eiusque suffraganeos & Christiani orbis episcopos alios: quibus etiam præcepit, vt expeditionem sacram indicerent, ac pro concionibus promulgarent; & quemadmodum laici pecuniam ad subsidium Terræ sanctæ conferre tenebantur (qua de re ad Galliæ, cæterosque Reges scripsit i) ita clericos quoque ad idem præstandum impellerent. Præterea refert Godefridus l Pontificem concionatores misisse, ac sparsisse, qui Christi fideles ad sacræ militiæ dandum nomen oratione incitarent.

Io. Reg. Hier. in Angl. appullit.

a Cent. 13 c. 10. col. 990. b Paris. hist. Angl. an. 1223. c Anony. in gest. Lud. 8. d Anton. 3 par. tit. 19 c. 3. § 6. e Hon. l. 7. ep. 178. f Ibid. ep. 179. g Ep. 181. h Ep. 183. 177. i Ep. 180. l God. in annal.

9 Incendere etiam magis ad cœpta consilia vrgenda Honorium tristes Alexandrini patriarchæ literæ, quibus miseram Christianorum in Ægypto cõmorantium, quos Sarraceni recuperati Pelusij victoria elati intolerabili seruitutis iugo atterebant conditionem exprimebat, pontificisque atque occidentalium misericordiam implorabat, tum non contemnenda pro debellanda Ægypto consilia suggerebat.

Christiani in Aegypt. a Sarracenis opprimuntur.

Reu. in patri, ac domino Honorio Dei gratia S.R.E. summo Pontifici, & vniuersali Papæ, Nicolaus eadem gratia Alexandrinæ sedis humilis patriarcha, tam promptam, quam debitam reuerentiam.

m Regest. Hon. l. 8. ep. 24.

Archiepiscopi, episcopi, presbyteri, clerici, ac omnes Christiani, qui sunt in terra Ægypti, vestræ paternitati, atque sanctitati supplicant, cum suspiriosis, & lacrymosis vocibus. O quanta est tribulatio, & angustia, quæ in hac vita nobis data est ad sustinendum, credimus iam vobis clarificatum esse, quamuis vt non fiat, vobis domino nostro, prout possumus, patefacimus. equum in domibus nostris habere non audemus, nec mortuos nostros cum cruce per ciuitatem portare non sumus ausi. Quod si aliqua ecclesia Christianorum aliquo casu ceciderit, de cætero nullo modo sumus ausi eam reædificare, & vnusquisque Christianus de Ægypto a quatuordecim annis in antea oportet dare geliam, Latine autem dicitur tributum, bixantium vnum auri, & quatuordecim karubbas, & si pauper erit, mittitur in carcerem, & non poterit inde exire, nisi reddat totam geliã, idest tributum; tot & tanti Christiani sunt in terra Ægypti, quod omni anno oportet reddere curiæ soldani centum mill. bizant. aureos sarracenatos de Babylonia. Quid plura vobis referam? cum ad omnia vituperabilia, & sordida opera, & etiam ad plateas ciuitatis mundificantes mittantur Christiani; quod est dedecus totius Christianitatis. Hierusalem, quæ ædificatur vt ciuitas, qualiter iacet destructa, in terra & desolata, non oportet vobis scribere. Scitum est per vniuersum orbem de facto Damiatæ, qualiter vituperabi-

liter

liter factum fuit, non oportet per literas assignare, quod turpissimum est dicere.

10 Miserere itaque domine, miserere nostri, veni, & libera nos pater noster spiritalis. Sicuti sancti ante aduentum Christi expectabant redemptionem, & liberationem a Christo saluatore, ita expectamus aduentum filij vestri Imperatoris, & non solum nos expectamus hanc gratiam, sed etiam renegati plus quam decem millia, qui dispersi sunt per terras Sarracenorum. Hoc non est omittendū, sed semper in corde tenendum, qualiter cum venerit, facere debeat dominus Imperator. Hæc est via saluationis, & sanitatis, & sine perditione, annuente Domino; scilicet galeæ, & naues, quantæcunque fuerint, per flumen Rasceti intrent, & ad villam, quæ sita est in insula fluminis, quæ vocatur Foha, ibi applicent, & sic Domino concedente habebunt totam terram Ægypti sine perditione. Flumen Rascetum est profundum, & altum, & latum, & dicta insula plena omnibus bonis, sicut lator præsentium fidelis, & familiaris noster poterit vobis narrare, cognouimus eum prudentem, & discretum super hoc, & ob hanc causam vobis eum misimus. Vnum quidem pessimum factum fuit in terra Ægypti ad dedecus Christianorum, scilicet pro facto Damiatæ, quod c. xv. ecclesiæ factæ fuerunt destructæ. Per viuentem in secula non mentior. Valeat manus vestra super inimicos crucis Christi. Sarraceni, qui dicuntur molenæ, idest domini, qui ante saladinum regnum Ægypti tenuerunt, vestræ sanctitati supplicant, & rogant per Deum, vt festinetis mittere, quem missuri estis, quia tota terra Ægypti vestra est. Valete.] Quam vero sedulò postulatum præsidium Honorius pararet, ea quæ diximus satis superque ostendunt.

Suggerit cōsilia pro inuadenda Aegypto.

11 Nec tantum ad repellendam Christianorum illorum sub Sarracenis gementium miseram seruitutem, sed ad catholicos etiam Græcorum schismaticorum tyrannide in orientali Imperio liberandos tuendosque, ipse occidentalibus in regionibus tanquam classicum cecinit. Inuadebant illi per id tempus Thessalonicense regnum, quocirca Demetrius Rex, vti superiori anno vidimus, ad Romanum Pontificem opem postulatum confugerat, qui Pontifex missis ad vniuersos Christi fideles apostolicis literis a ipsos cohortatus est, in crucesignatorum numerum venirent, cum Guillelmo marchione Montisferrati, pulsi Regis fratre, ad recuperādum Thessalonicæ regnum, in Græciam profecturi: atque amplissimam peccatorum veniam a se illis Arelatensem episcopum per prouinciam suam b, aliosque, vti credere dignum est, per alia loca promulgare iubet, de qua etiam peccatorum venia, hæc ad virum nobilem V.... Cotinacensem scripsit: c

Imperiū Const. laceratur a schismaticis.

a Hon. l. 7. ep. 147.

Guillelm. marchio Montisfer fratrem restituere nititur.

b Ibid. ep. 150.

c Ep. 149.

12 *Dilectus filius nobilis vir Vvillelmus marchio Mōtisferrati ad defensionem regni Thessalonicensis, quod ad ipsum hæreditario iure noscitur pertinere, magnanimiter se accingens, proposuit coram nobis, te ad eundem cum ipso promptam gerere voluntatem. Nos igitur attendentes, quod eius accessus ad partes illas toti Constantinopolitano Imperio grandem potest vtilitatem afferre, considerantes etiam, quod corroboratio status Imperij multum est vtilis negotio Terræ sanctæ, tibi, & ijs, qui tecum transibunt in Græciam in eiusdem auxilium marchionis, peccatorum, de quibus vere contriti fueritis, & confessi, plenam veniam indulgemus. Dat. Later. III. id. maij pont. nostri an. VII.*

Excitari ad præbēda illi auxilia fideles.

13 Incubuit etiam Pontifex ad Theodori vires debilitandas subducendaque auxilia, quæ illi Larini afferebant, atque adeo fidelium cœtu pulsum, inustumque anathematis nota promulgari iussit, vetuitque ne Latini equos, arma, annonam, milites, idq; genus alia in eiusdem Theodori loca nauibus vel triremibus inueherent: qua de re pontificiæ literæ ad canonicorū Brundusiensiū collegium eo anno datæ a.

Auxilia Theodoro submitti vetita.

Per idem tempus Honorius M... Imperatricis olim Constantinopolitanæ patrocinium arripuit b. Tum rogatus ab episcopo Nicomediensi, quomodo habendi essent Græcorum monachi, Romanæ Ecclesiæ fidos obsequentesque se fore polliciti, qui Græco cuidam patriarchæ Niceno appellato obedientiam detulissent: respondit c eos censuris ecclesiasticis, atque implorato magistratuum auxilio, si res posceret, ad obsequium Ecclesiæ adigendos. Denique Athenarum archiepiscopo absoluendi prouinciam commisit d redeuntes ad Ecclesiam piratas, quibus vulgo Capelletis nomen erat. At de his hactenus.

a Hon. ib. ep 148.

b Ep. 110.

c Lib. 4. ep. 31.

Capelleti piratæ ad ecclesiam reuocati.

d Ib. ep. 61

14 Iam ad Fridericum redeamus, qui certiorem in primis Pontificem fecit e de pace cum comite Thomasio e Celanensi, eiusque socijs, cum quibus bellum gesserat, a se inita: cuius etiam conditiones ab ipso confirmandas aprilis mense exeunte misit. Fuisse vero Romanæ Ecclesiæ opera potissimum compositam tradit Richardus f, ijs legibus, vt comes cum suis rebus, ijsque qui sequi vellent, regno abiret, Celano, Binolo, alijsque, quæ teneret, deditis Imperatori; Molisij tamen comitatu eius vxori reseruato: tuncque eiectis Celanensibus, vrbi iniectas flammas sola ecclesia S. Ioannis seruata, locoque Cæsareæ nomen impositum; de cuius vastitate elegans poeta ita lusisse refert auctor:

Fridericus cum Celani comite pacē init.

e Lib. 7. ep. 228. 229. 230.

f Rich. de S. Ger. hoc an.

Vires & nomen Celanum perdit & omen,
Fertur Cæsarea, cæsaque facta rea.

Deinde oratorem suum ad Apostolicam sedem misit postulatum, vt duo ex ijs, quos ipse renuntiabat, ecclesijs Capuanæ & Auersanæ, pastore viduatis episcopi præficerentur: cumq; Pontifex in aduentum aliquorum Cardinalium rem distulisset, eaque de re ad principem ipsum scripsisset, prædictus orator non modò apostolicas literas insolenter repudiauit, verum etiam verba eiusdem principis nomine in Apostolicam sedem in sacro consistorio temere atque audacter effudit. Quæ vero illa fuerint, e Pontificis iuste de ijs conquerentis, præmonentisque Fridericum nisi summo suo malo cum Ecclesia dissensurum, literis g accipiamus.

Ingerit se admouendis ecclesiarum ad min. episcopis.

g Ibid. ep. 194.

15 *Venientem ad præsentiam nostram dilectum filiū L.. iudicem Baren. consueta benignitate recepimus, & ea quæ nobis ex parte tua dicere voluit, audiuimus diligenter. Eo autem nominante quasdam in præsentia nostra personas, de quarum aliquibus Capuanæ ac Auersanæ petebat ecclesijs prouideri; nos cum propter quorundam fratrum nostrorum absentiam super hoc deliberare finaliter non possemus, fecimus ad te deferendas fieri literas, quales tunc vidimus faciendas: sed dictus iudex illas ad te deferre recusans, audientiam a nobis, & fratribus nostris sibi dari petijt: qua ei benigne concessa, verba quædam proposuit a te sibi, prout dicebat, iniuncta, in qua tua non debuisset prorumpere circumspectio, etiam si grauem a nobis iniuriam pertulisset. Dixit enim nos sibi protectionem dedisse, quæ non erat protectio, sed destructio appellanda, vtpote tendens, prout idem subintulit, ad personæ tuæ perditionem, & regni: & adiecit vt, quandoquidem nolebamus a te nominatas recipere, nullos ad præfatas mitteremus ecclesias, quia non reciperes aliquos, nec recipi sustineres a nobis ad ipsas ecclesias destinatos.*

Differt Honor. illius preces admittere

Insolenter iactata a Frid. oratore verba.

16 *Sane non satis sano, vt cum pace tua loquamur, fuisti vsus consilio, quando mandasti talia dici nobis, quia sic innuisti te, quod non credimus, esse paratum & promptum ad rumpendum inter nos & te vinculum charitatis. Desideramus fili charissime, vt omni tempore & maxime nostro sit inter te, ac Ecclesiam Rom. firma, & sincera dilectio, quia id & ipsi Ecclesiæ, & tibi, & toti Christianitati cognoscimus expedire: nec quicquam amarius facile posset nobis accidere, quam si statum tuum, quem multa cura promouere studuimus, cogeremur aut*

Grauis de ijs pontif. querelæ.

perturbare, quod absit, aut perturbari ab aliis, illum, si tibi fauorem apostolicum deesse cognoscerent, perturbare paratis, conniuentibus oculis pertransire. Sed si, quod Deus auertat, necesse est, vt veniant scandala, quæ causa excogitari potest conflatura tibi plus odij, vel conciliatura Ecclesiæ plus fauoris, quam si tu per intolerabilem vsurpationem attentes ecclesiasticam libertatem euertere; Apostolica vero sedes illam secundum diuinas, & humanas sanctiones studeat conseruare?

Monet ne corrumpi se ab adulatoribus sinat.

17 *Certe vides, quod qui talia persuadent, aut sua cæcati ambitione falluntur, aut malitiose te fallunt, & gressuum tuorum vias fraudulentis dissipare consiliis, & machinationibus prauis subuertere moliuntur. Videre potes etiam, quam sincero, quamque paterno te zelemur affectu, qui non solum tuorum verborum iniuriam patienter accipimus, verum etiam contra nos ipsos, te quodammodo præmunimus, dum dissuademus te causam illam assumere, ex qua posses quasi commune incurrere odium, sede Apostolica ex eadem fauorem publicum assequente. Quid enim? non obtinebimus eam iurisdictionem, vel potestatem in regno Siciliæ, quam in Francia, Anglia, Hispania, ac cæteris Christianorum regnis, & in ipso Imperio noscimur obtinere? Nunquid in regno Siciliæ minus auctoritatis, vel potestatis habebimus, quam in eo tanquam sedis Apostolicæ patrimonio plus iuris, & iurisdictionis habemus?*

Quantum vigebat tunc temporis Rō. Pontificis auctoritas.

18 *Quid conaris aggredi, quid meditaris incipere, seductus falsis consiliis, & animatus tuo calore, & robore iuuentutis? An credis esse prudentiam vel consilium, aut potentiam contra Deum; & eius timere postposito speras te posse præualere aduersus eius Ecclesiam, cum qua promisit se vsque ad consummationem sæculi permansurum? Si contemnis nostris acquiescere monitis, domesticis saltem acquiescas exemplis, tecum ipse recogitans manum Domini abbreuiatam non esse, vt non possit erigere, ac deprimere, perdere, ac saluare. Hæc tibi benigno animo, & sincero affectu princeps inclytissime scribimus, satagentes inconsultos animi tui motus paterna commonitione, comminatione, redargutione, obsecratione, ac increpatione compescere, teque ad ea, quæ terrenum stabiliant tibi regnum & æternum præparent, informare.*

Nemo aduersus Ecclesiam felix.

19 *Denique vt tibi consulamus, quantum ad præsentem articulum, bona fide consilij nostri est, vt literas tuas seorsum nobis, & seorsum fratribus sine dilatione transmittas, per quas si forte præfatus nuntius tuus de mandato tuo vsus non fuit, prædictorum asperitate verborum huiusmodi culpam a te remoueas, & refundas in nuntium sæpedictum. Quod si forte ipsum verba eadem dicere inconsulte motu animi præcepisti, non te pudeat culpam tuam agnoscere & eam reuerenter, vt condecet, excusare, certus quod & nos, & fratres nostri te sincera in Domino charitate diligimus, & gerimus firmiter in proposito, quantum cum Deo & honestate possumus, ea semper efficere, quæ tuæ placere debeant voluntati, & inter te, ac Apostolicam sedem pacem, & charitatem perpetuam conseruare. Dat. Signiæ v. kal. iul. pont. nostri anno VII.* Hactenus Honorius. quidnam vero ad hæc Fridericus responsi reddiderit, parum exploratum est: at consectaneis officiis iniuriam deleuisse inde conijcimus, quod similes querelas minime reperiras reperimus; imo extat in libro priuilegiorum Romanæ Ecclesiæ exemplum iurisiurandi, quo Fridericus atque Henricus Rex eius filius se in potestatem sedis Apostolicæ futuros hoc anno polliciti sunt, nihilque mali aduersus Rom. Ecclesiam vnquam molituros.

Salubre a Pontif. consilium datum.

Frid. atque Henr. fil. fidem ecclesiæ astringunt.

20 Interea Pontifex tyrannidem Vbaldi & Lamberti Pisanorum ciuium, qui principatum Calaritanum iamdudum occupassent, adhuc comprimere satagebat; qua de re ad archiepiscopum Pisanum scripsit [a], ipsumque præterea grauiter arguit [b], Vbaldum contumacem & ab Ecclesiæ fidelium commercio interdictum, prætorem Pisanum dicendum curasse. Tum in Pisanos acrius inuectus [a] est, nequissimum hominem eo magistratu, quem suis sceleribus fœdaturus erat, non depulisse.

Insurgit Hon. in Vbald. & Lamb. Sardin. tyrannos.

a Lib. 8. ep. 19

b Ib. ep. 24

Increpitis Pisani ob præstitum ijs fauorē.

a Ep. 107.

21 Silere vero non possumus nonnulla religiosa facinora, in quibus Honorius pietatem suam explicuit. Instituta in primis ab illo est sacra in xenodochio Romano, cui S. Spiritus in Saxia nomen est, celebritas, in qua maximas eleemosynas in pauperes effundere statuit, iussitque, vt instructo religioso agmine canonici S. Petri Veronicam dominica, quæ prima post euolutum Epiphaniæ octauum diem occurrit, deportarent; qua de re hæ ad præfectum xenodochij datæ literæ [b]: *Rationabiliter instituimus, vt effigies Iesu Christi a B. Petri basilica, per eiusdem canonicos ad dictum hospitale, vbi memoria beatissimæ Matris eius recolitur, infra capsam ex auro & argento & lapidibus pretiosis ad hoc specialiter fabrefactam, venerabiliter deportetur fidelibus populis, qui ad has nuptias* (de his loquitur, quæ olim in Cana Galilææ præsentia Christi Domini cohonestatæ fuerunt, de quibus nonnulla mystica interpretatione præluserat) *celebrandas deuote conuenerint, desiderabiliter attendenda. Vt autem nos, qui Domino reuelante venerandum aliis aperuimus sacramentum, eo etiam inspirante imitandum aliis præbeamus exemplum, concedimus, statuimus, & iubemus, vt pro mille pauperibus extrinsecus aduenientibus, & trecentis personis intus degentibus, decem & septem libræ vsualis monetæ, vt singuli accipiant tres denarios, vnum pro pane, alterum pro vino, aliumque pro carne, ab eleemosynario summi Pontificis annuatim vobis in perpetuum tribuantur; & canonicis prædictis, qui effigiem præscriptam Saluatoris processionaliter deportabunt, singulis duodecim nummi, & cereus vnius libræ, qui deferatur accensus, de oblationibus confessionis B. Petri præstentur. Quia vero non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei, debet huic stationi Rom. Pontifex cum suis Cardinalibus interesse, vt & missarum solemnia ibi celebret, & exhortatorium faciat de hac celebritate sermonem, ne fidelis populus famelicus ab iis nuptiis reuertatur, præter materialem, & doctrinalem, spiritualem quoque sibi cibum impendat; remissionem vnius anni de iniunctis sibi pœnitentiis indulgendo, &c. Datum Signiæ III. non. iul. pont. nostri an. VI.*

Instituta ab Hon. in xenod. S. Spir. sacra celebritas

b Lib. 7. ep. 203.

Eleemosynæ ab Hon. erogatæ.

22 Ad excitandam etiam Romanorum pietatem dedicatæ basilicæ S. Mariæ maioris recurrentem quotannis diem festum, datis ad collegium canonicorum illius ecclesiæ literis, agitandum sanxit [c]; annorumque duorum ac dierum aliquot indulgentias templi limina perlustraturis proposuit. Emicuit pariter pontificius zelus in adstringenda religiosa disciplina, quæ in nonnullis monasteriis collapsa erat, qua de re ad Cistercienses datæ [d] literæ. Nec effulsit minus in seruando sacrarum vestium splendore, vasorum nitore, ac diuini cultus retinenda maiestate: perstrinxit enim ea in re negligentiæ Tudertinum [e], Fesulanum, Senensem, Surrinum, Lucanum, Pistoriensem, Vulteran. Messan. Grossetanum, Pisanumque antistites [f]: *Quia sicut dolentes audiuimus & referimus, quidam presbyteri, & alij clerici tuæ diœcesis Christi corpus irreuerenter exponunt, & non solum ecclesias dimittunt incultas, verum etiam vasa ministerij, vestimenta ministrorum, pallas altaris, & ipsa corporalia tam immunda relinquunt, quod interdum aliquibus sunt horrori; ne alienam culpam facias esse tuam, si tam latam negligentiam neglexeris castigare, fraternitatem tuam monemus, per apostolica scripta mandantes, quatenus ecclesias tuæ diœcesis visitans diligenter, super iis specialiter corrigas, quæ fuerint corrigenda, subditis tuis iniungendo districte, vt corpus Christi cum omni honorificentia studeant custodire, & tam vasa ministerij, quam alia supradicta curent munda, & nitida*

Festus dies dedicationis basil. S. M. Maior. agitari iussus

c Ep. 231.

d Lib. 8. ep. 151.

e Ep. 113.

f Reg. post eand. ep.

Qui in ecclesijs nitor & cultus seruandus.

con-

conseruare, monita, & mandata nostra taliter impleturus, quod nullus nobis rumor de tua negligentia referatur. Dat. Lat. 11. non. dec. anno VII.

a Ib. post ep. 230.

Hic addenda videntur, quæ in regesto a de consecratis ab Honorio episcopis adiecta sunt: *Istos dominus Honorius Papa III. consecrauit, archiep. Tarantasiensem, episcopum Niuernensem, episcopu Auicensem, episcopum Mutinensem, episcopum Pistoriensem, episcopum Suanensem, episcopum Veralanum, episcopum Rapollanum.* Pontificem etiam hoc anno, martij mense S. Balbinæ templum in vrbe sacrasse argumento est tabula lapidea parieti infixa. Neque hoc loco silentio prætereunda, quæ Richardus de prodigijs historiæ monumentis consignauit b: *Mense martio in festo S. Benedicti cælum totum visum est ignitum, & pluit eo die terra, & cinis.*

b Rich. de S. Germ. in chron. hoc anno.

Regem Daniæ oppressum defendendum suscipit.

23 Sed ad boreales regiones deflectamus. Præsules principesque Daciæ Henricum comitem de Zverin apud Apostolicam sedem læsæ maiestatis reum detulere, qui per maximam audaciam, saeuitiam, atque impietatem Vvaldemarum Regem, ac dominum suum vulneratum, captumque vnà cum filio in carcerem coniecisset, atque inclusum teneret. Quare iustissime commotus Pontifex, præsertim cum Rex Rom. Ecclesiæ vectigalis & obsequentissimus esset, omni cum studio a comitis tyrannide vindicandum, pristinæque asserendum dignitati studuit. cui rei argumento sunt plures eius literæ hoc anno exaratæ, præcipue vero ad archiepiscopum Coloniensem c, quibus etiam atrocem adeo tanti facinoris ordinem, exitumque exponit.

c Lib. 8. ep. 82.

Coloniensi archiepiscopo.

Comitis Zverin. in Reg. Daniæ impia proditio.

24 Immanitas detestandi facinoris, quod Henricus comes de Zverin in charissimum in Christo filium nostrum, .. illustrem Regem Daciæ dominum suum, & eius filium attentauit; Deum procul dubio incitat, & incitare debet homines contra eum, ipsumque reddere odibilem vniuersis, qui perfidiæ dolositatem oderunt, & diligunt fidei puritatem. Sicut enim ex literis prælatorum, & principum regni Daciæ nobis innotuit, cum idem Rex in quandam insulam ipsius regni, æstiuo tempore, ob aeris clementioris temperiem, cum sua priuata familia secessisset, nec aliquas suspicaretur insidias, vtpote qui non moliebatur aduersus aliquem quicquam mali, ecce dictus comes transgressor iuramenti fidelitatis, quod ei præstiterat, & multorum beneficiorum, quæ ab ipso receperat, immemor & ingratus, nocturno tempore in tentorium eius irruens cum armatis inermis mitem, armatus inermem, vassallus dominum in strato suo dormientem inuasit; & quod sine dolore nec audire potuimus, nec possumus recitare, ipsum Regem impie vulneratum, vnà cum præfato filio suo in syluam quandam adduxit, ac deinde cum illis extra regnum se transferens, eos in districtu Imperij captos detinere præsumit.

Nocte in illum irruit.

Quæ rationes mouerint Hon. ad suscep. Regis causã.

25 Omnes siquidem Reges, & principes tangere debet tam enorme flagitium, eo quod alijs attentandi contra dominos suos similia tribuere potuit incentiuum, audentibus hoc exemplo præsumere, quæ comitem prædictum audiuerint præsumpsisse. Sane licet apostolatus officium vos vniuersos constituat debitores, dicto tamen Regi specialis ratio, non vna, sed multiplex nos astringit; ita quod sine læsione famæ nostræ, ac etiam conscientiæ, sibi non possemus in tam grauis articuli necessitate deesse. Primo enim regnum Daciæ specialiter ad Romanam spectat Ecclesiam, & ad specialis ditionis indicium ei esse noscitur censuale; idemque Rex, sicut & prædecessores sui se Apostolicæ sedi fidelem semper exhibuit, & deuotum: vnde si eadem ipsum in hoc casu, quod absit, desereret, se non solum ingratam, sed indignam quoque fidelitatis, & deuotionis huiusmodi exhiberet.

Dania sedis Apost. pendiaria.

Accedit & alia ratio, non inualida, sed quæ sola sufficeret nos ad ipsius Regis subuentionem inducere, etiamsi rationes deficerent supradictæ. Idem enim Rex, etsi pro subsidio Terræ sanctæ non baiulat signum crucis in publico, illud tamen ad nostram exhortationem susceptum baiulat in occulto, certa nobis promissione facta, quod ipse, vel filius eius in ipsius Terræ sanctæ succursum transfretabit in instanti passagio generali. Et si forsan neuter ipsorum personaliter transfretare potuerit, illuc centum vel ad minus quinquaginta milites destinabit; vnde patet cuilibet volenti veritatem oculo rationis inspicere, quod sepedicto Regi tenemur, saltem sicut alijs crucesignatis, adesse.

26 Gaudentes igitur, & charitatem tuam dignis in Domino laudibus commendantes, quod ad liberationem ipsius Regis, & filij sui hactenus, sicut accepimus, fideliter intendisti, fraternitatem tuam rogamus attentius & hortamur, ac tibi per apostolica scripta firmiter iniungendo mandamus, quatenus quod hactenus fecisti laudabiliter per teipsum, de cætero studiosius facies, mandato, & precibus apostolicis inuitatus, ad liberandum eos, modis quibuscunque potes, incessanter intendas, ita quod studium tuum clareat per effectum, & tu præter sedis Apostolicæ gratiam, quam ex hoc plenius assequeris, crescas & nomine apud homines, & merito apud Deum.

Iubetur Colon. ar. ch. liberãdo Regi insistere.

27 Inter cætera vero dictum comitem ex parte nostra moneas diligenter, vt infra mensem post susceptionem literarum nostrarum, quas super hoc sibi dirigimus, præfatum Regem, & filium eius plene libertati restituat, & absque difficultate qualiber liberos abire permittat, nosque ipsi faciemus exhiberi iustitiæ complementum, si aduersus eum habet aliquid quæstionis. Qui si tuis, immo nostris acquiescere monitis non curauerit, ipsum & omnes eius in hac iniquitate fautores, sublato appellationis obstaculo excommunices, faciens excommunicationem ipsam singulis diebus dominicis & festiuis, pulsatis campanis, & candelis accensis solemniter publicari per vniuersa loca, in quibus videris expedire &c.] Imperat vt prouinciam, in qua Rex tentus in vinculis fuerit, interdicto ecclesiastico supponat. *Dat. Later. kal. nouemb. an VIII.*

Excitatur Imp ad ferendam Vvaldemaro opem.

a Reg. post eand. ep.

28 Excitauit ijsdem literis a ad ferendam Regi opẽ episcopos Lubecensem, Vverdensem, ac Fridericum Imp. cui præter cætera proposuit imperialem decere prouidentiam, Regi in vltimo discrimine posito opem auxiliumque liberaliter explicare, dignumque in sceleratum hominem talia moliti ausum iustitiæ exemplum statuere, quo improbis a scelere submouendis timor inijceretur. Dauidem Amalecitæ nuntianti Regem Saulem, ipsius infensissimum persecutorem, a se interfectum, atque inde præmia expectanti, respondisse b: *Quare non timuisti mittere manum tuam, vt occideres Christum Domini?* illumque statim suis interimendum tradidisse, quò regiam maiestatem teuereri mortales discerent, neque impias suis Regibus manus inferre auderent: non ideo tamen hæc ipsi suggerere, vt comitem morte afficeret, cum illud consilium ab Apostolicæ sedis mansuetudine abhorreret; verum suadere, vti Rex afflicto Regi auxilium ferret, sanguini tamen fundendo temperaret: eum itaque monere obtestarique, vti numinis & Apostolicæ sedis proposito ob oculos honore ad Vvaldemarum Regem ac filium pristinæ libertati restituendum incumberet. Hæc Friderico Honorius. qui alijs etiam literis ad comitem eundem datis, adhortationibus, monitis, grauissimisque minis ab incepto auertere conatur, his verbis extremæ epistolæ c adiectis:

b 2. Reg. 1.

c Ep. 83.

29 *Pro certo autem noueris, quod si contemptis pœnis huiusmodi* (eæ sunt quæ in alijs ad archiepiscopum Coloniensem datis exponuntur) *sæpe dictum Regem, & fi-*

& filium eius præsumpseris detinere, nos contra te pœnas alias excogitare curabimus, & specialiter imperialem dexteram in tuum exterminium concitare, taliterque super te grauabimus manum nostram, quod te ad vltimum pœnitebit luctamen contra Deum, & Ecclesiam Rom. suscepisse, & erit sera pœnitentia post ruinam. Videat ergo dum potes, ne te illis immergas angustijs, de quibus exire desideres, & non possis, cum dignum sit, vt cum velit non valeat, qui noluit cum valebat. Dat. Later. 11. kalend. nouemb. anno VIII. Inde vero IV. nonas nouemb. Lubecenses epistola ad eos missa, in Regis fide continere satagit a, quod etiam par est credere subiectis alijs populis imperasse. Vvaldemari ab Henrico comite in vincula coniecti mentionem etiam faciunt Albertus Stadensis b, Godefridus c, qui tamen in superiorem annum id facinus conijcit, additque Engilbertum archiepiscopum Coloniensem in Northusiano conuentu ab Henrico Rege habito multum pro Daniæ rege pristinæ dignitati restituendo elaborasse: quemadmodum vero solutus vinculis fuerit, suo loco dicetur.

a Ep. 81.
b Stad. in chr. ann. 1223.
c God. in annal. an. 1222.

30 Interea togatus Honorius ecclesiam Liuoniensem Selouiensi, ac Leolensi, quæ nuper ex ethnicis ad fidem conuersis collectæ institutæque fuerant, metropolitana dignitate cohonestatam præficere, tem in opportunius tempus contulit: suas interim partes episcopum Liuoniensem ibi agere iussit d, atque adeo causas ad sedem Apostolicam cæterum deferendas, quauis prouocatione remota, cognoscere.

d Hon. l. 8. ep. 140. 141.

Hoc anno cum Pannoniæ populi decimas, quas ad eam diem ecclesijs dare consueuerant, persoluere abnuerent, Honorius eos scriptis literis e arguere, cohortari, atque apostolico pro imperio iussis minisq; vrgere, vti satis muneri suo faciant; morem maiorum sequantur, qui magna animi alacritate summaque pietatis ac religionis laude id præstitissent. Deus enim qui hilarem datorem diligit, sibi tradita fœnore multiplici restituit. Andream vero Regem, ad quem ea de re scripsit f, monuit, non solum consuetas decimas ecclesijs tribueret, verum animi sui propensione populos ad eas conferendas impelleret; denique contumaces adigeret: quod si renueret, vel illi recusassent, tantam se iniuriam non æquo animo laturum.

e Lib. 7. ep. 106.
Iussi Vngari decimas persoluere.
f Ibid. ep. 107.

31 Post hæc perlatæ fuere ad Apostolicam sedem Colocensis atque aliorum Pannoniæ antistitum literæ, quibus Pontificem de dimissa a Bela Andreæ Regis primogenito vxore certiorem fecere g: *Ad hoc diuina dispensatione vocati estis in plenitudinem potestatis, vt ea, quæ salutem desiderant animarum, nec aliàs possunt corrigi, per subiectos auctoritate sedis Apostolicæ corrigantur. Inde est quod vestræ significandum duximus sanctitati; quod cum dominus noster Rex Vngarorum de partibus vltramarinis rediens, per terram nobilis viri Lascharis transitum faceret, filiam eiusdem filio suo primogenito Belæ illustri, iam in Regem coronato, & in regni gubernacula post se, Deo propitio, successuro desponsauit vxorem; præstito ab ipso Rege, & nobilibus suis, qui tunc præsentes erant, publice iuramento, vt ad consummationem matrimonij inter personas memoratas fideliter laborarent. Eandem etiam nobilem, vt nurum decet regiam, secum in suam terram adducens, recepto prius a nobilibus regni, qui tunc in traductione puellæ absentes erant, solemniter sacramento, filio suo memorato tradidit in vxorem, ipsam nihilominus, omni solemnitate adhibita, in Reginam Vngariæ coronari faciens, & inungi. Cui supradictus Bela illustris, cum omni dilectione, & tranquillitate in ætate legitima iam existens cohabitauit per totum biennium, & amplius, sicut maritus; nunc autem diabolo seminante zizaniam, & quorumdam maleuolis suggestionibus peruersorum, vir legitimam, cui postquam ad ætatem legitimam, vterque peruenerat, per biennium, & amplius cohabitarat vt diximus, in totius regni scandalum, & subuersionem religionis Christianæ dimisit vxorem.*

Vngarorũ præsulum literæ ad Honoriũ.
g Lib. 8. ep. 5.
Vt Bela Theod. Lascharis Imp. filiã vxorẽ duxerit.
Vt scelerate illam dimiserit.

32 *Et licet vnà cum magistro Accontio subdiacono, & capellano sanctitatis vestræ legato, qui super hoc negotio, sicut vir honestus & prudens, omnem diligentiam quam potuit adhibuit, institissemus attente, propter excellentiam tamen sublimitatis regiæ, præsertim cum literæ sanctitatis vestræ super hoc ad quosdam, vt dicitur, iudices emanassent, absque conniuentia vestra minime duximus procedendum. Quapropter sanctitas vestra taliter in hac parte prouidere dignetur, ne inferiores quique, qui maiorum debent informari exemplo, perditione simili corrumpantur; nobis, & legato vestro mandantes, quid super hoc nobis extiterit faciendum: parati enim sumus, tanquam obedientiæ filij, in omnibus sacris vestris obedire mandatis.* Hactenus episcopi. Vt vero Bela Pontificis dicto audiens repudiatam vxorem receperit, atque Honorius ipsius a patre eam ob causam vexati patrocinium arripuerit, insequenti anno dicetur. Hoc interim spatio Pontifex, cum episcopum Cracouiensem, qui religiosæ seruituti addicturum se Deo vouerat, episcopatu discedere permisisset a, mox vt ea rem in magnum ecclesiæ Cracouiensis damnum redundare accepisset, pristinam illum dignitatem iussit b capessere, atque animarum salutem diuinæ contemplationis suauitati præferre.

Solicitatur Honorius vt tantum scandalũ amoueat.
Cracouiẽsis episc. discedere munere vetitus.
a Lib. 7. ep. 126.
b Lib. 8. ep. 100.

33 Iam orationem nostram Gallicæ res ad se reuocant, quæ ob interitum Philippi Regis lugubres extitere: post diuturnam enim ægritudinem ipsum hoc anno naturæ concessisse, præterquam quod in confesso est apud omnes fere eius æui scriptores c, supra allatæ ad Philippum Honorij literæ, atque aliæ ad Ludouicum paulo post recitãdæ ostendunt. Collegit illius egregias laudes breui compendio D. Antoninus, dum hæc de Philippo tradit: *Vir certe mirabilis fuit & omni memoria dignus, cui post Carolum magnum vix aliquis similis reperiri possit ex Regibus Franciæ.* Verum nobis eas paulo diffusius a Rigordo expositas delibare visum est. Probatæ igitur fidei auctoris postrema verba veluti sepulchrales tanti Regis titulos hoc loco adijcimus, cũ maxime plura memoria celebranda complectantur: *Anno ab incarnatione Domini MCCXIII. pridie id. iulij obijt Philippus Rex Francorum illustris apud castrum, quod vocatur Medunta. Qui sensus & industria vir prudentissimus, virtute strenuus, gestis magnificus, fama præclarus, victoriosus in bellis, ac triumphis multis & magnis plurimum gloriosus, iura & potentiam regni Francorum mirabiliter dilatauit, & regalem fiscum ampliauit in multis. Multos etiam præclaros principes terris, militibus, armis, & opibus præpotentes regno suo & sibi grauiter aduersantes debellauit viriliter, & deuicit.* De adiectis ab illo aulæ Gallicæ prouincijs hæc Iordanus d habet: *Probitate mira regno suo multos adiecerat comitatus, scilicet Viromanduensem, Bellomontensem, Pontiuensem, Alançonensem, Canomanensem, Turonensem, Andegauensem, Pictauiensem.* Hæc Iordanus. Addit vero Rigordus de eiusdem Regis pietate ac singulari in Ecclesiam studio:

Philipp. Reg. Gall. mors.
c Rig. de gest. Phil. Franc. Reg. Guill. Brit. Phil. l. 12. Anonym. de gest. Lud. God. in annal. Matth. Par. hist. Angl. Rec. de S. Germ. in chr. & Iord. M. S. Vatic. bibl.
Præclaræ illius virtutes.
d Iord. M. S. bibl. Vat.
Adiecti ab eo aulæ Gallicæ comitatus.

34 *Ecclesiarum quoque defensor maximus, & protector. Istam præcipue sanctam ecclesiam, sancti videlicet Dionysij speciali fauoris gratia, & quasi quodam amoris priuilegio fouit propensius & protexit, & quem habebat erga ipsam dilectionis affectum, multotiens effectu operis comprobauit. Porro ipse ab annis teneris zelator fidei Christianæ, vexillo crucis affixo humeris, in sua iuuenili ætate contra Sarracenos in manu valida transfretauit, vbi in obsidione Acconitanæ vrbis, vsque ad eius consummatam debellationem plenamq; recuperationem præclare & efficaciter laborauit: ac postmodum vergens in senium proprio filio suo primogenito non pepercit, quin eum mitteret bis aduersus hæreticos Albigenses cum magnis sumptibus, & expensis. Et alia,*

De illius pietate.

tam

tam in vita sua, quam in suo decessu multa largitus est ad eiusdem negotij Albigensis subsidium, & iuuamen. Praeterea dando pauperibus, & dona plurima charitatiue per loca varia dispergendo, eleemosynarum fuit largissimus seminator. sepultus autem est in ecclesia beati Dionysij, &c.

De illius testamento.

De illius exequijs.

35 Adijcit auctor illius exequias celebratas magna pompa a duobus archiepiscopis atque episcopis viginti, qui pro agitando ad redintegrandam contra Albigenses catholicam rem consilio confluxerant, quorum nomina ab ipso scripta praeterimus: *Qui praelati de mandato domini Papae, immo de ipsa totius, vt credibile est, ordinatione diuina pro negotio Albigensi tunc temporis erant Parisijs congregati. Missam autem exequialem celebrarunt simul Portuensis episcopus, & Rhemensis archiepisc. vna voce ad duo altaria propinqua, caeteris episcopis cum clericis, & monachis, quorum aderat innumera multitudo, assistentibus & eis respondentibus, sicut vni. Inter quos adfuit & Ioannes illustris Rex Hierosolymitanus, qui in Franciam venerat pro negotijs, & necessitatibus Terrae sanctae; praesentibus ad hoc inclytis praedicti Regis Philippi filijs, Ludouico primogenito, & Philippo. Saepedictus autem Rex Philippus tale condidit testamentum. Legauit ad subsidium Terrae sanctae trecenta millia librarum Parisiensium, videlicet praefato Regi Ioanni centum millia, militiae Templi centum millia, hospitali Hierosolymitano centum millia. Datum est de suo Almarico comiti Montisfortis viginti millia librarum Parisiensium, ad vxorem eius, & suos de Albigensi terra & manu hostium reducendos. Praeterea dedit quinquaginta millia librarum Parisiensium pauperibus eroganda. Magnam etiam summam pecuniae dicitur insuper erogasse.*

Ioann. Rex Hierosolym. pompam funebrē cohonestat.

36 Successit in regno Philippo Ludouicus VIII. eius filius primogenitus ex Isabella filia (quod tradit auctor anonymus [a]) Balduini Hannoniae comitis susceptus, de quo haec Iordanus notat: *In hoc redijt regnum ad stirpem Caroli Imperatoris, de quo originem habuit ex parte matris.* Is verò VIII. id. augusti die Rhemis a Guillelmo archiepiscopo cum vxore Blancha in Ioannis Regis Hierosolymitani multorumque principum conspectu, qui ad ornandam pompam confluxerant, accepit regiae ornamenta dignitatis, cum annos sex & triginta natus esset. Cum noui Regis fama ad Honorium affluxisset, literas ei misit, quibus magnum se ex Philippi obitu dolorem hausisse significauit; regiamque illi dignitatem gratulatus [b] ad sectandas maiorum virtutes prouocauit.

Ludouicus Philip. maior natu filius Gall. sceptrum capescit.

[a] *Anony. de gest. Lud.* *Iord.* M.S. *bibl. Vat.*

Rhemis regia inunctione delibutus vna cum Regina Blancha.

Honor. ad eum lit.

[b] *Hon. l. 8. ep. 77.*

Honorius, &c.

Ineffabilis prouidentiae diuinae profunditas attingens a fine vsque ad finem fortiter omnia, suauiterque disponens, ac secundum suae dispositionis arcanum mutans per successiones labentium temporum Reges terrae, inclytae recordationis Philippo Rege Francorum patre tuo, post laudabiliter acta regni terreni negotia, sicut firmiter credimus, ad meliora reuocato, te in eius solio feliciter collocauit, vt te regnante pro ipso, ac eius pietatem, & iustitiam imitante, pater in filio viuere videatur.

Adeptum regnū illi gratulatur.

37 Licet igitur eiusdem patris tui obitus nos, qui eum sincera charitate dileximus, secundum hominem contristauerit, accepimus tamen in personae tuae sublimatione solatium, ita quod ex hoc orta laetitia dolorem, qui ex morte iam dicti patris tui acciderat, temperauit, ipsa natiua bonitate tui praeclari generis plenam nobis tribuente fiduciam, quod progenitorum tuorum vestigia imitanda non deseres; sed sicut in regni sede, sic & in decore virtutum eis, Domino largiente, succedes. Propter quod illam dilectionem sinceram, qua saepedictum patrem tuum fuimus amplexati, in te totaliter transfundentes, firmiter gerimus in proposito honori, & profectui tuae sublimitatis intendere, & in quibuscunque decuerit, tibi fauorem apostolicum exhibere. Rogamus igitur circumspectionem tuam, & hortamur attente, quatenus praefatum patrem tuum, tum in caeteris commendandis actibus, tum specialiter in vera deuotione, quam ad Apostolicam sedem, & ad totam Dei Ecclesiam habuisse dignoscitur, taliter imiteris, quod sicut ipse apostolicam gratiam, suis exigentibus meritis, incessabiliter habuit, sic & tu illam iugiter merearis, &c. *Datum Laterani* VIII. *kalend. nouembris anno octauo.*]

De parentis morte condolet.

Ad imitanda illius exempla excitat.

Pontificiā beneuolentiā pollicetur.

38 Verum quid est, cur summus Dei Pontifex Philippum ad meliora euocatum firmiter se credere testetur? Indicat fortasse visum, quod de salute Philippi animae coelitus obiectum cecinit Guillelmus Brito, qui de loco ac tempore, quibus illud contigit, haec habet:

Caeleste visum de Philippi anima statu.

Tempore magnanimi, quo Regis humatio facta est,
*— * Signiae tunc Papa moram faciebat in vrbe.*

* Signiae

Signiae scilicet notissima Hernicorum in Latio ciuitate, vbi tum Honorius agebat, pluresque epistolas [a] a XIII. kalend. iul. ad III. non. sept. dedit. Vnde exploditur scholion contra haec auctoris verba adiectum, quo interpretatur Signiam vrbem Tusciae in valle Spoletana esse. Pergit Guillelmus inculta & agresti quidem musa, sed veritatis amantissima enarrare virum praenobilem Iacobum nomine pontificij poenitentiarij hospitem in ancipiti mortis discrimine extrema sacra vnctione delibutum, cum fugientis vitae vltima suspiria penè traheret, obiecto coelesti viso fuisse recreatum; in quo S. Dionysius purpurea veste decorus atque ingenti circumfusus splendore, cui praeibat Angeli albo amictu, sequebatur vero Regis Philippi anima veste ignea induta, se obtulit: eumq; illi significasset se Dionysium esse, illū vero Philippum Regem, qui e viuis discesserat, atq; in purgatorijs flammis ad crimina expianda versabatur, adiecit, adiret Pontificem, moneretque vt pro Regis anima incruentum missae sacrificium offerret. Expauescenti ad iussa, respondentique, egere in extremo mortis confinio, vires nec animum suppetere, vt ea Pontifici referret, atque etiam insanum habitum iri; D. Dionysium omnem ex illius animo metū blandis verbis depulisse, ac repente pristinę valetudini restituisse. At aegrum confirmatis viribus, morboq; liberum exilijsse e lecto, & Pontifici visa retulisse, fidemque acceptae diuinitus valetudinis argumento fecisse.

[a] *Lib. 7. ep. 187. & deinceps.*

Aeger in rei veritatem argumentum valetudini restitutus.

39 Quod ad synodum, quam Rigordus ab Conrado episcopo Portuensi A. S. L. Parisijs hoc anno in Albigenses habitam testatur; eius etiam tum Guillelmus modo recensitus, & ex Tilio nouatores [b] meminere. Aliud quoq; concilium indixit Conradus A. S. L. apud Senonas celebrandum aduersus Albigenses, qui in deterius ruentes eo audaciae ac dementiae erant deuoluti, vt quemdam in Sclauonia improbissimum hominem antipapam salutarent. Verùm praematurum, sed opportunum impij exitium coepta insana confudit. At Parisium haec enarrantem audire praestabit [c]: *Circa dies istos haeretici Albigenses constituerunt sibi antipapam in finibus Bulgarorum, Croatiae, & Dalmatiae, nomine Bartholomaeum. In quibus partibus error ille adeo inualuit, vt etiam episcopos & alios multos regionum illarum ad suam allexerit prauitatem. Contra quem C. Portuensis episcopus & in partibus illis Apostolicae sedis legatus, Rothomagensi archiepiscopo scripsit in haec verba: Venerabilibus patribus Dei gratia Rothomagensi archiepiscopo & eius suffraganeis episcopis salutem in Domino Iesu Christo. Dum pro sponsa veri crucifixi vestrum cogimur auxilium implorare, potius compellimur lacerari singultibus, & plorare. Ecce quod vidimus, loquimur; & quod scimus, testificamur. Ille homo perditus, qui extollitur super omne quod colitur, aut quod dicitur Deus, iam habet perfidiae suae praeambulum haeresiarcham, quem*

Conradus Portuen. ep. synodū aduers. Albigen. celebrat.

[b] *Cent. 13. c. 9. col. 854.*

[c] *Par. hist. Angl. ann. 1223.*

Albigensium haeresis in Dalmatia grassatur.

Creatur ab ijs Antipapa.

hare-

baretici Albigenses papam suum appellant, babitantem in finibus Bulgarorum, Croatia, & Dalmatia, iuxta Vngarorum nationem. Ad eum confluunt baretici Albigenses, vt ad eorum consulta respondeat. Etenim de Carcassona oriundus vices illius antipapa gerens Bartbolomaus bareticorum episcopus funestam ei exbibendo reuerentiam, sedem, & locum concessit in villa, qua Porlos appellatur, & seipsum transtulit in partes Tolosanas.

Indicitur Senonis concil. a legato aduersus Albig.

40 *Iste Bartbolomaus in literarum suarum vndique discurrentium tenore se in primo salutationis alloquio intitulat in bunc modum: Bartbolomaus seruus seruorum sancta Fidei tali salutem. Ipse etiam inter alias enormitates creat episcopos, & ecclesias perfide ordinare contendit. Rogamus igitur attentius, & per aspersionem sanguinis Iesu Cbristi, & propensius obsecramus auctoritate domini Papa, qua fungimur in bac parte, districte pracipientes, quatenus veniatis Senonis in octauis Apostolorum Petri, & Pauli proximo futuris, vbi & aly prelati Francia, fauente Domino, congregabuntur, parati consilium dare in negotio pradicto, & cum alijs, qui ibidem aderunt, prouidere super negotio Albigensi. Altoquin inobedientiam vestram domino Papa curabimus significari. Dat. Plan. VI. non. iulij.*

Antipapa breui sublatus.

Hæc legarus. addit verò Parisius tumultum illum breui antipapa sublaro sopitum suisse. Conradus verò cum in Albigensium negotio, maximè aduersus Raymuodum filium alrerius Raymundi Tolosani olim comitis tempus terere sibi videretur, missionem redirumque in Vrbem ab Pontifice per literas [a] efflagitauit: cuius arbitrio Pontifex rem totam permisit [b]. Adijcitur dies apostolicis literis IV. id. septemb. Signiæ. Neque ita multo post Conradus ex Gallijs excedens Romam se recepit, vt aliæ Honorij ad Ludouicum Regem literæ ostendunt. [c]

a Extant in regest. Hon. l. 8. ep. 22. b Hon. ib. ep. 23. c Ep. 134.

Expeditionem in Albig. constan. curat Hon.

41 Verum quamuis Apostolicæ sedis legatus se aduersus Albigenses rem feliciter agere posse diffideret, Pontifex tamen Deo fretus nec animo, nec consilio defuit. Quare vigesimam primùm in Gallijs cogendam, etiam ab exemptis, atque aduersus impios in bellicis sumptibus collocandam, consumendamq; decreuit [d]. Dein Almaricum militiæ ducem hortatur [e], vti fortes animos induat, se vt ipse per oratores ad Apostolicam sedem missos postulabat, Ludouicum Regem Francorum, Bituricensis, Siluanectensis, & Lingoniensis episcoporum opera, qui Regi Pontificis literas erant reddituri, adducturum, vt ipsi mox subsidio proficiscatur; ac iubere etiam eosdem præsules Regem ipsum ad id compellere. præterea vigesimam ab exemptis quoque colligendam, eique deferendam imperare: denique pro certo sciat se ipsi consilio, studio ac re ipsa non defuturum. Extant huiusmodi literæ, quas Hoonorius ad Ludouicum scripsisse se affirmat, quasque nos hoc loco potiori ex parte edimus. [f]

d Ep. 130 132. 131. e Ep. 133 f Ep. 135.

Honorius, &c.

Excitat ad eam Lud. Regem.

42 Cum Reges, & principes Christiani propter Ecclesiam matrem suam, ex qua spiritualiter nati sunt, & quam a Christo, vt eam temporibus suis foueant, suscepere tuendam, Deo teneantur reddere rationem, graue nimis debes gerere, ac indignum, quòd intra terminos regni tui, videlicet in partibus Albigen. hæretici manifeste, ac intrepide impugnant Ecclesiam, fidem Christianam euacuant, & dilacerant ipsum Christum. Certe Nabuchodonosor Rex decreuit dicens: Quicunque dixerint blasphemiam in Deum Sydrac, Misac, & Abdenago, in interitu erũt, & domus eorum in dispersione. Si ergo taliter fuit Rex alienigena, ne deberet Deus Israel blasphemari, commotus, tu Regum Christianissime, deuotissimorum principum successor & hæres, cum quo deuotio Christiana coaluit, euacuari fidem nostram, lacerari Christum, & Ecclesiam dissipari a talibus patieris? Denique si potestates seculi, & rectores raptores persequuntur, & fures; tu qui regni solium obtines, terram tuam hæreticis, qui animas pretiosiores cunctis substantijs furantur, & rapiunt, non purgabis?

43 Sanè præceptum a Domino legitur: Si audieris in vna ex ciuitatibus, quas dominus Deus tuus dabit tibi inhabitare, illic dicentes: Eamus, & seruiamus dijs alienis, quos non nostis; pones illos in ore gladij, & igni ciuitatem incendes. Nimirum, etsi pro immensis susceptis in hoc seculo beneficijs Deo, a quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum, tenearis in multis, ad hoc tamen illi reputare te debes fortius obligatum, vt pro ipso in fidei subuersores, a quibus blasphematur, animosus insurgas, & pro catholica puritate, quam de partibus illis attendenres dæmoniorum doctrinis eiecisse noscuntur, viriliter te opponas.

44 Porro non absque dolore cordis, & graui mentis amaritudine recolere possumus, quòd cum ad extirpandam inde pestem hæreticam multis sit personatum, & rerum dispendijs laboratum, penè omnia in confusionem antiquam populi Christiani, peccatis exigentibus, sunt reducta, & ille, qui felicibus inuidet actibus, sic armauit in antichristi præambulos partes suas, vt diffundentibus illis intrepide, ac latius praui dogmatis sui virus, verendum est plurimum, ne ipsorum veneno regnum tuum in fide, ac deuotione præ alijs radicatum, cui Dominus benedixit, inficiant, & ex hoc contra totam Ecclesiam, tanquam in principaliori parte concussam, noua persecutio excitetur. Multo ergo desiderio expectantes, vt per te catholicum principem, & catholicorum principum successorem impijs eorum conatibus celeriter obuietur, ne illud modicum terræ, quod adhuc tenent catholici, amittatur, & pestis huiusmodi regnum Franciæ maculet, cui iam aperte suos expandendo laqueos appropinquat.] Excitat Regem vt excindendæ illi pesti se accingat: Amalricum comitem quidquid iuris in Tolosano comitatu habeat, in illum transfundere paratum: Raymundum iamdiu defixum anathemate, atque in eo contumaciter obfirmatum: mitti ad ipsum Bituricensem archiep. ac Lingoniensem, & Siluanectensem episcopos, quorum precibus ne auersas aures præbeat, enixè contendit. *Dat. Lat. XIX. kal. ianuar. pont. nostri an VIII.* Pridie verò eius diei alias ad ipsum Regem literas [a] dederat, quibus eum laudibus commendat, ipso regni sui exordio contestatum, vt Portuensis episcopus coram se, & Cardinalibus retulerat: malle se rei suæ iniuriam inferri, quam pati catholicam religionem ab Albigensibus oppugnatam, suis opem non ferentibus, detrimenti quidquam accipere. Præterea ipsum commendat decem argenti marcharum millia, ex largitionibus Philippi patris sui relicta, catholicis subsidio misisse.

a Ep. 134. Egregia Ludouici Regis voces

45 E contrario nobiles, populumque Melgorienses vehementi minacique epistola [b] arguit, ab Ecclesia ad perditissimum Raymundum Tolosani olim comitis filium desciuisse: eos se iterum monere, & apostolico pro imperio iubere, si quid diuini timoris, vel pudoris saltem humani in ipsis inesset, antequã nouis pœnis constringerentur, confestim ad obediẽtiam episc. Magalonensis iusti ipsorum domini sui redire nulla habita iurisiurandi ratione, si quod forte Raymundo præstitissent; cũ nefas sit in eo, quod perperam iuratum sit, fidem seruare: neque secunda monita expectarent; seuerius enim in eos animaduersurum, quò placidius ipsos hactenus tulisset. Hæc Pontifex ad Magalonenses. Scriptis verò episcopo literis primùm confirmat [c] sententias in Raymundum comitem latas, qui Melgorij castrum ad ius Rom. Ecclesiæ pertinens occupauerat: deinde ipsi

b Ep. 142. Melgorienses desciscunt ad Raymundum.

Increpantur ad Honorio.

c Ep. 143.

epi-

episcopo tribuit [a], vt ab ecclesijs dioecesis suæ moderatam pecuniæ summam, in negotium fidei impendendam, exigere possit [b]; tum etiam ciues Melgorienses absoluere, qui ad Ecclesiæ obedientiam se recepissent.

a Ep. 145. b Ep. 146.

Ferdinandus in Hisp. Albig. insectatur. Marian. l. 12. de reb. Hisp. c. 11. ... suis manu propria ignē subijcit. Triumphat de Sarracenis.

46 Praclaram vero hoc tempore præfocandæ Albigensium pesti, quæ penetrarat in Hispaniam, operam dedisse Ferdinandum Castellæ ac Legionis Regem, scribit Mariana, tantoque odio eos insectatum, vt tormentis exagitandos curaret. qui etiam quasi victimarius ignē arsuris regia manu ac ligna subijceret. Tantum in eo improbitatis odium tantumq; tuendi in Hispania religionis splendoris desiderium erat, ex quo & populorum gratiam promeruit diuinumque patrocinium sibi conciliauit, vt hoc ipso anno egregie de Mauris, relatis pluribus spolijs, triumpharit, Regemque Biatiæ Mahomadem ad sua excipienda imperia compulerit. sed de Ferrando ob ecclesiastica iura occupata increpito iterum inferius, vt enim principum laudes celebrandæ, ita nec tacenda ab historico vitia videntur.

Angliæ res. Iubentur præfecti arcium eas Henrico Regi restituere.

47 Iam regnum Angliæ oratione nostra lustrandum. Auctor est Parisius nuntios Regis ab Vrbe reuersos, apostolicas literas ad archiepiscopos Angliæ eorumque suffraganeos detulisse, quibus ipse ætatis legitimæ ad regimē requisitæ declarabatur esse; principes vero Angliæ viri ceterique vniuersi regijs arcibus præfecti, aliarumque rerum custodes, eas nulla interposita mora Henrico restituere iubebātur. Quod maxima illorum pars iniquius tulit, atque in Regem conspirare ausa, nouas res moliri, armaque capessere, quàm Regi, quæ tenerent, reddere maluit. At præcipue Regi infestus Norvvalliæ princeps, qui ab eo sæpius defecerat; quocirca Honorius Stephano Cantuariensi archiepiscopo S. R. E. Cardinali eiusque suffraganeis illius anathemate percellēdi prouinciam commisit [c]. Quemadmodum etiam clericorum impudentiam insolentiamque infringendam decreuit [d], qui nuptias contrahebant, regnumque diuexabant. Nec Regis solum, verum B.. olim Anglorum Reginæ patrocinium sumpsit [e], aduersus episcopum Cœnomanensem, qui eam censuris ecclesiasticis exagitabat; cū ijs a nullo nisi ab Rom. Pontifice affici posset. Deinde episcopo Londoniensi præcipit [f] prauos clericorum mores corrigat: Vgonique episcopo Karleolensi [g], cuius etiam ecclesiæ priuilegia firma esse constituit, imperat ab earum ecclesiarum ministerio eos arceat [h], quorum parentes sacrum aliquod in eis munus exercuissent.

Norvvalliæ princeps censuris defixus. c Ep. 66. d Ep. 63. e Lib. 7. ep. 78. 79. f Ib. ep. 81. g Ep. 113. h Ep. 142.

48 Efflorescebat tum in Anglia magna cœlestium prodigiorum gloria Guillelmus archiepiscopus Eboracensis, quorum veritatem diligentius explorari iussit Honorius, ac testium dicta in publicas tabulas referri, vt sanctorum albo annumerari posset: qua de re hæc ad episcopum Elyensem duosque Cisterciensis familiæ abbates scripsit [i]: *Gaudemus in Domino, & in eius laudibus delectamur, quod sicut venerabilis frater noster archiepiscopus, & dilecti filij decanus, & capitulum Eboracen. nec non quamplures ecclesiarum prælati de partibus illis suis nobis literis pluries intimarunt felicis recordationis VVillelmus quōdam Eboracensis archiepiscopus tanta viuens fulsit gratia meritorum, quod post felicem eius obitum, ad ostendendam ipsius gloriam sanctitatis Dominus ad sepulchrum eius multa, & magna miracula operatur. Verum licet opportune importune nobis totis affectibus supplicarunt, vt cum lucerna non sit ponenda sub modio, sed supra candelabrum statuenda, eum, quem Dominus honorat in Ecclesia triumphanti, nos in militanti Ecclesia sanctorum catalogo ascribere deberemus, nos tamen prouide attendentes, quod in tam sancto negotio non est nisi cum maturitate plurima procedendum, ad maiorem euidentiam veritatis discretioni vestræ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus, quatenus habentes præ oculis solum Deum, qui non indiget mendacijs alicuius, tam de vita, quam de miraculis sancti prædicti perquirentes solicite veritatem, quæ inueneritis, per vestras nobis literas intimetis, vt ex vestra relatione sufficienter instructi procedamus exinde, prout secundum Deum viderimus procedendum. Dat. Later. non. april. pont. nostri an. VII.*

i Ep. 117.

De vita & miraculis Guill. Eborac. archiep. quæri iubet Hon.

Agitatur de Ioan. Vincentino SS. catalogo asscribēdo.

49 Post hæc subditur in pontificio regesto, idem ad episcopum Patauinum duosque religiosos viros scriptum, de Ioanne episcopo Vicentino ab impijs pro tuenda ecclesiastica libertate gladijs confosso, de quo cœlitum numero adscribendo episcopus, clerus, ac populus Vicentini Honorium per literas, nuntiosque suos enixe rogarant. Cumque in mentionem de cultu sanctorum inciderimus, abs re non erit, addere vigilantissimum Pontificem, ab episcopis impudentem sceleratissimorum quorumdam audaciam atque auaritiam reprimi statuisse [a], qui varias regiones obire, ac simulare res miras ab adulterinis sanctorum reliquijs, quas habebant, edi; deq; ea re fictas a se Regum, principum, præsulum, Romanique ipsius Pontificis literas ostentare præsumebant.

Sceleratorum hominum imposturæ. a Ibid. ep. 309. Repressit ab Honorio.

50 Ceterum quemadmodum Ioannes episcopus Vicentinus ecclesiasticæ libertatis tuendæ gratia iam ante ab impijs cæsus obierat, ita pro eiusdem propugnatione A.. Cathenensis in Scotia episcopus nuper a perfidis parricidis interemptus. Quod eum ab episcopis illis accepisset Honorius, magno sceleris horrore perfusus, cōmotusq; grauiter in mortalium pessimos animaduertendum censuit. Regemque in ipsos, quem ob demonstratum vindictæ expetendæ studium laudibus ornauit, vehementius incendit, vt tam insignis illatæ Deo Ecclesiæq; iniuriæ vltor esset. testes apostolicæ literæ ad Scotiæ episcopos datæ [b]: *Nunc scimus vere, quod charissimus in Christo filius noster Rex Scotorum illustris, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum traditam sibi a Domino exerceat potestatem, cum commissas in regno suo nequitias non permittat impunitas. tam plene cognoscimus, quod libertatem ecclesiasticam diligat, cum suæ auctores iniuriæ persequatur. Iam reuera ipsum Dei fatemur athletam, cum ad vindicandum sanguinem Christi eius, qui de terra clamat ad ipsum, regalibus negotijs prætermissis intendat.*

A... epis. Cathenen in Scot. cæsus. Rex Scotorum illius necē vlciscitur. b Hon. ep. 75. Commendatus ab Honorio.

51 *Audito quidem ex literis vestris, quam abhorrendum facinus, quamque detestabile nuper dudum sit in regno suo patratum, noster expauit animus, cor contremuit, & aures ex ipsius horribilitate facinoris tinnierunt. Sed ex earundem literarum intellecto tenore, quam animose idem Rex insurrexerit contra huius sceleris patratores, dolorem, quem nobis facti atrocitas intulit, pro magna parte sensimus ex sua diligentia mitigatum. Eædem sane literæ continebant, quod orta inter recolenda memoria A.. Cathenensem episcopum ex parte vna, & parrochianos suos ex altera, super decimis, & alijs Cathenensis ecclesiæ iuribus quæstione, ipsaque in præsentia Regis ipsius, mediantibus quibusdam personis ecclesiasticis amicabili compositione sopita; redeunte tandem episcopo ipso ad propria, ipsoque Rege in Angliam pro arduis regni sui negotijs properante, ijdem parrochiani, tanquam moti aduersus eum, quia ecclesiæ suæ causam egerat contra ipsos, in pastorem pium lupi rapaces, in patrem degeneres filij, ac in Christum Domini diaboli satellites irruentes, eum vestibus proprijs spoliatum, cæsum, lapidatum, & bipenni vulneratum ad mortem, in coquina propria eius interitus nimis auidi cremauerunt. Rex vero præfatus qui proficiscens in Angliam, iam ad extrema regni sui peruenerat, hoc audito dolens, & ex tanta peruersitate sceleris conturbatus, ad vindicandam tam crudelem episcopi dicti mortem, & ad male perdendum malos, qui eundem episcopum sic perdiderant, prorsus omissis, quæ ipsum trahebant, negotijs, se protinus exercitibus suis collectis accinxit, aperte insinuans*

quod

quod eum iniuria Christi angat, & sua zeletur ecclesia libertatem, pro cuius defensione mortem subijt episcopus memoratus.

52 *Nos ergo iuxta postulationem vestram, ipsius Regis super hoc excellentiam commendantes, ac prosequentes actionibus gratiarum, eum per scripta nostra monuimus, vt assumptum propositum vlciscendi Deo & Ecclesiæ super hoc illatam iniuriam, vlciscendo taliter prosequatur, quod pro eo ipsa teneatur Ecclesia Dei misericordiam implorare, vt semper sit, vbicunque ambulauerit ipse, secum, & in æternum stabiliat regnum suum, faciatque sibi nomen grande, ac ab omnibus inimicis suis ei requiem largiatur.* Addit vt parricidarum terras, qui se episcopi cæde inquinarunt, ecclesiastico interdicto ferant, donec rite ab ijs crimen expiatum fuerit. *Dat. Laterani idibus februarij pontificatus nostri anno septimo.*

Hon. Reginald. Regem vectigalem ecclesiæ factum in apost. cliẽt. accipit.
a Ep. 164.

53 Eodem anno Pontifex Reginaldi insulæ Man Regis, qui regnum suum Romanæ Ecclesiæ vectigale fecerat, patrocinium hoc exarato diplomate suscepit a: *Sicut transmissa nobis tua litera protestantur, bonorum, quæ fiunt in Ecclesia Rom. particeps esse cupiens, ad exhortationem venerabilis fratris nostri P. Norwicensis episcopi tunc electi, & A. S. L. et Ecclesiæ Rom. nomine ac nostro, insulam de Man, quæ ad te iure hæreditario pertinebat, nullumque de ipsa seruitium facere tenebaris, donasti liberaliter, & irreuocabiliter tradidisti, recipiens eandem insulam ab Ecclesia Rom. in feudum, & pro ea nobis fidelitatis, & homagij exhibens iuramentum. In recognitionem quoque dominij Ecclesiæ Rom. tu & hæredes tui annuatim duodecim marchas sterlingorum in Anglia apud monasterium de furnis in festo purificationis B. Virginis persoluetis: quæ omnia iurasti te seruaturum fideliter. Nos igitur habentes hæc rata, & grata tuis supplicationibus inclinati, personam, & terram tuam cum omnibus, quæ in præsentiarum rationabiliter possides, aut in futurum iustis modis præstante Domino, poteris adipisci, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Dat. Later. x. kal. iun. pont. nostri anno* VII. Ita Christiani olim principes adeo non audebant ecclesiastica iura inuadere vsurpareque, vt regna summa pietatis laude Apostolicæ sedi dono darent. atque adeo nouam veluti adeptos gloriæ maiestatem putabant, si sese demisso animo Pontifici abiecissent, ac sceptra Apostolorum principi iam consecrata, Ecclesiæque vectigalia gestassent. Nec vana illorum opinio, cum ad summum eos splendorem felicitatemque effloruisse suspiciamus.

Ferrãdus Rex ob inuasã eccl. iura obiurgatus.
b Ep. 122.

54 Sed ad Honorium reuertor, qui dum Reginaldum insulatum Regem de Ecclesia optime meritum laudibus officijsque exornat, Ferdinandum Castellæ Regem ab officio parumper declinantem arguere compellitur b; quod nimirum annuas, grauesq; a Segobiensis ecclesiæ hominibus exactiones contra ius fasque extorqueret: vnde annuos eidem ecclesiæ census persoluere nequirent. Tum datis ad Garsiam Gundisaluum magistrum militiæ B. Iacobi, eiusque fratres apostolicis literis c priuilegia & bona eiusdem militiæ rata firmaque esse statuit, subditque: *Sit tamen omnibus præcipua cura & cautela continua, vt qui coniugium sortiti fuerint, continentiam custodiant coniugalem, & qui sine coniugio manere decreuerint, inuiolatam teneant castitatem, &c. Datum Signiæ per manum magistri Guidonis D. Papæ capellani v. id. aug. indictione XI. incarnationis Dominicæ anno* * MCCXXIV. *pontif. vero domini Honorij Papæ III. an.* VIII.

c Lib. 8. ep. 8.
Instituta equitum S. Iacobi confirmata.
* MCC. XXIII.
Corroborata ab Hon. minor. disciplina.
d Bar. in scholijs quæ apud nos exstãt.

55 Commendatam pariter & corroboratam apostolica auctoritate ab Honorio conceptam a D. Francisco religiosæ disciplinæ formulam notat Baronius d ex Minoritarum chronico. In pontificio vero huius anni regesto est ea de re apostolicum diploma, vbi Honorius ita loquitur a: *Ordinis vestri regulam a bonæ memoriæ Innocentio Papa prædecessore nostro approbatam annotatam præsentibus auctoritate vobis apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Quæ talis est: In nomine Domini incipit vita minorum fratrum. Regula, & vita minorum fratrum hæc est, scilicet Domini nostri Iesu Christi sanctum euangelium obseruare, viuendo in obedientia sine proprio, & castitate. Frater Franciscus promittit obedientiam, & reuerentiam domino Papæ Honorio, ac successoribus eius canonice intrantibus, & Ecclesiæ Rom. & alij fratres teneantur fratri Francisco, & eius successoribus obedire. De ijs, qui volunt vitam istam accipere, & qualiter recipi debeant, &c.* Adducit Pontifex instituta a viro sancto disciplinæ præcepta. Quemadmodum vero vir diuinus Christo coniunctissimus erat, ita suos præmonuit, vt a Christi vicarij imperijs omnino penderent: *Ad hæc per obedientiam iniungo ministris, vt petant a domino Papa vnum de S. Rom. Ecclesiæ Cardinalibus, qui sit gubernator, protector, & corrector istius fraternitatis, vt semper subditi, & subiecti pedibus eiusdem sanctæ Ecclesiæ, stabiles in fide catholica paupertatem, & humilitatem, & sanctum euangelium Domini nostri Iesu Christi, quod firmiter promisimus, obseruemus. Nullus ergo nostræ conf. &c. Dat. Lat. III. kal. decemb. anno* VIII. Hoc denique anno Christi fidelibus cultoribus per Marrochiam dispersis, Apostolicæ sedi per literas exponentibus, Regem Marrochitanum, dum de hostibus triumphabat, vel quid aliud prospere feliciterque illi successisset, quinque Christianos, religione famaque omnium præstantissimos, ad se secum epulandum euocare, eaque occasione quadragesimali etiam tempore, vel ferijs sextis ad carnes edendas cogere, ipsisque facti pœnitentibus veniamque demisse postulantibus Honorius errati gratiam fecit. b

a Lib. 8. ep. 261.
S. Franciscus Honor. & success. obedientiã pollicetur.
Marrochi Rex Christianis beneuolus.
b Lib. 7. ep. 146.

IESV CHRISTI
Annus 1224.

HONORII PP. III. annus 8.	FRIDERICI II. IMP. 5. ROBERTI IMP. 4.

1 EXoriente anno Domini vigesimo quarto supra millesimum ducentesimum, indictione duodecima, Honorius ad transfundendum in principes populosque fideles restituendæ Christiani nominis gloriæ ingentem, quo ardebat zelum, euangelicos præcones in plures occidentis prouincias, Germaniamque maxime, ex qua ingentia auxilia elicienda erant, proficisci iussit, vt diuini verbi classico magnanimi quique viri excitati sub crucis signis conscriberentur. Ac ne ob acceptam vltimam cladem languerent fidelium animi, datis ad Germaniæ præsules literis, monuit c id diuinæ prouidentiæ factum consilio, quæ ex aduersis rebus triumphos nouit elicere.

Missi pro excit. ad bellum sacr. popul. præcones euangel.
c Hon. l. 8. ep. 404.

Honorius, &c.

2 Ad exercitationem fidelium eam (de Terra sancta barbarorum tyrannide oppressa loquitur) passus est (nimirum Deus) ab infidelibus detineri, vt videat, si est intelligens aut requirens ipsum, qui eius vlcisci velit iniurias retribuendo Christo aliquid pro omnibus, quæ retribuit ipse sibi. Et quidem infinita exinde ac incomparabilia bona Christi fidelibus prouenerunt. Nam, o quot, quot sunt hodie delicati, qui satisfactionem iniunctæ sibi, vel iniungendæ pœnitentiæ metuentes, tanquam in profundum peccatorum venissent penitus desperabant, & nunc gratia diuina præueniente, prouide cogitantes, quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam sibi feliciter reuelandam, animas suas, quas interdum pro patria, & nonnunquam pro fratribus & amicis periculose posuerant, pro Christo salubriter ponere

Apostolica de ea re ad Germanos oratio.

statue-

statuerunt, qui pro se positam in vitam custodit æternam. O quot, quot, qui se ad mensam illius diuitis sedisse, qui est diues super filios hominum, recolentes, & cupientes eadem ei apponere, quæ apposuerat idem eis, sumpto salutaris calice passionis, cum palma martyrij ad regna cælestia peruenerunt, in perpetuum cum martyribus regnaturi! O quot, quot cupientes visitare terram, in qua pedes Christi steterunt, in corde contrito, & humiliato spiritu, ante, vel post consummationem peregrinationis arreptæ carnis morti præuenti ad supernam patriam euolarunt, & gloriantur in ordine confessorum! Et hæc omnia idem Dominus operatur, qui dat virtutem, & præmia elargitur, gratiæ gloriam superaddens. Quis ergo tam duro corde poterit Christo non compati, qui dat sibi compatientibus conregnare? vel quis ei non militabit ad tempus, qui pro nobis in cruce suis stipendijs militauit? vel quis ei non ministrabit libenter, qui vult vbi est ipse, suos esse ministros? aut quis se, vel sua illi negabit, sine quo nihil potest existere, vel haberi? absit, vt pretiosiorem animam se ipso habeat Christianus, qui iam non tantum sibi viuere debet, sed ei, qui est mortuus & surrexit.]

Portuensis episc. in Germ. leg. A. S. missus.

3 Subdit Fridericum Imperatorem, cuius literas acceperat, ducendæ sacræ expeditioni se deuouisse, quem in tanto, tamque iusto bello deserere turpissimum esset: missos a se sacros concionatores ad proponenda in sacris suggestis indulgentiarum præmia, obeundæque in Germania legationis Portuensi episcopo Cardinali prouinciam demandatam, cui meritos honores exhiberi, atque ad promouendam Christi causam præsidio esse iubet. Eodem argumento ad patriarcham Aquileiensem, archiepisc. Maguntinum, Treuirensem, Coloniensem, Magdeburgensem, Salisburgensem, Bremensem, ac Bisuntinum, eorumque suffraganeos literæ ab Honorio exaratæ [a]. Conradum porro episcopum Portuensem ab Apostolica sede ad expeditionis Hierosol. promouendæ consilium in Germaniam missum, Coloniæ sexta post Pentecostem feria honorifice exceptum esse auctor est Godefridus. [b]

a Ibid. ep. 405.

b Godef. in annal. an. 1224.

4 Quod ad Friderici literas spectat, quibus Pontifici significarat se toto animo parandæ in orientem profectioni incumbere; eas fuisse arbitramur, quæ de ea re ab Imperatore missæ in regesto pontificio extant. Earum exemplum infra scriptum est: *Cum ab eo, per quem Reges regnant, & principes dominantur, id quod sumus, & possumus diuino munere cognoscamus assumpti beneficij non ingrati, ac scientes quid exolueremus Altissimo pro omnibus, quæ contulit, & retribuit ipse nobis; cum bonis nostris non egeat, a quo procedit bonorum omnium plenitudo: in holocaustum tamen gratitudinis obsequio sanctæ Crucis obtulimus nos metipsos, personam, substantiam, & quas ipse concessit opes, & regna, sibi, & Terræ sanctæ ministerio deputantes. Ad persuasionem quoque vestram, paternæ monitionis instantiam, & mandatum, fratribus etiam vestris venerabilibus Cardinalibus consulentibus, atque rogantibus, per se specialiter singulis, & generaliter vniuersis, filiam illustris Hierosolymitani Regis hæreditariam ipsius terræ dominam, pronuba sacrosancta Rom. Ecclesia, vobis quoque existentibus paranympho, ducere iurauimus in vxorem, vt assumptum Terræ sanctæ negotium videremus, & possemus commodius consummare. In quo sic credimus onus cum vinculo matrimonij oportere transferri, sicut labor & coniugium pro exigentia negotij sunt indissolabiliter fœderata.*

Significat sacramento pollicitum regis Hier. hæredem vxorem ducere. Inde sibi restituendæ rei Christ. necessitatem impositã.

5 *Dotes vero ab Ecclesia, vestri videlicet, & fratrum vestrorum continui, & indeficientis auxilij super Terræ sanctæ negotio coram cunctis astantibus compromissas non duximus omittendas, quas velut necessarias, & opportunas exigimus, & vos tanquam actorem, & coadiutorem præcipuum in ijs exposcimus confidenter, prout ex stipulatione tenemini, & sedis Apostolicæ dignitas a vobis postulat, & requirit. Nos enim sicut nouit inspector cordium Deus, qui mentes & renes hominum perscrutatur, ad illius Terræ sanctæ negotium toto mentis affectu iugiter aspiramus. Et vt de apparatu nostro pateat vniuersis, centum galeas in portibus regni nostri, si necesse fuerit, habere confidimus præparatas: quinquaginta vero vsseria noniter per regnum nostrum præcepimus fabricari, singula quidem quadraginta milites cum totidem dextrarijs portatura, & super ipsorum opere duos de fratribus domus Theutonicorum, & alios fidelimos exercitatos viros de regno, per quorum industriam eadem vsseria proximo futura æstate credimus posse compleri, & tam de galeis, quàm de vsserijs interim vsque ad terminum prætaxatum plura fieri poterunt, sicut videbitur expedire, præter naues, & vassella alia infinita, quæ per regnum, & aliunde poterimus sufficienter habere.* De quinquaginta hisce nauigijs ad exscensum faciendo exponendasque in terra copias a Friderico comparatis, scribit Godefridus [a] tantæ ea fuisse magnitudinis, vt non solùm in ijs duo equorum equitumque millia, verùm insuper aliorum armatorum millia decem transuehi possent. Pergit Fridericus:

Apparata ab eo classis.

a God. vbi supr.

6 *Præterea fr. Hermannus domus Theutonicorum magister ad præsentiam nostram accedens, proposuit, & persuasit instanter, quòd de consilio vestro erat, & satis vtile vobis, & ei expediens videbatur, vt pro tam arduo negotio Terræ sanctæ cum principibus Imperij oretenus loqueremur, versus partes illas nos personaliter conferentes. Quod dum nostro proposito resedisset, & in procincta essemus versus partes illas dirigendi prosperum iter nostrum, venit mareschalcus noster Cathanien. qui fuerat in expugnatione Sarracenorum Siciliæ constitutus, ducens secum gaitos & seniores de omnibus montanis Sarracenorum Siciliæ nuntios, ex parte omnium ad nostram præsentiam destinatos; per quos cæteri omnes exposuerunt se mandata nostra, & beneplacita nostra promitus impleturos. Super quo habita deliberatione cum proceribus curiæ nostræ, quid videretur agendum, visum est omnibus consultius expedire, quod * deberemus in hoc articulo præsentiam nostram de Sicilia partibus absentare, ne pro nostra absentia, vel recessu Sarraceni a deuotione proposita declinarent, & facilius possint eorum fata colligere, quibus collectis difficile foret admodum in breui termino subiugari: sed præmitteremus magistrum ad principes, propositum & voluntatem nostram per eum singulis exponens, nobis ad recipiendum Sarracenos, dum se spontaneos darent, instantem operam impensuri. Propter quod eundem magistrum de tam arduo negotio vtile vidimus onerandum, iniungentes ei legationem ad principes faciendam, scribentes & promittentes per eum duci Austriæ, Lantgrauio Thuringiæ, ac cæteris principibus nominatim, nec non Regi Vngariæ, ac suis magnatibus ad Terræ sanctæ subsidium transituris, passagium, victum, pecuniam, & alia necessaria in regno nostro liberaliter exhibenda, prout idem magister, quem ad vestram prius præsentiam destinamus, proponet in conspectu vestro singula singillatim.* De Hermanni aduentu militaris Theutonicorum ordinis magistri ad Fridericum; de instituto ipsius Friderici, verùm intermisso itinere; de legatione in Germaniam eidem Hermanno, alijsque commissa, agit etiam Godefridus, de quo paulo ante memorauimus. Subdit Fridericus:

Sarraceni Siciliæ se Frid. arbitrio permittunt.

* non

Mittit Hermann. in German. ad conflãdas copias.

Imperator Regi Vng. ac proceribus Ger. bellicos sumptus promittat.

7 *Per quem etiam,* nimirum Hermannum, *plenius agnoscetis, quod illustris Hierosolymitanus Rex nuper scripserit nobis, & qualiter in proposito sit ab illis partibus recedendi, pro eo quòd parum ibi proficiat pro negotio Terræ sanctæ* (Contulisse illum se in Germaniam inferius ex Godefrido dicemus) *Nam prædicatores, qui prædicant verbum crucis, in tantum vilipenduntur ab omnibus, tam quod infimæ personæ videntur, tum quòd*

Queritur rem segnius a præconibus euãgeli.

nullam auctoritatem, vel aliquam, sicut moris est, in talibus habeant præstandæ indulgentiæ potestatem, quod non est, qui eos audiat, vel intendat. Verum etsi non inficias, ab improbis alicubi contemptui habitos, non tamen id omnino asserentibus demus: cum præsertim ex pontificijs literis perspicuum sit, tale munus viris probitate, doctrina, atque etiam dignitate præstantibus, Apostolicam sedem iniungere consueuisse, eaque ratione Honorius hoc anno, antequam ea scriberet Fridericus (vt remotiora, de quibus suo loco dictum est, prætereamus) huiusmodi prouinciam episcopo Roschildensi, nonnullisque abbatibus demandauit a (quos etiam publicas ea de re supplicationes instituere iussit) atque archidiaconum Cenomanensem suum in ea re zelum explicare b iusserat. Quod ad indulgentias attinet, eas iam concesserat œcumenica synodus Lateranensis, ipseque Honorius confirmarat. Addit Fridericus: *Et sicut a diuersis partibus orbis maiorum & potentiorum ad nos literæ peruenerunt, videtur eis quod remisse ab Ecclesia, & a nobis in tanto negotio procedatur.* At si princeps tarditatis negligentiæque accusari metuit, quo nomine illum Honorius sæpius arguit, minisque perculit; certè Pontifex in nullam, vel tenuissimam eius rei suspicionē incidit, vt inde ob ingentes a se magna cum pietatis, solertiæ, prudentiæque laude impensos labores ac sumptus, quorum suis locis meminimus, summam apud omnes gloriam sit consecutus. Sed ad Friderici orationem, & querimonias regrediamur.

a Idib. ep. 317. 338.

b Ibid. ep. 225.

8 *Magnates enim regnorum Franciæ & Angliæ, sicut prædicti Regis insinuatione cognouimus, nullam videntur voluntatem habere de crucis negotio assumendo, nisi prius, vt decuit inter vtrumque regnum ea fuerit in longæuum trenga firmata, quò secure ire valeant, & redire.* Sane quantum conciliandis Gallum inter, & Anglum inducijs, studij operæque hoc anno Honorius collocarit, indices sunt grauissimæ ad Ludouicum eadem re literæ exaratæ a nobis inferius adducendæ: *Plerique verò de potentioribus Angliæ, qui proficere possent in seruitio Iesu Christi, & olim assumpserant signum crucis, prætendunt se a vobis de crucis ministerio absolutos, & sit pauci, vel nulli sunt, qui per omnes prouincias illas, quas dictus Rex dicitur peragrasse, velint se ad crucis ministerium præparare.* Verum hæc a Friderico ad segnitiem suam tegendam per simulationem iactata ex pontificijs epistolis conuincitur: Pontifici enim solemne fuit neminē nisi exorta noua causa, eaque diligentissime cognita probataque, voti vinculo absoluere. Subijcit Fridericus:

9 *Nos igitur tanti negotij zelo ducti prædicto Regi moram per literas nostras in partibus illis persuasimus longiorem, quem nihilominus per Apostolicas literas de mora in illis partibus facienda pro crucis negotio promouendo expedit animari. Nam recessus eius, & præcipue si ad vltramarinas partes futura æstate, sicut habet in proposito, transfretaret, multum diffidentiæ, & incommoditatis afferret erga obsequia Crucifixi. Commisimus etiam ei per patentes literas nostras, vt omnes, quos inducere poterit ad Terræ sanctæ negotium opportunos, diligenter inducat, & tam crucesignatis, quàm & signandis ex parte nostra secure promittat passagium, victum, & quæcunq; necessaria in regno nostro singulis largiter ministranda.*

10 Porro refert Godefridus c Ioannem Regem Hierosolymitanum in Galliam hoc anno (Iordanus d rem in annum superiorem confert) ad sacra B. Iacobi Apostoli limina venisse, redeuntemque Hispaniæ Regis filiam in matrimonium duxisse: inde verò ad Henricum Germaniæ Regem cum se contulisset, Coloniam vnà cum illo profectum, ibique ab Engelberto archiepiscopo, lætaque vrbe, magnificentissime ipso assumptionis Deiparæ peruigilio exceptum esse. At regiam puellam, cui Berengariæ nomen erat, ab Ioanne ductam, Castellæ Regis sororem ac Blanchæ Francorum Reginæ neptem, anonymus Ludouici Regis actorum scriptor fuisse commemorat. Qui quamuis ea de Ioannis in Hispaniam profectione, nuptijsque inter superioris anni res gestas congerit, in hunc tamen conijcienda, ibi tradita demonstrant: ait namque Regem iter aggressurum prima quadragesimæ dominica baculum peregrinationis Turonis arripuisse, quo sane tempore Ioannes non in Gallijs, sed in Italia agebat, vt ex Honorij epistola ad Philippum Regem eodem anno data, tumque a nobis reddita, satis constat. Sed iterum ad Friderici literas.

c Godef. in annal.

d Iord. M. S. Vat. bibl.

Ioannes Rex Hier. lustrat limina S. Iacobi.

Regis Castellæ sororem sibi thoro iungit.

11 *Ecce quidem, vt oriens totus agnoscat, quod incommutabilem gerimus voluntatem promissum consummandi matrimonium & onus illius terræ sicut recepimus efficaciter procurandi, Iacobum venerabilem Pactensem episcopum, dilectum fidelemque & familiarem nostrum, in passagio proximo futuro martij, apud Accon disposuimus destinare, qui consensum filiæ Regis futuræ, dante Domino, consortis nostræ iuxta ordinationem vestram coram delegatis vestris inquirat & audiat, prout solemnitas exigit coniugalis.* Extant de ijs Honorij literæ a hoc anno kal. martij datæ ad patriarcham Hierosolymitanum, atque ad archiepiscopos Tyrensem, ac Nazarensem, & Acconensem episcopum, quibus se accepisse ait, Fridericum Imp. oratores suos illuc missurum, qui procuratorio nomine significarent, ipsum in Elizabetham, quam Ioannes Rex ipsius pater sibi vxorem spoponderat, matrimonium consentire; ac pariter ab Elizabetha mutuum consensum verbis expressum exciperent: quare eos præsules rei solemni ritu ac pompa celebrandæ interesse iubet; Acconitanumque episcopum ob Christi hostes crebris excursionibus fideles infestantes, fatigatum atque inde excedere meditantem, hortatur b vt generosos spiritus induat, & copias Christianorum quamprimum appulsuras, præstoque futuras pollicetur, ac Fridericum traijcere pariter decreuisse. Qui, vt ad cœptam orationem redeamus, epistolæ ad Pontificem scriptæ his verbis finem statuit.

Fallacia Friderici promissa.

a Hon. l. 8. ep. 337.

b Lib. 8. ep. 322.

12 *Erit itaque sanctitatis vestræ per Alemanniam, Vngariam & regna finitima, nec non in Franciam, Angliam, & cæteras partes orbis, tam sufficientes, & idoneos delegare personas, & illa præstantia remissionis, & indulgentiæ auctoritate munitas, quæ ad crucis negotium promouendum audiri debeant, & timeri. Legatum etiam specialem pro treuga inter Francorum & Anglorum Reges tractanda pariter, & firmanda dignemini destinare, quò licite possint & tute strenue prædictorum viri regnorum ad Dei seruitium se conferre, taliter super cæteris circumstantijs negotij prouidere dignantes, quod desidiæ vel remissæ negligentiæ qualibet, sicut hactenus non notetur, quia nos, quoad nostram spectat, & Imperij sollicitudinem, per affectum, & effectum ostendimus euidenter, qualiter tantum perficere negotium intendamus, cæli, & terræ super hoc testimonium habituri. Cæterum, quæ dictus magister ex parte nostra vestræ sanctitati proponet, firmiter credere debeatis, iniungentes nihilominus ei, vt iniunctam sibi tanti legationem negotij propensius exequatur. Dat. Cathanæ v. die martij duodecimæ ind.*

Rogat Honorium in Gall. & Angl. legatos mittat ad conciliãdos Reg.

13 Hactenus ad Pontificem Fridericus. Cæterum non spreuit monita filij mitissimus parens, qui Conradum S. R. E. Cardinalem non modo legatum suum, vti vidimus, in Germaniam, verum in Gallias etiam, datis alijs ad Ludouicum Regem vnà cum scriptis sibi ab Imperatore literis, misit c, quò ad inducias Anglo dandas adduceret. Rogatus quidem Philippus Rex ab Honorio anno superiore erat pollicitus se instaurandi belli sacri intuitu inducias producturum, diuinamque gloriam suæ vtilitati antelaturum. Sed morte oppressus rem in exitum perdu-

Admissæ ab Hon. illius preces.

c Ibid. ep. 380.

Conrad. Card. leg. in Gall. mittitur.

cere

cere non poterat; quare Honorius Ludouicum ipsius filium, quem sceptrum Gallorum arripuisse diximus, iterum proposito parentis exemplo ad suas preces adducere est conatus: *Claræ recordationis Philippum Regem Franciæ patrem tuum, qui nos speciali charitate dilexit, intenta prece rogauimus, vt cum charissimo filio nostro Henrico Rege Anglorum illustri, inter eos fœdera firma potius, vel saltem treugas, quæ inter ipsos stabilita fuerant, prorogaret, qui secundum instantiam sibi benignitatem, pietatemque promisit, quod prorogaret treguas ipsas precum nostrarum obtentu, & intuitu Terræ sanctæ; sed promissionem suam morte præuentus adimplere nequiuit. Preces igitur, quas super hoc eidem patri tuo porreximus, recitando in auribus celsitudinis tuæ cum magna fiducia replicamus, sperantes te illas tanto efficacius impleturum, quanto amplius tuam decet clementiam pia ipsius patris tui adimplere promissa, quatenus eorum salubris impletio non solum tua, sed etiam eiusdem patris tui animæ proueniat ad salutem.*

(Lud. Gall. Rex ad producendas cum Reg. Angl. inducias sollicitatur.)

14 At Ludouicus non modo Pontificis petitis de producendis inducijs non annuit, verum bellum atrox in Anglum mouit, vt Pontifex literis apud ipsum questus[a] est.

(Respuit pontificis monita.) (a Lib. 9. ep. 1.)

Honorius, &c.

Diuinæ procul dubio gratiæ donum fuit, quod recolendæ memoriæ Philippus pater, ac alij progenitores tui Francorum Reges fuere fide, ac deuotione præcipui, & huius doni præmium, præter felicitatem æternam, quam illos diuino munere credimus consecutos, fuit etiam temporalis prosperitas, quæ, sicut iam prænotauimus, antecesserunt omnes ferè alios Reges mundi. Et quidem sæpe te, fili charissime, affectu paterno monuimus, vt in ijs studeres eorum vestigia imitari, & quibus es dignus successor in regnum, studeres succedere etiam in decore virtutum, idque te facturum spe certa confidimus, & generoso stipiti, a quo ducis originem, futurum etiam fructibus similem credimus, & speramus. Cæterum si preces, immo quasi primitias precum, quas tibi porreximus, pro treugis inter te, ac Henricum illustrem Regem Angliæ prorogandis melius exaudisses, tribuisses huic nostræ spei certitudinem pleniorem, & ad porrigendum alias, cum res exposcere videretur, ampliorem nobis fiduciam præstitisses.

(Graues ea de re Honorij querelæ.)

15 Ad prorogandum autem treugas ipsas, etsi te nostra reuerentia non induxit, induxisse saltem debuit consideratio negotij Terræ sanctæ, propter quod sicut & tunc tibi notificare curauimus, ordinauimus in colloquio inter nos & charissimum in Christo filium nostrum Fridericum illust. Romanorum Imperatorem semper Aug. & Regem Siciliæ celebrato, vt pax inter omnes Christianos, ac maxime inter excellentiores principes interim seruaretur, quatenus sic ipsi terræ liberius veniret ab omni parte succursus. Sed esto quod de ipsis treugis prorogandis ob certas causas inter te, ac præfatum Angliæ Regem conuenire non potuit, ad mouendum arma continuo contra eum, spreto præfato statuto nostro, & cura Terræ sanctæ posthabita, quæ necessitas te coegit? Audiuimus enim, quod ad inuadendum terram, quam idem Rex adhuc citra mare obtinet, te accingis, & per vassallos, & confœderatos tuos fecisti iam illam inuadi, & qui in treugarum prorogatione dictarum non curasti obsequium nobis impendere, iam prorumpis etiam ad offensam, dum statuto, quod de pace seruanda edidimus, incipis contraire, &c. *Dat. Lat. III. non. aug. anno IX.*]

(Exponit quæ ex eo Terræ S. pericula ingruant.) ([illegible])

16 Præbuit auersas aures pontificijs precibus Ludouicus, conflatoque exercitu in Henrici Regis terras Gallicæ aulæ stipendiarias, quarum iure ipsius parentem Ioannem, antequam in lucem susceptus esset Henricus, ex Gallorum procerum sententia excidisse contendebat, incurrit, atque e castris Honorio in Pictauiam ad eas Gallico imperio restituendas subijciendasque se contulisse rescripsit.[a]

(a Apud Hon. lib. 9. ep. 18.)

Reuerem. in Christo patri Honorio Dei gratia sanctæ Rom. Ecclesiæ summo Pontifici, Ludouicus eadem gratia Francorum Rex salutem, & deuotam in Domino reuerentiam.

Paternitati vestræ duximus declarandum, quod cum treugæ olim firmatæ inter piæ recordationis Philippum quondam Regem Francorum illustrem genitorem nostrum & nos ex vna parte, & Henricum Regem Angliæ ex altera terminarentur, nos qui nullo modo consilium habuimus a baronibus nostris, vt treugas cum eodem Rege Angliæ firmaremus, personaliter accessimus ad feuda nostra Pictauiæ faciend*a*, de quibus & alijs feudis de regno Francorum mouentibus fuit abiudicatus Ioannes quondam Rex Angliæ per iudicium parium suorum Francorum baronum nostrorum, antequam iste Rex Henricus Angliæ genitus esset, siue natus; & ex tunc omnia feuda illa cesserunt in ius dicti genitoris nostri & regni Franciæ, & nostrum, qui tanquam verus, ac rectus hæres regnum Franciæ per Dei gratiam obtinemus. Iste vero Rex Angliæ Henricus huic facto nostro modis quibuscunque potest se opponens, de regno Angliæ, quod monet de feudo Rom. Ecclesiæ & vestro mittit contra nos, & regnum nostrum milites, & gentes cum armis, ad contratenenda nobis feuda nostra, de quibus Rex Ioannes pater istius Regis Angliæ fuit abiudicatus per iudicium parium suorum, antequam iste Rex Henricus Angliæ genitus esset, siue natus. Nos igitur, qui non credimus vos velle vt de feudis vestris mala proueniant nobis, vel regno nostro, paternitatem vestram duximus attentius rogandam, & requirendam, vt si dictus Rex Angliæ per vos hoc faciat, vos id ipsum taliter reuocari faciatis, quod de regno Angliæ, quod est de feudo vestro, nullum malum proueniat nobis vel regno nostro. Quod si Rex Angliæ hoc faciat auctoritate sua, & consilio suo proprio, & non vestro; non miremini, si nos consilium in contrarium habeamus. Dilectum autem vestrum Stephanum clericum latorem præsentium ad vos duximus propter præmissa destinandum.] Sane Ludouicum hoc anno cum ingenti exercitu Rupellam Pictauiæ portum Alnensium vrbem principem, quò Anglorum Reges eorumque copiæ ad regionem illam propugnandam appellere consueuerant, obsidione cinxisse, ac postridie kal. augusti in deditionem accepisse, indeque Pictauiam nullo negotio in suam potestatem redegisse, tradunt ex antiquioribus, vt recentiores prætereamus, Matthæus Parisius[b], atque anonymus eiusdem Regis gestorum scriptor[c]: qui præterea addit tulisse famam ea ratione ad deditionem compulsam, exorta nimirum inter præsidiarios militea seditione, qui cum stipendia ab Anglorum Rege expectarent, spe sua delusos fuisse indignati sunt, cum vasa quæ submissa erant a Rege, non auro, vt credebatur, sed lapidibus & furfure plena essent. Expugnata vero Rupella Petrachorios, Lemouicos aliasque vrbes ac prouincias, quæ in Garumnæ littus excurrunt antea Anglo obnoxias in Ludouici Regis obsequium procubuisse. refert vero idem auctor Parisijs, dum Rupella obsideretur, solemnem in festo B. Petri ad vincula supplicationem ab sacro Deiparæ templo ad ædem D. Antonij habitam, quo Deus incolumem Regem victoremque in patriam reduceret, eique supplicationi tres Reginas Isamburgem Philippi nuper defuncti vxorem, Blancham Ludouici coniugem, ac Blanchæ neptem Berengariam Hierusalem Reginam interfuisse. Hæc de Ludouico Rege, occasione literarum Friderici diximus, cætera prosecuturi, cum de Gallicis rebus agemus.

(* i. occupanda) (Rupellam in suam redigit potestatem.) (b Par. hist. Angl. hoc ann. c Anony. gest. Lud. Reg. eod. ann.) (Plures alias vrbes & prouincias Anglo eripit.)

17 Interea accepit Honorius, vt ad res Terræ san-

sanctæ regrediamur, a Georgianorum Regina legationem, literasque omni officio refertas, quibus ipsa pollicebatur se, Tartaris acie iam fusis, fugatis, cæsisque, victorem exercitum Hierosolymitanis Christi fidelibus subsidio missuram, qui iunctis cum Friderico Imp. illuc profecturo armis, impiam Sarracenorum gentem bello peteret, ac sanctissimis locis procul depelleret. At Reginam hæc pollicentem aliaque scitu digna enarrantem operæ pretium est audire.

Reginæ Georg. ad Hon. officiosæ lit.

Sanctissimo [a] *Papa patri, ac domino omnium Christianorum, tenenti sedem B. Petri; Russutana humilis Regina de* * *Aneguis deuota ancilla & filia sua; & inclinato capite ad pedes salutem.*

a Apud Hon lib. 8. ep. 432.
* Anegnia

Spero in Domino, quod sicut estis magnus, & excelsus, ita Dominus adimplebit desiderium, & deuotionem vestram, si propter literas tibi missas es dulcis nobis, & quæris de statu nostro. Significamus sanctitati tuæ, quod frater meus Rex * Vrgianorum mortuus est, & regnum eius remansit mihi. Modo petimus benedictionem vestram super nos, & super Christianos nobis subiectos. Peruenit ad nos magnum consilium tuum, & mandatum per legatum, qui erat apud Damiatam, quod frater meus veniret in subsidium Christianorum, & ipse erat in proposito, & apparatu veniendi; & si vos audistis, illi mali homines Tatari intrauerunt terram nostram, & multa damna intulerunt genti nostræ, & interfecerunt VI. millia de nostris, & nos non cauebamus ab ipsis, quia credebamus eos Christianos esse: sed postea quam intelleximus eos non esse bonos Christianos, collectis viribus insurreximus in eos & interfecimus XXV. millia de illis, & cepimus multos ex illis, & reliquos fugauimus de terra nostra, & propter hoc remansit, quod non venimus ad mandatum legati.

Significat Regis mortem.
* Georgianorum
Perlatibus auxilia Terræ S. Georgiani Tartaros irrupisse.
Vicissim initio. Postea ad 25. mil. Tartar. cæsa.

18 Quia vero modo intelleximus, quod Imperator de mandato tuo nunc debet in Syriam transfretare ad liberationem Terræ sanctæ, plurimum gaudemus. Vnde faciatis nos scire, quando transire debuerit Imperator, & nos mittemus Ioannem comestabulum nostrum cum toto exercitu nostro in auxilium Christianorum, & liberationem sancti sepulchri, ad locum, quem mandaueritis ei venire. Et facimus vos scire, quod dictus comestabulus noster, & quamplures alij nobiles de regno nostro acceperunt crucem, & expectant passagium. Vnde supplicamus tibi, & petimus a sanctitate tua, quatenus tu mittas literas, & benedictionem tuam nobis Christianis, qui sumus in oriente. Latori præsentium dilecto nostro Dauid episcopo de Hanij credas, tanquam ab ore nostro audires, & habeas nos recommendatos in orationibus tuis sanctis.] Ioannes porro magister equitum, de quo Regina memorat, literas etiam suas, eandem sententiam complectentes, plenasque humanitatis officijque Pontifici misit [b], in quibus præterea asserit, Tartaros sex illa Georgianorum millia primum interfecisse, quod per speciem religionis prælato crucis vexillo ipsos decepissent: cæterum fraude detecta, ad viginti quinque equitum millia ex illis internecione deleta; ac se qui crucesignatorum militiæ cum plurimis alijs principibus viris antea nomen dederat, quadraginta bellatorum millia adducturum. quamuis vero illius literæ parum ab ijs, quas modo attulimus, differant, eas tamen adducendas censuimus, vt agnoscant hæretici, quo honore remotissimæ nationes Romanum Pontificem, a cuius obsequio defecere, olim fuerint prosecutæ, illiusque imperijs parere consueuerint.

Pollicetur auxilia contra Sarrac. missuram.
b Lib 8. ep. 433.

19 *Sanctissimo patri, & domino totius Christianitatis, tenenti sedem B. Petri; Ioannes vir obediens seruiens comestabulus totius Bratiæ siue Armeniæ salutem, capite inclinato vsque ad pedes.*

Si vos quæritis de statu meo, per vestram sanctam benedictionem bonus est status meus, & significo sanctitati vestræ, quod dominus meus Rex est mortuus, & cum sancta gratia, & benedictione vestra nos elegimus alium in Regem. Sanctum & iustum mandatum vestrum, quod legatus vester de Damiata mandauit nobis, peruenit ad Regem, & ad me; sed cum præpararemus nos magnifice in armis & equis, victualibus & personis venire ad succursum Christianorum, & liberationem sepulchri, Tatari, cruce præcedente eos, intrauerunt terram nostram, & sic sub specie Christianæ religionis deceperunt nos, & vsque ad VI. millia interfecerunt de nostris.] Huius Tartarorum excursionis meminisse videtur Iordanus, qui eam ad annum Christi 1220. refert his verbis: *Eodem anno Tartari Georgiam vastare cœperunt. demum intrauerunt maiorem Armeniam, vbi est mons Ararat, vbi requieuit arca Noe, in cuius radice est prima ciuitas, quam ædificauit Noe.* Pergunt literæ enarrare, vt profligati fuerint Tartari, ac dictis superius consentiunt.

20 Sed postquam intelleximus eos non esse veros Christianos, nos cum gratia vestra, & auxilio sanctæ crucis insurreximus in eos, & interfecimus de eis vsque ad XXV. millia equitum, & quosdam ex ipsis cepimus, aliosque fugauimus de finibus nostris: & ista fuit causa, quare non potuimus adimplere mandatum vestrum, factum per legatum. Verum quia intelleximus, quod mandasti Imperatori, & cæteris Christianis de occidente, vt ad liberationem sancti sepulchri se debeant præparare, gauisi sumus quamplurimum. Et scire vos velimus, quod cum super hoc receperimus vestrum mandatum, parati sumus, cum toto exfortio nostro ad Christianorum subsidium proficisci; & ego in propria persona paratus sum in succursum Terræ sanctæ venire cum XL. millibus bellatorum, vbi vobis placuerit: nam noueritis, quod ego & multi barones nobiles de terra nostra suscepimus crucem. De cætero rogamus sanctitatem vestram, quod mittatis benedictionem vestram super nos, & terram nostram, vt cum benedictione vestra & gratia diuina secure possimus prælia Domini præliari. Latori præsentium Dauid sancto patri, & episcopo nostro credatis tanquam nobis in ijs, quæ ex parte nostra sanctitati vestræ duxerit proponenda. Nepos meus filius fratris mei Sanxa nomine dominus XV. magnarum ciuitatum inclinato capite ad pedes postulat benedictionem vestram.]

21 His acceptis literis Honorius Reginæ fidem ac studium erga Romanam Ecclesiam & sacrosancta Hierosolymitana loca meritis laudibus extulit: magnum sibi dolorem eius fratris obitum attulisse significat, regnumq; pacatum ac tranquillum Reginæ gratulatur: ipsam de proxima Friderici Imp. profectione, deque amplissima delictorum indulgentia Terræ sanctæ opem ferentibus concessa certiorem facit. [a]

Rescribit Reginæ Georgiæ Honorius
a Ibid. ep. 434.

Honorius, &c.

Multum gauisi sumus in Domino super deuotione, quam habes ad nos, & ad Romanam Ecclesiam, matrem Christianorum omnium, & magistram, & super pio desiderio, quod habes de liberatione Terræ sanctæ, in qua Dominus Iesus Christus dignatus est humani generis operari salutem, tradens morti crucis ineffabili pietate seipsum, vt genus humanum a morte perpetua liberaret. Super morte autem claræ memoriæ .. fratris tui Regis Georgianorũ tibi paterno compassi sumus affectu, ac in eo subsequenter gauisi, quod pacifice obtines regnum eius, sicut nobis per ipsas literas intimasti, optantes, vt Deus, in cuius manu sunt iura regnorum & regna, te ac tuum regnum in sua fide, ac deuotione, atque in bonis omnibus amplificet, & conseruet. Etsi enim absentes simus, corpore præsentes tamen spiritu, te ac alios

Faustam illi regni administrationẽ precatur.

Chri-

Christianos regni tui cordis oculis intuemur, & delectamur in fide, quam habetis in domino Iesu Christo, cui eò ipso est acceptior fides vestra, quòd eam seruatis in medio infidelium nationum, inter quas lucetis quasi lucernæ in tenebris, & redoletis quasi lilia inter spinas, reportaturi fidei vestræ desiderabilem finem, salutem vestrarum videlicet animarum. Propter quod tuam exhortamur in Domino celsitudinem, vt certa de promissione Christi dicentis: *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui est in cælis*; in confessione, ac laude sancti nominis eius firmus stabilisque persistas, & ad persistendum in ea subditos tuos exemplo sanctæ conuersationis inducas, vt post huius transitoriæ vitæ ineuitabilem exitum, vnà cum ipsis regnum merearis consequi sempiternum.

Pollicetur breui in Syriam Frid. profecturum.

22 Sane super eo quod de passagio charissimi in Christo filij nostri Friderici illustris Romanorum Imperatoris semper Augusti, & Regis Siciliæ certificari desideras, re ac exfortium tuum ad ipsius Terræ sanctæ succursum magnifice offerendo; fidei tuæ zelum in Domino commendantes, tibi auctoritate præsentium declaramus, quòd idem Imperator ad ipsius terræ liberationem magnanimiter; ac magnifice se accingit, a festo S. Ioannis Baptistæ proximo ad annum vnum, pro liberanda de manibus infidelium terra ipsa, cum innumera fidelium multitudine, & alio apparatu, imperiali magnificentia digno, Christo duce feliciter transiturus. Monemus igitur serenitatem tuam, & hortamur in domino, quatenus iuxta laudabilem promissionem tuam, tuum studeas exfortium taliter præparare, quòd tunc possis domino Iesu Christo dignum magnitudine tua seruitium exhibere. Vt autem tu, & subditi tui ad tam sanctum opus vos tanto libentius, & deuotius præparetis, quantò ex hoc maiora vobis apud Deum præmia comparatis, notificamus deuotioni tuæ, quòd omnes, qui laborem istum in proprijs personis subierint, & expensis; & illi etiam, qui non in personis proprijs illuc accesserint, sed in suis expensis iuxta facultates suas viros idoneos destinauerint; & illi similiter, qui licet in alienis expensis, in proprijs tamen personis accesserint, plenam peccatorum suorum, de quibus vere contriti fuerint, & confessi, veniam dono apostolicæ indulgentiæ consequuntur. *Et infra:* Tu ergo præsentes literas facias tuis subditis Christi fidelibus recitari, quibus iuxta postulationem tuam, benedictionem apostolicam elargimur, promittentes tibi & eis in quibuscunque oportuerit, & decuerit, apostolicæ sedis gratiam, & fauorem. *Dat. Later.* IV. *id. maij pont. nostri anno* VIII.] Hactenus Honorius, qui eodem etiam argumento epistolam clarissimis amoris ac beneuolentiæ notis aspersam Ioanni magistro equitum misit a postularamque ab eius nepte benedictionem est impertitus.

Proponit indulgentiarum præmia ac ma in Sarrac. correpturis.

a Ep. 435.

Laborat pro feren. Imperio Constantinop. auxilijs.

23 Vt verò in comparandis ad restituendum regnum Hierosolymitanum subsidijs adeo solicitum Pontificem vidimus, non minus ille neruos industriamque ad propugnandas Imperij Constantinopolitani res contulit; eoque maxime conatus suos, operamq; explicuit, cum maximi interesset ad restituendas res Syriacas, profligandosq; Sarracenos, Imperium illud a Latinis obtineri. atq; in primis Ludouicũ Francorum Regem enixè est precatus, vti Roberto Imp. consobrino suo festina opportunaque auxilia submitteret. Indices sunt ad Reginam Blancham eius vxorem literæ ea de re datæ b; *Nouit regia celsitudo, qualiter Dominus, in cuius manu sunt omnium potestates, & omnium iura regnorum, in Gallicorum manibus tradidit Imperium Romaniæ, quod per eosdem est, quasi principaliter hactenus gubernatum, ibique nouiter quasi noua Francia est creata. Nec ignorat, vt credimus, qualiter nunc charissimo in Christo filio nostro .... illustri Constantinopolitano Imperatore consobrino charissimi in Christo filij nostri Ludouici illustris Regis Francorum viri tui, eidem Imperio præsidente, diminuta est, & diminuitur potentia Gallicarum, aduersarijs inualescentibus contra eos grauiter, ita quòd, nisi eidem Imperatori celeriter succurratur, timetur ne irreparabile Latinis personarum, & rerum detrimentum immineat, & generaliter genti Gallicæ damnum inæstimabile, sicut plenius intelligi potest, quam deceat nos referre. Quia igitur nimis esset non solum impium, sed etiam inhumanum, si dictum Imperatorem, & gentem Gallicam ab inimicis Dei, & Latinorum omnium dictus Rex perire, dum ei potest succurrere, pateretur, &c.* Hortatur apud virum precibus insistat Constantinopolitano Imperio fulciendo non desit, non posse sine ipsius ac Gallorum dedecore amitti, quod patris temporibus tanta gloria partum extitisset. *Dat. Lat.* XIII. *kal. iun. anno* VIII.

b Ep. 442.

Reginam Franc. excitat, vt virum ad ea submittẽda vrgeat.

24 Præterea cum Theodorus Comnenus, de quo priori anno memorauimus, dominandi cupidine exagitatus, Thessalonicense regnum occupasset, maioraque moliretur, Honorius ad arcendam tyranni audaciam euertendaque consilia, Guillelmum Montisferrati marchionem Demetrij Thessalonicensis Regis fratrem, virum strenuum, iamque a se ad id, vt vidimus, delectum, amplioribus eum adhuc auxilijs stipari fulcirique operam dedit. Atque in primis plures ad varios de pecunia marchioni persoluenda epistolas exarauit a: tum archiepiscopis, episcopis, clericis ac religiosis viris Constantinopolitani Imperij Græcis, ac Latinis citra Mactam hasce literas misit. b

Marchio Montisfer. in Theod. Comnen. pro recuperando Thess. regno expeditionem vrget.

a Lib. 8. ep. 288. &c.

b Lib. 9. ep. 83.

Honorius, &c.

Dilectum filium nobilem virum Guillelmum marchionem Montisferrati ad succursum ipsius Imperij tum generositate magnanimitatis innatæ, tum desiderio prosequendi suam, & charissimi in Christo filij nostri Demetrij illustris Regis Thessalonicensis fratris sui iustitiam feruentissime aspirantem in huiusmodi proposito, & desiderio studiosissime corroborare curauimus, non solum sibi ministrando in multa quantitate pecuniam, sed & viros strenuos de prouincijs circumstantibus ad eundem cum ipso apostolicis indulgentijs excitando. Idemque marchio tum per suam solicitudinem, tum per nostram tantum ac talem ab æstate præterita congregauit exercitum, quod nisi eum repentina infirmitas, tempore, quo debebat iter arripere, inuasisset, nunc sicut verisimile est, & firmiter creditur, esset in Romania cum tanto exfortio, quod ea, quæ nunc difficilia videntur & aspera, plana & facilia viderentur. Distulit autem hoc infirmitas ipsa, non abstulit, quia idem marchio sanitate recepta, collegit militum, & peditum magnam & strenuam multitudinem, & sicut magnanimiter, ita magnifice propositum iter arripiens, moram, quam acerbitas infirmitatis ingesserat, redimere celeritate satagit: quod quia non potuit tum propter instantem hyemem & tempus iam contrarium nauigationi, quando peruenit Brundusium, tum propter defectum sumptuum necessariorum tanto negotio, delectam multitudinem ibi retinuit cum ea in instanti martio feliciter, diuina fauente gratia, transiturus, atque ad id sibi exercitum, & se inuicem exercitui iuramento constrinxit. *Et infra:*

Instruitur ab Hon. magnis auxilijs.

Morbo a profectione retardatur.

Recuperata valetudine priora vrget consilia.

25 Attendentes satius esse vt bona vestra, & ecclesiarum vestrarum pro manutenendo Imperij statu communicetis ad tempus, quam ea omnia perpetuo amittatis; de fratrum nostrorum consilio propter vrgentem necessitatem duximus statuendum, vt omnium vestrorum prouentuum huius anni, omniumque aliorum mobilium, quæ nunc habetis in ipso Imperio, exceptis dumtaxat ecclesiarum thesauris diuino cultui dedicatis, de quibus aliter procurauimus

Media pars bonor. eccl. orient. pro sustentando exerc. illi attributa.

prouidere, ac exceptis vestibus, & equis quotidiano vsui necessarijs, ac vtensilibus, in quibus non est aurum, vel argentum aut lapides pretiosi, medietatem marchioni prædicto sub iurisiurãdi religione integre conferatis. *& infra*: Simileque auxilium a consistentibus vltra Macram, tam in regia ciuitate, quam extra charissimo in Christo filio nostro Imperatori Constantinopolitano illustri statuimus conferendum, hoc solo adhibito moderamine, vt videlicet soluant eidem tantum decimam prouentuum huius anni, pro eo quod inter eos multi esse dicuntur, qui omnes redditus suos, vtpote consistentes vltra brachium amiserunt, quorum necessitas necesse est per alios releuari, &c.] Hortatur, vt necessitate ita cogente æquo animo ferant: inuitos atque obstinatos adigi iubet. cæterum pulcherrimam vel ex parte vel maiora recuperandi spem afflari, si quæ in commune contulissent. extremaque epistola hæc adijcit: Volumus autem, vt idem marchio, & filius eius, ac frater cum baronibus suis præstent in manibus dictorum executorum corporaliter iuramentum, & obligent etiam terras suas, quod si Dominus restituerit eis regnum Thessalonicense totum vel maiorem partem ipsius, restituent vobis, vel ecclesijs vestris ea quæ nunc marchioni conferetis eidem. *Dat. Later. IV. kal. decemb. anno IX.*

Idem subsidium vltra Macrã Roberto collatum.

26 Paucis vero post diebus de omnibus certiorem fecit a O.. e Rocca Athenarum dominum, sibi Latinorum res ad Constantinopolitanum Imperium spectantes adeo cordi esse, vt præter collatam a se ingentem pecuniæ vim, ipsius opera Guillelmus Montisferrati marchio subsidio cum lecta ingentique militum manu venturus esset; atque idcirco pecuniam earum regionum ecclesiasticis viris se imperasse: cæterum princeps collectoribus auxilium, si eo opus foret, præstaret: signa cum schismaticis strenue conferre paratus sit, quo breui labore diuturnam sibi ac reliquis Latinis pacem compararet: se ijs qui in prælio aduersus ipsos occubuissent, amplissimam culparum veniam attribuisse, modò peccatorum maculas per sacram confessionem expiassent. Adscripta est huiusmodi literis dies non. septemb. eodemque argumento plures aliæ, vt in regesto adiectum est, Achaiæ principi ac Negreponti dominis scriptæ sunt. Alia vero epistola b Constantinopolitani Imperij principes, militumque animos ad pugnandum incendit. Decreta etiam in eas regiones legatio est, cuius obeundæ munus Nicolao episcopo Rheginensi iniunxit viro clarissima familia nato, notæ probitatis, summo consilio prudentiaque prædito, qui memorato Guillelmo marchioni præsto esset. illustrant literæ c ad patriarcham Constantinopolitanum, atque Imperij & Thessalonicensis regni episcopos datæ. At de legato deque Guillelmo rursus anno insequenti nobis sermo recurret: nunc nonnulla de Ciliciæ rebus addemus.

Athenar. princeps ad iungendas cum Guill. march. arma exercitur.
a ib. ep. 85
b Ep. 84.
c Ep. 69.

27 Expulerant Armeni Tarsensem & Mamistanum archiepiscopos, cæterosq; earum regionum Latinos clericos, ad quos restituẽdos Honorius pontificium zelum explicuit. Conficiebat Honorium grauissimo dolore inusta ijs præsulibus iniuria, cum illius dedecus in omnes Latinos redundaret: cumque de ea re ad Armenorum Catholicum scripsisset, vt suã auctoritatem in ijs ad suas ecclesias reuocandis adhiberet, pontificijs monitis auersas aures præbuerat, quare Honorius hæc Hierosolym. patriarchæ suffraganeis, vt vim precibus coniungeret, imperauit: *Cum adhuc Catholico præfato scribamus, vt cum non sit sustinendum, nec vllo modo vlterius dissimulare possemus, quod prædictorum iustitia pereat, & ea quæ debetur nobis obedientia, subtrahatur, hac saltem vice sic faciat, sicut suum, & Armenorum vult periculum euitare, vt eisdem archiepiscopis & capitulis restituantur in integrum ecclesiæ supradictæ, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus tam eundem Catholicon, quam cæteros, qui dominium tenent Armeniæ, ad hoc moneatis solicite, ac pro posse vestro efficaciter inducatis, quod si monitis vestris acquiescere forte contempserint, vos eisdem archiepiscopis, & capitulis studeatis, qualiter suas possint recuperare ecclesias, vtile consilium, & opportunum auxilium exhibere, vt vbi non prodest monitio, auxilia suffragentur. Dat. Later. XVI. kal. ianuar. pont. nost. anno nono.*

Restituendis sedibus præsulibus incumbit Hon.

28 Neque hic laborum finis, quos Honorius in reducendis exulibus, pristinæque asserendis dignitati, cæterisque tuendis impendit. verum Conradi Cardinalis episcopi Portuensis legati sui, atque Hermanni magistri Hospitalis Theutonicorum Friderici Imp. oratoris opera e vinculis eximere conatus est Vvaldemarum Danorum Regem, in quibus ab Henrico comite ipsius vectigali per summum scelus habebatur, cum id sæpius grauissimis literis tentasset. In Germaniam igitur tum Pontificis legatus, tum Imperatoris orator profecti vnà cum Henrico Rege, quod tradit Godefridus a, atque Engilberto archiepiscopo Coloniensi, nonnullisque principibus alijs in Saxoniam contenderunt, & Hermannum ad captiuum Regem comitemque misere; cuius studio hæc pacis formula confecta, vt Rex quæ ad Imperij ius pertinebant, redderet, a Friderico regni insignia acciperet, & centum marcharum millia vt solueretur vinculis se daturum polliceretur. Verum Albertus comes Verlemundensis Regis ipsius sororis filius, alijque Daniæ optimates efferatis ira animis recessere, atque ingentem pecuniæ vim ad redimendum Regem allatã secum retulerunt. postridieque Albertus rem acie decernere statuit, prælioque post diem Christi natalem inito, ab hora diei prima ad vesperam magna vtrinque cæde certatum: denique Albertus vnà cum pluribus alijs nobilibus comprehensus, cum Rege auunculo in custodiam traditus fuit. quæ omnia Godefridus complectitur, Crantzius vero breuiter perstringit, additque Vvaldemarum auro se redemisse.

Et vindicando in libertatẽ Vvaldemaro Regi Dan.
Quæ leges pro liberãdo Rege ab Herman. propositæ.
a God. in annal. an. 1224.
Albertus Regis nepos illas respuit.
Bello eũ eulum liberare parat.
Capitur in prælio eodemq; carcere cũ auunculo includitur.
Crãtzius Dan. l. 7. c. 18. & 19.

29 Antea vero Romanus Pontifex archiepiscopum Bremensem grauiter perstrinxit b, quod cum vetuisset, ne liberando Regi obstaret, neue ipsius regnum infestare auderet, spretis apostolicis imperijs vectigales suos suæque diœcesis milites Vvaldemaro cuidam nefando apostatæ coniunxisset, qui in regnum excursione facta, ac quadam arce diruta nonnullos occiderat, aliosque in carcerem coniecerat. At quoniam comes Albertus, cuius tutelæ regnum traditum erat, exemplum in arcis proditores ediderat, illum archiepiscopus vexabat atque e commercio fidelium a se eiectum iri minitabatur, monuit illum Pontifex, ac pro apostolica auctoritate præcepit, tum ab infestando regno, atque ab negotio Alberto facessendo sibi temperaret, nec per eam speciem regem ipsum persequeretur: si quid ipsi aduersus eos quæstionis & controuersiæ intercederet, non vi sed iudicio experiretur: paratum se, vt aliàs literis suis significarat, ius suum ipsi tribuere: alioqui iudices ab se constituros sententiam ex canonicarum sanctionum præscripto dicturos certo sciat.

b Ib. ep. 7.
Bremens. arch. a Põt. ob Dan. infestatam increpatur.

30 Maximis ea tempestate calamitatibus Dania attrita iacebat, ac Rege capto ingentibus se vndique malis cinctam lugebat: illa vero populis spes supererat, B. Guillelmum Roschildensem abbatem in vltimo discrimine positis opem cœlitus laturum, omniaque mala discussurum, cum innumera illius miracula certissimum fidei ac spei pignus viderentur. Quorum pia studia, consiliaque fouens Romanus Pontifex, illi hoc anno SS. honorem cultumque, datis ad vniuersos fideles apostolicis literis c, decreuit. Igitur de more nonnulla præfatus hæc subijcit:

Guill. Roschild. abb. SS. catal. ascribitur
c Lib. 8. ep. 208.

Ho-

Honorius, &c.

De prædicti famuli Dei vita, fama, & miraculis per prædictum quondam Lunden. archiepiscopum approbatæ vitæ virum, timoratum & iustum, cui merito erat super hoc adhibenda fides, ac per venerabilem fratrem nostrum P.. Roschildensem episcopum, & dilectum filium abbatem de Eruado Cisterciensis ordinis, inquiri mandauimus diligenter. Qui de vita & fama certi, de ipsis tam per se, quam per alios, & de miraculis tam per eos, in quibus facta fuerant, quam per testes fide dignos iuratos, veritate cognita, certos nos reddere curauerunt, eis inter alia exponentibus, quod tanta in Christo gratia diuinæ benedictionis effulsit, vt eius suffragijs leprosi mundentur, sanentur ægroti, liberentur dæmoniaci, aperiatur lingua mutorum, & quod est mirabilius, iam idem sit plurium mortuorum almificus suscitator.

Edita ab eo miracula.

31 Gaudeat itaque mater Ecclesia, quod cælestis ædificatur Hierusalem, superni ædificij structura consurgit, noua in templo Dei columna erigitur, nouumque produxit misericordia Dei florem, quem cælesti rore vberius irrigatum mira, & suaui vbertate fructuum fœcundauit. Lætari quoque patria vestra debet, & cum iucunditate in laudes assurgere creatori, quod tanto est exaltata patrono, talemque apud Deum meruit intercessorem habere, per quem nominis sui fama sit celebris, latiusque diffunditur, & per cuius suffragium quasi vicinius habitatores sui possunt facilius veniam promereri. Cantet præterea nouum Domino canticum ecclesia S. Thomæ de Paraclito, quæ splendore noui luminis confessoris ipsius requiescentis ibidem pulchra facta est, & apparuit speciosa. Decet etiam matrem Ecclesiam ab illius laudibus, quem vitæ beatitudinem, signisque ac miraculis beatificatum a Deo esse constat, in gloria non vacare, sed ei potius debitum honorem exoluere, ac votis impendere sacramenta.

32 Quare nos, quibus, licet immeritis, a Domino est Ecclesia gubernanda commissa, super vita, fama, & miraculis præfati viri Dei, per dilectum filium nostrum G.. sancti Theodori diaconum Cardinalem, qui legationis officium in partibus illis exercuit, certiores effecti, ne velle videremur, quod lateret lucerna sub modio, quæ supra candelabrum esse debet, sicque inutiliter Christi essemus vicarij, si non faceremus, vt venerarentur fideles illum, quem sanctorum splendor Dominus tot, & tantis fulgentem miraculis ineffabili disposuit prouidentia venerandum; ipsum de nostrorum fratrum, & multorum prælatorum apud sedem Apostolicam consistentiũ canonizauimus consilio, & sanctorum statuimus catalogo adscribendum &c. Hortatur fideles, vt sanctorum confessorum Christi cultu ac laudibus Guillelmum prosequantur, eiusque preces apud numen implorent. *Datum Laterani duodecimo kalend. februarij pontificatus nostri anno* VIII.]

33 Sed ad Honorij susceptos labores, ac nauatam in principibus alijsque tuendis operam reuertamur. Exagitabatur ea tempestate Bela Rex Andreæ Pannoniæ Regis primogenitus, ab ipsomet parente, quod dimissam, vti anno superiori vidimus, vxorem ex voluntate Pontificis recepisset. Quare iniuria oppressum filium Pontifex confestim in suam clientelam accipere, Germaniæ principibus ipsique patri commendare, ac vt in pristinam gratiam dignitatemque restitueretur, operam conferre. Confirmant plures hoc anno datæ ea de re pontificiæ literæ, in quibus sibi primum locum hæ vendicant in eiusdem Belæ causa ad Pannoniæ episcopos exaratæ. a

Vngaricæ res. Bela a parente ob receptam vxorem exagitatus In Austriã fugit.

a Ibid. ep. 294.

Archiepiscopo Colocen. & suffraganeis eius.

Cum charissimus in Christo filius noster Rex Bela primogenitus charissimi in Christo filij nostri Andreæ Regis Vngariæ illustris grauem pro eo, quod vxorem suam ad mandatum nostrum recepit, persecutionem sustineat, coactus ex hoc in terram nobilis viri ducis Austriæ se transferre, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus prædicto nato Regis eiusdem, cui merito tenemur adesse, vestrum ei exhibendo fauorem plenius assistatis, monitis apud patrem ipsius, & exhortationibus insistentes, ac consulentes eidem, vt sibi malitiosum se non exhibeat, vel infestum, nec ad se redire compellat eundem, sed in regno suo, vbi cum eius vxore, ac suis, sicut regium decet hæredem, honeste valeat commorari; redditus ei certos assignet, ipsos etiam, qui cum ipso morantur, nequaquam in personis, vel rebus offendat, mandatum nostrum taliter impleturi, quod vestra cognoscatur diligentia per effectum, & a nobis possitis de circumspecta solicitudine commendari. *Dat. Later.* VIII. *kal. martij pont. nostri anno* VIII.

Vngar. præsules illi præsidio esse iussi.

34 Ceterum Austriæ dux, ad quem Bela confugit, blande ipsum benigneque excepit: quem idcirco Honorius meritis laudibus ornauit a. Erat is Luipoldus, cuius filiam Agnetem Henricus Rex Friderici Imp. filius, quod Vrspergensis b alijque tradunt, vxorem duxerat. Deinde ab Rege patre omni studio Pontifex per literas contendit c vt eundem Belam in Austriæ ducis ditionem concedere compulsum, quod vxorem apostolico mandato coactus reduxisset, omnibus paternæ charitatis significationibus prosequi vellet: vt dignum erat liberaliter tractaret, quo honorifice sibi suisque consuleret, ne cui suspicionem inijceret, moleste ipsum ferre filium suum Apostolicæ sedis imperio paruisse: Præterea Bohemiæ Regem, Charinthiæque ducem Honorius hortari d precarique, vti Belam, si ad ipsos se recepisset, omnibus beneuolentiæ argumentis complectantur, aliosque principes viros laudibus efferre e, qui ipsius rebus fauerent.

Benigne ab Austriæ duce excipitur.

a Ep. 298.
b Vrsp. chr. an. 1223.
c Chron. Austr. anno præced. aliiq.

Austriaco & alijs princ. cõmendatur ab Hon.

Lib. 8. ep. 297.
d Ibid. ep. 296.
e Ib. 290.

35 Interea ingens timor Andream incessit, ne per occasionem discessus filij noui in regno motus excitarentur, populique ab se deficerent: quocirca vt rebus suis caueret, legationem literasque ad Rom. Pontificem, ipsius consilia operamque petitum misit, a quo benignum huiusmodi responsum retulit f: *Firmissime teneas, & nullatenus dubites, quod sic nos tui honoris, & exaltationis augmentum, & regni tui tranquillitatem affectamus, & pacem, vt neminem contra hoc supportare velimus, quin potius quibuscunque contra te, aut regnum tuum machinantibus, parati sumus tanquam de nostro agerent dispendio, efficaciter obuiare. Vnde charissimo in Christo filio nostro Bela Regi nato tuo scripta nostra dirigimus, vt se tibi deuotum filium exhibeat, & in nullo a filiali se reuerentia, & deuotione subducat, prouisurus attente, ne occasione sua, vel eorum qui cum ipso morantur, regnum contingat Vngariæ perturbari. Scribimus etiam morantibus cum eodem, vt ad deuotionem tuam prædicti filij tui animum accendentes, nihil sibi suadeant, nihilque facere ipsi præsumant, vnde moueri debeas, & regni tui tranquillitas perturbitur. Quocirca excellentiam regiam monemus, & hortamur attente, quatenus eundem natum tuum, qui ad tempus, non tamen tua dicitur culpa cessisse, sicut tanti Regis decet filium & hæredem, benigne, ac honeste studeas pertractare, cum si secus fieret, nonnulli putarent displicuisse tibi, quod idem filius tuus circa vxoris suæ receptionem mandatis apostolicis obediuit. Dat. Later.* IV. *id. martij anno* VIII. Hactenus Honorius, qui vt Regem ad officium parentis optimi, a quo desciuisse videbatur, commodius reuocaret, culpam ab eo magna prudentia amouere conatus est. Cæterum extant eius epistolæ g, quas se ad Belam aliosque dedisse testatur.

Vngari in Andream filium insectantem commoti.

f Ep. 341.

Nec ipsi nec filio vnquam defuturũ respondet Honorius

Imminẽs bellum discutere nititur.

g Ep. 345. 346. 147 148.

36 Inter hæc cum religiosi S. Mariæ Theutonicorum

rum milites regionem quandam Bozæ ipsis ab Andrea Rege dono datã iam excolere cœpissent, Rom. Pontificem togauere, illam in Apostolicæ sedis tutelam iusque accipere dignaretur; quorum pijs votis precibusque respondit Pontifex, atque in hæc verba rescripsit: *Petistis, vt terram Boza, & vltra montes niuium, quam propter paganorum insultus vastam vsque ad proxima tempora, & desertam, largitione charissimi in Christo filij nostri Andreæ Vngarorum Regis illustris adepti esse noscimini, & nouiter inhabitare cœpistis, ipsorum paganorum impetu non sine multo personarum vestrarum discrimine refrænato, in ius, & proprietatem Apostolicæ sedis recipere dignaremur; asserentes, quod fideles libentius transibunt in eius coloniam, si eam viderint Apostolicæ sedis esse speciali ditione subiectam, sicque fiet vt terra, quæ lata & spatiosa cultoribus indiget, facile populetur, & numerus habitantium in eadem ad ipsorum paganorum terrorem & securitatem fidelium, atque ad vtilitatem non modicam Terræ sanctæ feliciter augeatur. Vestris ergo pijs precibus benignius annuentes, præfatam terram in ius, & proprietatem B. Petri suscipimus, & eam sub speciali Apostolicæ sedis protectioni, ac defensione perpetuis temporibus permanere sancimus. Ad hæc cum eadem terra secundum indulgentias vobis ab Apostolica sede concessas nullum præter Rom. Pontificem habeat episcopum vel prælatum, præmissa auctoritate districtius inhibemus, ne quis archiepiscopus vel episcopus in terram ipsam, vel incolas eius interdicti, vel excommunicationis sententiam sine speciali auctoritate Apostolicæ sedis promulgare præsumat, vel iurisdictionem quamlibet exercere, &c. Dat. Later. 11. kal. maij pontif. nostri anno VIII.* His præterea de rebus scripsit Pontifex tum Pannoniæ [a] episcopis, tum Bozæ archipresbytero [b] (de quo in literis modò allatis memorat) cleroque, ac populo. Antea vero superiori anno extremo antistitem Transyluanum grauiter arguerat [c] sacrum in Bozam imperium affectare, presbyteros illos & clericos ad synodos suas euocare, decimas redditusum partes ac iura alia episcopalia ab ijsdem laicisque extorquere; denique in eos, qui voluntati suæ non assentirentur, iniquas anathematis, atque ecclesiastici interdicti sententias ferre. Quamobrem apostolica auctoritate ipsi imperat, vt eiusmodi sententias, si quas tulisset, reuocaret; populum illum vexare desinat, illos iniurijs affici non passurum.

Boza ab Vng. equitibus relig. Theut. data in clien. Ap. accepta ab Honor.

[a] Ep. 412. [b] Ep. 413. 414.

Transylu. ep. increpitus Bozã sç auctoritati subijcere. [c] Ibid. ep. 137.

37 Sed ad gesta hoc anno ab Romano ipso Pontifice apud Germaniæ principes regrediamur. namque Bohemiæ Regem monuit precatusque est, vti [d] possessiones, in quibus sunt auri fodinæ, Vratislauiensi episcopo restitueret [e], vtque rebus humanis erepto Andrea episcopo Prägensi, cum quo diu de libertate ecclesiastica certauerat, canonicorum collegio, cui de successore deligendo apostolica mandata dabat, præsto esset, ne quis electioni faciendæ moras nectere moliretur: cæterum sibi exploratum esse, ipsum Regem aliorum potius iniqua suggerentium malitia, quam culpa sua Andreę episcopo negotium exhibuisse, cum a pluribus nuntijs ac præsertim a Gregorio Crescentio S. Theodori diacono Cardinali in illo regno legationis munere perfuncto accepisse illum, vti Regem deceret, mansuetum ac beneuolum erga ecclesiam animum gerere. Huiusmodi blanditijs Pontifex summa prudentia preditus Christianos principes intra æquitatis fines tenere consueuit.

Bohem. Rex ereptas Vrat. epis. auri fodinas restituere iussus. [d] Ep. 226. [e] Lib. 9. ep. 35.

Præterea Honorius Sueciæ Regem etiam atque etiam rogat, hortaturque, ne ecclesiasticis viris molestiam creet [f]: *Significantibus regni tui episcopis, presbyteris, & alijs clericis intelleximus, quod tu eosdem presbyteros, & clericos expeditionum tuarum angarijs, & alijs secularibus exactionibus aggrauas, & molestas, & contra diuina, & humana statuta in seculari compellis iudicio respondere. Cum autem hæc salutis tibi pariant detrimentũ, & nos quo sincerius te diligimus, eo libentius reuocare te ab huiusmodi cupiamus, serenitatem regiam rogamus, monemus, & exhortamur attente, quatenus ne contra te iram eius, qui transfert regna, & spiritum aufert principum, prouocari contingat, ab ijs taliter conquiescas, quod & diuinam exinde euitare possis offensam, & nos contra personam tuam, tanquam vetis in ecclesiasticarum personarum delectari grauamine, non possimus quod te grauare debeat, cogitare. Dat. Later. x. kal mart. anno VIII.*

Rex Sueciæ admonetur ne ecclesiasticos opprimat. [f] Lib. 8. ep. 308. 309

38 Hoc anno exeunte Honorius Guillelmum episcopum Mutinensem summæ probitatis virum in boreales plagas legati dignitate auctum misit, vt Liuoniæ Prussiæque regiones euangelij sacro semine excoleret: *Ecce [a] ad euangelizandum in partibus illis,* Liuoniæ scilicet ac Prussiæ, quarum paulo ante Pontifex meminerat, *elegimus venerabilem fratrem nostrum Guillelmum Mutinensem episcopum, vel potius nobis quasi dicentibus, quem mittemus, & quis ibit nobis, idem eum Isaia obtulit se mittendum, qui honestate vitæ, conuersatione religionis, & eruditione scientia præditus, nec ignorans, quod nullum Deo sacrificium sit acceptius, quam lucrum quærere animarum, totum ad id se totaliter impendit, exemplum bonorum operum ponendo se ipsum, prout non tam argumentis probabilibus, quam experimentis euidentibus clarius luce patet. Quare commisso sibi plene legationis officio, tam in prædictis regionibus, quam in Holzeten. Hestonia, Semagallia, Samblandia, Curlandia, Vviriandia, & in insulis Gulandia, Burgandomlmu, Rinu, Gotblandia, ipsum ad partes illas prouidimus destinandum, firmam spem, fiduciamque tenentes, quod tanto quæ Christi sunt, ipso proposito aget felicius, quanto propria minus quæret; eoque facilius diffusa in labijs suis gratia optatum consequetur effectum, quo sciet quod prædicat perfectius opere adimplere, &c.* Monet earum regionum præsules ac populos legatum debitis officijs, honore, ac beneuolentia prosequantur. *Dat. Later. 11. kal. ianuar. pont. nostri anno* IX. Antea vero cum Liuoniensis episcopus apud Apostolicam sedem questus esset iniurias sibi ab archiepisc. Bremensi & canonicorum illius ecclesiæ collegio illatas, qui Liuoniensem ecclesiam suæ metropolitano iure subijcere conabatur, Honorius cœptis eos absistere iussit. [b]

Guill. ep. Mutin. in septentr. plagas pro euang. disseminado legatus mittitur [a]. [a] Lib. 9. ep. 129.

Reprimit Honorius arch. Brẽ. Liuoniæ ep. sibi subijcere meditantem. [b] Lib. 8. ep. 139.

39 Cum porro apostolici sit muneris fidem non modò apud barbaras nationes nondum Christiana religione imbutas disseminare, verum etiam omni opera & studio incumbere, ne quæ olim euangelica luce collustratæ fuere, hæresibus inficiantur, non ad inferendum solum Curlandiæ, Gothlandiæ, alijsque septentrionalibus regionibus & insulis euangelium, sed ad Albigensem quoque impietatem extinguendam, quæ Narbonensem Galliam corruperat, desudauit Honorius, atque adeo Galliarum Regem Ludonicum aduersus Raymundum Albigensis hæresis nota deformatum, reique catholicæ hostem infestissimum concitare, atque ad ipsum armorũ terrore ad officium reuocandum incendere studuit. In suis enim literis ad eum de Portuensi episcopo demandato legationis munere datis, quibus significabat mitti ad conciliandas ipsum inter & Henricum Angliæ Regem inducias, quas nos supra attulimus, de re Albigensi, ad quam delendam mittebatur etiam legatus, hæc adiecit: [c]

Excitat Reg. Fräc. ad Raymund. ecclesiæ subijciedum.

[c] Lib. 8. ep. 380.

40 *Prædictum legatum ad te cum festinantia dirigentes, tuæ serenitatis deuotionem, & magnificentiam rogamus, monemus, & obsecramus per aspersionem sanguinis Iesu Christi, qui pro te morti crucis tradidit semetipsum, quatenus, cum pro certo credatur, quod nobilis vir R.. filius quondam R.. comitis Tolosani magnitudinis tuæ potentiam adeo reformidat, quod si cognouerit te contra eum ex animo velle totis viribus tuis vti, eas expectare aliquatenus non audebit; sed mandatis ecclesiæ, quibus & vtinam vera deuotione, se offert,*

pare-

parebit iuxta tua beneplacitum voluntatis, ipsum regijs commonitionibus, & commnationibus efficaciter inducere ſtudeas ad pacem cum Deo, & eius Eccleſia faciendam, ita quod & terra purgetur hæreticis, & eccleſijs ac viris eccleſiaſticis congrue ſatisfiat de damnis & iniurijs hactenus irrogatis; & prouideatur libertati eccleſiaſticæ in futurum, & honori dilecti filij nobilis viri Almarici comitis Toloſani, qui ſicut & claræ memoriæ pater eius pro ſeruitio Dei, & Apoſtolicæ ſedis expoſuit ſemetipſum: propter quod ſibi nos poſſumus aliqua ratione deeſſe in ipſa pace, quantum fieri poterit, deferatur, quod ſuper hoc inueneris, nobis celeriter reſcripturus. Si enim hoc feceris, vt rerum diſpendia taceamus, multis eris cauſa ſalutis animarum, & corporum; ac remouendo impedimentum huiuſmodi diſcordiæ, quod multum poteſt officere negotio Terræ ſanctæ, quaſi inæſtimabiliter eiuſdem terræ ſubſidio prouidebis: nec ex hoc maiores potes aſſequi titulos laudis, & gloriæ, quam ſi præfatum nobilem ad viam ab inuio, & ad Apoſtolicæ ſedis mandatum ſola potentia tua terrore feceris ſine bellico ſtrepitu, et ſanguinis effuſione redire. Dat. Lat. 11. non. apr. an. VIII.

Raymundus eccleſ. gratiā flagitat.

Concilium ob id apud montem Peſſul. celebratum.

a Geſt. Lud. an. 1224.

b Hon. l. 8. ep. 495.

Quibus legibus Raymūdus in gratiam admiſſus.

41 Raymundum Ludouici Francorum Regis potentiæ terrore percolſum ad flagitandam pontificiam clementiam, atque Eccleſiæ gratiam ambiendam adductum fuiſſe, indicant literæ Magalonenſi epiſcopo datæ, quibus vetuit ne archiepiſcopus Narbonēſis ex Honorij præſcripto coacta ſynodo Raymundum, atque Albigenſes alios reciperet, qui iurati Romano Pontifici ſe dicto audientes fore promiſerant, tradit geſtorum Ludouici Regis ſcriptor hiſce verbis a: *Infra octauas aſſumptionis B. Mariæ apud montem Peſſulanum* (fuiſſe illius vrbis ciues in Ap. clientelam ſuſceptos ac Regi Lud. commendatos oſtendunt literæ b Honorij) *auctoritate apoſtolica concilium celebratur. Nam Honorius Papa Narbonenſi archiepiſcopo dederat in mandatis, quod ibi modum pacis, quam Raymundus comes Toloſanus & alij Albigenſes ſanctæ matri Eccleſiæ offerebant, audiret, & quod inde faceret, remandaret. Qui conuocatis totius prouinciæ epiſcopis & abbatibus, ac clericis vniuerſis, a comite Toloſano alijſque baronibus iuramenta recepit, quod terram ſecuram, & obedientem Rom. Eccleſiæ redderent, & clericis redditus ſuos in integrum reſtaurarent, eiſque pro damnis quindecim millia marcharum infra tres annos perſoluerent, & de hæreticis confeſſis, vel conuictis iuſtitiam facerent indilatam, ac pro poſſe ſuo per vniuerſam prouinciam prauitatem hæreticam exſtirparent.* Hæc auctor atque ex ipſo alij.

Pro reſtituendo libertati Fland. cō. laborat Hon.

c Ibid. ep. 403.

d Lib. 7. ep. 134.

42 Vt verò Pontifex Lodouicum Regem exaſperauit ad ſeueritatem, vt Raymundum ad Eccleſiæ obſequium infringeret, ita ad clementiam erga Belgij comitem, quem tenebat in vinculis, adducere eſt conatus. qua de re hæc ad ipſum ſcripſit c: *Intellecto quondam, quod inter claræ memoriæ Philippum patrem tuum, & nobilem virum comitem Flandren. conuenerat, vt idem comes pro certa ſe redimeret pecuniæ quantitate; præſtanda ſibi nihilominus de terra Flandriæ quæ ad dominium Regis ſpectat, ea quam poſſet impendere cautione; nos alterius compaſſi miſeriæ, ac miſeratione alterius delectati, eundem Regem noſtris literis rogauimus attente, & monuimus, vt eundem comitem diuinæ pietatis intuitu liberaret;* Eas dederat anno ſuperiori v. id. april. vt ex regeſto pontificio conſtat d: *Volentes quoque indemnitati Regia præcauere, ad poſtulationem ipſius comitis venerabilibus fratribus noſtris Rhemenſi archiepiſcopo, & epiſcopo Siluanectenſi noſtris dedimus literis in mandatis, vt ſi prænominatus comes in Regem, vel prolem, ſeu terram ſuam, quod abſit, inſurgeret, niſi infra quadraginta dies, poſtquam eſſet monitus in regia curia, ſatisfactionem ſuper hoc iuxta parium ſuorum iudicium exhiberet, eundem comitem excommunicationi, ac terram ſuam interdicto ſupponerent, donec ipſe modo ſatisfaceret ſupradicto.*

43 *Verum nequitia diaboli bonis actibus inuidente, patre tuo ſublato de medio, conuentio incompleta remanſit, & dicti comitis liberatio eſt hactenus præpedita: quia verò nimis inhumanum videtur dictum comitem vlterius captiuitatis ſqualloribus macerari, celſitudinem tuam rogamus, monemus, & hortamur attente, quatenus prudenter attendens, quod miſericordibus miſericordiam Dominus pollicetur, & agnoſcens, quod optimum vindictæ genus eſt, nolle punire cum poſſis, et quod magnanimitatis eſt magnifice parcere, ad liberationem ipſius comitis cor tuum clementer inflectas, & ipſum redimi patiaris, &c.* Significat Rhemenſi arch. & Silu. epiſc. datam prouinciam, vt comitem, ſi pacta quæ regio, & comitis ſigillis fuerint munita, infregerit, cenſuris denuncient. *Dat. Later. x. kal. maij anno VIII.* Quæ verò aduerſus Anglos hoc anno geſta a Ludouico, vtque omnes terræ vectigales, quæ ad Garumnam excurrunt, in ipſius poteſtatem redactæ fuerint, ſuperius a nobis dictum eſt. iam Anglicas res percurramus.

44 Miſerat ſuos Henricus Rex ad Pontificem oratores, vt nonnulla cum ipſo arcana agitarent conſilia, opemque apoſtolicam flagitarent, quibus reditum parantibus Honorius literas a Henrico deferendas dedit, in quibus primum ſumma ſe lætitia perfuſum teſtatur, quod ipſe, vt oratores iidem ſibi ac S. R. E. Cardinalibus retulerant, magna cum virtutis laude vitam duceret, ac veluti in primo floreſcentis ætatis vere, optimi principis fructus virili maturitate conditos polliceretur: populos ſuos beneficijs proſequatur, corrigat, regatque. Tum ſubdit Pontifex: *Illud autem nominatim tuæ ſuggerimus celſitudini, & conſulimus bona fide, vt cum vaſſallis tuis non ponas hoc tempore rationes, nec eos ſuper reſtitutione tuorum redditium ſcandalizes; ſed hæc & alia, quæ poſſunt ſcandalum generare, prudenter in tempus differas opportunum.* Verum Henricus parentis optimi dicto minime audiens fuit, qui poſt hæc arma, non ſine grauiore ingrati animi nota, in Fulcheſium Breantem virum nobilem, de ſe regnoque ſuo optime meritum, arma ceperat, eiuſque caſtrum obſederat: quo nomine ipſum Pontifex grauiſſima oratione perſtringit.

Henricū Angl. Regem ad ſectandas virtutes hortatur a.

a Lib. 8. ep. 356.

Monet vt tempori ſeruiat.

Henricus conſilia Pontificis reſpuit.

Fulcheſiū commeum bello petit.

Belfordiā obſidet.

45 *Ecce, ſicut dolenter audiuimus, ſpretis monitionibus noſtris contra nobilem virum Fulcheſium de Breante, qui pro patre tuo, ac pro te ipſo ſe, ac ſua tempore neceſſitatis expoſuit, arma inconſulte mouiſti, caſtrum de Bedford, quod ipſe pater tuus eidem fidelitatis ſuæ conſtantia, & laboribus, ac expenſis, quas ſubiit pro eodem inſpectis, ſibi ſicut dicitur liberalitate regia, iuxta merita retributione donauit, hoſtiliter obſidendo, non aduertens, neque conſiderans, quam indiſcreta, ne infida dicamus, ſunt eorum conſilia, qui tibi ſuggerunt & ſuadent, vt hoc tempore, quo tibi arma inferuntur externa, transferas arma tua, qui etiamſi te grauiter offendiſſent, deberes tuas ad præſens diſſimulare iniurias, & ipſos regijs beneficijs reddere in tua, & regni tui defenſione vnanimes & concordes, & non incendere regnum ipſum intrinſecus, quod iam extrinſecus ardet.* De Gallis loquitur, qui, vt diximus, plures ipſius ciſmarinas prouincias ſubegerant. *Monemus igitur ſerenitatem tuam, & hortamur attente, &c.* inculcat vt fœdus cum illo ineat, ac pontificia conſilia præferat. *Dat. Later.*

Reprehēditur ab Hon. atq; ad pacem ſollicitatur.

46 Nec Regem modo, verum Stephanum etiam Cantuarienſem archiepiſcopum arguit b Honorius ab Regis cauſa ſtare, atque adeo vna cum epiſcopis alijs Fulcheſium eiuſque partium ſtudioſos cœtu fidelium abegiſſe & in aciem aduerſus ipſum deſcendentibus peccatorum indulgentias largiri tentaſſe, cum potius Regem ab inferendo ſuis bello auertere debuiſſet, dum exteri eius fines inuaderent: det itaque operam, vt Rex ab inceptis deſiſtat, latamque

Obiurgatur Cant. arch. in Fulcheſiū vibratæ anathema.

b Ibid. ep. 1416.

que in memoratum Fulchesium (quem Parisius in eum innectus, Fulchasium vocat) censuram ecclesiasticam, abiecta omni cunctatione, rescindat.

Antea vero Honorius eidem archiepiscopo atque archidiacono Cantuariensibus prouinciam dedit a, vt abbati conuentuique de Dorilchecestrie corporis S. Bruni episcopi in digniorem locũ transferendi potestatem facerent, qui Brunus ab altero olim Honorio Rom. Pontifice in Angliam missus, Regem ab idolorum cultu ad Christi fidem traduxerat, ac virtutibus miraculisque clarus ibi felicissime quieuerat.

a Ibid ep. 393

S. Bruni reliquiæ in loco honorificentiore repositæ.

47 Illustrabatur etiam Anglia B. Guillelmi miraculis, ob quorum famam de illis diligentissime inquiri iussum fuerat perlatisque ad Apostolicam sedem publicis tabulis, in quas testium dicta de rebus admirandis B. Guillelmi iussu suo illata fuerant, cum nonnulla desiderarentur, nouum examen, datis ad episcopum Elyensem, duosque diœcesis Eboracensis abbates literis b, instituendum decreuit Honorius: *Præsentatam nobis per dilectos filios S.. archidiaconum, & E.. Bernardi canonicum Eboracensem, & L.. & I.. procuratores venerabilis fratris nostri archiepiscopi, & capituli Eboracen. relationem inquisitionis, factæ a vobis de mandato nostro super miraculis B. Guillelmi, perspeximus diligenter. Sed licet apud vos multa, & magna miracula sint forte probata, nequaquam tamen apud nos super ijs plene potuit ex vestra relatione constare, cum in ea nequaquam dicta testium sint expressa, per quæ nobis veritatis posset fieri certitudo, quamuis in relatione contineatur eadem, quod per tales, & tales, talia, & talia miracula sint probata. Vt igitur, quod in hoc negligenter omissum est, per subsequentem diligentiam emendetur, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatinus vel dicta testium receptorum sub vestris sigillis per fideles nuntios ad nostram præsentiam destinetis, vel inquisitionem solemnem iterum facientes, nobis plane, ac plenarie, quæ singuli testium disposuerint, rescribatis. Dat. Later. III. id. april. pont. nostri an. VIII.* Eademque sententia ad archiepiscopum Eboracensem & capitulum apostolicæ literæ exaratæ sunt c. Hæc præterire noluimus, vt videat lector quantam in huiusmodi rebus maturitatem consilij Romani Pontifices adhibere consueuerint. Vtque similia adiungamus, Honorius eiusdem anni non. decembris archiepiscopũ decanum atq; ecclesiæ Rhotomagensis præfectum ærarij de factis moribusque viri Dei Laurentij archiepiscopi Dublinensis publica testimonia accipere iussit. d

De Guillelmo SS. albo ascribendo agitatum.

b Ep. 402.

Quanta prudentia de SS. miraculis inquirat ecclesia.

c Reg. post eand. ep.

De Laurentio arch. Dublin. sanctis annumerando quæstio instituta.

d Lib. 9. 95.

48 *Eodem anno*, inquit Parisius e, *consecrantur in episcopos magister Alexander de Stanenesby in Cestrensem Romæ a domino Papa Honorio die pascha; Vvillelmus nepos Vvillelmi Bruere senioris in Oxoniensem; Radulphus de Neuille in Cicestrensem a domino S.. Cantuariensi archiepiscopo.* Hæc ille. cum vero tradat de Cestrensi episcopo sacris pontificalibus in Vrbe ab Rom. Pontifice initiato, illud quandoque animo obuersatum est, num in pontificio regesto dum ad calcem octaui anni Honorij Papæ episcopi ab ipso consecrati recensentur, Conuentrensis loco Cestrensis legendus, ibi enim (nisi librarius errauerit) hæc inseruntur: *Istos dominus Papa consecrauit hoc anno: Conuentrensem episcopum, Viterbiensem episc. Esculanum episcopum, Parisiensem episcopum, Mimatensem episcopum, Forosempronensem episcopum, Tridentinum episcopum, Firmanum episcopum, Lunensem episcopum.*

e Matth. Par. hist. Angl. anno 1224

Episcopi hoc anno ab Honorio pont. initiati.

IESV CHRISTI

Annus 1225.

HONORII PP. III. annus 9. — FRIDERICI II. IMP. 6. ROBERTI IMP. 5.

1 Pernenimus ad annum Christi millesimum ducentesimum vigesimum quintum tertia decima indictione, cum Honorius Papa in rei Hierosolymitanæ instaurandæ, depellendæ e tot Christianorum ceruicibus Sarracenicæ seruitutis, diuinique cultus in Asia & Africa restituendi curis defixus suum in occidentales populos ac principes pium zelum transfundere, ac magis magisque accendere studuit: plures enim de ea re literas exarare, legationes decernere, crucesignatorum auxilia vndique accersere, ac præsertim Fridericum Imperatorem Syriæ subsidio iturum iureiurando, quod vidimus, interposito pollicitum, ad promissa perficienda hortari & impellere, atque adeo duos S. R. E. Cardinales, nimirum Pelagium Albanensem episcopum, & G.. S. Martini presbyterum Cardinalem ad ipsum mittere a. Cuius legationis causas illustrat Richardus e S. Germano, Fridericum imminente die, qua in colloquio cum Pontifice Verulis habito in orientem expeditionem ducturum sacramento spoponderat, Ioannem Regem Hierosolymitanum, qui in Siciliam ex Syria traiecerat, misisse ad Honorium, vt ab eo profectionis tẽpus prorogandum efflagitaret, eorumque precibus Pontificem assensisse; ac duos misisse Cardinales, qui nonnullas leges proponerent Friderico, quas si violari contingeret, anathemate deuinctũ iri pronunciarent. eas vero a Friderico excogitatas oblatasque pontifici ostendunt apostolicæ literæ, quibus postquam suspensam ferendi ab ipso Terræ sanctæ auxilij omnium expectationem, delusas spes, iactatas in ipsum, atque Apostolicam sedem ob grauiores moras voces improbas, exposuit subijcit:

a Hon. l. 9 ep. 370

Ioannes Rex Hier. in Sicil. traijcit. Mittitur a Frid. Imp. ad Honor.

2 *Vt ea, quæ in rescripto nobis exhibito continentur, efficaciter, si datum fuerit desuper, compleantur, prout ipse voluntarius obtulisti, & est a nobis, & nostris fratribus acceptatum, ecce venerabilem fratrem P.. Albanensem episcopum, & dilectum filium nostrum G.. tit. S. Martini presbyterum Card. viros vtique probatæ virtutis, conspicuæ honestatis, & eminentis scientiæ, quos velut columnas erectas in domo Domini, & stellas in firmamento Ecclesiæ relucentes, nos & fratres nostri speciali prærogatiua dilectionis, & gratia amplexamur, commisso eis plene legationis officio prouidimus ad tuam præsentiam destinandos, &c.* Hortatur vt legatos humaniter excipiat, imperia ijs commissa capessat, præteritæ negligentiæ notam ardenti conficiendæ tamdiu expectatæ expeditionis studio depellat. tum significat datam Cardinalibus prouinciam, vt ipsum ad ea seruanda, quæ in pontificio diplomate contenta erant, sacramento astringerent. *Dat. Reate* XV. *kal. aug. ann.* 10.

Legati Card. ad Frid. missi ab Hon.

3 Quod ad leges Friderico impositas attinet, afferuntur eæ a Richardo. Intra duorum annorum spatium mense augusto complendum copias in Terram sanctam ducturet: mille equites biennio in eius subsidium sustineret: centum nauium classem conflaret, quinquaginta triremes egregie instructas in eius portibus teneret: interea duobus millibus equitum eorumque comitatui pro singulis equitibus tribus equis supputatis traiectum daret. Quas leges sibi impositas, atque adstãte procerum corona perlectas seruaturum se sacramento nuncupato spopondit, atque anathematis pœnas, ni faceret, incursurum admisit, Raynaldusque Spoleti dux iureiurando sese Friderici nomine deuinxit; ac tunc Cardinales sacramento Verulis dato Imperatorem liberasse.

Quibus legibus prorogata profectio data Friderico.

Adie-

Friderici de ijs lit. a Extant apud Hon. l. 60. ep. 8. & in lib. conf. M. S. Vat.

4 Adiectas alias leges fuisse ex Friderici literis ad Pontificem exaratis a constat, quas ad historiæ illustrandam veritatem afferendas censuimus, cum singula exactissime attingant.

Fredericus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, & Rex Siciliæ.

Per præsens scriptum notum facimus vniuersis, quod nos transibimus in subsidium Terræ sanctæ ab instanti augusto præsentis tertiædecimæ indictionis ad duos annos, & per biennium tenebimus ibi mille milites ad numerum; ita quod si aliquis de ipso numero statuto tempore deesse contigerit, in quinquaginta marchis argenti per annum defectum militis redimemus, pecuniam autem de huiusmodi redemptione collectam nos, si ibi fuerimus, ad testimoniũ & cõsilium Regis & patriarchæ Hierosolymitanorum ac magistri domus Theutonicorum, & aliorum proborũ hominum de terra ibidem ad seruitium Iesu Christi expẽdemus in vsus eosdem, vel alios, vbi eis magis visum fuerit expedire. Quod si aliquo casu nos acciderit tunc abesse, memorata pecunia in prædictorũ Regis, & patriarchæ, ac magistri domus S. Mariæ Theutonicorũ manibus deponetur per ipsos in Terræ S. negotio expẽdenda. Passagium dabimus, si venerint in primo passagio, vel in duobus subsequentibus passagijs, duobus millibus militum, & familijs eorumdem, & pro milite tribus equis. ducemus nobiscum centum calandras, & tenebimus quinquaginta galeas similiter per totum biennium, si necesse fuerit, bona fide armatas. Quod si aliquo tempore illius biennij non esset necesse illas teneri, vel si forsan non possent inueniri homines necessarij apparatui earundem, æstimabuntur fideliter sumptus illi, qui in eis tenendis necessarij haberentur, si tenerentur armatæ eo modo, quo debuissent armari, & tandem in pecunia numerata persoluemus in ipsius terræ negotio expendendam, eo modo per omnia, quo superius de quinquaginta marchis militum est expressum.

5 Præterea deponemus in manibus prædictorum Regis, & patriarchæ, ac magistri, & fratrum domus Theutonicorum centum millia vnciarum auri, vel æquiualentiam in argento ijs terminis persoluenda: in instanti passagio augusti huius tertiædecimæ indictionis viginti millia: sequenti passagio subsequentis augusti, eiusdem quartædecimę indictionis viginti millia: alia quadraginta millia in duobus subsequentibus passagijs martij, & augusti anni secundi; ita quod partes memoratæ pecuniæ persolutæ per terminos antedictos vltra mare in singulis passagijs deportentur. Si vero in aliquo termino plus soluerimus, quam superius est expressum, tantum minus persoluere tenebimur passagio subsequenti.

6 Quando autem nos in fine biennij ad passagium assignatum transfretare continget, reddentur nobis dicta centum millia vnciarum ad expendendum in seruitio Dei, & Terræ sanctæ. Et si nos, quod Deus auertat, in terra illa vel citra ante passagium memoratum obire contigerit, vel alias quacunque de causa forsitan non transierimus, Rex & patriarcha, & magister domus Theutonicorum prædicti ad laudem, & consilium magistrorum Hospitalis, & Templi, ac aliorum proborum hominum de terra expendent eandem pecuniam bona fide, sicut melius viderint expedire vtilitati Terræ sanctæ, in seruitio Iesu Christi, & terræ, pro salute animæ nostræ, & antecessorum nostrorum. Si vero, quod absit, infrascriptum terminum passagio assignatum quidquam humanitus de nobis acciderit, vel si aliquid, vel aliqua forte defecerint de ijs, quæ superius expressa sunt & promissa, regnum nostrum Siciliæ remanebit ad omnia obligatum; ita quod quicumque illud tenebit, ea integre tenebitur adimplere.

7 Nos autem personaliter iurauimus, quod transibimus vltra mare in subsidium Terræ sanctæ in passagio suprascripto, & Raynaldum natum quondam ducis Spoleti iurare fecimus in anima nostra, nos firmiter, & fideliter seruaturos reliqua omnia, sicut superius sunt expressa, & prædicta omnia obseruabimus bona fide, lata ex nunc excommunicationis sententia, in quam incidemus, si non transfretauerimus in passagio suprascripto, vel non duxerimus, vel tenuerimus nobiscum mille milites, vel non miserimus præscriptam pecuniam, sicut superius est expressum. Si autem defecerimus in aliquibus, vel in aliquo cæterorum, Ecclesia Rom. sententiabit in nos, & in terram nostram de spontaneo, & iam præstito consensu nostro. Quod si in alicuius termini solutione defecerimus, lata sententia teneamur astricti; ita quod, si post terminum elapsum per testimoniales literas illorum, qui pro Rege ac patriarcha, & magistro Hospitalis Theutonicorum ad recipiendum statutis terminis ipsam pecuniam statuentur, Ecclesiæ Rom. constiterit, nos de huiusmodi satisfecisse defectu, statim super illo articulo absoluemur, nec super alijs occasione illius sententiæ grauabimur vllo modo. Ad huius autem rei maiorem euidentiam præsens scriptum fieri fecimus & bulla aurea nostro typario impressa iussimus insigniri. *Dat. apud S. Germanum anno dominicæ incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo quinto mense iulij tertiadecima indictionis.*] Hactenus Fridericus, qui hæc promissa insigni postea perfidia infregit, & quæ deuouerat Christo arma non in Sarracenos, sed in Christi vicarium vertit. sed de his suo loco.

Patriarch. Hier. ad Gallos proficiscitur, vt ipsos ad sacrum bellũ excitet.

8 Interea Honorius omni opera ac studio contendit, vt occidentis populos ad sequenda Imperatoris signa excitaret. Atque in primis, vt e Gallia atque Anglia auxilia elici possent, nihil prætermisit, quo pacem vel inducias Henricum inter ac Ludonicum Reges conciliaret, de quibus iterum inferius. Coniunxit etiam suam industriam patriarcha Hierosolymitanus, quem Honorius pluribus commendauit a literis, ornauitque prærogatiuæ illius dignitate, vt in alienis prouincijs pallio vteretur; profectusque in Gallias egregium actum in concitandis ad induenda arma iuuentutis Gallicæ animis explicuit. Nec ille modo, verum alij quoque summam diligentiam adhibuere, vt milites ad sacram expeditionem obeundam compararent, quod inter alios Conradus Card. episcopus Portuensis Apostolicæ sedis in Germania legatus egregiè præstitit. De quo hæc apud Henricum Steronem b: *Conradus Card. Portuensis episcopus Romanæ sedis legatus per se & per plures cooperatores verbum crucis per totam Alemanniam prædicauit, & quamplures cruce signati sunt.* Quibus adijcit Eluuangensis chronici auctor, sacrum bellum infidelibus inferendum Christianis omnibus pro concione propositum, ac denunciatum innumeraque hominum millia conscripta fuisse.

a Hon. l. 9. ep. 319. 320. 325. 363.

Conradus Port. ep. Germanos ad illud mouet.

b Stero in annal. an. 1225 apud Canis. ant. lect. to. 1.

Marchio Montisf. auxilia Imp. Cõst adducit.

9 Non instaurandis modo Syriacis rebus, verum etiam fulciendo Constantinopolitano Imperio desudatum ab Honorio est. Guillelmum enim Montisferrati comitem strenuum virum vnà cum Nicolao episcopo Reginensi A. S. L. cum magna ac delecta militum manu Latinis subsidio misit, eaque de re tum ad Robertum Imp. c tum ad eius principes d, quos ad signa cum Græcis schismaticis, ac nostrorum infestissimis hostibus, summa vi conserenda adhortatur; tum etiam ad archiepiscopos e, cæterosque orientalis Imperij præsules, quos ob amissam Thessalonicam mœrẽtes atque afflictos bono animo iubet esse, literas dedit. Verum generosi illius principis consilia mors oppressit, quam Richardus f in hunc annum confert: *Mense, inquit, septembri marchio Montisferrati in Romania naturali morte defunctus est.*

c Ep. 218. d Ep. 133.

e Ep. 295. 306.

f Rich. a S. Ger. hoc anno.

Morbo opprimitur.

Eodem anno Reginam ac nobiles Cyprios ad seruanda pacis fœdera, inter eos & archiepiscopum

pum

pum Nicosiensem eiusque suffraganeos sancita, atque ab Apostolica sede firmata, Honorius cohortatus est atque ad inquisitionem ipsius archiepiscopi reiecit a matrimonij causam inter Reginam, & Boemundum comitis Tripolitani filium quarto consanguinitatis gradu coniunctos ineundi.

Hon. l. 9. ep. 312. a ib. ep. 43

Fridericus comes in Engelbert. arch. Colon. conitrat.

10 Dum hæc ad orientales regiones pertinentia decernit Pontifex, atrox horrendumque facinus patrauit in Germania Fridericus comes Isembergensis, omnium mortalium flagitiosissimus, qui S. Engelbertum archiepiscopum Coloniensem cognatum suum, a quo paterna charitate peramanter corripiebatur, inaudito crudelitatis genere neci tradidit, vt Albertus Stadensis b, & Godefridus c eius temporis auctores scriptis commendarunt. cæteris verò fusius Cæsarius hæc est prosecutus, qui ea tempestate florebat, quique iussu Henrici archiepiscopi Coloniensis Engelberto suffecti præclaras illius res gestas d literis mandauit. Cæsarius igitur Fridericum ecclesiæ Coloniensis canonicum, vt fratri sine liberis demortuo succederet, canonicatu clericalique reiecto habitu militem factum ait: ecclesiæ Essendiensis aduocationis, quod dicebant, munere suscepto, adeo ab religione officij discessisse, vt prædatoris, ac tyranni, quam defensoris nomine dignior haberetur: ecclesiæ bona diripuisse, subiectos eidem iniustis oneribus oppressisse, sanctissimi denique episcopi monita iniquè ferentem, in necem eius conspirasse. Engelbertum interea morti proximum, quam Deus compluribus pijssimis viris diuersis præsagijs significarat, totius anteactæ vitæ noxas per sacram confessionem expiasse. At præstat memoratu digna e Cæsario e decerpta in hunc locum referre.

b Stad. in chro. ann. 1225. c Godef. in annal. eod. ann. & alij. d Ext. apud Sur. to. 5. die 7. nou.

Pluribus viris pijs mors S. arch. diuinitus ostēsa.

e Cæs. l. 2. c. 3. & c.

Q am be aigne cū in micis se gesserit.

11 *Dominus episcopus literas indices mortis suæ accepit, quas cum legisset, in ignem mittens pedibus conculcauit, ne discordiæ seminarium fierent inter ipsum et cognatum suum comitem Fridericum. Recitauit tamen eas episcopo Mindensi, qui præsens erat, cui enim diceret ille: Caue tibi domine propter Deum non solum tua causa, sed etiam pro vtilitate ecclesiæ nostræ, & totius terræ salute; respondit ille: Angustiæ mihi sunt vndique, & quid mihi faciendum Dominus nouit, prorsus ignoro. Væ mihi si tacuero: si autem eis proposuero, dicent, immo amici, & cognati de me conquerentur, quòd parricidij crimen eis impingam. Non solum de Friderico, sed etiam de Godefrido, & Vuillelmo fratribus eius suspicio fuit, & adiecit: Ego ab hac hora corpus, & animam meam diuinæ committo prouidentiæ.* Subinde verò ad templum quoddam sacrandum cum procederet Engelbertus, amicitiam cum eo simulare Fridericus aliter, atque animo gerebat, parare insidias, itineris socium sese illi addere, postremo vt iam agendæ rei tempus appetere visum est, socijs parricidij, atque ministris admonitis, impetum facere in sanctum episcopum, qui adeo ab illis crudeliter est confossus atque laniatus, vt nulla in corpore pars ad excipiendum nouum vulnus integra superasset. Hæc pluribus Cæsarius, qui de martyrij tempore subdit: *Passus est autem beatus martyr anno gratiæ millesimo ducentesimo vigesimo quinto, mensis nouembris die septimo, anno pontificatus sui decimo, sub Honorio Papa III. imperante Friderico II.*

Martyrij illius genus.

12 Ipsum porro Engelbertum cælesti gloria potiri, qui pro Ecclesia defendenda sæuissime trucidatus fuerat, plura miracula declararunt, quæ ab eodem auctore enarrata, sed in primis præclarum visum, septimo a martyrij die sacerdoti nomine Ludouico canonico regulari, viro probo, rem diuinam pro eius anima facienti obiectum, quod auctor memoratus hisce verbis monumentis commendauit f: *Cum dictis secretis post Sanctus, canonem inchoaret, ecce sanctum episcopum pontificalibus indutum vultu hilari sacro altari adstare videt: & cum crucis signa exprimeret super panem, & calicem, beatus pontifex per totum canonem sacerdoti se conformans eodem modo, & ijsdem vicibus sancta consignauit dexteram eleuans. Cum autem ventum esset ad eum locum, vbi defuncti nominantur, & cum sacerdos nominasset, expleto sacramento ait illi episcopus: Frater non est necesse, vt inter mortuos me nomines, sum enim cum Deo, & choro martyrum gaudio fruor ineffabili, & adiecit: Noueris pro certo quòd omnes illi, qui me occiderunt, vel quorum consilio occisus sum, male peribunt, idque citius quam credi possit. His dictis disparuit. Ludouicus verò missa completa, omnibus quæ viderat, indicauit, testem Deum adhibens ita se habere.*

f Cæs. l. 2. c. 10.

Cæleste de illius felicitate obiectum visum.

13 Interea Henricus a Bonnensis præpositus post nonam diem, qua martyr occubuit, archiepiscopus Coloniensis creatur: quo in episcopali sede, vti mos erat, considente, Engelberti ministri eius interulam respersam sanguine in sinum noui episcopi, coniecere, domini iniurias, necemque crudelissimam flebilibus vocibus questi, Henricum ipsum orauere ne inultam tanti præsulis mortem pateretur: illum verò mox iureiurando interposito sese alligasse ferunt, innoxij sanguinis fusi vltorem se futurum: quid verò electus archiepiscopus sine mora gesserit, vt primum Henricum Regem, inde verò Conradum episcopum Portuensem Apostolicæ sedis legatum, in Fridericum cædis auctorem, aliosque interfectores incitaret, quo mortalium flagitiosissimi supplicium orbi exemplo esset, memoratus auctor enarrat.

a Cæs. loc. cit. c. 11.

Bonnensis præp. in arch. Colon. illi succedit.

14 *Ascendens inde*, nimirum Colonia Agrippina, vbi archiepiscopus renunciatus fuerat, *Francofurtum ad colloquium Regis electus episcopus corpus martyris duobus abbatibus ordinis Cisterciensis deferendum commisit, puta Godefrido abbati Montensi & Henrico abbati vallis S. Petri: cumque præsentatum esset corpus Regi, atque principibus, & cum eo mortis eius insignia interula, aspiois, & pileus ys, qui corpus præcedebant, districtis gladijs, vt habent lignum iura, contra Fridericum latronem vociferantibus, turbatus est Rex & omnes, qui cum illo erant, maxime autem Rex puer, qui perinde, vt lugere solet filius patrem, & puer tutorem suum, extinctum planxit episcopum: proscriptionem verò Friderici in celebri conuentu Norembergensi factam renouauit, etc.* Addit auctor plures pœnas in parricidas statutas fuisse, & Conradum legatum magnam præsulum multitudinem ad concilium exciuisse, Engelbertum ob defensa Ecclesiæ iura cæsum martyrem prædicasse; Fridericum verò anathemate defixisse: tum etiam Leodij aliud indixisse concilium, in quo cum Friderici fratres episcopi in grauissimam criminis consortij suspicionem adducti purgare se ex legibus canonicis non possent, ad Rom. Pontificem a legato missi fuere.

Cæs. ib. c. 13

Allatum martyris corpus coram Henrico Rom. Rege ad vind. poscendam.

Conradus leg. Ap. in cædis auctores cōcilium celebrat.

Deijcit ipsos anathemate.

15 Agunt etiam his de rebus Godefridus b ac recentiores, quos superuacaneum ducimus singulos recensere. In ijs quoque sunt nouatores c, qui etiam Engelbertum innumeris post obitum miraculis inclaruisse referunt, qui tamen in eo errant, dum tradunt Fridericum comitem cædis architectū, martyris fratris filium fuisse. Vt verò Fridericus meritas pœnas dederit, eiusque fratres episcopi Romam ad Pontificem, vti diximus, missi honorum gradu deiecti fuerint, insequenti anno dicetur. Illud interim non præterimus, Honorium, quod refert Cæsarius, tristi nuncio de cæde archiepiscopi accepto valde commotum, flentemque asseruisse, illum plures Germaniæ principes Apostolicam sedem incusso metu reuereri coegisse, ac propter reuerentiam summi Pontificis interfectum fuisse, quòd Rom. Ecclesia profitetur, dum anniuersariam martyris memoriam hisce verbis prosecuta est, ac veneratur d: *Coloniæ S. Engelberti episcopi, qui pro defensione ecclesiasticæ libertatis, & Rom. Ecclesiæ obedientia martyrium subire non*

b Godef. in annal. hoc anno. c Cent. 13. c. 10. col. 1046. 1047.

Aliæ in eosdem statutæ pœnæ.

d Martyr. Rom. die 7. nouem.

dubi-

dubitauit. Cum verò proposita sint omnibus in Romano martyrologio, mirum cuiquam videri posset, Surium martyris gesta ex Cæsario redditurum, eum necdum inter sanctos, quod ipse auctor sciat, relatum esse affirmare.

a Hon. lib. ep. 253.

16 Cæterum hoc ipso anno aprilis initio Honorius Papa literas ad Engelbertum archiepiscopum a miserat, ipsi cum prædicto Portuensi A.S.L. communes de electione magistri Oliuerij Padeburnensis episcopi, quem etiam epistolis ad ipsum b aliosque c exaratis auctoritate sua muniuit. Præterea ad legatum eundem scripsit d, de nonnullis idolorum cultoribus, qui in Magdeburgensi alijsque prouincijs in castra fidei Christianæ se recepturi erant, ni auaritia quorundam ecclesiæ præsulum, de decimis cum Christi fidelibus certantium, obsisteret: eorum cupiditati frænum injiceret modumque poneret, ac miseris fidei lumine adhuc destitutis opem explicaret.

b ibid. ep. 249. c Ep. 250. d Ep. 295.

Religio Christ. in Liuonia efflorescit.

Verùm longe felicius per id tempus in Liuoniæ regionibus religio efflornit, in quibus Christianæ fidei cultus adeo auctus, & amplificatus est, vt Pōtifex de noua ibi metropolitana sede instituenda cogitarit, perque literas egerit e cum Guillelmo episc. Mutinēsi A.S.L. quem id præstare iussit, quod in sacram rem vtilius videretur, seq; de tota re faceret certiorem. Adscripta est huiusmodi literis dies XIII. kal. decemb. ante verò XII. nou. febr. cunctos Liuones, ac Prutenos ad fidem Christi traductos traducendosue in tutelam sedis Apostolicæ receperat f. Cum porro de noua hac erigenda sede mentio inciderit, addendum videtur Ebetardum archiepiscopum Salisburgensem, postquam episcopatum Chunensem in diœcesi sua condi ab Innocentio III. inde verò Segouiensem ab Honorio impetrasset, tertium adhuc in ecclesia S. Andreæ Lauentensi adijci ab eodem Honorio iterum ac sæpius suppliciter postulasse, quod id gregi suo vsui esse videretur, præsertim cum ipse vix toti suæ diœcesi obeundæ consulendæque sufficere posset. cuius precibus rationibusque permotus Pontifex ipsi morem gerere decreuit. Verùm ne quid alijs ecclesijs detraheretur, rem ad episcopum Frisingensem ac duos abbates reiecit. g

e Lib. 10. ep. 125.
A.S.L. in ea amplificanda studium.
f Lib. 9. ep. 130.
g ibid. ep. 382.

Lūd. arch. de nonnullis dubijs sedem Ap. consulit.
h Lib. 10. ep. 16.

17 Per id tempus archiepisc. Lundensis de sacris quibusdam cæremonijs, quarum maior pars ad missæ augustum sacrificium spectabat, Rom. Pontificem consuluit, idque responsi ab eo retulit. h

Archiep. Lundensi.

Tua nos duxit fraternitas consulendos, vt cum quidam presbyteri, celebrantes missarum solemnia, ponant hostiam ante calicem quidam in sinistro latere calicis, & quidam leuent calicem corporali contectum, deponantque dum signant, & iterum leuent tectum; quidam verò discoopertum leuent, & vna manu tenentes eleuatum altera manu signent, quidamque de tribus partibus, quæ fiunt ex hostia, duas super patenam ponant, & quidam illas tenentes in manu communicent, super calicem illas nequaquam in patena ponentes, quid tibi sit in huiusmodi varietate tenendum. Ad quod potest non incongrue responderi verbis Nicolai Papæ dicentis: Nihil obsint saluti credentium diuersæ pro loco, & tempore consuetudines, dummodo illis canonica non obsistat auctoritas, pro qua eis debeat obuiari. Quid autem in ijs Romana seruet Ecclesia, & ipse forsitan recolis, qui eam aliquando adiuisti, & latores præsentium, qui nuper eius consuetudinem in hac parte viderunt, & notauerunt, vt credimus, diligenter tibi referre poterunt viua voce. Ad aliam verò consultationem tuam breuiter respondemus, quod monachus aliquem sacrum ordinem in apostasia recipiens, quantumlibet suo fuerit reconciliatus abbati, & receperit pœnitentiam, absque tamen dispensatione Romani Pontificis ministrare non potest in ordine sic suscepto. Inquisitioni quoque tertiæ respondemus, quod tam in tua, quàm in aliena diœcesi potes absque pallio, & sandalijs celebrare, cum etiam in tua diœcesi non semper debeas celebrare cum pallio, sed diebus illis dumtaxat, qui in ecclesiæ tuæ priuilegijs sunt expressi, sicque soluta est quarta etiam quæstio, qua quæsisti, an tibi sit licitum pro defunctis cum pallio celebrare. *Dat Reate III. id. aug.*

Data illi ab Hon. responsa.

Ericus Rex Sueciæ in client. ap. susceptus.
a Lib. 10. ep. 13.

18 Duobus, antequam hæc scriberet, diebus Pontifex Ericum Sueciæ Regem ob eximium ipsius in sedem Apostolicam studium in clientelam acceperat, qua de re hæc ad Regē ab Honorio exarata a: *Tuæ sublimitatis deuotio promeretur, vt ad tuam, & regni tui tranquillitatem, & pacem paterna sollicitudinis studio intendamus: Hinc est, quod personam tuam cum regno, & omnibus tuis honoribus, & institijs sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti patrocinio communimus, districtius inhibentes, ne quis honores tuos, ac iura præsumat inuadere, aut quomodolibet temere perturbare.* Hæc Pontifex. Qui vt beneuolentiam in Sueco Rege suæ fidei committendo exhibuit, ita in defendendo finitimo Daniæ Rege in clientelam apostolicam accepto, atque e seruitute in libertatem vindicando constantiam explicuit, quem hoc anno e vinculis emissum fuisse docent Stadensis b, & Godefridus c; tum sequenti anno scriptæ ab Honorio literæ indicant, quibus Pontifex obsides relaxari, ac pecunias pro eo redimendo datas restitui religiosissime imperauit. Sed de his iterum anno sequenti.

Vvaldem. Rex Daniæ libertati restituitur.
b Stad. in chron.
c Godef. in annal.

A cœptis Andr. abducere nititur Honorius.
d Lib. 9. ep. 358.

19 Non minus verò operæ ab eodem collocatum est, vt equites Theutonicos sedis Apostolicæ tutelæ commendatos tueretur. Opprimebat ipsos Vngariæ Rex, atq; Bozæ regione, quam antea ipsis tribuerat, armorum potentia exturbare moliebatur: infestum itaq; is principem præteritam liberalitatem damnantem a cœptis hisce literis reuocare est conatus d: *In tuis priuilegijs perspeximus contineri, quod terram Bozæ, ac vltra montes niuium fratribus domus Theutonicorum regia liberalitate donasti, vnde terram ipsam sub Apostolica sedis protectione suscepimus, & libertate donauimus speciali, adeo vt apostolico priuilegio statuerimus eam nulli, nisi Pontifici subiacere, quatenus eadem colonis citius impleretur, tuumque meritum eo altius surgeret, quo donum tuum Terræ sanctæ vberius proueniret.* Et infra, vbi exposuit, quam graues iniurias, ac damna nefarijs obtrectatorum vocibus subornatus inflixisset religiosis equitibus Theutonicis, atque ab ijs, quæ antea in eos diuini amoris intuitu contulerat, extorquere minis ac terrore esset conatus, adijcit:

20 *Profectò non deberes sic persequi dona tua, quinimo terram ipsam, quasi plantam tuam beneficijs rigare continuis, & non huiusmodi oppressionibus, & iniurijs tuæ liberalitatis meritum apud Deum, & hominibus denigrare: quanquam hoc nequaquam clementiæ tuæ imputanda credamus, sed potius prauis suggestionibus malignorum, qui videntes præfatam terram per immensum fratrum dictorum studium profecisse, ad eius cupidinem venenosis suasionibus te accendunt, non attendentes quòd nihil veraciter retinetur, nisi quod pia liberalitate donatur. Magna quidem sunt, quæ dedisti fratribus antedictis, sed certe, si deuota meditatione pensaueris quam multa, & magna tibi contulit diuina immensitas largitatis, non magna reputabis, quæ pie pro eius honore, ac amore dedisti, sed potius cogitabis te nunquam posse digna Domino retribuere pro omnibus, quæ retribuit ipse tibi. Cogitabis etiam, quia cum scriptum sit, quod sua defunctos opera subsequuntur, ea sola quæ Domino dederis, tibi post vitæ præsentis exitum remanebunt, & sic non studebis, quæ Deo dedisti, minuere, sed augere, ac sequens doctrinam euangelicam suadentem, vt studeas in cælo tibi thesaurizare thesauros, vbi nec ærugo, nec*

tines demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Rogamus igitur serenitatem tuam, monemus, & obsecramus in Domino Iesu Christo, quatenus hac prudenter attendens, & præfatas literas nostras, secundum sanum intellectum superius expressum accipiens, dictos fratres super terra pie a te sibi donata de cætero non molestes; sed eam pacifice sibi dimittens, secundum limites in priuilegio tuæ donationis expressos, prædicto castro eis libere restituto, & satisfaciens, ac satisfieri faciens de damnis, & iniurijs per te, ac tuos eisdem hactenus irrogatis, sic eos cum in alijs iustitijs suis, tum specialiter in prædicta terra regalis potentiæ brachio protegas, & defendas, quod in terra viuentium gratam recipere debeas retributionem a Deo, qui nec bonum irremuneratum, nec malum aliquod deserit impunitum, &c. Significat daturum se imperia, vt si quæ ipsi fuerint erepta, restituantur. *Dat. Tybure 2 id. iun.* Præbuit auersas aures pontificijs precibus Andreas, qui Theutonicos equites Boza, cuius partem armis ex infidelium manibus sibi armis pepererant, expulit: quem Honorius acrius alijs literis vrgere, vt ipsos restitueret. Quid verò actum, sequenti anno videbimus.

Lib. 10. ep. 190.

Tradita Colocen. archiep. loca quæ in Bosnia hæreticis eriperet.

21 Vt verò cætera ad Pannoniam spectantia prosequamur, taciti non prætermittimus, cum Rex idem archiepiscopo Colocensi largitus esset Boanæ loca, quæ ab hæretica prauitate purgasset, rogatum Pontificem huiuscemodi regium beoeficium io suo robore manere decreuisse a; archiepiscopum vero ipsum laudibus extulisse, quod catholicæ fidei studio inflammatus ad hæreticos propulsandos sese accinxisset, rogauitque ipsum, & hortatus est, vti fortem animum gereret; denique auctoritate noua ad id in opus adducendum ornauit auxitque. At præstat hæc ab eodem Pontifice excipere b: *Gratum gerimus & acceptum, quod catholicæ fidei ductus amore, ad profligandos hæreticos de Bozna, Soy, & Vossora, vbi tanquam lamiæ nudatis mammis publice catulos suos lactant, ad exhortationem bonæ memoriæ magistri Aconcij subdiaconi, & capellani nostri A. S. L. & aliorum bonorum virorum te viriliter accinxisti. Super quo sinceritatis tuæ zelum dignis in Domino laudibus commendantes, & fauore debito prosequentes, fraternitatem tuam rogamus, & monemus attentius, ac per apostolica scripta mandamus, quatenus de gratia nostra confisus, & auctoritate suffultus prosequaris ex animo causam Christi catholicæ puritatis, potenter persequens subuersores, ita quòd Deo ad gloriam, nobis ad gaudium, & tibi ad profectum proueniat salutarem. Vt autem iniunctum tibi negotium perfectius exequi valeas in partibus illis, prædices verbum Crucis, fideles contra infideles efficaciter exhortando, &c. Dat. Tybure id. may an. IX.*

a Lib. 9. ep. 329.

Excitatur ab Hon. arch. ad delendos hæret.

b Ep. 328.

22 Quæ porro causa Pontificem Tybur adduxerit, significat Richardus c e S. Germano, nimirum Parentium senatorem cæterosque Romanos proceres mota rebellione Honorium, vt ex vrbe abscederet, compulisse: sed pacem vrbi eodem anno restitutam postea addit, Parentio e magistratu discedente, atque in illius locum Angelo Benencasa subrogato. Tybure vero Honorium paulo post Reate se contulisse demonstrant literæ d, quas ad Belam Vngarici sceptri designatum successorem id. iul. exarauit, quibus ad vindicandum in suum splendorem Vngariæ regnum, bona regia ab Andrea ipsius parente iam ante abalienata apostolica auctoritate reuocauit.

c Rich. e S. Germ. in chron.

d Hon. l. 9. ep. 385.

Illustri viro Belæ iuueni Regi.

Intellecto iam dudum, quod charissimus in Christo filius noster illustris Rex Vngariæ pater tuus alienationes quasdam fecerit in præiudicium regni sui, & contra Regis honorem, nos super hoc paterna affectione consulere cupientes, eidem Regi dirigimus scripta nostra, vt alienationes prædictas, non obstante iuramento, si quod fecit de non reuocandis eisdem, studeat reuocare; quia cum teneatur & in coronatione sua iurauerit etiam iura regni sui, & honorem coronæ illibata seruare, illicitum profecto fuit, si præstitit de non reuocandis alienationibus huiusmodi iuramentum, & propterea penitus non seruandum. Quocirca serenitatem tuam monemus, & hortamur attente, quatenus in ea regni parte, quam ex ordinatione patris tui habes, alienationes easdem reuocare procures, iuramento de ipsis non reuocandis a patre tuo, vel a te præstito non obstante: quin potius de iuratione incauta condignam pœnitentiam agere noo omittas. *Datum Reate id. iul. pontif. nostri anno* IX.]

Abalienata ab Andrea Rege reuocantur.

Sacramentum seruandorum se gni iurium in regia munctione datum cæterum de rogat.

23 Explicabat ea tempestate egregia Christianæ in proximos charitatis exempla Belæ soror Elisabeth Lantgrauij Thuringiæ vxor, quæ postea sanctorum albo adscripta est. Cum enim fames ingrauesceret in Germania, illa præclaram cogendarum in cœlo diuinarum opum occasionem aucupata, ac pauperis manum Christi gazophylacium arbitrata, terrenas quas possidebat opes, in egenos effudit. Prosequitur fusius pia huiusmodi illius facinora vitæ auctor, e quo hæc tantùm breuitatis studio decerpimus: *Nongenti quotidie mendici sub oculis eius alebantur, exceptis, quos per latissimã ditionis suæ prouinciam pascebat absens, apud quos omnes tanta beneficia indefessæ humanitatis posuit, vt redditus frugesque locupletissimi principatus vehementer exantlauerit, distractis nonnunquam & corporis sui ornamentis, atque eo pretio collectis, ne Christi membra fame tabescerent.* Nonnullisque interiectis, subdit idem auctor, Lantgrauium sanctissimæ mulieris virum aliquot post menses ex Apulia reuersum œconomorum querelas excepisse, causantium Elisabeth nimium in eleemosynas prodigere atque effundere; quibus ipse respondit, sinerent vxorem suam largitiones facere, modo arces sibi saluæ manerent: victum non defuturum, quandiu ipsa egenorum inopiam leuasset. Porro dira fame annum hunc pressum luxisse, frugesque omnes corrupisse indicat Albertus Stadensis a, cum etiam a S. Engelberto archiepiscopo Coloniensi frumento in Maguntina prouincia ingenti copia comparato, indeque nauibus vecto indigentibus subuentum, vti Cæsarius in eius gestis prodit. b

S. Elis. Belæ sororis fruiente in Germ. fame liberalitas.

Apud Sur. to. 6. die 19. nou. c. 12.

Probatur a viro illius eleemosyna.

a Stad. in chro. hoc ann.

24 Cæterum quemadmodum Engelbertus proditorum impijssimorumque parricidarum gladijs in Germania occubuit, ita hoc eodem anno episcopus Glandentensis ab altero Iuda per summam sæuitiam ac scelus obtruncatus est. quod cum Honorius accepisset, tanti flagitij horrore perfusus, ad archiepiscopum Ebredunensem, latam ab ipso eiusque suffraganeis in auctorem & criminis conscios sententiam ratam ac firmam esse statuit c. Quæ vero illa fuerit, ex literis pontificijs patebit.

b Apud Sur. to. 6. die 7. nou. l. 2. c. 8.

Episcop. Glanden. a sicario cæsus.

c Hon. l. 9. ep. 245.

Honorius, &c.

Accepimus, quod cum bonæ memoriæ Glandentensis episc. suffraganeus tuus suam diœcesim visitaret, quasi satan affuit inter alios quidam filius Belial Saluagnus nomine diœcesis memoratæ, qui eum in nullo culpabilem a diabolo concitatus, impio furore peremit. Hic quoque die, quo secum comederat inuitatus ab ipso, vt qui edebat panes suos, ampliaret aduersus eum supplantationem, in cœmeterio, & iuxta ostium cuiusdam ecclesiæ, vt ibi mortem reciperet, vbi requiri consueuerat actor vitæ, pastore suo & spirituali patre necato, crudelior Cayn fratricida, episcopalem maculauit fuso sanguine dignitatem.

25 Ad vocem ergo cruoris effusi contra scelestum illum & flagitiosum de terra clamantis, tu, & prædicti suffraganei, & abbates in tam funesta pontificis pernicie obstupentes, & quasi parturientes inter angustias præ immensitate doloris, rectitudinis zelo suc-

Vibrata in cædis auctores censura.

succensi excommunicastis sceleratum illum cum omnibus, qui consilium & auxilium in hoc præbuerunt, siue præbebunt, nisi ad correctionem eidem, vel ipsum etiam receptabunt, ita quod tales non nisi per sedem Apostolicam absolutionis possint beneficium obtinere, hominibus & terra homicidæ prædicti districto suppositis interdicto; statuentes nihilominus quod ad quemcunque locorum eiusdem prouinciæ idem malefactor aduenerit, die quo applicuerit & sequenti in ecclesijs ipsius loci præter pœnitentiam, baptismum, & eucharistiam in extremis, omnia sacramenta ecclesiastica denegentur.

Confirmata ab Honorio sanctaq; pœnæ.

26 Ab instanti præterea mense augusti in vltionem sanguinis innocentis effusi, nemo villam inhabitabit, in qua præfatus episcopus est occisus: quod eius incolæ in detestationem sceleris approbarunt. In ecclesia insuper ipsius villæ cum pontificis sanguine maculatus sit locus, & factus quasi anathema, pro commissi horribilitate peccati, ne ipsum reædificare vel inhabitari contingeret, nulli erit licitum diuina officia celebrare: quod si quisquam post prædictum mensem inhabitauerit locum eundem, vel destructum reædificare præsumpserit, a communione corporis & sanguinis Domini, & aliorum sacramentorum perceptione, ac ingressu ecclesiæ, donec reædificatum destruat, & locum ipsum derelinquat, omnino alienus existat. Nos autem tuum & eorundem suffraganeorum ac abbatum rectitudinem, ardorem, & zelum in Domino commendantes, processum huiusmodi duximus approbandum, fraternitati tuæ auctoritate præsentium iniungentes, quatenus illum, sublato appellationis impedimento, per censuram ecclesiasticam facias inuiolabiliter obseruari. *Dat. Later.* XIII. *kal. april.*] Hæc Pontifex.

S. Quintini reliquiæ ex humili loco in sublimem translatæ.

27 Celebratum est a Rhemensi archiep. in Gallijs prouinciale concilium in prænobili Viromanduorum oppido, cui S. Quintini nomen est, vt de eiusdem martyris, cuius nomine ornabatur, sacris reliquijs in loco honorificentiore reponendis agitaretur. quæ decreuerant, probauit Honorius, atque ad translationis pompam magna pietate celebrandam fideles propositis quadraginta dierum indulgentijs excitauit [a]: *Cum pro tam pretioso thesauro, quem in partibus vestris habetis, in multiplices laudes & gratias debeatis assurgere creatori, & prædictus martyr coronatus a Domino gloria & honore honorificandus sit, præsertim a vobis a quibus eligenda in regione illa passionis suæ locum voluit honorari; vniuersitatem vestram monemus, & hortamur attente, quatenus ad eleuationis, & translationis suæ diem studeatis in spiritu humiliato, & contrito animo conuenire; vt & per deuotionem vestram appareat quam celebris apud alios etiam esse debeat memoria martyris memorati, &c.*

a Ibid. ep. 300.

Idem de S. Radeg. reliquijs factum.

Vtque similia adiungamus, rogatus Pontifex a priore & collegio canonicorum S. Radegundis Reginæ, vt sacrum eius corpus e sepulchro quodam sub ara maxima principis ecclesiæ sita, erui atque in ara ipsa honorificentiore cultu asseruari permitteret, Pontifex eorum petitis, dato de ea re diplomate, indulsit: *Pium & laudabile vestrum propositum attendentes, præsentium vobis auctoritate concedimus, vt easdem reliquias de præfata tumba cum ea, qua conuenit, deuotione leuantes, eas in eodẽ altari honorifice recondatis, ipsius sanctæ patrocinium satagentes pro salute fidelium, & vniuersalis Ecclesiæ vestris pijs orationibus implorare. Dat. Later.* XI. *kal. april.* Hæc ad fidelium excitandam alendamque pietatem: quæ verò ad impietatem excindendam gesta, nunc percurramus.

Ep. 279.

28 Creuerat audacia ac viribus principum virorum armis sustentata Albigensium hæresis, ad quam prosternendam Honorius Romanum S. Angeli diaconum Card. A. S. L. misit, de qua ipsi imposita prouincia hæ literæ ad Galliarum præsules exaratæ. [b]

Inualescit Albig. hæresis.

b Ep. 175.

Honorius, &c.

Miserabilis status, immo stabilis miseria Narbonen. prouinciæ ac circumadiacentium regionum diu nos & anxietate torsit, & dubietate suspendit: anxiantes quidem viam inuenire, ac modum, quibus possemus releuare negocium pacis & fidei, quod in partibus illis videtur quasi penitus corruisse; & e contrario dubitantes, ne terra illa sic ex toto esset in salsuginem versa, quod cassus & inanis existeret labor noster, & ne possemus quantacunque culturæ adhibita diligentia optatos ex ea manipulos reportare, cum non videatur illi esse similis, de qua legitur: Terra sæpe venientem super se bibens imbrem, & herbam generans illis, a quibus colitur, opportunam, accipiet benedictionem a Deo; sed ei potius de qua continuo subinfertur: Proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, & proxima maledicto. Hæc enim verè est terra deserta, inuia, & inaquosa, immo terra ferrea, terra cui cælum æneum dedisse videtur Deus, & ne super illam pluant, nubibus mandauisse; cum nullo imbre doctrinæ, nullo rore gratiæ sit ad ferendum fructus debitos emollita. Hæc est terra, quæ argentum reprobum videtur merito appellanda, quia etsi multo sudore laboratum sit, & multo labore sudatum ad purgationem eiusdem, frustra tamen conflauit conflator; nec est enim eius consumpta malitia, & nimia rubigo eius de ipsa non exijt; nec per ignem, Deo terram cordis incolarum eius constrictam infidelitatis, & malitiæ gelu, occulto sed iusto iudicio permittente, adeo indurari, vt nec fomentia blandimentorum, nec flagellorum tormentis potuerit hactenus emolliri, eisdem sic suos animos obstinantibus contra Deum, vt quamlibet multiplicibus attriti flagellis, renuerint accipere disciplinam: quin immo immemores; nihil esse infelicius felicitate peccantium, aduersus Dei Ecclesiā glorientur, & in sui erroris argumentum, & confirmationem assumant, quod eis videtur contra catholicos successisse; non attendentes filios Israel peculiarem populum Domini gentibus, quas ipse Dominus oderat, succubuisse frequenter, ac demum gentes easdem ab ipsis omnino deletas, frustra de habitis victorijs exultasse, &c.]

Infœlix Narbonẽ. Galliæ status.

29 Subdit non abijciendam tamen spem de redintegranda in ijs infelicissimis regionibus re catholica, cum Ecclesia, quantumuis quassata, nunquam corruat. Ad excitādam igitur afflictam religionis causam comprimendamque hæresim legati Apostolici munus Romano Card. commisisse significat, cui vbi res postularit, præsidio ipsi esse iubet: *Ecce dilectum filium nostrum R.. sancti Angeli diaconum Card. virum generis & morum nobilitate præclarum, constantia, industriaque conspicuum, & nobis inter cæteros fratres nostros merito suæ probitatis charum specialiter, & acceptum illuc prouidimus destinandum, vt præeunte diuina pietatis auxilio, errata corrigat, & deformata reformet, noxia euellat, plantetque salubria, ipsamque terram diu obsitam sentibus vitiorum, & fructus iniquitatis, & amaritudinis proferentẽ fructus pietatis, & dulcedinis auctore Deo faciat germinare. Et quoniam auxiliū charissimi in Christo filij nostri Ludouici Regis Francorum illustris, et regni eius est ad hæc facienda modis omnibus necessarium, aliaque negotia in regno ipso habet sedes Apostolica pertractare, eidem Cardinali, tam in eodem regno, quam in Prouincia, nec non in Tarentasien. Bisuntina, Ebredunensi, Aquensi, Arelatensi, et Viennensi prouincijs plene legationis officium duximus committendum, data sibi libera potestate destruendi, et euellendi, ædificandi, atque plantandi, disponendi, ordinandi, statuendi, diffiniendi, et faciendi quæcumque secundum datam sibi a Deo prudentiam viderit facienda, etc. Dat. Later.* XV. *kal. martij.* Hæc de legato ab se misso, quem non modo episcopis [a], sed

Romanus S. Ang. dia. Card. legatus contra Alb. mittitur.

a Ep. 176.

a Ep. 177. b Ep. 178. c Ep. 179. 180.

principibus etiam Galliæ viris a ac Ludouico Regi b plurimum commendauit, tum ad gerendam legationem auctoritate multa instruxit c; Raymundum vero Ecclesiæ gratiam affectantem moneri iussit, ab inferendis illi iniurijs absisteret, alioqui exploratum haberet absolutionis beneficium, quod ab Apostolica sede sæpe postularat, minime consecuturum: Almaricum vero legitimum Tolosæ comitem de Ecclesia benemeritum, officijs plurimis prosecutus, etiam pecunijs ad redintegrandas illius res iuuit. d

d Ep. 200. Demandatum legato conciliandarũ induciarũ munus Anglos inter & Gallos.

30. Studuit præcipue ad opprimendam hæresim districta in Anglos Francorum arma in Albigenses conuertere, atque adeo grauissimum aliud munus legato Honorius imposuit, vt Ludouicum Francorum Regẽ, qui subactis anno superiore prouincijs ad Garumnam excurrentibus Anglos tota Aquitania depellere meditabatur, ad inducias Henrico concedendas inflecteret e: eaque de re Ludouico binas literas scripsit, in quarum prioribus f grauissime queritur repudiatis pontificijs precibus Regis Angliæ terras armis occupasse; tum ipsum monet, obtestaturque, vt Regi memorato pristinam ditionem restituat optatasque inducias tribuat, ne subsidio Hierosolymitano, quod progenitorum suorum opera, regnique sui potissimum viribus comparasi consueuisset, impedimentum moramue afferret. His vero literis alias grauiores adiecit g, quas hoc loco edere operæ pretium duxi.

e Ep. 189. f Ep. 168. g Ep. 169.

Honorius, &c.

Pontif. ea de re ad Lud. Reg. lit.

Vtinam fili charissime nostrum erga te animum plene recognosceres, & cogitationes perspiceres cordis nostri: scires enim, & aperte videres, quod personam tuam sincera charitate diligimus, & ad conseruationem tui honoris, ac iuris ex animo aspiramus, ac per hoc magis reuerenter, & magis efficaciter monita nostra, consiliaque reciperes, teque nobis magis deuotum, & magis obsequentem procul dubio exhiberes. Nunc autem tuum animum videris contra nos obfirmasse, & obturasse nostris precibus aures cordis, patientia nostræ longanimitatis abutens, quæ cor tuum contra nos eleuare non debet, sed ad nos potius humiliter inclinare. Iam siquidem obliti sumus numeri literarum, quas pro charissimo in Christo filio nostro Henrico illustri Rege Anglorum tibi direximus, rogantes & obsecrantes, ac petentes pro munere speciali, primum vt treugas olim inter claræ memoriæ Philippum Regem Franciæ patrem tuum, ac patrem eiusdẽ Regis Angliæ initas prorogares; ac deinde illis, te preces nostras obaudiente, finitis, vt non inuaderes terram eius, neue quietem regnorum Franciæ, ac Angliæ perturbando, Terræ sanctæ subsidium impedires. Tu vero dicti Regis terram nihilominus inuasisti, contemptis precibus, obsecrationibus, & petitionibus nostris, & contempto etiam statuto de pace, &c. *Et infra:*

Monet ne felicibus armorum successibus efferatur.

31 Sicut autem ex nostrarum dulcedine literarum ad deuotionem, & humilitatem profecisse debueras, ita videris in contemptus, & eleuationis vitium corruisse; & quantum Rom. Ecclesia mater tua materna nunc affectione te rogat, sic tuus elatus videtur animus contra eam, quasi repures impossibile, quod & tu necessa aliquando habeas eidem, mutato statu temporum, supplicare. Noli nimis huic tranquillitati confidere, momento mare turbatur, & mutatur tempus a mane ad vesperas, & quid futura dies pariet, ignoratur. Innumera sunt exempla populorum, & Regum, qui in rebus bellicis nunc superiores, nunc inferiores, dispositione diuina vices alternante, fuerunt; sed vt de multis vnum recens, & celebre proferamus, recolendæ memoriæ Otho Romanorum Imperator, & viribus corporis & industria militari præcellens Romanum pacifice obtinebat Imperium, & ab aquilone ad austrum erat, sicuti nostis, formidabile nomen eius. Inflatus ergo spiritu superbiæ, ac super seipsum eleuans, prædictum Imperatorem (nimirum Fridericum) tunc pupillum exterminare decreuit, iamque fere totum inuaserat regnum eius, iam ipsi pupillo nulla spes esse relicta, nisi dumtaxat in fugæ præsidio videbatur, & eam ipsam præcludere feritas moliebatur hostilis. Cui tunc verisimile, immo cui possibile videbatur, quod adolescentulus virium, & virorum, ac opum auxilio destitutus, hosti tam valido, tam feroci esset non solùm regnum, quod vt præmisimus occupauerat, verùm etiam ipsum Imperium erepturus? Et tamen faciente illo, qui superbis resistit, & qui posuit mari terminum, vltra quem intumescere non audeant fluctus eius, ille qui sic potens, sicque terribilis iniuste regnum inuaserat sæpedictum, illud trepidante fuga deseruit, & eo, quem sic immaniter fuerat persecutus, ipsum iusto Dei iudicio persequente, Imperium quoque, sicut est manifestum, amisit, & Apostolicæ sedi, cuius preces, & commonitiones in inuasione dicti regni contempserat, postea frequenter supplicationes, & preces supplex, humilisque porrexit.

Othonis exemplũ proponit.

Vt a Friderico quem regno exuere moliebatur fuerit imperio spoliatus.

32 Denique, vt de domesticis tibi proponamus exemplum, inclytæ recordationis Richardus Rex Angliæ, cuius nunc successorem persequeris, cœpit olim bello lacessere claræ memoriæ patrem tuum, multoque superior viribus, & opibus videbatur, adeo quòd eius præualente, ac vrgente potentia, ipse pater tuus contra eam Ecclesiæ Rom. præsidium implorauit: quæ semper indigne oppressis subuenire desiderans, auctoritatis suæ obstaculum interiecit ipsumque Regem Angliæ vellet nollet treugas cum ipso patre tuo inire canonica seueritate coegit. Ecce regnum Angliæ, quod tunc persequebatur, tuam ab eo persecutionem versa vice nunc patitur, & ab eo, quòd tunc temporis infestabat, hoc tempore infestatur. Sic ludit in humanis diuina potentia rebus. Sic victorem a victo superari sæpe videmus. Nec ista ideo dicimus, quod talia tibi esse timenda credamus, sed tamen quæ acciderunt, accidere adhuc possunt; quare debes taliter erga Rom. Ecclesiam in prosperitate te gerere, vt si quid aduersi, quod Deus auertat, ingruerit, eius fiducialiter, & sine rubore possis auxilium implorare.

Anglorũ potentia quæ in Rich. aucta postea defecit.

33 Nec indignari debet tua sublimitas, vel moueri, si Apostolica sedes de concessa sibi a Deo plenitudine potestatis, nunc studet te a prædicti Regis infestatione compescere, cum prædecessorem ipsius ab infestatione clarissimi genitoris tui, olim sicut prædiximus, studuerit coercere. Quæ enim pro sæpedicto patre tuo maturo, & potentissimo Rege canonicam censuram exercuit, cur non illam pro adolescentulo Rege Angliæ in casu omnino simili exercebit? Nemo potentiæ tuæ suadeat, quòd non sit nostrum in hac parte obuiare iniuriæ dicti Regis, eò quòd res, de quibus agitur, constat existere feudales; cum Hieremiæ prophetæ, qui fuit de sacerdotibus Anathot, fuerit dictum a Domino: Ecce constitui te super gentem, & regna, vt euellas & destruas, ædifices atque plantes, sicque pateat, quòd ad Rom. Pontificem, qui sacerdotij obtinet principatum, spectat omne peccatum mortale euellere, quòd interdum fieri sine coercitione non potest; restat vt & rebelles debeat coercere.

Ne graue, tur idem Henrico præstari officium quod antea Philippo exhibitum est.

34 Cum ergo credaris in sæpedictum Regem Angliæ manifeste peccare, nos ad quos omnis censura peccati obtinere dignoscitur, qua conscientia possumus obturare aures clamoribus dicti Regis inculcantis nobis iugiter querimoniam de peccato, quod committis in ipsum; & officij nostri debitum assidue implorantis, ac obsecrantis, vt si nos sua non mouet iniuria, moueat saltem statuti sæpedicti contemptus, quod violas, & infringis in graue dispendium subsidij Ter-

Ex eo bello Terræ S. auxilia agere.

Terræ sanctæ? Vides quod coarctamur grauiter e duobus, dum nec sine multa mentis amaritudine possumus in te dilectissimum, ac charissimum filium gladium canonicæ seueritatis exercere, nec sæpe dicti Regis vlterius obaudire clamores, quos in aures Domini sabaoth credimus introire. Quare licet a te toties iam repulsi, adhoc tamen pulsamus ad ostium cordis tui, serenitatem tuam rogantes attentius, & obnixius obsecrantes, quatenus nos de hoc articulo quasi cuiusdam perplexitatis eripias, restituendo prædicto Regi terram eius, a te vel tuis contra tot preces nostras, & contra statutum sæpe dictum inuasam, & ab eius iniuria quiescendo, ius quod te habere contra eum proponis, legitime prosecuturus tempore competenti, quo Terræ sanctæ succursum, qui per Reges, & regnum Franciæ consueuit promoueri potissimum non disturbes. Alioquin quantumcunque tuæ velimus sublimitati deferre, tuumque euitare scandalum cupiamus, non poterimus tamē vlterius Regi deesse prædicto, cum nec deferendum sit homini contra Deum, nec iustitia sit propter scandalum deserenda. Cum ergo dilectus filius noster R.... S. Angeli diaconus Card. A. S. L. ad regnum tuum propter hoc, aliaque negotia destinemus, sic & ijs quæ tibi scribimus, & ijs quæ tibi viua voce proponet, aures tuas, & animum reuerenter inclines, quod nec nos, nec ipse contra te procedere, quod omnino vitare cupimus, tua faciente duritia compellamur.]

35. Fregere Ludouici animum mixtæ imperijs Honorij preces, felicius enim sumpta in Anglos arma aduersus Albigenses hæreticos conuertit, vt Richardus a testatur: *Hoc anno Rex Franciæ monitus per dominum Romanum A.S.L. contra Albigenses cum copioso Francorum exercitu in Prouinciam vadit.* Eam vero industria sua legatum pontificium expeditionem promouisse significat Ludouici Regis gestorum auctor anonymus: *Eodem anno in festo Apostolorum Petri, & Pauli Romanus S. Angeli diaconus Card. legationis officio fungens in Francia Turonos venit, & sequenti tertia die cum Rege Franciæ Ludouico Caynonem perrexit.* paucisque interiectis verbis: *Circa vero purificationem B. Mariæ Ludouicus Rex & magnates regni Franciæ plurimi, & archiepiscopi, & episcopi & barones Parisijs adunati contra Albigenses hæreticos crucis signum per manum Romani Card. assumpserunt.* Eadem fere Bernardus b, & alij. Extant Honorij literæ c ad Romanum Card. A. S. L. pro Agenensi episcopo, qui egregiam operam ad profligandam hæresim contulerat, multaque ab Raymundo comite Tolosano pertulerat. Addit Bernardus d Arnaldum archiepiscopum Narbonensem Cisterciensis ordinis (de quo nos plura supra) sub id tempus e vita discessisse, Petrumque Amelium eiusdem ecclesiæ archidiaconum illi suffectum. habet insequentis anni apostolicum diploma e in pontificio regesto x I v. kalend. iunij ad archiepiscopum Narbonensem, quo ecclesiæ eius iura in suo robore manere decreuit.

a Ric. a S. Germ. in chr. MS. — Lud. Rex in Albigē. arma conuertit.
b Bern. in chr. Rom. Pont. & Reg. Fräc.
c Lib. 10. ep. 159.
d Chr. Rō. Pont.
e Hon. l. 10 ep. 352.

36 Prodijt in Belgio insignis impostor, qui se Balduinum Constantinopolitanum Imp. simulauit pluresque in fraudem induxit, a quibus honorifice est susceptus; quem ad Ludouicum Francorum Regem adductum fuisse auctor est anonymus scriptor, cuius paulo ante meminimus: verùm ipsum multis de rebus in Ludouici legatique Apostolicæ sedis conspectu interrogatum, petitisque respōdere dedignatum, irato eam ob causam Rege Gallijs exactum, desertum a suis: tum ementito mercatoris habitu fugientem captum, in vincula coniectum extremoque affectum supplicio, quæ omnia ab auctore alijsque f fusius literis consignata. Sed missis hisce imposturis, ac fraudibus, nonnulla, quæ hoc anno contigere, diuina prodigia ex Parisio afferamus.

Impostor se pro Balduin. Imp. gerit. Supplicio afficitur.
f Alb. Stad in chr. an. 1224. Godef. in annal. an. 1225. Matt. Par. Vvestmō. col. ann. nonaginta tertio 13. col. 179. & alij.

37 Præclarum edidit beatissima Virgo suæ in eos, qui ipsius cultui addicti sunt, singularis clientelæ miraculum, cum Saresberiensem comitem e medijs maris fluctibus eripuit, quam historiam auctor his verbis prosequitur: *Per idem tempus VVillelmus comes Saresberiensis, qui cum comite Richardo militauerat in partibus transmarinis, ad Angliam transiturus naues intrauit. Sed cum longo maris periculo, & ventorum turbinibus per dies plurimos, & noctes in partes diuersas iactaretur, cum ipsis nautis, & alijs omnibus, qui in naui erant, de vita desperatus, annulos pretiosos, & quæcunque in auro, vel argento, aut pretiosis vestibus possidebat, fluctibus pelagi commisit, vt sicut ad vitam nudus intrauit temporalem, ita ab omni honore terreno spoliatus, ad patriam transiret æternam. Et cum in suprema fuisset desperatione constitutus, visus est cereus ingens & magno splendore coruscans ab omnibus, qui in naui periclitabantur, in summitate mali, & iuxta cereum stantem viderunt puellam quandam nimia pulchritudine decoratam, quæ lumen cerei, quod nocturnas tenebras illustrabat, a ventorum pluuiarumque irruentium robore conseruaret præclarum. Ex hac quoque cælestis visione claritatis, tam comes ipse quam nautæ omnes securitate concepta, diuinum sibi adesse auxilium confidebant. Et cum vniuersi, qui in naui erant, quid hæc visio portenderet, ignorarent, solus VVillelmus comes præfatus huius benignitatis gratiam B. Mariæ virgini assignauit. Siquidem comes sæpedictus die, qua primo donatus cingulo fuerat militari, cereum vnum ante altare beatissimæ Matris Dei assignauit, vt ad missam, quæ diebus singulis in honorem eiusdem Dei genitricis cum horis canonicis deuote solet decantari, iugiter arderet, vt pro lumine temporali lucem commutaret æternam.*

Saresberien. comes e naufragio ope Virginis ereptus.
Vt B. Virgo clientū suorum officia compenset.

38 Ingenti etiam admiratione dignum videtur, quod auctor adijcit de virgine quadam religiosa per septennium nullo alio cibo, quam sacratissima viuificaque hostia sustentata: *Eodem anno in vrbe Legrecastrensi abijt puella quædam inclusa religiosa, quæ per septennium ante obitum nullum omnino gustauit cibum, nisi quod diebus dominicis corporis & sanguinis Domini communionem accepit. Quod miraculum cum ad audientiam Hugonis Lincolniensis episcopi peruenisset, fidem non adhibuit veritati. Sed incredulus plane, fecit per dies quindecim presbyteris & clericis inclusam prædictam arcta nimis obseruari custodia, quousque compertum fuit illam in toto termino memorato nulla vsam fuisse corporis nutrimento. Faciem quoque semper habuit vt lilium candidissimam roseoque rubore perfusam, ad inditium pudicitiæ & munditiæ virginalis.* hæc Parisius. At non incredulitati, sed prudentiæ adscribenda est cautela ab Hugone adhibita ad probandum, vt monet B. Ioannes Apostolus a, an spiritus ex Deo esset.

Religiosa fœmina sola euch. vescitur.
a 1. Io. 4.

39 Eodem anno Honorius Laurentio archiepiscopo Dublinensi sanctorum honorem cultumque decreuit b, dato ad vniuersos Rhotomagensis prouinciæ Christi fideles diplomate, cuius exordium est: *Ineffabilis prouidentia Dei.* illius nos præcipuam partem hoc loco edemus: *Sanctæ memoriæ Laurentio Dublinen. archiepiscopo, apud ecclesiam sanctæ Mariæ de Ango Rothomagensis diœcesis, vbi corpus eius feliciter requiescit, claris diuino munere coruscante miraculis, venerabilis frater noster archiepiscopus, & dilecti filij capitulum Rothomagense vnà cum abbate, & conuentu ecclesiæ supradictæ, multisque alijs archiepiscopis & episcopis, abbatibus & religiosis viris eius venerabilis vitæ insignia, & coruscantia miracula suis nobis literis intimantes humiliter supplicarunt, vt ipsum sanctorum catalogo adscribere curaremus.* Et infra, vbi subiecit Rhotomagensi archiep. decano, atque illius ecclesiæ ærarij præfecto, ac postea Darensi episcopo & priori Trinitariorum Dublinensium inqui-

S. Lauren. Dubl. arch. SS. catalogo adscribitur.
b Hon. l. 10 ep. 23.
De his Sur. to. 6. die 14 octo. Baron. in not. ead. die & in annal. an. 1181. n. 14.

quirendæ miraculorum veritatis, sanctitatisque vitæ illius prouinciam impositam, addit:

E regio Hibern. genere satus erat.

40 *Collegimus autem ex ipsarum serie literarum, quod sæpe dictus vir Regis, & Reginæ Hiberniæ filius extitit, & ab infantia sacris literis eruditus, senilem gessit in iuuene grauitatem, & mundanarum illecebras vanitatum a se, vltra quam ætas illa solebat, abdicauit. Deinde in archiepiscopum Dublinensem assumptus, sic in virtutem de virtute profecit, vt in oratione assiduus, austerus in maceratione proprij corporis, ac in eleemosynarum largitione profusus, se totaliter Domino dedicarit. Per depositiones vero testium prædictorum constitit euidenter, sanctam vitam eiusdem esse tot sequentibus miraculis comprobatam, quod non paruam texet historiam, qui volet ea singula scribere seriatim. Sed vt prætereamus, quod claudi gressum, cæci visum, surdi auditum, muti loquelam, leprosi mundationem, & varijs afflicti languoribus sanitatem ad inuocationem eius nominis receperunt, & ea sola, quæ inter cætera emicuerunt miracula, breuiter perstringamus; idem sanctus immo Dominus, ob ipsius merita gloriosa, septem mortuos, quorum vnus triduanus erat, mirifice suscitauit. De ipsius igitur sanctitate tantis certificati miraculis, diuinumque secuti iudicium, per quod eius glorificatio nobis tam euidentibus innotuit argumentis, eundem beatum virum catalogo sanctorum ascripsimus, & annumerandum decreuimus sanctorum collegio confessorum, ac inter eos a Christi fidelibus venerandum, statuentes, vt eius veneranda festiuitas de cætero annis singulis octauo decimo kal. decembris solemniter celebretur, &c. Dat. Reate III. id. decemb.* At de his hactenus. Iam Hispanias adeamus.

A pueritia cultui diuino se totum addixerat.

Ingentia illius ope patrata miracula.

Rex Cast. Segobiens. electum exagitat.

41 Exagitabat Ferdinandus Castellæ Rex B. Segobiensem electum atque illius ecclesiæ administratione deturbare nitebatur, quod se inconsulto episcopus fuisset designatus. Atque ab archiepiscopo Toletano nonnullisque suffraganeis eius ad sedem Apostolicam delata, Honorius electum iniuria a Rege diuexari pronuntiauit, ac suscepta electi causa Regem ab illo insectando abducere studuit, monuitque non leue in ea re suscipere dedecus, ac diuinam in se maiestatem, cuius beneficio sceptris potiebatur, asperare. Quo argumento binas ad eam epistolas a dedit, ex quarum priori partem decerpimus: *Tu prout libuit asserens, quod cum tuo assensu debuerat celebrari, consentire noluisti electioni prædictæ, sed eundem electum post electionem, & confirmationem ipsius coegisti episcopatu Segobien. exire, ac bona eiusdem episcopi, quasi voluntas pro ratione tibi fuerit, occupasti. Sane, quantumcumque serenitati tuæ deferre velimus, palpare factum huiusmodi non debemus, quoniam cum anima nostra, & tua salutis periculo deferremus homini contra Deum. Et quidem licet merito dolere possimus, pro eo quod sic agitur cum electo prædicto, cuius promotionem, cum vir sit, vt intelleximus, vitæ honestus, ornatus moribus, & literatura præclarus, & suorum meritorum exigentia honorandus, plurimum affectare deberes; multo magis tamen ex hoc angimur, quod in eodem facto, quasi Ecclesia tota concutitur, cuius causam in sinu nostro colligere nos oportet. Porro dignitas Regis non exigit, vt cum fouere debeat libertatem ecclesiarum pariter, & augere, prælatorum electiones libere fieri non permittas, immo potissimum conuenit Regis honori, quod facultatem prouidendi ecclesijs ministris reseruet earum, & liberum dimittat electoribus iudicium eligendi, &c. Dat. Reate II. non. apr.* Eadem de re ad Berengariam Castellæ Reginam scripsit b. Ferdinandum porro Pontifici dicto audientem fuisse inde conijcimus, cum nullas de ea re querelas repetitas inuenerimus.

a Lib. 9. ep. 253. 254.

Obiurgatur ab Honor.

b Reg. post ep. 253.

Sarracenos inuadit.

Ric. M. S. in chron.

42 Cæterum præclara illum hoc anno aduersus Sarracenos Hispaniæ facinora edidisse indicat Richardus ijs verbis: *Reges Hispaniæ terram Miramomelini occupant*. quos Ferdinandum Castellæ ac Iacobum Aragonum fuisse Mariana ait. Ferdinandum equidem ad prima veris signa in Bæticam irruisse, Sodarumque oppido Illiturgi & Tuccis ea expeditione captis exercitum præcipiti æstate grauem spolijs hostium abduxisse: Aragonium vero tanto metu oppressisse Zeitum Valentiæ Regem, vt ad obtinendam pacem quintam vectigalium, quæ Valentiæ & Murciæ pendebantur, partem obtulerit, eoque fœdere inito Peninsulæ obsidionem soluisse. Cum vero lacessitos a Ferdinando Sarracenos accepisset Honorius ad augendos illius animos continendosque in ipsius fide subditos ipsum clientela apostolica communiit a, tum vt non excursionibus tantum, sed continenti bello hostem oppugnaret monuit b, tum ob rem feliciter cœptam summas Deo gratias egisse significauit:

Marian. de reb. Hisp. l. 12. c. 11.

Zenus Valentiæ Rex a Iacobo R. Arag. stipendiarius factus.

Vrget Honor. Ferdinandū ad profligandos Sarracenos ex Hispania.

b Lib. 10. ep. 6.

Honorius, &c.

43 Sane, sicut relatum est nobis, accensus zelo fidei per teipsum crucis inimicos viriliter expugnare cœpisti, & cooperante iam gratia Saluatoris, qui deuotum obsequium tuum & pium super hoc propositum ex alto prospexit, in manibus tuis dirigi prospere causa cœpit; super quo in laudes, & gratias assurgimus creatori.] & infra, vbi arma sacra correpturis indulgentiarū præmia, & clientelam apostolicam est pollicitus, addit: Quocirca excellentiam tuam monemus, & obsecramus in Domino, quatenus de diuina confisus potentia in tam laudabili proposito firmiter perseuerans, illud de bono in melius, sicut de tua speratur constantia, prosequaris, negotio Christi spiritualibus & materialibus armis munitus insistendo ex animo, & totis viribus, vt desideratum euentum habeat laborando, ne si, quod non credimus, ab incœpto desisteres, non solum Christo, vel Ecclesiæ Rom. sed & opinioni, quam de te cōcepimus, illudere videreris, cum credendum sit, quod is, qui per misericordiam suam bonum dedit principium felicem processum, & exitum largietur. *Dat. Reat. v. kal. octob. pōt. nost. an. x.*] Legationis vero in Hispania munus aduersus Sarracenos contulit Liddiensi electo, cuius etiā patrocinium admisit c, eique archiepiscopos Compostellanum, & Bracarensem socios adiunxit.

c Ep. 86.

44 Cum vero inuolutæ superstitionum erroribus nationes non tam Regum ferro, quam euangelicorum præconum diuino verbo Christo subijci consueuerint, non suffecit Honorio Hispanos in Sarracenos ad euertendam eorum tyrannidem concitare, nisi viros pietate insignes ad ipsorum mentes euangelij luce collustrandas mitteret; atque adeo ex Prædicatorū & Minoritarum viris lectissimis propagandæ religionis prouincia demandata d est, ac Dominico & Martino Prædicatoribus auctoritas collata, vt in Miramomelini terris disseminando euangelio operam nauarent: *Attendentes igitur, quod abnegantes vos ipsos, animas vestras pro Christo ponere cupitis, vt lucrifaciatis sibi animas aliorum, & quod nullum sacrificium Deo esse constat acceptius, quam lucrum quærere animarū, vos in terram Miramomelini iuxta vestræ supplicationis instantiam duximus destinandos, vt euangelizantes ibi Dominum Iesum Christum, quantum ipse dederit, conuertatis incredulos, erigatis lapsos, sustentetis debiles, pusillanimes consolemini, & fortes nihilominus confortetis.* Et infra, vbi ipsos auctoritate amplissima donauit: *Præcipimus autem vobis in virtute obedientiæ, vt ijs nullatenus præsumatis abuti, sed tanquam inconfusibiles operarij Iesu Christi, ita irreprehensibiliter vos geratis, quod a summo patrefamilias retributionis denarium mereamini, & nos maiora vobis possimus committere confidenter. Dat. Tybure IV. idus iunij pont. nostri anno IX.*

d Ib. ep. 90. 100. 101.

45 Cæterùm, qui nouas apud barbaras nationes ecclesias condere ardentissime optabat, institutas inter fideles non neglexit, atque adeo cum Ingerenr

din-

diuturna nonnullæ in Sicilia ecclesiæ pastoribus suis orbatæ, Pontifex ne qua inde labes, atque animarum pernicies, vel iurium ecclesiasticorum iactura nasceretur, illis episcopos apostolica auctoritate, sine, vt loquitur Richardus e S. Germano, motu propriæ voluntatis, inscio & irrequisito Imperatore præfecit, datis hisce ea de re ad Fridericum literis a: *Vidimus quod diutina Capuanæ, Salernitanæ, Brundusinæ, Consanæ, ac Auersanæ ecclesiarum vacatio in graue non solum rerum, sed etiam animarum periculum redundabat; & attendentes quod id nobis, & tibi imputabatur publice ab hominibus, ac ne imputaretur adeo anxie mœrentes, ipsis ecclesiis, & famæ, ac saluti nostræ; itaque simul curauimus prouidere, ipsas ecclesias respectu ad solum Deum habito de personis tibi merito acceptabilis, vtpote scientia, vita, & fama conspicuis, oriundis de regno, & tuæ sublimitatis deuotis ac fidelibus, ordinando venerabilem fratrem nostrum I... Pactensem, & Salernitanensem venerabilem fratrem nostrum C... Famagustanum episcopos, Brundusinum vero dilectum filium abbatem S. Vincentij de Vulturno, Consanum venerabilem fratrem nostrum quondam priorem S. Mariæ nouæ de Vrbe, ac Auersanum venerabilem fratrem nostrum quondam Amalphitanum archidiaconum, sine tuo præiudicio prouidentes de fratrum nostrorum consilio in pastores. Rogamus igitur serenitatem tuam attentius, & hortamur, quatenus ecclesias ipsas, sicut imperialem clementiam decet, habens pro reuerentia Dei, & anima tua salute propensius commendatas, vt honores suos, ac iura integra conseruando, prænominatos earundem pastores, fauore imperialis gratiæ prosequaris, &c. Dat. Reate VII. kalen. octob. pontificatus nostri anno X.*

Præficit epis. nonnullis ecclesiis in Sicilia.
Rich. vbi sup.
a Lib. 10. ep. 55.

46 Tulisse grauissime, quæ gesserat Honorius, Fridericum, nec eos episcopos suarum ecclesiarum gubernacula capessere aliquanto tempore permisisse, refert Richardus. Vt vero eadē causa magna animorum exulceratio & discordia inter Fridericum ac Pontificem secuta sit, ac demum peruicaciam ab Honorio correptus Imperator fregerit, proximo anno dicetur. Nunc quid de Lucensi designato, cuius electio sortis periculo commissa fuerat, decreuerit, adiungamus. Confirmauit sane electum ob præclaras virtutes, quæ in eo emicabant: sed, electionis genus damnauit, de quo hæc ad Lucensium canonicorum collegium scripsit b: *Sicut comperimus, conuenientes vos vt de futuri tractaretis electione pontificis, & circa modum electionis diuersos incipientes habere tractatus, vnum tandem elegistis ex vobis per sortem, qui tres, auctoritate vestra elegit, per quos vice omnium Lucanæ prouideatur ecclesia de pastore, quorum duo tertium, prædictum magistrum scilicet elegerant, quod expresse licebat eisdem, secundum traditam a vobis omnibus potestatem. Procuratoribus igitur vestris super his in præsentia nostra constitutis, nos tali examinato processu, licet nota non careat, quinimo multa reprehensione sit dignum, quod sors in talibus interuenit, propter prærogatiuam tamen morum, & literaturæ memorati magistri, & affectionem, quam ad eandem habemus ecclesiam, electionem celebratam de ipso ad gratiam confirmationis admittimus, sortis vsus in talibus perpetua prohibitione damnantes, &c.* Adjicit imperio, vt tantis virtutibus prædictum virum debitis officijs, atque obseruantia complectantur: cui etiam, vt Pisanos in Ecclesiæ gratiam, a qua exclusi erant, reuocaret, auctoritatem contulit c.

Fridericus rem grauissime accipit.
Sors in electionibus episcoporum dānata.
b Ep. 71.
c Ep. 114.

47 Per id tempus hæretici apud Insubres, ac Brixienses maxime, adeo potentia, opibus, audaciaque creuerant, vt orthodoxos grauissimis iniurijs afficerent: quorum insolentiam Honorius per Brixiæ Mutinæque episcopos comprimendam curauit. Verum cum Mutinensis episcopus, cui Guillelmo nomen impositū erat, vir omni laude præstans, nonumes ras electionis, ad nomen domini Iesu Christi coram duci bus genteque Prutenorum circumferendum, a Deo atque ab sede Apostolica electus esset, Pontifex in eius locum, ad defendendam fidei in Insubria causam, episcopum Ariminensem subrogauit, data ad ipsum, ac Brixiensem episcopum collegam suum epistola a, cuius partem subijcio: *Quia in ciuitate Brixiæ, quasi quodam hæreticorum domicilio ipsi hæretici, & eorum fautores nuper in tantam vesaniam proruperunt, vt armatis turribus contra catholicos, non solum ecclesias quasdam destruxerint incendijs, & ruinis, verumetiam iactatis facibus ardentibus ex eisdem ore blasphemo latrare præsumpserunt, quod excommunicabant Rom. Ecclesiam, & sequentes doctrinam eiusdem; volumus & mandamus, vt turris dominorum de Gambara, & turris Vgonum, turris quoque Orianorum, & turris filiorum quondam Botatij, de quibus specialius, & vehementius ad insaniam huiusmodi est processum, diruantur omnino, & vsque ad terræ puluerem detrahantur, non readificandæ de cætero absque sedis Apostolicæ licentia speciali, sed in aceruos lapidum ad memoriam, & testimonium pœnæ tantæ vesaniæ, tantique criminis permansuræ, atque in eadem damnatione sint turres, quæ sunt ob causam huiusmodi iam destructæ. Aliæ vero turres, quarum domini, etsi ad tanti furoris rabiem non processerint, eas tamen contra catholicos munierunt, vsque ad tertiam partem, vel vsque ad mediam pensatis ipsarum quantitatibus diruantur, nec eleuentur de cætero, nisi id apostolica fuerit auctoritate permissum. Nullus autem eorum qui nominatim excommunicati sunt hac de causa, siue sint hæretici, siue ipsorum fautores, absolutionis beneficium assequatur, nisi personaliter ad Apostolicam sedem accesserit, illud humiliter petiturus, excepto dumtaxat mortis articulo, in quo nolumus absolutionem petentibus denegari, &c. Dat. Lat. V. id. ian.*

Hæretici in Insubria grassantur.
a Hon. l. 9 ep. 146.
Ariminensi in Brixiensi hæreticos fremunt...

48 Dum hæc hæreticorum lues Italiam fœdaret, illam Reynerius Furconensis episcopus non ita multo ante vita functus miraculis illustrabat, quæ vt in publica referri monumenta iuberet, rogatus Honorius, prouinciā illam episc. Pennensi, & priori S. Mariæ commisit b; ad quos hæc inter cætera: *Gaudemus in Domino, & in eius laudibus delectamur, quod sicut venerabilis frater noster Furconen. episcopus coram nobis exposuit, felicis memoriæ Reynerius prædecessor ipsius, tanta viuens fulsit gratia meritorum, quod Dominus ad ostendendam eius gloriam sanctitatis ad sepulchrum eius multa, & magna mirabilia operatus sit, quem virtus morum honestauit in via, miraculorum signa nobis insinuent in patria honorari. Dat. Reate kal. octob. anno X.*

Rayner. Furconēsis episc. miraculis claret.
b Ep. 68.

49 Quantam vero Romani Pontifices maturitatem consilij in huiusmodi exercendis quæstionibus adhibere soliti fuerint, apostolicæ ostendunt literæ hoc eodem anno kal. septembr. ad episcopos Crisopitensem & Threcorensem atque abbatem Rempe relensem S. Crucis de perquirendis per testes gestis miraculisque Mauritij Cisterciensis ordinis abbatis datæ c: *Licet humana deuotio prompto affectu debeat honorare, quos dignatio diuina benignitatis honorat, tutius tamen esse censuimus hoc differre negotium, quam in eo sententiam minus considerate proferre. Nolentes autem deesse superna gratiæ muneri, sed adesse, discretioni vestræ præsentium auctoritate mandamus, quatenus testes, quos abbas, & monachi dicti loci super vita, & miraculis dicti viri duxerint producendos, examinare prudenter, ac diligenter, vt moris est, interrogare curetis, & depositiones eorum nobis sub sigillis vestris inclusas fideliter transmittatis, vt in ipso negotio cum diligentia & maturitate debita procedamus. Quod si non omnes, &c. Dat. Reate kal. septemb. anno X.*

Agitatum de Mauritio ab. b. Cist. sanctis annumerando.
c Ep. 36.

50 Claudimus huius anni periodum allata in medium constitutione, quam hoc anno edidit Honorius

ad

ad frenum inijciendum temeritati & audaciæ improborum, quæ eò proruperat, vt etiam S. R. E. Cardinales violare iniurijs non vereretur, in quos grauissimæ pœnæ statutæ fuerunt.

Vniuersis præsentes literas inspecturis.

Constitutio Honorij edita in eos qui iniurijs grauioribus Card. afficiunt.

Summi prouidentia Principis peculiarem populum, quem prætulerat alijs, gratiæ priuilegio specialis fouebat manna misericordiæ, ac rigoris virga regebat, beneficijs affluens, vltionibus non remissus. Amicus etiam Domini Moyses pro eodem populo vitulum obtulit labiorum & manuum sacrificium non omisit, post supplicationis hostiam holocausto satisfactionis oblato, causam populi coram Domino precibus, & Dei causam in populo gladijs prosecutus. Sane in maligno positi mundi malitia, dum impunitis excessibus, per campum licentiæ discurrit effrænis, claustra iuris infringit, aditum pandit iniurijs, legem damnat honesti, priuilegium promittit errori, & dum spem impunitatis ad alios prorogat, ad culpam nonnullos inuitat, sicque fit pœnalis impunitas cum pœnis reseruet maioribus puniendos, & per impunitæ transgressionis exemplar blanditur alijs ad offensam. Vnde interdum vtcumque tyrannice parcitur, & misericorditer desæuitur, cum publicæ vtilitatis intersit, vt excessum vindicta coerceat, & pœna sit limes offensæ.

51 Hinc est, quod propter præsumptam in quosdam de fratribus nostris temeritatis audaciam nos, ne cælestis Regis contumeliam, qui honoratur, & spernitur in ministris, dissimulationi relinquere, ac Christianæ religionis opprobrium dum Christi Domini, quos ad Christianorum omnium salubre seruitium Apostolica sedes assumit, crudeliter impetuntur, dare negligentiæ videamur, non tanquam iniuriarum vltores nostrarum, sed honoris sponsæ Christi & immunitatis domus Domini zelatores, de communi fratrum nostrorum consilio hac in perpetuum valitura constitutione sancimus, vt si quis in hoc sacrilegij genus irrepserit, quod S. R. E. Cardinalem fuerit hostiliter insecutus, vel percusserit, aut ceperit, vel socius fuerit facientis aut fieri mandauerit, vel factum ratum habuerit, aut consilium dederit vel fauorem, aut postea receptauerit, vel defensauerit scienter eundem, sicut reus læsæ criminis maiestatis perpetuo sit infamis, diffidatus nihilominus, & banditus, sit intestabilis, vt nec testamenti liberam habeat factionem, nec ad alicuius bona ex testamento, vel ab intestato vocetur, quatenus ab omni successione repulsus, publicaque repulsa confusus minus inueniat suæ malitiæ successorem. Fiant habitationes eius desertæ, & vt non sit qui eas inhabitet, dentur cuncta ipsius ædificia in ruinam, & vt perpetuæ notam infamiæ perpetua ruina testetur, nullo tempore reparentur. Nullus ei debita reddere, nullus respondere in iudicio teneatur. Quidquid etiam in bonis inuenietur ipsius, fisci vel reipublicæ dominio applicetur, vt ea illis nil transmittat ad posteros, sed potius cum ipso quodammodo damnentur & sua. Si qua vero feuda, locationes, officium, vel beneficium spirituale, vel temporale ab aliquibus ecclesijs obtinet, sit eis ipso iure priuatus; quæ sic liberæ ad ecclesias reuertantur, quod ecclesiarum rectores de ipsis pro sua voluntate disponant. Quod si filium habet clericum, non prælatum, ecclesiasticum beneficium obtinentem, illo priuetur spe collationis alterius omnino sublata.

Pœnæ fulminatæ in eosdem.

Deriuata etiam in posteros.

55 Nulli præterea talium filiorum, atque nepotum, ex virili sexu descendentium ab eisdem, alicuius aperiatur ianua dignitatis, aut honoris ecclesiastici, vel mundani. Ad alicuius loci regimen non accedat. Sit ei postulandi negata facultas; sit notariæ, iudicatus, & quodlibet aliud officium, seu ministerium publicum interdictum. In iudicijs eius assertio contra quemq; nihil fidei, nihil credulitatis inueniat, vt ad testimonium prorsus reddatur indignus. Sit ei ad ordines ascensus inhibitus: sit ad beneficium, vel officium ecclesiasticum negatus accessus; & vt magis famosa sit eius infamia, ad actus legitimos nullus ei pateat aditus, nulla porta pandatur eidem super aliquo præmissorum, omni spe dispensationis adempta. Præsenti nihilominus adijcimus sanctioni, vt ex insecutione prædicta, sicut ex iniectione manuum violenta ipso facto excommunicationis sententiam quis incurrat, & tam insecutor, quam alij supradicti tanti mali participes, quandiu in sua contumacia perdurarint, singulis diebus dominicis & festiuis, pulsatis campanis & candelis accensis, per omnes illius loci ecclesias, in quo tantum fuerit facinus attentatum, nec non ciuitatum, & diœcesum vicinarum excommunicati publice nuntientur, nec ab alio, quam a Rom. Pontifice, cum fratrum suorum, & iniuriam passi consensu possint absolutionis beneficium obtinere, nisi dumtaxat in mortis articulo constituti.

Quæ pœnitentia cū resipuerint iniungēda.

53 Cum autem fuerint absoluendi, primo sufficienter & idonee caueant, quod inferendæ pœnæ parebunt, & auxiliante Domino pœnitentiam peragent iniungendam. Deinde per omnes illius loci ecclesias principales, vicinorumque locorum diebus dominicis, & solemnibus incedant nudi coram populo, fœmoralia tantum habentes, & virgas ferentes in manibus, cum quibus per easdem ecclesias publice fustigentur, ituri postmodum vltra mare, & ibidem acturi pœnitentiam per tres annos ad minus; nec exinde postmodum reuersuri absque sedis Apostolicæ licentia speciali. Verum cum tales gratiam reconciliationis meruerint, beneficio absolutionis obtento indulgeatur eis licentia, vt suam, suorumque iniuriam prosequantur; & debitorum illorum, quæ contracta fuerint, de postmodum acquisitis repetitio non negetur. Illud autem non duximus omittendum, quod si quis fuerit in præmissis, nudo consilio, vel simplici fauore culpabilis, inde a in talem pœnam metiatur ex culpa, vt secundum quod excessus exegerit, vindicta procedat. Præmissis etiam dignum censuimus annectendum, vt si quisquam aliquo prædictorum excessuum quemquā de clericis vel religiosis nostræ familiæ, vel Cardinalium afficere forte præsumpserit, proportionetur pœna delicto, ita quod vindicta ex æquo excessui respondente ab offensa nostrorum cohibeantur deinceps manus temerariæ formidine vltionis, quos Dei vel nostra, seu fratrum nostrorum reuerentia non coercet. Si quis vero vel per se, vel per alium, quod absit, occiderit Cardinalem, vel euidentem dederit causam mortis, vltra quam præmissa contineant, sic in eum potestas iurisdictionis insurgat, sic rigor vltionis insiliat, quod contra vitæ subsidium mortis solacium innocet, viuēs pœnæ non culpæ, vindictæ speculum non offensæ.

54 Per hæc quoque secularibus potestatibus non adimimus facultatem vtendi legibus contra tales, quos aduersus sacrilegos catholici principes ediderunt. Quis enim locus regiminis poterit esse tutus? Quis rector securitate gaudebit, si Rom. Ecclesia, quæ omnium ecclesiarum, disponente Domino, caput est & magistra, casibus illis subijcitur? si eius filij speciales huiusmodi periculis exponuntur? Quem ecclesiæ filium, quem fidei zelatorem contumelia tanta non tangeret, & confusio tam aspera non moueret? Porro qui filius est, dolebit, qui fidelis matre fidei læsa læditur. Quapropter si princeps, senator, consul, potestas, vel alius dominus, seu rector, quocunque nomine censeatur, contra præsumptores prædictos, præsentis constitutionis tenorem non fecerit obseruari, tam ipse quam officiales ipsius infra mensem, postquam res ad notitiam eorum peruenerit, excommunicatione notetur. Quod si populus

fue-

fuerit circa ista remissus, & ad satisfaciendum rectores, & officiales eius non compulerit Rom. Pontifex cum suis fratribus omnibus infra mensem exeat, si eum ibidem contigerit tunc morari; & antequam plenarie satisfiat minime reuertatur, nisi forsan incuitabilis ecclesiæ necessitas immineret, propter quam exitus eius, & fratrum periculosus proculdubio redderetur. Præterea si populus rectorem sic excommunicatum tertio monitus, sicut poterit commoneri, a regimine amouere contempserit, subijciatur ciuitas interdicto vsquequo congrue satisfaciat. *Dat. Reate duodecimo kal. decemb. pont. nostri an. x.*] Exeruere postea constitutionis huius seueritatem successores Honorij Romani Pontifices in eos, qui Cardinalibus iniurias grauiores intulissent: vt Ioannes a XXII. in nonnullos Anglos, qui Gaucelinum tit. SS. Marcellini & Petri presbyterum, & Lucam S. Mariæ in via Lata diaconum Cardinales Ap. S. legatos ad pacem inter Eduardum Angliæ Regem ac Robertum de Brus, qui sceptrum Scotiæ corripuerat, conciliandam Dunelmum profectos, impedimentis ac sacra supellectili spoliarant. sed iam indicasse suffecerit, quæ fusius nostrorum annalium tomo tertio insinuauimus.

a *Io. XXII. to. 2. ep. secr. 422. 436. & 437.*

55 Ex paulo ante allatis his alijsque Honorij literis constat ipsum hoc anno pluribus mensibus Reate commoratum, ibique cathedralem ecclesiam ritu solemni sacrasse vetustæ tabulæ exemplum a Baronio relictum his verbis declarat: *In nomine Domini amen. Anno eiusdem* MCCXXV. *indictione* XIII. V. *id. septemb. tempore Honorij III. PP. pontificatus anno eius decimo, consecrata est maior ecclesia Reatina, ab ipso domino Honorio cum talibus episcopis, videlicet, Ostiensi, Albanensi, Prænestino, Sabinensi & alijs Cardinalibus, & alijs episcopis partium diuersarum ad honorem B. M. semper Virginis, &c.* Inde sacræ recensentur reliquiæ sub ara maxima reconditæ; denique peccatorum indulgentiæ eam ecclesiam adeuntibus a Pontifice tributæ.

Reatina ecclesia ab Honorio consecrata.

IESV CHRISTI
Annus 1226.

HONORII PP. III. annus 10.	FRIDERICI II. IMP. 7. ROBERTI IMP. 6.

1 INeunte anno Christi millesimo ducentesimo vigesimo sexto indictione quartadecima Fridericus magno armorum terrore non ad defigenda apud Sarracenos crucis trophæa, sed ad subijciendos sibi Insubres expeditionem comparauit, de quo hæc Richardus b: *Imperator ipse, baronibus & militibus infeudatis, cæteris mandat, vt omnes se præparent ad eundum secum in Lombardiam & vt omnes apud Piscaram, vbi VIII. intrante martij esse Imperator ipse disponit, debeant conuenire.* Et infra, vbi subiunxit Ioannem Regem Hierosolymitanum ipsius socerum auerso ab eo animo discessisse, cuius discordiæ causam opportuniori loco afferemus. addit: *Imperator de Apulia venit in terram laboris & relicta apud Salernum in castello Terracinæ Imperatrice consorte sua, ipse in Apuliam redit, vbi Henricum de Morr. magistrum iustitiarium capitaneum statuit regni sui, & ipse Piscaram se contulit, ac exinde in ducatum Spoleti perueniens, hominibus ducatus ipsius per suas præcepit literas, vt secum in Lombardiam debeant proficisci. Quod cum facere ipsi renuerent præter Papæ mandatum, cui tenebantur, Imperator ad eas literas iterat grauiores, quas illi de ducatu ad Papam remittunt: quas ipse Papa moleste ferens, quod homines Ecclesiæ sub certa pœna vocabat Cæsar ad expeditionem, suas ad eum literas dirigit. Quas ipse Imperator graues reputans, rescribit ei quasi de pari: & quia in rescripto ipso suam voluntatem satis Imperator voluit declarare, duxit ipse Papa sibi asperius rescribendum.*

b *Rich. de S. Germ. in chron.*
Fridericus in Longobardos mouet.
Clientes ecclesiæ inuitis pœnis ad sua signa euocat. Corripitur ob id ab Honor. alijsq; vicissim literis repugnat Honorium.

2 Extant ex in regesto pontificio grauissimæ Honorij literæ, quibus Friderici clientes Ecclesiæ sibi subijcere meditantis suaque in Ecclesiam collata beneficia efferentis insolentiam fregit. Illud sane non admirationem modo, sed stuporem rem suis ponderibus libranti afferre potest, adeo secundarum rerum successus Imperatoris animū corrupisse perstrinxisseque mentis oculos, vt qui regnum Siciliæ clientelæ apostolicæ beneficio contra hostium potentiam atque improbitatem tenuerat, Imperium Romanorum Pontificum auctoritate fuerat assecutus, recenter Cardinalium studio dotali Hierosolymorum regno auctus esset, tantorum beneficiorum immemor ob restitutas Apostolicæ sedi nonnullas terras relata Ecclesiæ beneficia iactaret, suamque munificentiam cum veterum Imperatorum liberalitate non æquaret modo, verum pomparicis etiam verbis efferret; atque ob id ius Rom. Ecclesiæ inuadere sibi impune licere putaret. Sed hanc Honorij apologiam ab ipso Pontifice audire præstat, quam si ipsi eam texeremus.

Obiecta ab illo dissoluit Pontifex.

3 *Frederico Romanorum Imperatori semper Aug. & Regi Siciliæ.*

Miranda tuis sensibus nostra venit epistola, vt scripsisti, sed mirabilior tua nostris. Sane si nostræ paginæ verba iusto librasses examine, si literam ad spiritualem sensum, postposito coniuge, non traxisses interpretis non suspecti iudicio, inuenisses in illis, vnde spirituali patri reuereris, & matri. Tuæ quidem tenor epistolæ continebat, quod præter omnium opinionem, & consilia principum, vt tuis verbis vtamur, te inuenimus ad beneplacita nostra paratum, ita vt nullus prædecessorum tuorum vllis retro temporibus recolatur adeo Ecclesiæ fuisse deuotus. Sed de principibus non aliter ex his verbis informabimus animum, quam probabilis credulitas habeat facti experimento probata, de quibus Apostolicæ sedis constantia rectæ opinionis iudicium sinistræ suggestionis instantia non mutabit, cum facta præferenda sint dictis, & certa præiudicent positiuis. Ecce de archiuio Ecclesiæ munimenta publica prodeunt, quæ sigillorum penè omnium principum munita signaculis opinionem repudiant, quam forte videris ingerere contra illos, eo quod verisimilitudo non recipit tantos & tales viros excellentiæ tuæ dedisse consilium contrarium scripto tuo, & ipsorum signato sigillis. De prædecessoribus autem tuis, si aliquid certius maior dedisset expressio, metiremur in illis, quid in re sperare possemus, quoniam, si ad proximos sanguinis scribentis referatur intentio, modicum deuotionis sufficiet, vt eos comparatione præcedas: si tamen comparatio gradum inueniat, vbi vix peruenit positiuus. Quod si ad illos prædecessores intellectū patiaris extendi, qui fide præclari, charitate feruentes, deuotione sinceri, sibi & subditis proficientes, verbo pariter & exemplo Ecclesiam multis libertatum priuilegijs munierunt, multarumque largitionum liberalitate ditarunt, illis si placet in his se magnificentia tua non præferat, sed consideret potius, si affluentia talium illorum metas attingas. Discutiat quæsumus viri prudentis ingenium, si merito titulum tibi multæ deuotionis assumis, dum beneficia matris Ecclesiæ reuocare conaris in dubiū, tanquam si vnius possint inficiatione celari, quæ multorum notio publicat, & singularis assertio reddat ambigua, quæ vniuersalis notitia manifestat. Porro illa ingratitudinis species, qua beneficia percepta negantur, aliquid turbationis consueuit afferre; sed illa maioris doloris habet aculeos, quæ in bono malum præsumitur, & odium in dilectione notatur.

Iactantia Friderici iactantia de collatis a se eccl. beneficijs.
Vt frangatur ab Honorio.

4 Circa tutelam quoque tui, a claræ memoriæ Impe-

Imperatrice Constantia Regina Siciliæ Apostolicæ sedi relictam, a beneficiorum gratia excipis, si tutelæ sit debito satisfactum, eoquod fas inducebat, vt fieret, & nefas si deficeret, notaretur. Verum cum nullus necessitatis articulus tunc vrgerer Ecclesiam, vt in te, qui eras omni suffragio destitutus, onus non leue susciperet tutelæ, susceptio, quæ a gratia sumpsit exordium, habere te debuit de prosecutionis debito non ingratum, saltem vt tutrici notam, non solùm suspectæ, sed etiam fraudulentæ administrationis non niteteris impingere, dicens quod Ecclesia nomine defensorum hostes immiserat Apuliæ. Habebat præterea diffamationis adiectio, quod quem nutrix Ecclesia debuit promouere, deiecit, erigena in paterna sede hominem alienum, qui non contentus Imperio ad regnum nihilominus aspirauit. Et quidem non id hactenus habuit tua confessio, non id vsque nunc côtinebat tuarum series literarum quibus post Deum totum ascribebas matris Ecclesiæ studio, totum attribuebas einsdem nutricis laboribus quicquid eras, & etiam quod viuebas (plures hac de re ipsius Friderici literas supra retulimus) Vnde igitur istis tam contraria, tam nouella processit opinio? Vnde præsumptio tam aduersa, tam repentina prorupit? Si enim frequens missio literarum comitem conscientiam mittentis habebat, cum nulla subsecuta sit causa nouæ scientiæ, neque scientia nouæ causæ, cur calumniose impingitur, quod euidentia facti repudiat? cur sub quodam innolucro duplicitatis insertur, quod veritatis simplicitas non admittit? Quod si scripta præmissa destituta erant credulitate scribentis, tua circumspectio colligat, quæ de istis illatio subsequatur. Sunt ne ista subsidia, quæ promittebas Ecclesiæ, si necessitas immineret? Est hic retributionis affectus, quem offerebas, si grauamen occurreret? Non id mater expectauit a filio, non id nutrix sperare debuit a pupillo. Ha Deus, quæ in tali filio alijs spei reliquiæ relinquuntur, si mater tam diligens desperare cogatur? Ha Deus, quæ de tali pupillo fragmenta fauoris cæteri colligent, si nutrix tam vtilis iaculis detractionis impetitur? Ha Deus, quot & quantos labores amisit Ecclesia, si palmes, quem multo sudore plantauit, & coluit, in amaritudinem vitis conuertitur alienæ, cum sit minoris dispendij nullos fructus producere, quam nociuos. Oh, quam vberes lacrymas, quàm amaras felicis recordationis prædecessor noster Innocentius pro te fudit! Oh, quanta solicitudine laborauit, vt te a nocentium eriperet manibus, insidiantium laqueis liberaret, & quasi de mortis faucibus extorqueret! Ecce quid retributionis eidem imperialis liberalitas afferat; ecce quid regalis magnificentia recompenset, dum pupilli vitæ insidiator occultus dicitur, & bonorum tacitus spoliator. Recogita, recogita fili charissime, ac infra claustra pectoris frequenti meditatione reuolue, quàm paruum, quàmque depressum te ille summus Pontifex post obitum matris accepit, & quàm grandem, quàmque promotum in sua morte reliquit.

Aliæ Friderici querelæ aduersus Innocentium III.

Refutantur cũ exprobratione iusta.

5 Porro, vt credimus, tenellæ infantiæ nondum finem attigeras, cum impius Mercualdus tui nominis detractor, perfidus, auidusque tuorum inuasor regni Siciliæ metas aggressus, vltraque manus inuasionis extendens, montem Casinum obsedit, & insultibus multis impetijt, exercens sui robur exercitus ad speratum exterminium captionis. Sed in hoc Ecclesiæ solicitudo non defuit, quæ per duos Cardinales cum multis militibus, & expensis non modicis, efficacem manum auxilij porrexit obsessis, vires inuasoris debilitans, & conatus obsidentis elidens. Cumque obsidionis exitus exultantis non responderet affectui, & prorogata spe defensionis ad alios resistendi animum resumerent conuicini, se iniquus ille in Siciliam transtulit, vt ibi, si de persona Regia desiderij sui finem attingeret, ad regni fastigium sine difficultatis obstaculo perueniret. Sed nec ibi protectionis solitæ dexteram subtraxit Ecclesia, mittens illuc bonæ memoriæ C.... tit. S. Laurentij presbyterum Card. nobili viro comite Iacobo consobrino prædicti prædecessoris nostri multis associato militibus, in tui subsidium nihilominus destinato. Alius etiam Cardinalis tibi postmodum extitit deputatus, qui tuis vtilitatibus non remissus, ibi diem clausit extremum, consequenter alio substituto, vt solicitudinis debitæ plenitudo circa tuæ personæ custodiam non deesset.

6 Interea Diopuldi malitia, longe lateque diffusa, sic se per partes Apuliæ, ac terræ laboris extenderat, tantumque receperat incrementi, quod obtenta de P.... quondam comite Celan. victoria, pro maiori fere parte homines regionis suo applicabat arbitrio, suoque dominio addicebat in aliquos sicut poterant resistentes, eo crudelius debacchando, quo minus de paucorum, & humilium timebat repagulo, qui de multorum, & sublimium viribus triumpharat. Cumque in partibus illis non haberet Ecclesia quem erigeret contra illum, multosque sumptus amiserit in hominibus regionis, quæ pro te iam fecit expensas multorum millium vnciarum, recepto ad opus tui a G.... comite quondam Brenensi fidelitatis publice iuramento, ipsum misit in regnum, vt per eum elati constingeret cornua inimici. Nunquid hoc fuit commissum perdere puerum? Nunquid hoc fuit creditum spoliare pupillum? De throno Dei sententia prodeat, & virtus altissimi rectum iudicium operetur, si aduersus Ecclesiam tuam excellentiam decuit talia credere, si debuit ex his concepta credulitas in partum prodire huiusmodi, vt verbis, & scriptis exposita in publico compareret. Sed forsan hoc diuina prouidentia voluit, vt habeatur in posterum cautela securior ex prouiso.

7 Circa hominem siquidem alienum, quem in sede patris tui, si tamen patris sedes dici debeat, quæ non successionis, sed electionis iure defertur, erectum fuisse prædixeras, tua prudenter aduersus Ecclesiam substitisset inuectio, eò quòd veritas negata de publicis minus relinquit fidei de occultis. Nullum enim angulum latet Imperij, quod Imperatore Henrico defuncto, quidam olim Philippo quondam duci Sueuiæ, ac Othoni postmodum Imperatori diuisis voluntatibus adhæserunt. Et licet idem Philippus nomen tuum primò prætenderit, ad se postea conuertit negotium, sic illum succedentibus prosperis suis vtilitatibus applicans, quòd non iam de iure dubitabat Imperij, sed spem ad occupationem regni Siciliæ prorogabat L.... quondam Vvormaciensem episcopum ad hoc mittens. In his etiam tuo subsidio Apostolicæ sedis prouidentia non defecit, sic illi per memoratum C... Cardinalem & nonnullos vassallos Ecclesiæ resistens in Marchia, quod conatus contriuit aduersos, & interdictus est hostibus etiam ad primos regni fines accessus. Philippo tandem sublato de medio, Othoni, quem omnium principum roborata consensibus præsentabat electio, nec expediuit, nec licuit diadema Imperij denegari, qui procul dubio, vt scripsisti, subito factus ingratus, tergum non faciem vertit Ecclesiæ, immemor receptorum. Sed quamuis eam multis prouocarit offensis, dissimulabat illas vtcunque misericordis Ecclesiæ patientia consueta. Sed postquam ad tuam prorupit iniuriam, in te quasi in pupilla oculi tactum contrarium ferre non potuit, multas vias excogitans, quibus pleno remedio suo posset subuenire minori. O quàm proximus eras periculis! O quàm paratus ad casum! Quapropter inuocauit Ecclesia illius auxilium, qui superbis resistit, & dat humilibus gratiam; qui imperat mari & ventis, & cessat tempestas; qui deponit potentes de sede,

Friderici querelis de erecto ad Imperiũ Othone respondetur.

ac

ac ponit humiles in sublimi. Inuocauit etiam principum corda fidelium, pusillos & magnos solicitãs, vt ei ad tui releuationem collapsi manum porrigerent adiutricem. Obstitit tandem diuina potentia ingrati conatibus, faciens in te cum Ecclesia signum in bonum, vt elato cadente tu surgeres, & potente debilitato tu posses. Arguit enim illum sua malitia, suaque auersio increpauit, quoniam iusto Dei iudicio propria perdidit, qui auarè cupiuerat aliena: & tu, cui regni tui vix extrema remanserant, illius omnino Imperium obtineres. Hæc vtique salutia remedia cum auxilio principum, diuinæ prouidentiæ virtute præambula tibi prouidit mater Ecclesia, talia beneficia pueto contulit & adulto. Quid vltra tibi facere potuit, & non fecit, de contingentibus nil omittens, & ea etiam, ad quæ non tenebatur, adijciens? Miramur autem, quòd in his tuos labores commemoras, dicens te dubij casus facta securum, qui vocatus ad certa, laborantibus alijs, in labores alterius introisti, metens quæ non seminasti, & colligens proculdubio quæ non sparsisti.

8 Denique defuncti fatigata persona nostram tua non præteriuit inuectio, minus diligentèr considerans, quod nos, qui prædecessori prædicto, quo ad vtilitates tuas affectione plenaria succedentes, ad tui consummationem honoris patenter astitimus & potẽter, nostro in multis detraximus, vt tuo adijceremus honori, facti quodãmodo famæ nostræ prodigi, tuæ parci. Sed pro istis, & alijs hac nobis retributione respondes, quia dicis ius Regibus Siciliæ in electionibus prælatorum, sicut asseris, debitum ex antiquo nostris constitutionibus minorari. Verum si scripta tua, & genitricis tuæ manu solicitudinis reuoluisses, si sanctorum etiam patrum constitutiones aduerteres, non culpares Ecclesiam circa defensionem ecclesiasticæ libertatis, cum non debeat de prosecutione mordere iustitiæ, qui cõtendere nititur de abusu. Asseris insuper nos, prẹter formã cõmuniter requisitam, te inconsulto, quibusdam ecclesijs regni vacantibus præfecisse personas. Sed quæ sit illa forma nescimus, quæ procerto nimis esset informis, per quam Apostolicæ sedis iudicium ex tuæ voluntatis arbitrio dependeret. Non tamen intendimus promouere suspectos, dummodo nõ vltra notam suspicionis extendas, quam rationis tramites patiantur.] & infra, vbi obiecit ab ipso Tarentinum archiep. Catanensem & Cephalud. episcopos improbe pœnis varijs affectos. addit: Quia vero Dei causæ deesse non possumus, nec debemus, super omnibus istis, & alijs contingentibus ecclesiasticam libertatem sic, diuina suffulti potentia, debitum nostri prosequemur officij, quod Deo pro posse satisfacientes, & homini, in hoc geremus viriliter negotium nostræ salutis & tuæ, cum deferre homini cõtra Deum, præsertim in talibus, sit nocere; ac parcere, sit sæuire; manus enim mulierum misericordium filios decoxerunt, sed habeat vera dilectio plagas suas, quæ dulciores fiunt, cum amarius inferuntur.

9 Adiecisti præterea, quod post reditum tuum in regnum Siciliæ, redintegraris viribus tuis pro tẽporum varietate dispersis, exclusis rebellibus, Ecclesia contra matris officium suspectos filij receptauit. Et quidem de virium redintegratione gaudemus: & vtinam redintegrantis affectio sic debitis fuisset contenta limitibus, quod a iustitia recuperationis in suis, in alienis ad vsurpationis iniuriam non transisset, quia præter id quod in die nouissimo districti Iudicis vltione reddetur, consummari felicibus substantia nõ consueuit euentibus, augumentis non aggregata legitima, quinimmo grandis aceruus inficitur partis adiectione corruptæ. Super exclusis responso supersedere possemus, nisi alicuius iudicio crederemur retardatum silentium repetitam iustificare querelam. Sed vt videmus, quod hactenus respondẽtis dissimulatio distulit, nunc extorquet instantia conquerentis. A memoria quoque tua excidisse non credimus, quod comiti Thomasio, Raynaldo de Auersa, & fautoribus eorundem, antequam castra, quæ viribus obtinere nequiueras, resignarent, inter alia, quæ publica & autentica sunt conuentione notata, venit expressius personarum securitas in promissum; & vt id robur firmitatis haberet, nos & vniuersos fratres nostros rogasti per nuncios, & literas speciales, in testimonium reseruatas, vt Rom. Ecclesia superfecure ac confidenter reciperet, quod inuiolabiliter promissa prædictis attenderes, & plenarie conseruares: sed vtrum verbis facta responderint, fidesque promissis, plusquam deceat sedis Apostolicæ, ac excellentiæ Imperialis honorem; afflictionibus publicis, & pœnis manifestis exponunt nonnulli de fautoribus comitis memorati, quorum multos post speratam de securitate fiduciam dedisti exilio, & quosdam ignominiosa morte damnasti; proinde possumus non immeritò formidare, ne nostra patientia in prædictis veræ patientiæ nomen amiserit, & effectum. Quare non credas id obliuioni esse relictum, licet sit hactenus dissimulatione suspensum; sed quod in similibus inferiores pro te promittere debeant, de specula poterunt eminenti recipere speculum & exemplar. In quo quantum auctoritati sedis Apostolicæ sit detractum, quæ ipsos ad precum tuarum instantiam sub sua securitate recepit, satis intelligunt qui rem sciunt.

10 De comite vero Matthæo, quem apud te in subtractione suorum Terræ sanctæ seruitium, crucis & Crucifixi reuerentia non defendit, comiteque Rogerio quondam capto, vt nosti, & postmodum liberato, vt scimus, nec non & quibusdam alijs, qui ad vrbem, & loca confinia a persequentis facie confugerunt, conquiescat de cætero conquestio principis excellentis, ne siccam stipulam persequi, & contra folium, quod a vento rapitur, suam monstrare potentiam videatur. Hæc quippe a Iulij Cæsaris gestis non elicis, qui Domitium pœnæ auidum, & veniæ contemptorem vitæ seruauit inuitum, & Metellum se gladijs offerentem irati tanti principis reputauit indignum. Certe in Israelitico populo ciuitates erant refugij, & vrbem ad refugium Christianus populus non habebit? Dauid recursus erat oppressis, & summus Pontifex Dauid magni vicarius auertet faciem ab afflictis? & vtique non, cum nulla molestia tibi per illos inferatur & tuis, nisi velis id duntaxat ferre moleste quod viuunt.

11 Ad hæc de viro egregio socero tuo, si ad nostram peruenisset notitiam, quod de ijs, quæ tibi facere debuit, omisisset, nostra eum non præteriret monitio, quem tibi desideramus acceptum, & te illi potissime gratiosum. In quo mouet multorum corda miratio, quod cum consueuerint alij crescere ex affinitate maiorum, iste non sine multorum scandalo, non sine Terræ sanctæ dispendio, non sine tui nominis læsione decreuisse videtur.] Discordiæ inter Ioannem Regem Hierosolymitanum ac Fridericum exortæ meminit Richardus, cuius causam Iordanus indicat his verbis: *Desponsata puella*, Isabella scilicet, *Imperator patrem requisiuit, vt regna & regalia iura resignet, stupefactus ille obedit.* nec mirum, vt qui a genero eam iniuriam non expectarat, ac reliqua vita dotali vxoris regno potiturum sperabat, nec fugæ locus erat, vt ex angustijs, in quas se coniecerat, explicaret: aiunt vero nonnulli vitæ discrimen vnà cum Gualterio nepote ex altero Gualterio & Tancredi filia prognato adijsse, cum Fridericus conflatam in se ab ijs coniurationem suspicatus esset. addit Iordanus Ioannem regno Hierosolymitano exutum in Gallias se contulisse. Indignum huiusmodi in Ioannem facinus his verbis Friderico ex-

Exprobratur Friderico Ioan. regno exutio.

Rich. e S. Germ. chr. Iord. M.S. bib. Vat.

pro-

probrare pergit Honorius: Et quidem his similia magnificorum principum gesta non continent, sublimium mores ignorant, liberalium largitas non acceptat. Non sic illius Terræ procuratur vtilitas, non sic ad eius subsidium bellatores strenui aduocantur. Super quo tibi onera grauia, & importabilia nos asseris alligare, quæ digito nostro mouere nolimus; non attendens quod iam pluribus annis elapsis vltro te istis oneribus subiecisti, spontaneus in Theutonia signum crucis assumens; non attendens, quod Crucifixi gerendo negotium, onus non leue tulit Ecclesia in ecclesiasticorum decimatione prouentuum; non attendens quod per fratres nostros & alios prædicatores multi potentes & nobiles, magni & parui se crucis obsequio deuouerunt.

12 Pro mercatoribus autem Romanis excellentiæ tuæ frequenter scripsisse meminimus, sicut dicis: sed cum per hoc ius suum non assequantur, vt asserunt, non debet illis in sua iustitia ecclesiastica censura deesse. De vassallis quoque patrimonij, de quibus prout placuit rescripsisti, quod iuris imperialis excellentiæ competat, tuorũ, & prædecessoris tui priuilegiorum inspectio protestatur. Quod si præter debitum a nobis in illis aliud pro Terræ sanctæ subsidio petijsses, sicut decuerat, formata petitio ad exauditionis gratiam introisset. Prouideas tamen, vt aduocatiæ vocabulum, frequenter tuis literis repetitum, tua, si placet, non protrahat interpretatio in abusum, quoniam cum aduocatus Ecclesiæ idem intelligi debeat, quod defensor, si defensoris omittis effectum, nomen improprie retines aduocati. Quod satis in Arcuata, & castris alijs quorundam nostrorum fidelium ostendisse videris, quæ detines contra iustitiam occupata, post illatam violentiam, post commodum possessionis adeptum, factus de peruasore possessor, offers conquerentibus te ius in tua curia redditurum. Super quo si qua noua iura sint condita, in publicum prodeant, cum id non patiantur antiqua.

Obiurgatur Ecclesiæ iura inuadere meditatũ.

13 Quia vero non est abbreuiata manus Domini, vt non possit sublimitatem incuruare hominum, & altitudinem humiliare virorum, nunc cum felicium tuis votis successuum splendor illuxerit, in sereno humilitatem non deseras, quam in nubilo prætendebas. Speramus itaque quod viri tam discreti memoriam, nunquam sic ad examinationem deducet obliuio, vt omnino in vitium ingratitudinis incidat, quod reprehendit in æmulo, & culpam, quam damnat in hoste, committat. Non ergo seducant te prospera, quem instruxisse debuerunt aduersa, cum fuerit Pharaonis pincerna notatus, eo quod succedentibus prosperis sui est oblitus interpretis; & lex nobilitatis id habeat, vt nobilium mentes excelsa non eleuent, & infima non demittant. Quapropter, fili charissime, probatis Apostolicæ sedis affectibus, nullius suggestio te subducat, quæ nisi obstaculum nimiæ indeuotionis impediat, a te dexteram beneficiorum non subtrahet, & dulcedinis vbera non abscondet, cum non sit verisimile, quod animi feruentis affectum ab illo de facili velit auertere, quem multo labore fouit impuberem, multaque solicitudine promouit adultum. *Dat. Later.*]

Incussa illi minæ.

14 Puduit Fridericum Pontificem optime de se meritum iniuste lacessiuisse, ac veritus ne, si iustas in se Apostolicæ sedis iras concitaret, res suas labefactaret, tumida verba in demissi obsequij officiorumque significationem conuertit. De allatis enim a nobis literis Iocutus Richardus, addit: *Propter quod Imperator, vt ipsius placaret animum, rescribit humiliter in omni subiectione.* At quamuis ab Spoletanis adiecto pœnarum terrore tamquam Imperij clientibus ad sua signa euocandis compellendisque destiterit, hæsit tamen in animo infixus iustæ obiurgationis dolor eoque non dissentiente ipsius satelles Tancredus de Campelio facinorosorum manu, quam a Bertoldo Friderici duce acceperat, stipatus publicas vias obsedit, plures ex familia Pontificis spoliauit: tum alios ad sedem Apostolicam venientes recedentesque, non sine grauissima Pontificiæ auctoritatis iniuria, cepit, exuit, ac sauciauit. quibus permotus Honorius mox Imperatorem literis a monuit, facinorosos homines, qui ipsius iussu, vt omnium ferebat fama, latrocinia exercebant, coerceret; non enim leuem inde imperiali celsitudini dedecoris labem aspergi.

Frangit arrogantiam Frider.

Officiosis lit. mulcere studet Honoriũ.

Fouet itinerũ grassatores.

a Lib. 10. ep. 134.

Friderico Imperatori.

15 Cum omnibus iniuriam patientibus paterno compatiamur affectu, & grauamina singulorum, prout ad nostrum spectat officium, solicite persequamur, molestias & iacturas, quæ viatoribus, & præsertim venientibus ad sedem Apostolicã, & redeuntibus inferuntur, tanto accuratius prosequi nos oportet, & stratas publicas debita securitate tueri, quanto id ad maiorem vtilitatem totius populi Christiani dignoscitur redundare, ac a prædecessoribus nostris factum est hactenus, & a nobis solicitius procuratum. Qui ter in anno, videlicet in die cœnæ Domini, festo Ascensionis, consecratione basilicæ B. Petri solemniter præsente toto populo, qui de diuersis mundi partibus tunc concurrit, omnes violatores stratarum cum suis complicibus excommunicationis vinculo innodemus.

Querelæ Honorij.

16 Sane filius Belial Tancredus de Campelio, hæc sicut conuenit non attendens nuper militum Bertoldi multitudine sociatus, multos tam nostræ familiæ, quam alios venientes, & redeuntes ab Apostolica sede cepit, quos per deuia ducens, & Campelium ire compellens, grauibus affectos iniurijs ad Bertoldum media nocte transmisit, qui præsumptione damnabili omnes ipsorum literas impetratas a nobis inspici faciens, ex eis per officiales suos, non sine graui sedis Apostolicæ iniuria & contemptu, fieri fecit coram cunctis astantibus audientiam generalem. Quod vix est qui ambigat sine tua conniuentia fieri potuisse, maxime cum idem Bertoldus, qui hæc ausu nefario attentare præsumpsit, sit tuus nuntius specialis, & coram astantibus proposuisse dicatur, prædictum Tancredum habere a te contra certas personas violandi stratam licentiam specialem. In quo quantum imperiali celsitudini derogetur, cum inquietos corripere, non fouere, ac maleficos & oppressores innocentum persequi tenearis, nec tu ignoras, nec nos atrox iniuria in hoc Ecclesiæ irrogata patitur ignorare. Cum igitur nihil sit, quo magis tangatur status Ecclesiæ, quam si viatoribus, & peregrinis securitas auferatur, & literarum ipsius violari auctoritas attentetur, serenitatem tuam rogandam duximus & monendam, quatenus tam enormem excessum celeri emendatione corrigere studeas, vt peregrini petendi orationum suffragia, & oppressis postulandi iustitiam alicuius ausu temerario facultas debita non negetur. Alioquin, cum hæc incorrecta relinquere non possimus, cogitabimus qualiter sit ad correctionem tantorum excessuum procedendum.]

17 Patuisse Honorio videtur Fridericus, suosque milites repressisse, ne in se pontificias iras asperaret, cum ad perducenda sua consilia ipsius opera egeret. Versabat ille animo Longobardos opprimere, quos minus sibi obsequentes experiebatur; cumque Rauennæ, vbi dominicæ resurrectionis festum transegit, cum amicis colloquia habuisset, vt Longobardos blandissimis verbis ad suum obsequium pelliceret, nec res e sententia succederet, ad eos qua vi, qua artibus opprimendos se conuertit. Celebranda erant publica comitia, vt in ijs de cogendis ad Hierosolymitanam expeditionem, quam promouebat Pontifex viribus stipendijsque, agitaretur, pulcherrimaque

Friderici artes.

Monach. Pat. chro. lib. 1.

Henr. filiũ e Germ. Cremonã euocat.

visa

visa est occasio euocandi ad ea e Germania cum exercitu filij, vt coniunctis viribus ad sua imperia Longobardos adigeret, armisque frangeret, si sponte non flecterentur: nec videbatur ipsos ob religionem Hierosolymitanæ rei, de qua instauranda deliberãdum erat, filium aditu prohibituros. Compositis igitur ita rebus suis Rauenna mouisse, quò venienti filio in Longobardia occurreret, Richardus ait, ac Friderici iter ita describit:

Rich. vbi sup.

18. *A Rauenna discedens exinde Fauentiam, quæ sibi aduersa erat, iter habens apud castrum S. Ioannis in territorio Bononiensi posuit castra sua, ipsum parte sui exercitus per ciuitatem Bononiæ praeunte. Exinde vero se Imolam contulit, vbi tamdiu moram fecit, donec sicut prius fuerat, eam fecit aggeribus communiri, & procedens inde versus Parmam dirigit iter suum.* Sed conceptæ subijciendæ Longobardiæ spes Fridericum fefellerunt, subdit enim auctor Henricum Regem numeroso succinctum exercitu Veronam vsque progressum esse; sed Longobardos contractis validissimis copijs obuiam factos, iter, ne penetraret Longobardiã, abrupisse. Vt elusas artes Fridericus, seque potiundæ Longobardiæ spe deiectũ vidit, in grauissimas aduersus perduelles iras prorupit, atque in literis sæpius vt grauissimum crimen Longobardis obiecit, venientem ad patris amplexus filium arcuisse.

Henricus a fœderatis Verona propulsatur.

19 Propulsato itaque Henrico Verona, cuius tyrannidem, eiecto Richardo comite, arripuisse anno superiore Ecelinum Patauinus monachus scribit, Fridericus Cremonam se contulit, ibique colloquium ad emolliendos blandis pollicitationibus fœderatorum animos habuisse ait idem auctor, Mediolanenses eius verba aspernatos esse; immo tunc magis exasperatos populos mutuo inter se fœdere ad tuẽdam libertatem coijsse addit Richardus e S.Germano, ipsisq; Imperatorem bellum indixisse refert: *Imperator Cremonam vadit, ibique diebus paucis faciens moram, cum se ciuitas Veronensis cum Mediolano & alijs subscriptis ciuitatibus ipsi Imperatori contrarijs confœderasset, ad burgum S. Domnini se contulit; ibique sibi coadsistentibus quibusdam prælatis & principibus Alemanniæ, & proceribus regni sui contra ciuitates istas sibi contrarias, videlicet Mediolanum, Veronam, Placentiam, Vercellum, Laudam, Alexandriam, Teruisium, Paduam, Vicentiam, Tauriam, Nouariam, Mantuam, Brixiam, Bononiam & Fauentiam diffidationis promulgauit edictum, quod cæteris sibi fauentibus ciuitatibus præcipit obseruari.* Subiungit auctor ea discordia in bellum apertum versa, Henricum in Germaniam regredi coactum, Tridẽtinam vrbem sibi obsistentem flammis deleuisse: Fridericum vero ad comparandas maiores copias redijsse.

Chron. l. 1. an. 1225. Discordia in bellum vertitur. Ibidem an.

Quæ vrbes aduersus Imp. coierint.

20 Attulit eius belli fama grauissimum dolorem Honorio, qui omni opera ac studio contendebat, vt Christianorum arma ad recuperandas Hierosolymas defendendamq; religionẽ contra Machometis superstitionem verterentur: moxque legatorum opera ac literis Longobardos & Fridericum ad conciliandam pacem vrgere cœpit, nec se difficilem illi admittendæ Fridericus præbuit: datis enim Fogiæ literis, quibus de accepta a Longobardis iniuria, vtque illi celebrandum de adornanda Asiatica expeditione conuentum discussissent, grauissime conquestus, subiunxit se pro eo, quo teneri se aiebat, soluendi voti ac vindicandarum Christi iniuriarum desiderio suas obliuioni tradere, remque totam Pontificis & Cardinalium arbitrio committere.

Honorij ad conciliandam inter eos pacem studia.

21 *Sanctissimo in Christo patri domino Honorio Dei gratia sacrosanctæ Rom. Ecclesiæ summo Pontifici, Fredericus eadem gratia Romanorum Imperator semper Aug. Hierusalem, & Siciliæ Rex, salutem, & reuerentiam, tam debitam, quam deuotam.*

Querulæ Frid. de accepta iniuria ad Honor. lit.

Qualiter nobis pridem euntibus in Lombardiam pro curia celebranda Cremonæ specialiter pro negotio Terræ sanctæ, quidam Lombardi coniurationis illicitæ, videlicet Mediolani, Placentiæ, Laudæ, Vercellis, Brixiæ, Mantuæ, Veronæ, Teruisij, Paduæ, Vicentiæ, Bononiæ, & Fauentiæ ciuitatum, & ij qui tempore illo, quo apud Mercariam per venerabilem patrem Portuen. & S. Rufinæ episcopum, tunc Apostolicæ sedis legatum, Verner. Tyren. & .. Mediolanen. archiepiscopos, & Brixien. & Mantuan. episcopos, & alios quamplures prælatos H.. venerabilem magistrum domus S. Mariæ Theutonicorum in Hierusalem, & Alatrinum capellanum vestrum, concordia inter nos, & ipsos fuerat ordinata, & per ipsos vnanimiter acceptata, coniurauerint cum eisdem, tam salubri negotio se temere opponentes, nobis & Imperio graues intulerint iniurias, & enormes, Regi filio nostro, & principibus alijs ad eandem curiam conuocatis, nequiter interdicentes accessum, beatitudinem vestram credimus bene scire. Scit etiam omnium cognitor secretorum, quod postpositis omnibus ad eius seruitium intendentes ad eam appropinquante termino celebrandam iueramus in spiritu dilectionis & gratiæ circa omnes, nec habebamus animum aliquem offendendi, nec conceperamus aliquod odium contra aliquos, propter quod oporteret de vobis merito dubitare, licet quidam de partibus illis nos, & Imperium grauiter offendissent, quorum offensas nolebamus taliter vindicare, sicut Imperij nostri dignitas exigebat, & ostendebamus etiam in affectu; immo pro reuerentia Saluatoris, cuius negotium intendebamus efficaciter procurare, volebamus inde benigne agere cum eisdem, & talia facere, quæ nullatenus fecissemus, nisi causa tam sancta, immo sanctissima nos vrgeret. Sed statim quod iuimus, pro pace scandalum, & pro benignitate malitiam adeo in eis inuenimus, quod nequaquam niteremur benigne circa ipsos agere, non potuimus eos ab iniquo proposito reuocare. Sicque factum est, quod eorum nequitia perdurante, tam celebris curia pro re tam digna, immo dignissima constituta debitum non potuit habere processum: In quo quantum ipse Deus, cuius negotium agebatur, grauiter sit offensus, quantum honori S. Romanæ Ecclesiæ, nec non & nostro, & Imperij fuerit derogatum, vestra sanctitas aduertere poterit diligenter.

Fallacia illius verba.

22 *Sane, beatissime pater, licet potuissemus hactenus, & possimus tantas, & tales iniurias vindicare, quia tamen negotium redemptionis, quod nostris duximus humeris applicandum, postponere nolumus, nec debemus, & ad executionem ipsius ardenti desiderio aspiramus, eiusdem insuper sequentes exemplum, qui mortem pro nobis recipiens temporalem, suas sustinuit iniurias patienter; quia etiam de benignitate vestra pleniorem fiduciam obtinemus, huiusmodi causam inter nos & Lombardos prædictos ordinationi, dispositioni, & voluntati vestræ ac fratrum vestrorum venerabilium Cardinalium duximus libere committendam, scientes nos ratum habituros, & firmum, quicquid prouidentia vestra decreuerit exinde faciendum. Dat. Asculi vigesimo nono augusti quartadecima ind.*

Decidendæ controuersiæ arbitrũ Honorium constituit.

23 Hactenus Fridericus, qui Pontificis opera ac religionis metu ad ipsius obsequium Longobardos adductum iri sperabat, quos armorum terrore non perculisset. Verum Honorius, quanquam omnem operam ad concordiam adducendam collocabat, graue tamen onus suscepturum putauit, si arbitri partes ad dirimendam controuersiam admitteret: atque etiam verebatur, ne postea Fridericus, quæ ab ipso statuerentur, infringeret temeraretue; Quam iustam suspicionẽ Imperator repetitis literis a amouere studuit, precibusque impulit, vt relictam ipsius arbitrio causam decideret.

Recusanti illud munus Honoriũ vrget admittere.

a Ext. in reg. Hon. l. 11. ep. 436.

Sanctissimo patri domino Honorio &c.

Ea de re posteriores lit.

Placuit beatitudini vestræ super reconciliatione Lombardorum, mediante vestra prouidentia, facienda per venerabilem Tyren. archiepiscopum regni Hierosoly-

mitani cancellarium, & fratrem Hermannum magistrum domus hospitalis Theutonicorum dilectos familiares, & fideles nostros nouiter respondere nobis, videlicet quod visum erat apostolatui vestro, & vestris fratribus vniuersis imposuisse nos importabile onus vobis, et quod ita recipiebatis super vos, & sacrosanctam Rom. Ecclesiam specialiter factum istud. Et quoniam dubium videri posset aliquibus, vt quod modo promittimus, processu temporis forsitan irritare vellemus, testimonium super hoc inuocamus illum, qui rimatur secreta cordium, qui nouit omnia, antequam fiant, quod in fidei puritate hoc facimus, & istud vobis commisimus in vera rectitudine cordis nostri. Et cum circa honorem nostrum sancta mater Ecclesia solicita semper fuerit, sicut nouimus, tanto nobis debet esse nunc efficax in hoc facto, quanto specialius videmur id facere propter Deum.

24 *Vnde sicut iam fecimus, & literæ nostræ protestantur, quas misimus, iterato vobis cum omni fiducia committimus factum istud; beatitudinem vestram, de qua fiduciam specialem habemus, attente rogantes, quatenus super facto ipso, quod iam vtiliter assumpsistis, firmiter & securiter procedentes cum Deo, illud inde facere, statuere, ac ordinare velitis, quod ad honorem Dei, & sanctæ Rom. Ecclesiæ, Imperij, atque nostrum valeat redundare, & seruitium Terræ sanctæ, quod teste Deo, ex nimia deuotione, & affectione cordis diligenter præponimus omnibus factis nostris, & in iniuriam Christi, & Christiani nominis ignominiam, propter hoc nequeat impediri; quoniam, quidquid statueritis de reconciliatione prædicta, ratum & gratum habebimus, & iuxta prouidentiam & ordinationem vestram, confirmationis literas & scripta exinde faciemus; ita vt nunquam pia mater Ecclesia assumpsisse super se pœniteat onus istud, sed pro nobis potius, tanquam pro speciali filio, si necesse fuerit, maiora facere teneatur. Si vero, vbi humiliando nos propter Deum, arbitrio, & voluntati, ac ordinationi vestræ commisimus factum istud, Lombardi forsitan, quod non credimus, ordinationi vestræ parere noluerint, suppliciter rogamus & petimus, vt Deum, & patientiam nostram habentes præ oculis, quod vestrum est exinde facere debeatis. Cæterum quidquid super hoc, & alijs prædictus Tyrensis regni Hierosolymitani cancellarius, & L.... Reginus archiepiscopus, ac memoratus magister, dilecti familiares, & fideles nostri exponent vobis oretenus ex parte nostra, illam fiduciam verbis, & dictis eorum adhibeatis, si placet, ita eis firmiter et securè credatis, tanquam si prolata hæc ab ore nostro personaliter audiretis. Dat. Fogiæ XVII. die men. XV. indict.*

Consentiunt Longob. reddi ab Ap. sede definiri a Ibid. ep. 437. 438. 439.

25 Permisere etiam Pontificis arbitrio sua Longobardi iura, atque ob id fœderatæ vrbes procuratores instituere, vt componendæ cum Imperatore concordiæ auctoritatem summam illi conferrent, quæ de re publicæ tabulæ editæ in regesto a pontificio inseruntur, demumque mitigatis ita animis conciliata ab Apostolica sede concordia est, dictis Longobardis ijs legibus, quas Richardus affert, vt quadringentos egregie instructos milites Friderico in Terram sanctam profecturo proprijs stipendijs sustentandos submitterent, Imperator verò omnem iniuriam ijs donaret. Quæ verò Richardus breuiter perstrinxit, ea Pontifex illius concordiæ auctor, & arbiter exactius describit in suis literis, quas Longobardorum præfectis ineunte anno sequenti transmisit: tum etiam causas affert, quibus ad mouendum in eos bellum fuisse concitatum Fridericus præ se ferebat, nimirum hæreticam labem apud eos ingrauescere, quæ quidem quantum Brixiæ inualuisset, iam ante diximus; opprimi ecclesiasticos, Terræ sanctæ expeditioni aduersatos, atque ob coitiones, quas inter se iunxerant, pœnas a facinorosis repeti non posse. Verum hæc ad pompam a Friderico iactata, ac non pietatis, sed augendæ potentiæ studio ipsos subigere meditatum postea patuit. Ad ea porro tollen-

Concordia firmata ab Hon.

da mala, vertendamque in crucis hostem ferri, quod in mutuas cædes stringere cœperant, aciem, hæc Pontifex sanxit a, quæ in hunc annum conijcimus, ne eadem postea repetere cogeremur. a Lib. 11. ep. 410.

26 *Rectoribus societatis Lombardiæ, Marchiæ, et Romaniolæ.*

Eius locum, licet immeriti, obtinentes in terris, qui pax nostra fecit vtraque vnum, duos parietes venientes e diuerso coniungens in seipso lapide angulari, nascentibus debemus obuiare discordijs, & intendere solicite, ac diligenter ad ea, quæ sunt concordiæ, vnitatis, & pacis. Cum ergo nuper inter charissimum in Christo filium nostrum Fridericum Romanorum Imperatorem semper Aug. & Regem Siciliæ, atque vos discordia orta esset; nos attendentes, quod res, nisi obsisteretur principijs, videbatur altius progressura, & præter difficultates alias allatura impedimentum negotio Terræ sanctæ, pro quo est tanto tempore laboratum, dignum duximus interponere partes nostras, & igne huiusmodi, antequam vires assumpsisset, extincto, grauibus obuiare periculis, quæ quidem ex hoc, nisi tempestiue occurreretur, poterant euenire. Ipso igitur Imperatore, ac vobis totum ipsum negotium in nostra, & fratrum nostrorum prouidentia, & dispositione, libere ac absolute ponentibus, idque declarantibus per literas, & publica instrumenta, necnon per solemnes procuratores & nuncios, propter hoc ab vtraque parte ad nostram præsentiam destinatos, cum inter cætera fuisset ex parte ipsius Imperatoris propositum, quod impediente societate vestra, nequiuerat iuxta propositum suum procedere contra prauitatem hæreticam, quæ partes illas dicitur grauiter infecisse, ac releuare libertatem ecclesiasticam, quæ ibidem multipliciter asserebatur oppressa, nec procurare subsidium Terræ sanctæ, propter quod specialiter ad partes ipsas duxerat accedendum, quodque captiui sibi contra ius, & honorem Imperij fuerant denegati;

Honorij in re decidenda sententia.

Quas causas fuisse in Longob. expedit. prætenderit Frid.

27 Nos his, & alijs, quæ fuerunt hinc inde proposita, plenius intellectis, de prouidentia sic duximus statuendum, vt videlicet ipse Imperator pro reuerentia Iesu Christi, & negotio Terræ sanctæ suo, & filij sui, ac Imperij nomine ijs, qui sunt de societate iam dicta, vniuersaliter singulis, & singulariter vniuersis remittat omnem rancorem, maleuolentiam, iniurias, & offensas; omnia quoque banna, constitutiones, sententias, & ordinamenta, quæ fecit, vel imposuit per se, vel per alium, aliusue pro eo societati vel alicui de societate prædicta, ciuitatibus, locis, & personis de ipsa societate, & quæcunque ex eis, vel ob ea secuta sunt, penitus reuocet, & specialiter constitutionem factam de studio, & studentibus Bononiæ, vniuersos, & singulos, qui occasione alicuius prædictorum læsi videntur, restituens in integrum in omnibus, & per omnia suo statui, atque famæ remittendo infamiam omnem, & pœnam, quæ secutæ sunt ex aliquo prædictorum, ita quod ea quæ medio tempore per eos acta sunt, non obstantibus supradictis, robur obtineant, quod alias debuerant obtinere. Ad hæc ciuitates, loca, & personas de ipsa societate recipiat in suæ gratiæ plenitudinem, & eis faciat firmam pacem, specialiter marchioni Montisferrati, Mediolano, Placentiæ, Vercellis, Bononiæ, Fauentiæ, Alexandriæ, Taurino, Laudæ, Bergamo, Brixiæ, Mantuæ, Veronæ, Paduæ, Vicentiæ, Taruisio, Cremæ, Ferrariæ, & comitibus de Blandrato, alijsque locis, & personis quibuslibet societatis eiusdem. Faciat etiam restitui captiuos, qui sunt capti occasione huius discordiæ, cum bonis eorum, ac alia, quæ occasione ipsius discordiæ capta sunt, vel detenta. Insuper quoque faciat fieri patentes literas ex parte filij sui, quod pacem, & concordiam istam ratam habebit, & firmam, & remittet illis de societate omnem

Iniuriam remittere iubetur.

Recipere in gratiam coitionis factæ participes.

ran-

rancorem, maleuolentiam, iniurias, & offensas.

Dictæ Longobardis leges. Quadring. milites bié. in bello sacro sub signis Frid. alát.

28 Ij vero qui sunt de societate iam dicta, ad honorem Dei omnipotentis, & Ecclesiæ sanctæ suæ, ac ipsius Imperatoris dent eidem Imperatori pro subsidio Terræ sanctæ in expensis eiusdem societatis per biennium milites quadringentos, ac ciuitatibus, locis, & personis imperiali excellentiæ adhærentibus, tam ecclesiasticis, quam mundanis faciant pacem, & inuiolabiliter seruent, remittentes eis omnem rancorem, maleuolentiam, iniurias, & offensas, ac reuocent omnia banna, constitutiones, sententias, & ordinamenta, quæ fecerunt, vel imposuerunt ciuitatibus, locis, & personis imperiali celsitudini adhærentibus, & quæcunque ex eis secuta sunt vel ob ea. Captiuos, qui occasione huius discordiæ capti sunt cum bonis eorum; & alia quæ occasione ipsius discordiæ capta sunt, vel detenta, restituant; ita quod adhærentes ipsi Imperatori similiter eis faciant, & obseruent. Alij autem captiui secundum ius Imperij restituantur, cum ipse Imperator legatum suum in Lombardiam pro pace reformanda inter discordes duxerit destinandum.

Restituât captiuos.

Edicta Imp. contra hæret. obseruent

Constitutiones vero, leges & statuta, ab Ecclesia Rom. & Romanis Imperatoribus, & specialiter ab ipso Imperatore contra hæreticos, receptatores, defensores, credentes, & fautores eorum hactenus promulgata, vel in posterum promulganda recipiant, & obseruent inuiolabiliter, & efficaciter exequantur; constitutionibus municipalibus editis contra tales nihilominus in suis locis firmiter obseruandis. Potestates autem, consules, & rectores ciuitatum, aliorumque locorum, quocunque nomine censeantur, iurent, quod illas fideliter obseruabunt, idque suos iurare faciant successores, ponentes eas in statutis ciuitatum, aliorumque locorum, illas inde nequaquam in posterum deleturi. Statuta omnia communia, & particularia facta contra ecclesias, & ecclesiasticam libertatem penitus reuocent, de suis constitutionibus deleant, & ea, vel eis similia de cætero non resumant. Lateranensis quoque statuta concilij, & constitutiones a nobis, & leges ab ipso Imperatore super his editas obseruent, & iurent in posterum obseruare, suosque iurare faciant successores.

Contra Ecclesiam statuta edita aboleât.

Quæ sancita a Côc. Lat. recipiant.

29 Porro prædictos quadringentos milites, in eundo, morando, redeundo, sub nostra, & speciali sedis Apostolicæ protectione suscipimus cum omnibus bonis suis. Ijdemque teneantur ire in ipsius Imperatoris passagio, quod ab eo statutum est, & a Romana Ecclesia approbatum: Ideoque vniuersitati vestræ per apostolica scripta mádamus, atque præcipimus, quatenus supradicta omnia pro parte vestra, inconcussa seruetis, ac super hoc nobis, & ipsi Imperatori iuxta tenorem, quem vobis transmittimus, vestras patentes literas, vsque ad proximam dominicam instantis quadragesimæ transmittatis per manum publicam scriptas, & vestri, ac præfati marchionis, & quarumlibet ciuitatum de ipsa societate sigillorum appensione munitas. *Dat. Later. non. ianuar. pontif. nostri anno* xi.] Adiectæ sunt in regesto pontificio literæ certa verborum forma conceptæ, quas Longobardi ad Imperatorem, vicissimque ad ipsos Fridericus, tum illi ad Pontificem transmissuri essent, vt pax firmasi nexuque valido deuinciri posset, quas ne fatigemus lectorem, omittimus.

Ib ep. 443. 444 & post vand. ep.

Contêdit ab Hon. Frid. ne Imperij iura in Prouinc. inuadâtur a Lud. Reg.

30 Vt Imperatoris iura in Longobardia asserere studuit Pontif. ita ne in Prouincia atq; Arelatensi regno quouis pio pretextu inuaderentur, animum adhibuit. Mouerat aduersus impios expeditioné Ludouicus Galliarum Rex, cumq; eo bello Raymundus, qui plura in Prouincia loca fiduciario iure ab Imperio Rom. obtinebat, peteretur, metus Fridericum incessit, ne Galliarum Rex excindendæ hæreseos specie eas vrbes Albigensi labe infectas eriperet Imperio, Galliarumque regno adiungeret, literisque Honorium belli in Albigenses sacri auctorem interpellauit, vt vrbes obnoxiæ Imperio, quæ armis crucesignatorum occupatæ essent, restituerentur sibi, vel legati apostolici fidei committerentur. Cui Pontifex rescripsit humanissime: se nunquam imminui passurum iura Imperij, cuius amplitudinem potius augeri cuperet: datum legato munus, vt quæ ad Imperium spectarent, præsidiario milite munita in fide & clientela Ecclesiæ prælatorum opera contineret, vt postea Imperatori, cum fidei causa confirmata esset, restituerentur.

Honorius, &c.

Lib. 11. ep. 385. Hon. lit. ad Frid. Pollicetur R 6. Imp. iura in Prou. & regno Arel non amissum iri.

31 Tuæ sublimitatis solicitudo non improbe postulauit, vt ciuitates, castra, & alia loca ad Imperium pertinentia in partibus Prouinciæ, ac regni Arelaten. & nominatim ea, quæ quondam Raymundus comes Tolosanus tenuit ab Imperio, tibi, siue ad dilecti filij nostri R... sancti Angeli diaconi Card. A. S. L. siue ad cuiuscunque alterius manus, occasione exercitus sacti, ob extirpandam de partibus illis prauitatem hæreticam, deuenerunt seu adhuc forte deuenient, restitui faceremus. Nouerit itaque tua serenitas, nos qui tua, & Imperij iura minui nolumus, sed augeri, viua voce dixisse Cardinali prædicto, dum esset in nostra præsentia constitutus, ac postmodum eidem literis apostolicis mandauisse, quod volebamus terram illam sic hæretica prauitate purgari, vt iura Imperij seruarentur illæsa.

Loca ad Imp. spectâ in prælat. custodiæ committenda.

32 Licet igitur tua petitio a nostro proposito non discordet, restitutionem tamen huiusmodi prouidemus differendam, donec quæ terræ ad Imperium in partibus illis pertineant, ac totius negotij circumstantiæ nobis per relationem ipsius legati plenius innotescant. Ipsi autem Cardinali ad præsens per scripta nostra mandauimus, vt terras ad ipsum Imperium pertinentes, in sua, & Ecclesiæ potestate retineat, faciendo eas per episcopos, & alios ecclesiarum prælatos cum diligentia custodiri, qui terras easdem saluo iure tuo custodiant, tua in ipsis, & Imperij fidelitate seruata, vt cum ex insinuatione legati iam dicti nobis de prædictis constiterit, iura tua nuntijs, vel ordinatis tuis sine periculo pacis, & fidei restitui faciamus. Imperialis igitur circumspectio dilationem huiusmodi sustineat patienter necessariam negotio pacis, & fidei, quæ cum in partibus illis nunc quasi de nouo plantetur, eradicari posset leuis turbationis impulsu, quod ne accidat, tua debet optare deuotio, & nostræ solicitudinis instantia præcauere, &c. *Dat. Later. x. kal. decemb.*]

Præcep. legato ne principú cath. terras ijs eripiat. *a Ibid. ep. 386* *b Ep. 271.*

33 Extant aliæ eodem argumento literæ ad Romanum S. Angeli diaconum Card. exaratæ a, quibus significauit Friderici petita; tum ipsi præcepit daret operam, ne Imperatoris iura excindendæ hæresis specie inuaderentur b; alijsque literis præceperat Ludouicú hortaretur, vt pia consilia ab omni proprij commodi fæce segregaret; nec regum Aragoniæ, & Angliæ vel Imperatoris in eas terras, quæ ab ijs penderent, affectaret: *Quia tunc Deo accepta sunt humana seruitia, cum ad eius honorem, & laudem principaliter referuntur, discretionem tuam solicitandam duximus, & monendam, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus ipsum Regem, & prælatos, ac magnates alios dicti regni, secundum datam tibi a Deo prudentiam moneas diligenter, vt habentes simplicem oculum in hoc facto, quatenus arbor bona faciat fructus bonos, oblationem obsequij sui non contaminent alicuius admixtione fermenti, sed omni vitio cupiditatis exclusa, sic pure intendant ad extirpationem hæreticæ prauitatis, quod ad occupandum terram catholicorum, ac specialiter ad terram Imperij, vel Regum Angliæ, ac Aragon. sitam in partibus illis manus extendere non præsumant, ne pietatem conuertisse videantur in quæstum, & ad suum retor-*

ſiſſe compendium, quod ob diuinum noſcuntur obſequium incepiſſe, &c.

Vt Lud. Franc. Rex Hon. ſtudio in Albigen. mouerit.

34 Inſederat altiſſime pontificio pectori, vt Albigenſium hæreſim, quæ Innocentij III. diligentia extincta videbatur, ſub ipſius poſtea pontificatu ita recruduerat, vt liberiores furori, atque impietati habenas effudiſſe videretur, omnino eliderct, vt ex dictis annis ſuperioribus illuſtre, & conſpicuum eſt: Quamuis vero extincto ſeniore Raymundo ipſius filius eiuſdem nominis Francorum Regis potentiæ metu perſuſus ad Eccleſiæ gremiũ ſupplex ſe contuliſſet, atque amantiſſime ea lege exceptus fuiſſet, vt hæreticos inſectaretur, ſuaque ditione depelleret, hæreſim tamen impune graſſari patiebatur: quare Romani legati opera Luduuico Francorum Rege ad exuendum comitatu Raymundum excitato, Honorius hoc anno Anglorum Regem, quem non leuis angebat cura fiduciarias terras, quas Raymundus ab ipſo obtinebat, a Francorum Rege ob hæreſeos labem occupatum iri, atque adeo ad ineundum cum hæreticis fœdus imminentemque hoſtem, a quo iam multis vrbibus fuiſſet ſpoliatus, laceſſendum propendebat, literis grauiſſimis monuit, ne Francorum Regem in Albigenſi bello occupatum laceſſeret, Raymundoue vlla auxilia ſubmitteret[1].

Pont. Henrico vetat ne Lud. bello Albig. occupatum laceſſat.

Arguit inducias cũ ipſo non contraxiſſe.

35 *Cum ſit ſemper conſultius ante occurrere, quam remedium poſt cauſam quærere vulneratam; ſi nobis hoc in tuo facto diligentius attendentibus efficacius intendiſſent nuncij tui, & noſtris acquieuiſſent conſilijs ſuper treugarum fœdere ineundo, a te his temporibus cum Ludouico Rege Francorum, & olim cum claræ memoriæ Philippo patre ſuo, in difficultatem, quæ tibi nunc imminet, minime deueniſſes. Denique diu expectantes expectauimus legatos, & nuncios ad eliminandam hæreſim de terra Albigenſium deſtinatos, vt nobilis vir R... filius quondam comitis Toloſani, ſi vir erat, ſicut promittebat, catholicus, terram prædictam, quæ ſpinas & tribulos, tanquam reproba germinabat, mundaret ab hæretica prauitate, cum non ſolum vicinas partes infecerit, verum etiam iniquitatis ſuæ virus effuderit ad remotas. Sed in aliquo non profecimus, licet non paruo tempore fuerit laboratum. Quare cum ſtatutum fuerit in generali concilio, vt ſi dominus temporalis requiſitus & monitus ab Eccleſia terram ſuam ab hæreſi purgare neglexerit, per metropolitanum & comprouinciales epiſcopos excommunicationis vinculo innodetur, & ſi ſatisfacere contempſerit, infra annum ex tunc per ſummum Pontificem eius vaſſalli a fidelitate abſoluantur ipſius, & terra exponatur catholicis occupanda, qui eam exterminatis hæreticis abſque vlla contradictione poſſideant, & in fidei puritate conſeruent, nos coacti ex iuris neceſſitate fuimus, vt Babylone, quam curauimus, non curata, denuo propter hoc aſſumpto labore, dilectum filium noſtrum R.... ſancti Angeli diaconum Card. de noſtro latere mitteremus, cum ad Rom. Eccleſiam ſpecialiter pertineat hoc negotium, pro eo quod magiſtra eſt ipſa fidei, cuius excidium, tanquam omni rerum diſpendio grauius, & periculoſius non eſt aliquatenus ſuſtinendum.*

Signiſicat Raymũd. promiſſa de abolẽda hæreſi nõ tenuiſſe.

Ex Lateranenſi cõcilio eum ſua ditione debere

In eum Reg. Frãc. crucem induiſſe.

36 *Vnde factum eſt, quod idem Rex zelo, ſicut credimus, deuotionis accenſus, cum omnibus fere prælatis, & baronibus regni ſui, ſignum crucis aſſumpſit, ad hæreticos de illis partibus profligandos. Quia vero vtilitati tuæ libenter proſpicimus, & tuis cupimus diſpendijs obuiare. Serenitatem tuam monemus ſolicite, ac hortamur attente, quatenus noſtro acquieſcens conſilio, & fiducialiter credens nobis, qui te inter alios principes abundantiori affectione diligimus, nullo modo aſſiſtas Raymundo prædicto, quia cum ille cum fautoribus ſuis excommunicatus exiſtat, præter id, quod poneres in puritate fidei tuæ maculam, excommunicationis ſententia contingeret te inuolui.* Aduertant hic politici tantam fidei prærogatiuam eſſe, vt cum de illius cauſa agitur, pati potius debeant principes ſua iura infringi, quam ad ea tuenda auxilia ferre hæreticis, quibus illi ſuffulti hæreſim alere contingat. nec mirum cum numinis cauſa cuius ſuis Regis ac principis cauſæ, quantumuis iuſta videri poſſit, anteferenda ſit, ſitque tutius terrenos principatus, quam religionem Chriſtianam periclitari. Exutus ſane a Ludouico fuerat Henricus Anglorum Rex multis prouincijs, ac diſcrimen graue impendebat, ne ſi Raymundum comitem, atque Albigenſes ab illo edomari permitteret, non terras modo vectigales, quas ab eo Raymundus acceperat, amitteret, verum ea ditione auctus Francorum Rex facile Anglos tota Gallia eijceret: vicarius tamen Chriſti intentato anathemate Anglo vetuit, ne Francorum Regi ad Raymundum atque Albigenſes opprimendos ſe accingenti aduerſaretur. ſubiungit in ſuis literis Pontifex:

Intentat anathema ſi Raymũdo fauerit.

37 *Per teipſum etiam ſuperſedeas literis apoſtolicis, ſuper facto baronum obtentis, quod ad fidelitatem tuam redeant, vt tenentur.* Extant huiuſmodi literæ in regeſto pontificio ſexto idus ianuarias huius anni datæ a Aquenſi & Vaſatenſi epiſcopis, nec non archidiacono Vaſatenſi, quibus dederat prouinciam, vt Pictauiæ, Xantonum, Lemouicum, Marchiæ, aliarumque terrarum finitimarum proceres, qui antea ab Henrico ad Ludouicum deſciuerant, niſi euoluto a receptis literis menſe ad officium reuerterentur, pœnis eccleſiaſticis percellerent. Verum poſtea Pontifex facta imperia ſuſpendit, ne ea occaſione Francorum Rex ab Albigenſium bello diſtraheretur; ſanxitque, vt Anglorum Regis cauſa, quamuis iuſta, fidei cauſæ ſeruiret; cauit tamen, quemadmodum ante in Imperatoris gratiam pro terris Romani Imperij in Prouincia vectigalibus egiſſe vidimus, ne ipſius iura in eas terras ſtipendiarias, quæ hæreſi contaminatæ erant, labefactarentur, qua de re hæc ſubijcit:

a Lib. 10. ep. 157.

Promittit ipſius iura integra fore.

38 *Nec per te, vel fratrem tuum, aut alios guerram moueas dicto Regi, quandiu inſtiterit negotio fidei, & ſeruitio Ieſu Chriſti, ne te, quod abſit, impediente negotium huiuſmodi Rex ipſe cum prælatis, & baronibus Franciæ ſecum accinctis ab hæreticorum exterminio ad aliud ſe conuertat; & nos dum ſuper hoc excuſari non poſſis, & notam exinde indeuotionis incurreres, paternum tibi fauorem, qui alias deuotioni tuæ tempore opportuno non deerit, impendere nequeamus. Cæterum nos, qui non ſolum parati ſumus tuam conſeruare iuſtitiam, ſed gratiam tibi, quantum cum Deo poſſumus, exhibere, ſic duximus prouidendum, vt quidquid contingat de hæreticis, & terra ipſorum fieri, ſaluum ſit ius tuum, & aliorum catholicorum, ſecundum ſtatuta concilij ſupradicti. Datum Laterani v. kalendas maij anno decimo.*

Henricus Pontificis iuſſis obſequitur.

39 Meminiſſe harum literarum videtur Pariſius, dum ait Francorum Regem expeditionem in Albigenſes ſuſcipere recuſaſſe, niſi incuſſo anathematis terrore Pontifex Henrico vetaret, ne bello Gallias appeteret, Regemque Anglorum, qui ſumma transfretandi ac recuperandi amiſſa cupiditate tenebatur, acceptis imperijs apoſtolicis ancipiti fluctuaſſe animo ſuiſque in conſilium excitis, reque agitata bello abſiſtere reique difficillimæ exitum expectare decreuiſſe. Proſequitur auctor rei hiſtoriam, quam ex innato in Francos odio multis mendacijs inquinat, atque etiam Raymundum tanquam virum catholicum defendere, & in odium Pontificem eiuſque legatum adducere non perhorreſcit. Præſtat ergo veritatem ex Bernardo b petere, qui huius expeditionis hiſtoriam exactius deſcribit: *Anno Domini MCCXXVI. tempore verno, quo ſolent Reges ad bella procedere, benedictus a Deo dominus Ludouicus Rex Franciæ egreſſus eſt cum exercitu innumerabili crucis ſignaculo inſignito vnà cum domino Romano legato ſibi aſſidue adhærente ver-*

b Bern. in chronico. Lud. Fran Regis in Albig. expeditio.

ſus

sus Lugdunum dirigit iter suum eligens terra planitiem quadrigis accommodam, & flumen Rhodani nauigio portandis copijs opportunum, quibus venientibus ex villis, & oppidis, qua erant comitis Tolosani, consules occurrebant & Regi fortalitia tradebant, & ad suam dabant obsides voluntatem: quos etiam ciues Auenionenses datis obsidibus preuenerunt.

Plures certatim in illius obsequium concurrunt.

40. Subdit auctor pentecostes peruigilio cum traiecto Rhodano Rex ac legatus imminerent, Auenionenses subito terrore perfusos (angebat a memtum ipsorum impietas, cum septem annis censuras apostolicas, quibus innisti fuerant, nefarie contempsissent) venientibus cōtra fidem datam portas occlusisse, nec Regi nisi enm paucis ingressum permittere voluisse: his vero Regem indignatum, Auenionem mox obsidione cingere ac muros quatere cœpisse, & vicissim obsessos pertinacissime se defendere. Pergit Bernardus: *Interim autem premittitur a legato & a Rege dominus Petrus Amely archiepiscopus Narbonensis versus partes Tolosanas, vt inuitaret ad pacem Ecclesia. qui preueniens eos castra & bonas villas & dominos eorum, pacem Ecclesia & Regis promittens quoque eis, confœderauit Ecclesia atque Regi.* Et infra: *Claues etiam Carcassona Regi a ciuibus in exercitum deferuntur; comes etiam Fuxi Rogerius Bernardi pacem requisiuit. Sed illa vice qualem voluerat, non inuenit. Interea ciues Auenionensis, quorum dominus superbiam humiliare decreuerat, per hanc viam tribus mensibus expugnati, sequoin viribus impares cognoscentes, sub certis conditionibus suam legato & Regi liberant ciuitatem pridie idus septembris, quique ruina murorum & pœnis alijs sunt mulctati.* Subijcit epidemiam in exercitu grassatam multos extinxisse ac diuinæ fuisse prouidentiæ, vt deditionem tam cito vrbs fecisset, cum elapsis diebus quindecim Durantia fluuius ita intumuerit, vt effusis extra ripas aquis planitiem, in qua defixa erant castra, mundarit. subdit auctor:

Obsidetur Auenio & qua de causa.

a Anonym. Lud. viii.

Ad deditionem compellitur ac mœnia solo æquantur.

Peragrat plures vrbes quæ ipsius iugum accipiunt.

41 *Captaitaque Auenione, Rex versus Biterrim & Carcassonam dirigit iter suum, legato continue comitante: nec deerat venerabilis Fulco episcopus Tolosanus, qui dum essent in exercitu, aut in itinere, nemo pro sua largitate nosse poterat exulasse. Et erat quippe pro sua bonitatis fama, & laboris, quem pro fide sustinuerat, omnibus reuerendus. Cum autem peruenisset Apamiam Rex, ibi multa consilio Cardinalis legati ad honorem Dei, & libertatis Ecclesia ordinauit, & maxime contra contemptores clauium Ecclesia animaduertens, eo statuto necessario, & salubri, de quo fit mentio in concilio Narbonensi, in sequenti mox quadragesima celebrato, quod incipit: Felicis recordationis.* Vbi auctor varia Regis itinera accuratissime descripsit, atque Regem, Galliæ Narbonensi alijsque terris, qua vi, qua deditione in suam fidem acceptis (omnia enim castra ad quatuor a Tolosa leucas subegit) Hymbertum e Belloioco cum magnis copijs præfecisse, contendisseque vnà cum legato in Aluernos exposuit; subdit vt ipsum post tot parta ex hostibus fidei trophæa, maiora meditantem mors oppresserit: *Preuentus autem Rex agritudine apud montem Panserium prasentis vita cursum compleuit Domino volente* VII. *id. nouembris anno Domini prataxato* MCCXXVI. *regni vero sui anno tertio, cuius erat propositum reuerti ad terras Albigenses, & Tolosanas in vere, si viueret, subsequenti.*

Fert leges Apamijs in auctoritatis pont. contemptores.

In Armeniam recedit.

Morte opprimitur.

42 Meminit eiusdem principis Richardus b, quem veneno, cum se ad Tolosam expugnandam compararet, necatum increbuisse tradit, cui etiam in eo consentit Parisius c, sed errat, dum a Campaniæ comite illi propinatum fingit, ac Reginæ Blancæ pijssimæ fœminæ adulterij notam aspergit: at vitæ Ludouici auctor anonymus asserit Campanum inuito Rege e castris longe ante abscessisse. qui etiam egregium elogium tanto principi adscribit, quod præterire nullatenus possumus: *Vir vtique catholicus, & mera sanctitatis omnibus diebus vita se non maculauit, praterquam cum vnica vxore sua sibi legitimo matrimonio copulata: ibi dicunt completam fuisse prophetiam Merlini, qua dicitur in ventris monte* (id enim Montpansier sonat) *morietur Leo pacificus, quo in loco non est auditum ante ipsum Regem aliquem decessisse. Corpus vero eius sui ad Ecclesiam B. Dionysij in Francia transferentes, cum iuxta patrem suum Philippum Regem Augustum honorifice sepelierunt.* Quibus verbis auctor historiæ finem imponit.

b Rich. in chro. M.S.

c Par. hist. Angl. Anonym. vit. Lud. auctor.

Ipsius egregium elogium.

43 Eandem etiam singularis continentiæ laudem attribuit Ludouico Iordanus a. Adeo diuini fuisse consilij videtur, vt ex sanctissimo coniugio filius sanctissimus eiusdem nominis, nimirum D. Ludouicus efflorescceret, quem Iordanus dominica prima Aduentus hoc anno Rhemis regia inunctione delibutum memorat. Redimitum vero diademate a Iacobo Suessionensi episc. vacante Rhemensi sede refert b Nangius, de cuius egregijs auspicijs hæc auctoris verba delibare visum est: *Summa integritatis puer, velut surculus ex dulcissima abscissus arbore in primeuo flore radicem figens, cœpit odoriferos gratissima pueritia flores emittere, & sub disciplina egregia, & venerabilis matris sua Blancha, qua eum sub protectione curatoria prudenter, & diligenter educabat, liberalem animum ad sapientiam informare. Ab illicitis verò pectoris sui motus nobili reprimens continentia, spretis imbecillis atatula discursibus, sapientium tractatibus corde vltroneo inharebat: si quid verò probitatis, vel prudentia auro captabat, prout tempus dictabat, sagaci memoria protinus committebat. Vnde ab initio regni sui sapientia sibi diuinitus inspirata consiliarios, & assessores tam clericos quàm laicos electissimos, tam fidelitate quam vita & sapientia habere voluit, & vndecumque poterat, eligi faciebat.* Hactenus Nangius, qui subiungit, vt grauissima in eum conturatio sub ipsis regni initijs erupetit, quæ feliciissime discussa est; de qua nos anno sequenti. Iam e Gallicis rebus ad Anglicanas traducenda est oratio.

a Iord. M.S. bibl. Vat.

Ludouicus IX. maior natu filius succedit regno.

b Nang. de gest. Lud. Franc. Reg.

Egregia illius auspicia.

44 Studuerat Honorius Henrici rebus, vt ereptas a Francis terras recuperaret, antequam Ludouicus VIII. in Albigenses duceret. Non enim modo Hiberniæ præsules perpulerat c, vt archiepiscopo Dublinensi alijsque viris prudentia conspicuis adhibitis in consilium, de cogendis suppeditandisque Anglorum Regi, vt bellicos sumptus toleraret, pecuniarum subsidijs inter se conferrent, quo argumento Barhoniensi, & Saresberiensi episcopis datæ literæ d extant; verum etiam proceres e, qui Henrici, vt Aquitaniæ ducis fiduciarij erant, atque ad Francos defecerant, vrgebat, vt datam olim Anglo fidem seruarent, nec posterioris sacramenti religione ad infringendum prius teneri posse inculcabat, arguebatq; periurij: denique Henrici imperia detrectantibus anathema intentabat. quo argumento exaratas Marchiæ comiti literas afferendas duximus: *Fidelitatis vinculum, quo vassallus tenetur domino, est adeo celebre apud omnes, vt etiam religione iuramenti, qua vallari assolet, circumscripta, ipsum per se vinculum, quasi pro sacro vbique terrarum & gentium habeatur, nec æstimetur leuem notam incurrere, quicunque illius extiterit violator. Vnde qui veteres reuoluere vult historias, inueniet multos pro illo seruando inhumanis cibis vrgente obsidionis angustia esse vsos, & illis quoque deficientibus elegisse potius fame deficere, quam ipsum fidelitatis vinculum violare. Tu vero, sicut charissimo in Christo filio nostro Henrico illustri Regi Anglorum conquerente didicimus, hac nequaquam, prout te decuisset, attendens, fidelitatem, qua ipsi Regi tenebaris astrictus, & adhuc quoque teneris, cum ab ea, vt creditur, te nequaquam absoluerit, nulla famis, nullaue obsidionis coactus angustia, violasti contra iuramentum, quo te ad illam seruandam astrinxeras, fama ac salutis tua prodigus veniendo. Cum*

Angliæ res.

c Lib. 10. ep. 178.

d Ibid. ep. 176.

e Ep. 157.

Studuit Hon. ante Alb. bellū proceres, qui ad Franc. defeciuerant ad Henr. traducere

Ea de re ad Marchiæ comitē lit.

Arguitur perfidiæ.

Intētatur illi anathema vt ad Henr. redeat.

igitur toties peieres, quoties facis contra fidelitatis iuramentum praestitum dicto Regi, nos qui ex debito pastoralis officij tenemur Deo de anima tua reddere rationem, tam manifestum ipsius animae tuae periculum sine nostro dissimulare periculo non valentes, prudentiam tuam sollicitandam duximus, & monendam, & per apostolica tibi scripta firmiter praecipiendo iniungimus mandantes, quatenus famae tuae prouideas, ac saluti; ad fidelitatem ipsius Regis, occasione ac excusatione cessantibus redeas, vt teneris; seruesque inuiolabiliter sibi praestitum iuramentum, iuramento contrario non obstante, si quod forsitan praestitisti, cum illicitum fuerit, & non seruandum; salubres monitiones nostras taliter auditurus, quod reconciliatus terreno, caelesti quoque reconciliari Domino mereaeris, &c. Dat. Reate VI. id. ianuar. an. X.

Burdegal. archiepiscopum defendit Pontifex. Ep. 337.

45. Susceperat etiam aduersus Francorum Regem Honorius causam Burdegalensis archiepiscopi, quem Ludouicus in suas terras ingressu interdixerat, tum etiam nonnullis possessionibus exuerat; quare Pontifex querelarum plenis literis pristinis bonis restitui laesoque fieri satis iusserat. tum rogauit ne ipsum aditu in suas terras prohiberet, cum moris esset, vt viris ecclesiasticis ardente inter Anglos & Francos bello liber in ipsius regnum accessus pateret: *Temporibus inclytae recordationis progenitorum tuorum in regno Franciae obseruatum quasi pro lege fuit ab antiquo, quod licet inter ipsos ex parte vna, & Reges ac principes conuicinos ex altera dissensionibus, atque guerris instigante humani generis inimico subortis, sese grauiter adinuicem infestarent, praelatis tamen, & clericis terrarum ipsorum liberum esset ad regnum illud a Domino benedictum accedere, & in eo licite commorari, &c.*

Pro restituendo bonis Fulchesio laborat.

46. Defendit praeterea Fulchesium virum nobilem optime de Ioanne Rege meritum, ab eiusque filio Henrico oppressum, & archiepiscopum Cantuariensem S.R.E. Cardinalem, atque alios, qui Regi a consilijs erant, sollicitauit, vt illi restituendo incumberet: ac vertit Regi grauissimo vitio illius viri nobilis vxorem arcere, ne ad virum regno exulantem se conferret, atq; ob id iustissimas minas incuti iussit [a]: *Nisi nobis acquieuerit in hac parte, nos non tantummodo apostolicum fauorem sibi subtrahere, quod solum sibi esset praesertim hoc tempore grauis poena, verum etiam contra ipsum procedere compellemur, cum idem nobilis inter caetera etiam bono matrimonij defraudetur, quod primo ab ipso Deo in paradiso extitit institutum, & magnum, teste Apostolo, continet sacramentum. Vnde etsi dicto Regi hactenus forte plus quam oportuerit deferentes dissimulauerimus illud per apertam iniuriam impediri, id tamen dissimulare de caetero non valemus.*

[a] Ep. 327.

Veneno interimitur Fulchesius.

Fuisse illum Honorij opera restitutum bonis ac patriae scribit Parisius, sed breui ab inimicis veneno extinctum, mortemque illi impendentem praesagijsse Pandulphum episcopum Norwicensem, cum ipsum praemonuisset vidisse in somnis ingentem lapidem e templi D. Albano martyri sacri fornice in ipsius caput magno impetu collapsum, ipsum obruisse, allisisseque; proinde caueret, vt si qua in re martyrem laesisset, crimen quanto citius expiaret, Fulchesium vero qui maxima damna ac iniurias monasterio S. Albani intulerat, veniam quidem ab abbate flagitasse, illata vero damna nullatenus sarciuisse, atque adeo vindice numine, nullis munitum sacramentis eo genere mortis, quod diximus, breui occubuisse.

Vt imminens illi calamitas praesagita fuerit. Quam periculosum sit in SS. iras incurrere.

Diuinae vltionis exemplum in episcopum religiosos insectantem.

Is praemonitus non resipuerat.

47 Adijcit idem auctor singulare in Richardo Dunelmensi episcopo diuinae vindictae exemplum, qui cum viros religiosos grauissimo odio exagitaret atq; insectaretur, repentina morte extinctus est, caelestesque iras antea ipsi, ni commissorum criminum poeniteret, ab Ioanne Rege olim defuncto viro cuidam religioso se objiciente intentatas his verbis refert: *Circa biennium ante mortem eius Rex quondam Anglorum Ioannes apparuit in visione nocturna cuidam monacho de sancto Albano, apud Thinemuam tunc commoranti, qui familiaris fuerat Regibus Anglorum, tam Regi Richardo, quam huic Ioanni.* Et infra: *Astitit ei Rex praefatus in vestibus regalibus, de panno videlicet, qui imperialis vulgariter appellatur, quem monachus recognoscens, ac memoriter recolens quod mortuus fuisset, sciscitabatur ab eo qualiter se haberet. Cui Rex: Ita me habeo, quod nemo peius: nam haec mea, quae vides indumenta, adeo ardentia sunt & ponderosa, vt nullus, qui in seculo viuit, illa tangere sufficeret prae ardore, vel propter ponderositatem portare, quin protinus moreretur. Sed tamen per Dei clementiam spero & gratiam ineffabilem, & filij mei Henrici largam eleemosynarum distributionem, nec non seruitij diuini honorem, quem Domino deuotus impendit, me quandoque misericordiam adepturum. Quaeso igitur obnixius fraternitatem tuam, vt dicas Richardo de Marisco, nunc Dunelmensi episcopo, quod nisi ante mortem suam vitam correxerit flagitiosam, & eam per poenitentiam & satisfactionem condignam emendauerit, sedes eius, quae in inferno est, eum expectat praeparata.*

Obiecta viro pio visione Io. Regis Ang. anima, quae ignibus purg. torquebatur.

48 Feliciori longe exitu, quam Fulchesium Richardumque vitam clausisse Saresberiensem comitem scribit idem auctor, quem singulare poenitentiae Christianae exemplum in extremo mortis discrimine explicuisse, atque omnes spectantes sua pietate ad lacrymas coegisse narrat: *Inualescente demum aegritudine, cum certissima suae necis indicia cognouisset, fecit episcopum ciuitatis ad se venire, vt ea quae Christiani sunt, in confessione & viatico susciperet, & legitimum de rebus habitis conficeret testamentum. Intrante autem episcopo thalamum, in quo iacebat, comes nudus omnino praeter femoralia contra eum corpus Domini ferentem, ex lecto prosiliens, asperrimumque laqueum circa collum connectens, cum iugi lacrymarum effusione se prostrauit in pauimentum, summi Regis se esse proditorem contestans; nec de loco moueri voluit, nisi facta confessione, & viuifici sacramenti percepta communione, vt se sui seruum ostenderet creatoris; & sic per dies aliquot in suprema perseuerans poenitentia, spiritum suo tradidit Redemptori. Contigit autem quod dum de castello ad nouam ecclesiam per vnum milliare corpus eius ad tumulandum portaretur, cerei, qui cum cruce & thuribulo de more portabantur, accensi, inter pluuiarum effusiones, & ventorum turbines lumen continuum in itinere ministrabant, vt aperte ostenderent, comitem tam arduae poenitentem ad lucis filios pertinere.*

Insignis comitis Saresb. poenitentia.

49 Coniungimus piissimo poenitenti sanctissimum praesulem, quem hoc anno Honorius Papa in sanctorum numero collocauit, nimirum Guilelmum archiepiscopum Eboracensem, de quo Baronius, nosque ex eo suo loco memorauimus [a]. extat de ea re apostolicum diploma [b] ad Anglicanum clerum exaratum, in quo vbi institutam de illius vita ac miraculis quaestionem exposuit, adjicit: *Pluries per viros electos tam super vita, quam super miraculis sancti praedicti inquisitionem fieri fecimus diligentem, cum etsi ad sanctitatis existentiam sufficiat perfectio charitatis, ad ostensionem tamen ipsius miraculorum exhibitio exigatur, eo quod & nonnulli iustitiam suam faciunt coram hominibus, vt videantur ab eis, & nonnunquam diabolus se in lucis Angelum transfigurans, illudit hominibus fraudulenter. Vnde cum inquisitores praedicti, receptis super his quampluribus testibus fide dignis, & examinatis, sicut oportuit, diligenter, nobis ipsius sancti sanctissimae vitae ordinem, & multa, & magna miracula, quibus post decessum eius ipsum Dominus magnifice illustrauit, plene, ac plane fideliter retulissent; nos prouide attendentes, quod non erat tanta lucerna ponenda sub modio, sed super candelabrum statuenda, cum praeter alia miracula, quae longum esset per singula enarrare, sepul-*

Guill. arch. Ebor. in SS. numerum refertur.

[a] Ann. 1140. nu. 15. 16.

[b] Hon. l. 10 ep. 237.

Quantis miraculis effulserit.

pulchrum eius olei vbertate pinguescat; quo agri quamplures inuncti a suis infirmitatibus sunt sanati; & quod non est prætereundu silentio, tres mortuos mirifice suscitarit, & quinque cæcos illuminans, vnus ex eis, qui in duello deuictus & vndique damnificatus, cum ad sepulchrum ipsius sancti clamaret instanter & peteret confidenter, vt ei oculos restitueret, quibus iniuste ipsum fecerat orbatum, alios nouos oculos reddiderit mirabili nouitate; ipsum de communi fratrum nostrorum & aliorum prælatorum, qui præsentes erant, consilio, adscripsimus, vel potius adscriptum denunciamus sanctorum catalogo confessorum, statuentes, vt in anniuersario eius annuatim festum solemniter celebretur. Dat. Later. xv. kal. april. pont. nostri anno x.

Pia & felix S. Fräc. mors.
a Par. hist. Angl. an. 1226.

50 Hoc anno S. Franciscus, cuius virtutes admirationi orbi vniuerso fuere, ex hac vita in cœlum feliciter migrauit. de quo hæc Parisius a: *Quarto non. octob. die dominico B. Franciscus in ciuitate Assisij, de qua ortus est, apud S. Mariam de Portiuncula, vbi fratrum Minorum ipse ordinem initiauit, expletis xx. annis, ex quo perfectissime adhæsit Christo, Apostolorum vitam & vestigia sequens, ad contemplationem cælestium euolauit: qui postea quam promeruit gloriam Dei, & remunerationem bonorum operum pro mercede recipiens in eadem ciuitate sepultus est.* hæc ipse. Eodem anno sancti viri obitum recenset, (vt alios omittamus b) S. Bonauentura in eius vita c huiusce modi verbis: *Transijt autem venerabilis frater ex huius mundi naufragio anno dominicæ incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo sexto quarto non. octob. die sabbati in sero, sepultus in die dominico.* Ex quibus corrigas eos, qui mortem sancti viri in aliud tempus reijciunt. Ex pluribus vero quæ S. Bonauentura de ipso enarrat, hæc nobis pro instituto in medio ponere sufficerit, quibus extremam vitæ ipsius sanctissimæ finem describit: *Ad sanctam Mariam de Portiuncula se portari poposcit, quatenus vbi acceperat spiritum gratiæ, ibi redderet spiritum vitæ. Quò cum fuisset perductus, vt veritatis exemplo monstraret, quod nihil erat illi commune cum mundo, in illa infirmitate tam graui, quæ omnem languorem conclusit, super nudam humum se totum nudatum in spiritus feruore prostrauit, quatenus hora illa extrema, in qua poterat adhuc hostis irasci, nudus luctaretur cum nudo. Decubans sic in terra, faccina veste deposita, faciem solito more leuauit in cœlum & intendens illi gloriæ totus, manu sinistra dextri lateris vulnus, ne videretur, obtexit, & ait ad fratres: Ego quod meum est feci, quod vestrum est Christus edoceat. Illacrymantibus autem socijs sancti, qui miro fuerant compassionis telo percussi, vnus ex eis, quem vir Dei guardianum suum esse dicebat, votum ipsius diuina inspiratione cognoscens, festinus surrexit; & acceptam cum chordula & femoralibus tunicam pauperculo Christi obtulit, aiens: Hac tibi tanquam pauperi commodo, & tu accipias illa obedientiæ sanctæ mandato. Gaudet ex hoc vir sanctus & iubilat præ lætitia cordis, quoniam fidem tenuisse dominæ paupertati vsque in finem se videt; palmasque leuans ad cœlum Christum suum magnificat, pro eo quod exoneratus ab omnibus liber vadit ad ipsum.* Et infra:

b Iacob. Rom. Pont. Paul. Lög. obr. Cæsar. Trith. chr. Hirsaug. Luc. Vvading. cum alijs.
c Cap. 15. Raphael. Volaterr. l. 12. Antrop. Mart. Polon. chr. & alij.

Quantum in eo sub extremo vitæ actu paupertatis studiū fuerit.

Sacra ab eo data sodalibus monita.

51 *Circumsedentibus vero omnibus fratribus, extendit super eos manus in modum crucis brachijs cancellatis, pro eo quod hoc signum semper amabat; & omnibus fratribus tam præsentibus, quam absentibus in crucifixi virtute ac nomine benedixit. Insuper & adiecit: Valete filij omnes in timore Domini, & permanete in eo semper, & quoniam futura tentatio & tribulatio appropinquat, felices qui perseuerabunt in his, quæ cœperunt. Ego vero ad Deum propero, cuius gratiæ vos omnes commendo. Suaui huiusmodi admonitione completa, iussit Deo vir charissimus euangeliorum sibi codicem apportari, & euangelium secundum Ioannem, quod incipit ab eo loco: Ante diem festum paschæ, sibi legi poposcit. Ipse vero pro vt potuit in huius psalmi vocem erupit: Voce mea ad Dominum clamaui, voce mea ad Dominum deprecatus sum; & ad finem vsque compleuit: Me, inquit, expectant iusti, donec retribuas mihi. Tandem cunctis completis in eum mysterijs anima illa sanctissima carne soluta & in abyssum diuinæ charitatis absorpta, beatus vir obdormiuit in Domino.* Hactenus S. Bonauentura (cuius verba exscripsit Iordanus). post hæc vero de ipso agit inter sanctos relato (qua de re infra) ac multa egregia miracula subijcit, ex quibus nonnulla nouatores a, quæ more suo in ludibrium trahunt, centurijs suis intexuere: Qui plura de S. Francisco, eiusque familia cupiat, Lucam Vvadingum ea latius prosecutum consulat.

Spiritum sanctissime Deo reddit.

a Cent. 13 col. 1175.

S. Engelbertus in Germania miraculis coruscat.
a Cæs. in eius vita apud Sur. to 6. die 7. nouemb.
Eius viscera corruptionis immunia inuenta.
Necis auctor in rotam agitur

52 Dum sanctissimi illius confessoris miraculis fulgeret Italia, pluribus etiam Germania sacris Engelberti, pro libertate ecclesiastica anno superiore cæsi, prodigijs, quæ Cæsarius a percenset, illustrabatur. Illud vero inter cætera non silendum, ipsius viscera quatuordecim ab eius cæde euolutis hebdomadibus e terra refossa, corruptionis expertia, ac nullo fœdo odore imbuta reperta fuisse, adeo vt e corpore recens occiso extracta viderentur; eaque sacra instructa pompa ante aram templi principem condita fuisse prosequitur fusius idem auctor. cum quam graui supplicio affectus fuerit Fridericus comes Isemburgensis, qui sanctum archiepiscopum trucidarat, cæterique flagitij illius participes crudeles pœnas dederint, in eos enim plus etiam quam humanitas, ne dicam pietas Christiana ferat, sæuitum est. meminere expetitæ de Friderico comite vltionis Godefridus b ac Stadensis c, qui in rotam actum comitem Coloniæ maximum patrati sceleris dolorem præsetulisse refert. Friderici vero fratres Theodoricum episcopum Monasteriensem atque Engelbertum electum Osnabu rgensem a Pontifice; cui probare nō poterant conspirationis in sanctum crimine se non polluisse, honoribus ecclesiasticis deturbatos narrat Cæsarius.

b Godefr. annal.
c Stad. in chron.

Vvaldem. Rex Dan. ad iniquas redemptionis leges compellitur.
Extorti sacramenti religione liberatur ab Hon.
d Hon. l. 10 ep. 316.
e Reg. post eand. ep. 10. ep. 33.
Zuuer. comes obsides ac pecuniam illi restituere iussus.

53 Cum in Germaniam defluxerit oratio, nonnulla ad Vvaldemarum Regem Danorum spectantia afferenda videntur. Emissus ille e carcere fuerat a comite Henrico Zuuerino, a quo magna auri vt se redimere coactus, atque ad iniquiores leges, sacramento etiam interposito confirmatas, compulsus fuerat. Verum Honorius iniquissima Vvaldemarum iurisiurandi per vim & metum extorti religione liberauit d, Vverdensemque episcopum monitis comitem vrgere iussit e, vt Regi sacramentum remitteret, atque imperia apostolica detrectantem, prouocationis abiecta mora censuris ecclesiasticis percelleret: tum Zuuerinum comitem incusso grauissimarum pœnarum terrore acceptos a Rege, cuius stipēdiarius erat, obsides ac pecuniam reddere imperauit. *Olim credidimus, quod grandem, & grauem maculam, quam in tua fama improuide posuisti, charissimum in Christo filium nostrum illustrem Regem Daciæ dominum tuum rupto fidelitatis fœdere captiuando excitatus increpationibus apostolicis recognosceres, & ipsum Regem iuxta exhortationes nostras libere dimittendo, eandem maculam per extæ satisfactionis remedium aboleres: tu vero cura famæ tuæ postbabita, & inculcatione precum, ac præceptorum nostrorum penitus obaudita, ab ipso Rege extorsisti per violentum iuramentum, quod filios suos obsides tibi dares, & quandam tibi solueret pecuniæ quantitatem,* (quadraginta quinque millia marcharum argenti ab eo extorsisse scribit Crantzius f) *ipsum in his, & alijs intolerabiliter aggrauando in graue præiudicium subsidij Terræ sanctæ, ad quod magnifice impendendum ante captionem suam solemnis promissionis vinculo se astrinxit, nec non in grauem Apostolicæ sedis iniuriam, & contemptum, cum regnum eius esse dignoscatur ad specialis ditionis iudicium censuale. & quam eidem*

Recusanti intentata censura.

f Crantz. Dan. l. 7. c. 18.

dem Regi astringit eius deuotio specialis. Quoniam igitur tantum subsidij Terræ sanctæ dispendium, tantumque nostrum, & Ecclesiæ Romanæ contemptum sub dissimulatione transire nec volumus, nec debemus, nobilitatem tuam monemus, rogamus, & sub obtestatione diuini iudicij obsecramus, per apostolica tibi scripta districte præcipiendo mandamus, quatenus obsides, vt pecuniam, quam a Rege recepisti prædicto, ei sine difficultate restituas. Datum Laterani v. id. iunij pontificatus nostri anno decimo.

54 Consueuerant hæc & alia studia Rom. Pontifices ijs omnibus impendere, quos ob susceptum Hierosolymitanæ expeditionis votum in clientelam apostolicam admiserant, quam propterea principes, vt ab hostibus tuti essent, plus enim sæpius in ijs coercendis religio quam potentia valebat, expetebant. Inter quos Norvvegiæ dux, qui hoc anno sacræ profectioni se accingebat, eo beneficio ornatus est, vt ostendunt literæ ea de re ad Nidrosiensem archiep. datæ, in quibus hæc addit a: *Cum sicut ex literis tuis accepimus, & vtique acceptamus, dilectus filius nobilis vir .... dux Norvvegiæ crucesignatus ad Terræ sanctæ subsidium cum numerosa crucesignatorum multitudine magnifice se accingat, offerens omnibus secum transfretare volentibus gratis nauigium sine naulo, vt tua prædicationis tuba excitatus populus Christianus ad dictæ terræ subsidium fortius animetur, fraternitatem tuam monemus attente per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus in prouincia tua euangelizes, & euangelizari facias solemniter verbum crucis, commonefaciendo vniuersos & singulos, vt in hoc necessitatis articulo succurrant Christo modis omnibus, quibus possunt: Dat. Later. II. non. nouemb. pontific. nostri anno decimo.* Accepti etiam in fidem ac tutelam Pontificia fuere Lubecenses & Colonienses, qui bello sacro se deuouissent, virisque ecclesiasticis ad eam expeditionem profecturis id collatum beneficium est, vt redditus ecclesiarum, ac si præsentes essent, perciperent: tum illos pro acceptis pecunijs obligare creditoribus aut locatoribus possent. Nil denique prætermisit Honorius ad sancta loca ab impiorum seruitute vindicanda, populosque, ac Germanos maxime, ad triumphalia crucis signa alliciendos, quæ etiam superius a nobis allata, dum de Friderico ac Longobardis conciliandis ageremus, illustrant.

Dux Norvvegiæ crucesignatus in client. ap. adscriptus.

a Lib. 11. ep. 362.

Lubecen. & Colon. eodem beneficio decorati. Ib. ep. 379. 380. 381. 382.

55 Quo porro statu Syriacæ res fuerint, significat Iordanus b: exuto a Friderico Ioanne Rege Brennensi sceptro Hierosolymitano Hugonem e monte Beliart administrandis Terræ sanctæ rebus præfectum fuisse; missum etiam Thomam, qui magnam existimationem nominis suo aduentu collegit; ac tum a Germanis arcem munitissimam, cui Montisfortis nomen erat, expugnatam fuisse. Meminit etiam Richardus c nonnulla auxilia a Friderico submissa. Cæterum Terræ sanctæ damnum attulit Christianorum principum orientalium dissensio, inter quos Tripolitanus comes ob immensa flagitia, bellumque in Antiochenos ac Templarios gestum anathemate defixus est. Quem cum Fridericus fidelium communioni restitui posceret, Honorius Papa quamuis Imperatori annuere atque inter se Christianos coniungere cuperet; cum oratores comitis nonnulla, quæ ab æquitate penitus abhorrebant, postularent, legesque iustissimas ab Apostolica sede propositas admittere recusarent, Fridericum a fundendis in Tripolitani gratiam precibus absistere literis monuit. d

b Iord. M.S. bibl. Vat.

Rerum Hierosol. status.

Fridericus regni facti possessionem mit.

Germani arcem munitam Saracenis eripiunt.

c Ric. M.S. in chron.

Tripol. comes anathemate defixus.

Renuit Hon. iustis de causis absoluere.

d Lib. 10. ep. 168.

Ea de re ad Frid. lit.

56 *Super absolutione vero præfati comitis*, nimirum Tripolitani, de quo mentionem ediderat, *tua nouerit celsitudo, quod ipsius comitis nuntij petierunt quædam iuri, & Ecclesiæ Rom. consuetudini contraria manifeste. Vnde licet preces tuas velimus semper, in quibus secundum Deum possumus, exaudire, nequiuimus tamen ipsorum petitionem admittere nuntiorum, idque circumspectio tua ægre ferre non debet, cum non velis, vt credimus, quod iuris scripti & approbatæ consuetudinis ordinem confundamus. Licet autem idem comes etiam ipsa exhibitione iustitiæ, propter multa, quæ nunc narrari non expedit, reddiderit se indignum, tuarum tamen precum intuitu voluimus totum ipsum negotium bonis viris committere sub hac forma, vt videlicet idem comes præstaret in eorum manibus iuramentum de stando mandatis Ecclesiæ super ijs, pro quibus in eum excommunicationis sententia lata fuit, ac deinde præstaret de manifestis emendam, ac de parendo iuri super dubijs exhiberet idoneam cautionem: quo facto absolutionis beneficium impenderetur eidem, & consequenter de dubijs cognitio haberetur, & statueretur, quod posceret ordo iuris & hæc omnia dictis nuntijs benigne obtulimus per venerabilem fratrem nostrum H.... episcopum Ostiensem, ac dilectum filium nostrum G.... tituli sancti Martini presbyterum, & Gregorium S. Theodori diaconum Cardinales, a quibus eosdem nuntios audiri fecimus diligenter, cum non sit consuetudinis, quod Rom. Pontifex, nisi per interpositam personam, ad colloquium excommunicatos admittat: ipsi autem nuntij prædicta recipere renuerunt, asserentes se ad hoc non habere mandatum, nec nos, vt prædiximus, potuimus facere quod petebant, cum vbi agitur de iustitia, gratiæ in alterius iniuriam non sit locus, &c. Dat. Reate IX. kal. febr. an. X.*

57 Cum igitur comes Apostolicæ sedis decreto perdifficilem se præberet, Honorius anathematis sententia contumacem iterum percullit, eiusque terras interdicto subiecit, datis ad archiepiscopos Nicosiensem, & Cæsariensem, atque ad abbatem montis Oliueti huiuscemodi literis. a

Renouatur in contumacem censura.

a Ep. 169.

Honorius, &c.

Comes Tripolitanus, qui pro diuersis & varijs excessibus suis ad illum deberet intuitum erigere, quo respiciente Petrus legitur in amaras lacrymas effluxisse, graui demersus obliuionis somno, & totus per voraginem desperationis absorptus, nullam recipit, cum percussus non doleat, disciplinam. Idem enim, inter alios eius diuulgatos excessus, Antiochiam & castrum Antiochenum, quod fratribus Hospitalis Hierosolymitani custodiendum dimisit venerabilis frater noster Albanensis episcopus, tunc A. S. L. & domum quandam, quam ipsi habent apud Tripolim, capiens violenter, rabie concitatus diabolica, vnum ex ipsis excoriari, & alium, vt dicitur, occidi fecit; præter id quod, quibusdam eorum crudeliter & inhoneste tractatis, damna eis grauia & iniurias irrogauit. Vnde dictus episcopus his, alijsque de causis pluribus manifestis in eum, fautores, complices, & participantes eidem, protulit excommunicationis sententiam, quæ auctoritate apostolica extitit postmodum approbata. Sed ipse tanquam peccator, qui contemnit postquam in profundum labitur vitiorum, eandem sententiam penitus vilipendens, de redeundo ad mandatum Ecclesiæ, cum ablata detineat, & de damnis & iniurijs nullam satisfactionem impenderit, non videtur etiam cogitare. Vt autem de salute sua idem excitatus a nobis recogitet, qui per septennium despexit sententiam supradictam; discretioni vestræ &c.] Præcipit, vt ipsum diebus festis solemni ritu fidelium communione depellant, ac principatum sacris interdicant. *Dat. Reate III. kalen. febr. anno* X. Hactenus Honorius, qui etiam magistro fratribusq; Hierosolymitani hospitalis permisit b, vt sibi a comite per vim iniuriamque ablata armis repetere possent.

Antiochia ab eo scelere occupata.

Eiusdem sæua crudelitas.

Contumelia in clerum.

b Ep. 224.

58 Eiusdem præterea comitis Tripolitani meminit Honorius literis suis ad nobiles Cypri regni viros, ac milites & populum exaratis c, vbi Rege vita functo, Reginam in Syriam nuper traiecisse, cumque Bo. comitis Tripolitani filio incestas nuptias contraxisse ait, seque ab Rege puero (cui Henrico nomen erat) suppliciter rogatum, vt eos ad imperia Ph.. Ymbelin

c Ep. 208.

Regina Cypri ad incestas nuptias cum Trip. com. filio conuolat.

ab

Ybelin regno Cypri administrando præficitur.

Honorius Cyprios illi obtemperare præcepit.

ab illo de eorundem assensu in regni moderatorem electi præsto esse præciperet, id se facere Regemque & ipsos in suam clientelam suscepisse: *Rex ipse nobis humiliter supplicauit, vt cum curam teneamur gerere pupillorum, personam ipsius, qui pupillus existit, & regnum eidem baiulo committentes, vobis nostris literis mandaremus, vt sicut hactenus fideliter, sic donec idem Rex ad ætatem peruenerit legitimam, baiulo intendatis eidem. Quare tum de exaltatione, & commodo vestro debeatis esse soliciti per vos ipsos, & nos Regis, & regni vestri cupientes augmentum, parati sumus, quantum cum Deo possumus, eidem Regi, quem sub nostra, & Apostolicæ sedis protectione recepimus, consilium & auxilium, cum necesse fuerit, impartiri. Vniuersitatem vestram monemus, & hortamur attente per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus sic indefesse, sic fideliter intendatis, & assistatis Regi, donec idem ad ætatem legitimam veniat, baiulo supradicto, &c. Dat. Lat. xiv. kal. martij pont. nostri anno x.* Extat etiam pontificium diploma a Henrico Regi datum, quo Honorius patrocinium apostolicum ipsi pollicetur: quem insuper commendauit tum Friderico Imp. b tum etiam Templarijs c Hospitalarijsque religiosis equitibus, tum denique archiepiscopo Nicosiensi d, ac reliquis illius regni præsulibus, atq; etiam Phil. moderandis regni gubernaculis admotum adhortatur e, susceptum munus summa fide diligentiaque administret.

a Ep. 212. b Ep. 209. c Ep. 208. d Ep. 223. e Ep. 207.

Bisuntinus arch. ad sed. Constant. traducitur.

59 Postremò, vt orientalibus rebus finem imponamus, quas in præficiendis earum regionum præcipuis ecclesijs pastoribus curas impenderit Romanus Pontifex, perstringamus. Cum Antiochenam ecclesiam patriarcha orbatam accepisset, canonicis Antiochenis præcepit f, vt euoluentes se ab acceptis literis mensis spatio patriarcham designarent. Ne pariter Constantinopolitana sedes iusto antistite careret, exeunte anno episcopum Bisuntinum ad illam traduxit, vt testantur literæ ad ipsum exaratæ g: *Cum nuper nobili ecclesia Constantinopolitana pastore vacante capitulum, & alij, ad quos electio pertinet, in substitutione patriarchæ futuri concordare nequiuissent, alijs postulantibus venerabilem fratrem nostrum episcopum Beluacensem, alijs appellantibus contra eos, tandem vtriusque partis procuratoribus in nostra præsentia constitutis, & nolentibus, vel non valentibus in vnam consentire personam, postulationem non duximus admittendam. Sed nos solicite cogitantes, qualiter tam celebri, tam insigni * possemus de persona idonea prouidere, demum post tractatus multiplices, deliberato fratrum nostrorum consilio, te ad Constantinopolitanam ecclesiam de Bisuntina prouidimus transferendum, non tam personæ in ecclesia, quàm ecclesiæ in persona vtiliter nos consulere arbitrantes, &c. Dat. Later. x. kal. ianuar. anno xi.*

*f Ep. 356. g Ep. 428. * ecclesiæ*

60 Submisit etiam in meridionales regiones episcopos, ac religiosos sacerdotes ad infidelium terras excolendas; Toletanique archiepiscopi zelum commendauit, qui nonnullos Minoritas ad inferendum Miramomelini terris euangelium proficisci iusserat, atque ex ipsis vnum sacris pontificalibus insignierat, miunxitque, cum e re Christiana fore putaret, aliquos viros pietate, & doctrina conspicuos episcopos crearet, vt amplificandæ fidei operam nauarent. Cumque Prædicatorum, ac Minorum religiosi viri sedi Apostolicæ significassent, temeranda sæpius ipsorum instituta esse inter infideles nationes, quò animarum saluti promouendæ incumberent, induendum scilicet alienum ab ipsorum religiosa disciplina cultum, alendam comam ac barbam, recipiendas pecunias, vt commodius ingredi carceres, quibus mancipati erant Christiani, sacramenta administrare, atque inter barbaros agere possent, ad iustas eorum preces descendit h: *Cum ex causa Dauid coram Abimelech legatur habitum commutasse, ac Dominum se iunxisse in speciem peregrini discipulis euntibus in Emmaus, in fractione panis postmodum eis reuelatum, qui etiã tam Dauid pueros super eo, quòd in necessitate comederant panes sanctos, quos eos contingere non licebat, quàm Apostolos excusauit, dum ipsos Pharisæi arguerent, quòd esurientes alienas non lotis fricantes spicas manibus comedebant, nos laudabile opus vestrum, piumque propositum attendentes, vestris supplicationibus inclinati, super prædictis vobiscum in illis regionibus, quandiu præscripta vos arctat necessitas, & inuitat vtilitas, misericorditer dispensamus: dum tamen fraus non interueniat siue dolus, vel sinceritatem vestram cupiditas non seducat. Dat. Later. xvi. kal. apr. an. x.*

h Ep. 246.

IESV CHRISTI

Annus 1227.

GREGORII PP. IX. annus 1. | FRIDERICI II. IMP. 8. ROBERTI IMP. 7.

Honorius Ioan. Regem priori dignitati restituere nititur.

1 OCcubuit anno redempti humani generis millesimo ducentesimo vigesimo septimo indictione xv. Honorius III. summus Pontifex, relicto apud cunctos viros probos sui desiderio, ac magno Terræ sanctæ damno, cum florentissimam ad instaurandas in Syria Christianas res expeditionem summo studio vrgeret, eoque sublato piæ illius cõsilia, quamuis Gregorius ijs perducendis summa contentione incubuerit, Friderici perfidia penitus conciderint. Sed ne immaturũ luctum præripiamus, prius ea præclara gesta sunt afferenda, quibus extremum vitæ actum decorauit. Augebat illius animum non leuis dolor, Ioannem Regem, quem ad collocandam Imperatori in matrimonium filiam impulerat, vt Rom. Imperio Sicilia regnoque Hierosolymitano coniunctis sultani Babylonici potentia paribus Christiani principis viribus frangeretur, contra omnium spes atque expectationem regni Hierosolymitani administratione, qua ad vitam potiri debuerat, a genero improbe fuisse exutum. Quare Fridericum grauissimis literis hortatus est a, socerum in priorem gratiam admitteret, regnique Hierosolymitani gubernaculis admoueret; a nemine præclarius rem Christianam geri posse: cui tutius fideret non occurrere: exploratam illius peritiam; atque ex illius depressione susceptam maculam detersurum.

a Hon. l. 11 ep. 496.

Grauissimas ea de re ad Frid. lit. scribit.

2 *Frederico illustri Romanorum Imperatori semper Augusto, & Regi Siciliæ.*

Non dubitat, sicut credimus, tua serenitas, quin te sincero diligamus affectu, & quin ad incrementum tui honoris, ac nominis aspiremus: vnde cum ea tuæ celsitudini suademus, quæ ad honorem tuum nouimus pertinere, debes suasiones nostras gratanter accipere, ac eis acquiescere reuerenter. Sane charissimo in Christo filio nostro Ioanne illustri Rege Hierosolymitano tuæ sublimitati affinitate coniuncto, communis fuit omnium vox, & opinio, quod quasi in immensum successisset eidem, & quod Deus ipsam sublimitatem eius per affinitatem tanti principis magnifico sublimasset. Nec mirum si hoc homines crediderunt, considerantes hinc excellentiæ tuæ potentiam, cui esse facile cognoscebant non solum in sua sublimitate conseruare sublimes, sed etiam humiles nouis honoribus sublimare; illinc vero strenuitatem, & industriam dicti Regis, non solum dignam, vt ei suum conseruares honorem, sed vt illum etiam ampliares. Et ecce res videtur in contrarium versa esse, cum Rex ipse inde, nisi alio modo prouideris, contra spem nostram, & suam, ac aliorum grauiter sit depressus, vnde sperabatur magnifice sublimandus. Omnes qui hæc audiunt, vehementer admirantur, & dicunt: Quæ hæc est imperialis industriæ prouidentia, alienasse a se tantæ prudentiæ, tantæ strenuitatis, tantæ industriæ,

Exponit quæ voces in ipsum ob exutum socerum iactentur.

ſtriæ, tanti conſilij virum, & tanto ſibi vinculo copulatum, de quo poterat, tanquam de ſemetipſo confidere; cuius honorem, & ſtatum deberet proprium reputare? Cui fiducialius poterit regnum Hieroſolymitanum committere? Quis fidelibus ibi exiſtentibus gratioſior? Quis terribilior infidelibus? Quis vtilior toti negotio Terræ ſanctæ? Ecce ſi nulla ſibi eſſet affinitate coniunctus, deberet tamen propter ſtrennitatem, & induſtriam eius, & propter eam, quam habet gratiam hominum, notitiamque locorum ſibi regnum committere ſupradictum. Sed etſi ſimplicem militem in ſocerum aſſumpſiſſet, deberet eum decorare regia dignitate. An pulchrius ſibi eſt militis generum eſſe, quam Regis? an pulchrius erit filijs, quos ex filia dicti Regis ſuſcipiet, auum militem habere, quam Regem? Hæc, & ſimilia parui loquuntur & magni, admirantes ſuper huiuſmodi facto, & illud, vt loquamur verius, deteſtantes.

Commendat Ioannis fidem virtuteſq;

Significat neceſſariã ad Terræ S. res fieri reconciliationẽ.

3 Nobis quoque, ac fratribus noſtris inſultatur a multis, eo quod huius affinitatis mediatores extitimus, ipſaque Regis depreſſio nobis quodammodo imputatur. Denique per factum inter te, & ipſum Regem diſſidium multorum deuotio circa Terræ ſanctæ ſubſidium, vt dicitur, refrigeſcit, quam facies recaleſcere, ſi ad ipſum Regem tuum, vt decet, vultum, & animum curaueris ſerenare. Deſiderantes ergo hanc, quaſi quandam nebulam, a tui ſerenitate nominis remouere, ac ſimul pro ipſius Terræ ſanctæ ſubſidio, cui tua, & eiuſdem Regis reconciliatio eſt plurimum neceſſaria, ſatagentes; ſerenitatem tuam monemus, rogamus, & obſecramus in domino Ieſu Chriſto, poſtulantes pro munere ſpeciali, quatenus tecum ipſe recogitans, quam abſurdum ſit, tantum & talem virum occaſione affinitatis tuæ magnificentiæ deprimi, cum ſolam familiaritatem tuæ ſublimitatis adeptos, per eam deceat exaltari, ac ſæpedictæ Terræ ſanctæ vtilitatem attendens, dictum Regem in imperialis gratiæ plenitudinem reaſſumas, eumque tibi ſic efficaciter reconcilies, quod tui ſerenitatem animi erga eum, ipſa exhibitione operis manifeſtes: cum ſi diligenter attendas illud, quo tibi iunctus eſt, vinculum, facile poſſis aduertere neminem eſſe, perſona filij tui duntaxat excepta, qui te ſincerius ipſo Rege diligere debeat, vel de quo tua ſublimitas fiduciam poſſit gerere certiorem. Vt autem intelligas plenius, quam intime reconciliationem huiuſmodi affectemus, ecce propter hoc ſpecialius mittimus ad te dilectum filium abbatem S. Martini Viterbien. Ciſtercienſis ordinis latorem præſentium, virum vtique prudentem, religioſum & fidum, ſerenitatem tuam depoſcentes attente, quatenus ipſum, immo verius nos in ipſo, cures in ijs, quæ ad hoc negotium pertinent, & audire clementer, & efficaciter exaudire. *Datum Laterani VI. kal. febr. pontificatus noſtri anno vndecimo.*]

Frid. preces Honorij reſpuit.

4 Fundebat Honorius caſſas apud infidum principem voces, qui nulla Chriſtianæ rei cura mouebatur; ſed omnia ad ſua commoda referebat. Cumque duriorem illius animum emollire non poſſet, ne Ioannem Regem, qui ab ipſo excitus in Italiam venerat, perluſtrarat Hiſpanias, Angliam peragrarat, percurrerat Gallias, Germaniam obierat, vt occidentales principes ad promouenda Honorij conſilia incitaret, ac nulla laborum præmia quam regni iacturã retulerat, deſtitueret, põtificij principatus partem adminiſtrandam ei contulit, vt regium in calamitate decus ſuſtentaret: qua de re ad commiſſos illius curæ populos has literas exarauit a:

Ioannes Rex ab Hon. ditionis pontificiæ parti præficitur.

a Lib. 11 ep. 497.

5 *Chariſſimi in Chriſto filij noſtri Ioannis Hieroſolymitani Regis illuſtris ſtrennuitatem, induſtriamque penſantes, ſimulque firmam ſpem, fiduciamque tenentes, quod per eiuſdem Regis prudentiam, inter vos poterunt ſedari diſcordia, cuſtodiri ſtrata, ſeruari iuſtitia, & alia, quæ ad veſtram vtilitatem, & tranquillitatem pertinent vtiliter prouideri; totum patrimonium, quod habet Romana Eccleſia a Radicofano vſque Romam, excepta marchia Anconitana, ducatu Spoleti, Reate, ac Sabinia, curæ, regimini, & cuſtodiæ ipſius Regis duximus committendum, tenendum, cuſtodiendum, & ſeruandum, quamdiu de noſtra, & Eccleſiæ Rom. fuerit voluntate, nominatim Radicofanum, Precenam, Aquapendentem, Montemflaſconem, Martam, Valentan. Inſulam, Martan. cum alijs locis, quæ ab olim conſueuerunt iuriſdictioni caſtellani Montiſflaſconis ſubeſſe; Verall. Petronian. ſaluis prouentibus dilecto filio noſtro R.... ſanctæ Mariæ in Coſmedin diacono Card. conceſſis, Orde, Montaltum, Centumcellas, Cornetum, Peruſium; Vrbemuet. Tudertum, Balneoregium, Viterbium, Narniam, ſanctum Geminum, Struncon. ſaluis prouentibus dilecto filio nobili viro Petro Capucio conſanguineo & oſtiario noſtro conceſſis: Tuſcan. Ortam, Ameliam, Nepe, ciuitatem Caſtellanam, Galleſium, ſaluis prouentibus conceſſis dilecto filio noſtro Aegidio SS. Coſmæ & Damiani diacono Card. Sutrium, & alia, quæ ipſa Eccleſia Rom. habet, vel tenet infra terminos prænotatos, cum pertinentijs ſuis, & iuribus vniuerſis. Ideoque vniuerſitatem veſtram monemus & exhortamur attentius, ac per apoſtolica vobis ſcripta ſub obtentu gratiæ noſtræ, & debito fidelitatis, quo nobis tenemini, firmiter præcipiendo mandamus, quatenus ipſum Regem recipientes hilariter, et dignam ei honorificentiam exhibentes, eidem tanquã vicario et procuratori noſtro, et Eccleſiæ Rom. humiliter, & efficaciter intendatis, ſibi de iuribus curiæ, quamdiu Eccleſiæ Rom. placuerit, quod huiuſmodi curam gerat, integre reſpondendo, &c. Dat. Lat. VI. kal. febr. an. XI.*

Inſtat Põt. confirmãdæ inter Long. & Frid. concordiæ.

6 Quamuis ea Regis Ioannis calamitas res Hieroſolymitanas admodum labefactaret, promouendæ indictæ ſacræ expeditioni inſtitit Honor. ac Lõgobardis ineunte anno pacis cum Friderico ineundæ leges dixit, quas anno ſuperiore attulimus. Cumq; ij fœderatatum ciuitatum literas de ſeruandis, quæ ſibi iniũcta fuerant, mittere diſtuliſſent, acriter ipſos perſtrinxit, vtque officio diligentiſſime facerent ſatis, admonuit a: *Nobis & ipſi Imperatori, omni occaſione & excuſatione ceſſantibus, ita celeriter tranſmittatis, quod non poſſit ad ipſius Imperatoris venire notitiam, vel vos ipſarum literarum miſſionem diſtuliſſe tamdiu, vel nos vobis ſuper hoc iterato ſcripſiſſe: ac interim nihilominus, cum ea ſolicitudine, quam anguſtia temporis exigit, ea, quæ pro ipſius Terræ ſanctæ ſuccurſu facere tenemini, præparetis, ne ipſi Imperatori differendi eiuſdem Terræ ſanctæ ſuccurſum, occaſionem videamini dare, ac per hoc contra vos Deum, & homines prouocetis: ſcientes, quod ſi vos in tanto facto Dei, & veſtri contemptores, eluſoreſque ſenſerimus, nil aliud videmus reſtare, niſi vt cœlum, & terram contra veſtram inſolentiam innocemus.*

a Ibid. ep. 580.

Percellit Longobardos negligentius in ea re egiſſe.

Vrget Germanos cruceſignatos pareat ſe Hier. itineri.

7 Ne vero ob Longobardicos rumores in adornanda Syriaca profectione Germaniteperent; Hermannum Theutonici equeſtris ordinis magiſtrum miſit, literiſque ſignificauit ſopitos eſſe Longobardiæ tumultus, atque adeo omnes, qui voto Hieroſolymitano ſe aſtrinxerant, itineri ſe accingere imperauit b. Quo argumento ad Andream Vngariæ Regem, ac Lantgrauium Thuringiæ ſcripſit c, quos eodem literarum exemplo ad conſcendendas menſe auguſto naues expeditos, atque in procinctu eſſe monuit: *Te, qui ab olim ſuſcepto crucis ſignaculo illi militare voniſti, qui pro te in crucis patibulo militauit, rogamus, monemus, & hortamur attente, ac per aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti nihilominus exhortantes, quatenus taliter præparare te ſtudeas, quod in inſtanti auguſto, quo generale paſſagium eſt indictum, valeas, Deo duce, feliciter transfretare, recepturus ex hoc gratiam in præſenti, & gloriam in futuro.* Paruit Honorio Lantgrauius, de quo, vt vitam in apparatus bellici laboribus pie profuderit, plura dicenda erunt iam

b Ep. 462.

c Reg. poſt eand. ep.

Ea de re ad Lantg. Thur. lit.

Menſis auguſt. ad traiectionem indictus.

iam reliqua ad Honorium spectantia prosequamur.

Christiana fides in sept. oris amplificata.

8 Efflorescebat adeo in septentrionalibus regionibus Christiana religio, vt Russiæ Reges ad Mutinensem episcopum A. S. L. oratores miserint, quò ipsum ad afferendam regionibus suis euangelij lucem pellicerent; paratos se ad Christi castra transuolare, atque hactenus erroribus inuolutos ob præconum euangelicorum inopiam iacuisse. Quo felici nuntio accepto Pontifex Russiæ Regibus sacrum consilium gratulatus a sollicitauit, vt si in eo perstarent constantes, legatum ab Apostolica sede poscerent; ipsam eorum precibus non defuturam.

Russiæ Reges illi se aggregari postulant. a Ep. 483. Hortatio ræ ad ipsos Pont. hæ.

Vniuersis Regibus Russiæ.

Gaudemus in Domino, quod sicut audiuimus nuntij vestri ad venerabilem fratrem nostrum Mutinensem episcopum A. S. L. a latere nostro transmissi, eum humiliter rogauerunt, vt partes vestras personaliter visitaret, quia cupientes sana doctrina salubriter instrui, parati estis omnes errores penitus abnegare, quos propter defectum prædicatorum, sicut dicitur, incurristis; & pro quibus iratus contra vos Dominus permisit vos hactenus multipliciter tribulari, tribulandos acrius, nisi de inuio erroris ad viam properaueritis veritatis, cum quanto diutius duraueritis in errore, tanto timere possitis angustias duriores; quia etsi non irascitur per singulos dies Dominus, in eos tamen, qui conuerti contemnunt, suæ tandem vibrat gladium vltionis.

Monet a sede Ap. legatum flagitent.

9 Per vos itaque certificari volentes, an velitis habere ab Ecclesia Rom. legatum, vt eius salutaribus monitis informati, catholicæ fidei, sine qua nemo saluatur, amplectamini veritatem, vniuersitatem vestram rogamus, monemus, & hortamur attente, quatenus super hoc voluntatem vestram nobis per literas, & fideles nuntios intimeris. Interim autem pacem cum Christianis de Liuonia, & Estonia firmam habentes, non impediatis profectum fidei Christianæ, ne diuinam, & Apostolicæ sedis incurratis offensam, quæ facile de vobis potest, quando vult, sumere vltionem, sed potius Domino largiente per veram obedientiam, & gratæ deuotionis obsequia vtriusque mereamini gratiam, & fauorem. *Dat. Later.* xvi. *kal. febr. pont. nostri anno* xi.]

Regem Lusit. ob inuasa eccles. iura corripit. Ep. 492. b Reg. post eand. ep. Monita illi proposita.

10 Vt paternum sinum ijs Regibus amantissime Ecclesiæ aggregat: flagitantibus explicuit, ita recedentem ab officio Lusitaniæ Regem corripuit. Inuadebat is princeps ecclesiæ Portugalensis iura, quem vt a cœptis reuocaret, episcopo decano & cantori Zamorensibus prouinciam imposuit, vt hæc monita Regi insinuaret, quæ ipsi alijs literis præscripsit b: *Charissimus in Christo filius noster illustris Rex Portugaliæ scire debet, quod quanto Rex regum, & Dominus dominantium Deus maiora sibi contulisse dignoscitur, tanto maiorem ab eo deuotionem exposcit, & tanto contra eum, quando ipsum offendit, amplius indignatur. Hoc autem dignum, & iustum esse Rex ipse fatebitur, si æquilance librare voluerit veritatem, & in semetipsum curauerit reflectere oculos suæ mentis. Si enim ab aliquo per ipsum amplis honoribus sublimato se contemni, atque offendi conspiceret, non indignaretur eo vehementius contra eum, quo ei ampliora beneficia contulisset? O quanta contra eum indignatione feruesceret! o quomodo totus esset in imagine pœna, quam anxie quam ardenter de vindicanda ea iniuria cogitaret! Quare ergo non veretur illum offendere Dominum, a quo sublimatus est regia dignitate, a quo habet non solum omnia bona sua, sed etiam semetipsum? Quare non metuit illius contra se prouocare potentiam, qui habet in suis manibus, non solum regnum, sed etiam statum suum, qui potest & animam suam, & corpus mittere in gehennam? Profecto si eum digno metueret, non offenderet ecclesias & ecclesiasticos viros, sed eius intuitu ab eorum offensa semetipsum & suorum cohiberet.* Et infra:

11 *Ad hæc cum disponendi de rebus ecclesiasticis laicis nulla sit attributa potestas, ipse de ecclesijs ad dispositionem ipsius episcopi pertinentibus pro sua voluntate disponit; & cum prædecessorum suorum temporibus archipresbyteri ad vacantes ecclesias accedere consueuerint, & facto inuentario illas, donec de rectoribus esset prouisum, eisdem viris ecclesiasticis commendare, Rex ipse id fieri non permittit; sed statim illis vacantibus irrequisito ipso episcopo, eiusque vicarijs per nuntios suos res occupat earundem, & eas facit per laicos custodiri, & ius patronatus in aliquibus earum sibi contra iustitiam vendicare contendens, ad eas, cum vacant, personas inutiles, interdum extraneas, et ignotas, interdum de sua familia ipsi episc. repræsentat, quæ nec volunt in eisdem residentiam facere, nec ad presbyteratus curant ordinem promoueri, &c.* Recenset alia grauiora Regis facinora, quibus ecclesiasticam libertatem labefactabat, atque episcopo partes demandat, vt Regem censuris, si emendare commissa detrectarit, deuinciat. *Dat. Later.* xv. *kal. febr.*

Grauia ab eo Rege commissa scelera.

Honorij III. mors.

12 Inter hæc dum reipublicæ Christianæ gerendæ, contra impios fidei defendendæ, gloriæ Christi Ecclesiæque late amplificandæ vigilantissimus Pontifex incumberet, maiora cogitantem ingentibus fidelium lacrymis, ab vniuerso orbe Christiano comploratam mors illum abstulit. ipsam enim hoc anno contigisse, non modo qui eius æui historiam literis tradidere, vt Conradus abbas Vrspergensis a, Albertus Stadensis b, Matthæus Parisius c, cæterique d affirmarunt, verùm Gregorius quoque Honorij successor restatur, diemque illius, nimirum xv. kal. apr. notat, vt eius docet epistola ad Galliarum episcopos annalibus nostris paulò post ex parte inserenda, idemque Richardus affirmat e. quibus nullo labore refelluntur recentiores illi, qui Honorij obitum in superiorem annum reiecerunt. Cum ergo Honorius creatus fuerit Pontifex xv. kalend. aug. vti suo loco ostendimus, diem verò extremum clauserit xv. kal. apr. ipsum Petri cathedram annos decem, ac menses octo tenuisse dicere necesse est. Ex quibus corrigendus error, qui in epitomen, quæ apud nos est f gestorum Honorij irrepsit, ipsum supra annos decem menses octo, & viginti duos dies sedisse. De eodem Pontifice subdunt acta: *Hic ecclesiam S. Laurentij extra muros, & basilicam, quæ dicitur sancta sanctorum, renouauit, decretales compilauit.* Eas S. Antoninus g breuiter recenset, quæ plures iuris canonici libros exornant. De hoc etiam Pontifice, præter ea quæ supra in medium attuli, indicem Romanorum Pontificum ab ipso collectum asserit Card. Baronius h, quem in peruetusto Vaticano codice ego similiter inspexi. De monasterio S. Pauli iam ante constructo ab Honorio Papa, postea verò, cum dirutum fuisset, a Ludouico Camerario instauratum, traditur in commentarijs i Pij Secundi. Postremo Honorium in basilica S. Mariæ Maioris fuisse tumulo conditum docent acta, quæ paulo ante memoraui.

a Vrsp. in chron. b Stad. in chron. c Par. hist. Angl. d Godefr. in annal. monach. Pantal. in chr. aliisq. e Ric. de S. Germ. in chron. hoc ann. Quo die contigerit. f Extat in bibl. Vallicellana ex Vatic. g Antonin par. 3. hist. tit. 18. c. 9. § 6. Nonnulla Honorij gesta. h Baron. 121. nu. 1. In Ecclesia S. Mariæ Maioris sepelitur. i Comment. Pij II. Pap. lib. 11.

Honorio succedens pontificatu Gregorius IX.

13 Vita itaque functo Honorio III. Gregorius eius nominis nonus Cardinalium omnium voluntate, quamuis inuitus, sufficitur. cuius electionem exposituri, illa primum percensenda existimamus, quæ de eius primordijs gestisque ante pontificatum in vitæ actis enarrantur. Extant hæc ad calcem perantiqui codicis Vaticani, qui liber censuum inscribitur. cuius auctoris verba, prout occasio seriesq; temporum dabit, annalibus inseremus. ille vero ita historicæ suæ narrationis exordium duxit: *Hic natione Campanus de Anagnia, nobilior eiusdem prouinciæ ciuitate, patre de comitibus Signiæ felicis memoriæ dominum Innocentium Papam III. consanguinitatis tertio gradu attingens, matre vero de potentioribus Anagninis exortus, forma decorus & peruenustus aspectu, perspicacis ingenij, & fidelis memoriæ prærogatiua dotatus, liberalium* a *atque vtriusque iuris peritia eminenter instructus, flumen* ele-

Illius genus ac patria.

a artium

eloquentia Tullianæ, sacræ paginæ diligens obseruator & doctor, zelator fidei, disciplinæ virtutis, rectitudo iustitiæ, solatium miserorum, religionis plantator & cultor, castitatis amator, & totius sanctitatis exemplar; de capellania domini Innocentij Papæ III. in honorando collegio, in Cardinalem S. Eustachij modica interiectione promotus, non multo post in Ostiensem episcopum ordinatus. Et sane ipsum ex episcopo Ostiensi creatum Pontificem in comperto est apud omnes tum veteres tum recentiores auctores. *Cuius officij tempore pænitentium fratrum, & inclusarum dominarum nouos institutos ordines ad summum vsque prouexit.* Extant in Gregorij regestis nonnullæ apostolicæ literæ ad fratres, quos de pœnitentia appellat, pertinentes, quarum nos suis locis mentionem faciemus.

Eiusdem virtutes ac munera.

Optime de B. Francisco, & eius familia erat meritus.

14 *Minorum etiam ordinem intra initia sub limite incerto vagantem noua regula traditione direxit, & informauit informem, B. Franciscum eis ministrum præficiens, & rectorem, quorum debilia initia eodem regente ad ea incrementa venerunt, vt per singulos orbis terrarum terminos, eorum venerando consortio, vix viculus reperiatur immunis. Præter illa mira quidem æstimatione notanda, quæ fratrum necessitatibus pia liberalitate concessit, donauit eisdem in vrbe monasterium vnum, scilicet monasterium S. Cosmæ, in Lombardia ..... in Tuscia ..... expensis innumeris etiam sui ministerij subuentione construxit, prouidendo postmodum necessitatibus singulorum.* In protectorem etiam ordinis adscitus est, qua de re Vuadingus a plura: *Eas etiam quæ sua prædicationis studio diuinitus inspiratæ parentibus dimissis & patria, nec lacrymis emollitæ natarum, mundi superbiam, & diuitias temporales commutauerant in paupertatem extremam, & in asperæ lanæ mordentes aculeos vestes pretiosæ contextas, post summi Pontificis solium colligebat vt filias, venerabatur vt matres, ipsarum indigentiam vberioribus auxilijs prosecutus. Apud Anagniam vero, ad gloriosæ Virginis gloriam, in paterno prædio Florensis ordinis dictum de Gloria nobile monasterium statuit, stipe magnifica decoratum, & pingui possessione dotatum, ibidem aliud constituens in B. Martini confessoris honorem. In Velitrensi diœcesi venerandum monasterium de myrteto: in porta ciuitatis Anagniæ ad vsum pauperum hospitale multarum possessionum largitione dotatum erexit. Graues Romanorum discordias, per quas multorum excidia timebantur, ad insperatæ pacis concordiam futurus pius pater sollicitudine reducebat, ciuitatem Ostiam turribus muniuit & muris, sumptibus & laboribus magnis, de manibus occupantium impotenter ereptam.* Insuper dum ipse de beneficiario quodam fundo Manfredorum familiæ ab ipso postea tributo agit, legationis se in Longobardia munus obijsse affirmat b. Eum porro antequam summus Pontifex salutaretur, Vgonem fuisse nuncupatum Albertus Stadensis c, & Godefridus d monachus affirmant; at Conradus Vrspergensis e, Richardus notarius f, & plerique alij Vgolinum appellant. Pergit vitæ scriptor de ipso dicere: i

a Vuadin. an. 1217. nu. 6.

Quo studio viros religiosos fuerit prosecutus.

Vg. antequam pontificatum diceba…

b Greg. l. 1. ep. 157.

c Stad. in chron.

d Godefr. in annal.

e Vrsperg. in chron.

f Rich. de S. Germ. in chron.

Vtrique fuerit Ro. Pontifex.

15 *Qui tandem defuncto piæ memoriæ Honorio III. sexta feria, hebdomada vero maioris quadragesimæ quinta de communi, & improuisa atque præmeditata fratrum concordia, non minus electione canonica, quam diuina inspiratione, lacrymabili, & clamosa contradictione recusans, inter votiuas eligentium manus, pia vestium laceratione grassatus, in domo B. Gregorij, Gregorius eius imitator assumitur apud septem solia.* Locus ille septem solia appellatus, vti Baronius g docet, erat ex aduerso templi S. Gregorij inter montem Palatinum, & clinum Scauri longo, ac multiplici columnarum ordine exornatus, septem desuper impositis solijs, quibus celsæ turris species exhibebatur. In cuius vertice eminebat ecclesia, quemadmodum in mole Adriana S. Angeli templum olim situm erat, eademque nuncupata S. Luciæ ad septem solia inter vrbis diaconias numerabatur. *Summi Pontificij * fastum fratrum instantia deuictus ascendens, demum vero Romanis exultantibus populis ac clero iubilante præ gaudio, irruentibus etiam cateruatim vtriusque sexus hominibus, pontificali decoratus infula, in Lateranensi palatio magnifice cathedratur. Tum lugubres vestes mutauit ecclesia, & vrbis semidiruta mœnia pristinum receperunt fulgorem.* Ijs de Gregorij electione consensu omnium, nec sine interno auræ cælestis afflatu perfecta, ipso summa vi resistente, respondent illa, quæ Pontifex idem in commemoratis literis infra adducendis enarrat. Cæterum S. Franciscum, dum in humanis ageret, ipsi sacræ Minorum familiæ dilatandæ studiosissimo prædixisse, ad summam pontificatus dignitatem euocatum iri, S. Antoninus a, alijque tradunt.

g Bar. to. 11. ann. 1084. n. 5.

* pontificis

Ea dignitas antea a D. Francisco illi præsaga.

a Anton. 3. par. tit. 19. c. 3.

De eius consecratione.

16 *Sequenti autem dominica die sanctissimi Benedicti, pater benedictus prælatorum comitatus obsequijs, assistente innumerabili multitudine Romanorum in principis Apostolorum basilica venerandus princeps magnifico susceptus tripudio, ex Apostolicæ sedis more, suscepit pallium plenæ potestatis insigne, itaque missarum peractis solemnibus summus Pontifex gemmis circumtectus & auro, ad palatium Lateranense processit. Die vero resurrectionis dominicæ subsequentis missarum mysterijs in Virginis gloriosa basilica solemniter celebratis reuertitur, cum tripudio coronatus. Feria quidem secunda in albis in prædicta Petri basilica, diuinis missarum officijs reuerenter expletis duplici diademate coronatus, sub fulgoris specie in Cherubini transfiguratus aspectum, inter purpuratam venerabilium Cardinalium, clericorum, & prælatorum comitiuam innumeram, insignibus papalibus præcedentibus, equo in phaleris pretiosis euectus, per alma vrbis miranda mœnia, pater vrbis & orbis deducitur admirandus. Hinc cantica concrepant, inde præconia populi iubilantis exurgunt, & per vicos singulos clamosum resonat: Kyrie eleyson. Aureis argenteisque platea distinguitur tapetis, pictis in Ægypto constrata, & tinctis Indiæ coloribus ordinate composita, diuersorum aromatum suauitate fragrabat. Tubarum clangore turba concutitur, se certatim mutuis clamoribus exhortando iudices & tabelliones cappis fulgebant sericis, aureis vestibus legione procerum decorata. Græcorum atque Hebræorum caterua non modica, Christi vicario suis * linguis & ritibus laudes munia persoluebant, & puerilis lingua garrulitas procaci festiuitate cantabat. Sicque incredibili multitudine populi cum palmis & floribus præcedente, senatore ac præfecto vrbis almificæ non equis euectis, sed pedibus pontificalis equi lora trahentibus, sub arcuatis platearum ordinibus micantium syderum imitantibus speciem, sanctissimus Pontifex perducitur ad patriarchium Lateranense.* Solemnis hæc pompa, qua Romani nouum Pontificem a basilica Principis Apostolorum Lateranum sunt prosecuti, celebratæ præteritis temporibus in pari casu magnificentiæ a Cardinale Baronio descriptæ simillima extitit, vt perspicere facile potest, qui eius annales euoluerit.

V. duplici diademate fuerit redimitus.

Qua pompa Lateranum deductus.

* idiomatibus

17 Cæterum Gregorius, vbi primum pontificatum auspicatus est, Christiani orbis præsules, vti mos erat, de sua electione certiores fecit, & eorum se precibus enixe commendauit; cunctosque monuit atque hortatus est, munus pastorale summa vigilantia obirent.

De sua promotione encyclicas literas mittit.

Gregorius, &c.

Sane bonæ memoriæ Honorius Papa prædecessore nostro xv. kal. aprilis soluto debito carnis, de præsenti seculo nequam erepto, & in crastinum iuxta morem celebratis exequijs, & ipsius corpore ad tumulum deportato, vnà cum fratribus nostris ad eligendum conuenimus successorem; & missa, vt moris est, in honorem sancti Spiritus deuote, ac solemniter celebrata, post aliquantulum tractatum de

Quo die obierit Honorius.

sub-

substitutione Pontificis omnes pariter ad imbecillitatem nostram, quasi diuinitus inspirati, oculos direxerunt, & nobis renitentibus, & inuitis cum multa instantia, & etiam violentia conati sunt humeris nostris imponere onus istud; cuius grauitatem pertimescendo non modicum non posse portare, licet suscipere fuerimus plurimum reluctati; metuentes tamen ne videremur inspirationi diuinæ resistere, tandem submisimus humeros ad portandum, sperantes in eo, qui iugum suum suaue misericordia sua facit, & onus leue præ dulci charitate, quod ipse, qui vota fratrum aspirando præuenit, adiuuando etiam prosequetur. Fiduciam enim talem habemus per Christum ad Deum, non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed nostra sufficientia est ex Deo, qui nos suos voluit esse ministros. Solicitudine igitur ecclesiasticæ prouisionis suscepta, & de vobis plena concepta fiducia, quos nobis prouidentia conditoris ad tanti oneris grauitatem facilius parferendam, ad participium nostræ solicitudinis euocauit, vniuersitatem vestram rogandam duximus, & monendam, exhortantes in Domino, quatenus insufficientiam nostram, apud Deum, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, orationibus adiuuetis, &c.] hortatur ipsos, vt gerendis ecclesijs ac saluti animarum procurandæ strenuam operam nauent. tum præcipit, vt intentata censurarum religione omnes crucesignatos ad capessendum iter Hierosolymitanum perpellant. *Dat. Lateran. x. kalend. april. pontif. nostri anno* 1. Atque eiusdem exempli, quod in ragesto subditur, omnibus archiepiscopis, episcopis, & alijs ecclesiarum præsulibus; præterea religiosis viris atque inter cæteros Camaldulensibus, apud quos autographum extat, epistolas misit.

Vt electus fuerit Gregorius.

18 Ex his constat plane nil altius Gregorij menti impressum, quam bellica vndique contracta auxilia, ad loca sancta aduersus Mahumeticæ sæuitiæ, impietatisque sectatores submittere. Quod magis etiam aliæ aperiunt literæ [a], eodem die ad Fridericum iisdem verbis maiori ex parte exaratæ; post quæ alia ad ipsum spectantia subiungit, quibus ad operam suam in tuenda ecclesia, amplificanda religione, expeditioneque ingenti ad fidei hostes contundendos instruenda collocandam inducere conatur: *De honore tuo, ac salute soliciti, qui te dum essemus in minori officio constituti, habuimus in visceribus charitatis, ac tuis profectibus aspirauimus, sublimitati tuæ primitias literarum nostrarum duximus destinandas, celsitudinem tuam rogantes attentius, & monentes, & exhortantes in Domino, in remissionem tibi peccaminum iniungendo, quatenus in deuotione sedis Apostolicæ firmiter perseuerans, & nobis, disponente Domino, ad regimen eius assumptis, prout decet principem Christianum, assistens humiliter, & deuote, sic solicito, ac efficaci studio peragere satagas negotium Terræ sanctæ, ac te viriliter & potenter in instanti passagio ad eius succursum accingas, in manu forti, & brachio extento, ad prœliandum de corde puro, & fide non ficta prælia Domini, transfretando, quod ob eo consequi merearis immarcessibilis gloriæ diadema, & nos qui te sinceritatis brachijs amplexamur, ad ea quæ tuum respiciunt commodum, & honorem, ex hoc fortius attendamus. Alioquin quantumcumque te sincera diligamus in Domino charitate, & tibi quantum cum Deo possumus deseruire velimus, id dissimulare nulla poterimus ratione.* Et infra: *Tu ergo, fili charissime, ad illum qui dominatur in regno hominum, qui te sua gratia sublimauit, debitum habens cum deuotione respectum, sic precibus & monitis nostris obtemperes; quod nequaquam nos & teipsum in illam necessitatem inducas, de qua forsan te de facili non poterimus, etiamsi voluerimus, expedire. Dat. Later. x. kal. april. pontif. nostri anno* 1.

Mittendæ expeditioni ad recuperandam Terram S. incumbit.
a Ib. ep. 2.
Vrget Fridericũ itineris cõparet.
Necessitati imoratis ineusis nipax.

19 Adhortatus etiam est cæteros principes ac maxime Francorum, Anglorumque Reges, vt auxiliares copias submitterent [a], atque eam ob causam, nimirum vt omnia sacræ expeditionis adornandæ impedimenta amoueret, operam industriamque in stabilienda, ac firmanda pace defixit, ad quam Fridericus Imp. Longobardique, Honorij prædecessoris sui studio diligentiaque adducti fuerant, quemadmodum anni huius exordio vidimus, literæque tum a Friderico [b] Messanæ kal. feb datæ, tum ad [c] fœderatarũ Longobardiæ ciuitatum rectores exaratæ docet. Quæ literæ, etsi ab Honorio scriptæ fuerint, in Gregorij tamen regesto continentur. Quamuis porro, vt superius tetigimus, ab Honorio, in quem vt summum controuersiæ arbitrum compromissum fuerat, concordiæ leges dictæ essent; non leuis tamen metus aberat, ne malum recrudesceret. Quare illi confirmandæ summo studio Gregorius incumbebat, atque ita cum Longobardi fœderati de admissis concordiæ legibus mancas literas [d] transmisissent, in quibus nimirũ marchio Montisferrati & aliquæ ciuitates sigilla sua non apposuissent, illas penes se retinuit Pontifex, monuitque Longobardos alias, in quibus cunctarum vrbium sigilla essent affixa, mitterent, ne subesse aliquid fraudis putaret Fridericus, atque ab susceptæ expeditionis consilio retardaretur: se vero ab Imperatore literas omnibus numeris absolutas accepisse, quarum seriem diplomati inseruisset, quasque ad eos sit transmissurus, cum nouas ab ipsis exceperit. hortatur etiam, vt quamprimum copias instructas, dignasque Imperatore apparent: si qui vero id præstare detrectarint, archiepiscopo Mediolanensi se prouinciam demandasse, vt ad officium vibratis in eos censuris ecclesiasticis compellat. Apostolicis acceptis literis Longobardi, maturato consilio, pacis leges omnium sigillis appositis munitas corroboratasque misere, vt eorum epistola declarat [e].

a Ib. ep. 3.
Submouendis ijs quæ disturbare sacram expeditionem possent incũbit.
b Greg. l. 1. ep. 11.
c Ib. ep. 12.
Et componendæ Lõgob. discordiæ.
d Ep. 28.

20 His vrgebat Longobardos Pontifex, ne qua sacræ expeditioni impedimenta obijcerent, ac vicissim Fridericum, qui non apparando in hostes Christiani nominis bello incumbebat, sed in delitias se effundebat, excitare conabatur. Ad quem Gualonem Prædicatorum familiæ religiosum virum misit, vt pontificia consilia exponeret, elegantibusque ac grauissimis literis a voluptatum corporearum vinculis se expedire, & amorem ad mentis delitias traducere; tum ad Christiani Imperatoris partes egregie obeundas hortabatur [f], ac monebat Imperij dignitatem, maiestatem sceptri aliorumque insignium augusta mysteria altissimo pectore imprimeret, quo se eorum cogitatione ad tuendos populos, exercitandam iustitiam, virtutesque sectandas accenderet, vt cum terrenam coronam esset depositurus, æterna atque immortali redimiri mereretur.

e Reg. Greg. ep. 125.
Hortatur Frid. ad gerendum piè imperium.
f Lib. 1. ep. 142.

Friderico Imperatori

21 Ad ostendendam viam ligni vitę errantibus in inuio mundi huius posuit te Dominus quasi Cherubin, & versatilem gladium. Cum enim diligenti meditatione pensatur ratio in te illuminata dono intelligentiæ naturalis, & imaginatio defæcata in rei comprehensione sensibilis, quæ quasi versatilis vna facie respicit rationem, alia naturam sensibilium intuetur, in se virtus motiua manifeste conspicitur, qua possis inconueniens a conuenienti distinguere, & comprehensiua, qua facile valeas conueniens & licitum obtinere donum. Sane tibi scientiæ desuper attributæ, & virtus perfectæ imaginationis in manu opificis resultantis, quasi duo luminaria magna, duo dona cælestia viam ligni, in qua vita nostra pependit, & terram promissionis ostendunt. Ista duo vexilla, quæ Dominus erexit in animæ tuæ corporis instrumentis, tota sequitur militia Christiana; quis potius sequitur totus mundus a paradiso puræ conscientiæ merito suæ præuaricationis exclusus. Quod habes commune

Vt mentis aciẽ acuere debeat.

cum Angelis, intellectus videlicet & affectus inclines ad id, quod habet homo commune cum brutis scilicet & arbustis, sensum & nutrimentum, quia & amor sensibilium minuit intellectum, & affectum deformat delicati corporis nutrimenenm. Ac per hoc luminaribus, quod absit, cognitionis & dilectionis extinctis, & in terram victricibus aquilis sic prostratis, & voluptatibus terrenis implicitis, quomodo poteris te sequentibus viam demonstrare salutis? Absit a te hoc, fili charissime, a quo videtur modo vita mundi huius sensibilis dependere. Illius itaque recorderis historiæ, quod in columna ignis & nubibus de iugo Pharaonis populus Hebræorum eductus in terram promissionis inducitur, quam in zelo iustitiæ, & in nube, quæ refrigerat, misericordiæ coneris, virtute diuina superatis interioribus hostibus, obtinere.

Vt animũ ad cælestia attollere. — *Vt se a voluptatibus expedire.*

22 Vt hæc in archiuio memoriæ valeas iugiter intueri, quinque insignia imperialis celsitudinis culmini deputata, cum ipsorum mysterijs cnpimns stylo ferreo in cordis tui vngue adamantino depingere, quod nulla possit obliuione deleri. Crux vbi est lignum Domini, & lancea vbi clauus eius consistit, ante te in processionibus solemnibus deportantur; coronam auream cum lapidibus pretiosis gestas in capite, sceptrum in dextera, pomum tenes aureum in sinistra: vt crux Dominicæ passionis, & memoria acerbissimi cruciatus sint semper ante oculos mentis tuæ in contumelijs verborum, iniuriarum opprobrijs, flagellis, & plagis, laceratione spinarum, transfixione clauorum; prudenter attendens in quantis te oporteat Domino respondere. Lanceam considera diligenter, cuius acumen latus eius aperuit, de quo Christus largiter Sacramenta tuæ salutis effudit. Ista est porta angusta, quæ te ducit ad vitam, de qua non substantia solida, sed liquor tantum exiuit, vt dolor acutus sit in te, & veræ contritionis acumen, quod est clauus, quæ portam tibi aperit paradisi, quam non potest intrare solidum aliquid, nec anima indurata, sed liquefacta in fornace amoris, & camino feruidæ charitatis.

Imperialium insigniũ mysteria explicat. — *Quid significet crux.* — *Quid lancea.*

23 Corona autem triplici coronaris, sicut & Christus extitit triplici diademate coronatus, a matre, nouerca, & a patre: a matre corona gratiæ, per quam infirmitatem nostræ mortalitatis assumpsit: a nouerca corona iustitiæ, per quam genus humanum sanguinis pretio sui redemit: a patre corona gloriæ, ad dexteram enim suam ipsum in regno gloriæ collocauit. Tu autem similiter in Germania coronatis a matre, cuius lacte nutritus es, & feliciter educatus corona gratiæ, quam non ex debito iustitiæ, sed ex libera electione principũ nosceris assecutus: a nouerca coronatus es in Liguria, quæ solet aliquando in Imperio nouercare, corona iustitiæ, quæ debetur iuris necessitate. Tertia coronaris a patre, scilicet summo Pontifice, quæ est gloriæ, quæ te omnibus mundi potestatibus anteponit, vt gloria, & honore super omnes mundi principes sublimeris. Coronam igitur gratiæ portes in hoc exilio, vt corona iustitiæ tibi in iudicio reponatur, & examinandus a iudice sermones tuos in præsenti disponas, quibus ad arguentem te valeas respondere; & tandem corona immarcessibilis gloriæ coroneris in regno, quod nunquam vllo tempore corrumpetur. Sceptrum iustitiæ portas in dextera, quæ grauis est ad puniendum iniquos: in sinistra pomum aureum initio carens & fine, quod est misericordiæ, cui regnum promittitur sempiternum; quæ extensa debet esse ad liberandum oppressos, & miseros consolandos; quia iudicium sine misericordia multum destituitur, si vnum sine altero teneatur. Ad hæc de animæ tuæ, quam sincera & ardenti diligimus charitate, salute soliciti, vniuersis mundi huius transitorijs præferenda, ex prærogatiua dilectionis, qua in minori officio sumus imperialem celsitudinem amplexati, vt nihil de contingentibus omittamus, quæ ad mortis æternæ periculum euitandum, & recuperandam gratiam Crucifixi fuerint opportuna; latorem præsentiũ fratrem Gualonem de ordine Prædicatorum duximus destinandum, cui tanquam nobis fidem indubitatam super ijs, quæ ex parte nostra duxerit proponenda, velis habere.]

De triplici corona qua exẽplo Christi sunt redimitus. — *Sceptrum iustitiam denotat.* — *Pomum aureũ misericordiã designat.*

24 Non consignati sunt in his literis dies ac locus: verum Anagniæ scriptas fuisse cõiectura est, cum superiores posterioresq; in regesto pontificio exaratæ in ea vrbe legantur, eò enim ad colligendam saluhriorem auram Gregorinm se contulisse ipsius vitæ auctor his verbis testatur: *Decurso vero ibidem*, videlicet Laterani, *temporis spatio, quia Romani aeris suspecta conditio languores minabatur æstiuos primo sui præsulatus anno æstate media venit Anagniam fratrum venerando collegio comitatus.* His Richardus in chronico consentit additq; Gregoriũ a Siculis debita sedi Apostolicæ stipendia exegisse: *Mense iunio Papa Vrbem exiens venit Anagniam & suos tunc ad Imperatorem nuntios dirigit, vt sibi fodrum faciat ab hominibus regni deferri; qui Henrico de Morra magistro iustitiario hoc faciendum delegat*, Et infra: *Tunc in Anagnia ducenta ferme domus, Papa ibidem præsente, combustæ sunt. Fodrum portatur ibidem iussu imperiali, ad quod recipiendum & assignandum quidam de S. Germano Guillelmus Falloca nomine per Imperatorem constitutus est ibi.*

Gregorius Anagniam proficiscitur. — *Stipendia sibi debita exigit a Siculis.* — *Pars Anagniæ incendio conflagrat.*

25 Addit auctor nefarium impostorem Romæ pontificias vices sibi arrogasse, pluresque crucesignatos, ad emungendas pecunias, profectionis Hierosolymitano voto ficte absoluisse: *Eodem*, inquit, *mense*, nimirum augusti, *quidam in Vrbe vicarium Papæ se faciens, Papa inscio & absente, dum fauore fretus Romanorum quorumdam, qui hoc fieri tolerabant, gratia quæstus, stans apud porticum S. Petri & potestate vtens apostolica crucesignatis omnibus absolutionis beneficium impendebat, & per Romanos fautores tanti criminis, crucem ab eis, quam assumpserant, deponebat. Qui a senatore Vrbis, post denunciationem sibi a Papa factam, tunc apud Anagniam existente, captus est & debita personæ pœna mulctatus.* At lõge grauiori scelere, quam hic flagitiosus impostor, se deuinxit Fridericus, qui florentissimũ cruce insignitorum exercitum dissoluit, ne perditissimas delitias, in quas pudori frænum laxauerat, ad suscipiendos pro Christo labores bellicos, abijcere cogeretur.

Impostor pontificis vicarium Romæ agit. — *Crucesignatos voto ficte liberat.* — *Merita pœna afficitur.*

26 Peruenerat in Apuliam mense iunio, vt Richardus narrat, Lantgrauius Thuringiæ præpotenti succinctus exercitu, quem e Germania eduxerat, vt Terræ sanctæ subsidio proficisceretur: confluxerat etiam ex alijs regnis ac prouincijs magna militum multitudo; adeo vt ex sola Anglia ad sexaginta millia profectos dicat Parisius: agebantur enim diuino ardore, visis cœlestibus prodigijs, de quibus auctor ᵃ: *In nocte natiuitatis B. Io: Baptistæ ostendit se Dominus in firmamento crucifixum, quod perspicue apparuit in cruce lucidissima corpus dominicum clauis & lancea perforatum, nec non cruore respersum, vt fidelibus suis patenter ostenderet Saluator mundi ex hac populorum deuotione se fuisse propitiatum.* Cœlestia huiusmodi visa pluribus alijs obiecta narrat auctor idem, & consimilia etiam Vrspergensis ᵇ, Stero, & Godefridus ᶜ recensent. vt vero susceptæ de recuperanda Terra sancta spes omnium expectationem fefellerint, prosequimur.

Lantgrauius Thur. cruce munitas copias in Apuliam ducit. — *Innumeri fideles accingunt se itineri.* — *a Par. hist. Angl.* — *Obiecta in cælo Christi e cruce pendẽtis imagine excitantur.* — *b Vrsperg. in chro.* — *c Stero & Godef. in annal.*

27 Afflixit admodum Christianam rem Ludouici Lantgrauij eximij ducis mors improuisa, & epidemia, quæ exercitum crucesignatorum ex parte depasta est. De qua hæc Richardus: *Pars crucesignatorũ nõ modica in Apulia, superueniente infirmitate, occidit per mortis occasum. Imperator tamen cum Lantgrauio & reliquis*

Versæ in contrarium fidelium spes. — *Epidemia in exercitu grassatur.*

quis

quis crucesignatis se parat ad transitum, ita quod in die natiuitatis B. Virginis a Brundusio transfretans venit Hydruntum, & spem faciens ijs, quos pramiserat, de transitu suo, morari apud Hydruntum ex causa necessaria voluit. Fuisse has nefarij principia artes constat: qui inani spe suspensa Christiani orbis vota eludebat, atque inferina illustrabitur moras illas funestas duxisse, vt occasionem abrumpendæ expeditionis aucupatetur, vti contigit. Quam sceleris maculam idem auctor, innato erga suum principem studio detergere, & facinus colorate nititur; subdit enim: *Vbi, Hydrunti nimirum, casu accidente dictus Lantgrauius obijt, & ipse tunc Imperator, sicut disposuerat, superueniente agritudine non transiuit.*

Fridericus profectionem procrastinat.

Fingit morbum votumque infringit. Lātgrauij mors.

28 Non fuit vera hæc sed simulata Friderici ægritudo. immo tulit fama Fridericum immani flagitio Lantgrauium veneno interemisse, atque exercitum crucesignatorum in locis, in quibus insignis erat aeris corruptio, detinuisse eo consilio, vt grassantibus ex intemperie morbis dissolueretur, ipseque perfidiam suam in casum inopinatum deriuaret, vt gestorum Gregorij scriptor tradit his verbis: *Imperator dicta sententia, & iuramētis religione contemptis, Christianum exercitum, quem per longa temporis spatia remissionibus, & sumptibus varijs Ecclesia Rom. conuocauerat, in ciuitate Brundusij regione pestifera, cuius ardoribus ipsa fere solida metalla liquescunt, simulata proprij corporis agritudine, illo detinuit tempore, vt maior exercitus pars aeris, & aquæ intemperie periret. Inter quos digna memoria Lantgrauius procurata morte opinione publica creditur interijsse.* Hæc ille; cui etiam compilationis chronologicæ auctor consentit, Ludouicum Lantgrauium veneno sublatum percrebuisse. Vt verò viri mortem B. Elisabeth magno animo tulerit, seque diuinæ voluntati accommodarit, dicetur inferius, ne series historiæ abrumpatur.

Veneno sublatus creditur.

Nefaria Frid. consilia pro perdendo exercitu.

29 Cognita Friderici consuetis artibus, simulatoque morbo Ecclesiæ seueritatem eludere meditantis perfidia, Gregorius periurum principem anathemate se deuinxisse pronuntiauit, non iræ ardore, vt subijcit Richardus, sed iustitiæ zelo accensus: *Quamobrem Papa motus contra eum apud Anagniam penultimo mensis septembris die in festo dedicationis archangeli sine causa cognitione pronuntiauit Imperatorem in latam dudum apud S. Germanum excommunicationis sententiam incidisse.* At falsas, ac fraudulentas Friderici querelas pro veris accepisse, hallucinatumque auctorem dicenda inferius demonstrabunt. De die quo fulmen pontificium vibratum est, consentit Richardo Gregorij vitæ auctor, qui ten. gestam his verbis describit: *Festo S. Michaelis archangeli in maiori ecclesia, pontificalibus de more indutus, assistentibus venerabilibus fratribus Cardinalibus, archiepiscopis, episcopis, & aliarum ecclesiarum prælatis, sermonem exorsus est huiusmodi: Necesse est, vt veniant scandala. Cum archangelus ac dracone triumphans, &c. Fridericum Imperatorem frequenti monitione præmissa votum exequi recusantem excommunicatum publice nunciauit. Qui sententiam excommunicationis a felicis memoria Honorio Papa III. latam, cui * publice se subiecit, incurrerat pro eo quod voluntarie signo crucis assumpto in Terra sancta subsidium termino, quem sibi præfixerat * ante S. Germanum in venerabilium patrum P.... Albanensis episcopi, & Gual. tituli S. Marci presbyteri Cardinalium manibus proprio iuramento firmato, iuxta imperialem, prout tenebatur, magnificentiam non transiuit.*

Gregorij in perfidū principē zelus.

Solemni ritu deuinctum anathemate pronūtiat.

* sponte

* apud Sermon lit. ad epist. cur censuris ipsum desixerit.

a Vrsp. in chron.

b Ric. de S. Ger. in chr.

c Ster. in ann. apud Can. antiq. lect. to. 1. p. 250.

d Godefrid. annal.

e Bernar. chr. Rom. Pont.

30 De Friderico anathemate ob periurium insigne irretito agunt hoc anno Conradus Vrspergensis a, Richardus b, Henricus Srero c, Godefridus d monachus, Bernardus e, & alij. Suntque de his apostolicæ Gregorij literæ ad Marsicanum, Thearinum, Pennensem, Aprutinum, aliosque regionum illarum episcopos exaratæ a, quæ rerum ordinem ab sede Apostolica hactenus cum Friderico gestarum exponūt, principisq; perfidiam omnibus ostendunt, & patefaciunt. Vbi enim nonnulla de grauissimis Ecclesiæ persecutionibus lugubri stylo est præfatus, lacrymis plenas de Friderico querelas adijcit:

a Lib. 1. ep. 177.

Gregorius, &c.

Christi Ecclesia tot angustijs perturbata, dum alere credit filios, nutrit in sinu ignem, serpentes, & regulos, qui flatu, morsu, incendio cuncta vastare nituntur. Hinc est quod ad monstra huiusmodi perimenda, expugnandas acies inimicas, ac tempestatum inquietudines mitigandas Apostolica sedes his temporibus cum multa diligentia quendam nutriuit alumnum, Imperatorem videlicet Fridericum, quem quasi a matris vtero excepit genibus, lactauit vberibus, humeris baiulauit, de manibus quærentium animam eius frequenter eripuit, educare studuit multis laboribus & expensis, vsque ad virum perfectum deduxit, ad regiæ dignitatis decorem, & randem ad fastigium culminis imperialis prouexit, credens ipsum fore defensionis virgam, & suæ baculum senectutis.

Ingratum erga Ecclesiam Friderici animum exponit.

31 Ipse autem, dum in Thentoniam se transtulit ad habenas Imperij obtinendas, iucunda quædam, vt credebatur, auspicia, sed vetius spicula matris oberibus inferebat. Nam sponte, non monitus, sede Apostolica ignorante, crucem suis humeris affixit, vouens solemniter se in Terræ sanctæ subsidium profecturum. Deinde se ac alios crucesignatos excommunicari obtinuit, nisi certo proficiscerentur tempore: sed incidenter absolutionem petijt, & accepit, de parendo super hoc mandatis Ecclesiæ prius præstito iuramento. Exuberantem autem gratiam super ipsum Apostolica sedes effundens, vt festinantius ad Terræ sanctæ transiret subsidium, ipsum contra morem ad coronam vocauit, quæ ad hoc non inuitare, sed inuitari multiplicatis intercessionibus per magnificos nuntios consueuit. Sicque idem sub crucis vexillo vsque ad hæc tempora negotia propria plenius, & perfectius consummauit.

Vt crucē sumpserit inducit.

Vt illius præteritu sibi Imperium firmarit.

32 Tandem cum de manibus felicis recordationis Honorij Papæ prædecessoris nostri in B. Petri basilica recepisset Imperij diadema, de manibus nostris tunc in minori officio constituti crucem resumpsit, votum publice innouauit, plures de spe sui subsidij ad crucem suscipiendam induxit, certum recepit terminum transfretandi. Habito quoque postmodum apud Verulas cum Ecclesia Rom. colloquio, iurauit publice se in certo termino a Romana sibi Ecclesia præfigendo, tanquam Imperatorem bonorifice profecturum. Exinde apud Ferentinum in colloquio simili duorum annorum transfretandi elegit sibi terminum, & præfixit, seque tunc transiturum, & nobilem mulierem, natam charissimi in Christo filij nostri Ioannis Regis Hierosolymitani illustris ipsius regni hæredem in coniugem recepturum solemniter præstito iuramento spopondit, adiungens, quod per hoc ad obsequium Terræ sanctæ non vt cæteri peregrini, sed vt Hospitalarius, vel Templarius se in perpetuum obligabat.

Vt secepto diademate crucem se consignarit.

Nouolterum iure iurando se astrinxerit.

Tempus postea profectionis prorogare

Noua illius vota nuncupa rit.

33 Appropinquante itaque termino prælibato, cœpit multiplices excusationes prætendere, se ad transitum asserens imparatum, & vt denuo duorum annorum sibi daretur terminus, grandia obtulit obsequia Terræ sanctæ, cum obligationibus satis magnis. Apostolica verò sedes, ne tantis laboribus exinfilatis, & inutiliter sic exhaustis, totum dissoluere tur negotium, quod humeris huius principis post Rom. Ecclesiam principalius incumbebat, habito plurium episcoporum, & aliorum presbyterorum virorum consilio, de contingentibus nil omittens, venerabilem fratrem nostrum Petrum Albanensem

Distulerit iterum expeditioné.

episcopum, & bonæ memoriæ I.... tituli S. Martini presbyterum Card. ad firmanda ea, quæ Imperator pro crucis obsequio sponteneus promittebat, transmisit. Cumque apud S. Germanum cum pluribus Alemanniæ principibus pariter conuenissent, Imperator propria manu iurauit, quòd inde ad biennium, idest in passagio augusti proximo nunc transacto, omni excusatione ac dilatione cessantibus transfretaret, mille milites ibidem per biennium teneret ad suum in obsequijs Terræ sanctæ, centum millia vnciarum auri in quinque passagijs proximo tunc futuris illuc destinaret, certis assignanda personis: & tunc Cardinales prædicti de Imperatoris assensu in eius conspectu, principum, ac populi circumstantis, sententiam excommunicationis publice, auctoritate sedis Apostolicæ, protulerunt, in quam incideret Imperator, si forsan in aliquo deficeret prædictorum. Obligauit se insuper Imperator ad centum calendras, & quinquaginta galeas ducendas, & tenendas biennio vltra mare, ac quod insuper duobus millibus militum passagium certis terminis largiretur, in animam suam iurari faciens, se ista quæ prædiximus impleturum, & sponte consentiens in ipsum & regnum suum ferri sententiam, si hæc non fuerint obseruata.

Quibus se nibus ob id se adstrinxerit.

34 Qualiter autem hoc impleuerit, aduertatis. Nam cum ad eius frequentem instantiam multa crucesignatorum millia, per excommunicationis sententiam coarctata, in termino destinato ad portum Brundusij properassent, quia gratiam suam Imperator subtraxerat ciuitatibus fere omnibus in portubus constitutis, & idem a prædecessore nostro, ac nobis frequentius monitus vt diligenter pararet omnia, & fideliter, quæ spoponderat, adimpleret, ipse omnium promissorum, quæ Apostolicæ sedi, & crucesignatis per literas suas fecerat de sponsione passagij, necessariorum & victus, & suæ salutis immemor, taodio in æstiui feruoris incendio in regione mortis, & aeris corruptela detinuit exercitum Christianorum, quòd non solùm magna pars plebis, verum etiam non modica multitudo nobilium, & magnatum pestilentia, sitis ariditate, ardoris incendio, ac multis incommoditatibus expirauit. Inter quos defecerunt nobilis vir * Antegrauius, & episcopus Augustensis. Pars vero non minima infirmitate grauata regrediens in vijs, & siluis, montibus, planitijs, & speluncis occubuit iam ex parte.] De Siffridi Augustensis episc. atque Ludouici Lantgrauij plurimumque crucesignatorum lugubri morte agit abbas Vrspergensis, atque inter cæteros Theodoricus a in vita beatæ Elisabeth, qui omnibus sacrameotis a patriarcha Hierosolymitano communitum pie animam efflasse ait, atque ad cælestis Hierusalem portum cum terrenam contenderet, peruenisse. Pergit Pontifex:

Vt omnia sacramenta ac promissa in fregerit.

Exercitū crucesignatū exitio expofuerit.

**Lantgrauius*

Vrsperg. in chron.

a Theod. l. 4. apud Sur. to. 9. die 19. nou.

35 Sane reliqui vix Imperatoris obrēta licentia, licet galeæ, calendræ, ac naues sufficientes ad transitum victualium, hominum, & equorum, vt promiserat, non adessent, in festo tamen natiuitatis B. Virginis, cum iam temporis instantia immineret, vt naues a transmarinis partibus inciperent remeare, sulcare maria inchoarunt, se pro nomine Iesu Christi discrimini committentes, ac credentes Imperatorem cominus eorum vestigium secuturum. Idem vero fuscatis promissionibus, ruptis vinculis, quibus tenebatur astrictus, calcato timore diuino, contempta reuerentia Iesu Christi, censura ecclesiastica vilipensa, derelicto exercitu Christiano, exposita infidelibus Terra sancta, deuotione populi Christiani abiecta, in suum & totius Christianitatis opprobrium, retrorsum abijt attractus, & illectus ad consuetas delicias regni sui, abiectionem corporis sui friuolis excusationibus, vt dicitur, gestiens palliare.

Qui super fuerant male instructi profecti sunt.

Frider. abiecta Chri sti causa de itijs se dedit.

Pontificiæ querelę de Christianæ rei exitio.

36 Attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor Apostolicæ sedis matris vestræ, sic crudeliter, & toties deceptæ a filio, in quo locauerat in hoc facto fiduciam spei suæ, in quem tot beneficiorum abundantiam cumularat, dissimulans interim, ne occasione inuenta se auerteret a Terræ sanctæ subsidio, exilia præsulum, spoliationes, captiuitates, & iniurias multiplices, quas ecclesijs, religiosis, & clericis irrogauit, & obaudiens querelas multiplices pauperum populariom, & nobilium patrimonij Ecclesiæ clamantium contra ipsum, quas in aures Domini Sabaoth credimus introisse. Et quamuis Rom. Ecclesia doleat filium tanta educatum diligentia, & magnificentia exaltatum, nunc se viliter sine marte victum, absque hoste prostratum, in tantæ confusionis opprobrium, tam ignominiose deiectum, non minus gemit exterminium exercitus Christiani, qui non inimicorum gladijs, vel virtute defecit, sed calamitate tam miserabili est consumptus. Gemit etiam, quod pars residua bellatorum exposita maris periculis, & fluctibus tempestatum, absque duce, præceptore, vel principe ducitur quò ignorat, modicum profectura vtilitatibus Terræ sanctæ, quibus debitæ consolationis solatium, & opportunæ subuentionis auxilium, impedientibus iam maris frementis procellis, temporisque angustia, iuxta votum non possumus ministrare.

37 Plangit insuper excidium Terræ sanctæ, quam nunc eripi de paganorum manibus sperabamus, quam olim, vt asseritur, recuperasset exercitus Christianus per concambium Damiatæ; nisi ei semel & iterum imperialibus fuisset literis interdictum. Qui etiā non fuisset conclusus in manibus pagaoorum, si galeatum Imperatoris subsidium tunc fuisset, vt ex parte sua promissum extiterat & fieri potuit, subsecutum; nec Damiata perdita, quæ, vt asseritur, suo tradita nuntio, & aquilis imperialibus insignita, eadem die crudeliter expoliara per suos deserta viliter ac ignominiose per ipsos fuit infidelibus restituta. Recurrit etiam ad rediuiua suspiria, & amissionem præscriptam, recolens Damiatæ tot laborum angustias, tot expensarum dispendia & tot mortes fidelium, tot excursus temporum, quæ inutiliter effluxerunt, subortis lacrymis deflere non cessat, necdum est, qui consoletur eam ex omnibus charis eius, & abstergat lacrymas a maxillis.

Deplorat Greg. occasione Frid. non receptas antea Hierosolymas

38 Cum ergo vox eius iam in Rama insonuerit, & Rachel non solum filios, sed hæc omnia irremediabili lamentatione deploret, quis fidelium se a gemitibus, & suspirijs continebit? Quis filiorum cereos aquarum profluuia matris oculis prodeuntia, lacrymas non effundat? Quis matris non compatietur angustijs, nec immensis eius doloribus condolebit? Quis fidelium propter hoc non ardentius inflammabitur ad subsidium Terræ sanctæ, ne Christiana iuuentus ex inspetato casu prostrata penitus videatur, & ignominiose animo consternata? Nonne viri cordati, & filij Iesu Christi debent ad subsidium Terræ sanctæ tanto fortius animari, quanto ignominiam geminatam amplius resultare conspiciunt, ex inspetata ruina in patrem, & filios, in Redemptorem atque redemptos; in Christum, & populum Christianum? Nos enim istud negotium tanto ardentius assumere affectamus, & profundiori consilio alta intendimus remedia inuenire, quanto maior incumbit necessitas, & ex multis conflata doloribus nostram grandis angustia mentem premit. Etsi enim Dominus populo suo ondicoor ostenderit se iratum, de illius mano hoc tempore sacrificium non acceptans, qui prudentiam non est imitatus illorum, per quos salus in Israel fieri consueuit; nondum tamen misericordiæ Domini sunt consumptæ, nec eius miserationes penitus defecerunt. Speramus namque in misericordia Dei nostri, quod viam nobis ostendet, per quam in hoc negotio prospere gradiamur, & viros secundum cor suum Ecclesiæ designabit, qui præcedant in cordis puritate

ritate, ac manuum munditia exercituum Christianum.

Præcipit episcopis Fridericū e cœtu fidelium pulsum, vt periurum promulgent.

39 Quapropter fratevnitatem vestram obsecramus in Domino per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes, quatenus hæc cleco & populis vobis commissis fideliter exponentes, ac inducentes eosdem, vt ad hæc exequenda studeant suos animos præparare, ipsos ad vindicandam iniuriam Iesu Christi sedulis exhortationibus inuitetis, vt cū ipsos Apostolica sedes, habito maturiori tractatu, solicitandos prouiderit, promptos inueniat, & paratos. Porro ne tanquam canes muti non valentes latrare videamur deferre homini contra Deum, non sumentes vltionem de illo, qui tantam ruinam in Dei populo procurauit, Imperatorem Fridericum, qui nec transfretauit in termino, nec illuc in taxatis passagijs præscriptam pecuniam destinauit, nec duxit mille milites per biennium tenendos ibidem ad suum pro subsidio Terræ sanctæ, sed in his tribus articulis manifeste deficiens, in excommunicationis descriptæ laqueum vltroneus se ingessit, excommunicatum, quanquam inuiti, publice nuntiauimus, & mandamus ab omnibus arctius euitari, per vos & alios ecclesiarum prælatos ipsum excommunicatum præcipientes publice nuntiari, contra ipsum, si contumacia eius exegerit, grauius processuri. Confidimus tamē adhuc in clementia pij Patris, qui neminem vult perire, quod eius mentis oculi caligantes, hoc ecclesiastico delibuti collyrio, si non fuerit omnino rebellis, lumine poterunt illustrari, vt suam aspiciant nuditatem, & ignominiam, quam incurrit, aduertant; sicque recurrat ad medicum, & ad matrem Ecclesiam reuertatur per humilitatem debitam, satisfactionem congruam salutis remedia recepturus. Nos enim eius salutem in Domino, non interitum affectamus, quem ab olim sincere dileximus in minori etiam officio constituti. *Datum Anagniæ sexto idus octobris pontificatus nostri anno primo.*] Hactenus Gregorins, ex cuius oratione constat quam iuste Fridericum, rem Christianam fœdissime prosternentem, anathemate deuinctum promulgarit. Fuere vero ex encyclicæ literæ a, quas etiam Parisius historiæ suæ anno sequenti insinuat, ac probant aliæ a Pontifice ad Germaniæ principes Anagniæ exaratæ.

a Ibid. ep. 178.

Reuertitur Romā Greg.

b Greg. l. 1 ep. 151.

40 His ita gestis summus Pontifex Anagnia mouens, vt Romam remigraret, Velletri ad Austriæ ducem literas b dedit, quibus ipsum ob ardentem sacræ expeditionis obeundæ zelum collaudat atque in fidem suam & clientelam admittit: de eius vero in vrbem ingressu hæc gesta: *Sub mitiori cælo grata redeunte temperie vrbem regreditur venerandus antistites*, (in eandem sententiam Pontificem Anagnia per Velletrum in vrbem regressum scribit Richardus c) *a clero & populo magnifica veneratione susceptus, religiosis, viduis, atque egenis * subuentionis largam manum extendens, nec deuotione nobilium dimissa irremunerata.* Regresso Romam Gregorio, Fridericus, vt pontificiam seueritatem eluderet, ad solitas artes confugit, misitque oratores ad Gregorium, qui factum excusarent: sed illorum fucos despexit Pontifex, nulloque Imperialis indignationis ac potentiç terrore ad dissimulandam Christi Ecclesiæ, ac fidelium iniuriam, frangi se passus est. Nec minus studij diligentiæque adhibuit, vt ipsum paternis monitis ad officium reuocaret: extant enim apostolicæ literæ d, quibus ipsum adhortatur citissime ad Ecclesiæ sinum pronolet, tandemque funesta illa vincula abrumpat, quibus non sine incredibili suo dolore teneretur.

c Ric. de S. Germ. in chro. MS. Ipsius liberalitas.

* alij

Solicitatur ad pœnitentiam facti.

d Ibid. ep. 165.

Ea de re lit.

41 *Frederico Romanorum Imperatori illustri semper Augusto & Regi Siciliæ spiritum consilij sanioris.*

Vtinam Imperialem celsitudinem ita assuefecisses timori diuino, vt illi te tota deuotione subijciens, qui tibi subiecit varias nationes, non solum ipsum contra te prouocare metueres, ne arguereris ingratitudinis manifestæ, sed pro perceptis beneficijs ad seruiendum sibi totis desiderijs aspirares, qui cum non nisi pro te indigeat bonis tuis, nequaquam affectum, nedum effectum irremuneratum relinqueres seruientis. Vtinam quoque benignitatem, & patientiam Ecclesiæ Rom. humiliter recognoscas, quam cum exasperaueris multipliciter, vltra quam expediat recenseri, ne celsitudinem tuam conuitijs velle lacessere videamur, ipsa erga te semper affluens pietatis maternæ visceribus, tecum nunquam processit, nisi in spiritu lenitatis. Quare arguimur, & forsitan non indigne, quod quasi coquentes hædum in lacte matris, te in tuis noxijs voluntatibus souere videamur in multorum præiudicium, & scandalum Ecclesiæ generalis. Licet enim ex eo quod Christi causā, quam videbaris magnanimiter assumpsisse, sperantibus fere omnibus te illam ad finem deducere gloriosum, ita inerter, ita periculose, ita misere deiecisti, dolor immoderatus, stupor immensus, & enormia horror corpus, & animam nostram vndique circumdederunt, ita quod fere in extasi positi, de recuperatione Terræ sanctæ pene penitus cœpimus desperare, flentes amarissime nihilominus tot, & tantos occasione tui mortuos Christianos, & gementes illorum exilium, vtinam non excidium, qui pro tua fiducia iter arripuerunt in eiusdem terræ subsidium transfretandi; omne tamen, quod potuimus, erga te seruauimus mansuetudinis moderamen, illam tantum sententiam publicando, quam ipse in te voluntarius feceras promulgari, & retardando illas, quas consensisti ferendas, nisi conditiones alias, quas promiseras, adimpleres.

Proponit illi ob oculos commissū nefas.

42 Ne autem possit quispiam suspicari, quod sinceritatis affectus, quem erga te gerimus, ex hoc vel in aliquo diminutus, cum dicatur potius, quod pater filium, quem diligit, corripit, & e contrario qui parcit virgæ, odit filium; ea quæ ad salutem animæ tuæ, quam totis visceribus affectamus, pertinere cognoscimus; nec non ea quæ ad honoris tui augumentum proueniunt, quem libenter, in quibus conuenit, promouemus, serenitati tuç non desinimus suadere. Ideoque Imperialem mansuetudinem rogamus, monemus, & hortamur attente, obsecrantes per aspersionem sanguinis Iesu Christi, quatenus ne, quod absit, de numero sis illorum, de quibus Dominus conqueritur per prophetam dicens: *Percussi eos, & non doluerunt, & attriti renuerunt accipere disciplinam*; sed potius correptus in misericordia correptionem recipias & medelam, ad soluenda varia vincula, quibus teneris astrictus, instanter intendas, & ad gremium matris Ecclesiæ te desiderabiliter expectantis, cum omni celeritate festines, satisfaciendo Deo, qui tibi vtique satisfecit, & hominibus iustitiam exhibendo. Sicut enim scire te credimus, contra nos murmuratur, immo clamatur, quod prælatorum exilium, ecclesiarum, hospitalium, orphanorum & viduarum, necnon aliorum religiosorum spoliationes, & alias atroces iniurias visi fuimus hactenus sub dissimulatione transire.

Exprobrat datā nonnullis proceribus fidem non seruasse.

43 Illud nobis quoque sæpius exprobratur, quod cum Ecclesia Rom. se ad precum tuarum instantiam, prout ex literis tuis apparet, fideiussorie obligarit super seruanda compositione inter te, ac comites Celanen. & Raynaldum de Auersa solemniter celebrata, ita tuæ sublimitati detulimus, quod illorum videmur iustitiam sustulisse, qui nunquam disponimus cuiquam in suo iure deesse. Nec illorum vociferationes possumus obaudire, qui clamantes, quod ad preces piæ recordationis Honorij Papæ prædecessoris nostri dilectum filium nobilem virum comitem Rogerium in tuam recipiens gratiam & fauorem, promiseras quod ipsum in nullo minueres, sed potius au-

gumentates, conuitiando concludunt, quod ipsius exilium, quem ipse cruce signari fecisti, & captiuitatem filij, quasi conniuentibus oculis transimus, qui afflictis, & captiuis specialiter tenemur adesse. Ad hæc cum vniuersi crucesignati sub speciali sedis Apostolicæ protectione consistant, multi subsannant, conuitiantes ironice, ac dicentes: Eccine qualiter sunt protecti, qui cum crucem assumerent potentes & diuites, nunc a te electi exulant, & mendicant.

Siciliæ ecclesias oppressisse.

44 Præterea cum regnum Siciliæ pleno proprietatis iure ad Rom. spectet Ecclesiam; non solum calamitatibus oppressorum compassionis affectu confodimur gementium, quod illos in eis sustinemus impiæ seruitutis abusus; quos vix debemus in regnis alijs comportare; sed confundimur a vocibus exprobrantium, & loquentium, quod tales afflictiones in ijs, quæ ad sedem Apostolicam te mediante pertinent, toleramus, quales ipse in ijs, qui ad te spectant, aliquo medio nullatenus tolerares; cum intersit nostra potissime beneficio consolationis adesse quibuslibet tribulatis. Quare nec illorum pœnas nec tuas culpas possumus vlterius salua conscientia comportare: præsertim cum super ijs iam monitus fueris diligenter. Vt igitur conscientiæ ac famæ tam tuæ, quam nostræ propitiari proberis, monemus, rogamus, & hortamur, & pro dono speciali deposcimus, vt memor quod nihil valet homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ sustineat detrimentum, taliter super his prouideas, quod solo virtutis amore, quæ debita sunt, videaris cupere adimplere; nosque facias de tua conuersione, immo profectu lætari, scriturus quod parati sumus ad gratiam, vbi tamen scimus iustitiam non perire. Alioquin quantumcumque tibi deferre velimus, supradicta nequaquam dissimulare poterimus, quin secundum Deum, & iustitiam procedamus. *Dat. Later.*]

Despicit pontificia monita Frid.

45 Repulit paterna monita Fridericus (vt verebatur Gregorius) & in deteriora prolapsus, veteribusque flagitijs nouis cumulatis, itas in Pontificem effundere, ardentesque contra eum & aculeatas literas calumnijs contumelijsque refertas spargere ac disseminare cœpit, quarum plures extant apud Petrum de Vineis, qui Friderico a secretis fuit, ac nonnullæ a Parisio afferuntur, de quibus etiam Richardus meminit: eæ vero apertæ falsitatis coarguuntur, non tantummodo ob illa, quæ Pontifex certissimis conspicuisque argumentis inferius afferendis demonstrat, verum etiam ob auctorum, qui illis floruere temporibus, fide dignissima testimonia, qui pene omnes Fridericum vitijs inquinatissimum fuisse literis prodiderunt. Iam vero superius a nobis dictis Parisij cæteroquin Rom. Pontificibus iniquissimi, testimonium adducere visũ, qui de expeditione facta a Friderico turpiter deserta hæc ait: *Quod factum Imperatoris damnose nimis redundauit in dedecus, & in præiudicium totius negotij crucifixi. Ob hanc ergo causam iuxta multorum opinionem estimatis, vt prædictum est, mundi Saluator in cruce clauis confixum & cruore conspersum populo Christiano; quasi singulis & vniuersis super iniuria sibi ab Imperatore illata quereretur.* Ex his ac superioribus Conradus abbas Vrspergensis a Friderici fautor confutatur, qui eo insolentiæ prorupit, vt Gregorium Papam elatum arrogantia, leuissimis de causis, nullo iudiciorum seruato ordine, Imperatorem sacris mouisse, monumentis tradere ausus sit. Nec aliud vir ineptissimus ad rem grauissimam confirmandam argumentum, quam Friderici aduersus Pontificem furore exæstuantis flagitiaque sua omnibus modis colorantis literas adducit.

Literas in Pontif. mendacijs, & calumnijs refertas spargit.

Graue Parisij aduersus Frid. testimonium.

Vrspergensis Friderici fautor confutatur.

a Vrsperg. in chron. hoc an.

Deiecta Syriæ res.

46 Prodita itaque a Friderico Christi causa dissolutaque expeditione, orientales Christiani animis consternati perhorruerunt; atque ex ijs, qui ex diuersis partibus concurrerant, aduentus Imperatoris spe defraudati, vltra quadraginta millia lectissimorum militum in ijsdem nauibus, in quibus venerant, recesserunt. Cumque cæteri ad reditum se compararent, nisi induciæ cum Saracenis abrumperentur; habito militari consilio, cum hinc nõ leue periculum, si lacesseretur hostis, immineret, inde metus non abesset, ne redeuntibus crucesignatis barbari in Christianos incurrerent; tum etiam rei bene gerendæ occasionem Saracenorum discordia præberet Coradino ab Alapia Hamani & Camele sultanis bello appetito, demum re mature discussa deliberatum est Hierosolymas tentare; prius vero Cæsaream, deinde Ioppem magnis operibus muniendas, vt ijs arcibus firmatis, instructisque omnibus necessarijs, ac sequenti æstate nouis ex occidente viribus collectis in barbaros, ad recuperandas Hierosolymas, crucis signa attollerentur. De quibus omnibus Hierosolymitanus patriarcha, qui ad eam sedem e Valentina ecclesia traductus a hoc ipso anno fuerat, idemque sedis Apostolicæ legatus creatus, Cæsariensis, Nazarensis & Narbonensis archiepiscopi, Vvintoniensis & Exoniensis episcopi, ac religiosorum equitum magistri literas ad Gregorium misere b, quas ipse in alijs ad fideles missis inseruit, omnesque ad induendam crucem suscipiendumque iter his verbis excitauit:

Maxima crucesignatorũ pars in occidentem reuertitur.

Alij de inuadendis Sarrac. deliberant.

a Eod. l. 1. ep. 36.

b Extant apud Par. hist. Angl.

Pontifex fideles excitat ad redintegrandum sacrũ bellum.

c 47 *Clamat ad singulos Christi sanguis de terra, supplicat paruus & humilis exercitus, sed deuotus sibi celeriter subueniri, sperans in Domino, & confidens, quod negotium humiliter inchoatum debeat ipso concedente feliciter terminari. Vniuersi igitur & singuli, qui Christum induistis, per fidem viriliter accingimini ad Terræ sanctæ succursum, cum hic causa communis agatur, vestra scilicet fidei ac totius fidei Christianæ. Dat. Later. x. kal. ian. pont. ann. 1.* Miserat etiam antea alias ad redintegrandam sacram expeditionem Germanis principibus literas, quibus pari zelo ipsos hortatus est, vt eo maioribus animis ad arma ad fidem defendendam prosilirent, quo magis illius causa a Friderico, in quo Ecclesia spem suam collocarat, deserta afflictaque videatur, & crucis hostis petulantius insolescat: æquitati ac rationi consentaneum esse, vt quam a numine vitam accepere, pro ipsius amore, amplificandaque eius gloria generose profundant; Terramque sanctam Christi sanguine imbutam olim, & consecratam, in pristinam restituant libertatem.

De B. Elisabeth.

48 Cum in Germaniam defluxerit oratio, nonnulla nobis de beata Elisabeth, quæ in ijs oris vt pulcherrima sanctitatis gemma micabat, atque in viri morte maxima virtutis exempla explicuit, dicenda sunt. Cum nuntij in Thuringiam Ludouici Lantgrauij Thuringiæ eiusdemque, Hassiæ & Saxoniæ principis ac Palatini comitis mortem attulissent, prudentissime consultum est, ne temere tam acerbus casus vxoris aures feriret, quare satius visum, ad tam graue nuntium opportuno solatio deliniẽdum, vt Lantgrauij mater Sophia, quæ filium extinctum lugebat, nurui nuntium afferret. Quæ varijs illam verbis permulcere cœpit, bonoque animo iussit esse, si quid aduersi viro contigisset. Quæ verba Elisabeth de viri captiuitate interpretata forti animo subiecit c: *Si captiuus detinetur frater meus* (his enim verbis mollioribus eum compellabat) *spero diuina ac nostra, & amicorum opera liberatum iri. Cui Sophia: Extinctus est. Tunc illa ingenti dolore percita exclamat: Mortuus, mortuus ergo mihi pariter mundus, ac perijt quidquid in mundo mihi adblandiri possit;* ac mox præ dolore, emota mente, ingenti vlulatu lacrymisque effusis, palatium in quantam excurrebat longitudinem celerrime emensa, parieti adhæsit, e quo secutæ eam matronæ madentem lacrymis, ac singultibus abscissis tristissimas voces abrumpentem auulserunt. Nec multò post Henricus defuncti Lantgrauij frater, per summum nefas, non modò principatũ nepotibus debi-

c Theod. l. 4. c. 1. apud Mour. Canis. antiq. lect. to. 5. pag. 196.

Vt viri mortem luxerit.

A leuiro vna cum filijs turpiter ejicitur.

debitum inuasit, verum & Reginam erectam palatio ad summam inopiam redegit.

Mira illius patientia.

49 Deturbata ex illo rerum florentissimo statu in abiectissimum Elisabeth, non excidit animo: sed prima ipsa nocte, qua pulsa fuerat, sese ad Minorum ecclesiam contulit, exorauitque, vt illi, *Te Deum laudamus*, decantarent, quasi in tam atroci rerum conuersione triumpharet. Quæ vero postea acerbissima incommoda, ac mala perpessa fuerit, vtque reuersi viri prænobiles, qui cum Lantgrauio sacram expeditionem susceperant, acriter in Henricum inuecti, compulerint Elisabetham palatio excipere, quæ tandem spretis mundi opibus sponte ijs sese exuit, ac in pristinam egestatem collapsa mundanorum hominũ ludibrijs fuerit appetita, eius vitæ auctor Theodoricus est pluribus prosecutus, qui subdit: *Dominus Papa Gregorius nonus apostolicis eam scriptis consolans, sanctorum quoque exempla ei proponens, & vitam æternam pollicens, ipsam ad castitatis perseuerantiam, & patientiæ constantiam benigne, ac paterne hortabatur, personam ipsius, & bona sub protectione sedis Apostolicæ recipiens speciali, qui etiam magistro Conrado sacerdoti deuoto, & viro coram Deo & hominibus comprobato, eam suis literis diligentius recõmendans, eundem sibi instituit defensorem*. vt verò sanctissima Regina ijs aduersis rebus non deiecta, sed ad celsissimum pietatis Christianæ apicem fuerit excitata, atque ob vitæ merita, & insignia miracula sanctorum catalogo adscripta fuerit, suo loco dicetur.

Seculi pompam despicit.

In clientelã Ap. sedis suscipitur.

Cumani ad fidem Christianam conuersi.

a Lib. 1. ep. 39. Ea de re lit. ad Strig. arch.

50 Ceterum spectat ad Vngariæ gloriam non modo beatam Elisabeth tulisse, verum etiam Cumanos Strigoniensis archiepiscopi opera ad Christum pellectos esse, ac luce euangelij collustratos. Ex quo felici nuntio ingenti gaudio delibutus Pontifex, gratulatorias Strigoniensi archiepiscopo literas dedit a: *Nuper per literas tuas nobis transmissas accepimus, quod Iesus Christus Deus, ac dominus noster, super gentem Cumanorum clementer respiciens, eis salutationis ostium aperuit his diebus: aliqui enim nobiles gentis illius per te ad baptismi gratiam peruenerunt, & quidam princeps Boriz nomine de terra illorum cum omnibus sibi subditis per ministerium tuum fidem desiderat suscipere Christianam; propter quod vnicum filium suum vnà cum fratribus prædicatoribus, missis dominica operarijs in terra prædicta, ad te specialiter destinauit; attentius obsecrans, vt personaliter accedens ad ipsum & suos, viam vitæ ostenderes ipsis, per quam ad veri Dei notitiam valeant peruenire. Vnde quamuis pro executione voti tui, quod emiseras pro Terra sancta subsidio, in peregrinationis esses itinere constitutus, considerans tamen tam magnum animarum fructum, & augmentum Christianæ fidei exinde prouenire posse, si pijs eorum desiderijs condescendas, intermisso dicta peregrinationis itinere, dilectum filium archidiaconum de Zala ad nos destinare curasti, deuote ac humiliter supplicans, vt tibi hoc faciendi, non obstante voto prædicto, licentiam præberemus. Et quia magis fructificare poteris, si Apostolicæ sedis legatione fungaris, cum auctoritas semper consueuerit multum fauoris habere in Cumania, & Brodinia terra illi vicina, de cuius gentis conuersione speratur; legationis officium tibi committere dignaremur, per quod habeas potestatem in eisdem terris vice nostra prædicandi, baptizandi, ædificandi ecclesias, ordinandi clericos, nec non & creandi episcopos, & generaliter omnia, quæ ad cultum, & ampliationem fidei pertinent, exercendi. Cum igitur maius bonum minori sit merito præferendum, & de tua charitatis ardore geramus fiduciam pleniorem, accedendi ad dictas prouincias licentiam tibi concedimus postulatam, deuotioni tuæ super prædictis plenæ legationis officium in eisdem prouincijs committentes. Dat. Anagniæ 11. kal. aug. pont. nostri anno 1*. Hæc Pontifex. Qui pari studio adducendorum ad Christum septentrionalium infidelium in literis ad Vvratislaniensem episc. datis Svvantopelkum laudibus commendauit a ob extructas Prædicatorum familiæ religiosis viris ædes in vrbe, cui Gdank nomen est, vt in finitimos barbaros ad subijciendos illos Christi imperio velut ex arce quadam excurrere possent. Laudatur etiam Svvantopelkus ob pium illud facinus a Longino b: sed pariter ob cruentam ab eo in suum principem conflatam coniurationem, ac scelere partam sibi Pomeraniam in crimen vocatur.

Legati Ap. munus illi cõmissum in Cumã. & Brodin.

a Lib. 1. ep. 75.

b Longin. l. 7. hist. Pol.

Polonicæ res.

51 Luxit sane hoc anno Polonia tristem, ac funestam Lesconis Albi Cracouiensis, ac Sandomiriensis ducis necem, quam Longinus imbuto lacrymis stylo prosequitur. Cum enim præfectura Pomeraniæ, ac rerum gestarum gloria superbiens Svvantopelkus, a Lescone Albo, vt eam illi prouinciam fiduciario iure, supremo sibi retento, vsumque purpuræ concederet, expetijsset, repulsam passus, militibus in suum nomen iureiurando adactis, deficere cœpit, ac tributa Lesconi persoluenda inuadere. Quibus auditis Lesco, indicto Zanzanæ conuentu, in speciem consulendi rebus Polonicis, re ipsa vero, vt eò rebellem blande alliceret, ac Pomerania incruentè potiretur. At Svvantopelkus artes illius cruentis alijs artibus elusit: cumque se proxime venturum per internuntios suos ad explorandum consilijs immanibus opportunum tempus significaret, coniuratione conflata cum Vladislao Othone duce, dum Lesco, ac Henricus cum barba appellatus Slesiæ & Vvratislaniæ dux ipsi Lesconi familiaritate amicitiaq; coniunctissimus, balneo corpus abluerent, Pomeranorum ingenti succinctus manu irruit, resistentes trucidat, fugientemque Lesconem Album immaniter obtrũcat. Tum Henricum in balneo plurimis vulneribus cædit, in quo casu militis vnius Peregrini nomine, virtus posterorum æterna memoria celebranda enituit: qui obiecto corpore, vibratos in Henricum lethales ictus excepit, ac demum moriturus sese illi iniecit: ita enim Henricus cum mortuum finxisset sub militis occisi cadauere delitescens, e præsenti mortis periculo euasit. Addemus Polonicis rebus extare in regesto pontificias literas c de controuersia Cracouiensem inter & Vvratislauiẽsem archiepiscopos mota, de qua Dlugoscus memoratus hæc superiori anno scriptis consignauit: *Celebrauit & hoc anno Vincentius archiepiscopus Gnesnensis synodum in ecclesia S. Blasij, vbi contentione de prima sessione inter Iuonem episcopum Cracouiensem & Laurentium episcopum Vratislauiensem exorta, Iuone episcopo Cracouiensi ius sedis per priuilegia apostolica probante, Laurentio episcopo Vratislauiense nihil opponente, aut producente, de loco tamen cedere nolente, Iuo ex synodo recessit*. Atque hactenus de Polonicis rebus.

Conflata a Svvantopelko in Lescone Album coniuratio.

Lesconis cædes.

Henricus cum barba sauciatur. Insigne pro eo liberando militis facinus.

c Greg. l. 1. ep. 45.

Exorta inter Vratis l. & Crac ep. de sedis dignit. controuersia.

Noui in gessis. Lud. Mota a nonnullis proceribus in D. Lud. rebellio.

52 In Gallijs erupit hoc annò fœderatorũ principum, Hugonis nimirum Marchiæ, Theobaldi Campaniæ, ac Petri Britanniæ comitum aduersus Ludouicum Regem coniuratio. Ferebant illi iniquo animo Regi puero subesse, cuius etiam consecrationis regiæ pompam cohonestare, fideique sacramento se illi addicere recusarant: tum indignabantur Blancham Reginam, Hispanam genere, regni administrationem gerere. Sed breui illa principum audacia concidit; generoso enim ardore accensus regius adolescens Romano legato Apostolico, ac Boloniæ comite paterno stipatus, antequàm factio coalesceret, in rebelles mouit, Campaniæ comitem illius aduentu territum ad officium adegit; dein Marchiæ ac Britanniæ comitibus, vt iuris ordinem seruaret, diem indixit. qui cum initio non paruissent, tertiò repetito eodem imperio; sibi metuentes in illius obsequium procubuerunt.

Illius virtute ac felicitate cõprimũtur.

Anglis terrori est.

53 Cum felicibus initijs Regis Ludouici potentia se efferret, Anglorum Regem, qui fœdus cum ijs pro-

proceribus coierat, metus incessit, ne reliquam Aquitaniam ipsi Gallus eriperet; cum præcipuè eò plurium vergerent consilia, bellum in Anglos ad ipsos e tota Gallia deturbandos vertendum videri. Quod cum præsensisset Gregorius, qui Anglorum Regem Ecclesiæ stipendiarium tuebatur, vt amissa recuperaret, Ludouicum ab eo consilio abducere suis literis est conatus, atque ad restituendas Anglis prouincias, quæ a parte compararæ fuerant, solicitauit. a

Abducere eum nititur a bello Angl.

a Lib. 1. ep. 86.

Illustri Regi Franciæ.

54 Pro prærogatiua deuotionis, & fidei inclytæ recordationis Regum, & regni Francorum ad Reges ipsos & regnum semper exuberauit Apostolicæ sedis affectus, & nos qui eidem sedi, licet immeriti, præsidemus, firmiter proponimus, in huiusmodi dilectione imitari prædecessores nostros Romanos Pontifices, quantum cum nostra possumus honestate, de conscientia bona, & corde sincero ad incrementum tuum, & regni eiusdem efficaciter aspirantes. Nimirum ex abundantia, & feruore dilectionis prædictæ, frequentes, & diuersas molestias ab auo, & patre tuo Regibus, & regno Angliæ irrogatas, Rom. Ecclesia non sine derogatione sustinuit famæ suæ, cum regnum Anglicanum specialiter ad ipsam pertineat, & immo in eius iniurijs honor sedis Apostolicæ læsus fuit. Ex eadem quoque affectione processit, quod cum auus tuus non mediocriter interdum offenderit claræ memoriæ Regem Angliæ crucesignatum sub protectione sedis Apostolicæ consistentem, licet fuisset in eius iniuriam id præsumptum, non solum conniuentibus oculis pertransiuit, sed eum tunc ex hoc in magnæ necessitatis articulo constitutum, iniurijs dissimulatis adiuuit. Contra ipsius etiam inhibitionem inclytæ recordationis pater tuus regnum Anglicanum inuadens, totam penè terram, quam citra mare Reges Angliæ tenuerant, occupauit: & tamen ab hoc Romana Ecclesia retrahi a dilectione regni Francorum non potuit; sed eius amorem honori suo præferens, super hoc non processit, sicut forte procedere debuisset.

Insinuat Greg. sed. Apostolicæ in Gallos studium.

Vt suas ob id iniurias in Anglorum oppressione dissimulant.

55 Insuper cum contra barones Regis Angliæ quædam apostolicæ literæ, quæ de iure negari non poterant, emanassent, eadem Ecclesia pro illo, quem ad regnum ipsum habet affectu, effectum suspendit earum (quæ eæ fuerint supra indicauimus, nimirum Vasarensi episcopo datam prouinciam, vt eos qui ad Ludou. VIII. desciuerant, censurarum terrore ad Henrici obsequium reuocarent) in quo non modicam notam incurrit, dicentibus aliquibus, quod contra Deum homini deferebat. Nouissime vero sicut accepimus, aliqui suadere nituntur, turbandum charissimo in Christo filio nostro.... illustri Regi Anglorum illud modicum, quod ei citra mare remansit. Quia igitur merito de nobis posses diffidere, quod deberemus in tuis necessitatibus tibi fauere, si alijs propriam iustitiam sedes Apostolica denegaret; & tunc tuæ vtilitati consulimus, cum animæ tuæ soliciti prouidemus, ad quod ex Apostolicæ seruitutis officio, tibi sumus specialiter obligati, serenitatem tuam rogamus, & hortamur attente, ac tibi etiam consulimus bona fide, quatenus, cum inter Reges alios locum obtineas celsiorem, dispendium salutis, & famæ deuitare procurans, occupata maxime contra Ecclesiæ interdictum restituas, & ad aliena iura manus tuas cum iniuria non extendas. Quia cum Rex a regendo dicatur, non debes suadentibus talia credere, sed prudenter regere temetipsum; quod quidem omnino non fieret, si non abstineres ab iniurijs aliorum, & non restitueres, si qua iuris alieni nosceris detinere. Preces itaque ac exhortationes, & cõsilium nostrum, sic ob reuerentiam nostram, & Apostolicæ sedis admittas, quod conscientiam tuam in huiusmodi non offendas, detrimentum enim tuæ salutis eò minus tolerare possemus, quo illam ardentius affectamus. *Dat. Later. VIII. kal. iunij pont. nostri anno I.* Hæc Pontifex in Henrici gratiam. Qui licet Galliæ Regem in clientelam suam accepisset, Henrico tamen rescripsit non esse pontificij consilij aduersus Anglicanam rem ipsius partes sustinere.

Solicitat ad restituendas ereptas Anglis terras.

56 Ad sustinendos ingruentium sub primis regni auspicijs bellorum sumptus firmandumque solium magno ærario opus erat Regi Ludouico: atque adeo a clero exactæ sunt decimæ, quæ Ludouico VIII. Albigensis belli causa decretæ fuerant. cum maxime Narbonensis Gallia hæreticis vires animosque ex preterita clade colligentibus tumultuaretur. Qua in re Cardinalis legatus demandata sibi auctoritate ad tuendam regni dignitatem, in compellendis ad solutionem decimarum viris ecclesiasticis est vsus. Tulere grauissime ex ijs nonnulli onus sibi impositum, atque literas ad Gregorium querelis acerbioribus refertas misere: indignum videri residuam promissæ in Bituricensi synodo decimæ partem exigi, cum ea lege concessa esset, si Ludouicus VIII. expeditionem in Albigenses persequeretur: nunc vero, eo extincto, mutatas rerum vices, iniusteque se a Regina Blancha ac Romano legato opprimi.

Gallicanus clerus se opprimi queritur.

Sanctissimo in Christo patri, ac domino Gregorio, miseratione diuina summo & vniuersali Pontifici, deuoti & humiles eius famuli P.... decanus, totumque capitulum ecclesiæ Parisiensis subiectionis, deuotionis, & totius obedientiæ plenitudinem.

Flebiles ea de re ad Greg. lit.

Si populo suo reseruasset Dominus alterum Ieremiam sanctificatum ab vtero, qui sicut ille planxisse legitur, sciret plangere captiuitatem populi sui, non tantum quadruplici, sed multiplici, si posset, plangeret alphabeto, & merito iuxta nouitatem flagitij, nouum excogitaret genus lamenti. Ille planxit transmigrationem populi sui ab hostibus factam, meritis peccatorum inflictam: iste plangeret calamitatem non veteris populi, sed inclytæ Sion, de qua dictum est: *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob*, calamitatem plangeret, non ab extraneis, & inimicis immissam, sed ab eis, quorum esset protegere, non opprimere, procuratam. Calamitatem plangeret, quæ non meritis redditur, sed potius ex insolentia dominationis infertur eorum, quibus dicitur: *Prouidentes non coactè, sed spontaneè, neque, vt dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo.*

57 Veritas quidem ita se habet, quod a domino legato totius legationis suæ concilio Bituricen. conuocato, capitulorum ibidem nuntij pro Albigensi negotio conuenerunt, vt ea quæ in eodem concilio tractarentur, seu statuerentur, capitulis suis referrent, vt super eis deliberarent, nulla quidem penitus eis potestate consentiendi concessa. Cum igitur de modo subuentionis negotij Albigensis eos consuleret, & ipsos ad hoc inducere niteretur, quod decima bonorum ecclesiæ per quinquennium solueretur; si Rex Ludouicus bonæ memoriæ negotium assumeret, & ad idem personaliter laboraret; responderunt nuntij, quod nullam habebant super hoc consentiendi potestatem, nec quæ sibi limitata fuerant, poterant excedere; vnde pro seipsis, non pro capitulis responderunt. Et bene videbatur eis, quod vtile erat consilium decimam prætaxatam persolui, si Rex aliter non vellet dictum negotium assumere, & personaliter laborare, sine cuius præsentia nullatenus, secundum quod videbatur eis, poterat negotium vtiliter expediri. Postmodum autem quidquid fecerit, quidquid constituerit super hæc capitula, non conuenit: sed tractatu cum quibusdam episcopis habito ad Regem accessit, & quod Rex negotium personaliter susciperet, procurauit. Cum igitur viderent capitula, quod Dominus Rex Ludouicus felicis memoriæ pro negotio fidei tantum onus susciperet, fidei eius feruori de-

ri deuotionem suam iunxerunt, non quod attenderent aliquam promissionem, quæ nulla in veritate præcesserat; sed cum gaudio animi de pura liberalitate, ne tanto deesse negotio viderentur, dimidiam partem decimæ non quidem nomine decimæ, sed obtentu subsidij persoluerunt, aliam partem, & etiam maiorem, si expediret, si Deus eundem Regem reseruasset incolumem, & in eodem negotio persistentem, libenter & liberaliter soluturi. Rege autem defuncto, quidquid dominus legatus cum Regina fecerit, quidquid constituerit, quidquid promiserit requisita capitulorum voluntate, non est factum: vnde considerantes, quod non erat, in cuius manu negotium posset proficere sicut prius, nullam visum est eis subesse causam, quare quinque annorum decima solueretur: maxime cum iam legatus vellet eos, sicut dicebatur, ad solutionem, vt Reginæ promiserat, compellere, eo dicente, quod etiam cappas nostras daret ei, nec Regina se vellet ad certum tempus, vel certum numerum militum aliquatenus obligare: attendentes, quod hoc ipsum, quod de liberalitate processerat, conuertebatur in obligationem, & seruitutem sibi timentes in posterum capitula quatuor prouinciarum, Rhemense, Senonense, Turonense, & Rothomagense habita deliberatione & tractatu pro libertate sua seruanda potius, quam prò subuentione vitanda, ne ad onus huiusmodi compellerentur, sub hac forma sedem Apostolicam appellarunt, &c.] Sequuntur cleri earum ecclesiarum literæ, quibus ad sedem Apostolicam prouocarunt. Adscripta est feria quarta ante pentecosten huius anni. Subijciunt mox quæ sibi iniuriæ post eam prouocationem factam a legato censuras ecclesiasticas incutiente, regijsque administris ad decimam illam extorquendam ipsorum bona occupantibus fuerint illatæ, quas ad concitandum ad misericordiam Pontificem hac oratione exaggerant:

Intempestiui ob exactas decimas ecclesiasticorũ luctus.

58 Quis ista oculis siccis vobis valeat enarrare? deficit in scribendo manus, & plus fluit oculus, quam calamus: quidquid calamus pingit incausto, delet oculus lacrymarum profluuio, ac per talem pingentis & plangentis mixturam litera conuertitur in lituram. Vtinam vos Dominus pater sanctissime nobis alterum suscitet Hieremiam, qui nobis compatiatur, & plangat, & oret pro nobis, sicut dicitur in vltimo Machabæorum: *Hic est fratrum amator, & populi Israel, hic est, qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate Hieremias Propheta Dei*. Ad quem autem recurrere possumus, nisi ad vos? ad quem pulsare debemus, nisi ad vos? quem prius Ostiensem Dominus in ostium feliciter commutauit, per quod ingrediamur & egrediamur, & pascua vitæ inuenire possimus: quem Dominus prouidit hostiam sibi, hostem diabolo, ostium gregi suo, qui estis ostiarius simul & ostium; secundum quod ostium vicarius Iesu Christi, qui dixit: *Ego sum ostium*; secundum quod ostiarius successor Gregorij, cuius est super gregis dominici custodiam vigilare. Recte enim Ostiensi, & officium ostiarij, & nomen Gregorij mutatione facta diuinitus debebatur, ad quod ostium pulsamus, & ostiarium imploramus, ad vigilem respicimus, qui est virga vigiliarum, vt iuxta verbum Domini nobis fiat: *Petite, & accipietis, quærite, & inuenietis, pulsate, & aperietur vobis*. Petimus igitur ab ostiario, quærimus a vigili, pulsamus ad ostium, & aperietur nobis.]

Iis permotus Gregorius.

59 Acerbissimo eo luctu emollitus Gregorius, mox Romanum S. Angeli diaconum Card. A.S.L. grauibus verbis perstrinxit, decreto duriori Gallicanum clerum oppressisse, præcepitque literis [a], vt imposito onere illum leuaret, ac facta reuocaret. Tum alijs literis ad Rhemense, Parisiense aliaq; canonicorum collegia datis ipsorum dolorem permulsit [b].

a Ibid. ep. 130.

b Ep. 133.

Mulcet illorum dolorem.

*Præsentata pagina Senonensis, & Parisiensis capitulorum tenor exhibitus amarissimæ myrrhæ fasciculum nobis de nouo in cruce carnis, & patibulo spiritus immolatis exhibuit, qui ita paginam cordis nostri inauditæ turbationis calamo, & noua amaritudinis atramento conscripsit, quod scripturam nec lugubris mentis gemitus, nec lacrymarum fluuius obliterare valeat, quam nostro animo, quasi vngue adamantino nouo cudendi genere stylus exarati doloris impressit. Quomodo lugens valeat consolari mœrentem, dolensue delinire dolores, cum contraria suis curentur oppositis, non est facile reperire. Nemo quærat ob amaricato quod sapiat, ab exasperato quod mulceat, quia exterminantur in * verba, mella dulcedinis, vbi totum pectus occupat vis doloris.*

* amara

Deflet immaturam Lud. VIII mortem.

60 *Principium principis incliti quondam Regis Ludouici claræ memoriæ negotium pacis, & fidei fideliter promouentis Ecclesiæ matri suæ attulit risum, & gaudium: sed æmula mortis fato miserando subtractus risum in luctum conuertit, gaudium in lamentum, totumque negotium, quod felicibus Deo auctore promouebatur auspicijs, mortis suæ gladio grauiter vulnerauit. Sed successione prolis obducta vulneris cicatrice quasi reuiguit, & spem futuri fructus præteritis laboribus penitus non ademit. Verum quod dolentes referimus, dolendum est, ne nouum infortunium negotio pacis & fidei sic infortunate succedat, vt scintillam spei, quæ in cleri deuotione remanserat, flatus exorta malignatis extinguat. Sed absit quod hoc negotium vnius culpa perimat, pro quo tot martyrum sanguis sub altare Dei voce indefessa clamat: præsertim cum potius pro ecclesiastica libertate tuenda, quam pro negotij subuentione vitanda duxeritis appellandum. Recognoscimus siquidem, & fatemur, quod ecclesia Gallicana post Apostolicam sedem quoddam totius Christianitatis est speculum, & immotum fidei firmamentum, vtpote quæ in feruore fidei Christianæ, ac deuotione Apostolicæ sedis non sequitur alias, sed, vt cum earum pace dixerimus, antecedit. Cuius deuotionem verbis extollere superfluum reputamus, cum sit claris operibus manifesta. Intellectis igitur grauaminibus vobis a dilecto filio nostro Romano S. Angeli diacono Card. A.S.L. per ordinationem quandam Senonis editam irrogatis, tacti dolore cordis intrinsecus, & graui admiratione commoti, eundem legatum literarum asperitate nostrarum, vt decuit, redarguimus, & ei continuo dedimus in virtute obedientiæ firmiter in præceptis, vt ordinationem ipsam, siue quocunque alio nomine factum huiusmodi censeatur, omnino reuocet sine mora, &c.*

Iubet in clerum tentata reuocari.

61 Dabat hæc imperia Gregorius tristibus Gallicani cleri præter modum sua incommoda lamentantis querelis ad misericordiam flexus. Qui postea, cum rem suis ponderibus librasset, fidemque catholicam in Tolosana prouincia periclitari conspiceret (receperant enim hæretici ex morte Ludouici VIII. strenuissimi illorum domitoris morte animos, atque huius anni mense februario Guidonem comitem Montisfortis, Simonis illius præclarissimi fidei defensoris, cuius tot egregia prælia narrauimus suis locis, fratrem illiso in caput malleo prope Apamias, vt deplorat Bernardus, interfecerant) cum satius foret ecclesiasticas opes imminui, quam religionem labefactari, Ludouico Regi piam expeditionem a patre susceptam, eiusque immatura morte discussam, redintegrari meditanti decimas ecclesiasticorum prouentuum in concilio Bituricensi decretas concessit: prætermissisque cleri Gallicani lamentis, eas Regi persolui imperauit. Qua de re ad sanctum adolescentem hæ literæ datæ. [a]

Rem maturius discutit.

Guido e Monte fort. ab Albig. interimitur.

Lud. Regi bellum Albig. redintegranti easdem decimas persolui iubet.

a Ep. 154.

Illustri Regi Franciæ.

Cum dilectus filius noster Romanus S. Angeli diaconus Card. tunc A.S.L. in concilio Bituris pro negotio pacis & fidei conuocato, consilium accepisset, quod si claræ memoriæ Rex Franciæ pater tuus nego-

Eo argumēto trāsmissæ ipsi literæ.

negotium ipsum sibi assumeret decimam omnium ecclesiasticorum prouentuum suæ legationis vsque ad quinquennium, si tantum duraret negotium, offerret eidem; & Rex ipse diuinitus inspiratus assumpsisset negotium supradictum, idem legatus ei obtulit & promisit vsque ad prædictum tempus, si negotium tantum duraret, decimam memoratam expendendam pro voluntate sua, quandiu per se, vel per suos, sicut negotium exigeret, illud curaret prosequi bona fide. Cum autem huiusmodi facto legati quædam capitula trium prouinciarum, Rhemense videlicet, Turonense & Rothomagense se opposuerint, & ne compellerentur dictam decimam soluere, ad sedem Apostolicam pro se, & sibi adhærentibus duxerint appellandum, nos auditis super hoc quibusdam capitulorum procuratoribus, & Cardinale prædicto; considerato etenim quod pro tam euidenti necessitate, & tam vtili negotio Ecclesiæ Dei, dictus legatus tū iure legationis statuere vel ordinare poruit, quod expedire videbat; tum etiam ex eo quod specialem potestatem ab Ecclesia Rom. receperat ordinandi, & statuendi, quæcunque secundum datam sibi a Deo prudentiam videret negotio expedire, ordinationem ipsius ex ordine legitimam, & sanctam ea causa, nec nō & promissionem factam Regi de consilio pene totius Bituricensis concilij, de fratrum nostrorum consilio duximus approbandam, & non solum firmam, sed ratam, & gratam habemus eandem; volentes, & statuentes auctoritate præsentium, vt tibi secundum dictam promissionem a memorato legato eidem patri tuo factam, decima integre persoluatur. *Dat. Later. id. nouemb. an. 1.*

62 Reseruarat numen sancto Regi excindendæ Albigensis impietatis gloriam, quæ demum ab ipso elisa est, vt suo loco dicetur. Susceptam porro a patenre sacræ in hæreticos expeditionis prouinciam persecutus, multis secundis prælijs Albigenses Hymberti e Belloioco ducis opera, cui plures prælati se coniunxere, fatigauit. Cum vero Hymbertus munitam a Raymundo arcem obsidione cingeret, faceta hæc historia contigit, quam Bernardus narrat his verbis: *Erant in exercitu ex parte Regis & Ecclesiæ cum domino Hymberto dominus Petrus Ameiij archiepiscopus Narbonensis, & dominus Fulco episcopus Tolosanus, quem quodam die transcuntem cum pluribus circa villam illi de intus clamantes diabolorum episcopum infideliter vocitabant. Dicunt enim heretici infideles catholicos & ministros Rom. Ecclesiæ esse diabolos, & ipsam Ecclesiam satbanæ synagogam. Et tunc quis eum ipso erant: Auditis, inquiunt, quia vos appellant diabolorum episcopum? vtique respondit episcopus, & verum dicunt, quoniam ipsi sunt diaboli & ego sum episcopus illorum.* Addit auctor a, vt catholicorum virtute edomita fuerit obsessorum impudentia, arceque expugnata hæreticorum diaconus ac socij flammis iniecti fuerint; deinde instructis agminibus catholici ad Tolosanum agrum vastandum vineasque euertendas fuerint progressi. Quæ clades Tolosanorum animos ac superbiam admodum fregit. Non silenda vero nostrorum pietas, qui singulis diebus summo mane, antequam tractarent arma, pie diuinis mysterijs intererant; ac merito, cum sæpius edocuisset experientia precibus magis, quam armis hæreticos debellari.

63 Superest, vt quemadmodum pontificium zelum in vrgendo aduersus Albigenses hæreticos bello vidimus, ita quæ ad collapsos Christianorum mores emendandos, atque ad pietatem ardentem traducendos gesserit, afferamus. Insignes sunt eo argumento literæ ad Insubriæ præsules exaratæ, quibus ipsos hortatus, vt extirpandis populorum vitijs vacarent, paterne admonet b, vt, quo ea præstarent ad dignitatem, primum vitiorum omnium labem a seipsis depellerent: *Ad confusionem perpetuam euitandam, & declinandos sempiternos ardores ac cruciatus æternos, oportet omnes, qui assumpti sunt ad agrum dominicum excolendum, granum a palea flagello debita correctionis excutere, & a fruge dominica zizania separare, ne electos contagium tantæ corruptionis inficiat, & filios Dei cum filijs mundi hunc hora repentina calamitatis inuoluat. Quocirca fraternitati vestræ in virtute obedientiæ per Apostolica scripta districte præcipiendo mādamus, quatenus omni mora, & occasione postpositis, primo incipientes a vobis ipsis torporem desidiæ, et negligentiæ teporem omnimode deponentes, ne bonis stereore lapidatos incipiat vos Dominus vomere de ore suo, arma spiritualia, gladium & ignem viriliter assumentes, incipiatis parietem fodere, vt appareant genimina viperarum, & radius lucis vibretur interius, & ad vindictam exigat vmbram mortis, montales, & monachos, & clericos seculares efficaciter corrigentes, tam in capite, quam in membris, &c. Datum Anagniæ 11. id. iul. pontif. nostri anno 1.*

64 Parem quoque diligentiam ad solutiorum monasteriorum disciplinam constringendam testituendamque adhibuit, quod munus in nonnullis Italiæ prouincijs Ioachimo S. Mariæ, Iordano ac Pandulpho ordinis Prædicatorum religiosis viris demandauit a. Cæterum vt seuerum se in eos religiosos viros, in quibus antiquæ pietatis flos emarcuerat, exhibuit, ita alios apud quos vigebat disciplina, singulari beneuolentia est prosecutus. Vt enimde Minoritis ac Prædicatoribus mittamus dicere, ipsius literas ad rem illustrandam abbatissæ ac monialibus S. Mariæ Senensis exaratas b afferemus, cum præcipue ostendant, quantum rerum cœlestium contemplatione delectaretur. Ac sane mirum est tantum Pontificem in summæ dignitatis fastigio collocatum, quique Reges ac principes adeo generose percelleret, Christi ancillas humillimis verborum officijs, quæ sequentes continent, fuisse prosecutum.

Ancillis mulieribus Benedictæ abbatissæ monasterij S. Mariæ Senen. totique conuentui.

Magna, sicut dicitur, vobis nata est in mea promotione iucunditas, quæ si non reciperet a contrarijs accidentibus metum perpetuum, vobis dare poterat de audita exaltatione tripudium. Sed inter tot varios mores & animos diuersorum, quotum seruituti addicitur quod præfertur, inter tot fluctus turbinesque causarum, quibus mens occupata colliditur, non potestis, quęnos pietatis intuitu diligitis, non gustare formidinem, quantumcunque hauseritis de iniuncto mihi a Domino apostolatus officio volnptatem. Placere vobis debuerat prouentus honoris, si obnoxia non esset altitudo periculis: & valde iucundum esset supra vndarum vortices cum Petro aduentui Redemptoris occurrere, si ventus a latere veniens non terreret. Verumtamen quia prope est Dominus omnibus inuocantibus nomen eius, & maxime vobis in Christo filiabus, quæ ad pedes eius iugiter lacrymamini & orationis instantia vngitis diuinæ viscera pietatis, & pungitis gemitibus inexhaustis, rogamus & obsecramus in Domino Iesu, vt fit ad Dominum clamor iugiter vestræ mentis, vt seruum seruorum Christi, & specialiter seruum vestrum, & ancillarum Christi omnium non absorbeat pelagus tempestatis, adicíatque gratia, quod negligentia subripit; & diuina misericordia dulcedinem tranquillitatis amissæ redimat, quam subito rapuit repentini casus angustia.

65 Dum itaque ad amœna solitudinis, beatæ vitæ præludia, eremitarum cœtum ad donatiua currentium cælestium thesaurorum, dum ad B. Benedicti vestigia præruptis silicibus, & rupibus inaccessis impressa, fratrumque nostrorum pauperum (Minoritarum scilicet quibus addictissimum vidimus) collegia agnū Dei

Quæ gesta in Albig.

Hæreticorum in præsules insolentiæ.

Retorta facete in ipsos verborum cōtumelia.

a Bern. in chron.

Tolosanus ager vastatur a catholicis.

Disciplinā ecclesiam restituere nititur Greg.

b Lib. 1. ep. 129.

Data in ea causa præsulibus impera.

Religiosorū mores solutiores astringit.

a ibid. ep. 152.

Pietatis cultores singulari studio prosequitur.

b Ep. 145.

Elegantes eius lit. ad moniales Senenses.

Vt contēplationi rerum cælestiū vacare soleret.

Dei beata æmulatione sequentium, inter quos anima mea spirituali sæpius videbatur languore deficere, oculos mentis erigo, dum singultus & gemitus, & copiam lacrymarum ancillarum virginis gloriosæ, quibus cor meum medullitus reuirebar, quodam cælesti rore considero, quasi de graui somno consurgens, gaudia consolationis internæ me perdidisse gemo, & lucris præsentibus damna præterita non euito. (Non fuisse hanc inanem verborum pompam ad iactantiā subornatam ex Honorij III. testimonio vidimus, qui ipsum ob altissimam contemplationem diuinarum rerum cedrum Libani in literis ad Longobardos datis appellabat) Positus igitur in patibulo crucis frementibus Iudæorum turmis, & crucifixoribus vndique circumfusis, ad vos venire nequeo: sed fellis, & myrrhæ poculo inebriatus anxior, & vos iuxta Matrem Domini lamentantes, a longe videre compellor: quas filio meo fratri Pacifico commendatas in cruce relinquo, & inclinato capite spiritum patri, qui dedit illum, reddere concupisco. Rogate vt serui victimam dominus non contemnat. Rogate pro seruo, pro patre, pro filio. Rogate pro seruis Christi, & ancillis obnoxio, qui pro vobis, & alijs omnibus quotidie totus immolor, & extensis in cruce manibus, quod reliquum est in manus Patris mei, & Domini animam recommendo. *Dat. Anagniæ 11. id. aug. pontif. nostri anno 1.*]

IESV CHRISTI
Annus 1228.

GREGORII PP. IX. annus 2. | FRIDERICI II. IMP. 9. ROBERTI IMP. 8.

Celebratū a Greg. synodus.

1 Delapsi sumus ad Christi annum millesimum ducentesimum vigesimum octauum indictione prima, cum summus Pontifex animaduersa Friderici pertinacia, episcoporū concilio Romæ coacto, quo maturius in re tanti momenti deliberaret, aduersus ipsum in cœna Domini anathema fulminauit. Vt verò certius enarrandæ veritati insistamus, Gregorij acta in medium producenda censui. *Tum prælatorum Lombardiæ, Tusciæ, totius patrimonij, ac Apuliæ & aliorum, qui pro suarum prosecutione causarum ad curiam venerant, conuocata ad concil. eius multitudine, post huius profundi sermonis decursum: Quis mihi tribuet auditorem, &c. respondentibus singulis vota sua, qualiter contra dictum Imperatorem procederet, ordinauit.* At quomodo summus Pontifex Fridericum anathematis sententia in cœna Domini percullerit, docent eius literæ ad Apulos præsules missæ; quibus inseruit quantam operam diligentiamque sedes Apostolica adhibuisset, vt Fridericum ad officium adduceret, atque impelleret, vti continentibus totius orbis Christiani votis, tandiu expetitam orientisque afflictis rebus restituendis adeo pernecessariam expeditionem conflaret; vtque ille iuramento, quo se ad eam suscipiendam alligarat, violato, alijsque grauissimis flagitijs cumulatis, ex Ecclesiæ pijssimis manibus, in suum caput excommunicationis fulmen extorserit, quarum exemplum [a] infra scriptum est.

Frid. anat. percellitur.

[a] Greg. lib. 1. ep. 180. Eo argumento Apuliæ promulgatæ.

2 *Vniuersis archiepiscopis, episcopis, &c. per Apuliam constitutis.*

Quanto nobilius membrum in Ecclesiæ corpore læditur, tanto acrioribus doloribus cruciamur; qui Cephæ locū, licet insufficientibus meritis, obtinemus. Verum quia tectum vulnus, si dimittatur intactum, solet in scandalū corporis latius euagari, nos olim viso, quod Fredericus Romanorum Imperator salutem propriam negligebat, dum salubre votum, quod Deo vouerat additis iuramentis, detrectabat exoluere, non sine detrimento fidei, & graui scandalo totius populi Christiani, quia iuxta sapientis edictum: *Vulnera dum sanas, dolor est medicina doloris*; medicinalem Petri gladium in eum exeruimus, in spiritu lenitatis, excommunicationis sententiam publicando, quam ipse in se voluntarius fecerat promulgari, nisi statuto termino transfretaret in Terræ sanctæ subsidium, & alia promissa fideliter adimpleret: sperantes, vt percussus dolens ad percutientem se in humilitate rediret, Dominum exercituum requirendo. Sed quod dolentes referimus, inclinato corde medicinam exhorrens, & increpationem abominans disciplinæ, immo malleum velut stipulam reputans, non solum nulla pœnitudine se correxit, verum etiam adijciens peccata peccatis, contra se Dominum audaciter irritat, vltra quam recensere nos deceat, ne videamur in eius conuitijs delectari, qui conuersionem eius desiderabiliter expectamus. Inter alia namque claues Ecclesiæ contemnens, quibus Dominus B. Petro & successoribus eius ligandi & soluendi contulit potestatem, sibi facit celebrari, vel potius quantum in ipso est, prophanari diuina, in enormius animæ suæ periculum, & eneruationem totius ecclesiasticæ disciplinæ. Vnde timentes, ne plaga eius fieret penitus desperabilis, si male permitteremus obduci neglecti vulneris cicatricem, & eo insanabile, quo insensibile redderetur, malagma studuimus apponere sanatiuum.

Quæ fuerit illius peruicacia.

3 Vtinam studium nostrum optatum habuisset effectum. Cum enim piæ recordationis Honorius Papa prædecessor noster, per bonæ memoriæ Tusculanum, & Sabinensem episcopos, & dilectum filium magistrum. G... notarium nostrum; & Roffridum clericum cameræ nostræ, & abbatem S. Martini Viterbien. Cisterciensis ordinis, eundem Imperatorem diuersis temporibus, super diuersis articulis, in quibus Deum, & Ecclesiam grauiter offendebat, diligenter commoneri fecisset; nos adhuc humiliantes vim auctoritatis Ecclesiæ, ad præsentiam eius dilectos filios ... tituli S. Sabinæ presbyterum, & O... S. Nicolai in carcere Tulliano diaconum Cardinales curauimus destinare, vt eum super præmissis, & subsequentibus vice nostra salubriter commonerent. Qui licet de contingentibus nil omiserint, nequaquam tamen eum potuerunt ad pœnitentiam reuocare. Verum ad nequiora nequaquam manus illicitas extendisset. Quare ne videremur deferre homini contra Deum, ecce iustitiam in iudicium conuertentes, in proximo præterito festo cœnæ Dominicæ, in prædictum Imperatorem excommunicationis sententiam solemniter duximus promulgandam, tum pro eo quod, vt præmissum est, non transfretauit in subsidium Terræ sanctæ, nec promissum numerum militum in expensis suis tenuit, vel transmisit, nec pecuniam quam promiserat destinauit; tum quia venerabilem fratrem nostrum Tarentinum archiepiscopum ad sedem propriam accedere non permittens, eum populum suum non patitur visitare; tum etiam quia Templarios, Hospitalarios bonis mobilibus & immobilibus, quæ habebant in regno, temere spoliauit; & quia compositionem factam inter ipsum, & comitem Celanensem, & Raynaldum de Auersa, pro cuius obseruatione Rom. Ecclesia ad precum eius instantiam fideiussit, seruare contemnit; & quia comitem Rogerium crucesignatum sub Apostolicæ sedis protectione receptum, comitatu, & alijs terris indebite spoliauit, & filium eius in captiuitate detentum ad mandatum apostolicum sæpius iteratum reddere denegauit.

Quo studio ad pœnitendum fuerit sollicitatus.

Quas ob causas censuris fuerit defixus.

Ob non seruatum transfretādi sacramentum.

Violata promissa quibus in eo casu se adstrinxerat.

Tarentinū arch. sua sede eiectum.

Spoliatos bonis Templarios.

Fractas cōcordiæ leges cum Raym. & Cel. comitem.

Rogeriū cōtra fidē oppressum.

4 Adiecimus quoque, vt loca qualibet, ad quæ ipse peruenerit, ecclesiastico subiaceant interdicto, vt quandiu præsens fuerit, ibidem nulla diuina officia celebrentur; officio beneficioque priuantes omnes cuiusque professionis vel ordinis, qui ei, postquam denuntiatus fuit excommunicatus a nobis, diuina sibi

Interdicto supposita loca in quibus versetur Frid.

ausu temerario celebrarunt; & antequam ad mandatum Ecclesiæ redeat, de cætero celebrabunt. Illud etiam non duximus omittendum, quod si de cætero se officijs diuinis ingesserit, contra eum tanquam contra hæreticum, & clauium Ecclesiæ contemptorem, seueritate debita procedemus. Et si ab ecclesiarum, & ecclesiasticarum personarum oppressionibus non destiterit, aut non cessauerit a conculcatione ecclesiasticæ libertatis, vel excommunicatione contempta, redire non curauerit ad mandatum Ecclesiæ, omnes qui sunt ei fidelitatis iuramento astricti, & specialiter homines regni, a iuramento, quo sibi tenentur, absoluemus & denuntiabimus absolutos; quia iuxta decretum felicis recordationis Vrbani Papæ II. prædecessoris nostri, fidelitatem, quam homines Christiano principi iurauerint, Deo eiusque sanctis aduersanti, & eorum præcepta calcanti, nulla auctoritate persoluere cohibentur. Et si non cessauerit ab oppressione pupillorum, orphanorum, & viduarum seu nobilium & aliorum hominum regni vel eius destructione, quod ad Rom. Ecclesiam specialiter noscitur pertinere, pro quo etiam prædecessoribus nostris & Ecclesiæ Rom. iuramentum fidelitatis exhibuit, & homagium præstitit; merito poterit formidare, se iure feudi priuandum. Ideoque vniuersitatem vestram monemus attente, per apostolica vobis scripta districte præcipiendo mandantes, quatenus singuli prædictam sententiam solemniter publicantes denuntietis eam singulis diebus dominicis, & festiuis.]

Intentatę hæreticorum pœnę si sacrorū interdictū violarit.

Iuribus regni Sicil. eccl. vectigalis exutum iri.

5 At Fridericus anathemate a summo Pontifice percussus, non est reuersus, vt in Isaia a legitur, ad percutientem se: immo e contrario in pristino scelere obfirmatus, in maiorem pertinaciam obriguit. Cumq; pijssimi patris dictis legibus subijcere se, ac sacra consilia capessere deberet, aduersus eū in iras efferatus, conflare noua ac moliri in eius perniciē cœpit. Quin etiam in sceleris cōmunionem nōnullos Romanos traxit, qui exuta omni verecundia Christi Domini vicarium, dum in basilica D. Petri sacrum faceret, sibilis appetiere, ac verba insana in eum effuderunt, vti pontificia acta lugent: *Imperator ad astutia solita commenta recurrens, quosdam Romanos precio & mentita* * *possessione corrupit. Qui Dei timore contempto patris* * *bonorum immemores, inter eiusdem Pontificis iam anni secundi primordia feria secunda resurrectionis dominica ad B. Petri basilicam effrænata rabie properantes, dictum patrem & præsulem super corpus Apostoli deuotione solita missarum solemnia celebrantem clamore, vel latratu potius, adiectis comminationibus, impetebant. Et dum per manus innoxias sanctissimi præsulis in altaris ara verus Dei Filius mactaretur, inter sacratissima verba canonis crucifixoribus Christi non dispares sermones dabant mugitibus ad cœlum clamantes ore & manibus; Crucifige. demum ijdem satbanæ ministri, perditionis hæredes, terrenam in eo potius quam diuinam potentiam formidantes, ad mandatum sedis Apostolicæ satisfactione solemni, non absque illius iniuria, de cuius mandato venerant, redierunt.* Quamuis huiuscemodi tumultus paulo post sopitus extinctusque videretur, crescente tamen & ardente Friderici persecutione, nouis seditionibus inflammatis, Pōtifex ex vrbe discedere compulsus est quæ eius temporis scriptor Richardus b paucis est complexus. Conradus vero abbas Vrspergensis c, qui similiter ijs temporibus viguit, licet in superiorem annum contulerit, fusius historiæ commendauit.

a Isa. 9.

Hæret in pertinacia obfirmatus Frid.

* promissione

* beneficiorum

In Greg. Romanos concitat.

b Rich. de S. Ger. in chro.

c Vrsperg. in chron.

6 *Imperator conuocauit ad se de ciuibus Romanis potentissimos, & nobilissimos de familia eorum, qui dicuntur Frangentes panem, & de alijs, ad quos præcipue respectum habebat populus Romanus: habuitque cum illis tractatum, qualiter eos faceret vassallos Imperij, & vt sibi facerent hominium, & fideliter assisterent in omnibus causis. Iussit itaque eosdem sub certa æstimatione pretij & census computare, quantum valeant omnes res ipsorum immobiles, quas habebant in ciuitate, tam in ædificijs, quam in agris & vinetis, & mancipijs, & alijs rebus. Quo facto; omnes res illas dato pretio comparauit ab eis, & easdem res ipsis in feudum concessit, ratione fidelitatis, quam deberent sibi, & Imperio. Quocirca ijdem reuersi, cum Papa rursus excommunicaret Imperatorem, fecerunt, vt a populo pelleretur turpiter extra ciuitatem; vnde apud Perusium eo anno & sequenti ibi permansit.* Quibus similia de Pontifice vrbe pulso ac Perusium se recipiente scribunt Albertus Stadensis a, Matthæus Parisius b aliique post eos. Nec reticendum videtur postremas Gregorij epistolas c hoc anno in Vrbe conscriptas regestoque insertas, apud S. Petrum datas, quò ipsum post tertium Paschatis diem se contulisse affirmat Richardus d. quarum altera Sabaudiæ comiti missa e, ipsius fidem laudibus effert, Auiblanum castrum Romanæ Ecclesiæ tradere in animum induxisse.

Qua arte ipsorum præcipuos corruperit.

Eijcitur ex vrbe Pontif.

a Stad. in chro. ann. 1229.

b Par hist. Angl. ann. 1228.

c Greg. l. 2. ep. 6. &c.

d Rich. de S. Germ. in chron.

e Ib. ep. 7.

Perusium se confert

7 Qua vero ratione adductus Pontifex, Perusium potius, quam ad ditionis Ecclesiæ locum alium sese contulerit, illustrat ipsius vitæ auctor, dum ait crudelissimas discordias in ea ciuitate emersisse, eamque funeste attriuisse: quas vt compesceret Gregorius; primum eam prouinciam Ioanni de Columna tit. S. Praxedis presbytero Card. imposuit, ac postea eò ipse profectus, qua solebat charitate diuisos ciues amplexus, paternoque gremio exceptos conciliauit, cui rei fidem auctor his verbis affert: *Perusinos chariores Ecclesiæ filios crudeli seditione commouit,* nimirum hostis antiquus, *vt diuisis alterutrum populis & nobilibus ex ciuitate proscriptis, patris manus sæuiret in filios, & filius in parentem, furebat vicinus in proximum, & muri sanguine fraterno madebant; ac funditus euersis domibus, & arbustis excisis, premebat intus famis inedia, & foris gladius indefessus. sicque ciuitas ruinis exposita, ferrum conuertens in viscera, suis panebat exitium absque remedio laxius ruitura. Occurrit in hoc mater Ecclesia filiæ desolatæ miserata, & Ioanni de Columna tituli S. Praxedis venerabili presbytero Card. pro ipsorum subuentione præmisso, tādem circa æstatis initium,* * *quarto* (secundo, non quarto reponendū est cum e literis pōtificijs nō Perusij, sed Romæ & Anagniæ egisse cōstet) *sui pontificatus anno Perusinos personaliter adijt pius pater, qui miserorum misertus angustias, & pia gestans viscera, reduxit exules, confouit egentes, tristes & mœrore confectos, consolationis remedio deliniuit; omnibus omnia factus, medela & refectio singulorum, quibus ad pacis & concordiæ fœdera cautione intercedente reductis pro temperandis ruinis & subuentione damnorum nouem millia librarum paterna liberalitate concessit, tribus millibus mutuatis eisdem; & quod citius dissensi filij perdita repararent, consilium vberioris auxilij clementer adiecit, viginti duorum mensium moram percurrens ibidem, quæ solent regionibus beneficia desiderata conferre.* Cæterum hæc de diuturniori mora ab Rom. Pontifice Perusij ducta, ex regesto epistolarum, quas ibi dedit, satis comprobantur.

Illius ciues inter se dissentientes cōciliat.

* secundo

8 Roma egressus Gregorius, vbi Reate peruenit, Fridericum persecutorem suum paternis literis monere hortarique, a susceptis improbis consilijs discederet, duos se ex religiosa Minorum familia ad eum mittere, qui ipsum sanioribus præceptis imbuerent atque ad mentem Christiano dignam principe induendam incitarent f. *Ascendit ad nos clamor, vlulatus & stridor miserabilis, valdeque horrendus ecclesiarum & clericorum regni Siciliæ & Apuliæ, quod in eos quam de facili exprimi valeat, inique desæuiens, ipsos vltra afflIgis cruciatibus infinitis, bona eorum diripiens, & extorquens in manifestā contumeliam Redemptoris, & atrocem iniuriam Ecclesiæ generalis, vt taceamus Apostolicæ sedis contemptum, in quam cadunt ex hac opprobria*

Missi ad Frid. viri religiosi vt paternis monitis ad othe.. adducant.

f Ib. ep. 10.

Datæ ad eum lit. querelis refertæ.

expro-

exprobrantium. Cum igitur hac nequeamus sine periculo sustinere, qui Christi vicarij, licet immeriti, constituti pro tuenda iustitia, & defendenda ecclesiastica libertate tenemur & volumus impendere nosmetipsos, ab ea nobis digna vicissitudine rependenda, qui beatificat tribulationem propter iustitiam patientes, imperialem celsitudinem monemus, & hortamur attente, quatenus ecclesijs & personis ecclesiasticis ablata restituens integre vniuersa ab ipsorum molestatione penitus conquiescas, famæ tuæ consulens & saluti. Alioquin ne contra Deum homini deferamus, super hoc procedemus, dante Domino, sicut fuerit procedendum. Ad hoc autem dilectos filios B.. & R.. fratres Minores ad te mittimus, si forsan saltem sera salubriter monitionibus nostris aures aperias, quas hactenus nimium inconsulte clausisti. Dat. Reate non. maij pontif. nostri anno 2. Reate Pontifex Assisium se contulit, vti apostolicæ eius literæ nonis iunij exaratæ patefaciunt a. Aliæ vero ostendunt b Perusij idibus iunij ipsum versatum. verum ad acta regredior.

a Ib. ep. 13
b Ib. ep. 12

9 *Non multo post paucorum comitatus vestigio, voti nihilominus & iuramenti transgressor, non Imperator, sed verus pirata transiuit.* de eius transmarina profectione fit mentio in literis tum ab eodem Friderico c tum a magistro d Hierosolymitanæ domus Theutonicorum ad Gregorium missis atque a nobis suo loco citandis, aguntque Conradus abbas Vrspergensis e, Albertus Stadensis f, Godefridus g, Matthæus Parisius h, & Henricus Stero i, qui præterea tradit Augustam e partus doloribus decessisse e viuis quod Austrahs chronici auctor etiam atque ante eos Richardus l affirmant.

c In reg. Greg. IX. ep. 21.
d Ib. ep. 23 Anno sequenti.
e Vrsp. in chron.
f Stad. in chro.
g God. in ann.
h Par. hist. Angl.
i Stero in annal. & alij.
l Rich. de S. Germ. in chron.

Scribit Richardus Fridericum sese ad expeditionem sacram comparantem apud Barolum sub nudo apertoque cœlo ob circumfusi populi immensam multitudinem proceribus conuocatis in parato solio considentem testamenti editi tabulas legi iussisse, quibus si in expeditione mortem oppetere contingeret, de Imperio regnoq; in Henricum natu maximum filium transfundendis sanxit: quod si nullis relictis liberis abiret, succederet Conradus: istoque sine prole mascula moriẽte, filij alij, quos ex legitima vxore susceperat, succederẽt. Promulgatũ pariter ad componendum probeque instituendum regnum, ac testamento insinuatum est, vt omnes eam pacem eaque iura seruarent, quæ tempore Gullelmi secundi Regis tenuissent; relictisq; ijs tabulis Raynaldo Spoleti duci, ac regni administratori, ipsum atque Henricũ de Marro summum iustitiæ præfectum, aliosque proceres ad ea seruanda sacramento adegit, nisi aliud testamentum ab ipso exaratum produceretur. Vetuit etiam ne vllæ pecuniæ colligerentur, nisi ita regni vtilitatibus rationibusque conduxisset. Pergunt acta: *Vbi quibusdam treguis, immo collusionibus initis cum Soldano, ciuitas sancta, quæ longius ipsius suspirabat aduentum, seruit ignominiosius Agarenis, quam prius violentia palliabat, consensu eius & auctoritate Imperatoris, & templo Domini sponte tradita cultoribus Mahometi, pactum iniuit cum Assyrijs, sancta prostituens cuilibet transeunti.* De his anno insequenti ex literis eiusdem anni regesto insertis erit agendum.

Cõparat se ad transfretand. in orientem. Testamẽtum condit.

Infame cũ Sarracenis fœdus init.

10 *Vt autem domum Domini, & eius vicarium pari conditione subigeret, ad sua infidelitatis indicium, Raynaldum * Ludum ducis Conradi filium regni Siciliæ reliquit vicarium, quin potius executorem nequitiæ preconceptæ, cuius obstetricante audaci manu eductus est coluber ille tortuosus. Nam ipse a suo sic catholico principe acceptis epistolis & mandato, vt si quos inueniret catholicæ Ecclesiæ filios & deuotos crudeli morte damnaret, sana manu nec impunita, postmodum se extendit ad sancta, sacerdotes, diaconos, & subdiaconos priuatione luminum dehonestans. Cuius frater Bertoldus apostata vndique spoliatis ecclesijs, & sanctorum extumulatis corporibus, eorumdem ordinum clericos in summi sacerdotij iniuriam, cuius sunt filij & hæredes, effossis luminibus, demum turpissima suspendij morte damnauit, crudelis, blasphemus, alludens se totam missam pariter suspendisse minister impius, in Christi ministros crudeli animaduersione succensus, ea nihilominus suscepta crudelitatis exitia exequente, & demum Cæsaris vrgente nequitia, quam dira concitabat barbaries, & marchiam Anconitanam iure dominij per Rom. Ecclesiam antiqua traditione possessam, non minus nequiter quam potenter ingressus, montem Vlmi, Maceratam, & quasdam alias ipsius prouinciæ terras incolarum sic volente perfidia occupauit, patrimonij reliqua & ducatus fideles precia corrumpere malitia & fraude,* vt patris præsentia cautela exsisteret filiorum. Idem Raynaldus etiam Perusinis, inter quos tunc Romana degebat Ecclesia, grandem obtulit nummorum quantitatem.* Et infra:

Pontifici ducũ opera bellum infert.
* Ludum
Immaniter ab eo sæuitũ in sacerdotes
Marchia a Bertoldo vastata.
* ne

11 *Eodem tempore Conradus Guismardi eiusdem Imperatoris nuncius in manu valida vallem Spoletanam ingressus, intrauit sine marte Fulginium, ciuitatem apostatricem, primordium schismatis, proditionis plantarium, totius infidelitatis detestandam sentinam. Quo tandem per vassallos Ecclesiæ, inuitis proditoribus, ignominiose deiecto, corruptibilis populus ad fidelitatem matris Ecclesiæ, si fidei titulo sunt digni recidiui, iuramento præstita redierunt. Sauientem vtique Raynaldi, & præconceptam nequitiam gestis durioribus prosequentem, ac iterata comminatione præmissa, marchiam exire nolentem, Ecclesiæ princeps, anathematis gladio de Petri auctoritate percussit. Verum quia nec spiritualis animaduersio gladij corripuit delinquentem, necessitate deuictus temporalem curauit Petri successor gladium exerere, qui a Domino passura quærente de gladijs recepit vtriusque gladij potestatem. Idem autem copiosum exercitum per honorabiles legatos Ioannis Hierosolymitani Regis illustris, quem per Imperatoris dicti versutiam contra iustitiam publicæ honestatis, de regno deiectum Apostolica sedes susceperat in suum gratia confouendum, & Ioannis S. Praxedis presbyteri Card. fidele obsequium in marchiam destinauit. Et vt impetitus a pluribus, ad singula debilior redderetur, Pandulphum capellanum eius ex parte, prouidum virum, cum militum, & peditum bellatorum subsidio transmisit in regnum, qui causam Ecclesiæ fauente iustitia fideliter prosequeretur.*

In hostes ecclesiæ ferio & cẽsuris ecclesiasticis certatur.
Ad distrahendum hostem bellum in Siciliam translatũ.

12 *Primo sui ingressus limine*, ipsum per Ceperanum in regnum anno proximo ineunte transisse testatur Richardus e S. Germano a, *castrum insulæ coniunctum, in Campaniæ finibus expugnauit, qua capta prærupta montana munitissimi monasterij Cassinensis ascendens maiorem iustitiarium, & regni nobiliores in Arabum multitudine grandi, qui potenti manu ad defensionem loci concurrerant, paucis associatus indicibus Dei iudicio iuuidente deuicit, castro nihilominus sub eodem manente iustitiario designato. Et quia non est in conspectu Domini differentia in multis pugnare, vel in paucis, paucorum vestigijs inaccessas munitiones expugnans, infra breue tempus vsque ad Capuam obtinuit ciuitates, & castra, propter quod prædictus vicarius de Marchia fugitiuus abscessit, aliena relinquens, vt propria custodiret.* Hæc bellica facinora tanta felicitate explicita confectaque a pontificio exercitu, amplissima oratione ad annum sequentem collata, quo gesta fuere, prosequitur, captaque loca, atque ad deditionem coacta pellectaue enumerat. Additque Pelagium Albanensem episcopum Apostolicæ sedis legatum operam in eo suam contulisse, ac Franciscanæ familiæ religiosos viros a Raynaldo regno pulsos, quod literas pontificias ad solicitandos ad defectionem præsules ipsis attulissent.

a Rich. in chro. ann. 1229.
Fridericiani a Pandulpho victi.

13 *Aduenerunt etiam de remotis Galliæ partibus ad matris Ecclesiæ repellendam iniuriam deuoti filij venerabiles Belnacensis, & Claramontensis episcopi cum*

Galli in auxilium Pontifici s aduolant.

electa militia bellatorum, quos Papa remisit ad propria, quasi alienis victorijs non egeat, victoriosus cum suis. Idem autem omnium laudum praconio recolendus antistes, patrum metas liberaliter progressus, pro turbationis huiusmodi tempestate tollenda, & libertatis ecclesiastica prosequenda tutela, prater illa, qua memoriam astimantis effugiunt, centum viginti millia aureorum per fidele administratorum obsequium tunc expēdit, quarum restitutionem pradictus Imperator promiserat stipulatione solemni, fidem tamen, sicut & cateris, non seruaturus.

a Rich. de S.Ger. hoc anno.

His consentanea refert Richardus a; Raynaldum Spoleti ducem, imperiali stipatum exercitu, Popliti dominos Capitinnaoi obsessos ad deditionem compulisse. mox dum illius frater Bertoldus, qui in Nursia remansit, Brusam arcem euerteret, ac Sarracenorum opera, quos ad omoe facinus paratissimos ex Apulia duxerat, supplicijs immanissimis discruciaret, in marchiam irruisse, partemque illius imperiali iugo obtriuisse. Quo viso Pontificem prius admonitum, & contumacem, anathemate defixisse. dein Ioannem Hierosolymitanum Regem, & Cardinalem Columnam, vt ex Gregorij actis audiuimus, ad eum marchia exturbandum equitatu, ac peditatu numeroso succinctos immisisse. Sed cum ex ijs, quas inse derat, terris euellere nondum posset, in regnum impetus suos comitibus Thoma Celanensi, ac Rogerio Aquilano cum exercitu, ac Pandulpho legato missis conuertisse, vt ad tuenda propria, aliena deserere cogeretur. Quæ res e sententia Pontifici successit, Raynaldo (vt postremis verbis a nobis allatis acta indicant) in regnum relicta marchia, vti auctor sequenti anno asserit, ire coacto, quò fluctuantes populos præsentia sua contineret, atque hostiles progressus abrumperet. Ac de pontificio exercitu locutus claues in signis pictas prætulisse ait: *Papalis exercitus, qui clauium signa gerebat.* E quibus colligitur claues olim in vexillis adumbratas gestari solitas, qui mos ad hæc tempora defluxit: qui vero sub signis erant, clauium pariter imagine insigniti fuisse videntur; cum passim Richardus clauesignatos appellet. Quod in eam me opinionem adducit, fideles cum aduersus hæreticos, vel infideles bellum gerebant, crucesignatos extitisse, ita cum ad tuendam Rom. Ecclesiam, eiusque ditionem defendendam capesserentur arma, clauis formam vestibus assuisse.

Raynaldus e pōtificia ditione abscedere cogitur.

Claues in signis ecclesię etiā olim præferri solitæ.

Assutæ etiam pro ea pugnātium vestibus.

14 Ex ijs atque infra dicendis confutatur Thomas comes Atteranensis, cuius literas ad Fridericum in oriente agentem datas Matthæus Parisius b in historiam suam contulit, qui comes tum maleuolentia erga Pontificem suffusus, tum vt Friderici gratiam colligeret, scripsit Gregorium magnificentiæ ipsius (vt ille ait) hostem publicum, cōparato ingenti exercitu, cui Ioannem Brennensem Hierosolymorum olim Regem præfecerat, ipsius ditionem iniquissime inuasisse. Quis enim mirari possit, Pontificem ditione ecclesiastica a Raynaldo, Bertoldo, alijsque perfidis Friderici ministris vastata, vim vi propulsare aggressum, vt quem spiritualis gladij acies non terruetat, alterius gladij fulgore perstrictus ab improbitate submoueretur? Cæterum quam inepte Thomas Pontificem carpserit, adiectis his Christi Domini verbis, olim Petro percutere meditanti dictis: *Mitte gladium tuum in vaginam: omnis enim qui percusserit in gladio, gladio peribit;* perspicue patet, quasi ea male intellecta auctoritate Romanos Pontifices cogere velit, vt tyrannidi impiorum sese subijciant, nec vnquam ijs liceat vim inferentem hostem, vi contraria a pernicie Ecclesiæ arcere atque amouere. Debuerat ipse potius attendere, Petro vtriusque gladij concessam potestatem, qua summos Pontifices sanctitate clarissimos prætetitis ætatibus iustissime vsos monumentis fuit propagatum, vt Baronius in annalibus pluribus adductis exemplis egregie demonstrat. Ijsdem etiam Parisij impudentia reprimitur, qui captata omni occasione Romanos Pontifices traducere consueuit.

b Par. hist. Angl. an. & seq.

Quam iuste Pontifici ad sua defendenda arma corripere liceat.

15 De Thoma comite Atterarum fit etiam mentio apud Parisium a in epistola, quam Gregorius Papa ad Romanum Card. quem supra memorauimus in Gallijs legatum, illata a principe Ecclesiæ damna lugens scripsit. inter quæ deplorat, Sarracenos, ruptis inducijs, ingentes prædas a Christianis auexisse. Cumq; Templarij lacessiti alias similiter ab hostibus abduxissent, Thomam eas ab illis extortas, parte sibi, vt erat fama, seruata, Sarracenis restituisse: ex quo factum, vt barbari insolentius effetati, plures clades Christianis impresserint, animique fidelium deiecti depressique fuerint, cum ab eorum vi propulsanda deterrerentur. Eundem etiam Thomam, Templarios persecutum, multis eos possessionibus bonisque exuisse, priuilegiaque a Pontificibus illis indulta conculcasse: centum etiam Sarracena mancipia ad Hospitalariorum, Templariorumque domos in Sicilia Apuliaquè pertinentia eripuisse, ac nulla ad illatum damnum resarciendum refusa pecunia, in libertatem vindicasse; tum etiam Fridericum quamuis exiguis succinctus copijs mare conscendisset, ingentem tamen Christianorum & Mahometanorum exercitum ad Ecclesiæ ditionem inuadendam adornasse. Dein subdit Gregorius, quantumcunq; superbiat impietas & Ecclesiam cōcutere atque euertere nitatur, triumphaturam nihilominus religionem, ac victoriam gloriosissimam relaturam. Postremo adijcit: *Cum igitur ex officio licet indignis nobis iniuncto, prouidere cogimur, ne minister Mahometi in Christi ministros diutius valeat desauire, sed sauiens potius confundatur, & gloria Christiani nominis exaltetur, dilectioni tua per apostolica scripta pracipiendo mandamus, quatenus per terram legationis tua hac solemniter pradicās Christi fidelibus, vt pro statu fidei & religionis obseruantia, sicut ex animo', tanquam prosequentes singuli proprium interesse, ac salutaribus monitis effectibus eos & exhortationibus inducere non postponas. Dat. Later. non. aug. pontif. nostri anno 2.* At vice Laterani legendum Perusij, ibi enim summum Pontificem tum temporis versatum, ex eius vitæ actis atque regesto compertum est.

a Par. hist. Angl. hoc anno.

Sarraceni Siculi in Christianos grassātur.

Fouentur a Frid.

Præcipui sunt illius administri in euaganda Ecclesia.

Pontifex aduersus illorū impetus fideles excitat.

16 Conqueritur Gregorius literis b ad Ianuenses datis de Raynaldo filio Conradi olim ducis Spoletani, iniquissimi principis voluntati obsecutum, S. Petri patrimonio excursionibus factis, Sarracenorum impia succinctum manu, ingentia damna intulisse: Christi sacerdotes aliosque ecclesiasticos viros partim crudelissimis iniurijs affectos mutilasse, partim in crucem egisse, partim exquisitis alijs supplicijs necasse; quibus tamen flagitijs vt abstineret, paternis antea literis monuerat, Apostolicę sedis monita aspernantem atque in atrociora ruentem flagitia, eiusque fautores omnes ab fidelium cœtu ritu solemni iam amouisse: in posterum Rom. Ecclesiæ iniurias armis quoque propulsaturum.

b Id. lib. ep. 66.

Queritur apud Ianuen. de iniurijs sibi allatis.

Gregorius, &c.

Fridericus Imp. cor suum eleuans contra Deum, spiritu ad superbiam obfirmato, vt taceamus alia fere innumera, quibus Deum prouocauit audacter, non contentus, quod negotium Terræ sanctæ dolosa peruersitate irreparabiliter, quasi confudit, in atrocissimam contumeliam Iesu Christi, & inextricabile opprobrium populi Christiani, & pro nihilo reputans, quod ecclesias, & personas ecclesiasticas spolians violenter subuertit ecclesiasticam libertatem, nunc faciem euntis in Hierusalem inique prætendens, vbi Christianis potius quam Sarracenis studet officere; viros sceleratos loco sui dimisit in partibus cismarinis, qui vt eius iniquis iussionibus obsecundent, & timo-

Vesanus Friderici arma potius in Christi vicarium quā Sarracenos.

motem diuinum & humanum pudorem penitus abiecerunt. Raynaldus enim natus quondam Conradi ducis Spoleti eius vicarius & minister, exfortio congregato, patrimonium B. Petri, quod idem Fridericus multiplici iuramento tenetur defendere, violenter inuadens, presbyteros & alios clericos, sicut nobis est pro certo relatum, per manus Sarracenorum fecit ausu sacrilego mutilari, quibusdam in cruce suspensis, alijs diuersis supplicijs cruciatis.

17 Et quia primos virium suarum conatus non repressimus, eum facile poterimus, ille de patientia nostra insolentiorem assumens audaciam, marchiam Anconitanam, & ducatum Spoleti aggredi attentauit, quibusdam venalibus ibi corruptis pretio, & quibusdam minis, & terroribus a fidelitate Apostolicæ sedis auersis. Vbi Sarraceni, qui Christianorum sanguinem insatiabiliter sitiunt, non parcentes sexui vel ætati, impietates abominabiles perpetrarunt, quas horror esset intolerabilis recenseri. Et licet eum super ijs per dilectum filium Cinthium subdiaconum, & capellanum nostrum, & literas nostras monuerimus diligenter, idem tamen monitis acquiescere aspernatus, quantum potuit ad grauiora prorupit. Quare in eundem Raynaldum & complices, ac fautores suos, & in omnes & singulos, cuius vel quorum mandato, auctoritate, consilio, & auxilio talia perpetrantur, excommunicationis sententiam solemniter publicantes, quis ipsam pertinacior vilipendit, ad defendendum terram Ecclesiæ, & iniuriam, auctore Domino propulsandam, exercere proponimus potentiam temporalem, ne inimici Dei, & Ecclesiæ in sua præualeant vanitate, sed in prauitate potius euanescant: quia quantumcunque facinora prænotata nos moneant, potissime tamen, nec immerito, exhorremus quam idem Fridericus semper minatur & indesinenter exequitur depressionem ecclesiasticæ libertatis. Cum antea etiam, vbicunque habuit potestatem, ecclesias, & ecclesiasticas personas, nec non viduas, orphanos, & pupillos ex industria conculcarit; quare potestas huiusmodi non dilatari sed decurtari meretur.

Raynaldus anathemate defixus.

18 Ad hæc ne falsis rumoribus vos circumueniri contingat, noueritis quod dictus Fridericus, non sine fraudis excogitatæ commento, venerabilem fratrem nostrum Barensem archiepiscopum, & Henricum comitem Maltensem ad nostram præsentiam destinauit, scribens nobis, vt eis benignam audientiam præberemus, scientes, quod ad tractandam concordiam eum Ecclesia præfatum Raynaldum procuratorem reliquerat, & adhuc volebat per eum haberi tractatum. Et licet certissime crederetur, quod ad deludendam Ecclesiæ Rom. patientiam venerunt, nihilominus tamen benigne audiuimus, quæcunque proponere voluerunt. Et quia mandatum aliud non habebant, respondimus, quod dictus Raynaldus non tractator pacis, sed factus erat Ecclesiæ persecutor; vnde tractatus reconciliationis cum eo haberi nec poterat, nec debebat. & his ita dictis protinus abierunt, varijs nocendi modis interim ab eodem Raynaldo concinnatis. Hæc autem vobis scribimus, ne falsa pro veris vobis a maliloquis suggerantur. Vt igitur tanquam veri filij matri vestræ fideliter obsequentes, incomparabile vobis meritum apud Deum, & hominem compararetis, vniuersitatem vestram affectuose rogamus, & monemus attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus nullis suggestionibus patiamini vos seduci, quo minus in Ecclesiæ Romanæ deuotione, in qua radicati, & fundati estis, inflexibiles persistatis, vt qui libenter in vestris laudibus delectamur, in vestræ magnanimitatis constantia gloriantes sinceritatem vestram dignis debeamus prosequi actionibus gratiarum. *Dat. Perusij a. kal. decembris pontif. nostri anno* 2.] Tertio verò non. eiusdem mensis vniuersos Tusciæ episcopos certiores fecit, [a] vti Fridericum sacris eiecisset, Imperioque exuisset, omnibus fidei sacramento olim ipsi præstito absolutis, ac Raynaldum & Bertoldum præcipuos Friderici ministros ac satellites, aliosque eiusdem sceleris participes, a fidelium communione remouisset, omnibusque eos dignitatibus tam politicis quam sacris, ac magistratibus siue præfecturis deiectos, alijs pœnis ecclesiasticis affecisset.

Missi a Frid. ad Pont. oratores ad ipsum tractandæ cōcordiæ specie deludendū.

a Ep. 67.

19 Archiepiscopum etiam Mediolanensem, eiusque suffraganeos monuit, se armis tyrannidem vimque Friderici arcere & comprimere decreuisse, ac sibi opem ferre poposcit. At quoniã de Mediolanensibus mentio incidit, prætermittendum non videtur Grego. riũ Cremonensem ecclesiam Mediolanensi obnoxiam, vt olim extiterat, esse iussisse [b], a qua Innocentius ad mulctandos Mediolanenses, qui Othonis ab Ecclesia eiecti partes essent consectati, distraxerat. Cumque laici eò audaciæ protupissent, vt publice concionatentur, ne debitum sacerdotibus munus inuaderent, eos ab eodem archiepiscopo coerceri præcepit [c]. Tum etiam auxilium a Rege Sueciæ infra subiectis literis flagitauit [d], vt aliquas pecunias ab eo ad sumptus bellicos tolerandos obtineret, cum aduersus Fridericum humana ac diuina iura peruertentem tres exercitus conflasset, ad quos omnibus rebus instruendos ecclesiasticæ opes sufficere non possent: *Regi regum reges terræ gratissimum exhibent famulatum, qui compatiuntur, & dolent, cum persecutionem patitur sponsa Christi, & tempore persecutionis euidenter ostendunt, quod nullus Deo, sed Deus est omnibus præferendus. Sane si dictus Imperator Deo & hominibus gratis ingratus, Apostolicæ sedi malum pro bono, pro honore iniuriam, & odium pro dilectione inique retribuēs, nō contentus, quod negotium Terræ sanctæ studiosa malignitate peruertit, nunc inhianter aspirat ad conculcandā vniuersalem Ecclesiam modis omnibus, quibus potest, & libertatem ecclesiasticam subuertendam, totum sibi quasi reputans deperire quidquid libertatis vel honoris obtinet sponsa Christi; & nequiter cogitans, quod si Rom. Ecclesiam posset opprimere, Reges alios, & regna sit ei facillimum expugnare, processit ad B. Petri patrimonium hostiliter occupandum, vbi per Raynaldum natum Conradi quondam ducis Spoletani suum vicarium, & ministrum, quasdam terras Apostolicæ sedis, corruptis earum habitatoribus, fecit inuadi, presbyteris, & alijs clericis a Sarracenis ipsius mutilatis. Vnde nos videntes, & dolentes, quod ipsius Friderici iniqua superbia semper ascendens non sistitur, donec eam iustitia superueniat, & conuincat, illius malitiæ, cum auxilio diuino prouidemus Apostolicæ sedis dexteram opponendam, tribus ad hoc exercitibus congregatis. Verum quia hæc non possunt sine grauibus sumptibus fieri, ad quos Apostolicæ sedis nequaquam sufficiunt facultates, tua subuentionis auxilium, tanquam specialis Ecclesiæ Romanæ filij super his duximus fiducialiter requirendum, &c. Datum Perusij.* Quo vero promptius laboranti Marchiæ succurreret, A...... marchionem Estensem ad illam defendendam tuendamque contra irruentem Raynaldum, aliosque Ecclesiæ grassatores prouocare iussit. [e]

b Ib. ep 78

c Ib. ep 35

d Ep. 7c. Implorata a Rege Sueciæ auxilia.

Tres exercitus a Pont. aduersus Frid. duces comparati.

e Ib. ep 33

20 Atqui summus Pontifex nō ita in tuendis politicis Romanæ Ecclesiæ iuribus studium impendit, quin multo magis ad grassantem in Gallijs Albigensis hæreseos luem extinguendam incumberet. Quo argumento ad Ludouicum Francorum Regem, in cuius adolescentia iam tum futuræ virtutis illustria signa emicabant, scripsit, ipsum hortatus, vt cum Galliarum regno proprium suisset fidem tueri, ipsiusque maiores eius defendendæ causa opes sanguinemque profudissent, victricibus illorum ac sanctissimis vestigijs insisteret, cœptamque ab eius parente expeditionem, & iam ab ipso adornatam, promotamque ad exitum pet-

Incumbit Greg. Albig. opprimendis hæresi.

D. Lud. ad tam egregium facinus excitat.

perduceret: cum maxime tantæ rei a maioribus cœptæ, ſed ab ipſo perficiendæ gloriam ac decus altiſſimo conſilio Deus illi reſeruaſſe videretur. ac propterea quem poſtulaſſet in legatum Angelum diaconum Card. ipſi ac regno addictiſſimum cum ampliſſima poteſtate eius negotij ad finem optatum adducendi, prouincia impoſita tranſmiſiſſe. Exemplum apoſtolicarum literarum infra ſcriptum eſt. a

a Ep. 45.

Gregorius, &c.

Negotium, quod agitur aduerſus Albigenſes hæreticos, negotium eſt pacis, & fidei orthodoxæ, pro qua ſemper ſtetit regnum Francorum tanquam in ipſius ſoliditate fundatum; & progenitores tui perſonas poſuerunt & bona, cauſam ad honorem Dei, ac regni prædicti gloriam proſequentes, ita quod eius deuotio vniuerſo mundo ſpecialiter exiſtere nūciatur. Huiuſmodi autem deuotionis feruore ſuccenſus, recordationis inclytæ pater tuus tanquam verus Iſraelita proſecutus eſt negotium memoratum, & illud feliciter proſequendo, de terrenis ad ſuperna migrauit.

Paternū exemplū proponit.

21 Tu quoque imitator deuotionis eiuſdem, primitias tuas eidem negotio dicare cœpiſti, charitatis zelo ſubmittens viriliter humeros, vt poſſes perficere, quod a patre tuo laudabiliter extitit inchoatum. Super quo omnipotentem Dominum collaudamus, qui tibi tam pium inſpirauit affectum, & ſuppliciter deprecamur, vt felicem exitum per ſuam miſericordiam largiatur. Et quidem cum principes terrarum purgare debeant malis omnibus terras ſuas, magnificentiam * decuit, vt cor, & manum apponeres ad profligandam de partibus Albigenſium hæreticam prauitatem, quæ cum ſit intra terminos regni tui, famæ tuæ, ac bonori expedit, vt tam potenter, quam celeriter peſtem extirpes eandem, ne ſidiutius differas, fides ibi omnino depereat, & terra, quam tenent catholici, amittatur, ac peſtis huiuſmodi ad loca magis proxima ſe transfundat. Denique Nabuchodonoſor Rex legitur decreuiſſe, vt periret quicumque blaſphemaret Deum Sidrac, Miſac, & Abdenago, & domus eius etiam interiret. Si ergo Rex alienigena, ne Deus Iſrael blaſphemaretur, deſæuit, tu princeps Chriſtiane, & Chriſtianiſſimorum progenitorum ſucceſſor, & hæres, cui forte Dominus alto & ſecreto ſuo iudicio conſummationem negotij reſeruauit, contra blaſphemos ipſius deuoti principis officium non implebis?

* regiam

Legationis munus Romano Card. demandat.

22 Licet autem dilectus filius noſter R.... ſancti Angeli diaconus Card. vtpote conſilio, ac diſcretione conſpicuus, in negotio ipſo feruens nobis eſſet apud ſedem Apoſtolicam perneceſſarius, & eius præſentia plurimum opportuna, quia tamen cum inſtantia poſtulaſti eum ad hoc mitti denuo a latere noſtro legatum, te in hac parte, quantumcunque in eius abſentia nobis depereat, curauimus exaudire, ne forte te opinari contingeret, quod non eſſet cordi noſtro iam dictum negotium, ſi non mitteremus Cardinalem eundem, de quo certum eſt, quod te, ac domum tuam ac totum regnum Francorum ſpeciali affectu diligit & honoris ac exaltationis tuæ deſiderat incrementum, ac eiuſdem negotij naturam, & circumſtantias plene nouit, &c.] Commendat Regi Romanum Cardinalem; nec in Franciæ ſolum regno, verum in Prouincia etiam ac Lugdunenſi, Tarantaſienſi, Ebredunenſi, Viennenſi, Aquenſi & Arelatenſi diœceſibus, quo maiori polleat auctoritate, legati apoſtolici munus demandat. Eodem etiam argumento, quo ad Regem ſcripſerat, Blanchæ Francorum Reginæ literas miſit b; nec non Ludouico commendauit c comitem Montfortium, qui operam ſuam ad hæreſim illam profligandam magna cum pietatis laude conferebat.

b Reg. Greg. post cand. ep.
c Greg. l. 2. ep. 51.

23 Extant etiam apoſtolicæ literæ, quibus Pontifex Romano tit. S. Angeli diacono Cardinali legationis prouinciam cum ſumma auctoritate iterato contulit a. Eidem præterea legato poteſtatem fecit b matrimonij impedimentum in quarto conſanguinitatis gradu ſacris canonibus vetiti remoueret, quo nonnulli nobiles viri aduerſus Albigenſes crucesignati impliciti tenebantur. Tum epiſcopo Acconenſi mandauit c, vti promulgandæ contra Albigenſes ſacræ expeditionis prouinciam ſuſciperet, quotieſcumque ab Romano Card. fuiſſet rogatus. Ad quem etiam legatum ſcripſit d Pontifex, vt clerici, qui ſeſe illi ad Albigenſium inſanos errores confutandos, animaſque e vitijs eripiendas coniunxiſſent, ſacerdotiorum ſuorum redditibus quamuis abſentes potirentur. Præcepit e inſuper, vt iuriſiurandi religione Ludouicum Regem ac Reginam Blanchā, quo illi ſe obſtrinxerant, nunquam pacem vel inducias cum Anglo (cuius nuncium hoc anno alacri animo vultuque excepit f) niſi conſentiente Marchiæ comite inituros, liberaret; vtque ad concordiam inter dictum Regem & archiepiſcopum Rhotomagenſem enata ex occaſione iuriſdictionis contentione diſſidentes conciliandam operam nauaret. Neque ſilentio inuoluendum, Gregorium, cum Romanum Card. in Gallias legatum ſuum, vti dictum eſt, mitteret, datis ad abbatem & comitia Ciſtercienſis ordinis, apoſtolicis literis, commendaſſe, vt tam ipſi, quam alij eiuſdem familiæ in vniuerſo orbe ſparſi precibus a Deo promereri niterentur, quo legatus res contra Albigenſes ex ſententia conficeret: *Cum igitur g dilectum filium noſtrum R.... ſancti Angeli diaconum Cardinalem denuo mittamus pro eodem negotio de latere noſtro legatum, qui de orationibus veſtris valde confidit, pro eo quod alis ſanctæ contemplationis aſſumptis, vt Deum in Sion videre poſſitis, in regionem ſolitudinis euolaſtis; charitatem veſtram monemus per apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus ſupplices preces effundatis ad Dominum, & per totum ordinem ſpeciales orationes fieri faciatis, vt ipſe pius, & miſericors per gratiam ſuam in manu legati prædicti ſalubriter dirigat negotium memoratum, ita quod optatum, & laudabilem finem ad honorem Dei, & Eccleſia ſortiatur.*

a Ib. ep. 48
b Ib. ep. 50
Acconenſi epiſc. promulgandę in Albig. crucis munus datū.
c Ib. ep. 52.
d Ib. ep. 53
e Ib. ep. 54
f Ib. ep. 39.
g Ib. ep. 49

Vt Albigenſis hæreſis a S. Lud. fuerit deleta.

24 Profligata demum eſt Albigenſium hæreſis, quæ toties crucesignatorum ferro ſuccisa multiplici ſobole fœcundior pullularat. Nec vacat res miraculo, Regis pueri terrore ſublatam, quæ ſtrenuiſſimorum ducum bellicam virtutem debilitarat, vt iure inter cæteros clariſſimos Reges deleta Albigenſis hæreſis ac diuino cultui reſtituta Narbonenſis Gallia D. Ludouicum efferat: vt vero feliciſſime res confecta fuerit, ex Bernardo accipiamus. Miſerat Romanus S. A. L. ad Toloſanos Eliam abbatem Grandis Syluæ, vt ipſos ad ineundam cum Eccleſia pacem inuitaret: at illi præteritis acceptis cladibus fracti, atque florentiſſimæ crucesignatorum expeditionis, quæ in eos comparabatur, niſi Eccleſiæ eiurata hæreſi imperia acciperent, metu perculſi ad paciſcendas inducias, vt colloquium de tractanda pace haberetur, deſcenderunt. Indicto igitur Meldis conuentu, quo Raymundus ac Toloſanorum oratores ſe contulere, ac forma pacis cum legato & epiſcopis agitata conceptaque ad Ludouicum Regem Pariſios itum eſt & coram ipſo confirmata. Qua re feliciter confecta Raymundus fidelium cœtui ſolemni ritu eſt aggregatus. de quo hæc memoratus auctor: h

Oblata a legato pax Toloſanis.

Pro ea tractanda cōuentus Meldis habitus.

Confirmata coram Rege Lud.

25 *Reconciliatus fuit Raymundus vltimus comes & qui cum eo erant excommunicationis ſententia innodati, in die paraſceues ſancto in fine præcedentis anni Domini prætaxati* MCCXXVII. *inchoante vero anno Domini* MCCXXVIII. ab incarnati enim Verbi diuini die annos auſpicatur auctor, *eratque pietas videre tantum*

h Bern. in chr. Rom. Pont.

Raymūd. in Eccleſiam admiſſus.

Quis ritus seruatus.

virum, qui tanto tempore tot & tantis nationibus potuerat restitisse, duci nudum in camisia & braccis & nudis pedibus ad altare. Erant autem præsentes ad hoc dno Rom. Ecclesiæ Cardinales, vnus legatus in regno Franciæ, & alius in regno Angliæ episcopus Portuensis. Persequitur auctor, quibus conditionibus pax Raymundo a Rege concessa fuerit, quæ rei Christianæ maxime vtiles ac Regi honorificentissimæ extitere, cum amplissima prouincia Francorum regno postea ea ratione coniuncta fuerit, institutisque sacræ fidei censoribus, pœnis grauissimis coercita hæresis sensim fuerit præfocata.

Initæ cum Raymundo concordiæ leges.

26 *In primis* (inquit auctor) *iuuenis Ludouici Regis auspicijs de tam prolixa guerra comitis Tolosani sic Deus eius pueritiam honorauit, quod de pluribus conditionibus in prædicta pace obtentis & contentis vnaquæque sola per se sufficeret quasi redemptionis pretium, si Rex eundem comitem inuenisset aduersum se in campestri prælio, & cepisset, vt est quod Tolosam & episcopatum Tolosanum, sibi in vita concessum tantum, nulli posset hæredi suo relinquere, nullusque eius hæres, vel filia vllum posset sibi ius reclamare, nisi sola ex ipsa filia vnica nomine Ioanna, & fratre eiusdem Ludouici Regis domini Alfonsi tantummodo descendentes. Item sufficeret ad pœnitentiam eum esse quinquennio vltra mare. Item quod se ad soluendum XXVII. marcharum argenti millia obligauit. Item quod totam aliam terram vltra episcopatum Tolosanum versus orientem infra Rhodanum & vltra Regi acquietauit, & Ecclesia, ac dimisit; tacendo de cæteris, quorum se supposuit grauitatibus, quibus si captus esset, mulctatus plurimum videretur, vt quod factum fuit, factum credatur non per homines, sed per Deum.*

Tolosani ecclesiæ conciliari.

27 Addit auctor, vt Tolosa Romanæ Ecclesiæ iulio mense conciliata fuerit, templaque in ea aperiri iussa a Petro e Collemedio, qui legati apostolici vices gerebat, atque interim in Regis potestate & custodia Raymundus hæserit, dum propugnacula Tolosæ diruerentur, cæteræque arces præfectis regijs dederentur; tum Ioanna comitis filia Alphonso Pictauiæ comiti nupsisset: qua re perfecta e custodia dimissum Raymundum, ac secutum legatum cum exercitu crucesignato, vt armis pertinaces edomaret, si quis concordiæ initæ leges temerare auderet. Celebratum postea est a legato Tolosæ concilium, cui Narbonensis, Bituricensis, Burdegalensis, Auxitanus archiepiscopi, ac magnus præsulum numerus; tum Tolosanus comes vnà cum proceribus vrbisque illius consulibus interfuerunt, pacisque confectę leges iterum a comite ac suis solemni sacramento confirmatæ.

Synodus Tolosæ a legato celebrata.

28 Vt vero ad excindendam hęresim instituta fuerit in eos, qui fœda illa labe aspersi erant, quęstio, deq; legati diligentia admodum commendanda addit auctor: *Mandauit inquisitionem fieri contra suspectos de hæretica prauitate, fuitque in ipso concilio Guillelmus de Solario (fuerat hæreticus vestitus, & sponte sua recesserat ab hæreticis) restitutus ad famam, vt eius testimonium valeret contra illos, de quibus nouerat veritatem. Quæ inquisitio sic fuit ordinata, vt singuli episcopi, qui aderant, testes, quos producebat Tolosanus episcopus, examinarent, & eorum dicta in scriptis redacta eidem episcopo redderent conseruanda.* Et infra: *Transiuitque legatus inde Rhodanum & apud Aurasiam cum Cisalpinis archiepiscopis, & episcopis, & prælatis suum concilium celebrauit, & literas pœnitentiarum, quas ordinauerat contra reos de hæresi, quos tollere de inquisitione inuenerat, transmisit episcopo Tolosano de castro Morgercy, vbi erat IV. kal. ian. quas episcopus Tolosanus reuersus vocatis eis in ecclesia S. Iacobi publicauit.*

Insignis hæreticus ad fidem conuersus

Instituta in suspectos de hæresi quæstio.

Habitum Aurasiæ a legato aliud concilium.

29 Refloruit itaque religio, ac ne errores ob doctorum virorum inopiam facile gliscerent, de excitanda Tolosę academia actum est, iussusque, vti conuenerat, Raymundus stipendia magistris attribuere. Quo anno Gregorius ad doctrinæ puritatem seruandam literis scriptis ad theologiæ professores, qui publice Parisijs docebant, in eos acriter inuectus est a, qui elatiori spiritu ostentandæ Philosophiæ causa, scripturarum difficultates ex sententijs philosophorum inepte enucleare atque illustrare aggressi erant. præcepitque, vt in explicandis aperiendisque scripturarum oraculis, sanctissimorum patrum doctrinam, non illos philosophorum fucos ac lenocinia adhiberent.

Corripit Pontifex doctores Parisien. inani Philosophiæ nimium se addicere.
a Greg. l. 8 ep. 20.

Gregorius, &c.

Tacti dolore cordis intrinsecus amaritudine repleti sumus absynthij, quod sicut nostris est auribus intimatum, quidam apud vos spiritu vanitatis, vt vter distenti, positos a patribus terminos prophana transferre satagunt nouitate, cælestis paginæ intellectum sanctorum patrum studijs certis expositionum terminis limitatæ, quos transgredi non solum est temerarium, sed prophanum, ad doctrinam philosophicam naturalium inclinando, ad ostentationem scientiæ, non profectum aliquem auditorum, vt sic videantur non theodacti, seu theologi, sed potius theophanti. Cum enim theologiam, secundum approbatas traditiones sanctorum, exponere debeant, & non carnalibus carnis, sed Deo potentibus destruere omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & captiuum in obsequium Christi omnem reducere intellectum, ipsi doctrinis varijs, & peregrinis abducti redigunt caput in caudam, & ancillæ cogunt famulari Reginam, videlicet documentis terrenis cæleste, quod est gratiæ tribuendo naturæ. Profecto scientiæ naturalium plus debito insistentes, ad infirma, & egena elementa mundi, quibus, dum essent paruuli, seruierunt reuersi, & eis denuo seruientes tanquam imbecilles in Christo lacte, non solido cibo vescuntur, & videntur cor nequaquam gratia stabilisse; propter quod spoliati gratuitis, & in suis naturalibus vulnerati, ad memoriam non reducunt illud Apostoli, quod ipsos legisse credimus iam frequenter: *Prophanas vocum nouitates, & falsi nominis scientiæ oppositiones deuita, quam quidam appetentes exciderunt a fide.*

Eo argumento datæ lit.

30 O improuidi, & tardi corde in omnibus, quæ diuinæ gratiæ assertores prophetæ, videlicet Euangelistæ, ac Apostoli sunt locuti! cum natura per se quicquam ad salutem non possit, nisi gratia sit adiuta. Dicant præsumptores huiusmodi, qui doctrinam naturalem amplexantes, verborum folia & non fructus auditoribus suis apponunt, quorum mentes quasi siliquis pastæ vacuæ remanent & inanes, & eorum anima non potest in crassitudine delectari, eo quod sitibunda, & arida aquis Syloe currentibus cum silentio non potatur; sed eis potius, quæ de torrentibus philosophicis hauriuntur, de quibus dicitur: *Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ*; quia satietatem non afferunt, sed anxietatem potius & laborem. Nonne dum ad sensum doctrinæ philosophorum ignorantium Deum sacra eloquia diuinitus inspirata extortis expositionibus, immo distortis inflectunt, iuxta Dagon arcam fœderis collocant & adorandam in templo Domini statuunt imaginem Antiochi? & dum fidem conantur plus debito ratione astruere naturali, nonne illam reddunt quodammodo inutilem, & inanem? *quoniam fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Credit denique intellecta natura, sed fides ex sui virtute gratuita intelligentiâ credita comprehendit, quæ audax, & improba penetrat, quò naturalis nequit attingere intellectus. Dicant huiusmodi naturalium sectatores, ante quorũ oculos gratia videtur proscripta, quod verbum, quod erat in principio apud Deum, factum est caro & habi-

Acris in Philos. ostentatores inuectio.

tauit in nobis, est ne gratiæ an naturæ? Absit de cætero, quod pulcherrima mulierum a præsumptoribus stibio peruncta oculos coloribus adulterinis fucetur, & quæ a suo sponso circumamicta varietatibus & ornata monilibus procedit splendida vt Regina, consutis philosophorum semicincijs veste sordida induatur. Absit vt boues fœdæ, ac confectæ macie, quæ nullum dant saturitatis vestigium, speciosas deuorent crassasque consumant.

Iubet eos Theologiæ puritatem sectari.

31 Ne igitur huiusmodi dogma temerarium, & peruersum vt cancer serpat, & inficiat plurimos, oporteatque filios perditos plorare Rachelem, præsentium vobis auctoritate mandamus, & districtè præcipimus, quatenus prædicta vesania penitus abdicata sine fermento mundanæ scientiæ doceatis theologicam puritatem; non adulterantes verbum Dei philosophorum figmentis, ne circa altare Dei videamini lucum velle contra præceptum diuinum plantare, & mellis commixtione sacrificium fermentare doctrinæ, in sinceritatis & veritatis azymis exhibendum: sed contenti terminis a patribus institutis, mentes auditorum vestrorum fructu cælestis eloquij saginetis, vt folijs verborum semotis, limpidas aquas, & puras tendentes ad hoc principaliter, vt vel fidem astruant, vel mores informent, hauriant de fontibus Saluatoris, quibus refecti interna crassitudine delectentur. *Datum Perusij nonas iulij pontificatus nostri anno secundo.*

Terribile obiectum visum Parisien. ep.

32 Lubet hic attexere, quæ in annalibus Flandriæ, historiæ prodita sunt, Philippum academiæ Parisiensis cancellarium vita functum, media nocte retra ac fœdissima specie, eunti ad ecclesiam Vvillelmo vrbis illius episcopo sese obiecisse, lugubrique voce exclamasse, æternis se inferorum incendijs damnatum, quod ex sacerdotij sui redditibus egentes non leuasset; diuque in cœno libidinis graui omnium scandalo immersus iacuisset. Adiecitque aliam causam, cuius & dictorum supra fides penes auctorem sit, nimirum aliquibus theologis opinantibus duo sacerdotia, quorum alterum in annos singulos xv. libras parisiacas valeret, salua conscientia retineri non posse, calculum non adiecisse, tulisseque famam ait auctor moribundum monenti, vt eam sententiam reuocaret, respondisse, velle se suo periculo experiri, an eius simoniæ reus damnandus foret. Hæc etiam nouatores a, qui ad traducendas religiosorum familias, nullius probati auctoris allato testimonio historiæ iniecere, monachos, quos ille viuus insectatus esset, in ipsius odium hæc confinxisse sparsisseque. Philippi lucubrationum super Psalmos, aliarumque meminit Trithemius b atque ex eo nouatores c. at ex funesta perditissimi hominis historia ad decretus viro sanctissimo sacros honores, quem beatarum mentium numero exceptum maxima diuinitus patrata miracula illustrarunt, orationem traducamus.

a Cent. 13 col. 1158.

b Trith. de script. eccles. c Centur. vbi sup.

B. Franc. a Greg. SS. catalogo adscriptus

33 Tribuit maximæ laudi Gregorio vitæ ipsius auctor hoc anno B. Franciscum vitæ sanctitate toti orbi Christiano illustrem, in numerum sanctorũ adscripsisse his verbis: *Tunc autem B. Franciscus in ciuitate Assisij quasi nouum sydus in Ecclesiæ firmamẽto miraculorum claritate fulgebat, quibus per diligentem inquisitionis indaginem ex iuridica testium narratione probatis, sanctissimus Papa Gregorius de fratrum consilio perrexit Assisium, vbi quarto kal. * octobris anno sui pontificatus secundo cum venerabilium Cardinalium & prælatorum diuerso collegio, pretiosis ornatus vestibus cum palmis & cereis de mundi partibus multitudine populi congregata, post sermonis profundi decursum, cuius tale fuit exordium: Quasi stella in medio nebulæ, & quasi sol lucens in diebus suis, sic iste fulsit in domo Domini; post miracula recitata & diligenter exposita, beatissimus præsul profusis lacrymis B. Franciscum crucifixi ministrum, cuius corde & corpore stigmata portabat, decreuit in catalogo sanctorum annotandum, ac post triduum Perusium est reuersus.*

* nonas

34 At notatu digna arbitror, quæ ab Stadensi eius æui Germano scriptore de B. Francisco in SS. ordinem redacto historiæ suæ tradidit: *Papa Gregorius veniens Assisium, canonizauit ibi in conspectu maximæ multitudinis, quæ de diuersis regionibus confluxerat, B. Franciscum, sic dicens alta voce: Ad laudem & ad gloriam omnipotentis Dei Patris, & Filij, & Spiritus sancti; & gloriosæ Virginis Mariæ & beatorum Apostolorum Petri & Pauli; ad honorem Ecclesiæ Rom. beatissimum patrem Franciscum, quem Dominus glorificauit in cælis, venerantes in terris, de consilio fratrum nostrorum & aliorum prælatorum in catalogo decreuimus sanctorum adnotandum, & festum in die obitus sui celebrari. Statim Cardinales, Te Deum laudamus incipiunt, & populi in laudes voces depromunt: Papa de solio descendit & cum Cardinalibus sanctum corpus leuauit de tumba.* Hæc Stadensis. conueniunt quæ compilationis chronologicæ scriptor a in historiam coniecit, Franciscum Assisij a Gregorio Papa in sanctorũ catalogo repositum. De B. Francisci solemni consecratione extat in pontificio regesto apostolicum diploma b, quod Gregorius ad vniuersos Christi fideles dedit, cuius exordium: *Mira circa nos*, vbi nonnulla præfatus subdit:

Quis ritus seruatus.

a Compil. chron. hoc anno.

b Greg. l. a ep. 31. extat. et am in Bullar. Fuerat Gregorio familiaritate coniun. ctissimus.

35 *Cum gloriosa vitæ ipsius insignia, ex multa familiaritate, quam nobiscum habuit in minori officio constitutis, plene cognita nobis essent, & de miraculorum coruscatione multiplici per testes idoneos nobis facta fuerit plena fides, confidentes per Dei misericordiam nos, & gregem nobis commissum, eius suffragijs adiuuari, & quem familiarem habuimus in terris, habere patronum in cælis, habito fratrum nostrorum consilio, & assensu ipsum adscribi decreuimus sanctorum catalogo venerandum, statuentes vt iv. non. octobris, die videlicet, quo a carnis ergastulo absolutus, ad æthereа regna peruenit, ad vniuersali Ecclesia natalitia eius deuote, ac solemniter celebrentur. Quocirca vniuersitatem vestram rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus die prædicto in commemoratione ipsius diuinis laudibus alacriter insistentes, eiusdem patrocinia humiliter imploretis, vt ipsius intercedentibus meritis, ad eius mereamini consortium peruenire, illo præstante, qui est benedictus in secula seculorum. Amen. Dat. Perusij xiv. kal. aug. pontif. nostri anno secundo.* Cum Pontifex de adiecto sanctorum catalogo Francisco diploma xiv. kalen. aug. ediderit, ac Richardus c, qui eo tempore historiam conscribebat, asserat Pontificem mense iulio Perusio Assisium se contulisse, & cælitum numero solemni ritu Franciscum ob publice edita miracula apposuisse, dicendum videtur in acta recitata mendum irrepsisse: Richardi enim hæc verba sunt: *Gregorius Papa mense iulio de Perusio vadit Assisium, vbi fratrem Franciscum Minorum fratrum ordinis inuentorem propter duo, quæ fecerat, miracula in aperto, in cæco videlicet vno & claudo, quibus visum & gressum reddiderat, canonizauit, & Perusium rediens, ibi anniuersarium magnifice celebrat Innocentij Papæ prædecessoris sui.* Idemque indicare videntur postrema auctoris verba, Innocentij enim anniuersarius dies in decimam sextam iulij diem incidit. Postquam D. Franciscum in sanctorum numerum retulit, ad Gallicanam ecclesiam scriptis literis, vt eum cælitum honoribus prosequerentur, imperauit, d

c Rich. de S. Ger. in chron.

Miracula D. Franc. opera patrata.

d l. b. ep. 21

Gregorius, &c.

36 Cum de conuersatione, vita & meritis B. Francisci institutoris & rectoris ordinis fratrum Minorũ, qui iuxta consilium Saluatoris, contemptis transitorijs & terrenis, iuxta promissionem eiusdem ad cælestia præmia feliciter, & æterna peruenit; cuius vita, & fama præclara, peccatorum depulsa caligine, ambulan-

De cultu SS. D. Frãcisco decreto lit. ad Gall. præsules.

lantes in regione vmbræ mortis, de peccatorum tenebris ad pœnitentiæ viam vocans, quorum tam virorum quam mulierum, ad fidem Ecclesiæ roborandam, & confutandam hæreticam prauitatem, viuit adhuc, & viget non modica multitudo, tam per nos, quam per multos alios fide dignos, qui miracula, quæ Deus per illius sancti viri merita operatur; plenius cognouerunt, certiores effecti: auditis etiam eius virtutibus, & miraculorum insignijs, & quod inter carnales spiritualiter, & inter homines etiam conuersationem angelicam habuisset, ipsum, qui corporaliter dissolutus cum Christo esse meruit in cœlestibus, ne ipsius honori debito, & gloriæ detrahere quodammodo videremur, si glorificatum a Domino permitteremus vlterius humana deuotione priuari; de fratrum nostrorum consilio, & prælatorum omnium, qui tunc temporis apud sedem Apostolicam consistebant, sanctorum catalogo duximus adscribendum. Cum igitur eius lucerna sic arserit hactenus in hoc mundo, quod per Dei gratiam iam non sub modio, sed super candelabrum meruerit collocari, vniuersitatem vestram rogamus, & monemus attentius, & hortamur per apostolica scripta mandantes, quatenus deuotionem fidelium ad venerationem ipsius salubriter excitantes, festiuitatem eius v. non. octobris annis singulis excolatis, & pronuntiatis constituto die specialiter excolendam, vt eius precibus Dominus excitatus, suam vobis gratiam tribuat in præsenti, & gloriam in futuro. *Dat. Perusij VII. id. iul. pontif. nostri anno 2.*]

SS. Marij, & Marthæ inuenta sacra lipsana.

37 Hoc anno corpora SS. Marij & Marthæ martyrum in diaconia S. Adriani inuenta fuut, eamque ecclesiam Romanus Pontifex ritu solemni consecrauit, ad cuius rei memoriam ad posteros transfundendam, inscriptio in apside marmorea incisa est. Neque illud hoc loco reticendum videtur, insertum pontificio huius anni regesto Gregorij diploma a de translatione corporis S. Augustini episcopi & doctoris, quod Ticini in ecclesia S. Petri de cælo aureo nuncupata iacebat, in sacrum Mortariense templum solemni pompa celebrata. Hæc silentio noluimus obruere, quo veterem ritum illum de sacrarum veneratione reliquiarum præteritis seculis semper propagatum, hoc etiam viguisse ad amplius nouatorum deliria confutanda ostendamus.

a Greg. l. 2. ep. 40.

Reliquiarũ S. Aug. translatio.

38 Per id tempus Gregorius IX. varia priuilegia in plures liberaliter effudit b, atque archiepiscopo Auxitano permisit c, vt ipsi incedenti crucẽ præferri liceret. exemplum apostolicarum literarum subijcimus: *Cum crux in Christi corpore deaicata, facta sit mysterium fidei, salus viuentium, & redemptio peccatorum, merito vexillum ipsius habetur a Christi fidelibus in reuerentia & honore, quod est non solum contra potestates aereas ad munimen, sed etia Ecclesiæ ad ornatum. Quare summus Pontifex, & alij omnibus a fide Apostolica est indultum, in memoriam Iesu Christi crucifixi crucem coram se faciunt baiulari; vt in ipsum proijcientes fiduciam spei suæ, qui de morte moriens triumphauit, securitati fidelibus, & infidelibus sit terrori. Ea propter venerabilis in Christo frater. A... tuis humilibus supplicationibus annuentes, coram te crucis aeferendi vexillum per prouinciam Auxitanam tibi & successoribus tuis auctoritate præsentium concedimus facultatem. Dat. Laterani XII. kalend. februarij pontificatus nostri anno primo.*

b Greg. l. 1. ep. 167. 168. 170. 176. & l. 2. ep. 18. 19. 26. 52.

c Greg. l. 2. ep. 172.

Præferendæ crucis Auxitano ep. potestas datur.

Cur archiepiscopis præeat Vexillum crucis.

39 Pontificijs priuilegijs Bohemorum Regum Othocari & Vvenceslai filij eius regium hoc priuilegium d coniungamus, quo illi ecclesiæ Maguntinæ archiepiscopum exornarunt, vt illi soli consentientibus Pragensi & Olmucensi episcopis, Bohemos Reges inungere & corona redimire liceret: *In nomine Domini amen. Odocharus & VVentzlaus Reges intiijs vniuersis Christi fidelibus, præsens scriptum intuentibus, salutem perpetuam. Confitemur & publice protestamur, quod tam nos quam omnes successores nostri consecrationem regalem & diadematis impositionem de sacrosancta sedis Moguntinæ archiepiscopo terra nostra metropolitano, in perpetuum tenemur recipere. Si vero idem archiepiscopus requisitus, se pro motu animi sui subtraxerit, alteri episcopo, quem nos vel successores nostri postulauerint, vicem suam ad id exequendum committat. Vt autem hoc ratum & inconuulsum permaneat, hanc paginam de consensu venerabilium Pragensis & Olmucensis episcoporum, sigillorum nostrorum appensione firmauimus. Dat. Pragæ anno Dominicæ incarnationis MCCXXVIII. indictione I.* Hoc anno Imperatorem Robertum Constantinopolitanum e viuis sublatum esse, filiumque paruulum, videlicet Balduinum iuniorem nondum ferendo oneri parem, hæredem reliquisse scribit Matthæus Parisius. a

d Ext. apud Ioan. Trith. in chr. Sponheim ann. 1228.

Maguntini arch. est Bohemos Reges inũgere.

Ejus rei ab Othocaro & Vvencesl. datũ priuilegium.

Roberti Imp. mors

a Par. hist. Angl.

IESV CHRISTI
Annus 1229.

GREGORII PP. IX. annus 3. | FRIDERICI II. IMP. 10. BALDVINI II. IMP. 1.

1 PErcussit cum sultano Babyloniæ anno Saluatoris nostri millesimo ducentesimo vigesimo nono indictione secunda Fridericus, obtrita præstiti iuramenti religione, indignam Christianæque reipublicæ perniciosissimam pacem, quæ cum fucata ac subornata potius, quam ad stabilitatem percussa ac firmata esset, breui nouos tumultus peperit, resque Christianas in summum discrimen coniecit. Cuius impij fœderis capita ad Gregorium Papam a patriarcha Hierosolymitano missa, infra suo loco adducentur; vnde Romani Pontificis in Fridericum fidei verissimum proditorem, anathema fulminantis æquitas illustrabitur. Is enim eum bello petere atque edomare Sarracenos, ac sacramento solemni, dum dotale regnum acceperat, se crucem non cæterorum principum more, sed Templariorum & Hospitalariorum ritu capessere spopondisset, vt deiecti animi erat & odia non in Sarracenos, quibus erat moribus simillimus, sed in Christi vicarium exercere cupiebat, magnis votis repetitis pluribus legationibus a barbaro pacem expetijt, cui sua arma turpissime obtulit, ac nunquam ea in ipsum resumpturum est pollicitus: quodque non minus a prudentia alienum fuit, accepta Hierosolymorum parte, ac templo Domini alijsque arcibus in Sarracenorum potestate relictis, id fœdus cum sultano Damasceno, cuius res agebatur, non firmauit. Tum ad cæteris Christianis, vt Antiochenis ac Tripolitanis, qui hactenus ad repellendum communem hostem animis coniunctissimi fuerãt, submittenda nulla auxilia se deuinxit, ac tanquam re præclare gesta ingenti pompa sibi Hierosolymis coronam imposuit. Denique discessurus, quasi gereret in votis rem Christianam perdere, bellicas machinas vel Sarracenis transmisit, vel igne consumpsit: vt postea Christiani recrudescente ex illa fallaci pace difficili bello periculis expositos ac proditos se fuisse luxerint. Quamuis vero adeo turpiter deserta Christiani nominis causa fuerit a Friderico, non defuere tamen illius studiosi, qui hoc facinus veluti æterna memoria celebrandum efferrent. Quo argumento Hermanni religiosorum equitum S. Mariæ Theutonicorum, pompaticæ ac Friderici ad Gregorium fucis plenæ literæ, vt ipsum circumuenirent, extant exaratæ. Sed frustra sapienti Pontifici suas fraudes obtrudere sunt conati, quas ille perspicaci mentis acie penetrauit, ac de iniqua pace hæc Mediolanensi archiepiscopo, alijsque eius prouinciæ episcopis scripsit. b

Fridericus cum Sult. Baby. exitiale fœdus coit.

Turpiter ab eo gestæ res.

Deplorat Greg. desertam ab eo causã nominis Christiani

b Greg. l. 3. ep. 14.

Ar-

Archiep. Medielanensi & suffraganeis eius.

Ea de re ad Mediol. arch. litt.

2 Ea quæ Fridericus dictus Imperator egit in partibus transmarinis, ideo vobis hactenus intimare distulimos, qoia speramos, quod venerabilis frater noster patriarcha Apostolicæ sedis legarus, & templi, & hospitalis magistri Hierosolymitan. & alij principes, & barones de partibus illis nobis illa plenius intimabont, & tunc certius ea vobis poterimus declarare. Sed ne interim vobis suggeri valeant falsa pro veris, ea quæ dictus Fridericus, & H.... magister domus Theuronicorum oobis suis literis intimarunt, vobis duximus teserenda. Idem enim Fridericus cum soldano Babylooiæ, qui Hierosalem vel circumpositam regionem nec de facto, nec de iure teoebat, irreqoisito soldano Damasci, qui terram detinebat eandem, talem inijt pactionem. Videlicet, vt templum Domini Christo dicatum costodiant Sarraceni, & seruent obseruantias ritus sui, & sic idem in Hierusalem diruta fere penitus, & deserta se solemniter, vel porius inaniter coronauit. Sed patriarcha, & magistri prædicti, nec non quamplures alij zelum Dei habeotes, nullatenus consenserunt huiusmodi pactioni, quin potius idem patriarcha ciuitatem Hierusalem ecclesiastico supposuit interdicto; ita quod ibi nullum diuinum officium celebretur. Quare patet expresse, quod idem Fridericus, quantum in eo est, confudit enormiter causam Christi & populi Christiani, dum, quod horrendum est dictu & stupendum auditu, conuentiooem Christi ad Belial penitus impossibilem gestieos concinnare sanctum exposuit prophanandum, vt in templo Domini celebretur memoria Machometri, & illius perditissimi lex detestabilis prædicetur, qui legem Christi, quantum in ipso fuit, euacuauit in partibus orientis; sicque inimicus crucis, hostis fidei, aduersarius castitatis, inferno damnarus, quasi contradicto iudicio videtur erigi adorandus in iotolerabilem contumeliam Saluatoris, & in inextricabile opprobriũ populi Christiani & contemprum moltorum Christi martyrum manifestum: qui vt terram Christi sanguine consecratam, a Sarracenorũ mundareot spurcitijs, animas suas salubriter posuerunt. Ne igitur subditi vestri aliquo super his circumueniantur errore, vniuersitatem vestram monemus, & hortamur attente per apostolica scripta mandantes, quatenus hæc ipsis fideliter exponatis; adijcientes quæ secundum Deum honori Ecclesiæ videritis expedire. Nonnũa vero terrarom, quas memoratus Fridericus Sarracenis io pactione reliquit, vobis per alias literas prouidimus exprimenda. *Dat. Perusy id. iun. pontif. nostri anno* III.]

Vt Hierosolymas ab ijs Sarr. ad quos nullũ ius spectabat, redemerit

Templum domini Machometis cultu prophanandũ reliquerit.

Quanta fuerit rei indignitas.

a Ext. apud Greg. l. 3. ep. 34. Geroldi Patr. de statu Terr. S. ad Greg. lit.

3 Non multo post Gregorius Geroldi patriarchæ Hierosolymitani, legatique apostolici tristes literas a accepit, quibus ille Friderici ignauiam & proditionem, ac rei Christianæ luctuosum statum exposuit. Quas ad delibandam ex ijs historiæ veritatem ac Friderici eiusqoe assentatorum imposturas detegeodas afferendas duxi.

Sanctissimo in Christo patri, & domino Gregorio diuina prouidentia summo Pontifici. G... miseratione diuina patriarcha Hierosolymitanus humilis, & indignus salutem cum summa reuerentia, & deuota pedum oscula beatorum.

Excurrũt in Sarrac. terras cruce signati.

Sciat sanctitas vestra, quod circa festum B. Clementis Imperator Ioppeo profectus est de Accon, ipsumque secutus est exercitus Christianus. Ipso autem illoc perueniente, ac incipiente munire, peregrini ad circumadiacentia casalia cucurrerunt pro victualibus perquirendis; quod audiens soldanus, qui prope erat com suo exercitu, male respondit nuntijs Imperatoris, qui iam de Accon iuerant ad eundem, & dixit quod durante tractatu pacis, Ioppeo non debuisset causa muunitionis faciendæ venisse, nec frangi sua casalia deboisse: propter quæ memoratos nuntios cum indignatione & coofusione remisit. Ad hæc Imperator omnia, quæ peregrini ceperant a casalibus antedictis, fecit restitui, & ipsa casalia cum omnibus affidari, soldanum incipiens sic placare. Eo tempore ei soldanus quædam instrumenta misit vilia, & despecta, quæ directe prætendebant effectum turcopuli, & tonsoris, mandaos quod terra sua talibus abundaret. Ad hæc Imperator remisit suum notarium ad soldanum pro tractatu pacis iterum inchoando: qui male receptos a soldano statim ab eo recessit, fuitque in suo reditu a Sarracenis tractatus turpiter, & bonis omoibus spoliarus.

Prædam barbaris iubet restitui Frid.

Sua arma Soldano trãsmittit.

4 Postmodum non sine graui scandalo peregrinorum, ac mira confusione idem notarius est remissus, mittens soldano arma sua propria, loricam scilicet, galeam, & gladium, atque mandans, sicut fuit nobis pro certo relatum, quod faceret de ipso Imperatore quidquid vellet, quia nunquam contra eum de cætero se armaret. Ad quod nihil respondit soldanus, vilipendens omnia, quæ fiebant. Inter hæc quidam de familiaribus soldani, qui Imperatorem diligere se fingebat, dixit notario, si esset de beneplacito soldani, quod comes Thomas reuerteretur ad ipsum, ipsi duo de pace aliqua & concordia iterato tractarent. Super quo sæpedictus notarius soldano cum magna instantia supplicauit, vt sibi in hac parte suum præstaret assensum: qui tandem concessit supplicatam gratiam supplicaoti. Sic igitur reuerso comite ad soldanum, per ipsum, & familiarem prædictum tractatus pacis, qui modo supradicto in confusionem totius Christianitatis fuerat dissolutus, fuit confusione duplici denuo inchoatus. Quo durante capiebantur nostri miseri peregrini, & interficiebantur indifferenter, & secundum quod intelleximus veraciter, sic bene amisimus plusquam quingentos de nostris, & vt verum fateamur, postquam Syriam Imperator intrauit, a suis, vel ab illis de exercitu Christiano capti vel interfecti Sarraceni numerum denarium noo attingunt. Immo quidam in exercitu fuit captus, qui statim liberatus, claris vestibus indutus, & sic honorifice est soldano remissus, ita quod illi, qui eum ex parte Imperatoris conducebant, fuerint a Sarracenis in via bonis omnibus spoliati, vixque mortem euadere potueroot. Sic itaque qui ab inimicis fidei infestabantur, principis auxilium non habebant: si autem eos ex quacunque causa offenderet, puniebatur ab eo; vnde foris gladius, & intus timor nostris assidue imminebat.

Polliceter nunquam in eum resumpturum.

Interpellat turpiter induceles de pace.

Dissimulat Christianorum cædes.

Sarracenis munificus, Christianis iniquũ se præbet.

5 Nec illod silendum est, quod ad maius dedecus Christianitatis cedere visum fuit. Imperator rogauit soldanum, vt per Sarracenos suos in ipsius Imperatoris expensis Christianum exercitum faceret custodiri; quod cum ordinatum a soldano fuisset, quia de lupis erant pastores effecti, multi de nostris sub illa confidentia ceciderunt, & quod cum maxima verecundia referimus & rubore, Imperatori soldanus audiens quod secundom morem Sarracenicum se haberet, misit cantatrices, quæ & saltatrices dicuotur, & ioculatores, persouas quidem non solom infames, verum etiam de quibus inter Christianos haberi mentio oon deberet. Cum quibus idem princeps huius mundi vigilijs, potarionibus, & indumentis, & omni more sarracenico se gerebat: etsi talia abhorruit exercitus Iesu Christi, adhuc, dante Domino loco & tempore, sanctitatis vestræ auribus referent, qui proprijs oculis hæc viderunt. Erga Sarracenos noo solum largus extitit sed effusor, ac si emere vellet pacem, quam obtinere noo poterat violentia, vel timore. (Fridericum Sarracenis addictissimum fuisse eorumque mores imbuisse, testes sunt eius æoi auctores, qood nos suo loco illustrabimus.)

Exercitũ Christianum infidelibus custodiendum committit. Quantum id nostris exitiale fuerit.

Sarracenos mores & cultum induit.

6 Sane longe ante natiuitatem Domini præcepit biscottum fieri, & galeas, & omnia vasa sua parati;

quod

quod audientes Sarraceni, licet eum antea non timetent, ipſum tamen amplius contempſerunt. Denique in dominica ſeptuageſimæ pacis volens publicare tractatum, qui vſque tunc admodum fuerat occultatus, vocauit ad ſe circiter quatuor de maioribus Syriæ, eiſque intimauit, quod adeo pauper erat, & quod ibi non poterat moram trahere longiorem, quia iam ſibi deficiebant expenſæ, vt conſilia eorum eo facilius ad ſuum propoſitum, ac deſiderium inclinaret. Cum autem de paupertate prologum perfeciſſet, aperuit eis, quod ſoldanus offerebat ei ciuitatem ſanctam, retento ſibi templo Domini, quod a Sarracenis cuſtodiri debebat, vt illud ſine tributo intrare poſſent libere Sarraceni, qui illuc vellent cauſa peregrinationis venire; & quod ciuitatem poterat firmare Bethleem, & duo minima caſalia, quæ ſunt inter Bethleem ſupra ſtratam, & Hieruſalem: caſalia quæ ſunt inter Hieruſalem recto itinere vſque Ioppen, Nazareth, & duo caſalia modica, quæ ſunt inter Nazareth & Accon recto itinere Tyrum cum quibuſdam pertinẽtijs ſuis, quod non debebat firmari, Sydonem cum plano, & duo caſalia modica, quæ ſunt in plano. Et ſciendum quod patriarcbæ extra ciuitatem non reſtituitur vnus paſſus terræ, nec domui ſepulcbri dominici, nec hoſpitali S. Ioannis, nec de Latina, nec de Ioſaphat, non de templo Domini, nec montis Oliueti, nec montis Sion abbatibus, vt breuius dicamus, nihil reſtituitur extra ciuitatem præter ea, quæ ſunt ſuperius nominata, quæ tamen non ſunt de caſalibus, quæ ad aliquem pertineant de corpore ciuitatis, niſi domui templi, ad quam aliqua pertinent ex eis, quæ ſunt inter Hieruſalem, & Ioppen: caſalia verò, quæ reſtituta dicuntur, pauca ſunt numero, nec plurimum commendanda valore.

Tractatũ pacis paucis proceſsibus aperit.

Hieroſolymas recipit & quibus legibus.

7 Ad hæc ſupradicti nobiles reſponderunt, quod ex quo ita pauper erat, quòd vlterius remanere non poſſet, ei factum illud diſconſulere non audebant, ita tamen ſi ciuitatem retinere poterat, & munire. Poſtmodum vocati fuerunt magiſtri domorum, & ſuper hoc requiſiti: qui vnà cum epiſcopis Angliæ reſponderunt, quod ſine noſtro conſilio nihil penitus reſponderent, dicentes quod noſtrum erat conſilium potiſſimum requirendum, tum propter dignitatem patriarchatus, tum quia in illis partibus, ac negotio præcipue Ieſu Chriſti legationis officio fungebamur. Ad hæc Imperator reſpondit, quod noſtrum ſuper hoc conſilium non requireret, nec baberet. Sic igitur Imperator clam nemine de terra præſente, præſentibus nuntijs ſoldani, iurauit ſe ſeruaturum, ea quæ continebantur in quadam charta clauſa, quæ nunquam coram aliquo peregrino, nec aliquo de terra lecta fuit, vel aperta, nec coram nuntijs ſoldani ab ipſo Imperatore, baronibus vel magiſtris recitata, nec ab ipſo manifeſtata ſoldano, & ſoldanus contentus fuit ſolo principis iuramento, nec alterius fuit ſuper hoc ſecuritas requiſita, quia bene ſciebat Imperator, quòd ſi contingeret ab alio hanc ſecuritatem requiri, ſicut fieri conſueuit, ille qui requireretur, vellet ſibi explanari ſingula capitula diligenter antea quam iuraret: ſed Imperator cum male ageret, lucem rationis in omnibus declinabat.

Procerũ conſilia reſpuit.

Fœderis leges occultas tenet.

Ad eas iureiurando ſe obligat.

8 Tandem vocatis Theutonicis ſuis, qui nihil aliud affectabant, niſi quod poſſent viſitare ſepulchrum, allegare cœpit Imperator, & magiſter Alemannorum poſt ipſum, quomodo per eos fuerat exaltatus, & quantum in negotio illo eum Dominus honorabat, non ſuis meritis, ſed orationibus eorundem. Et ſi omnes alij id diſconſulerent, conſilio eorum ſe reputabat contentum, rogans eos, vt de honore ſuo gauderent, & cantum in ſignum exultationis, & lætitiæ inchoarent, quæ ſola natio cantum leuauit, & luminare fecit, omnibus alijs ſtultitiam reputantibus, quod fiebat, cum multi ex ijs fraudem iam cognoſcerent manifeſte. His peractis magiſter Alemannorum, comes Thomaſius, & dominus Sydonis iuerunt ad ſoldanum Babyloniæ, vt ſuper conuentionibus initis reciperent ſacramentum ab ipſo: quo recepto iuit dominus Sydonis ad ſoldanum Damaſci, vt ab eo ſimiliter reciperet ſacramentum. Sed idem ſoldanus iam præſenſerat, quod ſoldanus Babyloniæ, & Seraphius auunculi eius eum exhæredare penitus intendebant, & inter ſe diuidere terram ſuam, propter quod ſe in Damaſcum recepit, & adunatis ſuis, eis viriliter * aſſiſtere conabatur. Qui treugam iurare noluit vllo modo, dicens quòd ſoldanus Babyloniæ auunculus ſuus terram ipſius Chriſtianis ſine conſenſu ſuo reddere de iure non poterat, nec debebat.

Germanos fucata oratione circumuenit.

Sultanus Damaſc. negat ijs pacis conditionibus ſtare.

* reſiſtere

Queritur ab auunculo iniuſte ſua ditione exui.

9 Inter hæc magiſter Alemannorum ad magnificandam vocem, immo ad palliandam principis falſitatem, malitiam, atque fraudem, mandauit nobis conſulens, atque rogans, vt ad exercitum perſonaliter veniremus cum peregrinis ciuitatem ſanctam ſolemniter intraturi, & quòd deinceps ordinari deberent noſtro conſilio vniuerſa, noſtrumque aduentum Imperator plurimum affectabat. Circa idem magiſter valde ſolicitus erga amicos, & familiares noſtros de exercitu, vt nos ad veniendum inducerent ſuis precibus cum affectu: quorum omnium receptis literis & perlectis, caute conſiderandum duximus, & notandum, quod Imperator ſuæ intendens dilatare fimbrias falſitatis, & attendens, quod treugæ, & conuentiones, quas cum ſoldano inierat fraudulenter, & malitioſe, omni fundamento veritatis, & ſtabilitatis carerent, nec tam veſanum ſcelus poſſet diutius occultari; cum ipſe eſſet de terra receſſurus inſtanter, nec terra, quam ſe acquiſiſſe iactabat, poſſet retineri per ipſum, ſe exoneratum crederet, immo honoratum omnino, & nos poſt receſſum ſuum quacunque occaſione dimitteret, in acquiſitione, quam ſe feciſſe fingebat, vel operis continuatione Ioppen, & ſi poſtmodum de Hieruſalem aliqua neceſſitate contingeret nos exire, vel opus relinquere imperfectum, diceret: Ego acquiſiui ciuitatem ſanctam, quam perdidit patriarcba, & Eccleſiæ Rom. legatus; incepi munire Ioppen, & eſt perdita per eundem, & non ſolum nobis id, verum etiam Eccleſiæ imputaret.

Hermannus magiſter Theutonicorum equitũ facti turpitudinem colorat.

10 Ad hæc pater ſancte, licet malitiam Imperatoris, ac fraudem, & circumuentionem magiſtri in hac parte perpenderemus expreſſe, tamen ad intellecta tunc prætermiſimus ex induſtria reſpondere, reſcribentes magiſtro, vt tranſcriptum treugæ, & omnium conuentionem nobis tranſmitteret de verbo ad verbum, vt habita deliberatione debita, quod mãdabat, poſſemus confidentius, ac ſecurius adimplere; non enim tutum erat nobis, immo admodum indiſcretum, quod nos in manu committeremus ſoldani, de cuius nobis forma treugæ non conſtabat. Quo intellecto magiſter in continenti per fratrem Vv. de ordine Prædicatorum pœnitentiarium noſtrum nobis miſit ſupra dictum tranſcriptum; quo retento, ac diligenter notato vidimus in eo inter cętera quædam mirabilia contineri, quæ ſanctitati veſtræ de verbo ad verbum duximus tranſmittenda, beatæ circumſpectionis veſtræ reliquentes iudicio principis huius malitiam euidentem.

11 Nos igitur ex formæ treugarum inſtrumentis, vt pote qui nihil aliud quærebamus, ex tunc incepimus noſtrum conſilium ordinare, qualiter in toto negotio procedere deberemus. Cum igitur imprimis nobis conſtaret, quod ſoldanus ciuitatem ſanctam Imperatori, ac ſuis baiulis ad muniendam, & habendam dediſſet, nulla de Eccleſia, vel Chriſtianis habita mentione; non fuit noſtrum conſilium, quod de munitione illa intromittere nos vellemus, quia poſt receſſum Imperatoris dicere poſſet ſoldanus: Exite, nullam habeo conuentionem vobiſcum: & ſol-

Nulla in tractatu de Eccleſia aut Chriſtianis edita mentio.

Nulla est sultano Damasc. firmata induciæ. Retentus Hierosolymis Mahometis cultus.

& soldanus Damasci, cum quo treugam non habemus, posset nos grauiter infestare; & quia treugæ forma continebat expresse, quod Sarraceni in mano sua templum Domini, sicut antea, detinerent, & quod ibidem lex eorum deberet modo solito proclamari, cum ciuitas omnino cultui Christiano restituta non esset: præcipue cum soldanus Damasci, cui super dicta restitutione inferebatur violentia, treugam non iurasset, propter quod videbatur minime duratura; de consilio peritorum inhibuimus reconciliari ibi loca sacra, ac celebrari diuina, quousque super hoc sanctitatis vestræ requireretur consilium, & assensus.

Cur interdicto fuerit supposita Hierosol. a patriarcha.

Cumque videremus, quod in omnibus his malitiose, ac fraudulenter procederet Imperator, peregrinis indifferenter denegauimus licentiam intrandi Hierusalem & visitandi sepulchrum, dicentes quod a sanctitate vestra, & a vestris prædecessoribus fuerat super hoc lata sententia; & cum ex tali ingressu, & visitatione iam dicta damnum sequeretur non modicum, ac periculum personarum, non credebamus, quod a beatitudine vestra factum illud acceptari deberet, nec memorata sententia propter hoc reuocari. Et cum ad nos illius sententiæ absolutio non spectaret, eis id denuntiari per prędicatores fecimus euidenter, quod a sanctitate vestra requiri eiusdem absolutionis beneficium oporteret.]

Confutatur Rich. Friderici studiosus. a Rich. in chron. hoc ann.

12 Fuit hæc grauissima Friderici imprudentia ac peruicacia, de qua in suis ad vniuersos fideles literis plurimum questus est, Pontifex anathemate deuinctũ in Syriam accessisse: at Richardus a nimio in Fridericum amore ductus excusationum colores principis sui factis oblinit, ac Gregorium inique admodum in inuidiam adducit, atq; Fridericum multas a Pontifice iniurias in ea expeditione pertulisse, dum non modo Gregorium pro libidine ac impotẽtia animi ipsum anathemate defixisse affirmat, verum patriarchæ ac magistris domorum hospitalis ac templi, vt ab eo velut ab homine e cœtu fidelium segregato declinarẽt, imperasse: atque adeo ob id in exercitu Christiano non sine grauiori iniusta Friderici gloriæ macula, nec sacra fierent, nec diuinæ laudes, vt mos erat, personarent. Sed quam iniuste culpam auctor ab Imperatore ad Pontificem detorqueat, e dictis, dicendisque conspicuum est. Pergit patriarcha:

Vt Fridericus sibi coronam Hierosol. imposuerit.

13 Et ecce vnanimiter sabbatho dominicæ, qua cantatur: *Oculi mei*; sunt cum principe ciuitatem ingressi, qui summo mane ipso die dominico sepulchrũ intrauit; vestibusque indutus regalibus, capiti suo imposuit diadema. Quo facto magister Alemannorum surrexit, & sermonem longum, & prolixum primò in Theutonico, & postea in Gallico ad nobiles, & populum inchoauit, & sicut nobis relatum fuit, exonerando, immo exaltando principem, & Ecclesiam, salua gratia sua, multipliciter onerando. In fine sermonis, nobiles pro munienda ciuitate ad subsidium operis inuitauit. Imperator oblationes sepulchri Dominici, & aliarum ecclesiarum inuitis canonicis & expulsis, recipi faciebat per seculares milites operis occasione prædicti.

Deliberat de muniẽda Hierosol.

Post prandium ciuitatem exiuit; ad se venire faciens venerabiles viros Vuintomen. & Exoniensem episcopos, & magistrum hospitalis S. Ioannis, præceptorem domus militiæ templi, magistro templi absente, habito cum magistro Alemannorum consilio, per eundem magistrum primo ab eis pro facienda munitione adiutorium requisiuit. Qui responderunt, quod super hoc habere spatium deliberandi volebant. Secundo habito consilio cum magistro, quæsiuit ab eis consilium per eundem magistrum, verum sibi expediret facere munitionem prædictam, & quod super hoc ei in crastino illius dominicæ responderent.

E vrbe p[illegible].

14 Adueniente autem crastino summo diluculo ciuitatem exiuit cum tota familia sua, mirantibus omnibus, constitutus in itinere recedendi. Quod audientes illi, qui super prædicto verbo ei die illa respondere debebant, festinanter accesserunt ad ipsum vnanimiter respondentes fratres tẽpli, quod si vellet munire, sicut promiserat, ciuitatem, ipsi eum ad id faciendum taliter adiuuare curarent, quod domus templi apud Deum & homines redderetur super hoc merito commendanda. Qui respondit quod volebat super hoc habere tractatum aliàs pleniorem. Sicque recedens ab eis, in ciuitate nemine salutato, ipso die versus Ioppen ita celeriter festinauit, quod vix, qui eum sequi valeret, inuenit.]

Non permittit hu-mari propugnacula a Templarijs.

Grauissime de eodem intempestiuo Friderici Hierosolymas munire propugnaculis detrectantis recessu queritur in alijs literis a patriarcha: fuerant enim, vt vidimus, a Coradino in Damiatæ obsessæ vltionem æquata solo Hierosolymæ mœnia, ac si vrbs firmissimis aggeribus murisque cincta tum fuisset, cum ad vrgendum opus feruerent Christianorum animi, oblata postea occasione Sarraceni facilius templo Domini deturbari potuissent; sed altius hærebat principis animo Christi Vicarium, quã Mahometi cultores lacessere atque ob id iter in occidentem præcipitabat.

a Extant apud Paris hoc ann.

Pergunt Geroldi literæ: Quod videntes peregrini, sese cum ipso pariter reputantes confusos, audientes inter cætera proclamationem legis Mahometi alte & solemniter frequentari, fuerunt velut diploide duplici confusione turbari, iamque ipsius malitiam cognoscentes ciuitatem exibant omnes vnanimiter, ipsumque sequebantur ad portum sua peregrinatione, ita quod non sperabatur, quod ibi deberet Christianus aliquis remanere. Imperator venit in Accon in media quadragesima, festinans modis quibus poterat transfretare, milites Theutonicos secum trahere conabatur: sed in hac parte proficere non poterat, prout vellet, cum timerent excommunicationis sententiam, & de tempore magnam fiduciam non haberent. Iam aliqui peregrini interfecti fuerant adeuntes sepulchrum; vnde paulatim transeuntibus videbatur huiusmodi malitijs securitas interdici. Quæ postea euenient, curabimus fideliter, ac diligenter sanctitati vestræ quam cito poterimus intimare. Transmittenda duximus scripta eadem per diuersos nuntios, vt saltem vnus brauium apprehendat. *Datum Accon VII. kalendas martij.*]

Turpis illius e Syria recessus.

15 Ad maiorem veritati, quam plures obscuratæ nisi sunt, affundendam lucem, impij fœderis capita, quæ e Sarracena in vulgarem Gallicam linguam versa patriarcha ad summum Pontificem misit b, additis ad singula animaduersionibus Latinis, ad infamiam, perniciemque illius magis ostendendam, nos Latino sermone adducenda censuimus. Extant in regesto post eandem epistolam huiusmodi titulo prænotata.

b Ext. ib. post eand. ep.

Capita pacis ab eo initæ.

Transcriptum capitulorum treugæ ad dominum Papam directum.

Capitulum I. Sultanus Hierosolymam Imperatori eiusque præfectis tradit, vt de ea quocunque modo pro arbitrio disponat communicatue.

§. Notandum quod Imperatori siue balilijs suis fit concessio, non factis de Ecclesia, vel Christianitate, vel peregrinis aliqua mentione: & ita apparet quòd secundum formam treguæ nullus potest eam munire, vel retinere, nisi Imperator, vel balitij sui. Item notandum, quòd soldanus de iure non habuerit potestatem concedendi, cum super hoc violentia inferatur soldano Damasci, qui eam possidebat, nec treugam iurare voluit, nec ratam dictam concessionem habere.

16. *Capitulum II. Imperator non occupabit attingetue Gerusalem, quod Salomonis templum est nec templum Domini, vel quidquam eorum ambitu complexumque contentum; nec pati debet Francum vllum, cuiuscun-*

cunque gentis fuerit, & inuadere, sed nullo prorsus immutato erunt in potestate ac manu Sarracenorum, qui ea ad orationes suas fundendas suamque legem proclamandam obtinebunt, nulla ijs prohibitione, aut contradictione facta, clauesque portarum, quæ in ambitu locorum sunt, apud eos, qui ad ea loca instruenda iurandaque resident, remanebunt, nec in posterum ipsis eripientur.

§. Hæc est abusio manifesta, quæ expositione non indiget: hæc est conuentio Christi ad belial. Per hoc apparet, si frequentatio psalmi illius: Deus venerunt gentes, cessare debeat, cum adhuc templum sanctum polluant infideles. Item notandum, quòd cum in locis adiacentibus ciuitati nulla sint casalia restituta, & remaneãt in manibus paganorum, & longe maior erit multitudo Sarracenorum venientium causa orandi ad templum Domini, quam multitudo Christianorum venientium ad sepulchrum, quomodo poterunt habere dominium Christiani vsque ad decem annos, sine discordia, & periculo personarum, cum, sicut prædictum est, sibi vires retineant Sarraceni!

17 *Capit. III. Nulli Sarraceno vetitum erit in Bethlehem libere peregrinationem obire.*

Capit. IV. Si quis Francus firmam fidem in maiestatem dignitatemque templi Domini habuerit, eoque ad preces fundendas ingredi voluerit, id illi licebit: at si in eius templi maiestatem dignitatemque non credit, in toto loci ambitu consistere permittendus non est.

§. Mirum est quod etiam clausuram illam vtriusque templi nullus Christianus ingredi permittetur, nisi credat, sicut Sarraceni credunt. Item mirum est, quod ipsi possunt libere intrare Bethlehem, locum scilicet orationis nostræ, in infidelitate sua sine omni examinatione, & nos templum Domini, immo nec clausuram in fide & nomine Iesu Christi non poterimus, nec permittemur intrare, nisi prius eis constet, quod de templo, quod ipsi credunt, credamus. Item notandum quod templum Domini fuit primo sedes episcopalis, quæ nunc patriarchalis facta est, & ibi nunc sedes est Mahometi.

18 *Capit. V. Si Hierosolymis Sarracenus Sarraceno alteri damnum aliquod intulerit, apud Sarracenos in iudicium vocabitur.*

§. Ecce quod in ciuitate iurisdictionem habent, sicut Christiani.

19 *Capit. VI. Imperator nulli Franco, quisquis ille fuerit, quocunque modo operam præstabit, nec Sarraceno ad confligendum, bellumque mouendum contra Sarracenos, quicunque ij fuerint, per has inducias belloque moto, nec quemquam impellet, vel mittet, nec cuiquam eorum sese coniunget, qui ad prælium ineundum fuerit progressus, ijsue nullo modo adhærescet, nec eos commeatu vel viris iuuabit.*

§. Istud sacramentum, quod in hac parte fecit soldano, quomodo seruari poterit cum eo, quod fecit Ecclesiæ de tenendis mille militibus per biennium, & de quinquaginta galeis, pro quibus excommunicatus est, quia adimplere eadem non curauit?

20 *Capit. VII. Imperator auocabit eos omnes, qui meditabuntur cladem aliquam inferre terris sultani Melec Elkemer ac terris, idque suis, exercituique ac subditis vetabit pro quanta in eo erit potestate.*

§. Si bene notetur istud capitulum, etsi nunquam in alijs deliquisset, non solum Deus, contra quem se specialiter obligauit, verùm etiam totus mundus deberet insurgere contra eum, quia in hoc contra vniuersam Christianitatem commisit, in opprobrium, & contemptum excellentiæ imperialis, & totius Christianitatis dedecus non modicum & manifestum grauamen.

21 *Capit. VIII. Pene idem, sed magis expressum. Si qui Franci pactiones conuentas, aut quarum mentio facta sit, in hic inducijs transgredi cogitent, Imperator sultanum defendere tenetur, ac ab ea mente suos, subditosque, exercitumque suum reuocare.*

Capit. IX. Tripolis eiusque territorium, Crachum, Castelblancum, Tortosa, Margatum, & Antiochia & quidquid in ijs reperitur, tam in bello quàm in inducijs in suo statu relinquatur, ac Imperator suis, exercitibusque suo, inque terris suis commorantibus, quieo accedent sine ij Franci fuerint indigenæ vel exteri, opem dominis dictorum locorum ferre prohibebit.

§. Hoc nunquam accidit, sicut dicitur in terra, nisi modo, quia quando in regno Hierosolymitano treuga habebatur, loca præcedentia milites regni & alij Christiani indifferenter iuuabant, & ea modis, quibus poterant, defendebant.

22 At Fridericus adeo male de Ecclesia meritus, quasi celeberrimum triumphum de hoste retulisset, laureatas ac triumphales literas Christianis principibus ad colligendam inanem gloriolæ auram scripsit, quas Parisius Henrico III. Anglorum Regi missas referr a. quæ ita consignatæ sunt: *Dat. apud ciuitatem sanctam Ierusalem die 17. mensis marty anno Domini MCCXXIX.* Die vero insequenti ad Gregorium alias dedit, quibus multis mendacijs fucata veritate quasi rei gestæ gloriam nulla vnquã deletura esset obliuio, ipsum ad occinendas Deo laudes, perfundendumque lætitia animum excitabat; atque hæc ampullata verba ad iactantiæ pompam simulata pietate effudit: *Lætentur in Domino & exultent omnes recti corde, quoniam beneplacitum est ei super populo suo, vt exaltet mansuetos in salutem. Laudemus & nos ipsum, quem laudant angeli, quoniam ipse est Dominus Deus noster, qui facit mirabilia magna solus, quique antiquæ suæ misericordiæ non oblitus, ea miracula nostris temporibus innouauit, quæ fecisse legitur a diebus antiquis. Quia cum ipse, vt notam faciat potentiam suam, semper non in equis, aut curribus glorietur, nunc dedit sibi gloriam in paucitate virorum, vt cognoscant, & intelligant omnes gentes, quod ipse sit terribilis in magnificentia, gloriosus in maiestate, & mirabilis in consilijs super filios hominum, cum in paucis diebus istis miraculose potius, quam virtuose negotium illud feliciter sit peractum, quod a longis retroactis temporibus multi potentes & diuersi principes orbis nec in multitudine gentium, nec per metum aut quodlibet aliud facere potuerunt. O quam laudanda est clementia creatoris, & quam metuenda est semper potentia virtutis ipsius, quia cum in humilitate mentis, & deuotione cordis semper processerimus ad seruitium sanctum eius; nobis ab ipso principio consilio, & auxilio sua non defuit pietatis. O quam glorificanda est ineffabilis misericordia Redemptoris, qui super populum suum deuotum peccatis nostris facientibus, tandem derelictum, nunc ex alto respiciens, ipsum secundum miserationum suarum multitudinem visitauit. Ecce nunc quidem dies illa salutaris aduenit, in qua veri Christicolæ salutare suum accipiant a Domino Deo suo, vt cognoscat, & intelligat orbis terræ, quia ipse est, & non alius, qui seruorum suorum salutem, quando vult & quomodo vult, operatur, &c.*

Inanis Friderici de turpi inito fœdere iactantia.

a Extant apud Par. hist. Angl. hoc ann.

23 Verum non ad inanem lætitiam ijs fallacibus fucis Pontificem pellexit, sed ad veros gemitus ob Christi causam fœdissime desertam compulit, vt demonstrant tristes literæ ad ducem Austriæ scriptæ. b

Quæ in re gesta improbarit Greg. in lit. ad Austr. ducem.

b Lib. 3. ep. 38.

Nobili viro duci Austriæ.

Inter alia flagitia, quibus Fridericus dictus Imperator, fidem nominis Christiani confudit & prodidit, quatuor præcipue notare debes, alphabeto quadruplici deploranda, quæ per literas venerabilis fratris nostri patriarchæ Hierosolymitani A. S. L. nobis sunt fideliter intimata, & in forma treugæ initæ cum paganis perpenditur manifeste. Primum quod arma Christianæ militiæ gladij potestatem de altari B. Petri sumpti ad vindictam malefactorum, laudemque bonorum, sibi a Christo per suum vicarium assignati, quo pacem Christi, fidem Ecclesiæ defenderet, & muniret, soldano Babyloniæ, inimico fidei, aduersario Iesu Christi, cultori perditi Mahometi, impudentissime

Gladium ex altari B. Petri sũptum, tradidit cultori Mahometi.

sime resignauit, denuntians ei, vt de ipso faceret quidquid vellet, & affirmans se nolle arma de cætero assumere contra ipsum, quem vt impugnatorē fidei fideliter impugnaret, acceperat Imperialis culminis dignitatē. Per quod patenter arguitur, quod dignitati Imperij eiusq; spontaneus renuntiauit honori; cum executionem gladij contra hostes fidei pacto execrabili, & inaudita præsumptione remittens, potestatis, & dignitatis suæ se spoliauit officio, causa se priuatum insinuans, cuius effectu promisit, & iutauit se de cætero carituturn: priuilegium enim meruit amittere dignitatis, qui concessa sibi abusus est potestate.

Templum augustissimum superstitione Mahometana inquinari.

24 Secundum magis execrabile, & inauditi admiratione temporis horrendum, quod de templo Dei, in quo Christus oblatus est, & sedem sibi primam cathedralem constituit, quando in medio doctorum sedit, audiens & respondens, ipsum impudenter, & irreuerenter eiecit, & in sede sua Mahometum perditum collocauit, cum doctrinam nefandam, & legem ipsius in templo Dei prædicari, & clamari concedens, silentium præconio euangelicæ veritatis imposuit, eiusdemque templi custodiam & septi eius claues Sarracenis committens, nullum intrare statuit Christianum, nisi de altitudine templi primo examinatus suā pagano credulitatem exponat. Per quod datur intelligi manifeste, quod iudicio Sarraceni relinquitur, vtrum debeat Dei templum ingredi Christianus.

Orientalium Christianorum foederi abrenūciasse

25 Tertium est, quod Antiochiam, & Antiochenam prouinciam, Tripolitanam etiam, eum adiacentibus suis castrum, quod dicitur Crach, castellum Album, & Margattum occupanda paganis exposuit, quando ipsa a confœderatione treguarum excepit. Immo si ea inuadi contingeret a paganis, non solum omne subsidium se denegaturum assensit, sed vniuersos ferentes auxilium impedire, & cohibere nefandissimo iuramenti vinculo se astrinxit, quasi non sufficiat inauditæ tyrannidi, & infidelitati damnatæ templum Dei hostium fidei subdere potestati, & prophanari immunditijs paganorum, ac Christum de sede sua turpiter eiecisse, nisi etiam primam sedem Apostolorum principis, eius vicarij iuramentum ei præstitum male seruans, exposuerit inimicis fidei Christianæ; manifeste protestans, quod infidelis capiti, non solum vni membro, sed toti corpori sit infidus.

Certissimū ex eo rei Christianæ exitiū parari.

26 Quarto autem, contra totum populum Christianum apparet ipsius & paganorum confœderatio manifesta, vbi ita se dānabiliter obligauit, quod si omnes prædicti inter se initis factionibus vellent quomodolibet obuiare, iuramento tenetur suis expensis & exercitu suo pro suis viribus debellare. Ex quo constat, quod si Christianus exercitus vlcisci sui vellet iniuriam Redemptoris, & a templo Dei & a Terra sancta eliminare spurcitias paganorum, patenter tenetur se opponere Christianis. Nunquid super his non indignabitur zelus tuus, aut impune Christus de regno suo, & sede repellitur, & transactionem principis solo nomine Christiani, qua templum Dei concreditur Mahometo, religio Christiana conniuentibus oculis approbauit?

Diuinam maiestatē lædi.

27 Absit vt illius qui læsæ maiestatis reus est participe vel consors existas. Si reus est criminis huius, cuius ope vel dolo ciuitas hostibus, vel prouincia traditur; quanto magis eiusdem criminis reus est, qui cum inimicis fidei Christianæ contra Regem cœli, & Imperatorem æternum, vt thronus eius ad aduersarium transferatur, nefarias inijt factiones? Si secundum leges principum secularium hoc piaculare flagitium tam dura, diraque pœna mulctatur, vt feratur vltio tam in actores sceleris, quam in progeniem damnatorum; & eiusdem criminis noxius non solum honore, sed vita priuetur, filiosque perpetua comitetur infamia, vt ad nullum honorem, nullaque prorsus perueniat sacramenta, vt mors sit eis solatium, & vita in supplicium conuertatur; quanta qualiue pœna est dignus, qui in tot, & tantis impie dominum Dei Filium Iesum Christum offendit, cum longe sit grauius æternam, quam temporalem offendere maiestatem? Quocirca nobilitatem tuam rogamus, & monemus in Domino per effusionem Christi sanguinis obsecrantes, quatenus ad vindicandam iniuriam Saluatoris nostri Dei taliter assurgas, vt cum a nobis fueris requisitus, paratum te inueniat Ecclesia mater tua ad exprobrādum opprobrium inimicorum crucis Christi, & abolendam maculam tantæ infamiæ a gloria nominis Christiani.

Sollicitat Albertū Greg. vt cum rogatus fuerit Ecclesiæ operā exhibeat.

28 Cum nuper die dominica post festum Apostolorum, super præmissis recepissemus literas patriarchæ, sequenti die sabbati, alias eiusdem accepimus literas, in quibus inter alia perspeximus contineri, quod postquam reuersus est dictus Fredericus a ciuitate Hierusalem, dictum patriarcham, & fratres militiæ templi obsidens in Accon quinque diebus cum ijs, qui secum erant, grauiter impugnauit, intendens domos eorum bonis omnibus spoliare: sed cum Dominus conatum suæ nequitiæ repremisset, nec posset quod in animo gerebat, efficere, balistas, & cætera arma tam a charissimo in Christo filio nostro Ioanne illustri Rege Hierosolymitano, quam ab alijs peregrinis pro defensione Terræ sanctæ ibi relicta, & longo tempore conseruata ad nauim suam fecit clanculo asportare: quorum partem secum deferens & reliquam soldano & fidei inimico transmittens, destructis galeis, quæ erant ad terræ custodiam relinquēde, in festo Apostolorum Philippi & Iacobi clam fugit: & diluculo ciuitatem egressus, & sic terram viris & viribus, armis & munimentis cæteris destitutam relinquens, exposuit inimicis fidei occupandam. *Datum Perusij decimo quinto kalend. aug. pontificatus nostri anno III.*]

Significat vt Frid Templarios Accone obsederit.

Tormēta bellica soldano trasmiserit.

Triremes dissolui in recessu.

29 Continent eadem patriarchæ literæ [a] ad fideles transmissæ, quibus rei totius turpitet a Friderico gestæ seriem exponit; atque easdem fuisse arbitramur, quarum meminit Pontifex. In ijs vero nonnulla superioribus digna memoria adijcit, Fridericum insigni perfidia, cum in Cyprum appulisset, I... Ybellinum virum dignitate spectatissimum ac filios ad cœnam inuitatos in vincula coniecisse, ipsumque Cypri Regem enocatum, pari scelere detinuisse ac per vim & artes regnum occupasse. Meminit eiusdem perfidiæ in Cyprij regni moderatorem conflatæ a Friderico Iordanus his verbis [b]: *Dominum Baruth blande ad se vocat, nominans eum auunculum charissimum propter vxorem iam defunctam, qua reliquerat Conradum. Ille vocatus contra consilium sibi datum post prandium productis armatis ab Imperatore primo requisitus fuit, quod redderet Beritum, quod non rite tenebat; tum quod de omni percepto a tempore mortis Regis Hugonis (erat enim filij baiulus) vsque tunc annu decem perceperat, redderet rationem secundum consuetudinem, Alemannorum, scilicet baronum. Sed bonis viris mediantibus conuenitur, vt de primo secundum consuetudinem regni Hierusalem; de secundo secundum consuetudinem regni Cypri rationi parebit.* hæc Iordanus. Sed ad patriarchæ literas redeamus.

a Extant apud Par. hist. Angl. hoc anno.

b Extant apud eūd. Par.

Insignis Frid in Ybellinū perfidia.

30 Vbi Geroldus post Ybellinum circumuentum, aduentum Friderici in Syriam subdolam cum Babylonijs pacem initam, retentum a Sarracenis templum Domini, ac legem Mahometi in eo turpissime proclamari, Hierosolymas nullis contra promissa munitas propugnaculis, nec firmari ab equitibus religiosis permissas, reditumque Ptolemaida exposuit, de quibus antea dictum est, addit, cum Fridericus & vna cum eo omnes cruce signati traiectionem instituerent, perpendentem se post eorum discessum Terram sanctam excursionibus ac vastitati sultani Damasceni, cū quo nullæ induciæ pactæ essent, expositum iri, communicato

Patriarchæ Templarios obsidet.

cato

çaro consilio aliquas copias ex eleemosynis olim Regis Francorum sustentandas retinuisse, quibus Imperatorem exasperatum edixisse ingentibus intentatis pœnis, ne quis arma capesceret, excubijsq; ante portas ciuitatis & in locis editioribus impositis, ipsi obsidione arctiori cincto grauiora mala, quam vllos vnquam Sarracenos inflixisse. quinetiam ad cumulum sceleris, aliquos e Dominicana, Franciscanaq; familijs, qui ad sacra de Deo verba facienda in ramis palmarum, pro more in suggestus cōscenderant, deijci, rapi, in terram collidi, flagrisque per vrbem vt latrones nefarios cædi iussisse. Cumque scelerata consilia in exitum perducere non posset, de pace interpellasse: denique recedentem, vt omittamus, quæ supra de tormentis bellicis ad sultanum transmissis, dissolutis triremibus, arcibus non munitis tetigimus, partem exercitus traduxisse in Cyprum atque ingentes pecunias ab incolis abrasisse, Terram vero sanctam Sarracenorum furori expositam remansisse.

Viros religiosos crudeliter tractari iubet.

Cyprios spoliat.

31 Ex ijs atque alijs mendacij arguuntur literæ Friderici ad Pontificem datæ, quibus iactabat, firmandæ magnis operibus Hierosolymæ operam dedisse, atque omnia ita composuisse, vt etiam ipso absente validissimis aggeribus ac propugnaculis cingeretur. Cur vero adeo male se gesserit, declarat inferius Iordanus, cuius historici totam hanc expeditionem exponentis verba afferimus: *Cum viginti galeis & militibus non amplius centum ire disposuit. Papa illi mandat, ne tanquam crucesignatus eat, donec ab excommunicatione, quam incurrerat, esset absolutus, & de periurio satisfecisset. Imperator prædictas pœnas parum attendens in Cyprum iuit.* Et infra: *Inde Ptolomaidam profectus soldano transmittit tanquam fratri munera, & quod non acquirendæ terræ causa venerat, sed suorum locorum gratia, & quod filius eius hæres sit regni Ierusalem, & si hoc pacifice reddat, pacificus erit recessus. Interim duo fratres Minores literas Papæ præsentant patriarchæ, vt eum excommunicatum denuntient. Et primo hoc Imperator receperat, quodque Ecclesia regnum Siciliæ occuparet. Ille autem soldano concordat, vt partem Ierusalem accipiat, Bethleem & Nazareth, & casalia intermedia in recta via, & terram Toron, & pertinentia ad Sydonem; & profectus Ierusalem, absque vlla benedictione, coronam posuit super altare, deinde super caput suum, & Brundusium rediit.* Ex dictis igitur pater Fridericum non diuini amoris aut amplificandæ fidei, lucrandarumue indulgentiarum gratia, vt cæteri principes Christiani consueuerant; sed ad recuperanda sua profectum atque ob Siculum bellum, percusso incondito ac turpi fœdere, reditum accelerasse, nec tamen ob id in Gregorium rei culpa deriuari potest, cum, vt supra diximus, ad tuēda sua diuellendosq. ex pontificia ditione Friderici duces bellum in regnum Neap. transferre coactus esset; atque adeo in Fridericum ipsum, vt totius mali auctorem conijcienda est, qui temere bellum Pontifici intulerit: cum maxime eius opera tum ad continendos in officio ipsius populos, tum ad submittendas illi ex occidente auxiliares crucesignatorum copias egeret, quibus fultus & regni Hierosolymitani loca amissa recuperare, ac nouas etiam barbarorum terras sibi comparare potuisset.

Reditum præcipitat ob Siciliā a Pontifice inuasam.

Quam iuste in eam arma conuertit Gregorius.

32 Amiserat vero occasióne illius discordiæ plura in Sicilia cis Pharum loca, quæ partim ob grauissima, quibus opprimebantur, vectigalia in pontificias partes transfugerant, partim ad deditionem armorum terrore compulsa aut capta impetu fuerant. In quo bello [a] Ioannes Rex Hierosolymitanus strenuam Ecclesiæ aduersus generum, a quo regno per summam iniuriam deiectus fuerat, operam nauauit. Atque inter cæteras vrbes, Friderico in Apuliam regresso, Caietam vnà cum Pelagio legato Albanensi expugnarat. Ad cuius vrbis ciues, nec non Suessanos, ac Soranos extant Gregorij literæ, quibus ipsos prærogatiuis pluribus exornat [a], vt imperij ecclesiastici suauitatem experirentur. Sed cum ijs viribus Pontificij non pollerent, vt Friderico resistere possent, breui, quæ pepererant, amisere, seque in Campaniam recipere sunt coacti: Suessa sponte deditionem fecit, vt Richardus scribit: Sora animis quam viribus fortior flammis deleta est, de cuius excidio Richardus Friderici studiosus hoc elegans distichon affert:

Ioannes Rex Hiero. in eo bello sua Ecclesiæ operam commendat.

a Rich. in chron.

Caietam vna cum Pelagio expugnat.

a Lib. 3. ep. 16. 26. 28. 29. 51.

Reuersus Frid plura amissa loca recuperat.

Soram excindit.

Vi caperis, vi capta ruis, merito peritura.
Sora ruis, tua damna luis, sero reditura.

Denique Pantra, Sernia, Alifia, Castinum, Arpinum, Theanum, pluresque aliæ arces sub Friderici iugo succubuerunt. Quibus inflatus victorijs ad noua auxilia elicienda literas iactantia plenas Insubribus scripsit, quas Richardus affert. Consentiunt alij auctores, vt Conradus abbas Vrsperg. [b] Matthæus Parisius [c], Godefridus [d] alijque, Fridericum castra a Pontificis ducibus capta sensim in suam potestatem redigere cœpisse, præterea consilia nefaria contra Pontificem conflare, asperiusque Ecclesiam persequi. Quare Gregorius, vt fluctuantem Petri nauiculam varijsque intumescentibus procellis concussam, ab imminenti periculo liberaret, scriptis ad plures diligentissime literis, mixtis precibus imperijs, ad ferendam opem communeque discutiendum discrimen est adhortatus [e] in primis fœderatas Longobardiæ vrbes, quas Fridericus a Pontificis studio diuellere atque in suas partes trahere conabatur; vt milites omnibus rebus instructos ad se transmitterent, quò Friderici conatus posset infringere, ne obtrita Ecclesiæ maiestate, periculum in eos redundaret.

b Vrsperg. in chron.

c Par. hist. Angl.

d Godef. in annal.

In Greg. atrociter insurgit.

e Lib. 3. ep. 31. 36.

33 Languebant in submittendis auxilijs Longobardi; quare repetitis Gregorius ad archiepiscopum Mediolanensem & Gualonem [f] familiarem suum literis grauissime questus est [g] Mediolanenses adeo suppetias afferre distulisse, vt interea Fridericus, auctis viribus contra Ecclesiam insolentius grassatus esset; monuitque ni quamprimum idonea subsidia instruxerint, illum postea in ipsorum perniciem, quam a capitibus suis facile iam lata ope Ecclesiæ propulsare possent, impetum facturum, vel se aliter desertis desertoribus Ecclesiæ, rebus suis consulturum: *Vtinam nunquam Lombardi se nostris obsequijs obtulissent, vtinam nunquam ab ipsis aliquod auxilium sperassemus, quoniam satis aliàs honori Ecclesiæ consulere poteramus, nisi quia nolentes eis subtrahere dexteram adiutricem, supplicationibus, & promissionibus acquieuimus eorundem. Sed dum causam eorum in alienis finibus vtiliter ageremus, dum refrænaremus impetum inimici aspirantis ad ipsorum exterminium inhianter, ecce Lombardi promissum auxilium adeo distulerunt, vt taceamus qualiter seruierint illi, quos in Ecclesiæ seruitium destinarant, quod inimicus collectis viribus inualescit, nisi in manu valida & potenti eius conatibus celeriter obuietur, quia ignis, cui non obsistitur, facile in incendium inextinguibile dilatatur. Ne igitur dicti Lombardi manus suas, quas debuerant ad fortia mittere, videantur ponere sub ascellas in suæ confusionis opprobrium sempiternum, nec eas explicare valeant, cum voluerint, si nunc cum valent, velle desierint;* Et infra: *secure illis protestare potestis, quod sibi, non nobis poterunt imputare, si desertis desertoribus honori Ecclesiæ aliter auxiliante Domino curauerimus prouidere. Dat. Perusij VII. id. octob. pontificatus nostri anno III.*

f De eo Sigon. l. 17.

g ib. ep 66

Longobardos in suū auxilium euocat, increpatque illorum segnitiem Greg.

34 Vt Longobardos in ferenda ope Ecclesiæ segniores increpuit, ita Petrum Infantem Portugalliæ generoso ardore succēsum & sacro desiderio æstuantem contra hostes Ecclesiæ pro ea defendenda tuendaque prosilire, laudibus ornauit, incitauitque, vt quamprimum fortissimo suorum succinctus equitatu impigre se in Italiam conferret: *Quod inspirante Spi-*

Petrus Lusitaniæ auiæ princeps suam Gregorio operam offert.

Ll *ritu*

Acta illi gratiæ ob exhibitũ studium.

ritu salutis concepto cogitasti ad fortia mittere manum tuam, & militare in obsequium sponsa Christi, ac vota tibi eius, praeunte gratia inspirata, te prosecuturum gratuito, ipso adiuuante, obtulisti deuotus; tu quoque debes spirituali exultatione gaudere & bonorum omnium largitori sacrificium laudis offerre, quod te inter tot Reges, & principes, ac magnates Ecclesia fideles, & filios elegisse videtur, vt Deboram sedentem sub palma, immo in palmam potius ascendentem, contra Sisaram sequaris ad praelium, qui exclusit gaudium a se verum, vtinam non infernis doloribus mancipatus: sic enim iam factus est stupidus, quod ictus gladij spiritualis acerbitatem non sentit; nec etiam erubescit, vt salubri confusione confusus ad poenitentem se redeat, & sanetur: sed in malitia indurata mente perdurat, Dei miserationem oblitus, sine quo fit inglorius, immo nihil. Interni etiam, & aeterni gaudij hoc deuotioni tua laetitiam ingerit, quod lauam temporalis substantia diuini muneris largitate praeuentus, illam in Ecclesia subsidium offerendo, in dexteram conuertisti, ad eruendum populum Dei de iugo, quo inique premitur, seruitutis. Et infra: *Tam tibi, quam ijs, qui venturi sunt tecum, in remissionem iniungimus peccatorum; quatenus, iuxta quod liberaliter obtulisti, cum equitum multitudine ad sponsa Christi subsidium quantocyus properes, militaturus Domino sub beato Petro exercitus eius duce. Dat. Perusij 11. non. iun. pontif. nostri anno 111.*

Proposita venienti indulgentiarum præmia.

Quæsita e pluribus regnis subsidia.

35 Præterea ad retundendum imminentem hostem non ex Italia atque Hispania modo, verum ex Germania, Gallijs, Anglia, alijsque prouincijs auxilia exciuit. Namque in Germania Albertum ducem Austriæ aduersus Fridericum solicitauit [a]: coegit [b] in Anglia, Hibernia & Vvallia ad sustinendos belli sumptus pecuniarum subsidia Stephanus Ap. sedis nuntius: dimissi in varias prouincias ad flagitandam opem legati apostolici, inter quos Othonem S. Nicolai in carcere Tulliano diaconum Cardinalem, in Germaniam & Daniam magna cum auctoritate missum, in Fridericum commouisse populos Godefridus [c] refert: tum euocati e Gallijs plures antistites, iussique copias auxiliares adducere. Cum enim episcoporum magis interesset, vt ipsi Ecclesiæ libertatem gloriamque tuerentur, illis obiecta præstiti iuramenti religione imperauit, vti conflatis copijs ad defendendam Ecclesiam properarent. Quo argumento hæc ad Lugdunensem archiepiscopum scripsit. [d]

a Lib. 3. ep. 38.
b Par. hist. Angl.
c Godef. in annal.
d Ib. ep. 64

Gregorius, &c.

Cum Fredericus dictus Imperator confuso negotio Terræ sanctæ cum Sarracenis & alijs infidelibus, ad conculcandam Rom. Ecclesiam, & subuertendam ecclesiasticam libertatem totis anhelet affectibus, totisque viribus annitatur; te in succursum Ecclesiæ aduocauimus confidenter, vtpote qui præstito iuramento ad defendendum Papatum, & regalia B. Petri esse teneris adiutor; sed qui virtutis amore zelo ecclesiasticæ libertatis spiritum fortitudinis debueras assumpsisse, vt nihil te a matris tuæ posset subducere charitate, sibi hactenus succurrere non curasti; non attendens, quam facile sit tibi exinde ingratitudinis vitium, famæ dispendium, & manifestæ transgressionis notam probabiliter exprobrari. Vt igitur tantam offensam emendatione celeri excusationem reddere videaris, fraternitatem tuam rogamus, monemus, & hortamur, sicut iterum, sic attentius per apostolica tibi scripta in virtute obedientiæ, sub debito iuramenti, districtè præcipiendo mandantes, ac in remissionem peccaminum, tam tuorum, quàm eorum, qui tecum in obsequium Ecclesiæ venerint, iniũgentes, quatenus sine moræ dispendio cũ congruo exfortio bellatorum ad nos personaliter venire festines, Ecclesiæ Rom. ita ex animo seruiturus, quòd ex debito meritum tibi compares, & nos deuotionem tuam dignis debeamus prosequi retributionibus gratiatum. Alioquin noueris nos dilectis filijs abbati S. Victoris, decano, & magistro Ioanni archidiacono Parisiensi per nostras literas iniunxisse, vt te ad id per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellant. *Dat. Perusij IV. kal. octob. pont. nostri anno 111.*

Lugdunensis archiep. ad defendẽdam Ecclesiã prouolare iussus.

Excitatus etiam ep. Parisien. ad sumenda arma.

36 Nec dissimilia episcopo Parisiensi mandauit insinuauitque, nisi Friderici potentia frangeretur, illum ad euertendam rem Christianam cum Sarracenis coniurasse; *Cum charitas non quaerens quae sua sunt, nihil humanum a se reputet alienum, quisque charitatis amator merito potest proprium aestimare quidquid imminet Ecclesia generali, nec debet proprio parcere, vbi periculo potest obuiare communi, ne vniuersali vtilitati vincatur praeferre priuatam. Sane Rom. Ecclesia in tali nunc est articulo constituta, quòd ad duorum alterum videtur adducta, videlicet aut se, & vniuersalem Ecclesiam fidelium fulta subsidio, auxiliãte Domino, tueatur, aut se cum omnibus membris suis, quod absit, conculcari permittat, & patiatur saeua subijci seruituti; Friderico dicto Imp. contra Deum, & Ecclesiam frendes, negotio miserabiliter Terra sancta confuso, & vires cum Sarracenis & alijs infidelibus impie moliente. Quare videntes, & dolentes, quòd ipsius Friderici iniqua superbia, & superba iniquitas semper ascendit, nisi obice iustitia reprimatur, ipsius conatibus dignum duximus obuiare, ne qui in iram prouocat, exaltetur, &c. Dat. Perusij 2. kal. octob. pont. nostri anno 111.* Addit demum imperia precesque, vt ad propulsandam impij principis tyrannidem, qui fœdus cum infidelibus in rei Christianæ exitium percussit, generose se accingat aliosque excitet.

37 Ad reprimendam denique Friderici tyrannidem, omnes ipsius subditos præstiti illi sacramenti religione absoluit, eamque facti rationem adiecit, neminem ad seruandam aperto Dei, & Ecclesiæ hosti fidem astringi: vt in vibrati hoc anno aduersus ipsum aliosque Ecclesiæ hostes anathematis forma videre est, quam integram, cum plura alia digna memoria contineat, addacendam censui.

a Lib. 3. ep. 46.

Forma latæ in Ecclesiæ hostes sententiæ.

In hæreticos.

Excommunicamus [a], & anathematizamus, ex parte Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus sancti, auctoritate quoque beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra omnes haereticos Catharos, Paterinos, pauperes de Lugduno, Arnaldistas, Speronistas, & Passaginos, & omnes alios, quocumque nomine censeantur, & omnes fautores, receptatores, & defensores eorum.

In Fridericum.

Excommunicamus & anathematizamus ex parte Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus sancti, auctoritate quoque beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra Fridericum dictum Imperatorem, pro eo quod contra sententiam excommunicationis a venerabili fratre Albanen. episcopo, & Gual. bona memoria quondam tituli S. Marci presbytero Card. de voluntate, & assensu suo auctoritate Apostolica sedis latam, ad terminum, quem sibi praefixit, non transfretauit, sicut promisit, nec promissum numerum militum suis expensis pro subsidio Terra sancta misit, vel tenuit; nec in Terram sanctam promissam pecuniam statutis ab ipso terminis destinauit.

Ob violatum iusiurandum solemne.

Biectum sua sede arch. Tar.

Item pro eo quod archiepiscopum Tarentinum ad sedem propriam, & populum suum accedere non permittit; & quod Templarios & Hospitalarios bonis mobilibus & immobilibus, quae habebant in regno, spoliauit: & quia compositionem factam inter ipsum, & comitem Celanensem, & Raynaldum de Auersa, pro cuius obseruatione Ecclesia Rom. ad eius instantiam fideiussit, seruare contempsit, & quod comitem Rogerium trucesignatum, sub protectione Apostolica sedis receptum, comitatu & terris suis penitus spoliauit, ac eius filium in captiuitate detentum ad mandatum apostolicum saepius iteratum restituere non curauit.

Fractam proceribus datã fidem.

Item excommunicamus eum & anathematizamus pro

Spoliatos ecclesiasticos.

eo quod ab oppressionibus, & spoliationibus ecclesiarum, & personarum ecclesiasticarum & conculcatione ecclesiastica libertatis monitus non destitit.

Oppressos insontes.

Item excommunicamus eum & anathematizamus, pro eo quod ab oppressione pupillorum, orphanorum, & viduarum, seu nobilium, & aliorum hominum regni, vel destructione eiusdem, quod ad Rom. Ecclesiam specialiter noscitur pertinere; pro quo Ecclesia Rom. iuramentum fidelitatis exhibuit, & homagium praestitit, monitus non cessauit.

Ipsi subditi facta mentis praestiti religione liberantur.

38 *Item quia contempta excommunicatione ad mandatum apostolicum non rediit, omnes qui sunt ei iuramento fidelitatis astricti & specialiter homines regni, a iuramento, quo sibi tenentur, denuntiauimus, & denuntiamus absolutos, quia Deo & sanctis eius aduersanti, atque eius praecepta calcanti, nulli fidelitatem seruare tenentur. Praeterea ciuitates, castra & omnia loca, ad qua ipse peruenerit, ecclesiastico supponimus interdicto, vt quandiu praesens fuerit, ibidem nulla diuina officia celebrentur, officio beneficioque priuantes omnes cuiuscumque professionis, vel ordinis, qui ei, postquam denuntiatus fuit excommunicatus a nobis, diuina ausu temerario celebrarunt; vel antequam ad mandatum Ecclesia redeat, de caetero celebrabunt.*

Anathema in Raynaldum iactum.

39 *Item excommunicamus & anathematizamus Raynaldum filium quondam Conradi ducis Spoleti, pro eo quod occupauit, & occupat patrimonium Ecclesiae in Marchia, & alibi, & omnes, & singulos, cuius vel quorum auctoritate, auxilio, consilio, vel fauore talia fecit, vel facit, vel faciet in futurum.*

Item ciuitates, castra & alia loca omnia, ad qua idem Raynaldus peruenerit, quamdiu ipse ibidem praesens fuerit, ecclesiastico subiaceant interdicto.

In Bertoldum & alios.

Item excommunicamus, & anathematizamus Bertoldum filium quondam Conradi ducis Spoleti, pro eo quod castra S. Quirici occupauit, & detinet occupata, & terram Ecclesia Rom. inuadit hostiliter, & molestat; & omnes, qui in hoc ei praestant auxilium vel fauorem.

Item excommunicamus Aegidium de Palumbaria, & Nicolaum de Arcione, ac Petrum Gregorij Pagura ciues Romanos, pro eo quod Friderico dicto Imperatori, ac Raynaldo & Bertoldo filijs ducis Conradi contra Rom. Ecclesiam praestiterunt, & praestant consilium, auxilium, & fauorem.

In Fuxensem com. & vicecom. Biterr.

40 *Item excommunicamus & anathematizamus comitem Fuxen. & vicecomitem Biterrensem, & alios, qui eis praestant auxilium, consilium, & fauorem.*

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falsarios bullae nostrae.

In vectigalia noua imponentes.

Item excommunicamus & anathematizamus omnes illos, qui in terris suis noua pedagia imponunt.

In spoliatores venientium ad sedem Ap.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Apostolicam sedem euntes, vel redeuntes capiunt, spoliant, vel detinere praesumunt, nominatim Castellanum de S. Miniato, quia multos venientes ad sedem Apostolicam spoliauit.

In deferentes arma Sarracenis.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui equos, arma, ferrum, vel lignamina deferunt Sarracenis, quibus Christianos impugnant.

In Theodorū Cōnenum.

41 *Item excommunicamus & anathematizamus Theodorum dictum Comniano, & omnes qui praestant auxilium, consilium, vel fauorem; & qui ei equos, arma, ferrum, vel lignamina portant, quibus impugnat Latinos.*

In Gaufridum e Lusiniaco.

Item excommunicamus, & anathematizamus nobilem virū Gaufridum de Luziniaco vicecomitē castri Strandi Pictauensis dioecesis propter damna grauia & iniurias, quas ... abbati & conuentui Malliacensi & monasterio eorumdem enormiter irrogauit, & adhuc irrogare non cessat.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui abbatem & canonicos S. Quirici de ipsa ecclesia expulerunt, & qui castra ipsius ecclesiae occuparunt, & detinent occupata, & faciunt detineri.

In Vbaldum Sardiniae inuasorem.

Item excommunicamus, & anathematizamus Vbaldum ciuem Pisanum, pro eo quod contra iuramentum praestitum Ecclesia Rom. hostiliter intrauit Sardiniam ad Rom. Ecclesiam pertinentem, & partem ipsius terrae violenter detinet occupatam: qui etiam ad mandatum dilecti filij G... tituli S. Marci presbyteri Cardinalis A. S. L. pignora pro satisfactione non praestitit, nec in aliquo satisfecit.

Item excommunicamus omnes illos, qui eidem in occupanda vel detinenda terra praedicta consilium, auxilium praestiterint vel fauorem. Praemissa porro est haec anathematis forma 47. epistolae ad Lucanum episcopum datae, quae XIII. kalend. septembr. consignata est.

Frid. pacē a Gregorio flagitat.

42 Incessit Fridericum metus, ne calamitas quam in Othone viderat, si diutius in pertinacia obfirmatus perstaret, ipsum exciperet, ac subditi excusso seruitutis iugo alium principem salutarent, & Christiani Reges ad Ecclesiae causam propugnandam consurgerent, adeptisque regnis exuerent. Quare submittere se Pontificis imperijs atque in eius gratiam & amicitiam redire in votis habere literis significauit: quas Gregorius ad Insubres transmisit examinādas, vt quid illis in re grauissimi momenti agendum videretur, consulerent. Declarat ea in pontificio regesto inserta ad eosdem Insubres epistola [a]. Nec literas modo, sed & oratores quoque suos ad Pontificem pacem postulatum ire iussit, de quibus gestorum Gregorij anonymus scriptor: *Anno vero eiusdem tertio dictus Imperator de partibus transmarinis regressus, per venerabilem Messanensem archiepiscopum, & magistrum Theutonicorum veniam postulat, promittit emendam, pro seruanda fidei cautione offert ciuitates & castra: quod tandem summus Pontifex multorum instantia deuictus assumit, &c.*

Pontifex Longobardos foederatos consulit.

[a] lib. ep. 75

43 Meminit etiam Richardus [b] oratores ab Imperatore ad petendam pacem missos, dum in Apulia ad contrahendum exercitum, vt regno hostes depelleret, versaretur, eosque Rheginum, & Barensem archiepiscopos ac magistrum domus Theutonicorum extitisse: cumque Caietam, quae a Pontificio exercitu tenebatur, peruenissent, acceptis ab Albanensi episcopo, & Cardinale S. Praxedis literis Romam se contulisse, reque infecta redijsse. Dum vero Barensis ac Rhegini archiepiscoporum mentionem edit, dicendum vel legationem illam ab ea, quam vitae Gregorij auctor narrat, alteram fuisse, vel ab ipso silentio eos antistites praetermissos. verum de pace inter Rom. Ecclesiam, & Fridericum conciliata proximo anno dicendum erit. His adijcienda videntur, quae eiusmodi de rebus Conradus Vrspergensis historiae consignauit [c]: *Nihilominus quoque anni tempore, quandiu denuntiabat eum,* nempe Fridericum, *Papa excommunicatum, beneficium absolutionis humiliter cum omni obedientia, & deuotione & iustitia exhibitione postulauit.* ita loquitur auctor Friderici partibus implicitus, submissumque erga Pontificem animum gessisse iactat: *Super causis vero, quae inter ipsum & Papam vertebantur, diffiniendis, aduocauit principes Alemāniae, qui venerant in Italiam, videlicet patriarcha Aquileiensis, archiepiscopus Salzburgensis, episcopus Ratisponensis, Luipoldus dux Austriae, & dux Dalmatiae, & Histriae: quibus aduenientibus, Imperatore manente apud Capuam, tractatum est de pace, & concordia inter Imperium & Sacerdotium, & regnum Siciliae, & absolutione Imperatoris. Multis alijs quoque mediantibus tam de curia Romana, quam etiam Italia, & Alemannia, sane hac compositio cum non posset perfici eo anno, dilata est vsque in annum sequentem.* Hisque verbis Vrspergensis historiā absoluit. Extant porro in apostolico regesto ad patriarcham Aquileiensem XII. kal. iulij datae

[b] Rich. in chron. hoc ann.

Qui missi ad Greg. oratores.

[c] Vrsperg. in fin. chro

Gregorij literæ a quibus grauiter eum accusat, sensisse cum Ecclesiæ hostibus, atque etiam ad subornandos alios applicuisse studia, eamque ob causam Pannoniæ Regem adijsse. (a Reg. l. 3. ep. 27.)

Inclinat ad pacem Gregorius. 44 Flagitante igitur pacem Friderico, atque ad eam Gregorio inclinante, vt qui ob pontificiam clementiam fundi humanum sanguinem perhorresceret, nec nisi inuitus arma tractaret, facile pax deinde conciliata est; qua enim mansuetudine præditus esset, satis ostendit cum aliquibus hostibus Ecclesiæ captis a suis, qui nimia crudelitate efferati ipsos mutilarant, Gregorius ijs acceptis, pietatis dolorisque sensu commotus, monuit grauissime Albanensem episcopum Apostolicæ sedis legatum, ne ita sanguinem humanum fundi pateretur b, misericordiamque insitam & innatam Ecclesiæ seruare iussit; & quæ impie, & crudeliter patrarant, ita defleuit: (b Ib. ep. 14)

Albanensi episcopo A. S. L.

A cædibus abhorret. Magnus Dominus, & laudabilis nimis, Ecclesiam suam in filij sui humilitate lactatam, & demum inconcussis radicibus in eius pretiosissimi sanguinis aspersione mirabiliter stabilitam, adeo metæ libertatis titulo glorioso dotauit, vt profusis palmitibus, nec humilitas defensionem libertatis excludat, nec libertatis defensio gradus humilitatis excedat; sic vnum altero recompensans, quod nec esse debet libertas rigida, nec humilitas dissoluta. Ex quo satis decenter innuitur, quod etsi defensor ecclesiasticæ libertatis aliquando, licet raro, contra tyrannos & persecutores Ecclesiæ, quamuis inuitus auxilio gladij materialis vtatur, consuetæ humilitatis non immemor, non eo sic vtitur, vt sanguinem sitiat, vel desideret cum aliena iactura ditari, sed potius vt errantes ad viam veritatis reuocet, & reuocatos cum omni mansuetudine in sua libertate conseruat. Verum cum libertatis defensio ab illo dependeat, qui in paucis & in multis ineffabili prouidentia, & incomprehensibili dispositione triumphat, dicens inter alia: *Non occides*; quis viribus confisus humanis propriæ salutis oblitus in exercitu Iesu Christi, lupo crudelior ouem errantem, quam, vt vnum ouile & vnus pastor fieret, reducere debuerat ad ouile, occidere, detruncare, vel creatori derogans creaturæ ipsius imaginem deturpare præsumit, quos viuos suæ potest subijcere ditioni, prout his diebus non sine cordis amaritudine didicimus accidisse?

Commendat grauiter legato clementiã. 45 Eia frater, eia, non expedit, vt qui fideles, & filios ad vbera matris Ecclesiæ aduocamus, in sanguinis effusione gaudentes iniurijs prouocemus; cum nullum sibi locum libertas laudabilis vendicaret, si sanguinolenta seruitus sic seruiret. Cum enim reos sanguinis defendat Ecclesia, quæ debet esse liberans, non flagellans iuxta Salomonis eloquium sic dicentis: *Erue eos, qui ducuntur ad mortem; & qui trahuntur ad interitum, liberare non cesses*. & si dixeris, vires non suppetunt, qui inspector est cordis, ipse intelligit, & seruatorem animæ tuæ nihil fallit, & homini iuxta opera sua reddet. Absit, vt filios, quos sub alis protectionis suæ fouere tenetur Rom. Ecclesia, quæ disponente Domino mater est omnium & magistra, occidi vel etiam mutilari permittat: sic enim & libertas seruituti cederet, & libertatis propositum in reuocandis errantibus seruitus abdicaret. Quocirca fraternitatem tuam rogandam duximus & hortandam, per apostolica tibi scripta firmiter præcipiendo mandantes, quatenus illos, quos in manus exercitus Iesu Christi de cætero dextera exaltantis concluserit, sine omni occisione, detruncatione, vel mutilatione membrorum, quæ penitus abhorremus, sic caute facias custodiri, vt plus libertatis habere se gaudeant sic captiui, quam sub Ægyptiaca seruitute, in seruilis libertatis titulo more solito seruire vlterius Pharaoni, ministris & alijs, qui præsunt in exercitu; sub obtentu gratiæ nostræ, nec non & pœna pecuniaria, quam videris expedire, districtius inhibendo, ne similia deinceps in ipso exercitu aliquis attentare præsumat. Sic enim ab oblocutionibus detractorum famam Ecclesiæ, ac nostram intendimus super huiusmodi conseruare illæsam, quod nec conscientia famam negligar, nec infamia odorem vitæ, ac suauitatem absorbens titulum conscientiæ sub falsæ opinionis rubigine captiosa denigret. *Datum Perusij XIV. kalend. iun. pontif. nostri anno III.* Hactenus ad Pelagium Gregorius.

Ioannes Rex Hier. ad Imp. orient. euocatur. 46 Cum Pelagio episc. Albanensi A.S.L. in illa Siciliæ citerioris expeditione adiunctum fuisse Ioannem Regem Hierosolymitanum ac plura egregia facinora explicuisse ex Richardo antea insinuauerimus, addendũ videtur, vt amplissimum hoc anno nauatæ Ecclesiæ operæ virtutisque bellicæ præmium reportarit. Delatum illi nimirum est Constantinopolitanum Imperium, cum Balduinus II. a Roberto sceptri hæres relictus, illi sustentando prudentia atque ætate impar esset, ea tamen lege, vt filiam Balduino thoro iungeret, ac diadema e viuis excessurus genero transfunderet. Ita qui Imperatoris generi perfidia regno exutus fuerat, alterius generi Imperatoris beneficio Imperium orientale est consecutus. qua de re Georgius Logotheta hæc tradit: *Constantinopolitani, cum Robertus, quem veluti Imperatorem venerabãtur Euripum profectus expirasset & frater eius Balduinus puer adhuc ac impuber remansisset, ad Ioannem Hierosolymorum Regem militari prudentia, vt tunc fama ferebat, singularem, manu validum, multumque inter suos specie corporis eminentem legatos destinant, vt ad illos concederet, & Constantinopolis Imperator acclamaretur, res in ea vti Imperator obtineret, nec nõ filiam, quam ipse susceperat, Balduino, sicuti ipsi existimabant, Imperij heredi, qui tamen post eum ætate iam matura ac integra imperaret: cum Rex, cuius iam ætas nimium processerat, circa annos octoginta vel vltra natus esset, quemadmodum & ipse eum vidi & admiratus sum viri vndequaque exactam magnitudinem: humanæ enim magnitudinis modum longitudine ac latitudine plus nimio excesserat. Rex legatis animum aduertit, & iter per mare ingressus Constantinopolim occupat, neque enim multitudo, quæ sibi tutum iter terrestre pararet, suppetebat*. Hæc auctor: nec alias suscepti Imperij initique fœderis leges affert, quas nos ex pontificio diplomate a decerpemus, quo illas Gregorius apostolica auctoritate munit. (Georg. Logoth. hist. interprete Leone Allatio.) (Filiam Balduino II. puero vxorem pollicetur.) (a Greg. l. 3 ep. 51.)

Quæ leges Ioannem inter & Cõstantinopolitanos proceres initæ fuerint. 47 *In nomine Domini amen. In primis fiet contractus matrimonialis de Balduino cum filia Regis Ioannis, & consummabitur matrimonium, cum venerint ad ætatem. Et quia idem Balduinus minoris ætatis est, propter debilem statum Imperij, dominus Rex Ioannes habebit Imperium, & coronabitur in Imperatorem, & erit Imperator ad totam vitam suam, & plenariam habebit potestatem, & plenarium dominium tanquam Imperator ad totam vitam suam, & quidquid faciet tam in acquisitis, quam in acquirendis, firmum & stabile in perpetuum permanebit, saluis iustis tenutis, quas moderni Latini, vel successores sui tenuerunt a tempore Latinorum: & post decessum Regis, Balduinus vel iusti heredes sui habebunt vel detinebunt dominium Imperij plene & integre saluis donationibus, quas Rex fecerit, tam in fodris, quam in alijs, videlicet in acquisitis & acquirendis, salua hereditate assignata, vel assignanda heredibus Regis. Sane dominus Rex tenebit Balduinum & prouidebit ei honorifice ad honorem suum, & ad honorem Balduini, donec Balduinus ad ætatem viginti annorum peruenerit; & cum Balduinus venerit ad ætatem viginti annorum, Balduinus inuestietur de regno Nicæno cum omnibus pertinentijs suis, & de omni terra, quam vltra brachium tenuerant vnquam Latini, adiuncto adhuc ducatu Noui castri; salua tenuta hominum Latinorum, quam habuerunt de iure a tempore Imperatoris Henrici, & eius here-*

haredibus vsque ad amissionem terra, excepto ducatu Nicomediensi, qui remanebit in manu Imperatoris.

48 *Et sciendum est quod in voluntate Regis erit capere quod maluerit pro haredibus suis, vel totam terram, qua est vltra brachium, sicut tenent, vel vnquam tenuerunt eam Graci, & Latini; vel totam terram, quam tenet Comiuiano vsque ad pertinentias de Dimas, & de Audrinoble, & totum ducatum de Sinepople, quisquis eum tenet: & totam terram de Esclaues, & illam qua fuit de Straces, excepto illo, quod* * *Assantis inde tenet; & excepto regno Thessalonicensis, tali modo quod hares Regis faciet homagium ligium Balduino, vel eius haredi, quando veniet ad Imperium post decessum Regis; & faciet seruitium debitum pro terra sua sine periculo terra sua, hoc excepto, quod non tenebitur ire in exercitum, in quo persona Imperatoris non erit* (his adijcit pontificiam auctoritatē Gregorius.) *Dat. Perusij v. id. april. pontif. nostri anno III.* Ioannem porro Cæsaris nomine contentum, ab Imperiali titulo magna cum modestiæ laude abstinuisse tradunt plerique scriptores.

*Asanes

Confirmatur a Gregorio.

49 Coegerat sane temporum necessitas Constantinopolitanos ad fulciendum labans Imperium, propulsandosque hostes pertinacissimos Ioannem sibi præficere, cum hinc Ioannes Ducas, dictus Vatacius, ipsos vrgeret, illinc Theodorus Comnenus atrocissime infestaret. quare Gregorium anathemate hoc ipso anno Theodorum omnesque ipsius partibus implicitos, quique arma auxiliaue submitterent, defixisse vidimus; illum vero spretis censuris pontificijs Friderici amicitiam magnis muneribus eblanditum refert Richardus: *Quidam*, inquit, *comes Maia de Romania cum nonnullis Graecis militibus de Romania ex parte Comiuiani ad Imperatorem cum magnis muneribus nuncius venit.* & inferius aliam Græcorum ad ipsum legationem exponit his verbis: *De Romania quidem Graci cum dextrarijs in sellis & frenis aureis & cum pannis sericis auro textis & cum innumeris aureis nummis, qua ipsi Imperatori repræsentant pridie mensis nouembris ad Imperatorem venerunt.* E quibus videtur Græcos Ioannis Regis fortitudinem veritos, fœdus cum Friderico, quem socero infensissimum nouerant, coijsse.

Cur Ioannem Constantinopolitani exciuerint.

Theodorus Comnenus Fridericum sibi conciliat.

50 Prætermittendum vero non est quod Georgius Logotheta de Theodoro Comneno scribit, illum vtpote inconstantis ac lubricæ fidei principem, qui sæpe iusiurandum negligeret violaretque ad aucupandas suas vtilitates, demum a Ioanne Asane Bulgarorum Rege, quem iniuste lacessiuerat, victum captumque non sine numinis vindicta fuisse. quam historiam ita Georgius describit: *Videbatur sibi* (de Theodoro loquitur) *Bulgaros timere perditos nequaquam vel solum sui exercitus impetum sustinere posse; at non sic Bulgari, sed Asanus Ioannes perfidia ac fœdere ab Angelo Theodoro fracto potius quam proprijs viribus fretus, parua sibi auxiliari manu e Scythis cōducta nec numero quidem millenis confidentius in conflictum agebatur signo etiam militari, vt a nonnullis memoria proditum est, iureiurando Theodori scripta appenso & forte circa locum Hebro proximum, quem Clocotnitzam appellant, milites aduersis signis irruunt & vt verbo singula exprimam, debellatur a Bulgaris & Scythis Theodorus; & ab hostibus vnà cum eo non pauci illius affines & dignitate conspicui & illustres viri, eorum omnibus deprædatis, capiuntur.*

In Asanē contra datam fidē bellum mouet.

Georg. vbi sup interp. D. Leone Allatio.

51 Addit auctor victorem clementia vsum iræ cædique temperasse. Edoctum forte parentis sui Caloioānis, de quo plura nos suis locis diximus, calamitatis exemplo, qui cum ferinam in Græcos barbariem exercuisset, & se Romæoctenum nuncuparet, vt olim Basilius Imp. ob maximas Bulgarorum strages editas Bulgaroctoni cognomen sibi pepererat, tristi postea morte a numine affectum tulit fama: obiecto nimirum in somnijs armato homine, qui hasta latus eius confodit, laterali morbo perijsse, vt Georgius Logotheta [a] enarrat. qui addit Theodorum perhumaniter a Ioanne tractatum, cum nouas res in carcere moliretur, a victore oculis orbatum esse; quod etiam Nicephorus [b] Gregoras tradit. rem vero gestam sequenti anno aprili mense consignat Richardus [c] his verbis: *Eodem mense aprili in Græcorum Imperio factum est prælium inter Græcos, in quo Comniano captus est et vtroque lumine orbatus.* hæc de Græcorum rebus suffecerint; ad Latinos redeamus.

Theodori sacramentum exercitui præfert Asanes.

a Georg. Logoth. donat. Latin. a Leone Allatio.

Vincit ac se clementer gerit.

Parenti in victoria dissimilis.

Theodorū noua molientem obcæcit.

b Niceph. Greg. l. 2.

c Richa. S. Germ. in chron.

52 Exorta Parisijs grauissima inter eos, qui literis operam dabant, ac regios administros discordia, non sine magno rei litterariæ discrimine nobilissimam illam academiam dissolutam fuisse scribit Bernardus: [d] *Anno* (inquit) *Domini prætaxato* MCCXXIX. *facta fuit Parisius inter scholares dissensio, quam mox secuta est ad tempus multifaria dispersio, alij quidem Rhemis, alij Andegauis, alij Aurelianis, alij in Angliam, alij in Italiam, vel in Hispaniam, siue in alias mundi prouincias causa studij sunt profecti, multi quoque magistri & scholares Tolosam venerunt & rexerunt ibidem.* Cum huius discordiæ tumor emanasset ad Apostolicam sedem, mox Gregorius ad redintegrandam celeberrimam academiam, auctoritatem suam interponere, dare operam, vt discordia omnis e medio tolleretur, nihilque officij prætermittere, quo læsis fieret satis, florentissimaque Parisiorum gymnasia in pristinum decus splendoremque vindicarentur. hanc sententiam complectuntur literæ ad Ludouicum adolescentem Francorum Regem, eiusque matrem Blancham, quarum exemplum infra scriptum est. [e]

Tumultus Parisijs exorti.

d Bern. in chron.

Academia dissoluitur.

Pontifex sedare discordiam nititur.

e Lib. 3 ep. 95.

Ea de re elegantes literæ ad Regē scriptæ.

Regi Francorum, & Blanchæ matri eius Reginæ, illustribus.

53 In tribus, quæ appropriatione nominis tribus in S. Trinitate personis attributa noscuntur, potentia, sapientia, & benignitate videlicet, regnum Francorum, eiusdem S. Trinitatis imitando vestigium, pater præ regnis alijs a longis retro temporibus floruisse: in strenuitate militum potens, in clero literatum scientia prædito sapiens, & in clementi principum bonitate benignum; quorum medio si duo destituantur extrema, in vitia conuertentur: quoniam potentia nisi fuerit sapientia temperata in præsumptionem luxuriat, se in arrogantiam extollendo: benignitas vero, si eadem suffulta non fuerit, in dissolutionem degenerat, & efficitur fatuitati cognata. Igitur sapientia necessaria est vtrique, sine qua neutra illarum nomen virtutis obtinet, vel effectum: sapientia vero nutritur studio literarum, quo quasi fluuio de loco deliciarum egresso, non solum regnum prædictum irrigatur & fœcūdatur post Spiritus sancti gratiam, verum etiam paradisus Ecclesiæ generalis, cuius alueus Parisiensis ciuitas, ex eo quod idem studium Parisius viguit, hactenus noscitur extitisse. vnde vestra credimus interesse solicita diligentia, & solicitudine satagere diligenti, vt studium diebus vestris translatum alibi a Parisius; illuc quasi flumen ad alueum reuocetur, ne forsan ex translatione huiusmodi ad nihilum redigatur, per plura loca diuisum, velut fluuius distortus ab alueo, & in riuos diuisus arescit, & per hoc cælum claudi scripturæ ac imbrem suum nubes continere contingat, & incomplutam terram vniuersalis Ecclesiæ remanere, nec non in tenebras solem & lunam conuerti, stellas inuolui caligine huiusmodi tenebrarum, ac sic de prædicto regno deleri Trinitatis vestigium prælibatum, quoniam in vestram ignominiam redūdaret, si diebus vestris idem regnum huiusmodi priuatum gloria redderetur; nec expediret quod in ipso regnantibus tāti honoris ascriberetur amissio, quam suis seruare temporibus Reges inclyti ex innata sibi clementia propensius studuerunt ex diuersis mundi nationibus in supradicta ciuitate collectam multitudinem, ad aquas sapientiæ haurien-

Eximia regni Francorum cōmendatio.

das benignius consonentes, ac prouide supportantes, si quando excedebat.

54 Sane ad nostram nonetitia audientiam peruenisse, quod inter vos ex parte vna, & dilectos filios magistros, & scholares Parisienses ex altera dissensione suborta, iidem magistri cum scholaribus damnis, & iniurijs lacessiti a Parisijs discesserunt, studium alibi transferendo. Nos ergo vtilitatibus prouenturis ex prædicti fluminis ad alueum reditu aspirantes, & volentes incommoditatibus, quæ possunt ex discessu emergere, obuiare, venerabilibus fratribus nostris Cenomanensi, & Siluanectensi episcopis, & magistro Ioanni archidiacono Catalaunensi nostris damus literis in mandatis, vt ipsi vice nostra inter vos, ac magistros & scholares præfatos interponant solicite partes suas, ac impendant solicitudinem diligentem, & operam efficacem, vt magistris, & scholaribus antedictis de datis damnis & irrogatis iniurijs congrue satisfiat, restituta ipsis solita libertate, ac a claræ memoriæ Philippo Rege Francorum concessa, studium Parisius reuocetur. Quocirca excellentiam vestram rogamus attentius, & monemus, ac exhortamur in domino, quatenus benignitatis prædecessorum vestrorum inhærentes vestigijs, ob reuerentiam Apostolicæ sedis, & nostram ipsos plenius admittatis in gratiam regiam, & fauorem, acquiescendo monitis, & exhortationibus prædictorum ea executione celeri, sicut decet, clementia solita exequentes; ne si secus egeritis, quod non credimus, sapientiam, & benignitatem, sine quibus vix potentiæ vnitas potest persistere, videamini abiecisse, ac nos, qui regnum ipsum hactenus cælitus benedictum, vt dedecoretur a decore huiusmodi non possumus æquanimiter tolerare, super hoc prouidere aliter compellamur. *Dat. Perusij VI. kal. decemb. pontif. nostri anno III.*]

a lib. ep. 88

b lib. ep. 89

55 Scriptæ eodem argumento literæ tum episcopo Parisiensi a, quem etiam durioribus verbis increpuit, discordias alere, occasionemque aliò transferendæ academiæ iniecisse; tum episcopo Cenomanensi b, alijsque missæ, ipsos enim discordes animos conciliare, & ad academiam Parisios reuocandam operam nauare iussit. At Pontificem ipsum monentem episcopos Cenomanensem ac Siluanectensem, & archidiaconum Catalaunensem audire præstat: *Discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus inter Regem & Reginam, ac magistros & scholares præfatos interponentes solicite partes vestras impendatis solicitudinem diligentem, & operam efficacem, vt magistris, & scholaribus antedictis, de datis damnis, & irrogatis iniurijs congrue satisfiat, restituta ipsis solita libertate ac a claræ memoriæ Philippo Rege Francorum concessa, studium Parisius reuocetur, non obstante alicuius vinculo iuramenti, cuius ex tribus comitibus, quos debet habere, duo videntur deesse, iustitia videlicet, & iudicium e quibus videtur minime processisse præstare huiusmodi iuramentum. Dat. Perusij VIII. kal. decemb. pontif. nostri anno III.* Cumque adhibita illa c a summo Pontifice diligẽtia discordes animi nondum coire potuissent, sequenti anno maiorem operam nauauit ne celebri academia diutiua Lutetia orbaretur, ac doctores academicos ad ea dissidia facilius concilianda, ex suis aliquos Romã mittere iussit, quo in pristinum statum restitui omnia ac vindicari possent. Denique vt eam discordiam extinxerit, academiamque Parisijs restitutam amplioribus priuilegijs decorauerit, anno huius seculi trigesimo primo dicetur. Nunc quæ ad sopiendum recrudescens intestinum in Gallijs bellum præstiterit, prosequamur.

Restitui vetera priuilegia academiæ iubet Pontifex.

c Greg. l. 4 ep. 19.

56 Cum varios tumultus conflarent in Gallijs principes viri, atque ad amplificandam auctoritatem suam noua aduersus Ludouicum Regem annis minorem Reginamque consilia inirent, Gregorius vt ad eas seditiones compescendas incumberent, episcopis Siluanectensi, Aurelianensi, & Meldensi apostolico pro imperio mandauit a. Quibus etiam literis se Regem & Reginam in clientelam suam admisisse profitetur, ac de his ista quoque ad archiep. Lugdunensem scripsit b: *Graui sumus dolore turbati, et horrore perculsi, quod sicut audiuimus, quamplures magnates, & alij de regno Franciæ diabolo instigante seducti, sese inexorabili odio inuicem persequentes, auctoritatis regiæ prohibitione cõtempta, regnum Franciæ, regnum benedictionis et gratiæ varijs lacerare dissidijs, & bellicis gestiut impulsibus conquassare, non attendendo rerum dispendia, discrimina corporum, animarum pericula, & impedimenta negotij Terræ sanctæ, quæ inde nascuntur ineuitabiliter imminere.* His congruunt, quæ scribit Nangius, intulisse anno superiore atrox bellũ Marchiæ & Britanniæ comites Campaniæ comiti ob detectas ab ipso, quas conflarant Regi insidias, secutasq; illius partes; sed regia virtute propulsatos. Subdit Pont. *Quia vero prædictum Regem speciali prærogatiua dilectionis, & gratiæ complectentes regni statum intimo zelamur affectu, nec eius molestiam ferre possumus non moleste; dilectum filium nobilem virum ducem Burgundiæ rogamus, monemus, & hortamur in Domino, nostris sibi dantes literis in mandatis, ac in remissionem sibi peccaminum iniungentes, vt saluti suæ consulens, & honori, nullis se suggestionibus seduci permittat, nullis fallacijs circumscribi, quo minus in fide, ac deuotione regia inflexibiliter perseuerans, non solum seipsum guerris non implicet, sed eas modis quibus potest sedare studeat incessanter, vt pacem concilians, mereatur inter pacificos numerari, qui secundum euangelicam veritatem, quæ nec fallit, nec fallitur, sunt beati quoniam Dei filij vocabuntur; & apud homines etiam sibi comparet nomen bonum; ac nos, qui dicti Regis causam propriam reputamus, exinde sibi constituat merito debitores. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus dictum ducem, ad hoc diligenter moneas & inducas. Dat. Perusij III. kal. decemb. pontif. nostri an. III.* Qua etiam die episcopo Parisiensi alijsque præcepit c, anathemate percellerent, qui archiepiscopum Lugdunensem ceperant per summum scelus, omnibusque bonis exuerant ac spoliarant.

Laborat intestino bello Gallia.

a Greg. l. 3 ep. 90. 91.

b ib. ep. 92

Illi extinguendo incumbit Pontifex.

Ducem Burgund. ne eo se implicet auertere nititur.

c ib. ep. 99

Quod ad Regẽ attinet; ait Guillelmus Nangius d, illum comparato, instructoque ingenti exercitu aduersus Petrum Armoricum comitem mouisse, qui intolerabili superbia elatus, aduersus Regem iterum consurrexerat, eiusque terras hostiliter varijs excursionibus inuaserat; tandemque ab Rege repressum ac perdomitum, sicque fractos alios pariter viros nobiles ad officium reuocatos, ac pace altissima annis quatuor, & amplius regnum illud floruisse.

d Nangius de gest. Lud. Franc. Reg. hoc anno.

Petrus Britonum comes debellatur a D. Lud.

57 Hoc anno Pontifex Ioanni episcopo Sabinensi A.S.L. gratulatorias literas VIII. id. febr. dedit e, legatione pro dignitate gesta, nominis sui ac virtutis famam late circumtulisse: eumque ad cœpta feliciter prosequenda incendit. Cui etiam eam prouinciam commisit f, vti matrimonium contra Ecclesiæ canones Aragoniæ Regem inter ac Reginam initum dissolueret, & si in ijs regionibus contra Mauros exercitum cogi g contingeret, indulgentiarum beneficium sacræ militiæ nomen adscribentibus liberaliter effunderet. Porro de episcopi Sabinensis legatione hæc Lucas Tudensis h: *Post hæc reuerendissimus pater Ioannes Sabinensis episcopus Apostolicæ sedis legatus missus est in Hispaniam a gloriosissimo * Patre Gregorio. hic inter cætera, quæ iste gessit, Reges Hispanos contra Sarracenos studuit incitare.* De rebus verò tum ab Alphonso Rege Legionensi, tum a Fernando eius filio Castellæ Rege hoc anno gestis subdit: *Rex Legionensis Adelphonsus cum exercitu suo, & parte exercitus filij sui Regis Fernandi, obsedit Caceres oppidum fortissimum barbarorum, & cepit ipsum, fecit*

Regis Arag. matrimonium dissoluitur

e Greg. l. 2. ep. 82.

f lib. ep. 83.

g ib. ep. 84.

Strenue munus legati obit in Hisp. ep. Sabin.

h Tud. chron. Hisp.

* Papa

Alphons. Rex Legiõ cum filio Fernando in Sarrac. signa attollit

etiam largissimus Rex quiddam memoria dignum præ Regibus, qui fuerant ante ipsum, nam adiurauit omnes iudices regni sui, vt non acciperent ab aliquo paruum vel magnum donum: ipsi quidem eis de suo arario omnes abundantes faciebat expensas, ne indices populi dona peruerterent, iudicium & iustitia haberetur. Nobilis filius autem eius Rex Castella Fernandus ingressus est terram Maurorum cum exercitu magno, & multas strages faciens, arbores, vineas, segetes & cuncta, qua erant in circuitu, ferro & flamma vastauit. Vt vero Christiani nominis hostes nefandissimi profligati fuerint, anno insequenti ex eodem auctore, atque ex pontificijs epistolis erit exponendum.

58 Inter hæc scriptis ad Aragoniæ Regem literis [a] humanitatis & officij plenis cômendat, singulari bonore, ac beneuolentia tum Ecclesiam, rum ecclesiasticos viros complecti. Cumque Iacobus Rex legati sui opera expetijsset, vti pontificijs manibus diademate cingeretur, sese Gregorius excusat ob temporum iniquitatem, pollicitus id lubentissime præstiturum, cum occasio permitteret.

a Greg. l. 3 ep. 9. Rex Aragon. flagitat regio diademate pontificijs manibus redimiri.

Illustri Regi Aragonum.

Gratias agimus gratiarum omnium largitori, quod, sicut accepimus & vtique acceptamus, ipso menti tuæ timorem sui numinis & amorem misericorditer inspirante, ab eo qui solus habet in regno hominum potestatem, dignitatis regiæ gloriam tecognoscens, sponsam eius Ecclesiam, & personas ecclesiasticas bonorificentia debita veneraris, & Apostolicæ sedis, & nostris beneplacitis prompta fide, pronaque deuotione te offerens, & exponens voluntate nobis, & actione desideras complacere. Quare nos in tuæ mansuetudinis gloria delectati personam tuam prærogatiua dilectionis, & gratiæ complectentes, ad profectus tuos secundum vtrumque hominem aspiramus. Cæterum supplicationes placidas, & bonestas, quas super suscipiendo de manibus nostris regio diademate per dilectum filium Ioannem Bucbados nuntium tuum, virum vtique fidelem, morigeratum & prouidum, tua nobis sublimitas destinauit, benigne recepimus, & grataanter, eos iam ad exauditionis gratiam hilariter admittentes, & magnificentiam tuam dignis ex hoc in Domino laudibus commendantes.

Collaudat illum consiliũ Greg.

59 Verum quia omnia bona in tempore suo, & vt fiant petita munera gratiota, differuntur interdum, vt opportunius côferantur, nos varios turbines nunc instantes, sicut conuenit, attendentes, ex quibus tanto negotio multa incommoda possent euenire, commodius tempus prouidimus expectandum, quo res auctore Domino sine obice prospere dirigatur, & omnibus in bonum cooperantibus, optatum sortiatur effectum. Quocirca serenitatem regiam rogamus in Domino, & monemus, quatenus pro tali dilatione minime mouearis, cum præsto simus ad gratiam tibi tam in boc, quam in alijs exhibendam. Sed breui, vt confidimus, tempore securus expectans, cum expedire videris, fiducialiter nos requiras: cum & nos interim quæ opportuna sunt, solicite disponamus. Stude igitur fili benedictionis, & gratiæ opera tua iuxta sapientis consilium in mansuetudine facere, vt super hominum gloriam dirigaris, & vt dies super dies Regis adijciat Dominus, in mandatis eius satagas exerceri; quia cum placuerint Domino viæ hominum, etiam inimicos eius conuertet ad pacem, fietque vt te rectore, te duce populus suus sedebit in pulchritudine pacis, & requie opulenta, & tandem regnum transitorium commutabis feliciter in æternum. *Datum Perusij v. kalendas maij pontificatus nostri anno III.*]

Rem differt in tempus commodius.

60 Agens de ijs quæ Gregorius Perusij gessit hæc Richardus: *Mense iunio Gregorius Papa prædictus fratrem Franciscum innocentia vita virum, qui institutor ordinis fuit fratrum Minorum, apud Perusium de fratrum suorum consilio duxit sanctorum catalogo adscribendum, mandans vbique terrarum diem, quo solo carnem & cælo spiritum reddidit, quarto scilicet nonas octobris annis singulis solenniter excolendum*, ita Ricbardus. Verum cum anno superiori solemni pompa sanctorum numero appositum viderimus, quo etiã auctor solemnem illam cœlitum catalogo adiectionem collocauit, sequitur auctorem de literis pontificijs locutum, quibus ipsius venerationem Christiano orbi commendauit.

Veneratio S. Francisci a Greg. commendata.

Consultus ab Argentinensi episcopo Pontifex, num puer quadriennis in patris iam Christianis sacris imbuti domo, an apud matrem in Iudaismo perstantem educari deberet, respondit [a] in fauorem fidei, vt apud patrem Christiana religione instituendus aletetur. Eodem etiam religionis defendendæ studio Palentinum episcopum Iudæorum aduersus Christianos insolentiam refrænare iussit [a]. Præterea, cum archiepiscopus Colocensis summis precibus ab Apostolica sede petijsset, vt in monasterio Cbenetensis diœcesis suæ episcopalem sedem sibi instituere liceret, Gregorius voti compotem fecit [b]. Cumque Cumani vnà cum suo duce Strigoniensis archiepiscopi opera Christianam nuper religionem amplexi essent, Pontifex ingẽti perfusus gaudio ea de re exaratis ad eos literis [c], ipsos in fidem ac patrocinium sedis Apostolicæ recepit, eiusque gentis episcopum soli Romano Pontifici obnoxium esse iussit [d].

Iudæorũ filij côuerso altero parête ab eo educẽdi. a l. 16 ep. 13. a Lib. 3. ep. 90. Chenetensis episcopatus institutus. b Greg. l. 2. ep. 77. Cumani recens cõuersi in clientelã apost. adsciti. c ep. 12. d ib. ep. 59.

Quantum porro numini acceptũ sit diuinum verbum ab euangelicis præconibus disseminari instruiq; populos, insigni miraculo per hęc tempora demõstratum est, quod narrat Cantipratensis [e]; anno nimirum circiter 1229. virũ e Dominicana familia pietate conspicuum, cum in B. Virginis assumptæ festo die se ad quendam locum in Germania concionis habendæ ad populum gratia conferret, fluuiusque iter abscinderet, quem nec traijcere posset, cum deesset scapha; nec pontem adire, quod amnis turgidus aquæ extra ripas effusus ad illum ingressum præclusisset, atque interea cura promulgandi verbi diuini, imminente iam hora illum vrgeret; sese ad preces contulisse, consilioque ex Deo capto, vestem, quam cappam vocant, aquis iniecisse, editoque crucis signo ad alteram ripam vestibus ne quidem tantillum madefactis appulisse, ingenti stupore defixo eius socio, qui periculo committere se non ausus, ad traiectum cymbam expectauit.

e Cantil. 2. c. 29. §. 20. Vir religiosus in alteram fluminis ripam delatus di uinitus vt sacram concionem habere posset.

61 Nec minus conspicuum aliud miraculum Deus Florentiæ, ad corporis Domini in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento illustrandam veritatem edidit. Cũ enim huius anni 1229. trigesimo die decembris, sacerdos ecclesiæ S. Ambrosij, nomine Vguccionius, peracto incruento missæ sacrificio calicem non bene detersisset, siue ætatis ingrauescentis debilitate, siue incuria, dieque insequenti calicem cum manu cepisset, in illo splendidum ac purpureum cruorem inspexit, eumque omnes monasterij illius virgines Deo dicatæ, quique interfuere, tum episcopus omnisque clerus ingenti admiratione pietateque perfusis animis sunt contemplati: dein Florentinis, qui certatim confluxere, videndus propositus est. E calice postmodum is sanguis, in crystallinam ampullam transfusus, etiam hodie cum ingenti pietatis sensu, ad spectandum proponitur. Hæc Ricordanus Malespina vulgari sermone Italico, quæ Ioannes Villanus [f] ijsdem pene redditis verbis, historiæ ad annum insequentem commendauit: sed facile conciliatur, cum ille annum a natiuitate Domini potuerit auspicari, atque hoc miraculum post natale Domini claruerit.

Sacramẽtales vini species in versam sanguinis formam diuinitus versæ. f Chro. l. 6. c. 8.

IESV CHRISTI
Annus 1230.

GREGORII PP. IX. annus 4. — FRIDERICI II. IMP. 11. BALDVINI II. IMP. 2.

Pontifex a Romanis in Vrbem euocatur.

1 ANno a partu Virginis trigesimo supra millesimum ducentesimum indictione tertia, accensum a Friderici ducibus annis superioribus atrox bellum, pacem exorante Imperatore, ingenti omnium gaudio sopitum est; Romanique diuinæ vindictæ terrore perfusi Gregorium in Vrbem Perusio excitum magna honoris pompa ad placandas cœlestes iras susceperunt. Defensurus enim vicarij sui iniurias Deus, quem illi Ecclesiæ libertate violata, ecclesiasticis viris grauiter oppressis, alijsque patrimonij S. Petri obnoxijs varijs malis atque oneribus attritis, summis iniurijs affecerant, ac duorum ferme annorum spatio Perusij quasi in exilio versari compulerant; iustissimæ vltionis iras in eos exercere cœperat, ac tanquam altero diluuio ipsos obruere velle videretur, tantam imbrium copiam effuderat, vt ijs inflatus Tyberis extra ripas sese eijceret, influeret in domos vrbis, immo ad ipsa tecta excresceret, hominesque & iumenta raperet, commeatus corrumperet: quin etiam ad malorum cumulum ingentem fluuius immanium serpentium vim intra vrbem eructauit, quæ computrescens infecto aere funestam luem intulit. Quibus prodigijs perterriti Romani, ad Pontificis pedes confugere, vtque in vrbem rediret, supplicibus precibus contenderunt. Narrat ea hisce verbis Gregorij gestorum scriptor.

Diuina vltio ipsos ad officiū compellit.

2 *Premebat interim*, videlicet dum Pontifex Perusij ageret, *Romanorum rabies recidiuo furore sedis Apostolicæ libertatem, ecclesias vrbis angarijs, vassallos patrimonij varijs oneribus impetentes, ex quibus ne sponsa Christi remaneret inulta quasi libellum repudij susceptura, videns Dominus ipsorum cunctas cogitationes intentas esse ad malum, cæli cataractas aperuit, & secuta Tyberis tumentis influxio in domibus vrbis, vsque ad tecta * succurrens, homines non paucos & iumenta deleuit, frumento multo & vino deperditis, lectis & innumerabili vasorum grandium multitudine deuectis in mare, illamque serpentium magnarum congeriem intra vrbis mœnia inundatio diminuta reliquit, vt eorum putredine molesta lues, & in iumenta & homines desæuiens, magna ipsorum cum morte tum infirmitate damna inferret. Qui diuinæ vltionis iudicium de offensa venire matris Ecclesiæ cognoscentes, cancellarium & Pandulphum de Suburra tanquam proconsules & legatos apud Perusium ad pedes summi Pontificis pro impetranda venia, & eodem ad vrbem reducendo Pontifice cum honorificentia debita, destinarunt. Qui benignus pater & dominus non elatus, sed potius humiliatus ex vindicta tristes filiorum euentus & supplicantium legatorum suspiria compassione paterna suscipiens, circa sui * quarti anni exitum mense februarij hebdomada maioris quadragesimæ prima, in vrbem cum gloria & inexistimanda lætitia populi exultantis intrauit. Quibus exhaustis & famis attritis inedia, frumenta de vicinis partibus eo mandans collecta pia liberalitate donauit, alias etiam de vbertate matris Ecclesiæ, quæ super afflictis pia gestare viscera consueuit, eorum mœrori compassus, manus munifica subuentionis extendit.* Illam Tyberis ingentem eluuionem notauit etiam Henricus Stero a, Richardusq; cum ait Tyberim adeo late extra ripas effusum, vt gradus etiā basilicæ Principis Apostolorum prolueret: *Primo*, inquit, *die februarij Roma Tyberis fluuius per abluuionem vsque adeo inundauit, quod occupauit de domibus vrbis vsque ad S. Petrum & vsque ad S. Paulum. Quod tanti causa timoris Romanis omnibus extitit, vt mox de communi consilio metu mortis dominum Papam ad Vrbem de Perusio reuocarent; qui rediens a senatu populoque Romano ingenti cum gaudio est receptus.*

Horrēda Tyberis eluuio.

* caturiēs

Atrox lues vrbē depascitur

* tertij

a Apud Canis. ant. lect. to 1. p. 1361.

3 Subdit auctor Rheginum archiepiscopum & magistrum religiosi Theutonicorum equitum ordinis Roma, quò ad tractandam pacem se contulerant, digressos Fridericum apud Precicanam conuenisse, ac paulo post in vrbem reuersos, quò Austriæ, Charinthiæ, & Morauiæ duces ac patriarcham Aquilegiensem ac Salisburgensem archiepiscopum ad conciliandam Gregorium inter & Fridericum concordiam confluxisse ait. Cuius etiam initi fœderis historiam memoratus pontificiorum gestorum auctor paucis verbis complectitur. Vbi enim Fridericum ex oriente rediisse, ac legatos Gregorio Papæ archiepiscopum Messanensem & Hermannum magistrum Theutonicorum ad exorandam pacem misisse, nonnullaque oppida ad fidem suam cautionis vice obligandam obtulisse narrauit, adijcit: *Quod tandem summus Pontifex multorum instantia deuictus assumit per venerabilium patrum Cardinalium obsequium studiosum compositione firmata, & sigillo imperialis testimonij communita, terram demum tot acquisitam laboribus eidem quasi noua infeudatione concedit, in signum dominij quibusdam sibi munitionibus reseruatis, quas eidem postmodum adiectis conditionibus commendauit nec ipsius vulnere solidato rancoris.* Verum quæ auctor anonymus breui oratione libauit, ex regesto pontificio a, in quo tractatæ initæque pacis, atque absolutionis Friderico impertitæ publica scripta continentur, petenda sunt.

Tractatus pacis Gregorium inter & Fridericum agitatur.

a Lib. 3. pag. 161. & 2.

4 Missi igitur ab Rom. Pontifice legati Ioannes episcopus Sabinensis nuper ex Hispania regressus & Thomas tit. S. Sabinæ presbyter Card. vt ineundæ paci viam munirent. quorum iussu Fridericus iureiurando solemni sese obstrinxit, in ijs omnibus pariturum Ecclesiæ, ob quæ cœtu fidelium eiectus esset: *Fredericus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, Hierusalem, & Siciliæ Rex. Notum facimus vniuersis, quod nos pro omnibus, pro quibus excommunicati sumus, tactis sacrosanctis euangelijs iuramus coram vobis dominis Ioanne venerabili episcopo Sabinensi, & Thoma tituli S. Sabinæ venerabili presbytero Card. Apostolicæ sedis legatis vice reuerendissimi patris domini Gregorij Dei gratia summi Pontificis recipientibus, stare præcise mandatis Ecclesiæ & sine aliqua conditione secundum formam Ecclesiæ, &c. Dat. apud S. Germanum anno Dominicæ incarnationis* MCCXXX. *die 11. mensis iulij tertia indictionis.* Dein legati Imperatorem sacramento adegere, vt eorum omnium iniurias voluntaria obliuione contereret, qui bello inter ipsum Ecclesiamque exardescente, Ecclesiæ adhæsissent, nec vnquam aliquam ab ijs vltionem expetiturum, seque omnes antea ob id latas sententias reuocaturum, neque Ecclesiæ ditionem inuasurum, publico decreto sanciret, cuius sacramenti forma suis concepta verbis in regesto extat. b

Frid. sacramento pollicetur se imperijs Ap. pariturū.

Acceptas iniurias omnibus remissurū.

b Ibid.

5 Tractatum præterea est de ineunda ratione, qua vrbes, quæ deserto Friderico partes Ecclesiæ fuerant amplexæ, in Imperatoris potestatem redirent, ad quæ in opus perducenda annus est definitus, quod tempus etiam de vtriusque partis consensu produci posset, atque ex parte Imperatoris, & Ecclesiæ, prouincia duobus imponeretur, qui si animis dissentirēt, quintum illi eligerent, e cuius sententia res ea penderet, quæ omnia Fridericus huic publicæ declarationi inseruit: *Fridericus &c. Per præsens scriptum notum fieri volumus vniuersis, quod inter sacrosanctam Romanam Ecclesiam matrem nostram, & nos conuenit, quod de communi voluntate tractabitur de via inuenienda, qualiter ad nos cum honore eiusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ reuertantur Caietana, & sancta Agatha ciuitates, & omnes cum bonis suis de regno nostro Siciliæ, quos Ecclesia in sua fide recepit, & in Ecclesiæ deuotione perdurant.* Refert chronicon S. Germani c Caietanos qui ad

De restituendis Friderico partis belli vrbibus tractatur.

c Rich. in chron. hoc ann.

Recusant Caietani ad illius imperium redire.

Qui modi concordię quæsiti.

ad Pontificem ab Imperatore in eo bello transfugerant, nullo modo Cardinali consentire voluisse, vt illorum vrbs Friderico restitueretur, siue metuerent ne Fridericus postea in eos iras suas effunderet, siue iugum pontificium suauius experirentur, sed ne id pacem scinderet: *Ad quem tractatum datus est annus, nisi ante via valeat inueniri. Ad quam inueniendam dicta mater Ecclesia curam & solicitudinem adhibere promisit, nec terminus, nisi de consensu partium vlterius prorogabitur, sed si, quod absit, infra dictum terminum via inuenta non fuerit, ex tunc per arbitros interim eligendos procedetur in via, vt dictum est, inuenienda. Quorum duo sint ex parte Ecclesiæ, & duo ex parte nostra, qui si concordare non poterunt, quintum eligant, & dicto maioris partis stabitur, &c. Dat. vt supr.* Quæ verò Fridericus literis suis professus est, publicis etiā tabulis consignarunt Imperij principes, qui pro pace concilianda ex parte Imperatoris intercedebant. easdemque publicas literas historiæ suæ inseruit Richardus e S. Germano [a], qui hæc de pace Fridericum inter, & Ecclesiam breuiter enarrat.

a Rich. in chron. an. 1230.

Expetitæ a Friderico nonnullæ arces ad vinciēdam illius fidem.

6 Postulatum a legatis fuerat, vt Fridericus, ne cœptum pacis tractatum temere infringeret, oppida quædam magistro domus S. Mariæ Theutonicorum traderet, quæ ille Rom. Ecclesiæ nomine obtineret: ac post quam bona fide, euolutis se octo mensium interuallo, fideiussoriam cautionem sub contenta in pactionibus forma dedisset, eidē Imperatori restitueret, quæ Fridericus executus, publicæ declarationi mandauit [b]: *Fredericus Dei gratia, &c.* vt supra. *Per præsens scriptum notum fieri volumus vniuersis, tam præsentibus, quam futuris, quod nos fecimus assignari in manibus fratris Hermanni venerabilis magistri domus sanctæ Mariæ Theutonicorum in Hierusalem fidelis nostri castra subscripta, videlicet Castrum cali, roccam Guilelmi, roccam de Bantra, roccam Præsentianam, roccam S. Angeli de rupe Canina, roccam Montis Dragon, castrum Atini, & Petram de Tocco. Quæ omnia dictus magister tenebit nomine Ecclesiæ Romanæ in expensis nostris, in cautionem scilicet, & securitatem, quod nos dabimus fideiussoriam cautionem bona fide infra terminum octo mensium sub illa forma, quæ in tractatu pacis continetur. Qua fideiussoria cautione præstita idem magister resignabit nobis eadem castra, vel cui nos præcipiemus. Datum in castris prope Ceperanum anno dominicæ incarnationis* MCCXXX. *mensis aug.* III. *indictionis.*

b Apud Greg. l. 3. pag. 162.

Card. legati exponūt Friderico causas ob quas anathemate defixus fuerat.

7 Missi postea a Gregorio Ioannes Sabinensis episcopus, ac Thomas S. Sabinæ presbyter Card. legati Apostolici, vt Imperatoris iusiurandum standi omnibus Pontificis imperijs, quo ille se publice erat deuincturus, apud S. Germanum exciperent; innumera præsulum, principumque multitudine circumfusi Imperatori e scripto causas exposuere, ob quas fidelium consortio amotus esset, quæ a Bertoldo patriarcha Aquileiēsi, Eberhardo archiep. Salisburgensi, Siffrido episcopo Ratisponēsi in illa sua absoluti Imperatoris publica declaratione memoriæ commendarunt. Quibus expositis Imperator sacramento sese publico deuinxit ea forma, quæ in eius literis aurea bulla munitis, atque in præsentium corona perlectis iacent. eoq; iureiurando admisso legati Imperatori præcepere, vt sub sacramenti præstiti religione ea omnia, quæ in ditione ecclesiastica fuerant ab ipso vel suis occupata, restitueret; tum oppida bonaque monasterijs, ecclesijs, Templarijs, Hospitalarijs, nobilibus viris, alijsque, qui Ecclesię partibus adhæsissent, erepta redderet, ac pulsos, & emotos ob id suis sedibus episcopos, aliosque præsules ad pristinas dignitates reuocaret. Tum demum legati adiecere, se in præsentiarum hæc iubere, alia suo tempore mandaturos, quæ omnia ijdem, qui supra episcopi, in illis suis literis publicis rei gestæ declaratorijs descripserunt. Cum ergo vti constitutum fuerat, dictas arces ab Imperatore Hermanni equitum S. Mariæ Theutonicorum magistri custodiæ demandarentur, Fridericus ea primum Rheginensi archiepiscopo tradi iussit, quod publicis scriptis declarauit. Quæ cum ij postea Hermanno commisissent, ille publicum scriptum edidit, quo de receptis locis omnes faceret certiores. Tum institere legati, vt nonnulli Imperij Romani principes, nimirum Bertoldus Aquileiensis patriarcha, Eberhardus Salisburgensis archiepiscopus, Siffridus Ratisponensis episcopus, Bernardus dux Carinthiæ, atque Otho Morauiæ dux pollicerentur, se bona fide operam collocaturos, vt Imperator, quæ in Marchia & ducatu Spoletano inuasisset, redderet. Ad quæ perficienda sese fideiussorio nomine obstrinxere, remque publicis tabulis commendarunt. Mense postea elapso, quo promissa firmiori vinculo astringerentur, in publica scripta retulere Salisburgensis archiepiscopus, Ratisponensis episcopus, & Charinthiæ dux, sacramento sese deuouisse, fideiussionem religiose seruaturos, vt in Aquileiensis patriarchæ literis continetur.

Frid. sacramento pollicetur omnia quæ Ecclesiæ eripuisset restituturum.

Recipitur in gratiam Ecclesiæ Frid.

8 Recepto itaque a legatis iureiurando Friderici, gerendi morem Ecclesiæ, imperataque eorum, quæ inuaserat, restitutione, atque ab ipso certis arcibus, vti conuenerat, magistro Theutonicorum equitum traditis; tum præsulibus pluribus ducibusq; spectatissimis in fideiussores acceptis, alijsque mandatis pontificijs allatis, atque ab Imperatore admissis, Cardinales legati ad abrumpendos tot excommunicationum nexus, quibus Fridericus iustissime erat irretitus, sese XXVIII. mensis augusti die S. Augustino sacra, vt ipse Fridericus in gratulatorijs post absolutionem literis testatur, compararunt. rem gestam describit Richardus [a] his verbis: *Quædam arces regni traditæ sunt seruandæ magistro domus Theutonicorum vsque ad certum tempus pro maiori Ecclesiæ firmitate; & tunc Imperator ipse in castris ante Ceperanum in capella S. Iustæ die mercurij in festo B. Augustini per Sabinensem est episcopū ab excommunicationis vinculo absolutus, similiter & omnes sui.* Restituto igitur sacris Friderico, mox rogati sunt a legatis præsules aliqui Galli, & Angli, qui absolutioni latæ interfuere, illius impertitæ rationem ac processum, & imposita ab ipsis Friderico Pontificis nomine mandata, aliasque leges & conditiones adhibitas, literis publicis euulgare, quæ illi lubētissime sequenti forma præstiterunt [b]: *Nos Dei gratia ... Arelatensis archiepiscopus. Vvintoniensis, & Beluacensis episcopi requisiti a venerabilibus patribus I... Dei gratia episcopo Sabinensi, & Thoma tit. S. Sabinæ presbytero Card. Apostolicæ sedis legatis, vt super ijs quæ de processu ipsorum in negotio absolutionis domini Imperatoris audiuimus, & vidimus, testimoniales literas scriberemus, ad communem deducimus notitiam, quod prædicti domini legati domino Imperatori fecerunt mandata subscripta in hunc modum: Nos I... Dei gratia Sabinensis episcopus, & Thomas tit. S. Sabinæ presbyter Cardinalis Apostolicæ sedis legati, auctoritate domini Papæ mandamus domino Imperatori, quod non impediat per se, vel per alium, quin electiones, postulationes, & confirmationes ecclesiarum, monasteriorum in regno libere fiant de cætero secundum statuta concilij generalis. Item vt comitibus Calanensi & filijs quondam Raynaldi de Auerso satisfaciat secundum formam compositionis in ijs, pro quibus Ecclesia fideiussit. Item vt satisfaciat de mobilibus, iniurijs, damnis illatis Templarijs, Hospitalarijs & alijs personis ecclesiasticis terminis competentibus ad Ecclesia assignandis. Item quod a die absolutionis, vsque ad octo menses caueat Ecclesiæ bona fide per fideiussores idoneos, et iuratos principes, comites, & barones Theutoniæ, & communia ciuitatum Lombardiæ, Tusciæ, & Marchiæ, Romaniolæ; & earundem prouinciarum marchiones, comites, & barones,*

a Rich. in chron. hoc ann.

Quæ forma in dissoluendo anathemate seruata.

b Apud Greg. l. 3. pag. 163.

Imperia apostolica Friderico facta.

De permittenda in celebrādis electionibus libertate.

Resarciēdis inflictis damnis.

nes, quos Ecclesia nominabit. Qui ad requisitionem Ecclesiæ teneantur assistere Ecclesiæ contra illum, donec satisfaciat, si mandata Ecclesiæ non seruauerit, vel pacem fregerit, seu terram Ecclesiæ, vel eorum terras, quas Ecclesia tenet ad manus suas vel personas eorum ceperit, occuparit, seu deuastarit, & infra tres menses, si fuerit in regno; si in Italia, infra quatuor; si autem extra Italiam, infra quinque ea non duxerit emendanda: & super hoc dabunt Ecclesiæ chartas suas suo sigillo munitas.

De offerendis fideiussoribus.

9 *Iniungimus quoque ei, quod infra quindecim dies certum nuntium mittat ad curiam, qui recipiat nomina illorum, quorum fideiussionem requiret Ecclesia. Hæc autem omnia supradicta mandamus ei omnibus cautionibus in sua integritate manentibus olim præstitis pro negotio Terræ sanctæ, vt pro illo satisfaciat secundum quod Ecclesia ordinabit: si quid autem a nobis per occupationem, vel incuriam est omissum de ijs, quæ mandare debuimus, domino Papæ reseruetur. Ad hæc protestationem quandam fecerunt in hunc modum: Protestamur, quod dominus Papa vult sibi restitui expensas, quas extra regnum coacta est Ecclesia facere pro ecclesiastica libertate, ac B. Petri patrimonio conseruandis. Excommunicationis quoque sententiam pronunciauerunt sub hac forma: Si dominus Imperator, prout iniunctum est ei per fideiussores, non curauerit bona fide; si viam pacis quæ inuenietur per communem cōtractum, vel per arbitrium, prout in forma compositionis continetur, non obseruauerit; si terram Ecclesiæ vel terras eorum, quas Ecclesia tenet ad manus suas, vel personas eorum, ceperit, occuparit, seu deuastarit, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat, quam ex nunc in ipsum ferimus auctoritate domini Papæ. Acta sunt hæc apud sanctam Iustam iuxta Ceperanum anno Domini MCCXXX. in festo S. Augustini.* Vt vero ea melius vniuerso orbi patefierent, ijdem legati alios præsules Germanos Italosque magna auctoritate, atque existimatione conspicuos rogarunt, vt illa publicis scriptis committerent, quæ pontificio regesto inserta sunt. a

De refundendis belli sumptibus.

a Ib. p. 164

Libertas ecclesiastica clero Siculo restituta.

10 Inter cæteras etiam iniurias a Friderico ecclesiasticis illatas, ingentes ab ecclesijs, monasterijs, clericisque pecunias abraserat, atque ecclesiastici ad secularia tribunalia rapiebantur; quæ ne in posterum in regno fierent, per legatos Pontifex vetuit. Cuius rei testimonialia scripta in publicum edi a Salisburgensi archiep. & episc. Ratispon. postularunt, quæ illi consueta forma confirmauere. Cumque illi apostolico mandato Fridericus morē gessisset, publicoq; edicto vectigalia aliaque onera in regno ecclesijs infligi, vel ad iudices seculares ecclesiasticos trahi sequenti edicto vetuisset, ijdem Eberhardus ac Siffridus insertam literis suis publicis Imperatoriam sanctionem diuulgarunt b: *Nos Eberhardus Dei gratia Salzeburgensis archiepiscopus, & Siffridus Ratisponensis episcopus ad communem notitiam omnium deducimus, quod dominus Imperator super articulo de collectis & tallijs literas in forma subscripta confecit per omnes partes regni Siciliæ destinandas.*

b Ib. p. 163

Frederici edictum.

Clerici ad secularia tribunalia non trahendi.

Fredericus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, Hierusalem & Siciliæ Rex iustitiarijs, comitibus, baronibus, militibus, camerarijs, baiulis & vniuersis officialibus per totum iustitiariatum Bar. & Basilicatæ constitutis fidelibus suis gratiam, & suam bonam voluntatem. Mandamus, & præcipimus, quatenus nullus de cætero clericus seu persona ecclesiastica conueniatur ciuiliter, seu criminaliter coram iudice seculari, nisi ciuiliter super fodris. Datum in castris prope Ceperanum vigesimo octauo augusti tertiæ indict.

Pontificiæ lit. ad Frid. gratulatoriæ de cōparata ecclesiæ gratia.

c Greg. l. 3. p. 165.

11 Cum hæc ad summum Pontificem vti gesta perlata essent, ingenti gaudio delibutus instar euāgelici patris in venientis prodigi amplexus prosilientis, perceptę lætitię indices literas, ac pietatis charitatisq; paternæ cæmijs notis aspersas ad Fridericum dedit: c

Friderico Imp.

Si Anna discessum Tobiæ filij sui non sustinens patienter, mox lacrymis effluebat; si motæ impatiens exiliens quotidie circuibat vias omnes, per quas reditum anxie * præstolando, & tandem in supercilio montis sedens, viso de longinquo filio redeunte, inexplicabili gaudio exultauit: quanto nunc tripudio hilarescat mater Ecclesia, quæ filium excelsum præ Regibus terræ, de regione dissimilitudinis ad se recipit redeuntem, quis valeat verbis, vel literis explicare, cum non sit hominis etiam affectus proprios perfecte posse depromere per affatus? Magnificat quidem anima nostra Dominum, & exultat spiritus noster in Deo salutari, qui deprecationes nostras, & misericordias suas a nobis non amouens, cordi tuo misericorditer inspirauit, vt animæ tuæ saluti, dignitatis honori, & multorum quieti prouide consulens, ad piæ matris gremium deuote redires, quæ in expectatione tui maternis affectibus cruciatibus cruciata sæpe pro tua conuersione thus orationis Domino suppliciter adoleuit, & immolauit lacrymabiliter vitulos labiorum, multorum filiorum periculum perhorrescens. Nunc autem, quia maius gaudium est Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente, quam supra nonaginta nouem iustos, qui se autumant pœnitentia non egere, iubilat Ecclesia generalis, eo quod tenebrosus turbo, qui pene inuoluerat omnem terram, luci cedit optatæ, fragorque horridæ tempestatis, quæ multis excidium minabatur, arridente serenitatis gratia subsilescit.

* præstolabatur

12 Nos etiam salutis & honoris tui profectum sinceris affectibus cupientes, Altissimi misericordiam humiliter imploramus, vt qui te reuocauit ad vitam, det virtutis constantiam reuocato, quatenus vbi abūdauit dilectio, abundet & gratia, & præcedens lapsus te reddat in omnibus cautiorem, quia procul dubio non est amor, qui possit æquari materno, nec vlius efficacior erga te, quam Ecclesiæ affectus gratiæ valeat inueniri. Ipse quoque, fili charissime, parti tuæ adesto solicitus, ne de cætero patiatis te abduci, vel seduci prauis consilijs peruersorum, qui non quæ tua, sed quæ sua sunt, inique quærentes, fascinare te gestiunt, vt exasperes matrem tuam. Cæterum cum in solemnitate tam celebri, tam solemni, quando te quasi in nouum hominem reformato gloriatur cœlestis curia, & seculum iucundatur, magnificentiam tuam munificis deceat affluere beneficijs pietatis, eo quod non solum Christiani principes, sed etiam pagani, qui veram Dei notitiam non habebant, in suis solemnitatibus tenebantur liberare captiuos; nos qui pro captiuis, & afflictis orare tenemur, precum nostrarum primitias affectione plenissimas imperiali mansuetudini duximus destinandas; pro speciali munere postulantes, & adiutantes per illum Angelum, quem Dominus ad animæ ac corporis tui custodiam deputauit, ne, quod absit, contristes eundem, qui præcipue de tua conuersione lætatur, quatenus in hac solemnitate, quæ specialis est festiuitas Angelorum, comitis Thomæ, & quondam Raynaldi de Auersa filios nobis liberaliter largiaris, eos ad nostram præsentiam remittendo: quia licet secundum formam pacis a principibus acceptatam de ipsorum liberatione non fuerit dubitatum; si nunquam tamen tractatum fuisset, nequaquam eos Ecclesiæ negare te decet, quæ tibi potest in longe maioribus respondere. Vt quid enim illi affligantur vlterius, cum te iam non oporteat in aliquo dubitare; qui habens manum Ecclesiæ adiutricem vbique ac vndique secura potes gaudere quiete? Nobis siquidem principaliter atrocem irrogari reputaremus iniuriam, si contra te, quod absit, contingeret aliquid attentari. *Dat. Anagniæ v. kal. sept. pontif. nostri anno IV.*]

13 Cum vero Galli pontificias in illo bello partes

con-

Alij ad Franc. Regem de Frid. fidelium cœtui aggregato.
a Lib. 3. p. 166.

contra Fridericum fouissent, vt ex literis veniam, ac præteritarum iniuriarum obliuionem promulgantibus patet, Pontifex ijs tumultibus compositis, rei gestæ, tandemque optatæ pacis contractæ, S. Ludouicum Francorum Regem festis literis fecit certiorem a, vt in illum pariter gaudij communis partem deriuaret: quibus etiam notat sapientissime, tunc Deum arctioribus sponsam Ecclesiam amplexibus sibi astringere, cum aduersis rerum euentibus illam appetit pariter: hortaturque, vt meritas Deo gratias soluat, & ad initam pacem conseruandam operam suam industriamque deriget.

Gregorius, &c.

Tandem magnificans Dominus facere nobiscum, magnificans Dominus facere cum illis, quare facti sumus lætantes, multorum, vt confidimus, orationibus inclinatus humiliauit cor principis, & ad matris gremium reuocauit, dum mediantibus principibus Alemanniæ tam ecclesiasticis quam secularibus, tractatu pacis præhabito, & ab vtraque parte communiter acceptato, idem ad mandatum Ecclesiæ rediens humiliter & deuote, absolutionis beneficium meruit obtinere; alias Dei & Ecclesiæ beneplacitis hilariter se offerendo. Vnde cum post nubilum gratius sit serenum, & gaudium acceptius post dolorem, mater Ecclesia in tanti receptione filij merito iucundata, gratias agit ei, qui non in turbine, nec in igne, sed in sibilo auræ tenuis apparere dignatus, pacem hominibus bonæ voluntatis reddidit salutarem. Verum quia commune pacis bonum gaudium debet esse commune, quod cunctorum desiderijs fuerat expetendum, celsitudinem regiam rogamus, monemus, & hortamur in Domino, quatenus magnificans Dominum ex corde nobiscum, suppliciter postules ab eodem, vt pacem continuet, & confirmet, aliaque conseruationi pacis cooperari modis, quibus poteris non desistas, ita quod propitiationem diuinã ex hoc vberius merearis, & nos sinceritatem tuam possimus merito commendare.]

b Lib. 3. p. 167.
Certiores facit Longob. Greg. remissas illis omnes iniurias a Frid.

14 Eodem argumento præfectis fœderatarum vrbium Insubriæ scripsit b, ipsosque hortatus est in fide Rom. Ecclesiæ perstarent, certi quam illi gratiam explicuissent, ab ea sibi relatum ac cumulatum iri. Ac ne illis suspicio aliqua oboriretur, ne Fridericus in ipsos assurgeret, quod cum Rom. Pontifice aduersus ipsum coijssent, captataque occasione bello ipsos opprimeret vel appeteret, cautionis ab ipso elicitæ tenorem ac iurisiurandi formam apostolico diplomate inseruit transmisitque, qua forma, vt superius narratum est, Imperator se deuinxerat, altissima obliuione omnium iniurias obruturum, nec vltionem aliquam ab ijs repetiturum: *Magnifica vestra deuotionis obsequia, quæ in personis, & rebus Ecclesiæ Romanæ impendistis tempore opportuno, iugiter præ oculis mentis habentes, eorum non possumus obliuisci, sed de retributione condigna & superabundanti non desinimus cogitare, debitores nos merito reputantes ad omnia, quæ vobis procurare possumus profutura. Absit enim, vt Ecclesia Romana ingratitudinis arguatur, quæ semper affluens gratia gratiosis merita supplicum consueuit præmijs largioribus superare.* Et infra: *Ecce ad maiorem cautelam tenores litterarum continentium cautionem vobis sub bulla nostra duximus destinandos, qui sunt tales: Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, Hierusalem & Siciliæ Rex. Per præsens scriptum notum facimus vniuersis, quod nos remittimus omnem offensam, & pœnam Theutonicis, Lombardis, Tuscis, & hominibus regni generaliter & Gallicis, & omnibus alijs, qui Ecclesiæ contra nos adhæserunt & per Thomasium comitem Acerrarum dilectum fidelem nostrum fecimus in anima nostra iurari, quod prædictos nullo tempore offendimus, vel faciemus offendi pro eo quod Rom. Ecclesiæ contra nos orta discordia astiterunt, & quod pacem Ecclesiæ, & eis obseruabimus. Remittimus etiam sententias, constitutiones, & banna, si quæ per nos, vel per alios lata, vel facta sunt occasione huiusmodi contra eos. Promittimus etiam quod terras Ecclesiæ in ducatu, vel marchia, seu alio patrimonio Ecclesiæ non inuademus nec deuastabimus per nos vel per alios, &c.*

Fridericus Pontificẽ Anagniæ inuisit.

15 At Fridericus quo accepti beneficij memorem ac gratum animum erga Pontificem explicaret, Anagniæ ad salubriores purioresque auras colligendas commorantem, pulcherrimo comitatu stipatus inuisit; quæ vitæ Gregorij auctor historiæ retulit: *Inter autumni primordia, præfatus Imperator ex insperato peruenit circa salam salientis aquæ fontem irriguum castrametatus magnifice, cum honorabili comitiua. In crastino autem ascendens Anagniam ad pedes venerandi Pontificis, reiecto pallio, veneranter accessit & osculo dato, aliquandiu moratus ibidem, in palatio maioris ecclesiæ noctis spatium pertransiuit. Sequenti vero die in eiusdem patris paterno palatio simul vterque princeps in vna mensa discubuit, principum & magnatum ibidem militia magnifice connescente, quo die per longos tractatus & publicos, per secreta familiaritatis alloquia votiue decurso, Cæsar ad tentoria rediens properauit in regnum.* Hæc vitæ scriptor: quibus similia Richardus a ac more suo tempus rei gestæ consignat his verbis: *Prima die septembris Cæsar inuitatus a Papa cum esset in castris in pede Anagniæ magnifice comitatus a Cardinalibus & nobilioribus ciuitatis intrauit Anagniam, & eo die cum Papa sedit in mensa, & solus cum solo, magistro tamen Theutonicorum præsente, in papali camera consilio longo se tenuere diu: ac die lunæ sequenti cum gratia Papæ & Cardinalium in castra reuersus est.* Ipse etiam Fridericus magnifice exceptum se animos arctissimo amoris vinculo in illo congressu coniunxisse, omnesque suspiciones depulisse gloriatur in his literis, quas ad præpotentem Regem, cuius nomen non exprimit, scripsit b, vt obtentæ absolutionis fœderisque initi lætitiam cum illo communicaret.

a Rich. de S. Germ. in chron. hoc ann.
Peramanter & honorifice excipitur.
b Extat apud Greg. l. 3. p. 166.

16 *Fridericus Dei gratia Romanorum Imp. semper Augustus, Hierusalem & Siciliæ Rex .... illustri Regi charissimo amico suo salutem & sinceræ dilectionis affectum.*

Lit. Frid. de inita cum Gregorio concordia.

Nouerit ita quod per illius gratiam, qui procellam conuertit in auram, & dissidentium mentes in vnam conciliat voluntatem, facto publice, ac solemniter, sicut a catholico principe fieri debuit, quod forma Ecclesiæ requirebat, vigesimo octauo præteriti mensis augusti per venerabiles viros Apostolicæ sedis legatos I. .... Sabinensem episcopum, & Thomam tit. S. Sabinæ presbyterum Card. præsentibus principibus & diuersarum gentium multitudine infinita, cum generali totius Christianitatis tripudio fuimus absoluti. Deinde, vt post absolutionem ex omni præsentia corporum, mentium serenitas gratius sequeretur; primo septembris Apostolicam sedem adiuimus & sanctissimum patrem dominum Gregorium Dei gratia summum Pontificem vidimus reuerenter. Qui affectione paterna nos recipiens, & pace cordium sacris osculis fœderata, tam beneuole, tam benigne propositum nobis suæ intentionis aperuit de ipsis, quæ præcesserant, nil omittens, & singula prosequens euidentis iudicio rationis, quod etsi nos præcedens causa commouerit, vel rancorem potuerit aliquem attulisse, sic beneuolentia, quam persensimus in eodem, omnem motum leniuit animi, & nostram amoto rancore serenauit adeo voluntatem, vt non velimus vlterius præterita memorari, quæ necessitas intulit, vt virtus ex necessitate prodiens operaretur gratiã ampliorem. Remisimus autẽ specialiter singulis, & generaliter vniuersis, qui contra nos olim sũmo Pontifici adhæserũt, & in ijs & alijs, quæ sibi grata fuerunt, apostolicæ condescendimus voluntati; habentes

eum

eum in omni reuerentia, qua sibi tanquam vnico, & vniuersali patri tenemur, & nos ei pro deuoto Ecclesiæ filio exhibentes in eo vinculo charitatis, quo Sacerdotium, & Imperium ad inuicem sunt coniuncta. Super quibus omnibus, quia vos cupimus nostrorum esse participem gaudiorum, dilectionem vestram plene certam fieri volumus & iucundam.]

a Stad. in chron. b Par. hist. Angl. c Stero in ann. apud Canis. ant. lect. to. 3. p. 260. d Godef. in annal. e Chr. Salisb. apud Can. to 6. ann. 1261. chr. Australe & August. & alij. f Greg. l. 4. ep. 71

17 Agunt de eadem confecta pace veteres scriptores, Albertus Stadensis a, Matthæus Parisius b, Henricus Stero c, Godefridus d, alijque e. Verum infixa Friderici animo odia breui recrudu ere: improborum enim hominum consilijs subornatus, in nonnullos imperio suo subditos, qui Pontificis partibus studuerant, violato sacraměto, euulsurum se e memoria omnem vindictæ cupiditatem, iras exercere cœpit. Quibus acceptis Pontifex, paterne ipsum admonuit f, ne ira clementiæ laudem labefactaret, animosque asperaret.

Gregorius, &c.

Non dubitamus quin aliqui corde peruersi, ab incentore malorum omnium nequiter instigati, mansuetudinem tuam frequenter attentent, suggerendo procaciter, vt iniuriam propriam immisericorditer prosequens, homines tuos de Fugia ciuitate, Casalinouo, S. Seuerino, & alios quosdam de Capitaneatu minus humane pertractes. Sicque saluti, & famæ tuæ, quarum se simulant dilectores, insidias peruicaciter machinentur, vt clementiam vertens, quod absit, in iram misericordem exasperes Redemptorem, qui misericordibus misericordiam impartitur, & contra te hominum ora laxentur murmurantium, & clamantium, quòd tam celebre festum pacis, tot votis hominum expetitum, tam cito in luctum vertitur, & lamentum multis tumultuantibus, & dicentibus: Hæccine duo magna luminaria conuenerunt, vt multos tenebris doloris inuoluerent & horroris, & qui hominibus præsunt, vt prosint, in tribulatione consentiunt subditorum. Quare dolore confodimur in occulto, & rubore confundimur in aperto, nisi decidant a cogitationibus suis consiliorum salubrium peruersores, te illos secundum impietatum ipsorum multitudinem expellente. *Et infra*: Imperialem celsitudinem rogamus, monemus, & hortamur in domino, adiurantes per dominum Iesum Christum, qui præfert misericordiam holocaustis, quatenus prudenter attendens, quod melior est patiens viro forti, & per patientiam viri doctrina cognoscitur, misericordia, cui cæteræ virtutes humiliter obsequuntur, te permittas salubriter superari, cum nunquam alias felicius valeas triumphare; dimittensque debitoribus tuis ex corde, illum, cui omnia debes, tibi constituas meritò debitorem; & tam nostro, quàm tuo pudori prouide consulens, nos tibi reddas ex hoc specialiter obligatos: qui si secus, quod dominus auertat, ageres, non possemus nos non reputare confusos, quia non deessent, qui nobis fiduciam, quam de te concepimus, mordaciter exprobrarent. *Dat. Anagniæ id. octob. pont. nostri anno IV.*]

Placare illis Frider. nititur Greg.

18 His Anagniæ peractis Gregorius Romam remigrauit, ingentique Romani populi lætitia exceptus est, qua de re eius gestorum scriptor: *Summus autem Pontifex propinqua iam hyeme ad vrbem rediit, a Romano populo congaudente susceptus*. Consentit Richardus, qui mense nouembri a senatore reuocatum ait; additque vitæ auctor: *Tunc in Lateranensi palatio domos construxit altissimas, & palatium nobile pauperum vsibus deputatum: Romanis beneficia grandia elargitur*. Ad id quoque tempus pertinere videntur, quæ idem auctor hisce verbis tradit: *Tunc in basilica duodecim Apostolorum Principis in maioris* * *parte vestibuli parietem altitudine prægrandi erectum vestiuit lapide deaurato nobilium imaginum decore distinctum, campanam miræ magnitudinis concessit eidem, quæ cæteras vrbis & vastitate corporis, & boatu sonoritatis excedit, &c.* In Vrbe igitur cum ageret Gregorius, ad eum Fridericus per nuntium literas de fideiussoris Imperij principibus supra commemoratis dedit; at cum nonnulla in ijs desiderarentur, Pontifex promulgandas non duxit, ipsumque apostolicis literis docuit a, quæ expungenda, quæue addenda forent.

Redit in vrbem Pontifex.

Amplificat Later. palatium.

* porta vestibuli S. Petri basilicam ornat.

a Lib. 4. ep. 76.

19 Parem constantiam Gregorius in defendendis Ecclesiæ iuribus æque aduersum cæteros, ac Fridericum explicuit. Lucanos enim, qui Carsagnanam pontificiæ ditionis inuaserant, ac plura admiserant scelera, coercere studuit, datisque eo argumento ad Pisanum archiepiscopum grauissimis literis b episcopalem ijs sedem ademturum est comminatus; quam pœnam sequenti anno inflixit c Vrbeueranis vallis lacus dominium Ecclesiæ restituere imperauit d: Florentinos etiam ad se quatuor oratores mittere iussit e, cum quibus de redintegranda pace ageret, tum episcopo Beluacensi sedis Apostolicæ studiosissimo, Piceno & Perusino ducatui administrando præfecit f. Cui insuper atque episcopo Tudertino g imperauit, in clericorum vitia animaduerterent, ac præsertim impuros, & solutiores eorum mores comprimerent: quibus consentanea patriarchæ Gradensi, eiusque suffraganeis imposuit h.

b lib ep 50 c Lib. 5. ep. 4. d Lib. 4. ep. 83. e lib. ep 75 Vrbeuetanos vallis lacus dominium restituere iussit f Greg. l. 4. ep. 64. g lib. ep. 89 90.

Excreuerant quoque, vt refert Richardus, in Neapolitani regni clero densissimi vitiorum vepres, ad quos euellendos opera pontificia conuersa encyclicas ad præsules literas i dedit, quibus eos in emendandis sacerdotum moribus incumbere, ne praua eorum exempla in populos emanarent, atque in libidinum cœno iacere, vel in domibus mulieres seruare, e quarum contubernio pudicitiæ periculum crearetur, permitterent iussit; seque in illos, qui intra tres menses ea vitia non euulsissent, iustæ seueritatis aculeos exerturum est comminatus.

Emendati cleri solutiores mores. h lib. ep. 65. i Extant apud Rich in chron. hoc ann.

Venerabilibus in Christo fratribus archiepiscopis, & episcopis, per regnum Siciliæ constitutis, &c.

Si cauendum est vobis, ne sanguis subditorum de vestris manibus requiratur, clericorum culpas, quæ periculosæ sunt propter officij dignitatem, non debetis relinquere incorrectas, horum enim quanto est gradus altior, tanto grauior casus existit, & excessus ipsorum vehementer in exemplum extenditur, dum in excusationem illorum dicitur: *Sufficit discipulo, si sit sicut magister eius*; sicque per eos facientes delinquere populum, nomen Domini blasphematur, cum non soleant facere, qui sequuntur, nisi quod eos, qui præcedunt, viderint facientes.

Præsules cæteris exemplo prælucere debent.

20 Licet autem corrigendi sint omnes clericorum excessus, & mores eorum & actus in melius reformandi, specialius est tamen in eis incontinentiæ vitium exprobrandum, cum non deceat per immundos sancta tractari, & fœdatos libidine mensæ Domini ministrare; vnde Abimelech sacerdos Dauid legitur respondisse, se ad manus panes laicos non habere, sed solummodo panem sanctum, quem mundis pueris maxime a mulieribus obtulit manducandum. Vt igitur iudicium de domo Domini prodeat, præsentium vobis auctoritate mandamus, & in virtute obedientiæ districte præcipimus, quatenus vsque ad tres menses, clericorum vestrorum tam incontinentiæ vitium, quàm excessus alios corrigentes, præsertim super cohabitatione mulierum, eos diligenter, & sollicite corrigere studeatis, taliter circa vos ipsos inuigilare cupientes, quod commendatione magis, quàm correctione dignum in vobis valeat inueniri. Alioquin si qui vestrum, quod non credimus, præcepti nostri fuerint contemptores, ex tunc infra mensem responsuri nobis de contemptu personaliter ad sedem Apostolicam accedere non postponant, attentius præcauentes, ne in commisso vobis negotio, quæ sunt vestra, sed quæ Iesu Christi procuretis, si proprium

Frænanda maxime in clericis incontinentia.

vulris

vultis periculum euitare. Cæterum vos archiepiscopi contra prælatos vestræ prouinciæ, & alios qui sunt infecti vitio simoniæ, cum tales Dominus facto flagello de testiculis de templo eiecisse legatur, ac eos, qui vltramontanos sine commendatitijs literis episcorum suorum ausi sunt ad ordines promouere, ac eos, qui dicuntur incontinentiæ vitio laborare, inquiratis solicite veritatem, & quod inueneritis, nobis infra prædictum tempus rescribere procuretis, vt per vestram relationem instructi procedamus, prout viderimus expedire. *Dat. Anagniæ v. kal. nouemb. pontif. nostri anno* IV.] Scribit etiam Richardus, lapsis post duobus annis, Gregorium studia sua iterum ad cleri emendandos mores impuritate inquinatos conuertisse, & inquiri ab archiepiscopis in episcopos, atque ab his in sacerdotes iussisse, si caste viuerent, & a se mulierum consortia remouissent.

Minoritas ad virtutes sectandas excitat.

a ib. ep. 18 Asseritur etiam a Vvading. in Annal. Minor.

21 Vt in vitiorum fæce a clero expurganda incubuit Gregorius, ita religiosos viros ad altiorem sanctitatis apicem euehere ac perpolire virtutibus studuit. quo argumento Minoritis, qui ordinis comitia habebant Assisij, datæ literæ a, in quibus illud dignissimum memoria, nimirum certiorem se factum de mortuo in Germania a D. Francisco ad vitam nuper reuocato ait: tum ad eius sectanda vestigia hortatur, indulgentiarumque præmia ijs proponit, qui celebrandæ D. Francisci reliquiarum translationi interfuissent: *Grates, & laudes, quas possumus, referimus Redemptori, qui B. Franciscum patrem nostrum, & vestrum, forte antea nostrum, quam omnium vestrum, adhuc in carne viuentem, insignibus præueniens muneribus gratiarum tanta nunc eum cum ipso regnantem clarificat gloria, quod præter alias virtutes magnificat, nuper Theutonia, ipsius sancti celebri nomine inuocato, mortuum mirifice suscitauit, sicut nobis est solemniter intimatum. Vnde nos in eiusdem sancti magis, ac magis pio amore succensi, totis affectibus in ipsius laudibus delectamur, sperantes vt quos in seculo extra seculum viuens tota mente dilexit, eo nos nunc charius amplexatus, quo illum, qui est vera charitas vicinius intuetur, pro nobis intercedere non desistat, & vos, quos idem in Christo regenerauit in abundantia diuitiarum altissimæ paupertatis reliquit hæredes, gerentes in intimis visceribus charitatis ad profectum ordinis vestri aspiramus ardenter, proposita nobis spe, quod vestrarum orationum suffragijs nostrarum tolerantia passionum proueniet nobis in salutem. Verum vt patrem laudabiliter imitantes peruenire mereamini, quo peruenit, &c.* Grauissimis monitis ipsos vrget, vt se virtutum omnium genere excolant, vt vita Christi in ipsis coruscet, atque efflorescat.

Reliquiarum D. Franc. translatio.

22 Ad augendum D. Francisci cultum Gregorius supremo Minoritarum ministro, alijsque eius familiæ religiosis viris transferendi augustiore apparatu sacri pignoris prouinciam demandarat; sed Assisinatium prætor alijque magistratus præpostera pietate abrepti eò prorupere audaciæ, vt gestandi sacri corporis debitum sacerdotibus munus inuaderent. Quod factum Pontifex damnauit admodum, ac Perusino & Spoletano episcopis imperauit b, vt Assisinates censuris ferirent, ni errati veniam supplices flagitarent: *Ipsi*, Assisinates nimirum, *non attendentes innumera bona, quæ ciuitati eorum, quin etiam vniuersis & singulis exinde poterant prouenire, omnia perturbarunt, omnia confuderunt in animarum suarum periculum, famæ dispendium, & iacturam etiam temporalem. Sciunt siquidem quod nos sanctissimum corpus confessoris prædicti pio amore venerabiliter amplexantes, translationem eius dilectis filijs generali ministro, & quibusdam alijs fratribus ordinis Minorum viris religiosis & timoratis, tanquam vicarijs nostris commisimus confidenter, cum nonnisi auctoritate Apostolicæ sedis esset translatio facienda, ibique illam concessimus indulgentiam, quæ concedi limina beatorum Petri & Pauli visitantibus consueuit. Sed ipsi vesano spiritu concitati, non attendentes quod sacra mysteria non nisi a sacris sunt tractanda ministris, prædictum corpus ausu sacrilego rapientes in superbia & tumultu translationis mysterium damnabiliter prophanarunt, non passi a fratribus prædicto sancto venerationem debitam exhiberi. O quæ insania ipsos taliter fascinauit, vt sacerdotale sibi officium vsurpantes, rem acutnam Deo contrectarent inuito! Nonne sciunt, quod Oza inclinata arca Domini manum apponens a Domino percussus interijt, qui videbatur vtcumque verisimiliter excusandus, quia ne arca caderet inclinata manum apposuit adiutricem? Nonne audierunt, quod Ozias ingressus templum Domini, quia super altare thymiamatis incensum voluit adolere, percussus est lepra, vt perfecte detur intelligi, quod contrectatio diuinorum est laicis penitus interdicta? Nonne possunt ex simili culpa pœnas similes formidare, &c.* Subijcit eam ecclesiam, in quam sacræ reliquiæ translatæ fuerant, ecclesiastico interdicto, ac locum a Minoritis deseri iubet, donec temerarium facinus ab Assisinatibus expiatum sit: at si in peruicacia perstiterint, magistratus anathemate ditionemque circumiectam interdicto percelli ab episcopis imperat. *Dat. Later. XVI. kalend. iulij pontif. nostri anno* IV. Post hæc summus Pontifex a Minoritis de nonnullis circa regulam exortis dubijs consultus, illa prolixiori epistola a declarauit.

b Greg. l. 4. ep. 39.

Assisinates magistratus sacro oneri succollāt. Arguūtur a Gregorio in eo sacerdotū muneri se ingessisse.

Defigi cēsuris iubet donec facinus expiarint.

a ib. ep. 73

Excitat Dominicanos ad inferendum septētrion. infidelibus euangeliū.

23 Vt vero in Italia Pontificem ad stabiliendam Minorum regularem disciplinam studium operamque defixisse vidimus, non minorem in Germania ad Dominicanorum inflammandum zelum diligentiam attulit, vt Christianam religionem circumferrent, submotasque illas ad septentrionem Prutenorum nationes, dæmonū cultu irretitas in Dei filiorum libertarem assererent. Ea vero gens adeo impiæ superstitioni mancipata erat, vt Christianis sæuissimas cladea, atque iniurias imprimerent. vtque negotium tanti ponderis ac dignitatis vrgeret, literas tum memoratis Dominicanis b ad incendendam illorum pietatem, tum finitimis illi genti populis misit c, quo opem suam ad id perficiendum adhiberent:

b Greg. l. 4. ep. 62. c ib. ep. 61

Vniuersis Christi fidelibus per Magdeburgensem, & Bremensem prouincias, Poloniam, Pomerāniam, Morauiam, Surāniam, Holsatiam, & Gothlandiam constitutis.

Ex literis dilecti filij nobilis viri ducis Mazoniæ intelleximus, quod pagani Pruteni nomen Christi, quem ignorant, ad cuius cognitionem venire nolunt, exterminare tanquam prophanum de suis finibus per exterminium Christianorum ibidem existentium intendentes, ipsos vehementer impugnant destruentes terram eorum, qui resistere præ paucitate non possunt, & personas etiam miserabiliter trucidantes. Et licet idem dux ordinem fratrum hospitalis S. Mariæ Theutonicorum in terram suam ad Christianorum auxilium introduxerit, & cum ipsius ordinis fratribus ibi existentibus Deus misericorditer operetur, conterendo per eos mirabiliter sui nominis inimicos; quia tamen ad tam arduum negotium sufficere per se nequeunt, & egent fidelium subsidijs adiuuari, vniuersitatem vestram monemus & hortamur, & per omnipotentem Deum obsecramus in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus ad nimiam charitatem, qua Christus vos dilexit, & diligit, respectum habentes, & ei retribuentes aliquid pro omnibus, quæ retribuit ipse vobis, in quos tanquam viros Christianos & catholicos cadere opprobria exprobrantium sibi debent, potenter & viriliter accingamini, tanquam zelum Dei habentes ad vindicandam iniuriam sui nominis, & ad liberandum proximum de manibus paganorum, profecturi, & acturi secundum fratrum consilia prædictorum, ita quod & vobis præmium debeatur æternum, & infi-

Pruteni gentiles in Christianos grassātur.

Ad frenādam eorū barbariē fideles subleuati.

deles non possint, quod impune Christi nomen impugnauerint, gloriari. *Dat. Anagniæ id. sept. pontif. nostri anno IV.*]

a Lib 3. ep. 111.

b Lib. 4. ep. 63.

Cruciferi equites a Mazouiæ duce in auxilium exciti.

24 Hortatus a etiam est fratres domus S. Mariæ Theutonicorũ, vt vires suas, industriamq; conferrent ad Prutenorum tyrannidem compescendã, qui fideles grauioribus malis opprimerent. denique alijs literis ad ipsos datis b, Mazouiæ ducem laudibus extulit, Prædicatorum familiæ alumnos in ditionem suã exciuisse, quo grassantes Prutenos coercerent. Conradum ducẽ Mazouiæ, cuius ditio Prutenis adiacebat, maximis damnis a barbaris illis affectum, auxilio septẽ fratres cruciferos Theutonicæ domus ordinis S. Sepulchri Hierosolymitani adsciuisse, quorũ Hermannus Balchæ de Saleza primicerius & magister erat, docet Dlugoschus c; in castro Dobrzin, vnde ducto nomine fratres Dobrzinenses appellati, ipsos primum collocasse; postea vero Nieschon oppidum cum nonnullis locis ijsdem elargitum: cumque illis opem ferentibus, ingentem Prutenorum cædem in acie edidisset, terras Chelmensem & Lubaniæ de episcoporum principumque consilio ijsdem equitibus attribuisse. Hæc dum pluribus enarrat auctor, eiusmodi donationem, vtpote Poloniæ rei magnum detrimentum afferentem deplorat, dictos crucigeros occupandis postea alijs Poloniæ locis semper inhiasse. Insertum est ducale diploma literis Gregorij IX. Romani Pontificis d, cuius exemplum adducendum ex parte putaui.

c Dlugosch. hist. Pol. ann. 1230

Ob præclara facinora edita bonis amplissimis aucti.

d Greg. IX l. 8. ep. 289

Conradi de ea re diploma.

25 *Ego Conradus diuina miseratione dux Mazouiæ & Cuiauiæ cunctis præsentibus & futuris præsens scriptum inspecturis notum esse volo, quod cum Pruteni, & alij Christiani nominis inimici magnam partem terrarum mearum ipsis adiacentium, deprædationibus, incendijs tam ecclesiarum quam aliorum locorum, interfectionibus, & captiuationibus virorum, mulierum, & paruulorum, peccatis hominum, qui altissimum in vanitatibus suis irritauerant, exigentibus, miserabiliter diuina permissione vastauerint, eorumque, qui Christum oderunt semper ascendens superbia inualuerit adeo, vt nec adhuc ipsum in membris eius persequi cessent aut desistant; non solum res, immo magis ipsum sanguinem fidelium, inter infinitas, & horrendas auditu & dictu abusiones, quas in contumeliam exercent creatoris sitientes; sperans per viros religiosos manum Domini, quæ nos tetigit, & flagellum suæ indignationis placari, eiusque fauente gratia, qui suis adesse consueuit, per Christi milites, quorum spes, virtus, & gloria Deus est, brachium fortitudinis Sarracenorum contercendum, salutis animæ meæ, ac meorum æternæque retributionis intuitu, ac ob defensionem fidelium in Polonia, vxore mea Agafra, filijsque meis Balezlauo, Kazimiro, Semouito expresse de bona & spontanea voluntate consentientibus, accedente quoque consilio, & consensu episcoporum, magnatum, ac maiorum terræ meæ; dedi & contuli hospitali S. Mariæ domus Theutonicorum, & fratribus eiusdem domus totum, & ex integro Chelmense territorium cum omnibus suis attinentijs ab eo loco, vbi Drauuanza egreditur terminos Prussiæ & per descensum eiusdem fluminis vsque in Vvizlam, & in descensu Vvizlæ vsque ad Osam, & per ascensum Osæ vsque ad terminos Prussiæ in veram & perpetuam proprietatem possidendum pleno iure cum omni libertate, fructu, & vtilitate, &c.*

e Ib. ep. 290

Extat etiam apostolicum diploma e ad religiosum equestrem Theutonicorum ordinem exaratum, quo huiusmodi donationi auctoritatem suam adiecit, ac dictorum locorum patrocinium arripuit: insuperque scriptis ad Conradum ducem literis liberalem illius largitionem plurimum commendauit f.

f ibid. ep. 219.

26 Rogatus præterea Pontifex, vt beatum Virgilium episcopum olim Salisburgensem miraculis clarum sanctorum catalogo ascriberet, episcopo Brixianensi ac nonnullis Cisterciensis familiæ abbatibus Patauiensis diœcesis veritatis admirabilium rerum diuinitus illius beneficio editarum, inquirendæ munus imposuit a, eaque diligenter discussa literis suis facerent certiorem. *Gratias agimus gratiarum omnium largitori, quod sicut venerabilis frater noster Salzeburgensis archiepiscopus exposuit coram nobis, tanta Dominus sanctæ memoriæ Virgilium Salzeburgensem archiepiscopum præueniit, & prosecutus est gratia, quod cum iam a septingentis annis obierit, nunc diebus his ad dandam scientiam primæ stolæ immortalitatis ipsius sepulchrum eius tot, & tantis det coruscare miraculis, quod eius inter alios sanctos non inuocari suffragia sit indignum.* Et infra: *Discretionem vestram, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, rogamus, & monemus attente per apostolica scripta mandantes, quatenus de miraculis sancti prædicti plenissime inquirentes, rescribatis nobis super ijs fideliter, veritateque cognita procedimus, &c. Dat. Anagniæ III. id. septemb. pont. nostri anno IV.*

a Greg. ... ep. 58.

De B. Virgilij ep. Salisb. miraculis instituta quæstio.

27 Eodem anno Liupuldus Austriæ dux initæ ab Friderico cum Ecclesia pacis & concordiæ interpres, vti ex supra recitatis monumentis vidimus, testanturque veteres scriptores b, excessit e vita, de quo hæc inter alios Richardus c: *Liupuldus dux Austriæ & Stiriæ die dominico in festo sanctorum Nazarij & Celsi apud S. Germanum naturali morte defecit, cuius ossa delata sunt more Theutonico in Theutoniam & caro apud Cassinum cum honorificentia tumulata.* Hæc auctor, cui Godefridus e alijq; consentiunt. Tunc etiam extremum tradunt d obijsse diem Siffridum archiepiscopum Maguntinum e, in eiusque locum subrogatum alterum Siffridum ex fratre nepotem: præterea Hermannum f dominum de Lippia archiep. Bremensis fratrem, dum Stedingorum insolentiam manu reprimere nititur, solum in primo congressu cæsum, moxque fidelium exercitum dissolutum. de Stedingorum impietate atque insania agetur postea cum Alberto Stadensi. g

Liupoldi ducis Austriæ mors

b Stero apud Canis. antiq. lect. to. 1. pag. 260. &c.

c Ric. de S. Germ. in chr.

e Godef. in annal. hoc ann. chro. Austr. hoc ann.

d De eccl. sui... extrau... l. 3. tit. 6. c. 1.

e Stero vbi sup. Chro. Austr.

Conrad. ep. in chron.

Siffrid l. 2.

f Stad. in chron. hoc anno.

Stedingor. hæresis emerge.

g Stad. in chro. anno 1234.

28 Hoc interim spatio ea admiranda contigere, quæ de Bertholdo ad feliciorem vitæ normam ab S. Elisabeth Regina Vngarorum perducto in monumenta contulit Theodoricus Thuringius h: *Venit ad eam aliquando matrona nobilis Gertrudis de Leindbach visitandi gratia, et cum ea adolescens quidam Bertholdus nomine seculariter indutus, quem seculi contemptrix Elisabeth ad se vocans, dixit illi: Videris nimis indiscrete te habere: & quare non seruis creatori tuo? Respondit iuuenis: O domina mea, supplico vobis, vt oretis pro me, vt Dominus det mihi gratiam suam seruiendi ei. at illa: Vellesne, ait, quod ego orarem pro te? Et ille: Vellem vtique. Et ipsa inquit: Oportet, vt te ad gratiam Dei habilites, similiter orando; & ego pro te libenter orabo. Moxque prouolutis genibus in loco competenti monasterij in Verde, vbi tunc erat, cœpit orare pro iuuene; ipseque iuuenis alta voce clamare dicens: O domina cessate ab oratione. at illa instabat feruentius. Postmodum iuuenis altius vociferari cœpit dicens: O domina cessate ab oratione, quia iam deficio. Nimio namque calore accensus iuuenis sudabat & fumabat, & brachia totumque corpus huc & illuc tanquam demens iactabat. Tunc dominæ ipsius seruientes, & duæ beatæ Elizabeth ancillæ accurrentes tenuerunt eum, & inuenerunt eum totum incaluisse vestesque nimio sudore madidas, sæpius autem iterans clamorem, tandem dixit: In nomine Domini oro, vt cessetis ab oratione, quia iam igne consumor. & quæ tenebant eum, vix calorem manibus poterant tolerare: mox autem, vt cessauit oratio, refrigeratus est. Accidit itaque hoc mirum anno ante mortem Dei famulæ, & iuuenis ad ordinem fratrum Minorum se transtulit sic attractus. Contigit hoc frequentius & alijs, pro quibus ipsa Dominum exorabat. Discite quo charitatis ardore feruebat, quæ calore suo fluxum secularis concupiscentiæ siccat, & ad amorem æternitatis inflammat.*

Bertoldus a B. Elizabetha ad vitam sanctiorem traductus.

h Theod. Tur. vit. S. Elis. apud Canis. ant. lect. t. 5. p. 203.

29 Sub hoc etiam tempus nauauit Pontifex operam,

tam, vt quæ in Gallijs emendanda corrigeret. quocirca fœneratores opera episcopi Tornacensis cōprimendos curauit a: nonnullos clericos, qui litigatorum actiones emebant, coercuit b: tum eorum sordidissimam cupiditatem auaritiamque repressit, qui non sine magno sedis Apostolicæ contemptu ac dedecore, impetraras ab ea literas atque indulgentias ad pecunias comparandas diuendebant. Prætereà Massilienses, qui ad Ecclesiæ obsequium redierant, in Apostolicæ sedis clientelam admisit, annuumq; censū imposuit c, cuius rei in libro censuum d mentio expressa est hisce verbis: *In episcopatu Massiliensi communitas Massiliensis debet annis singulis Ecclesiæ Rom. Cobol. Mass. & facta est censualis anno quarto D. Gregorij Papæ noni.* Quanto vero præsidio apostolicum patrocinium esse soleret, experta est hoc anno Gallia, quæ cum intestino bello laboraret, studio Gregorij sustentata est. Is enim recrudescente primum malo, episcopo Carnotensi prouinciam dedit e proceres Francos, qui defectionem ab Rege moliri videbantur, comprimeret; & si turbas aliquas cieret, apostolica fultus auctoritate refrænaret.

Auaritia in clericis castigata. a Greg. l. 3. ep. 106. b Ibid. ep. 107. Massilienses ad soluendum sedi Ap. censum se obligant. c lib. ep. 1. d Lib. cens. M.S. Vatic. Intestinū in Gallijs bellum recrudescit. e Greg. l. 4. ep. 4.

Gregorius, &c.

Etsi iuxta verbum Prophetæ constituti super gentes & regna, simus omnibus in iustitia debitores, vt magnum iudicemus vt paruum; quia tamen ex iniunctæ nobis officio seruitutis, patres orphanorum esse tenemur & iudices viduarum, quatenus tanto ijs fauorabilius assistamus, quanto insufficientior est fortunæ propriæ fortitudo, eo quod multi sunt ad nocendum talibus proniores, qui promptiores esse debuerant ad iuuandum, ne charissimus in Christo filius noster Rex Francorum illustris decedente inclytæ memoriæ patre suo in seruitio Iesu Christi videretur gubernationis solatijs destitutus, ipsum, Reginam, filios, regnum, & omnia bona sua sub B. Petri, & nostra protectione suscepimus speciali, reputantes hoc sibi iuste deberi, quia prædecessores sui merito deuotionis & fidei, quam erga Deum & Ecclesiam habuisse noscuntur, laudabiliter meruere. Vt autem protectionis nostræ munimen eo efficacius, quo vicinius sibi adsit, intellecto quod quamplures magnates, & alij regni prædicti, quid liceat, deceat, vel expediat minime attendentes, Regem, regnum, & Reginam, & liberos eius varijs molestijs turbare præsumūt, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus prædictas personas & regnum contra protectionis nostræ tenorem non permittatis a prædictis molestatoribus aliquatenus perturbari (imponit ijs episcopis prouinciam, vt proceres discordiæ incentores censuris designent) *Dat. Later. IV. non. april. pontif. nostri anno IV.*]

Illi sspiro do incōbit Greg. Iubet auctores discordiæ suris deuinciri.

30 Adducta sane in discrimen grauissimum Francia videbatur, ni Deus sanctum Regem sua prouidentia texisset. De bello periculosissimo diminitus extincto hæc Bernardus f: *Anno Domini MCCXXX. Theobaldus comes Campaniæ, item comes Britanniæ, item comes Marchiæ & Raymundus vltimus comes Tolosæ cum Rege Angliæ contra S. Ludouicum Regem Franciæ conuenerunt, sed agente Deo pij Regis viribus sunt repulsi.* Addit auctor coacto præsulum concilio Clarinum Carcassonæ episcopum missum ad pontificiam aulam, obtinuisse, vt legatus sedis Apostolicæ ad componendas res daretur, eamq; prouinciam Tornacensi episcopo commissam fuisse. tum de legato subdit: *Cum venisset, conuenit comitem Tolosanum Raymundum vltimum super illis articulis emendandis, qui dicebantur contra pacem nuper factam Parisijs esse commissi, vnde fuit dies assignata apud Castrum nouum in ecclesia Petra Alba omnibus, qui causas haberent conquerendi, vt scriptis comiti traderentur; ipse enim promisit, quantum in ipso erat, omnia emendare.* hæc Bernardus. Retusis igitur Raymundi qui rebellionem mouerat aliorumque hostium conatibus, habitum colloquium scribit Parisius, in quo pax contracta; sancitumque, vt Campaniæ comes diffidij illius præcipua fax ad Hierosolymitanam peregrinationem se cōferret, vt cum centum equitibus contra hostes crucifixi dimicaret. At Rex Reginaque mater sacramento solemni sese obstrinxere, singulis iura sua seruaturos, iustitiamque ex veterum cōsuetudinum ratione administraturos. addit idem auctor Anglorum Regem, comparato ingenti exercitu, traiectoque in Britanniam ad petendum bello Francum sese accinxisse, eiusque aduentus, ac bellici apparatus fama excitum Francorum Regem, coactis copijs, eius impetus elusisse, adeo vt summa vi pecuniarum effusa absumptaque, nulla alia re præclare gesta Angliam repetierit. Hic vero cursim Parisij vesania refellenda est, qui canino more principum summorum famam rodere solitus, crimine impudicitiæ Blancham Reginam omnium probatissimorum auctorum consensu pijssimam aspersit, ac infamis cum comite Campano, & legato pontificio consuetudinis accusauit, iactosque a rebellibus falsos rumores, vt colore aliquo suam perduellionem obnerent, vt veros hausit.

Qui in sanctum Regē coitionem fecerunt. f Ber. chr. Rom. Pont. Tornac. episcopus creatus in Gall. Narb. legatus ademē dāda quæ aduersus rem catho licam erāt patrata. Henric. Anglorū Rex transfretat in Britanniam. Propulsatur a D. Lud. Refellitur calumnia Parisij in ea in regināam Blancam.

31 Reliquum iam est, vt quemadmodum anno superiori fuimus polliciti, sermonem de victorijs aduersus Christiani nominis hostes in Hispania diuinitus relatis sermonem instituamus. Eas in historiam exactissime contulit Lucas Tudensis a antiquus auctor & veritatis studiosissimus: *Adephonsus Rex Legionensis obsedit ciuitatem Emeritam, & cepit eam. Erat tunc temporis quidam barbarus insignis nomine Abenfustan, qui expulit Almafadas ab Hispania, & factus est Rex barbarorum. Hic a suis vocabatur Rex virtutis. congregato magno exercitu Maurorum innumerabili, venit pugnaturus cum Adephonso Rege Legionensi, qui erat ei obuiam cum paucis. Sed Rex Adephonsus, vt erat fortis & animosus, fecit exercitum suū dimicaturum contra Sarracenos, flumen Guadiana transire. fixerant Sarraceni tentoria cuncta castrorum a longe, & viderunt primo mane nostrorum acies paratas ad bellum, & ipsi ordinauerunt acies suas ad praelium parantes. Fuit Dominus cum Rege Adephonso, & populo Christiano, & in congressione ipsius belli tanta Sarracenorum millia prostrata sunt, quod multa barbarorum oppida remanserunt vacua, omnibus habitantibus eorum extinctis. in ipso bello Abenfustan Rex barbarorum fuit grauiter vulneratus. Tunc Rex Adephonsus e victoria reuersus obsedit Badalocium, & post paucos dies cepit ipsum. Dimiserant Sarraceni Eluas, & castra alia plura, se fuga committentes, qua Christiani populauerunt, cum vacua reperissent. Reuersus est Rex Adephonsus cum multis spolijs, & victoria magna, laudans Deum & beatum Iacobum, qui sibi de inimicis dedit tam nobiliter triumphare: siquidem in ipso bello visibiliter apparuit B. Iacobus cum multitudine militum albatorum, qui Sarracenos in manu valida prosternebant. Beatus etiam confessor Isidorus quibusdam apparuit Ternore antequam Emerita caperetur & bellum fieret, & dixit eis se ad auxilium Adephonsi Regis cum sanctorum exercitu properare, & quod sibi dictam traderet ciuitatem & de Sarracenis praberet campalem triumphum.*

Hispani Reges Sarracenos bello petunt. a Luc. Tud chro. Hisp. Io. Marian l. 12. c. 13. & alij. Emerita ab Alfonso Rege Legion. capitur. Abēfustan Sarr. Rex prælio vincitur. Badalociū expugnatur. SS. Iacob. & Isidorus pugnasse in hāc hostes creduntur.

32 Interea dum Rex pia ac fortia contra barbaros consilia agitaret, reportatis de illis triumphis decorus, onustusque palmis, e viuis, vt ait Tudensis, sublatus est: *Rex autem Adephonsus multam victualium, & bellici apparatus copiam præparauit, vt statim reuerteretur ad euertendas vrbes & oppida barbarorum; sed cum causa orationis ad ecclesiam sedis sancti Iacobi Apostoli properaret, in Galicia in loco, qui dicitur Villa noua Deiemos, granuiter ægrotauit, & accepta ab episcopis pœnitentia, & corporis & sanguinis Dei Sacramento morte pretiosa decessit, & in ecclesia B. Iacobi Apostoli iux-*

Regis Alfonsi mors.

iuxta patrem suum est honorifice tumulatus. * *Rex regnum feliciter quadraginta duobus annis, obijt æra* 1268. is est annus Christi MCCXXX. in quem etiam Rodericus ea tempestate archiepiscopus Toletanus, ipsius Adelphonsi obitum alijque contulere. a

* tenuit

a Ioan. Marian. l. 12. c. 15.

Fernandus Rex Castel. paterno Legionis regno succedit.

33 Subijcit etiam Tudensis, perlato eius mortis nuntio Fernandum filium, qui bellum cum Mauris gerebat, Legionem ad paternum sceptrum suscipiendum prouolasse, atque interea Gallos & Astures aliosque seditionem mouisse; ac miraculum egregium recenset, in Didaco viro prænobili editum, qui cum praua in Fernandum consilia molitus, turrim atque ecclesiam S. Isidori occupasset, mox adeo graui ægritudine implicitus est, vt oculi emicare foras, & ex orbibus suis erupturi ingenti dolore viderentur, ausique facinoris pœnitentem pristinæ valetudini restitutum: *Erat tunc in ipsa ciuitate, die & nocte, continua vox belli, & tribulatio & angustia magna, sed misericordia Dei non defuit; & prædictus Didacus ægritudine valida est* *, *ita vt ipsi Belileo nescio quis clamaret, quod B. Isidorus ad auxilium regis Fernandi volebat ipsum militem interficere, eo quod occupauerat turrem & ecclesiam eius. Præterea a capite dicti militis oculi auelli, & a concauitate sua egredi videbantur, non sine magno dolore, vnde compulsus, cum se videret tam grauissime vexari, consilio Sanctia comitissæ venerabilis matris suæ, abbati & conuentui ipsius monasterij turrem, & ecclesiam restituit, & damna, quæ illis intulerat, integrauit, dato super sancta Dei euangelia iuramento, quod de cætero esset miles & vassallus B. Isidori confessoris, illico sanitati restitutus est, & statim cum suis de ciuitate egressus. Episcopus autem Rodericus et ciues gaudentes in Domino, quod etiam sancti pro Fernando pugnabant, miserunt nuntios illi, vt veniret cito.* Redintegrata etiam Regem inter eiusque sorores Sanctiam & Dulciam post multas dissensiones concordiæ fœdera, quæ Pontifex auctoritate apostolica firmauit atque ad ipsas dato diplomate b stabiliuit. Reliqua porro Fernandi insignia facinora complectitur Tudensis, inter quæ Vbeda capta ac Xerel, Rex Abenhut Mahometanus fusus & fugatus; reportata opima spolia, castrum S. Stephani, aliaque expugnata loca; ac regnum Berengariæ matris opera pulcherrime compositum, celebrantur.

Didacus in eum rebellat.

Punitur diuinitus.

* corre-ptus

B. Isidoro seruituté vouet. Sanatur eius opera

b Greg. l. 4. ep. 161.

Insignia Regis Fernan. facinora.

34 Perlatis ad Apostolicam sedem de Sarraceis profligatis lætis nuntijs, Gregorius gratulatorias scripsit ad eos literas c, qui in regno Legionensi crucesignatorum militiæ iam ante nomen dedissent, essentue daturi; cunctos rogare hortarique atque obsecrare, vt vel sese ad bellum illud accingerent, vel suis fortunis bellicum apparatum iuuarent; ijs amplissimam culparum indulgentiam se impartitum: *Gaudemus in Domino, et in eius laudibus delectamur, quod in partibus Hispaniæ, prosequens causam suam, fugauit, et fugat a facie fidelium Sarracenos, vt cultus diuini nominis amplietur, et semen Ecclesiæ gentes hæreditet, et desertas inhabitet ciuitates. Verum quia necesse est in partibus illis quasi iugem continuare succursum ad retinendas terras nouiter acquisitas, et alias acquirendas, vt exercitatio in eo sit causa salutis æternæ, vniuersitatem vestram rogamus, monemus et hortamur in Domino adiurantes per dominum Iesum Christum, quatenus illuc in personis et rebus modis quibus poteritis vniuersi et singuli succurratis, etc.* Laturis opem indulgentiarum præmia pollicetur. *Dat. Anagn. 2. kal. nouemb. pont. nostri anno* IV.

c Lib. 4. ep. 80.

Lætæ Greg. lit. de partis ab Hisp. victorijs.

Ad ferenda illis auxilia fideles excitantur.

35 Ad instaorandum etiam in ijs regionibus veræ religionis cultum, quas Mahumetica superstitio tandiu infecerat, Gregorius Compostellano archiepiscopo prouinciam demandauit d, Emeritæ ac Badalocio vrbibus ab Alfonso Rege ex Sarracenica tyrannide ereptis, (vt ex Tudensi & Godefrido vidimus, quæ olim sede episcopali insignitæ fuerant, episcopos præficeret, & sacra canonicorum collegia ad diuinas laudes decantandas institueret: quo argumento hæc ad ipsum scripsit: *Ne in partibus illis Ecclesia inordinata remaneat, cum vbi non est gubernator, populus facile corruat, instituendi hac vice canonicos, et ordinandi episcopos in ecclesijs Emeritæ, et Badalos quondam ciuitatum, auctoritate tibi præsentium concedimus facultatem; salua in posterum capitulis ecclesiarum eligendi, vel postulandi secundum instituta canonica potestate. Dat. Anagniæ* IV. *kal. nouemb. pontif. nostri ann.* IV. Ac similis argumenti epistolas ad eundem archiepiscopum dedit. a

Episcopi Emeritæ & Badalocio impositi.

d Lib. 4. ep. 85.

a Ib. ep. 86 87.

36 Per idem tempus aduersus Sarracenos Aragonum Rex bello certabat, ipsisque Maioricam eripuerat a, ac nuper ab Romano Pontifice postularat, vti ecclesiam cathedralem ibi erigeret. Gregorius regijs votis respondere paratus cum esset, facultates prius ab eo dotis omnino eidem ecclesiæ attribuendas decreuit b, quibus episcopus & canonici sustentari possent:

Maiorica a Iacobo Rege Sarracenis erepta.

a God. ubi sup. Ioan. Marian. l. 11. c. 14.

b Greg. l. 4 ep. 92.

Postulat Arag. Rex episcopalé sedem in ea collocari.

Ex parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, vt in Maioricana ciuitate, quam Dominus per tuum, & aliorũ suorum fidelium ministerium ad cultum Christiani nominis reuocauit institueremus ecclesiã cathedralem, in ea episcopum ordinantes verum cum cathedralis ecclesia magnifice sit dotanda, vt episcopus, & capitulum exinde honorifice sustententur, eo quod alias facile ibi vilesceret episcopalis titulus dignitatis; quia de dote ipsius nobis non constitit, tuæ petitionis effectum prouidimus differendum. Quocirca serenitatem regiam rogamus, monemus, & hortamur in Domino, quatenus in ciuitate prædicta ecclesiam ita dotare studeas, & ditare, quod postulationibus tuis super hoc assensu hilari concurrere debeamus. Dat. Later. XIII. *kal. ianuar. pontif. nostri anno* IV.

37 De excitata Maioricana sede, deque Balearium expugnatione agit pluribus Surita c, qui Sarracenum Regem captum, eiusque filium Christiana sacra suscepisse, increbuisseque D. Georgij virtute insulæ principem vrbem expugnatam, atque in ipsa irruptione candido cultu ac splendidissimo fulgentem barbaros hostes obterere, ac primum omnium in vrbem penetrare visum scribit, additque pridie kal. ianuar. huius anni expugnatam fuisse, cui Mariana d in eo ac Bernardus e consentiunt, quorum postremus rem in chronico Romanorum Pontificum ita consignat: *Eodem anno,* nimirum MCCXXIX. *in festo S. Syluestri Iacobus Rex Aragonum cepit Maioricam, ibique mortuus fuit in bello Guillelmus de monte Cathano pater Gastonis de Bearno.* Cæterum vt parta de infidelibus insula a Christianis retineretur, Pontifex literis fideles plurium prouinciarum solicitauit, vt eò ad incolendas terras, ac nouas armis comparandas se conferrent, atque sedes ibi posituris, laturisue contra Mauros auxilia indulgentiarum præmia proposuit: quo argumento ad Ebredunensem archiepiscopum ac suffraganeos missæ literæ g, vt populum pro sacra concione blande illuc pellicerent.

Petiit Gregorius se ecclesiam dotari.

c Surita in Iacob. Rege l. 3. c. 8. 9.

d Io. Marian. de reb. Hisp. l. 12. c. 14.

e Ber. chr. Rom. Pon. an. 1229.

g Ib. ep. 90

IESV CHRISTI
Annus 1231.

GREGORII PP. IX. annus 5. FRIDERICI II. IMP. 12. BALDVINI II. IMP. 3.

1 ANno Saluatoris millesimo ducentesimo vigesimo primo quarta indictione Gregorius Pontifex maximus ad contractam anno superiore cum Friderico Imp. pacem firmius stabiliendam, hæreticos, qui prauarum opinionum virus pluribus afflarant, profligandos, impiosque nonnullorum, qui libertatem ecclesiasticam opprimere pertentarant,

cona-

Exacti fideiussores a Frid. ad illius fidẽ astringendam.

conatus coercendos, denique ad vinciendam Friderici fluxam fidem, quemadmodum in tractatu pacis inito conuentum erat, fideiussores, qui sacramento solemni partes Ecclesiæ aduersus Imperatorem, si is a promissis resiliret, amplexuros se obstringerent, exegit; eoque argumento ad episcopum Ratisponensem imperialis sigilli præfectum literas misit, quibus plurium Germaniæ, atque Italiæ principum, tum nonnullarum Insubriæ, Hetruriæ, ac Flaminiæ ciuitatum nomina expressit, vt sedis Apostolicæ causæ securitati cauerent: qua etiam de re ad Fridericum scripsit a (a Greg. l. 5 ep. 98.) octo iam menses effluxisse, intra quorum sese euoluentium spatium fideiussores ex initæ pacis legibus dare tenebatur: nolle se quidem, vt ea res ipsi damno verteretur; verumtamen monere, vt promissa quantocyus in opus perduceret.

Templarij ab ipso exagitati.

2 Contendit etiam Gregorius a Friderico, vti Templarios & Hospitalarios, quos iterum bonis exspoliauerat, exagitare desineret, receptisque in gratiam pristina bona restitueret; quibus literis, vt ipsum ad clementiam informaret, flecteretque, eleganti oratione, quanto ea principi ornamento sit, edocuit b (b Ib. ep. 87.): *Mansuetudo, pietas, & clementia, veluti tres sorores decoræ, nobiles, & insignes dilectores suos feliciter dirigentes, eos Deo placitos, & hominibus efficiunt gratiosos: quas vtique principes eo debent sectari libentius, amplexari desiderabilius, & instantius venerari, quò materia opportunior, facultas commodior, & paratior potentia ipsis est præsto dictis sororibus efficaciter obsequendi. vnde quod ad earum amorem te precibus, monitis, & exhortationibus inuitamus, nouit Altissimus, ex fide pura, conscientia bona, & charitate sincera procedit, qua cupimus, vt secundum vtrumque hominem in Domino prosperéris, &c.* Cumulat preces, vt in Templarios atque Hospitalarios beneuolentiã imperialem explicet. quo argumento datis alijs Rhegiensi episcopo literis institit c (c Lib. 4. ep. 114.), vt Fridericum ad recipiendos in gratiã religiosos illos equites adduceret. principem quoque Pontifex hortatus est, ne regni Neapolitani subditos, qui a causa Ecclesiæ stetissent, in Syriam traijcere compelleret, ne in exilium eos agere videretur; neue d (d Lib. 5. ep. 76.) molestiam Longobardis crearet.

Suscepta a Greg. illorum causa. Quæ virtutes principi maximo ornamento sint.

3 Quemadmodũ vero Insubres cõmendauit Friderico, vt ab eorum iniuria sibi tẽperaret, ita ipsos grauissime monuit, vti sua Friderico præstarent officia; atq; a Vercellensi, & Brixiensi episc. ex concepta initæ cum Imperatore pacis formula sacramento adigi iussit e (e Ib. ep. 2.). Iisdem etiam episcopis, atque electo Mantuano prouinciam dedit, vt cum Fridericus conuentum habere cum filio ac Germaniæ principibus flagitaret, Longobardis suaderent, ne Germanos arcerent aditu in Italiam, quo facto sancitum fœdus violare viderentur: *Ex parte Imperatoris eiusdem nostris est nuper auribus intimatum, quod idem intendit habere generale colloquium cum nobili viro nato suo alijsque principibus Alemanniæ in partibus Lombardiæ, promittens nostro consilio se vsurum, nihilque facturum, quod in derogationem pacis existat, Ecclesiam, vel eiusdem societatis homines offendendo, exhibiturus possibilem, & honestam de securitate hominibus societatis prædictæ præstanda, quam eidem consuluerimus, cautionem.*

Meditatur Frid. inire cum filio colloquium.

4 *Nolentes igitur vllam dari cuiquã materiam malignãdi, discretioni vestræ per apostolica scripta mãdamus, quatenus, conuenientes in vnum dilectos filios rectores societatis ipsius super cautione prædicta, & alijs tractatu cum eis præhabito diligenter monere, ac inducere procuretis, ne quod eidem ad hoc impedimentum patiantur opponi; sed dictum nobilem, & alios ad eius propter hos præsentiam venientes libere, ac tanquam viros pacificos per Lombardiam transire tam eundo, quàm redeundo permittant, ita quod nullam sustineant iniuriam, vel offensam, prouiso, ne si eius colloquium per ipsos contra nostrum consilium contingerit minus prouide impediri*

Mouetur Longob. ne ipsum Germanosq; aditu arceant in Italiam.

pacis negotium videatur per eos, & quoad eos quasi studiose dissolui. Quia vero dictus Imperator proponit accelerare colloquium, mandatum nostrum curetis adimplere celeriter, tamen caute, cum hæc omnia velimus esse secreta, nobis cito, & fideliter rescripturi, quidquid super hoc inueneritis apud eos. vt insinuatione vestra suscepta possimus negotio prouidere, sicut fuerit prouidendum. Dat. Reate v. kal. oct. pont. nostri anno v. Hæc Pontifex, qui ad Insubriæ præfectos apostolicas literas a (a Ib. ep. 38) misit, vt habito concilio proposita ab episcopis audirent, iisque pro sua sapientia responderent. Nec leuis metus aberat, ne bellum in Longobardia recrudesceret, ac Fridericus excitis e Germania viribus succinctus auctusque Insubres captata occasione opprimeret; ad quod discutiendum periculum summa solicitudine Gregorius tuendæ Insubrum libertati incubuit.

5 Nec egregia modò erga Insubres, quorum armis ad retundendos Friderici impetus fultus fuerat; verum crudelissimum etiam hostem, a quo atrociter lacessitus, ac læsus in eo bello fuerat, est beneuolentia prosecutus. Memor enim se illius locum in terris tenere, cuius celebris est sententia: *Benefacite his, qui oderunt vos*, Raynaldum Conradi olim ducis filium, qui in Friderici odia incurrerat, in illius gratiam restituere conatus est. Extant enim eius literæ b (b Ib. ep. 80.), quibus ad sedandas Imperatoris iras admonet, vt Dauidis exemplo clementia erga Conradum vteretur: *Non ignorat imperialis excellentia, quod nobilis vir Raynaldus natus claræ memoriæ Conradi ducis Spoletani nos ex industria multipliciter prouocauit, inæstimabilia damna, & atrocissimas iniurias Ecclesiæ Rom. audaci superbia inferendo, & multos, non sine manifesta contumelia Creatoris, immaniter tribulando. Vnde si secundum iniquitates ipsius retribuere vellemus eidem, nequaquam in angustia sibi compassionis exhiberemus affectum, intercedendo pro eo, sed illius pœnas conniuenti oculo transiremus. Verum quia illius sumus, licet indigne, vicarij cõstituti, qui verbo docuit, & instruxit exemplo, vt pro persequentibus, & calumniãtibus nos oremus, & misericordia plurimum indigentes frustra peteremus nobis Dominum misereri, nisi miseraremur miserias miserorum; ecce remisso illi rancore, saluis tamen omnibus, in quibus Ecclesia Rom. tenetur, cuius iura nequaquam negligere nos oportet, ne a Domino negligi mereamur, celsitudinem tuam rogamus, monemus, & hortamur in Domino, quatenus memor quod misericordes misericordiam consequentur, & quo quisque est maior, magis est placabilis ira illius obtentu, qui præfert misericordiam holocaustis; nostri quoque interuentu, qui & honori tuo, & illius statui salubriter consulere affectamus; Dauid exemplo, qui quantò apud homines maior erat, tantò se propensius humilians, apud Deum misericordiæ operibus assueuit; clementiæ tuæ ianuam ei aperire digneris, vt parcendo maxime, ac miserando tuam potentiam manifestans, mansuetudinem tuam Deo gratam, & hominibus reddas acceptam; nosque serenitatem tuam dignis debeamus prosequi actionibus gratiarum. Datum Reate VII. id. iun. pontificatus nostri anno quinto.*

Causa ob quam Raynald. vinculis traditus est.

6 Affert Richardus c (c Rich. in chron. hoc anno.) causam, ob quam Raynaldus exulcerauit Imperatoris animum, iustasque eius iras in se asperauit; nimirum in Imperiale ærarium grassatum esse, nec rationem reddere, aut fideiussorem dare potuisse, quare in carcerem coniectum bonisque omnibus exutum fuisse. Quo viso ipsius frater Bertoldus in arcem Introducum se recepit: verum anno 1233. Imperator, vt arcem recuperaret, Raynaldum firmo satellitio cinctum adduci Introducum iussit, quò fratrem ad deditionem faciendam compelleret, quam Messanensis archiep. opera factam ait; ex quibus patet diuturno carcere Raynaldum maceratum fuisse. Hic altissima Dei consilia

mirari possumus, qui Raynaldum Friderici olim in Ecclesijs excindendis, ijsque, qui maiori studio Rom. Ecclesiam prosequerentur, exquisitissimis supplicijs discruciandis paratissimum se satellitem, vti supra recensitum est, præbuerat, in ipsius postea Friderici iram incurrisse, & ad Pontificem, quem atrocissimis iniurijs affecerat, confugere coactum, vt principis exasperatos aduersus ipsum animos deliniret.

Iusta numinis in Raynaldū vltio.

7 Cum priores preces Raynaldo in gratiam Imperatoris reuocando non suffecissent, alijs epistolis a durius ipsius pectus inflectere ad misericordiam pertentauit: *Cum teneamur pro persequentibus, & calumniantibus nos orare, satis affectuose te nuper nostris literis rogauimus, & monuimus confidenter, vt prædicto R. . . . veniam largireris, iure tamen Apostolicæ sedis saluo, quod sine periculo negligere non possemus; verum quia possent homines cogitare, quia ideo motus et principaliter contra eum, quia nos taliter prouocarat, possentque aliqui opinari, quod ipsius afflictio beneplacita nobis esset, & sic primum tacito murmure, ac deinde clamoso tumultu inueherentur contra nos facile detractores, quod causam dederimus eius pœnæ, nos etiam quasi prosequentes proprium interesse, cum si, quod absit, corporaliter læderetur, maius nobis improperium immineret, quam quod idem nobis intulit Ecclesiam persequendo, imperialem celsitudinem rogamus affectuosius, & monemus attentius pro speciali gratia postulantes, quatenus ei ne amplius irascaris, sed in ira misericordiæ recordatus, nobis & tibi parcens, miserearis ipsius, ita quod ex hoc propitiationem diuinam vberius merearis, &c. Dat. Reate v. id. iul. pont. nostri anno v.*

Vrget repetitis lit. Greg. Fridericum vt Raynaldo ignoscat.
a lib. ep. 93. 95.

8 Ceterum Fridericus apud sedem Apostolicam grauiter questus est, Esculanos Romanæ Ecclesiæ vectigales nonnulla eius regni beneficiaria funda occupasse, aliaque excidio dedisse; postulauitque vti effrænatos illorum impetus cohiberet. At Gregorius alias contra querelas detulit b iuri dicundo ab ipso præfectos longe grauiora damna Ecclesiæ obnoxijs impressisse, quæ licet a suis tentata non crederet, se tamen episcopo Beluacensi Piceni præfecto ad eius damna resarcienda prouinciam contulisse. Quod vero de Esculanis incidit mentio, prætereundum non videtur summum Pontificem Esculanum comitatum hoc anno Marcellino vrbis illius episcopo imposito certo censu pontificio ærario annis singulis inferendo administrandum tradidisse, pontificiæ ea de re literæ extant in Vaticano codice, qui liber censuum inscribitur: *Ecclesiam Esculanam tanquam sedis Apostolicæ filiam specialem, & personam tuam nobis fide notam & deuotione probatam speciali gratia prosequentes, comitatum Esculanum cum iurisdictione, ac iuribus, redditibus, & pertinentijs omnibus ad Ecclesiam Rom. spectantibus, & specialiter potestatem ibidem creandi tabelliones tibi sub annuo censu centum librarum Vulteranensis monetæ in festo B. Michaelis cameræ nostræ soluendo, quamdiu nobis placuerit, committimus Ecclesiæ Romanæ nomine fideliter gubernandum. Dat. Reat. non. nouemb. pont. nostri anno v.*

b Lib. 4. ep. 126.
Esculanus comitatus ep. vectigalis traditus a Greg.
Quæ leges impositæ.

9. Vt in augendis locupletandisque ecclesijs munificum se præstitit, ita in defendendis illarum iuribus reprimendisq; illorum conatibus, qui ea labefactarēt, acerrimum vindicem præbuit. Cum enim Fridericus iniquiores leges ecclesiasticis iussisset, mox excitatus zelo Gregorius Capuanum archiepisc. qui improbarum ferendarum legum auctor extiterat, perstrinxit c Imperatoremque, vt eas rescinderet, oratione grauissima est adhortatus d: *Intelleximus siquidem quod vel proprio motu, vel seductus inconsultis consilijs peruersorum, nouas edere constitutiones intendis, ex quibus necessario sequitur, vt dicaris Ecclesiæ persecutor, & obrutor publicæ libertatis, sicq; tibi contrarius contra te tuis viribus moliaris.* Et infra: *Sane si ad id ex te forte moueris, timemus multum * de gratia tibi esse subtractum, dum sic patenter famam propriam negligis & salutem: si vero impulsus ab alijs, miramur, quod talibus consiliarijs acquiescis, qui spiritu vexati nequitiæ te intendunt Deo, & hominibus constituere inimicum, vt taceamus alia, potius silentio intelligenda quam verbo: quæ vtinam a te tacite intellecta fortius in auribus cordis sonent, quatenus quieti tuæ, ac famæ nostræ prouide consulens, vtrumque ab increpationibus populi serues immunem. Cum enim montes pacem susceperint, cur pauperes populi debent esse pacis expertes, vt in pace amaritudo amarissima sit eorum? Aut quis posset indurato corde vlulatus, quos quodammodo præuidemus, tot flentium obaudire? &c. Dat. Reate iii. non. iul. pont. nostri anno v.*

Leges iniquiores clericis a Frid. leges.
c Lib. 5. ep. 91.
d Lib. 5. ep. 91.
Iubentur a Pōtifice reuocari.
*Dei gratiā tibi esse subtractam

10 Asperarunt hæc monita Friderici animum, qui blandissimis assentatorum lenocinijs assuetus, quasi grauior iniuria, proposito ob oculos ipsius vitio inflicta esset, excanduit, acerbiusque de seueritate pontificia expostulauit. Quibus ad Gregorium perlatis, tanquam pius pater exulceratum eius animum lenioribus verbis pacare ac permulcere studuit a: instruxitque, vt asperiora amantissimi patris monita mollissimis adulatorum blanditijs præferre deberet.

Apostolicis monitis exulceratur Imp.
a Lib. 5. ep. 100.
Placare illum studet Greg.

Friderico ill. Romanorum Imp. semper Augusto, & Regi Siciliæ.

Intelleximus quod ex literis, quas nuper imperiali celsitudini destinauimus, motus vtcumque fuisti, quia plus amaritudinis, quām dulcedinis sapere videbantur. Cæterum cum iuxta sapientis edictum, melius sit arguere quam irasci, eò quod via vitæ sit increpatio disciplinæ, de paternæ dilectionis sincero processit affectu, quòd horribilium, vt a plurimis dicebantur, subito auditu perculsi filium minus leniter duximus arguendum, ne mel videremur in sacrificio adolere. Sed nec filio fuit ægre ferendum, quia pater filium, quem diligit corripit, & Dominus quos amat arguit, & castigat, eò quòd meliora sunt diligentis verbera, quam oscula odientis. Et si quidem extiterit aspera increpatio, non fuit publica, sed priuata; non clamosis vocibus, sed literis expressa secretis, quæ vix vnquam ad scribentis affectum sufficiunt exprimendum. Vt igitur omnia inter nos fiant in omnimoda puritate, serenitatem tuam rogamus, & monemus in Domino, quatenus omni omnino suspicione deposita, quod id processerit nisi de meræ spiritu charitatis, de nobis in veritate confidens, voluntatem tuam nobis incunctanter exponas, quoties videris expedire, qui ad profectus tuos irrequisiti etiam libenter intendimus cum affectu. *Dat. Reate vi. kal. aug. pont. nostri anno v.*]

11 Cumque insuper Fridericus questus esset, summum Pontificem inter cæteros honorum titulos, quibus ornari soleret, Regis Hierosolymitani insigne nomen in literis suis prætermisisse, respondit Gregorius b id non factum ad imminuendum ipsius honorem, quem augere potius, & amplificare cuperet; sed alias ob causas, quæ ipsi a Rheginensi archiepiscopo aperiri potuissent. Tum hortatur Terram sanctam tueatur, excindat hæreticos, populos iuste moderetur, ablata bona Templarijs, atque Hospitalarijs restituat, eosque regia beneuolentia complectatur.

Queritur Frid. Reg. Hier. nomen a Gregorio lit. prætermissum.
b lib. ep. 114

Friderico illustri Romanorum Imp. semper Augusto, Hierusalem, & Siciliæ Regi.

Quod de tribus insignibus titulis, quibus te Dominus insigniuit, in literis, quas imperiali celsitudini destinauimus, medius hactenus non est scriptus, nequaquam ex minori affectione processit, quia nec ex hoc derogare tuo intendebamus honori, cui deferre potius affectamus; sed causæ rationabiles affuere, quas venerabilis frater noster Rheginus archiep. & dilectus filius magister domus S. Mariæ Theutonicorum Hierosolymitanæ tibi depromere potuerunt. Verum sperantes in illo, qui dans virtutes præmia clar-

Quid responderit Pontifex.

elargitur, sua tantum dona in homine coronando, vt quò pluribus dignitatum nominibus fueris appellatus, eò te studeas his reddere digniorem, ecce tacitum hactenus Hierosolymitanum titulum, clarum vtique ac decorum, hilari scribimus nouitate.

Egregia ad Frid. exhortatio vt dignum principe virtutes sectetur.

12 Vt igitur aucta moneta gratiarum tibi augeant gloriam præmiorum, serenitatem tuam affectuose rogamus, & monemus, attente obsecrantes per Dominum Iesum Christum, quatenus potentiam, & sapientiam a Domino recognoscens, benignitati sedulus assuescas, vt secutus indiuisæ opera Trinitatis, per potentiam conterens molas iniqui, auferas de faucibus eius prædam, subijciendo tibi barbaras nationes, per quas humani generis inimicus impugnans hactenus immaniter Terram sanctam, prædatus est multipliciter Ecclesiam generalem; hæreticosque disperdas, qui velut venenata reptilia insidiantur animabus simplicium incessanter, vt fortitudinem tuam Deo reddas, & hominibus commendandam. Per sapientiam quoque te cupimus subiectos tibi populos prospere gubernare, vt nullo errore deceptus iustitiam diligas, quæ se dirigens diligentes directos prouehit in salutem. Per benignitatem vero det tibi Dominus, vt sis mœrentium consolator, & specialiter regnum Siciliæ habitantium, qui longis temporibus valde tribulati, nisi spe rediuiua respirent, fere coguntur præ angustia desperare. Vt autem signatum in idem conueniat cum signante, cum Hierusalem visio pacis dicatur, pacis haberi te volumus sectatorem, vt fideles tui sedeant in pulchritudine pacis, & requie opulenta; nec non Ecclesia, & personæ ecclesiasticæ plena libertate gauisæ tranquilla securitate lætentur, &c. *Dat. Reate 11. id. august. pontific. nostri anno v.*]

Serpit hæresis in pluribus Italiæ locis.

Insignis ad eam extinguendam Greg. diligentia.

13 Excitauit ideo in his literis Fridericum Gregorius, ad excindendos hæreticos potentiam imperialem exerere, cum Patarenorum luem grassatam latius eompertum esset: non enim modò Insubriam, & citeriorem Siciliam infecerat, sed ipsum quoque puritatis catholicæ domicilium, Romam videlicet contaminare aggressa erat. Ad quam delendam Pontifex legum seueritatem distrinxit, vt vitæ illius scriptor testatur: *Annibaldo regente senatum quia in Vrbe propter pastoris absentiam ille contagiosus morbus hæreticæ prauitatis irrepserat, vt occulto meatu proficiens, iam publica nocumenta monstraret; inquisitione præhabita diligenti, ante portas maioris basilicæ Virginis gloriosæ, senatore & populo Romano præsentibus, multos presbyteros, clericos, & vtriusque sexus laicos huiusmodi lepra conspersos, tum testibus, tum propria confessione damnauit; presbyteros ipsos, & clericos sacris indutos, & demum spectante populo vniuersos vestibus spoliatos sententia perpetuæ depositionis subijciens.*

Patareni plures Romæ a Greg. publice damnati.

Hæc auctor; de quibus dum loquitur Richardus, addit ad eiusmodi pestem depellendam ferrum ignemque adhibitum, ac rei gestæ tempus consignat his verbis: *Eodem mense*, februario nimirum, *nonnulli Patarenorum in Vrbe inuenti sunt; quorum alij sunt igne cremati, cum inconuertibiles essent, alij donec pœniteant, sunt ad Cassinensem ecclesiam, & apud Cauas directi.*

Pertinaciss. flammis necati.

Lex in hæret. a Greg. leges.

14 Ne recrudesceret in posterum malum, ac fidei catholicæ puritatem corrumperet, tulit Gregorius nouas leges aduersus perditissimos homines, atque anathematis fulmine percussit, siue illi Patareni, Cathari, pauperes e Lugduno, aliove infelici nomine notarentur; sanxitque, vt cum ab Ecclesiæ damnati essent, raperentur ad tribunalia iudicis, vt meritis pœnis afficerentur: qui vero clericatu essent insigniti, ea prius dignitate exuerentur. Cæterum si in scelere deprehensos flagitij pœniteret, perpetuis vinculis ad illud expiandum addicerentur, cuius exordium Gregorianis canonibus insertum est a, atque incipit: *Excommunicamus, & anathematizamus vniuersos hæreticos.* Et infra hæc adiecit, quæ non extant in citato canone.

a Cap. excommunicamus de hæret.

Item receptatores, defensores, & fautores hæreticorum excommunicationis sententia decernimus subiacere, firmiter statuentes, vt si postquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus, a sua super hoc non curauerit præsumptione cessare, ipso iure sit factus infamis, nec ad publica officia seu consilia, nec ad eligendos aliquos ad huiusmodi, nec ad testimonium admittatur: sit etiam intestabilis, vt nec testamenti habeat factionem, nec ad hæreditatis successionem accedat. Nullus præterea ipsi super quocunque negotio, sed ipse alijs respondere cogatur. Quod si forte iudex extiterit, eius sententia nullam obtineant firmitatem, nec causa aliqua ad eius audientiam perferantur: si fuerit aduocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur: si tabellio, instrumenta confecta per ipsum nullius penitus sint momenti, sed cum auctore damnato damnentur, & in similibus idem præcipimus obseruari: si vero clericus fuerit, ab omni officio, & beneficio deponatur. Si qui autem tales postquam ab Ecclesia fuerint deuitati, euitare contempserint, excommunicationis sententia percellantur, aliàs animaduersione debita puniendi. Qui autem inuenti fuerint sola suspicione notabiles, nisi iuxta considerationem suspicionis, qualitatemque personæ propriam innocentiam congrua purgatione monstrauerint, anathematis gladio feriantur, & vsque ad satisfactionem condignam ab omnibus euitentur; ita quod si per annum in excommunicatione perstiterint, ex tunc velut hæretici condemnentur: proclamationes, aut appellationes huiusmodi personarum minime audiantur.

Aduersus illorum etiam studiosos.

15 *Item iudices, & aduocati, & notarij nulli eorum officium suum impendant, alioquin eodem officio perpetuo sint priuati. Item clerici non exhibeant huiusmodi pestilentibus ecclesiastica sacramenta, nec eleemosynas, aut oblationes eorum accipiant; similiter Hospitalarij, & Templarij, ac quilibet regulares, alioquin suo priuentur officio, ad quod nunquam restituantur absque indulto sedis Apostolicæ speciali. Item quicunque tales præsumpserint ecclesiasticæ tradere sepulturæ, vsque ad satisfactionem idoneam excommunicationis sententiæ se nouerint subiacere, nec absolutionis beneficium mereantur, nisi proprijs manibus publice extumulent, & projiciant huiusmodi corpora damnatorum; & locus ille perpetuo careat sepultura.*

Præfecti publicis muneribus ijs deturbandi si ea lue aspersi fuerint.

Item firmiter inhibemus, ne cuiquam laicæ personæ liceat publice, vel priuatim de fide catholica disputare. Qui vero contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur. Item si qui hæreticos sciuerit, vel aliquos occulta conuenticula celebrantes, seu a communi conuersatione fidelium & moribus dissidentes, eos studeat indicare confessori suo, vel alij, per quem credat ad prælati sui notitiam peruenire; alioquin excommunicationis sententia percellatur. Filij autem hæreticorum, receptatorum, defensorum eorum vsque ad secundam generationem ad nullum ecclesiasticum beneficium, seu officium admittantur. Quod si secus actum fuerit, decernimus irritum, & inane.

16 Imitati Pontificis zelum senatus populusque Romanus seueras leges contra huiusmodi hæreticos condidere, quas ad commendandum illorum in tuenda fide studium afferendas ducimus.

Senat. Populusque Rom. exemplo Greg. insectatur hæreticos.

Capitula Annibaldi senatoris, et populi Romani edita contra Patarenos omnes.

Hæretici in Vrbe, videlicet Cathari, Patareni, Pauperes de Lugduno, Passagini, Iosephini, Arnaldistæ, Speronistæ, & alij quinscunque hæresis nomine censeantur, credentes, receptatores, fautores, & defensores eorum in Vrbe singulis annis a senatore, quando regiminis sui præstiterit iuramentum perpetuò, diffidentur. Item hæreticos, qui fuerint in Vrbe reperti, præsertim per inquisitores ab Ecclesia datos, vel alios viros catholicos, senator capere teneatur, & captos etiam detinere,

Seueræ leges ab ijs promulgatæ.

post-

postquam fuerint per Ecclesiam coudemnati, infra octo dies animaduersione debita puniendos. Bona vero ipsorum omnia infra eundem terminum publicentur; ita quod de ipsis vnam partem percipiant qui eos reuelauerint, & ij qui eos ceperint, senator alteram, & tertia murorum Vrbis refectionibus deputetur.

Item, vt ibi fiat receptaculum sordium, vbi fuit latibulum perfidorum, domus illorum, in qua hæreticorum aliquem ausu temerario aliqui in Vrbe præsumpserint receptare, nullo reficienda tempore funditus diruatur: hoc idem de domibus illorum Vrbis, qui manus impositionem receperint ab hæreticis, similiter obseruetur.

Item in Vrbe circa credentes hæreticorum erroribus, postquam fuerint per Ecclesiam denotati, præmissa omnia obseruentur.

Item quicunque de Vrbe sciuerit hæreticos in Vrbe, & non reuelauerit, viginti librarum pœna mulctetur, & si soluendo non fuerit, diffidetur; nec relaxetur diffidatio, nisi digna satisfactione præmissa.

17 *Item receptatores scienter, siue defensores, seu fautores hæreticorum Vrbis tertia bonorum suorum parte mulctentur, quæ murorum Vrbis refectionibus deputetur. Quod si vel hoc modo puniti rursus in similem fuerint culpam prolapsi, de Vrbe penitus expellantur, nec vnquam reuertentur ad illam, nisi digna satisfactione præmissa. Huiusmodi autem personæ in Vrbe minime audiantur, nec quisquam eos in qualibet causa respondere cogatur: sed ipsi cogantur alijs respondere. Iudices autem, aduocati, & scriniarij nulli eorum suum impendant officium, vel ad aliquem actum legitimum, seu commune consilium assumatur, & qui talem scienter elegerit, tanquam hæreticorum fautor prædicta pœna mulctetur.*

Quando senator exhibet iuramentum.

Senator in capessenda republi ca ad perseq. hær. sacramento obligadus.

Senator quando præstat sui regiminis iuramentum, iurabit quod hæc omnia, & singula in Vrbe tempore regiminis sui seruabit, & pro viribus faciet obseruari, ac teneatur facere iurare præmissa omnia successorem. Quod si non iurauerit, pro senatore nullatenus habeatur, & quæ fecerit, nullam habeant firmitatem, & nullus teneatur sequi eum, etiamsi de sequendo ipsum præstiterit iuramentum. Quod si prædicta seruare contempserit, præter notam periurij pœnam ducentarum marcharum incurrat, murorum Vrbis refectionibus applicandam, nec de cætero ad aliquam dignitatem, vel officium publicum assumatur: ad quam pœnam iudices S. Martinæ ipsum condemnare teneantur, & hoc in capitulario iudicum prædictorum ponatur, & nullo tempore exinde deleatur. Omnes autem prædictæ pœnæ neque per concionem, neque per concilium, neque ad vocem populi vllo modo, aut ingenio aliquo tempore valeant relaxari.

Transmittuntur eæ leges Longobardis.

a ib. ep. 119.

18 Conditas a se, ac senatu Romano Gregorius huiusmodi leges Mediolanensi archiepiscopo, ac suffraganeis transmisit a, vt pari zelo in impios homines consurgerent. Insubriam enim maxime contaminarat hæresis, cui alendæ nimia libertas non parum fauerat. Ad quam comprimendam Fridericus non sine magna laude, eius criminis conuictos imperiali edicto flammis tradi, vel si ad aliorum terrorem vitæ reseruandi viderentur, linguis, quibus blasphemia euomuissent, amputari iussit. Cuius edicti acerbi, sed iustissimi, exemplum in regesto pontificio b ita iacet.

Fridericus vetera in hær. edicta renouat.

b Lib. 4. ep. 103.

Fredericus, &c. Magdeburgensi archiep. comiti Romaniolæ, & totius Lombardiæ legato dilecto principi suo gratiam suam, & omne bonum.

Cum ad conseruandum pariter, & fouendum ecclesiasticæ tranquillitatis statum ex commisso nobis Imperij regimine defensores simus a Domino constituti, non absque iusta cordis admiratione percepimus, quod hostilis inualeat hæresis, proh pudor! in partibus Lombardiæ, quæ plures inficiat. *Et infra*: Eritne igitur dissimulandum a nobis, aut sic negligenter agemus, vt contra Christum, & fidem catholicam ore blasphemo insultent impij, & nos sub silentio transeamus? Certe ingratitudinis, & negligentiæ nos arguet Dominus, qui contra inimicos suæ fidei nobis gladium materialem indulsit, & plenitudinem contulit potestatis. Quapropter in exterminium, & vindictam actorum sceleris tam nefandi, complicum, & sequacium hæreticæ prauitatis, quocunque nomine censeantur, vtriusque iuris auctoritate muniti, dignos motus nostri animi exercentes, præsenti edictali constitutione nostra in tota Lombardia inuiolabiliter de cætero valitura duximus sanciendum, vt quicunque per ciuitatis antistitem, vel diœcesanum, in qua degit; post condignam examinationem fuerit de hæresi manifeste conuictus, & hæreticus iudicatus, per potestatem, consilium, & catholicos viros ciuitatis, & diœcesis earundem, ad requisitionem antistitis illicò capiatur, auctoritate nostra ignis iudicio concremandus, vt vel vltricibus flammis pereat, aut si miserabili vitæ ad coercitionem aliorum elegerint reseruandum, eum linguæ plectro depriuent, quo non est veritus contra ecclesiasticam fidem inuehi, & nomen Domini blasphemare. Vt autem præsens hæc edictalis constitutio nostra debeat in hæreticorum exterminium firmiter obseruari, circumspectioni tuæ committimus, quatenus hanc constitutionem nostram per totam Lombardiam facias publicari, amodo per Imperialis banni censuram ab omnibus vniuersaliter obseruandam. *Dat. Cathaniæ anno Dominicæ incarnationis MCCXXIV. mense martij vndecimæ indictionis.*]

Iubentur flammis tradi.

Linguis ob blasphemias etiam mutilari.

19 Cum imperiali edicto annus MCCXXIV. adscriptus sit, trigesimi primi anni regesto inseratur, id factum putamus, quòd idem edictum hoc anno renouatum, iterumque promulgatum fuerit. Et sane Fridericum ab Rom. Pontifice aduersus hæreticos incitatum, scriptæ ab ipso ad Gregorium literæ testantur, quibus se ad Italiæ hæreticos profligandos, extirpandosque pro apostolicis eius adhortationibus prosilire in animum induxisse ait a: *Sane cum omni honorificentia venerandis apicibus vestræ paternitatis acceptis, & earum tenore cognito, iuste non potuimus non moueri, velut qui ad laudem bonorum, ad vindictam vero malefactorum collatum nobis a Domino ensem iustitiæ baiulamus, dum nostris est auribus per easdem sacras literas intimatum, quod hæreticæ labis morbus paulatim serpens, vt cancer pro magna parte Italiam, & specialiter, quod dolentes referimus, in regno nostro Siciliæ Neapolim, & Auersam, partesque vicinas dicitur infecisse, sicut per quendam ab eodem errore tandem Domino inspirante conuersum apostolicæ beatitudini accepimus reuelatum. Super quo tanto vehementius anxiamur, quantò vicinior apostolicæ, ac imperiali sedi tanti superstitio inuenitur erroris, vt in circuitu matris insultent impij, & ante faciem eius, proh pudor! in iniuriam fidei perfidia tam obstinata consurgat, dum hericij foueas habeant, & lamiæ nudent mammas, vt lactent catulos infelices, &c. Dat. Tarenti XXVIII. febr. quartæ indict.* Hactenus Fridericus, quem in Sicilia insectatum hæreticos, ac misisse Neapolim Rheginum archiepiscopum, vt in eos inquireret, ac plures in vincula coniectos, vt meritis pœnis addicerentur, tradit Richardus. b

a Extant apud Greg. l. 4. ep. 138

Penetrarat in Siciliam eadē lues.

Plures Neapol. eius criminis nota musti vinculis mancipati.

b Rich. in chron. hoc an.

20 Excitatus etiam in cæteris Italiæ prouincijs fidelium zelus ad delendam hæresim, inter quos Pataiuini magnis laudibus ornati c a Gregorio, vt qui pio ardore accensi in Ezelinum ea infamia inustum prosilijssent. Ad quem in castra Ecclesiæ traducendum literis grauioribus in præfixo illis titulo: *Spiritum consilij sanioris* precatus, errores abijcere monuit d: *Tentare volumus varias medicinas, si forte medico acquiescens saluti restitui merearis, saluos te ac alios, quos perdidisse nosceris, faciendo. Dic ergo, quæ est*

Pataiuini in Ezelinū hæreticum insurgunt.

c Lib. 5. ep. 75.

d Ep. 120

Nefarium hominem prouocat ad resipiscendum Greg.

est ista vesania, qua vexaris, vt secutus deceptricis fallaciæ documenta, errorum spiritibus acquiescens eligas non consentire fidei veritati? Nunquid sapientior es doctoribus Ecclesiæ vniuersis, quibus sua merito sanctitatis reuelata est orthodoxæ fidei certitudo, & multorum miraculorum signis roborata? An forsan, etsi non voce, quod est nequius, in facto dicis: Quis est omnipotens, vt ei seruiam, & quid mihi prodest, si eum fuero deprecatus? peccaui, & quid accidit mihi triste? Certe peruersa est hæc cogitatio, quasi lutum contra figulum cogitet, & contra leuantem eam virgula eleuetur. Vt quid diuitias bonitatis Christi contemnis? Patientia eius ad pœnitentiam te adducit, tu autem cur secundum duritiam tui cordis iram in die iræ tibi damnabiliter thesaurizas?

21 *Nonne cum adhuc in minori officio constituti in partibus Lombardiæ legationis officio fungeremur, conuersionis signa prætendens, cum effusione plurima lacrymarum suppliciter flagitabas, nostris, & Ecclesiæ, & specialiter sanctarum ancillarum Christi orationibus commendari, detestando patenter hæreticam prauitatem? Sic nobis, immo Domino illudere intendebas?* Ezelinum tum temporis religiosæ disciplinæ amplectendæ desiderium præ se tulisse superius in Honorio vidimus: *An nescis, quod illusores ipse deludit, & Spiritus sanctus fictum effugit disciplinæ? Redi ergo, redi præuaricator ad cor, vt ad Dominum per pœnitentiam conuertaris, & ipse ad te per misericordiam conuertatur. Desine pro verbis pœnitentiæ, verbis superbiæ blasphemare, quia cunctis diebus superbit impius, & numerus dierum ipsius tyrannidis est incertus. Vt igitur vel sic fissa pariete mentis tuæ aliquem introrsus admittas radium rationis, nobilitatem tuam monemus, & hortamur attente per apostolica scripta sub obtestatione diuini iudicij firmiter præcipiendo mandantes, quatenus culpas tuas humiliter recognoscens, eum qui multus est ad ignoscendum, tibi studeas complacare relictis erroribus, & a terra tua hæreticis profligatis ad gremium matris Ecclesiæ corde puro humiliter redeundo, infra duos menses post susceptionem præsentium ad nostram præsentiam personaliter accessurus, paratus præcise parere nostris beneplacitis, & mandatis. Alioquin, vt ex qualitate pœnarum tuarum iniquitatum enormitas seculis innotescat, contra te cælum inuocamus & terram, ad te ac alios hostes fidei disperdendum, terras & omnia bona tua occupantibus exponendo, vt qui multis es in scandalum, & horrorem, fias in opprobrium sempiternum, &c. Dat. Reate kal. sept. pont. nostri an. v.*

Ezelini filij parentẽ tradere vinctũ offerunt vt se suaq; in tuto collocent.

22 Transmisit harum literarum exemplum Gregorius ad Ezelini filios Ezelinum iuniorem, & Albericum, qui a paterno scelere abhorrere præ se ferebant, ac ne auitis opibus exciderent, vltrò Gregorio obtulerant miserum parentem inquisitorum fidei manibus tradere, si obfirmatus in flagitio perstaret. quibus Pontifex significauit illorum causa, quos putaret numinis vero cultui addictos, iustissimam in ipsorum parentem vltionem effundere distulisse, ne paterna calamitate inuoluerentur, cum hæreseos crimen (vt ait) instar criminis læsæ maiestatis filios exhæredet: adiecitq; preces, & imperia, vt summo studio parentem ab hæresi atque hæreticorum studio deterrerent, ac si monita respueret, vt suæ consulerent saluti, illum, vt erant polliciti, ad pontificium tribunal rapiendum darent. nec mirum cuiquam videri potest datum hoc filijs aduersus parentem consilium, cum numinis, a quo descendit omnis paternitas, causa humanis affectibus debeat anteferri.

Iubentur promissa perficere & patrem ad rectam fidem adducere nõ possint.

23 In cæteris etiam regnis hæreticos meritis pœnis affici iussit Gregorius: quo argumento Bituricẽsi, & Antissiodorensi episcopis literas, vt in impios, qui oppidum, cui a charitate nomen inditum est, admodum infecerant, animaduerterent.

Quæsiti etiam ad supplicia in Gallijs hæretici.

a Bern. in chron.

Cæterum in Gallijs occubuit hoc anno a eximius hæreticorum expugnator, ac fidei strenuissimus defensor, insignis sanctitate Fulco episcopus Tolosanus, de quo nos plura, qui eum eam ecclesiam oppressam hæreticis, atque opibus eorum improbitate nudatam capessiuisset, demum ijs triumphatis vindicatam in libertatem, auctam bonis, ac pietate florentem reliquit, & in monasterio Grandis syluæ Cisterciensis ordinis, in quo vita religiosa excultus fuerat, sepultus est. Sed ad Gregorium redeamus.

Fulco ep. Tolos. hæreticor. expugnator moritur.

24 Cum grassatam hoc tempore latius hæresim viderimus, mirum non est ecclesiasticorum mores admodum deformatos fuisse, ac religiosam disciplinam in plerisq; locis penitus amisso pristinæ sanctitatis flore concidisse, cum illa ex morum nefaria corruptela emergere soleat. Incubuit ergo Gregorius ad solutiores clericorum mores emendandos, quo argumento ad Rhemensem archiepiscopum, ac suffraganeos datæ literæ a; tum ad reuocandam apud religiosas familias veterem disciplinam studium adhibuit. Vtq; seuerum b se in eos, qui ab institutæ vitæ sanctitate defecerant, ita liberalem in alios præbuit, quemadmodum literæ c Cassinatibus d Benedictinis datæ ostendunt. quos præterea Cassinates ita nonis auxit prærogatiuis, vt etiam veteres confirmarit. Rogatus enim ab ijs, vt S. Zachariæ Pontificis priuilegia renouaret, cum monumenta, in quibus contenta erant, ob temporum vetustatem consumpta essent, eorum precibus adductus diploma Zachariæ prædecessoris suo inseruit, e quo, missis cæteris, quæ ad conditi illius ordinis celeberrimi historiam pertinent, decerpimus.

Clero familijsque religiosis emendandis incumbit Greg.

a Lib. 4. ep. 138.
b Lib. 4. ep. 27. 124. 159. 164.
c Ep. 110. 129.
d ib. 142. l. 5. ep. 31.

Sanctitatis cultores prærogatiuis exornat.

Priuilegiũ Zachar. PP. Benedict. Cassinatibus datum renouat.

25 *Omnipotenti Deo, cuius melior est misericordia super vitas, gratias agimus, qui gloriosus in sanctis suis, atque mirabilis est, & virtutes suas, vbicunque vult, ineffabili bonitate ostendit. Ipse quippe dignationis suæ potentia beatissimum Benedictum patrem omnium constituit monachorum: ipse eum monasticæ legislatorem, & operatorem esse disposuit: ipse illius meritis Cassinense monasterium, in quo & sanctissime vixit & gloriosissime obijt, omnibus per totum orbem monasterijs clementi benignitate præfecit. Qui pater sanctissimus, dum vitam eremiticam duceret, diuina reuelatione monitus, ad eundem locum peruenit duobus se Angelis comitantibus, cum beatissimo Mauro, ac Placido Tertulli patricij filio, alijsque nonnullis: vbi templa idolorum destruens, monasteriumque construens, apostolicis illud dotauit virtutibus; inter quæ dum ei reuelatum fuisset, quod supradictus locus esset destruendus, & ob id inconsolabiliter fleret, omnipotentis Dei ad se vocem audiuit dicentem: Noli probatissime ac clementissime Benedicte prosequi, quæ huic euentura didicisti loco, mœstum gerere animum, quoniam quod semel a Deo præfixum est, immutabile atque irreuocabile est, solis tibi tuo merito concessis habitantium in loco animabus: sed aderit omnipotentis Dei consolatio, quæ locum istum in ampliorem, & multo meliorem, quam nunc est, restituet gradum, & huius ordinis doctrina de hoc iterum per totum orbem radiabit loco: quod post eiusdem patris obitum consummatum est.*

Cassinẽsis cœnobij primordia.

De illius excidio & instauratione.

26 *Nam a Longobardis inuasum, & igne crematum est: fratres autem ad Apostolicam sedem venientes ex concessione sanctæ prædecessoris nostri Pelagij iuxta Lateranense palatium monasterium construxerunt, atque per prolixum tempus habitauerunt. Sed iam cum omnipotens Deus consuisset Cassinense cœnobium restaurare, ac cœnobialem institutionem, quæ inde principium sumpserat, ex eodem loco propagare, a sanctissimo Gregorio III. prædecessore nostro Petronas dilectus filius noster est ad restaurandum directus. Qui cum ad eundem locum venisset, communis pater noster Gregorius ex hoc mundo migrauit: sed post eius excessum in sede Apostolica cum paruitas nostra successisset, opus ab illo cœptum in restauratione eiusdem cœnobij, adiuuante Domino, ad finem vsque perduximus.*

Hæ

27 *Hac autem eo die, quo sanctissimi patris ecclesiam dedicauimus, paruitas nostra obtulit libros sancta scriptura, & librum regula, quam sanctissimus pater manu propria scripserat; pondus etiam libra panis, & mensuram vini, nec non diuersa, qua ad ecclesiasticum ministerium* * *ornamenta, & possessiones apostolica liberalitate concessimus. Qualiter autem eiusdem patris pignora sororisque eius sunt posita perspicientes, ac intemerata inuenientes, pro reuerentia tanti patris tangere minime ausi sumus. In dedicatione verò eiusdem, cum ibi vnà cum tredecim archiepiscopis & sexaginta octo episcopis adessemus, idem dilectissimus filius noster postulare cœpit, quatenus possessiones, qua eidem monasterio oblata sunt a quibuscumque fidelibus, per nostrum priuilegium roboraremus, illorum desiderijs vtpote amabilium annuentes, hac per prasens priuilegium, qua a nobis alijsque fidelibus concessa sunt, in eodem loco in perpetuum corroboramus.* Et infra:

* pertinens S. Scholasticæ reliquiæ inuentæ a Zach. PP. corruptionis expertes.

28 *Praterea corroboramus, atque in perpetuum confirmamus eidem dilecto filio eiusque successoribus, in omni conuentu episcoporum, & principum superiorem vniuersis abbatibus sedere, & in concilijs & iudicijs priorem sui ordinis omnibus sententiam proferre pro reuerentia tanti loci, qui primam & summam monastica legislationem in eodem Cassinensi cœnobio scribens verbo & exemplo, cœnobitale propositum appetentibus in toto mundo sole clarius vibrauit. Pro quo Cassinense cœnobium exaltantes decernimus, ac in perpetuum confirmamus, vt supradictus locus dignitate, vigore, ac honorificentia pracellat omnia monasteria, qua constructa, vel construenda sunt in toto orbe terrarum; abbasque, eiusdem loci celsior ac celebrior excitat omnibus abbatibus eandem regulam tenentibus. Illic lex monastici ordinis caput teneat, ac principatum, vbi eiusdem legis descriptor Benedictus pater sanctissimus, eandem describens promulgauit regulam, ibique abbates & monachi honorem, ac reuerentiam deferant, & ibi vsque ad diem iudicij quarant doctorem, vbi monachorum vniuersalis magister & doctor Benedictus pater almificus corporaliter vna cum sorore sua quiescens, gloriosa resurrectionis diem expectat. Defuncto autem abbate ex se ipsa congregatio, secundum sanius consilium sapientum et saniorē fratrum, sibi abbatem eligat, et Apost. sedis Pontifici confirmandū & consecrandū exhibeat, &c. Scriptum per manus Leonis notarij regionarij, atque scriniarij sanctissima Rom. Ecclesia in mense ianuario, per indictionem suprascriptam primam. Dat. XII. kal. mart. Aquini, per manum Benedicti episcopi sancta Silua Candida ecclesia, & bibliothecarij sancta sedis Apostolica, anno Deo propitio pontificatus domini nostri Zacharia summi pontificis, & vniuersalis Papa in sacratissima sede B. Petri Apostoli, primo, &c.* Tum subijcitur consignata a Gregorio dies, qua S. Zachariæ diploma confirmauit. *Dat. Later. III. id. april. pont. nostri anno v.*

Syluestrinorum cōgregatio hoc anno condita.

29 Ex antiquissima illa sacra familia deriuata est hoc anno nona religiosa societas, quæ institutam a D. Benedicto viuendi rationem consectata est, iacta enim hoc tempore fuisse in monte, cui a Fano nomen, haud longe a Fabriano nobili Piceni oppido, congregationis Syluestrinorum fundamenta a B. Syluestro Guzolina familia Auximi orto, tradit in eius vitæ actis Andreas Iacobus [a] eiusdem ordinis a conditore quartus abbas generalis, qui eodem quo S. Syluester æuo vixit. Quantum vero in primis conditæ illius religiosæ familiæ incunabulis, adipiscendarum virtutum rerumque cælestium amor arderet, eleganter his verbis describit [b]: *Antiquissima in primis erat omnibus monachis cœnobij disciplina, & vita religiosa studium, qua exterioris hominis sunt: vestis admodum vilis, & aspera, ciborum magna simplicitas non tam ad explendam, quam ad leuandam famem accommodata, suam inopiam ac voluntariam paupertatem corrogatis eleemosynis leuabant. Mira in omnibus religiosa taciturnitatis obseruantia: crebras tum ad carnis macerationem, tum ad seculi expianda pericula verberationes, & ieiunia identidem vsurpabant; dies noctesque diuinis laudibus chorus personabat, mutua vigebant charitatis officia, qua interioris hominis sunt, statutum tempus sacris lectionibus, ac precationibus tribuebant, eratque vnusquisque sui contemptor egregius, neque hac sui contemptio quidquam de bona caterorum existimatione detrahebat, & ad summa demum Christiana perfectionis studium incumbebant: neque vero eorum virtus, & charitas intra illius cœnobij septa continebatur, sed ad externos quoque deriuabatur.* Hæc auctor, quem consulat, qui plura de illius religiosæ familiæ sacris institutis, atque incrementis cupiat, iam enim nostra oratio ad nonnulla Gregorij responsa ad res diuinas spectantia traducenda est.

a Apud Sur. t. 6. 26. Nouemb.

b And. Iac. l. 1. c. 10.

30 Consulenti Pontificem archiepiscopo Barensi an vetitis lege canonica diebus sacris ordinibus initiati, charactere essent insigniti, hæc respondit [a]: *Eos autem qui extra tempora constituta sacros ordines receperunt, characterem non est dubiū recepisse, quos pro transgressione huiusmodi prius eis pœnitentia imposita competenti, sustinere poteris in susceptis ordinibus ministrare, attentius prouisurus, vt id de catero fieri in tua prouincia non permittas.*

Barens. arch. consult Greg. a Lib. 5 ep. 154. e. consultationi de temp. ordinat.

Iniecerat archiepiscopus aliam de confirmatione quæstionem, an ij, qui a puro sacerdote sacro chrismate inuncti fuerant, confirmationis sacramento reipsa essent insigniti. Cui Pontifex nullatenus sacramenti munere potitos subiecit: *Chrismati vero, vt verbis tuis vtamur, a simplice sacerdote confirmationis munus minime receperunt; quia de solis Apostolis legitur, quorum sunt episcopi successores, quod per manus impositionem Spiritum sanctum dabant, & ideo tam illi, quàm confirmandi de catero a solis episcopis consignentur.* Quorum verborum veritas illustris est, cum doctores purum, ac simplicem sacerdotem de ordinaria potestate sacramentum illud impertiri non posse consentiant. id verò extraordinaria, speciali nimirum ab summo Pontifice commissa auctoritate posse significent. cuius exemplum insigne S. Gregorius magnus explicuit, qui nonnullis Sardiniæ presbyteris eam potestatem permisit [b], in quibus locis episcopus nullus eo munere perfungeretur. [c]

An confirmati a puro sacerdote sacramenti gratia fuerint consignati

b Greg. l. 3. ep. 9 ind. 12. c Bar. ann. 594. n. 14. 15.

Pergit Pontifex de ijs, qui sacro linteamine ritu Græcorum consecrato vterentur, edicere: *Qui pro altari viatico vtuntur panno lineo a Graco episcopo benedicto studeas firmiter inhibere, ne in panno huiusmodi celebrare prasumant: sed id de catero faciant, vel in altari itinerario, vel in altari maiori secundum ritum Ecclesia consecrato. Dat. Reate II. id. nou. pont. nostri anno v.*

An sacra mysteria in panno ritu Græco consecrato peragi possint.

31 Commoratum diu Reate Pontificem tradit illius gestorum scriptor, qui ad colligendam salubriorem auram eò profectum locique amœnitate delectatum describit: *Iam quidem pradictus Pontifex astatis proxima suspicione permotus, quinto sui Pontificatus anno ad ciuitatem se contulit Reatinam, vbi pra amœnitate loci, & aquarum fluentium copia, frigidioris aeris potitus obsequio, longi temporis spatium percurrit, ibidem multis, & varijs Ecclesia negotijs expeditis.* At non modò ob æstiuos calores, sed etiam ob terræmotum, quo Vrbs concussa est, Roma discessisse innuere videtur Richardus his verbis: *Eo die quo terramotus ipse fuit, Gregorius Papa Vrbem exiens vadit Reate*, quem quidem contigisse ait kalendis iunij circa meridiem die dominica, quassatamque adeo terram, vt domus corruerent, & inquilinos opprimerent: limpidissimi antea fontes apud S. Germanum colore mutato, terrestri fæce manarent, dissilirent saxa, homines hauriri terra viuos pertimescerent, metuque pallidi crimina præterita lugerent. Ea terræ horrenda concussio a Capua Romam immani fragore excurrit mensem-

Reate proficiscitur.

Terræmotu Roma quatitur.

Ab Vrbe Capuam magno terrore excurrit

ſemque integrum tenuit; vnde incolarum pars maxima deſertis domibus alio cõmigrauit: at Caſſinenſis abbas ad numen placandum ſolemnem ſuis ſupplicationem indixit, in qua omnes nudis pedibus, in lacrymas effuſi incedebant. Viguiſſe pariter eundem terræmotum Conſtantinopoli, multiſque euerſis domibus, ac ſacris templis inſignem cladem intuliſſe tradit auctor. Sed a Richardo ad geſtorum Gregorij ſcriptorem reuertamur.

Trepidatũ etiam ab eo eſt Cõſtantinopoli.

32 Exorſus igitur quæ, dum Reate conſiſteret, Pontifex geſſerit, ſcribit Iacobum e Ciſtercienſi familia in Cardinalium collegium cooptatum, ac Mirandulam e graſſatorum manibus Eccleſiæ reſtitutam: *Vbi etiam* (nimirum Reate) *fratrem Iacobum Ciſtercienſis ordinis modeſtia virum, trium fontium tunc abbatem in epiſcopum aſſumpſit Præneſtinum. Tunc caſtri Mirandula dominos, quos hæreticorum fautores, publici violatores itineris, & falſarios papalis bullæ, ac fraudati numiſmatis percuſſores, publica deferebat infamia, mandatis eius parere nolentes cuſtodiæ mancipauit, munitionem ipſam iam potenter obſeſſam Eccleſiæ Romanæ faciens aſſignari. Quibus poſtmodum paterna pietate compaſſus ſex millia librarum mulierum, & paruulorũ ſubuentioni, qui ſicut a culpa ſic a pœna videbantur immunes, ac pro ipſius munitionis voluntaria exhibitione conceſſit, ſingulos nihilominus beneficijs ſingularibus proſecutus.* Hæc etiam delibat Richardus [a], dum ait Beluacenſem epiſc. pontificio exercitu inſtructum Spoleto vicina loca vaſtaſſe, nec ad deditionem compellere potuiſſe; dein Miruadam cinxiſſe obſidione, ac Reatinos Pontificis iuſſu ad eam expugnandam ſeſe contuliſſe coniunxiſſeque.

Mirand. in Pont. poteſtatem redigitur.

a Rich. in chron.

33 Interea S. Antonius, cuius paulò ante memini, beatum Patauij finem vitæ fecit, de quo hæc monachus Patauinus [b]: *Anno domini* MCCXXXI. *in menſe iunij migrauit B. Antonius de ordine fratrum Minorum, cuius ſanctitas totam Italiam illuſtrauit.* De eo multa Lucas Vuadingus, quæ ab ipſo peti poſſunt. Satis nobis erit hæc de eius geſtis [c] præclariſſimoque exitu in annales conijcere: *Paulatim autem increſcente ægritudine ad extrema feſtinauit: cumque nonnihil quieuiſſet, facta confeſſione hymnum illum de B. Maria: O glorioſa domina, canere cœpit. deinde ſublatis oculis aliquandiu ſurſum diligentiſſime intentos eos tenuit. Cum autem interrogaretur, ecquidnam ita aſpiceret, reſpondit: Video Dominum meum. Cernentes igitur fratres, qui aderant, felicem eius exitum adeſſe, e proximo ſacram vnctionem ei impendere voluerunt. Vt autem vidit ſanctus vir fratrem ex more ſacrum oleum apportantem, intuens in eum, ait illi: Hanc vnctionem ego habeo intra me.* Porro lector obſeruet inter ea verba, quæ vir ſanctus iam mortis confinio poſitus effudit, extremæ vnctionis ſacramentum, quod hoſtes [d] fidei his D. Antonij verbis truncis mutiliſque allatis putidum oleum per ſummum contemptũ appellarunt, non reſpuiſſe, ſed tantummodo ad ſalutem non neceſſarium innuiſſe: *Etſi autem neceſſe non eſt hanc extrinſecus adhibeas, & placet tamen, & vtilis eſt. Suſcepit igitur ſanctam vnctionem, extenſiſque manibus, & palmis iunctis, pſalmos, quos pœnitentiales vocant, cum fratribus perlegit. Inde quaſi dimidia elapſa hora inter manus adſtantium dormienti ſimilis leuiter expirauit, & anima illa ſanctiſſima carnis ergaſtulo abſoluta in abyſſum claritatis abſorpta eſt. Corpus plane dormire videbatur, manibus in candorem, & colorem priſtinum mutatis, & membris omnibus ad nutum contrectantium flexibilibus. agebatur tunc a Chriſti incarnatione annus* MCCXXXI. *& dies iunij* XIII. Hæc auctor pluraque alia ſubijcit de viſis rebus admirandis, quibus Deus ſeruum ſuum illuſtrauit.

b Monach. Paduan. in chr. l. 2. S. Antonij e Paduæ feliciſſima mors.

c Extant apud Sur. to. 3. die 13 iunij.

Extrema vnctione illinitur.

d Nouatores cent. 13. c. 10. col. 1176. Refelluntur Nouatores qui ſanctum virum eã reſpuiſſe aiunt.

34 Tranſmiſit etiam cælo eodem anno ſanctiſſimam animam S. Eliſabeth regia Vngarorum ſtirpe progenita, cuius feliciſſimam mortem extremumque vitæ actum Theodoricus ita deſcribit [a]: *Apparens ei in viſu Dominus vocauit eam, dulciter loquens ei: Veni dilecta mea in præparata tibi tabernacula ab æterno. Iam verò tunc ægrotauit vir Dei magiſter Conradus de oppido Marburg ſacerdos, & graui infirmitatis moleſtia torquebatur, & introiuit ad eum viſitandum infirmorum conſolatrix Dei famula Eliſabeth. Factum eſt autem dum fabularentur inuicem, interrogauit eam ſacerdos infirmus dicens: Quomodo, mi domina, & filia, poſt mortem meam ſtatum tuum proponis ordinare? Tunc Dei famula de morte ſacerdotis nil reſpondens, ſui ipſius obitum eidem indubitanter prædixit, quem Spiritu ſancto præcognouerat reuelante. Et ecce die quarta poſt hæc verba, ægritudinem Dei famula incidit, in qua ex hac luce ſubtracta mortem perdidit, & vitam æternam adijt.*

D. Eliſabeth mortem ſuam præſagit.

a Theod. lib. 8. c. 1. 2. 3. 4. apud Caniſ. ant. lect. to. 5. pag. 206. 207. 208.

35 *Cumque per dies duodecim, & amplius in ægritudine Dei famula laboraret, aſſidens eius lecto decumbentis die quadam vna ex ancillis eius æquiuoca, audiuit quaſi intra guttur eius vocem dulciſſimam. Poſtpuſillum conuertens ſe ad ancillam (iacuerat enim ad parietem verſus) dixit: Vbi es dilecta mea? Reſpondit ancilla: Adſum, & adiecit: O domina quam dulciter cantaſti! Quæſiuit ergo ab ancilla ſi quid audiſſet. Et dixit: Etiam. At illa: Dico tibi, quod inter me, & parietem auicula quadam mihi iucundiſſime cantauit, cuius dulcedine excitata oportebat & me cantare. Tertia verò die eius obitum præcedente iuſſit a ſe omnes ſeculares excludi perſonas, nec etiam nobiles, qui ad eam frequenter viſitandi gratia venerant, ad ſe voluit intromitti. Requiſita vero, cur aduenientes excluderet, circumſidentibus ſuum ſtratum dixit: Volo de extremo diſtricti iudicij examine, & de meo omnipotente iudice meditari.*

Diuinis delitijs moritura affluit.

36 Addit auctor, vt omnes vitæ næuos facta confeſſione apud ſacerdotem expiarit, ac magno pietatis ſenſu delibuta ſanctiſſimo viatico communita, ſuauiſſimas voces immotis labris magno miraculo e gutture effuderit, ac ſciſcitata, quid rei eſſet, ſubiecerit num aliquos ſecum diuinas laudes decantantes audirent; ac demum vbi in extrema mortis confinia properantem deſcripſit, adijcit: *Tandem iubilando requieuit & quaſi ſuauiter obdormiens inclinato capite expirauit.* Vt vero eius exequiæ magna cleri, ac religioſorum virorum frequentia ingentique populorum concurſu celebratæ fuerint, deſcribit idem auctor, ac locum, & tempus his verbis conſignat: *Acta ſunt hæc apud oppidum Haſſiæ Marpurg in capella xenodochij pauperum, quod ipſa nobilis Regis filia, Chriſtique famula eximia S. Eliſabeth ſuis ſumptibus conſtruxerat, anno incarnationis dominicæ* MCCXXXI. *menſe nouembris, quarto die obitus eius terra condita eſt migrante anima ad requiem opulentam, &c.* Nonnulla recenſet miracula, quibus ancillæ ſuæ merita Deus in luce collocauit, quibuſque permotus Gregorius IX. eam in ſanctorum numerum retulit, qua de re ſuo loco dicendum erit.

Sacramẽtis rite procuratis pie moritur.

De eius ſepultura.

37 Occurrit quoque hic diuinæ prouidentiæ conſilia mirari, quæ certis temporibus viros ſanctitate conſpicuos in varijs terrarum partibus excitat, ac prodigijs tum ad Chriſtianam fidem confirmandam, tum ad gloriam ſuam amplificandam illuſtrat. Non enim modo Eliſabethæ Reginæ ſanctitate, ſed etiam Lucæ Strigonienſis archiepiſcopi miraculis his temporibus Vngaria effulſit. Is antea morum inſigni probitate effloruerat, atque e viuis ereptus plures varijs morbis implicitos, & calamitatibus inuolutos liberarat. Quæ cum ad ſummum Pontificem eſſent perlata, vt ſanctorum illum catalogo annumeraret, ipſe pro apoſtolico munere ſumma adhibita diligentia, epiſcopum Ceuadienſem vnà cum duobus alijs religioſis viris rei veritatem inquirere, ac miraculorum teſtibus ſacramento adactis diſcutere iuſſit [b]: *Cum*

Lucas Strig. arch. miraculis fulget.

De illo SS. catalogo annumerando inquiri iubet Greg.

b Lib. 5. ep. 128.

ex

ex parte venerabilium fratrum nostrorum Strigonien. archiepiscopi & suffraganeorum suorum fuisset nobis sæpius intimatum, quam iuste, sobrie, atque pie felicis recordationis Lucas Strigoniensis archiepiscopus prædecessor archiepiscopi memorati vixerit in hoc mundo, quãtaque Deus operetur miracula per eundem, languorem multorum, qui deuote auxilium implorant eiusdem, relegando ab ipsis; nobisque fuisset deuotissime supplicatum, vt & canonizaremus eundem, & sanctorum annumerari catalogo faceremus, tanto maturiori consilio circa ca- censuimus procedendum, quanto in his citius, quam in alijs mole carnis grauatus humanæ considerationis intuitus potest falli. Idtoque sinceritati vestræ, de qua fiduciam gerimus pleniorem, per apostolica scripta mãdamus, quatenus inquiratis per iuratos testes idoneos tam de vita, & conuersatione ipsius archiepiscopi, quam de miraculis supradictis, & circumstantijs vniuersis diligenter & perspicaciter veritatem, & eorum dicta fideliter redigentes in scriptis, ea sub vestris sigillis transmittatis, &c. Dat. Reate v. kal. sept. pontif. anno v.

Strigon. eccles. priuilegia a Greg. confirmata. 38 Ad asserendam vero suo splendori Strigoniensem ecclesiam, cui sanctissimus hic archiepiscopus præfuerat, Gregorius concessa illi vetera priuilegia confirmauit a probauitque prædecessorum more, vt Strigoniensis archiepiscopi partium esset Reges Vngaros solemni ritu corona redimire: *Ius quod a bonæ memoriæ Alexandro Papa prædecessore nostro, & inclytæ recordationis Bela Vngarorum Rege, ac ecclesia Coloniensi, videlicet vt Vngarici Reges ab archiepiscopis Strigoniensibus semper debeant coronari, Strigoniensi metropoli fuit manifeste recognitum, sicut in eorum autentitis continetur: & felicis recordationis Clemens, & Cælestinus prædecessores nostri suis literis confirmarunt ius quod habes in abbatijs, & præposituris regalibus, ecclesiæ Strigoniensi per Vngariam vbicunque subiectis, decimas insuper primitias, & incensum, quæ de camera Regis ecclesia memorata debentur; sicut omnia de ratione, vel consuetudine ad ecclesiam tuam pertinere noscuntur; tibi & successoribus tuis ad exemplar felicis recordationis Innocentij Papæ prædecessoris nostri, auctoritate apostolica confirmamus. Dat. Later. 11. kal. martij pontif. nostri anno sv.*

a Lib. 4. ep. 121.

Spectat ad Strig. arch. Reges Vngar. sacro ritu inungere.

39 Conciliauit etiam eirei nouam alijs literis archiepiscopo Strigoniensi datis auctoritatem b, adiecitque regiæ domus præfectos ministrosque, in ijs quæ ad tribunal ecclesiasticum spectarent, ius diceret, ac si res posceret, anathemate percellere posset. Cumque diuina & humana iura adeo in illo regno protererentur, vt Christiani plurea tributis oppressi Sarracenis sese aggregarent, vel filios suos illis coacti venderent; ac nonnulli Cumani cœlesti lauacro expiati expiandiue a perfidis empti a suscepta fide deterrerentur, Iudæi ac Sarraceni publicis muneribus præficerentur, ecclesijs & ecclesiasticis viris collectæ aliaque onera a laicis imperarentur, possessiones ac redditus ijsdem ecclesijs auferrentur, idque genus alia admitterentur flagitia, Gregorius archiepiscopum memoratum hæc omnia componere pro religiosa potestate iussit c, quæ vero improbæ consuetudines inoleuissent, ita Greg. deplorat.

b Ibid. ep. 125. Demandatur illi in regios administros auctoritas. Iubetur emendare prauas in regno Vng. consuetudines.

c Ep. 124.

Gregorius &c. archiepiscopo Strigoniensi.

Inter alia, quæ diuinæ ac humanæ legi obuiant manifeste, propter oppressionem Christianorum pauperum, & Sarracenorum Iudæorumque in Christi fideles dominatum, multi Christianorum oneribus importabilium exactionum grauati, videntes Sarracenos melioris conditionis, & maioris libertatis prærogatiua gaudere, sponte se transferunt ad eosdem, & ritum suscipientes eorum, vt pari cum eis gaudeant libertate, non solum per errorem Christiani Sarracenorum & Sarraceni Christianorum mulieribus commiscentur, verum etiam illas ducunt damnabiliter in vxores. Emunt præterea Sarraceni mancipia Christiana, & de ijs, tanquam de suis omnem voluntatem, & voluptatem suam explentes, ipsas apostatare compellunt, & earum non sinunt filios baptizari; pauperes nihilominus Christiani quandoque sic oneribus, & exactionibus affliguntur, quod filios ac filias cogantur vendere Sarracenis: & sic liberi fiunt serui, & Christiani quodammodo Sarraceni.

Queritur Greg. Iudæos Christianis fœminis abuti.

40 Ad hæc quidam eorum cum reuera sint Sarraceni, se Christianos mendaciter confingentes, qui iuxta verbum propheticum, arcum rem amaram intendunt, vt sagittent innoxios in occultis sub palliata specie pietatis, multos Christianorum decipiunt simplices, & nonnullos seducunt astute, illos ad infidelitatis errorem nequiter attrahendo: & dum tanquam Christiani cum Christianis mulieribus contrahunt, illas postquam duxerint in vxores, apostatare compellunt, & cum nonnulli Cumanorum relicto infidelitatis errore, iam sint illuminati per fidem, quidam vero ipsorum de tenebris & vmbra mortis currere cupiant ad Christum, lucem, viam, veritatem, & vitam, præfati Sarraceni eos ementes in seruos, & baptizatos cogunt retro respicere, & baptizandos venire ad agnitionem fidei non permittunt. Ad quorum libertatem, si præsumptores huiusmodi cogerentur sicut dicitur, firmiter est sperandum, Cumanos ex hoc ad fidem catholicam prouocari.] De Cumanis ad Christianæ religionis cultum feliciter traductis extant apostolicæ literæ a gratulatoriæ ad Strigoniensem eundem archiepiscopum, quibus ipsi legati apostolici munus in Cumania & Brondicia imponit, vt cæteros, qui gentilitijs erroribus adhuc sunt inuoluti, ad Christum adducat, ac Hierosolymitanæ profectionis voto absoluit, seque in eas regiones conferendi auctoritatem tribuit; quo argumento similes iam ante literas dedisse vidimus.

Cumanos recenter conuersos opprimi a Sarracenis.

a Ep. 119.

41 Et licet in Toletano concilio prouide sit statutum, ne Iudæi publicis officijs præficiantur, cum nimis absonum videatur, vt Christi blasphemus in Christianos vim exerceat potestatis, in regno tamen eodem passim Iudæi, ac Sarraceni publicis officijs præponuntur, qui sub tali prætextu, & damna grauia ecclesijs inferunt, & Christiano nomini plurimum sunt infesti. Libertas quoque ecclesiastica in regno ipso adeo subuersa esse dicitur & euersa, quod non solum ecclesiarum hominibus, sed etiam ipsis ecclesijs, & personis ecclesiasticis collectæ & talliæ imponantur a laicis, & respondere cogantur sub examine iudicis secularis. Possessiones quoque & redditus, quos ex deuotione Regum a longis retroactis temporibus pacifice possederunt, eisdem ecclesijs contra iustitiam auferunt, ac per immensas donationes, quas de nouo quibusdam nobilibus regalis fecisse dicitur celsitudo, non modicum aggrauantur. Et quamuis causæ matrimoniales ad examen ecclesiasticum pertinere noscantur, huiusmodi tamen causæ ibidem ad secularem iudicem perferuntur, & per secularem iudicem matrimonia separantur: sicque fit, vt ipsius regni ecclesiæ tot afficiantur iniurijs atque damnis, tot tribulationum angustijs affligantur, quod nisi celeriter succurratur eisdem, vix poterunt respirare, &c.] Ad tollẽda funesta adeo mala archiepiscopo munus demandat, vt in ijs excindendis solers studium defigat. *Datum Laterani v. nonas martij pontificatus an. sv.*]

Præfici publicis muneribus infideles.

42 Emerserant his temporibus ex superstitionum erroribus, quibus tot seculis obruti ingemuerant, Pomerani plures ac Pozolucenses, Christique fidem amplexi ad Ecclesiæ sinum transuolarant; quin etiam Prædicatorum familiæ alumnos, qui in ijs nationibus euangelij lumine collustrandis operam defigebant officijs pluribus erant prosecuti. Quapropter summus Pontifex ex apostolico officio neophytos illos cõplexurus, qua par erat paterna beneuolentia, his scriptis lite-

Pomerani Christo dant nomen.

literis a in suam clientelam admisit: *Gratias agimus gratiarum omnium largitori, qui de tenebris errorum vos eruens veritatis suæ vobis lumen ostendit, in agnitionem domini nostri Iesu Christi vos misericorditer perducendo, quem sicut in ipso confidimus, agnitum diligitis, & perfectius diligetis.* Et infra: *Quia Christi vicarij, licet insufficientibus meritis, constituti fideles eius sincera complectimur charitate, vniuersitatem vestram rogamus, monemus, hortamur, & obsecramus in domino Iesu, per apostolica vobis scripta in remissionem peccaminum iniungentes, quatenus sicut laudabiliter inchoastis, sequentes gratiam præeuntem, studeatis Christo inflexibiliter adhærere, irreprehensibilem legem eius animas conuertentem satagendo fideliter custodire. Dictos quoque fratres* (nimirum Prædicatores) *inconfusibiles Domini operarios, & cooperatores vestræ salutis pio amore venerabiliter amplectentes, non desiciatis ipsorum sanam doctrinam desiderabiliter amplexari, eorum monitis efficaciter obsequendo. Vt autem gratiam nostram erga vos efficacius sentiatis, personas & alia bona vestra sub B. Petri & nostra protectione suscipimus speciali. Dat. Reate VII. id. iulij pontificatus nostri anno V.*

a Lib. 5. ep. 97.

Excitantur ad diuinū amorem a Greg.

Admittuntur in clientelā apost.

43 Efflorescebat igitur feliciter in ijs regionibus septentrionalibus Christiana religio, seseque late circumferebat: non enim modo plures insanam idolorum superstitionem proscripserant, verum etiam Russiæ Rex, qui Græcorum ritus pluresque errores sectatus & ab Ecclesia discissus fuerat, eos exuere ac Romanæ Ecclesiæ sese submittere cupiebat: quo prospero nuntio ingenti lætitia Gregorius delibutus consilium eius laudibus extulit, ostensoque Romanæ Ecclesiæ primatu, ad illud in opus perducendum hortatus has ad ipsum literas dedit. b

Russiæ Rex a Græcorū schismate discedere meditatur.

b Ib. ep. 99

Gregorius, &c. illustri Regi Russiæ.

Domino in euangelio docente didicimus, quod vnum est ouile, ac etiam vnus pastor, & quod suarum ouium Christus custodem specialem & præcipuum B. Petrum esse constituit, dum quodam singulari priuilegio, traditis ei clauibus regni cœlestis, ligandi atque soluendi sibi contulit potestatem, singulariter, ac tertio ei dicens: *Pasce oues meas.* Porro ab hoc ouili videtur extraneus, & a grege Domini alienus, qui Christi vicario, successori videlicet B. Petri subesse contempserit, ac humiliter obedire, qui assumptus est in potestatis plenitudinem, cæteris in partem solicitudinis euocatis, & pro quo Christus in Petro Patrem rogauit, vt non deficeret fides eius. Propter quod merito deuiare creduntur, qui opinantur de ipso contrarium, & contumaciter ab eius obedientia recessisse probantur. Vnde cum venerabili fratre nostro episcopo Prutenorum referente te intellexerimus esse principem Christianum, sed obseruantem Græcorum ac Prutenorum mores & ritus, ac facientem in regno tuo ab alijs obseruari, diuina tamen gratia inspirante, volentem accedere ad deuotionem, & obedientiam Apostolicæ sedis & nostram, nos intimis affectibus sitientes animæ tuæ salutem, tuumque profectum, commodum, & honorem, serenitatem tuam monemus, & hortamur in Domino, quatenus sanam doctrinam non abnuens venerabiliter amplexari ritus & mores Christianorum Latinorum deuote suscipias & obserues, te regnumque tuum pro amore Christi submittendo suaui dominio Rom. Ecclesiæ matris vniuersorum fidelium, quæ te vt magnum in Ecclesia Dei principem habere proponit, & diligere vt filium specialem: vberius enim erga te senties gratiam Apostolicæ sedis, & nostram, si relinquens iter deuium per ostensam tibi viam rectitudinis gradiaris, nosque tibi, & regno tuo benigni fauoris præsidium efficaciter impendemus. *Dat. Reate* XV. *kal. aug. pontif. nostri anno* V.]

Solicitatur a Greg. ad pia perficienda consilia.

44 Insistente apud Apost. sedem Rege Norvvegiæ, vt illius auctoritate corona regia solemni ritu cingeretur, ac morte oppressis Lundensi & Nidrosiensi archiepiscopis, quibus Gregorius prouinciam commiserat, vt mature, quid gerendum videretur, exploraret, eiusdem Regis precibus adductus in præsules alios demandatum illis munus transfudit a. Quas literas afferendas duximus, vt videant Norvvegi, quantum apud eos olim sedis Apostolicæ auctoritas vigeret. Ad episcopos igitur Bergensem & Stauengrensem, & abbatem S. Mariæ de Stauleia Cisterciensis ordinis hæc scripsit.

a Ead. l. 5. ep. 132.

Bergensi & Stauengrensi episcopis & abbati S. Mariæ de Stauleia Cisterciensis ordinis.

Cum charissimus in Christo filius noster Norvvegiæ Rex illustris olim nobis pro coronatione sua humiliter supplicasset, nos bonæ memoriæ archiepiscopo Lunden. & Scarensi episcopo nostris dedimus literis in mandatis, vt super electione, conditione, ac statu personæ Regis eiusdem & regni sui, alijsque circumstantijs vniuersis, quæ ad ipsius promotionem seu prosecutionem negotij necessaria videntur, diligenter inquirerent veritatem; & quidquid inuenirent, suis nobis literis fideliter intimarent, vt plenarie per eorum relationem instructi, super hoc securius procedere valeremus. Sed cum postmodum ex parte Regis ipsius nostris fuisset auribus intimatum, quod ijdem archiepiscopus & episcopus in negotio non processerant morte præuenti, nos bonæ memoriæ Nidrosiensi archiepiscopo & tibi frater Bergensis episcope negotium ipsum iuxta præscriptam formam commisimus exequendum: verum quia eodem Nidrosiensi sublato de medio, tu solus procedere nequiuisti, præfatus Rex a nobis humiliter postulauit, vt super hoc procedi per te, ac per alios mandaremus. Nos igitur Regis eiusdem postulationibus benignum impertientes assensum, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus memoratum negotium iuxta primi mandati nostri tenorem exequi procuretis. Quod si non omnes, duo vestrum, &c. *Dat. Reate* V. *id. septemb. pont. nostri anno* V.]

45 In Germania eodem anno Ludouicus Bauariæ dux a quodam nobili interemptus est. Sunt qui tradant fraude Henrici Cæsaris, vel Friderici Imperatoris neci traditum. Ac per idem tempus Deus eximio miraculo, quantum illi impertita hospitalitas iucunda foret, comprobauit, cum exhaustam vini amphoram in hospitibus lautius excipiendis vino diuinitus impleuit. quam festiuam narrationē affert Thomas Cantipratensis b eius æui auctor: *Anno ab incarnatione Domini* MCCXXXI. *super Rhenum, & Mosellam in Teutonia, vinorum caristia habebatur, & accidit, vt duo fratres ordinis Prædicatorum ad dicti viri hospitium declinarent. Quibus hilariter introductis, filium cum lagunculа pro vino misit. Quo reuerso, dixit eidem mater: Defectum cordis frequenter in mane patior, tu autē mihi nocte haustum vini risi rues de laguncula, quia nimis tarde soles pater tuus vinum ante prandium demandare. His dictis, omnes consederunt ad mensam, qui erant in domo. Ebibito autem fere de lagunculа vino, filius in aure patri matris verba susurrat. Quæ ille quasi cum indignatione dissimulans, lagunculam in magna iucunditate cum hospitibus exhausit. Mane ergo illis recedentibus, & eos hospite deducente, cœpit mulier, secundum consuetum morem, cordis defectum pati, & vocato filio, quæsiuit si quid esset in vasculo. Et ille: Nihil, inquit. Cui anxia mater: Versa supra buccellam panis, vt cordis mei debilitas releuetur. Accessit puer, leuauit vasculum, inuenit plenum. Quod vt vidit mulier exclamans cecidit, & fere præ admiratione defecit. Currens autem filius post patrem, & fratres, quid factum sit recitat. Quibus in laudem Christi cum lacrymis resolutis, orat hospes redire fratres, benedictionem accipere, quam dedit omnipotens. Negant*

Dux Bauariæ ex insidijs Cæsaris moritur.

b Cantipr. lib. 2. c. 25. n. 12.

Lagena vini viris religiosis potui exhibita diuinitus generoso vino repletur.

illi, commendant illum Deo, & cum benedictione remittunt ad propria gratulantem. Post multos vero annos, cum hæc a fratribus Treuerensibus audiuissem, & per descensum Mosellæ fluminis domui dicti viri in nauigio proximassem, exiens nauem, pedes iui videre virum, vxorem illius, & filium, & redij ædificatus non modicum in modo, & verbis eius. Erat enim totus extra modum vitæ, verborum, & gestuum habitatorum illius terræ, qui in vinetis montium & desertis, agrestes moribus conuersantur. Hæc auctor. Non absimile est hoc miraculum alteri, quod S. Bonifacij episcopi Ferentillini opera patratum narrat B. Gregorius Papa [a]: cum enim lagena vino plena duobus Gothis a sancto episcopo data esset, atque ex ea barbari multis diebus large potassent, nouo affluente diuinitus vino exhauriri non est visa, donec perfecto itinere ad sanctum præsulem redijssent. Sed de his satis, iam ad ea, quæ hoc anno in Gallijs gesta, excurramus.

a S. Greg. dial l.1.c.9. Simile miraculum a D. Bonif. editum.

46 Ad restituendam pristino splendori Parisiensem academiam, quæ præteritis tumultibus dissoluta erat, Pontifex vetera illius priuilegia renouauit, deque ijs ad magistros, & scholasticos diploma dedit [b], cuius initio ingentes in eam laudem cumulat, dum ipsam sapientiæ officinam, Luteriamque scientiarum parentem appellat; dein tenendum in ea ordinem sancit.

Restituendæ Parisiensis academiæ incumbit Greg.

b Lib. 5. ep. 23.

Gregorius, &c.

Circa statum scholarium, & scholarum hæc statuimus obseruanda, videlicet quod quilibet cancellarius Parisiensis deinceps creandus coram episcopo, vel de ipsius mandato in capitulo Parisiensi vocatis ad hoc, & præsentibus pro vniuersitate scholarium duobus magistris in sua institutione iurabit, quod ad regimen theologiæ, ac decretorum bona fide secundum conscientiam suam, loco & tempore, secundum statuta ciuitatis, & honorem ac honestatem facultatum ipsarum non nisi dignis licentiam largietur, nec admittet indignos, personarum & nationum acceptione submota. Antea vero quam quemquam licentiet infra tres menses a tempore petitæ licentiæ, tam ab omnibus magistris theologiæ in ciuitate præsentibus, quam alijs viris honestis, & literatis, per quos veritas sciri possit, de vita, scientia, & facundia, nec non proposito, & spe proficiendi, ac alijs, quæ sunt in talibus requirenda, diligenter inquirat: & inquisitione sic facta, quid deceat, & quid expediat, bona fide det, vel neget secundum conscientiam suam petenti licentiam postulatam. Magistri vero theologiæ, ac decretorum quando incipient legere, præstabunt publice iuramentum, quod super præmissis fidele testimonium perhibebunt. Cancellarius quoque iurabit, quod consilia magistrorum in malum eorum nullatenus reuelabit, Parisiensibus canonicis, libertate, ac iure in incipiendo habitis in sua manentibus firmitate. De physicis autem, & artistis ac alijs cancellarius bona fide promittet examinare magistros, & non nisi dignos admittens, repellet indignos. Cæterum quia vbi non est ordo, facile repit horror, constitutiones, seu ordinationes prouidas faciendi de modo, & hora legendi, & disputandi, de habitu ordinato, de mortuorum exequijs, nec non de bacchellarijs, qui & qua hora, & quid legere debeant, ac hospitiorum taxatione, seu etiam interdicto, & rebelles ipsis constitutionibus, & ordinationibus per subtractionem societatis congrue castigandi vobis concedimus facultatem. Et si forte vobis subtrahatur hospitiorum taxatio, aut quod absit, vobis vel alicui vestrum iniuria, vel excessus inferatur enormis, vtpote mortis vel membri mutilationis, nisi congrua monitione præmissa infra quindecim dies fuerit satisfactum, liceat vobis vsque ad satisfactionem condignam suspendere lectiones. Et si aliquem vestrum indebite incarcerari contigerit, fas sit vobis, nisi monitione præhabita cesset iniuria, statim a lectione cessare, si tamen id videbitis expedire.

Quæ ab ipso in ea causa decreta.

47 Præcipimus autem vt Parisiensis episcopus sic delinquentium castiget excessus, quod scholarium seruetur honestas, & maleficia non remaneant impunita: sed occasione delinquentium non capiantur vllatenus innocentes: immo si contra quemquam suspicio fuerit orta probabilis, honeste detentus, idonea cautione præstita, cessantibus carcerariorum exactionibus dimittatur. Quod si forte tale crimen commiserit, quod incarceratione sit opus, episcopus in carcere culpabilem detinebit, cancellario habere proprium carcerem penitus interdicto. Prohibemus insuper, ne scholaris pro contracto debito de cætero capiatur, cum hoc sit canonicis, & legitimis sanctionibus interdictum. Sed nec episcopus, vel officiales eius seu cancellarius pœnam pecuniariam pro excommunicationis emenda, vel alia qualibet censura requiret: nec cancellarius a licentiandis magistris iuramentum, vel obedientiam seu aliam exiget cautionem, nec aliquod emolumentum, seu promissionem recipiet pro licentia concedenda, iuramento superius nominato contentus. Porro vacationes æstiuæ non excedantur de cætero vltra mensem, sed vacationum tempore bacchellarij, si voluerint, suas continuent lectiones. Inhibemus autem expressius, vt scholares per ciuitatem armati non vadant, & turbatores pacis & studij vniuersitas non defendat, & illi, qui simulant se scholares, nec tamen scholas frequentant, nec magistrum aliquem profitentur, nequaquam scholarium gaudeant libertate.

48 Ad hæc iubemus, vt magistri artium vnam lectionem de Prisciano, & vnum post alium ordinarie semper legant, & libris illis naturalibus, qui in concilio prouinciali ex certa causa prohibiti fuere, Parisijs non vtantur, quousque examinati fuerint, & ab omni errorum suspicione purgati. Magistri vero, & scholares theologiæ in facultate, quam profitentur, se studeant laudabiliter exercere; nec philosophos se ostentent, sed satagant fieri theodocti: nec loquantur in lingua populari, & populi linguam Hebraicam cum Azotica confundentes, sed de illis tantum in scholis quæstionibus disputent, quæ per libros theologicos, & sanctorum patrum tractatus valeant terminari, &c.] Decernit, vt cum aliquis eorum, qui literis dant operam, e vita discedere contigerit, certum tempus statuatur, quo excurrente, mortis illius nuntius ad suos perferatur, ac si nemo comparuerit, relicta ab illo bona in pijs operibus ad leuandam ipsius animam collocentur. *Dat. Lat. id. apr. pont. nostri anno v.*] Laudes quoque academiæ Parisinæ præfatus Gregorius in literis ad Ludouicum Francorum Regem scripsit [a], expetijt benignum se placidumque scholasticis impertiretur, priuilegiaque ab ipsius auo Philippo concessa renouaret. Hactenus de Gallijs rebus, ad Hispanicas nos conferamus.

a Ib. ep. 34.

49 Pertulerat fama ad sedem Apostolicam Ferdinandum Castellæ Regem lata iniquissima lege vetuisse, ne quis in Calaguritanam cathedralem, monasteria, piaque loca eius diœceseos possessiones conferret, atque impertita ecclesiæ sine sua, vel aui facultate obtenta, regio fisco addixerat. Iudæos etiam nimio fauore prosecutus, signa, quibus ex præscripto concilij distincti erant, abijcere, atque vsuris in parochiales ecclesias grassari permiserat. Quare Pontif. Burgensi episcopo, & Calaguritano decano munus demandauit [b] Regem a cœptis auocarent, ne egregias laudes fœdioribus his næuis macularet. Plura sane eximia facinora Ferdinandum in amplificandis regni sui, ac religionis limitibus explicuisse vidimus, atque hoc ipso tempore expeditionem in Saracenos comparabat, paucis namque diebus post datas memoratas literas archiepiscopo Toletano mu-

Oppressit is Castellanæ eccl. asserere studet.

b Ep. 10.

munus demandauit, contra barbaros cum dicto Castellæ Rege prosiliret, atque adeo ituro exercitui indulgentiarum præmia largiretur. a

Ferdinandus in Sarr mouet.
a Ep. 22.

50 Obsoleuerat in Lusitania longe infelicius, quam in Castella immunitas ecclesiastica: iuuenili quippe audacia, siue ministrorum consilijs insanis abreptus, Rex grauissimo iugo Ecclesiam oppresserat, veteris enim constitutionis prætextu, qua mulierem cum clerico inuentam capiendam sancitum erat, regij ministri per summam iniuriam noctu clericorum domos infringebant, ac ni pecunias darent, eorum famam, siue criminis participes essent, siue non, traducebant; contra alij, qui annua tributa pendebant, quamuis scelestissime viuerent, ab episcopo reprimi non poterant: ecclesiastica tribunalia euertebat, e fidelium cœtu eiectos non declinabat, Iudæosque publicis muneribus præfecerat. quæ vt coerceret Gregorius, episcopos Astuticensem, & Lucensem strenuam operam, vt tot malis mederentur, nauare imperauit.

Dignitas eccl. in Lusitania obsolescit.
Nefariæ in ea susceptæ consuetudines
Aboleri a Greg. iussæ.

51 In Anglia pariter ecclesiasticæ dignitatis splendor emarcuerat sub Henrico Rege: cui tamen a Pontifice expetenti, vreorum præsulum opera, quum sibi vtilem fore visum esset, vti liceret (inualuerat enim ea consuetudo, vt Angliæ Reges in sanctioribus consilijs aliquos episcopos adhiberent) Gregorius lubenter annuit. b

In Anglia ep. sanctioribus Regum consilijs adhiberi soliti.
b Ep. 106.

Illustri Regi Angliæ.

Pia deuotione progenitorum tuorum, qui ad Deum, & eius Ecclesiam debitam reuerentiam habuisse noscuntur, asseris introductum, quod Reges Angliæ semper consueuerunt habere consiliarios aliquos episcopos regni sui, de cuius statu cum consilio disponerent eorundem; vnde humiliter postulasti eisdem prælatis, quibus incumbit ex officio pastorali conseruare iustitiam, & diligere honestatem, vt libere assumere valeant solicitudinem, & tibi assistere in consilijs, a nobis licentiam indulgeri. Nos autem piam in hac parte intentionem tuam esse credentes, & tam regni tui sperantes, quam Ecclesiæ vtilitatibus prouidere, episcopis, quos ad hoc duxeris euocandos, assistendi tibi in consilijs, prout vtilitas exigit, & honestas, liberam auctoritate præsentium concedimus facultatem. *Dat. Reate XIII. kal. aug. pont. nostri anno V.*]

Petenti Henrico quos ex illis optaret sibi ascisscendi potestatem tribuit Greg.

52 Excitauit eundem literis c Regem, vt quo ætate corroboratior in dies euadebat, eo maiora virtutum exempla explicaret; tum etiam bellum in Gallias ad repetenda amissa inferre meditantem ad ineundas cum Rege Ludouico inducias solicitauit, atque ingentia mala, quæ rem Christianam opprimerent, si Angli Gallique mutuo bello impliciti essent, dum infideles in Syros Christianos innumeras acies effunderent, ob oculos proposuit d: *Licet guerrarum strepitus omni tempore multiplici subsit discrimini rerum, corporum, & quod est grauius, animarum; quia tamen eo nunc Deo & hominibus grauius displiceret, quo in dispendium Terræ sanctæ, ac per consequens in confusionem vergeret totius populi Christiani, cum Rex Persarum stipatus multitudine numerosa, in exterminium terræ prædictæ succensus anhelans, sibi iam ciuitatibus, & locis alijs inexpugnabilibus subiugatis, nullum se credat repagulum inuenire; quin terras cultui Christiano relictas inuadat, & Christicolas in gladij occisione disperdat, sicut nuper nobis est a pluribus intimatum; celsitudinem regiam rogamus, monemus & hortamur in Domino, quatenus saluti propriæ, nec non tuæ ac tuorum quieti prouide consulens, seposito guerrarum proposito, ad pacis fœdera inter te, ac charissimum in Christo filium nostrum Regem Francorum illustrem, si datum est desuper, reformanda vel saltem treugas firmandas animum tuum prudenter inclines; scituri nos regi prædicto simile consilium destinasse. Vt autem concordia perfectius pertractetur, & felicius impleatur, venerabilem fratrem nostrum Vvintoniensem episcopum ex parte tua, quem erga te fidei, & deuotionis gerere nouimus puritatem; & venerabilem fratrem nostrum archiepiscopum Senonensem ex altera propter hoc prouidimus destinandos: quorum monitis, & exhortationibus credere te volumus incunctanter. Dat. Later. VII. kal. maij pontif. nostri anno V.* Additur in regesto, eodem exemplo ad Ludouicum Francorum Regem de paciscendis inducijs missas literas: nec frustra pontificiæ fusæ preces, tradit enim Parisius a III. non. iulias eiusdem anni Francos inter & Anglos inducias conciliatas fuisse.

c Ep. 36.
Solicitat ad coeundas cum Francis inducias.
d Eod. l. 5. ep. 37.
Rex Persarum in Syriam irrumpere parat.
a Par. hist. Angl.

53 Significarat Pontifici illam Persarum in Syriam irruptionem Fridericus, qui oratores ad Gregorium miserat, vt ab ipso auxilia ad defendendum regnum Hierosolymitanum eliceret, seque ad ornandam Asiaticam expeditionem numinis instinctu excitatū ostentarat. Cuius literis acceptis ita respondit Gregorius b: *Licet primo grauis nos stupore perculerunt & horrore, rumores insuspicabiles referendo; lætitiam tamen nobis & exultationem placidam attulerunt, fidei zelum & deuotionis feruorem tibi diuinitus inspiratum, iuxta mentis nostræ desiderium explicando. Hæc est enim gratificans gratia perennis gloriæ infallibilis cooperatrix, vt prudenter attendens, quod quis plus alijs nosceris a Domino percepisse, ad obsequendum eidem es arctius obligatus, eo quod dum augentur dona, rationes etiam donorum excrescunt, beneplacitis eius te reuerenter prona humilitate substernas, & ad eadem exequenda prompta magnanimitate potenter exurgas, certus omnimode, & securus, quod Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ, munificus elargitor, excedensque supplicum merita transitoria commutat æternis. Agentes igitur grates, & laudes gratiarum omnium laudabili largitori, misericordiam eius humiliter imploramus, vt pia intentionis propositum, ipso seminante in tua mente conceptum continua nutriens pietate perficiat ad profectum in tua salutis augmentum, & exaltationem populi Christiani.* Obtestatur, vt reliquas regni Hierosolymitani arces muniat ad impetus barbarorum propulsandos, seque interea omnes principes Christianos ac populos ad cogendum ingentem exercitum inducturum.

Significatur Pontifici a Friderico ea irruptio.
b Lib. 4. ep. 97.
Solicitatur Frid. ad repellendos barbaros.

54 *Quia negotij qualitas auxilio indiget generali, ecce vniuersis ecclesiarum prælatis, Regibus, & principibus, & quibusdam crucesignatis dirigimus scripta nostra, qualia eidem negotio conspeximus expedire, continuaturi aliàs solicitudinem diligentem, & impensuri nos ipsos in quibuscunque fuerit opportunum. Cæterum quia si te in hoc exhibueris, vt conuenit, animosum, multos ad idem laudabiliter animabis; celsitudinem tuam monemus, rogamus, & hortamur in Domino, adiurantes per sanguinem Crucifixi, quatenus fortitudine spiritus roboratus ex alto, memor quod in talibus immensitas optima est mensura, non parcens personis vel rebus, illuc ex vtriusque festinatum subsidium studeas destinare, faciendo loca muniri, ne timeant impetum aggressorum, donec illuc copiosus possit destinari succursus, qui profliget auctore Domino inimicos, supererogaturus nihilominus, quæcunque videris opportuna, vt magnanimitatem magnificam, & magnanimem magnificentiam tuam Deo reddas, & hominibus commendandam. Dat. Lat. XIV. kal. febr. pontif. nostri anno IV.*

55 Excitauit mox Gregorius, vt erat pollicitus Friderico, vniuersos Christianos, vt arma in Persas Syriæ irruentes capesserent hostemque partis pluribus victorijs exultantem, imminentemque sanctis locis propulsarent. Quorum zelum encyclicis datis literis hac oratione accendere conatus est. c

Excitantur fideles ad crucem in Persas induendam.
c Ib. ep. 129.

Vniuersis archiepiscopis & episcopis & dilectis filijs alijs ecclesiarum prælatis, ad quos literæ istæ peruenerint.

Ille humani generis peruicax inimicus, concinnator perfidiæ, desperationis incentor, odij procura-

tor, non contentus, quod in singulis Christi fidelibus fidem attentat, spem imperit, & aggreditur charitatem, gestiens extirpare virtutes, vt serantur vitia, & perditio subsequatur, etiam vniuersalem Ecclesiam continuè inquietat, infestat iugiter & tribulat incessanter, dum Terram sanctam Christi sanguine consecratam, vbi vita, salus, & redemptio nostra noscuntur originem habuisse, non desinit impie impugnare, ratus, quod si posset ibi vllatenus prænalere, irreparabile periculum, inextricabile opprobrium, & perditionem inæstimabilem inferret vniuerso populo Christiano (huius nos sententiæ veritatem modo deploramus). Et quidem satis acriter sæuit hactenus per soldanos illarum partium diabolicæ feritatis executores perfidos & proteruos: sed quod graui nos stupore perculit, & horrore concussit, Regem Persarum stipatum multitudine numerosa in exterminium terræ prædictæ nequiter instigauit, sicut charissimus in Christo filius noster Fredericus Romanorum Imp. illustris semper Augustus, & Rex Siciliæ, nec non venerabilis frater noster patriarcha Hierosolymitanus, & dilecti filij hospitalis, & domus militiæ templi Hierosolymitani magistri suis nobis literis intimarunt. Quod iam sibi ciuitatibus, & locis alijs inexpugnabilibus subiugatis nullum inueniens repagulum, vel obstaculum, pro modico reputat occupare terras cultui Christiano relictas, & Christicolas, tam religiosos quam alios in gladij occisione delere, credens fore, diabolo mendaciter suggerente, quod populus Christianus fatigatus laboribus, & sumptibus infinitis potius elegerit causam Christi deserere trepidanter, quam illuc auxilijs succurrere iteratis. Quid ad hæc igitur, quid ad hæc? Numquid abbreuiata est manus Domini, vt saluare nequeat, vel auris eius, vt non exaudiat aggrauata? An fideles suos tentat, vt probet, vtrum iniuriam suam multam, vel terram prædictam velint relinquere indefensam? Absit, vt obliuiscatur homo pacti domini Dei sui: sed memor se ad illius diuitis mensam sedisse, qui est diues super filios hominum, quæ sibi fuerunt apposita, studeat & eadem apponere ipse illi, non trepidans pro eo calicem salutaris accipere, quem idem pro nostra salute gustauit: quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam Christi fidelibus reuelandam. Vt itaque diabolo propria iniquitas mentiatur, dum vnde animarum machinatur excidium, inde salutem eis doleat peruenisse, vniuersitatem vestrã monemus, & hortamur attente per apostolica vobis scripta firmiter præcipiendo mandantes, quatenus exhibentes vos fideles Christi ministros, singuli subditos vestros crucesignatos & alios, secundum datam vobis a Domino gratiã, sedulis exhortationibus excitetis, vt ad succurrendum terræ prædictæ in personis, & rebus taliter se studeant præparare, quod cum iterato fuerint requisiti, impendant succursum, & subsidium opportunum; aliasque operari, & cooperari causæ Christi taliter studeatis, quod affectum & effectum vestrum retributiua gratia prosequens, gloriam vobis tribuat sempiternam, nosque diligentiam vestram dignis debeamus in Domino laudibus commendare. *Dat. Later. 11. kal. martij pontif. nostri anno IV.*]

Obiurgat Greg. Babyl. Sultanum contra datam fidem nonnullos Christianos vincu lis mancipasse.

56 Præterea Pontifex, Templariorum magistro vetuit, ne bello Persico imminente finitimos barbaros lacesseret, inducias ue cum illis initas violaret, vti sprero præfecti a Friderico regni Hierosolymitani imperio tentauerat, ne ex eo grauius periculum rei Christianæ crearetur, viresque ad retundendos Persarum impetus debilitarentur. Cumque pertatum esset soldanum Babyloniæ mercatores Anconitanos, qui apud Alexandriam fide ab eo publice data degebant, ipsius iussu bonis exutos, aut in seruitutem coniectos, Pontifex barbarum principem graui oratione obiurgauit a, iura gentium turpissime violasse, hortatusque est, vt tantum a se dedecus amoueret, ipsosque e seruitute in libertatem vindicaret: *Rem nouam, & insolitam, rem detestabilem, & horrendam rumore audiuimus obstupendo, quod videlicet mercatores Anconitanos fideles nostros apud Alexandriam sub tua securitatis solita fiducia commorantes capi fecisti, detinesque captiuos, bonis omnibus spoliatos, quod est vtique contra fidem, & pacem, quarum prædicabaris hactenus inuiolabilis custoditor: est etiam contra honorem, & profectum tuum, quibus ex hoc plurimum derogasti, quia ex parte tua fide taliter violata, hinc de te confidere quis audebit? Quia vero remediabile bonum est in excessibus accelerata correctio, magnificentiam tuam affectuose rogamus, & monemus attente, quatenus conscientia, ac famæ tuæ salubriter consulens prædictos mercatores ob reuerentiam diuinam, & nostram cum omnibus bonis suis liberaliter restituas libertati, ita quod exinde Dei, & hominum euites offensam, & nos te debeamus in maioribus exaudire. Dat. Reate 111. id. aug. pontif. nostri anno V.* Hæc barbaro principi Gregorius, qui non modo Asiaticas res, verum etiam Constantinopolitanas tueri studuit, vt ostendunt eius literæ ad Strigonien. archiep. datæ, quibus hortatur b, nonnullos principes ad defendendum Constantinopolitanum Imperium excitaret, Ioannique Regi auxiliares copias conciliare conatus est.

a Lib. 5. ep 113.

b Lib. 5. ep. 73.

Ioannes Hier. Rex e Gallijs in Ital. ad Pontificẽ se confert.

57 Comparato in Gallijs exercitu Hierosolymitanum Regem, quem antea ad orientalis Imperij sceptra vocatum vidimus, hoc anno ineunte in Italiam venisse, scribit Richardus; cumque Perusij substitisset, Pontificem Reate conuenisse subdit auctor, qui Venetijs copias imposuisse nauibus & Constantinopolim applicuisse describit his verbis: *Rex quondam Hierosolymitanus apud Reate ad Papam vadit, de cuius assensu, vt cum filio Imperatoris Constantinopolitani de filia sua contrahat & ipse sit curator Imperij, donec in minori constitutus ætate perueniat ad legitimam. mare apud Venetias intrans vadit collecto exercitu Constantinopolim.* Appellatus ideo videtur Ioannes ab Richardo Imperij administrator, cum supra recepto tantum Cæsaris nomine magna modestiæ laude sceptro abstinuisse retulerim. At Pontifex Imperatorem eum designatum appellat in literis c ad patriarcham Constantinopolitanum sedis Apost. legatum missis, quibus significat multis difficultatibus in dies emergentibus implicitum hactenus traiectionem distulisse; sed demum ijs superatis, percusso cum Venetis fœdere breui copias traiecturum: *Licet inopinatæ difficultates emerserint, quare charissimus in Christo filius noster Ioannes Rex Hierosolymitanus illustris in Imperatorem Constantinopolitanum electus iuxta nostrum, suum, & tuum desiderium, hactenus Imperium adire nequiuit, nunc tamen faciente Domino, qui operatur omnia secundum sua consilium voluntatis, & nobis cooperantibus studiose, ipsis difficultatibus expeditis idem Rex cum honorabili exfortio in proximis kalendis augusti ad transeundum nauem, auctore Domino, intraturum, & Venetis translaturos sese inuicem iuramentis, & alijs cautionibus astrinxerunt. Quocirca fraternitatem tuam rogamus, & monemus attente per apostolica scripta mandantes, quatenus prænuntiata lætitia hilarescens, alios modis, quibus potes, studeas confortare, quæcunque Regi tam cito profutura cognoueris, sollicite procurando, & impedimenta quælibet submouendo, ita quod fidem, & diligentiam tuam dignis debeamus in Domino laudibus commendare. Dat. Later. VIII. id. maij pont. nostri anno V.* Petijsse Ioannem Constantinopolim maritimo itinere scribit Logotheta, cum validis adeo copijs instructus non esset, vt terra viam sibi ferro munire posset, ac duobus annis Constantinopoli se continuisse, antequam in Græcos vllam expeditionem adduceret.

Venetijs exercitu nauibus imposito Constantinopolim appellit.

c Ep. 75.

IESV CHRISTI
Annus 1232.

GREGORII PP. IX. annus 6, FRIDERICI II. IMP. 13. BALDVINI II. IMP. 4.

Christiana fides in septentrionalibus regionibus amplificata.

1 TRiumphauit Ecclesia hoc anno trigesimo secundo supra millesimum indictione quinta, in amplificanda religione per extremas septentrionis oras, quæ hactenus frigore obsitæ, feruorem fidei non senserant. Episcopus Semigalliensis antequam illam dignitatem consequeretur, egregium in collustrandis euangelij luce populis, operam nauauerat, cuius rei nuntio ingenti perfusus gaudio Pontifex, quo maiores illi iam episcopo creato animos adderet, neophytosque confirmaret, illum apostolici legati dignitate insigniuit a, ac partes iniunxit episcopos vrbibus imponeret, præficeret animarum curæ promouendæ viros idoneos, abbates constitueret, cæteraque omnia pro rei dignitate administraret.

a Greg. l. 5 ep. 172.

Episcopo Semigalliensi.

Pœnitentiarius Card. S. Nicol. A. S. L. strenuam in gentiũ conuersione operã nauat.

Cum in minori adhuc officio constitutus, de credito tibi talento fructum acceptabilem, & de labore tuo benedictionis manipulos reportans, digne velut fidelis seruus, & prudens, super familiam Domini, cui cibum debeas in tempore ministrare, constitui meruisti, qui vtique de gratia in gratiam, & de virtute proficiens in virtutem, mundi desideria abnuens, studuisti spiritu ambulare. Olim siquidem memor existens, quod nullum Deo sacrificium est acceptius, quam lucrum quærere animarum, feruore deuotionis accensus ad mandatum dilecti filij nostri Othonis S. Nicolai in carcere Tulliano diaconi Card. tunc A. S. L. in laboribus & periculis multis, quasi Iordanem cum Iacob in baculo pro gentium conuersione maria trãsiens, non solum cum duabus turmis ouium, verum etiam cum diuersis prouincijs paganorum in Christo credentium remeasti, ad arcam sicut columba deferens ramum virentis oliuæ in reconciliatione non paucæ barbaræ nationis.

Creatur ep. Semigalliensis.

2 Eo igitur in gratia collata tibi a Domino suauius delectari, quo exinde flores & fructus perueniunt gratiores, cum non esset lucerna ponenda sub modio, sed supra candelabrum, vt tenebras multorum illuminet, collocanda, te in Semigalliensem episcopum manibus nostris duximus consecrandum: indubitatam quoque de te gerentes fiduciam, vtpote non tam argumentis, quam euidentibus experimentis instructi, quod animarum salutem, & Christiani cultus sitias incrementum, ad quæ potens es in opere, ac sermone, concesso tibi in Liuonia, Gothlandia, Vinlandia, Hestonia, Semigallia, Curlandia, & cæteris neophytorum & paganorum prouincijs, & insulis circumpositis legationis officio pro fidei finibus dilatandis, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus in locis eiusdem libere Christum annunties, corrigendo personas ecclesiasticas, & ecclesias reformando. Instituas quoque in eis, & inde amoueas, cum opus fuerit, abbates, priores aliosque subditos, & personatus habentes, promouens ad ordines clericos; electionem episcoporum confirmans, eisque consecrationis, & abbatibus benedictionis munus impendens, cum expedierit & videris opportunum. Virtute igitur spiritus indutus ex alto commissam tibi solicitudinem tam laudabiliter studeas exercere, vt per ministerium tuum in partibus illis fide catholica propagata, ei placeas, qui sibi placitos prouehit in salutem, paratus quod supererogaueris, compensare. Ne autem tibi desit potestatis auctoritas, cui adest conscientiæ puritas, & præsto esse creditur iudicium rationis, præsentium tibi auctoritate concedimus, vt contradictores & rebelles excommunicationis, suspensionis, & interdicti censura percellas, quia & nos sententiam, quam in tales rite protuleris, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino vsque ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruari, *Dat. Reate v. kalend. febr. pontif. nostri anno v.*] Paucis vero post diebus Curlandam cum omnibus ad ipsam spectantibus ipsius fidei in viram permisit a. alioque diplomate eius amplificata auctoritate hæc adiecit: *Curam episcopatuum Reualiæ, Vironiæ, ac aliorum de Liuonia, Vinlandia, & Hestonia dum vacant, vel eorum episcopi sunt absentes, tibi personaliter vsque ad beneplacitum nostrum duximus in spiritualibus fiducialiter committendam.*

Legati apostolici munere augetur.

a Ibid. ep. 182.

Curonij Christiana sacra amplectũtur.

3 Inter cæteros populos, qui insanas dæmonum superstitiones abiecere, Curonij sese Ecclesiæ aggregarunt: ad quorum ornandam pietatem varia in eos priuilegia Apostolica sedes congessit b, inter quæ id adiectum, vt nec Daniæ regno, nec Sueciæ subijcerentur, sed perpetua libertate, quandiu a fide desciscere non accideret, potirentur. Illud tamen onus ipsis impositum, vt ad expeditiones pro Christianorum terris defendendis, religioneque proferenda conflandas se conferrent, atque intra duorum annorum spatium summo Pontifici sisterent sese, ac facta ab eo imperia religiose obseruarent, editumque ea de re Cardinalis legati pœnitentiarij diploma ijs populis concessum corroborauit, cuius seriem subijcit: *Frater. B... monachus Aluensis, domini Othonis Cardinalis sedis Apostolicæ legati pœnitentiarius, ac nuntius, omnibus Christi fidelibus in perpetuum, Cum inspirante gratia Spiritus sancti, vbi, quando, atque quantum vult spirantis, Lammechinus Rex, & pagani de Curonia de terris Esestua, scilicet Durpis, & Saggara, & Kiligundis, quarum hæc sunt nomina: Thargolara, Osua, Langis, Venelis, Normis, Kiemala, Pygawas, Sarnitus, Riwa, Sacezs, Edualia, Alisowanges, Ardus, Alostanotachos, & de alijs Kiligundis villis ex vtraque parte Vindæ sitis offerrent se ad fidem Christi suscipiendam, terras suas, se, & obsides suos per manum nostram ad manus Domini Papæ conferentes, omnimoda eiusdem ordinationi stare perpetuo promiserunt. Nos vero domini Papæ vices in hac parte agentes de communi consilio ecclesiæ Rigensis, abbatis de Dunemunde, mercatorũ omnium, militum Christi, peregrinorum, ac ciuium Rigensium tale cum eis pactum inimus, & firmauimus conditionem; videlicet quod incontinenti sacerdotes recipient auctoritate nostra sibi destinandos: honeste in necessarijs procurabunt eos, & eisdem tanquam veri Christiani in omnibus obedient, & eorundem per omnia salutaribus monitis acquiescent: ab hostibus eos sicut seipsos defendent: ab eisdem omnes tam viri quam mulieres, & infantes sacræ regenerationem baptismatis indilate recipient, & aliorum ritus Christianorum obseruabunt. Episcopum autem domini Papæ auctoritate instituendum eisdem cum reuerentia, ac deuotione, tanquam patrem suum & dominum recipient, & in omnibus tanquam domino suo & episcopo aliorum more debito Christianorum perfectissime obedientes eidem obtemperabunt, ipsi reuerentiam, ac subiectionem domino, & episcopo suo debitam impendentes.*

b Ep. 185.

Quæ leges fœderis cũ ijs initæ.

4 *Ad ea vero iura, quæ persoluere tenentur indigenæ de Gothlandia, per omnia perpetuo tenebuntur episcopo suo, suisque prælatis annuatim persoluenda, ita quod nec regno Daciæ, nec Sueciæ subijcientur, perpetuam enim eis indulsimus libertatem, quamdiu eos apostatare non contigerit: pacto tamen inito & in chartula præsenti conscripto robur perpetuum obtinente, expeditiones super paganos tam pro terra Christianorum defensione, quam pro fidei dilatatione faciendas frequentabunt; intra biennium domino Papæ se præsentabunt, & secundum eiusdem arbitrium per omnia perpetuò se habebunt, & ordinationem: medio autem tempore instituta nostra perfecte seruantes, ac præcepta, nobis obedient in omnibus*

Gothlãdis libertas promissa dũ in fide Christ. perstiterint.

bus & per omnia obtemperabunt, salua in omnibus auctoritate domini Papæ, &c. Actū anno domini MCCXXX. *in die Innocentum. Nulli ergo, &c. Dat. Reate* III. *id. feb. pont. nostri anno v.*

5 In altissimam euangelij lucem adducti pariter fuerant finitimi populi, quibus summus Pontifex leges sequenti diplomate ad ipsos dato a contentas ab O.... Cardinalis legati pœnitentiario latas corroborauit, exciperent sacerdotes, eosque omnibus rebus necessarijs instruerent, atque ab improborum hominum iniurijs vindicarent, ab illis filios sacro baptismate ablui curarent, cumque Christianus exercitus pro fide cōtra ethnicos compararetur, ad arma pro eadem causa ipsi quoque prosilirent: qui vero ij populi essent ad castra Ecclesiæ recens traducti, recenset Semigalliensis episcopus: *Cum inspirante gratia Spiritus sancti, vbi, quando, atque quantum vult spirātis nobis quamlibet indignis administrantibus, atque procurantibus pagani de Curonia, scilicet de Bandovve, de Vvannenia, de citra Vvinda, de villis, quarum nomina hæc sunt: Rende, Vvasa, Galle, Matsebule, Vvanne, Pyrre, Vgenesse, Cadovve, Anzes, Talse, Arovvelle, Pope, & pluribus alijs fidem susceperunt Christianam, ad hoc ipsum obsides suos dederunt, & sacri regenerationem baptismatis receperunt. Nos vero de communi consilio, & consensu ecclesiæ Regensis militum Christi vniuersorum peregrinorum, omnium etiam Rigensium, & mercatorum tale cum eisdem pactum inimus ac firmauimus conditionem, &c.* Eædem ferme sunt leges, quæ superius alijs neophytis, atque adeo prætermittendas censemus.

a Ep. 186.

Alij populi Ecclesiæ aggregati.

6 Eam porro legem de capessendis ad tuendam fidem armis ob id summus Pontifex indixit, quod plures ijs temporibus, in regionibus illis, gentilitijs erroribus imbuti, aduersus Christianos furore inaudito coniurarent, eorumque sanguinem immanissime effunderent. Inter quos Pruteni, quorum plures susceptam Christi fidem abiecerant, cum alijs paganis conscripto numeroso exercitu, in vicinas Christianorum terras sese effuderant, horrendasque intulerant clades, incenderant vrbes, lacerarant fœdissime plures Christi fideles, virgines dæmonibus immolarant, torque alia intulerant mala, vt plures nemorum recessus petere cogerentur. Ad quorum comprimendum furorem, cum sacræ Theuronicorum familiæ religiosi equites strenue ad bellum se accinxissent, nec ferendis tamen illorum impressionibus numeroque pares esse possent, admonitus de ijs Gregorius Papa, Christianis expeditionem sacram contra illos promulgare iussit, ac Bohemos, qui Hierosolymitanum iter vouerant, commutato voto, aduersus Prutenos signa attollere imperauit b, vt testantur sequentes ad memoratos equites missę literæ, vt fideles ad tam pium opus pro concione inflammarent.

Pruteni in Christianorū terras excurrunt.

b Ead. l. 5, ep. 168.

Gregorius, &c.

Ex literis venerabilium fratrum nostrorum Mazouiensis, Vvratislauiensis episcoporum, & capitulorum suorum, necnon prudentium virorum relatu percepimus, quod pagani Pruteni verum Deum, & dominum Iesum Christum agnoscere respuentes, vltra decem millia villarum in Prussiæ confinio positarum, claustra, & ecclesias plurimas combusserunt. Quare ad cultum diuini nominis præterquam in siluis, in quibus multi de fidelibus latitant, locus hodie non habetur. Ipsi etiam plusquam viginti millia Christianorum in occisione gladij posuerunt, & ignominiosa morte damnarunt, & adhuc de fidelibus vltra quinque millia detinentes in compede seruitutis, reliquos habitatores Mazouiæ, Cuiauiæ, & Pomeraniæ instanter perdere moliuntur, iuuenes, quos capiunt, continuis, & horrendis laboribus consumendo, virgines pro ridiculo floribus coronatas in ignem dæmonijs immolant; senes occidunt, pueros necant, quosdam infigendo verubus, quosdam ad arbores allidendo. Quid vltra? ipsi ferarum more humanum sanguinem sitientes in contumeliam Creatoris, quem multi eorum post receptam baptismi gratiam reliquerunt, luci tenebras præferendo, illa fidelibus infligunt iacula tormentorum, quæ stuporem afferunt cogitata, & potius fletus materiam offerunt, quam relatus.

Ferina illorum crudelitas.

7 Et licet dilecti filij fratres hospitalis S. Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani pro reuerentia Iesu Christi, cuius se obsequio deuouerunt, assumpserint in Prussiæ partibus negotium fidei ex animo prosequendum, cum quibus Deus misericorditer operatur, reprimendo per eos impetum barbaræ feritatis; quia tamen ad tam arduum negotium sufficere per se nequeunt, & egent fidelium subsidijs adiuuari, vniuersitatem vestram monemus, & obsecramus in Domino, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus assumpto sanctæ prædicationis officio propter Deum pauperum, & debilium crucesignatorum in regno Bohemiæ, cum quibus duximus dispensandum, vota peregrinationis in succursum prædictorum fidelium commutetis, & tam eos quam alios fideles in regno constitutos eodem ad nimiam charitatem, qua Christus nos dilexit & diligit, respectum habere, & ei retribuere aliquid pro omnibus, quæ tribuit ipse illis, monitis, & exhortationibus vestris secundum datam vobis a Deo prudentiam informetis diligenter, & solicite; postulantes, vt ipsi redempti pretio glorioso, in quos tanquam viros Christianos, & catholicos cadere opprobria exprobrantium Christo debent, se viriliter, & potenter accingant, tanquam zelum Dei habentes ad vindicandam iniuriam Crucifixi, & ad liberandum proximos de manibus paganorum profecturi, & acturi secundum fratrum consilia prædictorum; ita quod & ipsis præmium debeatur æternum, & infideles non possint, quod impune Christi nomen impugnauerunt, gloriari, &c.] Correpturis arma in tam iusta causa indulgentiarum præmia pollicetur. *Dat. Reate x. kal. febr. pont. nostri anno v.*

Excitat ad induēda in ipsos arma fideles.

8 Nec humaniores Prutenis erant in Bremensi archiepiscopatu Stedinghi nefanda dæmonum superstitione fascinati, qui grauissima ea tempestate, maximeque clericis ac religiosis viris damna crudelissime impresserant, cunctaque sacra proterebant. Contra quos Gregorius Christi fideles ad induendam crucem incitari pro concione iussisse, pontificiæ literæ episcopis Mindensi, Lubecensi, & Racemburgensi missæ testantur a, quibus, enarratis immanissimis eorum flagitijs, peccatorum indulgentias elargitur, cum ijs qui solemnibus ea de re concionibus interfuissent, tum etiam illis, qui suam opem & auxilium in sacram expeditionem contulissent: *Intenta fallacijs sathanæ malitia reperiri nesciens in periculis otiosa quosdam, qui Stedinghi vocantur, in Bremensi prouincia constitutos, sicut dolentes audiuimus, & referimus cum horrore, a notitia Creatoris ita reddidit alienos, vt amentes effecti, & quadam insania ventilati, relicta semita veritatis, in inuium adeo sunt deducti, quod nec Deum, nec homines venerentes, doctrinam sanctæ matris Ecclesiæ vilipendunt, eius libertatem impugnant, & dediti crudelitatis officio, quasi de ferinis vberibus fuerint enutriti, nulli parcunt sexui, vel ætati. Quid vltra? effundentes sanguinem sicut aquam, clericos, & religiosos ferali more lacerant, & quosdam ad instar crucis affigunt parieti in opprobrium Crucifixi. Ipsi etiam, vt expressione maiori se perfidos indicent & diuinæ potentiæ contemptores, salutis nostræ viaticum, quo vita tribuitur & mors tollitur peccatorum, horribilius quam deceat exprimi, pertractantes, quærunt responsa dæmonum. simulacra cerea faciunt, & in suis spurcitijs erroneas consulunt*

Stedinghi in Bremensi prouincia grassantur.

a Lib. 6. ep. 152.

Sæua illorum barbaries ac impietas.

Solicitati ad arma aduersus ipsos fideles.

pytho-

pythonissas, alia peruersitatis opera perpetrantes, quæ stuporem inferunt meditata, & fletus materiam potius offerunt, quam relatus. Verum quia huiusmodi excessibus tam iniquis potenti dextera fidelium est celeriter obuiandum, vt illorum horrenda sæuitia per obiectæ virtutis instantiam desectionis sentiat detrimenta, &c. Hortatur, vt populos ad corripienda defendendæ religionis gratia contra nefarios dæmonis cultores pro cōcione incitent, ac præmia indulgentiarum expeditionem suscepturis proponant. *Dat. Anagniæ xv. kal. nouemb. pontif. nostri anno VI.*

a Stad. in chron. hoc ann.

Plures hæreses emergunt in Germania

De Stedingis ait Stadensis a, archiepiscopum Bremensem castrum Sintere ad frænandos eorum impetus excitasse, ac statim ab ipsis euersum; subditque defuncto hoc anno Chusphoro abbate Stadensi in eius locum se fuisse subrogatum. Cæterum in Austria nefandum flagitium plures infecerat, cui excindendo viros religiosos incumbere iussit b Gregorius, Lundensique arch. iniunxit, vt magistratuum implorata ope nonnullos clericos coerceret, qui ne ob morum impuritatem pœnis canonicis afficerentur, coitiones inierant: Argentinensi pariter episcopo præcepit in clericos hæreseos notam iustos eadem seueritate atque in laicos animaduerteret: denique Maguntinensi, vt in mali auctores zelum exereret. plures vero hæreses in Germania hoc anno detectas, earumque sectatores flammis iniectos tradit Godefridus c. in quam sententiam hæc Siffridus d: *In Theutonia multi hæretici tonsi, & cremati sunt a magistro Conrado de Martburg ex commissione domini Papæ Gregorij.* Verum hoc reijciendum videtur in annum sequentem, cum hæc Conrado aduersus hæreticos prouincia ab sede Apostolica est demandata.

b Ib. ep. 79. 80. Ep. 144.

c Godef. in annal.

d Siffr. ep. lib. 2.

In eas ferro flammisq; pugnatum.

9 Cæterum dum perditi hæretici suas in Germania errorum tenebras offundere nitebantur diuino consilio factum est, vt eodem tempore plurium miraculorum, quæ sanctorum opera ad eas discutiendas patrabantur, fulgore radiaret. de sancti enim Gothardi trāslatione, deque eius miraculis hæc auctor additionum ad Lambertum: *S. Gothardus anno dormitionis suæ centesimo primo minus vno die dicti anni,* nimirum MCCXXXIS. *die vltimo iv. non. maij in Hidensheim e terra leuatur, cuius signorum admirabili magnitudine omnis Germania illustrata lætatur.* Effulgebat etiam ijsdem temporibus B. Elisabeth pluribus miraculis, ingentiaque beneficia Deus in eos, qui se illius precibus cōmendabant, explicabat: quorum fama cum latius percrebuisset, Gregorius Conrado Marpurgensi, atque archiepiscopo Maguntino, & abbati de Berbarch prouinciam demandarat e, vt cœlestia illa prodigia ad sepulchrum illius edita certius inquirerent, testibusque adhibitis redacta in tabulas publicas, sigillisque communita per nuncios, cum imperatum esset, ad apostolicam sedem transmitterent: *Cum lætitia dulcium lacrymarum concursibus comitata, pridem dilecte fili frater Conrade ex literis tuæ deuotionis accepimus, quod ille artifex gloriosus, qui terram in aurum, & aquam alterat in crystallum clara memoria ancillam suam B.. quondam charissimam in Christo filiam nostram Lantgrauiam Turingiæ iure natura fragilem & labilem, demum dono gratiæ in cultu diuini nominis stabilem, & robustā, ac tandem mundanæ miseriæ compedibus expeditam aggregauit collegio supernorum gloriam concessæ beatitudinis signis exprimens gloriosis. Nam circa sepulchrum eius & locis alijs per inuocationem sui nominis, & deuotionis sinceræ suffragia, vita mortuis, lumen cæcis, auditus surdis, verbum mutis, & gressus claudis cælestis dextera conferuntur.*

S. Gothardi translatio.

B. Elizab. miraculorum gloria coruscat.

e Lib. 6. ep. 121.

De ijs inquiri iubet Greg.

10 *Verum etsi per virtutum insignia, quibus olim iam dicta Lantgrauia extitit multipliciter insignita, seu per famosa miracula, quibus eius sancta rutilare dicitur sepultura, cælestis sponsi vocibus esse de sanctorum numero debeat affirmare; tamen quia mentibus ambiguis subito rei veritas non clarescit, & repentinis non solet miraculorum relatibus quorundam spiritus exultare, eo quod omne rutilum nomen auri non impetrat, nec ebur quodlibet niuem imitatur, nos quos prouidentia præambula decet festinos in certis, & lentos in dubijs inueniri, discretioni vestræ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus, &c.* Partes ijs imponit, vt proposita tantum ob oculos diuina gloria magna consilij maturitate miraculorum veritatem discutiant, atque in publicas tabulas referant. *Datum Anagniæ 12. id. octob. anno VI.* Deque eadem re alteras literas misit a, quibus miraculorū testes diligentissime interrogari, atque ad examen vocari iussit, ac de examinis forma hæc demum tertijs literis b: *Testes legitimi, qui supra vita, conuersatione ac miraculis quondam Elisabeth Lantgrauiæ Thuringiæ sunt recipiendi, prius ab eis præstito iuramento diligenter examinentur, & interrogentur de omnibus, quæ dixerunt, quomodo sciūt, quo tempore, quo mense, quo die, quibus præsentibus, quo loco, ad cuius inuocationem, quibus verbis interpositis, & de nominibus illorum, circa quos miracula facta dicuntur, & si eos ante cognoscebant & quot diebus ante viderunt eos infirmos, & quanto tempore fuerunt infirmi, & de qua ciuitate sunt oriundi, & interrogentur de omnibus circumstantijs diligenter, & circa singula capitula fiant, vt expedit, quæstiones præmissæ. Et series testimonij & verba testium fideliter redigantur in scriptis,*

a Ibid. ep. 122.

b Ep. 123.

11 De Elizabeth sanctitate in luce & ore totius populi Christiani collocata locuti, Conradi Lantgrauij Thuringiæ, qui non mediocrem ad eam cœlitum albo referendam, operam defixit, eximium pœnitentiæ exemplum pijssimumque facinus coniungere libuit. Nimio ipse antea zelo percitus cum abbatem quendam ob negatas Siffrido archiepiscopo Maguntino pecunias squallore obsitum nudoque tergo virgis publice cædendum Frislaui audijsset, in archiepiscopum auarum adeo excāduit, vt facto in eum impetu proxime abesset, quin eum iugularet, atque e ciuitate prorumpens, cōtractis mox copijs, eam obsidione cinxit: quam cum expugnare non posset, & vasa colligere meditaretur, meretriculæ pro muris ciuitatis denudato vtero, iactisque conuicijs adeo ipsum exasperarunt, vt rursus obsidioni insisteret, vrbemq; captam nullo prophani sacriue loci discrimine ferro flammaque deleuerit. Sed cum crudele factum conscientiam postea lancinaret, veniam a desolatæ vrbis ciuibus supplex poposcit, in pia loca liberaliter ingentia bona contulit, religioso Theutonicorum equestri ordini sese aggregauit, Romam petijt, a Pontifice absolutionem obtinuit, largas eleemosynas effudit, pauperibus famuli obsequia sæpius demisse exhibuit, de B. Elisabeth glore sua in catalogo sanctorum reponenda cum Pontifice pluribus egit, explicitisque Romæ innumeris virtutum exemplis, in Germaniam reuersus crucigerorum magister est salutatus: quæ licet anonymus historiæ Lantgrauiorum Thuringiæ auctor sequenti anno consignet, in hunc opportune congerenda duximus. Sed de his satis; iam ad Vngaricas res excurramus.

Excitati inter Siffridum & Lantgrauium belli causæ.

Frislauū a Lantgrauio obsessum.

Ferro flāmaq; deletum.

Facinoris pœnitētia ductus Lantgrauius religiosis equitibus se aggregat.

12 Quamuis Elisabeth parens Andreas, quem Gregorius etiam eo priuilegio ornarat, vt nullus ipsi anathematis notam nisi facto a sede Apostolica imperio posset inurere, Vngariæ sceptra tractaret, tanta tamen Sarracenorum, Iudæorum aliorumque infidelium multitudo in eo regno pullularat, vt durissimo illorum iugo plures Christiani opprimerentur: ac licet anno superiore, vt vidimus, a Gregorio atque apostolico legato Strigoniensi archiepiscopo pro restituenda suo splendori re Christiana, quæ periclitabatur, desudatum esset, nullum veteribus malis remedium adhibitum erat: atque nimia eiusdem Regis,

qui

qui se procerum consilijs nefarijs subornari patiebatur, facilitate vel ignauia potius, excrescente infidelium potentia, ac multis Christianis a fide desciscentibus, omnia in peius collapsa essent, Robertus archiepiscopus Strigoniensis iustissimo zelo percitus interdicto Vngariam perculit, Regem vt resipisceret monuit, ac præcipuos illius ministros, qui grauissimis etiam sese sceleribus inquinarant, cœtu fidelium, vibrato anathemate, abegit. vtque interdicto lato vires adderet, Iacobum electum Prænestinum A. S. L. & alios conspicuos in Vngaria episcopos exorauit, publicis literis vniuersos Christi fideles facerent certiores, se diploma a summi Pontificis, quo ipsi auctoritas fulminandi interdicti demandata esset, recognouisse. Roganti archiepiscopo morem gessere præsules ac publicis literis apostolicas, quas nos superiore anno attulimus, tum alias missas a Gregorio eodem argumento ad Regem literas, quibus ipsum hortabatur ad tollenda ea mala sedulo incumberet, inseruere, atque adiecere Regem ijs permotum constitutionem ad componendum regni statum edidisse, quam pariter ijdem episcopi literis suis insinuarunt his verbis.

Religio Christiana in Vngaria laborat.

* Ann. Chr. 1231 ex reg. Greg. l. 4. ep 124.

Andreæ constitutio de emendandis regni abusibus.

13 *In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Andreas Dei gratia Vngariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Seruiæ, Galatiæ, Lodomeriæque Rex in perpetuum, concedimus tam eis, quam alys iobagionibus & seruientibus regni nostri libertatem a sancto Rege,* nimirum Stephano primo Vngarorum Rege, *concessam, ac alia ad statum regni nostri ordinandum pertinentia, in hunc modum cõfirmamus. In festo S. Regis nostri nisi arduo negotio regni nostri ingruente, vel infirmitate probibiti fuerimus, Albæ tenemur solemnizare, vt ibi oppressi sine timore querimonias suas nobis possint exponere: sed si nos non possumus interesse, palatinus interesse tenetur, & vice nostra causas audiat, & omnes seruientes nostri & alij qui volunt, libere & sine timore illuc conueniant prælati ecclesiarum aut archiepiscopi & episcopi ad pauperum querimonias audiendas, ex infrascripta forma libertatis concessæ confirmatione, nisi canonica præpeditione fuerint impediti, tenentur interesse. Si palatinus interim male administrauerit negotia Regis & regni, supplicabũt nobis, vt vtiliorem loco eius constituamus, quem volumus, quod nec nos nec posteri aliquos vnquam capiant, vel destruant, nisi prius ordine iudiciario conueniantur, & cum ista sacramento nostro & principum nostrorum fuerint confirmata. Si qui per nos vel per filios nostros vel per quoscunque post idem tempus, scilicet decimo septimo anno regni nostri sine iudicio sunt spoliati, plene restituantur. Item nullam collectam, nullam exactionem, nec lucrum cameræ, quocunque nomine possit censeri, occasione aliqua super homines cuiuscunque nationis, vel conditionis colligi faciemus, exceptis, qui fisco regio in debito censu tenentur super domos seruientium, vel villas, nec nos, nec agasones, nec falconarij, nec caniferi, nec curriferi nostri descendant ipsis inuitis. Vbicunque autem alibi nos vel dictos officiales nostros descendere contigerit, iustam æstimationem solui faciemus, sicut in sequentibus continetur.*

Habendis Albæ comitijs. pro iustitia administranda.

Non imponendis vectigalibus.

Non exercendis rapinis.

14 *Et quia propterea tam per descensus nostros, & dominæ Reginæ, ac filiorum nostrorum, intolerabilia damna, & grauamina per totum nostrum regnum fieri videbamus, districte præcipiendo statuimus, vt nihil recipiatur ad coquinam nostram, vel nostrorum nisi iusto dato pretio. Similiter & de annona, & de vino, & alijs necessarijs nihil recipiant, nisi dato iusto pretio. Pro domestico autem, cui iustitia exhibita non fuerit, tres rustici de villa iurare debeant, & ad eorum iuramentum hospes quicunque fuerit, domestico plenam faciet iustitiam cum iudiciali regali, vel dominus villæ, quicunque fuerit, siue archiepiscopus, siue episcopus, siue nobilis ille per literas hoc verbo veritatis dicere teneatur. Quicunque vero nobiles iuxta formam statuti nostri iustitiam non fecerint, tales quilibet episcopus in sua diœcesi excommunicet, & nos eos pro excommunicatis tamdiu habebimus, donec iniuriam passo satisfiat competenter.* Et infra:

Percellendis anathemate iudicibus si ab æquitate deflexerint.

15 *Nobis facientibus exercitum extra regnum nobiles nobiscum ire non tenentur, nisi comites & stipendiarij, & iobagiones castri, & qui ex officio debito tenentur, quibus amplas concessimus possessiones. Si vero exercitus super regnum venerit, vniuersi & singuli ad defensionem patriæ contra inimicos se apponere teneantur. Regresso superueniente exercitu pro vindicta ipsos tenentur persequi. Palatinus vero comes homines omnes indifferenter discutiet, præter personas ecclesiasticas, & clericos, causas matrimoniales, & dotes & alia ecclesiastica, quæcunque ratione videntur ad ecclesiasticum examen pertinere.*

Constandi exercitus modo.

16 *Causæ nobilium, quæ ad perditionem capitis, aut destructionem possessionum eorumdem pertinent, siue conscientia regia periculo terminentur. Palatinus iudices vicarios non habeat, nisi vnicum in curia sua, & caueat diligenter, ne contra præsens statutum aliquem iudicet, vel condemnet. Curiales comes noster, dum in curia nostra manet, omnes iudicet, & causam inchoatam in nostra curia vbique possit terminare, sed existens in prædio suo, vel alibi extra curiam nostram nec dare præstaldos, nec partes possit citari facere. Et quia multi in regno læduntur per falsos præstaldos, citationes vel testimonia eorum non valeant nisi per testimonium diœcesis episcopi, vel capituli, nec falsificatus præstaldus poterit se iustificare, nisi eorumdem testimonijs in factis maiorum, minorum, vicinorum, conuentuum, vel claustrorum testimonijs; præstaldum nullus per annum, vel biennium, vel vltra secum detineat, nisi vsum ad decisionem causæ, ad quam impetrauit.*

Ecclesiastici suũ tribunal habeant.

17 *Hospites nobiles ad regnum venientes, nisi incolæ esse velint, ad dignitates non promoueantur: per tales enim diuitiæ regni extrahuntur. Vxores decedentium, vel condemnatorum per sententiam ad mortem, vel in duello succumbentium aut alia ex quacunq; causa non fraudentur dote sua. Vxores furum vel latronum, vel eorum liberi pro delictis patrum non vendantur. Integros comitatus vel dignitates in prædia non transferemus. Statuimus iobagiones castrorum secundum libertatem a sancto Rege constitutam, similiter & hospites cuiuscumque nationis secundum libertatem ab initio eis concessam perpetuo teneri. Ad secandas indagines, ad fossata facienda, ad bartos, ad quæcunque regia ædificia, vel officinas seruientium, vel ecclesiarum populos non cogemus. Præter vigesimam, quam ab antiquo Reges habent, decimas non exigemus, quia per hoc populus grauatur. Porci nostri in siluis, vel pratis seruientium contra voluntatem eorum non pascantur.*

Exteri ad dignitates non admittendi.

18 *Monetæ, & salibus & alys publicis officijs Iudæi, & Sarraceni non præficiantur. Possessiones extra regnum non conferantur: & si aliqua sunt collata, vel vendita populo regni ad redimendum reddantur vel simpliciter recipiantur. Item per singulas marturinas quatuor pondera persoluãtur. Quæcumq; inde prouenerit tertia pars domino fundi & duæ partes domino terræ persoluantur: comites iure sui comitatus sint cõtenti, cætera ad Regem pertinentia, scilicet ibriones, tributa, boues & duæ partes castrorum ad Regis voluntatem, cui volunt, distribuentur. Item quandocumque aliquos ordine iudiciario conuinci contigerit, in voluntate nostra erit, bona ipsorum penes nos retinere, vel alys pro velle nostro distribuere: incendium tamen mitti nolumus super villas eorumdem. Vt autem hæc nostris, & successorum nostrorum temporibus firma & inconcussa permaneant, tam nos, quam filij nostri præstito corporaliter iuramento confirmauimus, & tam nostro quam filiorum nostrorum sigillis fecimus roborari, spontanee consentientes, vt siue nos siue filij nostri ac successores nostri hanc a nobis concessam libertatem confringere voluerint, Strigoniensis*

Iudæi & Sarraceni publicis muneribus submouendi.

archie-

archiepiscopus, præmissa legitima admonitione, nos vinculo excommunicationis & eos innodandi habeat potestatem. Dat. anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo trigesimo primo; anno vero regni nostri vigesimo nono. Hactenus Andreæ Regis constitutio lata anno superiori.

Queritur Strigon. arch. non seruari eas leges.

19 Verum cum ad temperandum Pannoniæ statum, coercendosque Iudæos ac Sarracenos improborum audacia, ac Regis segnitie parum illa valuisset, archiepiscopus Strigoniensis, vt munus ab Rom. Pontifice iniunctum obiret, ecclesiasticas censuras in regnum regiosque ministros distrinxit, & caussas, quæ ad eas vibrandas perpulissent, his verbis expressit: *Nullis itaque correctis de his omnibus, quæ D. Papa rogauerat, mandauerat, & præceperat corrigenda, contempta etiam & non obseruata constitutione domini Regis supradicta, vltimus error factus est peior priore, & nouissima prioribus sunt peiora, cum non solummodo Sarraceni præficiantur cameræ, & publicis officiis, immo conditione eorum facta meliore quam antea; quidam eorum, qui quasi seruilis conditionis hucusque fuerunt, & ad soluendam quandam summam pecuniæ annuatim dominæ Reginæ tenebantur, nunc ab huius conditione liberati facti sunt stipendiarii, & liberis hominibus sunt æquales.*

Infideles gratia & auctoritate creuisse.

Inde Christianos ad defectionem a fide pellici.

Solebant quandoque Christiani ritibus Sarracenorum adhærere, æstimantes leuiorem conditionem impositam Sarracenis in Vngaria, quam pauperibus Christianis. Quid facient amodo huiusmodi simplices & imbecilles Christiani, cum videant sibi Sarracenos dominari, & nobilibus esse pares? præsumendum est, quod libentius quam antea paulatim tam propter lucrum temporale, quam propter leuem conditionem se transferent ad ritum, & fœditatem paganorum. Potestis etiam scire, quod per huiusmodi apostasiam in partibus istis animarum infinita millia perierunt. Quod autem diximus de Sarracenorum articulis, idem vel simile dicere possumus de singulis articulis in literis D. Papæ comprehensis, cum nullus eorum sit correctus. quippe ecclesiarum, monasteriorum, orphanorum, clericorum, pauperum conditio de die in diem aggrauatur. Nam & multa possessiones, redditus, & beneficia, quæ per priuilegia regalia ecclesiæ & domus religiosæ possidebant per malitiam Sarracenorum, per iniquas suggestiones consiliariorum domini Regis, domibus religiosis, & ecclesiis sunt subtracta.

Imperia pontificia spreta.

Regnum scelerato-rum rapinis, & furori expositum.

20 *Ne igitur crimen inobedientiæ, ne Dei, & summi Pontificis incurramus offensam, ne etiam tanquam mercenarii, & non pastores veniente lupo, tanquam canes muti non valentes latrare, fugere comprobemur, ne tantam iniuriam miserorum, tantam contumeliam fidei Christianæ, tantam oppressionem ecclesiarum, & ordinis clericalis dissimulare videamur, cum dominus Rex Andreas sæpe per nos admonitus ad piam, & paternam admonitionem summi Pontificis supra clericos excessus corrigere noluerit, nos mandatum apostolicum exequendo auctoritate domini Papæ, qua fungimur in hac parte, totum regnum Vngariæ supposuimus interdicto, prohibentes, & interdicentes auctoritate super hoc nobis commissa, ne quis in regno Vngariæ, siue in Strigoniensi, siue in Colocensi prouincia, siue in curia domini Regis, vel filiorum suorum, vel alibi præsumat diuina celebrare. Quidam vero quibus hoc a iure, vel ex speciali priuilegio indultum est, submissa voce, campanis non pulsatis, ianuis clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis, diuina poterunt celebrare. Præterea prohibemus, & interdicimus, ne quis in prædictis prouinciis præsumat diuina sacramenta ministrare, hoc excepto, quod baptisma paruulis, corpus & sanguis Domini, pœnitentia & vltima vnctio laborantibus in extremis non negetur: corpora tamen ecclesiastica sepulturæ non tradantur. Cuilibet parochiali sacerdoti liceat semel in mense ianuis clausis, campanis non pulsatis, excommunicatis, & interdictis exc..is, voce submissa celebrare diuina, & corpus Christi conficere ad opus infirmorum.*

Andream officii monitum malis non occurrere.

Vngaria ob hæc interdicto ecclesiastico supposita.

21 *Quia vero regiæ celsitudini, in quantum secundum Deum possumus, deferre volumus, nondum in personam ipsius sententiam tulimus, eius correctionem expectantes. Consiliarios autem eius, quorum consilio ipse retrahitur, & retardatur a correctione supradictorum excessuum, & quorum suggestione Sarracenos exaltauit, & publicis præfecit officiis, excommunicationis sententia innodamus. Dionysium vero comitem palatinum, non solummodo ob caussam prædictam, immo multis aliis de caussis nominatim excommunicauimus, vtpote qui non solum ecclesiasticas personas quamplures rebus suis, & beneficiis, & ecclesiis spoliauit; immo aliquos viros ecclesiasticos fecit percuti, & inhoneste tractari, vt de iniuriis & violentiis præposito, & plebanis de Scepiis, & per ipsum & suos illatis ad præsens taceamus. Tacere non volumus nec debemus, quod magistrum Ioannem præpositum Possoniensem alapis fecit cædi, & tractari inhoneste, nec de hoc ecclesiæ, nec passo iniuriam satisfecit. Præterea Sarracenos & falsos Christianos in sua malitia protegit, & tuetur, aliquos etiam in suis prædiis receptando. Nicolao camerario magistrorum tabernicorum, cum sit domini Regis consiliarius; & eius consilio omnia Regis, & cameræ negotia disponantur, damus inducias vsque ad diem cœnæ Domini proxime venturum, vt interim quæ per ipsum in prædictis articulis perperam acta sunt, studeat emendare: alioquin ex tunc sciet nominatim se excommunicatum, & ab omnibus euitandum. Præterea Samuelem quondam comitem cameræ nominatim excommunicamus, pro eo quod ipse infamatus, & conuictus de hæresi, in purgationem, & correctionem sui erroris assumpta cruce, dato & recepto ad hoc termino, vt eat vltra mare, & noluit, immo Sarracenos & falsos Christianos similes sui sustinet & defendit.*

Regii consiliarii defixi anathemate.

22 Dein ad tuendam religionem, ne Christiani solito cum Sarracenis commercio in eorum prauos mores deflecterent, familiaritatem cum illis sustulit, interdictumque summa religione seruari præcepit: quod si aliqui in dubium reuocarent, an eam auctoritatem a summo Pontifice obtineret, monet aliquos ad se transmittant, qui literas Pontificis perlegere, contentaque illis referre possint: *Item auctoritate Dei & domini Papæ prohibemus & interdicimus, ne aliquis Christianus in aliquo commercio vel contractu, vel aliquo modo communionem habeat aliquam cum aliquo Sarraceno, donec omnes Sarracenos baptizatos vel baptizari volentes, vel baptizatorum filii siue sint Vngari siue Bulgari, siue Cumani, vel cuiuscumque nationis homines restituant, & dimittant, siue apud eos in seruitute, siue in libertate fuerint commorati. Auctoritate igitur summi Pontificis, qua fungimur in hac parte, vobis mandamus, & in virtute obedientiæ, ea auctoritate, qua nobis districte præceptum est, vobis districte præcipimus, quatenus interdictum obseruetis, & per vestram diœcesim sine dilatione aliqua faciatis promulgari & firmiter ab omnibus obseruari. Si qui vero sacerdotes, vel alii viri ecclesiastici, postquam ad eos notitia huius interdicti peruenerit, ipsum interdictum firmiter & diligenter non obseruabunt, & contra prædictam formam diuina celebrare præsumpserint, in perpetuum ab executione sui officii sint suspensi, nisi per Apostolicam sedem, cuius auctoritate hoc actum est, fuerint restituti. Si autem dubitatis, an mandatum summi Pontificis habeamus, ad nos mittatis aliquos, quibus fidem adhibeatis, qui videant & legant literas domini Papæ; & vobis referant veritatem, &c.* Subditur promulgasse episcopos, flagitante archiepiscopo Strigoniensi, interdicti formam, Pontificias literas, eamque constitutionem transcripsisse suis ac sigillis muniuisse. *Actum Budæ anno Dominicæ incarnationis MCCXXXII. mense decembris.*

Prohibentur Christiani ne commercium cum infidelibus ineãt.

23 Hæc quidem magno zelo a Roberto archiepiscopo A. S. L. ad comprimendos infideles gesta: sed

cum

cum sacrorum antistitum zelo principes non obsecundassent, meruit postea Vngaria ob commissum in fouendis infidelibus crimen, infidelium horrenda excursione inundari, quæ (vt inferius enarrabitur) florentissimum regnum in vastam solitudinẽ redegerunt. Aberat sane Andreas lõge a D. Stephani in coercendis infidelibus robore & animis, qui ob eos populos ad diuinum cultum cõpulsos Vngariæ apostoli nomen meruerat, ac diuino præsidio fultus potentissimos hostes debellarat. nec ille se numini ingratum præbuerat, qui ad augendum illius cultum amplissimas donationes ac priuilegia viris religiosis contulerat. Cuius sane in eo genere diploma peruetustum hoc anno confirmauit Gregorius, atque vti in regesto pontificio iacebat, ad dirimendam ingentem inter Vesprimiensem episcopum & Benedictinos litem, cum membranæ, quibus contentum erat, vetustate labefactatæ essent, renouauit a, e quo nonnulla memoria celebranda subijciemus.

a Lib. 5. ep. 174.

Gregorius, &c.

24 Ne priuilegio vlterius possit opponi vitium falsitatis, illud quod contradicto iudicio comperimus esse verum, de verbo ad verbum præsenti paginæ iussimus annotari, cuius tenor talis est:

Insigne Steph. Regis Vng. priuil. Benedictinis datum cõfirmatum a Greg.

In nomine domini Dei summi Stephanus superna prouidente clementia Vngarorum Rex. Credimus & vere scimus, si locis diuino cultui mancipatis potestates, atque honores adaugmentauerimus, id non solum laude humana prædicandum, verum diuina mercede remunerandum. Quocirca omnium sanctæ Ecclesiæ Dei fidelium nostrorumque præsentium ac futurorum solers comperiat intentio, quod nos interuentu, consilio, & consensu domini Anastasij abbatis de monasterio S. Martini in monte supra Pannoniam siro, a genitore nostro incepto, quod nos per Dei subsidium ob animæ nostræ remedium, pro stabilitate regni nostri ad finem perduximus, talem concessimus libertatem, qualem detinet monasterium S. Benedicti in monte Cassino, quia propter orationes sanctas fratrum eiusdem monasterij consiliante domino Anastasio præscripto abbate, & iugiter adiuuante, consortati & laureati sumus: singulare namque suffragium, quod per merita B. Martini in pueritia mea expertus sum, memoriæ posterorum tradere curaui. Ingruente namque bellorum tempestate, quia inter Theutonicos & Vngaros seditio maxima excreuerat, præcipueque cum ciuilis belli ruina vrgeret, volente * comitatu quodam Symigiensi paterna me sede repellere, quid fluctuanti animo consilij darem, quaque me verterem tanta tactus verecundia astantibus ducibus videlicet Pagzano, Contio, Orzio, donno quoque Dominico archiepiscopo votum voui S. Martino, quod si de hostibus interioribus, & exterioribus eius meritis victor existerem, supranominati comitatus decimationem de omnibus negotijs, prædijs, terris, vineis, segetibus, vectigalibus, vinoque hospitum, quod in prædijs eorum cresceret, ne Parrochiano episcopo pertinere videretur, sed magis abbati eiusdem monasterij sub testimonio præfatorum ducum multorumque comitum, absque vlla mora subiugarem. Dumque post cogitatum victoria potirer, quod animo reuolueram, operis efficacia complere studui. Necdum enim episcopatus & abbatiæ præter ipsum locum in regno Vngarico fuerant. Quod si, vos fideles, licuit mihi quo volui loco episcopatus, & abbatias statuere, an non licuit cuipiam loco, quod volui vt facerem. Et ne adhuc ecclesia S. Michaelis vacua esse videretur, vel episcopus Parrochianus iniurias, querimoniasque in collectione decimationis pateretur, ei Curtem, quæ vocatur Cortou, cum omnibus eidem pertinentibus tradidi.

Quæ illius concedendi fuerit occasio.

* comite quondam

25 Quod si ipse contra mea statuta quid inique agere, vel acquirere voluerit, ante Deum iudicem viuorum & mortuorum in die iudicij se cõtendere mecum sciat, adhuc autem subiungens dico, sit autem id ipsum monasterium ab omni inquietudine semotum habeantque monachi post transitum sui cuiusque abbatis alium abbatem securiter eligendi auctoritatem a quocunque velint episcopo consecrandi eum, sitque illis licitum ordines recipere in quouis loco, & a quocũque, &c. Signum domini Stephani inclyti Regis. Dominicus archiepiscopus vicecancellarius fecit anno Dominicæ incarnationis. M. I. indictione. XV. Anno Stephani primi Regis secundo.] Quibus omnibus Gregorius Papa apostolicam auctoritatem addixit. *Dat. Reate VIII. id. febr. pontif. nostri anno* V. Hic forte lector mirabitur Regem ecclesiastica priuilegia in abbatem contulisse, quorum auctoritas ad sedem Apostolicam spectare tantummodo possit. Verum difficultas omnis euanescet, si secum cogitatione reputarit, Stephanum ob egregias animi virtutes atque in dilaranda fide ardẽtissimum zelum, ob quem optime de Ecclesia meritus dictusq; Vngarorum apostolus, legati dignitate ab Romano Pontifice auctum & insignitum esse a, eaq; non, vt Regem, sed vt legatum priuilegia indulsisse. Hactenus de Vngaricis rebus. iam ad Gallicas sermonem traducamus.

a Baron. an. 1000. n. 13.

26 Recruduere in Auxitana prouincia nonnulli hæreticorum motus: aduersum quos Gregorius S. Iacobi equites, qui in Vasconia erant, solito ardore bellum capessere, fideles que illis auxilio esse iussit b. tum Auxitanum ac Burdegalensem archiepiscopos sedandis tumultibus, qui increbuerant, incumbere præcepit c; quorum postremum, nimirum Burdegalensem, eo insigniuit priuilegio, vt cum legatus Apostolicæ sedis in prouincia non versaretur, crucem sibi præferre liceret: qua etiam prærogatiua Messanensem archiepiscopum decorauit d. Cum vero Rothomagensis archiepiscopus se Romano tantum Pontifici obnoxium contenderet, atque in ius vocatus a Ludouico Rege coram ipsius tribunali respondere recusaret, bonorum possessione exutus est; qua de re grauissime questus est apud Gregorium, qui suscepto archiepiscopi patrocinio causam ad sedem Apostolicam euocauit, eoque argumento hæc Regi scripsit e.

b Lib. 5. 169

Burdegal. & Messan. archiep. præferendæ crucis auctoritas data.

c Lib. 6. ep. 5. Ib ep. 207

d Ep. 192.

Exorta in Gallijs cõtrou. Regẽ inter & arch. Rothom.

e Lib. 6. ep. 175.

Gregorius, &c.

Vtinam fili charissime, sicut & nos optamus, a primæuo adolescentiæ tuæ flore assuefacias temetipsum timori diuini nominis & amori, ac persistas iugiter in eodem, vt ei seruiens, cui seruire regnare est, vere regnes; & post præsentis vitæ inevitabilem exitum regnum temporale commutes felici commercio in æternum, ac de te, sicut de claræ memoriæ progenitoribus tuis, vere valeat prædicari, quod Christianissimus es inter principes Christianos; vt a deuotione Ecclesiæ matris tuæ, nullo vnquam mouearis impulsu, sed eam, quæ te sincero cordis affectu diligit & honorat, tu quoque pio deuotionis proposito venereris, vt præter laudem hominũ mercedem consequaris æternam. Grauem siquidem venerabilis fratris nostri Rothomagensis archiepiscopi recepimus questionem, quod cum in spiritualibus & temporalibus nullum post Deum præter nos iudicem habeat, de antiqua Rothomagensis ecclesiæ libertate, ac ipsius consuetudine hactenus obseruata, tu quorundam ductus, & vtinam non seductus, consilijs contra prædictorum progenitorum tuorum consuetudinem, qui ecclesias, & viros ecclesiasticos pio semper & prompto venerabantur affectu, ipsum ad tuam præsentiam euocans eum inducere voluisti, vt super eo, quod in quosdam excommunicationis sententiam promulgarat, ac quibusdam alijs articulis sub tuo examine responderet. Et quia ipse non solum iuri suo periculum, verum etiam subuersionem metuens ecclesiasticæ libertatis, id efficere denegauit, se ac bona ipsius

Bona archiep. a rege administris occupantur.

Quæ discordiæ causæ.

Ecclesiæ protectioni sedis Apostolicæ supponendo, motus ex hoc grauiter contra eum, ipsum domibus, villis, terris, redditibus, & possessionibus ad ecclesiam suam spectantibus pro tuæ voluntatis arbitrio spoliasti, ea per ministros tuos faciens detineri. In quo tanto tibi, tanquam filio Ecclesiæ speciali, dolemus & timemus amplius, quanto personam tuam inter cæteros principes Christianos sinceritatis brachijs specialius amplexamur, cum regnum Francorum benedictum adeo semper in Apostolicæ sedis deuotione permanserit, vt ab ea nullo vnquam, sicut credimus, sit tempore discessurum. Monemus itaque celsitudinem regiam, rogamus, & obsecramus in domino Iesu Christo, quatenus erigens oculos tuæ mentis ad illum, qui est Rex regum, & dominantium dominator, ac pensans illum deuotionis affectum, quem præfati progenitores tui ad Deum, & Ecclesiam habuerunt, præmissa omnia taliter corrigas, & emendes, quod existat tibi meritorium apud Deum, & apud homines gloriosum, & ex hoc ille, qui te præ cæteris Regibus exaltauit, pleniorem tibi gratiam conferat in præsenti, & abundantiorem gloriam in futuro. Si quid autem iuris in præmissis, & alijs aduersus eundem archiepiscopum regalis excellentia se habere proponit, faciemus ei iustitiæ plenitudinem exhiberi, &c. Significat a se Parisiensi, & Syluanectensi episcopis datam prouinciam, vt regios administros ad restituenda archiepiscopo, quæ occupata erant, censuris cogerent, prouinciamque interdicto subijcerent. *Dat. Anagniæ* III. *kal. decemb. anno* VI.] Hæc Pontifex, qui auctoritatis ecclesiasticæ tuendæ zelo agebatur, quique grauioribus verbis in Henrieum Angliæ Regem ob eam labefactatam clerumque oppressum inuectus est.

Rogat Pont. Regem restituat bonis archiepiscopum.

a Lib. 6. ep. 22.

Atrox facinus a non nullis improbis in Anglia tentatum contra Pont. auctorit.

27 Neque Anglicanus clerus modo depressus, sed in ipsius etiã apostolicæ dignitatis dedecus atrox facinus patratum est. Nonnulli enim Angli exasperati odio atque inuidia sacerdotia exteris, qui Itali ex Parisio videntur fuisse, attribui, pontificium cursorem intercepti gladijs concidere, Gregorijque diplomata sacrilego contemptu laniata pedibus conculcarunt: nec tamen præsules Anglicani in tanti flagitij auctores consurrexerant, sed ignauo silentio rem dissimulabant. Quare Gregorius acrioribus litteris Eboracensem archiepiscopum cæterosque episcopos perstrinxit.

Gregorius, &c.

28 Attendite & videte fratres, & filij, si in conculcatione nummismatis Petri & Pauli Apostolorum imaginem, & nomen Iesu Christi vicarij profitentes, debita creatori reuerentia exhibetur: si in laceratione literarum nostrarum scripturæ mandata seruantur: si in captione, obsessione, redemptione, spoliatione clericorum, priuilegiati cleri gloriosa libertas infringitur: si in illata cursoribus nostris iniuria, vno infracta conciso, & altero semiuiuo relicto, illa communis securitas, quæ non solum in Christianismo, sed etiam in paganismo, quasi naturaliter debetur omnibus, obseruetur. Sane bullæ nostræ quid iniuriæ debebatur, quæ pro vniuersis, & singulis a tempore, cuius non extat memoria, & specialiter a tempore beatissimi Thomæ martyris principes & tyrannos in ecclesijs, & bonis earum in Anglia sæpius debacchantes, pro conseruatione ecclesiasticæ libertatis, ac priuilegio clericali tuendo, auctoritate sedis Apostolicæ toties expugnauit? Quod si aliquid inhonesti literis nostris impingitur, deducantur in medium, & luce clarius apparebit, quod in ipsis nullius iustitia læditur, animarum saluti consulitur, indulgentiæ referantur, ius suum patronis redditur, prælatis honor debitus exhibetur, nobilibus, literatis, & benemeritis gratia non negatur, & sic nisi corrigere delinquentis excessus, & clerum in melius reformare

Correpti episcopi ob nimiã in eo dissimulando ignauiam.

te sit vitium, nihil in eis, quod oculos intelligentis offendat, poterit inueniri. Herodiana vero seueritas in clericos, & maxime Italicos agitata, vel tantum desæuire sperauit. *Et infra:*

29 Vbi ergo pastorum vigiliæ? vbi speculatorum excubiæ? vbi conseruatores libertatum? vbi Ecclesiæ Rom. præstitum iuramentum? vbi reuerentia filialis? vbi verbum Domini penetrabilius omni gladio ancipiti bis acuto? vbi suspensio interdicti? vbi excommunicationis vinculum, quod contumaces, & rebelles a fidelium consortio, & fidei vnitate sic separat, vt vita sit eis supplicium, & suspecta criminis conscientia etiam dormiendo timorem incutiat damnationis æternæ? Quis ipso iure excommunicatos huiusmodi, & raptores, incendiarios, prædones in sua diœcesi publicauit? Quis ad releuandam Ecclesiæ generalis iniuriam, organa condolendo suspendit? Quis ab Hierusalem in Iericho descendenti, sacerdote ac leuita præter euntibus, vulneribus sauciato vinum, & oleum cum Samaritano infundit? Quis de semine Sem, virtutum operatione famosus, vel Iaphet charitatis dilatatus amore humeris suis imponens pallium, verecundiam matris Ecclesiæ pallio suo, retrorsum incedens, operuit a Cham callido denudatam? Non inuentis ergo Sem, & Iaphet eiusque similibus in partibus Anglicanis, vtinam locum non habeat hic maledictio ingum seruitutis Chanaan filijs imponentis. *Et infra:*

30 Surgite qui dormitis, & vigiles anteponite vobis Iesum, & ipsum pro salute humani generis crucifixum, facientesque thymiama opere vnguentarij compositum diligenter mixtum, purum, & sanctificatione dignissimum, malefactores ipsos, qui dixerunt Domino: Discede a nobis, & viam obedientiæ tuæ nolumus; præcisos a vite, Christo videlicet, qui est via non errans, veritas non fallens, vita non deficiens, obsecrate, arguite, increpate in omni patientia & doctrina. Exemplo quoque Aaron ferte thuribulum, & hausto igne de altari, mittite incensum, currentesque in medio multitudinis, quam superbiæ iam denastat incendium, monitionum, correctionum, & orationum offerte thymiama. Quis enim scit si ignoscat Deus, aut beneplacitum sit ei adhuc, vt ad locum suum ossa arida reuertantur, & mortui resuscitent? forte vobis astantibus, inter mortuos, & viuentes plaga cessabit. Si vero velut obstinati ad admonitionem vestram Deo, Ecclesiæ Romanæ, ac nobis, nec non & passis iniuriam plene satisfacere forte noluerint, quia peccator cum venerit in profundum malorum, contemnit, dictos idololatras, fautores, receptatores, & consiliatores eorum excommunicatos, & a liminibus sanctæ matris Ecclesiæ sequestratos publice nuntietis, facientes excommunicationis sententiam, qua propter præmissos tenentur excessus, singulis diebus dominicis & festiuis, pulsatis campanis & candelis accensis, quilibet in locis subiectis sibi auctoritate apostolica publicari, donec passis iniuriam satisfecerint competenter, &c. *Dat. Spoleti* v. *id. iun. pontif nostri anno* VI.

Ad vbera das in sceleris auctores censuras excitantur.

31 Excitatam quidem superiore anno grauissimam in Anglia aduersus Italicos clericos, qui in eo regno sacerdotijs opimis potiebantur, tempestatem tradit Parisius, ac nonnullas literas minaces a coniuratis exaratas ex toto regno sparsas refert, vt facto impetu Anglia deturbarentur. Non prætermittendum vero est, quod idem auctor de paucis animabus e purgatorijs flammis vno die in cœlum receptis, vt Roffensi episcopo in cælesti viso obiectum fuerat, scribit: *Sub eisdem diebus, Henricus Roffensis episcopus, cum in sabbatho quo cantatur: Sitientes venite ad aquas; apud Sidingeburniam, præsente Cantuariensi electo ordines celebrasset solemnes, astante clero & populo, fiducialiter cum sermonem faceret protestatus est dicens: Gaude*

Ostensũ cæleste visum de tribus tantũ animabus vno die e purgatorijs flammis erutis.

dete omnes in Domino fratres, qui hic præsentes estis, scientes indubitanter, quod vno & eodem die exierunt de purgatorio Rex quondam Anglorum Richardus, & Stephanus Cantuariensis archiepiscopus, cum vno capellano eiusdem archiepiscopi, ad conspectum diuinæ maiestatis, & eadem die nonnisi tres illi de locis pœnalibus exierunt. Et vt his dictis meis fidem adhibeatis plenissimam & certam, quia mihi & cuidam alij tertia iam vice hoc per visionem reuelatum est, ita manifeste, quod ab animo meo omnis dubitationis ambiguitas remoueatur, &c. Idem de Stephano ex igne purgatorio cleri suffragijs liberato indicant nouatores.[a]

a Cent. 13 col. 1116.

Crucifixi imago capite annuit illi, qui hosti pepercerat.

32 Subjicit Parisius facta Richardi Regis mentione, pium illius opus, quo diuinum numen placari potuisse existimat, in quo non minus diuinæ clementiæ in equitem insigne miraculum emicat. Cum enim exæstuans eques ira in parentis interfectorem, ad eum trucidandum inuolaret, alterque per Crucifixum obsecrasset, vt vitæ parceret, motusque ijs atque emollitus districtum ensem in vaginam innoxium condidisset, ac postea ob venationem contra regias leges quæsitam in exilium pulsus bonisque exutus, post multos annos in Normannia ecclesiam ingressus ad Richardi Regis misericordiam implorandam, vt sibi patria eiecto amissa bona restitueret, intereaque temporis cum sæpius prouolueretur in genua, peteretque a Deo, regium pectus emolliret, contigit, vt quoties procumberet in genua, toties Christi e cruce pendentis imago in ara exposita caput inflecteret. quo conspecto ingenti miraculo Richardus Rex euocauit equitem squallore obsitum, percontatur quod Deo gratissimum opus aliquando edidisse putaret, eoque subjiciente parentis interfectori veniam per Crucifixi vulnera exoranti ignouisse, audita rei serie & causa exilij, in patriam, pristinos honores, fortunasque restituit. hæc Parisius prolixiori oratione prosequitur, subijcitque: *Et hæc misericordia, quam fecit pius Rex Richardus cum alijs huius operibus ipsum, vt credimus, a periculis damnationis & cruciatus citius liberauit.*

B. Anton. fulget miraculis.

33 Suspexit hoc anno Italia B. Antonium Olyssipponensem tot tantisque cœlestibus prodigijs Patauij inclarescere, vt nondum ab illius felicissimo obitu euoluto anno Gregorius sacros diuinæ voluntatis nutus secutus, illum solemni ritu in sanctorum albo collocarit de quo hæc Richardus[b]: *Apud Spoletum Gregorius Papa quemdam fratrem Antonium de ordine fratrum Minorum canonizauit, & sanctorum catalogo mandauit ascribi.* Cui auctori consonant Henrici Steronis[c] verba: *S. Antonius de ordine Minorum fratrum apud Paduam signis coruscans a domino Papa canonizatur, cum nondum annus integer post obitum suum esset elapsus.* Quibus consentanea historiæ monumentis tradidere; eius vitæ scriptor[d], S. Antoninus[e], & alij veteres scriptores, de quibus P. Lucas Vvadingus, qui hæc aliaque ad Minorum familiam spectantia, est exactissime prosecutus, ad quem more nostro cupidum lectorem reijcimus. Satis nobis fuerit ex apostolicis literis de S. Antonio cœlitum numero adiecto, exaratis[f] hæc delibare:

b Rich. in chron.

Annumeratur SS. catalogo.

c Ster. apud Canis. to. 1. p. 261

d Apud Sur. to. 3. die 13. iun.

e Tit. 23. c. 3. § 6.

f Greg. l. 6. ep. 12.

34 *Sanctæ memoriæ B. Antonius de ordine fratrum Minorum, qui olim degens in seculo magnis pollebat meritis, nunc viuens in cælo multis coruscat miraculis, vt eius sanctitas certis indicijs comprobetur.* Vbi subiecit significantibus Patauinis maxima miracula, quæ numen apud eius sepulchrum ederet, datam episcopo Patauino nonnullisque viris religiosis prouinciam, vt ea in publicas tabulas referrent, addit: *Nuper autem tam per relationem prædictorum episcopi, & priorum, quam per depositiones testium super hoc receptorum, de ipsius virtutibus, & miraculorum insignijs certiores effecti, & experti aliquando per nos ipsos sanctitatem vitæ, & admirabilem conuersationem ipsius, vtpote qui apud nos fuit aliquandiu laudabiliter conuersatus, eisdem episcopo, potestate ac communi prædictis per solemnes nuntios suos, & literas nobis cum instantia denuo supplicantibus, quod eundem fratrem sanctorum catalogo adscribere curaremus, vt auctoritate, sicut conuenit, apostolica dignus honor illi exhiberetur in terris, qui sicut claris signis & euidentibus argumentis apparet, honoratur in cælis, ipsum qui corporaliter dissolutus cum Christo esse meruit in cælestibus, ne illius honori, & debito, & gloriæ detrahere quodammodo videremur, si glorificatum a domino permitteremus vlterius humana deuotione priuari, de fratrum nostrorum consilio, & prælatorum omnium, tunc apud sedem Apostolicam existentium, catalogo sanctorum duximus adscribendum, &c.* Decernit recurrentem annis singulis id. iunij diem illius nomini sacrum futurum, & eodem die alijsque octo subsequentibus cum pietatis sensu ac rite expiata conscientia illius sepulchrum adituris vnius anni indulgentiam pollicetur. *Dat. Spoleti III. non. iun. pont. nostri anno VI.*

35 Meminit decreti B. Antonio sanctorum cultus pontificiæ vitæ scriptor honorificentissimis hisce verbis: *Sexto quoque anno pontificatus sui inter multa negotia, quæ feliciter expedit, B. Antonium de fratrum Minorum ordine, qui felicissimi magistri vita & miraculis non dispar extiterat imitator, sanctorum cōsortio venerabiliter associauit.* Pergit auctor enarrare varia Pōtificis itinera ac gesta: *De Spoleto postmodum per Reatinæ ciuitatis fines ad abbatiam Sublacensem profectus, iterum Campaniam adyt. Mense augusti Anagniam ciuitatem ingressus, vbi maiori parte hyemis feliciter consummata, iterum in Campaniæ partibus nobile castrum Palliani populo, & possessione fœcundum, adeo dira degentium seditio concitabat, vt alterutrum attriti molestijs, solum ipsius exterminium per ignis incendia cogitarent. Quo inexpleta Romanorum cupiditas rumore suscepto, suis adiungere terminis cogitans, viribus atque dolo procurans, homines montis Fortini latenter immisit, vt illud occasione discordiæ caperet indefensum; ex eius sperantes dominio reliquam Campaniam subiugandam. Quod verisimilius videbatur, nam inter fines Campaniæ situm promptius præstare poterat hostibus familiare fomentum, præsertim cum si remota timentur incendia, non veniunt cum securitate propinqua. Quorum astutiam domini Papæ cautela præueniens, illud officialium suorum ministerio captum, decreuit ad opus sedis Apostolicæ custodiri, eodem fossatis præruptis, muro sublimi, & excelsa turris præsidio communito. Et licet ipsius structura primordia Romanus populus interdiceret, terroribus solitis exterminium patriæ minaretur & castri, Pater non minus intrepidus hyemis algentis horrore, aqua bullientis subsidio cæmentis habilitatis ad opus, quæ malitia temporis reddebantur inepta, manu artificis celeris erexit eandem.*

Romani Pallianum occupare ex insidijs meditantur.

Eluse a Gregorio eorum artes.

36 *Vt autem Pontifex hominibus castri & arcis custodiæ vtilius prouideret, ipsius loci habitium domos, & possessiones non tenues, nouem millium librarum ei erogato pretio, titulo emptionis accepit; quas subsequenter eisdem concessit in feudum Romana Ecclesia, proprietate seruata largiore pecunia nihilominus pro ædificijs, & varijs munimentis, pro emptis possessionibus & alijs vsibus affluenter effusa. Castrum etiam Seroni satis primo vicinum non modico emptum pretio Ecclesiæ dominio applicauit. Munitissimum ibidem castrū Fumonis structura nobili, & grandi possessione ditauit, quod Ecclesiæ Rom. dominium esse asserunt publica documenta, nobiles quidam ipsius domini Papæ propinqui, quorum custodia fuit antiqua sedis Apostolicæ liberalitate commissum, detentione ita longa quasi iure quodam dominij sibi vendicabant, per quos etiam itinera publica dubia reddebantur. Sed non acquiescens carni, & sanguini Pontifex venerandus, illud Ecclesiæ matri restituit, arcta obsidione deuictum, depietatis manu trium millium librarum, eis*

Castr. Fumon. Ecclesiæ restituitur.

quan-

quantitate soluta, propter qua Romanorum pectora dira commotione succensa, personarum pericula, & exterminia patrimonij promittebant. Tradit Richar. Romanos mense iul. Gregorio Reate redeunte, conflata praualida manu ad montem Fortinum accessisse, ingrediendæ vastandæque Campaniæ animo: sed tribus ad eos Gregorij nomine venientibus Cardinalibus data pecunia flexos emollitosque Romam repetijsse.

Auro mitigati abscedunt.

37 Retardatus est ea largitione Romanorum furor, sed non penitus concidit; quemadmodum nec præterita beneficia in instaurata vrbe collata (de quibus hæc vitæ auctor: *Pontem S. Mariæ grauibus refecit expensis, alluuione Tyberis dimolitum: & quia quadam Vrbis itinera sui concauitate reflexa per detentionem putredinum fere inaccessibilia reddebantur, nec tamen absque grauissima ciuium ibidem degentium corruptela, pater munificus quadam fieri purgamenta decreuit, qua Romani clauicas vocant, per quarum vastos hiatus influente putredine salubriter aeri prouideretur & via*) a lacessendo iniuste Gregorio pellendoque vrbe, quam ornarat, abducere potuerant; ob motam enim eorum rebellionem Spoleti, Anagniæue Reateue morari coactus est, vbi dum cōsisteret 9. kal. augusti, Fridericum rogauit his verbis, vt ad frangendam elidendamque Romanorum superbiam opem porrigeret: *Hortamur*, inquit, *attente, quatenus in succursum matris Ecclesia velut benedictionis filius te superna lucis lumine pracedente ad fugandas catervas damonum, & frangenda cornua impiorum tam propere quam potenter exurgas, vt rebelles intelligant & cognoscant, quia tibi nomen inuictus & excelsus pra terra Regibus elatorum in perditionem deponens in sanctam, & erigens humilium gratiam in salutem, & etiam detectis persequentibus sponsam Christi sponsi delitias merearis.* Hęc Pontifex, qui nulla a Friderico auxilia, quam magnifica verba elicuit.

Non mouentur impensis a Greg. in ornanda vrbe studio.

Friderici arma in Rom. implorat Greg.

38 At dum Friderici arma implorare cogebatur Gregorius ad frangendos eorum conatus, qui ecclesiasticam ditionem inuadere moliebantur, Vgotius vir in ijs regionibus princeps, opibus florentissimus diuino instinctu afflatus omnia bona Rom. Ecclesiæ pro sua parentumq; animabus redimendis contulit. cuius donationis instrumentum [a] historiæ inserendū visum est: *In nomine Christi amen. anno eius* MCCXXXII. *indictione* V. *die* VII. *exeunte mense octobris tempore Domini Gregorij Papa, & Frederici Imperatoris. Ego quidem in Dei nomine Vgutio Dadei de castro Aldica pro me, et pro filijs meis propria & spontanea voluntate, liberoq; arbitrio pro redemptione anima mea, & parentum meorum do & offero Deo, & Ecclesia Romana & tibi D. Raynaldo. D. Papa subdelegato, & capell. Massanorum rectori & Apostolica sedis legato recipienti nomine ipsius Romana Ecclesia concedo, & trado omnia bona mea prasentia, & futura, qua habeo, & teneo, vel aliquis pro me habet, & tenet, vel ad me pertinent in diœcesi Castellan. Ferentin. & Bobien. scilicet castrum Alphani, & eius curtem, castrum Corneti, & eius curtem, castrum Montis Auusti, & eius curtem, & etiam partem meam castri Fragets, & eius curtem, castrum Nasi. & eius curtem, & ea qua habeo in villa Montis rotundi, & in villis de Galante, & Roccbetam, & castrum de Silua plana et castrum Montis Portula, et castrum de Fonte Clusi, et castellum Vedum, et castrum Montis Betoline, et villam de Rufello, et castrum de Fusciana, et eius curtem: hac omnia pradicta cum omnibus suis pertinen. et cum omni iure et actione mihi in dictis rebus competen. et competitura do et trado tibi dicto D. Raynaldo legato recipienti, sicut dictum est, nomine dicta Romana Ecclesia, et ad fidelitatem, et seruitium eius, qua omnia confiteor me possidere nomine ipsius Ecclesia.*

Insignis Vgotij in Rom. eccl. donatio.

a Extat in M. S. Vat. qui liber censuum inscribitur.

39 Debuerant hoc pietatis exemplo Romani ab inuadenda ditione pontificia sibi temperare: at non Gregorium insectabantur modo, sed diuturno iam bello Viterbienses fatigabant, factisque sæpius excursionibus, ingentes aduersarijs clades, excisis captisque plurimis illorum munitionibus, vastatis agris, prædaque ingenti auecta impresserant; quo pene desperatione efferati Viterbienses in subditos Ecclesiæ circumiacentes iras effuderunt. Ad quæ comprimenda mala missis legatis diligentiam solicitudinemque Gregorius applicuit, de quibus ipsius vitæ scriptor: *Quia Romani immaniter Viterbienses persequentes, captis munitionibus et hominibus de potentioribus ciuitatis, et animalibus datis in pradam annis singulis, vineae et segetes deuastabant; per quod Viterbienses quidam desperatione commoti, vicinos Ecclesia flagellis durioribus affligere non cessabant, vt idem dominus tali pressura fideles eriperet, duos ex venerabilibus fratribus suis venerabiles patres episcopum Ostiensem et . . . tit. S. Sabina presbyterum Card. Viterbium destinauit, per quorum manus fuit formo compositionis inuenta de consensu partium, et sufficienti cautione vallata.* De bello Romanos inter ac Viterbienses gesto, cladibusque inflictis mutuo & acceptis agit Richardus [a] suisque temporibus distinguit; ac demum pacem Pontificis opera misso Viterbium Thoma S. Sabinæ presbytero Card. conciliatam. Interim ne quid in ea extinguenda discordia prætermitteret Pontifex, datis Anagniæ XII. kal. nouem. ad Fridericum Imp. literis [b] de missis Viterbium R. Ostiensi electo & T. sanctæ Sabinæ presbytero Cardinali certiorem fecit, postulauitque ad Viterbienses pro coeunda cum Romanis pace scriberet.

Romani Viterbiensem agrū vastant.

a Rich in chron. an. 1225. 1229. 1230. 1231. 1232.

b Lib. 6. ep. 135.

Conciliatur a Greg. Rom. inter & Viterb. concordia.

40 At subiecisse potius discordiæ faces ac solitis fraudibus malum intestinum alere studuisse Fridericum, non dissentientes conciliasse, tradit memoratus auctor: *Et licet ille versutus Augustus augere discordias contra sua maiestatis debitum moliretur minister nequitia, fomenta maioris et grauioris odij ministrando, vt antiqui draconis imitator et hæres, per mille nocendi modos cauda fraudulenta aculeo in matris pectus venenum infunderet praconceptum, vt vel mater filiorum destituta subsidio facilius ruina pateretur incursum, vel saltem turbationis experiretur angustias, in dissensione natorum, nullius quietis beneficio petitura* [*] *P. de Polo senatoris Vrbis, et quorumdam nobilium, quos pretij mercede corruperat, suffragio comitatus, eam tum pater prouidus curauit inuenire cautelam, vt hostis argumentis elisis, discordes filios ad gremium matris Ecclesia reduceret, firmissimi faderis vnione pacatos, eorum sic labores metitur et damna, vt de matris vbere Romanis filijs lactis copiam ministraret; nec relinqueret alios vbertatis extorres, quorum inopia, quam ex causa dissensionis incurrerant, viginti millia librarum Ecclesia Rom. concessit; sanctius iudicans vasa viuentia, quam metalla seruare. Sicque pace discordantium stabilita, captiuos liberauit, vtcumque vestibus et muneribus honoratos; sicque pius pater, circa salutem filiorum errantium prouida liberalitate dispensans, vt hos a pœna destructionis eriperet, et alios praseruaret a culpa.*

Fridericus clandestinis artibus discordiam inter ecclesiæ subditos excitare nititur.

[*] Iohannis

41 Pugnare superiora ab auctore vitæ Gregorij tradita cum literis pontificijs Friderico missis alieni videbuntur, sed facile conciliabit, qui instructum fraudibus principis animum perpenderit, cum hostes aduersum illam clandestinis artibus aspetaret; palam vero ad aucupandam gloriam gratiamque Pontificis, qua maxime ad Hierosolymitanum retinēdum regnū egebat, Ecclesiæ obsequentissimum se ostentaret. Ad conciliandam equidem sibi eius laudis famam Messanensem archiepiscopum ac Petrum imperialis aulæ iudicem oratores ad Gregorium misit, vt significarent diuina se luce collustratum ferrum ex ara B. Petri, pontificiaque manu susceptum in hostes fidei atque Ecclesiæ stringere, omnemque armorum potentiam ad defendendam propagandamque diuinam gloriam conuertere decreuisse: cuius audita legatione Gregorius gratulatus, hortatusque est [b] pia consilia

Palam se Pontifici obsequentem ostentat.

b Lib. 6. ep. 149.

ad optatum finem perduceret: coniunctis enim Sacerdotio & Imperio mutuique amoris vinculis obstrictis fore, vt Ecclesia atque Romanum Imperium ad augustiorem efflorescerent dignitatem.

Gregorius, etc.

42 Referentibus venerabili fratre N... archiepiscopo Messanensi, & dilecto filio P... imperialis aulæ iudice nuntijs tuis pium propositum & sanctum desiderium, consilium rectum diuina inspiratione côceptum; nos & fratres nostri gauisi sumus in Domino, & in potentia maiestatis ipsius, qui sic matri filium, & filio matrem spiritu suæ charitatis vniuit, vt affectuum vnitas, & indentitas animorum nobis onustis leuiget onera honoris & oneris, aliàs Sacerdotio, & Imperio multipliciter onerosa. Quis vnquam noua posset temeritate præsumere, vt in negotio fidei, libertatis ecclesiasticæ, Ecclesiæ & Imperij iurium restauratione, quod de consilio nostro prosequeretur imperialis sublimitas in principio, medio, & fine, filio mater deesset, aut filius matri deficeret? Ratio non patitur, natura renititur, vt indiuiduum recipiat sectionem; alioquin posset inferri, quod seipsum posset homo relinquere, & idem esset secundum idem relinquens pariter & relictum, agens & patiens in eodem. Absit charissime fili, quem gestamus in visceribus charitatis, quem, teste Deo, in omni puritate diligimus, cuius incrementum commune commodum reputamus, vt aliquis suæ mentis oblitus hæc vel leuiter suspicetur. Immo si secretarium cordis scrutinio recte inquisitionis exquiritur, si veritas infallibilis diligenti meditatione pensatur, hortus clauigeri regni cœlestis rationalis & floridus apostolica manu consitus, paradisi fluminibus irrigatus, non inuenitur pro vuis spinas, pro ficu tribulos germinare, cum eius cultor & dominus, pro pane lapidem, pro ouo filijs suis non consueuerit porrigere scorpionem. Facile quidem tollitur suspicandi facilitas, si incerti iudicij attenditur difficultas, maxime vbi experta sinceritas operis destruit imaginatiam opinionem erroris. Et licet intra virtutum germina lolium quandoque improbæ prauitatis immisceat, nunquam tamen in colonia Apostolorum principis de puritate duplicitas, de veritate simultas, de innocentia iniquitas nociua colligitur, a qua scandalorum huiusmodi zizania relegatur. Quocirca Imperialem mansuetudinem rogamus, monemus per aspersionem sanguinis Iesu Christi obsecrantes, & in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatenus thesaurum desideriorum cœlestium sacrario tui cordis manu filij altissimi commendatum aperiens & effundens, ad conterendos iniquos, liberandos oppressos, & miseros consolandos, cum abscondita sapientia, & thesaurus inuisus nulla sit vtilitas in vtrisque, vtile propositum præpotente potentia totis viribus prosequaris; immo manus sit proxima, affectum effectus aperiat, vt consilium auxilium, & fauorem Ecclesiæ solicitudo imperialis obtineat, quæ prælio tibi sunt educenti de foramine obstetricante manu Imperij colubros tortuosos. *Datum Anagniæ VI. kal. nou. pont. nostri anno VI.*

Sollicitant ad perducenda pia côsilia.

43 Ostentabat etiam vafer princeps ad delendos hæreticos sacrum desiderium se concepisse; quare ob pium consilium laudibus ornatus est a; sed longe hæreticis nequiores Sarracenos fouebat; vnde illi Pontifex non sine ingenti dolore id crimen obiecit b ex quo ingentia emergerêt mala, Sarracenique maioribus sumptis animis vicinis Christianis graues inferrent clades, ac S. Petri ecclesiam in Bangio prophanatam in stabulum sacrilege conuertissent: *Mirantes accepimus & turbati, quod perditionis filij Sarraceni videlicet, in Apulia partibus constituti, tui fauoris accedente consensu, quod credibile non videtur, ecclesiam S. Petri in Bangio Foietano pleno iure spectantem ad monasterium S. Laurentij de Auersa, vertentes in locum subingalium, quæ prius fuerat habitaculum Angelorum, ipsam funditus diruerunt, lapides & lignamina eius deportando Nuceriam pro suis ædificijs construendis. Verum quia tam iniqua præsumptio non absque contumelia Creatoris, Apostolicæ sedis iniuria, tanquam notæ nominis noscatur attentata, serenitatem tuam rogamus, monemus et hortamur attente, quatenus prudenter attendens si ecclesiarũ aliqua, & præcipue in regni ambitu contentarum, quæ tua debent protectione gaudere, eo quod illarum & aliarum defensor sis a Domino constitutus, sacrilegis infidelium manibus debeat demoliri, quæ debet potius virtus Altissimi a fidelibus exaltari, pro diuina reuerentia, & tuæ celsitudinis incremento præfatam ecclesiam reparari iubeas, & ei bona sublata restitui, quæ integritatis suæ tempore obtinebat. Cæterum quia nimietas libertatis, quam Sarracenis eisdem diceris indulsisse, damnosa Christianis de vicinia perhibetur, & venit pluribus audientibus in horrorem, sublimitati tuæ placeat taliter ipsorum præsumptiones elidere, quod vel in pauco non audeant tuorum corda fidelium perturbare, præsertim cum Redemptori nostro quædam iniuria fieri videretur, si Belial filij, seruitutis perpetua compede comprimẽdi, filios lucis in finibus nostris impeterent, vel libertate pares se damnabiliter æstimarent. Dat. Anagniæ III. non. decemb. pont. nostri anno VI.* Quanto rei Christianæ damno Fridericus Sarracenos Nuceriam munire permiserit, nobis postea lugendum erit, quem quidem in perditissimos homines studio procliuem fuisse superius vidimus, atque adeo soldanus Babylonicus cum erga suæ superstitionis homines bene affectum nosset, illum sæpius per oratores salutabat, ingentibusque muneribus ad adstringendam magis illius amicitiam afficiebat, de quo hæc Richardus a de S. Germano: *Soldanus Damasci pretiosissima mittit xenia Imperatori per quosdam nuntios suos in Apuliam venientes.* Tradunt vero nonnulli b inter ea munera missum tentorium singulari artis lenocinio efformatum, in quo solis, & lunæ imagines suos peragebant cursus, ac diei noctisque horæ indicabantur.

Iubetur ipsos coercere ecclesiæ pro muniendæ Nuceria euertere ausos.

a Rich. in chron.

b Trithe. in chro. Hirsaug. hoc ann.

44 Delibatis inferius Syriacis rebus, idem auctor tradit Christianos Terram sanctam incolentes intestino bello laborasse, ac Berythi regulum Ptolemaidẽ occupasse: *Ioannes, inquit, de Baruch ciuitatem Acconitanam recipit in odium Imperatoris.* Exasperasse vero in se multa illius odia Fridericum supra vidimus, cum in expeditione Asiatica blandissimis verbis ad se euocatum productis post cœnam armatis satellitibus Berythi dominio cedere iussit. Noua igitur moliente Berythi regulo extulit in eum signa imperialium castrorum præfectus, sed victum acie Richardus addit: *Eodem mense,* nimirum maio, *Ioannes de Baruch cum marescalco Imperatoris congrediens in partibus Syriæ ipsum deuicit in campo, & multos cepit ex suis.* Et infra subijcit, vt Fridericus ijs acceptis mox ad comparandum exercitum se accinxerit, cum Ptolemais contrarijs discissa studijs partim hosti, partim sibi adhæreret: *Imperator pro succursu ciuitatis Acconitanæ, quam Ioannes de Baruch occupatam tenebat, parte ciuitatis se pro Imperatore tenente, exercitum congregat militum, & baronum.* Sed paulo post mense augusto exercitum dissolutum, ac milites ad sua dimissos adijcit. E quibus videtur discordiam studio Pontificis sopitam fuisse: ad illam enim extinguendam Gregorium strenuam operam nauasse ostendunt eius litteræ c ad Geroldum patriarcham Hierosolymitanum, quem Fridericus in crimen motæ seditionis vocabat: illum enim Pontifex accersiuit in occidentem, monuitque a nouandis rebus in Fridericum abstineret, ne quæ antea ab ipso gesta erant, cum turpiter initum ab Imperatore cum Sarracenis fœdus damnarat, non diuino zelo, verum illius odio incitatum egisse putaretur: *Est qui de temporis huius molestia ad factum præteriti alicit argumentum, asserit quod olim te ibi*

Christiani Syriæ intestino bello laborant.

Acconitani Berythi regulum recipiunt.

Friderici præfectus ab eo acie vincitur.

c lib. ep. 65. Patriarch. Hier. accusatur discordiæ illius incentorem fuisse.

non

non deuotio ad sedem Apostolicam habita, sed odium aliunde conceptum abiecit. Primum proculdubio nos non decet, quod Ecclesia Rom. sinceritas non admittit. Secundum tibi non licet, quod religionis reuerentia renuit, & dignitatis auctoritas dedignatur. Ex his quidem, vt credimus, satis intelligis, quid non solum contra te, sed etiam contra nos aliqui loquerentur, si terra multorum sanguine conquisita, occasione orta discordia exponeretur periculo, iactura pateret. Quia vero nonnunquam mittens in misso notatur, nos nolentes Ecclesiam alicuius facto confundi, præsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus si ad nos in passagio proximo venire non poteris, iniuncto tibi legationis officio non vtaris. Dat. Reate VII. kal. aug. anno VI.

Euocatur a Greg. in Occid.

45 Abrogatum igitur est Geroldo legati apostolici munus, transmissumque patriarchæ Antiocheno, vt ea auctoritate instructus aduersas partes ad mutuam pacem adduceret, rerumque nouarum cupidos censuris percelleret. Cui etiam grauissime exposuit Pontifex a, quanta mala ea afferret discordia, Terramque sanctam, tot comparatam laboribus, ac tot Christianorum sanguine partam in summum periculum conijceret, ne mutuis cladibus exhausta in Saracenorum potestatem veniret: *Sane nondum defuit Agarenus, vt Christianus conuerteret in se manum: nondum sic est aduersarij attrita potentia, vt pusillus grex Domini mutua se disceptatione disrumpat: nondum sic ibi sunt nostra dilatata tentoria, vt in patiis fastidium libeat, & liceat sub guerra voluntaria lasciuire. Porro multorum est acquisitum laboribus, quod hi tenent, seminauerunt plurimi, quod hi metunt, vnde nec licet offerre iactura multi sanguinis pretio conquisitum, nec expedit dare periculo id, ad quod non absque periculis Christianæ solicitudinis studium vix peruenit. Miramur autem, quod homines illius regionis induxerit, vt contra charissimum in Christo filium nostrum Fredericum Romanorum Imp. semper Augustum, Hierusalem, & Siciliæ Regem illustrem rebellionis, vt fertur, prætenderent coniecturam, qui contra eos, vt dicitur, nullius exhibuit grauaminis argumentum. Sed dato quod appareret grauamen in patre; filius hæres regni legitimus, in quo tenera ætas affectum iniuriandi non patitur, quid peccauit? Quod si patris & filij dextera fuisset aduersus illos plena molestijs, poterat & debebat Apostolicæ sedis auxilium inuocari, quæ pro illius terræ subsidio plus cæteris laborauit. Cum igitur nos eius scandalum vrat, & in ipsius infirmitatibus infirmemur, volentes vulnerato principio festinato remedio subueniri, ne sero medicina paretur, si mala per longas contingeret inualescere moras, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus habito consilio magistrorum templi & hospitalis, necnon & aliorum, prout videris expedire negotio, nobiles regni prædicti, ciues Acconenses, & alios, vt ad fidelitatem, & deuotionem Imperatoris præfati, sublato cuiuslibet difficultatis obstaculo, redeant, inducere non postponas. Dat. Reate VII. kal. aug. pont. nostri anno VI.* Vtque ad optatum finem consilium perduceret, Hierosolymitani regni præsules, aliosque pro dignitate Antiochenum patriarcham eo ad extinguendos tumultus contendentem excipere iussit b. nec ijs contentus, Hospitalarios equites ad illas contra Fridericum factiones comprimendas incumberent, incitauit c. E quibus lectori illustre, & conspicuum esse possit, Pontificem maiorem industriam ad Friderici Imp. res tuendas conferre non potuisse. Hæc de Syris; iam ad Græcorum res nos conferamus.

Patriarch. Antioch. creatur legatus ad conciliandos dissidentes Syros.
a Ib. ep. 52.
b Ep. 54.
c Ep. 53.

46 Hoc anno aliquorum Minoritarum occasione, de coniungenda Latinæ Græcorum ecclesia agitatum est. eaque de re Germanus Græcorum archiepiscopus, qui Niceæ Bythiniæ morabatur, ad summum Pontificem scripsit d; quibus literis quamuis specimen aliquod pietatis præ se ferre videretur, cuperetque, vt in eandem fidem, & concordiam ambæ Ecclesiæ coalescerent, carpsit tamen audaci stylo, veteríque imbuto odio Rom. Ecclesiam, quasi illa se a Græca distraxisset, Pontificemq; ad controuersiam decidendam, qui populus a capite Christo discissus diuulsusque esset, ad scripturarum auctoritatem prouocauit; grauiores alias querelas, calumnias verius, affectata eloquentia exaggerauit, Pontificem vetuisse, ne Deus Græco ritu coleretur, persecutionemque in Cypro aduersus Græcos concitasse, adeo vt Græcorum aliqui post longum carceris squallorem flammis absumpti essent, quos ille illustrem martyrij palmam collegisse gloriatur. verum hæc quam a veritate Ecclesiæque Romanæ mansuetudine aliena, quis non videat illum falso effutijsse? illius tamen literarum partem illustrandæ historiæ gratia afferamus.

De coniungenda Græcorum Ecclesia cum Romana agitatur.
d Apud Greg. ib. ep. 19.
Germani Græc. patriarchæ litera de re ad Greg.

Sanctissimo & excellentissimo Papæ veteris Romæ, & Apostolicæ sedis decori, Germanus miseratione diuina archiepiscopus Constantinopolitanus nouæ Romæ.

O Domine saluum me fac. O Domine bene prosperare. Te enim lapidem angularem, honorificatum, pretiosum, electum in fundamentum pono huiusmodi negotiationis toto orbi salutiferæ. Didici enim per prophetam tuum Isaiam, quod omnis qui credit in te talem lapidem existentem, nullatenus confundetur, neque a suæ spei base moueri poterit. Et ita se habet veritas, & nullus contradicere audet, nisi patris mendacij discipulus fuerit. Opus autem tuum est, qui lapis angularis existis, coniungere quæ procul sunt, vel quæ inter se distant, & ea quæ diuisa sunt, in vnitate fidei congregare. Tu enim es, qui & procul, & prope existentibus pacem euangelizasti, & fines orbis terrarum per tuarum super crucem extensionem manuum ad eusebiam conuocasti, & paterno more in humeros eleuasti. Tuæ igitur inæstimabili clementiæ supplico desuper verbum prosperare, qui Patris es Verbum omnipotens, consubstantialis sapientia Dei, ædifica in me domum huius rei, & tu sis eius & fundamentum, & tectum, qui iuxta theologicam vocem Ioannis A. & Ω. diceris tanquam omnium principium, & finis incircumscriptus. Ac in primis oculos eleuantes ad montes cœlestes, vnde venire nobis auxilium orauimus, deinde ad te sanctissimum Papam, qui Apostolicæ sedis primatum sortitus es, sermonis mutamus exordium, vt velis descendere aliquantulum ab altitudine gloriæ, & intendere verbis meis, qui miser sum & vita & sermone; si tu, inquam, assimilaris ei, qui in altis habitat & humilia respicit Deus. *Et infra:*

Agnoscit primatum sedis Ap.

47 Accesserunt in domum nostram patres ipsi (nimirum quinque Minoritæ) ex diuina prouidentia, sicut credidi, quæ cuncta disponit in eo, quod expedit; & cum hinc inde inter nos multa verba fuissent exorta, vertebatur magis locutio præ cæteris super schismate longi temporis tunicæ inconsutilis eusebiæ desuper contextæ, qua veste videlicet Apostolorum manus catholicam Christianorum Ecclesiam induerunt, & sanctorum patrum, atque doctorum diuersa consilia constrinxerunt, & velut zona cinxerunt. Præsumptuose autem nō quidem manus militum, sed ecclesiasticarum personarum sensus sciderunt & diuiserunt, & schisma equidem magnum est & multorum annorum, & nullus est qui misereatur sponsæ Christi, quæ sic scissa veste induta est, aut qui eius velit turpitudinis misereri. Hoc, vt credo, Dauid in libro psalmorum plangit, dicens: *Diuisi sunt, & non sunt compuncti.* Si enim compunctionem habuissemus, doleremus vtique, & contristaremur; & si tribulationem & dolorem inueniremus, nomen Domini vtique inuocaremus, & adhuc nobis petentibus adesset, sicut in medio discipulorum iam pridem pacificans discordes, & cogitationum amphibologiam corrigens. Nunquid enim non mordentur eius viscera? nun-

quid non contriſtantur propter diſcordiam? etiam valde. Pater enim eſt, & omnium patrum piiſſimus, & non ſuſtinet videre pignora boſtili more ſe ad inuicem euellentia, & diſperdentia, & more piſcium alterum ab altero deuorari, eo quod maior contra minorem extollitur, & qui potentior eſt, infirmum opprimit. Siccine docuit nos piſcator hominum Petrus, qui contra naturam prioris artis de morte ad vitam, quos piſcatus eſt, traduxit? Heu quis dabit capiti meo aquam & oculis meis fontem lacrymarum, vt plangam die ac nocte ſuper contritione nouæ Sion de gentibus eccleſiæ congregatæ? qualiter electus populus Dei in Iudam & Iſrael diuiſi fuimus, & ciuitates noſtræ in Elim & Samariam! Ea enim quæ de Cain & Abel, vel Eſau & Iacob contigerunt, qui fratres quidem natura erant, hoſtes autem mente, & ſibi contrarij, piget me ſermonis inſerere, ne forte primatui fraternitatis iniuriari videar, aut ſurripere primogenita credar. Veruntamen nec pater noſter ſenuit, nec oculi eius caligauerunt; ſed in cœlis exiſtens liquide omnia videt, & ijs, qui iniuſte oppreſſi ſunt, benedictionem largitur. *Et infra*:

48 Quod autem diſcordia magna, & dogmatum contrarietas, & canonum deſtructio, & rituum, quos tradiderunt patres, immutatio, materia ſint ſepis, quæ ſeparat ea, quæ prius vnita fuerant, & coniuncta concordiæ & pacis coniunctione, totus orbis terrarum, vna lingua factus, acclamabit. Hinc & crudelia bella in alterutrum, ciuitatum deſolatio, ſigilla in ianuis eccleſiarum impreſſa, & ſacerdotalis miniſtrationis prorſus vacat operatio, ne Græcis laudetur vocibus Deus. Vnum defuit tantum, ſed & ipſum factum eſt, vt martyrij tempus adſit & tribunal tyrannicum aperiatur, & ſedes tormentorum proponatur, & nos ad martyrij ſtadium deſcendamus, & bonum certemus agonem, coronam ab Omnipotentis dextera recepturi. Nouit ea, quæ dico, Cyprus famoſa inſula, quæ nouos martyres vidit, & milites Chriſti, qui prius per aquam tranſeuntes lacrymarum compunctionis, & ſudoribus loti a corpore ex confeſſionis laboribus emanantibus per longa tempora, ad vltimum per ignem etiam tranſierunt, & eduxit eos agonothetes dictus, qui agonem ponit Deus, in cœleſte refrigerium. Bona nunquid hæc ſunt Papa ſanctiſſime & Apoſtoli Petri ſucceſſor? Hæc iniungit Petrus, mitis & humilis corde Chriſti diſcipulus? ſic inſtruit ſeniores per epiſtolam? cum ſcribat: *Seniores, qui in vobis ſunt, obſecro conſenior, & teſtis Chriſti paſſionum, qui & ei quæ in futuro reuelanda eſt gloria communicator; paſcite qui in vobis eſt gregem Dei prouidentes non coacte, ſed ſponte, neque turpis lucri gratia, ſed voluntarie, neque vt dominantes in cleris, ſed forma facti gregis: & cum apparuerit princeps paſtorum, percipietis immarceſſibilem gloriæ coronam.* Hæc eſt enim Petri doctrina, & videbunt, qui ei non obediũt. Nobis autem ſufficit ad conſolationem epiſtolæ pars illa, in qua gaudere præcipit contriſtatos, nunc diuerſis tentationibus, vt examen fidei noſtræ multo magis pretioſius auro corruptibili igne examinato inueniatur in laudem, & honorem, & gloriam in reuelationem Ieſu Chriſti.

49 Sed concede veniam ſanctiſſime domine & omnium prædeceſſorum tuorum Pontificum veteris Romæ clementiſſime & mitiſſime; & ſuſtine verba amaritudinis habentia. Sunt enim languentis cordis genimina, & datur indulgentia a diſcretis viris ijs, qui propter cordis triſtitiã aliquid loquuntur, quod mordeat. Accinge autem ſicut vir lumbos tuos, & accende tuæ diſcretionis lucernam, & quære dragmam quæ periit ſuper fidei vnitate, & compatiemur ſanctitati tuæ nos etiam. Non parcemus infirmo corpori, non prætendemus ſenectutis excuſationem, non longam viam cauſabimur, quanto magis enim laborioſius eſt opus, quod incipitur, tanto magis cauſa erit plurium coronarum. Vnuſquiſque enim ſecundum proprium laborem mercedem accipiet, ſicut generalis ſtadij luctator, & maximus victor coronæ Paulus ait. Non ignoramus, o ſapientiſſime domine, quod quẽadmodum nos Græci nitimur in omnibus obſeruare orthodoxiam, & euſebiam, vt in nullo errare poſſimus a ſanctorum Apoſtolorum & patrum ſtatutis; eodem modo veteris Romæ Eccleſia pro ſe nititur; & pro eo quod non exiſtimat ſe falli in aliquo, neque remedio ſe indigere dicit, neque correctione. Hoc & apud Græcorum eccleſiam, & apud Latinorum dici nouimus. Nam nemo vnquam in propria facie exiſtentem turpitudinem diligenter videre poteſt, niſi ſuper ſpeculum ſe inclinauerit, aut ab alio certificatus fuerit, qualiter ſe circa faciem habeat, ſiue turpiter, ſiue non. Habemus ſpecula multa, & magna & lucida, clarum Chriſti euangelium, Apoſtolorum epiſtolas, libros theologorum patrum, inſpiciamus in eis, ipſa oſtendent nobis, qualiter vnuſquiſque ſentit, ſiue nothe, ſiue legitime. Qui autem ad ſpeculum fuerit inuitatus cauſa experientiæ, cum receſſerit, confitebitur etiam inuitus ſuum vultum eſſe deformem. *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & pax Dei patris & communicatio ſancti ſpiritus ſit nobiſcum. amen.*] Hanc etiam Matthæus Pariſius adduxit epiſtolam a, quam, vt aduertit P. Vvadingus, additis, more ſuo, hiſce verbis calumniarum plenis corrupit, ne occaſionem aliquam lacerandæ pontificiæ dignitatis prætermitteret. niſi forte quis adulteratum Pariſium ab eo, qui eius opera typis Londini mandauit, dicere malit: *Et vt æternitatis medullam attingamus, multi potentes ac nobiles vobis obtemperarent, niſi iniuſtas oppreſſiones & apum proteruas exactiones, & ſeruitutes indebitas, quas a vobis ſubiectis extorquetis, formidarent.*

a Par. hiſt. Angl. ann. 1237.

50 De eodem argumento Germanus ad Cardinales literas dedit b, quibus non tam Rom. Eccleſiæ gratiã colligere velle, quam Græcorum res amplificare, atq; oſtentare ritus præ ſe tulit, dum populos, qui Græcæ eccleſiæ morem gererent, Æthiopas, Syros, Hiberos, Lazos, Alanos, Gothos, Chazaros, Aſſaros, Ruſſos, Bulgaros commemorauit. in quibus ſuperioribus literis, quod ſeſe Rom. Eccleſiæ velut matri & magiſtræ ſubijcere vellet, nec verbum inſeruit, ſed tantum ad Deum preces, vt vtramque coniungeret eccleſiam, effudit.

De eadẽ coniũctione ineunda ſcribit ad Cardinales.

b Apud Greg. l. 6. ep. 20. extat etiam apud Par. vbi ſup.

Accepta Pontifex honorificentiſſime eius legatione, nuntios alios ad ſanciendum ſacrum fœdus, atque orientales ad Eccleſiæ Rom. coniunctionem adducendos, mittere in animum induxit, idque ſuis ſignificanit literis c, quibus Petri primatum, fortiſſimis argumentis illuſtrauit; ipſiuſque factum, ob quod a Paulo reprehẽſus atque increpitus fuerat, a Græco criminis labe aſperſum, culpa carere oſtendit. Tum diuinæ iuſtitiæ æquitatem inculcat, dum Græcorum eccleſiam ab eo tempore, quo ſeſe ab Romana abrupiſſet, a ſua dignitate excidiſſe, ac ſub miſera ſecularium poteſtatum ſeruitute ingemiſcere, varijſque erroribus irretiri permiſit: demum hortatur ad ſinum Eccleſiæ conuolet, tumque ipſum optatæ veritatis luce colluſtratum iri.

Reſcribit patriarchæ Gregor.

c Greg. lib. ep. 36. extat etiam apud Par. vbi ſup.

Gregorius, &c.

51 Si frater chariſſime dignitatis myſterium, & auctoritatis officium pleno intellectu diſtinguens Petri & Pauli zelum conſideras, qui animas tantummodo ſitiebant, eos nec tamen morte, quos eadem fides & paſſio vere fecit eſſe germanos, nec, dum viuerent, in doctrina inuenies fuiſſe diſcordes. Licet enim Petrus pro duræ ceruicis Iudaico, & Paulus pro gentili populo, lac paruulis, & eſcam prouectis exhibens, diuerſis linguis & ritibus laborarint, cum iam plenitudo temporis aduenifſet, vnum Dominum, vnam

fidem,

fidem, vnum baptisma, & alios fidei articulos secundum gratiam sibi collatam a Domino in vno eodemque spiritu prædicauit vterque. Fuit enim Paulus ex verbo Domini Petro & cæteris Apostolis vniuersaliter sic dicentia: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt;* cum Petro mysterium dignitatis exercens, & ex verbis eiusdem auctoritatis singulariter Petro propositis: *Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis;* in Petro auctoritatis officium recognoscens, & ideo ad eum tanquam primatem & euangelij dominici fontem venit Hierosolymam, & postmodum cum ipso, & alijs secundum reuelationem contulit euangelium, ne in vacuum curreret, vel cucurrisset. Quod iterum ex verbo Domini confirmatur, cum soli Petro, si frater suus in se peccauerit, non tantum septies, sed septuagies septies præcipitur dimittendum, ipsi soli oues suas indistincte committens; qui tam speciali miraculorum virtute pollebat, quod per plateas in lectulis, & grabatis positis ad vmbram eius sanabantur infirmi. Cuius auctoritas ex eiusdem Domini verbis expressius roboratur, cum sibi soli dictum est: *Duc in altum;* & pluraliter subinfertur: *Laxate retia in capturam.* Si ergo Petrus propter excellentiam fidei, qua in vno Christo duas naturas veraciter recognoscens, cum dixit: *Tu es Christus Filius Dei viui;* claues regni cœlestis in- tertis solus accepit, cum vnua sit Dominna, vna fides, vnum baptisma, vnum principium, vnum corpus Ecclesiæ militantis, & corpus cum pluribus capitibus monstruosum & sine capite acephalum censeretur, testatur, vt ad tegimen generalis Ecclesiæ, quam ipse cum Paulo, & cæteris de gentibus, Græcis, Latinis, barbaris congregauit, caput eiusdem summque Dominus, per ea, quæ promissa sunt, manifeste ostenderet successorem.

52 Prævidens autem Dominus, quod Ecclesia Dei conculcaretur a tyrannis, laniaretur ab hæreticis, & a schismaticis scinderetur, ait: *Pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Ex quo colligitur euidenter, quod ad sedem Petri omnis sit quæstio fidei referenda. Sed quod dolentea referimus, vt epistolæ tuæ verbis vtamur, præsumptuose quidem non per manus militum, sed ecclesiasticarum personarum sensu veri Ioseph talaris tunica, & inconsutilis est passa scissuram: sed quia sciderit, videatur. Cum enim Græcorum ecclesia a Romanæ sedis vnitate recessit, statim priuilegio caruit ecclesiasticæ libertatis; & quæ fuerat libera, facta est secularis potestatis ancilla, vt iusto Dei iudicio, quæ noluit recognoscere diuinum in Petro primatum, tolleret inuita seculare dominium, sub quo non modice cõtemnens, paulatim decidens, fidem informem profitens, & a fraterna charitate tepescens licentius per campum licentiæ non refrænatæ discurrit, vt sine alicuius reprehensione licitum sub illicito palliaret, & a templo Petri recedens, a Domino quasi attritum foris eijcitur, quod virga sua Ioannes prohibente Domino non metitur, quoniam datum est illud gentibus, & hoc iam cognoscia visibiliter consummatum, quod Samaria, quæ a templo Domini & a Iuda, ac vete fidei confessione recedens, facta idololatra præfigurana bellorum cladibus continuatis attrita & peccatorum granata pondere, licet Elias, & Eliseus tanquam magna luminaria ibi velut in loco caliginoso refulserint, data est gentibus, proiecta foris in vltionem fornicationis, & idololatriæ, quibus se a Domino separauit.] Congruere Græcorum ecclesiæ, sub Turcarum iugo ingemiscenti, istius oraculi veritatem non sine lacrymis intuemur: quæ si ad obsequiũ sedis Apostolicæ redijsset, in eam, vt videtur, calamitatem nunquam decidisset. Addit Gregorius contra inanem Græcorum iactantiam, qui D. Pauli reliquias se habere in oriente falso asserebant: Quod si Paulum Græcorum ecclesia se habere proponit, exhibeat? vel a successore Petri & vicario Iesu Christi in Apostolorum basilica, quæ a Constantino constructa est, cum Petro exhibitum recognoscat. *Et infra.*

53 Tuæ prudentiæ conscientiam sine aliqua superstitione regita, & illuminatus inuenies, quod Ecclesia Rom. quæ omnium ecclesiarum caput est & magistra, in speculo te proposito, euangelij videlicet, & epistolarum, & doctrina aliorum doctorum nihil contrarium inuenit, quod interpretatiue, vel dispensatiue, secundum statuta sanctorum patrum, in vnitate fidei & spiritus non concordet. In cuius libri apertione inuenies, quod Rom. Pontifex omnibus omnia factus, vt omnes salui fiant, non turpis lucri causa, vel voluntarie, sed a fratribus suis diuina inspiratione vocatus, statim seruns sctuorum Dei effectus, murum pro fratribus & coepiscopis suis eorumque subditis contra hæreticos, schismaticos, & tyrannos, ad tuitionem ecclesiasticæ libertatis cum suis fratribus se opponit. Et licet aliqui latenter subrepant, publice tamen quasi ab ouium incursibus modernis temporibus Ecclesia Rom. respirat. Sed si Græcorum ecclesia patienter sustineat, vt tuis verbis vtamur, verba quæ mordeant, præter animarum pericula, quæ ex eorum scissura prouenerunt hactenus & prouenient, satis eis vexatio dedisse debuerat intellectum, in quorum manibus ordo ecclesiasticus per aduersas orientis nationes in diuersa partitus confunditur, ecclesiastica libertas deprimitur, & sacerdotalis dignitas conculcatur, nec est qui consoletur eam ex omnibus charis eius, quia tãquam acephali ad caput Ecclesiæ recurrere contempserunt. Reuertere igitur Sunamitis, reuertere, reuertere, vt intueamur te, quia recte tunc poterit frater a fratre iuuari, si filius, qui omnia consumpsit dissolute viuendo, a Domino inspiratus surgat, & dicat: *Pater peccaui in cœlum, & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut vnum de mercenarijs tuis.* Tunc enim pater non vt mercenario, sed vt filio reuertenti occurrens primam stolam proferet, occideatque vitulum saginatum, & generale conuiuium faciens vniuersis Christi fidelibus cum exultatione annuntiabit, & gaudio, quod & frater & filius, qui mortuus fuerat, iam reuixit, & dragma, quæ perierat, est inuenta, & sic te in gremio matris Ecclesiæ cum honore recepto veritatem manifeste videbis in speculo puritatis, quam Ecclesia Latina seruat in fidei vnitate, quæ non recipit maculam neque rugam. *Dat. Reate VII. kal. aug. anno VI.*]

54 Quid Cardinales ad patriarcham rescripserint, consumptum iniuria temporum est. Hic lectorem monitum velim, falso Germanum se archiepiscopum Constantinopolitanum inscripsisse, cum alter illi ecclesiæ legitime præfectus esset, eius tamen dignitatis titulo a schismaticis decoratum Niceæ sedisse, quò sedem Imperij Græcus princeps traduxerat. Qui vero canonice Constantinopolitanam ecclesiam administrabat, legati apostolici dignitate erat insignitus, quem Pontifex eo priuilegio affecit a, vt extra prouinciæ fines in Syriam profecturus pallio vteretur. Tentatam vero antea Græcæ cum Romana Ecclesia coniunctionem superius vidimus, antequam a Latinis Constantinopolis expugnaretur, cum Innocentius III. Ioannem Camaterum ad concilium inuitauit; sed cum ille primatum sedis Apostolicæ agnoscere recusaret, perfidiæ pœnas paulo post tulit, eiectusque Constantinopoli est, deinde patriarcha Græci carnere, donec Theodorus Lascaris arrepto Niceæ Imperio Michaelem Antyrianum eligi iussit, cui in dignitate Manuel Philosophus, Manuelique Germanus, de quo nunc egimus, successere; quæ de patriar-

a Greg. l. 6 ep. 79.

M S. Greg. bibl. Vallic. cell.

eharum schismaticorum serie indicare hac occasione visum est.

Manuel Comnen. Thessalõ. principatũ arripit.

55 Dum Græci Asiatici de coeundo cum Romana Ecclesia fœdere agitarent, Manuel Comnenus, qui despotam atque etiam Regem Thessalonicæ agebat, non modo hærendi in sinu Ecclesiæ, verum etiam suam illi ditionem fiduciario iure addicendi consilium præsetulit. Cui rescripsit Gregorius a pium consilium sedi Apostolicæ gratum acceptumque fore, si illud in opus perduxisset. Successerat ille fratri Theodoro Comneno capto in acie a Bulgarorum Rege, atque ob molitas in carcere res nouas oculis orbato, vt superius vidimus, in Thessaliæ atque Epiri principatu, de quo hæc Georgius Acropolita b Logotheta: *Manuel Comnenus despota dignitate a fratre cohonestatus, fugam meditatus, cum Romanus miles terga dedit, Thessalonicam reuersus despota vocabatur, illius & locorum adiacentium dominus, scriptionesque suas purpureis characteribus consignabat, quem Ioannis Imperatoris legatus non inurbana dicacitate notauit, in eum scilicet magis aptari posse, quod de Christo in psalmis legitur, te Regem & despotam.* Hæc Logotheta, qui postea recenset, vt a fratre Theodoro e vinculis a Bulgaro Rege, qui illius filiam thoro sibi iunxerat, ac socero quam genero addictior erat, vinculis emisso exutus fuerit, artesq; Theodori, quibus ad recuperandam ditionem vsus est, ita describit: *Paucis ab Asano acceptis cum palã in fratrem Manuelem arma capere non posset, clam ingressum Thessalonica molitur sordidis pannis vestitus, sic vrbem furtiue ingreditur. Cum vero quibus concupierat, illis scilicet quos ipse in rebus prosperis sibi & amore & beneficio deuinxerat, innotuit, aduersus fratrem consilia aperit: neque diu post rursus & Thessalonicam, & adiacentia loca & vrbes sub dominium ditionemque suam subiungit. Is propter oculorum imminutionem Imperatoris nomen recusat, & tamen Ioannem filium cohonestat, & purpureis calceis pedes illius circumuestit, neque dissimilibus literis subscribere eum iussit: sibi vero summam omnium rerum ac filij temperationem reseruauit, fratrem Manuelem abrogato Imperio in triremem impositum Attaliam relegauit.*

a Lib. 6. ep 3.

Vectigalẽ se ap. S. cõstituere meditatur

b Georg. Logoth. interp. Leon. Allatio.

Deijcitur a fratre Theod. cæca.

Theod. artes pro recuperãdo principatu

IESV CHRISTI
Annus 1233.

GREGORII PP. IX. annus 7.	FRIDERICI II. IMP. 14. BALDVINI II. IMP. 5.

1 MAgna animorum contentione, euentuque irrito, de concilianda Romanæ Græcorum ecclesia, atque exitiali schismate extinguendo agitatum est, anno salutis millesimo ducentesimo trigesimo tertio indictione sexta, quo ad cœptum optatissimæ coniunctionis tractatum promouendum, totque annis diuisos animos coniungendos operam collocaturus Gregorius, ad Germanum patriarcham literas c dedit, quibus schismaticum ad se pollicere, erroresque discutere est conatus. In ijs enim Rom. Pontificem vtroque gladio, humana nimirum ac diuina auctoritate pollere, augustissimas Christi domini in terris vices gerere, a quo Græci ingenti suo damno desciuissent; tum ritus Rom. Ecclesiæ in corpore Christi in pane azymo consecrando sanctissimos esse demonstrauit, hortatus denique ad eiusdem Ecclesiæ castra, damnato schismate, cum omnibus populis auctoritati illius obnoxijs se conferret,

Greg. reuocare nititur patriarcham Græc. ad Rõ. Eccl. obsequiũ.

c Greg. l. 7 ep. 111. variis. apud Pan. an. 1237. Ea de re lit. ad ipsũ data.

Gregorius, &c.

2 Cum iuxta testimonium veritatis occasio sit errorum ignorantia scripturarum, cunctis expedit illas legere, vel audire; quia quæ in eis inspiratio diuina reposuit, pro doctrina sequentium, ad cautelam trahere voluit modernorum. Sane sub Ieroboam, qui peccare fecit, vt legitur, Israel præsumpta diuisio tribuum patenter signat schisma Græcorum, & multitudo abominationum Samariæ diuersas hæreses multitudinis a veneratione veri templi Domini, Romanæ videlicet Ecclesiæ reuerentia separatæ. Quod Chrysostomus, Nazianzenus, Magnus Basilius, & Cyrillus emicuerunt in cœtu dissentientium, eadem fuit cœlestis altitudo consilij; qua degere voluit inter idololatras Eliam, Eliseum, & filios prophetarum.

3. Nunc igitur, quia in alijs literis, quas dudum tibi remisimus, latius hanc, & alias auctoritatum, & rationũ, quæ pro Rom. primatu Ecclesiæ faciunt, materias explicamus, illud tantum adijcimus, quod vtrumque gladium ad Romanum pertinere Pontificem ex euãgelica lectione tenemus. Eccum loquente Iesu discipulis de acquisitione gladij spiritualis, illi duos ibi positos ostenderunt, quos Dominus dixit sufficere, ad coertionem videlicet spiritualis & corporalis offensæ. Si materialem gladium pertinere concedis ad potentiam temporalem, attende quid in Matthæi euangelio Dominus dicat Petro: *Conuerte gladium tuum in locum suum*; dicendo tuum, materialem signauit gladium, quo percusserat ille seruum principis sacerdotum. De spiritali nemini venit in dubium, cum ei, id est, Petro per cuiusdam specialitatis apicem ligandi, & soluendi commiserit potestatem. Vterque igitur gladius Ecclesiæ traditur, sed ab Ecclesia exercendus est vnus, alius pro Ecclesia manu secularis principis eximendus: vnus a sacerdote, alius ad nutum sacerdotis administrandus a milite] Addit se nonnullos viros religiosos in sacris literis apprime eruditos mittere, quos de rebus ad fidem spectantibus consulere possit.

4 Si cum eis de omnibus, quæ in quæstionem veniunt, tractare fideliter, & socialiter conferre decreueris, in rota, quæ infra rotam Ezechieli ostensa est, vocem poteris audire tonitrui, & in mari vitreo speculari, quod vnus Adam collocatus ad opus, & custodiam paradisi, vnam sortitus est vxorem, vnum dominum Iesum Christum, in iustitia & veritatis sanctitate creatum, & vnicam sponsam eius Ecclesiam, præfigurans: quod Lamech, qui humiliatum sonat, dum vxorem vnam diuisit in duas, sanguinarius factus est, & virum in suum vulnus occidit, quod alia præter vnam arca non legitur, quæ cuncta vastante diluuio sub vnius patriarchæ remigis potentatu, paucas animas sub perfectionis numero reseruauit: quod legem Deus secundo dedit non alteram, sed eandem: quod duorum Cherubim, qui propitiatorium obumbrabant, non aliorsum versi, sed respicientes erant vultus ad vnum: & vnam Ioseph tunicam fuisse talarem, & nostri Saluatoris inconsutilem vestem vnam] Et infra de conficiendo in azymo Sacramento adijcit Rom. Ecclesiam B. Petri exemplum imitari: verum siue in fermentato, siue in azymo Sacramentum conficiatur, in Dominicum corpus diuinitus cõuerti: sed vterque panis simplex ante sacrificium panis est, transubstantiatione vero facta per verba Dominica, panis non est, & ideo nec fermentatus, nec azymus dici potest, sed ille potius creditur esse panis viuus, qui de cælo descendit, & tribuit vitam mundo. Pergit Pont. Hæc & his similia docuit Petri sedem vnctio Spiritus, & sanitas intellectus. Vtinam & tu tandẽ aliquando iuniorem discipulum, qui vidit & credidit, secutus introeas, vt omnibus intellectis nobiscum pariter vere psallas illud Dauidicum: *Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum. Dat. Later. xv. kal. iun. pontif. nostri an. VII.*]

Sacram. in azym. & ferment. confici potest.

5 Ad tantum tamque arduum opus perficiendum duo ex sacra Dominici, totidemque ex D. Francisci familijs religiosos viros ad Germanum Græcorum patriarcham misit, quos ingenti pompa omnique lætitiæ significatione exceptos fuisse testantur ipsi

B Prædic. & Min. familijs ad rem tractandam electi.

ipsi in rei gestæ historia a, quam a se conscriptam Pontifici exposuere; quæ omnia in libro censuum contenta, e quo cætera ad huius narrationis texendam seriem delibanda: *Anno Domini* MCCXXXIII. *mense ianuarij nos de ordine fratrum Prædicatorum fr. Hugo, & fr. Petrus: de ordine fratrum Minorum, fr. Aymo, & fr. Radulphus nuncij domini Papæ missi ad archiepiscopum Græcorum, intrauimus Nicæam dominica prima post octauam Epiphaniæ, hora quasi vespertina: sed antequam ciuitatem intraremus, plures nuncij Imperatoris ab ipso transmissi nobis frequenter occurrerunt, ex parte dicti Imperatoris nos salutantes, & lætitiam cordis eius de aduentu nostro nobis notificantes. Sed & nuncij ipsius patriarchæ nobis plures occurrerunt, & tandem ipsi canonici ecclesiæ maioris, nobis longe a ciuitate occurrentis cum gaudio susceperunt, & unanimiter omnes cum honore & reuerentia in ciuitatem introduxerunt. Et cum peteremus nos duci ad maiorem ecclesiam causa orationis, duxerunt nos ad aliam ecclesiam, vbi primum celebratum fuit concilium, ostendentes nobis SS. Patres, qui eidem concilio interfuerunt, in parietibus depictos. Deinde post multum ciuitatis circuitum, ad hospitium, quod dominus Imperator nobis honorifice præparari fecerat, comitantibus clericis, & multitudine populosa deduxerunt: in quo hospitio quasi homines fatigati, solatia necessitatibus corporalibus abundanter præparata inuenimus.*

a Ext. in lib. cens. M.S. Vat. bibl.

Honorificentissime a Græcis excipiuntur.

6 *Secunda autem feria proxima sequenti, vocauit nos dominus patriarcha; qui comparentes coram ipso, & clero suo congregato, primo ipsum patriarcham ex parte domini Papæ salutauimus: deinde ex parte nostra, enumeratis postmodum more nostro causis, & pro honoribus, & beneficijs nobis ab ipso collatis, gratiarum actionibus exhibitis, literas domini Papæ eidem porreximus; qui receptis literis bullam osculatus, & respiciens in clerum suum adiecit: Petros, Paulos. Consequenter talem nobis fecerunt quæstionem, vtrum essemus legati domini Papæ, & honorem legatorum debitum vellemus recipere; ad quem respondimus, protestantes nos simplices esse, & honorem legatorum nolle recipere. Considerantes etiam tantam cleri multitudinem, volentes vitare eorum astutias consuetas & fallacias, interim cum contestatione diximus, nos non ad concilium, sed ad ipsum patriarcham esse destinatos. Nobis autem renuentibus oblatum honorem, magnam reuerentiam, & honorem etiam minimo nuncio domini Papæ exhibendum esse protestatus est. Dum autem plurima verba ex vtraque parte proferrentur in medium, tandem valedicto ei ad sumptum hospitium nostrum honorifice a clero suo sumus reducti.* Nonnullis interiectis addunt, vt aduentus sui causam Imperatori ac patriarchæ magna cleri ac procerum multitudine circumfusis exposuerint: *Diximus, non missi sumus ad disputandum vobiscum super aliquo articulo fidei, de quo ambigat Ecclesia Romana, vel nos, sed vt vobiscum amicabilem collationem habeamus.* Subdunt, vt post nonnullas contentiones, sciscitantibus legatis, quæ tandem causæ Græcos, qui olim, vt cæteræ toto orbe diffusæ nationes, Rom. Ecclesiæ paruissent, sese ab illius coniunctione atque obsequio diuulsissent; post multa quæsita verborum effugia, *habito concilio tale dederunt responsum: Dicimus, quod duæ sunt causæ. Vna est de processione Spiritus sancti, alia de Sacramento altaris. Ad hoc respondimus sic: Si istæ sunt causæ & non aliæ, quare vos subtraxistis obedientiæ Ecclesiæ Romanæ? Videamus si hæ sint, vel debeant esse sufficientes causæ tantæ inobedientiæ.*

Significant se non ad synodum sed ad patriarcham missos.

Exquirit causas a Græcis ob quas a Rō. Eccl. recesserint.

Duas afferunt Græci, & quæ illæ fuerint.

7 Ad dirimendas eas difficultates, interiecto duorum dierum interuallo, in palatio imperatorio certatum est, vbi de processione Spiritus sancti, atque an Niceno symbolo aliquid addi a Latinis iure potuisset. in quo legati Græcos, tum ipsorum exemplo retudere, qui in concilio Constantinopolitano secundo, plura symbolo Niceno adiecissent; tum eo argumento conuicere, quod liceret credere, quæ vera essent; quæ credere, ea scribere, canere, prædicare liceret: tumque testimonijs patrum veritas processionis Spiritus sancti etiam a Filio demonstrata atque illustrata est. Quæ omnia consecutis diebus discussa magna animorū contentione fuerunt, quibus afferendis supersedendum censeo, cum de ijs in concilio œcumenico Florentino agitatis definitisq; suo loco nobis dicēdum sit: tum satius modo videatur Græcum hominem ad catholicam veritatem aduersus Græcos schismaticos tuendā strenue certantem, quā Latinos producere. Is erat Blemmyda, qui his tēporibus floruit, quiq; cum se rerum diuinarum contemplationi addixisset, otio, quo fruebatur, egregie vsus, commentaris duo luculenta edidit, quibus, adductis sanctorum Græcorum patrum auctoritatibus, Spiritum sanctum non a Patre tantum, sed etiam a Filio procedere ostendit; quæ nos e Vaticana bibliotheca exscripta in huius annalium tomi calce collocamus. Meminit cōpositi a Blemmyda operis Nicephorus a Gregoras his verbis: Ὃς σχολῇ δεδωκὼς ἑαυτόν, ἤρξατο συλλέγειν πολλὰς ἀπὸ τῶν θείων γραφῶν μαρτυρίας, συγκροτεῖν δοκούσας τὸ τῶν λατίνων δόγματι, καὶ λογογραφεῖν ἐπὶ τούτοις, λάθρα μὲν διὰ τὴν τῶν πολλῶν ὑπόληψιν, ἐλογογράφει δ' οὖν ἔστιν ἅ. Quæ interpres ita reddidit: *Qui cum se in ocium contulisset, multa e sacra scripturæ testimonia, quæ dogma Latinorū confirmare viderentur, colligere, ac conscribere cœpisset, clam ille quidem infamiæ metu, sed tamen scripsisse quædā.* Verum in his tam Gregoram, quam eius interpretē censura dignos animaduertit D. Leo Allatius: Gregoram quidem, dum schismatica vesania percitus, vt veritati detrahat, clanculum scripsisse ait; interpretem vero, dum siue imperite, siue maligne, metu infamiæ scriptā non vulgasse interpretatur. Sed illos arguentem Allatium nostrum in libro de synodis, dante Deo breui in lucem edendo, audire præstat: *In postremis verbis Gregoras a malitia sua non discedit. Qui enim clam scripsit, qui imperatorio iussu id egerat, & literas non ad Imperatorem solum, sed ad Iacobum etiam archiepiscopum Bulgariæ palam dederat, qui de negotio publico sibi commisso publice sententiam proferēns secreto scriptitasse dicendus est:* διὰ τὴν τῶν πολλῶν ὑπόληψιν, *quod reddi debuerat, propter multorum iudicia & opinionem, ea scilicet veritum Blemmydam, cum ipse solus esset, clam scripsisse, vt Gregoræ sententia est, interpres infamiæ metu reddidit, quasi infamia fuerit iussu Imperatoris de rebus controuersis pro Latinis & pro veritate contra aberrantes Græcos scribere: certe ipse non puto adeo desipuisse Gregoram, quid Volfius agat, ipse viderit.* Refelli etiam ex Pachymerio potest Gregoras: *Inciderūt in manus Becci quæ doctissimus vir Blemmydas scripsit ad Theodorum Imperatorem, & incipiunt: Quicquam et non opportuno tempore, &c; & ea quæ ad Iacobum Bulgariæ, quæ incipiunt: Est mihi morbus, quem patefaciam. Ex quibus omnibus constat ipsum lucem veritum non fuisse.*

Disceptatur de processione Spir. S. a Filio.

Blemmyda editis cōmen. illius veritatem tuetur.

E Vat. bibliot. exscrip.

a Niceph. Greg. lib. 5

8 Fuisse porrò Blemmydam insignem virum, laudibusque cumulatissimum, atque orientalis ecclesiæ cum Romana coniunctionis appetentissimum, testatur Ioannes Beccus vir catholicus in ea oratione b, quam de illata sibi iniuria cum sede patriarchali a schismaticis deturbatus est, composuit; vbi se Blemmydæ exemplo defendit: *Præterea iuniorem & eundem cum nostra ætate, vt ita dicam, Blemmydam inueni, cuius laus multa est in sermone, cuiusque sapientiam etiam quammaxime infensi, in ingentem gloriam peruenisse fatebuntur. Qui scripsit quoddam opus de hoc argumento, ad Bulgariæ quemdam archiepiscopum electum, quamuis diuino instinctu percitus, in monte Atho solitariam vitam agere elegerit, cuius etiam in orationibus præ-*

Blemmydæ laudes

b Ext. in bibl Vat. Leone Allat. interp.

præstantiam multi, qui adhuc in viuis sunt, contestantur. Sed nulla certior erit demonstratio, quam ipsius scripta, qui post illius mortem præ manibus omnium teruntur. Nomen erat viro Iacobi. Ad hunc Blemmyda scribens, ecclesiarum dissidio deplorat, & in eorum causas suam indignationem promit, quo mihi satis innui videtur nlıquam similia vel dicturum vel scripturum fuisse, nisi etiam illum agnouisset de hoc ecclesiarum dissidio indolere, vt alius quispiam ex ijs, quæ in literis continentur, perspiciet. Hæc Beccus, cui in laudando Blemmyda consentit Pachymerius a, qui virtute & sermone admirabilem vocat, ac patriarchatum sibi oblatum generose respuisse ait, ne a rerum cœlestium contemplatione diuelleretur: *Etenim,* inquit, *cum Blemmyda philosophicam vitam ageret, totus extra res hasce factus, nullo erga eas ducebatur affectu, neque cuiquam cōpatiens, neque commiserens, sed mens illius ita agebatur, ac si in corpore prorsus non esset, vnumque ducebat esse & Arsenium & Iosephum esse, non factis ipsis animum aduertens, adeo vt hunc quidem iniuriam passum existimaret, hunc vero inuasorem fuisse, hæc enim deteetissima cuiusdam mentis, nec præter hæc aliquid aliud ad speculationem possidentis existimabat; sed sciens Dei quidem esse stabile & immutabile; hominum vero etiam per modicum tempus nullo modo persistere.* Sed hæc de Blemmyda egregio processionis Spiritus sancti a Patre & Filio propugnatore suffecerint. ad nuncios apostolicos, a quibus digressa est oratio, redeamus.

a Georg. Pachym. hist. l. 5.

Instant nuncij vt de Eucharistia agatur.

9 Cum fides catholica de processione Spiritus sancti Græcorum patrum, ac maxime S. Cyrilli dictis in schismaticorum cœtu a nuntijs illustrata, nitidissimis radijs oculos perfidorum feriret, significanere nuntij ad alteram de sacramento Eucharistiæ a Latinis in azymo confici solitæ quæstionem deuoluendum videri: quibus captato effugio Germanus subiecit cogendam esse Græcorum synodum, nec sine aliorum patriarcharum consensu discutere aliquid in re adeo ardua, vel deliberare posse: quare nuncij flagitanere a Vatacio, vt ipsis recedendi facultatem permitteret; quæ vero ille de ineunda coniungendæ cum Romana Græcorum ecclesiæ ratione quæsierit, his verbis exponunt: *Cœpit Imperator conferre nobiscum: Sub qua forma potest patriarcha & ecclesia Græcorum reconciliari Ecclesiæ Romanæ? Ad quod dedimus tale responsum: Hoc modo posset reconciliari, si crederet hoc, quod credit Ecclesia Romana & prædicaret; vtrum cantaret, vel non, non faceret magnam vim credimus Ecclesiam Rom. & obediret ei eodem modo & in illis, in quibus obediuit ante schisma. Et adiecit Imperator: Si dominus patriarcha velit obedire Ecclesiæ Rom. restituet ei dominus Papa ius suum? Ad hæc respondimus hoc modo: Si patriarcha obedientiam, & ea quæ matri suæ soluat, credimus quod misericordiā maiorem inueniet, quam credat, coram domino Papa & tota Ecclesia Rom. & assumpta licentia recessimus a Nicæa, & venimus Constantinopolim.*

Negat Germanus nisi in suorum concilio agitandā.

Sciscitatur a nuntijs Vatacius num sua patriarchæ iura restituenda sint si ad Rom. Eccl. redierit.

Quid responsum a nuncijs.

Nicæa se Constantinopolim conferunt.

10 Hæsere in vrbe regia apostolici nuntij, vt si forte interea aliqua concordiæ ratio explicaretur, operam suam ad rem promouendam conferrēt. cumque Germanus suos ad synodum euocasset, nuntios apostolicos, vt Lescharam venirent, inuitauit; at illi quanquam sæpius testati erant ad nullum concilium, sed tantummodo ad patriarcham Nicenum, vt placide de Græcis ad Ecclesiæ Romanæ coniunctionem reuocandis tractaretur: nihilominus congregato grauissimis de causis Latinorum præsulum Constantinopolitanique Imperatoris consilio, eò sese contulere. Cumque accessissent ad synodum & coram Græcis præsulibus aduentus causam gestorumque Nicææ rationem exposuissent, institere vt de sacramento Eucharistiæ ageretur: at illi iterum quæstionem de Spiritus S. processione ingerere, dein varias artes ad legatos irretiendos instruere, ineptis interrogatiunculis lacessere, tempusque in nugis fallere. quorum improbitate exasperati nuntij, magna libertate animi ipsis causas obiecere, ob quas quæstionem de azymo aggredi recusarent, ac palam ipsorum perfidiam in oculis hac oratione defixere: *Videmus, quod tempora redimitis, & subterfugere quæstionem nostram nitimini, & fidem vestram profiteri non audetis: amodo aperte ore cor nostrum patebit ad vos, & notificabimus vobis quicquid sentimus de vobis. Iam perpendimus, quod male sentitis de Sacramento nostro in azymo, primo per scripta vestra, quæ plena sunt hac hæresi. Secundo quia ad quæstionem factam de Sacramento non audetis respondere, ne pateat hæresis vestra. Tertio quia facta vestra istud probant, abluitis enim altaria vestra, postquam celebrauerit Latinus in eis. Quarto quia Latinos venientes ad sacramenta vestra compellitis apostatare & abiurare sacramenta Ecclesiæ Romanæ. Quinto quod dominum Papam eiecistis de dypticis vestris; sed scimus, quia nullum eijcitis nisi excommunicatum, & hæreticum. Sexto quia semel in anno excommunicatis eum, vt nobis retulerunt quidam, qui audierunt.*

Vocantur ad synodum.

Consilio Imp. Cōst. & præsulū eo se conferunt.

Moliūtur Græci ipsos technis suis irretire.

Refugiūt tractare de Azymo.

Quæ nuncij ipsis obiecerint.

11 *Surrexit igitur Chartofilax in medio concilij, & ait: Quid dicitis, quod Dominum Papam excommunicamus? Dicimus quod falsum est; & quicunque dicit istud, exeat, aut mala patietur. De alijs, quæ facimus, non miremini; quia Latini vestri cum recepissent Constantinopolim, fregerunt ecclesias, diruerunt altaria, auro & argento sublato, reliquias sanctorum proiecerunt in mare, iconas sanctorum conculcauerunt, & de ecclesijs stabula fecerunt, ita vt impletum videretur illud propheticum: Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum. & ijs dictis, ait patriarcha: Si miramini, quod Papam eiecerimus de dypticis nostris, quæro quare me eijcit de dypticis suis? Et incipientes respondere ad vltimum obiectum, diximus: Dominus Papa nunquam te eiecit de suis dypticis, quia tu nunquam eras: sed si de prædecessoribus vestris quæratis, vos legeretis, vtrum Papa vos, quam vos eum prius eiecerit: nec ad hoc aliquod responderunt. Ad alia, quæ imponitis Ecclesiæ Rom. nihil imponitis, cum non fuerint hæc facta consensu, vel præcepto Ecclesiæ Rom. Sed si hæc fuerunt facta, fecerunt viri laici peccatores, excommunicati, propria auctoritate talia præsumentes, nec imputandum est toti Ecclesiæ, quod a quibusdam iniquis est præsumptum. Sed quæ dicimus de vobis, vera sunt, & hæc verbo, & opere testificamini, & ista faciunt primo vestri patriarchæ & archiepiscopi, & postmodum episcopi & cæteri ecclesiæ vestræ prælati. hæc facitis, & hæc docetis fieri; vnde iam excusationem non habetis in peccatis vestris. & quia tot abominabilia inuenimus apud vos, nec aliquam voluntatem emendandi quod hactenus erratum est, ecce nos reuertemur ad eum, qui nos misit, & sic recessimus a concilio.*

Iactæ ex aduerso a Græcis cōtumeliæ.

Refelluntur a nuncijs.

12 Soluta itaque ea sessione, exulceratis admodum animis, iactisque plurimis a Græcis verborum contumelijs, quas nuncij solita constantia refregere, dissentientes conciliare cupiens Imperator, in palatio concilium celebrari voluit, illique interesse, vt motus omnes pacaret, primaque sessione tractatum, an corpus Christi in azymis confici possit; & Græcis omnino id negantibus, legati petiere, vt illud in scriptis traderent, vicissimque Græci a legatis poposcere, vt Spiritum S. a Filio procedere, in scripto sibi porrigerent, atque ita discessum; proximaque sessione producta vtrinque sunt scripta, quæ tum propositionem ipsam, tum præcipua argumenta complectebantur, publiceque lecta inuicemque porrecta fuere.

Quæstio de Euchar. in azymo conficienda agitatur.

13 *Accersitis nobis in crastino ad palatium Imperatoris, dixit Imperator: Consuetudo Regum & principum est, cum discordia fuerit inter eos super castris, aut*

pro-

Nefaria a Vatacio ineundæ concordiæ forma proposita.

prouincijs, vt quilibet de eo, quod dixit ius suum, aliquid dimittat, vt sic peruenire poterit per medium ad pacem. Sic mihi videtur, quod debeat fieri inter vestram ecclesiam & nostram. Duo enim sunt inter nos, & vos. Primum de processione Spiritus sancti; secundum de corpore Christi. Si igitur velitis pacem, vos dimittatis vnum ex his duobus; nos venerabimur & gratum habebimus sacramentum vestrum: vos autem dimittatis symbolum vestrum nobis, & dicatis nobiscum, sicut nos dicimus sicut constitutum habemus a sanctis patribus in concilijs suis, & hoc quod vos superaddidistis, non dicatis vlterius, quia scandalum est nobis. Nos ad hac respondimus: Hoc scitote, quia dominus Papa, & Ecclesia Rom. non dimitteret vnum iota de fide sua, nec de hoc aliquid, quod dicitur in symbolo nostro. Et ait Imperator: Quomodo ergo poterimus facere pacem? Respondimus: Si modum vultis scire, breuiter dicimus vobis. De corpore Christi ita dicimus, quod oportebit vos firmiter credere, & alijs prædicare, quod corpus Christi confici potest ita in azymis, sicut in fermentato; & omnes libri, quos vestri scripserunt contra fidem, damnentur, & comburantur. De Spiritu sancto ita dicimus, quod oportebit vos credere Spiritum sanctum procedere a Filio, sicut a Patre, & istud necesse, vt prædicetur in populo. Quod autem cantetis istud in symbolo vestro, nisi velitis, non compellet vos dominus Papa, condemnatis & combustis omnibus libris, qui huic capitulo sunt contrarij. Quod audiens Imperator grauiter tulit, & ait: Iam non audio formam pacis; & ideo conuocatis prælatis, annunciabo eis, quæ audiui a vobis. Quod cum audissent, indignati sunt, & conuersi in seditionem contra nos.

Quid illi respondentes nuntij.

Alia a Vatacio pertentata.

14 Verum Ioannem Vatacium aliam cum Romana Ecclesia ineundæ concordiæ rationem excogitasse, atque ad eam, si ab Rom. Pontifice admitteretur, synodum Græcorum traxisse refert Michael Palæologus apud Pachymerium a: *Comperient*, inquit, *quod sub Ioanne Duca in ipsa synodo sancitum fuerat, quod si finem facerent auxiliares copias Latinis, qui Constantinopoli erant, mittendi, sic & nostri parati fuissent cum illis concelebrare, & mentionem Pontificis facere: & hoc modo spondebat, mittebanturque propterea Sardium Andronicus & Cyzici Georgius & fortasse effectum habuisset, si illi acceptassent.* Eo certe spectabant Vatacij consilia, vt illius coniunctionis beneficio occidentalium auxilijs destitutos Constantinopolitanos sibi subijceret.

a Pachym. l. 5.

Dissoluitur exasperatis vtrinque animis ecclesiarum coniunctionis tractatus.

15 Dissoluta igitur est nullo fructu ea synodus, immo exasperati magis vtrinque sunt animi. quæ res ingrata admodum Imperatori fuit, qui aduersas partes sine animorum exulceratione vtrinque abscedere exoptabat. Cumque nuntij reditum adornarent ac schismaticorum scriptum fœdissimam hæresim continens secum deferrent, Græcorum chartophylax vi adhibita illud auulsit, ac fidei formam de processione Spiritus sancti a nuntijs traditã reddidit, quem nuntij illam seruare iusserunt; cupere enim sedem Apost. vt omnes populi, quæ ipsa credat, teneant, ac profiteãtur. Ita pia Pontificis studia ad patriarcham aliosque Græcos in viam reducendos irrita cecidere, vt literis postea ad Fridericum datis b testatur.

b Greg. l. 11. ep. 413

c Georg. Logoth.

Incidere in hæc tempora videntur, quæ tradit de Ioanne Brenensi Rege Logotheta c, illum nimirum cum se duobus annis Constantinopoli nulla re gesta continuisset, aucupatum occasionem Ioannem Ducam exercitum ad sibi subijciendam Rhodum misisse, collecta classe Lampsacum appulisse, ac maritimam oram vastasse, Græco Imperatore cum copijs radices montium legente arcenteque, ne interiora penetraret; demum Latinos solertis viri opera noctu Pegarum arcem munitissimam ascensu subijsse, atque impetu in præsidiarios facto expugnasse. quæ res magnum terrorem Græcis inieceit, Ioannes vero Ducas cum Latinorum potentiam perhorresceret, mox Bulgaros de ineunda affinitate armorumque fœdere in Latinos firmando interpellasse, vtque a Bulgaris gratiam iniret, archiepiscopum Trinobi imperiali & synodico decreto absoluisse, ne patriarchæ Græcorum obnoxius esset, ac patriarchæ titulo augeretur. Erat hæc Græcorum Imperatorum vesania, vt magno rerum diuinarum ludibrio auctoritatem sedi tantum Apostolicæ attributam affectaret, ac patriarcharum iura definiret: meminit huius rei Nicephorus a Gregoras, additque Ioannem Ducam Rhodo potitum, cum antea Lesbum, Chium, Samum, Icariam, Con, aliasque finitimas insulas obtinuisset. Sed ad Pontificem reuertamur, qui non schismaticos modo atque hæreticos ad coniunctionem Rom. Ecclesiæ adducere, verum Sarracenos etiam missis ad ipsos viris religiosis, qui decerpta e prophetis sacra oracula ad fidei Christianæ veritatem in luce collocandam exponerent, ad veræ religionis cultum traducere tentauit. Quo argumento ad soldanum Damascenum hæc scripsit b:

a Niceph. Greg. l. 2.

Conatur Greg. Sult. Damasc. ad Christi fidem traducere.

b Lib. 6. ep. 295.

Sultano Damasci viam agnoscere veritatis.

16 Cælestis altitudo consilij, & immensa benignitas Dei excelsi, hoc inter vniuersa, quæ condidit, rationali tantum creaturæ concessit, vt sapientiæ oculus per opus opificem, per creaturam agnosceret Creatorem; & ad totius ignorantiæ tenebras expellendas, tres ordines electorum, velut tria candelabra per quædam sibi succedentium spatia temporum, patriarchas primo, secundo prophetas, Apostolos tertio direxit in via: Patriarchas a cæca multitudine separatos iustitia insignes Angelorum susceptores, Deũ facie ad faciem intuentes in fundamento fidei posuit, scriptura dicente: *Credidit Abraham Deo, & fuit ei ad iustitiam reputatum*; & vere credidit, qui cum tres viros cerneret, vnam diuinam in eis substantiam adorauit; iuxta quod Isaias audiuit Cherubin in cœlo clamantia: Sanctus, sanctus, sanctus, dominus Deus sabaoth, dicente Dauid: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ*; cum ter sanctus, & ter Deus sic pro personarum numero positum, *dominus Deus sabaoth, & metuant eum omnes fines terræ*; pro essentiæ vnitate subiunctum, attribuente scriptura Patri potentiam, sapientiam Filio, & Spiritui sancto benignitatem, proprietate mysterij cum sit potentia, sapientia, & benignitas vna trium, sicut ipsi sunt vnum. Deinde prophetas ex Hebræorum populo, qui credebat electos fide summos, sanctitate pollentes, claudentes, & reserantes orationibus cælum, curantes infirmitates hominum, & suscitantes corpora mortuorum: post legem, quam Moysen edidit, velut parietes ædificij consurgentis erexit. Apostolorum vero sacrum perfectumque numerum superduxit in operis complementum.

Argumenta ad eam probandã e patriarchis prophetis, & Apostolis petita proponit.

Diuina de sanctissima Trinitate oracula.

17 Et primum quidem luminare talium promissionum sponsione succendit ad Abraham, magnum patrem multitudinis gentium, in cuius carne fecit cõsistere testamentum: *In te*, inquit, *benedicentur vniuersæ cognationes terræ*. Ad Isaac: *Benedicentur in semine tuo gentes*. Ad Iacob, vero, qui per duodecim filios, tribus totidem, & populum magnitudinis innumeræ propagauit: *Ego sum*, ait Dominus, *Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac*; & post pauca: *Dilataberis ad orientem, & occidentem, septentrionem, & meridiem, & cunctæ benedicentur in te, & in tuo semine tribus terræ*. Iacob vero filijs suis per singulos benedicens, præsentia tangens, futura prospiciens, ait de Iuda, ex cuius erant stirpe descensuri Reges Hierusalem, & tandem Dei Filius homo Christus Iesus, per vterum intactæ Virginis nasciturus: *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui venturus est, & ipse erit expectatio gentium*.

Vt Christus patriarchis promissus fuerit.

18 Luminare quoque secundum talibus testimonio-

Vt annunciatus a prophetis.

niorum fulgoribus illustrauit, ait prophetarum præcipuus Isaias: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel*. Item: *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis*. Et Ieremias sacerdos ex sacerdotibus, & in matris vtero consecratus: *Nouum*, inquit, *faciet Dominus super terram, fœmina circundabit virum*. Item Baruch: *Deus noster est, & non æstimabitur alius aduersus eum, hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo; post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est*. Et dominus per Osee: *Ex Aegypto*, inquit, *vocaui Filium meum*. Et per Michæam: *Et tu Bethleem Ephrata paruula es in millibus Iuda: ex te enim egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressus eius ab initio, a diebus æternitatis*.

19 Denique illud semen benedictionis, & gratiæ, quod promissum fuerat patriarchis, de quo cecinit Isaias dicens: *Nisi Dominus reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha*, ciuitates videlicet, quas subuertit Dominus in momento. Et item: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum; aperiatur terra & germinet Saluatorem, & iustitia oriatur simul. Ego Dominus creaui eum*. Et Dauid: *Veritas de cælo orta est, & terra nostra dedit fructum suum*. Et cum de morte, ac remuneratione fidelium loqueretur: *Hæc est*, inquit, *hæreditas Dei domini filij merces*; qui fructus est ventris per operationem Sancti spiritus, in intactæ virginis vtero seminatus, cibus hominum, & salus fieri voluit pœnitentium. Poterat autem nos absque sua humiliatione redimere, quicum Deo Patre, & Spiritu sancto potuit omnia sine aliqua difficultate creare: sed sapientia sapienter cuncta disponens, attulit illud genus remedij, quo solo dilectioni fierent obnoxij liberati, sicut prophetauerat Isaias: *Disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus*. Et iterum: *Oblatus est, quia ipse voluit; & non aperuit os suum. Sicut ouis ad occisionem ducetur*. Et post pauca: *De angustia, & de iudicio liberatus est, generationem eius quis enarrabit?* Et iterum; *Tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis deputatus est, & ipse tulit peccata multorum*.

Quantis miraculis illustrata illius gloria.

20 Hic in fine temporum, iuxta quod prophetarum vaticinio fuerat præsignatum, Angelo nuntiante conceptus est. Nascentem stella nouæ lucis apparens nuntiauit Regibus orientis, & Angelus in Iudæa pastoribus ouium, quorum simplicitas verbum non peruerteret, nec mutaret auditum, cum quo facta est subito cœlestis militiæ multitudo laudantium Deum & dicentium: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Ipse dedit Regibus intellectum, qui dederat signum; & quod fecit intelligi, fecit inquiri: ac per ducatum noui sideris venerunt ad adorandum in pannis infantiæ Dominum maiestatis. Ioannes, quo maior inter mulierum natos nemo surrexit, & qui tantus habebatur, vt Christus a populo crederetur; cum mox, vt vidit, digito demonstrauit, dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. post hæc curauit ab omni morbo languentes, & mortuos suscitauit, Illum quoque omnia elementa suum cognouerunt auctorem: sub plantis eius mare se calcabile præbuit, & ad ipsius imperium fluctus, & æquora siluerunt: voluntas eius aquas transuberauit * in vinum, & ipsius benedictio pane modico multa hominum millia satiauit. Quo moriente terra contremuit, sol lucis suæ radios occultauit, velum templi, & petræ scissæ, ac aperta sunt monumenta, & cum surgente apparentia multa corpora mortuorum multis in ciuitate testibus surrexerunt, Ad extremum temporali, quam pro totius mundi salute pati dignatus est morte calcata, vicarios operis sui reliquit Apostolos, & concedens eis eandem faciendi miracula potestatem, ipsis cernentibus est eleuatus in cœlum, & iudicaturus viuos & mortuos expectatur. Ipsi etiam, quos reliquit in tertium luminare nihil minus miraculorum, quæ Deum fecisse viderant, effecerunt; & quotidie tam per venerabiles ipsorum reliquias, quam per eos, qui fidem & opera sectantur eorum, catholica mater Ecclesia miraculis illustratur, dum cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, liberantur energumeni, mortui suscitantur, quod in alia religione non contigit nec continget.

* transmutauit

Significat Greg. in eo prædicando munere apostol. perfungi.

21 Quia igitur debitores sumus omnium salutem quærere seruus seruorum illius, qui neminem vult perire, non immerito circa te & subditos tuos misericordiæ visceribus affluentes, affectum Pauli gentium doctoris induimus; qui sciens Creatorem omnium acceptionem non facere personarum, conformatus infirmis, & omnibus omnia factus est, vt omnes Domino lucraretur; sciens insuper instare tempus correctionis errantium animarum, & gentes ante conuersionem Israelis, qui aduersus est, ad fidem per gratiam intraturas: vobis, qui huc vsque restitistis, & euangelij Iesu Christi Filij Dei, boni videlicet nuntij, quod per seipsum attulit, & transmisit, notitiam non habentes, sicut abyssus instabilia sensu carnis contra catholicæ nauem Ecclesiæ fluctuantis, verbum Christi, & celatum a seculis Christianæ fidei sacramentum, non simul omnibus, sed sicut ab æterno sapientia diuina disposuit, alijs post alios reuelatum, æternæ videlicet mysterium salutis, & pacis annuntiare decreuimus Iesum Christum, verum Deum, veri Dei Filium tibi & tuis per epistolam nostram, & per viros virtutis eius ministros gratiæ prædicamus, si forte Deus omnipotens, qui vocat ea, quæ non sunt, sicut ea quæ sunt, illud lumen infundat cordibus vestris, quod vocationem omnium gentium præfigurans, trium in oriente quondam Magorum cordibus aspirauit, quod in propria veniens, susceptum non fuit a suis, quod per euangelium Pauli populus, qui ambulabat in tenebris, apprehendit, quod nunc quoque lucet in tenebris, nec videtur ab eis, quia venire nequit ad veritatis indaginem, qui non reliquit errorem. Vnde cælestem curiam, & cælum, & terram in testimonium inuocamus: si enim, quod absit, fidem tot argumentis, talibus testimonijs, tantis signis, & miraculis iugiter approbatam suscipere, ac tenere negligitis, nullam penitus de peccato prætendere, nullam in eius conspectu, qui seculum iudicare per ignem, in potestate ac maiestate venturus est, poteritis excusationem habere.

Diuinas Sultano iras ac crediderit minatur.

22 Cæterum vos, non vestra requirimus, animarum vestrarum cum Iesu Christo lucra sitimus: nihil de facultate subtrahere quærimus, vel minuere de honore; sed prouehere vos & ampliare potius affectamus. Erit proinde dante Christo Iesu nostris affectibus incrementum, vt tu qui & caput & princeps es populi tui, per gratiam intellectus, quo a multitudine subiecta discerneris, si proposita tibi per pacis nuntios audieris patienter, per cognitionem fidei efficieris Christo primitiæ populi crediturì, sicut de quarumdam principibus nationum factum est, qui soli data sibi desuper significatione credentes multorum & præcipue subiectorum causa salutis effecti, temporali gloria non amissa, sed aucta cœleste regnum, quod nunquam finitur, a Deo percipere meruerunt, &c.] hortatur, vt Minoritas ad ipsum missos benigne excipiat, nec superuacaneum putet prophetarũ oracula audire. *Dat. Anagn*. xv. *kal. mart. pont. nostri an*. v s. Eodemque exemplo literas ad Caliphium [a] Baldacensem ac Miramamolinum [b] Africæ, vt ipsos ad lucem euangelij euocaret, misit.

Caliphium & Miramam. etiã ad fidem Christ. hortatur.

a Lib. 7. ep. 129.

b Reg. post eand. ep.

23 Peragrabant eo tempore vastissimas Asiæ regiones plures viri religiosi, ad populos Christiana religione excolendos; e quibus Iacobus Russanus Mi-

Commendat Greg. Regi Georg. præcones euangelicos.

noti-

noritam, cum in Georgiam penetrasset a Rege perhumaniter est exceptus, (fuisse vero Georgianos Christiana religione imbutos, sedique Apostolicæ addictissimos superius insinuatum est) quo accepto Pontifex, cum idem religiosus vir reditum in Asiam appararet, illum atque alios, qui Christi nomen apud gentes circumferebant, Regi commendauit. Plura vero cœlestia prodigia ad confirmandam Christianæ fidei veritatem præconum euangelicorum opera numen explicuisse colligitur ea hac literarum parte: *Latorem præsentium recepimus referente, quod tu thronum gloriæ, cui præsidet, ab auctore omnium recognoscens, personas ipsius ordinis, quin potius operantem in eis spiritum veneraris, intelligens, sicut credimus, & attendens, quod qui custodit paruulos, in confusionem hæreticæ prauitatis catholicam dignatur Ecclesiam euidentioribus signis atque miraculis decorare per eos, vt quo se fortius paupertate simul & simplicitate, eo maioribus ab eo, qui humilia respicit, virtutum honoribus attollantur, &c. Dat. Lat. III. idus april. an. VII.*

Exciat Frid. vt Sarracen. Nucerinos ad Christi cultum adducat.
a Eod. l. 7. ep. 310.

24 Cum pontificium zelū ad collustrandos euangelica luce remotissimarum orientis terrarum infideles se diffudisse viderimus, prætermittenda non est silentio nauata ab illo opera, vt Sarracenos, qui Nuceriæ in Apulia agebant, nefanda Mahometi superstitione irretitos ad fidem adduceret; Imperatorem enim monuit a qua vi qua amore, ipsos ad exuendos errores adigeret, ac Dominicanæ familiæ religiosos viros ad exponenda ipsis diuina oracula missos tueretur: *Imperialem mansuetudinem rogandam duximus & hortandam, quatenus Sarracenis, qui Capitanate Nuceriam incolunt, & Italicum idioma non mediocriter, vt fertur, intelligunt, per tuas literas firmiter dare debeas in mandatis, vt fratres ordinis Prædicatorum, pacis angelos, quos ad eos cum exhortationis verbo dirigimus, in pace suscipiant, patienter audiant, & prudenter ijs, quæ pro sua salute proponuntur, intendant; si forte pater luminum nostræ miseratus aspiciens intentionis affectum, populo, qui in tenebris habitat, verum lumen ostendat: & si quod a nobis in benedictione plantabitur, potentia tua fauoribus irrigetur, ad vnum ex hoc nobiscum proficias meritum, apud eum, qui solus tribuit incrementum, quia qui plantat, & qui rigat, vnum sunt in vnius intentionis affectum, &c. Dat. Anagniæ VI. kal. sept.* Pontificis acceptis literis, vt flectere ingenium, versareque omnem in partem nouerat Fridericus, pietatis gloriam aucupaturus, studium suum & operam detulit, iactauitque industria sua plures iam Sarracenos exuta impuri Mahometis superstitione Christianam religionem amplexos, ac diligentiam omnem collocaturum, quo Dei, & Ecclesiæ in dies gloria efflorescere.

Pollicetur illi suam operam Fridericus.

Offert armorum potentiā ad frangēdos Ecclesiæ hostes.
b Apud Greg. l. 6. ep. 268.
Illius ea de re literæ ad Gregorium.

25 Ostentabat sane se Fridericus præclare erga Ecclesiam affectum atque euolente iam se anno superiore, ad hostes illius edomandos operam suam oratorum opera ac pompaticis literis b detulerat, quibus Imperium Sacerdotio coniunctissimum semper fuire ita jactabat: *Quamquam hæc duo, Sacerdotium & sacrum Imperium vocabulorum appareant nuncupatione discreta, significationis tamen effectu sunt eadem, eiusdem originis diuina potentia scilicet initiata principij, eiusdemque gratia fauore fouenda; & quod abominamur exprimere, eiusdem nostræ communis fidei subuersione tollenda. Quas etenim oues pascet pastor Ecclesiæ, si gramina fidei desiccantur? Quibus fidelibus sacrum Imperium imperabit, si deficiente fide desistent, qui sibi tenentur ex fide? Eadem est ergo, vt necessario repetamus, languentis fidei nostræ medela, idem est gladius; sed tamen bis acutus, velut proprietate pluralis numeri, quo vsus est Petrus in euangelio, dicens: Ecce duo gladij hic; vt ad literam & ad oculum alludamus, qui ad intellectum hactenus verba retulimus; duo vere sunt gladij, sed vna eadem mater Ecclesia fidei nostræ genitrix est vagina duorum, quod aperte discernere voluisse dicentem significatio propria aduerbij localis ostendit. Dum enim, hic, dixit, ostendere voluit, quod gladiorum amborum vnus est locus, ex quo immobiliter assumitur, & necessario comprobatur, quod gladiorum istorum vna sit substantia, cum sit impossibile de natura vnum, & eundem locum duas posse substantias continere. Profecto vagina eadem hos duos gladios sic effectualiter vnum facit, quod non aliter vnus ab altero integritate alterius seruata seiungitur, quam pars a toto deducitur absque corruptione subiecti, vel vt videat oculus, quod forte non concipit intellectus in eadem vagina corporea duobus gladijs conditis, sublato altero impossibile sequitur, quin in vagina residuus non vagetur. Absit a nobis vnquam pater, & pastor Ecclesiæ, non leuis, aut simplex, immo bruta credulitas, quod istud indiuiduum gladiorum, patris & filij vnio recipiat sectionem: immo firmiter credimus, & publice profitemur, quod nos duo velut pater & filius vnum sumus in hac vera credulitate cordis, in hac sancta professione sermonis, etsi semper Apostolicæ sedis constantiam fuisse nouerimus, nunc tamen, & continuo permanere gaudemus, &c. Dat. Pracin. III. decemb. sexto indict.*

26 Verum tāta promissa frustra cecidere, cū enim Pontifex, oppressa ab improborū ambitione Ecclesia, qui illius ditionē inuaserant, Fridericum rogasset a, vt ad retundendam eorum audaciam conatusque elidendos auxiliarem manum explicaret, cum ad ferendam illi opem ob dignitatem Imperij, tum ob Siciliā sedis Apost. vectigalem obstrictus esset, expectaretque vt, conscripto collectoque ingenti exercitu, ad leuandam oppressam Ecclesiam prouolaret, sese ille ad Siculum iter comparabat. Quibus auditis Gregorius, grauissimo dolore perfusus, de ijs conquestus hortatusque b est, si ipse præsens operam matri Ecclesiæ ferre non posset, alios saltem duces potenti succinctos exercitu, ad hostes debellandos quamprimum expediret. Et sane Fridericum Messanam profectum captosque ibi rebelles partim suspendio, partim flammis deduise a Richardo c, Godefrido d alijsque tāditum est. Cæterum Ecclesiæ hostes, de quibus dictæ epistolæ memorant, Romanos fuisse, res superiori anno dictæ, tū ex Gregorij actis, tum ex regesto satis illustrare videntur, quæ etiam acta de Friderico hæc tradunt: *Ideo Fridericus Imp. prædictus apud S. Germanum certo relatione comperto*, nimirum Romanos odijs in Pontificem efferatos ob castrum Fumonis munitissimū ab ipso recuperatum coniurasse, *qui fidelis defensionis præsidium Ecclesiæ Rom. promiserat, vt iuramento, & vassallagij obligatione tenebatur, & fidei, & maiestatis oblitus, Messanam properans, nullo persequente ascessit, hostibus taciti fauoris auxilium ex cessione daturus.*

Fallit promissa.
a Lib. 6. ep. 262.
b Greg. l. 6. ep. 289.
c Ric. à S. Germ in chron. hoc ann.
d Godef. in annal. eod. ann.
Excitus a Greg. in auxil. contra Romanos Messanam adolat.

Cur Romani, signa in Greg. extulerunt.
Ad eos pacandos Romam se conferre decernit.

27 At Pontifex licet se cinctum periculis, hostibusque circumfusum videret, generoso ardore succensus, Romam contendere decreuit, quò conflatas seditiones extingueret, laborantique ciuitati opem explicaret: accidit que, vt cum primum pedem inferre visus, singulari miraculo mollirentur statim Romanorum pectora, odijsque, quibus erant imbuti, positis, ad ipsius pedes sese abijcerent, ingentique pompa Vrbe exciperent, quæ auctor anonymus, collaudata Pontificis constantia prosequitur: *Fratrum ad hoc consilia diuiduntur, dum pauci Vrbis ingressum, plures accessum in Tusciam summo Pontifici suaderent: sed Christi vicarius, cui temporis breuitas ad elidendos Romanorum impetus facultatem virium denegabat, existens Anagniæ cum Apostolicæ sedis honore exitium patriæ sustinere non poterat indefensum, nec absque præsidialis auctoritatis iniuria prouinciam deserere poterat fugitiuus: magistri autem vocem secutus & actus, trepidantium fratrum animos humili responsione colligens ait: Vos fugam capite, & ego volam immolari*

Maior Cardinalium pars id cōsilium damnat.

Egregia ad ipsos Pontificis sententia.

pro

pro vobis, & persecutoribus similitudine quaestionis occurrens: Si me quaeritis, sinite hos abire, zelo iustitiae, ac fidei feruore succensus, fortis athleta sanguinem ponere pro commissa sponsa libertate paratus, Vrbem frementium bestiarum intrepidus, & constanter ingreditur, a Romano populo cateruatim obuiam concurrente, incredibili veneratione susceptus. res mira, & ab humana possibilitate remota, vt hostes proposito crudelitatis armati, audito pastoris accessu, protinus ferocitatis animum immutauerint in deuotionis affectum, & ora contumelia scurrilitate laxata, in organa diuinae laudis composita, patrum Patri praeconia personabant, nec his Pater contentus deuotionis indicijs, quae solent apud eos venalitatis argumenta monstrare, ipsorum esuriem non modica pecunia refectione placauit. His addit Richardus a antequam Pontifex Romam accederet, senatorem Vrbis alijs proceribus stipatum Anagniam venisse, flagitasseque summis precibus, vt Romam regrederetur, flexumque eorum votis aliquorum Cardinalium comitatu cinctum, alijs Anagniae consistentibus, redijsse. Sed non diu pax tenuit, iterum enim recrudescente vetere discordia Romani seditiones nouas moliri, & conflare coeperunt. Qui vt imminenti periculo sese subduceret, ingratam vrbem deserere, alioque transfugere coactus est, de quibus anno sequenti.

Mitigatur eius aduentu Romanus.

Pontifice magnifice excipiunt.

a Rich. de S.Germ. in chron.

Parum ea tenuit concordia.

28 Nec tumultus modo in pontificia ditione, verum etiam in Insubria excitati. Quamuis enim antea diligentissima cura Pontifex Insubres inter atque Imperatorem, vt vidimus, pacem conciliare, atque omni adhibita opera fortissime adstringere studuisset, eruperant tamen nouae difficultates, quae exulceratos, atque exasperatos iam animos in veram amicitiam coalescere obstiterant; ad eos tamen deliniendos arctiorique iungendos foedere Gregorius Papa Fridericum b, & Insubres c, vt singuli Romam legatos ad eam agitandam perficiendamque mitterent est hortatus d, ac monuit vtrosque, iustis antea conditionibus starent. Ac ne discordia in bellum apertum Ecclesiaeque exitiale emergeret, egit apud vtrosque, vt compromisso in Iacobum Praenestinum electum, & Cardinalem S. Nicolai in carcere Tulliano facto, iura sua Ecclesiae definienda permitterent: quae cum apostolica interposita auctoritate Pontifex promoueret componeretque, de his ad Fridericum scripsit, & eius ac filij Regis literas, quae gesta & gerenda rata haberent, flagitauit. Cui Fridericus se magistrum Theutonicorum, cum primum redijsset, ad ipsum, vt eadem te ageret, missurum respondit e. iterum aculeatas, ac querimoniarum plenas literas f ad Ostiensem episcopum misit, quibus primum admonuit, quae sibi ab Pontifice scripta ac responsa essent; tum in querelas erumpit, iniurias tantas, quibus ab Insubribus esset lacessitus, Rauennae nimirum indicta comitia ab ijs discussam, abruptos ad patrem filio aditus, plures Germanos nobiles contumelijs affectos, non resarciri, quae Pontificis arbitrio permisisset, rem ita ab illo compositam, vt sui Imperijque honoris oblitus videretur. Demum rogat illis consuleret, ne si fama rei gestae emanaret, caeteri principes arbitrario Ecclesiae iudicio sese committere deterrerentur. De quibus omnibus certior factus Pontifex, literis g ad Imperatorem scriptis purgauit se, ac Principis querimonias de te in Insubrium gratiam decisa retudit, conceptasque sinistras suspiciones ex illius animo depellere conatus, ostendit, si tuendae ecclesiasticae libertatis gratia asperiorem se praebuisset, id ipsius salutis causa ex summo amore emanasse, ac secuta ingentia in eum beneficia commemorat, vt non querimoniarum, sed gratiarum materiam sibi porrectam esse cognoscat.

Insubriae tumultus pacare nititur Greg.

b Lib. 6. ep. 358.

c ibid. ep. 359.

d Lib. 7. ep. 146.

e ibid. ep. 267.

f Ep. 268.

Queritur Fridericus sibi laeso a Longobardis non fieri satis.

g Ep. 269.

Accusat Pontificem nimiae in eos indulgentiae.

Gregorius, &c.

29 Pro tuae celsitudinis incremento etsi ab aliquibus, qui scirent etiam de balsami murmurare fragrantia, & in melle causari dulcedinis vbertatem, forte contrarium teneatur, duos ex fratribus nostris, quos laudabiles effecit multiplicis euidentia probitatis, Lombardis omnino renitentibus, pro te in Lombardiam misimus, quorum diligenti studio, quantum difficultas negotij concedebat, tuis accreuisse profectibus probabiliter aestimamus. Caeterum etsi bona referamus inuiti, quae de sedis Apostolicae benignitate procedunt, eò quod impensa beneficia non sint largitoris relatibus publicanda, tamen vt innocenti maculam non impingas, & scias te ad retributionis debitum, non ad querelae conuitium obligatum, reminisci te volumus, quod in pluribus, quae tuorum prudentia nuntiorum, seu multarum series literarum a nobis tuo nomine diebus praeteritis exposcerunt, faciendum semper assumpsimus, quod dignum, & vtile videbamus. Sed ecce quasi arbor gratis onusta fructibus, ex eo dicenda sit sterilis, si non per totum appareat vniformis, aut quasi defectus ascribi firmamento debeat, si aequa stellarum claritas non existat, obliuioni commissa gratiarum congerie, quam suis temporibus circa te recolimus effudisse, innuis ex scripto lamentabili, quod non nobis, sed nostris fratribus destinasti, nos taliter super Lombardiae negotio prouidisse, vt de illatis iniurijs a Lombardis nihil sit tibi satisfactionis praestitum, aut de tuo, vel honore Imperij cogitatum, immo quod pro miro geritur, si processus huiusmodi Cardinalium consilio fulciatur, quasi talibus inconsultis soliti simus efficere, quae debemus & cupimus, ipsorum consulta prouidentia diffinire.

Obiecta diluit Gregorius.

30 Ad haec autem quid rescribentis innocentia respondebit, vnde praesumptio, quod sequentes arbitrium propriae voluntatis, quasi rationis consilio non ducamur, quò licet immeriti locum superni Iudicis obtinentes in terris plenitudinem iustitiae studemus omnibus exhibere, principi praeeminenti, & Ecclesiae filio speciali Lombardos in aliquo, maxime vbi de iure agitur, relicto rectitudinis tramite proponamus? Absit, absit a nobis, qui testem in caelis, & in excelsis conscium obtinemus, quod in iuris praeiudicium nobis nō sit acceptio personarum. Sed infers ex quingentis militibus, quos pridem de fratrum nostrorum consilio in Terrae sanctae subsidium a Lombardis prouidimus praefigendo ab Ecclesia Rom. termino destinandos, forte iniuriam tibi fecerimus euidentem. Vnde locus a damnis, & iniurijs, quae tibi Lombardorum temeritas irrogauit? Quae sunt illa? Pone quod plurima: tamen quia Lombardis paratis subire iudicium procuratores tui nihil sub figura iudicij proponere voluerunt, in fauorem tui nominis ad prouisionis remedium nos oportuit habere recursum, quae qualiscunque tuae magnitudini videatur, tamen ex illa Lombardi se grauatos intelligunt, eo quod super habitis contra te processibus se in modico culpabiles ex causis plurimis recognoscunt.

31 Sed querelam querelae adijcis, & subiungis, quod in prouisione praedicta prior sit omissa conuentio de militibus quadringentis. Ad hoc autem, quàm possumus, breuiter & lucide respondemus: scis enim nisi forte obliuioni commiseris alijs pluribus occupatus, quod secundum declarationem felicis recordationis Honorij Papae praedecessoris nostri, quam sumptam ex regestis tibi praesentibus mittimus interclusam, celsitudini tuae praedicti milites debebantur, si statuto a te passagio, & per Rom. Ecclesiam approbato in Terrae sanctae subsidium transiuisses. Igitur quod nō sine turbatione referimus, cum talem transitum feceris, sicut scimus & nosti, tibi praedicti milites non debentur. Si non debentur, & in praemissis nil de contingentibus est omissum, quare vir prouide lamentaris? Verùm si de promissione praedicta te grauatū pro-

Questus erat Frid. Longob. ob non submissos 400. milites cataphr. non fuisse mulctatos.

Respon. Greg. non fuisse ad id astrictos, cum expeditio illa ab Ecclesia indicta non fuisset.

propriјs, vel alienis moribus arbitraris, super hoc nobis tuam præcise resera voluntatem, quia credimus negotium in statum pristinum posse reducere, iure vtriusque partis integro remanente. *Dat. Anagniæ 11. id. aug. anno VII.*]

Caieta a Greg. ad Frid. obsequium adducitur.
a Lib. 7. ep. 211.
b Extant ib. ep. 212.
Pollicetur Caietan. Frid. iniurias præteritas non vlturum.

32 Demonstrauit verò Pontifex in Caietanis ad Friderici obsequium, a quo maxime abhorrebant, adducendis a sui in illum studij ac fidei sinceritatem. verebantur illi, ne postquam Friderici imperio se submisissent, illius sæuitiam experirentur. ad quem metum ex eorum animo euellendum pollicitus b est Fridericus acceptas ab ijs iniurias ob secutas Ecclesiæ partes æterna obliuione deleturum, cauitque edicto imperiali, ne quis vllam ijs molestiam in Sicilia, Romanoue Imperio inferret. Quos quidem hoc anno ad illius obsequium reuocatos testatur memoria dignum monumentum, quod in libro censuum Vaticanæ bibliothecæ extat: *In nomine Domini nostri Iesu Christi anno dominicæ Incarnationis 1233. imperante domino nostro Friderico Dei gratia victore Romanorum Imperatore semper Augusto, Hierosolymitano, & Siciliæ Rege anno Imperij eius XIII. tempore domini nostri illustris Regis Conradi eiusdem serenissimi Imperatoris filij, die Iouis vltima mense iunij sexta indictione, nos consules, iudices, & vniuersus populus Gaietæ præsenti scripto volumus esse notum, tractatam per D. Papam pacem, & gratiam nobis a D. Imperatore concessam, siquidem in priuilegijs eiusdem D. Imperatoris filio suo D. nostro illustri Regi Conrado de datione & concessione ciuitatis Gaietanæ, & nobis indultis plenius continetur, quam sub sigillo ipsius domini Papæ recepimus in Gaieta per manus magistri Petri de Guartino venerabilis scriptoris eiusdem Papæ affectuosius acceptantes ipsi D. summo Pontifici cum omni humilitate gratias agimus, quod paternam de nobis in hoc habuit curam, & salutem nostram pietate apostolica procurauit, &c.* Verum quamuis Imperator Caietanos in pristinam gratiam recepturum spopondisset, non visus est fidem seruare, cum Richardus c asserat Imperatorem misisse in eam vrbem Hectorem e monte Frusulo, qui ipsam creandorum consulum auctoritate dignitateque orbauit, ac vectigalia noua ciuibus imposuit.

Promissa parum curat.
c Ricch. chron. hoc anno.

33 Vlrionis quidem Fridericum auidum extitisse, varijsque prætextibus, & criminibus subornatis in eos desæuire solitum, in quos odium animo concepisset, non superius modo recensita, verum a nobis dicenda ostendunt. Cum enim ad excindendos hæreticos ingenti ardere zelo præ se tulisset d, constituissetque, vt in singulis prouincijs ac locis insignibus iudex vna cum antistite exercendæ in eos quæstioni præesset, atque ob susceptum pium, vt videbatur, consiliū a Gregorio collaudatus esset, vindictæ occasionem aucupatus, plerosque insontes catholicos, qui in ipsius iras incurrerant, crimine hæreseos accusatos flammis magno omnium dolore, & scandalo tradi iussit: quare illum Gregorius grauissime monuit e, vt in delendis hæreticis, non perdendis catholicis studium collocaret.

d Apud Greg. ep. 243.
Sitim explens poenis hæret. afficit.
e Ibid. ep. 244.

* *Gregorius, &c.*

Corripitur grauissime a Pontifice.

34 Quia feruenti desiderio multis temporibus expectantes, quod verborum pulchritudinem decor operum sequeretur, eò quod arbor ex fructibus formosa potius, quam ex frondibus censeatur, excellentiam tuam rogamus, & obsecramus in domino Iesu Christo, quatenus prudenter attendens, quod ex melle fauus laudem dulcedinis, & ex messe seges placentæ titulum sortiatur, deuotionis verba, quæ sæpe tuis literis exponuntur, ita conformes operibus bonitatis, quòd in actu fructificent, & te cælorum Regi, ac terræ principibus, cunctisque fidelibus, vt excelsum potentia principem, ita virtute constituant præeminētem: alias autem parum arbitramur vtile, quod studet literis dictatoris facunditas explicare. Taliter igitur cordis adorna thalamum pietatis insignibus, & meritis illustra solium bonæ splendoribus voluntatis, vt te seueritatem in abdito, & in procinctu clementiam obtinente lætitiæ causam ex te subiecta populi multitudo concipiat, & illa te propitio in prosperitatis gratia reflorescat. Sic enim cum sit amor ciuium inexpugnabile munimentum, desiderium, quod aduersus exterminium prauitatis hæreticæ concepisti, processu prospero, auctore Deo, dirigi poterit, & finiri. Veruntamen expedit, sicut diuinam gratiam, & fauorem matris Ecclesiæ vis vberius promereri, quod sub hæreticorum prætextu, quorum dudum aliqui pro firmamento fidei, vt asseris, incendio sunt commissi, fideles, qui forte tuam celsitudinem offendendo non hæretici, sed errantes in aliquo, impatientia procurante grauaminum, sunt inuenti, nullo modo pereant, vt pridem nobis dolentibus multisque mœrentibus, non absque diuinæ Maiestatis offensa, scandalo fidelium populorum, & imperialis detrimento nominis in tui præsentia perierunt, quæ si fas sit verbum proponere pietatis, debebat delendis perfidis, non perdendis fidelibus deputari, vt sic Christiani potius promotor Imperij, quam depressor eiusdem occasione afflicti regni Siciliæ diceceris. *Dat. Later. id. iul. anno VII.*] Hactenus Pontifex ad liberandos e funesta carnificina innocentes viros, quorum iniustum supplicium paternum pectus ad misericordiam commouerat.

Atrox inter Florentinos, & Senenses bellum.
a Ricord. Malesp. hist. Flor. c. 119 & Io. Villa. l. 6. c. 9. illius caus(a).

35 Hausit pariter grauissimum dolorem ex mutuis Florentinorum ac Senensium calamitatibus, qui odijs crudelibus efferati mutuis cladibus se atterebant. Cuius belli causas retexens Ricordanus a Malespina, scribit Senenses anno superiori montem Policianum, cuius ciues cum Florentinis tuendæ libertatis gratia coitionem fecerant, obsidione cepisse illiusque propugnacula funditus euertisse: Florentinos verò ea re lacessitos præsenti anno in Senensem agrum irrupisse, atque oppidum nobile excidisse. Ad eos conciliandos, emergentiaque inde mala compescenda intentus Pontifex, ad Ioannem e Prædicatorum familia spectatæ sanctitatis virum miraculisque editis conspicuum scriptis literis b, legationis prouinciam suscipere, animarumque saluti incumbere rogauit: *Iam ad opera pietatis non es iussione trahendus, qui, vt audiuimus & lætamur, libertate Spiritus Domini frueris, & per vnctionem eius de omnibus edoceris. Clamat sane Florentinorum, & Senensium innumerabilium captiuorum miserabilis gemitus, & inter vincula, & squallores carceris, inter tormenta famis & sitis pene deficientium vlulatus, clamat plurimum sanguis effusus, et abundantius, si pax non interuenerit, effundendus: placeretque nobis, si Dominus tibi inspiraret, vt assumpta legatione pro Christo, non tantum salutem corporum, sed in vtraque ciuitate lucrum quæreres animarum. Præcipere tibi nolumus, qui spiritu Dei duceris, cui nos obedire tenemur, sed oramus, vt tibi ab illo inspiretur, quo per ministerium tuum languentium multitudo respirat, potius inspiretur, hanc vtriusque ciuitatis vniuersitati, quæ iam perijsse videntur, facere gratiam, ne irreparabilem nobiscum pariter compellaris flere iacturam. Dat. Later. IV. kal. maij anno VII.* Alijs etiam literis c eundem solicitauit, vt cum vtriusque populi odia mitescere viderentur, quantocyus ad tractandam concordiam se conferret, ac tot captiuorum, qui in vinculis ingemiscebant, calamitate tangeretur.

b Lib. 7. ep. 69.
Ioannem Vicent. miraculorū gloria & sanctitate fulgentem ad ipsos mittit.
c Ep. 319.

36 Sed ne tam pio operi Bononienses obsisterent, monuit d, vt si Spiritus sanctus pium virum ad eas componendas ciuitates mouisset, libere exire permitterent. Sparserat verò adeo sese late illius viri sanctitatis fama, vt zelo imprudenti permori aliqui, detinendique apud se illius cupiditate deliniti, eundi liber-

d Ib. ep. 48.
Monet Bononienses ne virum sanctum itinere arceant.

libertatem eriperent. Quamobrem Pontifex archiepiscopos, & cæteros præsules, eos qui ipsum vi detinerent, deterrere primum, obstinatosque anathemate ferire iussit a, comminatus etiam illas ciuitates, quæ illud facinus tentassent, episcopatus dignitate exuturum. eiusdemque argumenti literas dedit b ad omnes, per quorum loca Ioannes iter esset facturus. Verum prætor Florentinus eiusq; consiliarij nec pacem firmare, nec inducias inire voluere. quorum pernicacia iuste commotus summus Pontifex, archiepiscopum Pisanum anathematis in eos sententiam promulgare iussit c. de quibus inflictis censuris Richardus hæc monumentis consignauit d: *Florentinates super Senas vadunt post probibitionem Papæ, propter quod eorum ciuitas sub interdicto posita est, & ipsi excommunicationis vinculo innodati.* Atroci verò adeo bello Senenses sunt insectati, vt demum ad poscendam pacem, reficiendumque suis sumptibus montem Politianum compulerint.

a Ead. l. 7. ep. 218.
b Ibid. ep. 220
Desæuitur anathemate.
c Ep. 102.
d Rich. de S. Germ. in chron. hoc ann.

37 Gratulatus verò est Ioanni e Pontifex ob res, quas Deus eius beneficio ad Ecclesiæ suæ amplificandam gloriam explicaret, hortatusque, vt in diuino obsequio omni cura, ac solicitudine perstaret; instruxitque auctoritate, vt anathematis vinculis eos f, qui statutis iniquioribus, & consuetudinibus ad immunitates ecclesiasticas conuellendas vsi essent, vel qui clericis manus attulissent, atque etiam Ezelinum g, & Veronenses, qui ob discordias ardentes cœtu fidelium abacti essent, absoluere posset. Præterea eos, qui sacris ipsius concionibus interfuissent, viginti dierum peccatorum indulgentiam consequerentur statuit h. Verum inter ea collata diuinitus beneficia, quibus ingentem apud populos sanctitatis famam compararat, arcano consilio permisit numen exercendæ ipsius, probandæque virtutis gratia aliquos, maleuolentia in eum suffusos, famam ipsius iactis contumelijs lacerare. quibus a Pontifice acceptis, ad ferendas pro Christo animo constanti iniurias hortatus est i, nec enim ijs se appeti innocentem mirari debere, cum ipse Dominus maioribus ab infidis exceptus esset.

Gratulatur Ioanni Greg. ob res admirandas ab eo patratas.
e Ep. 130. 260
f Ead. ep. 260
g Ibid. ep. 261.
h Ep. 241.
Ab improbis exagitatur Ioannes.
i Ep. 287.

38 *Nihil magis metuimus, quam si erubescere te gloriosum crucis opprobrium sentiremus. Non est super magistrum discipulus, nec super dominum suum seruus. Si patremfamilias vocauerunt Beelzebub, quid de domesticis eius dicturi sunt, & facturi? Ille, cui pueri Hebræorum solemniter obuiantes, vt Regi & triumphatori vias strauerant, & præconio multitudinis cantica laudum cecinerant in excelsis, paulo post ab æmulis voluntarie tulit contraria, confusione contempta: tanquam reus capitur, & ligatur, iudicio sistitur, cæditur, condemnatur. Et Apostolus imitator ipsius, qui postquam vsque ad tertium cælum rapitur, postquam reuelationum magnitudine, ac verbis, quæ non est audire licitum, informatur, vtiliter vel inuitus colaphis sathanæ traditur, ne periculosius extollatur. In hoc, inquit, laboramus & maledicimur, quia in eum, qui saluator omnium sit, maxime fidelium, etiam sperauimus, vt recte voce quoque prophetica loqueretur: Pro eo vt me diligerent, detrahebant, & factus sum illis opprobrium: & videntes me capita commouerunt. Et e contrario cernimus Iudæos, hæreticos, & diuersos dogmatum sectatores in cœno volutari libidinum, madere sanguine, lupos vincere feritate: sed tamen eorum tabernaculo non appropinquare flagellum, nec eos cum hominibus verberari, & idcirco superbire contra Dominum, & os ponere in excelsum. Tu verò dilecte fili omne gaudium existimato, si in tentationes aliquas incidisti, cum oporteat nos diuersa tribulationum genera æquo animo perpeti, per quæ nobis cælestis ianua promittitur aperiri. Credas denique, quod & ad tuam hac probationem dispensatio diuina sustinuit, & improperiorum eius vltio festinabit.* Addit se Vicentino episcopo prouinciam demandasse, vt in flagitij auctores animaduerteret. *Dat. Anagniæ x. kal. octob. anno VII.* Hactenus de Ioanne Vicentino. iam ab eo, ad familiæ in quæsitam religiosam colebat, conditorem digrediamur.

Mœrentē solatur Pontifex.

39 Cum sacri Prædicatorum cœtus institutor B. Dominicus non modo clarissima, dum vixit, miracula explicuisset, verum innumeris etiam alijs prodigijs illius Deus sepulchrum in dies illustraret, certissimo comparatæ æternæ felicitatis argumento, Pontifex vt in eo albo sanctorum aggregando maturè pro rei grauitate incumberet, archidiacono Bononiensi, ac duobus alijs prouinciam imposuit a, omni affectu deposito in illius vitam ac miracula adactis iureiurando testibus diligentissime inquirerent: *Sane gaudentes pridem accepimus, quod recolendæ memoriæ frater Dominicus plantator Prædicatorum ordinis & magister, diuina misericordia faciente, aggregatus existat collegio supernorum, gloriam concessæ beatitudinis signis exprimens gloriosis: nam circa sepulchrum eius, & locis alijs per inuocationem sui nominis, & deuotionis sinceræ suffragia, multa miracula circa multos mirabilis in altis Dominus multipliciter operatur. Verum etsi per virtutum insignia, quibus olim memoratus frater extitit multiformiter insignitus, seu per famosa miracula, quibus sancta eius rutilare dicitur sepultura, cælestis sponsæ vocibus de sanctorum esse numero debeat affirmari, tamen quia mentibus ambiguis subito rei veritas non clarescit, & repentinis non solet miraculorum relatibus quorundam spiritus exultare, eo quod omne rutilum nomen auri non impetrat, nec ebur quodlibet niueum imitatur, &c. vitam & conuersationem prædicti fratris, quibus Deo & hominibus noscitur placuisse, necnon miracula, quæ auctore Deo de sui corporis sanctitate procedunt habita præ oculis sola diuina reuerentia maiestatis, per testes idoneos studeatis inquirere, cauta diligentia, & solicitudine vigilanti, quæ in scriptis redacta, sub sigillis vestris fideliter conseruetis, illa nobis postquam mandatum apostolicum receperitis, per fideles, & solemnes nuncios transmissuri. Dat. Lat. III. id. iul. anno VII.* Obierat Bononiæ sanctus vir, anno huius seculi vigesimo primo, octauo idus augusti, e contracto in itinere morbo, cum a Pontifice tum episcopo Ostiensi, atque Apost. sedis in Insubria legato, commendandæ illius solicitudini familiæ suæ causa salutando rediret. qui mali vim ingrauescere sentiens circumstantibus hanc orationem habuit, vt narrat vitæ auctor b: *En vsque in hanc horam carne incorruptum me Dei misericordia seruauit, illibatamque virginitatis munditiam custodiuit, quæ vt etiam in vobis inuiolata permaneat, fœminarum omnium suspecta vitate consortia: ea retenta seruus Christi vita paupertate gratus Christo, & bona famæ odore fructuosus erit proximis. Spiritus seruor semper maneat in vobis, & feruenti spiritu Deo perpetim seruite. Promouendo & propagando huic ordini sitis intenti: stabiles in sanctitate, perseuerate in monastico instituto, & virtutum omnium incremento (& quia ex diuina reuelatione didicerat se e corpore abiturum, fratribus coram se congregatis testamentum fecit, quod nulli mutare fas est, testatoris enim morte confirmatum est:) Hæc sunt fratres, & filij charissimi, quæ vobis hæreditario iure possidenda relinquo, charitas sit in vobis, humilitatē sectemini, paupertati voluntariæ studete, &c.* Vbi spiritum Deo reddidit, illecta suauissimo eius sanctitatis odore maxima populi multitudo ad eius exequias concurrit, quibus etiam Gregorius tum Cardinalis, qui Bononiam venerat, magna prælatorum multitudine succinctus interfuit, suisque manibus sacrum pignus sepulturæ mandauit: hauserat enim magnā de sanctitate viri opinionem, vt qui oculis suis ingens a sancto viro miraculum editum, cum Stephani Cardinalis extinctum nepotem ad vitam reuocauit, conspexisset: vnde pro singulari illo in B. Dominicum studio excurrentibus iam ab eius mor-

B. Dominicus miraculis coruscat.
a Ibid. ep. 240.
Inquiri de illis iubet Greg. ad ipsum in SS. albo reponendū.
Quando obierit D. Domin.
b Theod. l. 3. c. 1. 2. 3. apud Sur. to. 4.
A Greg. tum legato Honorij III. sepultus.

morte annis duodecim, ac sancti viri increbrescente miraculorum gloria ad decernendum illi cultum sanctorum sponte inclinabat.

40 Efflorescebant hac tempestate ab eo conditæ familiæ viri magnæ sanctitatis opinione, Christiq; gloriam in populis e vitiorum cœno erigendis insectandisque hæreticis late circumferebant. quorum eximios labores datis ad eos, qui ad generalia comitia conuenerant, literis a commendauit ac sponte currentibus ad coronam vitæ adipiscendam stimulos admouit. Lacessiti verò sunt interdū grauissimis iniurijs, atque etiam vulneribus appetiti ob defensam strenue fidem: quorum causam magna cura suscepit Pontifex, vt aduersus Placentinum prætorem eiusq; studiosos, qui illius familiæ religiosos viros ob traductos pro concione hæreticos sauciarant, ecclesiasticarum legum seueritatem distringi iussit b, ac Placentinos illum e vinculis, in quæ coniectus fuerat, laxasse obiurgauit c: commendauitque d archiepiscopum clerumque Mediolanensem tum Prædicatoribus, tum Minoritis in expugnanda hæresi impigre desudantibus operam explicuisse.

a Lib. 7. ep. 70.

Prædicatorum in infectādis hæreticis egregia studia.

b Ibid. ep. 328. 335.

c Ep. 378.

d Ep. 372.

41 Cæterum non modo Pontifex ad hæresim in Italia, sed in regionibus quoque borealibus, & Gallijs elidendam operam collocauit. Vtque a Germanicis petamus exordium, ad archiepiscopos atque episcopos scripsit e contra eos hæreticos, qui errores abiurabant, vt incusso pœnarum terrore sese liberarent, in eamque postea deflectebant. Cumque Stadiogorum hæresis serperet, quæ dæmone magistro vtebatur, qui diuersis se formis in secretis eorum scholis induebat, vbi turpissima, & horrenda auditu flagitia patrabantur, Pontifex illi pesti excindendæ intentus, literas lacrymis madidas magistro Conrado e Marburg viro eloquentiæ sacræ laude insigni scripsit f, hortatusque est ad perfidos ab scelere reuocandos incumberet, & si in crimine perstarent, sacram in eos militiam comparare studeret: sed cum adeo consenuisset malum, vt blanda remedia respueret, alias postea ad execrandam pestem ad inferos, vnde emerserat, detrudendam, archiepiscopo Maguntino, episcopo Hildesemensi, dictoq; Conrado literas dedit g vbi diabolicis præstigijs, quibus miseri erant delusi, in medium adductis, blasphemijsque alijs, quas in cæli conditorem euomebant, magna doloris significatione, ac zelo cohortatus est, fœdissimam illam hominum luem conscriptis quamprimum crucesignatis præfocarent, easque indulgentias ijs est impertitus, quibus illi, qui Hierosolymitanam profectionem inirent, potirentur.

e Lib. 6. ep. 355.

Stadinghorum horrenda hæresis.

f Ibid. ep. 173.

g Lib. 7. ep. 177.

Excitati ad dæmonis cultores excindendos catholici.

Gregorius, &c.

42 Tota in amaritudine funditur spiritus, effusum est in terra iecur nostrum, turbata est anima nostra valde, ac impletus doloribus venter noster: defecerunt præ lacrymis oculi nostri, & super tam nefandis abominationibus contremuerunt renes, omnia viscera sunt commota, reprimere lacrymas, & continere suspiria non valemus. Sicut enim literæ vestræ grandi mœrore plenæ, & immenso dolore non vacuæ, nobis exhibitæ continebant, inter diuersas hæresum species, quæ peccatis exigentibus Alemanniam infecerunt, vna sicut detestabilior cæteris, sic & generalior vniuersis, quæ non solum referentibus, sed etiam audientibus est horrori, in nobilibus membris Ecclesiæ, ac valde potentibus iam erupit. Hæc enim omni est dissona rationi, omni pietati contraria, omni cordi odibilis, cælestium omnium, & terrestrium inimica, contra quam non solum homines ratione vtentes, verum etiam ratione carentia, cum hæc pestis eorum excedat insaniam, immo ipsa etiam elementa deberent insurgere, & armari.

De ijs Greg. lit.

Deplorat Pontifex tantam pestem erupisse.

43 Huius pestis initia talia perferuntur: nam dum nouitius in ea quisquam recipitur, & perditorum primus scholas intrat, apparet ei species quædam ranæ, quam bufonem consueuerunt aliqui nominare: hanc quidam a posterioribus, & quidam in ore damnabiliter osculantes, linguam bestiæ intra ora sua recipiunt, & saliuam. Hæc apparet interdum indebita quantitate, & quandoque in modum anseris, vel anatis, plerumque furni etiam quantitatem assumit: demum nouitio procedenti occurrit miri palloris homo, nigerrimos habens oculos, adeo extenuatus & macer, quod consumptis carnibus sola cutis relicta videtur ossibus superducta: hunc nouitius osculatur, & sentit frigidum sicut glaciem, & post osculum catholicæ memoria fidei de ipsius corde totaliter euanescit. Ad conuiuium postmodum discumbentibus, & surgentibus completo ipso conuiuio, per quandam statuam, quæ in scholis huiusmodi esse solet, descendit retrorsum ad modum canis mediocris gattus niger retorta cauda, quem a posterioribus primo nouitius, post magister, deinde singuli per ordinem osculantur, qui tamen digni sunt, & perfecti: imperfecti verò, qui se dignos non reputant, pacem recipiunt a magistro, & tunc singulis per loca sua positis, dictisque quibusdam carminibus, ac versus gattum capitibus inclinatis: Parce nobis, dicit magister, & proximo cuique hoc præcipit, respondente tertio ac dicente: Scimus magister; quartus ait: Et nos obedire debemus, & his ita peractis extinguuntur candelæ, & proceditur ad fœtidissimum opus luxuriæ. Et infra, vbi horrenda libidinum genera ab his patrari solita attulit:

Execranda Stedingh. tyrocinia.

Quibus formis dæmon se ijs exhibeat.

44 Completo vero tam nefandissimo scelere, & candelis iterum reaccensis, singulisque in suo ordine constitutis, de obscuro scholarum angulo, quo non carent perditissimi hominum, quidam homo procedit a renibus sursum fulgens, & sole clarior, sicut dicunt, deorsum hispidus sicut gattus, cuius fulgor illuminat totum locum, tunc magister excerpens aliquid de veste nouitij, fulgido illi dicit: Magister hoc mihi datum tibi do; illo fulgido respondente: Bene mihi seruisti pluries, & melius seruies, tuæ committo custodiæ, quod dedisti. & his dictis protinus euanescit. Corpus etiam Domini singulis annis in pascha de manu recipiunt sacerdotis, & illud ad domus suas in ore portantes in latrinam proijciunt, in contumeliam Redemptoris. Ad hæc infelicissimi omnium miserorum gubernantē cælestia pollutis labijs blasphemantes, asserunt delirando cælorum dominum violenter contra iustitiam, & dolose Luciferum in inferos detrusisse. In hunc etiam credunt miseri, & ipsum affirmant cælestium conditorem, & adhuc ad suam gloriam præcipitato Domino rediturum, per quem cum eodem, & non ante ipsum se sperant æternam beatitudinem habituros. Omnia Deo placita non agenda fatentur, & potius agenda quæ odit.

45 Proh dolor! quis vnquam audiuit talia? Quis tam nefaria potuit cogitare? Quis tantam poterit non abominari perfidiam? Quis tantæ nequitiæ poterit non irasci? Quis contra huiusmodi perditionis, & proditionis filios poterit non accendi? Vbi est zelus Moysis, qui vna die idololatrarum viginti tria millia interfecit? Vbi est zelus Phinees, qui Iudæum cum Madianitide vno pugione confodit? Vbi est zelus Eliæ, qui quadringentos, & quinquaginta prophetas Baal ad torrentem Cison gladio interemit? Vbi est Mathathiæ zelus, cuius furor secundum legis iudicium adeo est accensus, vt insiliens trucidaret Iudæum immolantem idolis super aram? Vbi est auctoritas Petri, qui in Ananiam, & Saphiram, pro eo quod Spiritui sancto mentiri non timuerunt, exarsit? Certe si contra tales terra consurgeret, & iniquitates ipsorum cæli sidera reuelarent, & manifestarent eorum scelera toti mundo, vt nō solum homines, sed etiam ipsa elementa coniurarent in eorū excidium, &

ruinam, ipsosque delerent de terræ facie, non parcentes sexui, vel ætati, vt essent cunctis gentibus in opprobrium sempiternum, vltio de ipsis sumi non posset sufficiens, siue digna. Cæterum licet magna sit horum pestilentium contritio velut mare, scientes tamen quod non est abbreuiata manus Domini, vt saluare non possit, & excoquere ad purum scoriam eorundem, & omne stannum auferre, compatiendo ex intimo cordis super contritione ipsorum prævalida, ne nobis valeat imputari, quod eam circumligare correctionum fascijs neglexerimus, & mansuetudinis oleo confouere, ac sperantes quoque, vt ille, qui etiam iratus non desinit misereri, non semper continebit suæ pietatis viscera super eos, sed de illorum manu transferet calicem iræ suæ, circa correctionem eorum prouidimus. laborandum, &c.] Hortatur strenuam in perditissimis hominibus ad Ecclesiam traducendis operam nauent: qui si salubria monita respuant, ad eos excindendos crucesignatas copias comparent, ipsisque consueta indulgentiarum præmia proponant. *Dat. Later. id. iun. anno VII.*

46 Eodem argumento ad episcopos Maguntinæ prouinciæ, ad inflammandum eorum zelum scripsit a: ac Fridericum Imp. rogauit b, vti Germanos principes ad arma contra teterrimam illam hominum colluuionem capessenda hortaretur, eiusdemque Friderici filium Henricum, vt aduersus eos prosiliret, incendere est conatus c. In quibus visus est dæmon Gnosticorum impuritates, quæ tanto gentilibus erant scandalo, aliorumque veterum hæreticorum fœdissimos pugnantesque cum ratione errores apertissimos renouasse, quæ nefaria germina, Apostolica falce amputata fuerunt. Pluribus etiam Germaniæ episcopis, nimirum Mindensi, Lubecensi, & Racemburgensi ad delendum citius malum, ne latius grassaretur, cum maxime plures aliarum sectarum hæretici, qui delitescebant, quotidie emergerent, ac deallatis clericis crudelissimis cladibus gloriarentur, sese compararent Gregorius monuit d, atque ad illos magis ad sacram illam expeditionem concitandos, scelera, quibus ij sese contaminarent, ob oculos proposuit. Superioribus consentanea insinuauit historiæ anno sequenti Albertus Stadensis e; sed quos Pontifex Scethincos f ipse Stedingos appellat, eorumque errores, quibus erant impliciti, ac scelera enumerat: dum ab Henrico duce Brabantiæ, & Florentio comite Hollandiæ nauatam contra eos egregiam operam anno sequenti commemorat.

a Ibid. ep. 178.
b Ep. 179.
Sollicitatus in Stedingos Henricus Rom. Rex
c Ep. 180.
d Ep. 186.
e Staden. in chron.
f Ead. ep. 186.

47 *Henricus dux Brabantiæ, & Florentius comes Hollandiæ, Bremæ existentes contra Stedingos viriliter se accinxerunt, tanquam contra inimicos manifestos Ecclesiæ. Nam fuerat probatum est super eos, & per Mindensem, Lubicensem, Racesburgensem episcopos; Papæ auribus intimatum, ipsi doctrina matris Ecclesiæ penitus vilipensa, ipsius libertatem conculcauerunt, nulli parcentes sexui vel ætati. Quæsierunt responsa dæmonum, simulacra fecerunt cerea, consulentes etiam in suis spurcitijs erroneas pythonissas. & quod deterius est, omnibus viaticum salutis æternæ, horribilius, quam deceat exprimi, pertractantes: clericos etiam & religiosos impie lacerantes cruciabant omni genere tormentorum. Nec propria eis sufficit perditio, sed omnes, quos poterant, & maxime rusticos, in foueam suæ perfidiæ secum trahere nitebantur. Sicut Lucifer lucis æternæ lumine destitutus, caduce superbia procurante cælo continere nequiens; eo quod perpetuæ cæcitatis tenebras incurrisset, cum sit perditus, & minister perditionis effectus, ne ademptas sibi delicias sempiternas possit conditionis humanæ dignitas adipisci (quia solent miseri prosperitate felicium cruciari) illam in profundum perfidiæ ab altitudine fidei dejicere nititur, vt secum in lacum suæ miseriæ demergatur, existimans per hoc suæ damnationis cumulum minorari, cum soleat afflictis quiddam afferre solatium grata miseris societas miserorum. Ita miseri & miserabiles Stedingi, ponentes sibi omnino Deum contrarium, suis persuasionibus, & malis exemplis grauiter infecerunt populum Christianum, ita vt infinita rusticorum multitudo, tam in remotis, quam in vicinis prouincijs constituta verbo tenus eos defenderet, & si se opportunitas obtulisset, prompto animo proteruia eorum auxilium attulisset. Sed Deus misericordiarum dominus, suis fidelibus inspirauit, vt ad prædicationem crucis se viriliter accingerent, ad exterminium tam reprobæ nationis, illa gaudentes indulgentia, illoque priuilegio, quæ accedentibus in Terra sancta subsidium conceduntur.* Hæc Stadensis: quibus tradita a Godefrido in annalibus, alijsque respondent. a

Dux Brabant. & Holland. comes in eos signa attollunt.

48 At per eosdem dies memoratum Conradum e Marburg, qui S. Elisabeth Vngarorum Reginæ, dum ipsa in terris vixit, a confessionibus fuit, cui prouincia insectandi hæreticos ab Apostolica sede, vti vidimus, demandata fuerat, hoc anno trucidatum tradunt, de quo hæc fragmenti historici incertus auctor: *Anno domini MCCXXXIII. frater Conradus de Marburg per multa tempora crucis prædicator a malignis hominibus interfectus est.* Quibus similia alij prodidere: inter quos Thomas Cantipratensis b eum ab hæreticis felici morte peremptum docet. Godefridus c tamen (quem Trithemius d sequi videtur) illius mortis causam ad nimiam ipsius seueritatem, præcipitemque ac inflexam in damnandis flammisque injiciendis hæreseos suspectis sententiam deriuat, ob quam nonnulli nobiles cruentas illi manus intulerunt. Verum Gregorius Papa datis hoc anno x. kal. nouem. ad archiepiscopos, ac reliquos Germaniæ præsules apostolicis literis, maximo se ex eius morte dolore affectum esse testatus, summis ipsum laudibus effert, tantique sceleris auctores anathemate damnari iussit e. Cæterum Conradi necis auctores, post annum sequentem ad Apostolicam sedem absolutionem petitum demisso animo conuolasse, atque a Pontifice in Germaniam, vt crimen ex sacrorum canonum præscripto expiarent, absolnerenturque, dimissos Gregorij literæ ad archiepiscopum Salisburgensem aliosque exaratæ docent. f

a Godefr. ann. seq.
Conradus Marpurg. ab impiis cæsus.
b Cantipr. lib. 2. c. 57. n. 23.
c Godef. in annal.
d Trith. chr. Spanh.
e Greg. l. 7 ep. 337.
f Lib. 6. ep. 168.

49 Perlatum cum esset ad Rom. Pontificem Iudæos in Germania mancipia Christiana detinere, eaque circumcidi, atque ad Iudaismi superstitionem compellere, ipsos publicis officijs præfici, quorum occasione in Christi fideles efferati sæuirent: nutrices ac famulas Christianas domi alere, quas ijs sceleribus contaminent, quæ audientibus horrorem incutere possent; denique contra ea quæ in concilio generali statuta nullum signum circumferre, quo a fidelibus discerni distinguique possent. Quocirca Gregorius, vt tantis malis mederetur, archiepiscopis, episcopis, cæterisque Germaniæ præsulibus imperauit g, ne Christi sanguine redemptos in Redemptoris contumeliam a Iudæis subijci seruituti, neue de religione cum ijs disceptare paterentur, opemque magistratuum ad comprimendam infidelium insolentiam implorarent.

Iudæi in Germania grassantes
Iubentur a præsulibus comprimi.
g Lib. 6 ep. 359.

50 Inualuerant eadem in Vngaria mala, ad quæ abolenda ab Strigoniensi archiepiscopo magno ardore certatum anno superiore est: quæ cum inueterata essent, excindendis ijs etiam hoc anno a Iacobo Cardinale Prænestino episcopo (quem auctor h vitæ Gregorij ab ipso, dum Reate moraretur, ex abbate trium fontium ad eã euectum dignitatem tradit) legationis apostolicæ munere aucto, atque Andrea Rege Vngarisque flagitantibus a Pontifice misso i desudatum est, ac post varios tractatus de reuocanda in pristinum studium immunitate ecclesiastica, coercendisque infidelibus agitatos. demum Rex Andreas ad ponendum tot malis modum sacramento l se astrinxit, vt in eius literis ad Iacobum ipsum legatum datis vide-

h Anony. auctor vit. Greg.
i Ep. 272.
Iacobus Prænest. ep. legatus in Vngar. mittitur.
l Liber censuum Vatic.

videre est, in quibus nonnulla de B. Stephano, cuius imitandi cupiditate ardere significat, digna memoria præfatur.

51 *Venerabili in Christo patri, & amico charissimo Iacobo Dei gratia Penestrino electo Apostolicæ Sedis Legato Andreas Dei gratia Rex Vngariæ salutem.*

Cum constantia sinceræ dilectionis Rex, qui sedet in solio iudicij, teste Rege Salomone, dissipat omne malum intuitu suo. Hunc Regem sanctæ, & recolendæ memoriæ intelligimus beatissimum Stephanum gentis Vngaricæ primum Regem, qui ad regni solium auctoritate propria noluit sublimari, sciens scriptum, quod nemo assumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, & ideo non a quolibet, sed a vicario Iesu Christi, & Petri beatissimi successore per reuelationem diuinam summo Pontifici factam, assumpsit regni diadema. Sed etiam parentibus eius fuerat diuinitus reuelatum, quod ei in gente nostra corona debebatur, & regnum. Sedens itaque in cathedra cum Dauid sapientissimus princeps, omne malum infidelitatis secundum illa tempora, vt prædiximus, suo intuitu dissipauit, & obstetricante manu ipsius, a gente Vngarica eductus est coluber tortuosus: sed & auctoritate summi Pontificis, qui ipsum vocauit Regem, & Apostolum gentis nostræ, prouincias per episcopatus distinxit, ecclesias mirifice ampliauit, & sciẽs scriptum in Isaia, quod in iustitia regnabit Rex, & quod iudicium eleuat gentes, fecit iudicium, & iustitiam inter suos, vt iustitia, & iudicium essent præparatio sedis suæ, vt & sic diuino munere, vt Rex Salomon dixit, firmaretur iustitia domus eius, &c.] Addit se tanti Regis vestigijs insistere cupientem, cum Strigoniensis archiepiscopus asserendæ libertatis ecclesiasticæ zelo regnum interdicto subiecisset, ab Romano Pontifice petijsse, vt exorta scandala, ac pericula apostolica prouidentia propulsaret, missumque legatum Cardinalem Prænestinum, cui procerum habito consilio sese hoc iureiurando ad pristino splendori restituenda omnia deuinxerat.

Andreas Rex ad tollenda superiora mala sacramento se deuincit.

52 Vobis domine Iacobe Penestrinen. electe A. S. L. vice, & nomine Romanæ Ecclesiæ, & omnium ecclesiarum Vngariæ, nos Andreas Rex Vngariæ iuramus ad sancta Dei euangelia omnia, & singula capitula infrascripta obseruare, statuentes ea a filijs nostris, & a successoribus nostris in perpetuum obseruari, & non contrauenire quacunque occasione, vel fraudem committere in eis, quin faciant sicut inferius continetur; & præcipiemus omnibus subditis nostris in regno nostro, quod omnia & singula obseruent, & si qui nostri mandati transgressores extiterint, sicut decuerit puniemus, & faciemus filios nostros, & iobagiones iurare, secundum quod inferius de iuramento eorum continetur.

Capitula autem sunt hæc: Iudæos, Sarracenos, Ismaelitas de cætero non præficiemus nostræ cameræ monetæ, salibus, collectis, vel aliquibus publicis officijs, nec associabimus eos præfectis, nec in fraudem aliquid faciemus, propter quod ab ipsis possint opprimi Christiani. Item nec permittemus in toto regno nostro Iudæos, Sarracenos, vel Ismaelitas præfici alicui publico officio. Item faciemus quod Iudæi, Sarraceni, siue Ismaelitæ de cætero certis signis distinguantur, & discernantur a Christianis. Item non permittemus Iudæos, Sarracenos, siue Ismaelitas mancipia Christiana emere, vel habere quocunque modo: & promittimus per nos, & successores nostros constituere, & dare singulis annis palatinum, vel alium de iobagionibus nostris, quem voluerimus Christianæ fidei zelatorem, quem faciemus iurare, quod mandatum nostrum secundum ista fideliter adimplebit, ad petitionem episcopi, in cuius diœcesi sunt vel erunt Iudæi, pagani, & Ismaelitæ, vt Christianos extrahat a dominio, & habitatione Sarracenorum, vel Sarraceni Christianorum quomodocunque mulieribus copulati, siue sub specie matrimonij, siue alio modo bonorum omnium copulatione, tam Christiani quam Iudæi, vel pagani mulctentur, & nihilominus in seruitutem Christianorum per Regem perpetuo deputentur. *Et infra:*

53 Item nolumus, nec permittemus, quod de cætero tractentur causæ dotium, vel matrimoniales per nos vel per alios iudices seculares, quia de his nolumus nos intromittere, nec debemus; sed per iudices ecclesiasticos tractentur, & terminentur. Item volumus, & consentimus, quod clerici, & personæ ecclesiasticæ respondeant, & conueniantur coram ecclesiastico iudice super omnibus, exceptis iudicijs terrarum, de quibus volumus, quod tam per vos domine legate, quam per nos consulatur dominus Papa, expressis eidem circumstantijs facti, in quibus circumstantijs inter alia exprimatur, quod vos a prælatis Vngariæ percepistis, quod si iudicia terrarum ecclesiasticarum subtraherentur a nostro iudicio, damnosum esset ecclesijs plurimum, & periculosum, quia per hæc multa de iure ecclesiasticis possent deperire. Nullas collectas, & nullum lucrum imponemus, vel recipiemus a clericis, vel ecclesiasticis personis, & contra eorum priuilegia, si qua habent, scienter non veniemus: super collectas verò per regnum nostrum alijs imponendis per nos, & legatum consulatur dominus Papa, sicut conuenimus cum eodem de consultatione facienda D. Papæ super iudicijs terrarum, & hæc omnia sponte & sine conditione promittimus, & iuramus.]

54 Adacti etiam sacramento a Iacobo legato ad hæc seruanda Bela Andreæ filius natu maximus sceptri Vngarici hæres, & Colomanus Rex & dux Sclauoniæ, tum omnes proceres, ac magistratus Vngari, cuius iurisiurandi formæ certis conceptæ verbis in eodem Vaticano M. S. extant. Renouatum pariter vetus edictum antea ab Andrea superioribus annis latum, in quo dignitati clericorum consulebatur, ne ad tribunalia iudicum secularium traherentur, quod Iacobus legatus, ac Robertus Strigoniensis archiepiscopus literis suis inseruerunt. Vt vero Gregorius tuendis ecclesiasticis iuribus incubuit, ne regia potentia labefactarentur, ita ad iura regia asserẽda Andream sacramẽti religione absoluit [a], quo se deuinxerat illa nunquam repetiturum, ex quo maximum auctoritati regiæ damnum creabatur. Flagitante verò eodem Rege a sede Apostolica, vt Lucam archiepiscopum Strigoniensem, qui viuus pijs operibus, ac post obitum diuinis prodigijs effloruerat, sanctorũ albo adijceret, Iacobo legato prouinciam, vt de miraculis ab eo editis inquireret, imposuit his verbis:[b] *Ab eo, qui est via, veritas, & vita, postules & implores, vt per suam misericordiam & gratiam aperiat tibi viam, per quam securè incedere valeas & super his plenius cognoscere veritatem; ac deinde non solum per testimonia, sed per testes, per famam quoque, ac scripturam autenticam de moribus, virtute ac veritate signorum, operibus videlicet, & miraculis certitudinem diligenter inquirens, quæ inueneris, sub sigillo tuo nobis studeas per fideles nuntios destinare.*

Eodem iureiurando filij reges proceresque se astringunt.

[a] Lib. 6. ep. 270.

De B. Lucæ Strig. arch. miraculis inquiritur.

[b] Ibid. ep. 294.

55 Coniungendus sancto archiepiscopo sanctus alter archiepiscopus, Virgilius nimirum Salisburgensis videtur, de quo hæc Richardus [c]: *Mense iunio de quodam S. Virgilio miracula multa in scriptis redacta de Alemannia missa sunt ad dominum Papam.* Institutam antea de miraculis eius opera patratis sacram quæstionem vidimus, atque hoc ipso anno cœlitum catalogo aggregatum tradit Stero [d], ac demonstrat pontificium diploma [e] cuius potiorem partem assero: *Ne illius*, nimirum B. Virgilij archiepiscopi Salisburgensis, *honori debito detrahere quodammodo videremur, si glorificatum a Domino permitteremus ulterius huma-*

[c] Rich. S. Germ. in chron.

S. Virgilius SS. catalogo adscribitur.

[d] Henr. Ster. in annal. apud Canis. antiq. lect. to. 1. pag. 262.

[e] Lib. 7. ep. 198.

lv ma..a deuotione priuari, de fratrum nostrorum & prælatorum, qui tunc erant apud sedem Apostolicam constituti, consilio sanctorum catalogo duximus adscribendum, statuentes, vt quinto kal. decemb. videlicet quo carnis ergastulo absolutus ad regna cælestia peruenit, ab vniuersali Ecclesia natalitia eius deuote, ac solemniter celebrentur. Quocirca vniuersitatem vestram rogamus, monemus, & hortamur in Domino per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus die prædicto in commemoratione ipsius Domino assurgatis in laudes eius, patrocinia humiliter implorantes, vt annua solemnitate memoriam recolentes ipsius, eius suffragantibus meritis spiritualium consequamini gratiam gaudiorum. Nos autem cupientes sepulchrum tanti confessoris, qui miraculorum fulgoribus illustrat Ecclesiam generalem, congruis honoribus frequentari, omnibus vere pœnitentibus & confessis illud in festiuitate ipsius vsque ad octauum diem annis singulis cum reuerentia visitantibus, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, quadraginta dies de iniuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus. Dat. Lat. xiv. kal. iul.

56 Hactenus Gregorius ad sanctissimi præsulis, qui commissum sibi gregem feliciter pauerat, gloriam illustrandam. Qui etiam cum certissimis argumentis comperisset Bosnæ episcopum, e pastore in carnificem versum, traditos suæ curæ populos vesanæ doctrinæ veneno extinguere, aduersaque fidei catholicæ dogmata spargere; iusto commotus zelo, Iacobo in Pannonia legato partes imposuit a, vt ad expurgandam ea fæce regionem, hæreticum hominem e gradu pelleret, ac plures episcopos scientia ac pietate pollentes Bosnæ præficeret. Bosnæ vero ducem, qui abiurata hæresi ad Ecclesiæ castra se contulerat, accepit b in clientelam, ac Regi Colomano, ne illius iura inuaderet, iniunxit c: denique, vt Vngaricas res absoluamus, addimus ex chronici austrialis auctore Andream Regem vergente anno circa Omnium sanctorum festum diem ingenti succinctum exercitu irrupisse in Austriam, ac parte illius ferro flammaque vastata cum Austriacis pacis tractatum misisse.

a Eod. l. 7. ep. 164.
b Ibid. ep. 292.
c Lib. 6. ep. 332.
Andreas Rex Austriam vastat pacemque init.

57 Excitatos etiam in Polonia tumultus tradit Longinus d, nimirum maioris Poloniæ magnates ob ingentia priuilegia, quibus Ecclesiam Vladislaus Otho dux decorasset, inuidiæ stimulis agitatos insidias ipsi struxisse, quas cum ille disensisset, in apertam rebellionem erupisse; coniuratione quoque cum Henrico cum barba appellato, infensissimo illius hoste cõflata, nequicquam S. Hedvvige eiusdem Henrici vxore renitente, ipsum præpotenti instructum exercitu maiorem Poloniam inuasisse, ac Vladislaum cognita suorum perfidia, ad ducem Pomeraniæ Svvantopelkum socerum confugisse. Cæterum adeo iam grauescebat in Polonia procerum potentia, vt in tyrannidem degeneraret, pauperesque sub illorum iugo misere ingemiscerent, ac nonnulli quadam desperatione adducti ad Ruthenorum perfidiam desciscerent. Quorum propterea insolentiam frænari e ab episcopis iussit Gregorius, vetuitque f ad tuendam fidem, ne catholicæ mulieres cum Ruthenis matrimonia inirent, cum ob thori commercium contingeret, plures a viris subornatas iterato baptismate inquinari g erroribusque Ruthenorum irretiri: tum Dominicanos excolendis ijs populis confutandisque hæresibus ac Ruthenis monachis ad religiosa instituta reuocandis strenue incumbere monuit. h

d Io. Long. hist. Pol. an. 1233.
Vvladislaus Poloniæ dux in fugam a coniuratis cõpulsus.
e Ibid. ep. 337. 338.
f Ep. 310.
g Ep. 372. 373.
h Lib. 7. ep. 304.

58 Eorundem Prædicatorum opera vsus h est Pontifex ad Pruthenos fide Christiana imbuendos. Significarant illi se Christiana sacra suscipere in animum induxisse; quibus magno ex sperata illorum conuersione gaudio delibutus Pontifex gratulatus, & euangelium excipere est adhortatus, vtque oratores ad sedem Apostolicam mitterent, quo tanta res ad exitum felicius perduci posset. At perfidi induerant pietatis speciem, cum se ab hospitalarijs Theutonicis victos profligatosque lugerent: ac breui fraus patuit, cum Prussiæ episcopum suscipiendi ab eo baptismi specie excitum obtruncatis ijs, qui ipsum stipabant, vinculis manciparunt, vt Pontifex ea de re ad Prædicatores datis literis queritur a. Imposuerat alijs literis ijsdem religiosis viris partes, vt fideles in exercitũ ad colligendos in hostem animos excitarẽt, suaderentque ad muniendas magnis operibus arces firmandaque propugnacula incumberent: confluxerat enim maxima ex finitimis regnis crucesignatorum multitudo, quam apostolicis literis b ad edomandum hostem inflammauit c, & indulgentiarum præmijs eos, qui ad viuificæ crucis dominicæ lignum, apud equites religiosos magno cultu asseruatum, venerandum accederent, decorauit. Denique ad conficienda noua in Pruthenos supplementa dictos Prædicatores populos ad induendam crucem adhortari iussit. Hactenus de Pontificis studio in infidelium barbarie edomanda, Pruthenisque ad Christi obsequium adducendis. Superest vt quæ ad euellendas in Gallijs reliquas hæreseos fibras egerit, prosequamur. d

Pruthenisinguntse amplectendæ fidei desiderio teneri. Lib. 6. ep. 232.
Prussiæ episc. magna perfidia coniiciunt in vincula.
a Lib. 7. ep. 308.
b Ibid. ep. 307.
c Ep. 306.
d Ep. 309.

59 Gliscebat in nonnullis Galliarum locis hæresis, ac virus suum clanculum diffundebat, maximeq; in oppido, cui Charitatis nomen est, malum eruperat; ad quod extinguendum Stephanus Cluniacensium prior strenuam operam contulit: quare illum Pontifex Ludouico Regi commendauit e, ac Robertum Prædicatorum ordinis suam contra eosdem hæreticos industriam coniungere f, inquisitoresque g fidei relapsos hæreticos iudicibus meritis supplicijs afficiendos tradere iussit. Demonstrant idem labis illius delendæ studium plures literæ h, quas nobis indicasse sufficerit: tum ad Ludouicum Regem datæ, quibus solicitauit, moneret i Tolosanum comitem, vt hæreticos a suo consortio submoueret. Cæterum Raymundus paruit, principisque catholici specimen egregium edidit: habito enim episcoporum procerumque solemni conuentu seueras leges aduersus hæreticos edidit, quas Papyrius Massonus l ex antiquis membranis typis mandauit. Dignæ certe eæ sunt, quæ in annales nostros in compendium coactæ inferantur.

Pontificis opera in abolendis hæretic. reliquijs.
e Lib. 6. ep. 340.
f Lib. 7. ep. 54.
g Ibid. ep. 200.
h Ep. 248. 360. 363. & l. 7. ep. 83. 246. 247. 248.
i Lib. 6. ep. 359.
l Papyr. Masson annal. l. 3. p. 298 edit. secund.

60 Prima lege cautum est, vt omnes tam nobiles, quam iustitiæ præfecti omnem operam in hæreticis comprehendendis collocent. Si qui porro hæretici in vrbibus, oppidis, pagis fuerint comprehensi, incolę pro captorum numero singulas marchas capientibus soluere teneantur. Seuere ac diligentissime in eos inquiratur, qui hæreticorum persecutoribus violentas manus inferrent. Ne ij, quorum fama hæreseos suspicione aspersa est, iuri dicundo præficiantur: omnes domus in quibus, sciente domino, hæreticus inuentus viuus, aut sepulturæ mandatus, funditus diruantur, cunctæque abditiores ac semotæ ab alijs casæ, vel in rupibus defossa excisaue habitacula obturentur, & omnia, si quæ postea in ijs reperta, fisco addicantur. Eorum bona, qui a tempore contractæ Parisijs pacis hæresi se contaminarint, fisco mancipentur, nec ad sanguine coniunctos transfundantur. Ij qui hæreticis capiendis imploratam operam denegarint, vel obstiterint, vel inquisitoribus iter ad lustrandos hæreticorum recessus intercluserint, vel captos auolare passi sint, exuantur bonis atque alijs pœnis subijciantur. Si qui hæreseos infamia laborent, fidem profiteantur publice, & hæresi abrenuntient, quod si negauerint, meritis pœnis plectantur. Qui antea hæresi contaminati fuerint, quamuis sponte ad Ecclesiam transuolarint, nisi literis, vel testibus se probent catholicos, vel nisi acceptam crucem

Latæ a Raymundo com. Tolos. aduersus hær. Albig. leges.

apet-

apertè gestarint, bonis suis excidant, & irriti sint eorum contractus, qui, antequam se hæreticos perfectos promulgent, bona abalienarint, vendiderint, donarint, obligarint. Qui ad tegendam hæresim mercaturæ & peregrinationis specie aliò se contulerint, nisi de iusta eorum absentia constiterit, bonis spolientur. Qui anathemate percussus, eo absolui intra annum non flagitarit, occupatis illius bonis Ecclesiæ subijcere sese compellatur, &c. *Hæc omnia statuta facimus sine præiudicio domini Regis Franciæ, & Ecclesiæ, & salua pace Parisiensi. Acta sunt hæc Tolosæ XII. kal. mart. anno Domini MCCXXXIII.*

Pontifex rogat S. Lud. vt Raymundo ditio vltra Rhodanū sita ipsi restituatur.

a Ext. apud Greg. l. 8. ep. 112

61 Insequenti mēsa post latas has a Raymundo in hæreticos leges, S. Ludouicus cū Pontifice agere cœpit, vt ditio, quæ ad continendum in officio comitem suæ custodiæ a legato apostolico demandata fuerat, comiti restitueretur, significauitque literis a custodiendæ illius ditionis munere discedere decreuisse: *Sanctissimo patri in Domino Gregorio Dei gratia Francorum Rex salutem, & reuerentiam in Domino tam debitam, quam deuotam. Nouerit vestra benignitas, quod terram vltra Rhodanum, quæ in partibus est Imperij, quam charissimus amicus noster R.... tunc Apost. sedis legatus balliuo nostro custodiendam commisit, custodiendi amplius consilium non habemus: quod paternitati vestræ scire facimus per præsentes. Actum apud Loiriacum anno Domini MCCXXXIII. mense martio.* Tolosana porro academia, vt firmissimi instar aduersus hæreticos propugnaculi esset, ab R.... Portuensi electo, cum pax comitem inter atque Ecclesiam inita fuit, excitata, priuilegijs exornata b a Gregorio est, qui literis ad S. Regem ad tuendum Parisiensis academiæ sigilli præfectum, quem Viromanduorum præses indignè tractarat, exaratis c eleganter descripsit, quantas academia illa Ecclesiæ vtilitates afferret.

b Greg. l. 7. ep. 72.

Tolosana acad. exornata priuilegijs a Greg. IX.

c Lib. 6. ep. 350.

Excitata de Campaniæ comitatu controuersia.

d Ib. ep. 42.

Quid sanxerit in ea Gregorius

e Ib. ep. 43

62 Præterea cum de Campaniæ comitatus successione discordia recrudesceret, ac Regina Cypri, quæ ex Henrico comite matreque adultera originem duxerat, quasi legitimorum natalium priuilegio potiri deberet, comitatum illum occupare affectaret, ne res in bellum erumperet, summus Pontifex indixit d, vt primum quæstio de ipsius natalibus coram Ecclesiæ tribunali discuteretur, illamque saltem procuratorum opera Romæ se sistere iussit. Iniunxit e etiam, vt antequam ad successionis dirimendam litem accederetur, natalium causa, ex qua altera penderet, prius iudicaretur, ne res maioribus hoc modo difficultatibus implicaretur, eodemque argumento aliæ literæ Regi f Francorum, archiepiscopo Senonensi g, comiti S. Pauli h, comiti Flandrensi i pluribusque alijs l exaratæ. Regem quoque Francorum, collaudata amplissimis verbis eiusque antecessorum pietate, rursus etiam atque etiam hortatus est m archiepiscopo Rothomagensi ablata redderet: *Quasi vas aureum gemmis nitentibus adornatum aula regni Franciæ cunctis temporibus noscitur extitisse, Placent quidem constitutis in illa Regibus, gratiosi sic regiæ celsitudinis intendere viriliter incrementis, vt qui generis erant sublimitate conspicui, virtutum excellentia existerent etiam redimiti.* Et infra: *Quid igitur principi egregio si tua tenet industria, quod vitis valentiam in se palmes debeat continere, tuis est desiderijs inhærendum, nisi quod tuorum colenda vestigia sint amplexu continuo a te laudabiliter imitanda, vt non tam regno, quam virtutibus hæres inclytus comproberis? Porro si contrarium, quod absit, efficeres, tibi detrimentum nominis, & multis exemplum reprobum procurares. Ergo vt anima nostra tibi benedictiones filia benedicere delectetur, animum tuum deputans operibus pietatis, vt quem magnum natura genuit, etiam edidisse magnificum videatur, vota nostra circa reuerentiam matris Ecclesiæ deuotione prosequere filiali, preces & monita quæ pro venerabili fratre nostro archiepiscopo Rothomagensi tua celsitudini secura fiducia replicamus, sic efficaci promptitudine completurus, vt absque mora dispendio sibi & Ecclesiæ suæ per te restitutio fiat omnium sublatarum. Dat. Anag. kal. sept. an. VII.* Hactenus Gregorius, qui alijs literis Reginam Blancam a, regiosque consiliarios b solicitauit, vt pium Regem ad erepta restituenda adducerent. Cumque iam ante episcopus Beluacensis, apud Apostolicam sedem questus esset Regem, vrbis illius dominatum, ad Beluacensem ecclesiam pertinentem sibi contra sententiam a Ludouico Rege promulgatam, atque auctoritate apostolica confirmatam vindicasse, atque ab Romano Pontifice rogatus, ab ea re abstineret; eius preces non admisisset, Gregorius ipsum iterum monuit c rogauitque, iniquis improborum hominum reiectis consilijs Ecclesiæ pristina iura restitueret, quo argumento tum ad Suessionensem, & Lingonensem episcopos d, tum ad Reginam e literas exarauit.

f Ib. ep. 44.
g Ep. 45.
h Ep. 46.
i Ep. 107.
l Ibid.

m Ep. 277

a Ibid. ep. 278.

b Ibid. ep. 279. 280. 281. 282.

Seruit Beluac. epis. iura.

c Lib. 7. ep. 317.

d Ibid. ep. 318

e Ep. 319

f Ep. 10.

Antea vero Ludouicum rogarat f, pacem cum Anglo iniret, maxime cum ea res necessaria foret, quo Hierosolymitanis rebus consuleretur: archiepiscopo Senonensi, atque episcopis Parisiensi, Vvintoniensi, ac Saresberiensi apostolico se pro imperio mandasse, vt Reges ad id adducere niterentur.

De Steph. Dien. ep. miraculis inquiri iubet Greg.

g Ep. 391.

63 Demque res Gallicanas absoluamus, contendentibus ab Apostolica sede Arelatensi archiepiscopo, ac suffraganeis, Stephanum Diensem olim episcopum maximis miraculis effulgentem sanctorum numero adscriberet, Archiepiscopo Ebredunēsi, & episcopo Vapicensi, atque Vallis crescentis abbati Cisterciensis ordinis partes imposuit g, vt summa adhibita diligentia in ea miracula ac prodigia, quæ post illius mortem edita fuissent, inquirerent, cum ad aliquem sanctorum albo adijciendum probitas & cælestium prodigiorum veritas desiderentur: *Ex literis fratris nostri archiepiscopi Viennen. & suffraganeorum suorum nos noueritis accepisse, quod recolendæ memoriæ Stephanus Dien. episcopus, qui degens olim in mundo magnis pollebat meritis, nunc viuens in cælo tot dicitur miraculis coruscare, vt eius sanctitas apertis indicijs comprobetur, & eius intra alios sanctos non inuocare suffragia sit indignum; quare nobis per easdem literas supplicarunt, vt eum sanctorum adscriberemus catalogo venerandum. Licet autem ad hoc, vt aliquis sanctus sit apud Deum in Ecclesia triumphante perseuerantia sola sufficiat iuxta illud, esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ, quod euidenter illa Ioseph talaris tunica figurabat, ad hoc tamen, vt ipse sanctus habeatur apud homines in Ecclesia militante, duo sunt necessaria, virtus morum, & veritas signorum, merita videlicet, & miracula, vt hæc, & illa sibi inuicem contestentur, &c. Dat. Later. XIIII. kal. ianuar.*

B. Eadmūdus ad Cātuar. archiep. promouetur.

h Greg. l. 6. ep. 230. 231

64 Effulgere hoc anno cœpit in Cantuariensi sede totius Angliæ clarissimum lumen B. Eadmundus e Saresberiensi canonico, & sacri ærarij præfecto ad eam dignitatem euectus, in qua velut in celsiore loco sanctitatis suæ radios latius diffudit. extant in pontificio regesto de eo Gregorij literæ h ad Cantuariensis ecclesiæ suffraganeos exaratæ, quibus morum honestate conspicuum, perpolitum literarum scientia, ac rerum gerendarum industria præditum appellat, repudiatisque cæteris ipsius electionem confirmat: *Præsentatam nobis electionem, quam dilecti filij capitulum Cantuariensis ecclesiæ de dilecto filio magistro Eadmundo thesaurario Sareberiensi, viro morum honestate conspicuo, eminenti literarum scientia prædito, & temporalium prouidentia circumspecto, in Cantuariensem archiepiscopum canonice, ac concorditer celebrarunt, examinantes sicut conuenit diligenter eam, quia rectis dispositionibus nihil debet difficultatis afferri, de fratrum nostrorum consilio duximus confirmandam; firmam spem fiduciamque tenentes, quod idem in eadem ecclesia recta regens, & dirigens indirecta, sibique per*

Confirmatur a Pontifice

vita

vita meritum, & alijs proficiens per exemplum quaſi ſtella in eiuſdem Eccleſiæ firmamento fundata per diligentia ſua miniſterium, ipſi auctore Domino ſpiritualibus, & temporalibus proficiet incrementis. Quia verò ſi patrem quis tenetur honorare carnalem, eo ipſo ſpiritualem debet amplius honorari, quo pretioſior eſt carne ſpiritus, & animæ ſunt corporibus digniores, vniuerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eidem electo tanquam patri, & paſtori animarum veſtrarum humiliter intendentes, ipſius monitis ſalubribus, & mandatis curetis efficaciter obedire, &c. Dat. Lat. xi. kal. ian. anno vii.

65 Adegere ſacramento fidei in verba Pontificis Eadmundum Londinenſis, & Roffenſis epiſcopi, conceptamque his verbis illius formam, quam pontificio nomine admiſerant, in ſuis ad Gregorium literis a inſeruere: *Ego Eadmundus Cantuarien. archiepiſcopus ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero B. Petro, & ſacræ Rom. Eccleſiæ, & domino Papæ Gregorio, ſuiſque ſucceſſoribus canonice intrantibus. Non ero in facto, nec in conſilio, aut conſenſu, vt vitam perdant, aut membrum, aut capiantur mala captione. Conſilium vero, quod mihi credituri ſunt per ſe, aut per nuntios ſuos, ſiue per literas, ad eorum damnum, me ſciente, nemini pandam. Papatum Romanum, & regalia B. Petri adiutor eis ero, ad retinendum, & defendendum ſaluo meo ordine, contra omnem hominem. Legatum Apoſtolicæ ſedis in eundo, & redeundo honorifice tractabo, & in ſuis neceſſitatibus adiuuabo. Vocatus ad ſynodum veniam, niſi præpeditus fuero canonica præpeditione. Apoſtolorum limina ſingulis triennijs viſitabo, aut per me, aut per nuncium meum, niſi apoſtolica abſoluar licentia. Poſſeſſiones vero ad menſam mei archiepiſcopatus pertinentes nō vendam, neque donabo, neque pignerabo, neque de nouo infeudabo, vel aliquo modo alienabo inconſulto Romano Pontifice. Sic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei euangelia.* Additur in eodem libro cenſuum Petrum archiepiſcopum Rhotomagenſem anno domini MCCXXXVII. eam ſacramenti formam, nec non Iarletium archiep. Vpſalenſem ac Martinum Legionenſem epiſcopum nuncupaſſe. Plura de B. Eadmundo apud Pariſium, qui hoc anno nonnulla prodigia accidiſſe narrat, viſos nimirum quatuor ſoles totidem ſemicirculis interſectos, tum duos dracones inter ſe confligere in aere magno ſpectantium terrore conſpectos, eodemque tempore inteſtinas diſcordias Angliam, Vvalliam, & Hiberniam euertiſſe, cæterum Henricus Rex, qui plura regia iura nunquam repetiturum ſe interiurando obligarat, eo ipſo die, quo regia inunctione fuerat delibutus, illius vt metu extorti religione a Gregorio liberatus eſt,

a Extant. in l. cenſ. Vat. bibl.

66 Conſulenti Apoſtolicā ſedem Aſtoricenſi epiſcopo de nonnullis, quæ in controuerſiam vocabantur, hæc reſpondit Gregorius b: *Conſultationibus tuis taliter reſpondemus. Si concubina publica clericorum eccleſiaſtica cenſura diſtrictione notentur, eoſdē concubinarios non eſt dubium ſententia maioris excōmunicationis inuolui, qui poſt latam ſententiam communicant in eodem crimine crimino ſo. Aqua per epiſcopum benedicta eccleſiam reconciliari poſſe per alium epiſcopum non negamus; per ſacerdotes ſimplices hoc fieri de cætero prohibentes, non obſtante conſuetudine prouinciæ Bracarenſis, quæ dicenda eſt potius corruptela: quia licet epiſcopus committere valeat quæ iuriſdictionis exiſtunt, quæ ordinis tamen epiſcopalis ſunt non poteſt inferioris gradus clericis demandare. Quod autem mandantibus epiſcopis, ſuper reconciliatione factum eſt hactenus per eoſdem, miſericorditer toleramus. Eccleſia in qua diuina myſteria celebrantur, licet adhuc non extiterit conſecrata, nullo iure priuilegium immunitatis adimitur, quia obſequijs diuinis dicata nullius eſt temerarijs auſibus profananda. Si eccleſia non conſecrata cuiuſcunque fuerit ſemine, aut ſanguinis effuſione polluta, aqua pro-*

b Lib. 7. ep. 119.

tinus exorcizata lauetur, ne diuinæ laudis in ea organa ſuſpendantur: eſt tamen quam citius fieri poterit, conſecranda. Dat. Later. XII. kal. iun. pontificatus noſtri anno VII.

67 In Luſitania Rex Portugalenſem epiſcopum, cui vrbis eius nominis dominium Therafia Regis proauia olim tranſmiſerat, ſua iura defendentem exagitabat. Quare Gregorius inquirendæ rei prouinciam Cerrianenſi epiſc. demandauit a, Zamorenſiq; b vt pōtificio homine a cœptis Regē grauiſſimis monitis auocaret, qui ſi apoſtolica imperia detrectaret, omnia loca, ad quæ eſſet acceſſurus interdicto percelleret; alijſq; literis Luſitanos præſules in tuendis Portugalenſis epiſcopi iuribus opera, & conſilio non deeſſe iuſſit c. Moneri pariter Ferdinandum Caſtellæ, ac Legionis Regem a Compoſtellano archiepiſcopo præcepit d, vt Iudæos, qui plura patrābant ſcelera, coerceret, atque ex concilij œcumenici legibus ſigna, quibus diſtinguerentur, præferre iuberet; quos tamen in Gallijs a populis perfidiæ odio in ipſos concitatis religionis ſpecie crudeliter exagitatos clementius haberi iuſſit e, ita enim illorum ſcelera comprimi voluit, vt nullum in ijs inſectandis ſcelus committeretur.

Rex Luſit. Portugalenſem ep. diuexat.

a Lib. 7. ep. 121.
b Ep. 122.

Corripitur a Pontifice.

c Ibid. ep. 158. 189.

Rex Caſtellæ admonitus, vt Iudæos coerceat.

d Ibid. ep. 210.

e Lib. 7. ep. 20.

68 Adſciuit verò in clientelam apoſtolicam Petrum Regum Luſitanorum ſtirpe ſatum, qui Baleares inſulas, quas Iacobi Regis virtute Sarracenis ereptas vidimus, fiduciario iure ab illo acceperat ea lege, vt Vrgelitani comitatus ab vxore teſtamento relicti iure cederet. Cum verò Thunetanus Rex ad Maioricam inuadendam ſe compararet, Pontifex Aragoniæ, Nauarræ, vicinarumque prouinciarum populos apoſtolicis literis hortatus eſt f, coniunctis armis regno Maioricarum, quod fide Chriſtiana nuper ſuſcepta Dei Eccleſiæ ſe aggregarat, ſubſidio aduerſus perfidos Mauros proficiſcerentur, ijſque annos tres iniunctæ pœnitentiæ remiſit: *Vniuerſitatem veſtram rogamus, monemus attentius, & hortamur, ac in remiſſionem vobis iniungimus peccatorum, quatenus ad ſuccurſum regni Maioricarum ad cultum Chriſtianum de nouo conuerſum, & defenſionem nouellæ plantationis fidelium in eodem exiſtentium accedentes, contra infideles Mauros partium earundem, ſecundum conſilium dilecti filij nobilis viri Petri infantis nati inclytæ recordationis Regis Portugaliæ domini regni præfati, qui aſſumpſit in illis partibus negotium fidei ex animo proſequendum de diuino confiſi auxilio procedatis, illi militantes libenter ad tempus, qui pro nobis in Cruce ſuis ſtipendijs militant.* Cumque Aragonum Rex bellum aduerſus crucis hoſtes ſuſcipere conſtituiſſet, Gregorius pio eius commendato conſilio, archiepiſcopis Burdegalenſi, & Auxitano, ac ſuffraganeis mandauit g, fideles cohortationibus ſuis incitarent, vt ad tam egregium opus magno animo ſe accingerent: illum verò in Valentiæ regnum ditionis Mauricæ hoc anno irrupiſſe, ac præclara facinora explicuiſſe fuſius Surita h proſequitur.

Petrus Maioric. moderator in clientelā apoſt. acceptus.

f Ep. 185.

Excitat ad bellū contra Sarracenos fideles.

g Ep. 263.

h Surit. l. 3 c. 15. 17.

69 Poſtremo quod ad Hiſpaniarum res attinet, addendum videtur Gregorium, dato ad abbatem, & conuentum S. Iſidori Legionenſis diplomate, indulgentias apoſtolica auctoritate elargitum ijs, qui monaſterium illud S. Iſidori die feſto adijſſent i: *Cum ſicut accepimus, in monaſterio veſtro corpus B. Iſidori requieſcat, nos conſiderata ipſius loci religione, ac fratrum ibi morantium honeſtate, de beatorum Petri, & Pauli auctoritate confiſi, omnibus deuote ad monaſterium ipſum die feſtiuitatis B. Iſidori venientibus quadraginta dies de iniuncta ſibi pœnitentia pro ipſius ſancti reuerentia relaxamus. Dat. Later. XIV. kal. iunij pont. noſtri anno VII.*

S. Iſidori reliquias venerantibus indulgētiæ propoſitæ.

i Lib. 7. ep. 349.

IESV CHRISTI
Annus 1234.

GREGORII PP. IX. annus 8. FRIDERICI II. IMP. 15. BALDVINI II. IMP. 6.

Romani in Gregorium rebellionem mouent.

1 ELati animis Romani nouam meditati condere in ruinis Ecclesiæ rempublicam anno Christi millesimo ducentesimo trigesimo quarto indictione septima, conflata in Pontificem seditione, Gregorium Vrbe exire coegerunt, atque oratores ad trahendos ad defectionem populos in Hetruriam, ac finitimas regiones misere, qui vbi a subditis Ecclesiæ ingentem pecuniarum vim corrasissent, celsissimam turrim in oppido, cui Mons altus nomen est, in occupati dominatus argumentum excitarunt. At Pontifex cum se Reate recepisset, senatorem Vrbis, eiusq; consiliarios illius defectionis auctores anathemate perculit a, & ad retundendos Romanorum conatus studia applicuit. Qua dissensione cognita, Fridericus Imp. ad prolectandam Pontificis gratiam, vt eius opera ad rebellem filium Henricum Imperium affectantem comprimendum vteretur, Reate profectus, se suaque omnia impense deferre præ se tulit: quare a Gregorio regia magnificentia exceptus fuit, ac licet anceps, & dubia eius fides timeretur, gerendi aduersus Romanos perduelles belli prouincia illi demandata est, atque legatus S. Mariæ in Cosmedin diaconus Cardinalis coniunctus. At breui Fridericus artes suas, conditaque intus scelera aperuit, cum deserta summi Pontificis causa, dissolutoque exercitu, ac suo honori fœdissima inusta macula, in Neapolitanum regnum se proripuit. quæ omnia ampliori stylo anonymus Gregorij gestorum auctor prosequitur.

a Lib. 8. ep. 167.

2 *Sed illorum*, nimirum Romanorum ciuium, *mens liuore suffusa nullius medicaminis suffragio valitura, pro depulso dæmone septem spiritus nequiores assumens* * *sexto eiusdem pontificatus anno in peiora prioribus commenta vexationis erupit: quo tempore Vrbis senator inter statuta, quæ in Ecclesiæ libertatis exilium, & enormem sedis Apostolicæ læsionem temerarius edidit, hoc graue promulgauit edictum, vt Roma; quæ Christi vicario largitione Christianissimi principis Constantini, & sequentium principum munimentis, vsque ad ætatis nostræ tempora, illi fuerat seruitutis obnoxia, quod senatoris electio, percussura monetæ, coquendi panis fornax accensa, ipsa etiam brutorum pascua sub tributo seruirent, in hæreditatem suæ dominæ suspiraret ancilla ipsa, & quæ sui libertate carebat, in Petri patrimonio quæreret noui comitatus abusum. Pro quibus deducendis in actum legatos in Tusciam, & Sabinam destinauit viros omni cupiditate nobiles, & omnium inhumanissimorum scelerum patratores, quorum vesania non minus impetu munita, quam gladio, a vassallis Ecclesiæ fidelitatis periuria, & pecuniarum loculos extorquentes in castro Montis alti vltra virium potentiam excelsam turrim in signum dominij, & defendendæ occupationis præsidium construxerunt. Hæc est deuotio filiorum, hic maternæ solicitudinis fructus, vt vberaiam ad sanguinis eductionem emuncta procurarent matris excidium filij matricidæ. Inuenit ad hæc consilium, procurauit remedium prouidus Ecclesiæ gubernator, & excusso de pedibus puluere, Damascum suis relinquens erroribus, reatum delinquentium puniturus Reate accessit.*

* septimo

Mittunt ad subornados populos oratores.

Fridericus suam Pontifici ad debellandos Romanos operã defert.

3 *Cuius discordiæ causam dictus Imperator agnoscens, cum decreuisset pro imminente sibi necessitatis cultu contra filium Henricum in ipsius iuris iniuriam, interea Imperij vendicantem Ecclesiæ patrocinium implorandum, Reate concitus, nec inuitatus aduenit.* De Henrici aduersus Fridericum rebellione, Pontifex litteris b suis infra reddendis, Godefridus c, Richardusque d meminere, quorum vltimus rem ita consignat: *Hoc anno, quod Henricus Rex contra Imp. patrem suum seditionem in Alemannia fecerit fama, fuit.* Additque auctor: *Mense maij Imperator per S. Germanum habens transitum, apud Reate ad Papam vadit, ducens secum Conradum filium suum, & se ad seruitium Ecclesiæ exponens contra Romanos.* Ac post nonnulla interiecta, subdit Gualterium Anersanum, qui colligendæ Imperatoris gratiæ causa eos, qui ab ipso ad Ecclesiæ partes defendendas antea vigente discordia transfugerant, infestare hostili animo cœperat, coercitum ab Imperatore, atque in vincula ob temerarios ausus coniectum. Cœptam pergit narrationẽ gestorum Gregorij scriptor, vt gerendi in Romanos belli prouinciam ambiuerit Fridericus, ac demum solitis artibus omnium expectationem eluserit: *Ecclesiæ causam, quam vt aduocatus ex Imperij debito, & vassallus ex homagio regni Siciliæ gemino tenebatur defendere iuramento cum supplicatione suscipiens, domino Papa, & fratribus de ipsius fide dubitantibus, prosequendam (fecerat enim eorum iudicia futuri profectus incredula, mentita sæpius offerentis fidei coniectura) quod prudenter tandem summi Pontificis cautela permisit, eligens potius scilicet deesse negotio successum, quam recusare debitum Imperatoris ipsius obsequium, per quod cum ex conditione regni, & Imperij teneretur, graue poterat Ecclesiæ præiudicium generari. Qui post tractatus, et collocutiones multiplices, post familiare conuiuium, quod eadem mensa, & scutella communis simul vtriq; principi ministrarat, vt cautius falleret, cautionem adiecit, Conradum natum proprium obsidem, ad summi Pontificis pedes exponens, regni & Imperij iuribus pro fide seruanda fraudulenter oblatis, sicut facta sequentia manifestant.*

b Greg. an. 1239.
c God. in annal. hoc anno.
d Rich. de S. Germ. in chron.

Vt filij rebellio ad gratiam Pontificis sibi conciliandam illum mouerit.

Conradũ filium ob fidẽ Pontifici offert.

4 De inito cum Friderico aduersus Romanos excutientes Apost. sedis imperium fœdere ad Insubrea scripsit Gregorius a, vt suspicionem omnem ex eorum animis deleret, ne in suam perniciem illud vergere pertimescerent, aut auxilia e Germania accersita aditum in Italiam aperirent: *Cum diuersæ, ac variæ forent contra Ecclesiam inquietudines Romanorum, ita quod sedes Apostolica sine confusione sua non poterat, quin vteretur imperialis brachij ministerio euitare; dictus Imperator ad præsentiam nostram accedens ad Ecclesiæ Rom. defensionem, & patrimonij sui sponte se obtulit, sicut ad id specialiter tenebatur. Vnde cum auxilium militum necessarium esset eidem, vobis, vt liberum transitum daretis eisdem, direximus scripta nostra, super quo qualiter sit processum, plene nouistis. Verum cum non possetis absque offensa Apostolicæ sedis offendi, quæ reputat vos membra eius honorabilia, & filios speciales, non debetis in aliquo modo moueri, nec vnquam dubitare potestis, quod paternum affectum, quo sincera vos complectimur charitate, deponere debeamus; propter quod nihil vobis deperit, sed accrescit potius, si Romana Ecclesia mater vestra in libertate, & honore debito conseruetur, maxime cum nos vestris profectibus ex intimis cordis, & animi aspirantes non essemus pro statu vestro salubriter conseruando opportuna consilia cogitare. Dat. Reate v. non. iul. an. viii.* Hæc Insubribus Pontifex, cum in spem a Friderico erectus esset, Romanæ Ecclesiæ perduelles imperialium armorum potentia ad officium adductum iri: at breui illius promissa euanuere; cuius fraudes ita retexit vitæ Gregorij auctor.

a Lib. 8. ep. 148.

Greg. de inito in Rom. cum Friderico fœdere Longobardos monet.

5 *Licet autem negotium ipsum sumptibus proprijs, sub præmissis cautionibus promiserat exequendum, quia tamen inter ipsa primordia mentita deuotio decipientis propositum certis indicijs ostendebat, per quod dubiæ fidei dubius timebatur euentus, venerabilem patrem S. Mariæ in Cosmedin diaconum Card. apud castrum montis Flasconis in electorum multitudine militum ad comprimendam Romanorum superbiam cum Cæsare desti-*

S. Mariæ in Cosmedin. diac. Card. iunctus Friderico ad repellendos Rom.

destinauit (His consentiunt pontificiæ literæ a ad proceres, magistratus, ac populos Tusciæ exaratæ, quibus ipsos imperijs R.... diaconi Card. S. Mariæ in Cosmedin obtemperare iubet, missumque ad B. Petri patrimonium defendendum aduersus hostium conatus significat) *Vbi de concepta nequitia in partus venenatos erumpens, legatus infidus, & corruptibilis executor deformans præturis solium eminens Imperatoriam maiestatem, violato prioris fidei fœdere, mutatus in hostem, hostibus se coniunxit, recessus sui diem certis cautionibus statuens, commoda interim indemnitate præmissa in sua quidem apertioris infidelitatis indicium, cui secreta familiaritate pertractans, venerabatur in publicum, & muneribus honorabat, non minus in hoc pusillanimitatis opprobrio, quam infidelitate notandus. hic maiestatis titulum in officium venatura commutans, non armis decoratus, & legibus, sed canibus, & auium garrulitate munitus factus de Imperatore venator, excellentiam sceptri in ferarum venabula commutauit, & hostium vindicta postposita in capturam auium sollicitabat aquilas triumphales. Sic igitur decurso temporis spatio, quo matris causam indeuotus filius consecuturus, accessit Romanis in die illa, quam idem sibi præfixerat, exeuntibus ex conditione castro Raspampani, quod à ruina sola ipsius præseruauit astutia obsidione relicta illicentiato exercitu, & gladijs exposito Romanorum, famæ prodigus, & honoris, fugitiuus abscessit, proditionis maculam timoris mendacio cupiens colorare. Illa siquidem velocitate fugatis triumphalibus aquilis vehebatur, vt de dicta castro eadem die, quasi hostibus terga petentibus, delatus in regnum, non equitasse, sed volasse verius crederetur.*

a Hist. ep. 179.

Fridericus Pontificis causam turpiter deserit.

6 Post enarratam Friderici in Romanum Pontificem perfidiam egregiam de hostibus Ecclesiæ, qui in Viterbiensem agrum irruperant, victoriam per quosdam nobiles Germanos diuinitus concessam recenset: *Tum Perusium adijt summus Pater, vbi auditum deplorat infidelitatis euentum dolores ingeminat mater Ecclesia, de filio patris, de patre delatore prodit totus orbis in fabulam, altum negotium tanta sollicitudine procuratum, tam turpi collusione conclusum. Sed Dei filius sponsus Ecclesiæ resumpsit contra draconis insidias sponte causam: nam ipsius sponsæ vicarius Ecclesiæ sollicitus gubernator cadenti negotio manum subuentionis apponens, quosdam Theutonicos nobiles libertatis ecclesiasticæ zelatores decreuit apud Viterbium pro defensione patrimonij retinere, qui Romanos de sua præsumentes virtute, ad ipsius ciuitatis incidendas vineas, & arbores, in graui multitudine properantes, congressu audacissimo fugauerunt, non paucis captis, & interfectis vtrinque, victoriam tamen, & liberationem patriæ de cælo non ab homine consecuti. Ii postmodum per Vrbis confinia vsque ad Campum rotundum, qui ab Vrbe decem milliaribus distat, discurrentes totam Sabinam à Romanis ciuibus occupatam absque contradictionis obstaculo ad Ecclesiæ dominium reduxerunt, Romanis sic diuina animaduersione percussis, vt dum alienos terminos quærerent, suorum defensione carerent.* De Gregorio Perusium profecto, deque Romanis Pontificem apud Viterbium bello petentibus, & circumiacentes regiones flammis vastare enitentibus, ac postremo fusis fugatisque agit etiã Matthæus Parisius b, confirmatq; Richardus c soluta ab Imperatore Raspampani obsidione Romanos id oppidum muniuisse, atq; inde facta eruptione ad portas Viterbij cũ equitatu occurrisse, sed cladem maximam a Theutonicis interceptos accepisse, partimque cæsos, partim captos, nonnullos tamen Theutonicos in prælio cecidisse, cum hosti desperatio fecisset animos, trasque cessasset; hos porro Theutonicos non imperiales fuisse certum est, sed ij, de quibus acta meminere.

Nõnullos Germanos Pont. pro defendendo patrimonio conducit.

Romani ab ijs magna strage deleti.

b Par. hist. Angl. hoc anno.
c Rich. in chron.

Gregorij ad Rothõ. arch. lit. pro impetrandis auxilijs.

7 Præterea ad conficiendum contra hostes exercitum Gregorius transalpinos præsules sollicitauit, vt laboranti Ecclesiæ Romanæ opem afferrent, qua de re ad archiepiscopum Rothomagensem epistolam scripsit a, cuius exemplum infra scriptum est. *a Ep. 354.*

Archiepiscopo Rothomagensi.

Quia filius es Ecclesiæ, non potest te non comedere zelus eius, nec potes opprobria exprobrantium illi, & vsurpantium iura eius æquanimiter sustinere. Adeo enim in timore diuini nominis, & Ecclesiæ dignitatis reuerentia te credimus radicatum, vt de te nullatenus dubitemus, quin in suis angustijs doleas vicem eius. Sane tacti sumus dolore cordis intrinsecus pro eo, quod cum Romani esse debeant Ecclesiæ filij speciales, degenerantes ex filijs in priuignos, adeo se indeuotos exhibent, & ingratos, vt modica videatur in eis deuotionis scintilla, vel gratitudinis remansisse. Nam in tantum velut ex adipe prodijt iam iniquitas eorundem, vt non solum ad temporalia, quæ ad eos non pertinent, verum etiam ad spiritualia, laicis penitus interdicta, manus temerarias extendentes, omnino libertatem ecclesiasticam euertere, ac subuertere moliantur, & Romanam Ecclesiam matrem suam, ecclesiarum omnium speculum, & exẽplar modis omnibus ancillare, vt exempli sui pernicies soli prouocent vniuersos contra vniuersalis Ecclesiæ libertatem. Quia verò, etsi graue sit facinus, tamen cum diu durauerit huiusmodi persecutio, grauius est exemplum nos alligare quod fractum erat in eis pastorali diligentia nisi sumus, & reducere quod abiectum, sedulis monitionibus apud eos, & crebris exhortationibus laborando.

8 Sed non fuit eis datum desuper, quod eorum plaga, pro qua sananda multo labore sudauimus, salutarem adhuc reciperet medicinam, propter quod in eos censuram curauimus ecclesiasticam exercere. Et quia iniquitates eorum excreuerunt in tantum, vt nec Deum timeant, nec censuram ecclesiasticam vereantur, te ac alios Ecclesiæ filios, & deuotos, in quorum ipsi publica detrimenta grassantur, in eorum vltionem, licet inuiti, compellimur excitare, fraternitatem tuam affectuose rogantes, & hortantes attente per apostolica tibi scripta districte præcipiendo mandantes, quatenus prudenter attendens, cuius sit causa, quæ agitur, cum sit publica non priuata, non sic propria sed communis, in qua tanto fortius te oportet in adiutorium nostrum exurgere, quanto per hoc non tam specialiter aliquos, quam generaliter vniuersos intendimus defensare, congruum bellatorum, seu stipendiariorum subsidium nobis impendas, tam liberaliter quam libenter, ita quod tuis, & aliorum fulti subsidijs taliter auctore domino aduersam superbiam reprimamus, quod alij aduersus Deum, & Ecclesiam se de cætero non extollant, & Ecclesiæ filij debita gaudeant libertate; nosque sinceritatem tuam ex affectu & effectu liberalitatis exhibitæ plenius cognoscentes in Christi visceribus te charius amplexemur. *Dat. Perusij non. decemb. ann. VIII.*]

9 Ad elicienda e Gallijs contra Romanos auxilia cæteris archiepiscopis scripsisse e regesto pontificio b patet, vbi illorum nomina sigillatim recensentur: eodemque exemplo ad Hispaniarum archiepiscopos, atque ad Lusitaniæ, Aragoniæ, Nauarræ, & Castellæ Reges, Ferrandum infantem, comites Rossilionis, & Barcinonæ, & ducem Austriæ in Germania literas misit. Ac sane confecta ab ijs pecuniarum subsidia ad belli tolerandos sumptus Gregorij vitæ auctor tradit hisce verbis: *Vt multiplicatis viribus cornua colla vestigio premeret grauiori, vltramontanis prælatis omnibus pro stipendijs congreganda militia pecuniam subuentionis indixit, quæ cum iam consummato negotio non appartuna veniret, eadem liberalitate, qua Ecclesiæ nuntio soluta extitit, est soluentibus totaliter restituta.* *b Reg. post ep. 354.*

10 De sopitis hisce tumultibus agit Richardus anno sequenti. Antequam verò illi palam erumperent

Gre-

Renouata a Gregorio Symmachi cõstitutio de nõ abalienandis Ecclesiæ bonis.

a Lib. 7. ep. 469. extat in bullario.

Gregorius imminentem tempestatem præsagiens, ac Romanorum animos ad rebellionem inclinare vidēs, ad discutienda illorum consilia, qui pontificium imperium euertere moliebantur, vt in ruinis Ecclesiæ nouam rempublicam excitarent, constitutionem apostolicam edidit a, qua sanxit nulla ditionis pontificiæ loca alienari posse, pluraque ipsorum nomina expressit, vt illa affectantium cupiditatem extingueret: *Sane felicis recordationis Symmachus Papa volens quodammodo legi subijcere potestatem, in Ecclesiæ prædijs alienandi licentiam interdixit, vt quod licere non expedit, licitum non putetur. Nos autem super hoc illius vestigijs inhærentes, vnanimi fratrum desiderio, & petitione concordi, hac in perpetuum valitura constitutione sancimus, vt de patrimonialibus sine communi fratrum consilio, & assensu alienatio nulla fiat, sitque vni facultas, quod ex causa legitima obstaculum liberæ contradictionis opponat. Quod si forte fuerit in alienatione processum, factum ipso iure non teneat per successorem, quatenus prædecessor de facto processerit, & eo ipso quod processum sic fuerit reuocandum, de alienantis vita consentientium numero, & solemnitate scripturæ nullum adminiculum tali suscipiente contractu.* Longam adijcit nominum locorum, & castrorum seriem, quæ singulari titulo abalienari vetat, ac prætermissa sunt a nobis, cum in bullario omnium oculis pateant; *Dat. Lat. XVII. kal. febr anno VII.*

Lucani Ecclesiæ Carfagnianã restituunt.

b Lib. 8. ep. 96. Ib. ep. 144. c Lib. cens. Vat. bibl.

11 Pari constantia Lucanos ad restituendam Ecclesiæ Carfagnianam, quam inuaserant, compulit, ac reuersos ad officium, & censuris, quibus defixi diu fuerant, liberari flagitantes, in gratiam benigne recepit b, atque ad rem totam conciliandam componendamque Petrum Guaninum scriptorem misit. Extant ea de re in libro c censuum prolixiora monumenta coram Petro Lucæ confecta, quibus reipublicæ magistratus ad Ecclesiæ excipiēda imperia se astrinxere, arcesq; duas præsidiario milite Pontificis nomine muniendas tradidere. Nec Romanæ modo, sed aliarum etiam ecclesiarum iura defendit Gregorius: cum enim Aretini leges ecclesiasticæ libertati aduersas tulissent, rescindi ipsas iussit d; Corronensesque Aretini episcopi imperia detrectantes anathemate perculit. e

d Greg. l. 7 ep. 448. e Ibid. ep. 449.

Bellouac. episc. iura defendenda suscepit Greg.

f Lib. 8. ep. 19.

12 Eodem tuendorum iurium ecclesiasticorum zelo Pontifex susceptã Bellouacensis episcopi causam, qui Bellouaci dominio ab Rege Francorum deturbatus fuerat, est persecutus. Quo argumento tum ad Reginam Blancam, tum ad Ludouicum scriptis literis f regium animum ad restituendam illi pristinam vrbis ditionem proposito maiorum eximio erga ecclesias studio flectere studuit.

Gregorius, &c.

Illius de ea re ad D. Lud. lit.

Sicut narrauerunt patres nostri, & per nosipsos cognouimus, inclytæ recordationis progenitores tui stabilientes & radicantes in deuotione Ecclesiæ regnum suum, libertatem ecclesiasticam, inter alios catholicos principes fuerunt feruentius amplexati, & tam per eos, qui zelo diuinæ legis inducti partes transmarinas pro vindicanda iniuria crucifixi personaliter adierunt, quàm per regni prædicti subsidium non modicus Christianitati fructus prouenit in partibus supradictis, & in Imperio Romaniæ. Claræ memoriæ quoque pater tuus progenitorum suorum inhærendo vestigijs, ad releuandam fidem, cuius excidiũ in partibus Albigensibus ecclesia deplorabat, ter illuc in propria persona laborans dies suos feliciter consummauit; vnde sperandum est, quod eis post gloriam, quam sibi Dominus contulit temporalem, nomen eorum in secula magnificentius extollendo, æternam beatitudinem largiatur. Hæc igitur, & alia præclara illorum merita, nulla labentium temporum obliuio a corde nostro poterit,* ac a generatione sequenti memoria tantæ sinceritatis non decidet; sed eam post nos nostri recognoscent, & referent successoribus: tibi nimirum dona naturæ, ac gratiæ dignatio diuina concedens, sicut opinio nostra tenet, ac in desiderio gerimus, vberius conferet in futurum, cum a tenella ætate munere benedictionis cœlestis imbutus, & sicut lilium albescentibus folijs, per annos gradiens pubertatis, non minus in deuotione, quam regno succedas, prædecessores tuos in bonis actibus imitaturus æmulatione laudabili Domino largiente. *Et infra:* Cum omni regno desiderabilis sit tranquillitas, qua & populi proficiunt & honor regius custoditur, ad concordiam cum Beluacensi ecclesia faciendam, animi tui mansuetudinem inclinare procures, per quod misericordia, quæ tecum coaluit, clarius, & conspectius enitescat. Nos enim dilectum filium magistrum P. de Collemedio capellanum nostrum præpositum ecclesiæ S. Audomari, virum notæ probitatis, & circumspectionis expertæ, quem honoris tui zelatorem tibi fidelem nouimus, & deuotum, & de sua prudentia, & industria plenam habet notitiam celsitudo regalis, mediatorem inter te & dictam ecclesiam duximus deputandum, cuius consilijs acquiescens, ianuam beneuolentiæ consuetę paci clemēter aperias, eam & libertatem ecclesiasticam, quibus regni solium plus firmitatis accipit, plus splendoris tanquam Rex Christianissimus amplectēdo, ita quod in te paratum videatur ecclesijs antidotum pietatis, &c. *Dat. Later. VIII. idus aprilis pontificatus nostri an. VIII.*] Non absimile studium pro Rothomagensi archiepiscopo atque episcopo Tornacensi a pristinis iuribus restituendis applicuit Gregorius.

* abolere

a Lib. 8. ep. 309.

13 Plerumque accidit, vt principum ministri, siue ad illorum colligendam gratiam, siue ad commoda aliqua ex varijs occasionibus ad se deriuanda, contra illorum mentem plura tentent, ac facinora sua officij prætextu colorent; vnde fiat vt non leuis macula principum famæ & existimationi ex ministrorum sordibus aspergatur. Quod in S. Ludouici administris cõtigisse conspicimus; licet enim princeps pietate spectatissimus, singulari Ecclesiam cultu ac beneuolentia prosequeretur, ab illo tamen præfecti populis magistratus, in Albigensium recens conuersorum partibus, regiæ vtilitatis, tuendorumque iurium colore, in ecclesias grassabantur, ac viros ecclesiasticos grauiore iugo atteruerant; vt illorum angustijs permotus Pontifex, ad S. Regem scribere coactus b sit, nefarios viros coerceret.

b Ib. ep. 66

Gregorius, &c.

Queritur Greg. iniustitias in Narbonensi Gallia oppressi.

Mirantes accepimus, & referimus conturbati, quod quidam tui baiuli in prædictis Albigensium partibus constituti ecclesias, & personas ecclesiasticas, quæ pro ampliando statu fidei fauoris tui præsidio deberent assiduè communiri, grauiter in multis offendere non verentur, homines ipsorum tallijs & collectis, angarijs, & perangarijs, & alijs multis exactionibus affligendo, nec non eisdem hominibus, si excedant in aliquo inferendo pœnam, quam suggerit propriæ voluntatis arbitrium, ita vt ad ipsorum dominos nullam reuerentiam habeant vel respectum. Ad feuda etiam, quæ plures clerici, & laici obtinere ab eisdem ecclesijs dignoscũtur, manus auidas extendentes, possessiones, & alia bona ecclesiarum ac huiusmodi personarum tandiu occupata detinent, donec in foro ipsorum suas compulsi exerceant actiones. Præterea ijdem huiusmodi molestiarum frequētia non contenti, ecclesiarum bona, quibus quondam per Albigenses spoliatæ fuerant, suis applicare vsibus moliuntur; compositiones, transactiones, & donationes factas per dilectum filium nobilem virum comitem Montisfortis, ac sententias editas per eundem obseruare renuunt, & iurare pacem iuxta Tolosani statuta concilij prætermittunt, plura quæ sunt de genere pietatis, præconis voce prohibendo fieri,

quasi

quasi pepigerint diuinam nolle gratiam promereri, ecclesijs quidem offerri primitias, aut decimas, aut ipsis a fidelibus legari aliqua, in extremæ articulo voluntatis, siue quod ecclesiarum feuda sine ipsorum licentia & consensu recognosci valeant non permittunt. ad illicita celeres, & in exequendis licitis contumaces, dum excommunicatos vitare negligunt, & ipsorum puniendo contemptui, prout institutum fore dignoscitur, nō intendunt: venerabiles fratres nostros Biterrensem, & Agathensem episcopos, quos & vexant calumnijs, & turbant frequentibus nocumentis per violentam detentionem castrorum, & aliorum bonorum ecclesiarum suarum ad illam inconuenientiam deducendo, quod super ipsis de stando iuri coram re inconsultis eorū capitulis coacti & in voluntatij suas literas concesserunt, quarum occasione, præter iuris ordinem, & consuetudinem ecclesiarum prouinciæ in tua litigare curia compelluntur, venerabilibus fratribus nostris episcopis Narbonensis prouinciæ per te nihilominus in amaritudine constitutis, a quibus fidelitatis exigis iuramenta, reīndando compositiones, vel ordinationes obseruare, quas legati sedis Apostolicæ, ac bauli tui super quibusdam querelis, & pacis negotio deliberatione prouida statuerunt, &c.] prosequitur plura alia grauiora onera ab eius administris impressa ecclesijs exponere, rogatque, virum instructum auctoritate mittat, vt vnà cum archiepiscopo Viennensi.A.S.L. controuersias, quæ inter prælatos regiumque fiscum vertuntur, definiat. *Dat. Later. VI. non. maij an. VIII.* Eiusdem argumenti literas ad ipsum paucis post diebus exarauit a, quem etiam & eius consiliarios cæterosque Galliarum optimates ad id impellere iussit. b

14 Quod ad Albigenses attinet; cōstituerat c Gregorius ad excindendas mali fibras, legatū sedis Apostolicæ, archiepiscopum Viennensem, cui pro fide catholica laboranti, Lugdunensem, Bituricensem & alios Galliarum episcopos d Regem Aragonum e & Montisfortis comitem f præsto esse iussit, eidemq; archiepiscopo Viennensi inquirēdi in episcopum Arausicanum multis criminibus irretitum g prouinciam iniunxit: tū vt in hæreticos, qui in Tolosano comitatu delitescebāt, legum seueritatem distringeret h; inquireret, an Raymundus senior pœnitentiæ Christianæ signa moriturus edidisset, vt sepulturæ ecclesiasticæ ipsius corpus mādaretur, eiusq; filio in gratiam Ecclesiæ recepto, beneuolentiā suam explicaret: Raymundum vero iuniorem ad delendos hæreticos operam contulisse aonn superiori insinuauimus, tū Pontificiæ literæ, quibus zelum in ea profliganda peste cōmendar, legesq; ab ipso superius a nobis adductas cōfirmauit, tum a Regina Blanca i ac S.Ludouico ad Pontificem exaratæ, quibus ab eo contendere, vt sitas in Romano Imperio vltra Rhodanum terras illi iam strenue pro fide dimicanti restitui iuberet.

a Ep 72.
b Ep 67. 71.
c Ep 73. Illius malo bolendis Albig. reliquijs studium.
d Ep 69. 71 76
e Ep 70.
f Ep 77.
g Lib. 7. ep 463.
h ibid. ep. 324.
i ibid. ep. 336. & l. 7. ep.471.
Raymūdi zelus ad eos excindendos cōmendatur ibid. ep. 313.

15 *Sanctissimo patri in Domino, Gregorio Dei gratia summo Pontifici, Ludouicus eadem gratia Francorum Rex salutem & reuerentiam in Domino tam debitam, quam deuotam.*

Super terra, quam vltra Rhodanum in partibus Imperij per voluntatem vestram tempore aliquo in manu nostra tenuimus, & custodiuimus, cum consilio nostro deliberatione habita, paternitatem vestram alias recolimus rogauisse, vt terram illam dilecto & fideli consanguineo nostro Raymundo comiti Tolosano restitui faceretis, qui terram illam & antecessores eius etiam possederunt temporibus retroactis, confidentes quod per hoc multum allici debeat ad seruandam pacem Ecclesiæ in partibus illis, & adseruitium nobis deuotius exhibendum: ad quod præcipue nos inducit, quod iam dictus comes hæredem non habet nisi vnicam filiam, quæ charissimo fratri nostro ex dispensatione vestra matrimonialiter est copulanda; propter quod gratiam istam tanquam ad nos & nostros petimus prouenturam. Idcirco benignitatem vestram consilium habuimus iterum deposcendi, vt prædictam terram obtentu deuotionis, quam speramus ex hoc concedente Domino sequuturam, restituere velitis comiti sæpedicto, attēdentes etiam quod, sicut ex prælatorum illarum partium dicimus testimonio, in hæreticis perquirendis & perquisitis ad honorem Dei & S. Ecclesiæ puniendis vigilanter se habuit, fideliter & deuote; vnde nobis & consilio nostro bonum & vtile videtur talem ei fieri gratiam, quo Deo & Ecclesiæ fiat deuotior ex deuoto; paternitatem vestram etiam ex affectu rogantes vt iam dictum comitem in suis alijs iustis petitionibus amore nostro velitis benigne & fauorabiliter exaudire.] *Dat. apud Loiriacum in crastino S. Gregorij.*

Pontificē rogat S. Lud. vt ditio in Rō. Imp. sita Raymundo restituatur.

16 Pubescebat tum Ludouicus ad ingentes spes, nec dubiam sui expectationem futurum Ecclesiæ strenuissimum defensorem atque ornamentum apud omnes concitabar. cui adeo Gregorius oratorum opera flagitanti, vt contrahendi cum Margatera comitis Prouinciæ filia matrimonij canonicum impedimentum dissolueretur, dato hoc diplomate annuit a.

Flagitanti canonica impedimenta contrahendi cū Margareta matr. conuellit.
a Lib. 7. ep. 441.

Ludouico illustri Regi Francorum.

Dixisse Petro Dominus: *Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque solueris super terram, solutum erit & in cælis*; ac ei claues legitur tradidisse, in altera dans scientiā discernendi, & in altera plenitudinem potestatis, ne vel potestas crudelis existeret, si non esset discretionis sale condita, vel discretio esset mutila, si non potestatis subsidio fulciretur, quatenus & potestatiua discretio, & potestas nihilominus sit discreta. Vnde Rom. Pontifex, qui claues in B. Petro discretionis, & potestatis accepit, nunc mansuetudine vtitur, nunc rigore, consideratis circumstantijs vniuersis neutrum in altero derelinquens, & interdum flectit per mansuetudinem, sic rigorem, quod non dissoluitur eius neruus, sed prudenter attendit non solum personas sed causas; cum quibus videlicet, & ex quibus dispensare disponit, ne forte sic dispenset ne dissipet, immo ne dissipet sic dispenset, ne propter mansuetudinem subuertatur veritas, neque mansuetudo propter iustitiam perimatur, vt misericordia, & veritas sibi obuient, & se pax, & iustitia osculentur. Cū itaque de matrimonio contrahendo inter te, & dilectam filiam nobilem mulierem... natam dilecti filij nobilis viri comitis Prouinciæ sit tractatum; qua dicta nobilis quarta consanguinitatis linea te contingit, nō prius duxisti ad consummationem ipius matrimonij procedendū, quam super hoc ad Rom. recurreres Ecclesiam matrem tuam, nobis per nuntios humiliter supplicans, vt cum nihil magis ad conseruationem illius terræ, pro qua tantus sanguis effusus est, operetur, salubre consilium apponere dignaremur. Licet igitur nihil aliud amplius, quam necessitas dispensantem ad dispensationem inducat; attendentes tamen quod vrgens necessitas, & euidens vtilitas id exposcit, cum ex hoc negotium pacis & fidei, pro quo multo sudore laboratum est, & multo labore sudatum proficeret, ac terra prædicta, quæ olim, velut deserta, & inuia luxit, & languit, spinis eam replentibus & vrticis, & nunc a sua respirasse videtur angustijs, de cuius recidiuo timetur, melius valeat conseruari, cum fratribus nostris deliberatione habita diligenti, de ipsorum consilio serenitati regiæ auctoritate præsentium concedimus, disponendo vt cum dicta nobili, si velis, contrahere valeas, impedimento huiusmodi non obstante.] *Dat. Lat. IV. non. ianuar. anno VII.*

17 Expurgata quidem fuit hæreseos labe Prouincia, nō tamen ad Regem Ludouicum, sed Carolum ipsius fratrem, qui Beatricem comitis natu minimam filiam

S. Lud. nuptias celebrat.

Missus a Greg. Pon. comites pro concilian. dis Franc. & Arag. Regibus.

filiam vxorẽ duxit, illius ditio deuoluta est: ex quo magnæ postea lites, Margareta sibi vt natu maximæ debitã paternam hereditatem contendente, exarserunt: de quibus suis locis. S. Ludouicum porro nuptias hoc anno cum Margareta comitis Prouinciæ filia natu maxima celebrasse, tradit eius gestorum auctor cum alijs Nangius a, qui ipsam ob præclaras animi dotes celebrat; tum eius patrem laudibus effert. illum Surita Raymundum Berengarium vocat, meminitque initi a Ludouico cum Margareta matrimonij, ac tum S. Regem e matris tutela exijsse, & liberas regni habenas capessiuisse ait colligitque b coniectura eam ob causam Iacobum Aragoniæ Regem Montempessulanum contendisse: sed ex pontificijs literis Aragonium belli consilia pro Carcassona nonnullisque alijs locis suæ ditioni adijciendis meditantem eo profectum constat, cuius belli cum inter eos Reges inflammandi metus impenderet, ad illud discutiendum Pontifex conuersus eius, Prouinciæ comitem S. Ludouici socerum, vtrumque adire Regem, atque ad pacem conciliandam, ac sopiendam litem exortam, antequam grauius serperet, operam dare iussit c: *Cum sicut est nobis pro certo relatum, inter charissimos in Christo filios nostros Franciæ, & Aragonum Reges illustres, super dominio terræ Carcassonensis, & aliarum terrarum vicinarum, discordiæ materia sit exorta, & ex hoc maiora emergere guerrarum pericula formidentur, nobilitatem tuam rogandam duximus attente & monendam, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus ob reuerentiam Apostolicæ sedis & nostram personaliter ad præfatos Reges accedens, ipsorum animos ad pacem reducere, & ortam inter eos discordiam, iuxta datam tibi a Domino prudentiam, amicabili studeas compositione sopire. Cæterum si forte, quod auertat Dominus, inter eos concordia nequeat reformari, tu nobis singulas negotij circumstantias exponere, & regias voluntates tuis non differas literis intimare, &c. Dat. Spoleti 11. kal. sept.* At Prouinciæ comitem operam feliciter in ea controuersia extinguenda collocasse rei exitus docet, cum ij motua in apertum bellum non eruperint.

a Nang. de gest. S. Lud. Reg.

b Surit. l. 3. cap. 19.

c Lib. 8. ep. 213.

Dirimitur beneuole controuersia.

18 Ludouicum præterea Gregorius ad pacis fœdera cũ Anglo ineunda inuitauit d, rogauitq; vt donec firma pax inter ipsos coalescere posset, inducias in triennium produceret, cum id maxime Terræ sanctæ rebus conduceret: *Serenitati tuæ scripta nostra direximus, vt ad Deum habens cum omni deuotione respectum, qui cum ei placuerit, aspera in plana, & praua dirigit in directa, cogitare incipiens vias pacis, in qua sublimabit Dominus regnum tuum, cum charissimo in Christo filio nostro illustri Rege Angliæ inire concordiam procurares, ad quam intendebamus, & intendimus efficaciter interponere partes nostras. Quia vero cordi nostro est hoc negotium, firmiterque speramus, quod dum attenderis sincerum exhortationis affectum, monitionibus nostris, quas dilectionis integritas & circumspectionis ratio comitantur, sicut deuotionis filius humiliter acquiesces, celsitudinem regiam, sicut iterum, sic attentius rogandam duximus & hortandam, quatenus ad eum, qui est pax nostra, conuersus cum Rege prædicto concordiam reformare procures: Et quia sine treugarum interpositione non possent commode pacis fœdera procurari, eas, super quibus & prædicto Regi scripta nostra dirigimus, vsque ad triennium studeas prorogare. Dat. Lat. 11. id. febr. an. VII.*

d Greg. l. 7 ep. 545.

Incumbit Francis Anglisque ad pacem adducendis.

19 Adductas tum in graue discrimen Henrici res scribit Parisius e, cum atrox ciuilis belli procella in Anglia inhorruisset, ad quam discutiendam Pontifex omni studio incubuit, literisque Petrum Vuintoniensem, B. Edmundum Cantuariensem, Dunelmensem, Roffensem, Eliensem præsules ac nonnullos alios f conciliandæ concordiæ operam nauare præcepit: cuius belli faces imprudentia sua accendisse efferasseque in se Anglorum animos scribit memoratus auctor, cum exteros, nimirum Pictauenses, depulsis alijs, muneribus publicis præfecisset. Commendat vero eiusdem Henrici clementiam, qui cum Richardum comitem hostem infensissimum in Hibernia cæsum audisset, eius necem lacrymis est prosecutus, ac pro illius anima diuina mysteria celebrari, atque eleemosynas in pauperes liberaliter effundi imperauit.

e Paris. hist. Angl. ann. 1233 & 1234.

Laborat intestinis discordijs Anglia.

f Greg. l. 7 ep. 547. 548 & l. 8 ep. 923.

20 Eodem Henricus benignitatis exemplo plures ab exilio reuocauit, atque in gratiam deletis ex animo prioribus iniurijs adsciuit, interque cæteros Hubertum Cantiæ comitem, qui accepti beneficij gaudio delibutus in has voces erupit: *O Iesu Saluator crucifixe, quem cruentatis in cruce vulneribus aliquando conspexi, & in crastino secundum admonitum tuæ peperci effigies, eandem venerando nunc mihi vestra gratia tempore opportuno gratam rependisti vicissitudinem.* Ad quæ illustranda verba, refert Parisius a ardente sub Ioanne Rege ciuili bello Anglia, noctu Christum e cruce pendente sese Huberto videndum obtulisse, monuisseque, vt ea specie ipsius auxilium imploraturo opera non deesset. Sequenti vero die cum miles furibundus in Ecclesiam ad eam spoliandam irrupisset, sacerdos correpta Crucifixi effigie in lacrymas effusus comiti occurrit, obtestans vt ecclesiam a direptione atque excidio vindicaret. Quo spectaculo emollitus, ac veneratus sacram imaginem, milites sacrilegos omnia, quæ ecclesiæ eripuerant, restituere coegit: ob quod pium facinus Hubertus in Regis gratiam admitti meruisse arbitrabatur. Diuinã porro opem Henrico ob eam in suos hostes mãsuetudinem, ac liberalitatem in pauperes non defuisse indicat celebratũ Leolini principis Northvvalliæ dictum: Plus timeo eleemosynas Regis, quã totam eius militiã. adeo potentius expansæ ad cælum pauperum, quam munitum ferro armatæ manus hostes sæpe attriuere.

Reuocat Henr. ab exilio Hubertum Cantiæ comitem.

a Par. hoc ann.

Acceptũ beneficiũ attribuit Hubertus diuinę prouidentiæ.

Celebre dictum Leolini de Henrici eleemosynis.

21 At si numen hæc præmia in beneficum principem contulit, non minus in auaros hoc ipso anno, qui rei frumentariæ inopia laborauit, cælestis indignationis formidanda exempla explicuit, vt mortales a fœdissimo auaritiæ, quæ ex Apostoli sententia idolorum seruitus est, vitio deterreantur. Inter quæ Vualteri episcopi auari hominis insigne fuit, qui cum frumenti copiam ingentem, pauperibus fame pereuntibus, condidisset, tanta bufonum ac serpentum vis ex segetibus male seruatis emersit, vt faces ac flammæ inijciendæ fuerint. Neque absimile cuiusdam presbyteri exemplum, qui cum olim sese dæmoni ad opes cumulandas addixisset, ac moriturus male partas diuitias vimque frumenti nonnullis abbatibus reliquisset, abeuntibus ad frumentum colligendum dæmon ægrotantis specie sese obiecit, iussitque eos procul facessere, cum is presbyter sese ipsius imperijs mancipasset. Quibus moribundo perlatis, is ad diuinam misericordiam confugiens, ita eam inflexit, vt vitam etiam ad seueriorem agendam pœnitentiam a Deo obtineret. Addit Parisius exemplum cælestis iræ in eos effusæ, qui indignati fuerant pauperes segetum spicas ad leuandam famem vellere, ac manibus attritas deuorare.

Diuina in auarũ ep. vindicta.

Dæmoni vænundatus æger ob factas viris pijs largitiones ad pœnitentiam reuocatur.

22 *Licet in suprascriptis duobus capitulis sit euidenter expressum, in quantum auaritia vitium omnibus Christianis detestandum existat, adijciam adhuc & tertiam ad audientium ædificationem, ne res tam memorabilis dierum vetustate ab humana memoria deleatur. Cum hic annus, de quo diximus, pauperibus grauissimus vsque ad iulium mensem processisset, illi, quos diutina fames afflixerat, ad agros frugiferos proruunt cateruatim, vbi frugum spicas, licet non maturas, carpentes, & manibus tremulis confricantes miseram vitam, quæ vix eorum pectoribus palpitabat, protrahere satagebant. Sed rustici quarundam villarum, qui ex auaritia inopiam semper habent suspectam, per agros suos trãseuntes,*

Cælestis vltio in eos qui erga pauperes inhumaniter se gesserant.

cum hoc piam & miserabile furtum deprehendissent, perturbati sunt valde. Vnde contigit quod homines villa, qua dicitur Alboldeslea, in Cantebrugensi prouincia sita, cum sequenti die dominica, qua tunc fuit XVII: kal. aug. ad ecclesiam conuenissent, presbyterum tumultuosis clamoribus rogabant, vt in continenti omnes illos, qui spicas in agro carpentes bladum furati fuerant, anathematis sententia innodarent. Et cum ad hoc rustici omnes vehementer instarent, vir quidam ex eadem villa religiosus & pius, cum videret presbyterum ad ferendum sententiam paratum, surrexit, & ex parte Dei omnipotentis & sanctorum omnium presbyterum adiurauit, vt ipsum & omnes, quas habuit in campo fruges, ab illa sententia sequestraret. Addidit etiam quod bene placuit sibi quicquid pauperes media compulsi de suis ceperant frugibus, & quod residuum erat Domino commendauit.

23 *Quid ergo? instantibus pertinaciter cæteris in stulto proposito suo, cum presbyter compulsus ferre sententiam inchoasset, tanta subito exorta est in aere tempestas, tonitrui scilicet ac fulminis, concussio ventorum, ac turbinum conflatio, pluuiarum ac grandinum inundatio, quod quasi in momento turbine, & flatu diabolico agitata fruges in agris, armenta cum arboribus, ac cæteris quibusque crescentibus & auibus in campis ita opprimendo contriuit, quod velut in curribus & in equis conculcata, & in terram comminuta videbantur. Et quod admiratione dignum erat, nec porci, nec aues, nec aliquod genus animalis spicas, vel grana licet matura essent, voluerunt vrgente tamen fame gustare. Visi sunt autem in aere, ingruente eadem tempestate, angeli sathana in modum nigrorum satyrorum volitantes, & per agros cursitantes, qui aerea potestates credebantur, quibus concessum terra & fructibus nocere fuerat, aerem perturbantes. Sed cum iustus & pijs stabilis semper sit inuenta benignitas, vir ille simplex & iustus, cum peracta tempestate omnibus vicinis suis nimis damnosa visitare pergeret agros suos, inuenit prædia sua & iugera, licet terris aliorum permixta, ita ab omni tempestate intacta & illæsa, vt nullum in eis læsionis vestigium appareret; vnde omni luce clarius constat, quod sicut Deo gloria in excelsis canitur ab angelis, ita & in terra pax est hominibus bonæ voluntatis. Inchoauit autem hæc tempestas in finibus Bedefordia & sic per insulam Eliensem, & Hortbfole ad orientem tendens in mare descendit.*

Diuina erga vnũ misericordem prouidentia.

B. Dominicus SS. catalogo adijcitur.

24 Hoc anno Gregorius B. Dominicum Prædicatorum familiæ conditorem, sanctitate ac miraculis toto orbe clarissimum, cœlitum catalogo adscripsit. qua de re in apostolico regesto a extant literæ ad cunctos ecclesiarum præsules datæ, e quibus hæc ad incendendum ad sanctissimi viri cultum pium lectorem decerpenda visa sunt.

a Lib. 8. ep. 142.

Gregorius, &c.

Gerens a pueritia cor senile, ac in mortificatione carnis eligẽs viuere, vitæ requisiuit auctorem, & Deo deditus ac in Nazaræum sub B. Augustini regula consecratus, sedulum circa sancta, Samuelis imitatus obsequium in castigatione desiderij pijssimum Danielis continuauit affectum, iustitiæ semitas, & sanctorum vias strenuus athleta custodiens, & velut ad momentum de tabernaculo Domini, de militantis Ecclesiæ magisterio ac ministerio, non discedens, carnem spiritui, & sensualitatem subijciens rationi; & factus vnus cum Deo spiritus, totus in eum per excessum mentis pergere studuit, & sobriæ compassionis studijs a charitate proximi non recessit. Quo sagittante delicias carnium, & fulgurante mentes lapideas impiorum, omnis hæreticorum secta contremuit, omnis Ecclesia fidelium exultauit. Ætate crescente, creuit & gratia: quandoquidem inexplicabile gaudium de zelo concipiens animarum ad eloquia Dei dedit animum, & per euangelium Christi multos generans, in conuersione tam strenuæ multitudinis euangelicæ dignitatis officium profitentis, nomen & opus in terra meruit obtinere, maiorum pastor, & dux inclytus in populo Dei factus: nouum Prædicatorum ordinem instituit meritis, ordinauit exemplis, nec miraculis confirmare desijt euidentibus & probatis. Nam præter opera sanctitatis, & signa virtutis, quibus in carne positus claruit, diuersorum curatis langoribus, loquela mutis, visu cæcis, surdis auditu, gressu paralyticis, & sanitate pristina multarum generibus inualitudinum restitutis, aperte patuit, qualis spiritus in eiusdem sanctissimi gleba corporis habitauit.

25 Cum igitur ex multa familiaritate, quam nobiscum in minori constitutis officio habuit, argumenta sanctitatis ipsius ex insignis vitæ testimonio constitissent, essetq. postmodum de miraculorum veritate dictorum facta nobis per testes idoneos plena fides; nos cum commisso nobis grege Domini confidentes eius posse suffragijs per Dei misericordiam adiuuari, vt cuius in terris solatium gratiosæ familiaritatis habere meruimus, eius in cælis potenti patrocinio gaudeamus, ipsum de fratrum nostrorum consilio, & assensu, ac omnium tunc apud sedem Apostolicam consistentium prælatorum, catalogo sanctorum adscribi decreuimus, statuentes firmiter, ac vniuersitati vestræ præsentibus iniungentes, vt non. augusti ante diem, quo posita carnis sarcina diues meritis penetrauit in sancta similis sanctorum factus in gloria, eius natalitia celebrcris, & faciatis solemniter celebrari, &c. *Dat. Reate v. nonas iulij an. VIII.*] Ex quibus corrigendus videtur Gregorij IX. vitæ anonymus auctor, qui relatum inter sanctos ante hunc annum asserit, memoria forte lapsus quod cum partem sexti etiam sui pontificatus anni Reate egerit, id tum ab ipso gestum existimarit.

26 Neque silentio prætereundum videtur, non vulgari a diuina prouidentia affectum munere Gregorium, cum sanctissimorum virorum, qui illius seculi clarissima lumina extitere, vt Dominici, Francisci, Antonij dicti Patauini, familiari consuetudine est potitus. quibus annumerandus S. Raymundus Penniafortius e Prædicatorum familia, capellanus ipsius ac pœnitentiarius, vir sacris litteris egregie excultus, ac diuini & humani iuris consultissimus, cuius opera decretales Romanorum Pontificum litteras, varijs consilijs atque libris sparsas, in volumen vnum pluribus additis collegit, quas Gregorius hoc anno promulgauit, & in iudicijs seruari, ac in gymnasijs publice doceri iussit. a quo argumento extant ad Parisiensis academiæ doctores non. sept. huius anni Spoleti exaratæ: ad quam vrbem, Reate discedens, se contulerat, vt cum Friderico Imperatore, ac præsulibus de comparando in Sarracenos bello consilia agitaret. b

Greg. opera S. Raym. Penniafor. decretales conficit.

a Greg. l. 8 ep. 218.

b Ibid. ep. 183.

27 Indixisse Gregorium Spoleti vniuerso orbi Christiano sacram aduersus infideles Asiaticos expeditionem tradit vitæ pontificiæ scriptor his verbis c: *Ibidem primo crucis verbum in Terra sancta subsidium in maiori platea ciuitatis, vtriusque sexus populo congregato, lacrymabiliter & deuote proponens, eorum turbam non modicam cum lacrymarum profluuio crucis charactere insigniuit, per mundi climata crucis prædicatoribus passim destinatis.* Illum porro magna consilij maturitate crucis signa ad recuperanda alia ab infidelibus occupata loca attollenda deliberasse, atque antistitum conuentum, cui patriarchæ Constantinopolitanus, Anthiochenus, atque Hierosolymitanus vna cum Imperatore armorum potentiam vertere in Sarracenos spondente interfuerunt, coegisse testatur Pontifex in literis ad Syros scriptis. d

c Auct. anonym. vit. Greg.

Celebrata Spoleti synodus.

Promulgata aduersus infideles sacra expeditio.

28 Pellicere sane anno superiori apostolicis literis

d Ep. 183 ep. 304.

teris

tetis ad Christi cultum Sultanum Damascenum, Caliphium Baldacensem, ac Miramamolinum Africanum petrentarat: sed eum eorum duritia non verbis, sed ferro perrumpenda videretur, ad gloriosissimum, & arduum opus Christianos principes, atq; inter cæteros S. Ludouicum his litteris prouocauit.

Gregorius, &c.

Zelus Domini exercituum, de tanto discrimine, quod aduersus Terram sanctam nostris temporibus accidit, anxie cogitantes vehementissime nos affligit, propter quod ad vindicandas eius iniurias tam atroces ex intimis medullis animi prouocamur. O quantum Christianorum dedecus, quod ille Rex regum, qui fecit omnia & ea, quæ cæli ambitu continentur, pro nostris facinoribus a propria sede pulsus, terram illam amisit, quæ funiculus hæreditatis suæ dicitur, quam non corruptibilibus auro, & argento, sed suo pretioso sanguine comparauit! O quantum opprobrium vniuersis, qui sub Christo principe gloriantur, quod princeps noster amisit sui terreni gloriam principatus, & suæ terram natiuitatis, in qua corporaliter visus est, cum hominibus conuersatus, & in qua vniuersa redemptionis nostræ sacramenta patrauit! In ea enim fuit conceptus, & natus, nutritus, & baptizatus, captus, & alligatus, irrisus, & exprobratus, cæsus, & flagellatus, crucifixus, & lanceatus, mortuus, & sepultus, suscitatus, & tandem ad Patris dexteram exaltatus. Quis autem adeo duri cordis, & obstinatæ mentis existat, qui non in fletum erumpat, & non in lacrymas resoluatur? Illud diebus istis audiens innouatum, quod olim Propheta lacrymosis vocibus deplorabat: *Deus inquiens, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum.* O quantum progenitores tui pro illius terræ subsidio laborarunt, quot pro recuperatione ipsius expensas, quot labores, & pericula subierunt! Non ne claræ memoriæ pater tuus pro fide catholica, immo in defensione fidei diem clausit extremum?

[De ea ad S. Lud. lit.]

29 Tuum ergo expetit, & expectat auxilium negotium Iesu Christi, & expectat domus tuæ potentiam, quasi iure successorio desiderat Terra sancta, vt propagata deuotione parentum in filios, per te velut deuotionis hæredem subueniatur instanti necessitatis articulo Crucifixo. Cum igitur illius vices geramus in terris, licet immeriti, qui peccata nostra pro nobis pertulit super lignum, & per hoc nobis incumbat excitare fideles ad prælium Domini præliandum, & treugæ inter charissimum in Christo filium nostrum Fredericum, & soldanum initæ in proximo compleantur, ac per hoc, ne inueniatur populus Christianus imparatus, vbique prædicari mandauerimus verbum crucis, vt ad rantæ felicitatis brauium tollat fidelis quilibet crucem suam, & sequatur vexillum gloriæ summi Regis, regalem excellentiam monemus, & hortamur attente, ac in remissionem iniungimus peccatorum, obsecrantes per Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, & per aspersionem sanguinis Iesu Christi, quatenus ad vlciscendas iniurias Christi tui accingas te viriliter, & potenter, vt in generali passagio, quod Rom. Ecclesia duxerit præfigendum, per te vel tuos magnanimiter succurrere valeas illi terræ, &c.] Addit alias preces, vt inducias longiores vel pacem eum Rege Angliæ ineat, de quo iam a nobis paulo ante dictum est; se pariter omnes principes Christianos ad colendam pacem, dum sacra tenebit expeditio, astrinxisse. *Dat. Perusij v i i i. id. nouemb. pontificatus nostri an. v i i i.* Eædem litteræ a ad Regem Angliæ a Gregorio missæ, vt pacem cum Gallis coiret: tum adiectæ aliæ ad spectatissimos vtriusq; regni præsules, vt Reges ad mutua fœdera, instruendasque in Syriam auxiliares copias monitis adducerent.

[a Reg. post eand. ep.]

30 Christianam præterea iuuentutem armorumque vsu exercitatos encyclicis litteris ad sacrum bellum inflammauit, a in quibus, vbi flebilibus verbis exposuit terram rot redemptionis Christianæ mysterijs consecratam iugo infidelium premi, ac templum Domini, quamuis Hierosolyma Friderico antea fuerit restituta, adhuc Mahumetica superstitione pollui, initarumque cum Sultano induciarum tempus effluere, subdit altissimi diuinæ prouidentiæ consilij fuisse permisisse Saracenorum potentiam ingrauescere, vt plures criminum noxis obruti, obiecta periculis pro diuina gloria vita, quodam felici compendio æternā salutem sibi compararent. *Licet per gratiam adoptati quotidie causas ingratitudinis cumulemus, ipse tamen abundat in diuitys bonitatis; dum propter diuersitatem voluntatum, virium, facultatum, delinquentibus diuersa pro tempore satisfaciendi genera contulit varia medendi languentibus remedia suscitauit, dum terram, in qua nasci, mori, & resurgere voluit, tandiu ad exercitationem fidelium ab infidelibus detineri permittit, tum non sit abbreuiata manus Domini, nec virtus eius in aliquo diminuta, quin eam, sicut fecit cuncta de nihilo, liberare valeat in momento: sed illas compassionis, & dilectionis causas exquirit ab homine, quibus ad omnis consummationis finem legisque plenitudinem ostendendam, ipse prior homini perdito, & damnato voluit miseratus adesse, qui nullatenus permisisset manus impias contra pios vsque adeo roborari, nisi & suam vindicari de nostra confusione prouidisset iniuriam, & seruari nostram de sua victoria disciplinam. Sub hac occasione delicati plurimi satisfacere pro modo criminum alterutrum valentes, velut in profundo malorum penitus desperassent, nisi occurrisset eis hæc tabula, nisi per hoc cō. pendium suis pro Christo positis animabus, consummati breuiter, multorum temporū spatia compleuissent. Multi etiam inuenire locum, vbi steterunt pedes Domini, cupientes, prius ad brauium sine cursu, vel post ad coronam sine gladio peruenerunt, illo suum remunerante militem, qui solam considerat in oblatis voluntatem.* Pluribus apostolicis beneficijs eos complectitur, qui arma sacra capessiuerint, vel qui militum pecuniarumue subsidia contulerint; in quos etiam e sacro Christi meritorum ærario indulgentiarum pro expiandis criminum reliquijs opes effudit. *Dat. Perus. xv. kal. decemb. pont. nost. an. v i i i.* Quæ litteræ etiam ad omnes Christiani orbis præsules transmissæ, vt fideles ad signum crucis induendum b accenderent.

[a Lib. 8. ep. 315. Extat etiā apud Paris. hist. Angl. ann. 1234.]

[Excitati ad crucē induendū fideles.]

[b Ibid. ep. 316 & reg. post eand. ep.]

31 Excitati pariter plures ecclesiastici proceres præpotentes, patriarcha nimirum Aquileiensis, Maguntinus, Treuerensis, Salisburgensis, Pragensis, Leodiensis, Patauiensis, Metensis, Constantiensis, Monasteriensis, Basiliensis, alijque plures episcopi, & abbates: tum alij seculares Imperij principes, Rex Bohemiæ; Lantgrauius Thuringiæ, Austriæ, & Stiriæ, Bauariæ, Saxoniæ, Lotharingiæ, Limburgi, Brabantiæ duces, pluresque marchiones comitesque sollicitati c, vt proximo futuro martio egregijs instructi copijs iter susciperent.

[c Ibid. ep. 333. & reg. post eand. ep.]

32 At ne mutuæ orientalium discordiæ, quibus antea a Friderico dissenserant, expeditionis sacræ consilia dissiparent, Gregorius ad eas componendas Theodoricum Rauennatem archiepiscopum sedis Apostolicæ creatum legatum in Syriam transmisit d, regnique Hierosolymitani præsules, proceres Acconitanos, Templarios, aliosque religiosos equites seruare pacem legatumque honorifice excipere iussit, vbi primum nonnulla de celebri synodo habita, cuitres orientis patriarchæ vnā cum Imperatore, vt supra insinuauimus, præsentes affuere, prælusit e: *Pacem quam iam dudum prædicti Antiochenus patriarcha, & dilectus filius magister domus Theutonicorum, inter Imperatorem ipsum ex vna* par-

[Theodor. Rauenn. arch. ad conciliandos Friderico Syros missus.]

[d Ep. 182. 183. & reg. post eand. ep. Rub. hist. Rauenn. l. 6]

[e Lib. 8. ep. 183.]

parte, & vos ex altera facere curauerunt, quæ cum litteræ fuper hoc nobis congruo tempore præfentatæ non fuerint, non extitit per fedem Apoftolicam confirmata, fine difficultate qualibet acceptantes, inuiolabiliter obferuetis eandem, ita quod propitiante Domino nullum impedimentum obfiftat, quin ad fubfidium veftrum Ecclefia valeat, ficut difpofuit, Chriftianum populum aduocare. Alioquin cum nequeamus prædicto Imperatori deeffe in iuftitia, quem velut Ecclefiæ brachium fpeciale in rationibus fuis abundantiori tenemur affectu fouere, archiepifcopo ipfi, quem tanquam Ecclefiæ Rom. legatum debito fufcipiatis honore, & ipfius pareatis humiliter monitis & mandatis, per litteras noftras iniungimus, vt omnia quod ad ius poffeffionis & proprietatis, in eum ftatum auctoritate noftra reducat, in quo fuiffe nofcuntur ante difcordiam, inter marifcallum Imperatoris eiufdem & vos, inimico pacis faciente, fubortam, &c. Dat. Spolet. VI. id. aug. pont. an. VIII.

Pôtificias partes affert Greg. pro Longobardis inter & Frid. aftrin gendâ concordia.

33 Simili ftudio incubuit Pontifex ad fopiendas Infubriæ fœderatarumq; vrbium diffenfiones, ne illæ Fridericum a gerendo bello facro diftraherent. ac primum, antequam expeditionem Afiaticam indiceret, miferat ad Imperatorem epifcopum Sabinenfem, ac Petrum S. Georgij in velo aureo diaconum Cardinales legatos, vt quæ a fuis contra fuperioris tractatus leges gefta erant, emendarent, atque ad pacem inflecterent: quibus ille beneuolum fe impertitus eft, admiffifque placide eorum confilijs, omnes controuerfias, quæ ipfi cum Longobardis fociifque intercedebant, Pontificis arbitrio his litteris dirimendas permifit: *Admoniti per honorabiles viros Ioannem venerabilem Sabinenfem epifcopum, & magiftrum Petrum de Capua S. Georgij ad velum aureum diaconum Card. pro parte reuerendiffimi patris domini Gregorij fummi Pontificis, & fratrum fuorum, fuper negotio illorum de Lombardia, marchia Treuifij, & Romaniola, qui videntur nobis, & Imperio aduerfari, ex innata manfuetudine, qua vniuerfos Imperio Rom. fubiectos ad fidem, & deuotionem Imperij reuocamus, totum negotium prædictorum de Lombardia, marchia Treuifij, & Romaniola, tam fuper detentione noftrorum regalium, & aliorum iurium noftrorum, quam de præteritis exceffibus, quos pridem, & hactenus quocunque modo erga nos, & Imperium commiferunt, confilio, prouifioni, compofitioni, & laudationi prædicti fummi Pontificis, & fanctæ Romanæ matris Ecclefiæ, pro reformatione pacis et ftatus Imperij duximus committendum, idin voluntate, & ordinatione apoftolica firmiter exponentes, quod quidquid ex hoc confuluerit, prouiderit, compofuerit, & laudauerit, ratum & firmum tenere volumus, & habere. Dat. Capuæ, anno Dominicæ incarnationis MCCXXXIV. menfe aprilis, feptimæ indictionis.*

Apud Greg. l. 8. ep. 47.

Cardinales legatos ad ipfum mittit.

Rem totâ Pontificis arbitrio permittit Frid.

34 Mox Gregorius totius rei cum Friderico a legatis Cardinalibus geftę Infubres certiores fecit a: adiecitque, viderent ipfi Imperatoris fuas controuerfias in fedis Apoftolicæ arbitrium conferentis exemplo num ftare pontificio iudicio parati effent: cæterum ne militares turmas, quæ ex Germania ad Imperatorem accedere parabant, infeftarent, cum Fridericus caueret ipfis nullam iniuriam damnumue a fuis inflictum iri. denique cum Perufij VI. kalen. nouembr. ageret, monuit, b vt litteras omnibus nuoieris abfolutas de admittenda fedis Apoft. controuerfiam dirimentia fententia tranfmitterent, ad quos etiam capellanum, vt rem promoueret, legauit. Obfecundarunt illi apoftolicis nutibus ac litteras edidere c, quibus fedi Apoftolicæ præteritæ cum Friderico diffenfionis caufas decidendas commendarunt.

a Lib. 8. ep. 58. & ep. 90

b Ibid. ep. 292.

c Ep. 293.

35 *Nos rectores poteftates, & confilia ciuitatum focietatis Lombardiæ ex debito, quo tenemur tanquam filij deuotionis efficere, quæ ad honorem S. Rom. Ecclefiæ matris noftræ poffint merito redundare, iuxta confilium & fubmonitionem ipfius omnes querelas, quas habemus aduerfus fereniffimum principem dominum Fredericum Imp. femper Aug. Hierufalem & Siciliæ Regem illuftrem, confilio, prouifioni, compofitioni, & laudationi domini Gregorij Dei gratia fummi Pontificis, & eiufdem Ecclefiæ, pro reformatione pacis, & ftatu Lombardiæ, committimus. Si quid etiam per nos in læfionem, vel iniuriam Imperatoris eiufdem factum eft, totum prouifioni, & arbitrio prædictæ Ecclefiæ libere duximus committendum; nihilominus generaliter omnia, ex quibus, vel propter quæ inter nos, & Imperatorem eundem aliqua difcordia hactenus eft exorta, in voluntate, & ordinatione apoftolica firmiter exponentes, quod quidquid ex hoc confuluerit, & laudauerit, ratum & firmum tenere volumus & habere: modum etiam cautionum, & formam, fi quæ neceffariæ videbuntur, præftandæ nobis ab eo, vel ipfi per nos pro eorum obferuatione, quæ inter nos & præfatum Imperatorem Ecclefia duxerit ftatuenda de omnibus fupradictis, fimiliter in totum committimus prouifioni, & arbitrio præfati fummi Pontificis patris noftri; ita vt nos cautionibus, quas proinde prouiderit effe præftandas, debeamus pro parte noftra effe contenti: vt tamen & ipfe nobis pro parte focietatis noftræ eas præftare debeat cautiones, quas nobis Ecclefia viderit effe efficaces. Ad cuius rei memoriam, & ftabilem firmitatem, præfens fcriptum fieri, & figillorum noftrorum fecimus appenfione muniri.* Succedere e fententia is pacis tractatus videbatur, fed illum poftea noui excitati motus abrupere, ac pariter expeditionis facræ in Sarracenos confilia pontificia euerterunt, de quibus fuo loco. iam ex Infubricis rebus ad Vngaricas digrediamur.

Confentiunt Longobardi fententiæ ftare.

36 Defudarum annis fuperioribus magno ftudio, & contentione fuerat, ad reftituendam priftino fplendori dignitatem ecclefiafticam, vindicanda iura, & comprimendos infideles, qui in Chriftianos graffabantur. Cumque poft multos tractatus Andreas Rex ad ecclefiarum iura afferenda, damnaque ijs illata refarcienda facramento fe aftrinxiffet, promiffa & expectationem fefellerat, feque anathematis vinculis irretierat: quem Pontifex ad damnanda nefaria eorum, qui a cœptis ipfum auocarant, confilia, & quæ magna laude promiferat maiori gloria perficienda a folicitauit.

Vetera in Vngaria mala non emendata

a Ibid. ep. 198.

Gregorius &c. Andreæ illuftri Regi Vngariæ fpiritum confilij fanioris.

Non abfque mentis amaritudine ferenitati regiæ falutationis alloquium cogimur denegare, cum nulli vnquam principum, quandiu vinculo fit excommunicationis aftrictus, Romana Ecclefia confueuerit fcribere cum falute. Cum enim olim fuper multis abufionibus, & enormitatibus abufiuis, quæ fiebant in regno Vngariæ contra ecclefiafticam libertatem, quæ vergebant in derogationem fidei, & ignominiam & confufionem regiæ dignitatis, validus & ftupendus clamor frequenter ad fedem Apoftolicam afcendiffet, nos quorum inftantia eft fecundum Apoftolum ecclefiarum omnium folicitudo continua, de regno militantis Ecclefiæ colligere fcandala cupientes, dilectum filium noftrum Iacobum Præneftinum electum, virum vtique fecundum cor noftrum, quem tuæ ferenitati credebamus acceptum, ad partes ipfas commiffo fibi plene legationis officio prouidimus deftinandum. Cum autem idem electus apud celfitudinem regiam fuper ipfis abufionibus emendandis, & fatisfactione læfis ecclefijs impendenda crebris monitionibus, & fedulis exhortationibus inftitiffet, tandem fano vfus confilio, prout regalem decebat excellentiam, monitis eius obtemperans, fatisfactionem de præmiffis plenariam promififti te ad id ipfius

Andreas Rex ob id anathemate implicatus.

ele-

electi arbitrio principaliter obligando: & ne irrita fieren quæ tuis labijs processerunt, sed factis dicta melius compensares, ferri in te & quosdam consiliarios tuos, nisi infra præfixum tibi ab eodem electo de voluntate tua terminum, iuxta quod tractatum & ordinatum fuerat, prædictis ecclesijs satisfaceres, & impleres omnia, quæ in tuis literis continentur, & generaliter in omnea, qui consulendo, vel suggerendo, aut alio modo scienter in hoc impedimentum præstarent, per iam dictum electum excommunicationis, & in curiam tuam interdicti sententias, relaxata prius in te lata interdicti sententia consensisti, venerabili fratre nostro episcopo Bosnensi, & collegis suis sententiarum ipsarum, post eundem terminum denuntiatoribus deputatis, prout euidenter sereniraris tuæ literæ manifestant. Et licet electus ipse huiusmodi sententias te præsente, & astante multitudine copiosa solemniter promulgasset, tu quorundam inductus & seductus consilijs, veniens contra propriam sponsionem, nullam, vel modicam satisfactionem diutius expectatus post terminum impendisti: propter quod denuntiatores prædicti te incidisse in easdem sententias publice nuntiarunt, prout in eorum literis perspeximus plenius contineri.

Vrgetur a Pont. illas ecclesijs damna sarcire.

37 Cum igitur nos super quibusdam articulis per nuntios tuos duxeris consulendos, & nos hilariter tuos nuntios videamus, & recipiamus grataner, ægre tamen ferre non debet regia magnitudo, quod quandiu sententiarum nexibus subiacet præmissarum, suis non possumus consultationibus respondere, quia quo vniuersalis Ecclesiæ solicitudo principalius nobis imminet, eo de honestate ipsius tenemur solicitius cogitare, ne per iniuriam, vel negligentiam nostram notam alicuius derractionis incurrat. & quanquam tui nuntij nisi fuerint probare satisfactionem plenariam coram nobis, nihil exinde ostendere potuerunt. Monemus itaque magnificentiam regiam & hortamur, obsecrantes per Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, & per aspersionem sanguinis Crucifixi, quatenus prudenter attendens, quod nil prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ sustineat detrimentum; & quod non debet vsque adeo præferri caro spiritui, & sensualitas rationi, vt præponatur vtilitati voluptas; quodque gratum tibi esse debuit & acceptum, quod ad compositionem cum prænominatis ecclesijs deuenisti, quæ promisisti sine difficultate qualibet, iuxta compositionem eandem exoluas, &c.] *Dat. Reate v. kal. aug. anno VIII.*

38 Andreæ etiam maiorem natu filium, Belam scilicet Regem Pontifex hortatus est a, Vvalachos schismaticos in Cumanorum episcopatu agentes comprimeret, vti se facturum iam ante Iacobo Cardinali Prænestino electo Apostolicæ sedis legato fuerat pollicitus.

a Ep. 313. Admonetur Bela Vvalach. schismaticos coerceat.

Gregorius &c. Bela Regi primogenito Regis Vngaria.

In Cumanorum episcopatu, sicut accepimus, quidam populi, qui * Vvalachi vocantur, existunt, qui etsi censeantur nomine Christiano, sub vna tamen fide varios ritus habentes & mores, illa committunt quæ huic sunt nomini inimica. Nam Rom. Ecclesiam contemnentes, non a venerabili fratre nostro episcopo Cumanorum, qui loci diœcesanus existit, sed a quibusdam pseudoepiscopis Græcorum ritum tenentibus vniuersa recipiunt Ecclesiæ sacramenta, & nonnulli de regno Vngariæ, tam Vngari, quam Theutonici, & alij ortodoxi morandi causa cum ipsis transeunt ad eosdem, & sic cum eis quasi populus vnus factus, cum eisdem Vvalachis, eo contempto, præmissa recipiunt sacramenta in graue orthodoxorum scandalum, & derogationem non modicam fidei Christianæ. Ne igitur ex diuersitate rituum pericula proueniant animarum, nos volentes huiusmodi periculis obuiare, ne præfati Vvalachi materiam habeant pro defectu sacramentorum ad schismaticos episcopos accedendi, eidem episcopo nostris damus literis in mandatis, vt catholicum eis episcopum illi nationi conformem prouida deliberatione constituat sibi, iuxta generalis statuta concilij vicarium in prædictis, qui ei per omnia sit obediens, & subiectus. *Et infra:*

* Vvalachi

39 Cum autem tu tanquam princeps catholicus ad commonitionem dilecti filij nostri Iacobi Prænestini electi tunc A.S.L. præstito iuramento promiseris te omnes inobedientes Rom. Ecclesiæ in terra tua ad obediendum eidem Ecclesiæ compulsurum, prout confectæ super hoc tuæ literæ continebant; ac eidem electo viua voce promiseris, quod præfatos Vvalachos compelleres ad recipiendum episcopum, quem eis Ecclesia ipsa concesserit, & assignasse sibi de redditibus tuis, quos ab eis percipis, sufficientes redditus & honestos, sicut idem electus nobis exposuit, regalem excellentiam rogamus, monemus, & hortamur attente, ac in remissionem tibi iniungimus peccatorum, quatenus cum te non deceat in regno tuo huiusmodi schismaticos sustinere, ac ea quæ promisisti Deo grata, & hominibus sint accepta, ne facias irrita quæ de tuis labijs tam laudabiliter processerunt, eaq; studeas efficaciter adimplere, ita quod ex hoc placeas Regi regum & nos sinceritatis tuæ zelum possimus dignis in Domino laudibus commendare. *Dat. Perusij XVIII. kal. decemb. pont. nostri an. VIII.*] Spoponderat prætereа sacramento Bela Rex legato Cardinali in Cumana prouincia ecclesiam exciraturum, bonisque ornaturum, nec tamen promissa mandarat operi, quem adeo vt promissis staret compleretque, Gregorius admonuit. a

Ad obsequium Rō. Eccl. adducat.

Condat ecclesiam in Cumania

a Ep. 282. Iusiurandum Belæ de Ecclesiæ hostibus profligandis.

40 Cæterum extat in libro censuum a nobis sæpius laudato forma iurisiurandi, quo Bela Rex catholicæ fidei hostes, & eos qui Rom. Ecclesiæ imperijs sese subducerent, e ditione sua vel extirpandos & ejiciendos, vel ad eiusdem Ecclesiæ obsequium compulsurum iureiurando est pollicitus: *Nos Bela Dei gratia Rex primogenitus domini Andrea Regis Vngaria illustris vniuersis præsentes literas inspecturis facimus manifestum, quod ad petitionem venerabilis patris domini Iacobi Penestrinensis electi A.S.L. in ipsius præsentia, & plurimorum aliorum iurauimus ad sancta Dei euangelia, quod de terris nostra iurisdictioni subiectis, & qua in futurum, dante Domino, subijcientur, vniuersos hæreticos & alios Christianos, qui relicta fide Christianitatis ad superstitionem Ismahelitarum, vel Iudaeorum peruertuntur, quocunque nomine censeantur, & fictos filios Christianos de terris nostris bona fide studebimus pro viribus extirpare, & eos qui Rom. Ecclesia in terra nostra sunt inobedientes iuxta ritum vniuscuiusque nationis, qui non sit contra fidem catholicam, compellemus obedire Rom. Ecclesia. In cuius rei testimonium præsentes literas nostri sigilli munimine iussimus roborari. Dat. Strigonia VII. kal. martij anno gratia MCCXXXIIII.*

41 Nauabat tum egregiam operam ad excindendos e Dalmatia hæreticos Belæ frater Colomanus Rex, cui b alijsque c sub eius signis in eo bello sacro certantibus Gregorius Papa apostolicam clientelam est pollicitus, atque ad cœpta vrgenda accendere est conatus d. Ad delendam denique hæreticam luem, quæ Sclauoniam infecerat, malaque ingentia, quæ in ijs regionibus excreuerant, extinguenda legatum apostolicum religiosi Chartusiani ordinis misit eaque de re ad Carniolæ, Istriæ, Dalmatiæ, Bosnæ, Croatiæ, Seruiæ, & aliarum prouinciarum finitimarum præsules literas misit e. Cumque Bosnensis episcopus aduersus hæreticos pro concione fulminaret, illius Pontifex eximium studium commendauit,

Colomanus in Dalmat. hæreticos insectatur.
b Eod. lib. ep. 252.
c Ep. 351.
d Ibid. ep. 255.
e Lib. 7. ep. 5. a.

conceſſitque, vt criminum reliquias contritis hominibus, qui ad eius conciones accederent, condonaret. a

a Ep. 256. Ductæ in Stedingh. crucesignatæ acies.

42 Decertabat eodem tempore in Germania aduersus hæreticos alios omnium deterrimos, Stedinghos nimirum, archiepiſcopus Bremenſis, qui Henrico Brabantiæ duce, ac Florentio comite Hollandiæ, aliiſque nobiliſſimis cruceſignatis ſuccinctus, nefarios dæmonum cultores bello feliciter profligauit. Rem geſtam narrat Albertus abbas Stadenſis, b qui ea tempeſtate in illis regionibus viguit: *Itaque Bremenſis archiepiſcopus, dux memoratus, & comes peregrinorumque non modica multitudo VI. kal. iul. die ſabbati proceſſerunt vnanimiter contra ipſos tanquam diuinæ potentiæ, & patientiæ abuſores, parati occumbere, vel ipſos cum eorum nefandis operibus, ad honorem & gloriam Ieſu Chriſti, & Eccleſiæ penitus abolere. Illi à conuerſo tanquam ferinis vberibus enutriti, ad hoc crudelius ſæuiebant, & in ſuo Aſmodei ponentes fiduciam, non diffidebant ſe poſſe reſiſtere potenti brachio Domini ſabaoth, & tantæ multitudini ſignatorum. Et miro & miſeranda pertinacia obſtinati, non ceſſabant adhuc claues Eccleſiæ ſceleſtis labiis turpiter blaſphemare.* nonnulliſque interiectis addit auctor:

b Stad. in chron. an. præced.

43 *Stedinghi, vt amentes effecti, et quadam inſania ventilati, non timuerunt ſignatorum multitudinem, nec ſpiritualem, nec materialem gladii poteſtatem, ſed ordinata quidem acie, inordinata autem mente, tanquam furibundi canes proceſſerunt obuiam peregrinis. Dux Brabantiæ, & comes Hollandiæ primo congreſſu peſtilentes illos ſuper agrum Oldeneſche, vbi conuenerant, viriliter inuaſerunt: ſed ipſi ſummo conamine ſe defenderunt. Statim comes de cliuo cum ſuis à latere irruens ſuper illos, ipſorum aciem diſſipauit. Clerus qui eminus aſtans rei exitum expectabat media via, & aliâ miſerationis carmine cum mœrore cecinit, & pro crucis victoria ſupplicabat. Nec mora illi inſipientes, & maligni euanuerunt in cogitationibus ſuis, quia ab exercitu Domini opprimuntur, haſtis perfoſſi, gladiis percuſſi, equorum pedibus conculcati, & ita manus Domini inualuit ſuper eos, vt in breui ſpatio eorum VI. millia interierint. Plurimi ex eis fuga præſidium poſtulantes, in proximo fouco, & in Vviſera ſe ſubmerſerunt; ſi qui euaſerunt, ſub cæli ventis quatuor ſunt diſperſi. Sic pertinacia eorum facta eſt coram ipſis in laqueum, & in retributionem, & in ſcandalum. Comes Henricus de Oldenborg ibidem cecidit, & cum eo perigrini aliqui circiter nouem: Sed comes Hollandiæ domum veniens in tornamento apud Nouimagium eſt occiſus.* Huius etiam victoriæ Pariſius b aliique meminere. Stedinghos porro qui ſuperfuere, ab Apoſtolica ſede abſolui poſtulaſſe pontificiæ litteræ anno inſequenti datæ patefaciunt c, quibus Gregorius archiepiſcopo Bremenſi impertiendæ iis, expiato rite crimine, abſolutionis poteſtatem facit.

Stedinghi ad ſex millia in prælio cæſi.

b Pariſ. hiſt. Angl.

c Extant inter priuil. Eccleſ. Bremenſis.

Cladi acceptæ ſuperſtites Stedinghi Eccleſiæ conciliari poſtulant.

44 Debellatis Stedinghis in Pruthenos infideles arma cruceſignatorum vertere facilius Gregorio fuit, vniuerſoſque fideles in caſtris Pruſſiæ agentes apoſtolicis litteris contra fidei hoſtes incendit, & earum regionum neophytos ad præcepta diuina religioſiſſime colenda d atque ad ſeruandam in aduerſis rebus bellicisque laboribus ſubeundis conſtantiam excitauit e: *Cum nihil nobis ſit animorum ſalute charius, nihilque pretioſius reputandum, eo quod animam ſuam pro illorum redemptione poſuerit Patris æternus Filius, natus de Virgine glorioſus, gaudiorum immenſitate perfundimur, quod idem qui tenebras cæci nati luminis claritate perfudit, ſuper vos, ſicut exultantes accepimus, ſuam illuſtrando faciem, dedit vobis agnoſcere fidei catholicæ puritatem; quæ cum proculdubio perducat ad cæli patriam, habentes in timore Domini perſeuerantiam expeditam, deuotionem veſtram rogamus, & obſecramus in Domino Ieſu Chriſto, in remiſſionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus penſata prudenter, quod quietis obtentu perpetuæ labor momentaneus ſit cum lætitia cuilibet aſſumendus, in obſeruantia mandatorum Dei viriliter perſiſtatis, ita quod nulli cedatis tentationis impulſui, per quam vel in modico poſſetis à ſtatu rectitudinis elongari, &c. Datum Spol. V. id. ſeptembris ann. VIII.*

d Ibid. ep. 232.

e Lib. 8. ep. 231.

Conuerſi in Pruthenos cruceſigna.

45 Ad confirmandos in ſuſcepta fide Chriſtiana eoſdem populos Vvillelmum epiſcopum Mutinenſem in eas regiones miſit, atque in eum legati apoſtolici in Liuonia, Pruſſia, Gothlandia, Vvinlandia, Eſtonia, Semigallia, Curlandia, aliiſque circumpoſitis continentis inſularumque prouinciis; antea epiſcopo Semigalliæ impoſitum munus transfudit a, inſtruxitque b auctoritate, vt epiſcopatus coniungere vel diuidere, præficere epiſcopos ac conſecrare, vel iam initiatos in alias eccleſias traducere poſſet. Scripſit verò de ea legatione Vvillelmo impoſita ad ſeptentrionalium plagarum fideles, quos honorifice epiſcopum ſuſcipere iuſſit c, qui Mutinenſi ſede relicta lucrandarum Chriſto animarum zelo accenſus obiecta omnia pericula penetrare, ſanguinemque profundere, ſi opus foret, paratus erat.

Vvillelm. ep. Mutin. in Pruſſiã legatus mittitur.

a Lib. 7. ep. 557.

b Ibid. ep. 555.

c Ep. 558.

Vniuerſis Chriſti fidelibus, per Liuoniam, Pruſſiam, Gothlandiam, Vvinlandiam, Eſtoniam, Semigalliam, Curlandiam, & cæteras neophytorum, & paganorum prouincias, & inſulas conſtitutis.

Quoniam, vt ait Apoſtolus: *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt, vel quomodo credent ei, quem non audierunt? aut quomodo audient ſine prædicante, & quomodo prædicabunt niſi mittantur?* ſuſcitauit olim Dominus ſpiritum venerabilis fratris noſtri Vvillelmi epiſcopi quondam Mutinenſis, qui de mandato ſedis Apoſtolicæ ad paganos illos accedens, qui circa regiones veſtras exiſtunt, non modicam multitudinem eorundem ad agnitionem veritatis adduxit, multorum in eis errorum generibus extirpatis, quibus ita miſeri tenebantur implici, vt cultum Chriſtiani nominis non habentes, omnem intentionem ſuam cultui tantum viſibilium applicarent. Verum idem epiſcopus eleuatis oculis, videns quod regiones veſtræ albæ ſunt iam ad meſſem, cum Ieſus Chriſtus Deus noſter, ſicut accipimus, ſuper gentem veſtram clementer reſpiciens oſtium eius ſaluationis dignatus ſit aperire, ac ad ſpirituales delicias, conuerſionem videlicet gentis eiuſdem, totis deſideriis, totiſque animi medullis ſuſpirans nobis, qui locum illius, licet immeriti, tenemus in terris, qui diſcipulis ſuis ait: *Rogate Dominum meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam*; cum multa precum inſtantia, & lacrymarum affluentia ſupplicauit, vt cum expertus curæ laborioſa certamina paſtoralis, quamquam poſſit dicere cum apoſtolo: *Bonum certamen certaui*; curſum cupiat perfectioris operis conſummare, vt ei corona iuſtitiæ de reliquo reponatur, ipſum epiſcopatu propter vos Mutinenſi dimiſſo, paratum pro vobis, ſi opus fuerit, etiam calicem bibere paſſionis, in meſſem Domini mittere dignaremur. Nos igitur pium eius, & ſanctum propoſitum in Domino commendantes, ac renouantes legationis officium, & vniuerſas litteras, & indulgentias venerabili fratri noſtro epiſcopo Semigallienſi conceſſas, eum ad euangelizandum gentibus nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, commiſſo ſibi plene legationis officio, ad partes ipſas prouidimus deſtinandum, vt auctore Domino, tanquam diligens cultor agri dominici euellat & deſtruat, diſſipet & diſperdat, ædificet & plantet, prout ſibi Dominus miniſtrabit. Monemus itaque vniuerſitatem veſtram, &c.] Hortatur,

ratur, vt eius imperijs pareant, ni fecerint, latas ab illo in rebelles sententias ab Apostolica sede ratas habitum iri. *Dat. Lat. ix. kal. mart. ann. vii.*

Valdemar. Rex Daniæ Lubecensem portum obstruit. 46 Gerebat tum Vualdemarus Daniæ Rex magno fidelium damno cum Lubecensibus bellum, portumque crucesignatis in Liuoniam contendentibus, mersis in illius faucibus nauibus, obstruxerat: quæ res cum neophytis cœlesti lauacro nuper expiatis magno detrimento esset, ab illis certior factus Gregorius, præposito, decano, & cantori Halberstadensibus Vualdemarum monere pontificio nomine iussit a, cœptis absisteret. Apertum vero a Lubecensibus portum fuisse scribit Crantzius b.

Arguitur a Pont. a Ep. 204. b Crantz. Dan. l. 7. ep. 20.

Rex Norvvegię ob exagitatū Amerensē ep. obiurgatur. In Norvvegia Amerensis episcopus adeo atrocibus iniurijs ab Rege est affectus, vt ad sedem Apostolicam confugere sit coactus, cuius arrepto patrocinio Gregorius, grauioribus litteris Regem, vt læso faceret satis, adducere nixus precibus imperijs conatus est, recensitisque iniustis episcopo damnis, vt in eius agro arcem extruxisset, quibusdam terris spoliasset, fidelium communione abactos tueretur, eius administris inferre necem molitus esset, aliaque patrasset facinora, hæc adiecit: c

c Greg. l. 8. ep. 264.

47 *Serenitatem regiam rogandam duximus attentius & monendam, quatenus dicto episcopo de damnis, & iniurijs debitam satisfactionem impendens, & a tuis faciens hominibus exhiberi, sibi ablata prædicta restituas, vt teneris; ac relaxato interdicto præfato de cætero ab eius molestatione desistas, & tuos homines desistere tradita tibi potestate compellas. Alioquin, quantumcunque tuam excellentiam diligamus, quantumcunque tuum affectemus commodum, & honorem, quia tamen deferre non possumus homini contra Deum, venerabili fratri nostro archiepiscopo, & dilectis filijs, archidiacono Lundensi, & abbati de Heruttado Lundensis diœcesis nostris damus litteris in mandatis, vt te ad id monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota prauia ratione compellant, brachij sæcularis auxilio ad hoc, si opus fuerit, nihilominus inuocato. Dat. Perusij iii. non. octob. pontificatus nostri ann. viii.*

Agnes Vvenceslai Regis soror virgo sacratam Deo vouet. 48 In Bohemia explicuit egregium virtutis exemplum Agnes soror Vvenceslai Regis eximijs moribus ornata virgo, quæ cœnobio nobili Pragæ condito, vt vitam religiosam ex instituto a S. Clara formula excoleret, se recepit, cuius consilium collaudanit Gregorius, atque Regis Bohemi, & episcopi Pragensis precibus adductus, illud monasterium in pontificiam fidem accepit, d ac Vvenceslai edictum in eos, qui monasterij res inuaderent, latum sua auctoritate corroborauit: e in quo videtur imitata regia virgo Elisabetham Reginam, de cuius ingentibus miraculis cum publicæ tabulæ confectæ essent, Gregorius Ildesemensi episcopo, vt eas ad se transmitteret, hoc anno iussit, f factamque Marputgensis xenodochij, in quo sacrum illius corpus seruabatur, Germanicis hospitalarijs S. Mariæ, donationem confirmauit. g Sed de his satis. iam e borealium regnorum rebus ad australes nos conuertamus.

d Lib. 8. ep. 308. 309. e Ibid. ep. 240. f Ep. 244. g Ep. 145.

49 Pugnatum acerrime est in Hispania cum Saracenis, partæque a fidelibus illustres victoriæ, quibus acceptis Gregorius, magno gaudio delibutus, gratijs ingentibus Deo actis, illos vehementius accendit h, vt Regi Lusitano grauissimum bellum aduersus crudelissimos fidei hostes paranti operam porrigerent: cunctis eo profecturis, eas se indulgentias elargiri, quæ a concilio œcumenico terræ sanctæ opem ferentibus tribuerentur.

h Lib. 8. ep. 372. Rex Lusitaniæ in Sarr. arma comparat.

Vniuersis Christi fidelibus, per regnum Portugalliæ constitutis.

Cupientes Christicolas ad Christi obsequium modis, quibus possumus, animare, quasi certa præmia ipsis gratanter offerimus, remissionem videlicet peccatorum, quæ super aurum, & topazion vniuersis, & singulis charior esse debet. Sane gaudemus in Domino, & in eius laudibus delectamur, quod in partibus Hispaniæ, prosequens causam suam, fugauit & fugat a facie fidelium Sarracenos, vt cultus diuini nominis amplietur, & tandem Ecclesia gentes hæreditet, & desertas inhabitet ciuitates: verum quia necesse est in partibus illis, quas iugem continuari succursum ad retinendas terras noniter acquisitas, & alias acquirendas, vt exercitatis in eo fit causa salutis æternæ, quod ipse considerans, charissimus in Christo filius noster Portugalliæ Rex illustris ad id, prout decet, magnifice se accingit, vniuersitatem vestram rogamus, & hortamur in Domino, adiurantes per dominum Iesum Christum, quatenus illuc vniuersi, & singuli succurratis, vt per hæc & alia bona, quæ Domino inspirante feceritis, incomparabilem vobis gloriam, & gratiam comparetis. Nos enim de omnipotentis &c. Ex illa quoque quam nobis, licet indignis, ligandi atque soluendi contulit potestatem, omnibus cum Rege prædicto, vel exercitu suo personaliter illuc proficiscentibus contra eos illam remissionem peccaminum indulgemus, quæ succurrentibus terræ sanctæ concessa est in concilio generali præsentibus post quatriennium minime valituris. *Dat. Perusij iii. octob.*]

Secunturis illuc signa proposita indulgentia.

50 Nec Lusitanus modo, verum Ferdinandus quoque Castellæ, ac Legionis Rex bello cum Saracenis certabat, ijsque profligatis plura loca recuperabat, vti rerum Hispanicarum scriptores, a ac sequentes Gregorij litteræ ad archiepiscopum Toletanum hoc anno datæ testantur: b *Misericors, & miserator Dominus; cuius miserationes super omnia opera sunt ipsius, misertus fidei Christianæ, quam a quibusdam partibus Hispaniæ Sarracenorum infidelitas, a longe retro temporibus exulare coegit, per ministerium, vt intelleximus, charissimi in Christo filij nostri illustris Regis Castellæ & Legionis, et claræ memoriæ patris sui, magnam partem regionis illius de manibus eripiens eorundem paganorum inde abominatione depulsa reduxit tandem, ad nomenis sui cultum innumera ibidem Christianorum multitudine introducta. Vt igitur gregi dominico non desit cura pastoris, sed potius per pastoralem sollicitudinem numero, & merito credentium populus augeatur, & Christi fides suscipiat incrementum, mandamus quatenus in ciuitatibus tua prouincia, quæ sedem episcopalem antiquitus habuerunt, & apta nunc esse noscuntur ad pontificalem honorem, studeas auctoritate nostra viros idoneos in episcopos promouere, sicut discretio tua viderit expedire. Dat. Reate vi. kal. iulij. pontif. nostri an. viii.* Cumque S. Iacobi militiæ fratres aduersus Sarracenos strenue decertarent, Pontifex Hispaniarum episcopis, cæterisque præsulibus præcepit, c ne eorum dignitati, bonisue aliquid damni imprimi paterentur.

a Lucæ Tuden. hist. Hisp. Rod. Tol. l. 9. c. 15. 16. b Mar. l. 13. c. 13. & ab. c Greg. l. 8. ep. 349. Arch. Tol. in expugnatis Sarrac. vrbibus ... Reges ... ficere episcopos.

c Ibid. l. 8. ep. 352.

51 Neque prætereimus tacitis, insertas Gregoriano regesto d ac libro censuum sequentes Regis litteras hoc anno ad Pontificem datas de reddendo castro Toraf, ac nomine Rom. Ecclesiæ ab equitibus factæ militiæ S. Iacobi tenendo.

d Ec. l. 8. ep. 374. Ferdinādi sacramentum de castro Toraf restituendo.

Sanctissimo patri, & domino Gregorio, diuina prouidentia sacrosanctæ Rom. Ecclesiæ summo Pontifici nono Ferdinandus Dei gratia Rex Castellæ & Toleti, Legionis & Galitiæ salutem, ob omnia tam debita, quam deuota.

Notum sit sanctitati vestræ, & omnibus alijs præsentem paginam inspecturis, quod ego Ferdinandus, Dei gratia Rex Castellæ & Toleti, Legionis & Galitiæ, recognosco & promitto, quod decedentibus fratribus

ribus meis domina Sanctia, & domina Dulcia, vel intrantibus religionem, aut nubentibus, seu recompensationem aliquam accipientibus, castrum Toras fratribus militiæ S. Iacobi in pristino statu nomine Ecclesiæ Rom. tenentibus libere restituam sub omni conditione. Confiteor &c. & recognosco, quod non fuit intentionis meæ, nec est per verba donationis, & concessionis posita in instrumento facto inter me, & sorores meas prædictas, super regno Legionensi aliquod sedi Apostolicæ matri meæ præiudicium generare, & ideo volo, quod illa verba in prædicto instrumento compositionis inter me, & sorores meas posita: Damna & concedimus, quantum ad hoc pro non appositis habeantur. Protestor tamen, quod per hoc nullum iuri regio præiudicium generetur, quod ei in prædicto castro competit, vel competere debet, & vt hoc scriptum firmum sit, & autenticum, meo sigillo ipsum munio, roboro, & confirmo. Facta est charta propria, & apud Regem expressa IV. *die octobris era* MCCLXXII.] Quoniam verò dictæ militiæ magister, sententiam anathematis ob id castrum alijs traditum contraxerat, Gregorius Regia postulatis annuens, absolui postea iussit a.

a Lib. 8 ep. 509.

52 Excessit e viuis VI. id. aprilis huius anni Sanctius Rex Nauarræ, a quo Iacobus Aragonum Rex in filium cooptatus fuerat. Celebrata mutuo ita fuerat ea adoptio, sancitaque arctissimo fœdere, vt qui prior obiret, alterum hæredem sceptri relinqueret, magno, vt ait Mariana, ludibrio, cum Iacobus ætate florens proleque auctus, alter morbo annisque grauis liberis careret, quæ tamen ratio excogitata excludendi regni successione Theobaldi optima tum visa est. At Theobaldus Campaniæ comes, e Blanca Sanctij sorore filius, ad quem regni successio iure spectabat, mox audita auunculi morte, in Nauarram pronolauit, regijsque insignibus Pompeiopoli est insignitus, in quem Aragoniæ Rex cum bellum meditaretur, ne discordia in aperta prælia erumperet, Gregorius b Calaguritano, & Caluatensi episcopis, ac duobus Cistercienfibus abbatibus, e Berola, & Oliua partes imposuit, pontificio nomine dissentientes Reges conciliarent: *Cum sicut nobis est pro certo relatum, inter charissimos in Christo filios nostros, Aragonum & Nauarra Reges illustres super regno Nauarra, quod idem Rex Aragonum ad se pertinere proponit, discordia materia sit exorta, & ex hoc maiora emergere guerrarum pericula formidentur, deuotionem vestram rogandam duximus attentius, & monendam per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus ob reuerentiam Apostolica sedis, & nostram personaliter ad præfatos Reges accedentes, ipsorum animos ad pacem reducere, & ortam inter eos discordiam, iuxta datam vobis a Domino prudentiam, amicabili studeatis compositione sopire, &c.* Addit si discordiam conciliare non potuerint, Regum voluntates Apostolicæ sedi significent, quo nascens malum comprimi possit: *Dat. Spolet. V. kal. sept. pont. nostri ann.* VIII. Ex quibus videtur Gregorius sua diligentia illud emergens bellum sustulisse, Regemque Aragonum ab infestanda Nauarra abduxisse.

Sanctij Regis Nauarræ mors.

Theobaldus nepos illi succedit.

b Lib. 8, post epist. 813.

Quo iure affectaret illud regnum Aragonensis Rex

Controuersiam sopire studet Greg.

IESV CHRISTI
Annus 1235.

GREGORII PP. IX. annus 9. FRIDERICI II. IMP. 16. BALDVINI II. IMP. 7.

Romani in Pontificem rebellionem mouent.

1 EXcitarunt ingentes seditionum motus, ineunte redempti humani generis anno millesimo ducentesimo trigesimo quinto indictione octaua, Romani, atque in fidissimos Ecclesiæ clientes, vt eos suæ subijcerent seruituti, atroces iras exercuerunt: inter quos Velletrenses sæuos eorum impetus ob egregiam in Pontificem seruatam fidem atque constantiam exceperunt, vt Gregorij ad ipsos datæ ostendunt litteræ, quibus de insolentia Romanorum questus est, acceptumque ex inflictis illis iniurijs dolorem conatus est delinire: *Amarissime clamare compellimur, quod cum quiescere crederemus, grauis & sæua perturbatio superuenit, quam cum facile prauisam potuerimus euitare, conatus contrarios reprimendo, forsan arguimur, quod adeo solitam Apostolica sedis patientiam obseruare voluimus, vt videamur alijs intolerabilis insolentia materiam præstitisse: Romani enim, crescentibus eorum iniquitatibus, quibus multiplicatis sanguis sanguinem tetigisse videtur, ad eam tyrannidem deuenerunt, vt ingrati beneficiorum innumerabilium, quibus est eos mater Ecclesia prosecuta, facti ei hostes, in capite dignoscantur, ad cuius desiderabilia manum mittentes, moliuntur eandem libertate, ac proprio patrimonio spoliare, filios suos perdere, ac fideles, illosque cum ipsa subijcere seruituti. Super quo tanto dolemus amplius & tristamur, quanto magis ex hoc attendimus periculum imminere, cum non solum Romana, sed etiam generalis Ecclesia concutiatur propter exempli perniciem in hac parte, pro eo quod hoc est in exemplar aliarum, & speculum constituta, &c.* Hortatur, vt in aduersis rebus generosos se præbeant, breui enim concitatam in ipsos illam procellam disiectum iri: *Dat. Perusij IV. ianuar. ann.* VIII. Alijsque litteris a eorum fortitudine, ac fide commendata, tum ipsos ac Viterbienses b, Tuscanenses c pluresque alios populos d sacramenti religione, si quo sese Romanis contra ius pontificium astrinxissent, liberauit. Ad coercendos demum rebelles constitutionem edidit, qua cautum, ne castrum vllum in Sabina Rom. Ecclesiæ vectigali e, nisi potestate a Pontifice facta, excitari posset. Atque, vt improborum audaciæ fræna inijceret, castrum, cui Gualdi nomen est, in Spoletano ducatu pretio ingenti comparauit, ac Radicofanum & Faliscorum montem arce firmissimis mœnibus, & propugnaculis cinxit. f

Velletrenses ob seruatam in Pontif. fidem exagitant.

a Lib. 8. ep. 392.

b Ibid. ep. 453.

c Ep. 468.

d Reg. post eand. ep.

e Extant in bullar. to. 1. in Greg. IX.

Radicof. & Falisc. mons magnis molibus firmata.

f Vit. Greg auth. anonym.

2 Tandem verò illa seditionum tempestas sedata est, deque pace agitari cœptum, ad quam conciliandam hæ leges ab Pontifice Romanis propositæ. Vt ob excitatum Montis alti castrum, postulatos obsides, fidei sacramenta ab indigenis extorta, certos limites impositos, adactos nonnullos Tuscos, ac Sabinos in verba præfectorum iustitiæ, inuasa Ecclesiæ eique obnoxiorum bona, lacessitum bello Raynerium Cardinalem, spoliatum Lateranense palatium, ac direptas quasdam Cardinalium domos, illatas ecclesijs nonnullis clades, atque ob editam sanctionem, ne Pontifex in Vrbem admitteretur, ni prius inflicta Romanis damna refudisset, sedi Apostolicæ satisfieret. Subiuncta sunt nonnulla alia postulata Ecclesiæ, quibus Romani annuere iubebantur, ne clerici, atque ij, qui e pontificia, vel Cardinalium familia essent, ad tribunal seculare raperentur, vllisue pœnis sistere se compellerentur: ne pariter, qui ad sedem Apostolicam, ad lustranda Apostolorum limina Romam accederent, ad iudicem secularem traherentur: nullum vectigal ecclesijs virisque ecclesiasticis siue in Vrbe, siue in agro infligerent: pacem cum Imperatore tum Anagninis, Signinis, Velletrensibus, Viterbiensibus, Campanis, & alijs, qui Pontificias partes fouissent, religiose colerent: qui e patrimonio forent, amplius ad capitolium non raperentur. His adijcitur, Ecclesiam profiteri aperte, si in patrimonio constitutos afflixerint, ipsam certissime ipsorum patrocinium suscepturam, inflictasque iniurias vindicaturam.

Agitatum de concordia Pont. inter & Rom. ineunda. Quæ leges a Greg. Romanis datæ.

3 Annuere pontificijs postulatis Romani, imperataque facturos se admisere: solemni enim ritu po-

Demisse a Romanis exceptæ.

pulus ad capitolium congregatus, tolerat iisque belli incommodis defessus, pacis propositas leges accepit, atque ita prætorem totius populi nomine sacramento se ad pacem colendam deuincire iussit: tum senator curiæq; proceres simili iureiurando sese obstrinxere. Cardinales ergo quorum opera res ad felicem statum perducta erat, gestæ rei seriem literis a Pontifici exposuere, precibusque summis ab eo contenderût, suis vetaret, ne Romanis côtra pacis leges molestiam vllam infligerent, eosue vlla ratione lacesserent, ne noua bellorum incendia erumperent, pacatique iam animi asperarentur; tum etiam, vt Romanos bello captos vinculis laxaret, perfectisque iam ex parte Romanorum omnibus ad pacem sanciendam necessarijs, graue dedecus Ecclesiam suscepturam, si in aliquo fidem violaret: quo porro omnis ab animis Romanorum abstergi suspicio possit, Ioannem Columnam Reate profectum, vt ibi pontificia imperia exciperat, & captiuos vinculis solutos Romam adducere patriæque restituere possit.

a Extant Greg. l. 9.

4 Extat quoque in eodem regesto nuncupati sacramenti forma b, quo Malabranca senator ad petita a Pontifice implenda, & capita pacis proposita religiose seruanda se obstrinxit, quam nobis annalibus nostris insinuare visum est: *In nomine Domini nostri Iesu Christi ad honorem omnipotentis Dei, & B. Mariæ semper Virginis, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum, & omnium sanctorum; ad honorem quoque sacrosancta Rom. Ecclesia matris nostra, & sanctissimi patris nostri domini Gregory Dei gratia summi Pontificis, nos Angelus Malabranca Dei gratia alma Vrbis illustris senator, decreto & auctoritate sacri senatus, mandato quoque & instanti acclamatione vniuersi populi Rom. ad sonum campana, & buccinarum publice, & plenissime in capitolio congregati, ad propositionem venerabilium patrum dominorum R.... Portuensis, & S. Ruffina episcopi I.. de Columna tit. S. Praxedis, & sancta Maria trans Tyberim presbyterorum Cardinalium super discordia inter sacrosanctam Rom. Ecclesiam matrem nostram & eundem sanctissimum patrem nostrum summum Pontificem, & senatum populumque Rom. exorta, nomine senatus & populi promittimus nos satisfacturos ad mandatum ipsius domini Papa super facto adificij, & obsidibus Montis alti, iuramentis exactis tempore senatus Luca de Sabellis, & terminis positis tempore senatus eiusdem in patrimonio, & terris fidelium Ecclesia. Et quia iustitiary in Sabiniam, & Tusciam tempore eiusdem senatus iuerunt ad exigenda iuramenta pradicta, & possessiones Ecclesia, & fidelium suorum occupandas, & super diffidatione domini Rainery S. Maria in Cosmedin venerabilis diaconi Card. & magistri Bartholomai notary, & super spoliatione sacri Lateranensis palaty, & occupatione ipsius, & super spoliatione domorum quorundam Cardinalium, & super priuilegys factis Rainucio, & alys Romanis pro eorum damnis, super bonis ecclesiarum Ostiensis, & Tusculana, & Penestrina episcopatuum, & aliarum ecclesiarum, & alys possessionibus, & terris fidelium in patrimonio B. Petri, & super statuto facto, vel priuilegys, quod Rom. Pontifex non reciperetur ad Vrbem, seu quod non faceremus pacem cum ipso, nisi prius restitueret quinque milia librarum, recepta mutuo super Roscha de Papa, & omnes expensas, & damna illata Romanis cuiuscumque conditionis, vel ordinis. Quas diffidationes & priuilegia supradicta auctoritate sacri senatus, & mandato populi euacuamus, & in irritum penitus reuocamus.*

b Ibid. l. 9.

Confirmata a Malabranca senat.

5 Vt autem inter nos, & S. Rom. Ecclesiam, & eundem sanctissimum, & reuerendissimum patrem nostrum, & successores ipsius de catero cesset materia quastionis, quem ob reuerentiam Iesu Christi, cuius vicem gerit in terris, & B. Petri Apostolorum principis, cuius successor existit, intendimus tanquam deuotissimi fily venerari, & totis viribus honorare; maxime quia honori, & fama huius alma, & inclyta Vrbis expedire videmus, auctoritate sacri senatus, consensu, & mandato ipsius populi ordinamus, sancimus, statuimus, & firmiter stabilimus, quod omnes clerici, & ecclesiastica persona, qui sunt in Vrbe & extra, & familia domini Papa & Cardinalium conueniantur tantum sub iudice ecclesiastico, nec ad secularem trahantur, nec ad hoc cogantur per fossiones domorum, aut alio compulsionis genere, nec aliqua occasione inquietentur. Quod autem dictum est de familys domini Papa & Cardinalium, non intelligimus de ciuibus Romanis laicis, qui habent domos & familias in Vrbe, licet familiares dicerentur, vel essent.

6 Item quod amodo nulli clerici, vel religiosi, vel laici cuiuscunque conditionis, vel ordinis, qui veniunt ad Apostolicam sedem, vel limina beatorum Petri & Pauli, in veniendo, morando, & redeundo trahantur ad iudicem secularem, nec aliquo modo cogantur, sed a senatore & senatu potius defendantur; & quod nulla collecta, vel exactio fiat ab aliquibus ecclesys, clericis, vel personis religiosis tam in Vrbe, quam extra. Restituimus praterea perpetuam pacem perpetuo seruandam domino Imperatori & suis. Item Anagniensibus, Signiensibus, Velletrensibus, Viterbiensibus, Campanis, Maritimanis, Sabinensibus, comiti Gulielmo, & omnibus alys hominibus de patrimonio, omnibus adiutoribus, & fautoribus Ecclesia. Pracipimus itaque, & prasente auctoritate sancimus, quod nullus senatorum, vnus vel plures, qui per tempora erunt, qualibet modo vel ingenio contra hoc nostrum priuilegium venire, vel facere prasumant. Si quis vero contra facere tentauerit, iram senatus grauiter incurrat & odium, & insuper soluere teneatur centum libras auri pro muris Vrbis, & pœna soluta hoc priuilegium semper firmum perduret. Adiecta quoque iurisiurandi forma, qua vrbani forensesue magistratus sese ad pacis conditiones obseruandas astrinxere: tum nonnulla senatoris decreta, quæ ad maius promissis seruandis capitibus, ac petitis ad Ecclesiæ libertatem, ecclesiasticorumque dignitatem spectantibus, addendum robur promulgauit: quæ cum a superioribus parum differant, prætermittere visum est.

Corroboratur sacramento ab alijs magistratibus.

7 Dum pacem hanc cum Romanis tractaret Pontifex, Fridericum, qui gerendi illius belli curam admiserat, turpissimeque, vt vidimus, cum Rispampani obsidionem soluit, deseruerat, certiorem fecit, cui ille defendendæ Ecclesiæ studium præ se ferens, hæc rescripsit a: *Licet multa rerum dispendia, & grauia damna passi fuerimus magnarum, & nobilium personarum, de quibus non potuimus non dolere, singula tamen credimus commode successisse, si rei exitus ad nutum vestrum, & fratrum vestrorum pacem, & honorem respiciat ecclesiastica libertatis. Nam si, quod absit, aliter sequeretur, & vestram exinde non prosequeremur voluntatem, tunc reputaremus incommodum geminatum. Quia verò defensionem Ecclesia solicitudini nostra placuit commisisse, paternitatis vestra prouidentia, ac fratrum duximus committendum; quod si pax ad honorem, & exaltationem Ecclesia prouenerit, vt optatur, quod in oculis vestris gratius fuerit, faciatis. Nec pro eo, quod necessitas ad remotiora prouocat iter nostrum, inclinetis ad pacem inutilem minus honorifice motus vestros, pro firmo gerentes, quod, etsi a prasenti itinere desistere non possimus, nihilominus per exhibitionem operis ostendemus, quod non dimittamus Ecclesiam indefensam.*

Incundæ pacis certiorem Fridericum reddit Gregor.

a Apud Greg. l. 9. ep 13.

Quæ responsa a Friderico.

8 Adornabat tum temporis Fridericus expeditionem in filium Henricum Regem, qui parenti Germanicum diadema eripere moliebatur, vti Albertus Stadensis b, fragmenti historici incertus auctor, alijque recentiores affirmant, ac Gregorij Papæ gesta litteræque restantur: quamobrem Pontifex contumacem principem censuris comprimere nisus, archiepiscopi Salisburgensis opera, anathematis sen-

Frid. in Germ. aduersus Henr. fil. expeditio.

b Stad. in chron. hoc ann.

c Frag. hist. auct. eod. ann.

ten-

tentia perculit a. Sed ad lucem his affundendam eius vitæ anonymum auctorem audiamus: *Prædictus interim Imperator contra Henricum eius filium, qui patris excluso dominio, regni Theutoniæ regebat habenas, disponens in Theutoniam proficisci, sedis Apostolicæ subsidium implorauit: sed pia mater ingratitudinis oblita prædictæ compassionis viscera resumens, filium, quem educauit infantem, defendit multo labore pupillum, & prouexit ad culmen Imperij iam adultum, ne planta tot culta sudoribus percuteretur vredine, sed manu subdita rigantis fructus afferret vberes, falsa licet opinione seruata, eidem contra filium & eius complices concessit apostolicas litteras iuxta petentis arbitrium, modum petitionis, & formam. Procedit itaque quasi nouus Ecclesiæ Romanæ legatus literis papalibus præmunitus, quarum censuram Theutoniæ principes tutores catholicæ fidei formidantes, patris resumpto dominio, de filij consortio recesserunt.*

a Greg. l. 9 ep. 132.

Fauet Frid. Gregorius

9 Extant apostolicæ litteræ b, quibus Gregorius episcopos cæterosque Imperij principes, rebellem filium, diuinæ legis immemorem, hostem naturæ, paternique amoris contemptorem, consilio aliaue ratione iuuare vetat, ipsisque vitio tribuit, tantum facinus permisisse tum hortatur effrænatum iuuenem cœptis auocare studeant: postremo iuramentum rescindere, quo sese illi aduersus Fridericum deuinxissent.

b Lib. 8. ep. 461.

Pro reuocandis ad officium Germanis laborat.

Archiepiscopis, episcopis cæterisque principibus, tam ecclesiasticis quam mundanis, per Imperium constitutis, præsentes litteras inspecturis.

Rem multiplici ratione placitam, & euidentibus indicijs fructuosam qui diligit, inuitus lædi patitur, & studiosus eandem opportuno tempore prætuetur. Hinc est quod cum charissimus in Christo filius noster Fredericus, ex eo nobis potissime dilectus, & diligendus existat, quod ad tuendum sacerdotium ipsum nouerimus a Domino deputatum; & quia deuotionem eius diuersis experti temporibus, illam feruentem in deuotione senserimus ecclesiasticæ libertatis, pati nolentes, sicut etiam nec debemus, quod a quoquã sibi aliqua inferatur iniuria, vel iactura, vniuersitatem vestram rogamus, & obsecramus in Domino Iesu Christo, quatenus prouida meditatione pensantes, quam indecens, & probrosum existat, vt patrem filius, seu quemquam benemeritum quisquam gratis offendere moliatur, dilecto filio Henrico nato Imperatoris eiusdem, qui tanquã nec visu, nec auditu perceperit, quę genitoribus a filijs reuerentia debeatur, diuinæ legis immemor, & affectionis humanæ contemptor, dicto Imperatori se petram opposuisse scãdali perhibetur, nullũ in concepta prosecutione nequitiæ præstetis consilium, auxilium, vel fauorem: sed ipsum potius, quem non absque graui nota procedere ad excessum tam detestabilis inconuenientiæ permisistis, quod velut a ratione dissonum, & actori iustitiæ penitus inimicum indigne gerimus, & omnimode reprobamus, de inuio discriminis prudenter & efficaciter ad rectitudinis semitam, sublato tarditatis obstaculo, reducatis; solerti studio procurantes, quod ab incepta temeritate desistens, quam vlterius protendi nolumus sed succidi, præsertim cum his potissime temporibus pro succursu Terræ sanctæ debeat in pace constitui vniuersitas fidelium nationum, festinus ad obtinendam patris benedictionem, & gratiam accingatur, impijs colligationibus, quas contra ipsum damnabiliter fecisse dignoscitur, dissolutis. Verum, vt quod petimus, eo facilius consequatur effectum, quo vacuis aliquorum exceptionibus non extiterit impeditum, omnes, qui contra iuramentum fidelitatis prædicto Imperatori præstitum, præfato nobili iuramentis præstitis adhæserunt, duximus absoluendos, illa irrita decernentes. *Dat. Perusij* III. *idus martij ann. VIII.*] Eademque die episcopo Ratisponensi curiæ imperialis sigilli præfecto mandauit a in Herbipolensem & Augustensem episcopos, ac Vualtuensem abbatem inquireret, quos fama erat Henrici Regis partibus implicitos, & si culpæ reos inueniret, apostolico pro imperio iniungeret, vt sedi Apostolicæ, intra duorum mensium spatium, se sisterent: eandem sententiam continent aliæ ad ipsum Ratisponensem, & Ildesemensem episcopos datæ b. De epistolis porro ab Rom. Pontifice aduersus Henricum, in gratiam Friderici ad Germaniæ principes missis nonnulli recentiores historici in hunc annum meminere.

Datæ eo argum. apost. lit.

a Reg. 8. pag 56.

b Lib. 9. ep. 232.

10 Cæterum profecto in Germaniam Friderico, cum vires suas Henricus paternis impares cerneret, velle se parenti submittere præ se tulit, receptusque a Friderico in gratiam est, vt Richardus c & Godefridus d docent, literæq; Gregorij ostendunt, quibus prædicto Ratisponensi imperialis sigilli præfecto Henricum, anathematis vinculis irretitum, ex canonum præscripto solueret, prouinciam iniunxit: *Cum nobilis vir Henricus natus charissimi in Christo filij nostri Friderici Romanorum Imperatoris, pro periurio, quod incurrit, se patri temere opponendo, sit per venerabilem fratrem nostrum Salzeburgensem archiepiscopum, auctoritate nostra, excommunicationis vinculo innodatus, præsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus eidem, cum sit ad ipsius Imperatoris gratiam iam reuersus, iuxta formam Ecclesiæ, beneficium absolutionis impendas, sufficienti ab eo prius cautione recepta, quod militibus Danis, ab obsequio Romanæ Ecclesiæ redeuntibus, nec non clericis accedentibus ad illam, & redeuntibus ab eadem, quos fecit bonis suis, non absque diuina, & Apostolicæ sedis iniuria spoliari, satisfaciat competenter. Dat. Perusij kal. augusti.*

b Naucl. in chron. Pandulph. collenut. hist. Neap. l. 4. Sigonius hist. de reg. Ital. l. 4.

c Rich. de S. Germ. in chron.

d Godef. in annal. hoc ann.

Greg. l. 9. ep. 172.

Henr. ad parentis obsequia se dimittit. Iubetur a Greg. censurarum religione solui.

11 Non ita Fridericus acceptam iniuriam filio remisit, siue enim impia in patrem consilia agitare cœpisset, siue sinistram sine causa de filio pater opinionem concepisset, siue alia de causa illum regno exuit, carcerique mancipandum in Italiam non apud Brutios, vti Stadensis e asserit, sed potius Apulos, vt affirmant Richardus f, & alij g, custodiendum misit, qua de re hæc in Gregorij gestis addita: *Quem tandem ad eius gremium, cum supplicatione veniæ, redeuntem non induit stola prima, non occidit vitulum saginatum, sed præscriptum in Apuliam, regionem longinquam, pater hoste crudelior custodiæ mancipauit.* Id vero anno sequenti ineunte contigisse testatur Richardus h MCCXXXVI. *mense ianuarij Imperator filium suum Henricum sub fida custodia, per marchionem Lanceæ mittit in regnum, & in Apulia in rocca, quæ dicitur S. Felix, seruandus traditur.* Vbi Henricum etiam anno proximo mortem oppetijsse legitur in fragmento incerti historici: nec defuere, qui neci a patre traditum existimarent, de quibus fusius laudati auctores i. In locum porro Henrici Fridericum alium filium, cui Conrado nomen erat, ad Germanici regni apicẽ postea extulit.

Conijcitur in carcerem a Frid.

e Stad. in chron.

f Rich. de S. Germ. in chron.

g Fragm. hist. incert. auctor. Naucler. loc. citato Pandulph. Collenut. & alij.

Relegatur in Apuliã.

h Rich. ib.

i Stadens. Godef. Matth. Paris. hist. Angl. Blong. chr. Frag. hist. incer. auct. Naucler. Pandulph. Sigonius, & alij recent.

12 Nec Germanos modo perduellionem Henrici secutos ad Friderici obsequium adducere studuit Pontifex, verum operam etiam omnem, vt Insubriæ tumultus sedaret, collocauit: eo enim spectabant pontificia consilia, vt pace inter clientes Imperij reuocata, arma in Sarracenos verterentur, qua de re ad Insubriæ, Flaminiæ, & marchiæ Taruisinæ præsules scripsit l, ac patriarcham Antiochenum, cui legati sedis Apostolicæ munus, ad extinguendam discordiam imposuerat, honorifice excipere, eiusque consilijs obsecundare iussit: *Ecce venerabilem fratrem nostrum, patriarcham Antiochenum, virum vtique prouidum, & discretum, quem ob sua deuotionis feruorem, & propriorum meritorum exigentiam nos, & fratres nostri charum habemus admodum*

Studet Pont. Longob. adducere ad pacem cum Imp.

l Eod. l. 9. ep. 73.

Antiochenum patr. legatum mittit ad Insubr.

& ac-

& acceptum, concesso sibi plene legationis officia, ad partes ipsas de fratrum nostrorum consilio prouidimus destinandam, vt euellat & destruat, ædificet & plantet, quæ destruenda & euellenda, ædificanda nouerit & plantanda. Monemus itaque vniuersitatem vestram attentius, & hortamur præcipienda mandantes, quatenus præfatum patriarcham, tanquam legatum Apostolicæ sedis, & magnum in Ecclesia Dei locum habentem, immo nos in ipso potius recipientes hilariter & honeste tractantes, eius salubribus monitis & mandatis intendatis, & obediatis humiliter ac deuote, statuta, quæ pro reformatione pacis, ac negotio fidei, conseruatione ecclesiasticæ libertatis, correctione morum, & salute animarum duxerit facienda, inuiolabiliter seruaturi, &c. Dat. Perusij XII. kal. iun. pont. nostri an. IX.

Vrget Fridericum controuersiam in suum arbitrium conferat.

a Ep. 169.

13 Instituit etiam, vt Fridericum ad concordiam flecteret, qui quamuis antea, vt dictum est, controuersiam Pontificis iudicio dirimendam permisisset, recrudescentibus nouis dissensionibus a cœptis resilierat: quare pontifex datis Perusij V. kal. aug. literis proceres, ecclesiasticos, ac laicos, & qui in imperiali aula auctoritate florebant, solicitauit a vrgerent Fridericum, vt quemadmodum coeperat totam controuersiam, in Pontificis arbitrium conferret: non enim expeditionem sacram aduersus infideles comparari posse, nisi mutua concordia populi coniuncti essent. Assensit Gregorio Imperator, ac ne res diutius traheretur, eam legem adiecit, vt controuersia proximo natalis Christi die, adiecta in compromisso triginta millium marcharum mulcta, dirimeretur; & si Insubres pontificiæ sententiæ stare respuerent, anathemate defigerentur, visum est Pontifici, ad componendam rem arduam, datum angustum tempus; ne tamen susceptæ prouinciæ deesset, patriarchæ Antiocheno iniunxit b, Insubres moneret, vt oratores ad permittendam ipsius Pontificis maximi iudicio controuersiam summa instructos auctoritate mitterent.

Assentitur Imp. sed tempus angustioribus terminis circumscribit.

b Ibid. ep. 237.

Longobardi nulli oratores idoneos citissime transmittere.

Gregorius, &c.

Mandamus quatenus præfigas rectoribus societatis eiusdem, ac ipsis Lombardis, pro termino kal. dec. proximo nunc futuras, in qua per syndicos, seu per procuratores sufficientes & idoneos, plenum mandatum habentes, ad ponendum totũ negotium sub præscripta forma in manu Ecclesiæ, & parẽdum super eo præcise mandatis nostris, & ad prorogandum ipsum terminum, si viderimus expedire, omni dilatione ac excusatione cessantibus, compareant coram nobis. Alioquin sibi poterunt imputare, si quod eis periculum exinde contigerit imminere. *Dat. Assisij VI. kal. octob. ann. IX.* Eodemque argumento Insubriæ fœderatarumque vrbium præfectis scripsit c: vt vero discordia in apertum bellum, frustra exortam flammam extinguere satagente Pontifice, erupit, sequenti anno dicetur.

c Ep. 256.

Dissentientes plures populos conciliare nititur Pont.

14 Ad conciliandos etiam mutuis in se odijs efferatos Flaminiæ, Piceni, ac Vmbriæ populos eiusdem patriarchæ opera vsus est Gregorius, vt literæ ad prætorem populumque Britenorensem edocent. Miserandas enim clades hinc Rauennates, Britenorij, Forolulienses, Ariminenses, ac Foripompiliani simul coniurati; inde Fauentini, Cæsenates, Vrbinates, Ceruienses, mutuo sibi inferebant, vt pluribus prosequitur Hieronymus Rubens d. Tum paternas curas applicuit e, vt subortam inter Assisinates ciues discordiam sedaret: quibus etiam nonnulla seruanda iniunxit, atque ad ea perficienda, coniectura est Gregorium Assisium se contulisse, vbi vltra mensem commoratum testantur eius epistolæ f. Præterea episcopum Prænestinum in Tusciæ prouinciam legatum misit g, quo Florentinos, Senenses, & Vrbeuetanos, perfidorum opera alienatos, in concordiam adduceret; cunctosque sedis

d Hist. Rauenn. l. 6. Sigon. de regn. Ital. l. 17.

e L. 6. 9. ep. 132.

f Ibid. ep. 221.

Ep. 254.

g Ep. 45.

Apostolicæ in Tuscia fideles monuit a, dissensiones ac bella emergentia compescerent, vnde damna ingentia ecclesijs inferrentur. Tum Rolandum subdiaconum, & capellanum suum, ad consilia, & fœdera in populorum Romanæ Ecclesiæ obnoxiorum perniciem, atque Apostolicæ sedis contemptum eruptura, dissoluenda incumbere iussit b. eodemque argumento Viterbiensibus literas misit c, ex quibus alijsque colligitur hæresim ibi pullulasse. d

a Ep. 178

b Ep. 179.

c Ep. 177.

d Ep. 192.

Hæresim Viterbij gliscẽt.

15 Cum vero serpsisse latius, ac prænobiles infecisse didicisset, mox eo ad eam ex agro dominico extirpandam radicitus accurrit, ac latam Romæ aliquot ante annis aduersus hæreticos sententiam renouauit e, quibus consentiunt ea, quæ eius vitæ auctor Viterbij gesta monumentis consignauit: *Ibi multos hæreticos, quorum vnus Ioannes Beneuenti Papa dicebatur, tum ex testium assertione fideli, tum ex confessione propria, populo assistente damnauit, & eorum domos, & turres de nobilioribus ciuitatis ipsius funditus faciens demoliri.* Denique ne qua mali labes in ea prouincia hæreret, Viterbiensem ac Tuscanensem episcopos, in diœcesibus suis, in eos inquirere iussit f. Priori vero & Radulpho ordinis sacri Prædicatorum hæreseos labe, & infamia aspersos Viterbienses, Tuscanenses, Ortanos, Balneoregienses, Castrenses, Suanenses, Ametinos, ac Narnienses, in gratiam Ecclesiæ recipiendi prouinciam imposuit g, episcopumque Ortanum ea in re ferre illi opem iussit h. Studio quoque episcopi Pataiuni in hæreticos inquirendi collaudato, vt in re suscepta perstaret, hortatus est i: parique zelo inflammauit l Parmenses religiosos equites Iesu Christi, qui ad excindendam hæresim cõtundendamque operam nauabant, atque in Apostolicæ sedis fidem & clientelam acceptos m, ac priuilegijs munitos n a Iordano sacræ Prædicatorum familiæ generali magistro, qui sanctitatis & doctrinæ fama tum florebat, ad pietatem institui præcepit. o

e Rusat in direct. inquisit.

Pontificiũ in ea extinguẽda studium.

f Eod. l. 9. ep. 191.

g Ibid. ep. 187.

h Ep. 188.

i Ep. 114.

l Ep. 64.

m Ep. 63.

n Ep. 66.

o Ep. 62.

Mantuan. ep. ab hæret. trucidatus.

16 Atqui iure merito Pontifex tantam operam ac diligentiam in hæresi extinguenda, excindendaque consumpsit, cum probe nosset, quantas calamitates in ciuitates ac populos inueheret. Testis est hoc anno infelix Mantua, quæ episcopum suum pietate conspicuum a nefarijs ac scelestis hominibus, hæreticorum fautoribus, vel hæreseos ignominiæ macula inquinatis, crudelissime obtruncatum luxit. Quo audito tristi nuntio Pontifex, vt similia imminentia facinora auerteret, ad Mantuanos literas scripsit p, quibus meritis pœnis commissi sceleris auctores, ac participes percutit, & consentaneas Mantuanis leges dixit, quo in posterum tantum flagitium, ac scelus in suos episcopos alij populi non modo tentare, sed ne cogitare quidem auderent.

p Eod. l. 9. ep. 97.

Gregorius, &c.

Cum nuper primo die rogationum episcopus ipse ad monasterium S. Andreæ Mantuanum accedens ingressus fuisset, capellanum monachorum pro reformatione ipsius monasterij tunc vacantis, superuenerunt antichristi satellites, a quibus fuit tam crudeliter interfectus, vt ex ipsa atrocitate sceleris, & sæuitia manifeste appareat, eos velut hæretica sorde infectos Ecclesiæ Dei, & catholicæ fidei voluisse iniuriam irrogare. Nam cum primo eius faciem gladijs impetissent, postmodum ambas manus ipsius Domino consecratas, cum in modum crucis brachia cancellasset, despecta Crucifixi reuerentia, impie amputantes, eundem quadraginta & pluribus sibi plagis impositis, quasi totum scindere præsumpserunt, saturari de morte & laniatione Christi Domini non valentes.

17 Porro licet ad clamorem sanguinis, tota ciuitate commota, quia iniquitatem cæli reuelant, & aduersus pestilentes terra consurgit, potestas ve-

stra,

stra ad hoc vindicandum negligens fuerit, & remissa, ex quo non leuem suspicionis notam noscitur incurrisse, vos tamen deplorantes & gementes miserabilem parentis occasum, & nimium exinde conturbati, zelo vos excitante diuino, insurrexistis vnanimiter per vos ipsos in parricidij vltionem, quamuis in personas, quæ aufugerant, se illis fauorabilem exhibente potestate prædicta, nequiueritis vindicare: propter quod, etsi ad tam grande malum noster expauerit animus, cor contremuerit, & aures tinnierint horribilitate peccati; exposita nobis tamen vestra deuotio, immensum dolorem, quem intulerat enormitas maleficij, in parte aliqua mitigauit, qui moti contra vos non immerito fuissemus, si aliter fecissetis.

Et quidem cum pro causis prædictis biberit episcopus memoratus calicem passionis, passus sacro die, & in loco sacro, videlicet in capitulo ipsius monasterij, pro cuius fide ac libertate certabat, & ibi mortem recipiens, vbi vitæ requirebat auctorem, patientis titulus concurrentibus singulis circumstantijs clarius enitescit; dum quasi nouus Zacharias est in templo pro fide, ac libertate Ecclesiæ immolatus, & nequissimorum amplius reuelatur nequitia, nomenque ipsorum sempiterno parricidialis reatus opprobrio maculatur.

18 Vt igitur magis vindicta, quam excessus memoria propagetur, cum lictores flagitiosissimi, & sceleratissimi parricidæ in acerba, & sæua nece parentis episcopi & pastoris contra se prouocauerint cælum & terram, & grauissime offenderint non solum Romanam Ecclesiam, a qua præfatus episcopus fuit ad Mantuanam assumptus, verum etiam nimis exacerbauerint Ecclesiam generalem, nos de fratrum nostrorum consilio, ac venerabilium fratrum patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum, & aliorum prælatorum, qui tunc erant apud sedem Apostolicam constituti, huius criminis patratores, tam Aduncaros, quam alios, necnon & illos, quorum ope, consilio, vel auxilio est commissum, publice candelis accensis denuntiauimus excommunicationis sententiæ subiacere, & loca, ad quæ deuenerint, quandiu ibi fuerint, supposita interdicto, statutis quibusdam contra prædictos, & omnes de Aduocatorum progenie promulgatis. inter quæ duximus statuendum, vt ijdem ab huiusmodi excommunicationis sententia non possint nisi per Ecclesiam Rom. absolui. Quod si eorum aliqui per aliam extiterint in mortis articulo absoluti, careant tamen ecclesiastica sepultura; & si forsan post absolutionis beneficium restituti fuerint sanitati, nisi statim ad sedem Apostolicam festinauerint pro suis meritis recepturi, vt videlicet cum pœnitentiali baculo pedites vltra mare, dum vixerint, circumeant loca sancta, implentes iniunctam sibi pœnitentiam cum gemitu, & dolore, relabantur in pristinam excommunicationis sententiam ipso iure.

Pro vlciscenda illius nece Greg. zelus.

19 Quia vero considerata excessus immanitate, nulla ipsorum pœna sufficeret ad vindictam, & sinceræ compassionis affectus in hoc a vobis exhibitus, ex quo apud Deum & sedem Apostolicam non modicum meruistis, firmam nobis præbet fiduciam de futuris, vniuersitatem vestram monemus, & obsecramus in Domino per Apostolica scripta mandantes, quatenus præfatos Aduocatos tanti reatus actores, & eos qui ad hoc dederunt consilium, auxilium, vel fauorem, ac ab ipsis recta linea descendentes bannitis de vestra ciuitate, diœcesi, ac districtu, ita quod aliquo ingenio per se, aut per alios ad eadem loca redire non possint: bona quoque publicetis sceleratorum ipsorum, de illis taliter disponentes, quod ad eos, vel eorum hæredes nulla valeant occasione reuerti, nec adhiberi patiamini circa ista fraudem aliquam siue dolum. Iurari etiam semper in mutatione rectoris in animabus vestris in concione publice facietis, quod præmissa omnia obseruabitis, & facietis firmiter obseruari, nec permittetis quidquam contra præmissa præsumi, vel aliquod eorundem, neque habebitis aliquem pro potestate, consule, vel rectore, qui huiusmodi non præstiterit iuramentum. Ad quæ omnia & singula obseruanda, in capitulari, seu in libro statutorum ciuitatis conscripta ibidem perpetuo remansura, quilibet rector ciuitatis vestræ iuramenti vinculo se astringet, & suum astringi faciet successorem, &c. *Dat. Perus. non. iun. ann. IX.*] Adijcitur in regesto, episcopo Mutinensi, ac præsulibus Insubriæ, marchiæ Taruisinæ, Romandiolæ, duci Venetorum, atque Imperatori Friderico scriptum ad comprimendam perditorum improbitatem: quinto vero id. iun. capitulo Mantuano eadem de re scripsit a, magno se dolore affectum ex episcopi nece, qui pro ecclesiastica libertate fideque tuenda mortem oppetierat. *a Eod. l. 9.*

Pœnæ in Curiensis epi. interfectores qui veniam a sed. Ap. postulant.

Simili zelo in Curiensis episcopi interfectores, temperata tamen seueritate clementia, animaduertit: cum enim sceleris horrore tacti ad sedem Apostolicam misericordiam imploraturi confugissent, ea lege absoluit, vt mare ad gerenda in Sarracenos arma traijcerent, darentque fidei pignora, proxima traiectione iter se arrepturos, neque vnquam ab ea, nisi venia a Pontifice data, discessuros: qua de re Cumanum episcopum certiorem fecit b, iussitque ni parerent, meritis pœnis, quæ parum ab ijs, quæ Mantuani episcopi interfectoribus inflictæ sunt, discrepant, afficere: *Tu eos & alios, quorum ope, consilio, vel auxilio tantum facinus est commissum, publice candelis accensis nunties excommunicationis sententiæ subiacere, nec nisi per sedem Apostolicam absoluendos; & loca, ad quæ deuenerint, quamdiu ibi fuerint, supposita interdicto. Dat. Perus. v. kal. aug. ann. IX.* *b Ibid. ep. 166.*

Iudæi ab iniusta oppressione vindicati.

20 Hic porro memoria celebrandum non prætermittemus Pontificem, ne vllo modo a iustitiæ tramite deflecteret, Iudæis iustis de causis ad eum confugientibus, benignum sese impertijsse; illorumque fletibus emollitum, petulantium hominum auaritiam, qui religionis prætextu, ac specie pietatis grauissima ipsis mala intulerant, coercuisse c; cum ad id prædecessorum exemplis Christianaque mansuetudine permoneretur. *c Eod. l. 9. ep. 42.*

Gregorius episcopus seruus seruorum Dei fidelibus Christianis salutem, & apostolicam benedictionem.

Sicut Iudæis non debet esse licentia in synagogis suis vltra quam permissum est lege præsumere, ita in ijs, quæ concessa sunt eis, nullum debent præiudicium sustinere. Nos ergo licet in sua magis velint duritia perdurare, quam prophetarum verba, & sacrarum scripturarum arcana cognoscere, atque ad Christianæ fidei, & salutis notitiam peruenire; quia tamen defensionem nostram, & auxilium postulant, & pietatis Christianæ mansuetudinem prædecessorum nostrorum felicis memoriæ Calixti, Eugenij, Alexandri, Clementis, Cælestini, Innocentij, & Honorij Romanorum Pontificum vestigijs inhærentes, ipsorum petitionem admittimus, eisque protectionis nostræ clypeum indulgemus. Statuimus etiam, vt nullus Christianus inuitos vel nolentes eos ad baptismum per violentiam venire compellat: sed si eorum quilibet sponte ad Christianos fidei causa confugerit, postquam voluntas eius fuerit patefacta, Christianus absque aliqua efficiatur calumnia: veram quippe Christianitatis fidem habere non creditur, qui ad Christianorum baptisma non spontaneus, sed inuitus cognoscitur peruenire. Nullus etiam Christianus eorum personas sine iudicio potestatis terræ vulnerare, aut occidere, vel suas illis pecunias auferre præsumat, aut bonas, quas hactenus in ea, in qua habitant, regione habuerunt, consuetudines immutare.

Præ-

Præterea in festiuitatum suarum celebratione quisque fustibus, vel lapidibus eos vllatenus non perturbet, neque aliquis ab eis coacta seruitia exigat, nisi ea, quæ ipsi præteritis facere temporibus consueuerunt. Ad hæc malorum hominum prauitati, & auaritiæ obuiantes, decernimus vt nemo cœmeterium Iudæorum mutilare, vel minuere audeat, siue obtentu pecuniæ corpora humata effodere. Si quis autem huius decreti tenore cognito temere, quod absit, contraire tentauerit, honoris & officij sui periculum patiatur, aut excommunicationis vltione plectatur, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit: eos autem duntaxat huius protectionis præsidio volumus communiri, qui nihil præsumpserint in subuersionem fidei Christianæ. *Dat. Perusij per manum fratris Ioseph ordinis Florensis domini Gregorij Papæ IX. notarij V. non. maij indictione VIII. incarnationis Dominicæ MCCXXXV. pontificatus eiusdem domini Gregorij Papæ an. IX.*]

Inepta calumnia Nouatorum. a Centur. 13. c. 15. col. 1283.

21 De his agit Matthæus Parisius subiectis verbis: *Eodem anno Iudæi priuilegium impetrauerunt a Pontifice Romano, ut a Regibus aut principibus pro exactione pecuniæ turpiter tractarentur, vel in carcerem traderentur.* Ex quibus nouatores a occasionem Pontificis calumnijs petendi, aspergendique aucupati, dum falso aiunt subornatum ipsum corruptumque pecunia Iudæos, Christianis principibus aduersantibus, clientela sua improbe rexisse, atque hoc anno priuilegijs per summum Christianæ religionis dedecus ornasse, & inter cætera concessisse, ne Christianis Regibus tributum penderent, ipsisque Christianos famulos ac nutrices domi tenere licitum esset. Quod quam falso Pontifici affictum, probant tot grauissimæ leges contra Iudæos Hispaniæ, atque Vngariæ latæ, de quibus suo loco diximus.

Conuincitur aperti mendacij.

B. Elisabeth SS. numero ritu solemni apposita. b Apud Canis. antiq. lect. to. 5. p. 219. c Iacob. Montan. apud Sur. to. 6 die 19 nouemb. d Greg. l. 9 ep. 91. extat etiam apud Bull. to. 1. con. Greg. IX. atq; apud Vvading. & alios. Edita ab ipsa insignia virtutum exempla.

22 Per hæc tempora B. Elisabeth Andreæ Regis Vngarorum filia, sanctitate ac miraculis toti orbi Christiano conspicua, in sanctorum catalogum ab Rom. Pontifice solemni ritu redacta est, vt Theodoricus Thuringius in eius gestis b, & eius vitæ auctor apud Surium c testantur, extantque ea de re Gregorij literæ d, quæ cum in lucem editæ sint, hæc modo decerpsisse suffecerit: *In confessione vera fidei vitaque dedita sanctitati, cælestis Regina diligendo filium, per quem dulcedinem consequi posset cælestium nuptiarum, ita dilexit & proximum, quod amœnum sibi constituens illorum familiarem habere præsentiam, quam eorum inimica corruptio cunctis suggerit effici peregrinam, se in multis sibi reddidit inopem, solicitam fore pauperibus multipliciter affluentem: quorum ab ætate tenera, tutrix esse desiderans, & amatrix, eo quod sciret perennis vitæ præmium dilectorum Deo acquiri meritis egenorum, adeo conditionem ipsorum gratam sibi constituit, quam naturaliter secularis elatio vilipendit, quod etiam inertis sibi delitijs, quas offerebat status excellentia coniugalis, deductis pluries in contemptum, corpus delicatum, & tenerum reddebat assidua parsimoniæ studio maceratum, tanto sibi meriti quantitate proficiens, quanto quod sponte geritur, maioris gratia præmio muneratur. Quid vltra? Quaque iura sanguinis in superna desiderium transferens voluptatis, & imperfectum quid æstimans, si tam viri destituta præsidio, sic residuum vitæ decurreret, quod se ad iugum obedientiæ, cuius sub lege posita maritali absque ipsius præiudicio amplexatrix extiterat, non arctaret, religionis habitum induit, sub quo Dominicæ passionis in se celebrare mysterium vsque in diem vltimum non omisit.* Et infra:

23 *De cuius stupenda & inexplicabili claritate procedit, quod illius spiritus in superni fulgoris abysso rutilat; & in huius profundo caliginis multis coruscat miraculis gloriosis, quorum virtute catholicæ fidei, spei, & charitatis augmenta proueniunt, perfidis via veritatis exponitur, & hæreticis confusionis multa materia cumulatur; dum stuporis turbine obuoluti, quod dicta sancta meritis, quæ dum carnis clausa carcere tenebatur, pauper spiritu, mitis mente, propria vel potius aliena peccata deplorans, iustitiam sitiens, misericordiæ dedita, munda corde, vere pacifica, attrita persecutionibus, & opprobrijs extitit lacessita; vita mortuis, lumen cæcis, auditus surdis, verbum mutis, & gressus claudis, cælesti dextera conferuntur, partes Theutoniæ spatiosas, quas mortis dogmate gestiebant inficere, in doctrina cælestis amplexibus cernunt multipliciter exultare. De huiusmodi quidem, & alijs eiusdem sanctæ miraculis, quæ mentis inspecta oculis vberiorem lætitiam proferunt, quasi diffusis distincta literis viderentur facta nobis per testes idoneos tanta plenitudine fidei, sicut debetur, & competit colenda per omnia veritati; nos quorum deposcit officium his continuis desudare studijs, per quæ augeatur gloria Redemptoris, dictam sanctam, quam sibi ad intuitum placuit suæ maiestatis assumere; de fratrum nostrorum consilio & assensu, ac venerabilium fratrum nostrorum patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum, & prælatorum omnium, qui tunc apud sedem Apostolicam existebant, sanctorum catalogo duximus adscribendam; vniuersitati vestræ per apostolica scripta districte præcipiendo mandantes, quatenus XIII. kal. decemb. die videlicet quo eadem mortis absoluta vinculis, victura perenniter, ad fontem superna prodijt voluptatis, festum eiusdem, prout miranda ipsius meritorum magnitudo exigit, celebretis & faciatis solemniter celebrari, &c. Dat. Perusij, kal. iun. ann. IX.*

Illustria patrata miracula.

24 Hæc Pontifex, qui etiã beata Elisabeth amplissimis laudibus cumulata, eius vitam præclaraque gesta, tanquam in speculum, ex quo vitam moresque fingeret, Beatrici Castellæ, Toleti, ac Legionis Reginæ inspectandum proposuit a: his in extrema epistola adscriptis: *Charissima igitur in Christo filia S. Elisabeth conuersationis exemplum propter duo posuimus coram te, quasi pretiosissimam margaritam: primum vt in hoc speculo sine macula frequenter aspicias, ne quid in angulis conscientia tua lateat, quod oculos diuinæ maiestatis offendat: secundo vt nihil deesse valeat ad ornatum, quod ad decorem sponsi cælestis exigitur, vt cum inuitata fuerit ad cubiculum Assueri; scilicet Regis æterni, appareas ornata virtutibus, & pietatis operibus decorata. Dat. Perusij VI. idus iun. pontif. nostri ann. IX.*

Excitatur ad eam imitandã a Greg. Regina Castellæ. a Greg. l. 9 ep. 120.

25 Vt vero sacrum eius corpus a Siffrido Maguntino antistite sublatum e terra, ad illustrandam eximiam ipsius in pauperes misericordiam diuinitus oleo manaret, ac Fridericus Imperator illi coronam micantem auro ac gemmis consecrarit, narrat Theodoricus; verum anno sequenti translatum solemni pompa Friderico præsente sacrum corpus anonymus auctor b de Lantgrauijs scribit: *Traslata sunt ossa de humili loco, ad locum magis venerandum eiusdem sanctæ Elisabeth, præsentibus archiepiscopis Maguntinensi, Coloniensi, Bremensi, & pluribus alijs episcopis, & prælatis; item præsentibus Friderico Imp. & Henrico Lantgrauio Thuringiæ & Hassiæ, & suo germano fratre Conrado magistro ordinis Theutonici, & matre eorundem Lantgrauiorum, scilicet domina Sophia, & Hermanno filio B. Elisabeth, & Sophia filia S. Elisabeth, & multis alijs.* Hæc auctor, qui tradit etiam Henricum Thuringiæ Lantgrauium, Gregorij Papæ iussu, templum beatæ Elisabeth, cui, dum inter mortales ageret, negotium exhibuerat, nomini sacrum erexisse docet. c

Translatio reliquiarũ S. Elisab. b Hist. Lantgr. c. 47. Pretiosissima corona illi a Frid. oblata. Erectum templum illius nomini ab Hen. Lantg a quo fuerat exagitata. c ib. c. 48. d Greg. l. 9 ep. 184. e ibid. ep. 215.

26 Præterea asciuit Gregorius in Apost. sedis clientelam d I. Reginam S. Elisabeth sororem atque Andreæ Regi eius parenti, dato diplomate e, soluendarum ecclesijs debitarum pecuniarum tempus prorogauit: *Cum ad mandatum venerabilis fratris nostri Prænestini episcopi tunc Apostolicæ sedis legati, pro*

Prorogatũ Andreæ tempus vt ecclesijs satisfaceret.

dannis illatis ecclesijs per compositionem, ad quam te iuramento præstito astrinxisti, annuatim promiseris vsque ad quinquennium duo millia marcarum argenti ecclesiis restituere memoratis; & redditibus tuis, sicut asseris, per regales munificentias assignatis, ex eis tribus partibus tuis filijs, & nepoti, sola vt creditur quarta tibi retenta, plurimum diminutis id facere nequeas, neque primo anno pro debitis, quæ necessario te oportuit pro defensione regni contrahere, satisfacere potuisses, suppliciter postulasti, vt necessitatibus tuis inspectis clementer super hoc agere dignaremur. Nos igitur tuis deuotis precibus inclinati, qui quantum cum Deo possumus, excellentiæ proponimus regali deferre, tibi vsque ad decennium, ita quod singulis annis mille marcas eisdem ecclesijs soluere tenearis, terminum duximus præfigendum, remittentes benigne quod ex defectu solutionis primi termini contraxisti. Dat. Perusij 11. kal. sept.

Marchionis Esten. filiam vxorem ducit. a Monach. Paduan. chr. l. 1. hoc ann. Iord. M.S. Vat. bibl. Ea relicta grauida moritur. a Bonfin. rer. Vngaric. decad. 2. l. 7. in fin. & Long. hist. Pol. lib. 6. hoc ann.

27 De Andrea prodit monachus Patauinus, a Beatricem Aldrenandini olim marchionis Estensis filiam, ab Azone marchione eius patruo ingenti & magnifico stipatam comitatu missam, ac matrimonio lasciuienti iuueniliter seni, Bela & Colomano Regis filijs rem ægre ferentibus, coniunctam: sed nuptias intempestiuas mors hoc eodem anno Andreæ sublato, vt tradunt a, confudit. Regina vero se grauidam relictam contestata, cum priuigni crudelitatem vereretur, sumpto virili habitu, delusisque custodibus, cum Friderici oratoribus in Germaniam fuga elapsa, filium Stephanum nomine enixa est, ex quo Andreas susceptus sceptrum Vngaricum, extincto Ladislao, corripuit, de quibus postea: Andream porro seniorem inclinante hoc anno obijsse pontificiæ etiam literæ b proximo ineunte datæ Belæ Vngariæ Regi satis indicant.

Sabin. ep. in Dania legatus missus. c Olaus hist. Goth. lib. 19. Poloni principes interse conciliati. d Greg. l. 9. ep. 133. 134. e ibid. ep. 126. f Io. Longin. Chron. & alij.

28 Denique hoc tempore episcopum Sabinensem, in Danorum regiones, ad obsoletos Christianorum mores emendandos, a Gregorio Papa legatum esse missum, ac synodum Scherungensem celebratam docet Olaus c Magnus. Quoniam vero borealibus in regionibus versatur oratio, prætereundum non est Gregorium, initam anno superiori inter Henricum Silesiæ, & Poloniæ duces de quadam ipsius Poloniæ parte concordiam, ratam stabilemque esse constituisse, vti data ad Henricum diplomata ostendunt d, cuius præterea filium redditis ipsi literis in Apostolicæ sedis clientelam fidemque accepit e. De dissidijs bellisque Henricum inter, & Conradum Poloniæ duces, deque pace composita fuse Polonicarum rerum scriptores. f

g Lib. 8. ep. 388. h ibid. ep. 387.

29 Conciliandæ inter principes Christianos concordiæ eodem studio, cum impenderet Angliæ Scotici belli metus, ad periculum discutiendum Pontifex animum conuertit: archiepiscopum enim Eboracensem, & Carledensem episcopum Scotiæ Regem literis monere iussit g, ne Henrici iura infringeret, pacemue initam labefactaret. Tum ipsum apostolicis literis sollicitauit h, ne quæ a Vuillelmo Rege Scotiæ cum Henrico seniore, & Ioanne Regibus conuenta fuerant, violaret: *Sane idem Rex*, nimirum Henricus Angliæ, *in nostra fecit nuper præsentia recitare, quod iam dudum inter claræ memoriæ Henricum auum, & Ioannem patrem suum ex parte vna, & Vu. Scotiæ Regem ex altera, compositio amicabilis intercessit, per quam ipse Vu. prædictis auo, & patri, ac eidem Regi, & tu patri, & sibi ligium homagium & fidelitatem fecisti, quæ tenentur successores tui, comites, barones Scotiæ ipsis de suis successoribus exhibere, ac comites & barones prædicti esse cum Regibus Angliæ contra Reges Scotiæ, si compositionem eandem forsitan non seruarent: quod si vnius homines fugerint ad regnum alterius metu criminum commissorum, ille ac homines sui eos in terra sua receptare non debent, et vtriusque Regis homines terras, quas in regno alterius ante compositionem habuerant, obtinebant: vnde idem Rex nobis humiliter supplicauit, vt præfatam compositionem apostolico dignaremur munimine roborare. Quocirca serenitatem regiam rogandam duximus propensius & hortandam, quatenus ad ea, quæ pacis sunt, intentionem tuam dirigens, & ea prudenter euitans, quæ ad scandalum vel discordiam pertinerent, prædictam compositionem, sicut prouide facta fuit, & ab vtraque parte sponte recepta, studeas obseruare; maxime cum dicatur paci & tranquillitati vtriusque regni plurimum expedire. Dat. Perusij 11. ianu. ann. VIII.* Recruduit sæpius hæc controuersia, num Scotia fiduciario iure ab Anglia penderet, bellaque atrocia, de quibus suis locis dicendum erit, exarsere. Cæterum Gregorius ad tuenda Henrici iura, quorum plura dissiparat, sacramentum, quo se ad ea nunquam repetenda astrinxerat, apostolica auctoritate, quod etiam annis superioribus præstiterat, dissoluit. a

a Lib. 9. ep. 123. & l. 10. ep. 370. b Par. hist. Angl. Agitatum de colloc. da Frid. matrimonium Henrici sorore. b Extant in M.S. biblioth. nostra. Pontifice intercessorem adhibet Frid.

30 Confirmasse res suas Henricum affinitate Imperatoris collocata illi in vxorem Isabella sorore scribit Parisius b, ad quod matrimonium conciliandum, pontificium fauorem in ea re deprecatum ostendunt ad Gregorium datæ anno superiori, cum iter in Germaniam ad Henricum comprimendum adornaret, litteræ c.

Sanctissimo in Christo patri domino Gregorio Dei gratia summo Pont. Fridericus salutem, & reuerentiam filialem.

Cum de latere nostro mittamus magistrum Petrum de vinea magnæ curiæ nostræ iudicem, & fidelem nostrum, ad charissimum amicum nostrum illustrem Regem Anglorum, pro consummatione matrimonij inter nos, & Regem eundem de Isabella sorore sua iuxta consilium paternitatis vestræ tractati, vt & in puellam tandem pro parte ac nomine nostro consentiat, & vt ipsam ad nos vna cum aliquo de prælatis Theutoniæ, quem ad hoc idem iudex de consilio venerabilis magistri domus hospitalis sanctæ Mariæ Theutonicorum in Hierusalem idoneum reputabit, omine felici deducat; ne in tam salubri proposito occasione dilationis alicuius posset forsitan aliquis interuenire defectus, dum ad nos per longam locorum distantiam non posset facilis haberi recursus; nos de paternitate vestra plena securitate confisi, negotium ipsum circumspectionis vestræ præsentibus duximus committendum, videlicet vt & quantitatem dotium promittendarum nobis a Rege præfato pro prædicta sorore sua vestra industria moderetur, & vt tempus etiam arbitremini, quo prædictæ dotes, vel ipsarum dotium pars nobis, aut certis nuncijs nostris remota difficultate qualibet exoluantur, si forte contingeret propter necessitates aliquas imminentes sæpedictum Regem ad præsens dotes statutas exoluere non valere: prænominatum autem negotium, tam de quantitate promittendarum dotium, quam de tempore soluendarum sic in totum, & libere prouisioni vestræ committimus, quod plene gratum, & ratum habere promittimus, quicquid super vestra paternitas duxerit statuendum. In cuius rei testimonium præsentes literas fieri, bulla aurea typario nostræ maiestatis impressa iussimus communiri. *Dat. Fogiæ IX. mensis decemb. indictione VIII.*]

Friderico votis respondet Gregorius.

31 Non potuisse Fridericum, nisi Pontifex intercessisset, votorum fieri compotem scribit Gregorij vitæ auctor, cum Henricus, vti sedis Apostolicæ stipendiarius princeps, illique addictissimus nutus pontificios sequeretur: *Vt per affinitatis annexum, funiculos extenderet longiores, fauorem Regis Angliæ per interuentum sedis Apostolicæ cum instantia postulauit, quod multis elaboratum studijs obtineri non poterat, nisi Rom. Ecclesia permittente, de cuius arbitrio Rex & regnum deuotionis proposito, & subiectionis conditione dependerit. Annuit voto petentis filij pater, credens*

ipsum

ipsum deuotiorem afficere pluribus largitionibus gratiarum, & literis concessis ad votum optatum permisit sibi coniugem copulari. Agunt de Isabella Henrici sorore magna pompa ad principem a Coloniensi archiepiscopo ducta eleganti cultu, quo ab Henrico regia magnificentia donata est, nuptijsque apud Vvormatiam celebratis Parisius a, Stadensis b, Godefridus c, Elnangensis chronici auctor, ac Richardus d, qui in eo errat, dum filiam Regis Angliæ vocat, ni forte Ioannem longe ante defunctum, non Henricum intelligi velit.

Nuptiæ Vvormatiæ celebratæ.

a Par. hist. Angl. b Stad. in chron. c Godef. in annal. d Rich. a S. Germ. & alij.

32 Eodem etiam anno Iacobi Regis Aragonum cum Ioele Andreæ Regis Vngariæ filia matrimonium a Pontifice approbatum, illique constituta dos confirmata e: meminitque Surita f ad id conciliandum Gregorium intercessisse, ac Violantam ex Regina eiusdem nominis Petri Antissiodorēsis Imperatoris Constantinopolitani filia susceptam appellat. Cæterum obtinuit a Pōtifice Alfonsus Iacobi & Elionore, cuius matrimonium auctoritate pontificia dirēptum fuerat, filius vt iustorum natalium dignitate ornaretur, quo sceptrum Aragonum e parentis manibus excipere posset; qua de re concessum illi est subiectum diploma g: *Ex parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, vt cum charissimus in Christo filius noster Aragonum Rex illustris te ex dilecta in Christo filia illustri Regina Alionora filia inclyte recordationis Regis Castellæ, a qua pro eo quod ipsam in gradu prohibito consanguinitatis attingit, per venerabilem fratrem nostrum episcopum Sabinensem separatus extitit, procreauit & sui regni te constituerit successorem, ne quis tibi genituræ defectum possit obijcere, super hoc tibi dignaremur misericorditer prouidere. Nos igitur credentes deuotionis affectum ab eodem Rege patre tuo, quem inter cæteros Reges, & principes Christianos specialis amoris prærogatiua complectimur, circa sedem Apostolicam habitum in te totum, & integre deriuari, eo quod super fontium conceßus origini nescit riuulus cursu perenni currentibus abnegari; de speciali gratia te legitimandum duximus, & tecum, vt non obstante tali defectu habearis legitimus, dispensamus, &c. Datum Perusij XII. kalendas may anno nono.*

e Greg. l. 8. ep. 185. & l. 9. & ep. 18. f Surit. l. 3. cap. 19.

Iacobus Rex Arag. Ioelem Vng. thoro sibi iungit. Alph. ex iniust. matrim. susceptus iustorum natalium dignitate auctus. g Lib. 9. ep. 28.

33 Disturbare in Aragonia improbi ac profligati homines publicam pacem, discordiasque grauissimo populorum & Ecclesiæ damno inferre nitebantur, ad quorum nefarios ausus extinguendos Gregorius apostolicas literas, ad electum Tarraconensem dedit h, quibus suffraganeos, abbates, aliosque præsules, ac populos ad seruandam pacem sacramento adigi iussit, cum maxime Iacobus Christianam fidem armis amplificare cogitaret: lacessiuerat enim Mauros eorumq; tyrannidē, ac iugum ab infelicibus tot populorum ceruicibus depellere generosa pietate incitatus meditabatur, atque adeo ne quis cœptis arduis auocaret, intentatum i est Christianis anathematis fulmen, qui sacro implicitum bello inuaderent. Tum Pontifex Tarraconensis prouinciæ fideles hortatus est l, crucem ad * Neuycæ insulam Maioricano regno adiacentem ab Sarracenis occupatam, recuperandam cum dicto electo capesserent, eamque crucesignatis peccatorum veniam proposuit, quæ antea Maioricæ laboranti opem ferentibus impertita fuisset.

Imminētes Aragoniæ seditiones repressæ. h Ib. ep. 34. i Ep. 35. l Ep. 36. * Yuicæ. Excitati fideles ad Balear. insul. minimam Sarracenis eripienda.

34 *Dilectus filius Tarraconensis electus feruens, sicut accepimus, & æstuans circa Christiani cultus augmentum, ac diligenter attendens quod ei, qui homini esse dedit, & tribuit vniuersa, ex omnibus viribus suis debeant seruire fideles, retribuendo sibi aliquid pro susceptis beneficijs ab eodem, quatenus ad regnum perueniant a constitutione mundi præparatum electis, & gloriæ suæ diuitijs, quæ semel possessa nunquam deserunt possessorem, percipere mereantur ad expugnandum Christi blasphemum, ad extirpandum veterem Iebusæum, & ad eruendam de manibus impiorum insulam Heuiza regno Maioricarum contiguam, cui ex ea grauia poterant pericula imminere, & quam prophanatis sanctuarijs detinent occupatam, assumpto in expensis proprijs huiusmodi negotio, potenter & viriliter se accingit, vt in eam eiectis ancillæ filijs, qui heredes esse cum filijs liberæ non merentur, populum acceptabilem Domino diuino comitatus auxilio introducat. Nos itaque qui cupimus sponsæ Christi tentoria dilatari, vt funiculos suos faciat longiores, eiusdem electi prudentia, & magnanimitate pensatis, propositum suum dignis in Domino laudibus, & fauore beneuolo prosequentes, vniuersitatem vestram monemus, &c.* Addit animos, vt Guillelmi electi signa in ea expeditione sequantur, ac præmia indulgentiarum proponit. *Dat. Perusij VIII. kal. may pontificatus nostri ann. IX.*

35 Fuisse hoc ipso anno electi Tarraconensis virtute expugnatam eam insulam Balearium minimam dictam Ebusum vel Yuicam scribit Surita a, ac Tarraconensi archiepiscopo obnoxiam cōstituram. Quo zelo Sarracenos domuerat & religionis cultum auxerat archiepiscopus, excindendæ hæresi incubuit, cui sedem Apostolicam consulenti b, quomodo cum pluribus hæreticis, in sua detectis diœcesi, atque in Ecclesiæ gratiam restitui admittique cupientibus sese gerere deberet, hæc respondit c Gregorius: *Satis tolerari potest, vt sic reuertentibus post abiuratam hæresim pœnitentia salutaris, prout magis vel minus culpæ qualitas postulat iniungatur;* addiditque d relapsos, quamuis noxæ pœniteret, perpetuo carceri mancipandos. Post hæc Gregorius Lusitanum Regem, qui ecclesijs ac viris ecclesiasticis grauiores molestias exhibebat, episcopi Salamanticensis aliorumque opera coercere studuit e. elapsoque mense episcopo Portugalensi, vt proceribus, & cæteris, qui ecclesias illas vexarent, absolutionem petētibus elargiretur permisit f; ac summo beneficij & gratiæ loco eidem episcopo concessum g est, vt nemo ipsum nisi facta ab sede Apostolica singulari potestate, defigere anathemate posset, cum maxime Romani Pontificis manibus sacris episcopalibus initiatus esset. Postremo, quod ad res Hispanicas attinet, illud etiam adijciemus, extare apostolicum diploma h ad magistrum ac religiosos viros domus S. Eulaliæ Barchinonensis exaratum, quo Gregorius regularem ordinem fratrum B. Mariæ de mercede redemptionis captiuorum approbasse, vt institutam a S. Augustino religiosæ vitæ formulam sequerentur; ipsa namque sacra familia liberandis e Sarracenorum seruitute Christianis se consacrat. cæterum ei condendæ occasionem dedere crebræ barbarorum Africæ excursiones, qui piraticam exercebant, ac fideles abducebant in seruitutem, cuius impatientes nonnulli a Christianis sacris desciscebant.

Tarracon. arch. virtute ea comparatur. a Surit. l. 3. cap. 20. b Ep. 425. c Ead. l. 9. ep. 38. d Ib. ep. 39. e Ep. 213. f Ep. 245. g Ep. 246. h Bullar. to. 1. in Greg. IX.

36 Cum de barbaris mentio inciderit, prætermittendum non est Gregorium a nonnullis Sarracenorum Regibus acceptis oratoribus, ac literis amplificandæ religionis studio occasionem aucupatū, ipsos ad Christi cultum pellicere conatum esse, ac Tunetano quidem Regi, qui se probe in rem Christianam affectum prætulerat, hæc rescripsit i: *Cum super ijs quæ fuerunt proposita, tractatus solemniter exigatur, dilectum filium, fratrem Ioannem ministrum ordinis Minorum de Barbaria, & fratrem eiusdem ordinis, quos benigne recipeas & pertractes, ad tuam præsentiam duximus destinandos, &c. Dat. Perusij id. may pontif. nostri an. IX.*

Rex Tunet. ad Greg. oratores mittit. i Ep. 53.

Per idem tempus Pontifex Guillelmum Montisferrarensem Prædicatorum familiæ religiosum virum cum alijs socijs ad iacienda inter incultas Sarracenorum terras euangelij semina misit. l

l Lib. 8. ep. 447. 448.

Sultani Iconij ad Pont. legatio.

37 Nec minus operæ collocauit, vt Alatinum, sultanum Iconij ad Christum adduceret, ad quem apostolicos se nuntios missurum est pollicitus. Huius vero barbari literas a afferendas ducimus, vt discant ab infideli & Sarraceno nouatores, quo honore atque obseruantia Rom. Pontificem prosequi debeant.

a Extant apud Greg. l. 8 ep. 443

Eiusdem honorific. ex lit.

Sanctissime, & angelis æqualis archiepiscope magna Romæ, & magne Papa omnium per orbem terrarum Christianorum, Alatinus magnus soldanus Icony, & potestas omnium terrarum per orientem, & septentrionalem plagam existentium, & magna Cappadociæ cum salute.

Notifico sanctitati tuæ, quod iam dudum disposueram vnum magnatem vassallum meum ad vestram mittere sanctitatem ad exponēdum vobis affectionem nostram, quam erga vestram gerimus sanctitatem, & ad tractandum inter ambos amicitiam & pacem, & ad disperdendum & destruendum inimicum: sed propter longam viam, guerrarumque discrimina, & quia non pauca regna adiacent inter vos & nos, non vidimus esse tutum aliquem magnatem hominem destinare, ne a malis & inuidis hominibus, qui sunt in medio, vassalli mei malum paterentur, & amitterem eosdem homines meos. Ac propter hoc ab anno tertiæ indictionis vsque ad præsentem diem instantis septimæ indictionis, vsque ad sex personas sub habitu monachali, tanquam humiles homines, qui votum habent, & accedunt de partibus istis adorandum limina S. Petri, & S. Iacobi, ad vestram sanctitatem direxi, ne forte cognoscerentur, & ab inimicis impedirentur. De ipsis autem duo reuersi sunt, reliqui vero quatuor quare non fuere reuersi nescio, & sicut reor, nec ipsi duo monachi, qui fuerunt reuersi, potuerunt exponere sanctitati vestræ nuntiationes meas, quas sanctitati vestræ mittebam, nec etiam literas reportauerunt mihi ad certitudinem.

38 Quamobrem necessarium duxi vnum magnum hominem meum fidelem mittere ad exponendum tibi voluntatem meam, meditansque in memetipso, atque considerans aliud non inueni ingenium, vt posset homo meus peruenire ad vos, nisi istum hominem meum, quem ad Imperatorem Theutonicorum Fridericum transmitto, vt ipse associato homine meo, homini suo, ipsum ad vestram sanctitatem transmittat. Nunc itaque mihi fidelissimum, & proprium soldaniæ potestatis meæ hominem Christianum, nomine Ioannem de Gabra, ad sanctitatem vestram cum literis meis, & quodam paruo negotio, quod esset occasio literarum ad fidem: sed prius quidem misi eum ad Imperatorem, & rogaui eundē, vt eum ordinatione sua ipsum ad vestram dirigat sanctitatem, & spero quod ipse non erit negligens, & pro eo quod ipsum ad Imperatorem direxi, nullam causam, vel nullum negotium in literis annotaui, sed totam voluntatem meam, & mandata mea eidem fideli meo Ioanni Gabra commisi, vt ipse viua voce sanctitati tuæ loquatur, & quidquid ipse vobis locutus fuerit, tanquam ab ore meo recipiatur a sanctitate vestra; ac præter literas istas habet etiam alias literas a nobis Syro sermone sub bulla similiter aurea sigillatas. Perlectis autem litteris, & auditis ab eodem, quamcumque voluntatem habuerit vestra sanctitas, mittat nuntium suum ad implendam voluntatem vtriusque partis. *Scriptum mense moy indict. VII.*

39 Interpellatum a barbaro Pontificem de conciliando inter se arctissimo fœdere ex oratione soldani nomine a Gabra ad Pontificem b porrecta constat: *Nuntiationes Ioannis Gabra nuntij soldani Icony. Ego Ioannes Gabra seruus & nuntius domini mei soldani Iconij adoro, & osculor vestigia sanctorum pedum sanctitatis tuæ, & notifico atque expono sanctitati tuæ ex parte domini mei ea, quæ mihi præcepit vobis oretenus exponenda. In primis vult idem dominus meus, vt habeat sanctitatem vestram amicam, sicut habet Theutonicorum dominum Fredericum cum cautione iuramenti, & vt mittas nuntium tuum ad eundem dominum meum, vt iuret idem dominus meus. Et si hoc factum fuerit inter vtrosque, paratus est idem dominus meus iuuare vos, & pugnare vobiscum ad recuperandum Hierusalem, & omnes terras, quas habuerunt Christiani in tempore Saladini; & quando volueris mittere ad eum nuntium tuum, paratus est idem dominus meus adimplere prædicta. Peto etiam ego prædictus Ioannes, vt quando nuntium vestrum miseris ad dominum meum, prædictas nuntiationes meas deferat in scriptis secum ad dominum meum ad maiorem cautelam & certitudinem.*

b Ibid. ep. 477. Tractat de medio cũ ipso fœdere.

De ferẽda Christianis subsidio pro recuperãda Syria.

40 Sensisse optime de Christiana fide Alatinus videtur, cum se Christianis aduersus Sarracenos coniungere cuperet, atque aperte insinuat Gregorij vitæ auctor his verbis: *Recepit ibidem*, nimirum Perusij, *soldani Iconij & Batbocij Græcorum principis honorabiles nuncios in suturæ subiectionis indicium pretiosa dona portantes, per quos tam ore quam litteris Christianæ religionis subire culturam, & redire ad vnitatem catholicæ Ecclesiæ postulabant. Cuius propositum*, soldani scilicet, *princeps ille sic catholicus*, de Vatacio schismatico videtur loqui, *impediuit salutis Ecclesiæ præmium in commodi temporale commutans, & culturæ Christi ritus præferens Machometi*. Pollicitum Rom. Pontifici Vatacium Græcos ad Rom. Ecclesiæ obsequium adducere, si nulla Constantinopolitanis auxilia submitteret, ex Pachymerio supra diximus, atque hoc ipsum ea legatione flagitasse probabile est, cum omnes impetus ad obruendos Latinos, qui erant in Græcia, conuerteret: sed Gregorium prudenter eam conditionem refellisse, ne Apostolicæ sedis studiosos desereret, & Græci Constantinopoli potiti ad perfidiam desciscerent. Deiectus spe sua Vatacius non retardatus est a tentanda, vt dicetur inferius, Constantinopoli; ipsiusque culpa sultanus Alatinus susceptum Latina sacra amplectendi consilium in opus non perduxit. Interea illo sultani Iconij felici nuncio delectatus Gregorius, ne apostolico deesset muneri, illum ad fidem Christianam suscipiendam prouocauit, legatosque Apostolicos transmissurum est pollicitus. a

a Eod. l. 8 ep. 478.

Nobili, & egregio principi soldano Iconij viam agnoscere veritatis.

Sultanus [illegible] ad amplect. fidē Christianam. Promittit illi Pont. legatos missurū.

Dilectum filium Ioannem Gabram Christianum virum sapientem, prouidum, & discretum nuntium tuum, & literas, quas nobis per ipsum dirigere curasti, lætanter recepimus & benigne; & tam eorum continentiam, quam ea quæ idem ex parte tua nobis exponere voluit, intelleximus diligenter. Sane deuotionem quam ad nos & ad Apostolicam sedem habere dignosceris, dignis in domino laudibus commendantes, nobilitati tuæ significatione præsentium intimamus, quod discretos nuntios, quam cito poterimus, ad magnitudinis tuæ præsentiam auctore Domino dirigemus, per quos super ijs, quæ significasti nobis, prudentiæ tuæ curabimus plenius respondere. *Dat. Perusij XIII. kal. aprilis pontificatus nostri anno VIII.*

Apostolicæ curæ pro dilatãda in Syria religione Acconen. & Templ. Friderico conciliare ... G...

41 Incendit igitur Gregorium maior recuperandæ Syriæ spes atque cupiditas, cum Sarracenus princeps ad submittendas aduersus alios Sarracenos auxiliares copias se offerret. Ne vero Christianorum Syrorum dissensiones, qui aduersus Fridericum consurrexerant, gerēdæ rei occasionem arriperent, Hospitalarios, Templarios, ac religiosos equites Theutonicos hortatus est, vt si Ioannes Ibellinus atque Acconenses, qui se illius partibus addixerant Tyrum

thamque regni Hierosolymitani arcem obsidione cingere molirentur, eorum conatus retardarent, eo enim sibi altiori animo insidere Friderici iura tueri, quo ab ijs oris remotior esset, ac discordia rei Christianæ exitium graue allatura timeretur: quo vero Ibelinum comprimeret, ardentibus literis a perstringit, tantæ fuisse temeritatis, vt Imperatorem adducta in discrimen Syria lacesseret, cum eo in gratiam Ecclesiæ restituto, in ipsius læsa dignitate pontificiam quoque maiestatem violatam arbitretur: desineret ergo Syriam bello turbare, quo maxime tempore Christiani ad eam leuandam sese strenue compararent, ni faciat, ecclesiasticis censuris defixum iri.

a Ibid. ep. 171.

42 *Nobili viro Ioanni de Ibelino spiritum consilij sanioris.*

Obiurgat Ibelinum res Syriacas infestare.

A diutina expectatione dependimus, si forte affectus tædio, quæ Deum offendunt & homines præsumendi, studetes efficere per quæ tibi, & alijs in Syriæ partibus constitutis, possint pacis, & quietis gaudia prouenire. Sed ecce contrarium mirantes audiuimus, & absque turbatione plurima narramus, quod cum charissimũ in Christo filium nostrum Fridericũ Romanorum Imperatorẽ diuersis olim iniurijs prouocare præsumpseris, vnde nihil aliud accidisse dignoscitur, nisi quod exinde status Syriæ cum detrimento multorum non modicum extitit conturbatus nunc peiora cumulando prioribus, populum Acconensem ab eius dominio & fidelitate seducens, illum ad obsidionem Tyri inducere niteris, quasi aliena vsurpare iura tibi fore licitum arbitreris. Verum cum processum huiusmodi eo minus tolerare possimus, quo fere nihil est magis cordi nostro contrarium, quam quod Terra sancta per incautelam fidelium patiatur aliquod detrimentum, nobilitatem tuam rogamus, & hortamur attente per apostolica tibi scripta præcipiendo mandantes, quatenus pensato prudenter, quod nobis in præfato Imperatore multa inferatur iniuria, si iuriũ suorum patiatur ab aliquo detrimenta; præsertim cum quidquid sibi prosperitatis adijcitur a nobis proprium reputetur, eo quod multæ deuotionis obsequijs se reddiderit Ecclesiæ gratiosum, ab omnibus, quæ ipsius honori contraria dignoscuntur, te post præsentium susceptionem auertere non postponas, &c. *Dat. Perusij v. kal. aug. an. IX.*

Quæ gesta a Theod. Rauenn. archiep. ea constituerat Ita.

43 Impositæ quidem antea partes fuerant Theodorico Rauennati archiepiscopo, vt Acconenses ad pacis a patriarcha Antiocheno conscriptæ seruandas leges adduceret, vel omnia in pristinũ statũ ante suborta inter ipsos & Richardum imperialis exercitus ducem versabantur, restitueret, censurisque eos, qui aduersarentur, percelleret. Quæ vero ille gesserit, describit Pontifex in literis ad Fridericum datis. b

b Ep. 230.

Gregorius, &c.

Antequam sibi de prædictæ pacis, quam dicti Acconenses probare volebant, forma constaret, nostri mandati ordine non seruato, celsitudinem tuam & nobilem virum Conradum natum tuum ad prædicta restituit, & quod ciues & syndici Acconenses præfato Richardo marescallo, tuo & eiusdem nati nomine, ac alijs bailiuis, quos ibi pro tempore duxeris statuendos in ordinatione castrorum & officialium, perceptione redditũum & omnium aliorum iurium, quæ in ipso regno ad Regem de antiqua & obtenta consuetudine spectare noscuntur, obediant; nec non ipsi ac nobiles regni eiusdem communiam dissoluant, campanam deponant, & amoueant consules & capitaneos, ab eis post ortam discordiam ordinatos, ac ipsius regni proprietatem ad dictum Conradum pertinere diffiniendo decreuerit, & eis suæ diffinitioni parere nolentibus in ciuitatem Acconensem interdicti, & in syndicos ciuium, & nobilium & maiorum consulum vniuersitatis Acconensis, ac eorum fautores, & consiliarios excommunicationis sententias promulgauit. Quod cum ad nostram notitiam peruenisset, nos attendentes quod cum ibi diuersorum rituum habitatores existant, de facili terræ illius homines ab Ecclesiæ Rom. ritu recedent, & per hoc inficerentur hæretica prauitate, ac ob id Terræ sanctæ, pro qua multorum catholicorum sanguine fuso Ecclesia Dei innumerabiles ferens angustias, labores nimios subijt ac expensas, grauia pericula imminerent, recepta ab ipsis Acconensibus cautione, quod nostris debeant parere mandatis, præfatum dumtaxat relaxauimus interdictum, ne tibi & dicto nato tuo damnum de regno prædicto modica hora contingeret, quod vix longi labor temporis restauraret.] Addit Pontifex Petrum e Vineis ac Pactensem electum ad se accessisse, institisseque ipsius nomine, vt quæ a Theoderico gesta erant, a sede Apostolica confirmarentur. Acconensium vero oratores controuersiam omnem pontificio arbitrio permisisse: sed cum imperiales nuntij pati ad id non valerent auctoritate, rei supersedisse; quare suam voluntatem quamprimum aperiret. *Dat. Assisij x. kal. octob. anno IX.*

Hortatur ad cócord Frid. cum Rege Cypri.

44 Alijsque literis a significauit, ad restituenda omnia in pristinum statum, astringendosque Acconenses paratum esse, vt cœptam reipublicæ formam dissoluant; sacramenta, quæ Friderici iuribus aduersentur, rescindant; magistratus amoueant, atque iterum nouo se iureiurando ipsi ac filio Conrado obligent, modo tamen veteres consuetudines reducantur: cum vero inter Richardum præfectum, & Acconenses capitales ardeant inimicitiæ, alios illi muneri admouendos videri; demum ad componendam inter ipsum Regemque Cypri discordiam adiecit: *Quia non bene posset præfati regni sedari turbatio, si regnum Cypri in discordia remaneret, excellentiam tuam rogamus, & monemus attente, quatenus huiusmodi negotium, vt vel charissimum in Christo filium nostrum illustrem Regem Cypri ad tuum facias redire mandatum, vel inter te ac ipsum treugas ad certum terminum statuamus, ne ex hoc impediatur Terra sancta subsidium, nostra ordinationi committas.*

a Ep. 231.

Cruce signatos tuetur.

45 Non minus graue conficiendæ expeditioni obstaculum improborum hominum auaritia afferebat, qui humani generis hostis impulsu, crucesignatorum bona diripiebant, ac pessundabant. Ad quorum scelus coercendum, comprimendamque hiantem cupiditatem, has Ecclesiæ præsulibus leges b præscripsit: *Vniuersitati vestræ mandamus, quatenus vniuersos crucesignatos & alios, qui susceperint signum crucis, quilibet vestrum in sua diœcesi & parrochia protegentes ab inquietationibus iniquorum, non permittatis eosdem ab aliquibus contra protectionis & constitutionis nostræ tenorem indebite molestari, molestatores huiusmodi compescendo. Ceterum si qui crucesignatorum ad præstandas vsuras iuramento teneantur astricti, aut si quisquam creditorum eos ad solutionem coegerit vsurarum, creditores ipsos, vt remittant ipsis tum iuramentum, & ab vsurarum exactione desistant, ac restituant sic extorta, censura simili compellatis, Iudæos ad remittendum vsuras per subtractionem communionis fidelium nihilominus compellentes. Iis vero, qui Iudæis debita soluere nequeunt, in præsenti vsque quo de ipsorum obitu, vel reditu certissime cognoscatur, vsurarum incommoda non incurrant, compulsis Iudæis prouentus pignorum, quos interim ipsi perceperint, in sortem deductis expensis necessarijs computare, &c. Dat. Perusij id. april. an. IX.* Eandem sententiam complectuntur ad Francorum Regem missæ literæ c. Verum cum episcopi tanto incommodo negligentius consulerent, eorum perstrinxit d ignauiam Pontifex, ac vetuit e etiam, ne quis Christianus in orientem solus proficisci fingeretur, sed coniungeret sese alijs,

b Ep. 23.

c Ibid. ep. 24. d Ibid. ep. 207. e Ep. 243.

alijs, cum exercitus traijcere appararent.

Encycl. Greg. lit. pro apparanda sacra in Ter. S. expeditione. a Ep. 81. & 344. 385. lord. M. S. Vat. bibl. b Ep. 135. & reg. post. sand. ep.

46 Quanto porrò arderet studio promouendæ diuinæ gloriæ, atque e manibus impiorum eripiendæ Gregorius, præter superiora illustrant litteræ a, quibus Christianam iuuentutem ad induendam crucem pro concione inflammari iussit, cum ad Rhemensem archiepiscopum, aliosque orbis præsules exaratæ b, quibus eos incitare populos monuit ad suas pro sacra expeditione conflanda opes, prout sua quemque moueret pietas, conferendas.

Archiepiscopo Rhemensi, & suffraganeis suis.

Exeamus ad Iesum, secundum Apostolum, extra castra, improperium eius portantes, vt videlicet ipsius opprobrium proprium reputemus, quasi nobis ipsis illatas sibi iniurias existimantes, vt sicut ipse defectus nostros nascendo sustinuit, & dolores moriendo portauit, dum nascendo minoratus est paulo minus ab Angelis, ac seipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudine hominum factus, & habitu inuentus vt homo; ac moriendo captus, tractus, vinctus, cæsus, illusus alapis, crucifixus, mortuus, lanceatus extitit & sepultus: sic quamquam non sit similitudo creaturæ ad creatorem, vt tamen aliquid saltem retribuamus ei pro omnibus, quæ retribuit ipse nobis, iniuria nos tangat ipsius, vt subueniamus paupeti Iesu Christo, ad releuandas contumelias, quibus ei a fidei nostræ hostibus exprobratur, insultantibus ipsis & dicentibus: *Si filius Dei es, saluum facias temetipsum*; si quid potes, libera terram natiuitatis tuæ de manibus nostris, & crucis cultoribus restitue crucem tuam. Certe ignominia est populo Christiano, quod ille Rex regum, qui fecit omnia, de propria sede pulsus, pro nostris facinoribus terram, quæ hæreditatis suæ funiculus est, amisit, in qua corporaliter visus est cum hominibus conuersatus, & in qua vniuersa redemptionis nostræ sacramenta patrauit. O quam anxie clamaret Apostolus hodie, si nunc in mundo maneret; *Exeamus ad Iesum extra castra improperium eius portantes*; forte diceret. Exeamus exemplo Abrahæ de terra, domibus, & cognatione nostra corporali & mystica, vt eamus in terram illam olim inclytam & Christi sanguine consecratam, vt expulsis exinde cum Dei adiutorio Amorrhæis, cum Iuda Machabæo montem Sion ascendamus mundare sancta & renouare, coronis ornantes aureis templum Domini Dei nostri.

47 Clamat etiam ipse Christus; *Qui vult*, inquit, *venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suã, & sequatur me*. Quasi dicat, bellum instat, aciem castrorum dispono; ergo qui meus est, me sequatur: Qui enim vult venire mecum ad gloriam, sequatur me ad pugnam, quia qui vult regnare, oportet compati quanquam non sint condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quam in nobis credimus reuelandam. Clamat nihilominus illa miserabilis Hierusalem mater nostra, quæ merito peccatorum nostrorum bibit de manu Domini calicem iræ eius, suas nobis exponens angustias, & in sui doloris remedium affectus a nobis expectans filiales, si forte tristemur cum ipsa, & doleamus, si eam diligimus, vicem eius. Quis enim est, qui non tam validis clamoribus excitatus, ad vindicandas Christi sui tam atroces iniurias se accingat? Nunquid non rei proditionis apud Filium Dei erimus, si ad eruendam terram de manibus impiorum ad eum ex Patris æterna donatione, qui gentes in hæreditatem, & in possessionem terræ terminos sibi dedit, ac matris de regali prosapia descendentem successoris hæreditate pertinentem non totis viribus laboremus? Non est quidem nouum, quod terra illa iudicio diuino percutitur; sed nec est insolitum, vt flagellata, & castigata, sanetur: nam poterat eam Dominus sola voluntate seruare, sed forsitan voluit experiri, & in notitiam ducere aliorum, si quis tangeretur eius iniuria, & ad ipsam vlciscendam se aliquis præpararet.

48 Licet autem ad recuperationem ipsius terræ multum laborauerit hactenus populus Christianus; licet multi principes orthodoxi assumpto crucis signaculo, vt hæreditatem Domini de manibus eruerent iniquorum, ad partes transfretauerint transmarinas; licet quamplures, quos in hostes zelus diuinæ legis armauerat, in manibus traditi persequentium, adhuc forsitan ferreis detineantur compedibus, & squallore carceris macerentur; licet non pauci faciente cum eis Domino signum in bonum, calicem gustauerint passionis, & martyrio fuerint coronati; nondum tamen exigentibus culpis populi Christiani, tantæ voluit Dominus miseriæ misereri, illo dante forsan occasionem, vel causam, quod etsi ad tempus circa hoc ferbuerit deuotio Christiana, in tempore tamen tepuit feruor eius, & sic non continuatis præsidijs, defectum passa est grauiter causa Christi. Cum igitur treugæ cum Sarracenis initæ modico sint tempore duraturæ, ne si quod absit, inuenitur Christiana professio imparata, verendum sit, quod non solum difficilis terræ recuperatio iam amissæ, verum etiam desperabilis retentio sit retentæ, cupientes acies dominicas instaurare, ac per continuata præsidia Christi negotio prouideri, de fratrum nostrorum consilio militiam Christianam in partibus transmarinis, quæ iugiter cõtra hostes fidei prælium Domini prælietur, ad minus vsque ad decem annos prouidimus instruendam, de fidelium eleemosynis subsidium continuum habituram. Vt autem quod intendimus, melius & efficacius impleatur; exemplo Apostoli, qui collectas faciebat in gentibus, vt mitteret illas fratribus egentibus in Hierusalem, sic super hoc duximus prouidendum, vt quilibet, qui Christiana professione censetur, tam masculus, quam fœmina, tam clericus, quam laicus, & tam subditus, quam prælatus conferat qualibet septimana saltem vnum denarium in hoc opus, per manus eorum, qui ad hoc electi fuerint, in subsidium eiusdem militiæ conuertendum; ijs dumtaxat exceptis, qui suscepto crucis charactere sunt illuc personaliter profecturi, &c. *Dat. Perusij x. kal. iul. an. ix.*]

Theobald. Rex Nauarr. se bello sacro deuouet.

49 Deuouere se bello sacro plerique principes, inter quos Theobaldus Nauarræ Rex & Campaniæ comes, in quo multa futuræ virtutis signa emicabant, prima armorum tyrocinia in Christi defendendo nomine consecrare statuit; sed cum nonnulli aduersus ipsum varias inirent coitiones, atque a suscepto consilio retardarent, Gregorius abbati de Irentio alijsq; prouinciam demandauit a, vt censuris nouarum rerum studiosos coercerent: *Tanto*, inquit, *gaudemus amplius, quanto credimus ex maiori deuotione procedere, vt in ætate adhuc tenera constitutus iuuentutis suæ primitias offerens Deo suo, ac non solum sua, sed seipsum abnegans propter Christum tulerit crucem eius, vt illius opprobrium, quod et a fidei nostræ hostibus exprobratur, possit, si ipse dederit, vindicare. Cum igitur sicut accepimus, quædam colligationes illicitæ contra eundem Regem in præiudicium iuris sui a quibusdam nobilibus tam terræ suæ quam alijs sint præsumptæ, ad quarum obseruationem se colligantes iuramenti vinculo se astrinxerunt, mandamus, &c.* Iubet ipsos tuendis Theobaldi iuribus incumbere, censurasque ea infringere molientibus incuti. *Dat. Viterbij ix. decemb. anno ix.*

a Ep. l. 9. ep. 300.

Nouam cum molientes cõprimi censuris iubet Greg.

Illum excitat ad ferendam imperio Constantinop. opẽ. b ib. post ep. 313.

50 Solicitauit b præterea Theobaldum Regem Gregorius Imperio Constantinopolitano in discrimen adducto opem afferret, cum eo a schismaticis interclusio non sine magna difficultate auxilia Terræ sanctæ transmitti possent; atque Herardum de Chatenay, & alios proceres Gallos, qui Ioannem aut Balduinum consanguinitate attingerent, impel-

le-

leret, vt abiecta omni mora, induta cruce, in auxilium Constantinopolis prouolarent. Iussus etiam Senonensis archiepiscopus parandis crucesignatorum copijs incumbere: sed cum ea auxilia segniora fore timerentur, Bulgaris, & Græcis cum nouis exercitibus imminentibus, Pontifex ex Vngaria eliciendα alia promptiora auxilia arbitratus, Strigoniensi & Colocensi archiepiscopis partes imposuit, vt Vngaros, qui se ferendo Terræ sanctæ subsidio astrinxerant, commutato ad Constantinopolitano Imperio ferendam opem voto, proficisci iuberent, ac plures ad induendam crucem in eo rerum discrimine excitarent. a

Plures alij principes arma capere iussi.

a Post ep. 313.

51 Pendebant tum extrema spe Constantinopolitanorum res, cum Ioannes Ducas a Latinis, qui in Asiam excurrerant, lacessitus percusso cum Asane Bulgarorum Rege armorum fœdere, magno exercitu comparato, Calliopolim inuasit: eaq; elatus victoria Constantinopolim infestis signis petijt, coniunctis eodem tempore copijs irrupit Asanes, ac obuija omnibus populatis eidem vrbi regiæ castra admouit. Quam formidandam hostium irruptionem Georgius Logotheta ita describit: *Ioannes Imperator*, is nimirum qui etiam Ducas, & Vatacius vocitabatur, *conductis copijs, vterque occiduam plagam, quæ Latinis seruiebat, excurrerunt, ingentique inde præda deportata, Scythicam solitudinem, vt prouerbio vtar, vniuersam effecerunt vrbibus ac regione, vt iureiurando conuenerant, sibi diuisis. Et Calliopolis quidem, cum ante aduentum Asani expugnata fuisset, sub Imperatoris potestate venit, simili ratione & Madytha, & omnis cui Cherroneso nomen est. Habebat præterea Imperator & Cissi castrum, & ad fluuium, qui Marytsa a multis vocatur, fines extendit. Potitus est ad hæc & monte Gano, in quo oppidum extruxit, cuius Nicolaum Coteritzem virum plurimis prælijs exercitum, in quibus adeo præstiterat, vt apud omnes illud vulgatum fuerit, neminem neque ante eum, neque post eum fuisse, qui tot ac tanta facinora vel attentarit felicius, vel prosperius gesserit, custodem misit, vt Latinis, qui in Tzurulo erant, negotia facesseret. Asanus dictorum locorum partes superiores, & quæ aquilonem respicerent, tenuit; & ad ipsos vsque Constantinopolis muros Ioanne Rege in illis assistente, & intuente vterque perueniens ingentem timorem Latinis iniecit, resque eorum in extremum discrimen deduxit. Porro cum autumnus præterijsset, ac hyems instaret, Ioannes Imperator atque Asanus cum inter se de gerendis rebus deliberassent, Asanus quidem domum reuertitur, Imperator in orientem transfertur.*

Contectæ in extrē. discrimina Constantinop. res. Ioannes Ducas & Asanes in gentē vastitatem inferunt.

Parta a Vatacio loca.

Constantinopolis ab eod. & Asane obsessa.

52 Hactenus Georgius ad efferendas Vatacij res, ac Latinorum deprimendas, illatas a Græcis clades descripsit. Turpissimam vero eorum fugam, ac partā diuina ope a Ioanne Brenensi victoriam silentio prætermittit. Integra igitur huius historiæ veritas e litteris pontificijs petenda est, quibus si victoriæ seportatæ de potentissimis hostibus magnitudo fidem detrahere alicui videatur, cum schismaticorum quadraginta instructa agmina a centum & sexaginta cataphractis equitibus fusa, ac dissipata audiet, meminerit antiqua pugnāte pro suis numine miracula; nec putet Rom. Pontificem Theobaldo, Belæ, Colomano, alijsque Regibus principibus antistibusque inania mendacia scribere b voluisse. Illum ergo in literis Vngariæ Regi datis, quæ paucis immutatis sententijs transmissæ ad plures fuere, hæc exponentem atque vt auxilia quantocyus submitteret, ne post victoriam sub hostium, qui colligebant nouas acies, potentia fatiscerent, exorantem audiamus.

Georgius ex nimio in suos studio egregie a Latinis gesta subticet.

b Lib. 9. ep. 313.

Belæ Regi Vngariæ illustri.

53 Sicut pro certo didicimus, Vatacius & Asanus schismatici nuper inter se iniquitatis inito fœdere, terram charissimi in Christo filij nostri Imperatoris illustris cum maxima Græcorum multitudine hostiliter inuadentes, & capientes Gallipolim, omnes habitatores ipsius crudeli gladio differētia sexus, vel ætatis non habita iugularunt: & deinde in forti manu Constantinopolim obsidentes, eam credebantur capere, nisi a Deo liberata fuisset desuper adiuuante. Nam idem Imperator attendens quod Domino, quo protegente contra quinque Reges Abraham victoriam habuit, & solus Ionathas de viginti Philisthæorum millibus eos interficiens triumphauit, non est difficile, vt saluet in multitudine vel in paucis, centum & sexaginta militibus tantum sociatus contra dictos Græcos cum quadraginta & octo aciebus procedentes ad bellum certamē aggrediens aduersus eos triumphum obtinuit, & ipsorum alios ensi deuorandos exposuit, alijs solis tribus aciebus fuga præsidio liberatis, carceri mancipauit: quando necdum ab huiusmodi reuerso victoria viginti quatuor naues hostium dictam Constantinopolim applicantes, vt eam caperent, rapinis ac incendio deuastarent, Constantinopolitanorum ciuium manibus Dominus tradidit: sed aliquos ex hominibus in eis morantibus, fuga velox intercipi, & propinquum receptaculum non permisit.

Illustres Ioannis Reg. Hier. de schismaticis partæ victoriæ. Vatacium & Asanem cū exigua equitum manu profligat.

Hostium classem capit.

54 Dicti vero Vatacius & Asanus, noui robur exercitus instaurantes, spem nihilominus de triumpho conciperunt, & de nouo ciuitate Constantinopolitana obsessa, se ad debellandum eundem Imperatorem iterato, cum infinitis armatorum millibus accinxerunt: propter quod a nobis extitit cum instantia postulatum, vt ad succursum Constantinopolitani Imperij apostolicæ dignaremur prouisionis auxilium impartiri. Nos igitur attendentes, quod ipsius conseruatio Imperij specialiter pertinet ad promotionem subsidij Terræ sanctæ, de qua non nisi per partes Romaniæ liber reditus peregrinorum habetur, & si, quod absit, dictum Imperium dominio Græcorum, qui magis Latinos odiūt quam pagani, subijcitur, de facili eiusdem terræ dissidium sequeretur; celsitudinem regiam monendam duximus attente, & hortandam, quatenus cum eo leuius & citius præfato Imperio per homines Vngariæ subueniri valeat, quo ei viciniores existunt ob reuerentiam Iesu Christi, Apostolicæ sedis, & nostram, sicut animæ tuæ salutem desideras, ad subueniendum præfato Imperio regium studeas auxilium & consilium impartiri, ita quod exinde supernæ gloriæ merearis particeps effici, & per tui auxilij interuentum dictum valeat Imperium liberari, spe tibi proposita, quod dum in Imperio eodem terræ subuenis memoratæ, duplicatum remunerationis diuinæ præmium reportabis. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia, & ea quam nobis in beatis Apostolis Petro & Paulo concessit auctoritate confisi, illam eis, qui in eiusdem Imperij succursum accesserint, concedimus veniam peccatorum, quam habituri forent, si prædictæ Terræ sanctæ personaliter subuenirent. *Dat. Viterbij XVI. kal. Ianuar.*] Eodemque argumento ad archiepiscopos Strigoniensem & Colocensem, Vngarosque missis literis a, monuit vt citissime ad maturum ferendum auxilium prouolarent.

Nouū bellum in Latinos apparant schismatici.

Rogat Belam Reg. Gregorius auxilium Lat. procurrat.

a Reg. ep. post cand. ep.

IESV CHRISTI
Annus 1236.

GREGORII PP. IX. annus 10. | FRIDERICI II. IMP. 17. BALDVINI II. IMP. 8.

1 INiecta est a Friderico Insubribus anno Christianæ salutis trigesimo sexto supra millesimum ducentesimum indictione nona funesti, ac luctuosi belli fax, quæ tam atrox incendium excitauit, vt pluribus

Impendēs Longobardicum bellum sopire nititur Gregorius

ribus annis extingui nõ potuerit. Cuius periculi terrorem imminere cum videret Gregorius, ac sacram expeditionem, quam aduersus Sarracenos indixerat dissoluendam, curas omnes defixit, vt Insubres ac Fridericum mutuo concordiæ fœdere conciliaret. Permiserant illi quidem sedi Apost. dirimendam controuersiã, sed varijs iniectis difficultatibus hactenus apostolicam solicitudinem eluserant; extremoque superiori anno Imperator compromissum nonnullis conditionibus deuinxerat, vt facile res perduci ad exitum non posset: quare ab illo contendit a Gregorius, appositas eas literis leges remoueret, nec faciles ijs aures daret, qui vt ex dissensionibus ad se vtilitatem aliquam deriuarent, nouis ipsum bellis implicare conarentur, perfectaque eare facilius apparatum bellicum in Sarracenos adornari posse: iam plures Reges ac populos ea de causa positis mutuis odijs ad bellum sacrum suscipiendum strenue sese accinxisse: nec par esse, vt dictas orbi Christiano induciarum leges infringat, quæ flagitante ipso ex patriarcharum trium consilio promulgatæ fuerant.

a Greg. l. 10 ep. 1.

Præmonet Fridericũ ne implicari se illo sinat.

2 *Excellentiam tuam rogandam duximus attentius & hortandam, quatenus prudenter aduertens, quod ad instantiam tuam de consilio fratrum nostrorum patriarcharum trium, & prælatorum omnium, qui erant apud sedem Apostolicam constituti, negotium Terræ sanctæ, quod ad te post sedem Apostolicam noscitur specialiter pertinere, duximus assumendum, prouidentes vt orbis terræ discordes ad treugam, vel concordiam cogerentur, & quod iam ad hoc aliqui ex magnis terræ principibus sunt compulsi; quinimmo Reges aliqui, multi nobiles, & potentes crucis signaculum per Dei gratiam receperunt; præfatum magistrum H.. ne dictæ terræ negotiũ, quod ad vtilitatem Ecclesiæ, Imperij, ac totius populi Christiani noscitur ordinatum, quod absit, valeat impediri, cum pleno mandato de compromittendo super promissis præcise in manibus nostris sine mora dispendio studeas destinare, sciturus quod si contra Lombardos, maxime cum se præcise in manibus Ecclesiæ posuerint, hoc potissimũ tempore procedere molireris, tantam exempli perniciem alijs tribuenda, per quam præsumi possit a pluribus, quod cæteros Ecclesiæ fefellisset, id pati æquanimiter eandem Ecclesiam non deceret; præsertim cum super negotio, in quo de tanta gloria Redemptoris agitur, acceptio personarum haberi non debeat, nec aliquid nos deceat perpeti, per quod processus eiusdem posset aliquatenus impediri. Diligenter enim considerare te conuenit, quod illi qui excellentiæ tuæ contraria consulunt, ad ea te nituntur inducere, per quod te illis laboribus inuoluto, de quibus de facili nequeas expediri, vtilitates suas fortius valeant procurare. Dat. Viterbij xii. kal. april. anno 10.*

Alios Reges induciæ promulgatas seruare.

Plures copias cruce signatas conscribi.

Longobardos compromisisse in Pont.

Respuit Frid. pacis consilia.

3 At Imperator Insubrium fœderatarumque vrbium iniurias amplius se ferre non posse Gregorio literis significauit; atque adeo enixe precibus contendere, si pacis Imperio honestas ac vtiles leges accipere recusarent, sibi aduersus eos bellum comparanti auxilio esset. Quibus acceptis Pontifex monuit a, caueret ne Italiam armatus peteret, Insubresque lacesseret bello, cum nondum induciæ ad sacram expeditionem adornandam illis permissæ effluxissent; rem omnem ad sedis Apostolicæ arbitrium reuocaret: illam ex æquo inter eos exortas controuersias cõpositurã, de quibus Parisius b. Rescripsisse vero Fridericum refert cum alijs Sigonius c Italiam sui esse iuris ac dominij, atque adeo suæ dignitatis esse rebelles edomare, hæresim late in Insubria grassari, suisque eam armis præfocandam: Sarracenis expugnandis suas opes pares non esse, denique Insubria se illius diuitias, ac vires in hostes crucifixi conuersurum.

a Auct. anonym. vit. Greg.

b Apud Paris. hist. Angl. hoc ann.

c Sigon. l. 18.

Italia hæreditas est mea, & hoc notum est toti orbi. Anhelare ad aliena, nimirũ Sarracenorum terras amplificandæ religionis causa inuadere, *& propria relinquere ambitiosum esset & enorme, præsertim cum Italicorum, præsertim Mediolanensium me iniurijs lacessiuit insolentia, in nullo mihi debitam exhibens reuerentiam. Præterea Christianus sum, & qualiscunque seruus indignus Christi, accinctus ad Crucis inimicos debellandos. Cum igitur tot hæreses non tantum pullulent, immo siluescant in Italia, & iam zizania segetes incipiant suffocare per ciuitates Italicas, præcipue Mediolanensium, transire ad Sarracenos hostiliter expugnandos, & illos incorrectos pertransire, esset vulnus infixo ferro fomentis superficialibus delinire, & cicatricem deformem, non medelam procurare. Item solus sum & homo sum, nec ad tantum laborem sufficio, vt inimicos Crucis sine magno comitatu adeam debellaturus incredulos, qui tot sunt & tam fortes, expugnando. Iterum cum sine thesauris magnis ad tam arduum negotium consurgere per me non sufficiam, opes eiusdem terræ in opem, & vltionem Crucifixi conuertere destinaui. abundat equidem Italia armis, equis, & opibus, hoc terra nouit vniuersa.*

Totius Insubriæ dominationi inhiat.

4 Ex quibus Friderici animum totius Italiæ dominationi auide inhiantem, ac varijs coloribus prætextibusque pietatis ardentem ambitionem, ac superbiam tegentem conspicere est. Quæ porro Fridericus altiore animo, ac secretiori pectore gereret, epistola ad amicum exarata a aperuit, reliquæ nimirum Italiæ iugum imponere, suæque subijcere potestati ambitiosumque consilium colorare egregie putabat, si diceret Italiæ demum totius, Germaniæ, Siciliæ, Syriæque viribus accinctum Sarracenos facile euersurum.

a Apud Sigon. ibid.

Fridericus, &c.

Nos voluntati Dominicæ dispositi ea perficere in votis gerimus, per quæ Ecclesia eradicatis zizanijs salubriter gubernetur, sic vt quemadmodum ab oriẽtali zona regnũ Hierosolymitanum Conradi charissimi filij nostri materna successio, ac demum regnum Siciliæ præclara maternæ nostræ successionis hæreditas, & præpotens Germaniæ principatus pacatis vndique populis sub deuotione nostri nominis perseuerat, sic illud Italiæ medium nostris vndique viribus conculcatum ad nostræ serenitatis obsequia, & Imperij redeat vnitatem: neque in hoc prouidere tantummodo commodis intendimus, sed in hoc crucis negotium directissime procuratur. Dein rebellibus nostris circa partes Italiæ in gremium nostræ gratiæ reuocatis discordias multorum nobilium desiderato fine præcidimus, qui vota sua in aduentu huiusmodi suspenderunt, ne crucis signaculo præsignitos Christiani cruoris effusio, licet iusta, ob debitum & honorem Imperij, & regni Siciliæ macularet. Ad hæc igitur procuranda, æstate præsente personaliter cum principibus nostris intrare condiximus Lombardiam, vt eradicata in Italia hæretica prauitate, iura Imperij reformemus ibidem, & pacem discordiarum schismatibus fatigatam instauremus, & quibuslibet passis iniuriam sine acceptione personarum iustitiæ copiam ministremus, vt ad expiandum inimicorum fidei peculiare flagitium in partibus transmarinis de communi transmontanorum, & Italicorum consilio votis communibus vnanimiter aspiremus. Ad quod non solum vtilitas, sed ipsa necessitas instanter inuitat, cum treugarum finis, quas nos in ipsis partibus existentes iniuimus cum Soldano, fere in gremijs habeatur. Quare de nostrorum consilio principum apud Parmam solemnem curiam duximus indicendam, ad quam ab vrbe citra omnes vrbium Italiæ nuntios inuitamus, vbi quamplures nobiscum principes nostros habebimus, & legatos omnium regum occidentalium; vt si tanta rebellium fuerit proteruitas, vt nec ad Deum, nec ad decus Imperij & Ecclesiæ velint habere respectum, tam celebris tribunalis

Ambitionem amico aperit.

Quibus coloribus eã subornaret.

nalis in eos materialis gladius exeratur. Addit se viro principi daturum prouinciam, vt redeuntes ad officium in gratiam recipiat: solicitet ipse Bergomensium, Vercellensium, Alexandrinorum, Brixianorum, Laudensiumque præfectos, vt oratores ad solemnem illum ordinum conuentum mittant: se die sacro S. Ioanni Baptistæ aquilas Augusta moturum, atque in S. Iacobi subsequenti festo comitia celebraturum.

5 Voluebat iam animo Fridericus Insubres ad obsequium frangere: cumque Germaniæ imperium sibi asseruisset, Anglorumque amicitiam asciuisset, oblatam tandem occasionem existimauit, qua prouinciam florentissimam viris, ac refertam opibus adipisceretur, vt prosequitur vitæ Gregorij auctor, his verbis: *Sic igitur Ecclesia magnificatus auxilio, iam vltricem manum conuertere cogitans in Lombardos, quos iura sibi longis subtraxisse temporibus, ac atroces acce(i)sse causas iniuria causabatur, Lombardiam intrauit contra sedis Apostolicæ consilium. & mandatum. Sed prius vires viribus prudenter examinans, eos per Apostolicæ sedis oraculum obtinuit admoneri; quorum nuncij cum legatis principis ad Christi vicarium cum instrumentis de rato transmissis, in eius tandem arbitrio cum adiectione pœna per monumenta publica extitit compromissum: licet finem non ceperit examinatum iudicium tergiuersatione partium calumnias ingerente. Qui tandem petijt in Lombardiam sedis Apostolicæ destinari legatum, cuius iudicio celerius subarta quæstio finiretur. Ad quod venerabilis pater episcopus Prænestinus, cui præter illa omnia, quæ Pontificis conditioni debentur, & hæc quæ regularis adiecit disciplina, zelus fidei, rectitudo iustitiæ, ac feruor libertatis Ecclesiæ suffragantur, cum plena legationis officio destinatur.*

Iacobus Prænest. ep. ad conciliandam concordiã missus.

6 Is erat Iacobus ex abbate Cisterciensi trium fontium vrbis in Cardinalium numerum adscitus, vt suis locis ex Gregorij actis inseruimus, quem Friderico, vt virum integerrimum, cui certissime committere res suas, ac fidere posset, commendauit a. *Cum olim ad nostram notitiam peruenisset, quod in Lombardiam processus suos imperialis celsitudo dirigeret, nos illum, qui sola Deo placita efficere, ac omni personarum acceptione remota pacem desideraret & concordiam promouere, illuc dirigere cupientes, venerabilem fratrem nostrum episcopum Prænestinum ad partes Lombardiæ de fratrum nostrorum consilio prouidimus destinandum: de quo firmam potes fiduciam gerere, quod cum a se sua & suos propter Deum abdicauerit, & semetipsum eius seruitio totaliter dedicarit, ad ea dumtaxat studebit procedere, quibus honorem Ecclesiæ possit ac Imperij conseruare, sicut ex ipsius operibus colligere poteris euidenter: & si quid aliud suggerant, imperialis excellentia auditum maleuolis interdicat, &c.* Addit, vt Hermannum Germanorum equitum Hosp. magistrum, quem vt accederet, inuitauit b ad ea quæ ad Ecclesiam, & Imperium spectant, tractanda transmittat. *Dat. Interamne iv. id. iun. an. x.*

a Greg. l. 10. ep. 103

Commẽdatur a Gregorio.

b Ib. ep. 16 & 104.

7 Ac ne ad conciliandam pacem aliquid prætermitteret, archiepiscopos Mediolanensem, Rauennatem, & suffraganeos episcopos suis literis monuit c, vt omnes vires suas ad eam sanciendam conuerterent. Cumque falsus rumor obtrectatorum linguis late diffusus, Gregorium in ea re artibus & coloribus vti, atque aduersus Imperatorem suffusum maleuolentia animum gerere ad ipsius Pontificis aures perlatus esset, ad eam obterendam famam, plurimum de obtrectatoribus questus, dictis archiepiscopis præsulibusque significauit, quam sincera beneuolaque mente Friderico semper studuisset, insinuarent. ad episcopum etiam Card. Prænestinum legatum suum, ac præsules alios literas dedit d, quibus ipsos, vt sedem Apostolicam aduersus sparsos maleuolorum susurros defenderent, præcepit, aspersamq; illi calumniam confutarent. Ea porro calumnia illata Gregorio fuisse videtur, quam Parisius odio & inuidia in Romanos Pontifices affert, atque exaggerat, ipsum nimirum apostolicum patrocinium aduersus Imperatorem Mediolanensibus, ac reliquis Insubribus pollicitum fuisse.

Iussi Longobardiæ præsules conficiendæ paci incumbere.

c Ibid. ep. 194.

d Ep. 195. 196. 197. 198.

8 Cæterum episcopum Prænestinum A. S. L. non ea, qua par erat, benignitate habuit Fridericus: virum enim sacerdotali constantia præditum cum suas in partes, & consilia ambitiosa pertrahere non posset despexit, contumelijsque ac minis exceptum a se facessere iussit a: *Quem, cum nollet a via regia declinare, occasione * concepta quod inter Placentinos ciues pacem firmauerat, sicut ex officij debito tenebatur, graui suspicione notatum, audire contempsit, eundem contumelijs atque comminationibus prosecutus.* Illum porro suis partibus in ea re pro dignitate perfunctum ex apostolicis literis b constat, quibus nonis aprilis huius anni adducendæ inter eos concordiæ omnisque dissensionis materiæ radicitus euellendæ Asculano episcopo prouincia data erat, ac Placentini c illius dictis & consilijs obtemperare iussi. Ingrata vero ea res fuit Friderico, qui dissentientes opprimendi occasionem sibi porrectam arbitrabatur, literasq; ad Pontificẽ querelis in Iacobum Prænestinum refertas, quibus etiam præstiti Insubribus aduersus Imperium Romanum fauoris notam sedi Ap. asperserat, scripsit d. quibus lectis Gregorius obiecta legato diluit, studijque erga Insubres suspicionem amouit.

A Friderico repulsam patitur legatus.

a Vita Greg. auct.

* accepta

b Lib. 10. ep. 7. 8. & 10.

c Ib. ep. 9. 11. 13.

Ob Placentinos ad mutuã concordiã adductos illius odiũ incurrerat

d Ep. 253.

Gregorius, &c. Frederico Imp.

Cum ad exemplum mediatoris Dei & hominum, qui vt pacem inter Deum & hominem reformaret, non est formam suscipere dedignatus humanam, scissuras schismatis ad integritatem reducere vnitatis sedes Apostolica teneatur, nostræ, quo Deo & homini astringimur, seruitutis officium in Lombardia pro sedanda Imperij & Lombardorum discordia compulit destinare legatum, qui & diffidentes ad imperiale mandatum reconciliatos reduceret, & inter populos discordantes pacis fœdera reformaret. Nec illud nostrum tam sanctum, tam salubre potuit impedire, sed potius debuit adiuuare propositum, quod te in Lombardiam pro extirpanda hæretica prauitate, subsidio Terræ sanctæ, & recuperatione iurium Ecclesiæ ac Imperij, nec non pro reformatione pacis proclamabas esse venturum. Nam si te ad id Imperij reformatio inuitauit, nos causa Imperij, cuius deformatio in dispendium Ecclesiæ Rom. redundat, ecclesiarum vtilitas, quæ longum sub bellorum fluctibus dissidium patitur, & animarum periculum, pro quibus possessori cæli & terræ ad ratiocinium obligamur, ad procuranda bona concordiæ debuerunt fortius excitasse; vnde nihil de tuo iure vsurpasse, de tuo nihil, licet contrarium asseras, occupasse officio credimur, si nos, de quorum consilio te ad id in principio, medio, & fine procedere, sicut pluries promisisti, decuerat, prompti nostrum summo creditori exoluere debitum inuenimur.

Confutat Friderici prætextus Pontifex.

9 Quare præmissa more artificis, cuius considerationi se primitus offerunt quæ vltimo in operatione concurrunt, diligentius attendentes, illum, vt per eum nostrum impleremus ministerium, elegimus in hac parte ministrum, qui eo tibi & quibuscumque discordantibus minori posset haberi ratione suspectus, quo eius mens terrenis desiderijs absoluta suis actibus fermenti minus ingereret odij vel amoris; qui seipsum & sua relinquens, in diuini amoris altitudinem euolasset. Quis illius sinceritatis rugam suspicionis obijcere, quis illius puritatem næuo duplicitatis opposito poterit offuscare, quem susceptæ professionis beatæ religio, carni & mundo abstulit, quem Deo fructus laudabilium operum, & vitæ sancti-

Legati virtus illustrat

ctitas commendauit? Nec enim locus originis recte contra eum in suspicionis argumentum inducitur, cum non bonitas hominis deformetur a loco, sed potius loci malitia per hominem reformetur. Probat hoc, quod nec pietati Christi quidquam mundus subtraxit impius, nec cælum fecit sanctum dæmonem, nec hominem paradisus. Genus etiam ad tuam intentionem non sufficere, immo non proficere creditur, quia frustra in illo parentelæ vitia condemnantur, qui per conuersationis sanctæ munditiam a patria & parentibus, quasi in virum mutatus alium, factus est penitus peregrinus. Quid plura? frustra quid ad probationem alicuius inducitur, quod illud nec frequenter nec inseparabiliter comitatur.

10 Suffragatur autem ad hoc testimonium dilecti filij magistri hospitalis S. Mariæ Theutonicorum, & ei quod alia vice ipsum cum dilecto filio nostro O. S. Nicolai in carcere Tulliano diacono Card. transmissum tibi suspectum fuisse asseris, refragatur; cum ipsum nihil fecisse, vnde celsitudini imperiali suspectus merito deberet haberi, coram nobis publica voce dixerit, & eum circa obseruationem iustitiæ plurimum commendarit. Erubescere igitur poterit nouus logicus de nobis mali alicuius initium, vel participium paralogismo concludere, cuius falsitatem etiam imperiti de longe speculantes possunt luce clarius improbare, cum publice bonum, & manifesta boni species fuerit, quod legatus ad reformandam pacem inter te ac Lombardos a nobis destinatus accessit, cui nihil posse credimus imputari, si eo præsente sedata sint intestina bella Placentiæ, si aliquæ ciuitates Lombardiæ, cladibus præliorum oppressæ, ad pacis fuerint dulcedinem inuitatæ. Quinimmo tibi ad infamiam reputatur, quod Ecclesia seu præfato mediante legato pacem Imperij dedigneris, vel non patiaris potius reformari. Sed est fortasse qui dicat, quod dum contra fas & licitum episcopum præfatum tuis non habes votis omnino propitium, eum imperialibus æstimes desiderijs inimicum, & quo æqualius eundem ad quodlibet oppositorum extremum, vt vtraq; vnum efficiat, declinare perspexeris, eo fortius ipsum celsitudinis tuæ profectibus contrarium susceperis: de quo si placet obtrectationis cessent obloquia, cuiuslibet prudentis & boni principis moribus inimica, qui sic ius suum discrete prosequitur, quod in nullum præsertim timentis Deum, & episcopi detrectationem armatur. Verum ne aliqua de sede Apostolica vere vel apparenter excellentiæ tuæ querela consurgat, tibi contra prædictum legatum, quæ nondum probatio seu confessio obiecti criminis & ignoti conuincit experiri, volenti sumus iustitiam exhibere parati.

Demonstrat ex concordiis Placentinis lædi non debuisse.

11 Cæterum ne super imperialis celsitudinis de coercenda, vt tuis verbis vtamur, contumacia Lombardorum responsionem videamur per obliuionem, vel negligentiam distulisse, dictus magister tibi satisfacere potuit; de cuius consilio dilectum filium G. subdiaconum & capellanum nostrum ad tractandum de pace duximus destinandum: quare responsio tibi grata non poterat fieri, per quem tractatum concordiæ contingebat penitus impediri. Nec etiam nobis de obiecta eis contumacia constitit, ad quos pro facto Imperij mandatum apostolicum, cui superba ceruice restiterint, nullatenus emanauit; quinimmo compromissum in manus nostras venerabili fratre nostro patriarcha Antiocheno procurante teque petente firmantes, & si infra tempus nuncijs tuis pro tua voluntate præfixum ad nostram præsentiam venire nequiuerint, maculam tamen erga te, si dici potest, commissæ contumaciæ per sequentis obedientiam compromissi a se videntur penitus abstersisse &c. *Dat. Reate x. kalend. nouemb. pontif. nostri ann. x.*].

Obiurgat tractatum concordiæ ipsi qu. ab eo annus esset placere non potuisse.

Negat Longobardos vti iactabat argui posse contumaciæ.

12 Irruperat iam, cum hæc scripsit Gregorius, in Italiam Fridericus ob perduelles in Germania superiori anno domitos elatus animo, conceptæque ob veteres iniurias in Insubres effundendæ vltionis cupidus, quem Isabella Imperatrice & Conrado filio in Germania relictis, egregio succinctum exercitu a Richardus & Parisius b referunt; ac Veronam, quæ orta seditione ad illius partes antea se traduxerat, peruenisse, indeque felici itinere Cremonam accessisse: sed Mediolanenses validissimas acies ad quinquaginta hominum nullia in eum eduxisse; deinde grauissimis sensis consilijs Mediolanum exercitum, vt mœnia tuerentur, ne, si prælio victi essent, in extremum exitium res suas conijcerent, recepisse: at Imperatorem Vincentiam sibi resistentem nouembri mense cepisse illiusque partem flammis deleuisse, de cuius excidio non inuenustum distichon affert Richardus c.

Pro meritis dignis, Vincentia te cremat ignis.
Subderis imperio Cæsaris ingenio.

Expugnauit nonnullas alias, arces Fridericus, ac signa ad cingendum obsidione Mediolanum conuertebat, cum Austriæ dux Germaniam miscere adeo cœpit, vt excitus a suis Imperator in Germaniam omissis Mediolanensibus traducere exercitum sit coactus, qua occasione vsi Mediolanenses amissas arces recuperarunt.

Irrumpit in Longob. Frider.
a Rich. S. Germ. in chron.
b Paris. hist. Angl.
Mediolanenses cum exercitu obuiam eunt.
Recedunt mutato consilio ad tuenda mœnia.
c Ibid. loc. cit. & sup.
Vincentia flammis exusta a Frid.
Rebellat Austriæ dux.

13 Nouo illo bello implicitus Fridericus, vt demittere fastum erat solitus mox atque aduersa ingruebant, ne pluribus hostibus distraheretur, Gregorium rogauit, vt tractatum pacis cum Mediolanensibus redintegraret: nec Pontifex eius preces respuit, quamuis ille antea Prænestinum episcopum paci conciliandæ incumbentem turpiter repulisset. qua de re hæc Gregorij vitæ auctor: *Post lapsum temporis*, nimirum vergente hoc anno post obiectam Iacobo Cardinali repulsam, *ad ipsius Imperatoris instantiam venerabiles patres Ostiensem & T. t. c. tituli S. Sabinæ presbyterum Cardinalem, quorum virtutes merita vitæ protestantur & fama, in partes easdem cum potestate simili summus Pontifex destinauit.* Hia maiorem dignitatem, atque auctoritatem conciliaturus ad patriarchas d Aquileiensem & Gradensem, ad Rauennatem & Ianuensem archiepiscopos, eorumque suffraganeos, & cunctos Insubriæ, marchiæ Taruisinæ, ac Romandiolæ præsules, magistratus e, proceres ac populos commendatitijs literis illorum in pietate promouenda ac pace componenda sollicitudinem extulit: *Rogamus vniuersitatem vestram, & hortamur in Domino Iesu Christo, per apostolica scripta mandantes, quatenus per opera gratitudinis explicare solicite quanta vobis circa Deum sit fidei puritas, ac deuotionis sinceritas erga sedem Apostolicam continuis honoribus per fidelium multitudinem attollendam, legatos eosdem, in quibus personam nostram recipi volumus, & filiali reuerentia pertractari, quasi pacis angelos deuote & hilariter admittentes, & ipsos omni, quo scitis & potestis honore prosequi solicita diligentia procuretis, & sibi super ijs, quæ ad honorem Dei & Ecclesiæ, ac libertatis ecclesiasticæ faciunt incrementum, necnon ad ea, per quæ status Imperij, & præcipue dictæ prouinciæ valeat salubriter faciente Domino reformari; ac super prauitatis hæreticæ maculis abolendis, & Terræ sanctæ negotio, quod eis tanto specialius procurandum commisimus, quanto ad promotionem illius nos præ cunctis teneri viuentibus reputamus, efficaciter intendatis, &c. Dat. Interamne iii. kal. dec. pont. an. x.* Commendati etiam Cardinales legati, Insubriæ, marchiæ Taruisinæ, ac Romandiolæ viris principibus vrbiumque fœderatarum magistratibus f. Verum cum legati postea ad Fridericum se contulissent, similem repulsam, quam episcopus Prænestinus passus erat, retulere, vt sequenti anno dicetur, cum rerum conuerso statu Austriæ du-

Rogat Frid. Gregorium tractatum pacis redintegret cum Longobardis.
Missi ad rem tractandam duo Card. legati.
d Ibid. ep. 272.
e Reg. post eand. ep.
f Reg. post eand. ep.

cem præcipiti parta victoria debellasset, quem vniuersa ditione ait Parisius exuisse: additque diuinum illud oraculum, quo fertur numen visitare peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem, in eo impletum, ac vindictam cælestem ob Ricchardum Angliæ Regem olim in Austria, dum e Terra sancta rediret, in vincula coniectum, excepisse.

Seditio in Vrbe instigante Frid. concitata.

14 Hic vero omittendum non est, Fridericum tot illustribus paterni in eum studij notis, totque beneficijs affectum, Petri Fraiapanis opera hominis etiam ingratissimi, cui hoc ineunte anno Pontifex Terracinenses magistratus, ac populum occupata iura restituere iusserat, seditionem in Vrbe aduersus Gregorium concitasse, de qua Richardus: *Hoc anno Petrus Fraiapane pro parte Imp. guerram mouet contra PP. & senatorem, & seditio facta est multa in populo.* Subornatos quidem a Friderico pecunijs Romanos fuisse queritur Gregorius in literis [a], quibus ipsum ad Constantini magni, & cæterorū piorum principum exempla prouocauit, aliaque plura ab ipso obiecta refellit. Corripuerat illum antea Gregorius grauiore iugo ecclesiasticos in Sicilia opprimere, ingentes ab ijs pecunias abradere, ad tribunalia prophana rapere, ecclesijs pastores intrudere, libertatis iuriumque Ecclesiæ defensores partim in exilium pellere, partim bonis spoliare, pluraque alia damna & iniurias inferre; pacem initam violari, Ecclesiæ studiosos maiori quam cæteros malorum mole obrui, Sarracenos inualescere, rudera ecclesiarum ad Mahometis templa extruenda transferre. sed hæc potius prosequentem [b] lacrymis Pontificem audire iuuat.

a Lib. 10. ep. 153.

Obiurgatur Frid. ob Eccl. Siciliæ oppressas.

b Lib. 9. ep. 398.

Gregorius, &c.

15 Ecce in regno prædicto per ministros imperiales nudatæ priuilegio libertatis ecclesiæ bonis sacris deputatis vsibus spoliatæ flent, quia ipsarum pastores etiā & ministri, patres & filij exulare coguntur, carceri mancipantur. & foro ecclesiastico derelicto in examine vetito actiones suscipere, tallias soluere, & bona compelluntur ecclesiastica, vt se a vexationibus redimant, exhaurire: & si quando eas contingat pastoris solatio viduari, non permittuntur sibi sponsum eligere, & viduitatis vestimenta deponere, donec adulterinis alicuius amplexibus, qui nō canonice, sed per impressionem electus, aut alias intrusus fuerit, extiterint copulatæ. Ecce ibi catholica fides perit, ex eo hæresis inibi præcipue vires sumit, quod in ecclesias & personas ecclesiasticas, officialium oppressione sæuiente, eædem prædicationis, ex qua maxime confutantur hæretici, & catholici roborantur, exercere non possunt officium; quia necessario cætera pars ædificij corruit, cuius concutitur fundamentum.

16 Ecce de ruina Hierusalem Babylonis mœnia, de acerno lapidum Sion Agarenorum gymnasia construuntur; & ædificia, in quibus diuinum nomen excolitur, illuc migrare coguntur, vbi Mahomet perditus adoratur. Super quo eo crudelioris nos doloris gladius percutit, quo fortius incircumcisi, quasi in regni medio positi, leuius fidem catholicam suæ possunt infidelitatis veneno corrumpere, quo maiora exinde contingunt pericula, quod Christiani commiscentur eisdem, paganorum contubernia ab ouili Dominico greges fidelium abigunt, & Hebræi ab Ægyptijs sic oppressi eorum quasi dominio subiugantur. Ecce in dicto regno contra pacis inter te & Ecclesiam reformatæ fœdera quidam nobiles priuati castris & alijs bonis suis, vxoribus & liberis captiuatis, loca sua proscripti relinquere, domicilia in aliorum se transferre coloniam, & ad extremam coguntur inopiam deuenire. Et dum similis premit afflictio pauperes, id tanto magis Deo displicere putamus, quanto fortius ipsos credimus innocentes. Quid plura? in omnibus his Ecclesia tanto maiori rubore perfunditur, quanto probabilius præmissis discordia causam dare præterita creditur, dum illi, qui adhæserunt Ecclesiæ, plus cæteris contra iustitiam opprimuntur. Vtinam hæc veritatis essent destituta subsidio, & mendax inueniretur quilibet hæc dicendo, vt & audita non credere, ac fidem cogeremur a creditis remouere. Sed si verius loquimur, iam pro maiori parte ista non credimus, de quibus opinione cessante certam scientiam obtinemus, &c. *Dat. Viterby 11. kal. martij pont. nostri an. IX.*]

Queritur Ecclesias a Sarracenis ad Mahometi templa extruenda euerti.

17 His acceptis Imperator nō leniter exasperatus, eas querelas partim eleuare, partim eludere, partim a se in ministros detorquere, atque in ijs quæ ad electiones spectarent, id ius a prædecessoribus regibus ad se transfusum contendere. Cumque non pauci perditissimi adulatores, cognito Imperatoris alienato a Gregorio animo, rixas nouas serere coniunctionemque pristinam discindere studerent, subornatus illorum assentationibus & querimonijs Imperator plures literas [a] acerbiore stylo ad Pontificem exarauit, quibus & Gregorium querelis onerauit, & sibi ab eodem Pontifice obiecta retundere, eius animum aculeatis verbis repungere, vsurpataque iura defendere, ac male gesta conquisitis fucis colorare conatus est. Sed Gregorium refellentem obiecta, deniq; conuincentem criminis Fridericum in apologeticis literis audiamus. [b]

Obiecta purgare nititur Frid. Repungit Pontificē.

a Apud Greg. l. 10. ep. 107. & 252.

b Lib. 10. ep. 253.

Gregorius, &c.

Si memoriam beneficiorum conditoris æterni, quæ per ministerium spōsæ suæ in sublimes personas & humiles largiter emanarunt, humanæ ingratitudinis obliuio deleret; si dominus noster Iesus Christus, iudex viuorum, & mortuorum iudicaturus apertis libris conscientiæ, & reuelatis tenebrarum operibus vniuersos, vt Dominus timeretur, origo virtutum fides inconcussa persisteret, opera statera iustitiæ ponderaret, verba sub veritatis signaculo clauderentur. & os contra Deum non poneretur in cælum, vnde tonitrua prodeunt, & fulgura contra persecutores suos sæpe mittit Deus & Dominus vltionum. Sane ex pluribus literis ad nos, & fratres nostros nuper ab imperiali excellentia destinatis plura collegimus, quæ si stylus mitigasset humilior, & amaritudinem paginæ dulcorasset affectus reuerentiæ filialis, virtus discretionis, sub manna dulcedinis irascibilem spiritum temperasset, & imago Dei, quæ resultat in speculo rationis, ac similitudo eius, quæ per affectum bonum, & actum rectitudinis in potentijs animæ naturalibus inuenitur, non fuissent sic scribendo forsitan deformatæ.] Inferius vero vbi Prænestinum episcopum, quem pluribus querelis onerarat, omnis culpæ labe immunem ostendit, subijcit;

18 Igitur si nostræ te feceris doctrinæ discipulum, si apostolici processus circa honorem tuum sæpe sæpius habiti imitareris exemplum, iuxta monita nostra super commissis in regno corrigendis excessibus pluries ab annis præteritis replicata, & toties passa repulsionis iniuriam, ad debitum exauditionis admitteres; iniusta quoque, quæ nunquam tibi credimus ex certa scientia direxisse, procul ab imperialis limine concessionis arceres. Sed ecce super facto ecclesiarum regni, quod tibi in literis nostris primo directis sub genere indefinite proponitur, quod ad hoc non tenearis, quasi dubia respondere, a te reali responsione præterita vocali commentario incongrue responderur, tum quia frustra requiritur, vt singularia speciei, vel specialia fidem faciant generi, cum genus & species manifestam ex se præbent notitiam veritati, & cum indiuiduorum scientia quasi ex infinitate confunditur, ad doctrinam vniuersalium superuacue singularia colliguntur: tum quia quæ in primis literis sub indefinita, in se tamen aliorū definita notitia fuere proposita, ex superabundanti in literis nostris

ſtris ad te ſecundo currentibus, per multa fuerunt particularia declarata, ſicut in epiſtola tua reſpōſiua conijcitur; quæ in ſeipſa quibuſdam particularibus verbaliter reſpondendo, quod in præmiſsis falſum implicet, improbatur: cuius pollicitis de ſatisfactione præſtanda quibuſdam eccleſijs & perſonis, ſicut ſic non in principio, ſic in fine non credimus, qui ſimili promiſſione deluſos multoties nos dolemus. Indigne ergo ſuper oppreſſionibus prædictarum eccleſiarum & hominum regni, in quo nullus manum vel pedem abſque tuo mouet imperio, affirmatiuam noſtræ propoſitionis negatiua ignorantiæ imperialis interimis, quibus conſenſum vel originem præſtitiſſe cum nuntijs & literis apoſtolicis, ac clamoribus paſſorum iniurias eas tuis auribus pluries inculcatas non ſolum ſcire, ſed etiam plene potueris emendare, nullatenus dubitaris. Quod ex illo tuarum literarum tenore manifeſte colligitur, qui pro iurium conſeruatione tuorum te nonnulla immutaſſe circa eccleſias, & tibi ſuper nō reſtituenda eis poſſeſſione ablata noſtram in facto ciuitatis Caſtellæ ſuffragari magiſterium ſuffragatur, cum in cauſa tua ſuperioris debueris experijſſe, & expectaſſe iudicium: niſi forte vulgus reſpondeat, quod iuxta placitum terminos regum tranſgrederis, dum contra ius aggrederis officia ſacerdotum. Qualiter autem contra conſcientiam noſtram, vt aſſeris, denegata tibi poſſeſſionis ciuitatis prædictæ intentionis tuæ opituletur reſtitutio, non videmus: cum ciues Caſtellan. qui ſe tibi violato ſacramento fidei, ignorante Eccleſia prodiderunt, excellentiæ tuæ nullum ius per hoc in ſeipſis acquirere, nullum nobis circa poſſeſſionem, cum iuriſdictionem ciuitatis & ciuium quaſi poſſideret Eccleſia, prodendo potuerunt præiudicium generare. male namque agitur cum dominijs prædiorum, ſi tanto precario poſſidentibus non requiritur poſſeſſionis initium, leges poſſeſſionum euertere, & extraneis iura conferre valeant poſſeſſorum.

Ex Caſtell. proditione nullū ius adipiſci potuiſſe.

19 Et ideo ſi prudenter attenderes, quod lignum vitæ eſt in paradiſi medio poſitum, ſic in centro tuorum finium prudenter perſiſteres, quod nequaquam incaute ad iudicanda ſecreta conſcientiæ noſtræ, cuius iudex in cœlo eſt conſcius in excelſis, propriæ ruinam conſcientiæ metuens euolaſſes, cum Regum colla & principum ſubmitti videas genibus ſacerdotum, & Chriſtiani Imperatores ſubdere debeant executiones ſuas, non ſolum Romano Pontifici, quin etiam alijs præſulibus non præferre, nec non Dominus ſedem Apoſtolicam, cuius iudicio orbem terrarum ſubijcit, in occultis & manifeſtis a nemine iudicandam, ſoli ſuo iudicio reſeruarit.

Ad iudicā da pontificij pectoris arcana prorumpere non debere.

20 At fortaſſis ignoras, quod Oza morte percutitur, eo quod arcā Domini inclinatam manu temeraria ſuſtinere conabatur, & tribus Chaath, quæ vaſa tabernaculi proprijs inuoluta portabat humeris; paribus addicitur detrimentis, ſi tabernaculum ſolius Aaron diſpoſitioni commiſſum ingredi, vel vaſa ſanctuarij, priuſquam inuoluta fuerint, vlla curioſitate audeat intueri? Quare ſi te ad notoria facta tua ſpeculanda reduceres, non ſolum de noſtra, immo iudicare de conſcientia etiam cuiuſlibet tui ſubditi dubitares. Ergo quia de conſcientia agitur, vt contra conſcientiam ſecundum conſcientiā procedatur, cum noſtræ fuiſſet conſcientiæ liquidum, quod de reddendis poſſeſſionibus Eccleſiæ Rom. ad te peruenientibus pluries præſtiteras iuramentum, non videbatur eſſe boni filij a patre petere, quod nec ſalua conſcientia poteras detinere, eo quod nec Eccleſia vitium ſpoliantis incurrerit, cui commoda ſui iuris conſtitutionis beneficium integra reſeruauit. Nec eſt verſimile in hac parte nos fratrum noſtrorum conſilium deſpexiſſe, cum ſuper hoc nuntij tui inceptum proſequi voluiſſent iudicium, & ideo nondum erat in his eorum conſilium requirendum.

21 Eſto præterea quod eccleſijs cum principibus permutare, ſicut in tuis excuſationem allegas, vtroque iure conceditur; inique tamen ad damnoſam, & non voluntariam huiuſmodi celebrationem contractuum, præſertim ſine ſuperioris aſſenſu, & contra iuramentum de non alienandis eccleſiaſticis poſſeſſionibus, quas pro animarum ſalute relictas, ſic alienantes & recipientes ſacrilegij crimen incurrunt, præſtitum compelluntur, quia quod in eccleſiarum fauorem iure permittitur, fieri non debet ad læſionem earum per iniuriam retorquere. Eſto quod aliqua beneficia vacantia conferas, vt curam tamen animarum illis annexam committere valeas, ius ſpirituale, quod non cadit in laicum, non permittit; & in locum viuentium, quos a gradu ſuo, nec propria culpa, nec ſui iudicis ſententia deijcit, alios ſubſtitui ius datum cœlitus interdicit. Eſto quod in collatione beneficiorum morientibus ſuccedas, vt dicis, epiſcopis, maiorem in hoc ipſis non adipiſceris poteſtatem, nec nos ob id, qui eis viuentibus conferre beneficia non collata potuimus, iam te locum tenente, ne dicamus vſurpante Pontificis, apoſtolicæ amittimus plenitudinem poteſtatis. Venerabilis inſuper frater noſter Cephaluden. epiſcopus, archidiaconus Salernitanus & Soranæ ciuitatis eccleſiæ, dum eos ad examen noſtræ conſiderationis adducimus, quare iſte perpetui exilij, & ille perpetuæ patiantur ruinæ diſpendia ignoramus, niſi quod dum contra pacem inter te, ac Eccleſiam reformatam ſpiritualia ſicut ſecularia iudicas; dum eos, qui ſuo domino ſtant aut cadunt, non conuictos, nec confeſſos, pœna iudicium præueniens condemnas; diuini iudicij thronum aggrederis, & leges, quibus digne ſubmittitur principatus, a lare patrio exulare compellis. De illo, qui ſe Getacenſem dicit epiſcopum, tacemus ad præſens, quem electio canonica prætermiſſa, vel per impreſſionem habita eccleſiæ Terracenſis matrimonialiter alligare non potuit, cuius conſecratio forma eccleſiaſtica, ſicut dicitur, deſtituta nec ſibi executionem officij contulit, nec ipſum illius eccleſiæ, vel alterius epiſcopum eſſe fecit.

Non poſſe cōferre ſacerdotia quibus animarum cura adiecta.

Inique iudicia exercere.

22 Vincula vero nepotis Regis Tuneti, ſi ea recta acie conſiderationis inſpiceres, in quantam iuris, & diuini nominis contumeliam compeditum alligent plene ſcires.] De tento in vinculis Tunetani Regis nepote, qui ad Pontificem, vt Chriſtiana ſacra amplecteretur, iter corripuerat, locutus vitæ Gregorij auctor, aculeata hac ſententia Fridericum carpſit: *Nuper Regis Tuneti fratrem * ad ſedem Apoſtolicam accedentem ſacramentum Baptiſmatis recepturum, detentione iam longa prohibuit, in voto perſecutus alterius, quod in ſuo factus apoſtata deteſtatur.* Deſudatum ſane magna contentione a Gregorio eſt, vt ipſum e carcere liberaret: ac primum eos, qui ipſum detinebant, monuit a anathemate defigi ter in anno ſolemni ritu, qui venientes ad ſedem Apoſtolicam caperent. cumque imperia ac minæ non profeciſſent, Fridericum rogauit datis Interamnæ VIII. kal. iul. literis b, vt libertati reſtitui iuberet. Sed ille obtrito omni religionis reſpectu Sarraceni principis quam vicarij Chriſti gratiam colligere maluit, ac ſubornatum dicere non expauit; quare Pontifex ingeminare has querelas eſt coactus:

Regis Tunet. nepotem, pro ſuſcipiendo bapt. venientē vinculis mācipaſſe.

* nepotem

Stupenda impietas Frid.

a Ead. l. ep. 123.

b Id. ibid.

Seductū vocat qui ſacra Chriſtiana amplecti cupit.

23 Quia indigne ſeductus aſſeritur, qui ad notitiam veræ fidei, aliquo inducente, vel Deo potius inſpirante vocatur; quin potius quantum probationes quod præter offenſam Regis eiuſdem & non circumuentus ad nos accederet, recepturus Baptiſmatis ſacramentum expoſtulas, aperte colligitur, & idē clara multorum voce vtinam non dicatur, quod apoſtolos & diſcipulos veritatis non ſine magiſtri

Corripitur a Greg.

iniu-

militia manifesta innuis seductores, qui inimicos crucis Christi ad agnitionem lucis æternæ monitis inuitarunt salutaribus, & inuitant. Et ex eo tacite asseris non debere Deo contra hominem obediri, quod dictum nepotem credis debuisse præfati Regis licentiam præstolari, cum tibi non liceat ignorare, quod tantus est fauor Baptismatis, vt etiam seruos sicut a iugo criminis, sic inuitis dominis infidelibus, & eos conuerti nolentibus, a catena eximat seruitutis. Vtinam lex Domini conuertens animas sic omnes fideles seduceret, quod eos de fornace ferrea Pharaonis eductos ad veræ fidei notitiam euocaret: vtinam omnes fideles sic suos superiores offenderent, quod ad auditorium cæleste vocati præconi parerent dominico, & in se tam salutari contumacia subrum offensam principum prouocarent. Tolosano comiti, etsi lata in eum excommunicationis sententia nequiuerit priuilegium immunitatis afferre, vel iuri tuo præiudicium generare, debuit tamen ei fauorem communionis imperialis auferre, quam sibi nequibas præter animæ tuæ periculum, quæ tibi omni thesauro debet esse charior, indulgere vt hoc saltem rubore perfusus, ad sinum matris rediret Ecclesiæ, & tibi sine salutis tuæ dispendio posset debitum seruitium exhibere.

Ad obiecta de Tolos. comite responde Greg.

24 Cæterum ne nostro quod verum est patefacienti responso, dicta exaggerare cogamur & gesta, calamo nostro breuitatem indicimus, & ne super eo quod de lege regia & episcopis scripseras, honorem tuum obice veritatis exasperet, prohibemus. Sed vade ad tuorum memoriam prædecessorum, & inspice. transi ad felicis recordationis Constantini, Caroli magni, Arcadij, & Valentiniani Imperatorum exempla, & ea diligentius speculare, vbi infallibilis solutio conclusio sine instantia super præmissis accipitur; vbi reprobanda falsæ opinionis assumptio confutatur. Illud autem minime præterimus, toti mundo publice manifestum, quod prædictus Constantinus, qui singularem super vniuersa mundi climata monarchiam obtinebat, vna cum toto senatu & populo non solum Vrbis, sed in toto Imperio Romano constituto, vnanimi omnium accedente consensu, dignum esse decernens, vt sicut principis Apostolorum vicarius in toto orbe sacerdotij & animarum regebat Imperium, sic in vniuerso mundo rerum obtineret & corporum principatum; & existimans illum terrena debere sub habena iustitiæ regere, cui Dominum nouerat in terris cælestium regimen commisisse, Rom. Pontifici signa & sceptra imperialia, Vrbem cum toto ducatu suo, quam sparsis in ea pecunijs nobis turbare moliris, illius sequens exemplum, qui absorbens fluuium non miratur, & sperans quod Iordanis influat in os eius suo est voto fraudatus, nec non & Imperium curæ perpetuo tradidit, & nefarium reputans, vt vbi caput totius Christianæ religionis ab Imperatore cælesti disponitur, ibidem terrenus Imperator potestate aliqua fungeretur, Italiam apostolicæ dispositioni relinquens sibi nonam in Græcia mansionem elegit, de qua postmodum in persona præfati magnifici Caroli, qui iugum a Rom. Ecclesia vix ferendum impositum pia debere docuit deuotione portari, sedes Apostolica, transferens in Germanos prædecessoribus tuis, sicut & in tua persona recolis esse factum, in consecrationis & inunctionis munere nihil de substantia suæ iurisdictionis imminuens, Imperij tribunal supposuit, & gladij potestatem in subsecuta coronatione concessit. ex quo iuri Apostolicæ sedis, & non minus fidei, ac honori tuo derogare conuinceris, dum factorem proprium non agnoscis.

Quis honor Ecclesiæ deferendus inculcat.

Veterum Imper. Christ. exempla proponit.

Ostendit Romam cum ducatu a Constantino [illegible] [illegible] [illegible] & [illegible] [illegible] com[illegible].

Relicta ipsi administratione Italiæ sedem [illegible] in Græcia. Translatū a sede Ap. ad Germanos in Carolo imperium. Fridericū suæ detrahere dignitati dū illius auctorē non agnoscit.

25 Ex eo autem non modicam notam indeuotionis incurris, quod nobis & fratribus nostris sacrilegij maculā conaris impingere, quia eos, quibus a te ecclesiæ ac ecclesiastica beneficia conferuntur, reputantes indignos de tuo videmur iudicio disputare, non attendens quod sacerdotes Christi regum & principum omnium fidelium patres, & magistri censentur. Nonne miserabilis insaniæ esse cognoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum conetur arguere, a quibus non solum in terris, sed in cælis sese ligari posse institutione diuina docetur? Omnes enim, nisi quorum oculus aliquo erroris puluere obturatur, agnoscunt quod cum tu ipse apostolicæ examinationi, sicut testantur præmissa, subiaceas, multo fortius de illorum possumus indignitate cognoscere, qui de manu tua noscuntur dignitatem aliquam suscepisse, eo quod quidquid speciei subijcitur, de illo genus necessario prædicatur. Hoc in personis ecclesiasticis negari non potest, quibus nos ex constitutione diuina præficimur: imperialis vero potentia ex sola vsurpatione in huiusmodi, in iniuriam diuini nominis, aliquoties dominatur, in eo rhetorico fucata colore, quod apud reges terrarum & principes de Ecclesia, quæ vsque modo non modicum imperiali pepercit honori, te depositurum querelas, quibusdam apud eos iam depositis, commimaris.

Illū Apostolicæ censuræ subiectum.

Præmissa quoque quantumcumque sint grauia, quantumcumque a iuris tramite sint remota, minora tamen in oculis nostris respectu illius iniuriæ reputantur, quæ Creatori nostro in hoc euidentius irrogatur quod, turbis vndecumque collectis, Crucifixi fidem & nomen publice prædicari, ne quia ex hoc tuo contingant regno dispendia, non permittens recuperationem Terræ sanctæ & crucis negotium impedis: ad cuius consummationem contra consilium tuum, de bonis tuorum conferri fidelium interdicis. Quocirca celsitudinem tuam rogandam duximus & monendam, quatenus sub potenti manu Dei, cui clara sunt abscondita tenebrarum, sic humiliari procures, sic omnes sponsæ suæ iniurias studeas emendare, quod te taliter exaltasse cum nequaquam pœniteat, & suæ maiestati oculos a tuis processibus non auertat, ac nosque de imperialibus profectibus possimus non immerito in Domino gloriari. *Dat. Reate x. kal. nouemb. pont. nostri ann. x.*]

Magno scelere [illegible] præcones euangelicos ne sacras habeant [illegible] prohibere.

Correptum a Gregorio Fridericum non ex iracundiæ sed charitatis ardore ipsius opera illustrarunt, quibus Friderici iura dignitatemque asserebat. inter quæ reticendum non est discordiam Fridericum inter & ciues Acconenses aliosque regni Hierosolymitani subditos Pontificis opera ex æquo bonoque conciliatam extinctamque fuisse, vt pontificiæ literæ ad archiepiscopum Nazarensem, episcopum a Acconensem, ad Fridericum ipsum b atque ad præceptorem, & equites hospitalis S. Mariæ Theutonicorum exaratæ c demonstrant. hactenus de Friderici rebus, iam reliquas Italicas res percurramus.

a Lib. 9 389
b ibid. ep. 390.
c Ep. 39

26 Suscepit Pontifex defendendam Vuillelmi Tusciæ comitis causam aduersum nonnullos rebelles, qui illius iugum excusserant, ac Senenses ad defectionis societatem traxerant. Cuius tuendis iuribus Alexandrum capellanum incumbere iussit d: maxime cum Senas comes ab sede Apostolica fiduciario iure accepisset. Lucanos præterea, qui ad meliora consilia redierant, paterno gremio excepit, nudatæque ob grauiora in sedem Apostolicam, & ecclesiasticos facinora episcopalis sedis dignitate illorum vrbi pristinum splendorem restituit e. At dum in sedis Apost. obsequia Lucani procumberent, Pisani illius iura inuadere, ac Turritanam prouinciam sibi subijcere meditati sunt: quare Gregorius ad tuendam vectigalem Ecclesiæ Sardiniam literis f a suscepto consilio ipsos reuocare est conatus. Illecti erant illius principatus facile occupandi spe, cum ob rebelliones populorum prædæ expositus esset: Sazarenses enim Parasonum defuncti Turritani reguli filium impube

d Lib. 10 ep. 181.
Lucanis ep[illegible] [illegible] restituitur.
e lb. 28.
Vectigalis [illegible] Pisani [illegible] Sard[illegible] inuadunt.
f Ep. 244

rem barbarica crudelitate efferati trucidasse non contenti, in frusta feris exponendum laniarunt: ac de tam atroci facinore conquerente apud sedem Apostolicam Adelasia sorore, Gregorius Pisanum archiepiscopum in sceleris auctores fulmen ecclesiasticum iaculari iussit. Sed a sceleratissimis hominibus, quorũ flagitia audientes horrore persundere ait Gregorius, ad pium pœnitentem sermonem cõuertamus.

27 Hoc anno Ludouicus Ferretanus comes, qui se ad Apost. sedem contulerat, vt censuris, quibus irretitus erat, liberaretur lethali morbo correptus in ancipiti vitæ discrimine a pontificijs pœnitentiarijs absolutus, ex sensu pietatis, quo delibutus erat, ditionem suam, exceptis nonnullis, quæ legauit vxori, Romanæ Ecclesiæ testamento reliquit. Qua de re confectum instrumentum in libro a censuum extat, e quo hæc decerpimus: *Anno Dominicæ natiuitatis* MCCXXXVI. *indictione* IX. *mense augusti die* XX. *pontificatus D. Greg.* IX. *PP. anno* X. *Ego Ludouicus comes de Ferreto, &c. constituo mihi heredem Ecclesiam in omnibus bonis meis mobilibus & immobilibus mihi de iure spectantibus, a quibuscumque detineantur tam in castris, villis, hominibus, & vassallis, quam in rebus alys, saluis villis duabus, scilicet Baghentalen & Durlenstrors cum omnibus pertinentijs suis in Basiliensi diœcesi, quas duas villas legaui vxori meæ. Insuper statuo, quod omnia damna illata per me, vel meam auctoritatem restituantur de bonis meis iuxta mandatum domini Papæ, & iuste conquirentibus satisfiat, & de residuis mittantur bellatores in subsidium Terræ sanctæ iuxta mandatum domini PP. & hoc est vltimum testamentum meum, quod volo firmum, & illibatum perpetuo permanere, &c.* Cum autem e viuis discessisset comes Ludouicus, Pontifex insequenti anno Constantiensem & Lausanensem episcopos testamenti executores in resarciendis damnis olim a comite quibusuis illatis instituit b, iussitque sedem Apost. facerent de ijs, quæ superessent certiorem, vt illa in Terræ sanctæ subsidium conuerteret. hæc de Ludouico comite suffecerint: iam e pœnitente pio ad S. confessorem digrediamur.

a Lib. cens. Vat. bibl. MS.

b Ep. 38. eius lib.

28 Efflorescente in dies sanctitatis Beneuenuti Minoritæ multis confirmatæ miraculis gloria, clerus ac populus Cornetanus oratoribus suis ad Apostolicam sedem missis supplices ab ea petiere, vt testium dicta de admirandis illius rebus gestis, diuinisque prodigijs ad ipsius sepulcbrum editis, in tabulas publicas quo sanctorũ numero adderetur, referri iuberet; quibus Gregorius, datis ad Melfitensem ac Venusinum episcopos literis c, sacram de illius vitæ sanctitate ac miraculis quæstionem instituere iussit: *Sicut dilecti fily clerus & populus Cornetanus nobis per dilectum filium Balsamum diaconum & Iacob iudicem nuntios suos, & literas intimarunt, & quorundam episcoporum ac religiosorum præsentata nobis literæ continebant, Dominus tantam piæ memoriæ fratri Beneuenuto contulit gloriam, quod sepulchrum eius tot & tantis dat coruscare miraculis, vt inter alios sanctos eius non inuocari suffragia est indignum. Quare nobis humiliter supplicarunt, vt super miraculis, quæ per eum Dominus operatur, testimonia recipi faceremus. Verum quia in tam sancto negotio non est nisi maturitate, & grauitate præuia procedendum, de discretione vestra plenam in Domino fiduciam obtinentes, mandamus quatenus ascitis vobis viris religiosis, & Deum timentibus de virtute morum, & veritate signorum, operibus videlicet & miraculis diligentissime inquirentes depositiones testium receptorum sub sigillis vestris fideliter inclusas, vt cum a nobis fueritis requisiti, eas ad sedem Apostolicam fideliter transmittatis. Dat. Viterby* IX. *kal. apr. ann.* X. Vt vero maiorem consilij maturitatem in re tanta afferret Pontifex, alijs viris probitate dignitateque conspicuis iterum inquirendi de viri sancti miraculis prouinciam demandauit. d

Beneuenutus Minorita miraculis clarus.

c Eod. l. 10 ep. 2.

De illis inquirere nonnulli episcopi iussi.

d l. 13. ep. 93

29 Cum in sanctorum virorum historia stylus decurrat, superioribus B. Iordani supremi ordinis Prædicatorum magistri funus adijcere visum est. Pia ille afflatus perlustrandæ Terræ sanctæ cupiditate mari se commiserat, & fœdissima inhorrescente procella, haustaque fluctibus arcano diuinæ prouidentiæ consilio qua vehebatur cum socijs naui, vndarum vorticibus absorptus interijt. sed mox diuinitus lapsa cælo ignea columna defixis admiratione tam Christianorum, quam infidelium rem intuentium oculis & animis sacro corpori incubuit: quod cum vndarum in littus excurrentium impetu erectum esset, eodem splendore ter circumfusum radiauit ac suauissimum odorem afflauit, vt S. Lutgardis vitæ auctor prosequitur a: *Non diu post beatæ memoriæ Iordanus magister ordinis Prædicatorum, cum diu magno flagrasset desiderio inuisendi Terram sanctam, inde rediens per mare, occulto Dei iudicio cum magna hominum multitudine & duobus fratribus Dominicanis submersus est: moxque a summo cæli fastigio vsque ad nauem illam, in qua extinctus iacebat, maxima ignis columna quinque horarum spatio diuinitus accensa de nocte apparuit: cumque sacrum corpus littus attigisset, cæli lampas tertiò super illud, & quarto super socium eius Geraldum resplenduit, atque ita lampas recedens nube excepta est. Huius rei testes fuere Christiani catholici, Græci schismatici, & gentiles: corpus autem eius mirifice fragrans, a fidelibus curatum est.* Addit Leander b eius vitæ scriptor non illam modo cælestem lucem sacro corpori affulsisse, verum & cruces in ipsius sociorumque corporibus emicuisse, ac demum sepulturæ mandato B. Iordani corpore per multos dies sepelientium manus suauissimum odorem spirasse: sanctissimam quoque illius animam B. Lutgardi virgini Deo sacræ sese obiecisse, quod etiam Cantipratensis historiæ consectatur:

B. Iordanus mari mergitur.

a Cantipr. apud Sur. in vit. S. Lutgard. l. 3. c. 2.

Illius corpus columna ignea illustratũ.

Prolectum ad littus suauissimum odorem efflat.

b Leand. in vit. B. Iord. apud Sur. to. 7. die 13 feb.

30 *Eodem anno in vigilia natiuitatis Christi a prima diei hora vsque ad sextam horam Lutgardis, cum in spiritu quasi tenebras quasdam sentiret, adeo cœpit tædio affici, vt in hæc verba prorumperet: Domine, quid est quod sentio? quid est quod patior? Certe si quispiam amicus vel in cælo vel in terra pro me oraret, talem ego duritiam minime sentirem. Hæc illa cum lacrymis dicente, subito mentis eius oculis spiritus quidam adeo luculentus & gloriosus apparuit, vt præ splendoris magnitudine eum non agnosceret. Dixit autem illi. Es Domine? Et ille: Ego sum, inquit, frater Iordanus, quondam dictus magister ordinis Prædicatorum. Ego iam migraui ad beatam vitam, & inter Apostolorum & Prophetarum choros splendeo sublimatus: missus autem sum ad te, vt in hac iucundissima solemnitate te consoler. Tu vero de præmio secura esto: propediem a Domino coronaberis.* Nec modo B. Lutgardi felix anima a fragili corpore iam segregata videndam sese obtulit, verum etiam pijssimo viro angelorum manibus inter Apostolorum, ac prophetarum lætissimos ac triumphales choros sublimis efferri visa est. Hæc de B. Iordano suffecerint. iam ad Galliarum res nos conuertamus.

Obiectũ B. Lutgardi de illius morte cælesti visũ.

31 Tulerat iniquiorem legem aduersus præsulum auctoritatem procerum consilio, politicorumque artibus subornatus Ludouicus, qua vetuerat, ne subditi ad ecclesiasticorum tribunalia ad dicendam caussam accersiti comparerent, & si ob contumaciam desigerentur censuris, eorum bona, qui eas inflixissent, vel infligi curassent, forensi satellitio, donec reuocatæ ac dissolutæ essent, occuparentur. At ne dignitas ecclesiastica, atque auctoritas ea lege admodum depressa obsolesceret tuendæ illius zelo incitatus Gregorius grauissimis literis Ludouico Regi Caroli magni, Theodosij, ac Valentiniani Imperatorum, qui adeo episcoporum auctoritatem extulerant; nec suæ tamen maiestatis obscurarant splendorem, sed auxerant,

Lata in Gallijs ad euertenda ecclesiast. tribunalia iniqua leges.

excai-

exempla propoſuit a, monuit editas a ſe ac proceribus leges cum libertate eccleſiaſtica pugnantes reſcinderet: denique latam ab Honorio ſententiam obiecit, qua huiuſmodi legum conditores anathematis laqueo ſe irretiebant.

a Lib. 9. ep 384.

Ludouico illuſtri Regi Franciæ.

Greg. ad S. Lud. lit. de ijs reuocandis.

Rex qui regni regit æternum dominium, qui erexit Eccleſiam ſuper catholicæ fidei fundamentũ, Reges terrarum ad ipſius Eccleſiæ obſequium ſuis monitis excitans, & orbis principes multis ad eius deuotionem exemplis inuitans, illam præcipit a mortalibus honorari, pro qua ipſe immortalis formam ſerui accipiens crucis patibulum, & mortis non expauit ſubire tormentum, exaltans illum, qui miniſtris ipſius præſtat obſequium, & regnum ei ſua miſeratione perpetuans, qui ad tempus ſponſæ ſuæ votis fauorabiliter obſecundat.

Carolimagni Eccl. ſtudioſiſſimi exemplum felicitatemq; proponit.

32 Porro id fili chariſſime in progenitoribus tuis, & præſertim in inclytæ record. Carolo magno colligere poteris euidenter, diligenter attendens, qualiter idem Carolus Rom. Pontifici vicario Ieſu Chriſti & ſucceſſori B. Petri, cui Dominus terreni ſimul, & cœleſtis Imperij iura commiſit, obediens pro defenſione Eccleſiæ ſe laboribus & anguſtijs multis expoſuit, quantum exinde honoris, laudis & gloriæ reportauerit. Sed forſan ad tuam notitiam non peruenit, quod idem contra perſecutores ipſius Eccleſiæ magnum pluries congregans exercitum bellatorum de ipſis magnifice triumphauit: & Imperatore Conſtantinopolitano eccleſiaſticam negligẽte defendere libertatem, Eccleſia gladij ſpiritualis & materialis obtinens a Domino poteſtatem, vt alterum ipſa exerat, & vt alter exeratur indicat, Imperium eidem Carolo, qui non ſolum violatores libertatis Eccleſiæ, ſed & rerum eccleſiaſticarum ſua virtute compeſcuit turbatores, contulit, & ipſum alijs immenſis gloriæ titulis inſigniuit, in perſonam ipſius continuans gratiam, quam retroactis temporibus Zaccharias Papa Pipino patri ſuo fecerat, quem ad regni Francorum ſolium exaltarat; propter quod ipſe Carolus Eccleſiam, a qua omnem honorem ſuſceperat, cupiens honorare, perpetua lege decreuit, vt omnes ipſius iuriſdictioni ſubiectos ſtatutum a Theodoſio Imperatore pro Eccleſiæ libertate editum inuiolabiliter obſeruarent, videlicet vt quicunque litem habens, ſiue petitor fuerit, vel in initio litis, vel decurſis temporum curriculis, ſiue cum negotium peroratur, ſiue iam cœperit promi ſententia, ſi iudicium elegerit ſacroſanctæ ſedis antiſtitis, illico ſine aliqua dubitatione, etiamſi pars refragatur altera, ad epiſcoporum iudicium cum ſermone litigantium dirigatur, & omnes cauſæ, quæ prætorio, & etiam ciuili iure tractantur, epiſcoporum terminatæ ſententijs perpetuæ robur obtineant firmitatis, & negotium, quod iudicio ipſorum deciditur, nequaquam alterius ab aliquo retractetur. Ex quo manifeſta potes ratione perpendere, quantum iniquũ videatur & abſonum, ſi honor Eccleſiæ, quæ tã grandis libertatis priuilegio donata cognoſcitur, in illis immunitatibus, quæ multo prædictis noſcuntur eſſe minores, tuo tempore decurtetur.

Vt Theodoſij de Eccl. libertate decretum renouarit.

Succeſſores Caroli illius exempla imitatos.

33 Cæterum reliqui ſucceſſores eiuſdem Caroli progenitores tui exaltationem eccleſiarum propriã exemplo ſimili reputantes, ſe Chriſtianæ fidei, ſe matris conſtituerunt Eccleſiæ defenſores; & ſtudioſius attendentes quod Deo, qui eos regni gloria ſublimarat, nihil rependere poterant ſimile, vt tamen oſtenderent ingratitudinis vitio ſe carere, eccleſias facultatibus multis dotarunt, immenſis donarunt libertatibus, vel eam potius, a qua ipſi omnem poteſtatem acceperant, in libertate debita ſeruauerunt, reputantes indignum, vt locus, vbi diuinum nomen excolitur, vbi Chriſtus in altaris hoſtia in noſtrorum redemptionem criminum immolatur, alicuius ſeruitutis ſubijciatur oneribus, cum ſit ſupra intellectum hominis honorandus. Si ergo proprie ſeruat propago vitis originem, ſi ſuccus idem ramos viuificat & radicem, vix creditur vt eiſdem progenitoribus, quibus parificaris honore dominij, patiaris te contrarium moribus, & inferiorem virtutum actibus inueniri. Quinimmo ſperatur quod gratia bonitatis, quæ ipſis erat innata, ad tuam deriuata perſonam, te nihil permittat efficere, quod libertati & honori Romanæ Eccleſiæ, & membrorum eius poſſit in aliquo derogare; cum ſapor fontium conceſſus origini fluentibus ex ipſo riuulis non valeat abnegari.

Queritur Pont. nouis legibus redigi in ſeruitutem præſules.

34 Sed ecce audiuimus & dolemus, quod tu fili chariſſime, & regni barones malorum vſi conſilio Eccleſiam, quæ vos ex vtero ſanctificationis regenerauit in filios, ac pro ſalute veſtra immaculatum agnum offert iugiter Deo patri, in ſeruitutem cupientes redigere, quaſi iam non liberæ velitis vocari filij, ſed ancillæ; immo ſponſam Regis æterni, qui vos a ſeruitute perpetua liberauit, conantes miſerabiliter ancillare, communi ſtatuto, vel deſtitutione potius contra libertatem Eccleſiæ, ſicut dicitur, firmauiſtis, vt homines veſtri iuris eccleſiaſticis, vel eccleſiaſticorũ hominibus aut alijs in foro non teneantur eccleſiaſtico reſpondere: quinimmo ſi iudex eccleſiaſticus in eos ob contumaciam excõmunicationis ſententiam tulerit, huiuſmodi ſentẽtiam rerum occupatione ſuarum, vel eorum ad quorum inſtantiam excommunicati fuerint, in contemptum clauium Eccleſiæ, aduerſus quas non poſſunt potentiæ inferi præualere, relaxare cogatur; & quod deterius eſt, archiepiſcopos, epiſcopos, & alias perſonas eccleſiaſticas, & earum homines ſuper quibuſcunque cauſis ciuilibus ordinem iuris ſcripti & antiquæ conſuetudinis peruertentes, veſtro parere iudicio coarctatis, licet ab antiquis temporibus ea libertate vſque ad hæc tempora in regno Franciæ obſeruata, vſa fuit eccleſia Gallicana, vt laici perſonis eccleſiaſticis, & eccleſiarum hominibus in iudicio eccleſiaſtico reſponderent.

Monita apoſt. ad piũm Regem data ne ſe prauorum cõſilijs abripi ſinat.

35 Conſidera igitur fili, conſidera quantum tibi talia conſulentes tuum commodum diligunt, & honorem, qui deſiderantes in aqua turbata piſcari, prauis ſuggeſtionibus incipiunt maculam in tua gloria ponere, vt ex hoc non quæ tua, ſed quæ ſua ſunt valeant commoda reportare. Conſidera quantum indecens tibi poſſit exiſtere, ſi in eccleſiarum oppreſſionibus tui regni primitias ſuggeſtio familiarium hoſtium ſtatuat, & de flore iuuentutis tuæ, de qua multæ fructum dulcedinis expectat Eccleſia, amaritudinis, quod abſit, botrus erumpat. Quid plura? conuenit, vt frequenter infra tui pectoris arcana reuoluens quod non ſolum prædeceſſores tui, quibus & tibi ex honore impenſo Eccleſiæ multiplicis laudis titulis, & honoris accreuit, totis eam ſtuduerunt viribus honorare: ſed & multis longe retroactis temporibus Valentinianus Imp. ſuffraganeis Mediolanenſis dixit eccleſiæ: Talem in pontificali conſtituite ſede, cui & nos, qui gubernamus Imperium, ſincere noſtra ſubmittamus capita, & ad eius monita, dum tanquam homines delinquimus, neceſſario velut ad curãtis medicamina recurramus; aures tuas illis, qui te ad afflictionem eccleſiarum prauis ſeductionibus nituntur inducere, minime præbeas, & ea tibi ſuggerentibus, quibus animæ detrimentum incurris, auditum penitus interdicas. Hinc eſt quod excellentiam regiam rogandam duximus & monendam, quatenus ob diuinæ maieſtatis reuerentiam, & Apoſtolicæ ſedis honorem, ſtatutum prædictum, & alia eccleſiaſticæ contraria libertati in irritum reuocans, & a dictis baronibus faciens reuocari, ac eccleſiam Gallicanam in priſtino ſtatu, &

honore conseruans, eam non molestes, nec patiaris ab alijs molestari; quinimmo viros ecclesiasticos indulta tibi cælitus potestate protegens, & defendens rebelles Ecclesiæ ad ipsius mandatum, & vnitatem redire compellas, & de damnis & iniurijs, quæ ob hoc ecclesijs Senonensi, seu alijs dicuntur illata, absque diminutione satisfieri facias, ita quod ex hoc apud Deum merearis gratiam ampliorem.

Significat censuras ab Honorio similiū legum cōditoribus inflictas.

36 Ad hæc cum olim fel. rec. Honorius Papa prædecessor noster in omnes aliqua statuta contra Ecclesiæ libertatem edentes, nisi infra duos menses statuta ipsa reuocent, excommunicationis sententiam tulerit, & super hoc canonem lata sententia promulgarit, nos ipsius tenorem tibi, ne id tuam serenitatem lateat, duximus transmittendum, qui talis est: Noueritis quod nos nuper in basilica principis Apostolorum, præsente charissimo in Christo filio nostro Frederico Romanorum Imp. & semper Augusto in celebratione missarum, postquam capiti suo imposuimus Imperij diadema, de consilio fratrum nostrorum accensis candelis excommunicauimus ex parte Dei omnipotentis, auctoritate quoque beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & nostra omnes hæreticos vtriusque sexus quocumque nomine censeantur, & fautores, receptatores, & defensores eorum; nec non & qui de cætero seruari fecerint statuta edita, & consuetudines vel potius abusiones introductas contra ecclesiasticam libertatem, nisi ea de capitularibus suis infra duos menses post huiusmodi publicationem sententiæ fecerint amoueri. Item excommunicamus statutarios, & scriptores statutorum ipsorum, nec non potestates, consules, & rectores, consiliarios locorum, vbi de cætero humana statuta, vel consuetudines editæ fuerint, vel seruatæ, nec nō & illos, qui secundum ea præsumpserint iudicare, vel in publicam formam scribere iudicata. *Dat. Viterbij xv. kal. martij pont. nostri ann. ix.*] Hæc Gregorius, qui etiam scripsit ijsdem pene verbis tum ad Nauarræ Regem a comitem Campaniæ, tum ad proceres regni b, vtq; iniquas illas leges pro viribus abolere studerent imperauit, tum Senonēsem & Turonensem archiepiscopos, ac suffraganeos antistites ad eas infringendas constanti animo incumbere iussit.

a Ibid. ep. 385.
b Ep. 386.

37 Præripuerat etiam suorum consilijs adductus Rex Bellouacensi ecclesiæ iuris dicundi, qua pollebat hactenus auctoritatem, quanquam iustitiæ zelo abripi visus est. Patrato enim a ciuibus immani scelere, ad plectendos illius conscios, ingentibus succinctus copijs eo procurrit, & quamuis episcopus iustitiam se in criminis participes districturum polliceretur, ac sua iura quereretur infringi, si exercendæ illius facultas adimeretur; non destitit a suscepto consilio, magnaque ciuium multitudine partim damnata ad suspendium, partim mulctata pecunijs, partim in exilium pulsa, episcopum ipsum ob libras octingentas stipendiorum nomine non solutas ciuitate eiectum maiorē redituum atque obuentionum, ad ecclesiam eam spectantium parte exuit. quare Rhemensis archiepiscopus alijque prouinciæ præsules permoti, concilio coacto Regem monuere, vt ecclesiam pristino iuri dignitatique restitueret, & si oblatas respueret preces, sententiam interdicti in Rhemensem prouinciam distringere decreuerunt: de quibus Pontifex admonitus, sententiam ratam habuit, ac firmam iussit c esse. Tum Laudunensem, ac Nouiomensem episcopos, ob interdictum ab ipsis in suas diœceses non iactum arguit d: Francorum vero Regem hortatorijs literis monuit e, violata ecclesiæ Bellouacensis iura inflictaque damna resarciret, quæ repetitis etiam alijs literis inculcauit f, magis ad id præstandum procliuem propensumque se exhibere debuisse, quo genus ex ijs principibus duceret, qui ad fidem amplificandam, tuenda ecclesiastica iura,

Excitata Bellouaci seditione accurrit S. Lud. Episcopo Bellouaci domino reos supplicio affectum in proinittēte, iusticiā exercet.
c Lib. 10. ep. 3.
Ob violata ecc. iura prouincia interdicto subijcitur.
d Ib. ep. 4.
e Ep. 5.
f Ep. 228.
Bellouac. ep. causa a Pont. suscepta.

ecclesiasticorum honorem augendum, sæpius non modo operam suam collocassent, verum etiam sanguinem profudissent; idque maxime illi gloriæ versum iri, si in ea re sedi Apostolicæ morem gessisset: literas se ipsius pro solita benignitate excepisse, cumque ipsum facilem, ac pronum ad rem componendam intelligeret, Syluanectensi, Meldensique episcopis relaxandi ad tempus interdicti prouinciam imposuisse, vt tumultus omnis facilius extingui, pristinaque concordia adduci posset: beneque se sperare maiorum vestigijs illum insisturum, atque episcopo & ecclesiæ Bellouacensi facturum satis, vt famam suam nulla aspersa illi labe puram integramque seruaret. Hortatus etiam est Reginam Blancam a, vt Regem ad subijciendum sese Ecclesiæ inducere niteretur, diuinumque illi timorem insereret; tum ad Syluanectensem & Meldensem episcopos, vt sacrorum vsu ad tempus restituto, ad redintegrandam concordiam ecclesiasticamq; seruandam libertatem egregie operam nauarent: præterea episcopo & capitulo Bellouacensibus, ac Rhemensi, Suessionensi, alijsque præsulibus iniunxit b, salua ecclesiæ dignitate faciles se ad pacem cum Galliarum Rege contrahendam præberent.

a Reg. eod. ep.
b Ep. 225.

38 At Bellouacensis episcopus seruandæ dignitatis tuendorumque iurium solicitus, ne posthac facile infringerentur, vel secuturorum temporum iniuria obscurari illorum memoria, aut deleri posset, summum Pontificem rogauit, vti diplomate apostolico Bellouacensis ecclesiæ iura, & illatas iniurias insereret. quæ Gregorius abunde præstitit, & in patriarchij Lateranensis sanctius tabellarium referri imperauit c: flagitantique pariter Turonensi archiepiscopo, vt ecclesiarum suæ obnoxiarum auctoritati prærogatiuas corroboraret, annuit. Quæ res cum Regi Ludouico ingrata accidisset, delinire illius animum studuit his verbis d: *Apostolicis literis per venerabilem fratrem nostrum archiepiscopum Turonensem super libertate ecclesiarum sua prouincia impetratis, nec tuam personam lædi, nec iuri regio in aliquo credimus derogari, quia nequaquam de tuo dispendio sed honore ac salute potius agitur, si libertas ecclesijs per tuos prædecessores a tempore, cuius memoria non extat, indulta nobis præcipientibus obseruatur.* Subiungit mox preces, vt cœpto excindendarum hæreseos reliquiarum in Tolosana prouincia operi extremam manum adderet, ac Raymundum ad promissa perficienda compelleret.

Confirmata a Greg. illius ac Turon. arch. iura.
c Ep. 39.
d Ep. 66.
Regem ægre illa ferentem delinit Greg.

39 Adstrinxerat se iureiurando Tolosanus comes, dum Parisijs pacem cum Francorum Rege atque Ecclesia iniret, ad excindendam hæresim, instruendamque in Terram sanctam expeditionem: verum excitatis Tolosæ in sacræ fidei censores tumultibus ab ijs, qui heresi infecti erant, nec exorienti malo congruis adhibitis remedijs, comes ob nō coercitum illorum furorem a promissis deficere hæreticosq; fouere visus est; quare Pontifex præteritis omnibus criminibus in apostolicis literis ipsi exprobratis imperauit e, ea quamprimum emendaret, & conflato exercitu in Hierosolymitana loca quinquennium in sacro bello collocaturus proximo mense martio sese conferret: quæ nisi perficeret, se legato prouinciam dedisse, vt in omnibus ecclesijs solemni ritu inflictam ipsi anathematis sententiam promulgandam curaret.

Concitata Tolosæ aduersus fidei inquisit. seditio.
e Ep. 58.
Raymundus in suspicionem hæres. vocatus.

Nobili viro comiti Tolosano spiritum consilij sanioris.

Olim ad Apostolicæ sedis perlato notitiā, quod in partibus Albigensibus vineam Domini tribulus, & vrtica repleuerant, & in terram Iuda Rex Babyloniæ veniens templū Domini vasis aureis catholicæ fidei spoliauerat, illuc felicis recordationis Innocentius & Honorius prædecessores nostri cultores, qui ex ipsa herbas pestilentes vomere prędicationis excerpērēt, cla-

Acerrime ad eum Greg. lit.

ræ

ræ memoriæ Ludouicum Regem Franciæ, & alios de regno suo crucis signaculo insignitos, qui mucrone iustitiæ a templi sanctuario sordes contaminationis eraderent, destinarunt; sperantes quod ibi botrus catholicæ fidei in calicem Domini comprimendus erumperet, & Hierusalem expurgata Regem pauperem sedentem super pullum asinæ subiugalis cum palmis recipiens, & floribus exultaret.

40 Cum ad id dicti prædecessores nostri plurimum laborantes non potuissent proficere, & laborem eorum nostrorum peccatorum crederentur merita vacuasse, nos attendentes quod omne, quod est ab improbo labore deuincitur; & Pharao vt liberet Israelem non nisi plagis contritus pluribus emollitur, humeros nostros huius laboris fasci subiecimus, & venerabilem fratrem nostrum Portuensem episcopum, tunc S. Angeli subdiaconum Card. commisso sibi legationis officio ad partes illas duximus destinandum: qui eo faciente, qui bonum opus aspirando præuenit, & prosequitur adiuuando, maxillas eorum qui inconsutilem Christi tunicam lacerabant, in fræno cohibuit, vulpeculas paruulas, quæ dominicam demoliebantur vineam, intercepit; & vt fides catholica statui antiquo plene posset restitui, in pace inter Ecclesiam & charissimum in Christo filium nostrum Franciæ Regem illustrem ex parte vna, & te ex altera ipsius studio reformata, & concilio propter hoc Tolosæ habito, nonnulla statuta edidit, ac ad hæresim fortius confutandam Tolosæ sacræ paginæ, & aliorum artium studium ordinauit.

Obiurgatur pacis tractatum violasse.

41 Verum quia immundus spiritus domum, a qua eiectus fuerat, scopis mundatam rursus ingredi nititur, & Pharao liberatos Hebræos, iterum sibi subiugare conatur, post ipsius recessum venerabilibus fratribus nostris, primo videlicet episcopo Tornacensi, & postmodum archiepiscopo Viennensi Apostolicæ sedis legatis vt super catholicorum grege noctis vigilias vigilantes lupos a Dominico coercerent ouili, duximus legationis officium committendum. Sed ecce quod verebamur accidit, & timor quem timebamus euenit. Nam sicut ex insinuatione ipsius archiepiscopi & aliorum prælatorum suæ legationis accepimus, fratrem Guillelmum Arnaldi fratrum Prædicatorum, qui auctoritate nostra & dicti archiepiscopi contra hæreticos inquisitionis exercebat officium, & summo studio laborabat, vt educto obstetricante ipsius manu colubro tortuoso prodirent in lucem opera tenebrarum a ciuitate Tolosana, vicarius tuus; & consules ciuitatis eiusdem, qui ne contra hæreticos procedatur diuersa difficultatum obstacula interponunt, post illatas sibi multas iniurias non fine turpi violentia eiecerunt] Er infra vbi exposuit alia flagitia a Tolosania magistratibus in fidei censorem, episcopum & clerum magno dedecore Tolosa depulsos, comitem his verbis obiurgat:

42 Tu vero, qui iuxta formam prædictorum concilij & pacis ecclesias & viros ecclesiasticos defendere, iura & libertates ipsorum integre conseruare, ac ad confutandos hæreticos efficax præbere consilium, & eos capientibus certam soluere pecuniæ quantitatem; nec non magistris Tolosæ regentibus vsque ad certum tempus annis singulis exhibere salarium, ac cum pluribus burgensibus, & militibus terræ tuæ in Terræ sanctæ transfretare subsidium iuramento præstito tenebaris, salarium ipsum prædictis magistris, propter quod præfatum studium dicitur dissolutum, subtrahens & formas iniquas statutis nostris, & iuri contrarias circa hæreticorum inquisitionem ad eorum fauorem postulans obseruari, inquisitionem hæreticorum multipliciter impedis, & plures in terra tua hæreticos condemnatos publice habitare permittis, & eis aliunde ad terram ipsam confugientibus securum refugium exhibens, suspectos & diffamatos de hæresi consiliarios & familiares tecum habens, ipsos ad publica promouere officia in præmissis contra dicta statuta, vel pacem, ac præpositum iuramentum venire; & sicut ex consideratione factorum tuorum conijcitur, hæreticorum fautorem, receptatorem, defensorem, & eorum fautoribus non veritus te fauorabilem exhibere, super his sæpe monitus te corrigere non curasti: ex quo plures iniquitatis filij sumentes audaciam, nonnullos sacerdotes, & alios viros catholicos, qui zelo fidei persequebantur hæreticos, in iniuriã diuini nominis occiderunt: multi etiam perditionis filij abnegata fide catholica se constituerunt hæreticos: nonnulli contumelias, & damna grauia ecclesijs, ecclesiasticis, cæterisque catholicis viris negotium fidei prosequentibus multipliciter intulerunt; tuque pluries requisitus vindictam iustitiæ noluisti in malefactores huiusmodi exercere.

Creuisse ex ipsius prauo exemplo perfidis audaciam.

43 Cumque propter quosdam de prædictis, & alijs excessibus in personam tuam & dictos consules, tanquam hæreticorum fautores, venerabiles fratres nostri archiepiscopus Narbonensis, Carcassonensis, & Tolosanus episcopi, & dictus frater W. auctoritate sua & nostra diuersas excommunicationis sententias protulissent, & idem frater sententiam excommunicationis in ipsos a se latam per capellanos ecclesiarum & fratres Minores Tolosanos mandasset diebus dominicis & festiuis publice nunciari, ijdem consules capellanis ipsis, quia firmiter proposuerant huiusmodi mandato parere, ex præfata ciuitate de nocte violenter expulsis, fratres ipsos, quia iuxta formam eiusdem mandati prædictas sententias nunciarunt, exinde atrocibus minis expellere, & quosdam ex ipsis verberare vsque ad effusionem sanguinis præsumpserunt. Quid plura? tu & consules ipsi, vt diuini nominis aduersarios, & fidei vos exhiberetis catholicæ inimicos, diuersa banna & statuta, vel destitutiones potius edidisse; & ne quis coram inquisitore hæreticorum compareret de fide sua vel alterius responsurus, sub pœna rerum & corporum publice inhibuisse, & alia plura fecisse dicimini; quibus fidei, & pacis status euertitur, & libertas ecclesiastica eneruatur.

44 Cum igitur quo prædicta in maiorem attentata sunt perniciem fidei, eo minus a nobis debent sub silentio præteriri, mandamus quatenus præmissa omnia ad mandatum prædicti legati per te corrigas, & ab eisdem consulibus & alijs hominibus tuis, potestate tibi tradita, facias emendari; ac in dictæ Terræ sanctæ subsidium cum eisdem burgensibus & militibus in proximo futuro martio non differas te transferre; ibi iuxta formam pacis per quinquennium moraturus. Alioquin eidem legato nostris damus literis in mandatis, vt te ac alios prædictos ad præmissa per censuram ecclesiast.cam, appellatione remota, compellat; & præfatas sententias in singulis suæ legationis ecclesijs omnibus diebus dominicis & festiuis, pulsatis campanis & candelis accensis, auctoritate nostra vsque ad satisfactionem condignam faciat solemniter innouari. *Dat. Viterbij 10. kal. maij ann. x.*] Deque ea re legatum admonuit [a] iniunxitque, vt Tolosana studia instauraret, edicta ac leges, quæ libertatem ecclesiasticam infringerent, rescinderet, suspectos vel infamiæ hæreses nota insignitos, a publicis consilijs remouere studeret, aliasque contra hæreticos pœnas, fautores & Ecclesiæ perduelles distringeret; ac data alijs literis [b] prouincia est Tolosanorum hæreticorum domos ad æternum infamiæ dedecus euerti iubeet.

Iubetur appetente martio profectionis Hier. votum implere.

a Reg. pag. eam. 1. ep.

b Ead. l. 10 ep. 1151

Domus, quibus, recepti hæretici excindi iussæ.

45 Francorum porro Regem enixius orauit [c], tradita sibi a numine potentia, ad comitem consulesque Tolosanos compellendos ad præmissa scelera emendanda vteretur, vt ad hæresim profligandam

c Id. ibid.

 ste-

strenue operam conferret a, maiorumque vestigia sectaretur, quorum virtutem adeo Deus in omnium gentium ore ac luce collocarat, vt eorum ope Terram sanctam e Sarracenorum manibus eripuisset, Græciam ad sedis Apostolicæ auctoritatemque agnoscendam & colendam adduxisset, ipsam Ecclesiam multis cinctam periculis feliciter ijs explicuisset, hæreticos Albigenses euertisset: proinde ipsius gloriæ atque honori cessurum ad fidem propagandam incumbere, egregiaque a parente Ludouico VIII. cœpta in Albigensium regionibus perficere. Tum admonet vt comitem Tolosanum, ad traijciendum proximo mense martio in Hierosolymitana loca cogeret; fratrem Alphonsum ad Tolosani comitatus administrationem suscipiendam mitteret. Extat pontificium diploma b, quo Gregorius Alphonso, vt cum filia comitis Tolosani, quarto gradu consanguinitatis coniuncta, nuptias conficere posset permisit: ac similem fratri alteri, cui Roberto nomen erat, vt nimirum cum Mathilde ducis Lotharingiæ filia matrimonium inire posset, gratiam anno sequenti fecit, vti epistolæ ad Robertum, & Ludouicum, ac Reginam matrem datæ testantur c. Ad alendam etiam Regis pietatem, cum illum erga diuina egregie affectum nosset Gregorius, apostolico diplomate concessit d vt cum sacrorum iustitium esset, diuinis mysterijs interesse posset; vetuitque e ne quis ipsius sacraria ecclesiastico interdicto percelleret.

a Ep. 66. Rogat S. Regem Pontifex malum ve crudelem excindat. — Mittat Alfonsum fratrem ad comitatum Tol. administrandum. — b Lib. 10. ep. 86. — c Ib. ep. 315. 316. 317. — d Ep. 263. — e Ep. 264.

46 Adscribunt porro iure historici tanti Regis incensæ pietati diuinæ prouidentiæ miraculum, quo illum hoc anno ex periculosissimis illius vitæ paratis insidijs eripuit f: cum enim princeps Arsacidarum siue Assasinorum, qui præcelsis montium iugis insident, eaque munitissima loca in Antiochiæ ac Damasci finibus incolunt, nonnullos sicarios in Gallias misisset, vt S. Regem cuius fama iam sui terrorem Sarracenis incusserat, trucidarent, Deus optimus maximus, de quo scriptum g: *Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationem populorum, & reprobat consilia principum*; crudelis tyranni pectus emolliuit, vt mutato consilio oratores submitteret, qui Regem Ludouicum structarum insidiarum admonerent. Quæsiti itaque sicarij, & comprehensi, non illos tamen merito supplicio, sed muneribus singulari Christianæ mansuetudinis exemplo affectos addit Nangius his verbis: *Quibus visis Rex exultans præ gaudio vtrosque muneribus honorauit; deinde Regi Harsacidarum xenia regalia, & dona quamplurima pretiosa in signum pacis & amicitiæ delegauit.*

Arsacid. Rex sicarios ad occid. S. Lud. mittit. — f Nang. de gest. S. Lud. Bernar. in chro. Reg. Franc. hoc ann. — g Ps. 32. — Mutato consilio illum periculi admonet. — Singularis S. Lud. in sicarios clementia.

47 Hæc auctor, qui huic narrationi superiori anno consignatæ præmiserat Theobaldum Campaniæ comitem eundemque Nauarræ Regem noua in Ludouicum molientem compressum, traditisque ab ipso duabus arcibus concordiam redintegratam fuisse. Verum dissensionem iterum præsenti anno recruduisse ex pontificijs literis ad Regem Ludouicum arma in Theobaldum parantem missis constat: accepto enim bellici apparatus rumore Gregorius, qui Theobaldum cruce indutum in clientelam susceperat, atque expeditionem Asiaticam promouere cupiebat, a Ludouico summis precibus, adiectis etiam imperijs, contendit ne tanto rei Hierosolymitanæ periculo pacem confunderet, cum ipse de Cardinalium pluriumque præsulum consilio statuisset, vt pax vel saltem induciæ in vniuerso orbe Christiano ad quadriennium religiose seruarentur, atque censuris ecclesiasticis earum violatores se irretirent: *Cum sicut accipimus terram charissimi in Christo filij nostri Regis Nauarræ comitis Campaniæ, qui crucis signaculo insignitus in Crucifixi seruitium proficisci proposuit, proposueris impugnare; nosque de fratrum nostrorum, & omnium prælatorum, tunc apud sedem Apostolicam existentium, consilio duxerimus statuendum, vt pax aut treugæ per totum orbem terrarum saltem per quadriennium obseruentur, eis qui contraire præsumpserint, ad id censura ecclesiastica compellendis; serenitatem regiam rogamus per aspersionem sanguinis Iesu Christi in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatenus ne Terræ sanctæ iactura, quæ propter hoc, quod absit, posset contingere, de tuis manibus requiratur, a præfati regis & aliorum crucesignatorum impugnatione desistens, pacem in tuo regno procures taliter fieri, quod & crucis negotium valeat promoueri, & tu ex hoc illum merearis habere propitium, qui pro salute tua, & totius humani generis in ligni patibulo proprij sustinuit corporis cruciatum. Dat. Interamnæ XIV. kal. iulij ann. X.* Paucosque post dies Nauarræ Regi concessit a, ne quis anathematis sententiam iaculari in eum posset, quod insignitus cruce sanctis locis subsidio iturus esset.

Parantem in Theob. crucesignatum bellum a suscepto consilio abducere studet. — a Ib. 156. 157.

48 His addere lubet, ea tempestate plures in Aquitania, qui se ad militiam sacram accinxerant, iniusto zelo, pietatis colore subornato percitos, eo crudelitatis prorupisse, vt Iudæos passim cæderent, bona diriperent, libros flammis absumerent, nulloque ætatis, vel sexus habito discrimine, ad duo millia supra quingentos, nonnullis equorum pedibus immaniter protritis, & elisis trucidarent, atque ad ostentationem crudelitatis feris auibusque lanianda corpora exposuissent. Tantis igitur oppressi calamitatibus infelices Iudæi ad summum Pontificem confugere, quorum ille iustis precibus flexus archiepiscopum Burdegalensem, atque episcopos Xanctonensem, Engolismensem, & Pictauiensem literis suis ad tantam arcendam sæuitiam, vtque spoliatis erepta restitueretur, incumbere imperauit. b

Iudæi in Aquitania a crucesignatis cæsi spoliatique. — b Lib. 10. ep. 212.

Gregorius, &c.

Lacrymabilem Iudæorum in regno Franciæ commorantium, & miseratione dignam recepimus questionem, quod cum crucesignati ciuitatum vestrarum, & diœcesum debuerint corda & corpora præparasse ad prælium Domini præliandum, ac hæreditatem Christi liberare de manibus paganorum, qui exigentibus culpis populi Christiani detinent & coinquinant templum Dei; & quanto huiusmodi prælium specialius est ipsius, tanto timorem sui nominis & amorem humilius amplexari ne, quod absit, in suis noxijs desiderijs ambulantes diuinam contra se patientiam prouocarent; ijdem cum alijs crucesignatis aduersus Iudæos eosdem impia consilia cogitantes, nec attendentes, quod quasi ex archiuis ipsorum Christianæ fidei testimonia prodierunt, & propheta testante, etsi fuerint velut arena maris, ipsorum tandem reliquiæ saluæ fient, quoniam non repellet in sempiternum Dominus plebem suam; delere ipsos de terræ facie pene penitus moliendo, ex inauditæ ac insolitæ crudelitatis excessu duo millia & quingentos ex ipsis tam magnos quam paruos, mulieresque prægnantes hostili rabie trucidarunt, nonnullis lethaliter vulneratis, & conculcatis alijs equorum pedibus sicut lutum, ac libris eorum incendio deuastatis, ad maius opprobrium & ignominiam eorundem morticina taliter occisorum escas volatilibus cæli, & carnes eorum terræ bestijs exponentes, ac illos qui ex occisione huiusmodi remanserunt, viliter & ignominiose tractantes, bona ipsorum auferunt, & consumunt, & vt tam immane flagitium possint virtutis pallio fibulare, ac iustificare vtcumque suæ impietatis causam, fingunt se præmissa fecisse ac peiora facere comminantur pro eo, quod renuunt baptizari. non considerato prudenter, quod licet orta tempestate in hoc mari magno & spatioso, ac in ea periclitante humano genere, verus Ionas Dei Filius Iesus Christus in eius altitudinem veniens, se permiserit ab ipsa tempestate demergi, vt nos Deo reconciliaret in suo sanguine, ac innouaret per lauacrum regenerationis, eiusdem sanguine consecratum, non

exclu-

excludens conditionem, vel sexum, per quod in adoptionem filiorum Dei ex omni gente possit assumi. Quia tamen, cui vult Dominus miseretur, non sunt ad baptismi gratiam, nisi sponte voluerint, compellendi; quia sicut homo propria voluntate arbitrij suggestioni serpentis obediens cecidit, sic vocante se Dei gratia libero arbitrio debet apponere vt resurgat, &c. *Dat. Reate IX. septemb. ann. X.*] Deque ea re S. Ludouico Regi, ad similem crucesignatorum continendum temperandumque furorem scripsit a. Consentanea mandauit historiæ Parisius b, qui adjicit aliam quoque stragem eamque maximam Iudæorum in Hispania editam, quibus ait perculsos Angliæ Iudæos ingentem vim pecuniæ Regi obtulisse, vti populorum similes impetus ab ipsorum capitibus auerteret, voceque præconis publice denuntiatum, ne quis iniuriam vllam molestiamque Iudæo cuilibet infligeret.

a Ibid. ep. 213.
b Par. hist. Angl. hoc ann.

49 Conciliandæ porro concordiæ, vt ex Anglia crucesignatorum auxilia elici possent, inter Henricum Angliæ, & Leuellinum Vvalliæ dominum atque etiam Scotorum Regem, omne studium Gregorium posuisse probant apostolica literæ, tum ad archiepiscopum & archidiaconum Cantuarienses c, tum ad Scotum ipsum d: *Regalis celsitudo requirit, vt quo magis honore præminet, eo diligentius seruet in suis actibus puritatem. Intelligimus siquidem charissimo in Christo filio nostro Henrico illustri Rege Angliæ intimante, quod cum homo ligius sis ipsius, & ei fidelitatis præstiteris iuramentum, quo te principaliter astrinxisti, quod in suum & regni Angliæ detrimentum nihil penitus attentares, tu id, vnde mirari compellimur, non obseruas, plura in honoris sui dispendium moliendo. Quia vero dictum Regem tanquam specialem Apostolicæ sedis filium paterna affectu diligimus; teque veluti nobis & Ecclesiæ Rom. deuotum sincera complectimur charitate, propter quod eo ardentius inter vos esse cupimus vnitatis vinculum, quo amplius nos grauaret discordia, & vehementius conturbaret; excellentiam tuam rogandam duximus propensius & hortandam quatenus Regi præfato ea in quibus teneris, eidem studeas plenius obseruare; ita quod ex hoc ipsius Regis dilectionem vberius merearis, & nobis tibi magis constituas in tuis opportunitatibus fauorabiles, & benignos. Dat. Viterbij v. kal. maij pontificatus nostri ann. X.* Cumque Henricus Ioannam comitis Pontinensis filiam ducturum se sacramento spopondisset, postea vero duplici cognationis vinculo sibi iunctam comperisset, Alienoramque comitis Prouinciæ filiam accepisset, Pontifex Regem, dato sacramento, cognita causa absolui iussit e. De Henrici III. cum Alienora inito matrimonio, deque splendidissimo nuptiali apparatu fuse Matthæus Parisius f. Per eos dies missos ab Henrico ad Pontificem oratores, ac literas postulatum, vti legatus a latere in Angliam ab Apostolica sede mitteretur, Gregorius blande ac benigne accepit: petitum tamen legatum iustis de causis non mittendum censuit, quas pontificiæ ad Regem redditæ literæ complectuntur g. *Ad præsens petitionem tuam super concessione legati distulimus exaudire, pro eo quod cum alia vice hoc idem ex parte tua cum instantia postulatum fuerit, & a nobis benigne concessum, statim ad nos reuocatoriæ literæ peruenerunt; propter quod ne hac vice etiam simile accideret, ab aliquibus extitit dubitatum. Præterea Ecclesia Rom. hoc tempore de mittendis a latere suo personis opportunitatem non habet; quam cito erit, actore Domino, habitura. Ideoque serenitatem tuam propensius exhortamur, quatenus de matris tuæ Apostolicæ sedis fauore securus, quæ prædilecto filio negare non potest quidquid secundum Deum postulat ab eadem, in nullo ex dilatione huiusmodi mouearis &c. Dat. Reate XII. kal. sept. pontif. nostri ann. X.*

c Lib. 10. ep. 62.
d Ib. ep. 65.
Pontifex pro concilianda inter Angl. & Scot. Reges concordia satagit.
Henricus Alienoram comitis Prou. filiam vxorem accepit.
e Epist. 63. 64.
f Par. hist. Angl. hoc ann.
g Greg. l. 10. ep. 202.

50 At quamuis Henricus de mittendo tum legato repulsam passus fuerit, quod temporis ratio secus postularet, sequenti tamen anno Othonem S. R. E. Card. misit, pijsque eius desiderijs in D. Eduardi Regis celebrando die festo scriptis ad archiepiscopum Cantuariensem, ac suffraganeos hisce literis a est obsecutus: *Cum recolendæ memoriæ Rex Eduardus, vt dudum accepimus, sanctorum catalogo meruerit numerari, dignumque sit honorari in terris, quem Dominus exaltauit in cælis; nos qui ad confirmandum catholicæ fidei puritatem, conuertendum incredulos ad iustorum sententiam, & corda fidelium in sui conditoris amorem suauiter accendendum, magnifice quantum in nobis est sanctos suos magnificare tenemur: cum simus in quos fines seculorum secundum Apostolum deuenerunt, inclinati pijs supplicationibus charissimi in Christo filij nostri Anglorum Regis illustris præsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus festum sancti prædicti & vos deuote celebretis in vestris ecclesijs, & faciatis a vestris subditis celebrari. Dat. Reate VI. kal. octob. ann. X.* Extant aliæ ad Cantuariensem archiepiscopum literæ quibus cum Henricus religione aliqua teneretur, anathematisque sententiam incurrisse ob submissam comiti Tolosano quandam pecuniæ vim metueret, dum ad fidei defendendam causam ac dignitatem bellum illi inferretur, absoluendi illius munus imposuit. b

a Ibid. ep. 225.
Indictus S. Eduardo dies sacer.
b Ibid. ep. 226.

51 Refert Parisius per hæc tempora c, ob effusos cœlo copiosissimos imbres, flumina aquarum vi turgida extra ripas eiecta grauiores clades intulisse, mare quoque intumuisse, fœdaque ac immani vndarum eluuione terras circumpositas hausisse, subditque: *Et videbatur iuxta solem quidam sol nothus collateralis die veneris proxima post conceptionem S. Mariæ.* Pluribusque intericctis de portentis, ijs simillimis, quæ in libris Machabæorum referuntur, adjicit: *Sub ijsdem quoque temporibus mense maio, non procul ab abbatia, quæ rupes dicta est in partibus septentrionalibus Angliæ sita, apparuerunt acies militum elegantissime armatorum, vectis equis preciosis, vexillis, ac clypeis, loricis, ac galeis, & alijs munimentis militaribus adornati: exierunt autem de terra, vt videbatur, & iterum in terram absorpti euanuerunt. Et hæc visio per dies plurimos oculos intuentium quasi præstigiatos detinebat. Equitabant autem dispositis aciebus, & aliquando facta congressu hostiliter dimicarunt; aliquando quasi in hastiludio suas in fragmenta minima hastas cum fragore minuerunt: viderunt eos incolæ, & potius a longe quam prope, quia nunquam talia se vidisse meminerunt. multi autem hæc præsagio carere negauerunt. Hæc manifestius contigerunt in Hybernia & in confinibus, ita quod aliquando quasi venientes de prælio, & victi trahebant equos suos post se vulneratos, & confractos sine assessore, sed & ipsi grauiter sauciabantur cruentati. Et quod mirabilius fuit, vestigia eorum impressa terræ, & herba prostrata & conculcata manifeste apparuerunt. Et multi hæc videntes præ timore sese in ecclesias, vel castra ante eos fugientes, cum crederent hoc non esse fantasticum, sed potius verum certamen, receperunt. Hæc ex relatu verissima assertione comitis Giouerniæ post aliquot annos huius euentus, & aliorum multorum testimonio ad notitiam nostram peruenerunt.*

Nonnulla in Anglia prodigia.
c Paris. hist. Angl. hoc anno.
Aduersæ acies inter se in aere visæ concurrere.

52 His Angliæ prodigijs rem adeo nouam addere libet, vt ab aliquibus portento simile videri posset, monachum scilicet, quem religiosæ vitæ conditio a seculi consortio segregarat, ab Henrico Rege creatum præsidem, summaque non ciuilium modo, sed & capitalium causarum cognoscendarum auctoritate instructum. Quid enim ita absonum, quam iudicem cucullatum, sedentem pro tribunali satellitio forensi stipatum reos morte damnantem intueri? Id sane episcopo Lincolniensi adeo a ratione alienum, & cum sacris canonibus pugnans visum est,

Vir religiosus in Anglia præses creatus.

eſt, vt cum regium diploma, quo abbas e Ramens Benedictinæ familiæ iuri dicundo præficiebatur, inſpexiſſet, ad archiepiſcopum Cantuarienſem inſertis Henrici literis ſcripſerit, vt eam rem diſcuteret, Regemque ab eo conſilio precibus ſuis, atque hortationibus dimoneret, ne ſi in re adeo inſolenti ac religioni contraria ſilentium intempeſtiuum teneretur, vindex numen iras in ignauos atque inertes paſtores effunderet. Extant huiuſmodi in M.S. codice bibliothecæ S. Dominici Caietani, quas nos annalibus noſtris inſerimus.

Roberti ep. Lincol. de re adeo indigna lit. ad B. Edmundū arch. Cantuar.

Reuerendo in Chriſto, ac domino Eadmundo Dei gratia Cantuarienſi archiepiſcopo totius Angliæ primati, ſuus deuotus Robertus permiſſione diuina Lincolnienſis eccleſiæ miniſter humilis ſalutem, & quam debitam tam deuotam cum omni reuerentia obedientiam.

Nouerit paternitas veſtra, quod abbas de Ramens ordinis B. Benedicti ſuſcepit mandatum domini Regis in hæc verba: *Henricus Dei gratia &c. abbati de Ramen. ſalutem, &c. ſciatis quod conſtituimus vos iuſtitiarium noſtrum ad itinerandum ad omnia placita noſtra, cum dilectis fidelibus noſtris Roberto de Lexintone, Oliuero de valibus, & Ioanne de Vlecot. in comitatibus Bedeford & Buk. & ideo vobis mandamus rogantes, quatenus onus prædictum iuſtitiariæ vna cum prædictis fidelibus noſtris vobis ad præſens aſſumere velitis, ita quod iter veſtrum in comitatibus prædictis ad diem & locum, quos vos & ſocij veſtri ad inuicem videretis expedire, incipiatis talem diligentiam in hac parte apponentes, quod diligentiam veſtram ad hoc appoſitam non immerito videamur commendare cum gratiarum actione ſpeciali teſte meipſo. Apud Mortelak. 10. die maij anno regni xx.*

53 Cum igitur ſecundum tenorem præſcripti mādati præfatus abbas cōſtituatur iuſtitiarius itinerās ad omnia placita regia, ſi ſupradictus abbas ſuſcipiat in ſe huiuſmodi onus iuſtitiariæ, ſuſcipiet officium & poteſtatem iudicis etiam in cauſis ſanguinis decidendis: ſed ſi non licet alicui officium, ſeu poteſtatem ordinariam, aut delegatam in ſe ſuſcipere, cui non licet eiuſdem officij, ſeu poteſtatis actum exercere, liquet quod huiuſmodi officij, ſeu poteſtatis in ſe ſuſceptio omni clerico, nedum abbati ordinis B. Benedicti, eſt illicita. Nec excuſetur a culpa licet more ſolito ſurgat de ſede iudicij, quando in cauſa ſanguinis proferenda eſt ſententia condemnationis; præſertim cum talis ſurrectio euidens ſit apud omnes indicium, quod accuſatus abſque retractatione reportaturus ſit condemnationis iudicium, & ſic talis iudex non ore, tamen opere quodammodo iudicium exerceat ſanguinis, & efficiatur de principibus Sodomorum, quibus exprobrat propheta, quod manus eorum ſanguine plenæ ſunt.

Religioſā ex eo diſciplinam labefactari.

54 Præterea ſecundum canonicas ſanctiones, & conciliorum conſtitutiones, nulli licet clericorū iuriſdictiones ſeculares ſub aliquibus principibus & ſecularibus viris, vt iuſtitiarij eorum fiant, exercere; & ſi quis clericorum contra hoc venire præſumpſerit, ab eccleſiaſtico miniſterio fieri dicunt alienum, religioſis ſi auſu temerario hoc attentauerint, diſtrictius puniendis. Cum igitur non ſolum ſecundum iura diuina, quibus interdicitur militantibus Deo ſecularibus negotijs implicatio, ſed etiam ſecundum iura canonica, & votum profeſſionis monaſticæ, ſint maxime monachis, officium, iuriſdictio, & exercitium eiuſdem iuſtitiariæ omnino illicita, ac per hoc coarctatio, præceptio, conſenſus, & diſſimulatio talium illicitorum, ab eo qui debet & poteſt impedire, vergant in detrimentum ſalutis æternæ, &c.

Violari ſacros canones.

55 Ad pedes veſtræ paternitatis ſupplices prouoluti quanta poſſumus deuotione rogamus, quatenus dominum regem efficaciter moneatis, & inducatis, vt præſcriptum mandatum præfato abbati delinatum renocet & retractet, ne ipſe coactione, vel præceptione, noſque conſenſu, & diſſimulatione animarum æternum faciatis detrimentum. Exoramus etiam veſtram paternitatem, quatenus nobis ſignificare velitis veſtrum conſilium, ſi forte dominus Rex, quod abſit, ſupradictum mandatum ſuum ad veſtram exhortationem non reuocet, & ſupradictus abbas, cuius animæ curam habemus, in animæ ſuæ diſpendium, & religionis ſcandalum, & eccleſiaſticæ libertatis detrimentum præfatæ iuſtitiariæ exerceat officium. Si enim in hoc caſu noſmetipſos non oppoſuerimus, ab exercitio eiuſdem officij monitione præmiſſa præfatum abbatem eccleſiaſtica cenſura compeſcendo, proculdubio incidemus in illud propheticum Ezechielis: *Non aſcendiſtis ex aduerſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael, vt ſtaretis in prælio in die Domini.* Et in illud: *Error, cui non contradicitur, approbatur.* Si vero nos oppoſuerimus, regij forte miniſtri noſtras inuadent & diripient poſſeſſiones; & cum huiuſmodi oppoſitio prius in ijs partibus non ſit attentata, erimus huius mundi ſapientibus in deriſum & canticum tota die. Vtriuſque igitur imminet periculum hinc temporale, illinc æternum: ſed cum ad minimi æterni periculi comparationem quantumuis magnum periculum temporale nullam omnino habeat magnitudinem, immo nihil omnino ſit, pudet iam in hoc caſu conſilium quæſiuiſſe, cum in ſolis ambiguis ſit conſiliandum, & vtrumque imminere periculum dixiſſe, cum temporale quod dicitur periculum, veraciter ſit nullum, ſed poſteriorum oblito, & in anteriora ſe extendenti multo magis ſit * compendium. Veſtrum igitur quam poſſumus humili, & effectuoſa ſupplicatione magis iam exoramus imperium, vt ſpreto quolibet temporali diſpendio, pro libertate Eccleſiæ, & animarum ereptione de æterni ignis incendio, confiſi de Dei adiutorio, quantum noſtra ſufficit paruitas, in caſu propoſito nos opponamus: mea namque puſillanimitas veſtræ circumſpectæ fortitudinis imperio ſuffulta, poterit innante Domino in veſtra fortitudine impulſibus malitiæ non concuti, quæ ſine tali fulcimine de facili poſſet prauorum molimine ſubuerti.]

* contemnendum

56 Hactenus Robertus Lincolnienſis. quantam porto operam ſummus Pontifex ad Benedictinos reuocandos ad antiquam viuendi rationem, ac reſtituendam regularem diſciplinam poſuerit demonſtrant eius literæ, a nobis in margine annotatæ [a]: ad Calatrauanos etiam a ſolutiore vitæ genere, in quod corruptioris naturæ propenſio illos detorſerat, ad priſtinum ſanctitatis cultum adducendos, Oxomenſem, & Segobienſem epiſcopos incumbere iuſſit [b]. Ad fouendam vero augendamque magis aliorum pietatem, qui religioſam diſciplinam accuratius excolebant, beneficijs eſt proſecutus. inter quos Minoritas qui tum ſuauiſſimo ſanctioris vitæ odore Chriſtianum orbem perfuderant, ædibus Viterbij donauit [c], abbatemque S. Ioannis e Pinna in Hiſpania Oſcenſis diœceſis gerendæ mithræ prærogatiua decorauit [d] dato apoſt. diplomate in quo vbi Aaroni mithram diuino iuſſu impoſitam prælusit, vt in mithra capillorum motus reprimente illicitos animi motus frænare, cœleſtia terrenis anteponere, atque actus modeſtia coercere diſceret, ſubdit: *Relatu plurium fide dignorum tuam nobis commendantium de multa virtute perſonam, ipſam olim vſu mithræ honorare decreuimus, vt exterius ſignum exprimeret, quod eius ſignato eras interius adornatus, tuque ſtuderes eo fortius effici virtuoſus, quo ignominia maioris exiſteret, ſi huiuſmodi ſignum in te ſignificatum proprium non haberet. Veruntamen quia veri Solis, qui licet aliquam diem ſuo lumine clararit, ſuccedentes tamen dies illuminare non deſinit, libenter imitamur exemplum, præfatum vſum mithræ ad ſucceſſores tuos de gratia ſpeciali duxi-*

Gregorij ſtudium in reſtituēda religioſa diſciplina.

a Greg. l. 9 ep. 393. & l. 10. ep 26 27. 44. 258. 259. 291.

b Lib. 50. ep. 219.

c Ibid. ep. 280.

d Ep. 230.

Oſcenſi abbati mithræ vſus permiſſus.

duximus extendendum, vt tibi in virtutibus similes studeant effici, cum pari honore se viderint decorari, &c. Dat. Reate VIII. kal. octob. ann. x.

Corduba a Ferd. Rege Castellæ erepta Sarracenis.

57 Defluximus ad Hispanicas res, quæ hoc anno florentissimæ extiterunt: fulminabat enim in Sarracenos ferro flammaque armatus Ferdinandus Castellæ & Legionis Rex, qui diuino auxilio corroboratus præpotentem, atque amplissimam vrbem Cordubam expugnauit, ac veteribus titulis Biatiæ, & Cordubæ Regis titulum adiecit. De qua victoria hæc Richardus a: *Mense iunio in vigilia Apostolorum Petri & Pauli capta est nobilissima Sarracenorum ciuitas, qua præter Romam, Constantinopolim, & Hispalim nulla maior in orbe dicitur, a Ferrando Christianissimo Rege Toleti & Castellæ.* Magnum ad eam victoriam momentum attulit Iacobus Rex Aragonum, qui in Valentinum regnum irruperat, ac præclara in barbaros facinora edebat, adeo vt Abenhutus Rex barbarus quo potissimum excitato gemino incendio occurreret, incertus hæreret, demumque Almeriæ a suis fuerit obtruncatus; cuius cædes Cordubenses in desperationem coniecit, vt vna salute impetrata abeundique potestate vrbem dediderint. Cum partæ autem victoriæ fama ad sedem Apostolicam emanasset, sta mox numini gratiæ a Gregorio, qui amplificandorum latius Ecclesiæ finium studio Hispanis præsulibus prouinciam dedit b, vt fideles ad exturbandos Hispania Sarracenos inflammarent, ac premia indulgentiarum arma correpturis daturisque subsidia proponerent.

a Rich. S. Germ. in chron.

Abenhutus a suis cæsus.

b Greg. lib. 10. ep. 214

Gregorius, &c.

Excitat ad ferenda noua Ferdinando auxilia fideles.

58 Sicut olim in filijs Abrahæ is, qui secundum carnem natus erat ex ancilla persequebatur illum, qui secundum spiritum de libera natus erat, ita & nunc infelices & miseri Agareni, qui adhuc in tenebris ambulantes, necdum videre lucem magnam, quæ Christus est, meruerunt sed infidelitatis nebulis obuoluti iugo premuntur vetustissimæ seruitutis, fideles, qui iam non sunt filij ancillæ sed liberæ, qua libertate Christus nos liberauit, persequi non desistunt: qui sic euanuerunt in cogitationibus suis, & ita obscuratum est insipiens cor eorum, vt illum qui venit iugum captiuitatis eorum dissoluere, ac illuminare sedentes in tenebris & vmbra mortis, nolint agnoscere; quinimmo nomen eius, in quo flectitur omne genu, præter quod non est nomen sub cælo, in quo saluari oporteat, extinguere moliantur, ipso eos ineffabili prouidentia tolerante, vt vel ad eum redeant, vtendo libertate arbitrij, vel saltem excusationem non habeant contra ipsum tandem misericorditer expectati. Vnde cum charissimus in Christo filius noster illustris Rex Castellæ & Legionis; in cuius manibus misericors Dominus prospere direxit negotium, quod specialiter sibi & alijs Christianis contra paganos regionis illius imminet, acquisita ciuitate Corduba nobilissima & potentissima per eundem, clementia sibi cooperante diuina; super quo vniuersalis Ecclesia gaudio salutari reficitur, & nos omnipotenti Deo in laudes, & gratias assurgimus, quas valemus; diligenter considerans quod non debet ancillæ filius cum liberæ filio hæres esse, ad eruendam terram de ipsorum manibus, quam profanatis sanctuarijs detinent occupatam; vel eliminatis inde spurcitijs, in eam populum acceptabilem Domino diuino comitatus auxilio introducat, intendat ex animo, & magnifice proponat, sicut conuenit prosequi negotium memoratum; nos qui cupimus sponsæ Christi tentoria dilatari, vt funiculos suos faciat longiores, eiusdem Regis prudentiæ & magnanimitate pensatis, propositum suum dignis in Domino laudibus, & fauore beneuolo prosequentes mandamus quatenus omnibus subditis vestris, qui cum ipso Rege in personis proprijs & expensis, & illis, qui licet in alienis expensis personaliter illuc accesserint, quamdiu prædictus Rex in prosecutione dicti negotij fuerit, vel saltem per anni spatium moraturi; ac ijs qui non in personis proprijs, sed in suis dumtaxat expensis iuxta facultatem & qualitatem suam viros idoneos destinauerint moraturos per tantum temporis cum eodem, illam indulgentiam auctoritate apostolica tribuatis, quam secundum statuta concilij generalis haberent proficiscentes in subsidium Terræ sanctæ. Huius quoque remissionis volumus & concedimus esse participes, iuxta quantitatem subsidij & deuotionis affectum, omnes qui de bonis suis illuc congrue destinauerint, aut in tam pio negotio consilium, & auxilium impenderint opportunum. *Dat. Reate II. non. septemb.*]

59 Expugnatas alias præter Cordubam arces vrbesque fuisse refert Lucas Tudensis, cuius auctoris felicem hanc expeditionem describentis verba delibanda sunt a: *Tandem laboribus multis, & fame victi Sarraceni Regi glorioso Fernando Cordubam ciuitatem inclytam tradiderunt; & ipsi Sarraceni recedentes se alye Agarcuorum oppidis concluserunt. Ingressus est Rex Fernandus Cordubam cum gloria & lætitia magna, & eliminata omni spurcitia Mahumeti, pontifices sacri in festo Apostolorum Petri & Pauli ad honorem Domini nostri Iesu Christi, & genitricis eius Regina cælorum Mariæ in eadem vrbe diuina mysteria peregerunt, &c.* Subdit Ferdinandum repertis campanis, quas olim Almanzor Rex Cordubæ, facta in Galitiam irruptione, ab ecclesia D. Iacobo sacra rapuerat, in signum victoriæ Sarracenorum humeris Cōpostellam reportari iussisse additque: *Capta est ciuitas Cordubēsis era MCCLXXIV. & reuersus est inclytus Rex Fernandus Toletum cum victoria & gloria magna. O quam beatus est iste Rex, qui abstulit opprobrium Hispanorum, euertens solum barbarorum, & restituens ecclesiæ sancti Iacobi apostoli campanas suas cum magno honore, quæ multo tempore fuerant Corduba ob iniuriam & opprobrium nominis Christiani. Acquisiuit etiam Rex Fernandus Turgelim, sanctam crucem, Albange, Monter, & quædam alia castra.* Hisque Tudensis historiæ finem adiecit, cui Rodericus b Toletanus eius æuiscriptor nobilis, Mariana c alijque rerum Hispanicarum scriptores consentiunt.

a Luc. Tud. in chr. rer. Hisp.

Reportata Compostellam campanæ quas Almanzor Cordubā transtulerat.

Plura alia loca de Sarrac. parta.

b Rod. Tol. lib. 9. c. 16. 17.

c Marian. l. 12. c. 17. 18.

d Greg. l. 10. ep. 215

60 Flagitante etiam Rege Catholico Pontifex archiepiscopo Toletano, atque Burgensi, & Oxomensi præsulibus iniunxit d, vt prouentuum ecclesiasticorum partem, ad bellicos sumptus tolerandos, atque ad opus tam pium arduumque perficiendum contribuerent: *Exposito nobis deuotionis zelo, quo fertur charissimus in Christo filius noster illustris Rex Castellæ & Legionensis ad gloriam & exaltationem nominis Christiani, merito eum tanquam Christi athletam in gratia benedictionis prosequimur, & in suis honestis petitionibus, quantum cum Deo possumus facere, fauorem sibi beneuolum impartimur. Sane idem Rex nobis humiliter supplicauit, vt cum nuper ciuitatem Cordubam potentissimam inter alias, & quasdam ciuitates, & terras a paganis diu detentas misericors Dominus per sudores ipsius bellicos, & sumptus multiplices cultui restituerit Christiano; manusque ipsius ad recuperationem aliarum videatur extenta; ad conseruationem terræ acquisitæ, & auctore Domino acquirendæ aliquid subuentionis auxilium de bonis ecclesiarum & monasteriorum regni Castellæ ipsi fieri faceremus. Quia vero decet Ecclesiam hoc Christi negotium pietatis studio prosequi ac fauore, ipsius Regis deuotis supplicationibus inclinati mandamus, quatenus de prouentibus ecclesiarum & monasteriorum ipsorum subsidium viginti millium aureorum moneta regni prædicti ad opus præfatum facultatis eidem annuatim per triennium exhiberi, diuiso per singula huiusmodi onere iuxta proprias facultates. Dat. Reate III. non. septemb. pontificatus nostri*

stri ann. x. Absoluamus res Hispanicas egregio Ferdinandi Regis iusto in hæreticos odio côncitati facinore, qui cum aliquos Palentiæ ea lue infectos deprehendisset, candenti ferro æternis infamiæ notis in vultu inuri iussit; ij vero calamitatis illius sensu ad pœnitentiam ducti conciliari Ecclesiæ, soluique anathemate demisse flagitarunt: quam prouinciam Gregorius Palentino episcopo contulit. a

Ferdinandus hæreticos candêti ferro inuri iubet.

a Lib. 10. ep. 182.

61 Non in meridionalibus modo regionibus, verum in septentrionalibus etiã amplificata religio: tot enim in Prussia populi illatum Euangelij lumen admisere, vt plures iam in ea institui episcopatus possent, quo accepto Gregorius Guillelmo episcopo quondam Mutinensi Apostolicæ sedis legato in mandatis dedit b, vt de aliquorum consilio limites cuiq; episcopatui præscriberet ac definiret; tum e Dominicana familia tres religiosos viros ad eos populos excolendos, informandosque Christiana pietate, episcopalibus sacris initiaret: *Cum exultatione spiritus intellecto, quod diuina faciente potentia tantum de Prussiæ partibus sit Christiano dominio subiugatum, vt ibidem possint limitari diœceses, & episcopi institui, ac eisdem congrue de bonis temporalibus prouideri, præsentium tibi auctoritate concedimus, vt Deum habendo præ oculis, de consilio & assensu dilecti filij præceptoris & fratrum hospitalis S. Mariæ Theutonicorum in partibus illis morantium, in eisdem partibus limitare diœceses, & tres de fratribus ordinis Prædicatorum dumtaxat ibidem instituere valeas, ac eosdem etiam, adscito canonico episcoporum numero, consecrare. Dat. Interamnæ* III. *kal. iunij ann. x.* Eidemque legato, vt magis ad diuinam gloriam conferret locorumque exigeret necessitas, episcopatus transferre vel in plures diuidere, vel coniungere posset, commisit. c

b Ep. 88.

Amplificata in Prussia Christiana religio.

c Lib. 9. ep. 369.

62 Cumque Andreas archiepiscopus Lundensis episcopatus tres in Estonia ad fidem Christi traducta excitasset, nimirum Lealensem, Vvironensem, & Raualliensem, fratresque crucigeri eos occupassent, Gregorius datis ad Guillelmum legatum apostolicis literis, dicto archiepiscopo restitui imperauit d. Ne vero recens necdum confirmata religio in ijs regionibus euerteretur, ac fides deflorescerct, si post tot susceptos in Euangelij spargendo semine labores, fideles ab impijs, qui superstitionum tenebris adhuc inuoluti essent, proterti sinerentur, Pontifex illorum saluti consulturus legato iniunxit e, circumpositos populos ad paganorum impetus conrundendos excitaret, nuncupataque de Hierosolymitana profectione vota, in sacram aduersus ethnicos expeditionem conuerteret: quod opus arduum vt lubentius amplecterentur, populis liberales indulgentias ad bellum profectnris impertitus est.

Restitui iussæ Lundêsi archiep. erepæ a crucigeris prouinciæ.

d Lib. 10. ep. 19.

e Ibid. ep. 382.

Gregorius, &c.

Ne terra vastæ solitudinis, quam Dominus in partibus Liuoniæ, Semigaliæ, Curoniæ, ac Estoniæ per ministerium Prædicatorum adducens ad cultum nominis Christiani de semine verbi sui fecit noua fidelium segete pullulare, quod absit, in salsuginem redigatur; sed potius crescens in messem in fructum exuberet opportunum, expedit vt Christi fideles a paganis, qui adhuc gentiles erroris horrore sunt hispidi, tanquam spinis nullatenus opprimi permittantur, sed potenter defendantur ab eis alias congruis auxilijs confouendi, quatenus non solum a veritatis ipsi tramite deuiare cogantur, verum etiam in fide fortius radicati conuersionem alijs valeant efficacius suadere. Quantus enim dolor quantusue pudor esset populo Christiano, & maxime circumpositæ regioni, si terra plurimis laboribus & expensis Domino acquisita per desidiam fidelium perderetur?

Ad comprimedos barbaros arma contrepturis indulgentiæ proposita.

63 Vt igitur tam arduum negotium fidei saluбriter promoueri valeat, diuina clementia miserante, ac feliciter consummari, fraternitatem tuam monemus & obsecramus in Domino, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatenus assumpto prædicationis officio propter Deum, pauperum crucesignatorum in Bremensi prouincia, nec non in Magdeburgensi, Hauelbergensi, & dimidia Brandeburgensi versus Albeam, in Verdensi, Mindensi, & Padeburnensi diœcesibus, ac Gorlandia, cum quibus duximus dispensandum, vota peregrinationis conuertens in succursum fidelium prædictorum tam eos, quam alios fideles in eisdem prouincia & diœcesibus constitutos, ad nimiam charitatem, qua Christus eos dilexit & diligit, respectum habere, & ei retribuere aliquid pro omnibus, quæ retribuit ipse illis, monitis & exhortationibus tuis, secundum datam tibi a Deo prudentiam, informare procures diligenter & solicite; postulans vt ipsi redempti pretio glorioso, in quos tanquam viros Christianos & catholicos cadere opprobria exprobrantium Christo debent, se viriliter & potenter accingant, velut zelum Dei habentes ad ampliandum nomen fidei Christianæ, & liberandum proximos de manibus paganorum, profecturi secundum tuum consilium & acturi ita, quod & ipsis præmium debeatur æternum, & infideles non possint, quod impune Christi nomen impugnauerint, gloriari.

64 Circa personas vero & terras, quas Dominus ad fidem vocauerit, taliter prouideas, quod neophyti congrua libertate gaudeant, ordinentur ecclesiæ & dotentur, nec infeudentur decimæ, & terra sine nostro beneplacito nullatenus diuidatur. Praeterea episcopos assecutos iam sedes, quorum ecclesiæ sunt dotatæ, fratres quoque militiæ Christi obtinentes possessiones & castra, & ciues Rigenses cum habeant ciuitatem; necnon neophytos, qui per munimen castrorum aliquam tutelam habere noscuntur, moneas diligentius & inducas, vt cum peregrinorum auxilio ad faciendas munitiones pro neophytis paganis expositis, & ad ordinandas sedes episcopis adhuc vagantibus intendant fideliter & deuote. Cum autem multa necessitas exigat, vt illuc fidelium subsidium transmittatur, & dignum sit, vt in tanto negotio laborantes debita pro labore stipendia consequantur, vt libentius securi de retributione procedant; nos de omnipotẽtis Dei misericordia, & beatorũ Petri & Pauli Apostolorũ, eius auctoritate confisi, tam crucesignatis, quam signandis ad hoc in prouincia & diœcesibus supradictis, qui laborem istum in proprijs personis subierint & expensis; & eis qui in alienis expensis illuc accesserint, ibidem ad minus per vnius anni spatium Domino seruituri, seu illis qui ad subuentionem prædictorum fidelium de proprijs facultatibus ministrabunt, illam remissionem peccaminum indulgemus, quæ conceditur prædictis modis subuenientibus Terræ sanctæ. *Dat. Viterbij* XII. *kal. martij ann.* IX.]

65 Concurrere plures tuendi Christiani nominis sacra cupiditate pellecti, quorum partem sanguinem pro Christi nomine superioribus bello infidelibus diuinæ prouidentiæ arcano consilio profudisse refert Stadensis a: *Hoc anno facta est maxima strages peregrinorum in Liuonia circa festum Mauritij.* Potuit calamitatem hanc parere funesta Christianorum dissensio: arserat enim grauissima contentio inter Daniæ Regem, fratresque militiæ Christi cuiusdam arcis Reualiæ in Liuonia sitæ occasione, quæ cum primum a Dano e manibus ethnicorum auulsa, dein in seruitutem hostium recidisset, religiosi equites Theutonici eo inscio arcem obsidione cinctam in suam potestatem redegissent, atque adeo eam Daniæ Rex, vt sui quondam iuris ab ipsis repeteret, illique occupatam restituere negarent; ad ea dissensionum præsocanda semina, Gregorius

Christianæ copiæ ab infidel. in Liuonia profligatæ.

a Stad. in chron.

Exortalis inter Regem Daniæ & Crucigeros discordia sublata a Greg.

red-

reddendam Dano expensasque a fratribus factas refundi, ac firmam in eos legati opera pacem coniungi astringique iussit, vt datæ literę ad Guillemum episcopum olim Mutinensem a testantur. cui etiam iniunxit, inquireret b contra Poloniæ principes, qui ecclesias nequiter opprimebant, tum vt Henricum cum barba nuncupatum Silesiæ ducem episcopo Gneznensi & alijs ecclesiasticis viris inflictas iniurias ac damna sarcire compelleret c; simileque argumentum ad quosdam abbates exaratæ complectuntur. d Aspirasse illum scribit e Longinus ad totius Poloniæ monarchiam, cum depulso Conrado Sandomiriensem, Cracouiensem, & Lublinensem principatus tutorio Boleslai pudici nomine obtinuisset, atque Vladislaum Othonem maioris Poloniæ ducem bello petijsse Gnesnamque, iam redacta in suam potestatem reliqua ditione, obsidione cinxisse; sed obsessorum virtute crebrisque eruptionibus fatigatum inde exercitum remouere coactum fuisse, cuius belli occasionem Gnesnensi episcopo virisque ecclesiasticis damna videtur intulisse, quæ a Pontifice ab ipso resarciri iussa sunt.

a Lib. 10. ep. 30. b Ep. 127. Henricus Silesię dux Gneznensi ep. damna illata sarcire iussus. c Ibid. ep. 128. 129. d Ep. 24. e Long. hist. Pol. l. 7. hoc anno. Gnezna ab illo frustra tētata

Bela Vng. Rex ob bona Eccl. occupata corripitur

66. Expositis etiam prædę in Vngaria ecclesiasticis viris subuenit Gregorius, cum Bela Rex, spretis sororis suæ sanctæ Elisabethæ exemplis, improborum hominum consilijs abreptus auaras manus in opes ecclesiasticas inijceret, bonaque Cisterciensi ordini partim hospitali Hierosolymitano, partim militiæ Templi, partim S. Lazari ac S. Samsonis religiosis viris maiorum liberalitate concessa inuaderet: quare tantam iniuriam non æquo animo laturus Pontifex, ne eiusdem sceleris, si ignauo silentio præteriret, particeps videretur, grauissimus literis tantum crimen in oculis illi difixit f, censurasque ni male cœpta emendaret intentauit: *Cum excessus huiusmodi detestabilis & enormis, etsi grauis sit admodum in seipso, tamen grauius est exemplum, quia delinquentibus qui præcedunt, facile corruunt qui sequuntur, & digni tot mortibus sunt qui præsunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. Ne igitur tibi, quem de corde puro, et conscientia bona diligimus, simus perditionis occasio, & nobis etiā causa mortis, si ad correctionem tuam ex officij nostri debito non pro viribus laboramus; quin potius periculum nostrum, tuamque perniciem vitare volentes, celsitudinem regiam rogamus, monemus, & hortamur in Domino, ac in remissionem tibi iniungimus peccatorum, quatenus restituas sine difficultate qualibet sic ablata, & de perceptis inde fructibus & illatis damnis satisfacias competenter, ita quod exinde Deum tibi propitium statuas non offensum, vt cum venerabilis frater noster Genriensis episcopus ad nos accesserit, qui ex parte tua dicitur ad sedem Apostolicam destinandus, quanto nos & fratres nostri de offensa præmissa sumus grauius conturbati, tanto de satisfactione secuta iucundius gratulemur. Alioquin quantumcumque teneriùs te amemus, quia non est deferendum homini contra Deum, nec possimus tantam Dei iniuriam conniuentibus oculis pertransire, super hoc iuxta officij nostri debitum actore Domino procedemus. Dat. Viterbij xvi kal. februarij pontif. nostri ann. ix.*

f Lib. 9. ep. 346.

Simili crimine famam corruperat, ac inquinarat Colomanus Belæ frater Ruthenorum Rex, ac Sclauoniæ dux: nonnullis enim sacræ militiæ Templi equitum possessionibus occupatis, concordiaque postea Colocensis archiepiscopi opera inita, erepta restituere, ac sacramento stare neglexerat; proinde ne illa labes ipsius gloriæ hæreret, diutius Pontifex flectere ad officium atque adducere studuit g; tum episcopum, ac præpositum Quinqueeclesienses Regem ad complenda promissa sollicitarent monuit. h

Colomanus o. simile crimine obiurgatus. g Ibid. ep. 349. h Lib. 10. ep. 178.

67. Vt vero in præuaricatoribus emendandis principibus incubuit Pontifex, sic in ijs, qui pietatis laude florerent, amplectendis fouendisque facilem se, ac liberalem præbuit. ita Banum Bosnensem, qui puram ac illibatam fidem, vicinis principibus hæretica impietate contaminatis, seruabat in suam clientelam recepit. a

Zibis. Bosnensis religionis zelum cōmendatus a Pont. a Ibid. ep. 183.

Nobili viro, Zibiselan.

Te qui sicut latantes accepimus inter principes Bosnensis diœcesis infectos macula hæreticæ prauitatis existis, quasi lilium inter spinas prosequendo solicite, per quem valeat augmentum Christiani nominis auctore Domino prouenire, sinceræ charitatis brachijs amplexantes, personam & terram tuam cum bonis omnibus quæ in præsentia rationabiliter possides, sub beati Petri, &c. Datum Reate sexto idus augusti. Illius etiam matrem eodem beneficio est prosecutus b, deque his Strigoniensem archiepiscopum, ac suffraganeos fecit certiores c: ijsdemque Asan Bulgarorum Regis, Vatacio Græco infestissimo Latinorum hosti fœdere coniuncti anathemate percellendi, si ab impia societate diuellere non possent, prouinciam demandauit. d

Admissus in clientelam ap. b Ibid. ep. 185. c Ep. 184. 185. Intentatæ Asani censuræ ni se a Vatacij societate diuellat. d Ep. 94.

68 Abrupisse Asanem initum cum Vatacio Græcorum Imperatore fœdus scribit Georgius Acropolita Logotheta, non quidem intentati pontificio iussu anathematis, sed nimiæ Vatacij potentiæ metu, ne si ille Constantinopoli potiretur, postea in ipsum bellum conuerteret, cum nonnullas Græcorum imperij prouincias occupasset. Qua vero arte filiam quam Theodoro Vatacij filio desponderat, rapuerit describit auctor e; *Asanes pactorum, quæ cum Ioanne Imper. sanxerat, pertæsus, quemadmodum filiam a marito Theodoro Imp. auelleret, & alij collocaret (Romanorum namque in meliora progressum * genti ipse Romanis obnoxia occupator) modum quærebat. Meditatur itaque causam iustam illam quidem atque conspicuam, licet expertos rerumque gnaros consilium hominis non præteriret, mittitque ad Imp. atque Imperatricem legatos, qui referrent se cum vxore, dum Adrianopolim venisset, filiolamque intueri velle, & paterna necessitudine amplecti, exoscularique, aliaque vti par esse videbatur, explere: rursum se eam ad socerum consortemque thalami remissurum. Ioannes Imp. & Imperatrix Erena etsi fabulam ad amussim callerent, & plene techinas, ac machinas cognoscerent; mittunt tamen ad Asanem filiam, hoc enuntiato, si ille filiam retinuisset, & a legitimo coniuge separasset, esse Deum, qui omnia conspicit, pœnamque iurisiurandi, & fœderum sub teste Deo initorum violatoribus infligit. Sed Bulgarus filia recepta abijt, omnibus cum sequentibus longe retro relictis; ac Hæmum prætergressus Trinobum contendebat, cum illacrymaretur filia, eiularetque, seque a socro Imperatrice Erena atque coniuge separatam esse anxie, ac nimium indoleret. Fama est Asanum eam ante sui equi sagulum collocasse, digitisque in faciem perculsisse minatumque acriter fuisse, ni silentio raptum ferret, se in eam omnia quæ illi probro essent executurū.* Hæc Logotheta, qui his præmiserat Constantinopolitanum Imperium ob illam Asanis & Vatacij coniunctionem depressum, atque in extremum periculum coniectum fuisse.

Asanes a Vatacio discedit. e Georg. Logoth. interp. Leon. Allat. Filiam Vatacij filio desponsā astu rapit. * inuidebat

69 Concussum quidem tum, ac labefactatum admodum fluctuasse Gregorij in conciliandis illi auxilijs, ne funditus euerreretur, solicitudo literæque f ostendunt ad Cameracensem, Tornacensem, & Atrebatēsem episcopos in Gallijs; in Vngaria vero ad Colocensem & Strigoniensem archiepiscopos missæ, quibus postquam Vatacium multis locis qua vi qua deditione in suam potestatem redactis, alijsque exeisis ferocientem imminentemque reliquæ Latinorum in Græcia ditioni descripsit, quadringētorum cataphractorum equitum, qui se Asiaticæ expeditioni astrinxissent, vota cum expeditione Constantinopolitana commutari, ac se cum alijs Ioannis Brenni, &

Depressæ res Constantinop. imperij. f Lib. 10. ep. 181. & reg. post eand. ep. Vrget Gregor. Vngaros Gallosque ad subueniēdū auxilio.

Bal-

Balduini consanguineis coniungere iussit, præmiaque indulgentiarum illis proposuit.

Gregorius, &c.

Ad subueniendum Imperio Constantinopolitano multiplex causa catholicos viros inducere, multiplex ad condolendum eius doloribus ratio eos poterit admonere: in cuius exterminio corpus orientalis ecclesiæ in grauium frusta schismatum scinditur, ac subsidium Terræ sanctæ plurimum impeditur: in cuius exterminio ager Dominicus diuersarum hæresum spinis occupatur & tribulis, & omnium Latinorum timetur periculum in partibus habitantium orientis. Illud enim ad hoc ipsos debet efficaciter exhortari, quod in subuentione præfati Imperij oppressi pro Ecclesia, & fide catholica cælestem procul dubio poterunt gloriam promereri. Hinc est quod cum Vatacius Dei & Ecclesiæ inimicus grauiter Imperium ipsum oppresserit, & plures ipsius ciuitates & loca capiens, ea funditus deuastarit; nos attendentes, quod in ipsius conseruatione Imperij specialiter Terræ sanctæ subsidium noscitur promoueri, & si, quod absit, dominio Græcorum, qui magis Latinos odiunt quam pagani, subijcitur, de facili eiusdem terræ dissidium sequeretur, mandamus quatenus vota quadringentorum militum regni Franciæ, & præter eos nobilium virorum consanguineorum illustris Imperatoris Constantinopolitani, & nobilis viri Balduini, ad quem Imperium ipsum spectat, & familiarium suorum crucesignatorum, quorum ad id consensus accesserit, in subsidium præfati Imperij, non obstante iuramento quod se ad transfretandum in Terram sanctam obligasse dicuntur, auctoritate apostolica commutantes, tam eos quam alios, qui de nouo vestris inducti monitis in succursum ipsius assumpserint signum crucis, præceptis moneatis salutaribus, & inducere procuretis, vt sine moræ dispendio ad succurrendum ipsi Imperio iter arripiant, & ad id festinanter & viriliter se accingant, spe ipsis proposita, quod dum in eodem Imperio terræ præfatæ subueniunt, duplicatum remunerationis diuinæ præmium reportabunt. *Dat. Interamnæ vi. idus decemb. ann. x.*

70 Solicitatus a præterea Achaiæ princeps, vt vectigalium ecclesiasticorum partem ad Constantinopolitano Imperio suppetias ferendas deriuaret.

a Ibid. ep. 293. 294.

Cumque patriarcha Constantinopol. bonorum parte a Græcis exutus esset, aliamque in sumptibus bellicis pro Imperio exhausisset, Pontifex archiepiscopos, episcopos, cæterosque Moreæ, quæ olim Peloponesus dicebatur, præsules necessaria illi subministrare imperauit b: *Venerabilis frater noster patriarcha Constantinopolitanus sua nobis petitione mandauit quod, cum ipse propter guerrarum discrimina, & Græcorum malitiam, fere omnes redditus, & alia amiserit bona sua, & ea quæ habuit, expenderit pro subsidio Imperij Romaniæ, nec sibi remanserit vnde valeat sustentari, vniuersitatem vestram rogandam duximus & hortandam per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus sic ei in necessarijs prouidere curetis, quod idem in illis partibus ad vtilitatem præfati Imperij valeat remanere, & nos deuotionem vestram dignis possimus in Domino laudibus commendare. Dat. Interamnæ x. kal. decembr. ann. x.*

b Ep. 270.

IESV CHRISTI

Annus 1237.

GREGORII PP. IX. annus 11.	FRIDERICI II. IMP. 18. BALDVINI II. IMP. 9.

1 CRuentata est Insubria anno Redemptoris millesimo ducentesimo trigesimo septimo indictione [illegible], conuerso in intestinas cædes Christianorum ferro, quod stringere in hostes fidei debuerant; vnde debilitatis fidelium viribus schismatici in Græcia, Sarraceni in Syria Ecclesiam magnis cladibus attriuerunt; cum nullas muneris apostolici partes prætermisit Gregorius, vt emergens malum præfocaret, indictamque annis præteritis expeditionem sacram vrgeret. Ostiensem enim episcopum, ac Thomam S. Sabinæ presbyterum Cardinales legatos, quos extremo superiori anno miserat, tum pacandis a Insubriæ, marchiæ Taruisinæ, ac Romaniolæ populis, tum concordiæ inter Insubres, ac Fridericum conciliandæ incumbere iussit. Solicitauerat ipsum ad eam agitandam Fridericus, cum ex Italia ob Germanicas turbas, vt vidimus superius, reuocatus esset, instititque, vti Parisius refert b, ad recuperanda sibi Imperij iura, quæ violarant Insubres, auxilium porrigeret.

Fallacia Friderici postulata.

a Lib. 11. ep. 80.

b Par. hist. Angl. hoc anno.

2 Non respuit Imperatoris preces, vt docet auctor, sed ex paterno studio, quo vniuersos complectebatur, ita iura imperialia asserere studuit, vt Insubrium etiam saluti consuleret, ipsosque concordiæ saluberrimo tractatu adducere ad obsequium meditaretur. Edixit c itaque Mediolanensibus, procuratores summa instructos auctoritate intra octauum a festo Pentecostes excurrentem diem Mantuam transmitterent, qui vnà cum Imperatoris oratoribus de componenda controuersia coram legatis Cardinalibus agerent: cauerent ipsi tractatum concordiæ dissoluere, ne in ea se pericula, ac difficultates conijcerent, e quibus non sine immensis laboribus se expedire possent:

c Lib. 11. ep. 89.

3 *Scitis, & scimus quod nos super ijs, quæ inter imperialem excellentiam et vos & Lombardos vertuntur, solicitudinem patris habentes, diuersa studuerimus inuenire consilia, & experiri labores, vt eiusdem finis posset laudabilis annuente Domino prouenire. Idem autem tanto plenius & nunc efficere volumus, quanto dilationis locus de cætero non occurrit & charissimo in Christo filio nostro Frederico Romanorum Imperatori a nobis per speciales nuntios requirente, vt sibi ex nostro assistamus officio, deesse in suo iure non possumus, qui sumus omnibus in iustitia debitores. Quinimmo quia en omnem euentum expedit, vt vitato discrimine imminenti, quæ sunt causa discordiæ, pro vestra & tranquillitate Imperij, ac pro dirigendo feliciter Terræ sanctæ negotio diuina prouidentia faciente salubriter sopiantur.*

Iussi Insubres Mantuam oratores pro tractanda concordia mittere.

4 *Ideoque præsentium vobis auctoritate mandamus, & bona fide consulimus, quatenus post susceptionem earum procuratores vestros Mantuam transmittatis super prædictis ita sufficienter instructos, & pro parte vestra plenum mandatum habentes, vt omni subterfugio & occasione, seu necessitate vos iterum consulendi postpositis, consilijs mandatis & monitis venerabilis fratris episcopi Ostiensis, & dilecti fratris nostri Thomæ tit. S. Sabinæ presbyteri Cardinalis, quos ad partes ipsas propter hoc cum plena legationis officio prouidimus destinandos, parere possint in omnibus reuerenter. Datum Viterbij viii. kalendas iulij anno vndecimo.*

Legati Card[illegible] destinati.

Missos vero oratores a Friderico ad sedem Apostolicam, vt ipsius auxilium ad iura Imperij defendenda implorarent, fuisse Hermannum ac Petrum e Vineis tradit Richardus d: *Mense aprilis magister domus Theutonicorum, & magister Petrus de Vinea missi ab Imp. ad Papam veniunt pro facto Lombardiæ.* Cuius auctoris verba cum Pontificijs literis ad Fridericum missis consentiunt, quibus Gregorius Imperatori significauit ab Hermanno, & Petro e Vineis exposita intellexisse & ne detractorum susurros, qui ipsius animum contra Ecclesiam exasperare nitebantur, ad aures admitteret admonuit e: non defuturum se illius causæ, ad quam asserendam legatos Cardinales mitteret.

d Rich. a S. Germ. in chron.

e Lib. 11. ep. 88.

Dil-

5 *Diligenter auditis, quæ dilectus filius magister hospitalis S. Mariæ Theutonicorum, & magister P... de Vinea coram nobis, & fratribus nostris ex parte tuæ celsitudinis retulerunt, digne prouidimus, vt cum inter alios terræ principes te specialem Ecclesiæ filium reputemus, & tuæ diligamus prosperitatis augmentum, pro tua & Imperij fouenda iustitia venerabilem fratrem episcopum Ostiensem, & dilectum filium nostrum Th... tituli S. Sabinæ presbyterum Card. in Lombardiam cum pleno legationis officio mitteremus, corde gerentes, vt quicquid tuis infundatur auribus linguis fallacibus detractorum, operis effectu pateat, quod de tuis secundum Deum procurandis honoribus, aliquid opportunis temporibus mater Ecclesia non omittat. Prouideat itaque tua serenitas, vt & tu circa ipsam sic quæ sunt deuoti filij prosequaris, quod & Deum tibi constituas digne propitium, & ab eadem Ecclesia optatam percipias affluentiam gratiarum. Dat. Viterbij x. kalend. iulij.*

Mercaria & Mantua potitur Frid.

a Rich. a S. Germ. in chron.

Eo successu tumidus concordiæ tractatū dissoluit.

Turpiter admissio Cardinales arcet.

6 Meminit quoque huius legationis Richardus his verbis [a]: *Magister domus Theutonicorum a Papa ad Imperatorem reuertitur, episcopus Ostiensis & Thomas Capuanus S. Sabinæ presbyter Card. legati ad Imperatorem vadunt ex parte Papæ.* Verum ipsos a Friderico repulsos inferius ait: *Mense octobri Imp. cepit Merceriam in Lombardia, & cū nollet habita Mantua alloqui Cardinales, ipsi Romam reuersi sunt.* De ea Friderici arrogantia in non admittendis ad colloquium Cardinalibus queritur grauissimis verbis Gregorij vitæ auctor: *Eam assumpsit in Ecclesiæ humilitate superbiam, vt suam eis præsentiam, quam interdum turpibus immisset commercijs, denegaret, in modico felicitatis indicio cuncta pro voto sibi mentiens successura: qui tandem absque vlla prosecutione negotij redierunt.*

7 Arrisere quidem Friderico, qui potentiæ suæ vniuersam Italiam succubituram sperabat, felicia belli principia, quamquam postea tristes & funestos exitus habuerunt: magna ille strage Mediolanenses ad flumen Olei deleuit; de qua extant apud Petrum e Vineis triumphales Friderici ad Pontificem & Cardinales literæ, quibus Richardus [b] assentitus refert Imperatorem victrici cinctum exercitu montem Clarum in Brixiano episcopatu cepisse, direptumque flammis tradidisse, perculsos metu Brixianos, in auxilium suum Mediolanenses exciuisse; qui contractis validissimis copijs in Imperatorem castra mouere; sed quanta clade cæsi profligatique segnitici pœnas luerint, cum vrgentissimis precibus a Pontifice solicitati, vt concordiam cum Friderico inirent, rem adeo traxere, vt tractandæ illius tempus re infecta labi permiserint, describit Petrus [c] e Vineis tumido, atque eleganti stylo.

b Rich. in chron.

Montem clarū expugnat.

Mediolanenses Brixianis opē ferunt.

c Petr. de Vineis ep. 13.

Acre prælium cōmittunt.

8 *Die xvii. mensis nouembris xi. indictionis vtriusque partis cunei præcursores, per Crucis noua campos alternis cursibus impetuose furentes hinc inde conflictis manibus inuicem, clangore tubarum milites animantes, bellum terribile inceperunt; & subsequentibus turmis vndique commixtis alterutrum cum hinc inde foret diu dureque certatum, tunc Mediolanensium militia cæsareis viribus fortiter interrupta, & vsque ad suorum castrorum hospitia impulsa viriliter incepit cursu ruinæ multiplici iam labare: nam multifaria cædis pernicie imperialis exercitus ignobile vulgus flagellando perurgens, campum sanguineum præcipiti populo cumulabat. Sed quis possit illius diei narrare pericula? Quis valeret hostium aceruos cadauerum scribere? Quis captiuorum copiam numerare? Tandem enim Deus iudex iustus iura respexit Imperij, & ad tanti casus interitum subito deiecit superbiam Lombardorum, quod ipso die teste Mediolanenses cum suis fautoribus florem militiæ, populique carrucium cum potestate vilissime amiserunt, & ex hostibus quotquot voluit quisque de nostris occidit, & quotquot voluit captiuauit. Tandem relictis armis, tentorijs & curribus, ferri mortem irreparabilem populus fugiebat, ita quod maior pars eorum in fluminibus se submersit.*

9 *Tunc Cæsar præ omnibus militibus suæ virtutis potentiam est expertus: ipse enim inimicos cunctos manu propria feriebat. Tum Theutonij suos gladios rubenti sanguine rubricarunt: tunc felices fidelesque regni milites collaterales principis mirabiliter pugnauerunt; tunc miranda Papiæ militia se de Mediolanensium militibus vindicauit, & fidelis Cremona cum socijs ciuitatibus secures sanguine satiauit, & suas euacuarunt pharetras Sarraceni. Nunquam enim in aliquo bello sic fuerunt cadauera cumulata: & nisi nox festine venisset, quæ hostium subtraxit reliquias, nullus eorum de manibus Cæsaris euasisset. Sed mira res quod in tanti belli conflictu imperialis exercitus extitit sine damno.*

Deleuntur magna clade.

Verum eam victoriam multo cruore Friderico constitisse docent nonnulli scriptores, tantumque in conflictu efferatis vtrinque animis, militum suorum numerum aut ferro cæsum, aut sauciatum vulneribus, vt expugnandi Mediolani spe deiectus, Cremonam, vt reficeret confirmaretque exercitum, regressus sit; Mediolanenses vero collectis animis redintegratisque viribus, bellum Friderico denuntiasse, si præditus animo esset, aperte non furtiue rem ageret, ac non ex comparatis latronum more insidijs, sed libero campo, vt solent magni duces, bello decerneret. Pergit Petrus:

Non incruenta Friderico victoria fuit.

10 *Sic itaque deuictis hostibus & fugatis, cum triumpho venit Cremonam inclytus Imperator: indeq; infortunatum carrucium Mediolanensium cum potestate, filio ducis Venetorum, alijsque captiuis Cremonam accelerans: cum sequenti die ad mandatum Cæsaris sui vexilli pertica vsque ad terræ faciem rumpitur inclinata potestate ad eius ligata superius, & multitudine gentium magnis applausibus prætereunte, ab elephante, qui castellum ligneum, & tubas cum vexillis Imperij gerebat in dorso, per Cremonam ad laudem & gloriam principis trahebatur. Vere de throno Dei sententia prodijt inferens iudicium vltionis: nam nec occisis sufficiunt sepulturæ, nec Cremonæ palatia multitudinem capiunt captiuorum.* Hæc Petrus e Vineis. Cæterum captorum, & cæsorum numerum ad decem millia excurrisse scripsit Fridericus Henrico Angliæ Regi: *Vt multa,* inquit, *compendio concludamus, tum capti, cum mortui, inter quos multorum Mediolanensis factionis primates & principes corruerunt, decem millium fere numero computantur.* Ex quo Richardus, qui eadem mandauit historiæ, accepisse videtur; adijcitque Laudam insequenti post partam hanc victoriam mense Friderico se dedidisse.

Præfectus Mediolanen. cum insignibus capitur.

Cæsorum & captorum Mediolanen. numerus.

11 His consentanea tradunt scriptores, tum de Petro Iacobi Teupuli Venetorum ducis filio capto, atque in Apuliam postea misso; tum de carrocio. Ingens is erat currus, quem plures iuncti boues trahebant, quique pluribus in altum gradibus assurgens speciē tribunalis egregio artis lenocinio exhibebat, varijsque circum ornamentis ad pompam erat insignitus: videbantur quippe in eo defixa militaria vexilla, ac gentis & sociorum, qui exercitui sese iunxerant, insignia volitabant; instarque erat prætorij, iuxta quod præfecti exercitus, tribuni, centuriones versari, ac ius militi dicere, consilia bellica agitare, dareque imperia consueuerant; tumque fusus exercitus, ac parta victoria existimabatur, cum in hostis manus carrocium peruenisset. Eo Insubres in signum arctissimi fœderis potissimum vsos tradunt, tum vt miles ad id defendendum maioribus animis dimicaret, tardiorque ad fugam esset, cum in fugam versus exercitus carrocium seruare non posset: de quo frequens mentio apud Italos scriptores [a] reperitur.

a Ricord. Vallan. & alij.

12 Captum porro Mediolanensium carrocium

ad ostentationem victoriæ Fridericus, vt scribit Richardus, ad Romanos transmisit, nimirum vt suæ potentiæ admirationem concitaret, atque a Pontificis obseqnio ad suam seruitutem alliceret. Non enim hunc illi defuisse animũ præter superiori anno dicta indicat Gregorij vitæ auctor, Ioannem Centium senatorem, qui post grauissimas dissensiones Ioanni Poli, vti Richardus a refert, subrogatus fuerat, induxisse, vt Pontificem aditu in Vrbem arceret. sed missa ab Romanis solemni legatione ad suam sedem reuocatus, atque ingenti pompa, effundente sese illi obuiam, atque fausta acclamante populo, exceptus est. Cuius reditum præclari instar triumphi gestorum scriptor post ingrati inuidique Imperatoris conflata ad prosperos eos confundendos successus consilia describit: *Ipse ingratitudinis filius*, de Friderico loquitur, in quem Pontifex innumera beneficia congesserat, *non matris sauciatus angustijs eam a patrio lare proscribere cogitans, Ioannem Cincij tunc Vrbis corruptibilem senatorem corrumpit iuramẽto recepto, vt regressum summi Pontificis impediret, qui Ecclesiæ principem, per quem de rusticano tugurio prætorium senatoris ascenderat, & Christi vicarium pecuniæ mercede commutans, ne Petri vrbem Petri successor intraret, portas Vrbis, & muros curabat, quibus poterat conatibus custodire. Sed deuoti filij patris suspirantes aduentum, proditoris elisa versutia, capitolium potenter aggressi, propulsis exinde turpiter hostibus, nobilem virum Iacobum Capuccium, & alios potentiores Vrbis ad reducendum eorum patrem & præsulem destinarunt.*

a Rich. in chron.

Frideric. prohibere ingressu Gregoriũ in Vrbe nititur.

13 Susceptum a Romanis Gregorium magna pompa, ac lætitiæ significatione scribit Richardus: sed paulo post discordias recruduisse significauit Ioannes Columna b diaconus Cardinalis Othoni legato, qui in Angliam flagitante Henrico Rege a Gregorio missus fuerat: *Charitati vestræ celare non debeo, quod nimis auide, vel potius insonsulte se mater immersit fluctibus, & in fauces luporum vltronea se iactauit.* Et infra: *Hinc est quod libertas abijcitur, seruitus incboatur, sanctuarij fidus effunditur, ancillatur patrimonium, superbia exaltatur tonantium, carcer emitur, honor contemnitur, appetitur confusio, armatur molestia, tranquillitas effugatur, non curatur de fratrum & exterorum scandalo, irrisionibus irridetur, cæcus loco dimidatur, differuntur negotia, instantes protracti sermonibus diutina expectationum lassitudine fatigantur. Bene vobis accidit quod ab his tormentis abstracti abijstis ad regionem longinquam, ne videretis mala gentis vestræ, & sanctorum, ne pulsaremini quotidianis ictibus crebris punctionibus lacerati. Dat. Viterbij festo S. Lucæ.*

Excitatæ nouæ in Pont. turbæ.
b Extans eius lit. apud Par.

Verum hæc quis acerbiora a Ioanne Columna exarata existimare poterit, quod imbutum maleuolentia aduersus Pontificem animum, aut aliqua offensiuncula exasperatum gereret, cum vt Richardus asserit, apertam tandem coniurationem aduersus Gregorium conflarit, de qua nos suo loco.

14 Cum Romam se contulisset Gregorius, mox Viterbienses perduelles sensit, qui ecclesiasticum iugum suis ceruicibus depellere, excitata grauiori seditione meditabantur. Ad eam ergo extinguendam, & continendos in officio populos Bartholomæo, atque Andreæ capellanis suis prouinciam commisit c, vt eos officij admonerent: tum nobilitati Romanæ Ecclesiæ obnoxiæ, rebellium audaciam armis comprimere imperauit d. Sed cum nec monitis minisue ad damnanda cœpta infringi potuissent, tandem insequenti anno ineunte Gregorius episcopo Balneoregiensi in mandatis dedit, sententiam anathematis in eos vibraret e. Irretierant se ijsdem censuris f ob Ecclesiæ iura occupata, qui cum monita pontificia respuerent proximo anno armorum vi coercendi fuerunt a. Vercellensea etiam, ad quos Cardinalem episcopum Prænestinum apostolici legati munere auctum miserat, leges ecclesiasticæ dignitati aduersas penitus abolere grauissimis literis iussit b. Qui non modo Pontifici dicto audientes non fuere, sed in deteriora lapsi, atrocia ecclesijs, ac viris ecclesiasticis, episcopo etiam in exilium pulso, mala intulere. quibus de rebus Gregorius graues ad Nouariensem episcopum c ad clerum Vercellensem d, atque ad archiepiscopum Mediolanensem, & suffraganeos episcopos e, literas exarauit.

Viterbiẽses rebelliõé mouent in Pontificẽ.
c Lib. 11. ep. 312.
d Reg. post eand. ep.
Censuris ob id defixi.
e Lib. 11. ep. 142.
f Ibid. ep. 123.

a Lib. 12. ep. 17.
Iis etiam ob iniquas leges deuincti Vercellenses.
b Greg. l. x. ep. 394.
c Lib. 11. ep. 226.
e Ibid. ep. 237.
e Ep. 241.
f Ep. 50.

15. Eodem tempore imperauit Pisanis f, redderent Lucæ episcopo nonnulla Lucensium oppida ac loca: arserat enim inter eos populos atrox discordia, ad quam sopiendam cum in G.... tit. S. Marci presbyt. Card. A. S. L. compromissum esset, hanc legatus pacis arbiter sententiam tulit, quam refert Pontifex: *Vt possessionem, & quasi possessionem castrorum montis Topars, Pratilionis S. Geruasij, montis Castelli, Palaria cum villis & pertinentijs suis; item meatetatis Collicnli, Tepiani, & Fosani, ac eorum iurium restitueretis vsque ad certum terminum ab ipso legato expressum episcopo Lucano & episcopatui suo, & eis libere vti permitteretis, sicut eo tempore vtebantur, quo guerra ipsa inter eos & vos fuerat incboata. Cum autem parere præcepto huiusmodi minime curassetis, idem legatus in vicarios A.... quondam potestatis vestræ tunc in nostra præsentia consistentis, & in totum vestræ ciuitatis consilium excommunicationis sententiam promulgauit, cõminando se contra vos durius processurum, si diutius in vestra duritia durassetis.* addit Pontifex preces, vt rem quamprimum perficiant. *Datum Viterbij vi. idus maij ann. xi.* Eodem argumento scripsit g ad archiepiscopum Pisanum. Cur vero non Lucanis, sed eorum episcopo dicta loca restitui præceperit Gregorius, ea causa adduci posse videtur, cum ij nondum anathemate ipsis ab sede Apostolica inflicto liberati forent. qui tandem consilia meliora amplexi cœtui fidelium a Florentino episcopo restituti h meruere, vt in pristinum splendorem recuperata sede episcopali illorum ciuitas reuocaretur. Hactenus de Italicis rebus: iam in adiacentes Italiæ insulas orationem traducamus.

g Reg. post eand. ep.
Episcopalis sedes Lucanis reddita.
h Lib. 11. ep. 84.

16 Obeundæ in Sardinia, & Corsica legationis onus anno superiori imposuerat i summus Pontifex Alexandro capellano suo, scriptisque ad episcopos atque iudices literis insulæ præfectos legati mandatis obtemperare iussit. Tum etiam hoc anno plures leges pro dignitate sanxit: in primis vero iudicem Arborensem, qui Vbaldi nefarijs consilijs irretitus prouinciam Calaritanam Ecclesiæ Rom. obnoxiam inuaserat, eamque ob causam anathemate perculsus fuerat, ad officium redeuntem consortio fidelium restituere præcepit l. Vbaldum etiam cœpta proscribentem in sinum Ecclesiæ recipere m vxoremque Adelasiam, quibus censuris implicita erat liberare iussit n. Ad supremum porro Romanæ in Sardiniam Ecclesiæ dominium illustrandum nonnulla eius insulæ principum publica instrumenta, ac monumenta ad rei memoriam transmittendam posteritati edita, testiumque fide corroborata, quæ in libro censuum extant adducere iuuat. Primum est Vbaldi Galluriensis ac Turritani reguli, qui ea dignitate, Adelasiæ vxoris suæ Reginæ Sardiniæ, ac Massæ marchionissæ titulo auctus, eas præfecturas aliaque ad ipsam a parentibus hæreditario nomine transfusa ab sede Apostolica iure fiduciario obtineri nulla vi adductus fatetur. o

Decreta in Sardinia in legatio
i Ep. 301.
l Ibid. ep. 302.
m Ep. 303.
n Ep. 304.

17 *Dominus Vbaldus iudex Galluriensis & Turritanus recognouit, & fuit confessus publice, & non coactus, se habere, tenere, & possidere ab Ecclesia Rom. iudicatum Turritanum quem habuit pro domina Adelasia vxore sua, & alia quæ ad ipsam hæreditario iure* per-

o Lib. cens. M. S. Vat.
Vbaldus Turrit. & Gallur. regulus sacramento fidei pontificio legato se deuincit.

pertinent tam in Sardinia, quam in Corsica, Pisis, Marsica, Massa, & vbicunque sunt; pro quibus omnibus Ecclesiæ Romanæ fidelitatis iuramentum præstitit magistro Alexandro capellano & legato Apostolicæ sedis nomine ipsius Rom. Ecclesiæ, dictum sacramentum recipiendo, cuius tenor talis est:

18 *Ego Vbaldus iudex Galluriensis, & Turritanus ab hac hora in antea fidelis ero, & obediens B. Petro sanctæque Rom. Ecclesiæ, & domino Papæ Gregorio, eiusque successoribus canonice intrantibus. Non ero in facto nec in dicto, neque in consilio, vt ipse, vel legatus, siue nuncius eius vitam perdant, aut membrum, aut capiantur mala captione. Consilium quod mihi dominus Papa crediturus est per se, vel per literas, vel per nuncium suum, me sciente ad ipsius damnum nulli pandam. Regalia B. Petri, & specialiter Sardiniam adiutor ero ad retinenda, & defendenda contra omnem hominem, & reacquirenda alia iura Ecclesiæ Rom. vbicunque fuerint, cum a domino Papa, vel eius certo nuncio fuero requisitus. Insuper prædictum iudicatum Turritanum & alia, quæ ad supradictam dominam Adelasiam vxorem meam pertinent, nemini supponam, neque alio modo diminuam sine mandato & licentia summi Pontificis. Legatum Apostolicæ sedis honeste recipiam, & in eundo & redeundo honorifice tractabo, & in suis necessitatibus adiuuabo. Actum in palatio Regis Turritani, &c.*

Adelasia Regina ditionem se di Ap. donat. a Ibid.

19 Adnexæ sunt publicæ tabulæ, quibus Adelasia Vbaldi vxor supremum ditionis eiusdem dominum Pontificem agnoscit, illiusque obsequijs & imperijs sese deuouit a: quin etiam ad commendandam magis suam pietatem, ac promerendam suorum salutem, edita donatione inter viuos Turritanam & Galluritanam præfecturas in Gregorium contulit, quas ipsius nomine legatus accepit. Probat instrumentum libro censuum insinuatum, quod data opera præterimus, cum nostri consilij sit hæc leui tantum oratione delibare. Cum ergo sua iura ac bona in Rom. Ecclesiam refudisset, retento supremo iure, Ecclesia in Adelasiam eamdem ditionem transmisit. Extant enim publicæ tabulæ, quibus Adelasia Turritana ditione ab Romanis Pontificibus iure fiduciario se auctam promulgat; se suosque hæredes ad quatuor libras argenti persoluendas obstringit, ac si sine filijs legitimis, e viuis discesserit, Turritanam præfecturam ad Rom. Ecclesiam deuolutum iri. Tum etiam Vbaldus Adelasiæ vir eandem præfecturam ab Ecclesia Rom. obtinere ac gerere publico sacramento est fassus; prouocatusque a legato, vt de Galluriensi idem præstaret, abnuit quod Pisanis fidem suam alligasset, ac sibi iurare integrum non esse, nisi prius iuramentum Pisis nuncupatum Apostolica auctoritate rescissum esset. Quo vtpote contra iura Rom. Ecclesiæ edito, irrito & inani esse iusso, legatus ab Vbaldo Adelasiaque pro Galluriensi etiam ditione fidei sacramenta recepit; tum ad supremam in ea loca Rom. Ecclesiæ auctoritatem exercendam, intentato anathemate vetuit, ne quis in ijs terris instrumentum vllum publicum sine ipsius facultate conficeret.

Eandem a legato iure fiduciario recepit

Arboreæ regulus acceptus in [illegible] a Pontifice. b Extat lib. cens.

20 Simili modo Petrus Arboreæ dominus suam fidem Ecclesiæ Rom. addixit, eam præfecturam supremi dominij iure ad Pontifices Romanos spectare publicis tabulis nuncupatoque iuramento ad posteritatem traduxit b. Sed quo hæc ad firmitatem defixa essent, summumque in eas terras Pontificis imperium stabiliretur, idem Petrus a legato, vexillo tradito, in quo duæ claues adiuncta cruce depictæ erant, principatum vectigalem accepit, censusque nomine mille & centum bysantios Romanæ Ecclesiæ pendere iussus est c: *In nomine Domini amen. Anno Domini MCCXXXVII. indictione XI. tempore domini Gregorij IX. Papæ anno vndecimo tertia die exeunte mense aprilis pateat omnibus manifeste, quod in præsentia domini mei Gregorij S.R.E. scriniarij & subscriptorum testibus dominus Petrus Arboreæ publice, sponte, & non coactus recognoscens Rom. Ecclesiam esse matrem & dominam suam, confessus est se habere, tenere, & possidere regnum, siue iudicatum ab Ecclesia Rom. pro quo Ecclesiæ Rom. & domino Gregorio IX. Papæ eiusque successoribus canonice intrantibus iuramentum fidelitatis præstitit, prædictum iuramentum magistro Alexandro capellano & legato sedis Apostolicæ pro Rom. Ecclesia & domino Papa recipiente, cuius forma talis est: Ego iudex Petrus Arboreæ ab hac hora in antea fidelis ero & obediens B. Petro, &c.* & infra ijsdem pene verbis hæc sacramenti formula, quibus superior, concepta est.

c Ibid.

21 Cumque legatus Petri in Ecclesiam Romanam egregium studium perspexisset, non modo ipsi Arboreæ regnum, siue præfecturam, verum etiam filijs imposito dicto censu confirmauit: ita tamen vt legitimis posteris deficientibus ad Pontificem, ad quem ea ditio pertineret, deriuaretur; nec sine apostolico imperio cuiquam subijcere posset. Præterea eum Petrus atque alij in ea regione dignitate spectabiles, pontificijs mandatis, vel legati parituros iuramento spopondissent, vi præstiti sacramenti legatus imposuit, vt nullam affinitatem sine licentia Apostolicæ sedis contraheret, ac legato absente archiepiscopo Arborensi mille & centum bysantios annuo censu Rom. Ecclesiæ soluendos daret. a

Leges illi pontificio nomine impositæ.

a Ibid.

22 *In nomine Domini amen. Anno Domini MCCXXXVII. indict. XI. tempore domini Gregorij Papæ IX. ann. XI. duodecima die intrante mense maij. Pateat omnibus manifeste, quod magister Alexander capellanus, S. A. L. præcepit domino Petro iudici Arboreæ sub debito illius iuramenti, quo tenetur de parendo omnibus mandatis domini Papæ, & Ecclesiæ Rom. & ipsius legati, & sub debito iuramenti præstiti fidelitatis Ecclesiæ Rom. quod de cætero non contrahet aliquam consanguinitatem, vel affinitatem cum aliquo, vel aliqua absque mandato & licentia sedis Apostolicæ speciali: quibus ipse sponte consensum obligauit, & promisit se facturum. Præterea præcepit idem legatus prædicto iudici Petro, vt quolibet anno in festo B. Petri censum Ecclesiæ Rom. debitum, videlicet mille & centum bysantios aureos soluat archiepiscopo Arborensi nomine Ecclesiæ Rom. si nuncius Ecclesiæ Rom. præsens non esset. Actum apud Bonarcantum, &c.* Nonnulla etiam oppida fiduciario iure possidenda, nimirum Arborensi archiepiscopo, oppidum Girapala, Empuriensique episcopo oppidum, cui a monte Acuto nomen erat, legatus concessit.

23 Cum porro Vbaldus Turritanus & Galluritanus, ac Petrus Arboreæ præfecti, inter se dissiderent, compromisso in legatum facto, lites suas legati iudicio dirimendas permiserunt: conciliatisque tandem ijs inter se, legatus vi sacramenti, quo ad parendum obstricti essent, coniungere arctius animos, sibique mutuo pro viribus opem explicare, & quæcumque in alterius ditione, quæ ad alterum pertinerent, reperirentur, restitui edito decreto b imperauit. Cæterum Arboreæ iudex, vt egregie erga Ecclesiam animo affectus erat, seque liberis carere cerneret, ditionis suæ hæredem Romanum Pontificem instituit, quem propterea Gregorius meritis laudibus est prosecutus c.

Arboreæ & Turritanus reguli in concordiam adducti.

b Extat ibid.

c Greg. 11 ep. 254

Obsolescebat corruptioris naturæ lapsu in Corsica ecclesiastica dignitas: contaminarant enim sese vitijs ipsi episcopi scelerumque exempla in clerum transfuderant, tum etiam nonnulli auaritia ardentes Rom. Ecclesiæ bona occupabant: quare Gregorius Alexandro legato obeundæ Corsicæ bonorum Ecclesiæ ab inuasoribus repetendorum, tum in episcopos flagitijs inquinatos inquirendi prouinciam commisit. d

d Ibid.

Rex Aragonũ bello Valentinos Mauros aggredi parat.

24 Per ea tempora Iacobus Aragonum Rex crucem aduersus Saracenos induerat, atque Valentiam nobilissimam Hispaniæ vrbẽ oppugnare decreuerat, consilijq; sui participem Apostolicam sedem fecerat: quare Gregorius curis suis ad rem adeo præclaram conuersis, concionatores ex sacro pulpito populos ad sacram expeditionem capessendam, subsidiaque conferenda incitare iussit, deque ijs ad episcopum Barchinonensem, ac Vuillelmum ecclesiæ Tarraconensis procuratorem diploma dedit.

Gregorius, &c.

Ex literis charissimi in Christo filij nostri illustris Regis Aragonum nuper accepimus, quod gens perfida paganorum in sui regni constituta confinio, conditoris omnium contemnens habere notitiam, & ad hoc semper inuigilans, vt professores Christianæ fidei possint de ipsis partibus, quod auertat Dei Filius, propulsare; tantam sibi bellatorum multitudinem cumulauit, vt cum ipso Rege campestre bellum facere comminetur.

Excitari ad sequẽda illius signa fideles.

25 Verum cum idem Rex pro ipsius defensione fidei, qua nihil gratius esse dignoscitur Redemptori, signum crucis assumpserit contra ciuitatem Valentiæ duce Christo potenter, & magnanimiter processurus, spe sibi proposita quod fidelium subsidio roboratus ciuitatem eãdem acquirat, Christiano nomini diuina potentia suffragante; discretionem vestrã rogamus, & obsecramus in Domino in remissionem vobis peccatorum iniungentes, quatenus assumpto sanctæ prædicationis officio propter Deum crucesignatorum in Terraconensi prouincia, præterquã in Pampilonensi, & Calaguritana diœcesibus, cum quibus illuc ire volentibus duximus dispensandum, vota peregrinationis in succursum Regis eiusdem, ac prædictorum fidelium commutetis; & tam eos quam alios fideles in Terraconensi prouincia cõstitutos, ad plenitudinem charitatis, qua Christus nos dilexit & diligit, respectum habere, & ei retribuere aliquid pro omnibus, quæ tribuit ipse illis, monitis & exhortationibus vestris secundum datã vobis a Deo prudentiam informetis diligenter & solicite; postulantes, vt ipsi redempti pretio glorioso, in quos tanquam viros Christianos, & catholicos cadere opprobria exprobrantium Christo debent, se viriliter & potenter accingant ad ampliandam gloriam Crucifixi. *Dat. Interamnæ IX. febr. ann. X.*] Eiusdem argumenti epistolas ad Narbonensem archiepiscopum, atque alios præsules exarauit [a]. Duxisse e Gallijs auxiliares copias Petrum Amulum Narbonensem archiepiscopum ad vrgendam Valentiæ obsidionem, ac plures etiam ex Anglia in Iacobi castra confluxisse scribit Surita. [b]

a Ibid. ep. 346. 353.

b Surit. l. 3 annal. Arag. c. 30

26 Cum vero Aragonum Rex, qui ob illatam Cæsaraugustano episcopo grauiorem iniuriam anathemate se inuoluerat, ancipiti ægritudine implicitus esset, vrgente conscientia facti veniam petijt, cœtuique fidelium restitutus ad sedem Apostolicam supplex confugit, vt quid sibi agendum foret imperaret, quo omnes ex animo religionis aculeos amoueret. Quare Pontifex sanctissimo viro Raymundo ordinis Prædicatorum, capellano ac pœnitentiario suo præcepit [c], vt e præscripta forma Regem absolueret. Præterea rogatus Pontifex a Iacobo Aragonum Rege, vt quæ maximo regiæ dignitatis detrimento pater abalienasset, irrita esse decerneret, peritionis æquirare flexus, ad Vicensem & Ilerdensem episcopos hoc diploma dedit [d]: *Ex parte charissimi in Christo filij nostri Aragonensis Regis illustris nostris est auribus intimatum, quod cum regnum eius Apostolicæ sedi sit subditum, & speciali Ecclesiæ Rom. protectioni commissum, claræ memoriæ pater suus, postquam a felicis recordationis Innocentio Papa prædecessore nostro in regem extitit coronatus, multa de bonis suis & regni in præiudicium honoris & dignitatis regiæ, & Apostolicæ sedis pro sua alienauit libito voluntatis. Quocirca mandamus quatenus prædicta bona taliter alienata legitime reuocetis.*

c Ibid. ep. 355.

d Lib. 11. ep. 102.

Alienata a Petro Rege iura regia pontificia auctoritate reuocata.

27 Ijsdem episcopis sanctoque Raymundo præficiendi episcopi Maioricæ regno ab Aragonum Rege, depulsa Saracenica superstitione, Christianæ fidei restituto munus demandauit. [a]

a Ibid. ep. 159.

Gratias agentes gratiarum omnium largitori, qui per charissimi in Christo filij nostri illustris Regis Aragonum, & aliorum Christi fidelium ministerium, propriam causam gerens regnum Maioricarum, dudum a Sarracenis inuasum, cultui restituit Christiano; ac volentes ecclesiæ Maioricanæ pastore carenti, quæ ad nos nullo medio pertinet, de persona idonea prouidere, per quam commissus sibi populus cælesti irrigui foueatur humore, circumspectioni vestræ, de qua plenam fiduciam obtinemus, prouisionem ipsius ecclesiæ duximus committendam. Quocirca mandamus quatenus talem eidem ecclesiæ præficiatis in episcopum & pastorem, qui tanto congruat oneri & honori; ac faciatis ei a suis subditis obedientiam & reuerentiam debitam exhiberi, cui vos fratres episcopi adiuncto vobis legitimo collegarum numero non quidem de Terraconensi prouincia, sed potius aliunde consecrationis gratiam impendatis, recepturi ab eo postmodum pro nobis & Rom. Ecclesia fidelitatis solita iuramentum iuxta formam, quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam, contradictores, &c. Formam autem iuramenti, quod ipsi præstabit de verbo ad verbum nobis per eius patentes literas, suo sigillo signatas, per proprium nuncium quantocyus transmittatis, quod si non omnes, &c. Dat. Viterbij VII. idus iulij.

Christiana religio in Marrochitano regno amplificata.

28 Marrochitani etiam regni Christi fidelibus primum episcopum præfecit [b] Gregorius, cum in Mauritania religio Christiana continuis virorum piorum sudoribus, ac fuso etiam martyrum sanguine irrigata feliciter adolesceret, spesque affulgeret strenui episcopi diligentia excultam latius amplificatum iri: *Lætamur quod ecclesia Marrochitana sterilis hactenus fœcunda nunc redditur, & synagoga peccantium, quæ multos habebat filios, infirmatur. Lætamur quod in draconum cubilibus nunc oritur viror calami, & in struthionum pascuis crescunt lilia nominis Christiani. Lætamur quod Israel in terrã Iuda liber a Babylonica seruitute reuertitur, & aurea vasa, quæ Nabuchodonosor in Babylonem transtulerat, iam ad templum Domini referuntur. Propter quod considerantes attente quod ecclesia prædicta inter hostes Christi posita de facili castæ prolis amissionem incurreret, si sponsi maneret custodia destituta; & ipsius nouella plantatio in breui aresceret, nisi eam cultor ecclesiasticus sacri fluento dogmatis irrigaret, venerabilem fratrẽ nostrum ... episcopum, quem ad eiusdem ecclesiæ consecrauimus titulum in pastorem & sponsum, sibi duximus prouidendum; spem firmam habentes, quod cum vir literatus & discretus existat, quo sincerius Dominum relictis cum Petro mundanæ vanitatis retibus sequitur, eo latius in illis partibus ipsius studio Christianæ fidei funiculus extendetur, &c. Dat. Viterbij II. id. iun. pontif. nostri ann. XI.* Hæc Pontifex, sed ad Hispanias, a quibus defleximus, regrediamur.

b Ep. 137.

Episcopus nouus illi ecclesiæ præficitur

29 Collocabat in propagandis Ecclesiæ limitibus strenuam operam Ferdinandus Castellæ ac Legionis Rex, atque in vicinos Sarracenos bellum gerebat: quem vt Gregorius vehementius in impios accenderet, permisit [c] vt in ijs locis, quæ ex Sarracenorum manibus euulsisset, ecclesiarum rectores diœcesano episcopo præficiendos offerre prima vice posset. Præterea ipsi, atque Alphonso filio cum duabus comitis Pontiui filiabus rescisso canonico ob sanguinis coniunctionem impedimento matrimonium inire liceret [d]. At dum huiusmodi beneficia in eos principes ipsorum meritis pellectus conferret

c Ibid. ep. 349.

d Ep. 214. 215.

Pon-

Pontifex, iustissimas ipsius iras Portugaliæ Regis frater in se concitauit, adeo enim ecclesiasticam dignitatem atterinerat, clerumque oppresserat, vt anathemate desigi meruerit, atque ex Ecclesia abigi, cui iugum crudelissimum imposuisset: qua de re ad archiepiscopum Toletanum, ac Legionensem episcopum grauiores extant literæ. a

a Ep. 35.

Portugalli Regis frater ob grauissima in ecclesiasticos scelera censuris defixus.

30 *Lacrymabilem venerabilis fratris nostri Egitaniensis episc. accepimus questionem, quod nobilis vir F. dictus infans charissimi in Christo filij nostri illustris Portugaliæ Regis germanus domus suæ benignitate relicta, sumptaque inde maiori audacia delinquendi, quod in regno Portugaliæ ecclesias, & ecclesiasticos viros passim pro arbitrio suo lædit: bona eius, & suorum tam in ciuitate, quam diœcesi Vlixbonensi & Egitaniensi, ac suos grauissimo afficiens detrimento: quosdam quoque clericos eius in sacris ordinibus constitutos scriptores Regis eiusdem in castro Sanctarenensi, ipso ibi præsente, crudeliter interfecit: & quasi hæc non sufficiant, alia sibi pericula comminatur, damna damnis adijcere non desistens. Vt igitur idem nobilis percussus ad percutientem se rediens non differat quærere medicinam, per quam famæ suæ consulat & saluti, mandamus quatenus, si est ita, eum cum prædictis fautoribus, donec Deo & Ecclesiæ suæ, ac sibi super præmissis satisfecerint competenter, appellatione postposita excommunicatos publice nuntiantes, loca ad quæ ille deuenerit, quamdiu fuerit ibi præsens, interdicto ecclesiastico supponatis. Dat. Viterbij 111. kal. maij ann. x1.*

Tuetur in Galliis iura eccl. b Lib. 10. ep. ... c Lib. 11. ep. 83.

31 In Gallijs quoque aduersus eos, qui ecclesias ac viros ecclesiasticos opprimebant, Gregorio laborandum fuisse ostendunt plures epistolæ pontificiæ, quibus cum Britanniæ comitem b ab ecclesia Macloniensi conculcanda abducere; tum Henricum de Rauello c in aula imperiali præfectum iustitiæ ab ecclesiæ Arelatensis lædendis iuribus deterrere conatus est. Cumque Delphinus vir prænobilis, aliorum ope adiutus, comitatus Melgoriensis Romanæ Ecclesiæ obnoxij partem inuadere, sibique subijcere ausus esset, ad expiandum tentatum facinus Hierosolymitanam profectionem ornare, atque in Sarracenos bellicam suam virtutem explicare iussit. d

d Ibid. ep. 319.

32 Cum vero nonnullis hæreticis in montis Pessulani fines sese recipientibus, ad eam delendam infamiam eluendamque consules populusque oratorum opera Pontifici exposuissent, semper se pro fide catholica tuenda strenue gessisse, ac paratos ipsius impetijs illius pestis reliquias excindere, suisque limitibus procul amandare; ijs acceptis Gregorius Viennensi archiepiscopo præscripsit e, eos qui sponte ad sinum Ecclesiæ ab impietate transfugerent, admitteret, atque in alios iustæ seueritatis aculeos exereret, ne sontes & insontes eadem pœna inuolueret: *Ex parte consulum & populi montis Pessulani fuit propositum coram nobis, quod ipsi tanquam viri catholici pro fide potenter & indefesse steterunt, eam contra prauitatem hæreticam, sicut salutem suam & honorem proprium defendentes: vnde cum ipsi audierint famam quandam ortam de nouo, quod in terra sua sunt aliqui ex hæreticis receptati, dolentes exinde grauiter, & valde tristes effecti, ad infamiam huiusmodi abolendam nobis per suos nuncios & literas obtulerunt, terram ipsam ab omni infidelitatis spurcitia iuxta nostrum beneplacitum expurgare. Nos ergo de persona tuæ prudentia confidentes mandamus, quatenus personaliter accedens ad locum, super hoc solita discretione procedas, ita quod pestis illa mortifera impunita non transeat, & pœna non teneat innocentes; debent etenim eradicari zizania, & auelli triticum non oportet.* Adijcit apostolica monita, vt eos qui sponte impietatem exuerent, atque ad Ecclesiæ sinum, antequam de illis quæstio exerceretur, se conferrent, censuris, quibus ter in anno feriuntur hæretici, absolueret, fideliumque cœtui aggregaret. *Dat. Interamnæ 1v. kal. mart. ann. x.*

e Lib. 10. ep. 84.

33 Imposuit eidem archiepiscopo S. A. L. prouinciam Pontifex, vt sacræ fidei censoribus e Dominicana familia, quos Tolosanus comes tacito in se odio imbutos querebatur, ac Francorum Regem intercessorem apud sedem Apostolicam adhibuerat, vt munere submouerentur, si iusta in eos suspicio caderet, inquisitionis officium abrogaret: qua de re Ludouico Regi literas dedit a, flexusque eius precibus inuito admodum animo permisit, vt Raymundo profectionis Asiaticæ, cui se ex inito fœdere obstrinxerat, tempus in annum alium produceret; ea tamen lege vt remoto omnium excusationum fuco, stato termino expeditionem adornaret. Quæ vero ex ea mora damna pertimesceret, his grauissimis verbis exposuit: *Considerauimus quæ & quanta pericula, prout etiam non ignorat celsitudo regia, negotio pacis & fidei ex indulta sibi dilatione hactenus sunt secuta: nam venerabilis frater noster episcopus & clerus Tolosanus, fratres quoque Prædicatores etiam de ciuitate Tolosæ per eundem comitem sunt expulsi, & commissa alia multa mala, quæ longum esset per singula recensere; ita quod in partibus Tolosanis terra velut deserta luget & languet spinis eam replentibus, & vrticis varijs, videlicet erroribus ipsam inuoluentibus pene totam; propter quod totum negotium quasi passum est recidiuum, & vehementer timetur, ne fiant eius nouissima prioribus grauiora. Idem quoque comes tanquam peccator, qui cum venerit in profundum malorum contemnit, nullam videtur recipere, cum percussus non doleat, medicinam. Veruntamen ne tuæ videamur petitioni deesse, quin potius tuis desiderijs, quantum cum Deo possumus, concurrere cupientes, regiæ circumspectioni committimus, vt recepta ab eo sufficiente & idonea cautione, quod in proximo passagio, videlicet in festo B. Io. Baptistæ sequenti post proximum, omni occasione ac excusatione cessantibus, transfretabit, terminum ei vsque ad idem passagium, cum consilio charissimæ in Christo filiæ nostræ B.. Reginæ Francorum illustris matris tuæ, ac prælatorum, quibus super hoc dirigimus scripta b nostra, studeas prorogare. Quod si cautionem eandem præstare noluerit, consideratis circumstantijs vniuersis, quæ in hoc fuerint attendendæ, disponas vt vtilitati negotij, & necessitati terræ secundum datam tibi a Deo prudentiam videris expedire, prouiso quod vltra dictum terminum induciæ nullatenus sibi prorogentur, &c. Dat. Interamnæ v. idus febr. ann. x.*

a Eod. 10 ep. 359. Profectionis Asiaticæ præfixum Tol. com. diem prorogat.

b Extabid. post eand. ep.

34 Produxerat Raymundo Pontifex ineundæ expeditionis tẽpus, vt maiori illam apparatu instrueret: at ipse abiecto illius ornandæ studio, Massiliensium, qui excusso Berengarij Prouinciæ comitis iugo ad ipsum desciuerant, bello se implicuit, partesque illorum contra Berengarium defendendas suscepit. Quo accepto Gregorius tulit grauissime ipsum arma in fideles strinxisse, quæ ad expianda crimina in Sarracenos vertere debebat: maxime cum Iacobus Aragonum Rex Prouinciæ comitis fœderatus, qui signa contra Sarracenos cruce indutus extulerat, Valentiamque Sarracenorum in Hispania vrbem obsidione cingere, ac subijcere Ecclesiæ, vt supra delibanimus, moliebatur, a suscepto cõsilio ad Prouinciæ comiti ferendam opem retardaretur. Propagandæ igitur Christianæ fidei solicitus Pontifex, tum ne comes Tolosanus, qui sacramento ad Hierosolymitanam profectionem obstrictus erat, tempus frustra tereret, expectationemque omnium summo Christianæ rei damno falleret, Galliarum Regem literis rogauit c, Tolosani comitis consilia extingueret, atque a Massiliensibus defendendis auocaret: cum præsertim eo sese implicaret bello in odium Prouincialis comitis, quod olim in bello Albigensi cum Ludouico Rege ipsius parente ad obsidendam Auenionem copias suas coniunxisset.

Massilienses in comitẽ Prouin. rebellionem mouent.

c Lib. 11. ep. 101. Instat Greg. apud S. Ludou. vt Raymundũ a cœptis abducat.

Gregorius &c. illustri Regi Franciæ.

35 Ex parte charissimi in Christo filij nostri Iacobi Aragonum Regis illustris, & nobilis viri comitis Prouinciæ, nostris est auribus intimatum, quod cum ciuitas Marsiliæ, quæ noscitur ad ipsius comitis dominium pertinere, eidem comiti rebellis existens, se nobili viro comiti Tolosano, non sine magna perfidia & temeritate, subiecerit & ab ipsius comitis Prouinciæ iurisdictione proditionaliter se subtrahere minime dubitarit; idem comes Tolosanus ciues Marsiliæ in homines suos minus iuste recipiens, non solum eos in hac iniquitate defendere, sed contra præfatum comitem Prouinciæ, ac ipsius terram insurgens, eum multipliciter molestare præsumit: contra ipsum, vt creditur, ob illud rancore concepto, quod idem comes Prouinciæ dictum comitem Tolosanum olim ad mandatum Ecclesiæ in obsidione Auinionis cum claræ memoriæ Ludouico patre tuo pro defensione fidei & ecclesiasticæ libertatis, zelo fidei ac deuotionis accensus studuit impugnare. Quare cum dictus Rex ad expugnandos Sarracenos & obsidendam ciuitatem Valentiæ, signo crucis assumpto, proposuerit potenter accedere, ac eundem comitem Prouinciæ, cui nulla potest ratione deesse, multis ex causis defendere teneatur; idem Rex, ne a tam sancto proposito retardetur, & præfatus comes Prouinciæ nobis humiliter supplicarunt, vt super hoc prouidere curaremus eidem. Cæterum ad audientiam nostram venerabili fratre nostro archiepiscopo Viennensi Apostolicæ sedis legato insinuante peruenit, quod dicto comite Tolosano salarium debitum magistris Tolosæ regentibus contra iuramentum super hoc præstitum non soluente, Tolosanum studium in detrimentum ac subuersionem fidei Christianæ, cum ex hoc hæretica prauitas ibi fortius inualescat, irreparabiliter dissipatur. Ipsius quoque baiulus venerabilem fratrem nostrum Vasionum episcopum confectum senio, genere nobilem de domo sua turpiter eijciens, castrumque ac ciuitatem ecclesiæ suæ sibi auferens, alia damna grauia multiplicesque iniurias irrogauit eidem.

Significat Iacobum Regem a Valentiæ oppugnatione pro tuendo Prouin. comite auocatum iri.

Dictus etiam comes detestanda salinarum pedagia, quæ pater suus olim abiurauerat, in terra Venexini de nouo instituens, ac in multis Dei Ecclesiam & eius prælatos vexare præsumens, ausu sacrilego ecclesiarum bona & redditus occupat; nec sæpe monitus a præfato archiepiscopo aliquid de his emendare procurat. Propter quæ licet excommunicationis sententia sit ligatus, absolutionem tamen, vel potius claues Ecclesiæ vilipendens, multa his contra Deum, & Ecclesiam præsumit peiora committere, quæ graue esset præsentibus explicare.

36 Nos igitur attendentes, quod si prædictus Rex contra eosdem Sarracenos hac retardatus occasione procedere non valeret, vtilitas quam ex hoc Christianæ fidei credimus prouenturam, ex mora hostibus Christi vires sumentibus fortiores, forsitan deperiret; & ex hoc tanta possent guerrarum pericula in Albigensium ac Prouinciæ partibus suboriri, quod nisi antequam amplius inualescant, occurratur eisdem vix aut nunquam ex postfacto ipsis salutari remedio poterit obuiari; negotium quoque pacis & fidei, ad quorum obseruationem dictus comes Tolosanus in manu venerabilis fratris nostri Portuensis episcopi tunc A. S. L. iuramento præstito se astrinxit, grandi discrimini subderetur, eo quod durante inibi guerrarum turbine fidem nostram possent hæretici securius expugnare; terræ insuper sanctæ subsidium, ad quod etiam ipse comes se transferre tenetur, grande, quod absit, exinde incurreret detrimentum, ob id, quod in præfatis guerris & discordijs ipsum comitem expendere oporteret ea, quæ nunc deberet suæ transfretationis vsibus reseruare; idemque comes semper inueniretur ad transfretandum inhabilis, si tempus sibi concessum a nobis non conseruationi licitæ, sed consumptioni prohibitæ potius deputaret; serenitatem regiam rogandam duximus, & hortandam, &c.] Addit preces, vt Raymundum sua auctoritate a tuendis Massiliensium partibus abducat, ac male ab eo tentata emendare cogat. *Dat. Viterbij XIII. kal. iunij ann. XI.*

Non debere Raymundum eo se bello implicare.

37 De eadem re Francorum Reginæ, Tolosano, Britanniæ, & Marchiæ comitibus, ac pluribus alijs literas misit [a]. Tum Massilienses & Auenionenses, qui Tolosano comiti aduersus Prouinciæ comitem obtrita sacramenti religione hæserant, increpuit, hortatusque est [b], a susceptis discederent: de quibus etiam ad Tolosanum comitem atque archiepiscopum Viennensem legatum suum literas exarauit. Cæterum Raymundum ad apostolica imperia fregisse animum & oratores ad Pontificem decreuisse, vt veniam ob libertatem ecclesiasticam violatam [c] posceret, atque in ijs, quæ ad sanciendam pacem, tuendum fidei splendorem, ac nonnullis alijs, ob quæ ipsius fama laborabat, sedis Apostolicæ voluntati se accommodaret, indicant literæ ad eundum archiepiscopum V. kal. aug. huius anni datæ, quibus vetuit, ne comitem a mittendis ad sedem Apostolicam præsulibus virisque religiosis prohiberet, eumque pontificiarum sit partium illius clementiam, qui non mortem, sed salutem peccantium optat, imitari.

[a] Reg. post cons. ep.
[b] Lib. 11 ep. 177. 178.
Raymundus pontificis voluntatibus se accommodat.
[c] Ibid. ep. 169.

38 His adiungendum videtur Gregorium Othoni Cardinali partes dedisse [d], vt conciliandæ inter Francorum & Anglorum Reges paci incumberet. Transmittebat illum Pontifex in Angliam, summa legati Apostolici auctoritate instructum, ad redintegrandum ecclesiasticæ dignitatis decus moresque excolendos. quo argumento extant literæ, ad Angliæ, Vvalliæ, & Hiberniæ præsules, quibus de imposito illi a sede Apostolica munere certiores fecit [e]: *Ecce magnum & honorabile membrum Ecclesiæ amicum Dei dilectum filium nostrum Othonem S. Nicolai in carcere Tulliano diaconum Cardinalem, virum morum honestate conspicuum, præditum scientia literarum, & prouidentia circumspectum; quem inter cæteros fratres nostros admodum charum habemus pro suorum excellentia meritorum, in Angliam, Vvalliam, & Hyberniam, commisso sibi plene legationis officio, de latere nostro prouidimus destinandum, vt cum in hac hora vndecima cultores simus in vinea Domini constituti, vice nostra vt diligens cultor euellat & destruat, dissipet & disperdat, ædificet & plantet, prout ipsi Dominus ministrabit, de quo vtique, cum ei adsit puritas conscientiæ, & præsto sit iudicium rationis, malitiam odiat, & innocentiam tueatur, speramus firmiter quod recta regens, & dirigens indirecta, aspera conuertit in plana, &c.* Præcipit vt ipsum debito honore prosequantur, excipiant imperia, atque ad diuinam amplificandam gloriam suam illi operam, ac studium commendent. *Dat. Interamnæ II. idus febr. ann. X.*

[d] Lib. 11. ep. 17.
[e] Ep. 368.
Otho Card. A. S. L. in Angl. mittitur.

39 Paruisse apostolicis iussis Anglicanos præsules colligitur e Parisio [f], qui legati in Angliam aduentum describit, ac refert plures antistites ad eum excipiendum, cum e naui in terram excensionem faceret, in littus obuiam prodisse, aliquos etiam scaphis subuectos ad nauim, qua vehebatur, accessisse, ac munera pretiosissima ad eius gratiam colligendam obtulisse: quorum partem ait auctor accepisse, ab alijs ita temperasse, vt ea sibi reseruari iuberet; quibus ille legati famam carpere Romanæque Ecclesiæ maiestatem pro suo more obscurare voluit: ac post nonnulla interiecta, regressus ad Othonem, virtutis illius splendore perstrictus, repugnantia cum ijs, quæ superius dixerat, affert; nimirum Othonem ipsum sua modestia, atque in accipiendis muneribus temperantia exul-

[f] Par. hist. Angl. hoc anno.
Honorificentissime excipitur a Rege ac præsulibus.

exulceratos Anglorum animos deliniuisse. Excepit pariter honorificentissime legatum Henricus, cui Gregorius debitam erga illum obseruantiam literis a commendarat: præsulum enim, ac principum agmine stipatum obuiam officij causa Othoni occurrisse, ac solemni pompa cohonestasse narrat memoratus auctor b: *Rex autem ei vsque ad confinium maris occurrit, & inclinato ad genua eius capite vsque ad interiora regni eum deducit officiose; & aduenientes episcopi cum abbatibus, & alijs ecclesiarum prælatis, cum omni honore & reuerentia, cum processionibus & campanarum classico, & pretiosis muneribus, vt decuit & plusquam decuit, receperunt.*

a Greg. l. 10. ep. 309.

b Par. hist. Angl.

40 Cæterum non exercendæ modo in Anglia, Vvallia & Hibernia legationis Apostolicæ prouincia, sed in Scotia etiam demandata erat. Quo munere illum auxerat Gregorius, postquam ab aula pontificia discesserat, cuius suscepti a se consilij rationem in literis c ad Scotiæ Regem datis exposuit: *Cum vniuersis ecclesijs apostolicæ prouisionis solicitudine succurrere & reformare, si qua in eis præteritis sunt deformata temporibus, teneamur, dilectum filium nostrum Othonem S. Nicolai in carcere Tulliano diaconum Card. virum experta prouidentia, & magna morum præditum honestate legatum ex nostro latere in Angliam duximus destinandum. Verum postquam discessit a nobis, nos consultius attendentes quod cum circa regnum Scotiæ eo maiorem curam gerere teneamur, quo fortius ecclesia Scoticana Romanam Ecclesiam solam matrem & metropolitanam nullo medio recognoscit, indignum existeret, nisi qua nos singularem patrem in spiritualibus obtinet, specialem a nobis reciperet consolationis affectum, eidem Cardinali in dicto regno Scotiæ legationis officium motu proprio duximus committendum, quia relinquere conscientia salua nequiuimus, quin eisdem Scoticanæ ecclesiæ per dictum legatum apostolicæ visitationis solatium mitteremus; ne a nobis affectione materna spoliari se crederet, si nobis ecclesiam visitantibus Anglicanam regnum Scotiæ sic in vicino positum expers visitationis apostolicæ remaneret. Dat. Viterbij vi. idus maij ann. xi.*

c Lib. 11. ep. 49.

41 Hactenus Gregorius, qui alijs literis eundem Regem hortatus est, vt pacem cum Henrico, ad quem simili argumento scripsit, & fœdus faceret d; tum legatum omni studio in coniungenda inter eos principes concordia contendere iussit e. Illum vero in Anglia proceres dissentientes in concordiam industria sua adduxisse docet Parisina f: deinde omnibus Angliæ præsulibus imperasse, vt octo dierum a B. Martini festo decurrentium spatio, Londonium confluerent, vt tum pontificium diploma, quo sibi legationis in ijs regionibus munus erat demandatum, audirent, tum ad emendandos collapsos mores restituendamque disciplinam ac dignitatem ecclesiasticam pristino splendori, se præsente in concilio ageretur. dein post multa interiecta subijcit auctor, vt legatus editum, ac magnifice adornatum solium, pluribus atque amplissimis gradibus ad pompam fastigiatum in ecclesia S. Pauli memoriæ Londonij sacra excitari iusserit, ac præfixo die pontificalibus ornamentis decorus oblongiorique syrmate mutepontico suffulto indutus, præeuntibus archiepiscopis Cantuariensi & Eboracensi solemnis supplicationis instructo agmine solium conscenderit, atque ipsi sedenti a dextra Cantuariēsis, a sinistra Eboracensis adstiterint. ad quem illustrandum ritum hæc ex Parisio decerpimus: *Et ingressus ecclesiam coram maiori altari pontificalibus se induit, scilicet superpellicio, & desuper cappa chorali pellibus varijs furrata, & mithra; & præcedentibus archiepiscopis Cantuariensi & Eboracensi cum cum processione solemni, cum cruce & cereis accensis & cum litania sedem suam ascendit.*

d Ib. ep. 2. & reg. 4. eand. ep.

e Ib. ep. 1.

f Par. hist. Angl.

Celebrat Londini cōcilium.

42 Cumque non leuem Cantuariensi de loci dignitate Eboracensis quæstionem moueret, legatum lecto primum de more Euangelio, & concione in hæc verba: *Ego sum pastor bonus*, habita; tum nonnullis precibus fusis, ac S. Spiritus numine inuocato controuersiam ea oratione sopire sategisse, in sigillo pontificio Petrum a dextra crucis exaratæ, Paulum a sinistra adumbrari, nec inter eos sanctissimos Apostolos vllam de dignitate ardere contentionem, sed pari gloria potiri, atque ita ipsos eorum exemplo litem ponere debuisse. Secundo vero ab conuocato concilio die Regem Angliæ tres viros nobiles & canonicum S. Pauli misisse, qui ipsius nomine legato vetarent, ne quid contra regiam auctoritatem moliretur: alijsque tribus abeuntibus, canonicum linea veste crispata indutum substitisse; tum archidiaconum Cantuariensem a legato postulasse, vt iniunctæ sibi auctoritatis, ac muneris diploma explicaret. quo facto flagitante Rege, inquit auctor: *Lectum fuit quoddam priuilegium de festiuitatibus S. Eduardi per totam Angliam celebrandis, & de mandato Papæ de sanctis Francisco & Dominico canonizatis.* Huiusmodi porro de sacris Eduardi natalitijs in Anglia celebrandis priuilegium, apostolicas literas a esse arbitramur, quas Gregorius Papa ea de re ad archiepiscopum Cantuariensem, ac suffraganeos episcopos misit, nosque in annales suo loco intulimus. b

Contentioné de gradu dignitatis inter Cantuar. & Ebor. archiep. arguit sopit.

a Lib. 10. ep. 125.

b Anno 1236.

43 Dumque in eo concilio de ferenda in illos sententia, qui pluribus ecclesiasticis sacerdotijs instructi essent, agitaretur vt vno contenti alia iuberentur dimittere, episcopus Vvigorniensis in medio cœtu assurgens, mithra deposita, legatum compellauit durum sibi admodum videri, ac periculi plenum eam sententiam ferre, cum plures ex ijs, qui multa tenerent sacerdotia, nobilitate conspicui, iam annis grauiores essent, reliquam vitā in egestate infelici degere cogerentur, qui antea profusis eleemosynis, atq; in pija operibus collocatis opibus omnium amorem collegissent: alios vero iuuentute præferoces omnia potius pericula adituros, quam alijs sibi ereptis sacerdotijs vnum tātummodo gerere cogerentur: tum demum id plerisque religiosis viris sacrisque virginibus grauissima incommoda, cum omnes id decretum inuolueret, allaturum: proinde summum prius Pontificem in re tanti ponderis consuleret. Ad quæ legatus se tum ea de re daturum literas, si reliqui episcopi assentirentur. Nec silentio præterire visum est legatū ipsum in eo concilio ex ijs prophetæ verbis: *In medio sedis, & in circuitu eius quatuor animalia habentia oculos ante & retro*, orationē auspicatū in eum sensum detorsisse, vt præsules tum in Ecclesiæ bonis tuendis, tum rerum cælestium contemplatione mentis aciem defigere deberent: deinum sancitos quosdam a patribus canones adduxit.

Agitatum de adigendis ad vnū tantum sacerdotiū ecclesiasticis.

44 Primus est de ecclesijs ab episcopis consecrandis, qui mos facet obsoleuisse in Anglia per summam præsulum incuriam videbatur, atque adeo ad illum restituendum decretum est, vt cathedrales ecclesiæ, conuentuales, ac parochiales, quarum fabrica perfecta esset, intra biennium dicarentur, ac ni fieret, ea loca interdicto subijcerentur: cum enim id olim seruatum esset, vt templum, in quo pecudes tantummodo mactarentur, solemni ritu dicaretur, quanto potiori iure id in Christianorum ecclesijs religiose colendum, in quibus ipse Dei Filius incruente æterno Patri litatur? Eo quoque sacerdotum auaritia sese abiecerat, vt a fidelibus ob sacramenta administranda pecunias corraderent, atque adeo imperatum in ijs conferendis cupiditati temperarent. Expressus quoque sacramētorum numerus, in quibus veluti vasis cælestibus salutis nostræ remedia, ac diuinæ gratiæ opes continerentur.

De consecrandis ecclesijs.

45 Peruaserat ea opinio rudem atque imperitam plebeculam infantibus graue periculum

De cultu diuino.

im-

imminere, si resurrectionem dominicam vel pentecosteo præcedente sabbato baptismi vndis abluerentur: quare ad eam conuellendam promulgatum est ad conferendum baptismum eos dies habendos sanctissimos, iussumque diebus dominicis parochos populos instruere qua forma id sacramentum impertiendum esset, vt si quæ vrgeret occasio, conferre ipsi possent. Inter cæteros etiam abusus nonnulli sacerdotes pro excipiendis confessionibus pecunias extorquebant: statutum propterea, vt qui ea se labe contaminarent, sacerdotio suo ab episcopis submouerentur.

46 Approbatus est ille antiquus mos, vt ab episcopo in singulis decanatibus viri probi constituerentur, qui populi, ac minorum clericorum confessiones admitterent: *In ecclesijs vero cathedralibus*, refert auctor, *confessores institui præcipimus generales*. Ne qui vero ad sacerdotium tanto munere indigni, vel natalibus infames, vel nullis exculti literis, nulloue ornati titulo irreperent, imperatum est, vt sacris initiandos episcopi prius ad seuerum examen euocarent. Ad infringendas etiam nonnullorum versutias, qui absente aliquo occasionem aucupati, sparso illius mortis rumore, vel sibi cessisse sacerdotia ementiti, ecclesias inuadebant, ac legitimis sacerdotibus ad ecclesias redeuntibus vim inferebant, statutum vt præsules non facile eiusmodi fraudibus irretiri se paterentur, atque in temere intrusos seueritatem ecclesiasticarum legum distringerent.

47 Statutum etiam est, vt gerendæ cuique ecclesiæ vir animarum salutis cupidus interesset, qui sacramenta pro dignitate populo administraret, ac ne ecclesiarum dignitas labefactaretur, quæ sæpius in plures vicariatus discissæ obsolescebant. Quo porro ecclesiarum rectores ad residendum compellerentur, promulgatum eos, qui plura sacerdotia, quibus animarum cura coniuncta foret, grauissimo animæ suæ periculo ac damno, ni ab sede Apostolica facultatem obtinuissent, detinere. Compescere etiam clericorum luxum visum est, qui abiecto habitu ecclesiastico, culti ad delicias, ac phaleratis equis subuecti pompatice sæpius incedebant: quare subtractis ipsis sacerdotiorum redditibus ad modestiam reuocari sunt iussi.

De reuocandis ad veterem pietatem ecclesiasticis.

48 Prolapsa eo erat aliquorum vesania, vt cum matrimonia clandestina iniissent, ecclesijs regendis sese ingererent, atque pluribus cumulandis sacerdotijs inhiarent, deinde filijs consulturi, testibus & instrumentis probari satagebant ex vero matrimonio susceptos: quare ad eorum infandas artes eludendas sancitum, vt omnibus sacerdotijs exuerentur, de quorum matrimonio constaret, ijsque defunctis relictæ opes ecclesijs ascriberentur, ac suscepti ita filij a quocumque gerendo sacerdotio arcerentur. Ad excindendum etiam impudicitiæ vitium, quo nonnulli sese contaminarant, decretum vt qui concubinas vel in proprijs domibus alijsue alerent, ni eas a suo consortio amandarent infra mensem, dignitate deijcerentur, ac præsules diligenter in eos inquirerent. Ne latrones porro regionem infestam habere possent, anathematis sententia in eos lata est, qui huiusmodi publicos grassatores fouerent, vel in suas domos reciperent.

Adstringenda religiosorum disciplina.

49 Conuertere præterea patres studium ad regularium adstringendam disciplinam, & collaudata abbatum sacræ D. Benedicti familiæ ardens pietas, qui in publicis ordinis conuentijs ad reuocandam veterem obseruantiam statuerant, ne carnibus nisi morbo implicati, illius familiæ viri vterentur: atque adiecere, vt exacto tyrocinij anno vota nuncupari iuberentur: nec ad abbatis priorisue gerendum munus nisi votis religioni obstricti promouerentur. Quam legem ad regulares canonicos, ac deuotas Deo virgines pertinere voluere. Incumberent suo muneri obeundo archidiaconi, perlustrarent ecclesias, ne eas sumptibus grauarent: prouiderent ornamentis ac vasis, vt dignitas ac maiestas ecclesiastica seruaretur: in dicendo iure iustitiam colerent, nec sententias ad emungendas pecunias iniquiores ferrent. Qui in foro ecclesiastico iustitiæ administrandæ præfecti essent, ne captandi quæstus gratia partium conciliari inter se ac transigere ex æquo & bono cupientium voluntates discuterent, concordiamue disturbarent.

50 Atque archiepiscopi & episcopi in moderandis egregie populis operam defigerent, virtutum exempla in subditos transfundere niterentur, incruentū missæ sacrificium solemnibus festis, ac dominicis in quadragesima, & aduentu in cathedralibus offerrent, circuirent suas diœceses atque excolerent. Vtque altius ipsorum animis obeundi pontificij muneris memoria imprimeretur, sancitum vt sacramenti forma, quam in consecrationis celebritate nuncuparant, bis in anno coram ipsis legeretur. Præterea vt iustitia administraretur probe, præficerentur iudices virtute ac scientia præditi, & causæ maxime matrimoniales viris perspectæ pietatis ac doctrinæ cõmitterentur. Adnexa sunt alia plura capita ad causas ecclesiastici fori cum integritate tractandas; dictæque procuratoribus, notarijs, aduocatis, sigillorum præfectis salutares leges, quarum legendarum auidos ad Parisium remittimus. Ijsque die tertio perfectis, subdit auctor legatum solemni pompa hymnum, cui initium est: *Te Deum laudamus*, assurgentibus omnibus concinere cœpisse, & antiphonam, quæ ab his verbis inchoatur: *In viam pacis*, decantasse; atque ita concilium solutum ac dimissum fuisse.

Excolendus ad sanctitatem præsulum moribus.

51 Adijcere hic visum est, cum de sancitis legibus ad ecclesiasticam disciplinam primæuo sanctitatis splendori restituendam in Anglia agamus, Robertum Lincolniensem episcopum, de quo anno superiori egimus, querelas graues apud Othonem legatum effudisse [a], Rolladum Benedictinæ familiæ abbatem regio iussu tractandis secularibus causis præfectum esse. quæ res tum ab religioso statu maxime abhorrebat, tum pontificias leges ac iura grauissime infringebat: se quidem in casu simili Cantuariensem archiepiscopum solicitasse, vt ad eam rem disturbandam operam conferret, nec vllum tamen tanto malo ac incommodo remedium adhibitum hactenus fuisse. Plures ad ipsum archiepiscopum Cantuariensem epistolas hoc argumento dedisse constat, e quibus sequentem [b] adducimus, qua incendere sanctum antistitem nititur; vt rei adeo nefariæ discutiendæ insistat, eoque vrget dilemmate: vel religiosos viros, qui id munus contra canonicas sanctiones suscipiunt, peccati se nexibus implicare, vel a crimine puros esse; si nullam peccati labem in eo contrahant, rem flocci videri pendendam: si verò peccent, eorum crimen in præsules, quibus animarum salus incumbit, ni ad eas ex tanto discrimine eripiendas operam ac vires contulerint, redundare. Quanto verò scelere sese ij in eo gerendo munere obstringant, eleganti oratione, adductis in medium canonicis legibus ac diuinæ scripturæ oraculis, prosequitur: proinde ad eum permouendum, vt ad illud arcendum scelus pro solicitudine pastorali neruos omnes intendat, adhortatur.

Lincoln. ep. apud legatum queritur abbatem creatum præsidem.
[a] Extant ea de re Roberti litteræ in ms. B. Dominici Cant.

Vrget S. Eadmundum vt rē prohibeat
[b] Extat ibid.

Reuerendo patri in Christo, ac domino Dei gratia Cantuariensi archiepiscopo totius Angliæ primati suus deuotus R... permissione diuina Lincolniensis ecclesiæ minister humilis salutem, & quam debitam tam deuotam cum omni reuerentia obedientiam.

52 Cum paterna, & pastorali solicitudine animæ meæ proximam geratis curam, in ambiguis animæ meæ statum contingentibus vestrum potissimum

Datæ ex? argum. lit.

mum non solum decet, sed oportet inquirere consilium, in imminentibus periculis apud vos tutissimum inuenire refugium. Sane satis innotuit vestræ paternitati, qualiter regia potestas viros religiosos vrget, vt iustitiariorum itinerantium ad omnia domini Regis placita suscipiant officium; & clericos vt cum impetuntur in actione personali laicalis potestatis subeant iudicium. Intentat etiam domini Regis excellentia paruitati meæ non mediocres minas, eo quod auribus regijs intimatum, me talibus quæ, vt credo, vergunt in animarum dispendium & ecclesiasticæ libertatis præiudicium, obstare velle, quasi in hoc obstare conarer coronæ & dignitati regiæ. Vestræ quoque paternitatis discretio iam bis mihi signauit quod, sicut viris sapientibus & discretis visum est, in hoc supersedendum sit, & dissimulandum vsque ad concilium a vobis celebrandum. Quia igitur in ijs, hinc inde vehementer pulsantibus in diuersa, animæ meæ timeo periculum, volens animæ saluti, pro qua bonam rationem debetis reddere in districto examine in die iudicij, a vestræ paternitatis solicitudine distinctius consuli, quæro a vobis mihi euidenter responderi, vtrum religiosi gerentes officium iustitiariæ huiusmodi, & clerici cum impetuntur in actione personali, subijcientes se iudicio laicali peccent, an non? si enim in ijs non peccant, leuiter ferendum est quod in hac parte facient: si vero in ijs peccant, nunquam vos & ego, qui tenemur pro illis animas nostras ponere, possumus sine peccato eorum peccato non statim occurrere, & eos aliquâdiu in fouea peccati dimittere, vt postea cum maturiori consilio eosdem extrahamus a peccati puteo?

Demonstrat virû religiosum in eo munere graui scelere deuinciri.

53 Quod autem in hac parte peccant tam religiosi quam clerici, videtur euidenter posse monstrari: cum enim omnes teneamur obedire statutis summi Pontificis & sanctionibus canonicis, iuxta illud præceptum Apostoli: *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis*; si contra canonicas sanctiones manifesto veniunt, nonne inobedientes sunt, & quasi peccatum ariolandi repugnando & scelus idololatriæ non acquiescendo committunt? Secundum canonicas autem sanctiones factas non * in publicarum rerum nexibus implicatos diuinis seruituros applicare ministerijs. Nunquid igitur e conuerso fas erit religiosos diuinis mysterijs non solum simpliciter, sed ex voto professionis applicatos publicarum rerum nexibus implicari? Nonne secundum vocem sponsæ expoliauerunt se hac veteri tunica? Quomodo igitur rursum induent illam? Lauerunt pedes suos ab ijs inquinantibus, quomodo iterum inquinabunt illos? Episcopus, vt dicit canon, aut sacerdos aut diaconus nequaquam seculi curas assumet, sin aliter, deijciatur: quid igitur monachus? qui non seculi curas, sed etiam seipsum ex voto abnegauit? nonne item Gregorius Romano defensori districtius præcepit, vt statim Basilium episcopum velut vnum de laicis in causis secularibus occupatum, & prætorijs inutiliter inseruientem, quem hæc res ipsum vilem reddidit, & reuerentiam sacerdotalem annihilauit, ad reuertendum eum districta executione compelleret? nunquid autem eadem res abbatem similiter non reddit vilem, & reuerentiam religionis annihilat, aut quod Romano defensori præceptum districtius, non præcepit sub consimili districtione Pontifici? quomodo ergo abbas velut laicus causis secularibus occupatus, ac per hoc se vilem reddens, & reuerentiam religionis annihilans, aut Pontifex eum ad reuertendum districta executione * compellens non peccat?

* licet

* non

Rem in Lateran. concilio vetitam.

54 In concilio quoque Lateranensi prohibitum est, ne quisquam clericorum præsumat iurisdictiones seculares sub principibus & secularibus viris, & vt iustitiarius eorum fiat, exercere, & si quis aduersus hæc venire tentauerit, ab ecclesiastico fiat ministerio alienus; districtius vero decernuntur puniendi religiosi, si tale aliquid ausi fuerint attentare. Plurima sunt & alia canonum loca, quæ vos & vestrum concilium incomparabiliter melius nouistis quam ego, in quibus euidenter prohibetur non solum religiosis, sed etiam clericis, ne iudices seu cognitores secularium negotiorum existant, ne aliqua occupatione prorsus mundialis negotij inueniantur perplexi. Quomodo igitur abbates officium iustitiariæ secularis exercentes ac per hoc canonum institutis inobedientes in hoc a peccato sint immunes, nequaquam video; quinimmo & clericos quoscunq; infra sacros ordines constitutos in hoc casu a crimine inobedientiæ excusare nescio. *Et infra:*

Præsules non posse sine flagitio illam dissimulare.

55 Si igitur religiosi peccant seculare iudicium exercendo, & clerici in actionibus personalibus accusati, seculari iudicio se subijciendo, nunquid & nos, qui curam eorum pastoralem habemus, non peccabimus etiam semel eos hoc modo peccare permittendo? Nunquid si hoc vel semel permittimus, cum obstare possimus, licet forte non sine temporali dispendio, non erimus sicut murus dirutus & maceria depulsa, non suscipientes prius nec repellentes petrariorum ictus; sed ad ciues occidendos, qui sub munimine nostro tuti esse deberent lapidibus de petrario proruentibus patentem & liberum dantes progressum, nunquid sic non erimus mercenarij, videntes persecutionem imminentem quasi lupum venientem, dimittentes oues & fugientes? Persecutio enim regiæ potestatis, quæ religiosos & clericos ad prædicta compellit, si ea faciendo peccent, quid aliud est quam lupus morte peccati, ad quod trahit, oues occidens, nos vero si persecutioni non occurramus, eius impetum prius sustinentes, & ne oues nostras peccato occidat fortiter obsistentes, quid aliud sumus quam pastores viso lupo timide fugientes?

56 Præterea si clerici libertati Ecclesiæ derogant, & sic matrem Ecclesiam inhonorant, ac per hoc peccant, cum seculari iudicio se submittunt, nos prælati, qui ad mandatum regium compellimus eos super delicto accusatos in foro laicali respondere, non solum trepide fugiendo eosdem a lupo crudeliter occidi damnabiliter permittimus, sed magis ipsimet, pro quibus fortiter mori debemus, in mortem atrocissime detrudimus? Absit hoc procul ab animarum episcopis & pastoribus, quibus vt dilucide nouistis, & præclare frequenter docuistis, magis eligendum est non solum omnium terrenorum detrimentum facere, sed etiam mortē acerbissimam, & probrosissimā si possent, etiam infinities sustinere, quā vel semel peccare. Nec est præsulum peccatum in huiusmodi mediocre, præsertim si contra statuta canonum & decretalium epistolarū talia permittēdo, seu faciendo veniant; cum in consecrationibus suis solemni voto promiserint traditiones orthodoxorum patrum, ac decretales sanctæ & Apostolicæ sedis constitutiones reuerenter suscepturos, docturos, atque seruaturos.

57 Quapropter paternitatis vestræ sanctitatem obtestor, & adiuro per tremendum iudicium, quatenus euidenter & dilucide mihi rescribat, sicut bonam vult reddere rationem pro me in eodē districto examine, vtrū religiosi & clerici præscripta faciendo, & prælati, qui curam eorū gerunt, hęc aliquando permittendo, vel dissimulando, vel quod magis est, ad mādatum regium ad talia compellendo, vel ob timorem insurgentis aduersitatis correctionem talium, dummodo interim agantur, differendo peccent, vel non. *Et paucis interiectis verbis:* Hic estote murus æneus omni persecutionis impulsui pro nostra pusillanimitate prius oppositus: hic estote dux in castris Israel præliantes prælium Domini cum viro fortissimo

Iuda

Iuda Machabæo, accipientes armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare succincti lumbos in veritate, induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis; in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi extinguere, & galeam salutis assumentes & gladium ipsius, quod est verbum Dei: sic enim armati præcedentes scapulis vestris obumbrabitis nobis & sub pennis vestris sperabimus, & cadent a latere vestro mille & decem millia a dextris vestris; ad vos autem non appropinquabit laqueus venantium, neque verbum asperum: quia sanctissimo prædecessori vestro martyri Thomæ inuictissimo mandauit de vobis, vt custodiat vos in omnibus vijs vestris, qui in manibus portabit vos, ne vnquam offendatis ad lapidem pedem vestrum.]

Richardi Dunelm. ep. pia mors.

58 Absoluamus Anglicanas res allata insignis gestarum rerum gloria episcopi Dunelmensis, Richardi scilicet felici morte, qui ingens sui desiderium hoc anno bonis reliquit. Gesserat ipse tres ecclesias, ac Dunelmensem quidem graui ære alieno oppressam liberauit. Cum vero Saresberiensem regeret, sacras ædes elegantissimo opere, vt refert Parisius [a] excitauit, ad quod opus suas etiam Rex ac proceres diuitias contulere; vnde illud distichon a poeta quodam confectum:

a Par. hist. Angl. hoc ann.

Rex largitur opes, fert præsul opem, lapicidæ
Dant operam. Tribus his sic opus, vt stet opus.

Sed qui sancte vixerat extremam periodum illius sanctissime peregit. Cum enim imminere sibi mortem prænideret, sacram ad populum habuit concionem; ingrauescenteque morbo, sequenti die iterum ad populum perorauit, vt ad pietatem inflammaret: denique compositis rebus suis cum vespere completorij preces funderet, inter ea verba: *In pace in idipsum dormiam & requiescam*, animam exhalauit.

De vita sanctitate & miraculis Hildegardis inquiri iubet Pont.

59 Cum antea Pontifex nonnullis viris ecclesiasticis prouinciam commisisset, S. Hildegardis gesta, ac miracula ad examen reuocarent, seque, vt sanctorum numero eam referre posset, de re tota certiorem facerent; sed in tabulis ab ijs confectis desiderarentur plura, vt qui debitis circumstantijs eas non instruxissent; pijs atque eruditis viris ecclesiasticis præcepit [a], vt edita miracula maiori diligentia discuterent, atque inspectis personarum, locorum, temporum aliarumque circumstantiarum notis ac signis testibusque sacramento adactis, omnia scriptis publicis commendata ad se transmitterent: *Supplicantibus nobis olim dilectis in Christo filiabus abbatissa & sororibus monasterij S. Ruberti de Bingia Maguntinensis diœcesis, vt recolendæ memoriæ Hildegardim abbatissam eiusdem monasterij, quæ in vita & post mortem multis dicitur coruscasse miraculis, sanctorum ascribere catalogo curaremus, deferri ad nos libros ipsius, quos Sancti spiritus reuelatione composuisse creditur, facientes, cum præter psalterium nullas literas didicisset;* Concepisse magnam de ipsa adhuc viuente sanctitatis opinionem Eugenium III. atq; vt scriptis ea quæ ipsi a Spiritu sancto suggererentur, commendaret, literis apostolicis excitatam refert Baronius [b]; *nos præposito maioris ecclesiæ Vv. . decano & A. . scholastico S. Petri Maguntini nostris dedimus literis in mandatis, vt de ipsius vita, conuersatione, fama, meritis & miraculis, ac generaliter de omnibus circumstantijs per testes fide dignos inquirerent diligentius veritatem, nobis quod inuenirent cum prædictis libris sub sigillis suis fideliter remittentes. Quorum ad nos inquisitione remissa quosdam inuenimus in illa defectus, cum enim habeatur in depositionibus testium ad nostram præsentiam destinatis, quod eadem multos curauerat dæmoniacos & infirmos, nec personæ, nec loci, nec tempora designantur; neque reperitur in eis quid vel quæ magistra dixerit, cum tamen dicatur ibidem maiorem partem conuentus idem quod magistra dixisse. Præterea cum magistra ipsa primo interrogata deposuerit illam multa signa fecisse, in dictis depositionibus inuenitur tam dixisse idem, quod testes alij & conuentus. Quocirca mandamus quatinus in inquisitione præfata diligenter, ac prouide iuxta formam illis traditam procedentes, quæ inueneritis, sub sigillis vestris distincte ac prudenter exposita vsque ad nostrum beneplacitum fideliter conseruetis. Dat. Viterbij 11. non. maij pontif. nostri anno xi.*

a Lib. 11. ep. 63.

b Baron. to. XII. an. 1148. nu. 32.

De veritate Stigmatum S. Francisci ad Germanos scribit a ib. ep. 14

60 Ardebant tum Germaniæ populi singulari in D. Franciscum pietate, quam eximia ab ipso edita miracula incenderant; ad quam alendam Pontifex apostolicas ad eos literas [a] de sacris stigmatibus, quibus vir sanctissimus, dum in humanis ageret, pulcherrimo diuini erga eum amoris argumento fuerat insignitus, exarauit: *Confessor Domini gloriosus B. Franciscus qualis vitæ meritis processerit ad patriam perpetuæ claritatis, explicare literis arbitramur fore superfluum, cum id fere peruenerit ad fidelium notitiam singulorum. Veruntamen grande ac singulare miraculum, quo ipsum sanctorum splendor & gloria Dominus Iesus Christus mirabiliter decorauit, vniuersitati vestræ tenore præsentium non indigne duximus exprimendum; videlicet quod idem sanctus, cum adhuc spatium præsentis vitæ percurreret, & postquam illud feliciter consummauit, manibus, latere, ac pedibus specie stigmatum diuinitus extitit insignitus. Quo ad nostram & fratrum nostrorum deducto notitiam, & cum cæteris eiusdem miraculis per testes fide dignissimos probato solemniter, ex ipso specialem causam habuimus, quod confessorem eundem de dictorum fratrum, & omnium prælatorum consilio, qui tunc apud sedem Apostolicam existebant, sanctorum catalogo duximus adscribendum, &c. Dat. Viterbij 12. kal. aprilis.*

Arguit ep. Olomuc. negantem cum ijs sacris notis delineandum.

b Ep. 19.

Perstrinxit [b] vero grauissimis verbis Olomucensem episcopum, qui veritati tanti miraculi fidem detrahebat, negabatque sancti viri imaginem cum sacris stigmatum vestigijs adumbrandam esse: cui Gregorius inculcauit tanto explicito a numine in B. Francisco miraculo maxime adductum fuisse, vt illi sanctorum cultum decerneret. Qui plura de his velit, Baronium [c] consulat in notis ad martyrolog. Rom. xv. kalend. octob. quo die rei adeo admirandæ memoria in Ecclesia celebratur. Iam nos ex illo diuinæ bonitatis illustri miraculo ad seueritatis illius insigne prodigium sermonem traducamus.

c Bar. in martyr. Rom.

Miecislaus dux Poló. diuinitus a muribus corrosus

61 Formidandum Deus hoc anno iustitiæ exemplum in Miecislao Poloniæ duce ob direpta orphanorum, & viduarum per summam iniustitiam ac scelus bona statuit, cuius historiam Io: Longinus describit his verbis [d]: *Micislaus propter cæsariem capitis sparsam sansm appellatus Kosebsko ducatum Cuiauiensem ex patris sui ducis Masouiæ. Conradi concessione inter fratres sortitus, dum quasdam viduas & orphanos præter æquitatem & iustitiam spoliasset, & vaccis eorum mactatis substantijsque occupatis conuiuium splendidum ex illis optimatibus & militibus Cuiauiensibus præparasset, & in illo opipare * vsurus consedisset, inter prandendum & conuiuandum (iustissimo Deo enormia sua peccata præsentia & transacta vindicante) mures infiniti conueniunt, ipsumque deuorare cœperunt. Qui imminens periculum declinaturus, nauim conscendens ad aquas & flumina perrexit quibus nequaquam suffragantibus a muribus illum per omnes vndas & maria insectantibus miserabiliter consumptus & deuoratus est; documentum non inutile iniuriæ viduis & orphanis inferendæ posteris præstiturus.* Eadem Chromerus [e] & alij rerum Polonicarum scriptores. Simili vltionis diuinæ exemplum in viro nobili editum, qui cum bona ecclesiæ inuasisset, a muribus, quamuis eorum impetus arcere tentasset,

d Long. hist. Pol. lib. 6.

* esurus

e Chrom. lib. 8.

d.-

discerptus consectusque est, adducit Card. Baronius in annalibus. a

a Baro. to. XI. ann. 1011. n. 2.

62 Vtque ad res Polonicas, a quibus parum deflexit, oratio reuocetur, gessere se aliter quam infelix Miecislaus alij Poloniæ duces, Vratislauiæ, Cuiauiæ, atque Henricus cum barba Slesiæ, quorum vltimus ingentia bona, nimirum oppidum Carimiers in maiori Polonia, cum ditione ad id spectante, aliaque loca duodecim in Lubecensem ecclesiam liberalissime contulit. Beleslaus vero Pudicus Cracouiensis, ac Sandomiriensis dux, consilijs Grizimislauæ ducissæ matris pijssimæ fœminæ solicitatus, euocatis Praga Minoritis, pulcherrimo atque eleganti opere ecclesiam, ac monasterium ipsis excitauit, quamuis ex annis puerilibus nondum exijsset, quæ Longinus b prosequitur.

b Long. in lib. 1. Pol.

63 In Liuonia hoc anno religiosi militiæ Christi equites, exercitu crucesignatorū conflato, cum paganis circumiacentibus infesta signa contulere, a quibus, vt tradit Albertus Stadensis c, ingentem cladem accepere, innuuntque literæ apostolicæ. cuius stragis occasione, in qua magister crucigerorum, & quinquaginta equites religiosi fortiter, ac gloriose occubuerūt, flebilibus literis a Pontifice expetiere, vt fratres hospitalis S. Mariæ Theutonicorum de Hierusalem, ordini suo aggregaret. Quorum precibus flexus Gregorius, illos dicto ordini coniunxit, adeo vt ex duobus vnus militaris ordo coalesceret, eaque de re episcopis Rigensi, Tarbatensi, & Osidiensi scripsit d: affulgebat enim spes præclara, vt huiusmodi coniunctione Christiana religio latius efflorescere, neophyti facilius defendi, hostesque fidei Christianæ edomari possent.

c Stad. in chron. an. 1236. Crucigeri equites magna strage ab infidelibus deleti.

d Greg. lib. 9. ep. 364.

Gregorius, &c.

64 Grato dilecti filij magistri & fratrum S. Mariæ Theutonicorum religionis odore se per mundi climata diffundēte, prouenit de gratia Redemptoris, quod eadem est & Apostolicæ sedi chara non modicū, & dilecta multitudini fidelium populorum. Inde fit, quod dilectus filius præceptor & fratres militiæ Christi de Linonia, ex signis euidentibus præsumentes iam dicti hospitalis collegium in virtutum amplexibus esse multipliciter studiosum, pluries magistrum eundem, vt eos suo incorporaret ordini, per nuntios & speciales litteras affectuose, sicut accepimus exorarunt; nobis tandem illud idem post casum lugubrem, quem in occasu magistri & quinquaginta fratrum eiusdem militiæ, ac peregrinorum plurium, paganorum sæuiente perfidia, nouiter pertulerunt, vna vobiscum per flebiles literas suppliciter postulantes, spe sibi proposita, quod cum præfatus magister & fratres strenuam, & famosam habeant in sua domo militiam; thesauro pretiosius arbitrantem animam pro illo ponere, qui suam pro redemptione fidelium noscitur posuisse, diuina suffragante potentia prouenire valeat, quod ipsi ad inuicem, si vnum ouile fuerint, cito partem oppositam dextera contererent triumphante ibi celebrem reddituri Patris æterni Filium, vbi colentium potestates aereas infinita multitudo perijt animarum.

Hospitalarij S. Mariæ Theuton. illorū ordini aggregati.

Nos igitur qui nihil gratius ampliatione catholicæ fidei reputamus, digne volentes vt eorum præceptoris & fratrum pium desiderium ad effectum perueniat exoptatum; quinimmo plena credulitate tenentes quod fratribus hospitalis eiusdem apponet Dominus in Liuonia reperiri magnificos, quos sua virtute reddidit in Prussiæ partibus ad victoriam expeditos; ipsorum ordini memoratos præceptorem & fratrem de fratrum nostrorum consilio vniendos duximus cum bonis omnibus eorundem; auctoritate apostolica statuentes vt ipsi & cæteri fratres prædicti hospitalis S. Mariæ Theutonicorum, qui pro tempore fuerint in Liuonia, sicut hactenus sub diœcesanorum, & aliorum prælatorum suorum iurisdictione consistant, &c. *Dat. Viterby 11. idus may ann. XI.*

65 Eodem argumento cum ad Vvillelmum episcopum olim Mutinensem a pœnitentiarium suum, tum ad alios b literas exarauit, quibus has ad eundem Vvillelmum addidit c, vt operam suam collocaret ad Regem Daniæ dictæ religionis equitibus conciliandum, ne si de ea ditione inter se disceptarent, damna Christianæ rei ingentia inferrentur: *Fraternitatem tuam rogamus & hortamur in Domino Iesu Christo, quatenus charissimum in Christo filium nostrū illustrem Regem Daciæ per te si facultas obtulerit, vel per literas & nuncios speciales ad hoc, iuxta scientiam tibi desuper attributam, inducas studio diligenti quod cum præfatis fratribus hospitalis, postquam ad partes ipsas peruenerint, sublata cuiusque materia quæstionis, quæ sunt pacis & tranquillitatis habeat, & eosdem deuotione perpetua sibi constituat obligatos; præsertim cum ipsi de castro Reuelis sub eorum dominio semper pacifice teneatur iuxta prouidentiam tuam parati sint faciendum assumere, quod tam eis quam dicto Regi sit congruum, & partis vtriusque profectibus opportunum, &c. Dat. Viterby 111. idus may ann. XI.*

a Ib. ep. 65. b Reg. post eand. ep. c Ep. 66.

Iubet pacem inter ipsos, Regemq; Daniæ conciliari.

66 Coniungendi sane inter se fuerunt arctiori fœdere septentrionales Christiani, quo barbari insitam animis crudelitatem in fideles atrocius effuderunt, ac Teuestini Christianis antea sacris initiati abiecta religione ad impietatem desciuerunt, & Christianum cultum funditus delere cæco furore meditari, paruulos cælesti lauacro expiatos enecare, quosdam adultæ ætatis, extractis prius euulsisque barbara immanitate visceribus, dæmonibus litare, sacerdotibus eruere oculos, membra crudeliter obtruncare, flammisque injcere non perhorruerunt: quorum scelere audito Gregorius Vpsalensem archiepiscopum, ac suffraganeos episcopos operam diligentiamque adhibere iussit d, vt sacra aduersus impios apostatas militia contraheretur.

Teuestini a fide deficiunt.

Crudelitaté exercent in Christianos.

d Ep. 311.

Gregorius, &c.

Plantauit vineam dextera Domini, eamque sanguine Filij sui voluit irrigari, vt ex fluente de Christi latere riuulo fœcundata vinum produceret, cuius refectus dulcedine plantator Altissimus exultaret. Sed proh dolor! ecce ab apro de sylua exterminium patitur: ecce singularis ferus eandem suis pastibus demolitur, nam sicut transmissæ ad nos vestræ literæ continebant, illorum qui Tauesti dicuntur, natio quæ olim multo labore & studio vestro & prædecessorum vestrorum ad fidem catholicam conuersa extitit, nunc procurantibus inimicis crucis prope positis ad antiqui erroris reuersa perfidiam, cum quibusdam barbaris nouellam Ecclesiæ Dei plantationem de Tauestia funditus diabolo coadiuuante subuertunt, paruulos, quibus in Baptismo Christi lumen illuxit, violenter de hac luce subtractos interimunt, quosdam adultos extractis ab eis primo visceribus dæmonibus immolant, & alios vsque ad amissionem spiritus arborem circuire compellunt: sacerdotes vero quosdam exoculant, & quibusdam eorum manibus & cæteris membris crudeliter mutilatis, reliquos in combustionem & cibum ignis paleis inuolutos exponunt: sicque ipsorum paganorum sæuitijs regnum Suetiorum opprimitur, quod de facili extremam fidei desolationem incurret, nisi sibi Dei & Apostolicæ sedis auxilio succurratur. Verum cum tanto libentius contra huiusmodi apostatas & barbaros impugnandos sit a viris Deum timentibus insurgendum, quanto maioribus Ecclesiam Dei damnis affligere cupiunt, qui fidem catholicam tam detestabili crudelitate confundunt, mandamus quatenus viros catholicos in regno prædicto & vicinis insulis positos, vt contra eosdem apostatas & barbaros crucis signaculum assumentes, ipsos viriliter &

Comparari in eos crucesig. acies iussæ a Greg.

po-

potenter expugnet preceptis salutaribus inducatis.] Addit proposita ijs sacrarum indulgentiarum premia, qui ad arma aduersus infideles prosilierint. *Dat. Lateran. v. idus decemb. ann. xi.*]

Vetus mos vt Nidrosiensis arch. pro obtinenda consecratione Romam peteret.

67 Vigebat per illa tempora consuetudo, vt Nidrosiensis in Noruegia archiepisc. electus ad sacra pontificalia suscipienda Romam se conferre obstrictus esset: sed cum tenuiores archiepiscopatus opes, ac redditus essent, ingentesque sumptus ob vasta locorum interualla profundendi forent, consentientibus suffraganeis, quædam illi pecuniæ vis decreta fuit; ad quæ confirmanda a summo Pontifice vt suam adijceret auctoritatem, postulauit obtinuitque [a]. Consuluerat idem archiepiscopus Gregorium, cum maxima in illis regionibus frumenti vinique inopia esset, num vini loco cereuisia, atque ex altera specie quam frumento confectus panis consecrari ad Christi corpus conficiendum posset. Ad quæ Gregorius fieri non posse respondit [b], quod a primis nascentis Ecclesiæ incunabulis ex apostolica traditione perennique consuetudine tanquam certissimum ad nos dimanauit. Solicitus præterea Pontifex, vt idonei præsules ad obeunda sua munera sacris præessent, alterum Holensem orbatum oculis, Orcadensem alterum paralysi laborantem, episcopali munere facto archiepiscopo imperio submoueri, vtque officio discederent compelli iussit [c]. præterea iniunxit [d] vti abusum illum, quo sacerdotes vxores ducebant, penitus deleret. Hactenus de septentrionalibus rebus, iam ad orientales sermonem traducimus.

a Ep. 69. *b Ead. l. 11 ep. 70.* *c Ib. ep. 74. 75.* *d Ep. 77.*

Vatacius Constantinop. Imp. in periculum adducit.

68 Quatiebat graui bello Constantinopolitanum Imperium Vatacius schismaticus, pluribusque vrbibus in suam potestatem redactis, Constantinopoli ferro flammaque armatus imminebat. Ad quem Gregorij extant literæ [e] vt ipsum a cœptis abduceret, atq; ad iungenda cũ cæteris Christianis aduersus Sarracenos arma flecteret. Sed cum preces apostolicas respueret, Pontifex quem grauis cura angebat, ne euerso Constantinopolitano Imperio Syria, vti cõtigit, extremo exitio sterneretur, ad conflandas in occidente auxiliares copias nonnullos præsules, vt Burdegalensem [f] archiepiscopum in Aquitania, Vvintoniensem [g] in Anglia atque alios, pro concione iuuentutem Christianam ad induendam crucem incendere iussit [h]. Dedere itaque plures sacræ in Græcos militiæ nomen: inter quos conspicui nobilitate Burgundiæ dux, ac Matisconensis comes (cui Põtifex pecunias, quas profectionis Asiaticæ voti rei Lugdunensis, Matisconensis & Cabilonensis vrbium, ac diœceseon legitimo impedimento impliciti ad redimenda itineris incommoda obtulerant, in militum stipendia dari præcepit [i]) ferendis Constantinopolitano Imperio auxilijs se deuouere; indictaq; ab sede apostolica ad profectionem aggrediendam kalendæ martiæ sequentis anni. Quo argumento Parisiensium Dominicanorum magistro literæ [l], ac partes datæ, moneret crucesignatos, vt se ad iter stato tempore impigre compararent.

e Ep. 95. *f Ep. 289* *g Ibid. ep. 295. 296. 297.* *h Ep. 292* *i Ep. 264.* *l Ep. 288.*

Asanes Bulg. Rex se Latinis coniungit.

69 Ingentia similiter pontificia opera in Vngaria, Blachia, & Bulgaria, e quibus facilius educi exercitus poterat, ad retundendos Græcos auxilia conficiebantur. Asanes enim, cui nimia Vatacij potentia suspecta esse cœperat, se ab illius coniunctione diuulserat; scriptisque Rom. Pontifici literis magnum erga sedem Apostolicam studium præ se tulit, atque in Bulgariam legatum mitti flagitauit, vt cum eo de tuendo Constantinopolitano Imperio consilia agitaret. Quo nuntio feliciter lætus Gregorius, vt schisma, quo plures Bulgari infecti erant deleret, atque Asanis opera aut Vatacium ad catholicæ Ecclesiæ coniunctionem adduceret, vel eius impetus debilitaret, Perusinum episcopum legati apostolici munere auctum in Bulgariam transmisit, deque illi iniuncto munere cœptisque vrgendis has literas Asani [a] dedit.

a Ead. l. 11 ep. 96.

Nobili viro Assano, domino Blachorum & Bulgarorum.

70 Nobilitatis tuæ literas benigne recepimus, & quæ continebantur in ijs, intelleximus diligenter, deuotionem tuam in Domino commendantes, ac prosequentes actionibus gratiarum pro eo quod in humilitatis spiritu te Deo, & Ecclesiæ Romanæ prona deuotione substernens, magnanimitatem tuam nobis placitam satagis exhibere. Cæterum cum, sicut ex literis ipsis accepimus, personam honorabilem & circumspectam ad tractanda cum ea de statu Imperij, & ciuitatis Constantinopolitanæ de latere nostro desideras destinari, ecce venerabilem fratrem nostrum episcopum Perusinum virum vtique approbatum, literarum scientia præditum & morum honestate præclarum, discretum, & prouidum, ac nobis & fratribus nostris merito suæ probitatis acceptum, ad partes easdem commisso sibi legationis officio prouidimus destinandum: qui a nobis instructus tam de Terræ sanctæ, & prædictorum Imperij, ac ciuitatis Constantinopolitanæ subsidio, quam de alijs vniuersis te reddere certiorem, ac tecum de ijs plene deliberare poterit, & tractare. In proximo enim, auctore Domino, eisdem terræ, ac Imperio tam per crucesignatos, quorum per Dei gratiam maxima est multitudo, quam per alios Christi fideles, in forti manu & extento brachio succurretur. Ideoque nobilitatem tuam rogandã duximus attentius & monendam mandantes quatenus eundem episcopum, cum ad te venerit, immo nos in ipso verius, benigne recipiens & honeste pertractans, quæ tibi ex parte nostra duxerit exponenda, credere studeas & efficaciter adimplere. Interim autem taliter elabores, præstando charissimo in Christo filio nostro Ioanni Constantinopolitano Imperatori illustri consilium, auxilium & fauorem, quod te catholicum principem, & Apostolicæ sedis deuotum filium, & fidelem operum exhibitione demonstres, ac nos sinceritatis tuæ zelum possimus in Domino merito commendare. *Dat. Viterbij xi. kal. iunij ann. xi.*] Ipsique alijs datis literis [b] commendauit, certioremque fecit, contractas ingentes crucesignatas copias quamprimum affuturas, seque illi ad comprimendos Græcos coniuncturas.

Perusinus ep. ad ipsum legatus missus. *b Ibid. ep. 113.*

71 Cumque legatus apostolicus terras Belæ Vngariæ Regis peragraturus esset, illum Regi, vt benigne acciperet, commendauit [c]: cum maxime id consilium agitaret; vt Imperium Constantinopolitanũ a Græcorum vi atque inuasione Latinis assereretur, quo Terræ sanctæ recuperãdæ facilior aditus muniretur: quas preces alijs literis repetijt [d], quibus Bosnensem olim episcopum Perusino ad legationem obeundam coniunxisse significauit: *Serenitatem tuam rogandam duximus in Domino Iesu Christo, te per ipsius crucem & sanguinem obsecrantes, quatenus prudenter aduertens, quod ab aliquo subditorum tua gratia non possit impetrari facilius, quam quod idem in tuis habeatur obsequijs expeditus, propitiationem Altissimi, qui te condidit & redemit, in hoc eo donante mereri studeas, quod ad omnia, per quæ ipsius hereditas erui possit de manibus paganorum, inualescas, grandi studio iuxta magnitudinem tuã, ac tuorum potentia prouisurus, vt cum Romaniæ Imperium continuis angustijs fatigatum tanto sit opportunum Terræ sanctæ negotio, quanto per ipsum peregrinis via tribuitur, & securitas, solatium procuratur, ab imminenti discrimine præripi, & commodis ac honore filiorum matris Ecclesiæ valeat conseruari. Verum cum in hoc præcipue facultas prosperitatem huiusmodi consequendi consistere videatur, vt nobilis vir Assanus studeat Ecclesiæ deuotione continua complacere, aut quod Vatacius ad ipsius gremium aucto-*

c Ep. 97. *d Ep. 110.* *Commendatur Regi Vngariæ.*

auctore Domino reuertatur, tua serenitas quantum in ipsa fuerit, quod vtrumque proueniat, & videri solicita, & efficax studeat inueniri, honore quo ipsa condecet recepturus; venerabilem fratrem nostrum Perusinum & I... quondam Bosnensem episcopos, viros vtique scientia & honestate conspicuos, quos Deo dilectos, & acceptos nobis, ac fratribus nostris pia vita studijs & titulo multimoda probitatis, ad partes ipsas super huiusmodi negotio destinamus, spem firmam & securam fiduciam obtinentes, quod per eorum industriam & virtutem, tuo fauoris accedente suffragio, optatum subsidium eidem negotio producatur, &c. Dat. Viterbij ann. xi.

a Ep. 112. Excitat Vngariæ præsules ad conflandas cruce-signatas copias.

72 Tum archiepiscopo Colocensi, ac suffraganeis præsulibus iniunxit a, vt legatis iuuandis ad cruce indutam militiam comparandam pro defendendo Imperio operam nauarent: quibus etiam indulgentias in eos, qui nomen adscriberent effundendi, laqueisque anathematis, si quibus forte constricti essent, ni crimen atrocissimum foret, soluendi potestatem fecit. Preterea ad archiepiscopos, episcopos, cæterosque dignitate conspicuos e Bulgarorum clero scripsit b, tum vt paternum affectum, quo ipsos complecteretur, explicaret, tum vt illorum beneuolentiam, operam, atque industriam ad promouenda legati consilia prouocaret, vt nimirum Asanes ad Imperium Constantinopolitanum propugnandum consurgeret, vel Varacium ab eo inuadendo abduceret, atque ad Ecclesiæ gremium reuocaret.

b Ep. 112.

73 *Solicite meditantes, vos nobis in Christo charissimos in remotis habere partibus, quo fit vt spiritualis collationis alterna solatio personaliter refici nequeamus; quinimmo quod plures in huiusmodi locis existunt, qui prædictæ gremium Ecclesiæ contemnentes, ac turbantes corda fidelium in Romania Imperio positorum, nec non quantum in ipsis est, repagulum opponentes quod reddi libera non possit Hierusalem ciuitas gloriosa, digne prouidimus, vt ad dictas partes venerabilem fratrem nostrum episcopum Perusinum, virum vtique scientia & honestate conspicuum Deo dilectum, & acceptum nobis, ac fratribus nostris, pia vita studijs & euidentia multimoda probitatis, concesso sibi plena legationis officio mitteremus: qui & vobis affectionem, qua vos in Christo complectimur, affectuose denuntiet, & tandem hilaris in Domino rediturus, nos de vobis perfundat immensitate lætitiæ solita patri de filiorum obedientia prouenire. Rogamus itaque vniuersitatem vestram, & obsecramus in Domino Iesu Christo, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus eundem episcopum immo personam nostram in ipso admittentes hilariter, & condigna honoris plenitudine prosequentes, verba quæ in ore suo posuimus, studeatis & auri deuota suscipere et promptis affectibus adimplere, et omne quod potestis consilium & auxilium, in fauorem creditæ sibi sollicitudinis, & super eo potissime tribuentes, quod quæ prædiximus diuinæ placita maiestati, quantum in vobis est, annuente Christo proueniant; & dilectus filius nobilis vir Assanus dominus Bulgarorum & Blachorum circa Ecclesiam deuotionis augmenta suscipiens in defensionem Imperij memorati multiplicatis viribus inualescat, ab inferendo sibi discrimine desistente Vatacio, vtinam per vigilantiam vestram studium ad sinum Ecclesiæ superna suffragante clementia redituro: sic enim ibidem, & per consequens in partibus orientis nomen Domini pro votis poterit exaltari, &c. Dat. kal. iun. an. xi.*

c Georg. Logot. hist. Constantinop. Taurulum cum Latinis obsidet.

74 Hactenus Pontifex, sed nullos exitus ea legatio habuit, cum Bulgarorum inconstantia breui pontificias spes euertisset. Asanes enim, vt scribit Georgius c Logotheta, cum arma vna cum Latinis coniunxisset, irrupissetque in Græcos, atque arcem munitissimam, cui Taurulo nomen erat, obsidione cingeret, repentinis vxoris Vngaræ, filij, & episcopi Trinobi cumulatis funeribus perculsus in regnum abscessit, iterumque ad Græcos defecit. Soli itaque in castris relicti Latini, cum elusos obsessorum constantia impetus viderent, remouere exercitum coacti sunt. Excepit alia Constantinopolitanos calamitas, nimirum Ioannis Brenensis Imp. mors, cuius virtute antea Constantinopolis a Vatacio & Asane, vt vidimus, obsessa ab imminenti exitio erepta fuerat. Illum porro cælestibus visis admonitum deposito regio fastu abiectaque seculi pompa, paucis ante diebus quam morbo lethali tentaretur, Minorum ordini, summo animi ardore ac pietatis sensu delibutum sese aggregasse narrat Vvadingus a remque describit his verbis Iordanus:

Soluit obsidionem descisitque ad Græcos.

a Vvadin. in annal. Min. an. 1210.

75 *Vehementer desideranti*, Ioanni nimirum, *cognoscere finem suum, & tempore non pauco propter hoc supplicanti Altissimo, tandem dormienti nocte quadam assistit ei vir venerabilis albis indutus in manibus suis tenens habitum fratrum Minorum cum chorda & soleis & ait illi: Ioannes de fine tuo solicite desideras scire modum. Noueris hoc esse voluntatis diuinæ te in hoc habitu moriturum. Perhorrescens ille regalis, ac imperialis fastigij finem tam despectum, exterritus gemebunde clamauit; concurrentibus tamen cubicularijs, rem patefacere noluit. Sequenti nocte apparuere ei duo albati, & tertia tres, eadem repetentes iuxta tres honorabiles eius status comitis, Regis, & Imperatoris. Excitatus autem vocari iubet fr. Angelum confessorem suum, qui lacrymans ait: Habui & ipse tuam similem visionem, causam scio vocationis. Post paucos autem dies tertiana correptus habitum sumpsit & vitam in ordine feliciter consummauit; & infirmus ac debilitate grauatus dicebat: O dulcissime Iesu Christe, vtinam ego, qui delitiose in pompa seculi vixi vestibus pretiosis indutus, sic possem, sicut affecto, in hoc humili habitu cum sacco ad collum eleemosynas petendo ostiatim, tuæ sanctæ paupertatis & humilitatis sequi vestigia.*

Ex imminente S. Francisci ordinem ingressum animus.

76 Hæc Iordanus, cuius narrationem fictionis suspicione non carere aliquis existimare poterit: vt enim pium mortis genus de pijssimo principe inficiandum non fit, ita non parum ab historiæ veritate aberrant, quæ auctor his præmittit. Scribit enim abscedente Ioanne Balduinum Constantinopoli relictum vrbem amisisse; cumque eo tristi casu torqueretur Ioannes, cæleste illud visum ipsi obiectum fuisse; quem errorem, vt mittam auctores cæteros, abunde confutat Georgius Logotheta b, dum ait Ioannem non diu post initum a Vatacio & Asane contra Latinos fœdus arctissima confirmatum affinitate, de quo suo loco diximus, vixisse atque hæreditarium Imperium Balduino reliquisse, cuius postea gesta expugnationemque Constantinopolis longe post hæc tempora refert.

b Georg. Logoth. in hist.

c Sirb. e S. Georg. in chron. hoc ann. d Paris. hist. Angl. hoc ann.

77 Incidisse vero in hunc annum Ioannis mortem, quamuis non desint qui eam post annum huius seculi quadragesimum differant, testis est Richardus c illius temporis scriptor accuratissimus, cui Parisius d consentit his verbis: *Ipso quoque anno sublatus est de medio immortalis memoriæ inclytus quondam Rex Hierusalem Ioannes de Bresne iam pene culmen Græcorum nactus imperiale.* Indicatque etiam Pontifex, dum in literis e sequenti anno datis Balduinum Imperij Constantinopolitani hæredem appellat, quo honoris titulo antea non ornabat. Hic vero dissimulandum non est Pontificem ab historicis f, qui Ioannem non imperasse, sed tutelam Imperij tantum gessisse scribunt, dissensisse, cum in apostolicis literis g Ioannem Imperatorem, Balduinum vero tantummodo virum nobilem appellare consueuerit. Addimus etiam nuncios, qui ad Germanum patriarcham & Vatacium ab Rom. Pontifice missi fuerant & Constantinopoli egerant, in gestæ legationis historia h Ioannem Imperatorem nuncupare: e quibus consequitur illum, qui se in ea re pontificiæ sententiæ accom-

Non curator Imperij, sed verus Imperator extiterat.

e Rich. in chron. Par. hist. Angl. Georg. Logoth. ex 7. Constant. f Lib. 12. ep. 314. g Lib. 18. ep. 96. & alijs supra allatis. h Ext. in lib. cens. Vat. bibl.

accommodauerit, a præsenti anno Imperij Balduini annos numeraturum; qui vero historicorum dicta securus fuerit, quemadmodum, vt cum pluribus loqueremur, sine præiudicio historicæ veritatis egimus, illius Imperij tempora more nostro consignaturum. Cæterum Balduinus cum relictas sibi a Ioanne habenas Imperij capessiuisset, tantis se periculis cinctum vidit, vt in occidentem ad conflandas aduersus hostes copias confugere sit coactus; de quo anno sequenti. Nunc ad res Syriacas sermonem conuertamus.

Ab hoc anno cum Pontifice numerandi Balduini anni. Balduinus in occid. auxilia quæsiturus proficiscitur.

78 In primis igitur Gregorius patriarcham Hierosolymitanum pontificalibus sacris ornatum, ac dignitate legationis coniuncta cumulatum misit a, clerumque ac magistros militiæ templi hortatus est, illius dictis obtemperarent: virisque prænobilibus, qui cæteris dignitate eminerent, similia iniunxit. Patriarchæ eidem, atque episcopis Syris imperauit b, ne mancipia quæ ex animo cælesti lauacro expiari cuperent, sacramento arcerent: qui tamen pristinæ seruitutis iugum toleraturi essent, ne alij libertatis adipiscendæ cupiditate illecti baptismi sacra ficte postularent. Conflandæ vero sacræ expeditioni excutiendoque Sarracenicæ seruitutis iugo ab infelicibus fidelium ceruicibus intentus Pontifex, ad Francorum Regem, ex cuius regno potissimum auxilia comparanda essent, ardentes zelo literas dedit c: quibus accepta collataque in Ecclesiam ab eo beneficia celebrauit. Cæterum cum a crucesignatis rogatus esset, vt alieni æris, quo obstricti erant, solutio proferretur, nec interim pœnas dilatæ solutionis ac damna incurrerent, Regem monuit vt publicas vtilitates priuatis anteferret, atque in ea re cruce indutis faueret.

a Lib. 10. ep. 380.

b Lib. 11. ep. 173.

c Ep. 116.

Solicitati ad expeditionem Asiaticã Galli.

79 *Cum sit homo puluis & cinis, quid suo creatori retribuet: quid ei, de cuius manu suscepit omnia, nisi de Domini promptuario tantum soluet? At humana fragilitas, cum non possit quod debet efficere, vt tamen efficiat quidquid potest, se totam & bona sibi credita Dei & sibi famulantium obsequijs perpetuis studeat temporibus deputare; vt etsi Deo a nobis nihil dignum pro collata munerum turba rependitur, id non hominis vitio, sed ipsius impotentiæ potius imputetur. Sed ecce, sicut pluries meminimus scripsisse, plantata dextera Domini vinea, & Vnigeniti sui sanguine irrigata, ab apro de silua exterminium patitur & singularis ferus eandem suis passibus demolitur. Ecce mater Sion flet, quia iugo premitur infidelium: ecce peculiaris æterni Patris hæreditas luget, quia ipsam impie opprimit impietas paganorum, ad cuius liberationem multi barones & milites, & alij in regno Franciæ a Domino benedicto ipsius contritione contriti, ipsius doloribus & luctibus excitati, crucis signaculum susceperunt, parati se morti pro Christo exponere; parati in Terra sancta subsidio pugnare pro gloria, vt possint dante Domino triumphare: in quo tam euidenter colligimus, quod regnum prædictum, cuius ministerio quinquies Terram sanctam diuina dispositio de manibus paganorum eripuit, & Constantinopolitanum Imperium ad obedientiam Ecclesiæ Rom. reducens, Ecclesiam ipsam illius studio a multis interdum periculis liberauit, sit quasi pharetram circa fœmur noster Redemptor accinxerit, ex qua sagittas electas extrahens ipsas, vt sibi gentes & regna subijciat, in arcu brachij potentis emittit, &c.* Rogat ne crucesignatos a creditoribus diuexari patiatur. *Dat. Viterbij vi. kal. iun. an. xi.* Paucis vero post diebus missis ad archiepiscopos ac reliquos Francorum regni præsules alijs literis, ita crucesignatorum causam pro soluendo ære alieno contracto defenderent imperauit d, vt æquitatem ac creditorum iura non labefactarent.

d Ep. 117.

80 Commoti pietate Christianorum animi, ad Terram sanctam e Mahumetanorum manibus liberandam prosilire in arma, ingentibusque conflatis copijs summum Pontificem rogauere, vt Fridericum impelleret, vel ad ferendum ipsis auxilium & commeatus suppeditandos, aperiendosque portus, vel vt ipse ijs sese coniungere, ac ducem præbere dignaretur. Quare Gregorius hasce literas ad illum ad tam pium opus inflammandum, ac virum Cisterciensis familiæ pietate præstantem misit. a

Vrget Fridericum Pont. in Terrã S. ducat.

a Eod. l. 11 ep. 284.

Gregorius, &c. Frederico Imp.

Inclinauit cælos in auxilium nostrum descendens Altissimus, zelique gladio potenter accinctus ipsum elimat, & elimatum exacuit, vt Terram sanctam de manibus impiorum eripiat, ac Vnigeniti sui pedibus inimicos ipsius pro scabello supponat. Porro ipsum, qui etsi principaliter, non tamen solus hoc certamen aggreditur, comitum, baronum, militum, & aliorum crucesignatorum Franciæ, & diuersarum prouinciarum innumerabilis exercitus comitatur, vindicare Redẽptoris, qui effusus est, sanguinem, & pro Christi iniuria paratus sumere de Christi hostibus vltionem: qui ne a tã salubri proposito contraria & peruersa possent dæmonis, vel hominis suggestione subuerti, se ad transeundum in terram prædictam in festo B. Io: Baptistæ proximo futuro in necessitatem voluntate transfusa, duplici obligarunt vinculo iuramenti: propter quod a nobis instanter expostulant, vt ad eorum in termino prædicto passagium Apostolicæ sedis inclinemus, & tuum precibus inducamus assensum.

81 Habet autem fauorem illorum petitio comitem, & ex suã parte in suum adducit patrocinium rationem, quod quanto magis differtur prædictæ terræ subsidium, tanto ipsam periculosius opprimit, & vires fortiores sumit impietas paganorum: crucesignati etiam, quorum quidem possessiones suas pro apparatu suo sunt compulsi distrahere, nonnulli vero inopem victum longi temporis in sustentationem transmarini itineris effundere sunt coacti, huiusmodi apparatum in necessarijs cogentur vitæ consumere: sicque ex hoc ad præfatum subsidium reddentur inhabiles, & efficientur ex mora, quæ semper paratis nocuit, ad transitum impotentes; & si nunc oblatum renuimus ordinatione diuina subsidium, cum iterato inuocabitur Dominus, forsan precibus nostris diuina subtrahet maiestas assensum.

82 Nunquid non merito nobis irascitur Dominus, si eius gladium a suorum hostium sanguine prohibemus? Nunquid si ex culpa nostra dominicus gladius in vaginam reuertitur, iterum secundum humanæ dispositionis beneplacitum exeretur? Legimus enim quod sponsa, quæ pulsanti sponso pessulum ostij non statim aperuit, eo declinante, quæsiuit illum postmodum, nec inuenit. Quocirca serenitatem tuam rogandam duximus attentius, & monendam, quatenus id ad examen imperialis prouidentiæ referens, & processurum ex dilatione dispendium, & ex processu commodum prouenturum, in libra rationis appendens in hac parte crucesignatis eisdem assentias, & eis in nauigijs, portubus, victualibus & alijs ad passagium opportunis consilium, auxilium tribuas & fauorem, vt sicut eiusdem terræ liberatio tuum, & dilecti filij nostri nobilis viri Conradi nati tui respicit honorem & commodum, sic te præcipuum in numero sentiat adiutorem, &c. *Dat. Later. iv. non. nouemb. ann. xi.*]

83 Alijs literis dictum legatum missurus a Friderico expetijt b, vt illius salubribus consilijs, ac monitis obtemperaret: ad archiepiscopum quoq; Messinensem, atque ad præfectum hospitalis Theutonicorum datis literis hortatus est c, vt Fridericum Imp. ad ineundam expeditionem, ac ductandum Christianum exercitum, vt Galliarum nobiles continentibus votis, ac precibus exposcebant, incitarent. Porro ad Senonensem & Rothomagensem archiepiscopos scripsit d si Fridericus ad traiectionem instruendam addu-

b Ibid. ep. 285.

c Ep. 286.

d Ep. 287.

adduci non posset, Francos cruce insignitos etiam sacramento adeundo itineri obstrictos ad sequẽtem annum rem differre iuberent. Interea non pauci Templarij alijque bello capti sub immani Sarracenorum seruitute, squallore confecti ingemiscebant, cum Gregorius Cypri Regem ac Reginam pluresque alios hortatus est a, vt ad eos redimendos permutandosue, quo sacrum bellum felicius suscipi ac perfici posset, operam ac pecunias conferrent. Cumque res ecclesiastica non mediocre damnum non persolutis decimis in eo regno pateretur, eosdem monuit b iura sua restituerent ecclesijs, atque in adigendis ad decimas persoluendas nobilibus curam studiumque collocarent.

a Ep. 330.
b Ep. 300.

Templarij a barbaris partim cæsi partim capti.
c Godef. in annal.

84 Quod ad Templarios attinet; cum Sarraceni Alepiano agro adiacens oppidum obsiderent, Templarios soluere obsidionem coegisse, & circumiectas Alepiæ terras vastasse docet Godefridus c. Sed Sarracenos auctos animis & viribus in eos facto impetu signa contulisse, ac pluribus ferro cæsis, centum ex ijs circiter in seruitutem abduxisse; alios vero eiusdem sacræ militiæ equites supplicibus literis Fridericum exorasse, vt ad eos redimendos auctoritatem suam adhiberet: at ipsum nihil eorum precibus permotum rem neglexisse. Quare oportuit, vt Pontifex principis, in quo Christianæ charitatis ardor refrixerat, vitium suo zelo sarciret, qui proximo etiam anno huiusmodi epistola d clarissimis paterni amoris notis aspersa eorum luctum delinire conatus est, pollicitus egregiam se operam ad eos e dura barbarorum seruitute eripiendos nauaturum.

d Greg. Lib. 11. ep. 145.

Tentos in vinculis solatur Pô tifex.

85 *Ex frumento panis nequaquam conficitur, nisi prius ab ipsa palea flagellis excussa illud mola tunsionibus conteratur; & diuini templi ædificium lapides minime recipit, quos prius malleis manus artificis non poliuit: quia oportet iustos per diuersas afflictiones omni vitiorum expurgari rubigine, antequam ad supernæ possint patriæ gloriam peruenire. Probat hoc quod Israel post quadraginta annos, & longos deserti circuitus afflictus penuria in terram promissionis inducitur, vt sic purgaretur a vitijs, & nota fierent quæ in eius animo vertebantur, quia sicut vasa figuli fornax examinat, sic tribulationis tentatio iustos probat. Igitur in grandis exultationis tripudium debet vobis assurgere, quod digni estis habiti pro nomine Iesu Christi contumeliam sustinere, ex quo certum datur vobis probationis indicium, vt iam prædestinauerit vos ad vitam cælestis palatij, qui vobis concessit in sui nominis gloriam taliter exprobrari. Propter quod filij charissimi fames aut gladius, persecutio aut angustia vos a charitate Christi non separet, certos quod in vobis immensa gloria ex modica tribulatione consurget, quia secundum Apostolum ad futuram gloriam, quæ in iustis reuelabitur, indignæ passiones huius temporis penitus æstimantur. Nos enim, licet a vobis longis simus locorum spatijs separati, ad liberationem tamen vestram, dante Domino, opem dabimus & operam efficacem. Dat. Lateran. VII. idus iunij ann. XII.*

86 Illam porro Templariorum cladem refert pluribus Parisius e, qui etiam eius causam in Vvide Monteferrato Aruernum Antiochiæ præceptorem conijcit, exigua nimirum succinctum manu cum ingenti hostium multitudine manus conferere ausum, quamuis a Christianis captiuis ab insidijs cauere præmonitus esset. Affectus etiam magnis cladibus ab Rege Armeniæ Cõstantinus e Lambronio dynasta, qui angustijs vndique pressus ad sedis Apostolicæ asylum confugit: cui paternum sinum aperiens Gregorius, patrocinium suum ipsi est pollicitus f. Respondere promissis facta: Regem enim literis monuit hortatosque est cœptis desisteret inique rem apud Armeniæ g præfectum, Antiochenum

e Par. hist. Angl. an. 1237.
Vvi a Mõteferrato sua temeritate ma h auctor.

f Lib. 10. ep. 318.
g Ibid. ep. 320.

principem a, & Cypri Regem b suam adhibuit auctoritatem.

a Ibid. ep. 321.
b Reg. post eand. ep.

87 Hoc interim spatio perlati ex oriente felices religionis successus omnium animos incredibili gaudio perfudere, atque erexere. Iacobitarum enim patriarcha cælesti lumine collustratus, discussis hæreseos tenebris, ac damnatis erroribus, catholicorum instituta sectatus est: vt veteres scriptores Godefridus c, Matthæus d Parisius alijque tradunt. Nos vero rem gestam a Philippo Dominicanorum in Terra sancta priore, qui non mediocrem operam in tanto perducendo opere desixit, adductis in medium quas ad Pontificem dedit literis e, accipiemus. *Patriarcha Iacobitarum orientalium vir quidem venerabilis scientia, moribus, & ætate, cum maximo comitatu archiepiscoporum, episcoporum, nec non & monachorum suæ gentis hoc anno venit adorare in Hierusalem. Cui verbum catholicæ fidei exponentes, ad tantum diuina cooperante gratia peruenimus, vt in ramis palmarum, in processione solemni, quæ die illa in descensu montis Oliueti in Hierusalem fieri consueuit, obedientiam S. Rom. Ecclesiæ promitteret & iuraret, omnem pariter hæresim abiurando; & confessionem suam nobis tradidit in literis Chaldæis & Arabicis in testimonium sempiternum. Ad hos etiam; & habitum nostrum recepit in recessu. Ipse præest Chaldæis, Medis, & Persis, & Armenis, quas terras Tartari pro magna parte iam vastauerunt: & in alijs regnis in tantum dilatatur eius prælatio, quod septuaginta prouinciæ ei obediunt, in quibus habitant innumerabiles Christiani; serui tamen & tributarij Sarracenis, exceptis monachis, quos liberos dimittunt a tributo. Secundum eandem formam fecerunt duo archiepiscopi, vnus Iacobinus de Aegypto, & alius Nestorianus in oriente: suas tamen prælationes, & subditos habent manentes in Syria, & Phœnicia: & nos iam festinauimus mittere quatuor fratres in Armeniam ad linguam addiscendam, eo quod preces Regis & baronum nos vrgebant. De alio quoque, qui præest omnibus, quos Nestoriana hæresis ab Ecclesia separauit, cuius prælatio per Indiam maiorem, & per regnum sacerdotis Ioannis, & per regna magis proxima orienti dilatatur, iam plures recepimus literas, quod fratri Vvillelmo de Monteferrato, qui cum alijs duobus fratribus linguam illam scientibus apud eum aliquandiu cõmoratus est, promisit quod velit obedire, & redire ad gremium ecclesiasticæ vnitatis. Misimus etiam fratres in Aegyptum, ad Patriarcham Iacobitarum Aegyptiorũ, qui multo amplius errare solent quam orientales, alijs erroribus circumcisionem ad modum Sarracenorum addentes: a quo similiter recepimus, quod velit redire ad Ecclesiæ vnitatem, & iam multis elisis erroribus suos subditos prohibuit circumcidi. Huic subdita est minor India, Aethiopia, & Libya cum Aegypto: sed Aethiopes & Libyi non sunt subiecti Sarracenis. Maronitæ, qui habitant in Libano, iamdiu est quod ad ecclesiasticam redierunt & persiuerant obedientiam. Et cum omnes prædictæ nationes doctrinæ Trinitatis & prædicationibus nostris acquiescant, soli Græci in malitia sua perseuerant, qui vbique aut latenter aut aperte Ecclesiæ contradicunt, omnia sacramenta nostra blasphemant, & omnem sectam a sua alienam prauam appellant & hæreticam.*

c Godef. in annal.
d Par. hist. An. 1.
e Extant apud Par.
Iacobitarũ orient. patriarch. sancta hæc ca periurat.
Rom. Põtifici obsequio se subijcit.

88 Tam felici nuntio accepto Pontifex, ingenti quo par erat gaudio, ex diuina amplificata gloria, delibutus, gratulatorias literas patriarchæ dedit f, hortatusq; est daret operam, vt commissi ipsius curæ populi ipsius vestigia secuti ad Ecclesiæ sinum se conferrent.

f Greg. lib. 11. ep. 171.
Redeunti ad sinum Rõ. eccl. gratulatur Pont.

Gregorius, &c. patriarchæ Iacobitarum orientalium.

Digne, immo dignissime, qui licet immeriti sedi Apostolicæ præsidentes vicem Regis æterni tenemus, profusis in Domino gaudijs exultamus,

mus; quod cum tu, ficut literis & relatu fide dignorum accepimus, comitiua prælatorum & aliorum tuæ prouinciæ comitatus in fanctam ciuitatem processeris, percepturus ibidem paratam pœnitentibus indulgentiam Redemptoris, ad facram exhortationem dilectorum filiorum fratrum ordinis Prædicatorum, per quos Dei fpiritum locutum fuisse confidimus, relicto inuio erroris pristini te ad veritatis & vitæ femitam conuertisti, præstito corporali folemniter iuramento, quod facrofanctæ Rom. Ecclesiæ ftudebis humiliter cunctis temporibus obedire, ficut in Chaldæis & Arabicis literis a te fuper hoc concessis contineri dicitur, & dictorum fratrum testimonio comprobatur. Quorum assertio grata nobis apparuit, quod habitum ipforum assumpferis, vt positus fub obedientia, cui Petri clauis habetur assidue gratiofa, facilius ad patriam dirigatis.

89 Quid ad ista? lætetur cælum, & exultet terra, quod vinea Domini fabaoth a mari vfque ad mare protenditur, & fponfæ fuæ gloria per mundi climata magnifice dilatatur; quod pifcatoris nostri rete talem piscem Ecclesiæ fanctæ protulit, qualem a longis retro temporibus præfentandum in Regis æterni nuptijs appetiuit. Vtinam frater chariſſime te amodo apostolicæ piscationis officium exercente prædicto pifci confimiles, vel quicunque alij cælestis mensæ delicijs opportuni prædicationis tuæ retibus ad litus catholicæ fidei deducantur, fine qua ficut quis ad vitam non proficit, fic etiam mortis æternæ fupplicia non euadit. Hæc igitur de fuperna gratia & Apostolicæ fedis pleno fauore confifus, loquere & exhortare commissos tibi populos folicitans diligentia vigilanti, vt tui misericordiam confecuti vestigia imitantes festinent contra potestates aereas fub vexillo dirigi, quod in falutem gentium per orbis latitudinem explicandum vicario fuo contulit triumphans dextera Crucifixi; ficque fiat quod dum Ecclesia doctrinæ tuæ ftudio fœcundior erit in filijs, tu tandem apud Dominum quafi ftella in æternitates perpetuas habearis, illius tibi ad hoc obligata manente potentia, cuius arbitrio, ficut perfidis cælum iuste clauditur, fic & fidelibus misericorditer aperitur. *Dat. Viterbij v. kal. aug. pontif. nostri ann. xi.*] Verum fubijcit Parifius, Iacobitarum patriarcham Tartarorum timore perculfum hæc præstitiſſe: quorum effusis ac violentis excurfionibus perterritus, antea ad Sarracenos auxilia petiturus confugerat, repulfamque ab ijs passum, ad catholicorum ritus, vt ab ijs auxilia eliceret, confugisse: fed cum omnia tuta prospero fucceſſu fibi affulgere cerneret, fuorum nefarijs impulfum consilijs, a fide catholica turpiſſime resilijſſe.

Prolabitur iterū ad fchifma Iac patriarch.

90 De Iacobitis a Vitriaco [a] ac Matthæo Parifio traditur Iudaicis ritibus contaminatos filios circumcidiſſe, noxas non facerdotibus, fed Deo foli confiteri thure in ignem iniecto folitos. contra quorum errorē hæc ex fcripturis facris petita. De quibus fubdit Parifius [b]: *Errant miferinō intelligentes fcripturas, & pereunt ex defectu doctrinæ, vulnera fua medicis fpiritualibus abfcondentes, quorum est inter lepram & lepram difcernere, et peccatorum circumftantias penfando pœnitentias iniungere; & fecundum claues fibi traditas ligare & foluere, & pro confitentibus fibi fpecialiter orare; vnde Dominus in euangelio dixit leprofis: Ostendite vos facerdotibus. Item Iacobus: Confitemini alterutrum peccata. Salomon: Fili ne confundaris confiteri peccata tua. Item in veteri testamento confitebatur facerdos peccata populi fuper caput hirci emiſſarij. Sed quomodo confitebatur, nifi prius cognita & fibi confeſſa? Item alibi in nouo testamento Paulus ad Romanos: Corde creditur ad iustitiam, ore autem confeſſio fit ad falutem. & de beato Io: Baptista legimus quod baptizabantur ab eo confitentes peccata fua. Erubefcentia enim & pudoris anxietas, & confitentis humilitas maxima pars est pœnitentiæ: promores autem ad peccandum efficiuntur, qui turpitudines fuas hominibus nonintimant reuelantes, cum tamen fcriptum fit: Qui abfcondit peccata fua, non dirigetur: qui autem deliquerit, & confeſſus fuerit, mifericordiam confequetur, &c.* Hactenus Anglus auctor, cuius verba adducere non piguit, ad Angliæ nouatorum audaciam infringendam. Præterea e Iacobitis plures infantibus ante baptifma, candenre ferro crucis fignum in fronte, vel genis, aut temporibus inurebant: ac denique Euthychis de vna in Christo natura hærefim fectabantur.

a Iac. Vitr hist. orie. c. 76. 77.

b Par hist. Angl. an. 1237. & alij. Errores Iacobitarum.

IESV CHRISTI
Annus 1238.

GREGORII PP. IX. annus 12.	FRIDERICI II. IMP. 19. BALDVINI II. IMP. 10.

1 ANno Iefu Christi octauo fupra millefimum ducentefimum trigefimum indictione vndecima, Constantinopolitanum Imperium ob Vatacij tyrannidem quotidie maioribus angustijs premebatur: non enim modo funestas clades vrbibus, vastitatem agris, populis ftrages inferebat, verum Constantinopolitanos interclufis commeatibus in fummam rei frumentariæ inopiam, ac difcrimen extremum adduxerat. Quibus malis vt occurreret Gregorius, catholici orbis principes, ac populos ad ferenda labanti Latinorum in oriente Imperio auxilia per apostolicas epistolas & legatos fuos omni ftudio incitauit: in primis namque hoc anno ineunte Petrum Britanniæ comitem, qui magnas copias fuo iuſſu coegerat, hortatus est [a] recurrente B. Ioannis Baptistæ festo die traijceret.

Constantinopolis premitur a Vatacio.

Britanniæ comes auxilia pro Imperio apparat.

a Greg. l. 18 ep. 351. Greg. ad Britanniæ com. literę

2 *Gratum gerimus & acceptum, & nobilitatem tuam dignis in Domino laudibus commendamus quod, ficut tuarum nos tenor literarum edocuit, te in fubfidium Imperij Constantinopolitani cum duobus millibus equitum & decem millibus peditum accinxisti, illuc in proximo B. Io: Baptistæ paſſagio tranfiturus. Vnde cum, ficut per nuntios a nobis Cōstantinopolim cum fubfidio tranfmiſſos intelleximus, magna ibidem ftipendiariorum multitudo confistat, nobilitatem tuam rogandam duximus attente & hortandam per apostolica tibi fcripta mandantes, quatenus te cum mille & quingentis equitibus & fex millibus peditum dumtaxat accingens ad liberandum prædictum Imperium in prædicto paſſagio tranfire procures, habiturus ex hoc apud homines laudis perpetuæ gloriam, & immarceſſibilem in palatio confecuturus æterno gloriam. Dat. Later. idus ianuar. ann. xi.*

Ob annonæ grauitatem partem exercitus dimittere iuſſus.

3 Præcepit Gregorius Britanniæ minoris comiti copiarum, quas collegerat, partem dimitteret ob annonæ grauitatē, qua adeo laborabat Constantinopolis, vt plures Latini ad hostē transfugerent; ad quam leuandam Pontifex commeatibus fubmittendis incubuit. Ac ne interim, dum ob itinerum longa interualla Britanniæ comes tardiora ferret auxilia, Constantinopolitana res corrueret, Philippum clericum pontificium in Græciam misit [b], vt ex omnibus viris ecclefiasticis Patracenfis, Corinthienfis, Thebani, atque Athenienfis archiepifcopatuum tertiam vectigalium, ac bonorum mobilium partem in Constantinopolitanorum fubfidium conuertendam colligeret: ad mitigandum vero difficile onus facrarum indulgentiarum præmia contulit, monuitque caufam ipforum ita cum Constantinopolitanis eſſe coniunctam, vt ab eorum falute ipforum quoque falus penderet. eodemque argumento Cephalonis & Zacynthi comiti datis literis [c] militibus & cōmeatu fuc-

b Ep. 358.

Tertia vectigalium ecclefiasticorum in Græcia pars attributa Balduino.

c Reg. post eand. ep.

succurrere imperauit, euersa enim Constantinopoli Græcorum impetus mox excepturum.

Cephaloniæ & Iacynthi comites ad ferendam opem Cōstantinop. excitatur. 4 *Sicut intelleximus præter afflictiones multimodas, quibus eadem ciuitas a Bathacio Dei & Ecclesiæ inimico affligitur, tanta victualium caristia tribulatur quod iam habitatores suos, quos nequit nimia venalium affisi a penuria regere, luget et dolet ad hostium castra migrare, tremens & dubitās ne de ipsa a suo defensore derelicta suum, quod Deus auertat, pars consequatur aduersa propositum, nisi congruum bellatorum & frumenti succursum in proximo diuina cooperante gratia receperit festinatum. Verum cum nobilis vir comes Britanniæ de mandato nostro ad succurrendum Imperio Constantinopolitano secum granas exfortio militum & aliorum bellatorum accinxerit, nosque aliás eidem ciuitati subuenire in personis & congrua quantitate victualium proponamus; quia tamen grandia interualla locorum, quæ a partibus illis nos diuidunt, desideratum ciuitati prædictæ subsidium, si in breui transmittis, sicut ipsius necessitas expetit, non permittunt, nobilitatem tuam rogandam duximus & monendam tibi in remissionem peccaminum iniungentes, quatenus prudenter attendens quod tua res agitur, si paries proximus accendatur, nec tu ipse aliqua ratione a facie persequentium subsistere poteris si, quod Deus auertat, Græci præfatæ obtinerent dominium ciuitatis; ob reuerentiam Dei, Apostolicæ sedis & nostram eidem ciuitati, cum nos venerabiles fratres nostros archiepiscopos, episcopos, & alios ecclesiarum prælatos Moreæ, quod eidem in tertia parte bonorum mobilium & prouentuum suorum subueniant, compelli mandemus; in victualibus & bellatorum subsidio eo plenius & honorabilius succurras, & a nobilibus viris subditis tuis succurri facias, ipsos ad id potestate tibi tradita compellendo, quo magis id ad vtilitatem tuam noscitur pertinere, &c. Dat. Lateran. xv. kalend. febr. ann. xi.*

Asanes in Latinos coniurat. 5 Augebat Constantinopolitanorum terrorem Vatacijque potentiam Asanes, qui solita perfidia relictis Latinorum partibus, quibus se coniunxerat, ad Græcos schismaticos iterum desciuerat. Cuius defectionis occasionem narrat Georgius Logotheta, illum dum Tzuruli arcem cum Latinis obsidione premeret, ob cumulata suorum funera violati Græcis dati iurisiurandi religione perculsum fuisse a. *Dum*

a Georg. Logoth. interp. Leon. Allatio. *obsideretur Tzuruli castrum Assano derepente nunciatur vxorem Vngaram in viuis esse desijsse; eodem momento & filiolum ipsius & Trinobi episcopum obijsse: adeo numinis iram veritus, tormenta igne concremat, & quam citissime Trinobum redit. Igitur soli Itali cum*

Qua superstitione ductus ab ijs defecerit. *ad obsidendum castrum ex se non sufficerent, quam in Romanos constituerant pugnam dirimentes, Constantinopolim reuertuntur, & arx illa ab hostium obsidione liberatur.* Et paulo inferius: *Assanus ergo post dicta aduersa ac infortunata pie admodum concipiens propter violatum iusiurandum, quod Imperatori Ioannis dederat, & filiam a thalami consorte Theodoro raptam, hæc fieri, pœnitentia ductus caduceatores mittit ad Imperatorem, semetipsum sceleris accusans, & pacta conuenta reposcens, deprecansque sibi veniam flagitiorum. Ioannes Imperator Ereneque Imperatrix, tanquam qui in magis pia, ac diuina prospicerent, legatos excipiunt, neque verbis rem protelando rursum iusiurandum comprobant, sponsamque Helenam repetunt quæ ad socrum & coniugem vadit, & pax iterum inter Romanos & Bulgaros pacta est.*

6 Hæc Georgius auctor schismaticus, quem non mirum est rem ad suorum laudē detorquere, ac motum pietate & religione Asanem in redintegrando cum Græcis fœdere inducit. Verum Pontifex Asanem obinitam cum schismaticis societatem, laxata hæreticis, qui in Bulgaria Manetis fœdissimos errores disseminabant, fræna, conuersaque in catholicos arma impietatis, ac perfidiæ damnauit: atque ad Constantinopolitanum fulciendum Imperium, retundendos Asanis conatus, tuendam in oriente, quæ

Pontifex Vngar. Regem in Bulgarū sollicitat. periclitabatur, fidem catholicam, Belam Vngariæ Regem permouere studuit a, vt contra Bulgarum signa attolleret: & quo facilius ad id pelliceret, Bulgariam illi ad eam occupandam expositam esse iussit,

a Ead. l. 11 ep. 373. atque indulgentiarum præmia adiecit; & Vngaros præsules maiori dignitate spectabiles ad eam expeditionem regium animum incitare præcepit.

Illustri Regi Vngariæ.

7 Supremus opifex, qui fingit corda hominum sigillatim, & qui non ex præiacente materia, sed de nihilo creauit omnia solo verbo, vas sibi in gloriam & honorem, prout tenemus, experimento probabili te formauit, vt per te fides catholicā propagetur, conseruetur libertas ecclesiastica, & defendatur religio Christiana. Tu etiam fili charissime ab eo, qui solus habet in regno hominum potestatem, non solum dignitatis regiæ gloriam recognoscēs, sed etiam quidquid habes, imo quidquid es ei totum attribuens, qui te fecit, illo menti tuæ timorem sui nominis & amorem misericorditer inspirante; te sibi substernere tota deuotione teneris, & eius beneplacitis prompta fide te offerens & exponēs, totis ei debes affectibus complacere: primatum quoque Romanæ Ecclesiæ reuerenter aduertens, quam non terrena fundauit sententia, sed illud Verbum, quo constructum est cælum & terra, per quod denique omnia elementa sunt condita, Iesus Christus, quam ideo supra se petram erexit ad beatissimum Apostolorum principem inquiens: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam;* vt æterni templi structura mirabili munere diuinæ gratiæ in Petri soliditate consisteret, & illam nec humana temeritas posset appetere, nec contra illam portæ inferi præualerent.

8 Hanc itaque petræ sacratissimam firmitatem Deo ædificante constructam, præsumptione nititur nimis impia violare quisquis potestatem eius tentet infringere, vel ab eius recedere vnitate: quia cum vnigenitus Dei Filius æternæ vitæ clauigero, ob feruorem constantissimæ fidei ligandi & soluendi contulerit potestatem, ipso sibi dicente: *Quodcumq; ligaueris, &c.* & propter meritum feruentissimæ charitatis pascendas sibi commiserit oues suas dicendo: *Simon Ionas diligis me plusquam his? pasce oues meas;* qui eum non receperint in pastorem, ab ipsius censentur ouibus alieni. Tales namque sunt hæretici & schismatici, qui a tanto pastore pasci renuunt, & eius vicario non intendunt, perfidiores Iudæis & crudeliores paganis; nam Iudæi semel Dominum crucis patibulo affixerunt, hæretici vero in membris suis iugiter crucifigunt eundem, opprobrijs ipsum & contumelijs lacerantes; & cum illi credant, licet sub cæcitate peccati, Deum Patrē omnia visibilia & inuisibilia condidisse, isti a principe tenebrarum visibilia credunt esse condita & creata: pagani quoque furebant in puniendis Christianorum corporibus, & mactādis, isti fidelium animas latenter Christo surripiunt & furantur, vtrumque hominem perimentes; schismatici autem tunicam inconsutilem Iesu Christi, quæ, diuisis alijs vestibus, vni cessit in sortem, vt ipsius Ecclesia figurata per tunicam, quam sicut vestimentum induit, vna esset, scindere moliuntur: de quorum numero perfidus est Assanus, qui ab Ecclesiæ vnitate recedens, & de Petri ouibus esse recusans, eius pasci doctrinæ verbo, operationis exemplo, & sacræ communionis pabulo contradicens receptat in terra sua hæreticos & defensat, quibus tota terra ipsa infecta dicitur & repleta.

9 Cum igitur dignum sit, vt sanguis eorum veniat super eos, iniquitate sua velut Amorrhæi populi cōsummanda, venerabilibus fratribus nostris Strigo-

niensi & Colocensi archiepiscopis, episcopo Perusino A.S.L. & vniuersis episcopis per Vngariam constitutis nostris damus litteris in mandatis, vt contra dictum Assanum & terram suam prædicent verbum crucis; illam crucesignatis illuc in personis, vel rebus laborantibus indulgentiam concedentes, quæ conceditur transeuntibus in subsidium Terræ sanctæ. Quia vero inter cætera pietatis opera, per quæ serenitas regia placere valeat Regi regum, istud præcipuum reputatur, si zelo diuinæ legis accensus accingaris in eos, & in illos exarserit ira tua, qui antichristi præcursores effecti, vel potius antichristi, fidem nostram immaniter persequuntur, excellentiam tuam affectuose rogamus, & a te Christianissime principum instanter exposcimus, obsecrantes per Patrem & Filium & Spiritum sanctum, & per aspersionem sanguinis Iesu Christi crucifixi, vt exurgas in adiutorium Christi tui: exurgas ad contritionem nationis prauæ atque peruersæ, quæ multis insultat opprobrijs nomini Christiano. Accendat te zelus fidei orthodoxæ, & sic contra eos in forti manu & extento brachio te accingas, vt huiusmodi pestilentibus ante faciem tuam velut nubibus aquilone fugatis, illuc sanctificatos Domini diuino comitatus auxilio introducas. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, tibi & vniuersis vere pœnitentibus & confessis, qui tecum laborem istum in proprijs personis subierint & expensis, plenam peccaminum veniam indulgemus, ac terram eandem exponimus, prout statutum est in generali concilio, tibi & alijs catholicis occupandam. *Dat. Later. vi. kal. febr. an. xi.*]

10 Verùm cum Balduinus nonnulla in Bulgariam iura contenderet, nec Vngarus expeditionem eam esset suscepturus, nisi cum eo societatē Imperator coiret, Pontifex datis ad Balduinum literis a monuit, iura in Bulgariam prætensa sedi Apostolicæ permitteret, ac scripto firmata transmitteret, ne Imperio tot hostibus circumfuso promptissima auxilia non afferrentur, illius res in ruinam præcipitem laberentur, e qua erigere sese atque emergere vix posset: *Quia dubitatur a multis, an idem Rex per ea, quæ præmisimus, nisi consensus tuus accesserit, se velit exponere tot periculis & expensis, nobilitatem tuam monemus & hortamur attente ac suademus in animi puritate, quatenus prudenter attendens, quod nisi eidem Imperio celeriter succurratur, interueniente mora vix ei valeat subueniri; & melius est ante tempus occurrere, quam remedium post causam quærere vulneratam, ne succursum ipsius Imperij per te, quod absit, impediri cōtingat; si quid iuris ad te in terra ipsius Assani pertinet, in manu Romanæ Ecclesiæ omni dilatione, & excusatione cessantibus ponere non postponas, vt prouideamus exinde, prout consideratis negotij circumstantijs vtilitati & necessitati eiusdem Imperij videbimus expedire, nobis super hoc tuas patentes literas per latorem præsentium omni mora postposita transmittendo. Dat. Later.*

a Ep. 374. Admonetur Balduinus sua in Bulgar. iura dimittere.

11 Pontificis ergo & aliorum præsulum precibus sollicitatus Bela ingentibusq; propositis premijs erectus, quamuis cum Asane ac Vatacio arctioribus affinitatis vinculis strictus esset; ne in tanta re Ecclesiæ Rom. deesse videretur, inferendi Asani belli prouinciam nomine Apostolicæ sedis admisit, ac nonnulla a Pontifice sibi concedi flagitauit. Primum illud ac grauioris momenti fuit, vt sibi legationis dignitas, exemplo S. Stephani conferretur, atque in Asanis ditione diœceseon terminos circumscribere, episcopos imponere, parochias erigere liceret; anathematis sententia in Vngariæ inuasores, quandiu in expeditione occupatus esset, ferretur; atque Vngaria in Apostolicæ sedis clientelam acciperetur.

Vngarus bellū Bulgaro mouet.

Ipsius ob id petita a sede Apost.

Sanctissimo in Christo patri a Gregorio Dei gratia sacrosanctæ Rom. Ecclesiæ summo Pontifici Bela eadem gratia Rex Vngariæ tam debitam, quam deuotam in omnibus reuerentiam.

a Extant hæ Belæ Regis ep. in M.S. Vallicellano signato B. xx1.

12 Vestræ sanctitatis admonitionibus inducti Vatacium Imperatorem Græcorum, vt sedi Apostolicæ obediret, multis exhortationibus monere studuimus; & dum super hoc spem habentes diligentius instaremus, paternitatis vestræ literas & venerabilem patrem Perusinum episcopum Apostolicæ sedis legatum secundo recepimus, qui iuxta suæ legationis modum penes nos diligenter institit & prudenter, de contingentibus nil omittens, vt terras * Assoeui, vtpote schismatici, auctoritate sedis Apostolicæ in remissionem peccatorum occupare dignaremur, cum tamen nos amicitiarum & * cognitionis fœdera coniunxerunt: ex inclytæ enim recordationis sorore nostra filium habet & hæredem, & nostris iussionibus sic in omnibus est subiectus, vt non tam amicus quam subditus videatur: ex cuius impugnatione omnium amicorum & cognatorum, quos hactenus habeamus in partibus Romaniæ, offensam incurremus. Vatacius enim nostram neptem suo filio duxit in vxorem, & nostræ charissimæ consortis Reginæ Vngariæ frater extitit, tanta nobis deuotione coniunctus, vt & se & sua ad nostrum beneplacitum exhibere sit paratus, qui se in persona Assoeui reputabit impugnari; pro quo tamen si ad nostram instantiam ad sanctæ matris Ecclesiæ, quæ non solum septies, sed etiam septuagesies septies debet ignoscere delinquenti, conuersus fuerit vnitatem, vestræ sanctitatis clementiam humiliter deprecamur, vt eum solita benignitate dignemini recipere.

* Asanis

* cognationis

13 Sane quia nihil debet amori diuino, & animarum saluti * proponi, spe æternæ remunerationis & Apostolicæ sedis deuotione, ac sincera dilectione, quam erga nos vos habere confidimus, prouocati assumimus ex animo per nos, aut per nostros, prout expedire videbimus, Bulgariam & alias terras * Assoeui occupare & sedi Apostolicæ in spiritualibus: in temporalibus vero nostræ iurisdictioni Deo cooperante subiugare nisi, quod absit, legitimo fuerimus impedimento præpediti. Cum tamen negotium sit arduum, nec debitum valeat sortiri effectum, nisi vestrum auxilium apponatur ad ea, quibus specialiter in hoc facto indigemus, a vestra sanctitate postulanda venerabilem fratrem Iauriensem episcopum direximus, qui si forte propter viarum discrimina suum ad nos aduentum retardaret, ne dilatio difficultatem afferat, præcipue propter instantem Gallicorum aduentum, qui per terram nostram transire volunt in partes Romaniæ de nostris petitionibus, sine quibus tam difficile commode aggredi non possemus, citius certiorari cupientes, per præfati legati nuncium præsentes literas nostrarum petitionum seriem continentes ad sedem Apostolicam transmisimus, vt sine moræ dispendio ad nos cum vestræ sanctitatis beneplacito reuertatur.

* præponi

* Asanis

14 Petimus vt officium legationis non alij sed nobis in terris Assoeui committatur, vt habeamus potestatem limitandi diœceses, distinguendi parochias, & in hac prima institutione potestatem habeamus ibi ponendi episcopos de consilio prælatorum & virorum religiosorum, quia hæc omnia beatæ memoriæ antecessori nostro S. Stephano fuit concessa; illa potissimum ratione quia si cum legato sedis Apostolicæ partes illas ingressi fuerimus, ab vniuersis illarum partium incolis præsumetur, quod non nobis sed Rom. Ecclesiæ eos velimus etiam in temporalibus subijcere; quod ipsi tam plurimum abhorrerent, vt quamplurimi, quos sine pugnæ certamine possemus obtinere, vsque ad mortis periculum

Flagitat Bela sibi legati Ap. munus demandari.

lum

lum se defendere niterentur: nobis enim & alijs Christianis frequenter improperant, quod Ecclesiæ Rom. serui simus.

15 Præterea cum circa partes Bulgariæ in terra quæ Zemram nominatur, quæ dudum fuerat desolata, populi multitudo supercreuerit, qui nondum sunt ad cuiusquam episcopi diœcesim applicati, vt eos alicui episcopatui secundum nostrum beneplacitum assignare valeamus, a vestra sanctitate potestatem tribui postulamus. Item vt intra Vngariam super terram Assoeui procedentes crucem nobis & nostro exercitui anteferre * in omnes inuasores regni Vngariæ, in infideles & conspiratores contra nostrum regnum Vngariæ, donec fuerimus in prosecutione huius negotij, ne propter hoc seruitium Dei valeat impediri: quam sententiam publicari facietis vbique per episcopos & fratres Prædicatores & Minores in Vngaria, ac in regnis & terris vicinis Vngariæ. Item petimus vt nulli regnum Vngariæ inuadendum, vel occupandum concedatur, nisi cui nos permiserimus; & nos ac vniuersa nostro subiecta * regnum in protectionem sedis Apostolicæ assumatis.

*liceat

* regno

16 Verum cum nos & nostros nec honoris ambitio, nec diuitiarum cupiditas, quæ nobis diuina gratia largiente abundanter sunt concessa, sed salus animarum, ac Apostolicæ sedis deuotio ad hæc exequenda pro viribus inducat, excommunicationum sententias, quas non solum inferiores, verum etiam maiores ac prælati, ac pene tota Vngaria ex constitutionibus & canonibus latæ sententiæ venerabilis patris Prænestini episcopi tunc A. S. L. incurrerunt & diebus singulis ineuitabiliter incurrunt, suppliciter deposcimus relaxari: perniciosum enim existeret se mortis periculo in Dei seruitio exponentes in excommunicatione, in quam ex leui causa inciderunt, detineri; quia licet eundem sanctitate præeminere pro certo credamus, cum tamen status Vngariæ ei esset incognitus, sic suas constitutiones excommunicationum vallauit sententijs, vt pene omnes in excommunicationem se nouerint incidisse. Vnde non solum nos, immo tota Vngaria paternitatem vestrã deuotissime deprecatur, vt omnes constitutiones ipsius, quoad pœnam excommunicationis, dignemini reuocare, & nos a multiplicibus sacramentis, quæ a nobis pro causis leuibus accepit, quæ præ multitudine ad memoriam reuocare non valemus, absoluatis, vt nos & regnum nostrum iure communi & sanctorum patrum institutionibus regamur, onera grauia & importabilia, quæ nemo potest adimplere, non habentes. *Dat. in Zolum VII. idus iunij anno gratiæ* MCCXXXVIII. *regni autem nostri ann.* III.

Dissolui censuras a Iacobo Prænestino vibratas.

17 Acceptis ijs literis Gregorius Regem laudibus ob zelum, quem in fidei causa propugnanda explicarer, ornauit [a] eiusque votis facilem se præbuit: at negauit legati dignitatem, & munus in terris Asanis ipsi imponi posse, ne rei ecclesiasticæ damnum aliquod afferret: se tamen ipsi committere, vt quem ex suis legatum mallet, ad eam dignitatem vocaret, modo sibi illius nomen, quo suas ad eum literas dirigeret, significaret: regnum ipsius in Apostolicæ sedis patrocinium adscitum, atque anathema in inuasores Vngariæ fulminatum, ac per circumpositas regiones promulgandum: omnes qui ad victricia crucis signa sub ipso duce sese contulissent, contractis censuris absoluendos.

a Greg. lib. 12. ep. 211

Pontifex legati dignitatem petenti Vngaro conferre abnuit.

Gregorius, &c. Regi Vngariæ.

Illam de te fiduciam gerimus, & sic puritatis tuæ zelum discretionis spiritu te credimus moderari, quod nihil tibi concedi a nobis velis, per quod Rom. Ecclesia mater tua notam alicuius detractionis incurrat, vel trahi possit ab alijs in exemplum. Cum enim inductus forsan consilio aliquorum a nobis petieris tibi legationis officium in terra Assani supradicti committi, & concedi etiam potestatem limitandi diœceses, instituendi episcopos, & distinguendi parochias, necnon & terram, quæ Zemram nominatur; in qua dudum desolata excreuit populi multitudo, qui nondum subfuerunt cuiquam episcopo, alicui episcopatui applicandi; quia serenitatem regiam in visceribus Iesu Christi * ac per hoc negare tibi aliquatenus non valemus, quod cuipiam essemus principum concessuri; etsi non id, quod ad literam petitur, idem tamen tibi de fratrum nostrorum consilio concedimus in effectu: vt videlicet possis assumere, quemcumque malueris de archiepiscopis, vel episcopis regni tui, qui nostra fretus auctoritate præmissa de tuo consilio exequatur, cui venerabilis frater noster episcopus Perusinus A. S. L. de speciali mandato nostro, quod ei dirigimus, eadem exequendi tribuet potestatem. Et quia personam quam intendis assumere ignoramus, illam nobis regia mansuetudo significet, vt ei super hoc nostras literas destinemus, ad hoc vt ad assumpti expeditionẽ negotij ex aliquorum subsidijs, licet non indigeas, per Dei gratiam fortius animeris, vniuersis crucesignatis eiusdem regni commutandi vota sua per manus dilecti filij prioris prouincialis fratrum Prædicatorum & ministri fratrum Minorum prouinciæ Strigoniensis, quibus super hoc scripta nostra dirigimus, liberã concedimus facultatem. Ipsis quoque priori & ministro per literas nostras iniungimus, vt per se ac fratres suos contra prædictos hæreticos & schismaticos prædicent verbum crucis, illam eis, qui cõtra eosdem signũ crucis assumpserint, indulgentiã cõcedentes, quam habent laborantes in subsidium Terræ sanctæ, tibiq; concedant aliquos ex fratribus, quos in huiusmodi obsequio Iesu Christi prouideris eligendos.

* gerimus

Permittit illi quem elegerit eã dignitatẽ collaturum iri.

18 Cæterum quia indignum esset, vt dum militas Regi regum, aliquod regni tui dispendium patiaris, in omnes, qui postquam te accinxeris ad præfati tui negotium exequendum, quamdiu in prosecutione ipsius fueris, regnum ipsum inuaserint, & contra te diabolo conspirauerint instigante, excommunicationis sententiam promulgamus; quam per archiepiscopos & episcopos Vngariæ ac fratres Prædicatores & Minores per totam Vngariam, ac regna & loca vicina mãdamus ex * tunc solemniter publicari. Vt igitur inoffenso pede curratur ad prælium Domini præliandum, nulloque possit assumptum negotium aduerso obice præpediri, vniuersos dicti regni, qui ad collaborandum tecum in eodem negotio assumpserint signũ crucis, ac alios ab vniuersis excõmunicationum sententijs latis a venerabili fratre nostro episcopo Penestrino A. S. L. per priorem ac ministrum prædictos iuxta formam Ecclesiæ mandamus absolui. *Dat. Anagniæ V. id. aug. an.* XII. Ad episcopum Perusinum apostolicum legatum etiam scripsit,[a] vt quem Rex legatum delegisset, ea dignitate ornaret: tum ad Prædicatorum ac Minoritarum familiæ spectatissimos, vt sacrum bellum aduersus hæreticos ac schismaticos pro concione denuntiarent [b], fidelesq; ad arma in causa tã pia capessenda inflãmarent, vota alia nuncupata in expeditionis suscipiendæ onus cõmutarent, aliquos e suis ad sacramenta militi administranda in castra submitterent. datæ etiam ad Vngarum aliæ literæ [c], quibus Bulgariam nulli alij occupandam concessum iri ab Apostolica sede, ac Pannoniam sub ipsius clientela ab hostium impetu, atque excursione vindicandam fore pollicetur. [d]

Significat datam lãtis concionatoribus promulgãdæ in Bulg. crucesig. expeditionis prouinciam.

* nunc

a Ibid. ep. 212.

b ibid. ep. 213.

c Ep. 214.

d Ep. 215.

19 Postularat etiam Vngariæ Rex, vt crux in hostem progressuro præiret, cuius aspectu terrorem hostibus incutere & suis animos addere posset: nec pia eius petita refellit Gregorius [e]: *In cælorum Rege fiduciam tuam ponens, illo misericorditer inspirante,*

Concedit vt crux exercitui præferatur

e Ep. 216.

velut

velut fortis athleta Christi proponis in splendore fulgoris armorum Domini currere accinctus ad eius prælium præliandum, qui coronam legitime certantibus repromittit. Quapropter prudenter attendens, quod in cruce domini nostri Iesu Christi te oporteat gloriari, pie desideras salutare crucis eius vexillum de licentia nostra in huiusmodi prosecutione negotij sublimitati tuæ præmittere, vt eius armatura munitus possis triumphum de hostibus diuino comitatus auxilio reportare. Nos igitur attendentes, quod nequaquam tibi sint armatura cælestis insignia deneganda, qui contra Christi blasphemos, hæreticos videlicet & schismaticos laborare proponis certamine incessante, serenitati tuæ præsentium auctoritate concedimus, vt postquam te accinxeris ad præmissum negotium prosequendum, salutifera crucis signum tam in eundo, quam morando & redeundo ante te ac huiusmodi exercitum Domini facias baiulari. Dat. Anagniæ VI. id. aug. an. XII.

a Ep. 217. Indictæ pro sacrū bellum iniuris publicæ preces.

20 a Præterea Vngariæ præsules reliquosque ecclesiasticos viros monuit a, vti Regi pro fide gloriose pugnanti obiectaque discrimina penetranti, indictis populo solemnibus supplicationibus, suis apud Deum precibus ac sacrificijs non deessent: *Quia in tanto negotio, arduo vtique & implicito, tam nos quam ipse indigemus meritis & orationibus adiuuari, vniuersitatem vestram rogamus, monemus & hortamur attentius, ac per apostolica vobis scripta mandamus obsecrantes per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto, quatenus eidem Regi in huiusmodi certamine laboranti charitatis vestræ suffragium impendatis; & postquam idem Rex cum exercitu suo Assani terram intrauerit, facientes processionem solemnem qualibet sexta feria singulis septimanis deuotione sedula illum, qui ventis & mari imperat, suppliciter exoretis, vt per suam misericordiam infinitam super eundem Regem & suos illuminans vultum suum ipsorum progressum dignetur misericorditer prosperare; ac singuli sacerdotes semel qualibet septimana pro felici statu exercitus munda conscientia, & puris manibus afferant sacrificium Domino Deo nostro, & commissos sibi populos ad supplicandum Deo pro ipso exercitu crebris exhortationibus moneant efficaciter & inducant. Et vt fideles Christi fortius animentur ad prælium Domini præliandum vniuersis archiepiscopis, et episcopis, qui interfuerint exercitui supradicto, concedimus, vt in solemnibus prædicationibus suis moderatam aliquot dierum indulgentiam auctoritate nostra vere pœnitentibus & confessis, prout expedire viderint, largiantur. Datum Anagniæ VI. idus augusti anno XII.*

Asanes Latinorū metu iterum ad eorū partes se contulit.

21 Terruit Asanem Vngarorum in Bulgariam irrumpere meditantium bellicus apparatus, atque ad Latinorum partes contra Græcos se traduxit, Balduinoque cum potentissimo exercitu venienti iter per Bulgariam, vt in Græciam penetraret, aperuit, vt inferius ex Georgio Logotheta videbitur. Agit de Balduini in occidentem aduentu Parisius, quem in Angliam ad auxilia elicienda hoc anno vere traiecisse ait, atque Henricum grauiter admodum tulisse ipsum regnum ingressum: cumque ille se excusaret ad opem exorandam pro defendendo Imperio, non turbandam Angliam venisse, honorificentissime Londini exceptum. Tradunt pariter Flandriæ b annales ipsum in Belgio & Campania magnas opes ex vectigalibus bonisque coegisse, Namurcensem comitatum Ludouici Regis auxilio aduersus comitem Vienensem sibi asseruisse, ac spineam Domini coronam aliaque nostræ redemptionis insignia magno pretio oppignerasse Venetis: eo enim extrema rerum angustia ipsum compulerat, vt ea catholicis distraheret, ne in schismaticorum potestatem vna cum Imperio venirent; quæ S. Ludouicus, vt describit Nangius c, magnis opibus redemit, atque in regia æde sacra Parisijs magnifice extructa ingenti pompa collocauit.

Balduinus in Angliā auxilia quæsiturus se confert.

b Meyer. in annal. Flan. ann. 1237.

Pretiosissima dominicæ passionis monumenta oppignerat Venetis.

c Nang. in vit. S. Lud. ann. seq.

Redimuntur magno pretio a S. Ludou.

Gregor. Balduino in comparādo exercitu fauet.

22 Nec destitit Balduino Pontifex, immo omnem operam ad concilianda militum stipendiorumque subsidia contulit, ac Viennensem in primis archiepiscopum A.S.L. Lugdunensem, Bisuntinum, Bituricensem archiepiscopos; atque episcopos Cameracensem, Tullensem, Metensem, Leodiensem, ac Virdunensem Christianam iuuentutem ad induendam in schismaticos orientales crucem pro concionibus sacris, propositis amplissimis indulgentijs, quæ in Terram sanctam ituris in œcumenico concilio datæ erant, incitare iussit a: tum ex sacro ærario, quod pro Terræ sanctæ subsidio collectum erat, partem Balduino ad instruendas copias tradidit, de quo ad Viennensem archiepiscopum literæ b: ita Richardum Cornubiæ comitem ob Angliæ tumultus Hierosolymitanæ profectionis voto liberatum, ad sumptus, quos in ornanda ea expeditione erat facturus, in orientalis Imperij succursum conuertendos obstrinxit c. Cumque S. Ludouicus Francorum Rex sedem Apost. consuleret quid sibi ob magnam pecuniæ vim a Iudæis exactam, quā ab ipsis a Christianis vsuris malisque artibus extortam par esset credere, ad excutiendam facti religionem agendum incumberet, eas pecunias, quarū domini non inuenirentur, ad comparanda auxilia pro Imperio orientali deriuandas rescripsit. d

a Lib. 12. ep. 10. & seq. post eand. ep.

b Ibid. ep. 348.

c Post ep. 311.

d Eod. l. 12. ep. 6.

e Ibid. ep. 311.

23 Egit e etiam cum eodem Rege, vt Gallicani præsules trigesimam Balduino ad annos tres penderent; proposuitque rem fore numini gratissimam, si illud Imperium e schismaticorum potentia eriperetur, qui mox illud varijs hæresibus inquinaturi essent, ac barbaris ad opprimendam Syriam viam faciliorem daturi.

Gregorius, &c. Ludouico Francorum Regi.

Inæstimabilis muneris gratiam inclytæ recordationis progenitoribus tuis Regibus Franciæ in eo cælesti prouisione collatam, quod ipsos, vt gloriæ fierent æternę participes, s longis retro tēporibus exaltationis Ecclesiæ, & catholicæ fidei magnificos gestatores ad mentem nostram grandi exinde concepta letitia sæpe reducimus, eamque pluries repetitam nostris adhuc tibi literis replicamus, credētes vt quo ab ipsis exempla vberiori ad eum manantia riuulo recipit, eo illos, quibus ipsum nobilitas sanguinis & regia celsitudo parificant, virtutum conetur operibus superare. Illi quidem Ecclesiam Dei expensis, laboribus, & proprio sanguini non parcentes a faucibus persecutorum eripere, extirpare hæresim, fideique hostes comprimere, & quandoque Terram sanctam de paganorum meruerunt manibus liberare. propter quod ipsorum memoria in compositione odoris effecta, & in omni ore quasi mel suauissimum indulcata, regali excellentiæ suggerit, suoque supplicare videtur honori, vt idem Rex sedula meditatione considerans, quod ex occupatione Constantinopolitani Imperij orientalis ecclesia in grauium frusta schismatum scinditur, Terræ sanctæ, de qua nonnisi per ipsum securus haberetur reditus, subsidium impeditur, ager Dominicus diuersarum hæresum spinis occupatur, & tribulis & omnium Latinorum timetur periculum in partibus habitantium orientis; ad subuentionem illius dictorum progenitorum sequendo vestigia, auxilium & consilium plena efficacia tribuat, ac exinde suo nomini perpetuæ gloriam laudis acquirat.

Pontificiæ ad Reg. Franc. vt orient. imperio succurrat.

24 Licet enim ad liberationem dicti Imperij, vt Terræ sanctæ non minus quam ei valeat prouideri, Apostolica sedes multos labores & expensas subierit, quia tamen nisi nobis deuotorum & fidelium ad id suffragetur auxilium, tantum negotium nostrarum virium metas excedit, te ad perfectionem ipsius, quod & honorem personæ tuæ & salutem animæ nihilominus continet, duximus inuocandum. Verum

quia

quia dignum videtur & congruum vt Ecclesia, cuius id respicit honorem & commodum, ad hoc auxilium conferat opportunum, celsitudinem regiam rogandam duximus attente & hortandam, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatenus secreto & singillatim apud prælatos regni tui, & primo apud eos, qui familiaritate speciali sublimitati regiæ sunt astricti, vt liberaliter & benigne assentiant, quod ecclesiæ & clerici suarum diœcesum in tricesima redidituũ suorum, vsque ad triennium prædictis Terræ sanctæ & Imperio prouideant, ac dicti prælati super assensu petito nobis literas suas patentes transmittant, regalis prouidentia interponat sic fauorabiliter, sic efficaciter partes suas, quod exinde Deum merearis habere propitium, & per solicitudinem regalem prædicta terra & Imperium de impiorum manibus liberentur. *Dat. Later. VIII. kal. decemb. an. XII.*]

25 Eodem etiam argumento ad Reginam Francorũ scripsit a, vt Regem ad tantum opus incitaret ac præsules ad suam operam in id conferendam impelleret. Simillimisque literis ad Angliæ Regem b exaratis ad auxilia submittenda, ac nauandam in eare diuinæ gloriæ operam solicitauit: atque earumdem literarum seruata ex parte serie, ad Richardum Cornubiæ comitem scripsit c. Cumque plures crucesignatæ militiæ nomen adscripsissent, ad contractas copias in orientem traducendas, Fridericum rogauit, vti ipsos ad susceptà consilia perficienda adiuuaret, ac liberum per terras Romani Imperij aditũ daret; eoque difficiliorem se præbente, institit d iterum, ne tantam nomini suo iniuriam labemque imprimeret, ne impedito interclusoque subsidio fauere schismaticis videretur.

a Post eãd. ep.
b Post eãd. ep.
Hortatur ad idem præstandũ Angliæ Regem.
c Post eãd. ep.
Pontifex rogat Frid. crucesignatos iuuet.
d Lib. 11. ep. 413.

Gregorius, &c. Frederico Imp.

Considerantes olim quod Græcorum ecclesia ab obedientia matris suæ sedis Apostolicæ separata ex eo vitam videbatur amittere catholicæ fidei, quod a capite suo, Ecclesia scilicet Rom. in qua Dominus fidei & totius status ecclesiastici magisterium posuit, non timuit segregari; quia nec ramus viuit, qui a radice seiungitur, nec membrum vitam retinet, quod a corpore separatur; considerantes quod cum Ecclesia sponsa Christi sit vnica, quæ in B. Petro Apostolorum principe non dubitatur esse fundata, quisquis aliam ecclesiam extra istam constituit, seu credit posse constitui, certum est eum a vita veræ fidei in mortem hæresis separari; prouida deliberatione timuimus, ne dicti Græci, quos ab Ecclesia Dei transportauit in synagogam sathanæ alluuio schismatis, impetu torrentis obruti in abyssum præcipitarentur hæreticæ prauitatis. Propter quod exemplo summi pastoris ouem perditam ad ouile dominicum proprijs cupientes humeris reportare, ad Vatacium, * dictum patriarcham Nicenũ, prælatos, & clerum sibi subditos fratres Prædicatores & Minores in lege diuina plene peritos transmisimus, paternis apud ipsos monitis & precibus insistentes, vt a somno mortis exurgerent, & fugientes a ventura ira, illucescente illis supernæ claritatis lumine, se vnioni catholicæ reformarent. At ipsi, sicut ex ipsorum fratrum veridica relatione percepimus, diuersos contra fidem orthodoxam proponentes errores, & obturantes more aspidis aures suas, nullis potuerunt induci monitis, vt in viam redirent ecclesiasticæ vnitatis. Super quo vehementi dolore turbati, ne frustra sit nobis euellendi & plantandi cœlitus collata potestas, contra dictum Vatacium schismaticum & eius fautores, qui excommunicati a nobis semel in annis singulis nuntiantur; quia ipsorum vulnera sanare huiusmodi non potuit medicina, non tam pro subsidio Constantinopolitani Imperij, quam pro corroboranda & defendenda fide catholica in partibus orientis, multos principes, barones & milites signo crucis fecimus insigniri; cultoris euangelici sequentes exẽplum, qui primo circa ficum sterilem fodiens & mittens stercora, illam tempore sequenti succidit, nisi poma produxerit expectata: quare serenitatem tuam apostolicis nuntio & scripto rogauimus, vt crucesignatis prædictis per terram tuam transitum liberum indulgeres. Verum cum, sicut intelleximus, precibus nostris obicem difficultatis opponas, imperialem celsitudinem sicut iterum sic attentius rogandam duximus & monendam, quatenus prudenter attendens, quod huiusmodi denegando transitum apud Deum animæ, ac apud homines famæ tuæ, eo quod dictos schismaticos in suo videreris errore fouere, incurreres detrimentum; crucesignatis Constantinopolitanæ ciuitati succurrentibus per terram præfatam & Imperium transitum concedas liberum & securum. Alioquin scire te conuenit quod Ecclesia non posset conniuentibus oculis pertransire, quod in subuersionem fidei catholicæ contingeret attentari, &c. *Dat. Lat. XVI. kal. apr. ann. XI.*]

Gregorij de ea re literæ.
* Germanum

56 Nec ea Pontifici sufficere visa, alijs enim literis ipsum ad auxilium cruce insignitæ militiæ explicandum adducere est conatus a; cum maxime diuinæ gloriæ interesset non modo schismate ab Ecclesia abscissos, verum etiam pluribus hæresibus inquinatos a Constantinopolitano Imperio submouere, ne Latinorum reliquiæ illis in regionibus penitus delerentur. Vngariæ pariter Regem suis literis exorauit b ne viam ipsis abrumperet, sed beneuolum se ac facilem impertiret. Regem etiam Colomanum Belæ Pannoniæ Regis fratrem, ac ducem Sclauoniæ monuit c, vt Balduinum Imperatorem, qui in occidente collectas copias transferre in orientem meditabatur, aliosque viros principes, qui strenue bello sacro sese accinxerant, merita beneuolentia complecteretur, iuuaret consilio, resq; necessarias suppeditaret: ipsum eo facto summam ab Ecclesia gratiam initurum: *Licet hactenus Constantinopolitano Imperio iratus Dominus habitatores ipsius diuina flagello clementia castigarit, nunc tamen honorabiliũ militum, & aliorum bellatorum exfortio cælesti inspiratione ad instãs passagium martij magnifice se ad ipsius succursum accingentibus, sicut speramus ad illud in misericordijs reuertitur, vt ipsum stola luctus & vexationis exuens idem Imperium de longe veniente lætitia & decore perpetui honoris indui largiatur. Quocirca serenitatem regiam rogandam duximus attentius & hortandam, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatenus nobilem virum Balduinum hæredem Imperij Romania, & comitem Namurcensem ac alios in Imperij prædicti subsidium transeuntes benigne recipiens securum conductum, efficax consilium & auxilium impertiri procures. Dat. Lateran. VI. kalend. decemb. ann. XII.*

a Ibid. ep. 447.
Gregorij studiũ pro Ecclesia orientali.
b Ibid. ep. 448.
c Lib. 12. ep. 314.
Greg. Vngarũ exorat Balduino redeũti aditum daret.

27 Cæterum Balduinum profectionem suam cum alijs in proximum annum distulisse ostendunt Gregorij literæ d ad Peloponnesi & Achaiæ archiepiscopos decimo kalend. februarij insequentis anni datæ, quibus significat missum in Gallias Anagninum episcopum, ac se breui in orientem egregias copias directurum, moxque Balduinum cum alio exercitu subsecuturum: quare tertiam illius anni ecclesiasticorum vectigalium partem in Constantinopolitani Imperij auxilia conuertere iussit. Id etiam ex alijs ad Balduinum literis hoc anno decembris mense exaratis colligi videtur. Gregorius enim Balduini precibus concesserat e vt si in itinere, quod per Pannoniam facturus erat, sacramentum aliquod vi extortum, quod Constantinopolitani Imperij dignitati detraheret, forte nuncuparet, nulla illius religione teneretur: *Cum sicut in nostra proposuisti præsentia constitutus ad partes Constantinopolitanas per regnum Vngariæ, & alia loca te oporteat proficisci, timeas-*

d Lib. 12. ep. 372.
e Ep. 322.
Greg. si quod a Bald. extorquetur sacramentum irritũ esse iubet.

measque, ne forsan necessitate coactum praestare iuramentum aliquod te contingat in animae tuae periculum & enormem Constantinopolitani Imperij lesionem, cuius iura teneris illibata seruare, nobis humiliter supplicasti, ut super hoc congruum remedium apponere curaremus. Nos igitur tuis deuotis supplicationibus inclinati praesentium tibi auctoritate concedimus, ut si iuramentum huiusmodi a te fuerit violenter extortum, ad obseruationem illius tanquam illiciti nullatenus tenearis. Dat. Lateran. VI. idus decemb. pontif. nostri ann. XII.

28 Describit illam Balduini expeditionem Georgius Logotheta [a] his verbis: *Balduinus ob conflictus erga Romanos, & potissimum propter suum aduersarium Ioannem Imperatorem*, Vataciuos scilicet, quo nomine a Pontifice appellari solitum vidimus, *qui in angustum dominatum illius contraxerat, diffidens, ac rebus suis desperans ad Francorum Regem sibi affinitate coniunctum & eiusdem generis, & Romanis infensissimum, ideoq; suppetias ferre paratum proficiscitur, operamq; illius nec contemnendam poscit. Fit voti compos, & intra breue tempus Francorum sexaginta millia eo nomine, ut in Romanos arma caperent, lecta sunt; & cum nauigijs via difficilis esset, maiorem enim, quam ipsi possent exoluere, mercedem similis nauigatio postulabat, terrestri itinere viam ineunt, superioresque Gallias traijcientes, percursaque Italia per radices Alpium Ostricium proficiscuntur, & per Vngariam commigrantes Istrum tranant & Bulgaris immiscentur, omnibus tanquam amicis & affinibus vsi, qui & propter semetipsas nec minus in nos odium amicissime a locorum dominis excipiebantur.*

> a Georg. Log. interp. Leone Allat.
>
> Balduinus terrestri itinere Constantinopolim petit.
>
> Iungit foedera cum Bulgaris.

29 *Bulgari, foederibus cum Romanis spretis, facultatem Francis fecere per montana sua transeundi, quam per vim atque factionem coacti illam dedissent. Sic Tzuruli arx a Latinis oppugnantibus Scytharum auxiliaribus copijs rursum expugnatur. Tunc eam custodiebat Ioannes Petraphilas magni chartularij dignitate a Ioanne Imperatore decoratus, vir maximis corporis viribus & a puero militaribus negotijs exercitus. Verum Latinarum copiarum excessus, & innumera Scytharum vis, tormentorumque spissum ac validum Italis deditionem parauit. Tradunt nonnulli clam aliquos defectionem meditatos, ideoque improuisum expugnationis pertimuisse. Latini itaque Tzurulum cepere, & in ea Romanos comprehensos cum Petraphila vinculis alligatos & Constantinopolim deductos familiaribus vindicarunt.* De hac arce loqui potuit Balduinus in literis ad Regem Anglorum missis, quibus significabat se penetrasse in Graeciam, ac fortissimam vrbem Constantinopoli non multum dissitam cinxisse obsidione, qua expugnata sibi facile ad Constantinopolim iter pateret, ac circumiecta trium dierum itinere regione potiturum: quam felicem secundarum rerũ Balduini famam sparsam in Anglia anno huius seculi quadragesimo refert Paris. [b] Pergit Logotheta:

> Tzurulũ obsidione capit.
>
> b Par. hist. Angl.

30 *Dum obsideretur ab Italis Tzurulum Ioannes Imp. velocioribus triremibus fabricatis & exercitu non exiguo cum conducto Italos aggrediebatur a Nicomedia discedens; & Characem praetergressus Dacibyzam praeter expectatum oppugnatam occupauit. Praeterea & Kiistri castellum in suam potestatem redegit: infortunatus in Dominus in triremibus fuit, cum qui in illis confligebant belli essent inexpertes, & Isphreus Armenius classi praeesset circa res militares, ultra quam par erat, segnior. Ante eum Manuel Contophreus vir maris potens, terra marique martem spirans triremium erat gubernator. sed cum ante paucos dies de classe aliter illius cum Imperatore congressio fuisset; namque dixerat Italicis triremibus nunquam nostras, etsi multo plures fuissent, cum ipse anibarum facultates nostrae nos erit, obuiare vel obsistere posse, praefectura spoliatus est, quam in se Isphreus recepe-rat; valde miranda victoria superatus est: cum enim triginta triremes conduceret, a tredecim debellatus est: totque de suis quot erant hostium amisit, singula enim singulas cum ipsis hominibus & armis spolium retulerunt.* Hactenus Georgius Logotheta, ex quo ista, quamuis post hunc annum gesta coeptae historiae seriem abscinderem, excerpsi. addit vero auctor Varacium insidum Asanem iterum a Latinis ad suas partes confirmandas abduxisse.

> Nauali praelio Graeci vincuntur a Latinis.

31 Subornarat etiam antea Vatacius, in alliciendis sibi militibus admodum solers, Hospitalarios, quibus in sua ditione vectigalia, ac terras attribuerat, vt eorum opera in Latinos vteretur. Quo audito scelere Gregorius ad Hospitalarios ab eo foedere abducendos incubuit. At non illi modo impia illa schismaticorum societate sed immanissimis alijs flagitijs contaminari ferebantur, parsque illorum calcata omni religione in voluptatum coeno volutabatur, ac latrocinijs, caedibus, rapinis grassabatur, testamenta adulterabat, atque ad malorum cumulum haereseos sese labe contaminarat, vt mirum non sit Christianos Terram sanctam amisisse, quam ipsi, qui religiosa instituta profitebantur, tot sceleribus inquinarunt. Supremum itaq; illorum magistrum Pontifex acerbe perstrinxit, obiectaque scelera in suis citius emendare, pristinumque pietatis splendorem reuocare iussit. [a]

> Horrenda fratrum Hosp. Hierosolym. scelera.

32 *Dolemus & turbati referimus quod, sicut intelleximus, vos meretrices in vestris casalibus sub certis appactionibus retinentes incontinenter viuitis, & proprium praesumentes improprie possidere eorum, qui confratariam vestram assumunt, datis in anno quatuor aut pluribus denarijs defensores vos facitis, ac latrones & interfectores peregrinorum, & haereticos in vestris domibus & casalibus receptatis; Vatacio Dei & Ecclesiae inimico in equis & armis, terris propter hoc & casalibus ab ipso receptis, praebere contra Latinos auxilium non veremini; consuetas pauperum eleemosynas diminuitis, testamenta & alias vltimas voluntates in hospitali vestro decedentium non sine falsitatis vitio immutatis, ac infirmantes ibidem alijs sacerdotibus quam fratribus vestris & capellanis conducticijs, quos habetis, non permittitis sine vestra speciali licentia confiteri, alia plura committentes enormia, per quae Deus offenditur, & scandalum in populo generatur. Caeterum plures ex fratribus vestris de haeresi probabile haberi dicuntur ratione suspecti: propter quod quia ex modico fermento multa massa corrumpitur, ne pestis haec latius serpat in alios, non immerito formidatur. Ideoque mandamus quatenus infra tres menses a receptione praesentium vitam vestram in melius reformantes praemissa & alia quae in eodem hospitali fuerint corrigenda, secundum Deum & vestri ordinis instituta corrigere penitus, & emendare curetis. alioquin venerabili fratri nostro archiepiscopo Tyrensi nostris damus literis in mandatis, vt ex tunc, nisi ei de huiusmodi correctione legitime constiterit, personaliter accedens ad locum, & habens prae oculis solum Deum, inquisita super praemissis & alijs plenius veritate, corrigat & reformet ibidem tam in capite quam in membris, quae correctionis & reformationis officio nouerit indigere. Dat. Later. III. idus mart. pontif. nostri ann. XI.*

> a Lib. 12. ep. 449.
>
> Pontifex ad ea emendanda studium.

33 Cum eorundem Hospitalariorum tum etiam Templariorum, ac Theutonicorum equitum domus, quae ecclesiastica immunitate potiebantur, sceleratis hominibus caedium impune patrandarum occasionem darent, haec decreuit Pontifex missis Patriarchae Hierosolymitano, ac suffraganeis literis [b]: *Mandamus quatenus ne confugientes ad loca religiosarum regni Hierosolymitani, nisi sint conuentualia, vel Ecclesia, vllam immunitatem debeant reportare, nec ad illam confugientes recipiantur in ipsis, si dolo vel insidijs homicidia perpetrentur, auctoritate apostolica singulis in pro-*

> b ibid. ep. 442.

prijs

prijs directisibus publice interdiceri procuretis. Datum Later. VII. idus martij ann. XI. Imposuit eidem patriarchæ prouinciam, vt canonicos sepulchri Hierosolymitani, qui auaritia perciti ad corradendas a simplicioribus pecunias miracula, ac nonnulla alia aspersa religioni a grauiori labe confingebant, coerceret: *Intelleximus, inquit, quod canonici sepulchri Hierosolymitani ignem in idem sepulchrum de calo in vigilia Pascha descendere, & Redemptorem nostrum Dominum Iesum Christum inibi incarceratum fuisse dicentes, locum consicti carceris sub certo pretio non sine ignominia diuini nominis venalem exponunt. Verum quia Dominus, vt pro ipso loquamur, mendacio nostro non indiget, mandamus quatenus præsumptiones huiusmodi de catero ibidem auctoritate nostra probibeas attentari, &c. Dat. Lateran. VII. idus martij ann. XI.*

Canonico rum S. Sepulchri impostura reprehsa a Pontifice. a Ep. 444.

Præterea tum ipsi tum Antiocheno patriarchæ præcepit b, vt crucesignatos qui abiurata hæresi in Ecclesiæ gratiam admissi fuerant, atque in pœnam criminis arma in Sarracenos ad illud eluendum iussi erant, signum quo ab alijs crucesignatis discernerentur, circumferre iuberent; præterea curarent c, vt Sarraceni in vinculis tenti ab audiendis concionibus, amplectendisque sacris Christianis non arcerentur.

b Ep. 439. c Ep. 440.

34 Graues porro querelas apud sedem Apostolicam Antiochenus patriarcha aduersus Armeniæ Catholicum sibi obnoxium auctoritati attulit: illum præter morem ab Antiocheni patriarchatus obsequio se diuulsisse, propterea Gregorius ad illum ad officium reuocandum, Apamiensem & Mancestanum archiepiscopos, vt eum ad præstandam obedientiam pellicerent, scripsit d: *Venerabilis frater noster patriarcha Antiochenus proposuit coram nobis, quod licet tota Armenia in patriarchatu Antiocheno consistat, Armenorum tamen prælatus, qui Catholicos vulgariter appellatur subesse contemnens, debitam ei & ecclesia Antiochena obedientiam & reuerentiam denegat exhibere; quare nobis humiliter supplicauit, vt procedi contra eundem Armenum secundum statuta generalis concilij mandaremus. Cum igitur in vno eodemque patriarchatu duo capita esse non debeant, quasi monstrum, mandamus quatenus ad eundem Catholicon personaliter accedentes ipsum moneatis attentius & efficaciter inducatis, vt eisdem patriarcha & ecclesia, vt tenetur, obediat humiliter & intendat. Quod si monitis vestris acquiescere forte noluerit, quicquid duxerit proponendum, quare ad id se asserit non teneri, vestris nobis literis fideliter intimetis, vt super hoc auctore Domino congruum remedium apponamus. Dat. Later. VI. kal. iulij ann. XII.*

Armeniæ Catholicus se a patriarchatu Antiocheno segregat. d Lib. 12. ep 198.

35 Subducebant etiam sese patriarchatui Antiocheno abbates & clerici plures, Græci, Armeni, Georgiani; quos Gregorius admonitos Antiocheno vt patri, ac pastori morem gerere iussit e: cum maxime nullius priuilegij vi ab eo distrahere se possent. Graui quoque patriarcham Antiochenus princeps iniuria affecerat: cum enim ipsius prædecessores, tradito sibi vexillo ab eo principatu indui, fideique sacramentum edere consueuissent, nunc ille modo fidem suam patriarchæ adstringere, seseque submittere recusarat, verum etiam grauiora ad infringenda ipsius iura & labefactandam auctoritatem pertentarat. Ad quam asserendā Gregorius Tyrensi archiepiscopo atque Acconensi & Anteradensi præsulibus munus imposuit f, patriarchæ dignitatem a principis iniurijs vindicarent: *Grauem venerabilis fratris nostri patriarcha Antiocheni recepimus quæstionem, quod cum princeps Antiochenus existens pro tempore, prius quam recipiat principatus honorem, & pro principe habeatur, debeat a patriarcha Antiocheno inuestituram de principatu recipere per vexillum, & iuramentum fidelitatis sibi & ecclesia Antiochena præstare; ac in hac possessione vel quasi, ecclesia supradicta consistat; vtpote qua a clara memoria progenitoribus nobilis viri B... principis Antiocheni recepit huiusmodi iuramentum, & ipsi inuestituram de principatu ab eadem ecclesia receperunt, idem nobilis a vestigijs prædecessorum suorum pro sua voluntate recedens, non solum inuestituram eandem, prout debet & moris est, ab eo recipere, ac fidelitatis præstare voluit iuramentum; sed etiam aduersus matrem suam Antiochenam ecclesiam se extollens ad grauamina ipsius, & iniurias extendit illicite manus suas.* Partes ijs imponit, vt censurarum incussa religione principem ad officium atque ad farciendas iniurias adduceant. *Dat. Anagniæ 2. kalend. august. ann. XII.* Ac ne huiusmodi discordia ad rei Christianæ perniciem serperet, eos antistites hortatus est a ad eas sopiendas dissensiones, animumque principis patriarchæ conciliandum suam operam conferrent: præterea eorum beneficio principem, ne sacræ auctoritatis iura inuaderet, sibique arrogaret, deterruit b, studiumque adhibere iussit c, decimæ in Antiocheno patriarchatu, quas plures subripere erant soliti, persoluerent. de Antiocheno archipræsule scripsit Matthæus Parisius d eo audaciæ Germano Græcorum patriarcha ipsi fauente prorupisse, vt in Pontificem, ac Romanam Ecclesiam superbe assurgere, atque impie anathema vibrare nisus sit. Verum hæc non de patriarcha Latinorum Antiocheno, quem Pontifex habebat obsequentem, & in eius gratiam plures epistolas dedit e, sed de Græcorum schismatico intelligendum videtur.

In reducē dos schismaticos studium Pontificis. e Ibid. ep. 199. Princeps Antiochenus patriarcha accipere principatus abnuit. f Ibid. ep. 203.

a Greg. Lib. ep. 204. Compressus Antiochenus princeps ab iniurijs vlciscendis auctoritate. b Ibid ep. 205. c Ep. 206. d Par. hist Angl. hoc ann. Patriarcha Græci Antiocheni temeritas. e Lib. 12. ep 443.

36 Adiungimus Asiaticis rebus quod refert Parisius, Sarracenorum sultanum præpotentem amplissima bona Christianorum xenodochio moriturum reliquisse, omnia mancipia Christiana donasse libertate, atque eo egregie erga religionem affectū, atque etiam Friderico Imperatori Christiana facta se amplexutū significasse refert. illum vero Aegyptium fuisse ex Iordano colligitur, qui ingentia inde inter Sarracenos bella exorta narrat f: MCCXXXVIII. *soldanus Aegypti Lechemel moritur & successit ei filius Hedel, quia maior Salath aberat: pater enim in vita terram orientalem sibi dederat, feceratque soldanum. Iobel vero Saladini nepos absentibus Lechemel filijs in Damasco soldanus receptus est, cum Saloth de oriente veniens regnum absstulit, & dum procederet in Aegyptum contra fratrem suum Hedel, ab Auazar filio Coradini, qui puer de dominio Damasci fugatus est, capitur & carceratur licet consanguineus.* Vt vero Christiani gerendæ rei occasione prætermissa inter se dissiti animis, & contrarias Sarracenorum partes amplexi in se mutuo arma distrinxerint, suo loco dicetur. Prætermittere vero hic non possumus, Fridericum, cuius intererat Hierosolymitani regni limites amplificare, ambitione subijciendæ sibi Italiæ æstuantem obstitisse, ne Galli hoc anno expeditionem ornarent hisque literis Pontificis pia studia delusisse. g

Sultanus Aegypt. a Christianis non alienus moritur. Secuta ex illius morte inter Sarrac. bella ciuilia. f Iord. MS. Vatic. signat. num. 1960.

37 *Sanctissimo in Christo patri domino Gregorio S. Romana Ecclesia summo Pontifici Fridericus eadem gratia Romanorum Imperator semper Augustus Hierusalem & Sicilia Rex salutem, & reuerentiam filialem.*

g Apud Greg. l. 12. ep. 360. Fridericus cruce signatos ab expeditione Asiatica retardat.

Paternitati vestra volumus esse notum, quod quia crucesignati in regno Francia ad preces & monita celsitudinis nostra vsque ad præfinitum tempus treugarum, videlicet a primo venturo B. Ioannis vsque ad sequentis anni festum prædictum ipsorum passagium distulerunt; ideo nos ob reuerentiam etiam crucifixi, cuius obsequio corda sua & corpora deputarunt, promisimus crucesignatis eisdem, quod ipsos nec rogabimus de prorogatione passagij eorum vltra triennium supradictum, nec rogari aliquatenus patiemur; quin potius in omni consilio & auxilio efficaci, sicut specialiter negotij meritum nos astringit, adesse intendimus transituris: ita quod si qui eorum per regnum nostrum transire voluerint, nos speciatim in subsidium transitus eorundem

mur-

inuenient adiutorem: & vt ipsis cautum esse debeat de prædictis, literas nostras aurea bulla typario nostræ maiestatis impressas eis duximus indulgendas per specialem nostrum nuntium transmittentes, & hoc idem vobis per præsentes nostræ serenitatis apices similiter aurea bulla munitas duximus describendum. Dat. Cremonæ VII. *decemb. XI. indict.*

38 Defixus est sequenti anno anathemate Fridericus, cum non modo aggrediendi belli spem fefellisset, verum etiam pia aliorum consilia disturbasset. Præscripsit interea Gregorius crucesignatis certum ineundæ in orientem traiectionis tempus, ne in portus infidelium conijcerentur, vel ne temere periculis se exponerent. Tum Regem Francorum cohortatus [a], inducias initas cum Henrico Anglorum Rege, quæ breui soluendæ erant, ad quinquennium prorogaret, vt ex vtroque regno iuuentus Christiana in Syriam ad debellandos Sarracenos se conferre posset. eodemque argumento ad Henricum Regem Angliæ, atque Isabellam ipsius matrem olim Reginam Angliæ, tumq; Marchiæ comitissam (ducto enim secundis nuptijs viro comite ex pristino regio statu desecerat) scripsit [b], vt facilem producendis inducijs animum accommodarent.

a Lib. 12. ep. 271. Pontifex Gallos Anglosq; ad inducias inuitat. *b Reg. post eand. ep.*

39 Defluxit ad res occidentales oratio: vtque ab Anglicis, in quas incurrimus, auspicemur. Cum Angliæ Rex nimia liberalitate bona profudisset, ac plura summo dignitatis regiæ Ecclesiæque detrimento distraxisset, Pontifex rescissis datis iuramentis, omnia quæ facta erant, nullius esse auctoritatis decreuit [c], vt apostolicæ ad eum exaratæ literæ abunde comprobare possunt, quinetiam Othonem Cardinalem legatum, atque Anglicanæ ecclesiæ præsules in id incumbere, ac Regem impellere iussit [d]: quanquam postea eidem Cardinali in reuocandis alienatis in Anglia Ecclesiæ iuribus prudenter se gerere monuit. Interea Regis precibus adductus Gregorius [e] Simonem Montfortium, qui copias in Anglia ad auxilium Terræ sanctæ ducturus coegerat, ad tuendum regnum expeditionem differre imperauit [f]; Romamque venienti ac Richardo etiam Cornubiæ comiti cruce insignitis in Anglia ad sopiendos imminentes bellorum motus manere præcepit [g]. Cæterum Angliæ proceres grauissimos eo tempore aduersus Regem tumultus excitasse docet Matthæus Parisius [h], qui etiam de nuptijs ab Rege Simonem Montfortium inter ac Alienoram ipsius sororem conciliatis ait, ob id Angliæ principes magnam in eum seditionem conflasse, quod eiusmodi matrimonium irritum contenderent, eoque ad sedem Apostolicam se conferente, Pontificem robur illi sua auctoritate addidisse. Extant Gregorij literæ [i] ad Alienoram Regis Angliæ sororem hoc anno missæ, quibus contractum ab ipsa cum Simone Montfortio Leicestriæ comite matrimonium labefactari vetuit.

Prodigæ donationes Reg. Angliæ a Pontifice reuocatæ. *c Lib. 12. ep. 398.* *d Reg. post eand. ep.* *e Ibid. ep. 400.* Montfortius profectionem in Syriam differt. *f Ep. 399.* *g Lib. 12. ep. 41.* *h Par. hist. Angl. hoc an.* Principũ Angliæ in Reg. rebellionis causa. *i Ep. 84.* Matrimonium Mõfortij cum Alienora a Pont. confirmatum.

40 Vigebat in ecclesia Cantuariensi a B. Eadmundo illius antistite corroboratum priuilegium, vt nullus suffraganeus episcopus sacris pontificalibus quam in ipsa inungi insignirique posset: quod etiam Pontifex ad ornandam B. Thomæ martyris memoriam ratum, ac firmum esse iussit [l]. Eadmundum porro sanctorum albo postea adscitum hoc anno ex pontificia aula, in quam ad tractanda ecclesiæ suæ negotia se contulerat, in Angliam redijsse docet Parisius; additque secutam postea inter ipsum & Cantuarienses monachos ingentem discordiam, qui eo proruperc audaciæ, vt apostolicum diploma adulterarent, ac postea flammis, ne conuincerentur criminis, inijcerent: ob quod facinus defixi anathemate fuere. Refert etiam iussum a Pontifice Othonem Cardinalem legatum, ex concilij œcumenici præscripto clericos pluribus sacerdotijs onustos, vt vno contenti, reliqua dimitterent, compellebat, cœptis supersedere: cum plures parentum potentia freti seditiones grauissimas conflaturi essent, nec rea ad optatum finem sine multo effuso humano sanguine perduci posset; licet enim nunquam liceat malum pro conciliando bono vlliusne periculi terrore patrare, bonum tamen differre exequi ad grauiora mala declinanda licere. Transmisisse præterea ipsi Pontificem nonnullas vitæ religiosæ leges ex D. Benedicti disciplina, concilijs, ac sanctionibus canonicis decerptas, vt excitis Benedictinæ familiæ abbatibus seruandas proponeret, inter quas ea erat, vt nullus nisi anno ætatis vigesimo ad nuncupanda religionis vota, nec ad tyrocinium nisi decimonono admitteretur.

Priuilegiũ Ecclesiæ Cantuar. corroboratum. *l Lib. 12. ep. 365.* Otho corrupta abijcit de clericis ad vnum sacerdotiũ redigendis.

41 Ad Grandimontenses pariter in Gallijs ad regularem disciplinam reuocandos, Cistercienses & Carthusianos nonnullos incumbere iussit Gregorius [a]: Humiliatos qui iureiurãdo abstinere ex ipsorum disciplina vetabantur, ea lege absoluit [b], ne amplius ob id bonorum iacturam incurrerent: Corbeiensia monasterij, atque abbatis priuilegia confirmauit [c], atque in sedis Apostolicæ, a qua tantummodo iura peterent, clientelam adsciuit vectigalisque nomine vnciam auri annis singulis pendere iussit. Neque hoc loco silendum est Guillelmum, cui a Caluiniaco nomen erat, castri Rodulphi dominum sacramento Pontifici sese adstrinxisse [d] Ecclesiæ dignitatem defensurum, ac maxime Dolam, cuius custodiam ab Ecclesia sibi demandatam profitetur, in sedis Apostolicæ fide retenturum: *Ego Guillelmus filius quõdam Andreæ de Caluiniaco dominus castri Rodulphi ab hac hora in antea fidelis ero B. Petro, domino meo Papæ Gregorio & successoribus eius canonicè intrantibus, & Ecclesiæ Romanæ.* Et infra: *Patrimonium & alia regalia B. Petri, quæ nunc habet, vel in antea acquisierit; & specialiter burgum Dolensem cuius custodiam ab Ecclesia Romana teneo, adiutor eis ero & abbati Dolensi, qui pro tempore fuerit, quoad burgi custodiam ad defendendum, quæ non habet ad recuperandum, recuperata ad retinendum & defendendum contra omnes homines. Legatos & nuncios Ecclesiæ Romanæ honorificè suscipiam, & benignè tractabo; & per totam terram meam & alicubi, vbicumque per me aut per meos potero, securum eis pro meo posse præstabo conductum. Hæc omnia obseruabo bona fide sine fraude & malo ingenio, sic me Deus adiuuet & hæc sancta Dei euangelia.*

a Lib. 12. ep. 172. *b Ibid. ep. 275.* *c Ep. 274.* G. de Caluiniaco sed. Apost. beneficiarius constitutus. *d Lib. 12. ep. 369. & lib. cens. ms. S. Vat. bibl.*

42 His coniungenda sunt, quæ ad tuendam in Francorum regno libertatem ecclesiasticam Pontifex egerit. Parisiensem in primis episcopum acriter perstrinxit [e] illata ecclesiæ suæ damna inerti animo tolerasse; Regemque monuit [f], compesceret regios præfectos, qui eam ecclesiam opprimebant, & in prouincia Narbonensi ecclesiastica iura inuaserant. Spectabant tum in aula regia nonnullorum studia ad euertendam libertatem ecclesiasticam, deterioraque forte consilia conflanda; ac siue vt gloriam aucuparentur, siue vt aliorum facta in inuidiam vocarent, varijsque adulationibus S. Regis animum deuincirent sibi, atque irretirent, Bellouacensis episcopi causæ a Pontifice susceptæ occasione, crebris detractionibus aures illius asperare, eximiumque erga Ecclesiam animum abalienare studebant. Quare ad serpens malum, ne grauius inualesceret, comprimendum diligentem Gregorius operam defixit: mox enim ad Ludouicum omni amoris significatione plenas literas scripsit [g], vbi post commendata collata ipsi a Deo munera, quibus cæteris Regibus præcelleret; monuit ne facilea aures prædictorum susurris daret.

Ep. Parisiens. a Pont. increpitus ob neglecta Ecclesiæ suæ iura. *e Lib. 11. ep. 343.* *f Ibid. ep. 344. 473. 474. 475.* Peruersi consiliarij D. Lud. aures obsident. *g Lib. 12. ep. 180.* Pontificia ad eum monita.

43 *Licet interdum immissiones per angelos malos fiant, qui vt operas suas ingerant, & actus extollant, famam quantum in eis est aggrauant aliorum, & etiam*

vbene-

benefacta deprauant, dicentes bonum malum & malum bonum, ac lucem tenebras & tenebras lucem, praua interpretatione ponentes; nos tamen qui sathanæ non ignoramus astutias, pro certo credimus, imo probabili præsumptione tenemus, quod serenitas regia huiusmodi detractionibus, velut nubibus aquilone fugatis, illius seuuer se fallacijs non permittet, quia fides tua supra petram posita firmamentum nec conuelli potest viuntorum detractionum incursibus, nec matris suæ charitas, quam habet ad te tanquam ad specialem filium, vulnerari. Nam si in speculo rationis facta perspicias aliorum, in eo considerare poteris euidenter, quod ij qui exultant cum male fecerint, & in rebus pessimis gloriantur, affectionum suarum quærunt habere consortes, & desideriorum socios iniquorum. Si etiam eiusdem matris tuæ puritatem attendas, inuenies quod in eius actibus non dubiæ præsumptionis est locus, sed experientia certitudo. Nec est de illius intentione quærendum, qui nihil agit in tenebris, sed in luce vt eius sint opera manifesta: arbor enim a fructu cognoscitur, & charitas ab affectu. Tu ergo fili charissime a deuotione sedis Apostolicæ matris tuæ, quicquid suggeratur ab aliquo, nullo vnquam turberis impulsu; sed eam quæ te sincero cordis affectu diligit & honorat, tu quoque filialis deuotionis gratitudine prosequaris. Addit se ipsius gratia, quem singulari præ cæteris Regibus amore complecteretur, templa in Bellouacensi prouincia aperire iussisse, donec de redintegrandis illius ecclesiæ iuribus ageretur. *Dat. Lateran. VII. kalen. iunij ann. XII.* De quibus etiam Rothomagensi archiepiscopo scriptis literis, cum Senonensi, ac Rhemensi & Claramontano præsulibus conferre iussit a, vt praua illorum consilia quantocyus euerterent: abalienare enim pijssimi regis animum politici prudentia carnis, non ea, quæ ex cælo est, instructi nitebantur: quæ cum ad graue ecclesiasticæ dignitatis damnum, ni mature elisa essent, eruptura viderentur omni opera regium animum conciliare, ac Reginam matrem admonere studuit Gregorius, vt sinistras suspiciones a maleuolis afflatas deponerent. Sanctum vero Ludouicum pontificijs monitis morem gessisse, atque improborum respuisse consilia par est credere.

a ibid. ep. 332.

Gregorij studium in calumnijs e Regis animo detergendis.

Structæ a Frid. S. Regi insidiæ eiusq; prudentia discussæ.

44 Illum etiam suis irretire fraudibus pertentauit Fridericus, qui ad Gallias sibi subjiciendas insidias moliebatur. Sed hæ S. Regis prudentia euanuere: quippe vt Regem ad se bona fide venientem caperet, rogarat ad Vallem Coloris colloquium de maximis rebus ad Christiani nominis decus spectantibus cum ipso habiturus sese conferret: at ille duo equitum millia ex delibato Gallicæ nobilitatis flore, atque innumeram peditum multitudinem egregie armis instructam comparauit adduxitque; quo Fridericus cognito, se nec stato loco nec dicto die posse accedere significauit. Atque ita quod Gallijs a perfido versutoque principe imminebat periculum, diuina prouidentia discussum est, de quibus Nangius b alijque. iam ex ijs ad Hispanicas res nos conuertamus.

b Nang. de gest. S. Lud.

Propagata in Hispania religio

45 Triumphauit hoc anno in Hispania Christiana religio defixo in Valentina vrbe barbarorum regia glorioso crucis vexillo, de qua dicturis victoria nonnulla nobis altius petenda sunt. Attriti fuerant superioribus annis Valentini Mauri non sine insigni miraculo maxima clade a Bernardo Guillelmo Iacobi Regis auunculo: cum enim tuendæ arci, cui Podium D. Mariæ nomen est impositum, ac limiti contra barbarorum excursiones defendendo præfectus esset, Zaenus Valentinus Rex quadraginta millibus barbarorum stipatus, præter egregium equitatum, arcem obsidione cinxit, iamque in extremum discrimen adduxerat: sed Bernardus confirmatis animis, in circumfusam multitudinem adeo strenue erupit

Parta a Bernardo Guillelmo celeberrima victoria.

vt perruptis hostilibus globis, partim Mauros ceciderit, partim in turpem fugam effuderit, creditumque est D. Georgio duce tantum triumphum de hoste fuisse reportatum. mox agitatum de Valentino regno excindendo, quod tandem Aragonum Regis virtute euersum concidit. Cum enim Iacobus suorum atque Gallorum & Anglorum auxiliaribus copijs, qui induta cruce a Gregorio promulgari iussa ad tantæ expeditionis famam confluxerant, succinctus regiam vrbem Valentiam obsidione cinxisset, propulsatis sæpius magna strage, quoties erumperent, hostibus classeque Tunetana, quæ barbaris opem latura appulerat, profligata, eo Zaenum Regem compulit, vt vrbem inopia commeatuum laborantem dederet, Aragonijque arbitrio permitteret. Discessere quinquaginta barbarorum millia, vbique expiatis Christiano ritu templis & imposito episcopo, noui incolæ Christiani successere. Eam victoriam delibat Parisius a, Mariana b vero fusius describit, qui etiam victoriam a Bernardo antea partam recenset. Tanti vero triumphi fama sequenti ineunte anno ad sedem Apostolicam dimanauit, ex quo felici nuncio ingenti gaudio perfusus, vt par erat, Gregorius amplificandæ rei Christianæ studio, atque ad defendendum ac retinendum Valentinum regnum Catalanos, Gallos & Ligures, vt eo se conferrent propositis indulgentiarum præmijs incitauit. c

Valentia obsidione cincta.

Auxilia African. propulsata.

Vrbs deditione capitur.

a Paris. hist. Angl.

b Marian. de reb. Hisp. l. 12. c. 19.

c Greg. lib. 12. ep. 363

Vniuersis Christi fidelibus per Arelatensem, Aquensem, Narbonensem, Terraconensem, Ianuensem, & Auxitanam prouincias constitutis.

46 Congratulamini nobis omnes, qui super oppressione doletis catholicæ fidei, & præsentis gaudij vbera sugite, qui diuina cupitis consolatione repleri, quod ijs diebus reducta est ad ouile dominicum ouis Christi, quæ longo tempore aberrauerat per desertum. Congratulamini nobis omnes qui diligitis Dominum, qui inæstimabilis gloriæ præmium expectatis æternum, quia drachmam reinuenimus perditam thesauris cælestibus congerendam. Congratulamini nobis quod Ecclesia Dei dilatat sic loca tentorij, eique spatia metitur grandia funiculo longiori, vt alienigenas ab hæreditate dominica procul eijciens filios suos de longe venientes lætis excipiat brachijs, eisque velut pulchritudinis vestimenta ornata tota laudibus resonet omnium Creatoris. Olim enim regnum Valentiæ habitatoribus suis, qui terram eius multa, sicut creditur, peccatorum abominatione repleuerant, a testamento sancto recesserant, & oculos maiestatis excelsæ multis contra se criminibus prouocauerant, datis in captiuitatem & gladium, metuit exterum effici, & ferrea Pharaonis seruitute compressum iugo subiectum fuit seminia peregrini, vt per pœnitentiæ fletum sibi Dominum placabilem redderet, & a suis quiescens excessibus sabbatha celebraret. Diebus autem nostris in ira memor misericordiæ Dominus extitit, & ad saluandum dictum regnum charissimum in Christo filium nostrum Regem Aragonum excitauit, qui ad commonitionem nostram cum multis viris catholicis accensis zelo fidei, & crucis signaculo insignitis in pluribus laboribus & expensis dictum regnum de manibus paganorum eripuit, illudque multo Christianorum sanguine fuso, habens de cælo auxilium, ad cultum fidei Christianæ reduxit.

Gratulatoriæ de ea re Greg. lit.

47 Quis ergo laudes & gratias suo creatori non referet? Quis duri cordis in hæc gaudia lætus, & tripudians non exurget, * quæ in liberatione Valentianæ ecclesiæ toti mundo magna dignatus est Dominus pietate conferre? Verum quia etsi ille, qui merita supplicum excedens & vota sua, quæ nullo possunt studio comparari, nonnumquam immeritis conferat gratiam; quia tamen omnino intendi solli-

* attendens

situdo debet humana ad eam pro viribus conseruandam, dicta ecclesia Valentiana zelatoribus fidei clamore valido supplicat, vt qui ad liberationem ipsius suum præbuerunt auxilium, sibi subsidium conferant, ne insidiantium ei religetur iterum compedibus paganorum. Quocirca vniuersitatem vestram monemus, rogamus attente & obsecramus in domino Iesu Christo per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus attendentes, quod labor tanti sudoris & sanguinis non solum redderetur inutilis, si ecclesiæ præfatæ brachia iterato catena constringeret pristinæ seruitutis, sed ex hoc, quod absit, opprobrium incurreret Christi populus sempiternum, ad defendendum & retinendum regnum prædictum contra hostes fidei potenter & viriliter procedatis. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri & Pauli apostolorum eius, ac ea quam nobis concessit auctoritate confisi, omnibus, qui ob id ad prædictum regnum accesserint, illam indulgentiam concedimus peccatorum, ipsosque ea volumus immunitate gaudere, quæ crucesignatis in Terræ sanctæ subsidium in generali concilio sunt concessæ. *Dat. Lateran. VI. idus ianuar. ann. XII.*]

Excitantur fideles ad ferenda Iacobo auxilia ad parta retinenda.

Cumulauit noua gloria partæ victoriæ decus Iacobus: in ecclesijs enim excitandis in ijs terris quæ tandiu superstitione Mahumetana inquinatæ luxerant, studium contulit; illique gratiam relaturus pro nauata ecclesiæ egregia opera, Gregorius ius patronatus in eas confirmauit a, Iolæq; Reginæ quæ muliebrem sexum virtutibus superabat, concessit b, vt nullus ipsam nisi data ab Apostolica sede speciali facultate ferire anathemate ac diuinis arcere posset: antea vero cum Aragonij proceres quædam inter se fœdera coijssent, quibus se ad mutuam defensionem sacramento obstrinxerant, Gregorius ad tuendam Iacobi dignitatem, tum ne fidei causa quidquam detrimenti pateretur, si Rex ad eam dissoluendam societatem arma conuerteret, Oscensi electo partes dedit c, vt proceres moneret officij atque iniqua iuramenta rescinderet.

Conditæ a Iac. in Valentino regno Ecclesiæ.
a Ibid. ep. 365.
b Ibid. ep. 364.
c Lib. 11. ep. 382.

48 Ad erigendam interea in Lusitania iacentē ecclesiasticam libertatē, quam Rex ille admodum attriuerat, industriam collaturus Gregorius archiepiscopo Bracharensi alijsque eius regni præsulibus scripsit d, ne quis in tantam proiectus audaciam esset, vt iustissimis anathematis vinculis constrictum Regem, nisi impertita ab sede Apostolica facultate absoluere tentaret. Verum cum aliqui Lusitani ecclesiastici viri sue obliti dignitatis, cum Rege anathemate defixo communicare auderent, Auriensi episcopo munus imposuit e, vt ne cum illo nisi in licitis communicarent, interdiceret. Quinetiam ad peruicacem Regis animum edomandum præcepit f, vt Prædicatores, Minoritæ, alijque exempti religiosi in ijs locis, ad quæ Rex accederet, interdictum seruarent, vt ea seueritate perculsus Rex ad officium rediret. Verum ijs perculsus censuris non modo non resipuerat, sed etiam spernebat atque eleuabat: quare Pontifex ad ipsius reprimendam pertinaciam aculeatas literas dedit g, quibus ipsi violatam per summum scelus ecclesiæ maiestatem ob oculos proposuit; ad eam videlicet miseræ seruitutis infamiam redactos viros ecclesiasticos, vt de nocte in ipsorum domos irrūperetur, & quamuis ab omni puri crimine inuenirentur, ne ipsis per calumniam aliqua ignominiæ labes aspergeretur, pecunias soluere cogerentur, ac si scelerati aliqui ecclesiastici, ab archiepiscopo Bracharensi puniendi forent, ipsos a iusta pœna datis pecunijs ab rege vindicari canonumque eludere seueritatem: quinetiam præsules arma capessere, laicorum onera subire, trahi ad secularium tribunalia, monasteriorum res expilari, indignos in ecclesiæ munera per vim intrudi, ecclesiarum bona occupari, e cœtu fidelium submotos a Rege in familiaritatem admitti. Quæ omnia vt emendaret quantocyus grauissimè Regem admonuit: ac nisi certo tempore in integrum forent restituta, in eum anathema ferri iussit; & si in peruicacia perstaret, graui remedio fœdissimo malo Romanam Ecclesiam consulturam est comminatus.

Pontifex vetat ne quis Reg. Lusit. absoluere audeat.
d Lib. 11. ep. 388.
Iubet ecclesiasticos eius familiaritate abstinere.
e Lib. 12. ep. 23.
f Ib. ep. 24.
g Ep. 96.
Illatæ a Lusitano Rege ecclesiasticæ dignitati iniuriæ.

49 *Salutis tuæ consulere & ecclesiarum ac personarum ecclesiasticarum indemnitatibus, sicut tenemur, præcauere volentes, serenitatem tuam auctoritate præsentium districtius inhibemus, ne per te vel officiales, aut vasallos tuos personas ecclesiasticas infamare, vel de eos infringere, seu bona ipsarum diripere prædicto vel alio consimili modo præsumas. Si vero archiepiscopus vel eius vicarij contra ecclesiasticos viros processerint, de facta eis iustitia, vel etiam facienda te nullatenus intromittas, nec aliàs ipsius archiepiscopi vel officialium suorum iurisdictionem impedias, vel impediri permittas; cum non sit fas te talibus immisceri: archiepiscopatus quoque Bracharensis vel maioris aut aliarum ecclesiarum, seu monasteriorum bona in toto non occupes vel in parte, studens excōmunicatos arctius euitare; nec per te, nec per tuos compellas personas ecclesiasticas in seculari foro de causis criminalibus vel ciuilibus respondere. Viros etiam ecclesiasticos ab ijs quæ tenent & possident, non remoueas, dummodo parati sint super illis coram suo iudice de se conquerentibus exhibere iustitiæ complementum. Præterea in ecclesias aliquos non intrudas, nec ab eisdem amoueas institutos. Caueas ne archiepiscopum & personas ecclesiasticas in expeditione tua proficisci seu banna & statuta tua baronum & officialium tuorum seruare, maxime de possessionib. & liberis, ab ecclesijs vel personis ecclesiasticis minime acquirendis siue angarias vel perangarias aut alia onera inhonesta subire compellas, ab eiusdem archiepiscopi personarum, monasteriorum & ecclesiarum grauaminibus, iniurijs, & molestijs expressis superius penitus desistendo, &c.* Significat concessam archiepiscopo auctoritatem, vt censuras in eos, qui aduersati fuerint apostolicis imperijs, ferat ipsumque, si parere detrectet, defigat anathemate, ac Lusitaniam interdicto ecclesiastico percellat. *Dat. Lateran. XVIII. kalen. maij ann. XII.* Hac Pontifex, qui etiam ea de re ad archiepiscopum Bracharensem scripsit a. Subduxerat quoque Rex ecclesiæ Bracharensi decimas, quas ipsius pater persoluerat: quocirca Pontifex ipsum monuit b, eas restitueret; ni præstaret, anathema ab Auriensi præsule vibrari, ac loca, in quibus ageret, interdicto supponi imperauit.

a Reg. post eand. ep.
b Lib. 12. ep. 82.

50 Præterita nouis sceleribus cumularat Lusitanus: decani enim Vlyssipponensis in episcopum eius ecclesiæ electi sua iura contra Gomesium prosequentis, bona expilari iusserat, aliosque affinitate ipsi coniunctos in exilium pelli. Cumque nonnulli, qui decano adhærebant, bona in ecclesia condidissent, & Christiani sacrilegij crimine contaminare sese recusarent, Regis frater Sarracenos tecto irrumpere imperarat, qui cruces fregere, calcauere altaria, sacrum chrisma, atque eucharistiam pedibus protriuere. Quo audito Pontifex iniuriam ac bonorum iacturam passis misertus, archiepiscopum Toletanum decano cæterisque consulere iussit c. Alijs vero literis paterne Regem admonuit d, vt ab Ecclesia affligenda desisteret, decanum aliosque iniuste oppressos in patriam reuocaret, inflicta ijs sarciret damna: cum ipsius dignitatis foret diuini numinis seruos, a quo in regiæ maiestatis fastigium euectus esset, colere & obseruare; grauissimam suo nomini ac gloriæ labem inureret, si quam ipsis iniuriam inferret: *Si tua sublimitas prudenter attenderet, vt deceret, quod terrarum principes ad vindictam malorum, laudem vero bonorum potestatem sunt diuinitus assecuti, ecclesias & personas ecclesiasticas, in quarum honore Dominus honoratur, &* con-

Lusitaniæ Rex electū Vlyssipp. persequitur.
c Ib. ep. 87.
d Ep. 543.

contemnitur in contemptu secundum euangelicam veritatem; qua dicit: Qui vos recipit, me recipit: & qui vos spernit, me spernit; persequi non auderet, sed curaret propensius honorare. Si considerares etiam diligenter, quod illatam familiaribus nostris iniuriam illius exemplo, qui quod vni ex minimis suis fit, sibi factum asserit, propriam reputemus, non solum manus tuas & tuorum ab ipsarum oppressionibus cohiberes, sed etiam contra omnes alias potestate tibi a Domino tradita defensares. Arguit verbis grauissimis regij oblitum officij hæc non animaduertere, sed parentis prauis exemplis corruptum adolescentiæ florem in flagitijs atque ecclesiasticorum iniurijs contaminasse; quæ quidem scelera ijsdem pene verbis ipsi ob oculos ponit, quibus ea in superioribus ad Toletanum archiepiscopum literis descripserat, demum adijcit:

51 *Sperantes igitur quod adhuc quid saluti, quid famæ, & quid honori tuo magis expediat recognoscas, & intelligas plenius quod nil prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, anima verò sua sustinet detrimentum, serenitatem regiam monemus & hortamur attente, quatenus ab ecclesiarum & clericorum grauaminibus penitus conquiescens, & præfatum decanum, ac suos recipiens in gratiam & fauorem tuas, restitutis primitus bonis suis, redire ad loca sua & secure ibidem morari permittas, & ipsos molestari ab aliquo tibi subiecto nullatenus patiaris: ita quod Dominum exinde propitium tibi statuas, non offensum; nosque facias de tua correctione lætari, qui parati sumus ad gratiam vbi tamen scimus iustitiam non perire. Alioquin tibi habes quod imputes, si præsens monitio te non sine paterna comminatione præmunit: cum dissimulare vlterius non possimus, quin secundum Dominum & iustitiam procedentes & medicinalem in te Petri gladium exeramus, & contra te potentiam secularis auxilij nihilominus inuocemus. Dat. Later. II. non. iun. an. XII.* Paruit pontificijs imperijs Lusitanus Rex, atque ipsius frater Fernandus ad sedem Apostolicam crimina expiaturus accessit, vt anno insequenti dicetur.

Proceres Nauarræ in regiam inimicam fœdera inter se ineunt. Iis iubetur a Pontifice ea dissoluere. a Lib. 12. ep. 54.

In Nauarra conflarant viri nobiles quædam inter se fœdera, quæ non parum regiæ dignitati detrahebant: cumque immineret periculum, ne si Theobaldus, qui Asiatico in Sarracenos bello se deuouerat, arma ad eam coitionem dissipandam corriperet, propagandæ fidei maximus obex opponeretur, Pontifex abduci a cœptis proceres, ac mutua iuramenta dissolui iussit a atque anathematis sententiam, si in ea mente perstarent, a præsulibus intorqueri. Similia fœdera aduersus Iacobum in Aragonia magno illius damno inita fuerant, ad quæ conuellenda Pontifex operam suam contulit, atque episcopos anathematis sententiam aduersus fœderatos renouare iussit b; ne porro in eo regno atque Nauarræ hæreseos lues serperet, Oscensi electo c, ac Minoritarum in Nauarra ministro in ijs regnis aduersus hæreticos inquirendi prouinciam iniunxit. d

b Lib. 11. ep. 38a. c Ibid. ep. 338. Inquisitio in Nauarra contra hæreticos instituta. d Lib. 12. ep. 55.

52 Cum ad apostolicam in delendis hæreticis solicitudinem defluxerit oratio nonnulla eo spectantia a nobis, dum Gallicas res exponeremus, dedita opera prætermissa opportune congerenda videntur. Exercebat ea tempestate in Belgio, ac Francorum regno acerbissimam quæstionem Robertus ordinis Prædicatorum sacræ fidei censor, vir austeri spiritus, quem S. Ludouicus impietatis odio, regia auctoritate fulciebat, ac plures ea labe inquinatos flammis injici iussit. Sed cum postea Robertus mutato in furorem zelo insontes sontesque pari pœna percelleret, munere inquisitoris deturbatum perpetuoque carceri pontificio iussu mancipatum refert Parisius e. Ad huiusmodi etiam euellenda zizania Soranus episcopus A. S. L. studium contulit, quem Pontifex magna diligentia incumbere atque obseruare præcepit f, ne episcopi iusta hæresis suspicione insusti ec-

Animaduersum in eos igne ferroque in Gallijs. e Par. hist. Angl. f Ep. 223.

clesijs præficerentur. Cumque Raymundus comes Tolosanus varias ob causas tum ob exhibitum hæreticis studium anathematis censura defixus veniam supplex flagitaret, adactum iureiurando præterita emendatum iri, in gratiam Ecclesiæ admittere a imperauit. a Ep. 224.

53 In Bosna, vbi Albigensium hæresis plures suo veneno infecerat, Colomanus Ruthenorũ Rex, Sclauoniæque dux eximiam in extinguenda ea peste operam collocauit, cuius ardentem pietatem meritis laudibus extulit Gregorius, ac paternis literis hortatus b est cœpta feliciter persequereturDe *superni Regis prouentu gratia gratulamur, quod agnoscens humiliter te ad ipsius imaginem ac similitudinem esse conditum, & eiusdem sanguine pretioso redemptum sibi retribuere vigilas, vt de Bosnæ partibus deletis prauitatis hæreticæ maculis ibidem fulgeat lumen catholicæ puritatis. Super hoc siquidem, benedicte fili, tibi affectione paterna gratias referentes serenitatem tuam sicut attentius possumus, exhortamur & in remissionem iniungimus peccaminum, quatenus in hac potissime te arbitrando magnificum, quod Dei sapientia prouidisse dignoscitur, vt ipsius nomen tuo ministerio reddatur in prædictis partibus gloriosum, ad hoc sicut olim, sic & in posterum feruens habearis & sedulus; vt qui Christum toto corde diligis, de terra tua opprobrium abstulisse perfidiæ comproberis, &c. Datum Later. XI. kal. iau. anu. XII.*

Bosnenses hæretici a Colomano exagitati. b Lib. 12. ep. 353.

54 Renocatam suorum armorum potentia ad veræ religionis cultum Bosnam fuisse scripserat Colomanus Gregorio, qui vt fidem magnis laboribus in ijs regionibus satam excoleret, Cumanorum antistiti præcepit c nouum episcopum Bosnensi ecclesiæ præficere, qui sua diligentia gregem dominicum seruaret & augeret. Cumque tanto muneri pares virtutes afferre Ponsa e Prædicatorum ordine vir religiosus videretur, illum quamuis obluctantem eius ecclesiæ gubernacula capessere apostolica auctoritate compelleret: *Cum summe sit necessarium, vt plantata ibi de nouo Christiana religio sub idonei pastoris regimine in diuini timore ac amore nominis suscipiat incrementum; & dilectus filius frater Ponsa de ordine Prædicatorum, qui virtutes aliagere, ac in spiritualibus & temporalibus circumspectionis gratiam dicitur obtinere, ad hoc potissime competere proponatur, mandamus quatenus ipsum dictæ terræ, si aliquod canonicum non obsistat, prouideas auctoritate nostra in episcopum & pastorem administrationem in spiritualibus & temporalibus sibi committens, & faciens eidem a clero & populo debitam obedientiam & reuerentiam exhiberi. Si verò idem frater in hac tibi parere neglexerit, eum ad id monitione præmissa spirituali districtione compellas, procurans sibi, postquam huiusmodi curam receperit, beneficium iure se rationis stipendi, recepto ab eo præstandum pro nobis & Ecclesia Romana fidelitatis sacta iuramenta iuxta formam quam tibi sub bulla nostra mittimus interclusam. Formam autem iuramenti, quod ipse præstabit, de verbo ad verbum nobis per eius patentes literas suo sigillo signatas per proprium nuntium quantocyus destinare procures. Præterea sibi, quem soli Apost. sedi vsque ad beneplacitum nostrum volumus haberi subiectum, iniungas, vt de terra Choim per eiusdem Regis ministerium a prauitate consimili nutu diuinæ potentiæ depurata, diligentem curam in spiritualibus habeat, quousque de illa per Romanam Ecclesiam quod opportunum fuerit disponatur, &c. Dat. Lateran. VI. kal. maij pontif. nostri ann. XII.*

c Ep. 53.

55 Obeundæ præterea in illis regionibus apostolicæ legationis nouo episcopo munus imposuit d, præcepitque Hannoniæ Christi fideles ad sacræ nomen militiæ adscribendum suis cohortationibus permoueret, vt hæreticos, qui Bosnæ insederant, atque

d Ibid. ep. 352. Bosnæ ep. legatus creatur.

in scelere obfirmati perstabant, excinderent: cæterum eos, qui arma in ipsos gererent, in sedis Apostolicæ cliētelam suscipiendos atque amplissimas indulgentias sibi comparaturos. Archiepiscopū vero Strigonieusem, ac suffraganeos episcopos opibus suis inopiam Bosnensis episcopi legationis apostolicæ dignitate sucti leuare iussit a, quo Ecclesiæ splendorem in Bosnia ab hæreticis obscuratum restitueret, suū ipsi in ea re augendæ illustrandæq; fidei studium ostenderent. Hactenus de rebus Bosnensibus, nunc ad Polonicas sermonem conuertamus.

Petitur bello cruce signatis Vngar. Bosnēses hæretici. Vngari præsules Bosnensi ep. suis opibus adesse iussi. a Ep. 354.

56 Fatiscebat sub effrænata principum illorum potentia Ecclesia: ad quam pristinæ libertati asserendam Gregorius, Conradum b Masoniæ & Lauciciæ, Henricum c Zlesiæ & Cracouiæ duces aliosque proceres grauissimis literis ab ecclesijs opprimendis sibi temperare iussit: alijsque repetitis literis eundem S. Hedvvigis filium hortatus est d, diuino timori assuesceret mature: virtutes animo insereret felici sobole in secuturos annos propagandas: agnosceret a summo numine, cuius ministros colere & obseruare debet, amplissimam illam dignitatem in se deriuatam: sarciret a patre illata ecclesiæ Gnesnensi damna: ni faciat, ipsius patris ob ea anathemate percussi corpus ex cœmeterio ecclesiæ refossum, atque eiectum iri minatus est.

b Lib. 12. ep. 4. c Lib. 11. ep. 372. Depressa a principibus Polō. libertas ecclesiastica. d Lib. 12. ep. 137. Gregorij in ea tuēda studiū.

Gregorius, &c. nobili viro Henrico duci Zlesiæ & Cracouiæ.

Olim non absque mentis amaritudine intellecto quod nobiles viri duces Poloniæ homines cathedralium, & aliarum ecclesiarum Gnesnensis prouinciæ angarijs, perangarijs, & vectigalibus grauiter affligendo ipsos vt venatores eorum in domibus suis reciperent, ac eis procurationes indebitas exhiberent nec non in expeditionibus suis proprijs militarent stipendijs, ac eorundem munitionibus, & domibus construendis insisterent, cōtra iustitiam coarctabant & aliàs per eos tam enormiter grauabantur, quod nec suis poterant vacare negotijs nec præfatis, vt tenentur, ecclesijs deseruire; nihilominus ab eis, & ipsorum officialibus indifferenter, tanquam proprij serui eorundem, compellebantur obsequijs & iudicijs subiacere; venerabili fratri nostro episcopo quondam Mutinensi pœnitentiario nostro A. S. L. literas nostras direximus continentes, vt aliqua consuetudine, quæ corruptela dicenda est potius, non obstante præfatos duces ab huiusmodi molestijs dictorum hominum coerceret; cumque dictus episcopus ad instantiam venerabilis fratris nostri Gnesnensis archiepiscopi, prout idem in nostra proposuit præsentia constitutus, quondam Henricum ducem Slesiæ & Cracouiæ patrem tuum super huiusmodi oppressionibus pluries, ac peremptorie ad suam præsentiam citauisset, quia nec per se, nec per procuratorem idoneum coram eo voluit comparere, ad friuolæ appellationis diffugium se conuertens, in eum exigente ipsius contumacia excommunicationis sententiam promulgauit.

Hortatur Zlesi. & Cracou. ducem illata ab Henr. patre dana ecclesijs resarcire.

Is anathemate ob declinatū eccel. iudicium percussus fuerat.

57 Eodem igitur archiepiscopo, & prædicto patris tui procuratoribus apud sedem Apostolicam constitutis dilectum filium nostrum E., sanctorum Cosmæ & Damiani diaconum Cardinalem eis concessimus auditorem, coram quo aliquandiu litigato, nos volentes eidem patri tuo sine iuris læsione deferre, ipsum per abbatem de Stragon & collegas suos ad cautelam absolui mandauimus, & citari coram nobis per se, vel per procuratorem idoneum certo termino compareret, super principali facturus & recepturus, quod iustitia suaderet. Sed ipsi formam mandati apostolici non seruantes, licet ipsum iuxta formam eis traditam citauissent, certo ei termino assignato; per alium tamen ipsum de facto, cum de iure non possent, absolui fecerunt perperam ad cautelam. Cum autem in præfixo termino nullus pro eo etiam post terminum expectato, nisi dumtaxat ad impetrandum & contradicendum, comparuerit procurator dilectus filius noster S... tituli S. Mariæ transtyberim presbyter Cardinalis super hoc a nobis deputatus auditor, ipsum merito reputans contumacem, eundem in expensis legitimis, quas dictus archiepiscopus a tempore citationis emissæ fecerat, condemnauit. Tandem vero quidam qui pro procuratoribus se gerebant, mandatum sufficiens exhibentes recepto ab archiepiscopo supradicto libello tam super exactionibus, & grauaminibus antedictis, quam damnis in villis, possessionibus, hominibus, ac rebus alijs sibi & Gnesnensi ecclesiæ irrogatis; necnon & expensis factis a tempore motæ litis super ipso coram eodem Cardinali aliquandiu ad inuicem litigarunt: sed antequam rumor de dicti patris tui obitu ad nostram notitiam peruenisset, ad litis contestationem non potuit perueniri.

Non rite postea absolutus.

Antequā Ecclesiæ Gnesn. satisfecisset fatis e viuis sublatus.

58 Vt ergo eiusdem patris tui excessus huiusmodi tam detestabiles & enormes displicere tibi operum exhibitione demōstres, nobilitatem tuam rogamus, monemus & hortamur attentius per apostolica scripta mandantes, quatenus de gratia in gratiam & de virtute proficiens in virtutem, de illatis eisdem archiepiscopo & ecclesiæ damnis & iniurijs irrogatis plenam satisfactionem impendens, ab ipsorum oppressionibus & molestijs penitus conquiescas; ita quod eidem archiepiscopo nulla contra te iustæ querelæ materia relinquatur, & nos deuotionem tuam possimus merito commendare. Alioquin non immerito poteris formidare, vt iam dictum patrem tuum, qui ob huiusmodi oppressiones vinculo fuit excōmunicationis astrictus, exhumari de cœmeterio ecclesiæ faciamus, & sententias quas archiepiscopus memoratus & suffraganei sui ob defensionem iurium ecclesiarum suarum & ecclesiasticæ libertatis in te, ac terram tuam rite duxerint promulgandas, inuiolabiliter obseruari. Aliàs contra te spiritualiter & temporaliter iuxta tuorum meritorum exigentiam nihilominus processura. *Dat. Later. VIII. kal. iunij ann. XII.*]

Cōminatur illius filio Greg. paternum corpus e sepulchro refossum iri ni damna ab eo illata sarciat.

59 Henricus cum barba istius Henrici pater, ad quem Pontifex scripsit, hoc anno extremum vitæ diem clausit, cuius piam mortem a Longino a descriptam afferemus. cæterum si aspersa aliqua ipsius nomini labes ob ecclesiam Gnesnensem afflictam videtur, hac excusatione detergi potest, in ea opinione versatum, vt ius suum iuste persequi arbitraretur; vel ministros illius nomine (quod sæpius colligendæ principum gratiæ, ac deriuandi ad se alicuius quæstus causa facere solent) ecclesiam illam oppressisse. Ipsum enim Longinus, vt virum summæ modestiæ laudat, qui seculi fastu protrito nō gemmis auro sericisue vestibus radiare ambiret, sed laneo vestitu contentus, conculcatisque delirijs humilitatem Christianam coleret: audito vero eius obitu S. Hedvvigem tantam præ se tulisse constantiam animi, vt omnibus alijs in lacrymas solutis siccos oculos teneret, vtpote cuius voluntas in omnibus cum diuina consentiret. De quibus laudatus auctor:

a Long. hist. Pol. l. 6 & alij post eum. Henrici gesta in Ecclesiā Gnesn. excusantur.

60 *Dux Henricus ad partes inferiores ducatuum suorum Crosnam, prope terminos Bohemiæ sitam descendens, languere grauiter cœpit: & quamuis de languore suo consors sua beata Heduigis per eundem nuncium certior facta fuisset, visitare tamen illum, quamuis precibus viri multipliciter rogaretur, intermittit, ne quam scintillam coniugalis mœroris viso ægro marito contraxisset, quem infra annos triginta, quibus vterque cælibem agebat vitam, rarissime & non nisi in necessitate ineuitabili, quando pro necessitatibus egenorum, viduarum, pupillorum, monasteriorum, ecclesiarum & miserabilium, aut aliquam oppressionem*

Piadu illius vita & mors.

vel

vel calamitatem patientium intercedendum erat, adibat. Ingrauescente itaque infirmitate, omnibus ecclesiasticis sacramentis rite & religiose perfunctus, sex lustris in caelibatu, vt praemisimus (consorte in sororem commutata) exactis XIV. kal. aprilis in oppido suo Crosna feliciter, expirauit. Qui ob id Henricus cum barba appellationem sortitus est, quoniam a tempore, quo caelibem vitam ad instigationem consortis suae B. Heduigis agere caepit, barbam in conuersorum morem tondi praetermisit; splendidisque induuijs auro & ostro nitentibus abiectis, laneo & humili amictu vtebatur. Cuius funus cum ad monasterium Trzebnicense per ipsum fundatum, & liberaliter dotatum (in quo beata faemina Heduigis arctissimam agebat inter sanctimoniales Cistercienses vitam) illic sepeliendum ductum fuisset, omnibus monialibus & pluribus alijs tam nobilibus quam rusticanis hominibus vtriusque sexus, qui ad conhonestandas funebrias suas ex maiori Polonia & Slesia ducatibus in maxima multitudine obuiam corpori mortuo conuenerant, effusis, sola faemina B. Heduigis in monasterio Trzebnicensi substitit, & honorem illum impendere corpori mariti neglexit. Sed sanctimonialibus caeterisque tam viris quam matronis, mortem Henrici ducis viri sui magno eiulatu, magnisque lamentis vociferatione inconditu deflentibus, haec sola siccos tenuit oculos neque in omnium fletu visa est lacrymasse: sed & nonnullas sanctimoniales obitum Henrici ducis praefati tam ingenti moerore, vt pene mortuae viderentur, prosequentes corripuit, asserens iniquum & scelestum esse tam inconuenienti & immoderato moerore voluntati diuinae & eius beneplacito aduersari. Narrat S. Heduigis vitae auctor ipsam imminentem viri mortem praesagijsse, diuinoque afflatam spiritu praedixisse, si e Legnicensi oppido discederet, e vita quoque discessurum; qui periculi metu tribus annis se continuit: cumque ad oppidum, cui Sesines nomen inditum, se contulisset, breui correptum morbo sublatum extinctumque fuisse.

Vnde barbati nomen traxerit.

S. Heduigis in viri funere constantia.

Vt ipsi mortem praesagijsset.

61 Postremo quod ad Polonicas res pertinet, hoc anno Gregorius archiepiscopum Gnesnensem ea praerogatiua auxit a, vt vexillum crucis praeferri sibi iuberet, cum sedis Apostolicae legatus in Polonia non versaretur: *Considerans diligenter quod in cruce Domini nostri Iesu Christi te oporteat gloriari, petc desideras salutiferae crucis vexillum ante te facere de nostra licentia baiulari, qui crucis mortificationem iugiter in tuo corpore debes pro diuini nominis amore portare. Nos igitur attendentes quod non sunt tibi armaturae caelestis insignia deneganda, qui contra suae persecutores Ecclesiae certamine fere incessanter labores. praesentium tibi auctoritate concedimus, vt per tuam prouinciam ante te deferri facias crucis signum, nisi cum Apostolicae sedis legatus in Polonia fuerit constitutus, vt in hoc ei deferas tanquam a nostro latere destinato, &c. Dat. Later. II. non. iunij ann. XII.*

a Lib. 12. ep. 136.

Data Gnesn. archiep. crucis praeferendae auctoritas.

62 Eodem anno summus Pontifex Daniae etiam Regem apostolicis beneficijs est prosecutus, concessitque b vt e singulis regni ecclesijs cathedralibus canonicum ad sua ipsi obsequia officiaque vel regno impendenda posset retinere, vti necessitas flagitaret. Cumque Rex ad conciliandam Danos inter, ac Pomeranos concordiam coniungendae matrimonio Pomerano duci neptis suae quarto illum consanguinitatis gradu attingentis potestatem sibi a sede Apostolica conferri flagitasset, Gregorius primum archiepiscopo Lundensi, atque episcopo Roschildensi imperauit c certiorem se de ea re facerent atque instruerent, ac regijs postea petitis morem gessit d. Amplificandae etiam Christi gloriae, ac fidei proferendae cupidissimus Pontifex Vvillelmum episcopum olim Mutinensem tum sedis Apostolicae legatum dare operam iussit e, vt serui qui sacro baptismatis fonte abluerentur, liberalius tantae acceptae dignitatis intuitu tractarentur, nonnihil seruilis oneris remitteretur, diuinisque interesse facultas tribueretur. quem etiam pridie eius diei monuerat a, ne liberos homines, qui numero Christianorum sese aggregarent, ab hospitalarijs S. Mariae Theutonicorum alijsue sub iugo seruitutis redigi pateretur.

b Lib. 12. ep. 38.

Sopitum Danos inter & Pomeranos bellum.

c Ibid. ep. 30.

d Lib. 12. ep. 149.

e Lib. 12. ep. 427.

Serui Christiani honestius habiti.

Neophyti in seruitutem abduci vetiti.

a Ibid. ep. 428.

63 Per id tempus Brunonis Herbipolensis episcopi sanctitatis fama longe lateque increbrescebat, pluraque caelestia prodigia ad eius sepulchrum edebantur: quibus illius vrbis episcopus, clerus, populusque permoti supplices literas ad Pontificem maximum misere postulatum, vti de admirandis eius rebus testium dicta in tabulas publicas referri praeciperet. Ad quorum vota, ac preces flexus Gregorius haec duobus abbatibus Cisterciensis familiae Herbipolensis dioecesis Dominicanorum & Herbipolensium priori mandauit b: *Sicut venerabilis frater noster episcopus, & dilectus filius decanus & capitulum, ac populus Herbipolensis nobis per nuntios suos & literas intimarunt, Dominus tantam piae memoriae Brunoni episcopo Herbipolensi contulit gloriam, quod sepulchrum eius tot & tantis dat coruscare miraculis, vt inter alios sanctos eius non inuocari suffragia sit indignum; quare nobis humiliter supplicarunt, vt super miraculis, quae per eum Dominus operatur, testimonia recipi faceremus. Verum quia in tam sancto negotio non est nisi maturitate & grauitate praeuia procedendum, de circumspectione vestra plenam in Domino fiduciam obtinentes, mandamus quatenus ascitis vobis viris religiosis, & Dominum timentibus, de virtute morum & veritate signorum, operibus videlicet, & miraculis diligentissime inquirentes depositiones testium receptorum sub sigillis vestris inclusas vsque ad nostrum beneplacitum fideliter conseruetis, quod si non omnes, &c. Dat. Later. XI. kal. maij ann. XII.*

Bruno ep. Herbipol. miraculis coruscat.

b Lib. 12. ep. 56.

De illo sanctorum catalogo ascribendo instituta quaestio.

64. Illustratam etiam per haec tempora ferunt Germaniam insigni pietate Vvoluandi Praedicatorum Argentinensium prioris, qui cum pectori crucis signum frequentissime imprimere soleret, magno miraculo crucem in osse pectoris pulcherrime efformatam gestasse post mortem apparuit, de quo Cantipratensis oculatus testis haec prodidit c: *De fratre Voluando priore ordinis fratrum Praedicatorum in Argentina ciuitate Theutoniae rem praecipue mirabilem, & deuotam proprijs oculis vidi. Hic, vt fratres mihi testatissima veritate narrauerunt, semper fere siue gradiens, siue sedens pollice signum crucis in pectore depingebat. Contigit autem, vt Maguntiam veniens infirmitate decumberet, & ingrauescente morbo, cum mira alacritate spiritus moreretur, & apud fratres Minores ibidem sepeliretur: nondum enim fratres Praedicatores in eadem ciuitate locum habebant. Quo audito fratres Praedicatores Argentinenses duos fratres pro prioris sui defuncti corpore Maguntiam direxerunt, sed frustra quia fratres Minores sepultum reddere noluerunt. Contigit autem post annos paucos, vt fratribus Minoribus ad locum alium transeuntibus, fratres iterum Praedicatores de Argentina duos fratres in Maguntiam pro dicti prioris corpore destinarent: qui sine contradictione assumptis ossibus in Argentinam prospere redierunt. Quid plura? ossa fratres diligentius abluentes, os pectoris, cui ex vtraque parte inhaerent costae, superius insignitum cruce operosissima repererunt, & hoc quasi scutum cordis interius. Erat autem crux (vt ipse ad hanc videndum quadraginta milliaribus laboraui & laetis vidi oculis meis) in ossis medio ex substantia ossea ad spissitudinem euidentissimam eleuata, tribus superioribus brachijs aequalis longitudinis, & inferiori brachio decentissime longiori: extremitates vero trium brachiorum superiorum instar repandi lilij recuruatas, & brachium inferius, quasi trunco deberet infigi, exacutum habebat. Quid igitur in signo corporeae crucis in osse pectoris, nisi mortis Christi in mente prius habitae*

Insigne in viro religioso crucis amantissimo miraculum.

c Thom. Cantip. l. 1 c. 25. n. 6.

Os sterni in cruce miro effo[r]matum post mortem conspectum est.

stigmata passionis? & quid in folijs repandi lilij in crucis extremitatibus designatur, nisi mundissima castitatis insigne, quod cum memoria mortis Christi fundatissime fixum gerebat in carne?

Robertus eremita in Angl. miraculis clarus.
a Par. hist. Angl.

65 Florebat tum Prædicatorum ordo viris sanctitate ac virtutibus insignis, cuius administrationem supremã sanctissimus vir Raymundus Penaforcius per hoc tẽpus susceperat atque doctrinæ & miraculorum splendore in Dei Ecclesia emicuit. Fulsisse præterea in Anglia Robertum eremitam apud Knareburgum magna miraculorum gloria scribit Parisius a, atque ex eius sepulchro oleum ad sanandos morbos diuinitus emanasse: quod regnum etiam B. Eadmundi, de quo nobis superius sermo fuit, sanctitate collustrabatur: ex viris hisce sanctissimis ad Gregorium virtutum omnium, & pietatis notis illustrem digrediamur.

Reconciliati Eccl. Vercellenses.
b Lib. 11. ep. 392. 393. 394. 396. 397.
c Lib. 12. ep. 31.
Expeditæ in Bonacursum cy ann. Viterb. censuræ.

66 Explicuit Vercellensibus Ecclesiæ sinum hoc anno, quos ob latas iniquiores aduersus ecclesiasticos leges anathemate inustos, facti pœnitentes a Nouariensi episc. censurarum religione absolui iussit b, vtque in supplices clementia, ita in peruicaces rigore vsus est. Distrinxit c enim pontificiæ seueritatis aculeos in scelestissimum Bonacursum Lucensem ciuem, ingentium malorum auctorem, eiusque criminum socios ac satellites, quorum viribus fultus in tantum scelus proruperat, vt præfecturã Viterbij sibi arrogaret, plures strages edidisset, ipsas ecclesias fuso occisorum sanguine funestasset, agros etiam nonnullos vastasset; atque adeo tam ipsum quam furoris ministros anathemate solemni ritu percussit, vtq; pœna in eius posteros dimanaret, ad tertiam progeniem omnem illis adipiscendi alicuius sacerdotij ius potestatemque ademit, quò censurarum acerbitate ab occupandis ecclesiæ iuribus impios deterreret. Perstitere in peruicacia Viterbienses, ac demum accenso inter Fridericum & Pontificem bello hostem portis excepere, vt suo loco dicetur.

Missus in Sardiniam legatus.
d Ibid. ep. 393.
e Reg. post eand. ep.
Census in Sardinia solutus Rõ Eccl.
f Ep. 190.
g Ep. 191.
h Ep. 68.
i Ep. 131.
l Ep. 70.

67 Ad tuenda etiam Romanæ Ecclesiæ iura in Sardinia, Rolando subdiacono & capellano suo legationis onus commisit d, omnibusque in ea insula augustiore ecclesiastica, & laica dignitate conspicuis, ac populis, quo eum debito honore prosequerentur, scripsit e; legatoq; in mandatis dedit quædam oppida præfecturæ Calaritanæ sibi tradi iuberet f & censum Romanæ Ecclesiæ persoluendum colligeret g. Antea vero cum ditionis Turritanæ dominæ Agnetis maritus e viuis sublatus viduam reliquisset, illius luctum Pontifex consolatorijs literis delinire dignatus h est; idque maxime solatium adhibuit, virum ipsius in bona, vt ait, contritione ac deuota confessione obijsse. Ne vero seditiones aliaue grauiora mala in ea præfectura emergerent, si viri præsidio destituta esset, Guelphum e Porcharia prænobilem, Apostolicæ sedis studiosum ipsi in sponsum prouidisse i; proinde procuratorem citius mitteret, vt matrimonium contraheretur: atque Arborensi archiepiscopo imperauit l, vt Pisanos vicecomites ab in[fere]nda Agneti molestia Galluriensique occupanda prouincia abduceret.

m Rich. a S. Germa. chron.
Entius Sardinia p[…]
[…]
Anglan. seq.
In […] co[…] sum[…] mũ […] d[…] Eccl[…] es […] kid

68 Verum extincto Vbaldo iunctaq; sibi Adelasia Entius Friderici filius nothus, quem R[ic]h[ar]dus m Her[r]icum vocat, ac sub mense octob[ri] [vx]orem in Sardinia duxisse ait, Galluræ & Turrium principatum ar[r]ipuit, ac breui Sardiniam Ecclesiæ obsequio Imperij fiduciarium se professus subduxit, sed dem[um] in pœnam sceleris regium solium squalore carceris commutauit, vt suo loco dicetur. Quo vero colore Fridericus Sardiniæ inuadendæ inhiarit, refert Parisius n: *Imperator ipsam ad Imperium suum asserere ab antiquo asserait, & per occupationes etiam ad corpus Imperij reuocasse. Ego vero iuraui, ait, vt iam nouit mundus, dispersa Imperij reuocare, quod non segniter adimplere procurabo.* Quibus ipsum non spoliare modo suis iuribus Ecclesiam, sed alia etiam regna euertere animo meditatum patet.

Mediolanenses Friderici gratiam ambiunt.
a Monac. Patauin. hoc an.

69 Vt consilia perduceret, Insubriam primum ad sua obsequia frangere constituit; eoque elata est ipsius arrogantia, vt cum illi excipere ipsius imperia honestis legibus parati essent, oblatas omnes conditiones repulerit, vt diserte monachus Patauinus a narrat: *Cum Mediolanenses pacem habere cum Imperatore conditionaliter postularent, Imperator noluit eos recipere nisi omni conditione remota, & hac de causa in contumacia permanserunt.* Ampliora Parisius, qui honorificentissimas a Mediolanensibus oblatas leges affert, ac Fridericum in eis respuendis procaciæ arguit: *In illius temporis diebus Mediolanenses imperialem maiestatem formidantes*, ac iure, præter enim præpotentem exercitum, quo Fridericus succinctus erat atque superiori anno victoriam ingentem retulerat, Conradus Rex principibus stipatus e Germania mense iulio huius anni magnas copias cum patre coniunxisse refert Richardus, *miserunt ad dominum suum Imperatorem sub omni qua potuerunt instantia postulantes, vt ipse quem verum dominum & naturalem palam protestati sunt, suam ab iis auerteret indignationem; & cessans expugnare eos quasi suos fideles foueret, & protegeret sub alis sua magnifica protectionis: ipsi autem ex tunc in antea ipsi quasi Imperatori & domino cum debita seruirent reuerentia; in cuius obedientia testimonio, vt in brachijs sua dilectionis tutarentur, & pristinæ rebellionis non recordaretur, omnem quam habebant in argento & auro substantiam ipsi liberaliter conferrent: insuper omnia vexilla sua ante pedes imperiales collata in signum subiectionis & obedientiæ, & imperialis victoriæ concremarent. Ceterum eidem in obsequio crucis in Terra sancta militanti inuenirent per annum decem millia armatorum ad promotionem Ecclesiæ & sui honorem ea conditione, vt ipsos ciues sine simultate diligeret, & saluus permaneat status ciuium & ciuitatis. Sed hæc omnia dominus Imperator procaciter refutauit, exigens irrefragabiliter, vt ciues communiter cum sua ciuitate & bonis omnibus se suaque absolute suæ manciparent voluntati. Cuius tyrannidi ciues communiter responderunt, quod hoc nullo modo facerent, dicentes: Timemus tuam edocti experimento seritatem. Malumus sub clypeis, gladio vel lancea mori, vel spiculis; quam laqueo, fame vel incendijs.* Addit plures a Friderico abalienatos ob repudiatos Mediolanenses, cum in tyrannum inexorabilem desciuisse conspicerent.

Amplissimas conditiones offerunt.

Repudiat illas Frid. ac res suas vesana[…] rogantia euertit.

b Greg. lib. 13. pag. 150. extr. apud Par. hist. Angl.

70 Consentit etiam Gregorij vitæ auctor Mediolanenses in Friderici obsequium procumbere paratos repulsos esse, ac legatum sedis Apostolicæ pacis leges olim cum ipsius patre Henrico Imperatore, & Mediolanensibus Constantiæ percussas obtulisse: *Idem Imperator nobilis vrbis Brixiæ longa obsidione distractus, quam nec furor Theutonicus, nec Appula commouit astutia, Lombardorum*, plures enim Insubriæ vrbes, ac principes viri se Friderico coniunxerant, *se de diuersis regionibus multitudine congregata, pace quam pater eius apud Constantiam cum Mediolano fecerat, oblata sibi per legatum sedis Apostolicæ non contentus, Mediolanum aggreditur.* De amplissimis pacis conditionibus ab Ostiensi episcopo, & Thoma tit. S. Sabinæ presbytero Cardinali oblatis Friderico meminit Gregorius in apologeticis contra Friderici calumnias literis. b

Brixia in obsidione cingit conatu […]

71 Quod ad Brixiæ obsidionem spectat, quam magno pudore soluere coactus est Fridericus; ait monachus Patauinus illum, vltionem in Mediolanenses meditantem, prius Brixienses ipsorum fœderatos aggressum a mense iulio vsque ad diem S. Michaelis factum apud Brixiam castrametatum; cui Richardus,

dus consentit, additque Conradum Regem in patris castris versatum, solutaque obsidione in circumiacentes agros hostilem furorem conuertisse Fridericum, ac dissoluto exercitu filium in Germaniam dimisisse, ipsum vero in Insubria hæsisse. Subiungit idem auctor Imperatorem mense augusto ex Insubria ad Pontificem, agentem Anagniæ, Panormitanum archiepiscopum, episcopum Rheginum, iudicem Tadæum e Suessa & Rogerium Porcastellam oratores misisse, vt de concordia inter Ecclesiam, & Imperium concilianda agitarent: cum ijs vero pontificio nomine archiepiscopum Messanensem, vt Friderico pontificias voluntates exponeret, discessisse. At versutus princeps dum pacis osculum Christi vicario porrigeret, Romanos largitionibus subornabat, vt proditionem in Gregorium conflaret, de quo hæc vitæ auctor de pontificia Anagniana profectione prælocutus.

72 *Anno postmodum duodecimo pontificatus sui Anagniam properans suspecti aeris declinauit insultus. Porro tortuosus ille coluber Cæsar in pacis & naturam reconciliatione commotus, concepta venena, quæ prius sub squammarum tegebat velamine, interdum punctionibus occultis immissa iam aperta læsione reuelans, Bobacinensem & Aegidium Brethi, & quosdam ac Vrbe potentes, fato venalitatis expositos prius offerentis arbitrio applicandos, pecunia propitiante corrupit, & auri sacra fames publico proclamata præcone impudicos filios de vbere matris sic auulsit, vt contra Christi vicarium se potenter armarent muniti charactere antichristi. Quorum soluit colligationes iniquas manus erudita Pontificis, & per deuotum Ioannis de Iudice tunc senatoris obsequium turres hostium, & operoso marmore tabulata palatia, nobile vestigium prioris ætatis, in opprobrium ruina redegit. Tum Cæsaris cessere præconia non auro nec astutia reuelata.*

Pontifex Romam reuertitur. 73 Describuerat æstas, atque clementior aura afflabat cum Pontifex Romam regressus ingentia dona in ecclesias contulit, piasque preces in honorem B. Virginis decantari præcepit, quæ anonymus vitæ scriptor monumentis propagauit: *Iam quidem æstatis suspicione cedente ad Vrbem summus Pontifex regreditur grandi veneratione susceptus. Qui licet innumeris vexatus angustijs, erat tamen in diuini nominis contemplatione robustior, & prædecessorum sollicitudinem deuinens & actus, electissimi series tam iura mirabilia instrumenta multiplicia pontificalis officij, auro & gemmis pretiosis contexta, in opus sacerdotale astribuit, ea iuxta varietatem colorum solemnitatibus temporum allegorica consideratione conformans, ad altaris ornatum in auro & nitore gemmarum: * quarum nobilibus cum su altis aureis pomorum quantitate conformibus gemmis electioribus & auro contextum multæ librarum æstimatione probatur; & operis distinctione multimoda velamina pretiosa concessit. Crucem auream triginta sex auri marchis appensam opere interrasili gemmarum varietate distinctam, quod * pretium æstimationem non capit grandem pretiosi ligni viuificæ Crucis quantitatem ingenio nobilis artificis contegentem, eiusdem deputauit obsequio: cuius pes argenteus aurea superinductione contectus, & capsa niuita soliditatis argentea viginti marcharum publico pondere appendunt: sicque totius operis æstimatio præter inæstimabile lignum transit mille marcharum argenti purissimi consideratione malleatoris excedit. Libros contulit electioris littera, ac pictura decoros. Hic constituit vt semper in sexta feria in vesperis completo soluto cursu cantetur: Salue Regina misericordia mater; & in nocte antiphona: B. Dei genitrix Maria; secuta oratione: Deus qui de B. Maria &c. & quod ante corpus Domini, & tum idem confiteur campana pulsetur.*

* quarum nobiliùs

* pretij

Sacer hymnus: Regina ... decl. ... ex... ... ptus.

Institutas has in Ecclesia sacras preces anno sequenti ferunt nonnulli recentiores ad diuinum contra Fridericianam persecutionem auxilium implorandum, poruitque etiam hoc anno fieri, cum non ambiguus futuri periculi terror impenderet.

74 Interea flagitarat Venetorum dux vt Gregorius ipsum, ac rempublicam in B. Petri clientelam acciperet, quod Pontifex collaudato in Romanam Ecclesiam commendatoque studio præstitit[a]. *Sacrosancta Romana Ecclesia, quæ piæ matris affectu in charitatis visceribus Christi fideles amplectitur vniuersos, prærogatiua gratiæ specialis confouere debet, ac defensare deuotos, vt & ij sinceritatis suæ digna præmia consequantur, & alij eorum exemplo ad deuotionem sedis Apostolicæ prouocentur. Cum igitur ciuitas Venetorum erga Romanam Ecclesiam matrem suam, sicut certo rerum experimento probatur, reuerentiam, deuotionem & fidem semper habuerit & habeat specialem, nos tuis supplicationibus, quas libenter admittimus, inclinati personam tuam & ciuitatem eandem in deuotionem sedis Apostolicæ persistentes sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsenti scripti pagina communimus. Dat. Later. non. decemb. ann. xii.*

Veneti in clientelã sedis Ap. admissi. a Lib. 12. ep. 325.

IESV CHRISTI
Annus 1239.

GREGORII PP. IX. annus 13.	FRIDERICI II. Imp. 20. BALDVINI II. Imp. 11.

1 Concitata est grauior anno a Virginis partu millesimo trigesimo nono indictione duodecima in Romanam Ecclesiam persecutionis tempestas, quam Fridericus a Gregorio iustissime anathemate percussus conflauit. Monuerat ante paternè contumacem principem Pontifex, vt commissa scelera emendaret: cumque ille suauissima monita, ac preces eluderet, vereraque crimina nouis cumularet, tandem adactus eo est Gregorius, vt seueriorem in eum ecclesiasticam cēsuram expediret, Imperij exueret dignitate, loca in quibus ageret, interdicto subijceret. Quæ omnia monumentis plures veteres scriptores commendarunt, inter quos hæc ipsius gestorum auctor: *Interim corrupta nequitia, quod inditia manifesta monstrabant, in grauiora prioribus erumpere nocumenta: in cuius vlcera, quæ monitionum fomenta non senserant, remedium ferri medicinalis apposuit, membrum Ecclesiæ putridum, per excommunicationis sententiam a fidelium communione præscindens, absolutis iis, qui sibi iuramento vel fidei tatie debito tenebantur, & ea etiam ad quæ peruenerat, supponens ecclesiastico interdicto.* Latæ porro sententiæ forma in regesto pontificio, tum apud Albertum Stadensem[b], Matthæum Parisium aliosque iacet.

Fridericus anathemate a Greg. percellitur.

2 *Excommunicamus & anathematizamus auctoritate Patris & Filij & Spiritus sancti, & b atorum Apostolorum Petri & Pauli & nostra Fridericum dictum Imperatorem pro eo quod contra Romanam Ecclesiam seditionem mouit in Vrbe, per quod intendit Pontificem, & fratres a sua sede repellere contra priuilegia dignitatis & honoris Apostolicæ sedis; contra libertatem ecclesiasticam, contra iuramentum, quo super hoc tenetur Ecclesia, temere veniendo. Item pro eo quod venerabilem fratrem nostrum Prænestinum episcopum Apostolicæ sedis legatum, ne in sua legatione procederet, quam in Albigensium partibus pro corroboratione catholicæ fidei sibi commisimus, per quosdam fideles suos impediri mandauit.* Arsisse eũ ambitione Fridericum, vt Romam sibi subijceret, eiusque Pontificē ditione exueret, ipse in suis literis[c] quibus Italiam suam hæreditatem esse iactabat, in alijs ad Romanos, quibus Romam sui Imperij caput, a qua Romani Imperatoris nomen traheret & quo Vrbis auctorem, ac benefactorem populi Romani appellat, teneri que ad Romanorum honorem defendendum, vi-

b Albert. Stad. in chro. Par. hist. Angl. Sigon. de regn. Ital. lib. 18. Concepta fulminis ... ... tentia ... ma & ob quas causas lata. Ob affectatū vrbis dominatum. c Ann. 1236. n. 3. & 5. Extat apud Sigon. 18. de regn. Ital. Ext. apud Petr. a Vin. M. S. Vall. bibl. ...

vicissimque ipsos ad Romani Imperatoris nomen tuẽdum deuinctos ait; tum in familiari sermone, vnde plures ab ipso alienatos scribit monachus Patauinus, non a obscure indicabat: sed illustrius nõ ambiguis conatibus, ac pluribus in Vrbe seditionibus concitatis in lucem superba consilia prodebat; vnde grauissime iam antea illi exprobrarat b Gregorius a veterum Imperatorum pietate desciuisse, qui collatum ab ijs Christi vicario principatum inuadere moliretur, ac postea questus est in apologeticis contra Friderici calumnias literis c: *Idem illatis Ecclesiæ non contentus iniurijs, data quibusdam rebellibus nostris non modica summa pecuniæ seditionem contra nos in Vrbe molitus est pluries commouere, vt nobis & fratribus nostris a sede nostra repulsis & concusso capite fidei, quod superædificauit Dominus, impulsu eiusdem Friderici rueret leuiori.* Et quidem ex auctore vitæ Gregorij vidimus superius corruptum ab ipso Centium d senatorem ingressu Vrbis Gregorium prohibere pertentasse; ac superiori anno Aegidium e Brethi, Bobacium aliosque proceres Romanos Friderici signa in Vrbe aduersus Ecclesiam extulisse. testantur eadem acta Iacobum Cardinalem legatum ab adeunda legationis suæ prouincia a Friderico prohibitum: *Venerabilem patrem Prænestinum episcopum, quem in Prouinciam pro pace patriæ sedes Apostolica decreuerat destinandum*, Massilienses enim in Raymundum Berengarium insurrexisse, atque Tolosano comiti se addixisse vidimus superius f, *grauibus interiectis obstaculis impediuit verenda de principe manifesta suspicia, vt inter fideles Ecclesiæ, quos ipsius dominij limes non colligit, pacis patiatur accessum, qui Christi hostibus Sarracenis nimirum, aduersum paratam expeditionem discessit quæ tempora iniqua consideratione procurat.* Sed non minus grauia quæ addit Gregorius.

a Monach. Pad. chro. lib. 2. ann. 1242.
b Greg. l. 10. ep. 251
c Greg. l. 13. pag. 150.
d Ann. 1237. n. 12
e Ann. 1238. nu. 93.
Ob interclusum legato Card. iter in Prouinc.
f Ann. 1237. nu. 36.

3 *Item pro eo quod non permittit quasdam cathedrales ecclesias & alias vacantes ecclesias in regno reparar, & hac occasione periclitatur libertas Ecclesiæ, perit fides, quia non est, qui prædicet verbum Dei, nec qui regat animas deficiente pastore. Item quod in regno clerici capiuntur, incarcerantur, proscribuntur & occiduntur.* Deuinxisse se eo crimine auaritia obcæcatum Fridericum refert vitæ Gregorij auctor, vt ecclesiarum opes expilaret: *Nec his contentus molestijs, prouentus ecclesiarum vacantium & earum, quas subtili procurat ingenio pastorum carere præsentia, quosdam in proprios conuertit abusus, alios in ædificijs castrorum expendit, Christi ministros in lutea cæmenta commutans.* Et infra: *Regnum quærens & Sacerdotium vendicare, vacantibus ipsius regni ecclesijs pastorum non patitur præsidio subueniri, tot animarum occisor, quot per pastorum absentiam transeunt in corruptionem.*

Viduatis pastoribus ecclesia.
Prohibitas sacras electiones.
Oppressos viros ecclesiasticos.

4 De Sicula vero ecclesia grauissima tyrannide a Friderico attrita obiectas graues fuisse antea querelas Friderico in pontificijs literis superius vidimus: at non emendasse scelera, immo nouis cumulasse ac Neroniana immanitate in præsules, ecclesiasticos viros, religiosos, aliosque aduersus Ecclesiam egregie affectos sæuijsse describit anonymus vitæ Gregorij auctor his verbis: *Satis in eius* [illegible] *Friderici, pœnam præter culpæ grauioris excessum miseris regni Siciliæ continuata molestia sufficere poterat, vtinam non in salutis dispendium ab Ecclesia toleratæ, vsus nutritus & prouectus vberibus ipse tandem vbera dentium laceratione quassauit: & vt a sanctuario manus sæuientis inciperet, & in domesticos peregrina inhumanitate sæuiret, Cathaniensem episcopum regni Siciliæ cancellarium, ex cuius vbere gratis ob equijs prima ciborum rudimenta suscepit, creuit & profecit impensis sub eius tutelæ præsidio iam adultus inter sua senectutis extrema proscripsit exilio & ea paupertate damnauit, vt viuentem vita reperet, & mortuo mors ipsa funeris denegaret impensas.* Fridericum ab episc. Cathaniensi regni cancellario summa fide & cura educatum Innocentij III. epistolæ atque eius vitæ gesta superioribus annis allata ostendunt. pergunt Gregorij acta. *Archiepiscopum Tarentinum, & Calaphaludensem episcopum illa sibi familiaritate coniunctos, vt idem cyphus & fere manus eadem communiter alimenta præberet, nec esset eis præter ipsorum notitiam singulare secretum, ministerio priuauit & gratia, & bonis ibus eorum datis in prædam, extra regni limites iniqua temeritate proscripsit. Aliphanum episcopum a proprijs laribus exulem eum captiuis fratribus miserabilis vitæ cursum compulit exilij paupertate finire. Calmensem episcopum a regno eiectum grandi oppressit inopia, fratre ipsius laqueo suspensionis addicto. Soranus episcopus ipsius furoris non expers quærere cogitur limites alienos.* De episcopo Sorano legationis munere in Gallijs perfuncto meminimus supra, ad quem plures Gregorius literas hoc anno dedit a: *Nafranus episcopus mortis amaritudinem in exilij paupertate bibit. Minores fratres, quorum vitam ipsa paganorum duritia veneratur, hic pagano durior flammarum atrocitate damnauit. Militensem decanum in maris fluctibus leui suspicione demersit. Neapolitanum archiepiscopum Montorium & Thomam cantorem Messanensem longa maceratione carceris interemit. Magistrum Nicolaum subdiaconum Messanensem ignis acerbitate combussit. Magistrum Bernardum domini Papæ notarium, & Salernitanum diaconum, & alios innumeros clericos ablatis spolijs exilio deputauit: & sic multis ministris Ecclesiæ tum exilio, tum morte damnatis, nec sanguine satiatus innoxio, propinquiores ipsorum pœna non reliquit extorres ipsius & sanguinis & spolij insatiabilis appetitus.* Pergit anathematis forma:

a Greg. l. 12. ep. 222. 223. 224.

5 *Item quod in regno ecclesiæ Domino consecratæ destruuntur & prophanantur. Item quod non permittit Soranas ecclesias reparari.* De euersis a Frederico ac prophanatis tẽplis ita vita Greg. auctor queritur. *In ciuitate Nuceriæ, in qua eiectis Christi cultoribus cultores intulit Mahumeti, opere regio cõstruxit palatium, in cuius parte cathedralis ecclesiæ ipso mediante destructa, vbi titulus altaris extiterat, ille Christianissimus Fredericus palatij purgamenta substituit, & vbi Filius Dei mactabatur in ara labes hominis purgaturus, filius hominis in contumeliam Creatoris ventris immunditiam positurus accedit. Illius quidem ciuitatis antistes de tot millibus hominum, quot Christiana religio congregauit, ibi iam duodecim Christicolas habere permissus, dum in iusto populo fidelium caret consortio, alienigenarum contubernia circuire compellitur, & lingua natiua officium in Arabum conuertere idioma; olim opulenta possessione fœcundus, nunc pauper seruiens sub tributo, vt pane famelicus saturetur, manna Assyrijs dare cogitur & Aegypto. Est etiam quæ causam non minoris doloris adijciat, dum Sarraceni audi Christiani sanguinis effusores impune perimunt Christianos; & si defensionis præsidio, vel inopinatis euentibus occiditur Sarracenus, qui causam dedit damnatur ad mortem, & nullis de ipso inuentis præsumptionis indicijs illis graui pœna mulctantur, in quorum confinio inuenitur occisus. Quis non turbetur in præuium io antichristi? Quis Pilati non deflebit successorem, immo maiori Pilato crudelitate notandum, cum ille manus lauerit hic infigat: ille saltem occidi permiserit, hic extinguat, ille furorem populi curauerit euertere, hic errantem populum peccare compellat.* Quod vero ad excisa Soræ tẽpla, nec refici permissa attinet; Soram ferro flammisque ob susceptas contra ipsum pontificias partes in eo bello, quo ducum opera Ecclesiam lacessiuerat, dum in oriente versabatur, suo loco diximus, Pontificisque odio eam instaurari non est passus, de quo hæc anonymus auctor b: *Ciuitatem Soranam contra pacis formam spreta iuramenti religione combussit, nec permittit ecclesias repara-*

Prophanata numinis tẽpla.
Soranas ecclesias non permissas instaurari.
b M S. Val lic. bibl. gest. Greg.

parari crudeli sententia cum corporibus sanctorum exustas.

6 *Item pro eo quod nepotem Regis Tunisi venientem ad Romanam Ecclesiam pro suscipiendo baptismatis sacramento detinet, nec venire permittit. Item pro eo quod Petrum Sarracenum ciuem Romanum ex parte Regis Angliæ ad sedem Apostolicam venientem cepit & detinet carceri mancipatum.* De capto nepote Regis Tunetani magno religionis Christianæ opprobrio supra dictū est a. quod autem ad Petrum Sarracenum attinet: coniecerat illum in vincula Fridericus, cum suspicaretur ab Anglorum Rege ad conflandam cum Pontifice aduersus ipsum coitionem missum, ad quem ex iniusto carcere liberandum Gregorius Florentinum episcopum miserat b, literisque Fridericum rogarat, vt ipsum in libertatem assereret. Agit de eodem Petro Sarraceno Parisius c aitque Othonem Cardinalem conatum Henricum in Imperatorem proposita illi ob oculos accepta iniuria concitare: sed ipsum molliore animo iniuriam tulisse.

a Ann. 1236. nu. 32.
b Lib. 12. ep. 129.
Oratorē Regis Angl. coniectum in vincula.
c Par. hist. Angl.

7 *Item pro eo quod terras Ecclesiæ occupauit contra iuramentum, quo super hoc tenetur Ecclesiæ, temere veniendo.* Quæ fuerint illa ditionis pontificiæ a Friderico erepta Ecclesiæ, explicat in literis d alijs encyclicis ac gesta Gregorij exprimunt: *Vt autem maiori pœnæ se reddat obnoxium, quo culpam in terminos laxiores immittit ad Ecclesiæ terras & ecclesiarum bona sacrilegas manus extendens, Ferrariam, Pigonogam, Bondenum, Massam Lunensis diœcesis & terram Sardiniæ contra iuramentum super his conseruandis præstitum occupauit.* ac sane Fridericum occupata Ferraria, quam Salinguerra olim ab Innocentio III. iure fiduciario acceptam violato sacramento prodiderat, Pontificem missis oratoribus deludere tentasse, ac dum verba inania daret, Sardiniam ac Massam eripuisse queritur Gregorius in sua contra calumnias Friderici apologia e: *Ferrariam & quasdam alias terras Ecclesiæ in Lombardiam contra iuramentum præstitum temere veniens occupauit; super quo & alijs credens detinere manibus verbis dictos Panormitanum archiepiscopum, & alios nuncios suos cum literis de credentia ad nostram duxit præsentiam destinandos, quibus offerentibus nobis satisfactionem super præmissarum offensarum emendatione venerabilem ante, & post ipsorum a curia nostra recessum, terram Sardiniæ & Massam Lunensis diœcesis occupare ad Romanam Ecclesiam pertinentes non omittens ipso facto, ne vltra eius expectaremus correctionem, edocuit; se non debere fidem sibi vel suis nuncijs adhiberi operis euidentia demonstrauit.* Subdit se toties vanis illius pollicitationibus circumuentum anathemate ferire perfidum differre non potuisse, quibus consentit Parisius f, maxime eo flagitio exasperatum Gregorium, vt in Fridericum ecclesiasticum fulmen iacularetur.

Ditionis pontificiæ loca occupata.
d Lib. 13. pag. 149.
e Lib. 13. pag. 150.
f Par. hist. Angl. hoc ann.

8 *Item pro eo quod terras quorundam nobilium de regno, quas Ecclesia tenebat, ad manus suas occupauit & deuastauit. Item pro eo quod quasdam ecclesias cathedrales fere bonis omnibus spoliauit. Item pro eo quod multæ ecclesiæ cathedrales & aliæ ecclesiæ, ac monasteria de regno pro iniqua inquisitione fuerunt fere bonis omnibus spoliata.* Adducitur in Gregorij gestis locorum, arcium & oppidorum series, quæ Fridericus eripuit ecclesijs, atque in suam potestatem redegit: *Iurisdictionem quam idem*, de Cassinensi monasterio loquitur, *in S. Germano loco vtique populoso, & multa commoditate dotato longa traditione possiderat; castrum etiam Attini, roccam Bantra, roccam Guillelmi in eius confinio, in Calabria castrum Maluiti & possessiones non modicas suo dominio in Romanæ Ecclesiæ iniuriam et B. Benedicti applicauit, &c.* Pergit auctor aliorum locorum, ac possessionum nomine recensere, quæ Fridericus per summam tyrannidem ecclesijs, ac pijs locis eripuerat.

Siculorū locorum & ecclesiasticorum bona direpta.

9 *Item pro eo quod Templarij & Hospitalarij in regno mobilibus & immobilibus spoliati non sunt iuxta tenorem pacis integre restituti. Item pro eo quod exactiones contra formam pacis ab ecclesijs & monasterijs per ipsum extorquentur in regno. Item pro eo quod in regno prælati ecclesiarum & abbates Cistercienses & aliorum ordinum compelluntur dare summam pecuniæ per singulos menses pro constructione castrorum a.* Religiosorum equestrium ordinum bona a Friderico direpta fuisse, atque ipsorum xenodochium Barolitanum tam impie euersum quam pie fuerat excitatum refert gestorum Gregorij scriptor his verbis: *Hospitalarijs & Templarijs, quorum sanguine Terra sancta defenditur, cum deberet adesse præsidio, adeo molestus occurrit, quod terras eorum, quas eleemosynaria deuotio contulit, ambitiosa manus extorqueat indeuoti, vt homo viuat in adipe, Christus in paupere moriatur. nobiles domos ipsorum apud Barolum pia fidelium erogatione constructas in crucis euertit iniuriam aduersarius crucifixi.* Addit ad impietatis cumulum rudera illius xenodochij ad Nucerinū palatium extruendum translata, deploratque ecclesiasticos, ac religiosos turpissimæ subiectos seruituti: *Clericos in Domini sortem assumptos & religiosos singulos, in quibus sua potentiæ frena laxantur, durissimæ afflixit angarijs; & quos vtriusque testamenti pagina libertate donauit, hic innouator sæculi noua seruitute condemnat.* Sed reliquas iacti anathematis causas afferamus.

Templarios vtrosque regulos totis bonis exutos ob. ...
a Ann. 1231. n. 2.

10 *Item pro eo quod contra tenorem pacis hi, qui adhæserunt Ecclesiæ, bonis omnibus spoliati exulare coguntur tanquam proscripti, vxoribus & liberis captiuatis.* Obiurgatum sæpius b a Gregorio vidimus Fridericum, conceptum in eos odium effundere. quem vindictæ cupiditate aduersus innocentes ferocientem ita describit anonymus auctor: *Et vt nec sexus, nec conditio sub tyranno respiret, comites & barones, quibus tota florebat Apulia, & Sicilia præmunita gaudebat; quorum obsequio sicut ex homagio tenebantur, colla rebellantium sedes Apostolica comprimebat, alios damnauit exilio, alios peremit ferro: quosdam famis consumpsit inedia, quosdam carcer tenebrosus exhausit; hos laqueus illos gladius interemit: nonnullos mare absorbuit: multos ignis acerbus crudeli damnatione decoxit: talibus hos Christi milites princeps Christianus honorat, talibus recompensat stipendia obsequia ministrorum.* Et paucis interiectis verbis de crudelissimis eius exactionibus hæc subijcit: *Patres capiuntur ac nati: ac si non est vnde pacari valeat, ex tortoris instantia exanimat suspendio fœminas, vt pœnis extorqueat, quod in terra visceribus callida credit opinione sepultum: molle genus hominum fœminas, nec Cæsaris ira dignum, non culpa qualitas, sed auaritia tortoris affligit; non præsumpta suspitionis opinio, sed libido excruciat sæuiendi; rationale animal irrationalis crudelius in eas pœnarum exercet aculeos, cum quibus sua lenocinia frequentauit; amator plus pecuniæ quam salutis eis, in quarum complexibus ponit animam dilectus pecuniæ non indulget: hoc licet immerito crudelius quod masculus sæuit in masculum, sed fœminis crudelis lenimento blanditur: id autem, non substantia non pecunia, non sanguinis effusione quietus, vt nullus iniuria inueniatur immunis, affligat virgines, & adhuc parentum recenti sanguine cruentatas, in consolationis remedium Rex pius in prostitutionis sibi coniungit abusum; & emissarius indefessus in fœminas non coniugatis nō solutis indulgens, aggreditur viribus, quas non permittit assensus; & quas oculus venator obtulerat.* Addit auctor aliud Friderici facinus nefarium, ipsum pyratæ crudelis instar, virginum piscatum naufragia Sarracenis pudicitiam puellarum, quas Christianus character impresserat, exposuisse.

Pontificiarum partium studiosos contra pacis leges proscriptos.
b Ann. 1230. n. 17. an. 1231. nu. 2. ann. 1233. nu. 32. 33.

Item

11 *Item pro eo quod ipse impediuit negotium Terræ sanctæ & recuperationem Imperij Romaniæ.* Increpuerat diu ante Fridericum Pontifex ob prohibitos sacros concionatores, ne publice de Deo verba facerent, ac populos ad induendam contra schismaticos & Sarracenos crucem incenderent, ad quod tegendum flagitium hanc apologiam texuerat a: *Abominamur & punire decreuimus processum illorum, qui prædicationem catholicæ fidei, in qua nos ipsi sancto proposito viuere peroptamus & mori, & de subsidio Terræ sanctæ, quod nostris est humeris specialius deputatum, præpedire præsumunt. In vtroque tamen, quia sub prætextu liciti frequenter illicitum agitur, futura nobis & regno dispendia præcauemus: illorum etenim exempla nos terrent, qui occasione prædicationis huiusmodi in detractionem nostri nominis linguas exacuunt, cateruas hominum congregant sub vexillis: qui dum se discordantium arbitros faciunt, dum caueri sibi sub Ecclesiæ nomine postulant, a suspectis in fide, bona fidelium nostrorum villas & castra pro securitate sibi assignari procurant: sic frater Ioannes in marchia Veronensi castris acceptis se ducem Veronæ & rectorem perpetuum in suis literis proprijs appellabat: sic in Apulia quidam frater, assumens a puerorum simplicitate primordium, tam multos ibidem sub vexillo proprio congregarat. Hoc etsi boni forte sit zelus, quia tamen mali speciem non euitat, proculdubio iussimus inhiberi.* Hæc Fridericus, quem perstitisse in suscepto scelere queritur Gregorius in literis ad Rhemensem archiepiscopum datis b: *Populis vndique collectis Crucifixi fidem & nomen publice prædicari in eodem regno prohibuit: recuperationem Terræ sanctæ & negotium impediens ad eius consummationem de bonis fidelium conferri interdixit.*

Impedita recuperandæ Terræ S. retinendoq; Imp. Constantinop. auxilia.

a Extant hæc Friderici lit. apud Greg. l. 10. ep. 252.

b Lib. 13. pag. 150.

12 Adductis itaque omnibus ijs causis, ob quas iustissime anathemate defixus erat, Pontifex omnes Friderici subditos officij ac sacramenti, quo illi deuincti erant, religione absoluit; promulgauitque de gesto male vectigali regno ipsum in ius vocaturum: *Omnes autem* (inquit) *qui iuramento fidelitatis ei tenentur astricti, ab eiusdem iuramenti obseruatione decreuimus absolutos, ne sibi fidelitatem obseruent districtius inhibentes, quamdiu fuerit vinculo excommunicationis astrictus. Super oppressionibus vero & grauaminibus aliis nobilium, pauperum, orphanorum, viduarum, & aliorum de regno, pro quibus idem Fredericus iurauit stare mandatis Ecclesiæ, ipsum intendimus admonere, & in ipso negotio dante Domino procedemus sicut fuerit procedendum.* Imposuisse illum Siculis grauissimum seruitutis iugum, atque adeo omnis conditionis homines grauasse, vt merito beneficiario regno exui mereretur, prosequitur eleganter memoratus gestorum Gregorij auctor: *Nec in his auertitur furor eius, sed adhuc manus sæuientis extensa, nam præter illas exactionum species, quas personale procurat edictum, nouus monetæ falsarius dum cudit diuerso charactere, argenti tenui superinducta cuticula, exponit occultus mercator venalia, nec quartam partem pretij valitura, salis & ferri, ac eorum omnium, quæ vsibus debentur humanis, commercia interdicit, vt nulli emere vel vendere liceat, nisi prius noui iuris, vel iniuria sua portio deducatur. Pharaone crudelior, qui si subtractis paleis lateres duplicasset, commercij saltem non priuauerat libertate. Hic est Rex religionis amator, sic indicens secularibus obseruantias regulares, vt dum omnia sibi communicanda decernit, nihil eos proprium patiatur habere. Si talia Rex vnctus debuit, si hæc imperatoriæ competunt maiestati, iudex districtus examinet, & vindicet dominus vltionum. Quod si salutis prodigus sententiam superioris eludat, videat ne de feudi conditione succumbat, qui iniuriam correptionis euitans contra iuramenti debitum tot peruersis modis ac motibus deliquit in feudum. Beneuentanam vtique ciuitatem non minus fide quam dignitate præclaram; quam post alta Vrbis & admiranda fastigia cunctis industriorem vrbibus, & prima suorum mœnium fundamenta, & priuilegia libertatis antiqua omni exceptione maiora testantur, deuotione præcipuam, constantia singularem, amœnitate conspicuam, rebus & virtutibus opulentam, quam in regni centro sedes Apostolica suo custodio in signum dominij reseruauit, illis premit & angustat doloribus, vt adhibitis in vestibulo portæ custodibus intrare, vel exire volentes nona soluere pedagia compellantur; terras excolere nisi data redemptionis pecunia non permissis, eisdem in regni finibus commercijs interdictis; nec ad matris licet recurrere gremium, nisi quia manus euaserunt insequentium tali obsidione conclusis. Hoc solum adesse videretur auxilium, vt in manus deuoluerentur hostiles, nisi præstaret probata fides obstaculum, quæ molestias alleuiat passionum.*

Vocatur in ius ob vectigale regnum male gestum.

13 Præsenserat Fridericus vrente criminum conscientia a Gregorio anathema, cuius minæ grauissimæ intentatæ, ni commissa improbe in Ecclesiam emendaret, incussum iri; literasque ad Cardinales irarum plenas decima die martij vndecima indictione Podonij consignatas antea scripserat a, cum Stadensis diem cœnæ Domini, qua vibratum anathema est in IX. kal. april. incidisse dicat, quæ quidem literæ post iaculatas censuras Cardinalibus delatæ, quarum Pontifex in suis encyclicis partem affert b, vt ex earum lectione præsules crudelem tyranni animum ab Ecclesia omnino alienum agnoscerent: *Quia,* inquit, *terroris sonitus semper est in auribus impiorum, & etiam quando pax est, insidias suspicantur, eo quod turbata conscientia semper sæua præsumit; idem Fredericus priusquam sententia excommunicationis lata esset in ipsum, quasdam fratribus nostris decreuit literas transmittendas pro parte inferius annotatas, quæ post eandem latam sententiam ipsis præsentatæ ad nostram & eorumdem notitiam peruenerunt. Vnde quia voluit Dominus occulta cordis eius detegere, qui manifestat abscondita tenebrarum & cordium secreta reuelat; ex ipsarum tenore literarum potest colligi quam gerat deuotionem ad Rom. Ecclesiam matrem suam; quam ad summum Pontificem & fratres eius, ac sedem Apostolicam reuerentiam habeat, cuius ratione regni vassallus existit: contra nos enim & ipsos conspirasse videtur, ex quo quantum & quale crimen incurrerit, satis patet. Inter cætera vero, quæ sua continebat epistola, hæc habebantur inserta: [Propter quod non indigne dolemus, si pater Apostolicus offendere tam grauiter nos intendat, vt dum in constantem virum tam vehemens cadit iniuria, & si patienter ferre velimus, immanitas negotij non permittit, quin ad vltiones, quibus Cæsares vti solent, facti violentia nos impellat. Veruntamen dum consideramus impatientiam procedentis, & difficultatem attendimus offensoris, si ex æquo liceret priuatas exercere vindictas, quas in hominem, per quem scandalum venit, & in sui participes sanguinis compensare possemus, vt in ipsum & suos attentata nostra sedis iniuria redundaret, tolerabilius duceremus. Sed cum nec ipse, nec tota propter hoc sua passura progenies tanti forent, vt culmen Imperij zelaret vltionem ipsorum; cumque sedis auctoritas audaciæ sibi fræna relaxet, & tot venerabilium fratrum moles eum in concepta fouere pertinacia videatur, angit nos aliquis mentis turbatio, quod dum nos intendimus a persequente defendere, oporteat nos defendendo grauius offendere resistentes.] In præmissis autem negotium Ecclesiæ vobis duximus attentius commendandum, vt tanquam proprium ipsum assumentes efficaciter ad fidei catholicæ robur conseruationem ecclesiasticæ libertatis & totius populi Christiani quietem efficaciter intendatis. Dat. Lat. VII. id. apr. an. XIII.*

a Extat apud Petr. e Vineis Matt. Par. hist. Angl.

b Lib. 13. pag. 149.

Præsentiens Frid. in se anathema latum iri comminatorias literas mittit.

Iactatæ crudeles ab eo in Pontificem minæ.

14. Non terruere Gregorium crudeles tyranni minæ, sed quam sacro Palmarum die sententiam tulerat in Lateranensi basilica, die cœnæ Domini renouauit,

ſtauit, vt ſuperbe queritur in ſuis ad Richardum Cornubiæ comitem literis a Fridericus; ex quo conciliari poſſunt auctores, qui de promulgatæ ſententiæ die diſſentire inter ſe videntur, dum alij die cœnæ Domini, vt Stadenſis & Richardus b, alij, vt Pariſius c, & monachus Parauinus die Palmarum depulſum e cœtu fidelium Fridericum docent: lapſiſque nonnullis diebus vniuerſos orbis Christiani præſules ſententiam in Fridericum latam promulgare encyclicis literis d iuſſit, in quibus, vbi poſt collocata in luce ingentia beneficia, quæ Fridericus a Romanis Pontificibus acceperat, atrocia ſcelera ſuperius in concepta anathematis forma recenſita adduxit, ſubijcit:

a Ext. apud Petr. e Vineis et Par. hiſt. Angl. hoc ann.
b Rich. in chron. Stad. in chron.
c Par. hiſt. Angl. mon. Pad. chron. lib. 1.
d Lib. 13. pag. 149.

Promulgari illam toto orbe iubet Greg.

15 *Quia vero ſuper ijs & quampluribus alijs exceſſibus pluries a nobis monitus correctionis medelam nõ ſentiens, cum ſuarum ſint vlcera indurata culparum, quotidie deteriora committere non veretur; nos hæc abſque Chriſti offenſa præterire ſub diſſimulatione vlterius non valentes, de fratrum noſtrorum conſilio ex parte Dei omnipotentis, cuius vicem in terris gerimus licet immeriti, & auctoritate beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ac noſtra in eum & omnes illos, qui in præmiſſis vel aliàs contra Romanam Eccleſiam ſibi præſtiterint conſilium, auxilium, vel fauorem, excommunicationis & anathematis ſententiam duximus promulgandam, tradentes ipſum ſathanæ in interitum carnis, vt ſpiritus eius in die Domini ſaluus fiat; omnes qui ei fidelitatis iuramento tenentur, decernendo ab obſeruatione iuramenti huiuſmodi abſolutos; & firmiter prohibendo, ne ſibi fidelitatem obſeruent, donec fuerit vinculo excommunicationis aſtrictus. Ad hæc ciuitates, caſtella, villas, & alia loca, ad quæ ipſe peruenerit, quandiu ibi fuerit, eccleſiaſtico ſubijcimus interdicto; ita quod publice vel ſecreto nullum ibi diuinum officium celebretur, indulgentia vel priuilegio quolibet non obſtante: omneſque qui eadem præſumpſerint celebrare, vel potius prophanare diuina, pœnæ depoſitionis perpetuæ decernimus ſubiacere, vniuerſis patriarchis, archiepiſcopis, & epiſcopis, abbatibus etiam & alijs eccleſiarum prælatis diſtrictius inhibentes, ne vocati ad eum vadant, nec cum ipſo morentur; alioquin debitam non effugient vltionem.*

16 *Quocirca vniuerſitatem veſtram monemus, & hortamur attente, per apoſtolica vobis ſcripta in virtute obedientiæ firmiter præcipiendo mandantes, quatenus nullum ſibi præſtantes conſilium, auxilium, vel fauorem prædictam excommunicationis & anathematis ſententiam ſingulis diebus dominicis, & feſtiuis, pulſatis campanis, & candelis accenſis, ac generaliter alia omnia, quæ præſentibus continentur, ſolemniter publicare ac nuntiare curetis, & faciatis ſimili modo per veſtras ciuitates & diœceſes publicare & etiam nunciare; mandatum noſtrum taliter impleturi, quod de negligentia redargui aliquatenus non poſſitis, & nos contra vos aliàs procedere non cogamur. Cæterum cum præfatus Fridericus de alijs magnis & grauibus ſit plurimum infamatus, nos dante Domino ſuper ijs ſuo loco & tempore procedemus, prout in talibus negotij natura requiret.* Et infra: *In præmiſſis autem negotium Eccleſiæ vobis duximus attentius commendandum, vt tanquam proprium ipſum aſſumentes efficaciter ad fidei catholicæ robur, conſeruationem eccleſiaſticæ libertatis, & totius populi Chriſtiani efficaciter intendatis. Dat. Later. idus april. ann. XIII.* Inſcriptæ ſunt hæ literæ in regeſto pontificio Rhotomagenſi archiepiſcopo & ſuffraganeis: poſt quam adiectum eſt ad omnes archiepiſcopos, Reges, duces, comites, ac viros potentia & nobilitate florentes immutatis conſentaneis ſententijs miſſas eſſe; quæ etiam apud Pariſium Othoni Cardinali in Anglia legato datæ extant, ſed in quibus nonnulla a nobis allata deſunt.

17 Correptus pontificijs cenſuris Fridericus arrogantem animum ad flagitandam criminum veniam non fregit, cuius immanem furorem deſcribit vitæ Gregorij auctor: *Tunc Cæſar ipſe caſus auctoribus extra meritum delinquentis non ſub Chriſti humiliatus vicario, ſed ſuper omne id quod Deus dicitur, ac colitur, eleuatus, correptionis diuinæ medelam in ſua nequitiæ recordatione non ſentiens elatus, ex verbo Fridericus frendens & fremens abſorbet iram, nec latæ ſententiæ reputat ſonare clangorem: factus ceraſtes in ſemita, vngulam equi dentibus detractionis aggreditur, vt ſamam deijciat aſcenſoris: palliat culpam, proponit calumniam, innocentiã ſub verborum colore mentitur.* Valebat ipſe eloquentia, cuius ſucis & coloribus flagitia ſubornare præſidebat: ac Petri e Vineis ea laude præſtantis operam etiam adhibuit: e veteribus enim monumentis refert Sigonius a illum, dum in celebri S. Iuſtinæ monaſterio Patauij ageret, accepto vibrati in ſe anathematis nuntio, præcipitem concionem conuocaſſe: cumque imperiale ſolium conſcendiſſet, aduerſus Gregorium querelas effundere cœpiſſe, ſeque iniuſte fidelium cœtu depulſum: tum illius iuſſu Petrum e Vineis ab illo poetæ carmine prophanæ orationis exordium petijſſe.

Ingens eius aduerſus Põtificem iras concipit Fridericus.

a Sigon. de regn. Ital. l. 18. ab. ijs.

Leniter ex merito quidquid patiare, ferendum eſt,
Cum venit indigne pœna dolenda venit.

Eaque ſententia rei ſuæ accomodata Friderici querelas expoſuiſſe, Imperio præclare geſto indigne tractari: ſi aliquo crimine foret meritus, eccleſiaſticas omnes cenſuras æquo animo paſſurum: verum ab omni ſcelere purum eſſe palam illuſtraturum.

18 Mirum ſane Fridericũ in poſt tot graues antea adductas cauſas iactare ſolitũ ſine cauſa ab Rom. Põtifice anathematis nota inuſtũ, ſparſiſſeq; literas refertas calũnijs, de quibus auctor vitæ Gregorij: *Quadam falſa literarum congerie per Vrbem et orbis terminos matris pudicitiam lacerat filius abortiuus.* Fuere eæ calumniæ diuerſi generis, quas, vt ſuggerebat aſtutia, varie concinnabat. ſpargebat quidem Gregorium in ſe ob repudiatas de conciliando nothi filij cum Pontificis nepte matrimonio preces concitatum. Quam calumniam detergit egregie memoratus auctor anonymus: *In literarum ſuarum ſerie adiecit venerandum Pontificem illam cauſam commotionis habere, quod Cæſar requiſitus ab ipſo filium ſpurium eius nepti legitime noluit copulare: qui ſi quidem conſcientia teſtis fidelis exiſtat, ſi deponat officium detractoris, hoc inueniet frequenter ſua petitione porrectum, & ipſius Patris reſponſione negatum, ſicut venerabilium Meſſanenſis & Panormitani archiepiſcoporum, Theutonicorum magiſtri, Petri de Vinea iudicis, & aliorum, quibus hoc proſequendum iniunxerat, aſſertio veridica manifeſtat. Nec veriſimile videretur, vt ſummus Pater, ſi circa ſanguinis proximos inclinaret affectum, homo nobilis de Comitum genere neptem ſuam ſpurio copularet, cuius progenitores præter ſummi præſulatus officium nobilioribus Vrbis & Campaniæ linea propinquitatis fuere coniuncti.* At quæ cauſa Fridericum impuliſſet, vt Pontificis affinitatem affectaret, declarat Gregorius in apologetico b; vt nimirum corrupta apoſtolica integritate liberius in eccleſias graſſaretur, ſceleraque impune exerceret. *Non eſt dolor*, inquit, *quod ſic profundo gladio eius feriat animum, ſicut dum terminos transgreditur Regum nec poteſt aggredi officia ſacerdotum: propter quod idem qui pro auri fame dictum regnum Siciliæ iam redegit in cinerem, credens ſe, qui omni tempore oſtia ſua paucis pure, pluribus vero iuſtitiam pretij venalitate corruptus exhibuit, quod in perſona ſua reſuſcitans magum Simonem luto temporalium maculare poſſit Eccleſiæ puritatem, vt ſic in ſpiritualibus graſſari & in ſuis permitteretur ſordibus remanere; murum integritatis eccleſiæ multis & ſpecialiter oblatione caſtrorum, ac parentela inter ſuos & noſtros contrahenda, pro qua nos per quoſdam magnos* pra-

In eum effundit calumnias.

Fingit manes ſacę in ſe ſententiæ cauſas.

Infenſum ſibi Greg. ob repudiatã eius affinitatẽ. Refellitur ea calumnia.

b Extat l. 13. pag. 150.

prælatos & nuncios suos pluries requisiuit, tentauit infringere: nunc vero quia id nulla instantia nulloque ingenio, sicut est in curia nostra quasi notorium, a nobis potuit obtinere; quin potius se cum suis perditionis rilictum, artium suarum fallacijs in peius proficere iam agnoscit, quia nescit vltra quid faciat, seipsum mendacio suo in alterum detractione deturpat, more meretricis Aegyptiacæ, quæ Ioseph inuitauit ad stuprum, & ab ipso contempta apud virum suum volens accusauit inuitum.

Alia eiusdem calúnia Mediolanensiũ studio id egisse.

a Extant apud Petr. e Vin. & Matth. Par.

Confutatur.

19 Præterea calumnia illa in pluribus epistolis aspersit Gregorium, solo Mediolanensium studio in ipsum concitatum. Quam calumniam in literis a ad Anglorum Regem aliter subornabat, ideo exasperatum Pontificem, quod iura Imperij sedis Apostolicæ arbitrio permittere detrectasset. Verum in Mediolanensium causa iura Imperij Gregorium asserere conatum dicta annis superioribus illustrant: imo magis tuendo Imperio quam Fridericum studuisse rei exitus docuit, cum Insubres fœderatos ad obsequium adduceret: Fridericus vero intolerabili superbia venientes repulerit, vt ipsi obiecit Pontifex in apologeticis literis b: *Idem blasphemus intelligat sibi ad infamiam merito reputari, quod cum ad ipsius & nunciorum suorum instantiam venerabilem fratrem nostrum Ostiensem episcopum, et dil. filium nostrum T. tituli S. Sabinæ presbyterum Cardinalem pro pace iuxta formam ab eisdem nuncijs inter Lombardos & Imperium reformanda ad partes misissemus easdem, idem dictis legatis petita & ampliora adimplere paratis, & delusis nobis reformationem pacis per ipsos noluit acceptare. Ecce nunc, intelligite qualiter Imperij iura conculcauimus. Ex præmissis aduertite qualiter a nobis hic fuerit impeditus, qui longo & inani labore suos & suorum humeros decreuit potius conteri, quam passus extiterit per nos iura Imperij reformari.* At si demum Insubrum partes defendendas susceperit Romanus Pontifex, ad id coegit Friderici ambitio, cum ditionem pontificiam occuparet; factique æquitatē ita ostendit Gregorius: *Ipsius potentiam habentis iusta ratione suspectam, cum melius sit ante tempus occurrere, quam post inflicta vulnera remedium inuenire, ad attendendas suorum progressuum fimitas officium legationis dicto notario,* nimirum Gregorio e Monte longo, *commisimus: qui nequaquam iuxta ipsius suspicionem id fecimus, sed vt per eum bellorum cladibus, animarum corporumque periculis obuiare possemus.*

b Lib. 13. pag. 150. ext. apud Par. hist. Angl.

Asserente Greg. iura Imperij ea euertit Frid.

Mēdacijs obscurare Pontificis famam molitur

c Ext. apud Petr. e Vinea.

20 Euomuit ineptam aliam in Pontificem calumniam, ipsum gloriæ suæ inuidisse: in literis c enim tum ab eo sparsis, vbi iactauit collata a se ingentia beneficia, susceptos immensos labores, adita maris pericula, propagatam defensamque fidem, compressos Sarracenos, partas pro Ecclesiæ honore victorias iniurijs compensari: Papam inuidia suffusum, quod laici laboribus Ecclesia in eam maiestatem assurrexisset, coniurationem in eum conflasse, vt gestorum gloriam extingueret, ac deleret; cumulandis illum opibus, non augendæ diuinæ gloriæ inhiasse: Ioannem Brennensem olim Regem Hierosolymitanum in eum armasse, extortisque a præsulibus pecunijs auxisse: se eo cognito conceptoque dolore suppresso inducias pepigisse cum Sarracenis, reditumque præcipitasse: ditionem suam a pontificijs vastatam occupatamque reperisse; ac iuste in illos commotum, qui eius pro amplificanda Christi gloria consilia disturbassent, animaduertisse, omniaque in pristinum statum restituisse: illum esse odiorum fomitem, e quo tantum incendium erupisset. Sed quot & quātis mendacijs hæc impudenter subornata quis non videat, si modo quæ superius insinuauimus, secum animo agitarit? Scilicet ob amplificatam Ecclesiæ gloriam inuidia afflatus Pontifex in eum consurrexit, cum ille Ecclesiæ Christique gloriam descrta eius causa obtriuisset, Sarracenicæ superstitioni templum Domini sacrilege prostituisset, Christianæ rei exitiales inducias pepigisset, ob quas a patriarcha meruerat censuris percelli.

Proscindit summi tijs.

21 Nec minus abhorrent a veritate, quæ varijs fucis colorata scripsit in ijs literis, quibus Christianos principes ab Ecclesiæ obsequijs abducere meditatus est. Carpebat illum, ob adeptam pontificiam dignitatem superbia elatum, ex amico in hostem descivisse: sibi innumeras insidias conflasse: morbo laboranti profectionis differendæ moram immaniter denegasse; susceptaque expeditione literas ad Soldanum, ne ereptas terras restitueret, scripsisse: decimas corradere, non ad ferendam Terræ sanctæ opem, sed vt in suos vsus eas conuerteret: Insubribus Imperij perduellibus semper fauisse: quoties ipsius iudicio res Imperij, suasque iniurias permisisset, toties circumuentum fuisse: maximi denique principum interesse, vt non æquo animo inustam summo Christianorum principi iniuriam tolerarent; cum ipsorum dignitas in eius causa laboraret: ac facile Reges & principes a Pontifice obtritum iri, si Imperatorem suæ mancipasset seruituti.

Scribit aduersus calũnias Frid. apologiam Gregor.

22 Cum principis proterui facinus audisset Gregorius, vt calumnias refelleret, tum vt aduersus sparsum virus antidotum pararet, supremam enim Pontifici in sacra auctoritatem & concessum Petro clauium ius carpserat; literas alias ad vniuersos principes exarauit, quibus Friderici in Ecclesiam, a qua educatus fuerat, a qua cōtra hostes ferocissimos materna solicitudine defensus fuerat, a qua regnũ Siciliæ fiduciario iure receperat, a qua Imperium fuerat eblanditus; ingratum animum, commissa scelera, illatas ecclesiasticis iniurias, præsules suis sedibus pulsos, imposita populis immania onera ac tributa, Sarracenos apud ipsum florere gratia, ecclesiarum bona direpta, expeditionem sacram prauis artibus disturbatam, auxilia Imperio Constantinopolitano interclusa, desertam Terræ sanctæ defensionem, occupata ecclesiastica iura, ereptam Ferrariam, Sardiniam inuasam, excitatam subornatis Romanis contra se persecutionem, aliaque facinora ante omnium oculos posuit a quæ vero Fridericus contra Gregorij dignitatem, vt eam obscuraret, temere iactauerat, ita demissione Christiana refregit: *Fatemur nos defectu meritorum nostrorum indigne Christi esse vicarium: fatemur nos oneri tanto insufficientes existere, quod humana conditio non potest absque diuino suffragio supportare; nihilominus tamen vices nobis commissas, prout melius nostra permittit fragilitas, exequentes secundum quod locorum, temporum, personarum & negotiorum qualitas & natura requirunt disponenda disponimus, & cum excellentibus personis pure & secundum Deum, cum necessitas id exposcit, de nostra potestatis plenitudine dispensamus.*

a Lib. 13. pag. 150.

23 Adiunxit calumnijs Fridericus atroces minas, quas auctor vitæ Gregorij eleganter describit: *Interim autem ebulliens serpentis astutia venena prodebat in publicum in Christi vicarium, & fratres venerabiles Cardinales, ac eius sanguinis proximos eorum sanguinis effusionem suspirans, sicut ipsius litera attestabantur eisdem Cardinalibus & populo Romano transmissa; quæ præter comminata supplicia, & graue famæ dispendium, & personarum sedis Apostolicæ dissidium sapiebant, si tamen contra famam patris laudabilis filius admittatur infamis.* Et infra: *Et quidem terroribus terrores innectit, vias quærit, consilia discutit, congestis vndique sumptibus præmunitur, vt dominam gentium Christi sponsam constitutam super gentes & regna suis detrahat conatibus in ruinam, confundat prostitutiams iniuria, & ponat seruitutis opprobrio desolatam. Comminatur aperte sanctum dare canibus;* id est Sarracenis, quorum ingentes copias furo-

Comminatur Frid. Rō. Eccl. euertere.

Sacra omnia prophanare.

furoris strenuos administros sibi allegerat, & venerandam principis Apostolorum basilicam in præsepe deducere iumentorum; sacrosanctum altare supra corpus Apostoli mirifice collocatum equorum vsibus positurus.

Christi vicarium ad extremã egestatem & ignominiam redigere.

24 *Quin etiam Ecclesiæ Principem in illam immergere gloriatur egestatis iniuriam, vt cinerem pro corona suscipiat, spinas pro pane vescicet, & pro equorum candidata gloria cogatur quærere subiugale; in illum nihilominus eat producturus vindictas, quibus in primos erumpentis Ecclesiæ filios gentilitatis tempore Cæsares vti solent. Qui si beneficia recepta recoleret, si matris affectum appenderet in statera, quæ ipsius propitiata profectibus terram sibi pacabat & maria, nec emergebat obstaculum, quod non Ecclesiæ subsidio tolleretur; nec vnquam repulsam gratiæ pertulit eiusdem petitio, quæ comitem iustitiam habuisset, ac postmodum pupillum de quærentium manibus prouida tutrix eripiens, Siciliæ regnum a multorum tyrannide præsertim Othonis Imperatoris potentissimi aggressione seruauit, quo ipsius intuitu per legatum sedis Apostolicæ electo eum laboribus atque impensis innumeris ad Imperij prouexit fastigium iam adultum: cui tandem de plenitudine gratiæ felicissimum regnum Hierosolymitanum adiecit, ea intentione dumtaxat, vt regnum integraretur in ipso, & idem magnificentior effectus in regno, eo deuotior cum gratia & retributionis obsequio redderetur, quo de sola sedis Apostolicæ dextera maiora susceperat incrementa: sed sic conscius erumpens in regulum, & idem magnificentior effectus, cumulatis viribus properat vexare fouentem: huiusmodi fructus mortiferos cultoris operosis laboribus planta venenata producit: sic nutritus serpens in gremio recompensat, hæc matri filius, hæc pupillus retribuit pro tutela; minus prudenter examinans, quod Cham pudenda patris fecere maledictionis hæredem, & Absalonem in patris solium aspirantem vindex quercus suspendio vili peremit. Videat igitur subditus: attendat amicus: hic paruulus instruatur & magnus. Quid de tali sperari debeat, de quo mater cogitur desperare? Quid ab illo fidei, quid retributionis alienus expectet, qui Deo fidem, fidelitatem Domino non attendens affectum patri promotori vicem tam tristi vicissitudine recompensat?*

Ingratus ille erga sedem Apostolicam animus.

Commiscentur hæreses.

25 Superioribus calumnijs, ac minis atrocibus ad euertendam auctoritatem pontificiam impia dogmata adiecit. Negauit in primis ea Romanum Pontificem valere auctoritate, vt ipsum ab Ecclesia posset depellere; atque in eam audaciam prorupit, vt sacramenta magno sacrilegio sibi anathemate defixo ad impietatis ostentationem porrigi iuberet; de quo hæc grauissime memoratus auctor in eum intorsit: *Quis non dicat hæreticum sedis Apostolicæ subuersorem? Cum enim sacrosanctæ sedis antistitem sanctum asserant sacratissimæ sanctiones, pœnam meretur sacrilegij de tantæ sedis potentia disputare.* Et infra: *Ecclesiæ claues quas Christi successoribus in Petro concessit, sic ille temerarius Fredericus infringit, vt excommunicatione contempta, sacratissimum Christi corpus, quod nec sano deuotio, nec ægro necessitas suadebat, nunc de corpore præcisus Ecclesiæ assumit sacrilegus, & diuina mysteria, quæ prius, vt non vocem incantantis audiret, conclusis auribus fugiebat, prohibitus frequentare præsumit ore polluto, protestans nullam ligandi atque soluendi datam potestatem Christi vicario.*

Concilia [illegible]

26 Cũ hæc & alia ad quæ Christianæ aures horrẽt tam aduersus Christi vicarium quam Dominum maiestatis Fridericus enomeret, Põtifex vt aduersus venena antidotum pararet scriptis ad omnes præsules, Reges ac principes Christianos literis a execrandas illius hæreses in lucem produxit, vt citius eliderentur.

a Lib. 13. pag. 150. & sequentibus apud Paris.

Gregorius, &c.

Vnum est de quo, etsi pro homine perdito sit dolendum, lætari non modicum, & Deo regratiari debetis, quod volente Domino, qui diutius occultari non patitur vmbram mortis, iste qui gaudet se nominari præambulum antichristi, non expectans propinquum suæ confusioni iudicium, manibus proprijs effosso suarum abominationum pariete per dictas literas eius suarum producit in lucem opera tenebrarum, in eis constanter proponens, quod per nos tanquam Christi vicarium vinculo excommunicationis astringi non potuit. Sicque affirmans non esse apud Ecclesiam a Domino beato Petro, & eius successoribus ligandi, atque soluendi traditam potestatem, dum hæresim asserit, proprio sibi argumento concludit, consequenter ostendens, quod male sentiat de cæteris fidei orthodoxæ articulis, dum Ecclesiæ, super quam fides fundata consistit, auferre nititur concessum verbo Dei priuilegium potestatis. Sed quia minus bene ab aliquibus credi posset, quod se verbis illaqueauerit oris sui, probationes in fidei victoriam sunt paratæ, quod iste Rex pestilentiæ, a tribus baratatoribus, vt eius verbis vtamur, scilicet Christo Iesu, Moyse, & Mahometo totum mundum fuisse deceptum, & duobus eorum in gloria mortuis, ipsum Iesum in ligno suspensum manifeste proponens. Insuper dilucida voce affirmari, vel potius mentiri præsumpsit, quod omnes fatui sunt, qui credunt nasci de Virgine Deum, qui creauit naturam, & omnia potuisse; hanc hæresim illo errore confirmans, quod nullus nasci potuit, cuius conceptum viri & mulieris coniunctio non præcessit: & homo nihil debet aliud credere, nisi quod potest vi & ratione naturæ probare. Hæc & alia multa, quibus verbis & factis catholicam fidem impugnauit & impugnat, suo loco & tempore, sicut decet & expedit, manifeste poterunt comprobari. Quocirca vniuersitatem vestram rogamus, monemus, & hortamur attente in virtute obedientiæ per apostolica scripta districte præcipiendo, quatenus ne dictus Fredericus corda fidelium fallacibus verbis subuertere, vel contagione sua possit quomodolibet gregem Dominicum maculare, clero & populo vobis subditis supradicta plene, ac fideliter exponatis. *Dat. Later. kal. Iulij pontif. nostri an. XIII.* Blasphemas illas Friderici voces ac nefandam hæresim indicare videtur historiæ Lantgrauiorum Thuringiæ auctor a, dum in conuentu Francofordiensi, in quo Conradus Rex Romanorum salutatus est, dæmonis instinctu afflatũ blasphema in Deum atq; Ecclesiam euomuisse ait, quibus ingenti horrore principum astantium perfusi animi fuerunt: quamuis auctor in serie temporum assignanda non parum hallucinetur.

Horrẽdas blasphemas voces in Christianam fidẽ effutit.

Meditatur in eum Pontifex inquisitionem exercere.

a Hist. Lantgr. Thur. c. 57.

27 At si æternum numen illam iniuriam ab impio principe ob arcana sed iusta consilia, quæ homines latent, clementia sua dissimulare aliquandiu visus sit, non ita doctorem Parisiensem similes blasphemas voces impune effundere passus est. Cum enim ille in publico consessu auditoribus suis conceptum animi virus afflaret, repentino morbo percussus terræ allisus est, ac post tres dies, pœnitentiæ signo nullo dato, impuram animam efflauit. Rem gestam narrat Thomas Cantipratensis b: *Quam vera & quam efficax sit illa sententia Isaiæ: Confundentur omnes plectentes & texentes subtilia; exemplo euidentissimo sub nostro fere tempore videamus c. Magister Simon de Tornaco Parisijs in theologia regebat & erat excellens ille suo tempore: sed contra decentiam talis officij supra modum incontinens & superbus: hic cum super omnes doctores ciuitatis auditores haberet, & in schola coram omnibus de humilitate altissima doctrina Christi quæstionem, disputatione prahabita, terminaret, in fine tandem datus in reprobum sensum in exetranda contra Christum blasphema verba prorupit. Tres sunt, inquit, qui mundum sectis suis & dogmatibus*

Diuinæ exemplũ iustitiæ in magist. Parisiensem qui similia ac Frid. euomuerat.

b Cantip. l. 2. c. 48. n. 5.

c Isai. c. 19.

subiugarunt; Moyses, Iesus, & Mahometus: Moyses primo Iudaicum populum infatuauit. Secundo Iesus Christus a suo nomine Christianos. Tertio Gentilem populum Mahometus. Nec mora euersis oculis pro humana voce mugitum emisit, & epilepsia statim elisus in terram die tertio eiusdem morbi vindictam accepit. Plaga ergo insanabili eum percussit Omnipotens, & omni scientia vsque ad prima literarum elementa priuauit, & grauiori quidem in anima eum hac plaga percussus est: cum vsque in diem mortis suæ quasi mutus comparatus est iumentis insipientibus, & in luxuria feditate permansit. Et vide supremæ admirationis miraculum, Aleydem fornicariam concubinam suam nominare poterat & sciebat, Boethium vero de Trinitate, qui iuxta eum ad spectaculum ponebatur; quem olim corde tenus sciuerat, post inditam plagam nec nominare nouerat, nec valebat.

28 Detestandam porro illam hæresim a schismaticis & Sarracenis, quos in intimam familiaritatem admiserat, hausisse Fridericum scribit vitæ

A quibus hauserit ea venena Frid.

Gregorij auctor: *Hoc quidem ipse de Græcorum atque Arabum conuersatione suscepit, qui cuncta eius applicanda dominio ex constellationibus mentientes in illum immo fere gentilitatis errorem, vt homo reprobatus a Domino iam se Deum in hominis specie suspicetur, aperta assertione proponens tres truffatores in elusionem hominum processisse.* Blasphemas voces, quas a Friderico iactatas ex Pontifice accepimus, refert subditque: *Cum eos*, de Christo domino, propheta Moyse, & impio Mahometo loquitur, *genere, prudentia, viribus & honore præcedere protestatur publice, qui nationes varias deceptionibus traxere diuersis, facile reputat nouis ritibus eos superare, alteram in cumulum erroris adijciens Apostolicæ sedis, trusam ab hominibus mundi simplicibus toleratam sua superstitione demere. His munimentis defensor fidei fidem impugnaturus armatur: his Christianus princeps principijs dogmatizat.* Corruptum sane adeo assentatorum blanditijs, adeo manibus ariolorum & astrologorum præ-

Illius adulatores spargunt futilia oracula.

sagijs irretiri se passum, vt vniuersum orbem se dominium, Imperium Romanum pristinæ restituturum amplitudini ac dignitati, Vrbem Pontifice subacto euersurum crederet: indicant tum temporis sparsa plura falsa vaticinia atque inania oracula a Friderici adulatoribus conficta, inter quæ hoc impium epigramma, vt ferunt auctores [a], in pontificium cubiculum iniectum est.

[a] Par. hist. Ang. alijq. Confictũ iactantia plenum epigramma.

> *Fata docent, stellæque monent, auiumque volatus*
> *Totius mundi malleus vnus erit.*
> *Roma diu titubans varijs erroribus acta*
> *Totius mundi desinet esse caput.*

Quibus Pontifex lectis, ad retundendam vani principis audaciam, hoc grauissimum distichon retorsit.

Retorquetur graui disticho a Pontifice.

> *Fama refert, scriptura docet, peccata loquuntur,*
> *Quod tibi vita breuis, pœna perennis erit.*

29 Nec impietate Friderico cessere vesani nonnulli illius sectatores, qui in gentilium errores prolapsi diuinitatem terreni Imperatoris maiestate metiri videbantur: quorum nonnulli Romæ reperti ea labe inquinati; sed breui diuinum in eos numen cælestem vindictam exercuit. Cum enim in festi assumptæ in cælum Virginis peruigilio Saluatoris imago per Vrbem ex antiquo more circumlata esset, atque in atrio ecclesiæ S. Mariæ reponeretur, Fridericianis quasi nullum alium seruatorem quam Imperatorem adorarent, blasphemas voces euomentibus, subito illa turris, cuius se præsidio fultos putabant atque in Ecclesiam tyrannidem exercere moliebantur, concussa corruit, ac blasphemos sua mole attriuit. Tantum prodigium diuinæ vltionis anonymus vitæ Gregorij scriptor enarrat: *Adhuc autem spirans minarum & cædis*, nimirum Fridericus, *tur-*

Diuinæ vindictæ exemplũ in nonnullos Fridericianos.

rim dicti Petri frangibilis Frangipanis, cuius potentia Petri credebat humiliare primatum, sumptibus proprijs refici procurauit. Verum cum summum Pontificem apud Anagniam æstate media clementior aura susciperet, Romanus populus in assumptionis gloriosæ Virginis vigilia Saluatoris imaginem per Vrbis vicos ex antiqua consuetudine deduxit: quæ dum in atrio poneretur ecclesiæ, quæ S. Maria noua vocatur, quasi quietis beneficium receptura, blasphemis quibusdam conductis Federici prædicti sacrilega voce clamantibus: Ecce saluator, veniat Imperator; turris in ignominiam sponsæ Christi de sanguine pauperum & lacrymis viduarum e vicinio erecta, mox euersa funditus blasphemantium multitudinem iudicio diuinæ vltionis oppressit, vt quasi non sustinens Saluatoris iniuriam insensibilis creatura, creatori de hostium vindicta seruiret, & elementa muta cognoscerent, quem rationale animal non cognouit; ac iniuriam in suo susceptam vicario Saluator ipse transire non videretur inultam.

Frangipana turris subito euersa blasphemos obruit.

30 Edidit aliud numen iustitiæ suæ in nefarium Friderici satellitem exemplum: namque cum tyrannus in omnes ecclesiasticos, ac religiosos viros regni Siciliæ, quos partim exilio, partim vectigalibus mulctabat, ac depellebat ecclesijs, quas expilabat & prophanabat, crudelissimam persecutionem excitasset, Cassinense monasterium, electis pene omnibus viris religiosis, facinorosorum hominum præsidio occupatum est, quorum vnus, cum post patrata multa sacrilegia monachum transeuntem vrina proluisset, mox horrenda lepra percussus est: *Nobile monasterium Cassinense; quod Ecclesiæ Romanæ nullo mediante subiectum, vt ipsius fundatio & Apostolicæ sedis ostendit archiuum; cuius etiam sunt ædificia per Victorem sedis Apostolicæ Pontificem opere decoro constructa, in quo venerabile corpus beatissimi Benedicti quiescit; in illum casum ignobilitatis adduxit, vt castris, vassallis & possessionibus spoliatum contra munifica sedis Apostolicæ priuilegia, & multorum Imperatorum induta singulari præeminentia libertate, taliter vendicare præsumens; ipsum monasterium inter monasteria cætera dignitate, ac immunitate sublimius, venerando monachorum depulso collegio, prædonum contagijs deputauit; per quod felix illa religio, quam legione depulsa dæmonum pater beatus ibidem instituit, in ordinis contumeliam relegata in seculares abusus commutare cogitur obseruantias regulares: aurea vero & argentea vasa loci eiusdem ministerio altaris addicta in vasa ventris officium procurantia conflauit manu sacrilega, sacra vestimenta prædatus. Eiusdem quoque satanæ satellites & principis execrandi ministri, tanta verecundia templum inquinamentis varijs prophanantes, pro solitis aromatibus incensorum ibidem offerunt fætida lenocinia mulierum sanctum Dei prostibulum statuentes; matutinas & laudes in præconia Cæsaris, & hymnum euangelicum in lasciuia canticum commutando. Quorum vnus excubijs murorum insistens, spiritu nequiore correptus, monachum quendam ibidem quasi racemum post vindemiam derelictum, sub ipsius custodia habitu improuisis passibus incedentem, vrina profluuio impudice perfudit: qui statim post monachi lacrymas, & Benedicti præsidium imploratum, ille toto corpore graui lepra percutitur, vt corporis miserabilis membra velut cumulo percussa gladio profundatis vlceribus conscinderentur in frusta, sic quod vix multorum vehiculo apponi potuit consortio leprosorum.*

Cassinẽse monasterium ab eo occupatũ.

Patrat in illo immania sacrilegia.

Impius [illegible] ob effusam in [illegible] vrinam lepra percussus diuinitus.

31 De Cassinensibus monachis alijs post alios depulsis agit Richardus [a], qui de misera ecclesiasticorum conditione, ac seruitute, sub qua tunc luxere, hæc habet: *Eodem tempore*, nimirum mense Iunij huius anni, *subscripta capitula edita sunt in regno, quæ pro parte imperiali obseruari iubentur: in primis vt fratres Prædicatores & Minores, qui sunt oriundi de terris infidelium Lombardiæ expellantur de regno, &*

[a] Rich. in chron. hoc ann.

Tyrannicæ Frid. leges in odium Pontificis latæ.

ab alijs habeatur cautela, quod non offendant Imperatorem: idem fiat de alijs personis religiosis. Et infra: *Item a cathedralibus ecclesijs per se exigatur, & imponatur pro imperiali curia adiutorium secundum modum & potentiam diuitiarum suarum: nihilominus & a canonicis earum diœcesum sibi subditis, presbyteris & clericis secundum facultates eorũ illud idem exigatur ab abbatibus nigris & albis. Item quod hi qui sũt in Romana curia, præter exclusos & suspectos, reuertantur in regnum: sin autem eorum bona infiscentur nec permittantur post citationem reuerti. Excipiuntur qui sunt cum Cardinali Thoma & cum Ioanne de Capua notario Papæ. Item illorum clericorum, qui de regno non sunt, bona & beneficia quæ habent in regno, infiscanda sunt. Item quod nulli permittatur ad Romanam Ecclesiam accedere sine speciali mandato magistri iusticiarij, & qui accesserint, non permittantur exire sine mandato curiæ.*

32 Inflicta sunt ecclesijs innumera mala iniquarum legum prætextu: nec eo se Fridericianus furor continuit; sed viros principes, qui ipsius nefarios nutus non sequerentur, proscripsit, quam nefandam tyrannidem ita describit a Gregorius: *Decorem ipsius Imperij & honorem principum Imperij lege contempta & principum priuilegio cancellato, quosdam de ipsorum maioribus, quod actibus suis illicitis consentire renuunt, incarcerando, proscribendo, & proditoria necis gladio feriendo, ac paganorum, qui assassini vocantur (quod inauditum est de quolibet principe Christiano) gladijs expeniendo deturpat. Nonnullos episcopos præcones Christi, rectores fidei, pastores ouium, medicos languentium animarum, spoliatis bonis ecclesiasticis & mundanis de regno, quod est B. Petri patrimonium speciale, alijsque terris Imperio Romano subiectis, proscriptione damnabili exulare compellit: sacrosanctas ecclesias sacrilega temeritate prophanans, religiosos quorum vnum de ordine fratrum Minorum absque iuris ordine & debita causa cognitione horribili crudelitate combussit; pupillos, orphanos, pauperes, & viduas tegmine vili nudatos quasi sublatis desuper carnibus excossauit.*

Crudelitas Friderici.

a Ext. apud bullar. in Greg. 1x.

In principes Imperij eccles. studiosos.

In præsules.

In Minoritam ira præcipiti exurit iussum.

Rapinæ in omnes.

33 Ita ille diuitum opes diripiebat, præsidio destitutos spoliabat, pauperum sudores ac sanguinem exsugebat, ecclesias expilabat, vt infideles stipendiorum magnitudine ad ecclesiarum principem quatiendam allicerentur. de quo hæc grauiter vitæ Gregorij anonymus auctor: *Occupare patrimonium tentat*, de Friderico loquitur, *quod tenetur defendere iuramento, aurum sitit, appendit argentum, nationes inuitat, vt petram euertant Ecclesiæ, quam Dominus posuit.* hæc ille. Immisisse vero mense septembri in Picenum Entium filium cum exercitu tradit Richardus his verbis: *Henricus Rex Gallure naturalis filius Imperatoris in Marchiam Anconitanam venit, contra quẽ mittitur a Gregorio Papa Ioannes de Columna Card.* Addit auctor Gregorium Anagnia Romam reuersum magnificentissimeque exceptum a Romanis in octauis B. Martini: Entium & omnes ipsius partibus implicitos ob factam in ditionem pontificiam irruptionem anathemate perculisse.

Bellum Gregorio mouet.

Patrimonium occupare tentat.

Entium in Marchiam immittit.

Io. Colũn. Card. illi cũ exerc. oppositus.

Greg. Entium ferit anathemate.

34 Describit idem auctor alia Friderici bella contra Insubres: cepisse mense iulio in episcopatu Bononiensi Plumacium flammisque deleuisse, ac peruigilio assumptionis Deiparæ in eodem episcopatu oppidum, cui Crepacor nomen est, exussisse reuocatumque ab Insubriæ præfectis & vrbibus, quæ partibus ipsius studebant, in Mediolanensem agrum irrupisse: sed Mediolanenses instructis agminibus ipsi obuios factos eius conatus retardasse, ac mense septembri & octobri non modica vastitate illata ad populandum pontem Placentiæ procurrisse. Cumque inde discessisset, Bononienses, qui in Mutinenses Fridericianarum partium duxerant, ab Simone comite Theatino & Parmensibus fusos fugatosque, nonnullis eorum cæsis aut præterfluenti amne submersis: quam etiam Bononiensium cladem fusius describit Parisius a. Sed non ita Fridericum damna intulisse hostibus, vt vicissim magna non acceperit, ex Gregorij gestorum auctore b colligitur, qui Mediolanenses ad duodecim milliaria extra ciuitatis mœnia erupisse, ac de legati præsidio, Gregorij nimirum e monte Longo, de quo plurimum Fridericus in literis c, Insubres ab ipso confirmatus; cumque antea nuncij titulo affectus esset, legati dignitate auctum fuisse queritur, fauorem iustitiæ consecutos ait, subditque de Friderico a Mediolanensibus propulsato: *Pontem Placentiæ ascendit, vbi tandem fluminis crescentis alluuio Placentinorum artificio præparata; & pontis tutelam & fugam præbuit hostibus non absque graui exercitus incommodo & personarum excidio. Sicque consumptis opibus, exhaustis laruis, & non paucis ex omni natione amissis fatigatus iuramento, quod in Lombardiam rediret sequenti maio, non seruato, in sua confusus superbia terga præbuit hostibus, Tusciam quasi fugitiuus ingressus est; & ad Pisanam ciuitatem se cursu valentissimo conferens, in die natiuitatis Dominicæ in ciuitate ipsa cum ex sui præsentia, tum ex causis alijs supposita interdicto, ciuibus de tanta præsumptione stupentibus in maiori ecclesia per suos apostatas publice fecit prophanari diuina in Ecclesiæ sacrosanctæ contemptum, sua retexens eloquia imperiali modestia reformata.*

Bononienses truduntur.

a Par. hist. Angl.

b Greg. vit. auct. anonym.

Propulsatur a Mediolanen.

c Ext. apud Petr. Vin. & Par. hist. Angl.

Placentini deriuant in illius castra flumen.

Cõfert se in Hetruriam.

Pisis festo nat. Domini die prophanat diuina.

35 Distrixerat d in Fridericum VIII. kalend. octob. ob violatum interdictum ecclesiasticæ seueritatis Gregorius, ac principum & populorum officijs indignum censuerat: quos etiam sub debito fidei Christianæ, quo tenebantur domino Iesu Christo, consilio vel opera ipsi adesse vetuerat; ac præsulibus Germanis partes imposuerat eos, qui illi studerent, anathemate percellerent. Quam sententiam IX. kal. decemb. renouauit, e atque Alberto archidiacono Patauiensi & Philippo Assisinati nuntio Apostolico in Germania munus commisit, vt archiepiscopos atque episcopos ad promulgandam latam in Fridericum sententiam, eiusque studiosos anathemate comprimendos adigerent. Verum episcopos Theutonicos parere Pontifici distulisse, contendisseque precibus, ne ad vibratas in Fridericum censuras promulgandas cogerentur, refert Stadensis f. Ex quibus patriarcha Aquileiensis ab officij religione turpissime deflexit, quem adeo perstrinxit Gregorius non modo latam ab Apostolica sede in Fridericum anathematis sententiam in publica hominum frequentia, vt iussus fuerat, non proposuisse g, verum etiam B. Petri contempto iure tum in diuinis, tum in osculo, ac mensa illum in communionem admisisse h: eam tamen illi gratiam pro summo, quo Belam & Colomannum Reges ipsius nepotes studio prosequebatur, est impertitus, vt cum primum iter ad sedem Apostolicam arripere instituisset, a Castellano episcopo, cui ea de re mittebat literas, cœtui fidelium restitui posset.

Lata in eũ ob interdictum violatum pœnæ.

d Extant eius literæ in bullar.

e Extant aliæ eius lit. ibid.

f Stad. in chron.

Negligũt Ger. præsules censuras in Frider. promulgare.

g Lib. 13. ep. 18.

Aquileien. patriarch. cum Frid. communicat.

h Ibid. ep. 180.

Corripitur a Pontifice.

36 Ad reuocandos pariter ad officium religiosos equites domus S. Mariæ Theutonicorum, qui Friderici partes erant amplexi, iustissimas illis minas incussit i si in tyranni obsequio perstarent, omnia priuilegia ijs concessa rescissurum. Turpissimum sane Ecclesiam tum eos aduersarios passam, qui ingentibus ab ea beneficijs erant affecti; atque ob pietatis, cui se mancipauerant, publicam professionem illius defendendo honori addictissimi esse debuissent: quam fœdissimam maculam suscepit Helias supremus Minoritarum magister, vir ambitione tumidus, atque ab instituta a S. Francisco disciplina abhorrens; de quo hæc Richardus l: *Frater Helias qui in ecclesia S. Francisci apud Assisium magister ordinis fra-*

i Ep. 74.

Arguit Theutonicos equites Hosp. studere Friderico.

Helias Minorit. exauctoratus Pontifici odio deficit ad Frid.

l Rich. in chron.

trum Minorum extiterat, pro eo quod apud Gregorium Papam delatus a fratribus, quod male administrasset, cum Papa ab administratione remouit, in odium Papæ Imperatori adhæsit.

a Monach. Pad. chro. lib. 1. Rauenna a Venetis erepta. Taruisiũ ab Alberico e Rõ occupatũ.

37 Defecere a contra alij ab Friderico, vt Rauennates, quorum vrbem Veneti præsidiario milite munitam defendendam susceperunt: tum Guecillus e Camino, atque Albericus e Romano coitione facta Taruisiũ, depulso Iacobo e Mora Friderici præfecto, occuparunt. ob quam defectionem Ezelinus Alberici frater, cuius consilia Fridericum in omnibus secutum ait monachus Patauinus, atque Alberici filiam in fidei pignus suadente ipso accepisse exæstuans ira, & auaritia Taruisinæ ecclesiæ ditionem & arces inuasit: qua de re episcopus cum apud sedem Apostolicam questus esset, Gregorius hæc ad Castellanum episcopum scripsit: *Sicut venerabilis frater noster episcopus Taruisinus sua nobis* conquestione Ezelinus de Romano Dei & Ecclesiæ inimicus Asyli & montis Beluneńsis castra, arcem Braidem, roccamque Cornuta, necnon villas, curias, possessiones, & alia iura ecclesiæ Taruisinensis spreto fidelitatis iuramento, quo tenetur eidem, per violentiam occupauit, & ea occupata detinet, ac restituere contradicit: quocirca mandamus quatinus, &c.* Partes imponit, vt Ezelinum si ablata restituere detrectet, anathemate feriat. *Dat. Later. XII. kal. decemb. ann. XIII.* Vt tyrannum nouarum pœnarum acerbitate percelleret, illum vectigalibus, agris, ac ditione, quam fiduciario iure a Taruisino episcopo acceperat, apostolica sententia mulctauit b. Spreuit Ezelinus pontificia imperia, atque Italiam diuturnis cladibus attriuit: de quo plura suis locis dicenda erunt.

Ezelinus Taruisinæ eccl. ditionem inuadit. * insinuauit

Iubetur censuris ni ea restitueris deffigi.

b Lib. 13. ep. 149. 150.

Iacobus Card. mutato habitu in Gallias ad impetranda auxilia euadit.

38 Accenso igitur bello in Italia intestino cum maiorum terror impenderet, Pontifex ad elicienda ex occidente auxilia Iacobum episcopum Prænestinum legatum misit, qui vt Friderici tyrannidem, a quo antea itinere prohibitus fuerat, dum illi in Prouincia aduersus Albigensium reliquias legatio demandata erat, declinaret, peregrini cultum induit: de quo hæc Richardus c: *Prænestinus episc. legatus a Papa ad principes mittitur occidentis, qui specie peregrini cum vno tantum socio per terram vsq; Ianuam vadit, & in nauigio transfretauit.* Meminit eiusdem legationis Nangius d ac missum ait vt latum a Pontifice in Fridericum anathema in Gallijs promulgaret, e rei exitu illius consilium interpretatus. Solicitasse vero Gallos, vt in arma aduersus Fridericum prosilirent, nec obtinere potuisse scripsit e anno sequenti ad Fridericum S. Ludouicus.

c Rich. in chron. hoc ann.

d Nangius in gest. S. Lud.

e Ext. in lit. apud Petr. a Vin.

f Par. hist. Angl.

39 Refert quoque Matthæus Parisius f Pontificem scriptis literis Regi Francorum, ac regni proceribus significasse Fridericum ob impia facinora e culmine Imperij deiectum, eamq; dignitatem in Robertum comitem Regis fratrem ab Ecclesia transfusum iri: proinde non segniter tantum opus susciperet, cum non modo Romana, sed etiam vniuersalis Ecclesia ad id perficiendum strenuam operam viresque suas esset collocatura: sed Francos habitis comitijs publicis Friderici potentiam veritos, cum quo etiam fœdere coniunctissimi fuerant, tanto bello inuoluere se noluisse. Hic Parisius, aut vt verisimile est quisquis ille sit, qui hæreseos veneno imbutus pro innato contra Ecclesiam odio Parisij opera corrupit, carpendi Pontificis occasionem nactus, Francis, quos tum maxime sedis Apostolicæ studiosissimos sub Rege sancto fuisse constat, contumeliosa in Pontificem verba affinxit: nec probabile est ipsos oblati Imperij honore cumulatos iniurias rependisse; nec caret etiam fictionis suspicione quod subdit iactasse ipsos Francorum Regem, quem sanguinis claritas splendorque originis ad sceptra Francorum efferret, cuius Imperatoris præcellere, quem libera electio ad solium proueheret, proinde Roberto ad omnium honorum cumulum tanti Regis fratrem esse sufficere debere. Cum vero Fridericus vt horrenda infamis hæresi, de qua superius dictum est, traduceretur, Gallos explorandæ rei, ac tuendæ fidei zelo misisse ad eum oratores, qui ipsi bellum denuntiarent, si hæreseos nota, vt ferebatur, inustus esset, deque ipsius fide ac religione certiores fierent: at Fridericum pium se finxisse & criminis labe, quo sese nunquam inquinasset, ex odio a Gregorio aspergi conquestum, iras euomere atque exercere in eum crudelius cœpisse.

Promissũ Roberto comiti Atrebatensi imperium si Gall. armis fultus Fridericũ deijceret.

Superbũ responsum Gallis affictum a Parisio.

40 Cæterum Gallicos præsules Iacobi legati opera magna e vectigalibus ecclesiasticis stipendia Pontifici ad tolerandos in Fridericum belli sumptus suppeditasse scribit, pariterque in Anglia clerum Othonis legati industria ac Regis consilijs incitatum ingentia pro Gregorio subsidia coegisse, de quo etiã Fridericus plurimum in literis a ad Henricum questus est. Hispaniarum vero Reges quamuis eximie erga Romanam Ecclesiam affecti essent, continuis tamen Sarracenorum bellis impliciti studia sua epistolis tantum explicare potuerunt: e quibus Ferdinandus Castellæ Rex accepta Ecclesiæ & Imperij ex pontificijs literis dissẽsione, magno se dolore affectum significauit Gregorio, atque oratorem solertem trãsmisit, vt de redintegranda cõcordia ageret cum Friderico; ac literas amoris & obseruantiæ notis insignes exarauit b, quæ licet in regesto pontificio anni decimi quarti extent, non leuibus tamen argumentis ad hunc annum spectare colliguntur.

Suppeditata a Gallis Anglisq; nonnulla Põt. auxilia.

a Ext. apud Petr. a Vin. & Par.

Ferd. Rex Castel. oratore mittit pro redintegranda inter Pont. & Frid. concordia.

b Ext. apud Greg. reg. 14. ep. 38.

41 *Sanctissimo patri ac domino Gregorio, diuina prouidentia sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici, Ferdinandus Dei gratia Rex Castellæ, Toleti, Legionis, Galliæ, & Cordubæ cum debito famulatu pedum oscula beatorum.*

Nouit ille qui nihil ignorat, qui scrutator est cordium & cognitor secretorum, quod sinceræ mentis desiderio non minus deuoto quam debito cor nostrum ad honorem vestrum æstuat, & ad exaltationem aspirat. Nec mirum quem constat in terris vicarium Iesu Christi, & vices gerere veri Dei incrementum & gloriam sedis Apostolicæ, progenitorum nostrorum sequendo vestigia, quantum sufficimus affectantes, quæ cunctis per orbem fidelibus sacratissimum fidei pabulum abundanter erogat & sapienter ministrat; per quam nos & vniuersi Christi fideles, tam Reges quam alij, cælestis spei propinari nobis & credimus & desideramus augumentum. Pro qua fide pugnamus & stamus aduersus inimicos eiusdem hæreses extirpando, & nos cæterorum inimicorum, qui errores suos armis contendunt defendere, insultibus & conflictibus, non absque graui periculo corporaliter opponendo. Hæc igitur & quamplurima alia duriora, quæ non duximus literis committenda; tum quia longum esset, & superfluum enarrare, tum etiam ne laudem propriam quærere videamur; pro Christi nomine dignum duximus sustinenda, vt funiculus hæreditatis Domini dilatetur, & honor piæ matris sedis Apostolicæ per ministerium nostrum, etsi non optatum, vel debitum saltem aliquantulum suscipiat incrementum. Nam si sacrosanctam Romanam Ecclesiam, quæ nos semper dilexit & fouit in visceribus charitatis, & requisita non solum propitiam, sed promptam se exhibuit circa promotionem nostram specialium exuberantia gratiarum, quãtumcumque sincere diligimus, mercedem non credimus nos habere: immo etiam modicum reputamus, si eidem in suis necessitatibus assistamus & pro ea & personam & regna quibuscunque discriminibus exponamus.

Insignes obseruantiæ & amoris notis ad Pont. eiusdem lit.

42 Sane multorum relatione didicimus, quod nobis postmodum papalis litera demonstrauit, Imperatorem in sacrosanctam Romanam Ecclesiam, quæ

quæ

quæ eum curiosa nutriuit & mirabiliter exaltauit, multipliciter deliquisse & eam adeo ad iracundiam prouocasse, quod opus fuit vt manu Domini tangeretur. Nunquid pati potest pia mater, & non compatitur filius? Nunquid dolet sedes Apostolica, & exultare potest fidelis? Nunquid turbato capite membra vigere noscuntur? Attamen quia non obliuiscitur misereri Dominus, nec in ira misericordiam continebit, ex quo semel cœpimus, loquemur parum ad Dominum de dubijs negotiorum euentibus magis anxij, quam de facto Imperatoris, quem quatenus cum Domino possumus, multipliciter tenemur diligere; obtenta prius venia, & concessa licentia, vt mansuetudo patris pœnitentem recuperet filium, & Ecclesia suo non careret athleta, partes nostras interponere curaremus.

Ad hoc autem competentius exequendum venerabilem, ac dilectum Vv. abbatem S. Facundi virum circumspectæ prudentiæ, & honestum, de quo propter suæ prærogatiuam honestatis plene confidimus; quem cum esset causa visitandi Romanam Ecclesiã in itinere constitutus, ad nos reuocauimus, deliberatione habita ad vos propter hoc & alia duximus destinandum, vt securi de eius honestate & industria eundem confidenter ad Imp. ex parte nostra, si expedire videritis, vel ad nos etiam remittatis cum vestræ in omnibus & per omnia beneplacito voluntatis: ipse enim quod a sanctitate vestra iniunctum sibi fuerit, sicut nouimus & sumus in pluribus iam experti, deuote ac fideliter exequetur. *Dat. Burgis iv. die decemb.*

Piæ ad Greg. Reginæ Berengariæ lit. a Ext. ib. ep. 40.

43 Non minus pietatem singularem spirant Reginæ Berengariæ Ferdinandi matris literæ a, quas singulari religionis sensu delibuta, vt suæ erga sedem Apostolicam obseruantiæ indices ad Gregorium transmisit.

Sanctissimo patri ac domino Gregorio diuina prouidentia sacrosanctæ Rom. Ecclesiæ summo Pontifici Berengaria Dei gratia Regina Castellæ & Toleti, pedum oscula beatorum cum reuerentia filiali tam debita, quam deuota.

Pro multiplici gratia, quam ex multa vestræ exuberantia bonitatis ego & filius meus a sanctitate vestra tam sæpe recepimus, nec petita multoties, sed oblata, dignum ducens ad gratiarum saltem actiones assurgere, condigne nequeo, dum erga me & meos vestram dignationẽ attendo; dum penso vestræ promptitudinem pietatis: quod quidem gratius mihi foret rebus efficere, quam verbis, aut literis declarare. Sed quia ad præsens quod volo non valeo, non propter aliquem cordis defectum, aut rerum indigentiam mundanarum; sed expectando potius vestræ beneplacitum voluntatis, pro tot beneficijs grates interim reddo vestræ magnitudini quantas possum, maiestatem vestram totis mentis affectibus implorando, vt iuxta deuotionis affectum, quam ego & filius meus erga vos semper habuimus & habemus, aliquid mihi dignetur innuere, quod vestræ voluntati sedeat: immo quicquid vestræ placuerit sanctitati, iuxta vestrum beneplacitum per omnia & in omnibus exequendum.

Illius erga Rom. Pont. obseruantia.

44 Hoc autem apud benignitatem vestram reticendum non credo, quod quia vobis non scribo frequentius, non ex minori deuotione prouenit, sed propter verecundiam, quam contraxit sexus fœmineus a natura, & reuerentiam quæ debetur vicario Iesu Christi. nouit enim Dominus, quod dum mentis oculis papalis claritatem intueor puritatis, mentis intuitum quasi quidam fulgor reuerberat ad scribendi desiderium retardandum; & stupore comprehensa quodammodo præsumptionem reputo attentare saltem vestri tangere fimbriam vestimenti. Verumtamen quanto frequentius vestras literas reciperem, aut mandatum, tanto gratius foret mihi, & tanto plenius meæ satisfieret voluntati. Nunc autem grates Domino refero, quia opportunitatem habeo per venerabilem ac dilectum Vv. abbatem S. Facundi virum prouidum & discretum, qui ad vestram præsentiam accessurus, quædam quæ literis commendare nolui, secure ac fiducialiter declarandi, qui ea licentius vobis exponere, & voluntatem nostram latius poterit aperire. *Datum Burgis v. die decemb.*

45 Accessit ad sedem Apostolicam S. Facundi abbas, vt inter cætera quæ ipsius prudentiæ commissa fuere, Castellæ Regis filium, quem Ferdinandus in Italiam ad Fridericum mittere meditabatur, ac sequentis anni mense aprili apud Fogiam venisse scribit Richardus a, Pontificis fidei commendaret, qua de re extant ad Gregorium regiæ literæ, quibus ab eo supplex contendit, vt illi ad recuperandam maternam hæreditatem, quam Imperator detinebat, operam auxiliumque porrigeret: se vero filio incurrendæ paternæ inimicitiæ intentata pœna imperasse, vt obsequentem se Pontifici, atque honoris Ecclesiæ tuendi cupidissimum ostenderet: *A sanctitatis vestræ memoria non credimus excidisse, quod cum tempore dulcis memoriæ Reginæ Beatricis filiæ vestræ bona, quæ sibi iure successionis competebant, ab Imperatore, qui ea detinebat pro Fr. filio nostro, sæpe sæpius petissemus, quia ipse reddere recusabat, ad paternitatem vestram recursum habuimus, vestrum super hoc consilium, & auxilium implorantes. Ad quod sicut patrem decet iustitiæ & Iesu Christi vicarium, solitæ benignitatis clementia respondistis, quod vestrum nobis non deesset consilium; promittendo nihilominus, quod faceretis nobis exhiberi iustitiæ complementum. Verum cum idem Imperator saniori ductus consilio postmodum nobis sæpe significandum duxerit, quod bona petita paratus erat reddere, si eund. in Fredericum, quem mater etiam sua in extremis posita sub quadam obtestatione illuc destinandum iusserat, sibi mittere curaremus; nos attendentes quod nocuit differre paratis, tum propter maternam hæreditatem obtinendam, quam ad seruitium Rom. Ecclesiæ eum habere volumus, tum propter alias causas vrgentissimas, quas venerabilis abbas & religiosus vir dilectus noster abbas S. Facundi magnificentiæ vestræ plenius exprimet, de prudentium virorum consilio eundem duximus destinandum, viua voce firmiter præcipientes eidem, & sub pœna paterna gratiæ iniungentes, quatenus more progenitorum suorum Regum & Imperatorum Hispaniæ, honorem & exaltationem Ecclesiæ Rom. procuret & diligat, & ei semper sit obediens & deuotus. Sane si idem Imperator, quod non credimus, eandem hæreditatem sibi reddere contradixerit, aut differat, paternitati vestræ affectuosas preces porrigimus, petentes humiliter & deuote, quatenus eum sub defensione vestra, cui ipsum committimus, protegentes, vestrum eidem dignemini impertiri auxilium et fauorem. Dat. Burgis iv. die decemb.*

a Ar. h. in chro anu. seq.

Ferdinãdi filius ad Frid. mittitur pro materna hæreditate reposcenda.

De ea re ad Greg. Reg. Cast. lit.

46 Prætereundum hic non videtur Ferdinandi studio, qui animum ad pacis artes conuerterat, Salamanticensem academiam efflorescere hoc anno cœpisse b, cum eam ab Alphonso auo Palentiæ constitutam in eam vrbem traduxisset, cuius amœnitas literarum cupidos eo facile pellectura videretur. Nec minus agitandis in Mauros belli consilijs Regem ipsum incubuisse refert Mariana c, qui egregium virtutis exemplum ab Aluari ducis vxore editum narrat. Cum enim Alhamar Rex barbarus Tuccorum arcem obsidione cinxisset, præfecto ac præsidiarijs militibus, qui prædatum abierant, absentibus, illa correptis armis fœminas instiq; præsidij speciem referre hostemq; propulsare mœnibus iussit, dum alij in cuneum conglobati medios hostes perrupere ac recepta arce barbaros castra remouere coegerunt.

Salamantica academia instituta a Ferdinando.

b Mar. lib. 13. de reb. Hisp. c. 1.

Egregium matronæ ad repellendum hostem facinus.

c Id. ibid.

Confirma ta a Greg. vetera Tolet. arch. priuilegia. a Lib 13. ep. 201.

47 Flagitauit hoc anno a Pontifice maximo archiep. Toletanus ad sedis suæ tuendum splendorem, vt concessa Toletanæ ecclesiæ priuilegia, ne obliuione ac vetustate delerentur, renouaret. Cuius votis annuit Gregorius a contentasq; in regestis Pontificum literas, quibus primatus Hispaniarum dignitas illi confirmabatur, exscriptas sua auctoritate corroborauit. E quibus nos nonnulla monumenta, quæ ad illustrandum illius ecclesiæ decus pertinere visa sunt delibabimus: *Supplicasti nobis frater archiepiscope, vt cum in regestis Romanorum Pontificum quædam contineantur munimenta ecclesiæ Toletanæ, illa conscribi & tibi tradi sub bulla nostra munimine faceremus, ne regestis ipsis perditis casu fortuito aut vetustate consumptis, ius ipsius ecclesiæ contingat cum perennibus deperire. Nos igitur tuæ sollicitudinis prouidentiam commendantes, præsentium significatione testamur, quod in regestis felic. recordationis Vrbani II. prædecessoris nostri scriptum est de bona memoria Bernardo Toletano archiepiscopo in hæc verba: Hoc tempore Toletanus archiepiscopus Bernardus Romam ad dominum Vrbanum Papam veniens, et pro episcoporum more iurauit, & pallium & priuilegium accepit regnique Hispaniarum primas institutus est. Tunc etiam in Gallecia omnis diœcesis S. Iacobi ab omni est officio excommunicata diuino, quia S. Iacobi episcopus in regis carcere depositus fuerat; vnde & hæc Regi Ildefonso epistola missa est.*

Vrbani II lit. ad Alfon. Reg. Gallæ.

48 *Idem Regi Ildefonso Galleciæ. Duo sunt Rex Ildefonse, quibus principaliter mundus hic regitur, sacerdotalis dignitas, & regalis potestas. Sed sacerdotalis dignitas, fili charissime, tanto potestatem regiam antecedit, vt de ipsis regibus omnium rationem posituri simus Regi vniuersorum. Quapropter pastoralis nos cura compellit, non solum de minorum, sed de maiorum quoque salute pro viribus prouidere, quam pastori vero suas oues illæsas restituere, quæ nobis commissæ sunt, valeamus, tuæ præcipue debemus saluti prospicere, quem Christianæ fidei propugnatorem Ecclesia Christus effecit. Memento ergo, memento fili mi amantissime, quantam tibi gloriam diuina contulit gratia maiestatis, & sicut ipse tuum præ cæteris regnum nobilitauit, ita tu et studeas præ cæteris deuotius, ac familiarius deseruire. Dicit enim ipse Dominus per prophetam: Honorificantes me honorificabo: qui autem me contemnunt erunt ignobiles. Gratias itaque Domino, & laboribus tuis agimus, quod de Sarracenorum iure Toletana est ecclesia liberata.*

Toleto Sarracenis erepto illius antistes primas Hispaniarum recognitus.

49 *Fratrem autem venerabilem Bernardum eiusdem vrbis præsulem tuis exhortationibus inuitati, digne ac reuerenter excepimus, & ei pallium contradentes, priuilegium quoque Toletanæ ecclesiæ antiquæ maiestatis innouauimus. Ipsum enim in totis Hispaniarum regnis primatem statuimus, & quidquid Toletana ecclesia antiquitus noscitur habuisse, nunc quoque ex Apostolicæ sedis liberalitate in posterum habere sensuimus. Tu illum vt patrem charissimum exaudias, & quæque tibi ex Domino nuntiauerit, obedire curato; & ecclesiam eius temporalibus non desistas auxiliis, ac beneficiis exaltare. Inter cætera vero laudum tuarum præconia peruenit ad aures nostras, quod sine graui dolore audire nequiuimus, episcopum scilicet S. Iacobi a te captum, & in captione ab episcopali dignitate depositum, quod canonibus noueris omnino contrarium, & catholicis auribus non ferendum, quod tanto nos amplius contristauit, quanto te ampliore affectione complectimur. Nunc tibi Rex gloriosissime Ildefonse Dei & Apostolorum vice mandamus orantes, quatenus eundem episcopum suæ integre restituas per Toletanum archiepiscopum dignitati: neque id per Ricc. Cardinalem sedis Apostolicæ factum excusaueris; quia & canonibus est omnino contrarium & Ricc. tunc legatione sedis Apostolicæ minime fungebatur. Quod ergo ille tunc gessit quem Victor Papa sanctæ memoriæ tertius legatione priuauerat, nos irritum iudicamus. In remissionem igitur peccatorum & sedis Apostolicæ obedientiam suæ dignitati episcopo restituto, & ad nostram præsentiam cum legatis tuis ipse perueniat canonice iudicandus: sin autem, facere nos erga dilectionem tuam compelleres inuitos, quod nos quoque fecisse nollemus. Memento religiosi principis Constantini, qui sacerdotum iudicia nec audire voluit, indignum iudicans dictos ab hominibus iudicari. Audi ergo in nobis Dominum & Apostolos eius, si te ab ipsis velis, & a nobis in iis, quæ postulaueris, exaudiri. Rex regum Dominus cor tuum gratia sua fulgore illustret, victorias tibi tribuat, regnum tuum exaltet, itaque te semper viuere concedat, vt et temporali regno perfruaris feliciter, & æterno perenniter glorieris. Amen.*

50 *Idem Terraconensi & cæteris Hispaniarum archiepiscopis. Quisquis voluntatem gerit, vt sibi alii subiiciantur, dedignari non debet, vt ipse quoque aliis sit subiectus. Hic enim ordo regiminis atque prælationis non solum in terrestri, sed in supercælesti quoque Ecclesia obseruatur rege omnium disponente, vt se omnium principe alii aliis principentur. Toletanum siquidem archiepiscopum priuilegii nostri auctoritate primatem in totis Hispaniarum regnis fore decreuimus, salua sedis Apostolicæ auctoritate, & metropolitanorum priuilegiis singulorum. Si quid igitur inter vos graue contigerit, quia ab Apostolica sede procul estis, ad eum velut ad primatem vestrum omnium recurretis; eiusque iudicio quæ vobis sunt grauia terminabitis. Quod si quid forte ipsius quoque iudicio nequiuerit definiri, ad Apostolicam sedem, vt dignum est, velut sedium omnium principem referetur. Qui autem vestrum sine metropolitanis propriis sunt, ipsi interim velut proprio subesse debebunt. Valete.* — Eiusd. ad Hisp. archiep. lit. vt pareant Toletano vt primati.

51 *Idem Vrbanus B.. Terraconensi archiepiscopo. Nouit dilectio tua frater in Christo venerabilis, quo tenore, qua conditione pallium tibi, priuilegiumque concesserimus: quomodo nobis & tu in fide tua, & comprouinciales primates per scriptum promiseritis vos in restitutionem Terraconensis ecclesiæ omnimodis institutros: nunc autem frequenti fama audimus vestram illam industriam, vestrum studium iam cessare, & Terraconin. restitutionem iam pene deficere. Te igitur literis præsentibus admonemus, vt huius boni operis perfectionis sedulus operator existas. Memineris tamen ita te archiepiscopum institutum, vt tam tu, quam vniuersi prouinciæ Terraconensis episcopi Toletano tanquam primati debeatis esse subiecti. Sic enim a nobis in Toletana ecclesia priuilegio constitutum est, quod nos omnino ratum volumus permanere. Nunc autem multo amplius quia et nostræ sollicitudinis vices in Hispania vniuersa, & in Narbonensi prouincia ministrandas iniunximus. Dat. VII. kal. maii.* — De eodē ad Terrac. arch. repetitæ lit.

52 *Idem Rainerio Cardinali presbytero. Veniens ad nos cum Barchinonensi fratre nostro venerabili episcopo reuerendissimus frater noster Narbonensis archiepiscopus, quem iamdudum vita & religione spectatum habemus, &c. inter cætera prædictum sibi factum de Terraconensium episcoporum subiectione per Romanam Ecclesiam suppliciter intimauit, cum eos Narbonensis metropolis per annos quadringentos sine alterius reclamatione possederit. Nostra igitur vice in illis partibus fungens Terraconensibus episcopis nostra auctoritate præcipito, vt interim Narbonensi tanquam proprio metropolitano obediant, donec præstante Domino Terraconensis restauretur ecclesia; Toletano autem sicut primati reuerentiam exhibeant, donec Narbonensis archiepiscopus se eorum primatem fuisse certa possit auctoritate monstrare. Nouit siquidem tua fraternitas primatem a nobis Toletanum sic institutum, vt salua sint metropolitanorum priuilegia cæterorum, &c.* His adiicit Gregorius diem, qua ea priuilegia recognouit. *Dat. Later. VII. kal. iunii pontif.* — Terracon. arch. iussus Narbonensem Metropolitanum agnoscere Toletanū vero primatem.

no-

nostri ann. x11.] Adducit etiam in alijs literis a ex Romanorum Pontificum Adriani IV. Anastasij IV. & Alexandri III. diplomata, in quibus Toletanæ ecclesiæ dignitas amplius illustratur, quorum primum Adriani IV. occurrit.

a Ep. 202.

Adriani IV. lit. ad Brach. archiep. vt Toletano tanquam primati pareat.

53 *Adrianus Bracharensi archiepiscopo. Si quanta sit obedientia virtus debita vigilantia cogitares, & quantum ipsa vtilitatis afferat intenta curares sollicitudine circumspicere, venerabili fratri nostro I.. Toletano archiepiscopo ita studeres debitam reuerentiam exhibere, quod tua deuotionis sinceritas tam in conspectu Dei, quam in oculis hominum commendabilis appareret. Cæterum in hoc videris & humilitatis amisisse constantiam, & a iustitia tramite deuiasse, quod ei, nescimus quo supercilio, negligis & despicis obedire. Ne igitur præsumptionis aut contumaciæ vlterius arguaris, mandamus, quatenus prædicto fratri nostro Toletano archiepiscopo, cui in toto Hispaniarum regno confirmauimus apostolica auctoritate primatum, debitam reuerentiã tanquam primati tuo, & omnimodam subiectionem impendas. Alioquin suspensionis sententiam, quam dilectus filius noster Hyacinthus diaconus Cardinalis A.S.L. in te noscitur promulgasse, ratam & firmam habemus, & eam robur firmitatis perpetuæ statuimus obtinere. Nos enim prædecessorum nostrorum fel. mem. Eugenij & Anastasij Romanorum Pontificum vestigijs inhærentes, sententiam memorati filij nostri Hyacinthi Cardinalis nisi ad præfatum archiepiscopum cum omni humilitate accesseris, & ei de cætero curaueris obedire, ab omni pontificali officio te iubemus esse suspensum, & omnes suffraganeos tuos ab obedientia personæ tuæ absoluimus. Dat. Beneuenti x1v. kal. febr.*

Anastasius II. arguit Brach. arch. ob negatum Toletano obsequiũ.

54 *Anastasius Bracharensi episcopo. Quanti criminis habeatur Apostolicæ sedis contemptus, ex propheticis verbis ostenditur, vbi scriptum est: Peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. Item B. Gregorius de inobedientibus & Apostolicæ sedis mandatis dura ceruice resistentibus ait: Sua ruina debet dolore prosterni quisquis apostolicis noluerit obedire mandatis; nec locum inter sacerdotes habeat; sed extors a sancto ministerio fiat. Quam frequenter, & quam districte a prædecessore nostro sanctæ memoriæ Papa Eugenio fueris monitus, vt Toletano archiepiscopo tanquam primati tuo debitam reuerentiam & obedientiam exhiberes, & qualiter ei obedieris; vnde etiam prius quam mandatis ipsius obtemperares pro tua inobedientia, & ceruicositate secundo suspensionis sententiam incurristi, a tua memoria non debuit excidisse. Sed sicut venerabilis fratris nostri I.. nunc Toletani archiepiscopi conquestione accepimus, postquam de obitu eiusdem prædecessoris nostri certus fuisti, obedientiam, quam R.. prædecessori eiusdem archiepiscopi exhibueras, sibi deferre nullatenus voluisti, non attendens, quod vnius morte apostolicæ petræ soliditas nec frangitur, nec mutatur. Quocirca per præsentia tibi scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus ad prædictum fratrem nostrum I.. Toletanum archiepiscopum seposita excusatione accedas, & tanquam primati obedientiam debitam sibi exhibeas. Quod si infra triginta dies post harum acceptionem adimplere neglexeris, ex tunc a pontificali officio te noueris esse suspensum. Dat. Lat. vi. id. april.*

Compostellanus arch. ab eod. Pont. Toletano parere iussus.

56 Subijcit alias eiusdem Pontificis ad eundem Bracharensem & Terraconensem archiepiscopos, quibus grauissime arguit, se a Toletani archiepiscopi Hispaniarum primatis auctoritate subduxisse: tum ad Hyacinthum diaconum Card. in Hispania legatum de ijs archiepiscopis, qui Toletano vt primati parere detrectabant, ad officium reuocandis. De Compostellano vero hæc Anastasius IV. Hyacintho Cardinali: *Quoniam fratri nostro Compostellano mandauimus, vt vel ei tanquam primati suo obediat, vel sub tuo iudicio ipsi exhibeat iustitiæ complementum, nihilominus charitati tuæ mandamus, vt si idem frater noster ambiguitatem noluerit subire iudicij, vtramq; partem ante tuam præsentiam aduoces, & rationibus vtriusque partis plenarie auditis & cognitis, quod æquitati & rationi congruat inde censeas obseruandum: alias eum cum sicut primati suo illi facias humiliter obedire.*

Anastasij IV. diplomatibus adiungit Pontifex alias Alexandri III. ad Ioannem Toletanum archiepiscopum literas, quibus primatis Hispaniarum dignitatem confirmat.

Alexand. III. primatus dignitatem Toletano arch. cõfirmat.

57 *Alexander episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Ioanni Toletano archiepiscopo & Hispaniarum primati, eiusque successoribus canonice substituendis in perpetuum. Per præsentis priuilegij paginam primatus dignitatem per Hispaniarum regna tibi, & ecclesiæ Toletanæ auctoritate apostolica confirmamus. Pallio itaque a sede Apostolica tuæ charitati concesso in missarum celebrationibus vti debebis tantum in præcipuis festiuitatibus, tribus videlicet diebus in natali Domini, in Epiphania, Hypapante, cœna Domini, sabbato sancto, tribus diebus in Pascha, in Ascensione, Pentecoste, in solemnitatibus sanctæ Mariæ, sancti quoque Michaelis, & S. Io. Baptistæ, in omnibus natalitijs Apostolorum & eorum martyrum, quorum pignora in vestra ecclesia requiescunt, sancti quoque Martini & Ildefonsi confessorum, & omnium commemoratione sanctorum, in consecrationibus ecclesiarum, episcoporum, & clericorum; in annuo consecrationis tuæ die, & in natali etiam S. Isidori & Leandri. Primatem te præsules Hispaniarum recipient, & ad te si quid inter eos quæstione dignum exortum fuerit, referent, salua tamen in omnibus Apostolicæ sedis auctoritate. Verum personam tuam in manu nostra propensiori gratia retinentes censemus, vt solius Rom. Pontificis iudicio eius causa si qua fuerit decidatur, &c.* Hæc Alexãder III. quæ Gregorius ita consignat. *Dat. Lat. v. kal. iul. pont. nost. an. x111.*

Veteres Impp. & Pontificũ prærogatiuæ Valentinæ Eccl. concessæ corroborantur a Greg.

58 Corroborauit præterea Gregorius Valentinæ ecclesiæ, quæ post diuturnam seruitutem barbarorum, anno superiore Iacobi Regis virtute erepta liberas cælo manus tollere cœperat, priuilegia a veteribus Pontificibus Christianisque Imperatoribus cõcessa, cum id beneficium electus Valentinus apud sedem Apostolicam tunc præsens poposcisset: *In nostra*, inquit, *proposuisti præsentia constitutus, quod quidam Imperatores Romani concesserunt ecclesiæ Valentinæ ciuitatem Valentinam cum subsidijs suis & territorio, & quidquid infra eius ambitum & extra in toto episcopatu Valentino continetur; comitatum videlicet, forum, mercatum, monetam, stratas, naulos, telonia, castra, castella, villas, vicos, areas, seruos, ancillas, tributarios, forestas, syluas, venationes, furnos, molas, molendina, aquas, aquarum decursus, campos, prata, pascua, terras cultas & incultas, & commune forum agentium & sustinentium causas tam ciuiliter quam criminaliter, ita quod episcopus vel electus, qui pro tempore ibi fuerit in ciuitate & suburbijs, castris & villis proprijs ipsius ecclesiæ ordinariam iurisdictionem, in alijs vero locis episcopatus ipsius per appellationem vel in defectum dominorum ipsam valeat exercere. Nos itaque tuis deuotis supplicationibus inclinati concessiones super ijs & alijs a dictis Imperatoribus pie, ac prouide factis ecclesiæ memoratæ, sicut in eorum priuilegijs plenius continetur; nec non libertates & immunitates tam a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, quam ab Imperatoribus, Regibus, ac alijs Christi fidelibus rationabiliter indultas eidem auctoritate apostolica confirmamus, &c. Dat. Anagniæ non. iulij ann. x111.*

Compostellano arch. traditũ pallium.

59 Obtinuit etiam a Gregorio Ioannes electus Compostellanus oratorum opera pallium e sacro B. Petri sepulchro acceptum, dataque Auriensi episcopo prouincia est, vt eo nouum archiepiscopum in verba Pontificis sacramento adactum ornaret.

Quam

Quem vero ritum in illo conferendo seruaturus esset, ita præscripsit Pontifex a: *Forma dandi pallium hæc est: Ad honorem Dei omnipotentis, & B. Virginis Mariæ, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & domini Papæ Gregorij & Romanæ Ecclesiæ, necnon ecclesiæ tibi commissæ, tradimus tibi pallium de corpore beati Petri sumptum, plenitudinem videlicet pontificalis officij, vt vtaris eo intra ecclesiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in priuilegijs ab Apostolica ei sede concessis. Forma vero iuramenti est talis: Ego Ioannes Compostellanus archiepiscopus ab hac hora in antea fidelis ero B. Petro & eius successoribus, &c.* illam prætermittimus, cum antea a nobis allata fuerit, cum de B. Edmundo archiepiscopo Cantuariensi creato ageremus. *Dat. Later. IX. kal. iulij ann. XIII.*

a Ibid. ep. 95. Forma illius dandi.

60 Refloruit in Lusitania splendor ecclesiasticæ dignitatis, quam superiori anno Regis & Fernandi ipsius fratris effrænata licentia admodum obscuratam ac labefactam vidimus. Ioannes enim decanus Vlyssipponensis tantis affectus ab ijs iniurijs illius ecclesiæ libera gubernacula capessiuit, iussique b a Gregorio Rex, clerus, ac populus debita obseruantia colere & complecti nouum episcopum: cui ad sarcienda damna grauissima ipsi antea inflicta ea facerdotia, quibus ante adeptum episcopatum potiebatur, retinendi potestatem fecit c. At Ferrandus e Serpa Alphonsi olim Regis Lusitani filius, qui immani in Ioannem tunc electum furore percitus, maximis sese sceleribus contaminarat, illins affines patrio solo exegerat, bona ecclesiastica expilarat, prophanarat altaria, clericorum sanguine fuderat, alios verberibus, vulneribus alios, alijsque grauissimis iniurijs affecerat, diuino spiritu afflatus, ob tot commissa flagitia vrente conscientia Romam accessit, vt veniam criminum ad Pontificis pedes abiectus supplex flagitaret, atque anathematis vinculis, quibus erat irretitus, absolueretur. Cuius scelera Gregorius veniа deleuit, ea tamen lege, vt ad damna illata resarcienda, ac pœnitentiam seueriorem peragendam adstringeret, quæ literis episcopo Oxomensi missis insinuauit. d

b Lib. 13. ep. 164. & reg. post eand. ep.

c Ibid. ep. 185.

Ferrandus e Serpa flagitiorũ veniam a Pont. postulat.

d Lib. 13. ep. 183.

Gregorius &c. episcopo Oxomensi.

61 Ad instantiam dicti episcopi Vlixbonensis, & Roolis fratris sui præfatum (nimirum Ferrandum e Serpa) ab eo quod super præmissis omnibus mandato apostolico pateat, iuramento recepto ab excommunicationis vinculis, quibus pro prædictis tenebatur adstrictus, per venerabiles fratres nostros Tusculanum & Ostiensem episcopos iuxta formam Ecclesiæ facientes absolui et sub præstito iuramento duximus iniungendum, vt omnia quæ ecclesiæ Vlixbonẽsi & eius canonicis abstulit, integre quam cito poterit restituat; & tam eis quam alijs monasterijs & ecclesijs de damnis & iniurijs irrogatis secundum posse suum, & voluntatem prælatorum & capitulorum ipsorum satisfactionem curet debitã exhibere: episcopum, decanum, & capitulum Vlixbonensẽ, qui pro tempore fuerint, fratres, consanguineos, familiares & alios amicos prædicti episcopi in personis & rebus per se vel per alium de cætero non offendat, & pro posse suo ab alio non permittat offendi: ecclesiam & eundem episcopum Vlixbonensem & alios supradictos, res suas & suorum & eorum intra contra omnem hominem eo amplius manuteneat & defendat, quo fortius eos noscitur offendisse: de cætero nullum clericum secularem, vel religiosam personam interficiat; nec in eos modo alio manus iniiciat, nisi quatenus iura permittunt: sed potius ecclesijs, quarum clericos interfecit, & parentibus eorundem pro posse suo satisfacere no omittat ecclesias, monasteria, res ecclesiasticas personarum ecclesiasticarum nullo tempore violenter inuadat; nec non personas ad ecclesias vel monasteria, seu cœmeteria confugientes eorum nequaquam inde de cætero extrahat, aut extrahi per alium non permittat.

Iubetur a Pontifice rite absolui.

62 Cæterum per totam quadragesimam eum ad terram suam primo deuenerit, barbam non radat, caput non abluat, indumenta de serico, vel scarlato, aut aurifrigiata non portet: nec intret ecclesiam; sed ante fores ipsius vsque ad diem cœnæ Domini diuina cum poterit audiens, tunc iuxta formam Ecclesiæ per manus episcopi vel sacerdotis se faciet in ecclesiam introduci; eo die decem pauperibus pedes abluat, & eis de simili panno indumenta concedat. Per totam eandem quadragesimam ad mensam suam quinque pauperes omni die reficiat, & omnibus sextis ferijs eiusdem in terra solus comedet vno pulmento & vno seruitore contentus. Quod si de pluribus cibarijs comedere voluerit, totidem pauperes eo die reficere procurabit. In Parasceue per omnes ecclesias ciuitatis, vel castri, in quo fuerit, discalciatus ambulet, & die sabbati subsequentis caput abluі & barbam faciat sibi radi. Per septem annos sextas ferias, quatuor tempora, litanias, omnes B. Virginis, & omnium Apostolorum & aliorum sanctorum vigilias ab Ecclesia constitutas ieiunet.

Quæ pœnæ ad expiandum crimẽ illi impositæ.

63 Omni tempore vitæ suæ in die sabbati carnes non comedat, nisi forte natale Domini in eodie interueniat, vel ipsum grauis necessitas ad id cogat. Apud Sanctaren. vbi clericos præcepit interfici, a monasterio fratrum Prædicatorum per hospitale S. Ioannis ad ecclesiam S. Mariæ de Alcaceua eiusdem castri, in tunica, & supertunicali eum corrigia ad collum pedibus nudis incedens in ostio huiusmodi ecclesiarum ab aliquo sacerdote, dum cantabitur; *Miserere mei Deus*, infra octo dies postquam ad illud castrum perueniet, se faciat verberari. Viginti Christianos a Sarracenorum captiuitate infra triennium redimat, & ad Sarracenos contra Christianos nunquam se transferens eis consilium vel auxilium non impendat: quin potius per tres annos in manu forti pro modo suarum virium Sarracenos in Hispania & specialiter in frontaria regni Portugaliæ expugnare procuret. *Dat. Later. XIII. kal. ianuar. ann. XIII.*]

64 Accepit etiam a Ferrando Gregorius fidei sacramentum, quo ille sese Romanis Pontificibus ad ecclesiæ iura in regno Lusitano tuenda defendendaque, atque ad obseruandum & colendum sedis Apostolicæ legatum obligauit a. Ad meliorem itaq; vitam reuersum apostolicis beneficijs complexus Gregorius suam illi clientelam impertiit b: eumque inter eas pœnas, quas ipsi ad expianda patrata scelera imposuerat, hoc dedisset imperium, vt tribus annis in Sarracenos bellum gereret; ijs qui sub illius signis aduersus Sarracenos meruissent, seu eleemosynas in tam pium opus contulissent, indulgentias elargitus c: Lusitanis præterea episcopis potestatem fecit d censuris ob iniectas ecclesiasticis viris manus irretitos soluendi, qui in arma aduersus infideles prosilirent: archiepiscopo Compostellano mandauit e, vti Lusitaniæ præsules aliosque ecclesiasticos adhibito omni studio impelleret, vt Ferrandum Sarracenis bellum inferentem opibus suis iuuarent. Ferrando quoque permisit f, vt quas e Sarracenorum terris, dum in eas excurreret, prædas abduxisset, atque etiam nonnulla bona sua, exceptis tantum ferro, equis, armis, ac ligno ad conficiendas triremes apto, quibus Christianos possent lædere, Sarracenis distrahere ad redimendos captiuos; suamque arcem cui Sopræ nomen erat inditum, vendere posset. Ita ille potentiam, quam antea ad insectandos Christi ministros effuderat, ad expiandum crimen fortiter in illius hostes conuertit.

Sacramentum to a Ferrando ad ecclesiæ pontificia in Lusitania iura.

a Ibid. ep. 173.

b Ep. 155.

c Ep. 157. 161.

d Ep. 158.

e Ep. 159.

f Ib. 177.

65 Huic regio pœnitenti præpotentem alium principem, nimirum Lantgrauium Thuringiæ coniungamus. extant Gregorij literæ ad Ildesemensem

Lantgrauius Thuringiæ pœnæ genus flectatur.

ac

ac Merseburgensem episcopos, atque abbatem e Porta Cisterciensis familiæ exaratæ a susceptum ab illo alijsque nonnullis consilium collaudauit, qui præscripta præterita solutiori vita, Deo sese singulari ratione addicere, pijs insistere operibus, fratrumque, quibus a pœnitentia nomen est, egregia exempla imitari decreuerant, quo cælo liberiorem mentem transfunderent, atque in rerum diuinarum contemplatione vitam collocarent, ijsque præsulibus mandauit, vt qui Lantgrauium aliosque exagitarent, censuris compescerent: *Gaudemus in Domino quod, sicut accepimus, eo misericorditer inspirante dilectus filius nobilis vir Lantgrauius Turingiæ & quidam alij terræ suæ a noxijs retrahi, & dirigi ad salutaria cupientes adinstar fratrum, qui dicuntur de pœnitentia, elegerunt cum vitijs & concupiscentijs suis crucifigere carnem suam, vt sub temporalis vitæ compendio Regi militantes æterno ab eo cælestis beatitudinis stipendia consequantur. Dignum igitur reputantes, vt tales prærogatiua gaudeant gratiæ specialis, mandamus quatenus eis fauorabiliter assistentes, non permittatis ipsos contra pium eorum propositum ab aliquibus temere molestari, ne in tam digno Domini famulatu valeant impediri. Dat. Anagniæ VII. kal. aug. ann. XIII.*

a Ep. 101.

In clientelā apost. accipitur.

66 Expetierat etiam Lantgrauius a Pontifice, vt sibi religiosum aliquem sacerdotem concederet, apud quem conscientiæ maculas expiaret. Cuius pijs desiderijs Gregorius morem gessit, cum Minoritarum in Saxonia ministrum alicui e suis idoneo id munus committere iussit b, qui a censuris pro manibus violentis in clericos iniectis, excitatis incēdijs, rapinis exercitis absolueret; si vero crimina immaniora viderentur, ad sedem Apostolicam absoluendum mitteret.

b Ep. 102.

Tum Lundensi archiepiscopo permisit c, vt quo die solēni Sueciæ Rex corona redimiretur, pallio vti posset: *Metropolitanus in coronatione Regis, benedictionibus abbatum, seu regalium nuptiarum in missarum celebratione ab eo die, quam in ecclesia sua priuilegio sit expressum, nequaquam pallio vti debet: verumtamen fraternitati tuæ vel si forsan Regem coronare contingat, eo die pallio vti possis, præsentibus indulgemus, dum tamen euidens vtilitas vel necessitas id exposcat.*

c Ep. 108. Permissū Lundensi arch. vt pallio vtatur in Regum Sueciæ inunctionis celebritate.

67 Solicitus etiam Pontifex tuendæ in Dania ecclesiasticæ dignitatis, ne ab impijs eius gloria obscuraretur, infringerenturque iura, Roschildensis episcopi monitis impulsus, Regem monuit d nefarias consuetudines deleret, quibus extremæ defunctorum voluntates sæpius rescinderentur, dum quæuis instrumenta omnibus circumstantijs & conditionibus instructa irritarentur, si duodecim testes cōtrarium adstricti iureiurando assererent; præterea populos cogeret, vt ex inueterato omnium gentium more decimas soluerent: *Sua nobis venerabilis frater noster episcopus Roschildensis petitione *....., quod cum contingat interdum aliquos in sua diœcesi commissa sibi exequi testamenta in pios vsus, & certis personis bona decedentium erogando iuxta dispositionem vltimam testatoris, non solum successores defuncti, verum etiam alij extranei vires testamentorum ipsorum, & potestatem executorum eneruare, ne bona defunctorum ad prædictos vsus peruenire valeant, propria temeritate conantes, sequitur in hoc prauam terræ consuetudinem, quæ abusus potius dici potest; videlicet quod si duodecim testes, qui nominati dicuntur, negatiuam asserentes iuramento affirmauerint, quod decedens aliquid in testamento nulli dimiserit, decedentis dispositio infirmatur, quamquam contraria affirmatiua per autenticas probetur literas, & testes omni exceptione maiores: sicque testamentorum ipsorum executio impeditur, & tam ecclesiæ, quam alij per assertionem huiusmodi negatiuam suis iuribus defraudantur.* Et infra: *Cum igitur ad regiæ spectat dignitatis honorem ecclesiastica iura tueri, serenitatem tuam monendam duximus attentius & rogandam, quatenus ecclesiarum & personarum ecclesiasticarum statum in solita libertate, tanquam catholicus princeps solito more conseruans, prædictam detestabilem consuetudinem de regno tuo penitus aboleri, & insuper vbique per regnum prohibere studeas, vt de cætero ibi huiusmodi consuetudo nullatenus obseruetur. Contra detentores vero decimarum ipsarum sic eidem episcopo auxilium & regium fauorem impendas, quod te suffragante ipse ac ecclesia sibi commissa suis iuribus non fraudentur; nosque celsitudinem regiam dignis in Domino laudibus commendemus. Dat. Anagniæ X. kal. sept. ann. XIII.*

Instat Greg. apud Regē Dan. vt tollat improbas consuetudines.

d Ep. 109.

* insinuauit

68 In Polonia Boleslaus Pudicus Cracouiæ dux hoc anno, vt tradunt annales Polonici vxorem duxit Kingam siue Kunegundem Belæ Regis Vngariæ filiam insignem sanctitate, formæ pulchritudine, ac morum elegantia conspicuam virginem, quæ virum ad colendam pudicitiam exemplo suo pellexit, vnde Pudici gloriosum nomen sibi peperit. Non caruere miraculo sanctæ illius virginis vitæ primordia, vt notat Longinus a, qui præclarissimum hoc de illa prodigium narrat: *Futuram optimam indolem ipsa etiam crepundia præmonstrarunt. Quamprimum siquidem anno incarnationis Domini nostri Iesu Christi MCCIV. apud Pannonias matris aluo in primis, quibus in lucem infantula edebatur, voce non ab eiulatu & lacrymis, vt cæteri infantes, sed a Gabrielica denunciatione suos auspicata est ortus. Claram enim, articulatam & sonoram: Aue Regina cælorum; in idiomate Vngarico edidit vocem. Quartis insuper & sextis ferijs semel tantummodo sugere vbera contenta, præsulem beatum Nicolaum in ipsa infantia æmulabatur. Deducta est autem præfata virgo Kinga cum magno apparatu, ferens secum amplam, quadraginta videlicet millium marcarum dotem, Cracouiam; vbi & solemnitas nuptiarum diebus duodecim acta est. Ex eo autem tempore & deinceps, Kunegundis ducissa præfata, celsitudinis suæ nomen & meritum ea celebritate, per pietatis opera apud regiones Polonicas diffundebat, vt non secus quam altera egregia virtutis beata Heduigis Trzebnicensis ducissa (cuius & ipsa Kunegundis neptis ex sorore germana fuerat) in Polonico populo videretur surrexisse; & ab omnibus mundanis abhorrens officijs & ab omni ambitu auersa, hoc vnum concupiscens, nil præter cælestia desiderare. Feruntur autem ambo in æuum virgines permansisse, & primo nuptiarum die, primum quidem ad vnum annum, quo lapso ad alterum, & deinde in tertium; quo effluxo; felici Kinga operante & instigante in omne æuum Domino cælis cælibatum spontanee vouisse & seruasse. Ex quo Boleslaus dux Pudicus meruit appellari.*

Boleslaus vxoris exemplo virginitatē colit.

a Long. l. 6

Kinga primum in lucem edita Virginē salutat.

69 Conciliatam illorum purissimorum coniugum societatem Salomeæ Regis Colomani vxoris opera scribit Longinus b vt quæ virtutes Kunegundis eximias exploratas haberet: ipsam vero Salomeam Reginam pariter cum viro Colomano coluisse virginitatem scribunt nonnulli c quam laudem pium principem egregio asserendæ in suum splendorem fidei zelo cumulasse docent pontificiæ literæ, quibus Gregorius cum diligentem illius operam didicisset, quam in excindendis e Bosnia delendisque hæreticis, fide catholica amplificanda, diuini numinis augenda gloria collocaret, dignis eum encomijs ornauit, incitauitque vt bene cœpta feliciter prosequeretur d: *Sicut earum tenore percepimus, extirpare hæreses & fidem studes catholicam propagare, exaltationem procuras Ecclesiæ, & ad expugnandum impugnatores ipsius eius te exponendo beneplacitis, beneficia, quæ a potestate recepisti diuina, verbo & opere recognoscis. Super quo seren. regiam dignis in Domino laudibus commendantes celsitudinem tuam attente exhortamur, quatenus in deuotione Dei & Ecclesiæ continuus*

b Long. vbi sup.

c Chro. Lg.

Gratulatur Colomano Regi hæresim in Bosna deleuisse

d Lib. 13. ep. 176.

ex-

excrescere procures augumentis, & de virtute in virtutem ascendens in caelis meritorum cumulum indefessis tibi studeas humeris ampliare. Dat. Later. non. decemb. ann. XIII. Vt piu etiam tanti Regis in fide amplificanda studio obsecundaret, Prædicatorum in Vngaria priorem e suis aliquos, qui operam ad confutandam hæresim excolendosque catholicos studiose nauarent, in Bosniam mittere imperauit.

70 Excurrit quoque in Gallias asserendæ contra hæreticorum conatus fidei Gregorij zelus. Iacobum enim Prænestinum episcopum, de quo superius a nobis mentio edita est, non ad comparanda modo auxilia, verum etiam ad rem Albigensem componendam misit: nec enim ita malum profligatum, vt non interdum recrudesceret; atque hoc anno hæreticos adeo se efferre ausos scribit Nangius a, vt etiam munitiones, quas obtinebant Franci, obsidione pertentarent. Ad quos debellandos missum ait Ioannem e Bellomonte egregio succinctum exercitu, illumque arcem munitissimam, cui mons Regalis nomen erat, obsidione cepisse, moxque loca alia hæreticorum magna celeritate ac fortitudine in suam potestatem redegisse. Cum vero Guido Castilionæus comes S. Pauli, dum egregie catholicam fidem defenderet, Albigensium insidijs appetitus occubuisset, illius filios Gregorius in sedis Apostolicæ clientelam adsciuit, nonnullorumque insigniu dignitate præsulu curæ ac fidei creditos & cômendatos esse iussit. b

a Nang. in vit. S. Lud. Compressi in Gallijs nônulli Albigésium reliquiæ.

b Lib. 13. ep. 106.

71 Flagrante porro Raymundo Tolosano comite censurarum religione, quibus ob sustentatas tacite hereticorum partes deuinctus erat, absolui eoq; oratores ad sedem Apostolicam decernere meditante, Pontifex Tolosano episcopo & sacræ fidei censoribus præcepit, vti sententias in Raymundi clientes latas remitterent ad tempus: a Prænestinum enim episcopum quamprimum eò profecturo de re tota edoctum iri c. Præfecti tum erant exercendæ inquisitioni e Prædicatorum familia viri religiosi, quos aduersus iuris tum ciuilis, tum pontificij ordinem inquirere oratores grauissime questi sunt, & a sede Apostolica contendere, vt eo munere deturbarentur, eaque prouincia in posterum in episcopos transfunderetur. Postulabat etiam Raymundus d, vt parentis defuncti corpus sepulturæ mandaretur, cum testibus ab episcopo Albiensi & S. Saturnini ac Grandis syluæ abbatibus receptis pœnitentiæ signa in morte edidisse probaret: poposcit præterea, vt censuras, quibus a iudicibus ab Apost. sede constitutis percussus fuerat, dissolueret. Vrgebat pariter Pontificem, Regisq; Galliarum ad id obtinendum auctoritatem & gratiam, qua florebat, adhibuerat, vt sacramento profectionis in Terram sanctam instruendæ, gerendorumque triennio contra Sarracenos armorum onere liberaretur ne coactus, sed sponte reliquorum Christianorum more tantos labores suscepisse videretur.

Tolosanus comes cêsuris absolui, nonnullaque alia postulat.

c Lib. 13. pag. 74.

d Ibid. pag. 73.

72 Admisit Pontifex posteriora duo postulata, legato enim episcopo Prænestino prouinciam imposuit e, vti comitem ecclesiasticis censuris, quibus erat irretitus, absolueret; tum sacramento suscipiêdæ Asiaticæ profectionis liberaret: Qua de re has Iacobo legato literas dedit, quæ licet anno superiori exaratæ, cum iter in Gallias adornaret; quia tamen itinere a Friderico prohibitus, hoc tantum anno eo contendit, in hunc locum cum superius allatis conferendæ visæ sunt.

A Prænestino ep. absoluitur nonnullis adiectis legibus.

e Pag. 74.

Episcopo Prænestino A. S. L.

Nobilis vir comes Tolosanus per nuncios suos & literas nobis humiliter supplicauit, vt cum gerat in votis deposito crucis vexillo, quam de manu venerabilis fratris nostri Portuensis episcopi tunc Apostolicæ sedis legati recepit, & remisso sibi quinquennij tempore, quo de mandato ipsius episcopi moram tenetur in partibus transmarinis, ipsam cum deuotione, ac humilitate assumere, vt videatur illam gerere spontaneus non coactus, prout ipsam gerunt alij catholici, qui ad Terræ sanctæ subsidium voluntarie se accingunt, ad partes illas cum alijs nobilibus magnanimiter in generali passagio transiturus, ac moraturus ibidem, sicut ei Dominus inspirabit, eius in hac parte desiderio annuere curaremus: charissimus quoque filius noster Rex Francorum illustris pro eodem comite nobis per venerabilem fratrem nostrum Claromontensem episcopum fecit nihilominus supplicari, vt ipsum haberemus in suis iustis petitionibus commendatum.

73 Licet igitur eidem Regi, quem inter cæteros orbis principes sinceritatis brachijs amplexamur in ijs quæ a nobis iuste duxerit postulanda, fauorem velimus apostolicum quantum cum Deo possumus impertiri; quia tamen idem comes Dominum, Ecclesiam, & ecclesiasticas personas, ac ecclesiasticam libertatem multoties & in multis noscitur grauiter offendisse; propter quod multiplici excommunicationis vinculo est astrictus; sic tam Regis quam comitis prædictorum supplicationibus annuere nos oportet, ne dissoluatur omnino neruus ecclesiasticæ disciplinæ, ideoque mandamus quatenus si dictus comes nostris, & Ecclesiæ Romanæ beneplacitis taliter se coaptet, & in eo signa deuotionis appareât adeo manifesta, quod se Apostolicæ sedis gratia merito dignum reddat, sicut per eosdem nuncios obtulit se facturum; postquam per te, cui absolutionem ipsius committimus iuxta formam tibi traditam fuerit absolutus, recepta per eundê Regem de consilio venerabilium fratrum nostrorû Senonensis & Rothomagensis archiepiscoporum, quibus super hoc scripta nostra dirigimus, præter iuratoriam sufficienti & idonea cautione, quod in proximo generali passagio cum alijs vltramontanis iuxta suæ nobilitatis potentiam transfretabit in obsequio dictæ Terræ per triennium moraturus, redeundi ex tunc licentiam præsentium sibi auctoritate concedas, ita videlicet quod si côtra præmissa venerit, in nullo sibi concessa licentia suffragetur, sed pro inconcessa potius habeatur. *Dat. Later. v. idus iunij ann. XII.* De quibus etiam ad S. Ludouicum Francorum Regem binas literas exarauit a: præterea archiepiscopis, episcopis, ac principibus eorum locorum viris legatum suum honorifice exciperent imperauit.

Iubetur expeditionem Asiaticam aggredi.

a Pag. 74. 75.

74 Adiunxit b cæteris Prænestino legato datis imperijs Pontifex, vt Magalonensem episcopum, ob comitatum Melgorij & Montisferrandi fiduciario iure Romanæ Ecclesiæ annuo censu imposito obstrictum, a præpotentium virorum tyrannide, in quos censuras iussit distringere, defenderet; Bitterrensique episcopo, vt eundem præsulem a prædonum insidijs vindicaret, prouinciam dedit: quo argumento, ac de comprimendis eius hostibus plures sequenti anno litteræ exaratæ c. Contulit etiam apostolicum studium Gregorius ad tuenda præsulum minoris Britanniæ iura: cum enim intercessisset antea côtrouersia inter comitem cruce insignitum Prouinciæq; episcopo quæ summi Pontificis edita sâctione sopita fuerat, Ioannes Britanniæ comes, qui Petro comiti, quê anno superiori expeditionem in orientale Imperium suscepisse vidimus, successerat illius conditionibus stare denegabat; quare ad sedem Apostolicam ad eam dirimendam prouocatum est, summusque Pontifex decano & magistro scholarum Cœnomanensium ad obseruanda ea decreta comitem adigere iussit d, ac Nannetensem episcopum & alios prouinciæ illius præsules ea sententia inuoluendum declarauit; de quibus vero excitata ea controuersia fuerit, e literis pontificijs colligitur.

Tuetur Pont. Magalon. ep. iura.

b Lib. 13. ep. 196. & 170.

c Ep. 170. & lib. 14. ep. 32. 33. 34. 35.

d Lib. 13. ep. 76.

75 *Olim inter venerabiles fratres nostros Redonensem, Maclouiensem, Briocensem, Dolensem, Venetensem*

Et præsulum Britanniæ.

ten-

tensem, Frecolensem, & Leonensem episcopos ex parte vna, & dilectum filium nobilem virum P.., tunc Britanniæ comitem crucesignatum ex altera, super diuersis articulis exorta grauis materiæ quæstione, multa super ipsa fuerunt a nobis impetrata litera, continentes qualiter in partibus illis per eundem comitem libertas ecclesiastica enormitate multiplici lædebatur: & tandem super vitandis & compellendis excommunicatis, ac de ipsis ad agendum, testificandum, & alios actus legitimos nullatenus admittendis, quandiu in excommunicatione perdurant, & libertatibus Ecclesiæ conseruandis ab ipso comite, tam super tertia iudicij defunctorum, quam decimis & legatis; tam de terris gentilibus, quam seruilibus faciendis secundum terræ consuetudinem approbatam, & ecclesiasticarum defensionibus personarum; nec non super vsuris, violatione fidei, & alijs causis in foro tantum ecclesiastico agitandis, & seruanda consuetudine, qua tamen quibusdam locis comitatus ipsius excommunicati cogendi sunt Ecclesiæ parere mandatis; a nobis certa prouisio emanauit, quam nobilis vir I... comes Britanniæ, qui de nouo comitatum huiusmodi est adeptus, quia in ea de successoribus mentio non habetur, expirasse reputat, & renuit obseruare: quare nobis ex parte ipsorum fuit humiliter supplicatum, vt eisdem super ijs curaremus de benignitate sedis Apostolicæ prouidere. Cum igitur intentionis nostræ fuerit, quod huiusmodi prouisio robur firmitatis perpetuæ obtineret, ac iustum sit, vt eandem prouide factam & a partibus sponte receptam præfatus P... ac idem comes obseruent, cum in onere successerit & honore, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsos ad illius obseruantiam quoad prædictos articulos vniuersos & singulos efficaciter inducatis, &c. Dat. Later. v. kal. maij ann. XIII.

Conscripserat etiam idem Ioannes comes nonnulla edicta, quæ dignitatem ecclesiasticam labefactare videbantur, submoti e fidelium cœtu contra veterem morem ad iudicia admittebantur, vnde non leuis ecclesiasticæ potestati iniuria inferebatur improbique audacia crescerent; tum vt sacerdotes parochi contra antiquam consuetudinem nihil ex bonis mobilibus sine filijs atque vxore decedentium acciperent, nisi testamento legatum ipsis foret: quæ decreta Pontifex rescindi penitus imperauit. a

a Ibid. ep. 77

Rhemenses in archiep. rebellionem mouent.

76 Conflata est Rhemis in Gallijs eo tempore grauis seditio aduersus ciuitatis archiepiscopum, qui illa ditione potiebatur, non enim modo ipsius ministros proscindere iniurijs, verberibus afficere, vrbis portas archiepiscopi amicis occludere; verum rebellione insigni illius domum balistis quatere aggressi sunt, nouaque tribunalia ad ius dicendum in ciuitate erexere: quare tot iniurijs lacessitus archiepiscopus anathematis sententiam in perduelles tulerat, & ecclesiastico supposuerat interdicto, reque ad Pontificem relata, ne in maiorem audaciam prorumperent Rhemenses, eos ritu solemni per circumposita loca percelli anathemate, atque ad ecclesiasticum tribunal euocari imperauit b: *Ne præsumptores huiusmodi de sua malitia glorientur, si debitæ correctionis non senserint disciplinam, & exinde detur eis maior audacia delinquendi, cupientes vt ipsi retrahantur a noxijs, & memoratus archiepiscopus debitam satisfactionem habeat de præmissis, mandamus quatenus si est ita, appellatione non obstante prædicta, cum appellationis remedium non in fauorem malignantium, sed in oppressorum subsidium sit inuentum, præmissas sententias rationabiliter promulgatas singulis diebus dominicis & festiuis pulsatis campanis, & candelis accensis solemniter publicetis, & faciatis per Rhemensem & vicinas diœceses, ac alia loca, in quibus expedire videritis, publicari. Quod si nec sic dicti ciues ad mandatum ipsius archiepiscopi curauerint prona mente redire*

b Ib. ep. 75

Vrgentur censura a Greg.

faciatis redditus, ac debita & alia bona ipsorum in nundinis & vbicunque reperta fuerint, quamdiu in excommunicatione persisterint, vt ipsis intellectum vexatio tribuat, detineri iuramento seu interpositione fidei, si qua forte debitores pro debitis soluendis tenentur. Dat. Later. III. idus iunij ann. XIII.

77 Vt apostolicum patrocinium Gregorius Rhemensi archiepisc. ad tuenda illius iura est impertitus, ita ipsi vt Balduini iura ac bona, quæ in Germania & Gallijs obtinebat amplissima, sedis Apostolicæ nomine defenderet, prouinciam dedit. a cum in spem adduceretur ipsum in defendendo Constantinopolitano Imperio tanto maiori ardore ad Redemptoris gloriam desudaturum, quanto maiora ab Romana Ecclesia beneficia accepisset. quo etiam munere Leodiensem episcopum, archiepiscopum Senonensem & Parisiensem archidiaconum onerauit. b

Data eidē arch. prouincia vt iura Balduini in Gallijs & Imperio defendat.

a Lib. 13. ep. 134.

b Ibid. ep. 138. 141. 208.

78 Circumsonabant hoc tempore Galliæ ingenti crucesignatorum fremitu, quorum alij ad Constantinopolitanum Imperium contra schismaticos, alij in Syriam aduersus Sarracenos iter corripiebant: sed cum Gregorius ob ingrauescentem schismaticorum potentiam promptiora Constantinopoli auxilia submittenda arbitraretur, huius anni initio perficiendæ expeditioni maximo studio incubuit c, ac nonnullos, qui se expeditioni Syriacæ deuouerant, vt Achaiæ principem ijsdem propositis indulgentiarum premijs aduersus Vataciuni arma vertere iussit d; tum nonnulla pecuniarum subsidia, quæ crucesignatis in Syriam profecturis addicta in stipendia fuerant, ad Balduinum deriuari: quæ res ingrata admodum Theobaldo Regi Nauarræ sacræ expeditionis duci alijsque proceribus eius signa secutis accidit, vnde illi apud Pontificem grauissime sunt conquesti, videri Terræ sanctæ curas abiecisse, dum opes quæ ad id conferendæ erant, alio auerteret. Quibus Gregorius eam sinistræ opinionis nubeculam ex eorum animis detersit, se videlicet ad tuendum Constantinopolitanum Imperium propterea incumbere, quod amisso eo Imperio sacrorum locorum laborantium periculis facile consuli non posse: eosque demum ad suscepta consilia strenue perficienda, collocandamque Christo operam incitauit. e

Geminā Gallia Græcam & Syriam expeditionem suscipiunt.

c Lib. 12. ep. 390.

d Ibid. ep. 168.

Queritur Rex Nauarræ rē Syriacam segnius agi a Pont.

e Ibid. ep. 399.

79 *Regi Nauarræ, & nob. viris duci Burgundiæ, Barri & Montisforti & Vindocinensi comitibus, ac alijs crucesignatis per regnum Franciæ constitutis.*

Literis vestris quo debuimus affectu receptis, ex earum tenore collegimus tam crucesignatos, quam alios admiratione duci non modica ex eo, quod negocium crucis prorogationis dispendio postposuisse videmur. Iis etiam tenor adiecit, quod legata & alio modo Terræ sanctæ concessa, quæ hactenus vobis conferre mandauimus, pro parte subtrahere intendamus, propter quod animos vestros nebula turbationis inuoluit. Verum cum terræ prædictæ negocium, tanquam sedis Apostolicæ specialis præcipue pectori nostro resideat, firma debet credulitate teneri, nec est aliud præsumptione contraria sentiendum, quod illud toto mentis affectu prosequimur, promotioni eius vigilanter intendimus, ad hoc nostrum impendimus studium, damus quam possumus operam, aliorum opem nihilominus postulantes. Et quidem cum non patiamur quantum in nobis est, aliorum negocia prorogari, verisimile non videtur, quod in causa Christi dilationis pericula nō vitemus; cum circa causas alias soluamus solitæ solicitudinis debitum, recedit a vero, quod crucifixi negotium post terga ponamus. Porro quia in proximo Imperij Romaniæ imminere videtur excidium, in quo Terræ sanctæ omnimode subsidium impeditur, succursui eius solerter intēdere cogimur: & eo magis ad hoc suscepti regiminis nos cura solicitat, quo magis Eccle-

Excusat Greg. pro periclitanti Constantinop. afferenda auxilia.

siæ

sic membro tam nobili aduersantium ense succiso, corpus debilitaretur ipsius. Si enim ipsum mater Ecclesia sic amissioni proximum destitueret, negligentiæ relinquendo, cuius patrocinium expectaretur, si eius non compateretur angustijs, quis ipsius aduersitatibus condoleret? Si desolato consolationis supprimeret vbera, cuius suffragio iuuaretur?

80 Huic itaque instanti periculo celeri remedio volentes occurrere, habito fratrum nostrorum consilio de subsidio terræ deputato prædictæ, Imperio eidem cogimur prouidere, quia cum vnũ siue altero nequeat in catholica fide subsistere, iuuando alterum, reliquo vi rationis compellimur subuenire. Vnde quia præfatæ terræ profectum diligitis, ratio nulla permittit, quod Imperij negotium non ametis. Non igitur debent hæc esse causa commotionis in vobis, quia dum circa idem Imperium curam gerimus defensoris, in crucis negocio procuratoris diligentia non caremus: quinimmo eidem potissime auxilij porrigimus dexteram, cum ad illud manum extendimus adiutricem. Quocirca deuotionem vestram monemus & hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus in eam sancto proposito persistentes ad generale passagium vos paretis, quod in instanti festo B. Ioannis Baptistæ fieri debere publice denunciari mandamus. *Dat. Later. VII. idus martij ann. XII.*]

Theobaldus Rex Nauar. cũ alijs crucesignatis Massilia soluit.

81. Duxisse præsenti anno florentissimum exercitum in orientem Balduinum in superioris anni historia a nobis insinuatum est. Theobaldum pariter Massilia cum alijs validissimis copijs soluisse hoc anno ac vela in Syriam fecisse docet Richardus: *Mense augusto Rex Nauarræ cum copioso crucesignatorum exercitu de Marsilia in Terram sanctam transfretat.* Illum vero discessurum prudenter regno prouidisse docent pontificiæ literæ, quibus probauit a vt tres auctoritate & gratia apud ipsum pollentes, custodiendæ tuendæque illius ditioni imponeret, quibus eorumque bonis patrocinium apostolicum pollicitus est b. Ipsum vero Regem, terrasque illi obnoxias apostolicæ tutelæ beneficio se complexurum promisit, quo etiam alijsque beneficijs ornauit Richardum Cornubiæ comitem c, qui in loca sancta profectionem meditabatur, sed illum anno tantum sequenti in Syriam e Massiliensi portu traiecisse docet Parisius d. Vt vero res Christiana male gesta a proceribus nonnullis, qui cum Theobaldo transfretarant, ab Richardo fuerit restituta, suo loco dicetur: nunc aliqua ad Armenos spectantia adijciamus.

a Lib. 13. ep. 89.
b Ibid. ep. 90.
c Ibid. ep. 143. 144. 145.
d Par. hist. Angl.

Cõfirmat. Greg. probas in Armen. consuetudines.

82 Affecit ea prærogatiua Gregorius Armenorum Regem, & Reginam e, vt si quando de matrimonio aliaue re pontificijs literis in loco vel minime tuto vel iure suspecto postulati iudicio essent, sistere se non cogerentur, vtque laudabiles veteres consuetudines, quæ a sanctorum patrum regulis non abhorrerent, nec sacris canonibus aduersabantur, ratæ ac firmæ essent f: *Vestris supplicationibus inclinati rationabiles consuetudines vestras in regno Armeniæ a tempore felicis recordationis beati Siluestri Papæ prædecessoris nostri, & sancti Gregorij Catholicis eiusdem regni, qui contemporanei extitisse dicuntur, obtentas, inuiolabiliter obseruatas, quæ sanctorum patrum regulis minime contradicunt, & canonicis non obuiant institutis, vobis & per vos eidem regno auctoritate apostolica confirmamus.* Alioque diplomate ipsis Regi, ac Reginæ concesso, amplissimam noxarum veniam ijs, qui in prælio contra Sarracenos mortem oppeterent, attribuit. g

e Lib. 12. ep. 391.
f Reg. post eand. ep.
g Lib. 12. ep. 394.

Armen. Cathol. pallium transmittit.

83 Postremo Armenorum archipræsuli Catholico nuncupato, nouum pallium, & alia pontificalia ornamenta apostolicæ charitatis ac gratiæ, eiusque pij erga Romanam Ecclesiam studij signa & argumenta misit h: *Vt sacrosanctam Romanam Ecclesiam vtpote caput omnium Christi fidelium & magistram tanquam matrem filius reuerenter amplecteris beato Petro & nobis, qui eidem Ecclesiæ dispositione diuina, licet insufficientibus meritis, præsidemus nostrisque successoribus canonice substituendis obediens semper, fidelis & deuotus existas quibusdam petitionibus per nuncios tuos ex parte tua nobis exhibitis ad gratiam exauditionis admissis petitum a te pallium, tuo quod olim antecessoribus tuis fuit ab Apostolica sede concessum, iam quasi præ nimia vetustate consumpto, sicut ijdem nuntij exponere curauerunt, nec non mitram, stolam & annulum in signum apostolicæ dilectionis & gratiæ, ac tuæ deuotionis indicium fraternitati tuæ per nuncios mittimus antedictos; alias tibi velut honorabili membro Ecclesiæ prænotata, in quibus cum Domino poterimus, propitij & fauorabiles affuturi. Dat. Later. VI. idus martij ann. XII.*

h Ep. 398.

IESV CHRISTI
Annus 1240.

GREGORII PP. IX. annus 14. FRIDERICI II. IMP. 21. BALDVINI II. IMP. 12.

1 EXoritur Christianæ salutis annus quadragesimus supra millesimum ducentesimum, indictione tertia decima, qua Fridericus in maiora scelera proruit, ac Romanæ Ecclesiæ ditionem vastare atque inuadere aggressus, infesta signa ad Viterbium vsque circumtulit. Cuius animaduersa audacia Gregorius Papa vt illius furorem comprimeret, iterum ad præsules scribere coactus est, Fridericum vinculis anathematis irretitum, omnesque fidei sacramento subditos absolutos promulgarent, vt cum ille populos sibi obnoxios desciscere videret, Apostolicam sedem opprimere desineret. Verum scribit Stadensis archiepisc. & episcopos Theutonicos se apud Pontificem, ne id facerent, excusasse, vtq; ad pacem cum principe conciliandam descenderet postulasse: in Gallijs tamen ac Dania solemni ritu anathematis desixum sententia denuntiatum. Addit Parisius illam etiam in Anglia sententiam publice lectam fuisse, ac Fridericum eo audito missis legatis ac literis a querelas multiplices apud Regem effudisse, spretis affinitatis vinculis nomen suum adeo fœde laniari ac publice traduci passum esse, atque etiam inconsulte thesauros ad mittenda capitali suo hosti subsidia exhausisse; cum maxime ipsius causa ageretur, ne Pontifex principibus ac Regibus seruituris iugum imponeret. At Henricus perniciosis ijs consilijs subornari se non passus, coacto suorum consilio, ita eius querelas retudit. Sibi præ cæteris orbis principibus ad capessenda alacrius Pontificis, cui fiduciario iure obstrictus esset, imperia onus incumbere.

Decretũ a Germ. præsules lato in Frider. sententiam promulgare.

In Dania, Gallia, Angl[illegible] [illegible] ritu lecta.

a Recitat eas Par. hist. Angl.

Queritur Frid. de Henr. Angl. Rege Pontifi ciis partes essere.

2 Porro Gregorius cum aduersus se intolerabili pertinacia ferocientem Fridericum, ac noua in dies Ecclesiæ conflare pericula videret, illum solio deturbare Imperiumque in alium principem, scriptis ad electores literis vt nouum sibi Imperatorem præficerent, transfundere est conatus, ne sub illius tyrannide Christiana respublica diutius ingemisceret. Verum e principibus aliquos Papæ rescripsisse Stadensis ait, non esse pontificiarum partium Imperatorem adepta exuere dignitate, sed tantummodo electum a principibus imperialibus ornamentis insignire. Qua in re illi pontificia iura parum æqua lance librarunt: cum non modo ratio, verum exemplis pluribus, quæ ex Baronio peti possint, testetur antiquitas summum Pontificem ea potestate pollere, vt principes tyrannos e culmine imperatoriæ regiæue dignitatis deijcere possit, cum ingens aliquod animarum saluti ex eorum prauo regimine discrimen incumbit, vel illi datam in solemni inaugurationis pompa fidem,

Scribit Greg. ad principes electores nouũ sibi Imp. præficiant.

Respondẽt nonnulli non esse Pontificis electum exuere imperio sed ornamentis imp. induere. Refellitur ea sententia.

fidem, ac sanctissime tactis altaribus nuncupata sacramenta insigni perfidia corruperunt. Quæ omnia in Friderico concurrisse liquet, cum innumeras illeclades Christianis motibus, ecclesiarum libertati; pontificijsque iuribus intulisset; foueret Saracenos, Crucifixi bona raperet, clericos innoxios trucidaret, ditionem pontificiam inuaderet, nefanda hæresi sese inquinaret, fidem frangeret, sacramenta toties edita violaret, atque a Christo institutam potestatem Petroque collatam euertere niteretur, vt illorum temporum historia fidem facit.

Senenses a Florentinis dimicaturi Friderici in auxilium euocant.

3 Interea Fridericus populos, qua promissis corrumpere, qua metu percellere, atque in suas partes contra Pontificem pellicere studebat, vtque fert humana conditio, alij ipsius fraudibus succuberent, alij egregio animi robore induti, sese omnibus periculis pro Ecclesiæ dignitate obiecere, aduersus quos Fridericus laxatis iræ omnibus habenis summum virus effudit. Quæ Gregorij vitæ auctor complectitur ab ijs initium auspicatus, quæ Fridericus, postquam Pisas se contulisset, aggressus est: *Cum esset in Apuliam paratis nauibus profecturus, de Florentinis diu quæsita fidelitate desperans, cum in Senensi bello populus fœminea compositione inolescens, non armis, sed ceteribus colendis addictus, quem bellicosa Florentia hostili persecutione vexabat, multa supplicationis instantia in sui præsidium aduocauit, sibi præstito vasallagij iuramento. Tandem Aretini non voluntarie, sed coacte, sed Fernsinorum odio potius exceperunt.*

Se illis deuouent Senenses.

Trahuntur in partes Frid. Aretini.

4 At episcopus Aretinus raptim collectis copijs fortiter restitit tyrannidi Friderici, qui odio iraque in eum accensus, bonis spoliauit. Cuius summus Pontifex arrepto patrocinio Aretinum clerum necessaria ipsi suppeditare iussit [a]; atque etiam, vt magis eum ornaret, quam hostis depressérat, marchiæ illum Anconitanæ præfecit, ac populos datis apostolicis literis ipsius iussis parere imperauit [b]. Grassabatur tum in marchia Hentius, qui anno superiore in eam prouinciam, vt vidimus, irruperat, cuius immittendi eam causam prætendisse Fridericum, sparsisseque ait Gregorij vitæ auctor, Pontificem sibi ne iura Imperij recuperaret, in Insubria obsistere: nonnulla vero loca infami proditione occupata ab Hentio, alia in Pontificis fide se continuere.

Episcopus Aret. strenue ponti ficias partes tuetur.

a Greg. l. 14. ep. 184

Eidem ab hoste pr sectur Marchiæ.

b ibid. ep. 181.

Iactati a Frid. inundendæ Marchiæ prætextus.

Nonnulla loca ab Hentio proditione occupata.

5 Inter alios Piceni populos in officio ac fide Romanæ Ecclesiæ Recanatenses constantes perstitere, quos ideo Gregorius magna amoris significatione beneficijsque est prosecutus c, atque inter alia episcopalem Auximatum sedem, vt meritis pœnis perduelles, qui ad Fridericum defecerant, percelleret, Recanatum transtulit. testes hoc anno eade re exaratæ ad Recanatenses pontificiæ literæ d: *Dilecti in Domino filij, prout conuenit, attendentes quod in deuotione Ecclesiæ illam studiusu obseruare constantiam, quod nec damna rerum vobis per Fridericum dictum Imperatorem Dei & Ecclesiæ inimicum illata, nec pericula corporum vos a fidelitate sedis Apostolicæ auertere potuerunt; & congruum æstimantes, vt castrum Recanatense, quod de cætero esse ciuitatem statuimus, gratis honorificentia extollamus; de communi fratrum nostrorum consilio & assensu terra vestra, quam a iurisdictione ecclesiæ Humanatensis eximimus, concedimus dignitatem, a male dictionis filys populo Auximano, qui dicto Friderico Dei Ecclesiam persequenti, diuino timore postposito, damnabiliter adhæserunt; ad ecclesiam S. Flauiani de Recanato, quam de cætero cathedralem esse decernimus, Auximanam sedem cum omnibus iuribus suis dignitatibus & honoribus transferentes: ita tamen, vt cum expedire viderimus, Humanatensi ecclesiæ in recompensatione spiritualium & temporalium iurium, quæ in dicto castro & territorio eius obtinuit, assignare aliquam partem Auximana diœcesis valeamus. Dat. Lat. xi. kal. ianuar. an. XIV.*

Recanatenses ob fidé episcopali sede decorati.

c Lib. 13. ep. 215.

d Lib. 14. ep. 189.

Auximates ob defectionem illius dignitate exuti.

6 Collatum in se beneficium gratissimo animo visi sunt excepisse, cum vltro quinque millia librarum communis monetæ ad ornandam redditibus ecclesiam cathedralem obtulerunt, atque episcopo & canonicis ædes excitaturos se spopondere. Extant de his literæ [a] ad Sinibaldum tit. S. Laurentij in Lucina presbyterum Card. Piceni præfectum, qui postea in pontificatu Innocentij IV. nomen gessit. Illum etiam dare operam iussit, vt ad episcopum & canonicos honeste sustentandos redditus contribuerent: cum præsertim ardente Friderician bello Auximatis ecclesiæ possessiones Recanatensi facile deriuari non possent. Beneficium vero a Sinibaldo Card. pie ac prudenter in benemeritos coniectum, quibus nonnulla ad Rom. Ecclesiam spectantia contulerat, apostolica auctoritate communiuit. [b]

Attribuit episcopo & clero vectigalia Recanaté ses.

a ibid. ep. 109.

b ibid. ep. 189.

7 Non ita Fulginates Recanatensiū exēplo pulcherrimo instructi in Ecclesię fide permásere, quos Gregorij gesta grauiter perstringūt: *Ipse vero a Fulginatibus inuitatus, cum esset in partibus Lombardiæ, potentiā Perusinæ ciuitatis euitans, quā nec terroribus inflectere potuit, nec promissis; licet per partes illas sibi compendiosius iter esset, longiori via per ciuitatem Castellæ, Eugubium, & Nouriam, eius protinus mandato parentes, deuenit in Fulginium populo latāte susceptus: quorum informis fides, intentio fallax, periura manus, vulgata proditio, dirupto fidei fœdere, quod Romana Ecclesia iuramentis firmauerant iteratis, recidiuo periurio Cæsaris dominium elegerunt, rem ex nomine possessuri, vt Fulginates fama nigredinem de fuligine sumerent, & fidei corruptelam. Vtinam misericordes matris Ecclesiæ censuram non sentiant proprios in decoctione naturam, quibus crudelius fuit parcere quam sæuire. Tunc Treuani, Spoletanorum prius vastati potentia, castro diruto & ablatis spolijs, Ecclesiæ beneficio ad lares proprios multo labore reducti.* Et infra: *Assignatet autem, quos & generis claritas & fides inconcussa decorat, vsque ad muros pro sedis Apostolicæ nomine Imperatoris furore vastati, & vexatione pulsati continua, inter ipsas vexationes proposita in deuotione creuerunt; Perusinis, Tudertinis, & Spoletinis fidei constantiam eandem prosecutis.*

Fulginates defi ciunt ad Fridericū.

Plures alij populi eorum perfi diam imitati.

Assisinates strenue mœnia tuentur.

Peruſ. Tudert. Spol. fortiter ecclesiæ adhærent.

8 Laudibus etiam extulit Gregorius Spoletanorum erga Romanam Ecclesiam studium egregiamque constantiam, vt quos nullæ aduersitates ab eius fide diuellere potuerint, proque eius tuenda dignitate bonorum iacturam eximio virtutis exemplo tolerarint. Gratiam ergo benemeritis repositurus Pontifex, suam erga eos beneuolentiam hoc diplomate illustrauit [a]: *Gaudemus in Domino, quod vos in deuotione Ecclesiæ matris vestræ firmos sicut columna immobilis persistentes nulla persecutio, nulla aduersitas ab ipsius fidelitate & obsequio potuit separare, rapinam & incendia bonorum vestrorum pro conseruando ipsius honore æquanimiter sustinentes: ex quo vobis apud Dominum æterna retributionis præmium, & apud homines perpetuæ laudis titulum comparatis; et nos quia id nec debet nec potest ab oculis Apostolicæ sedis excidere, tāta deuotionis affectum condigna retributionis effectu recompensare proponimus, & ad exaltationem ciuitatis vestræ prompto & perpetuo desiderio aspiramus. Verum quia gratiam quam possumus ad præsens vidcm facere cupimus ciuitati, vt deuotiores efficiamini ex deuotis, vobis in deuotione Ecclesiæ persistentibus redditus, quos in diœcesi Spoletana Ecclesia Romana obtinet, exceptis redditibus ad nostrarum munitionum custodiam deputatis, vsque ad nostra beneplacitum voluntatis duximus concedendos. Dat. apud Cryptam Ferratam kal. sept. ann. XIV.*

Spoletani ob fidei constantiā commendati.

a Ep. 556.

9 At si Spoletani eas laudes iustissime prometuere, non minore infamia Viterbienses prodita Pontificis causa sese aspersere, qui Fridericum iam Fulginio in Apuliam subducere meditantem summo Ecclesiæ dam-

damno nec minore iniuria exciuerunt. *Prædicta vero Fulginatensis ciuitas indigna vocabulo, breuibus conclusa limitibus, vicina manus subuentione subiecta iam ad meritum non modica penuria arctabatur. Propter quod principem ipsum iam in partes Apuliæ fugire disponentem Viterbienses semen nequam, filij scelerati, & fidei suæ crudeles & famæ, nulla timore cogitate, sed propria perfidia ducti, vocauerunt maternæ benedictionis obliti, quæ propter grandia beneficia deuotionis debito non indigna illum insignem eis contulit, episcopalis dignitatis honorem, vt ciuitas de castro tam facta prius seruituti subiectionis obnoxia gauderet libertate prælata. Pro quorum vexatione tollenda, quam eis vrbs sanguinum inferebat, quodammodo sæuiens in seipsam, non verita propriæ sedis auxilium, Romanos speciales Ecclesiæ filios iure primogenituræ maiores* * *Viterbienses ipsos infectos paulo prius, congestis vndique viribus, hostili persecutione contriuerat & sententia aduersa damnarat.*

Viterbienses Frid. fugam meditantem mœnibus excipiunt.

* Viterbiensibus ipsis

10 *Imperatorem etiam supradictum summus Pontifex in partibus illis mensibus tribus detinuit in multitudine bellatorum laboribus grauibus & impensis, circa quadraginta marcharum millia pro ipsis expendens; suam eisdem nihilominus præsentiam in non modico exhibendo, per quod ipsorum inopiæ consuluit, & tutelæ. Qui tandem alienati ab vtero susceptam de vbere materno dulcedinem in amaritudinem felleam commutantes, ingratitudinis expuentes humores, in matris eruperunt excidium filij parricidæ, Christi hostes, patris & patriæ desolatores, proditores domini, & rei maiestatis offensæ. Nec de radice dissimili tam nociui seminum fructus prodere creduntur, vt in plantario hæresis, agro sanguinis, spelunca latronum, adulterij domo crescentes, infidelitatis rigati profluuio non alium reddere saporem poterant quam amarum: sic enim Viterbienses viam tenentes hæresis, & culpæ propriæ relinquuntur & pœnæ, per quod Ortam, Tuscanellam, Cornetam, homines Montisflasconis, & Montisalti eorum exemplo corrupti similis errore conuoluuntur.*

Ingratus illorũ erga Pontificem animus.

Hæresis perfidiam suasciunt.

11 Viterbienses etiam ad se defecisse, in literis ad Anglorum Regem Viterbij scriptis, quarum exordium est: *Triplex doloris aculeus*, gloriatur Fridericus. eas Parisius a in historiam suam ad annum superiorem coniecit; quamuis hoc daræ esse videantur, vt elicitur ex gestis Gregorij & Richardo, qui earum vrbium defectionem mense februario huius anni consignat b: *Mense februario Imperator venit Fulginum, vbi magnifice a ciuibus receptus est. Appetium & Coccotum venirunt ad suum mandatum. Recepit tunc etiam Viterbium eodem mense februarij, Ortam, ciuitatem Castellanam, Cornetum, Sutrum, Montemflasconem, & Tuscanellam.* Ex ijs ergo successibus insuis ad Henricum literis Fridericus tanto terrore iactat percussum Pontificem, vt pene in desperationem actus, cum maxima Romanorum pars ad se ab illo transfugeret, induendam crucem pro concione indixerit, quam gregarij tantum quidam milites, mendiculi, ac rusticuli senes vestibus assuissent; quasi Imperator ad Romanæ Ecclesiæ vastitatem inferendam prouolaret. His consonant quæ Gregorij vitæ auctor propagauit historiæ, dum ait summum Pontificem cinctum vndique periculis, ac Fridericiano exercitu circumfusum ad diuina auxilia confugisse; & solemni indicta supplicatione, principum Apostolorum capita per Vrbem circumtulisse, sacraque pietate accendisse, vt proscriptis tyranni partibus triumphali crucis signo sese insignirent. Quocirca Fridericus furore percitus in eos omnes, qui crucis signum induissent, crudele edictum promulgauit; inde que factum vt plerique immanissima supplicia pro seruando crucis signo constanter tulerint. Inter quos sacerdotes aliqui, qui sacræ crucis militiæ nomen adscripserant, hauriri flammis, quam signum crucis assutum vestibus abijcere atque exuere maluerunt, & inter medios flammarum globos sacrum canticum: *Te Deum laudamus*, constanti ac victrice voce cecinerunt felicesque animas cum illum versiculum; *Te martyrum candidatus laudat exercitus*, decantarent, collecta martyrij palma cælo transfuderunt, de quibus hæc vitæ Gregorij auctor.

Sequuti Viterbiensium exemplum plures populi a Par. hist. Angl.

b Rich. a S. Germ.

Frid. in spem potiundæ Romæ elatus vrbi immmet cum exercitu.

12 *Iam sathanæ furentis nequitia in Christi Sponsam potenter armata, illud grande monit in Vrbe dissidium, vt fere vtriusque sexus & cuiuslibet ætatis sententia, pari voto & proposito simili assertionibus publicis casum Ecclesiæ diffiniret incredibili errore concepto, per quem in patrum sanguinem natorum imbiabat immanitas, in cubile maternum inducere satagens* * *alienam ruinam generalis Ecclesiæ prosequentem. Sed non defuit Sponsæ Christi Sponsi præsidium, & fluctuanti vicario assiutrix Domini dextera non defecit; cuius beneficio Petri successor erectus ad diuina se conferens munimenta, lignum crucis viuificæ, ac reuerenda beatorum Petri & Pauli capita, exultantibus populis, ad ipsius principis Apostolorum basilicam Cardinalium venerabilium & prælatorum comitatus vestigio, quo decuit honore portauit. Vbi blasphemantium, quæ conuenerat, multitudo censu corrupta cæsarea, facunda exhortatione sermonis, & negotij nouitate conuersa triumphum matris Ecclesiæ proclamabat in sui conductoris iniuriam, crucis munita præsidio, charactere deposito antichristi, Romanis cuiusque conditionis & sexus pro tutela ecclesiasticæ libertatis assumentibus protinus signum crucis erexit.*

* alienigenam

Greg. instructa solemni supplicatione capita Petri & Pauli App. per Vrbem gestat.

Ad crucẽ induendã Romanos excitat.

Romani plures a Friderico antea corrupti repẽte animis mutati arma corripiunt.

13. *Ex hac furentis immanitas proposito desperationis accensa: fit Deo contrarius, & in Redemptoris iniuriam armatur: horrendum procedit de prætorio crudelitatis edictum, per quod crucis gestantes characterem pœnis subijciuntur atrocibus: alij candentis ferri stigmate ad modum crucis in fronte consignati: alij membrorum facta mutilatione deformes: quidam amputantur coronis sacri ordinis* * *improprium redditi: multi exusti flammarum incendijs: nonnulli vero in loco crucis clauis crudeliter perforati, in grande infidelitatis indicium, ac publicam contumeliam crucifixi. Sacerdotes quidam vexillo crucis venerandæ muniti in alto palearum* * *culmo ligati expositi crucis suaue iugum recusantis deponere, supposito igne concremantur, qui supra modum conditionis humanæ intrepidi: Te Deum laudamus, voce valida & constantia iuncta decantantes, ipsius hymni sequentia vsque ad: Te martyrum candidatus laudat exercitus; prosecuti vndique tam flammis crebrescentibus obsiti inter ipsius versiculi verba animam sanctissimam Christo reddiderunt, pro cuius nomine tyranni sæuitiam & ignes incendia non expauerunt.* Cum porro Fridericus Romanos cruce insignitos aduersus suam tyrannidem in arma prosilijsse conspiceret, Vrbis potiundæ spe abiecta in regnum Neapolitanum se contulit, quam tempus consignat Richardus: *Mense martio Imperator relicto capitanea apud Viterbium comite Simone Theatino cum exercitu suo, & in Marchia naturali filio suo Henrico Rege Gallura, item his, qui de regno secum in Lombardia fuerant, redijt in regnum.* Addit auctor ingentem illum pecuniarum vim ab ecclesiasticis Siculis abrasisse, vt Ecclesiam oppugnaret, comparatisque nouis copijs Beneuentanos aggressum: *Mense maij Imperator congregato exercitu suo de Apulia venit Capuam & ipse mandante Beneuentum in exterioribus deuastatur.* Pertentasse etiam eam ciuitatem habet gestorum Gregorij scriptor: & ipsum a ciuibus, quos in fide & Romanæ Ecclesiæ amore constantes reperit, non sine clade propulsatum: *Ingressus Apuliam*, de Friderico loquitur, *Beneuentanam vndique ciuitatem longo concepto furore vallauit; qui si rerum defatigati dispendijs, fides tamen detrimenta non passi, quam*

Vetat Frid. interitata mortis pœna crucẽ gestari.

* in improperium

Horrenda Frid. crudelitas in eos, qui se cruce cõsignant.

* cumulo

Sacerdotes in medijs flammis quibus ob gestatã crucẽ erãt in iecti Deo laudes cõcinunt.

Frid. in regn. Neapol. se recipit.

Beneuentanum agrum vastat.

[illegible] *plures de imperiali exercitu [illegible] pars meruit.*

Fridericus irrito conatu exercitum inde tunc remouit, mense tamen augusto fatigatos ob agrorum vastitatem, quæ vere illata fuerant, dedition obsidione a Siculis cingi iussisse Richardus paulo ante memoratus testatur. Nec minus [illegible] ad sustinendos hostium impetus se [illegible] constantiam pro tuenda Romanæ Ecclesiæ aduersus Fridericum libertate cum certa [illegible] Pontifex, literas ad eos exarauit a, quibus commendato inuicti animi robore, quo immanes tyranni impetus pertulissent, ipsorum edictum aduersus proditores, qui Fridericum in vrbem inducere conati erant, confirmauit, ne eorū hæredes ciuitate donari bonisue fisco addictis potiri possent; *Vtinam affectus nostros optatus sequeretur effectus, & non vt operibus institua, quæ fecimus nos, sed secundum multitudinem miserationem suarum annueret Dominus votis nostris: quia nec vos afflictiones & pressuras pati diutius, nec nos vobis super ijs compati longius cogeremur. Veruntamen quod nondum in hac est nostris & vestris desiderijs satisfactum, præter arcanum prouidentiæ diuinæ consilium, quod comprehendere mortalium nemo potest, certum est vobis indicium, quod adhuc vos probare disponat, vt fiat vestra probatio multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, inueniatur in laudem, & gloriam, & honorem. Vos ergo sicut viri virtutis & gratiæ considerato, prout conuenit, diligenter quam grande quamque solemne apud omnes gentes factum sit constantiæ vestræ nomen, quantumque virtutis & gloriæ vestræ accrescit ciuitati, accingimini & estote pij potentes ciuitatem ipsam & vos ipsos viriliter defendendo, ac loca tutiora seruantes illa, in quibus posset esse periculum, cautius custodite, securi quod in proximo a Domino reportabitis gloriosum de lugubri calamitate successum.*

16 *Cæterum cum quidam de ciuitate prædicta sicut non absque multa turbatione accepimus, pestilenti spiritu diabolico concitati ad ciuitatis eiusdem exterminium intendentes, ipsam in manus hostium prodere niterentur, quia proditione, Domino faciente, detecta fuga præsidium de manibus vestris eripuit proditores, vos communicato consilio statuistis, vt proditorum ipsorum bonis omnibus confiscatis, tam ipsi quam eorum hæredes nunquam ad regressum ciuitatis iam dictæ in perpetuum admittantur; nos proditionem & proditores, sicut conuenit, detestantes statutum huiusmodi prouide factum auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Dat. Later. edib. octob. ann. XIV.*

17 At cum ea ciuitas vndiq; hostibus cincta esset, nec vllæ auxiliares copiæ ad soluendam obsidionem submissæ, sequentis anni mense aprili ad deditionem compulsam scribit Richardus b. Huius vero anni inclinante vere Fridericus, vt consilia sua Beneuentanorum fide, atque in Ecclesiam constanti animo elusa vidit, infesta signa conflato ex diuersis nationibus exercitu in Campaniam traduxit, & qua vi qua fraudibus grassari cœpit; quos metu concutere non posset, promissis ingentibus delinire. Verum id frustra, cum & viribus bellicis & constantia atque integritate munitos repetisset; quare mox in Picenum monit, vt incautos eos populos lacesseret bello, atq; opprimeret: *Demum potentia sua*, inquit auctor vitæ Gregorij, *vires examinans regni Siciliæ & diuersarum nationum multitudine congregata, & frenum furoris relaxans Campaniæ fines aggreditur, & exterminium patriæ comminatur, quæ fide præclara, nobilitate perspicua, diuitijs opulenta, clara spectabili militia, strenua liberalitate dotata, patrum relinquere leges non potuit præscriptione fidei & deuotionis singularitate probata. Cuius immobile fidei fundamentum antiqua patrum soliditate firmatum, nulla tribulatione commotum, non callida artis astutia, non auri fulgentis infesta promissio, non hostiles corrumpere conatus; qui armorum & fidei tutela muniti promptissimum Ecclesiæ præstiterunt subsidium. Quare Cæsar patriam relinquens, ingruentium atque resistentium hostium vires concitus declinauit, incautos Marchiæ filios petiturus.* Hisque auctor historiæ suæ finem imposuit, qui collatis pontificijs litteris, & scriptorum probatissimæ fidei monumentis comparatis, veritatis amantissimus fuisse reperitur. Non ille tamen extremam manum cœpto operi admouit: forte enim illi elaborando incumbentem mors intempestiua oppressit.

18 Cæterum dictis ab ipso consentientia de hac in Campaniam meditata irruptione tradit Richardus a: *Mense iunio Imperator cum exercitu suo, quem de regno collegerat, venit ad S. Germanum, vbi per sex dies moram pertrahens e vestigio per Agnum transitum faciens, & secum ducens Pandulphum dominum Agni apud insulam pontis Salarati posuit castra sua Campaniam intrare disponens; quam non intrauit vsus consilio saniori: sed per Soram & Marsiam direxit in Anconæ marchiam gressus suos.* Quæ porro tyrannus euertendæ Romanæ Ecclesiæ inhians gesserit, perstringit Richardus ipsum, vbi per Picenum signa circumtulisset, irrupisse in Romaniolam ac Fauentiam mense augusto obsidione cinxisse, quam sequenti anno cepisse scribit.

19 Temperarunt secundos Friderici successus nõnulli aduersi casus. Gregorius enim e Monte Longo S. A. L. fœderatorum Insubrum ac Venetorum auxilijs succinctus Ferrariam recuperauit. meminit illius obsidionis Richardus quam mense aprili huius anni defixam ait: Patauinus b vero monachus post mensium quatuor spatium expugnatã scribit. At Salinguerra, victoris arbitrio se permittere coactus, a Iacobo Teupulo Venetorū duce abductus in vincula ægritudine animi senioq; octogenarius postea exarsit. His addit Hieronymus c Rubeus tractatum ideo asperius, quod cum vectigalis Ecclesiæ Romanæ esset, violato sacramento promissis Friderici elatus ad illius partes lubricam fidem detorsisset, quod ipsi improperatum a Paulo Trauersaria Rauennæ principe, atque in os obiectum; ac mox a scriba publico ex scripto recitatum refert, cuius sacramenti conceptam formam nos suo loco d, cum se Innocentio III. deuinxit, collocauimus. Illata etiam a Venetorum classe non leuia damna Friderici terris maritimis refert Richardus: *Mense septembri*, inquit, *galeæ Venetiæ discurrentes per regnum in odium Imperatoris Termulas, Vestam, & quasdam alias Apuliæ terras capientes destruxerunt, & bonis omnibus spoliarunt. Apud Brundusium euntes prædictæ galeæ nauem quandam redeuntem ab Hierosolymis, cum non possent capere vi, igne cremarunt.* Corripuisse porro in Fridericum arma Venetos ad frangendam illius tyrannidem, cum sub iugum eos mittere meditaretur, e Friderici literis colligitur, in quibus ipsos perduelles appellat e.

20 Extulere præterea se aduersus Fridericum nonnulli Imperij principes, qui defendendas partes pontificias suscepere, inter quos Prouinciæ comes Arelatensisque archiepiscopus ciuium studijs fultus Friderico apertum bellum indixere, quos Pontifex ad tuendam Ecclesiæ libertatem a Prenestino episcopo legato collectis in ijs prouincijs pecunijs iuuari iussit f. Alexandrini pariter pontificias partes sunt secuti, quorum vrbem olim ab Alexandro Papa episcopalis sedis ornamento ad Apostolorum principis, cuius nomini erat sacra, decoratam exutamque ea dignitate ab Innocentio, pristino splendori restituit.

21 *Cum*, inquit, *Innocentius Papa pro eo, quod vos tunc temporis inimicis Ecclesiæ adhæsistis ad ipsius*

Marginal notes:
Beneuentana ciuitas [illegible] obsidione cingi.
a Lib. 14. ep. 167.
Hortatur ad constantiam Beneuentanos Greg.
Locus ab ipsis [illegible] proditores pœnas cõfirmat.
b Rich. in chron. an. 1241.
Conscripto potenti exercitu Frid. Campaniam frustra tentat.
In marchiam excurrit.
a Rich. in chron.
Irrumpit in Romaniolam. Fauentiã obsidet.
Ferraria obsidione a legato apostolico capitur.
b Mon. Pad. chro. lib. 1.
c Hier. Rub. hist. Rauenn. lib. 6
Sicilia a Venetorũ classe infestata.
d An. chr. 1215.
e Ext. apud Matt. Par. hist. Angl.
Prouinciæ comes & Arel. arch. deficiũt a Frid.
f Lib. 13. ep. 328. Lib. 14 ep. 36.
Alexãdrini ad põt. partes se transferũt.
Obextrinium in Eccl. studium episcopali sede insigniti.

redire mandatum temere contemnentes, ciuitatem vestram episcopali destitueris dignitatis honore; nos tādem attendentes, quod diebus istis, quibus per Fridericum dictum Imperatorem & diuina maiestas offenditur, & fides catholica damnabiliter impugnatur, in deuotione Ecclesiæ inconcussi & stabiles perstitistis; ac in affectu vestro geritur, vt ipsa semper in vobis gratos reperire filios gratuletur, de fratrum nostrorum consilio dignitatem eandem ciuitati vestræ restituendam duximus, de gratia speciali vobis auctoritate præsentium cōcedentes, vt ipsa secundum dicti formam priuilegij perpetuis futuris temporibus gaudeatis. Datum Later. vi. idus maij ann. xiv. Cum vero Aquenses Friderici partibus irretiti non leuiora damna Alexandrinis inferrent, Pontifex nullam imposterū Alexandrino populo vel ob sedem episcopalem in illorum vrbe excitatam, iniuriam infligere atque irrogare vetuit [a]: cum maxime Alexandria Apostolicæ sedis fidei credita esset: ni parerent redirentque ad Ecclesiam, ipsorum facinoribus impulsum sedis episcopalis decus vrbi adempturum. Vt demum ferociente magis magisq; Friderico Gregorius tum ad comprimendam illius tyrannidem, tum ad afferendum innumeris malis, quę orbem Christianum premebant, remedium, œcumenicum concilium indixerit, dicemus inferius: nunc ea funesto Fridericiano bello ad nonnullos pijssimos viros, de quibus sanctorum catalogo apponendis agitatum est, orationem traducamus.

a Ib. ep. 37

22 Illustrabat Italiam hoc tempore miraculorum splendore Ambrosius Minorita, atque adeo ingentes populorum concursus ad colendum eius sepulchrum celebrabantur: vt Vrbeuetani coacto concilio summum Pontificem rogandum duxerint, vt illum in cælitum albo collocaret, cuius sanctitatis tot præclara signa affulgerent; quare Pontifex rem tanti momenti ad examen vocandam censuit [b], ac priori S. Ioannis e Platæa Vrbeuetani ordinis S. Augustini prouinciā contulit, vt quæ a sancto viro patrata prodigia dicerentur, discuteret atque ad examen reuocaret. Alijs vero literis inquirendi formam omnium circumstantiarum cuiusque editi miraculi explorandarum rationem præscripsit [c]: *Testes legitimos quos super vita, conuersatione, ac miraculis recolendæ memoriæ fratris Ambrosij debetis recipere, prius ab eis præstito iuramento diligenter examinare curetis, & de omnibus quæ dixerint, interrogetis eosdem, quomodo sciant, quo tempore, quo mense, quo die, quibus præsentibus, quo loco, ad cuius inuocationem, & quibus verbis interpositis, & de nominibus illorum, circa quos miracula facta dicuntur; & si eos antea cognoscebant, & quot diebus antea viderunt eos infirmos, & quanto tempore fuerunt infirmi, & quanto tempore visi sunt sani, & de quo loco sunt oriundi; & interrogentur de omnibus circumstantijs diligenter, & circa singula capitula fiant, vt expedit, quæstiones præmissæ, & series testimonij & verba testium fideliter redigantur in scriptis.* Cæterum refert R. P. Lucas Vvadingus [d] ex Pisano certissimis argumentis compertum fuisse ab ijs, quibus exercendi huius examinis prouincia erat imposita, maxima miracula B. Ambrosij opera diuinitus patrata, quæ auctor percenset.

Ambrosius Minorita miraculis clarus.

b Ib. ep. 41

c Ep. 42. De illorū veritate accuratissime inquiri iubet Greg.

d Vvadin. annal. Minor. hoc an. nu. 8

23 Coniungendus sancto Minoritæ Carthusiani ordinis religiosus vir, vitę sanctitate insignis Oddo nomine, visus est, qui cum iamdiu ante sanctissime obijsset Marsiam per hęc lugubria tempora maximis miraculis collustrauit, de quo hæc Richardus [e]: *Mense maio in Marsia apud Taliacotium, quidam sanctus Oddo reuelatur, qui miraculis multis claruit.* Hæc ille. tradunt vero B. Oddonis gesta summa fide conscripta decerptaque ex publicis tabulis ab ijs confectis, quibus a Pontifice ea prouincia demandata erat, illum Nouaria oriundum Taliacotij in Marsia in cellula coniuncta monasterio SS. Cosmæ & Damiani, quo in loco vt degeret, abbatissa a Clem. III. obtinuerat, vitam asperrimā duxisse [a], vt qui perpetuo ieiunio & cilicio carnem maceraret, ac pro lecto sarmentorum congesta strue vteretur; ætate iam prouectiorem & centum annos emensum pridie, quam e viuis discederet, diem & horam obitus prædixisse: ac de pio illius mortis genere hæc afferunt: *Pridie quam moreretur, diem & horam sui obitus prænunciauit; cumque in lecto iam moribundus decumberet, hæc verba dicens auditus est: Expecta me, inquit, Domine, ecce ad te venio. Interrogatus autem a quodam ex astantibus quemnā alloqueretur: Iam enim, inquit, regem meum video, iam in conspectu eius assisto. Mox de strato brachijs eleuatis & extensis in crucis formam manibus expirauit die xiv. ianuarij, vt plurimi testium asseruerunt, tametsi in festiuitate sancti Mauri (quæ sequenti die celebratur) vnus illum obijsse contendat.* Nec minus admiratione ac memoria celebrandum, dum sepulchro condendus esset, illud contigit, vt alterius in eo quondam humati ossa sponte dehiscentibus stupore spectantibus, quasi locum darent in angulum sese subduxere: Cum vero Deus Oddonis sanctitatē illustrare vellet, illius anima tribus noctibus splendore circumfusa in somnis archipresbytero loci Odorisio sese obiecit, iussitque abbatissam monasterij monere ipsius corpus in loco honorificentiore reponeret. adornataque ad eius reliquias transferendas solemni pompa, anno MCCXXXIX. ipsius corpus omnis corruptionis expers inuentum, suauissimum odorem exhalauit: ac tum innumera eius beneficio miracula edita omnium morborū affecti genere valetudini restituti, eiecti e corporibus dæmones, aliaque diuinæ potētiæ signa eius reliquijs populorum venerationem conciliarunt, ac Gregorium vt de eo sanctis annumerando agitaret, atque exeunte superiore anno abbati e Turano ac Petro Minoritarum magistro partes conferret [b], vt in illius vitam atque edita miracula inquirerent impulerunt: *Ad audientiam nostram fide dignorum relatione peruenit, quod per merita quondam Oddonis monachi Carthusiensis, cuius corpus in monasterio sanctorum Cosmæ & Damiani de Taliacozo Marsicanæ diœcesis requiescit, Dominus Iesus Christus multa & magna operatus hactenus miracula extitit, & etiam nuper ostendere in sui ipsius corporis translatione dignatus. Vnde cum viri tanti memoria non debeat apud homines deperire, nos super hoc plenius certificari volentes, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus habentes præ oculis solum Deum inquiratis de vita ipsius & super præmissis diligentius veritatem; & quæ inueneritis fideliter in scriptis omnia redigentes, sub sigillis vestris apud aliquem religiosum locum eadem deponatis, ad sedem Apostolicam nullatenus transmissuri, nisi super hoc a nobis mandatum receperitis speciale. Dat. Later. iv. idus decemb. pont. nostri ann. xiii.*

e Rich. in chron. an. 1239.

a Extant eius acta apud nos. Pii illius mors.

Eius corpus corruptionis expers inuentum.

Patrata ab eo miracula.

b Extant hæ literæ apud nos in M. S. Valicell. biblioth.

24 Non prætereunda silentio hic visa sunt nonnulla priuilegia, quæ hoc anno Gregorius pro eximio illo suo in viros religiosos studio contulit. Corbeiensem in primis abbatem Benedictinæ familiæ subiecta in diplomate apostolico prærogatiua ornanit [c]: *Cum, sicut asseris, abbati qui pro tempore in monasterio tuo fuerit, liceat mitra & annulo, tunica quoque ac dalmatica ex concessione Apostolicæ sedis vti, nos pium arbitrantes & decens, vt monasterium idem cum ad Rom. Ecclesiam nullo pertineat mediante, per nos consequi se gaudeat gratiam ampliorem, deuotis tuis supplicationibus inclinati tibi & successoribus tuis, vt cum eisdem insignijs in missarum solemnijs chirothecis vti, & sandalijs valeatis auctoritate præsentium indulgemus. Dat. Later. ii. id. maij pont. nostri anno xiv.* Huic prærogatiuæ aliam [d] non contemnendam adiecit: *Tibi ac ipsis*, de successoribus loquitur, *quod sacerdotales vestes, altaris pallas & corporalia in monasterio Corbeiensi*

c Lib. 14. ep. 68. Conceſſa Corbeiensi abbati priuilegia.

d Ib. ep. 72

bulensi & ecclesijs eidem pleno iure subiectis benedicere valeatis, auctoritate præsentium de speciali gratia concedimus facultatem.

25 Ad tuenda etiam abbatis monasterij Romani olim a S.Gregorio magnis vectigalibus aucti iura, confirmauit a peruetustum diploma, quod in ipsorum gratiam sanctus Pontifex in accepti beneficij memoriam, cum in ijs pijs ædibus religiosum habitum sumpsisset, ediderat, iamque nimia vetustas pene deleuerat, proinde literis apostolicis cōtra temporum iniuriam recens descriptum insinuauit b. Complexus etiam est apostolico studio religiosos equites Calatrauanos ordinis Cisterciensis, qui cum finitimis Sarracenis in Toletana regione crebris per id tempus prælijs, cum pugnandi vrgebat occasio, congrediebantur: quorum exemplo incitati multi fideles sub eorum vexillis media penetrabant pericula, fortiterque pro fide occumbebant. Ad incendendam itaque magis eorum pietatem ac spe æternitatis ad vitam pro Christo exponendam periculis, amplissimam ipsis Gregorius peccatorum veniam largitus est. c

a Ep. 174.

b Ep. 174.

Calatrauis equit. alijsq; eorum signa secutis proposita indulgētia.

c Ep. 80.

26 Auctam admodum in Hispania rem Christianam hoc anno refert Mariana d, atque Hudielem Regem Murciæ Alhamaris metu, cui se imparem sentiebat, in Ferdinandi Regis fidē se recepisse, Murciæq; arcem ab Alfonso Ferdinandi filio, præsidijs magna festinatione occupatam, ne, vt anceps barbarorum est fides, ad alia consilia deflecterent. In Valentino etiam regno præclare a Christianis certatum est, qui cum arcem Chium obsidione cinxissent, concurrentibus mox eo infidelibus tanta multitudine, vt nostros numero longe superarent, diuino præsidio muniti gloriosissimam victoriam pepererunt. Cælestis vero auxilij ipsis porrecti Christique in sanctissimo Eucharistiæ sacramento præsentiæ illustre signum a numine editum. Cum enim sacerdos diuina perageret mysteria, atque sex numero hostias consecrasset, vt totidem ducibus exercitus, qui intererant, & eucharistia refici, antequam inirent prælium, peroptabant, porrigeret, elato ad capienda in hostem irrumpentem arma clamore, omnibusque ad pugnam prouolantibus, corporalibus diuinas hostias inuolutas recondidisset; partaque victoria sanctissimas hostias venerabundus inspexisset, corporalia purissimo sanguine delibuta, atque hærentes illis hostias suspexit, quæ Darocam in Aragonia, vbi venerationi fidelium sunt exposita, translata fuere: de quo celeberrimo miraculo nonnulla manuscripta apud nos extant.

Murciæ arx Regi Castellæ a barbaris tradita.

d Mariana de reb. Hisp. l. 13. cap. 2.

Deleti diuinitus ad Chium arcem Sarraceni.

Insigne de veritate sacramenti euch. miraculū.

27 His addit e Surita Zaenum Regem Iacobo Alicantis arcem obtulisse, modo ipsi Minoricam iure fiduciario tribueret, remque ab ipso recusataram, cum ex initi cum Regibus Castellæ fœderis legibus illius regionis tractus in Regnum Castellæ ditionem concedendus esset. Fuisse vero Minoricam a Sarracenis, qui facta e nauibus exscensione plures in eam impetus imprimebant, infestatam e literis f pontificijs colligitur, quibus Christianos ad eam strenue defendendam, ac propulsandos Mauros excitat Gregorius g. Ad augendum etiam in Maiorica diuinum cultum concessit episcopo Pontifex, vt canonicorum secularium collegium institueret, instruxitque h auctoritate, vt hæreticos, qui sponte impietatem exuerent, fidelium communioni aggregaret. Quæ porro ad disciplinam ecclesiasticam in pristinum robur reuocandam gesta sint, prosequamur.

e Surita l. 3 cap. 37.

f Lib. 13. ep. 226.

g Ibid. ep. 220.

h Ep. 222.

28 Distrinxit Gregorius i seueritatem ecclesiasticam in Vigintimiliensem episcopum, illumque diuinis peragendis mysterijs ac munere pontificali interdixit, cum partam flagitio dignitatem sceleratius gereret. Cuius immania crimina, vitæ impuritatem, auaritiā, iniustitiam, sacrilegia, iactarumq; ab ipso improbe permissam sibi a sede Apost. tenere concubinam, nec maiori Romanum Pontificem ad concedendas indulgentias quam simplicem sacerdotem valere auctoritate, aliaque scelera in literis ad Niciensem episcopum describit, quem tantorum flagitiorum veritatem indagare iussit. Tum ad nonnullos etiam abusus, qui in varijs Christiani orbis partibus excreuerant, euertendos, curas pontificias conuertit Gregorius: & quidem in Noruicensi diœcesi turpissimus mos inoleuerat, vt sacerdotijs cessuri plerique ea certis conditionibus conferrent, quas auaritia commenta erat, vt in filios, nepotes, aliosque affinitate sibi coniunctos transfunderent: quare Gregorius eos, qui ita ad sacerdotia subreperent, gradu pelli ac sacerdotijs submoueri, dato ad episcopum Noruicensem diplomate, imperauit. a

i Lib. 14. ep. 102.

Vigintimilien. ep. scelera & hæresis.

In eum inquirit Greg.

Prauæ nōnullæ consuetudines a Greg extingui iussæ.

a Ib. ep. 55

29 Nec minus exitialis error in Lugdunensi Gallia nonnullos perditissimos homines infecerat, qui auaritia perciti, cum ingentia dona a fidelibus in ecclesiam S. Antonij Viennæ ab ijs constructam, qui eius apud numen precibus sacro igne fuerant liberati, conferri intuerentur, obibant prouincias, vrbes & oppida, eius sancti honoris ergo cogebant pecunias, infesta latronibus itinera ementiebantur, vt pecunias a pijs hominibus extorquerēt; apostolicas literas adulterinas proferebant, quibus se peccatorum veniam impertiri fingebant: quodque sceleratius est, erutis collectisque ex cœmeterio incerto ossibus, ea pro D. Antonij reliquijs colenda, ac sacro igne perustis hominibus religioso supercilio osculanda porrigebant, proponebantque. Tantum ergo scelus inultum non passus Gregorius, in huiusmodi hominum collusionem censuras ecclesiasticas expediuit, atque hæc regionum illarum præsulibus imperia dedit b: *Vniuersitati vestræ districtius præcipiendo mandamus, quatenus singuli vestrum faciatis per vestras diœceses, & parochias annis singulis publice nuntiari, ne quis eleemosynas suas eroget quæstoribus huiusmodi nomine B. Antonij, sed eos, maxime qui se a nobis remissionis habere literas mentiuntur, tanquam falsarios persequatur. Ea vero quæ talibus quæstoribus hactenus esse collata noueritis, eis a quibus extorta fuerunt, restitui, si commode fieri poterit, faciatis. Alioquin quilibet vestrum in vsus pauperum suæ diœcesis, quæ a parochianis suis constiterit exacta, conuertat. Dat. apud Cryptam Ferratam VI. kal. sept. ann. XIV.* Hæc ad nefarios impostores coercendos Gregorius.

Impostores qui prophana ossa pro sacris reliquijs ostētabant coerciti.

b Ep. 243.

30 Non silendum pontificij, in seruandis canonicis legibus, rigoris in Philippi olim Regis Franciæ notho filio exemplum statuit, quem a Nouiomensibus canonicis episcopum electum, ac mox diaconatu insignitum, scriptis ad archiepiscopum Rhemensem literis, ea dignitate exui præcepit c: quamuis enim iustorum natalium dignitate donatus ad ecclesiastica officia adipiscenda fuisset; id tamen ad episcopale munus, cuius mentio expressa nulla fieret, non se porrexisse significauit.

c Ep. 115

Archiepiscopo Rhemensi.

Nouiomensi ecclesia pastore vacante, ipsius ecclesiæ canonici P... natum claræ memoriæ Regis Franciæ (nimirum Philippi Augusti aui S.Ludouici) subdiaconum nostrum in suum episcopum elegerunt: cuius electionem tu non, vt decuit, diligenter aduertens iura canonica, confirmasti. Cum enim Rex ipse vxorem habens legitimam dictum P.. susceperit de soluta, in episcopum idem P.. eligi minime potuit, nec sua debuit electio confirmari; nec ex eo quod secum dispensasse dicimur, vt defectus natalium in nullis spiritualibus sibi obsit, quin ad honores & dignitates libere possit assumi, quod licite ad episcopatum eligi valeat, intelligimus indulsisse; sed solum ad minores dignitates & inferiores honores. Dispensationes enim & in-

Concessū spurijs ad dignitates adipiscendas ius ad episcopatū non porrigitur.

indulgentiæ, quæ defectum natalium patientibus super dignitatibus & honoribus generaliter conceduntur, non extenduntur ad episcopatus, nisi de ipsis specialiter exprimatur in eis; nec sub dignitatum & honorum ecclesiasticorum nomine, cum de illis in genere loquitur Lateranense concilium, felicis memoriæ Innocentius Papa prædecessor noster voluit episcopalem dignitatem includi. Ad minores etiam dignitates & personatus constitutio nostra extenditur, qua mandantur filij sacerdotum, & alij non legitime geniti a dignitatibus & personatibus sine dispensatione sedis Apostolicæ habitis amoueri; & cum oporteat secundum Lateranensis statuta concilij, quod promouendus in episcopum de legitimo sit matrimonio procreatus, non sufficit tali, quod legitimatus existat, nisi ei posse in episcopum promoueri beneficio apostolicæ dispensationis concedatur expresse.

31 Decernimus itaque de fratrum nostrorum consilio irritum, & inane quod super electione præfati subdiaconi & confirmatione taliter est præsumptum; necnon eum ab executione ordinis diaconatus, quem recepisse dicitur, volumus manere suspensum, cum non potuerit ad illum sine nostra speciali licentia promoueri. Verum licet illos, qui scienter non legitime natos eligunt, canon Lateranensis concilij decernat eligendi potestate illa vice priuatos, & per triennium ab ecclesiasticis beneficijs fore suspensos; ac iuxta statuta concilij generalis non solum deijciendus sit indigne promotus, verumetiam indigne promouens puniendus, vt si eum in hoc per negligentiam deliquisse constiterit, non tantum confirmandi primum successorem illius careat potestate, sed etiam ne aliquo casu pœnam effugiat, a perceptione proprij beneficij suspendatur; si vero conuictus fuerit per malitiam excessisse, grauiori subiaceat vltioni; nos tamen super ijs suo loco & tempore prouidere curabimus, & actore Domino sicut melius expedire viderimus, procedemus. *Dat. Later. III. non. iulij ann. XIV.*] Quo etiam argumento ad Iacobum Prænestinum episcopum Apostolicæ sedis in Gallijs legatum scripsit: ipsumque perstrinxit eundem Philippum in diaconum promouisse: *Miramur, nec immerito, quod sicut te insinuante didicimus P. . . natum claræ memoriæ Regis Franciæ subdiaconum nostrum in episcopum Nouiomensem electum in diaconum ad titulum Nouiomensis ecclesiæ, super hoc a nobis licentia non habita nec etiam postulata, quod tibi non licuit, promouisti, &c.* Verum remisit postea de ea seueritate Gregorij Innocentius IV. anno huius seculi quadragesimo tertio, atque in gratiam S. Ludouici illum Nouiomensi ecclesiæ episcopum præfecit a. sed ad Gregorium redeamus.

a *Inn. IV. lib. 1. ep. 254. 262.*

32 Non ita ille in Zvverinensem præpositum virum quidem virtutibus insignem, sed quem impurorum natalium nota inquinabat, seuerum se præbuit, cuius discrepantis facti ea esse ratio potuit, cum hic ex soluto & soluta parentibus natus leuiori labe quam alter, qui ex adulterio procreatus erat, aspersus esset; vocatus enim ad Zvverinensis sedis dignitatem, missis ad sedem Apostolicam oratoribus, diploma pontificium obtinuit, quo archiepiscopo Bremensi Verdensique episcopo, vt Theodoricum electum præficerent illi ecclesiæ, prouinciam iniunctam refert Stadensis b, cuius nobilis historici cum mentio occurrat, non præterimus tacitu ita literis perpolitum fuisse, vt longe pietate cultior & ornatior videretur: abbatis ille dignitatem Stadij in S. Benedicti monasterio gessit, omnemque operam, ac diligentiam in monachorum moribus obsoletioribus emendandis & expoliendis adhibuit; Romamque profectus, diploma apostolicum pro reuocanda veteri disciplina inducendisque Cisterciensibus, quorum sanctitatis opinio late Christianum orbem tum peruagata erat, obtinuit; ac summis laboribus triennio & eo amplius in id opus frustra consumptis, diuinique iudicij ob illa regulæ verba: *Qui eam seruare tenetur & non seruauerit, sciat se a Deo damnari quem irridet*; terrore perfusus, ad Minoritarum institutum tum temporis pietatis fama efflorescens se traduxit.

b *Stad. in chron. hoc ann.*

Albertus Stadensis ex abbate fit Minorita.

Quæ causa ad id permouerit.

33 Adiungere libet superioribus, cum in Germanicis rebus versetur oratio, Daniæ Regem, cum labefactata admodum atque imminuta regia iura maiorum inertia vel incuria videret, qui importunis precibus fatigati pleraque distraxissent, atque a regio imperio diuulsissent; quamuis sacramento solemni in regiæ consecrationis pompa, pro tuendis regijs iuribus sese deuincire mos esset; a Pontifice flagitasse vt perperam alienata reuocare liceret. Cuius votis ita Gregorius, dato ad Aurusiensem & Vviburgensem episcopos diplomate, morem gessit a, vt quæ ecclesijs, pijsue locis tradita essent, firma ac rata haberentur.

Facta Regi Daniæ alienata reuocadi potestas.

a *Lib. 14. ep. 178.*

34 Consulturus etiam Gregorius Estoniæ neophytis, qui cum proscripta dæmonum superstitione ad veræ religionis cultum se contulissent, a circumiacentis populis adhuc fœdissima mersis caligine bello impetiti non leues illorum excursionibus clades acceperant; archiepiscopo Lundensi ac suffraganeis sacri canendi classici, cogendarumque crucesignatarum copiarum ad retundendos impiorum impetus, propositis indulgentiarum æternæque adipiscendæ gloriæ præmijs, prouinciam demandauit b: *Cum ij, qui in Estoniæ partibus per Dei gratiam ad fidem Christiani nominis sunt conuersi, a barbaris circumstantibus multipliciter molestantur, ac per hoc petant sibi a Christi fidelibus subueniri, fraternitatem vestram monemus & hortamur in Domino, ac in remissionem vestrorum iniungimus peccatorum, quatenus subiectos vobis populos moneatis attentius, & efficaciter inducatis, vt ad tantæ felicitatis brauium properantes, & ponentes cum Moyse gladium supra femur, contra huiusmodi gentes idololatras, & populum murmurantem currant, in splendorem armorum Domini accincti, ad eius prælium præliandum, qui coronam legitime certantibus repromittit. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri & Pauli Apostolorum, eius auctoritate confisi omnibus vere pœnitentibus & confessis, tam crucesignatis vestrarum diœcesum pro succursu Terræ sanctæ volentibus vota sua in huiusmodi subsidium commutare, quam alijs earundem diœcesum, qui contra fidei nostræ hostes ad partes illas accesserint, ibidem saltem per annum in huiusmodi Iesu Christi seruitio moraturi, illam indulgentiam elargimur, quæ transeuntibus in Terræ sanctæ subsidium est concessa. Dat. Later. XIX. kal. ianuar. ann. XIV.*

Promulgata aduersus infideles Estoniam infestantes sacra expeditio.

b *Ibid. ep. 185.*

35 Vt vero aduersus fidei hostes, neophytos Gregorius defendendos suscepit, ita episcopi Prussiæ clientelam, qui a barbaris captus sub duræ seruitutis iugo ingemiscebat, eiusque ecclesiæ patrocinium admisit; maximeque grauioribus eius querelis contra Theutonicos equites religiosos, qui nefarijs sceleribus, summo fidei detrimento, sese contaminarant, permotus est: accusati enim illi fuere Pruthenos a fide Christiana amplectenda abducere, quo durius in eos imperium exercerent, neophytos quasi intentatis minis, qua inflictis pœnis in sua obsequia adigere; vnde illi tanta crudelitate a fide amplexanda deterriti, ad pristinam superstitionem desciscebant, aduersus Prussiæ episcopum ingratos se admodum gessisse; post enim accepta plura beneficia, ac possessiones ingentes cum ad iura episcopatus tuenda sacramento se deuinxissent, ea iam impugnare atque inuadere non vereri, nonnullos nobiles

Episcopus Prussiæ contra equites Theuton. defendit Greg.

Pru-

Prutenos bello captos, quos cum episcopo permutare poterant, liberos dimisisse; neophytum insignem nobilitate antea episcopo in obsidem datum, quod pecunias ipsis nollet tradere, per summum scelus necasse; vectigalia ecclesiæ atq; episcopi occupasse. Tanta ergo scelera non æque ferens Pontifex, scriptis Mindensi episcopo literis, vt cœpta emendarent, irrogataque sarcirent damna, operam nauare pro imperio apostolico iussit. a

a Ib. ep. 17

Dux Lanciciæ patrati criminis pœnitentiam agit.

36 Dux etiam Lanciciæ immanissimo flagitio sese deuinxerat interempto per summam sæuitiam Ioanne ecclesiarum Plocensis ac Vvratislauiensis scholastico, quem præcipiti iracundiæ æstu abreptus suspendio damnauerat: cuius flagitij causa a Petro archiepiscopo Gnesnensi anathemate percussus publice fuerat, eiusque ditio interdicto supposita. a quo cum grauiora metueret, ad pœnitentiæ asylum confugiens, in sacro iudicio conuentu crimen rite expiaturum summa animi demissione spopondit, Cui in perpetrati criminis pœnam iniunctum est oppidum Louix aliasque possessiones ad id spectantes Gnesnensi ecclesiæ traderet, ita tamen vt nummum aureum duci in supremi dominij signum annis singulis persolueret, ecclesijsque Vvratislauiensi, Plocensi, & Cuiauiensi certa iura ac bona conferret; præterea absolutionem impertitam a summo Pontifice confirmandam supplex deposceret. Quibus imperijs cum paruisset, a Gregorio flagitauit, absolutionem firmam ac ratam haberet, cum dux ob impendentis ab ethnicis terrorem periculi, qui ipsius terris imminebant, ac longa viarum interualla Romam conferre sese non posset, Pontifex Vvratislauiensi episcopo, & Gerardo Cracouiensi canonico partes commisit b, pro criminis immanitate pœnas dignas infligerent.

b Ep. 152.

37 *Fuit nobis humiliter supplicatum, vt cum præfatus dux propter guerram paganorum habitantium in terra sua & viarum discrimina, non possit sine Christianorum periculo terram ipsam deserere, ac Apostolicam sedem adire absolutionis beneficium petiturus, non obstante quod eum propter multam vtilitatem ecclesiarum ipsarum de facto idem archiepiscopus dicitur absoluisse; absolutionem eius vobis committere curaremus. Ideoque mandamus quatenus dicto duce prædictis & alijs ecclesijs, villis & hominibus assensis ab eo exhibita satisfactione super illatis damnis & iniurijs, sicut illius piacularis flagitij magnitudo deposcit, ac idoneam cautionem de seruanda huiusmodi libertate præstitis, ipsi iuxta formam Ecclesiæ absolutionis beneficium impendentes illud humiliter postulanti, & talem pro modo culpa pœnitentiam iniungentes eidem, quod tam ipsi quam alij metu pœnæ a similibus arceantur, eum ad obseruandam libertatem eandem per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellatis; eum si contrauenire præsumpserit in excommunicationem pristinam reducentes. Dat. apud Cryptamferratam non. aug. pontif. nostri anno xiv.* Ipsius vero rescissa priore nouam absolutionem contulisse, ac ducis filios ad donationes factas a patre confirmandas adstrinxisse, probat Conradi diploma a Longino c, qui hæc fusius est prosecutus, adductum.

c Long. hist. Pol. lib. 6.

Georgia a Tartaris infestata.

38 Verum si pœnitentis principis lacrymæ Pontifici gratæ extitere, non minori gaudio Regis ac Reginæ Georgianorum, Romanæ Ecclesiæ sese coniungere cupientium literæ illius animum lætitia perfuderunt. Fuit enim diuinæ prouidentiæ insigne exemplum, vt eo tempore, quo plerique Fridericianæ persecutionis impetu abrepti in Italia ac Germania funesto schismate ab Ecclesia Romana se diuellerent, tum principes ac populi ignoti totque interuallis locorum submoti ad sacrum illius gremium conuolarent. Georgiana enim Regina Rusudes per hæc tempora Ecclesiæ se imperijs submisit, atque auxilium a Pontifice cōtra Tartarorum impetus expetijt, qui primum victores funestas clades ac vastitatem immanē Georgiæ intulere; sed tandem victi pœnas fusi Christiani sanguinis luerunt. Eo igitur nuntio mixtis mœrore gaudijs accepto respondit Gregorius, crucesignatas copias in Georgiam mittendas conflari non posse, cum in Ecclesiam Fridericus grauem procellam concitasset, Christianosque in mutua bella aspetasset: ferendi auxilij occasionem ob tanta locorum interualla effluere, antequam Tartaricæ irruptionis rumor peruenisset: si e Syria in Georgiam auxilia submitti cogitaret, interiectos Sarracenos obicem posituros; demum Ecclesiam in Syria ab Sarracenis, in Hispania a Mauris, in Italia ac Germania a pseudochristianis impugnari: quod vero de coniungenda Romanæ Georgianorum ecclesia attineret; se ad id perficiendum aliquos e Prædicatorum familia pietate ac literis conspicuos viros mittere, atque ad eos populos in suscepta mente confirmandos, & Romanæ Ecclesiæ in eorum oculis collocandam maiestatem, cui omnes Christianos ad salutem adipiscendam subesse par esset, fortissimis argumentis Petri primatum ostendit. a

Regina Rusudes auxilia a Gregorio poscit.

a Lib. 13. ep. 198.

Gregorius, &c. Rusudæ Reginæ & David nato suo Georgianorum Regibus illustribus.

39 Gaudemus pro vobis filijs, pro vobis lætitia summa gaudemus, quod charitati vestræ Dei verbum innotuit, quod in partibus vestris fides, vt scribitis, a tempore nascentis Ecclesiæ firma & sine ruga permansit. Gaudemus & iterum quia Dei Filius, inclinatis misericordiæ suæ cælis, vos duxit in sui notitiam nominis, vt sic vobis omni plenum gloria suæ largiretur participium bonitatis. Quis ergo hinc Dominum non veneretur & diligat; qui hominem non pro se, sed vt eum gloriæ suæ consortem faceret, de terræ limo constituit, qui vt hominem de catena seruitutis erigeret, Filium suum sub forma serui missum in terrā subire crucis opprobrium, & periculum mortis iussit? Quis ergo hinc Dominum non veneretur & diligat, qui hoc solum requirit ab homine, vt iudicium, misericordiam, & alia salutis opera faciat; vt Dominum toto ipsum corde diligens timeat, & cum eo ambulare solicitus non desistat? congratulamini etiam & vos nobis & alijs, ad quos fides Christi peruenit, dum Dominum a nobis debita reuerentia excoli, & nos in eius fide vitam gaudetis perpetuam promereri, sicque ad nos vestris venientibus & ad vos nostris recurrentibus literis gaudia vicissim alterna suscipimus: cumque vos in nobis & nos in vobis fidem Christi exaltari conspicimus, mutua pietatis lætitia exultamus.

Georgiani a prima nascente Ecclesia Christiani.

40 Illud quoque in vestris contentum literis, quod Tartari hostes catholicæ fidei vestrum regnum intrauerunt, conceptam lætitiam minuit, & quod vobis damna grauia intulerunt, acquisitum nobis gaudium vulnerauit. Veruntamen in hoc exultationem resumpsimus, quod etsi prædictis hostibus terga dederitis, victi tamen finalis palmam victoriæ de victoribus reportastis; grauisque illos afflixit damni periculum, qui arma in vestrum sumere præsumpserant detrimentum. Decet autem & vos nobis compati, qui multas persecutiones ab hostibus fidei hoc tempore patimur, quo præter Sarracenos, qui in Hispaniæ & Syriæ partibus fidem impugnant catholicam, nonnulli alij a fide Christi apostatantes & Ecclesiam Dei, quibus possunt impugnantibus viribus, nouam perditionis sectam inducere, & fidem salutis & redemptionis de terra exterminare conantur. Sed forsan diuina voluntas nos ijs tentationibus ingerit, quæ nonnunquam bonos per improbos tribulari permittit, vt constantiam & eorum fortitudinem sicut in fornace aurum examinet, & omnem de cor-

Post acceptas nonnullas clades Tartaros profligant.

de

de iusti peccati rubiginem per huiusmodi tribulationem expurget: quia diuini templi ædificium lapides minime recipit, quos manus artificis multis tribulationibus non poliuit: & ex frumento panis nequaquam conficitur, nisi prius flagello a paleis expurgetur. Sic enim iusti expurgati præmia æterna recipiunt; sic probati ad æternæ delicias vitæ procedunt. Nam populus Israel non prius terram promissionis ingreditur, quam post longi deserti circuitum, & multorum victorias hostium dignus eiusdem terræ introitu censeatur. Veruntamen speramus quod Redemptor noster post hanc tempestatem tranquillum faciet, & aduersarios Apostolicæ sedis sub pedibus suis conterere non omittet.

Excusat se Greg. si nulla auxilia submittat,

41 Igitur filij desinite admirari, si contra dictos Tartaros Ecclesiæ Romanæ exercitus in vestrum non venit auxilium, quia id interpositorum Saracenorum, quos in dicta Syria expugnari mandauimus, prohibuisset improbitas; & interiacentium, quæ vix istos permiscetunt ad nos venire rumores, non permisissent interualla terrarum nos, quod in succursum vestrum insufficientes extitimus, qui ad defensionem fidei Christianæ in Italia, & dictis Syriæ & Hispaniæ partibus sine intermissione totis viribus laboramus. Ideoque dum vobis aliter succurrisse nequiuimus, nostras sinceritati vestræ duximus literas destinandas, vt qui nostrum ad vos affectum expectaris scire non poteratis auxilijs, saltem ex scriptura vobis nostræ, quam ad vos gerimus, innotesceret indicium charitatis. Super eo vero quod domum vestram nostræ vniri postulatis & petitis, tanto digniori in Domino laude magnitudinem vestram efferimus, quanto istud, si quid forsan ad perfectionem salutis vestræ hactenus omissum extitit, salutem ipsam & nostrū de vobis gaudium iuxta mensuram bene confertam & coagitatam fortius adimplebit: vna est enim Ecclesia catholica Christi sponsa, qui B. Petro Apostolorum principi ligandi & soluendi potestatem committens, & Petrum ostendens: *Super hanc*, inquit, *petram ædificabo Ecclesiam meam*; vt ostenderet solum Petrum, & singularem Ecclesiam diceret, plures Ecclesias esse & diuersos Ecclesiæ præponi pastores apertius prohiberet. Propter quod soli Petro, vt eius oues pasceret, perpetuo edicto præcipiens, & conuersionem gentium futuram esse prædicens, se illas Ecclesiæ primitiuæ de Iudæis exortæ aggregaturum fore prædixit, apertius imperans, vt ex ijs vnum ouile fieret, & Ecclesiæ de Iudæis & gentibus aggregandæ pastor vnicus præsideret.

Commendat illi erga Eccl. Rom. obsequium.

45 Istud idem Ezechiel propheta in spiritu præuidens, palam inquit, quod Dominus omnes filios Israelis, per quos conuersos ad Deum intelligimus, ita gentem vnam efficeret, quod in duo regna non diuiderentur vlterius, & rex vnus eis omnibus imperaret; ex quo patenter plures Ecclesias esse prohibuit & plures Ecclesiæ præfici vniuersali pastores penitus interdixit: quia plura vnius esse capita corporis, & vni diuersa coniugi corpora capiti non permittit ratio naturalis. Licet enim plures populi in cultum sint catholicæ fidei congregati, omnes tamen vna censentur Ecclesia, dum vni capiti Christi vicario, & B. Petri successori ceruice reuerentiam exhibent inclinata. Reliqui vero qui eiusdem capitis se non membra constituont, quasi monstra sine capite in viam perditionis abscedunt, quia sicut nec Christus diuiditur, nec in se deitas separatur, sic etiam Christus ascendens in cælum vnum reliquit in terris vicarium; sic necesse est, vt ei omnium, qui Christi esse cupiunt, subdantur capita populorum. Sed nec ex hoc fratribus & episcopis nostris debitum honorem subtrahimus, quos a B. Petro & eius successoribus in partem solicitudinis euocatos vices Dei, & Apostolicæ sedis gerere minime dubitamus. Quare oportet filij charissimi, vt & vos & cæteri vestræ iurisdictioni subiecti Romanum Pontificem B. Petri successorem, & Christi vicarium patrem & caput fidei nostræ humiliter agnoscentes & dolentes, quod id bonum præteritis temporibus non fecistis; ei & Ecclesiæ Romanæ vniri & in ijs, quæ ad salutem animarum vestrarum, quam & nihil aliud postulamus a vobis, obedire curetis: cum enim solum ab homine requiramus, vt Deum timeat, & ex tota ipsum mente diligens in eius iustificatione procedat, non videtur sani spiritum habere consilij, qui suam in hoc negat nobis obedientiam impertiri. In hac quidem obedientia nullius quantumcumque potentis imperium, nullius honor Regis minuitur: sed ex hac omnium potestas & libertas augetur; quia illi digne populorum præsunt regimini, qui sicut ipsi alios præcellere cupiunt, sic diuinæ student excellentiæ famulari.

Reges nõ suæ detrahunt dignitati cũ se Rom. Pontifici submittũt

43 Hinc est quod celsitudinem vestram monemus, rogamus, & hortamur attente, obsecrantes per aspersionem sanguinis Iesu Christi, quatenus Romanam Ecclesiam matrem recognoscere, & ipsius Pontifici obedire, ac ad Apostolicæ sedis obedientiam subditos vestros efficaciter inducere studeatis, ita quod ex hoc vobis corona duplicetur in cælis, dum studio vestro oriens & occidens, in vnum corpus conuenerint ecclesiasticæ vnitatis. Scitis enim quod, sicut præmisimus, soli Petro a Domino cælorum clauium potestas conceditur: ex quo sequitur, quod ianua paradisi non nisi ab eo, vel eius successoribus, seu constitutis ab ipsis credentibus aperitur: quinimo nec alij ad ipsam eis permittuntur clauigeris ingredi, qui illorum vestigia sub humili renuunt obedientia imitari. Ad hoc dilectos filios fratres Huguicionem, Iacobum, Beneuenutum, Rubinum, Petrum, Bernardum, Lambertum, & Guizardum ordinis fratrum Prædicatorum potentes in opere ac sermone, in quibus viuificat vita doctrinam, & doctrina vitam informat, dum hoc in eorum moribus legitur, quod sermonibus explicatur, ad vestram præsentiam venientes; imo Christum in ipsis benigne recipere, & eorum salubria monita exaudire curetis. *Dat. Later. idib. ianuar. ann. XIII.*)

Transmis. sit in Georgiam Prædicatores.

44 Cæterum vt in Georgianos ad catholicam Ecclesiam venientibus amplectendis summum amorem, ac beneuolentiam; ita in reuocandis Græcis perduellibusque edomandis curas collocauit. Archiepiscopus Nicosiensis apostolico iussu, vt Græcum clerum in Cypro ad hæresim omnem enomendam, atque ad sedis Apostolicæ accipienda imperia compelleret, egregiam operam nauarat, reluctantibusque anathema intentarat. At Græci clerici petito ad deliberandum spatio magna ex parte expilatis ecclesiarum suarum, ac monasteriorum opibus, in Armeniam profugerant, atque anathema in eos intorserant, qui Latino archiepiscopo parerent. Qua de re admonitus Nicosiensis archiepiscopus Romanum Pontificem quid facto opus esset, consuluit: qui illi vt viduis ecclesijs idoneos pastores præficeret imperauit. a

Nicosiensis archiep. Græcos ad Rom. Eccl. obsequium adigit.

a Lib. 14. ep. 19.

45 *Ex parte tua fuit nostro apostolatui reseratum, quod cum tu quondam mandatum apostolicum recepisses, vt omnibus episcopis tibi subiectis præciperes, quod ipsi in suis diœcesibus nullum sacerdotem Græcum, nisi prius obedientiam Ecclesiæ Romanæ in suorum præsentia subditorum iuraret, & abiuraret omnem hæresim, & maxime illam, qua Latinos pro eo quod in azymis celebrant, hæreticos mentiuntur; non permitterent aliquatenus celebrare, contradictores, aut contemptores, si qui mandati nostri existerent, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo; tu mandati eiusdem diligens executor archiepiscopum, & episcopos Græcos tuæ prouinciæ congregans mandatum huiusmodi ostendisti, ac legi fecisti eis diligentius & exponi.*

ponit. Sed licet illi ad sua iniquitatis præsidium multas iniquitates prætenderent, & processum tuum super hoc molitis fuerint impedire; quia tamen de sua confidere non poterant vanitate, petita & obtenta iam dicti mandati nostri copia, concedendi sibi ad deliberandum inducias postularunt, quas cum tu assereres non esse in hoc articulo concedendas, eas ad continendum superbiam & superstitionem erroris ipsorum ipsis postmodum concessisti: qui infra diem præfixum eisdem cum abbatibus, monachis & presbyteris maioribus Græcis nudatis monasterijs & ecclesijs, in quibus morabantur, omnibus bonis fuis, latenter exiuerunt prouincia tua fines, & ad partes Armeniæ se transtulisse dicuntur, relictis abbatibus, monachis, & presbyteris Græcis in eadem prouincia remanentibus; si obtemperarent mandato apostolico, dicto Græco archiepiscopo excommunicationis sententiam comminante: super quibus apostolicum duxisti consilium requirendum a nobis humiliter postulans & deuote, vt salubre super hoc adhibere remedium curaremus. Nolentes igitur quod archiepiscopus, episcopus, & Græci alij supradicti in contumacia & malitia sua præualeant; sed in ipsis potius confundantur, mandamus quatenus finibus expellere non omittas ipsos, & prædictorum fugitiuorum ecclesias & monasteria de Latinis sacerdotibus & alijs ministris idoneis, prout secundum vtilitatem eorum expedire videris, ordinare procures, &c. Dat. Later. id. aprilis ann. xiv.

Græci spoliatis ecclesijs e Cypro fugiūt in Armeniam.

Iubet Pōt. Latinos sacerdotes ijs Ecclesijs præfici.

46 Interea cum iam sedes Apostolica matrimonij inter Ph.. e Monteforti & Mariam Rupini Armenorum olim Regis filiam ineundi impedimentum in quarto consanguinitatis gradu sacris canonibus vetiti remouisset; dubium vero apud ipsos subortum esset, num eo beneficio vti possent, cum alter tertio, alter quarto a communi stirpe gradu distaret, consultus Pont. fex id ipsis responsi dedit: a *Cum secundum regulam approbatam, qua dicitur: quoto gradu remotior differt a stipite & a quolibet per aliam lineam descendentium, ex eodem manifeste appareat, quod inter vos quartus gradus consanguinitatis existat, tenore præsentium declaramus, quod per dispensationem obtentam libera vobis licentia competit contrahendi. Dat. Later. 11. non. iulij ann. xiv.*

a Ibid. ep. 113.

47 Hoc anno Gregorius episcopum Nannetensem conspicuæ virtutis, spectatæque doctrinæ virum ecclesiæ Hierosolymitanæ a se præfectum cum apostolicis litteris b ad patriarchatus illius archiepiscopos cæterosque præsules datis misit: *Vacante eudum Hierosolymitana ecclesia dilect. fil. capitulum ipsius ecclesiæ bonæ memoriæ Tusculanum episcopum ad ipsius regimen postularunt. Sed cum episcopi eiusdem præsentia non solum Romanæ, sed etiam Ecclesiæ generali apud sedem Apostolicam vtilis haberetur, eorum ipsorum postulationi merito non duximus concedendum. Cumque processu temporis ad nos fuisset præfata Hierosolymitana ecclesia prouisio deuoluta, volentes sibi, ne diutina vacationis deprimeretur dispendijs, per substitutionem pontificis subuenire, venerabilem fratrem nostrum patriarcham Hierosolymitanum tunc episcopum Nannetensem, virum literatum, probata vita, & conuersationis honesta, cuius solicitudo diligens ecclesijs cathedralibus iam impensa duabus spem firmam exhibet, quod circa tertiam digniorem, ad cuius regimen priores assensum sibi sua probitatis experimento pararunt, curam dante Domino vigilem & debitam adhibebit, eidem prouidimus in pastorem, &c.* Monet debita ipsum obseruantia prosequantur. *Dat. Later. 11. id. maij an. xiv.* Tum obeundæ in Hierosolymitana prouincia, atque in exercitu Christiano legationis munus imposuit c: ea tamen lege d, vt si legatus e Pontificis latere in illa loca mitti contigisset, quandiu ibi ageret, iniuncti officij munere ob reuerentiam erga sedem Apostolicam supersederet.

Nannetēsis episc. ad patr. Hierosol. translatus. b Ep. 54.

c Ep. 94.
d Ep. 98.

48 Confluxerant plures ex occidente in Syriam copiæ, quas extremo superiori anno Theobaldus Nauarræ Rex duxerat, ac præclara rei gerendæ affulgebat spes, si inanis gloriæ cupido Christianos principes non disiunxisset. Scribit enim Nangius a Britanniæ comitem aliosque missis exploratoribus in circumiecta Damasco loca excurrisse, prædamque ingentem in castra auexisse: at Amalricum, Henricum comitem e Barro, Richardum e Caluo monte, & Anselmum de Insula, bellica laude præclaros, partæ a Britanno gloriæ æmulos, stimulisque inuidiæ agitatos, cum ex aliena victoria ac laude suo nomini dedecus aspergi putarent, ni similia spolia ab hoste retulissent, non communicato cum Britanniæ comite consilio, in Gazensem agrum irrupisse; sed hoste in eos erumpente, cæsos ac deletos, parcitum tantummodo nonnullis nobilioribus, qui in seruitutem abducti sub iugo Sarracenorum luxere, de quibus Nangius: *Igitur quia vanis laudibus temporalis militiæ inhiantes, sicut mos est hodie militibus nostris, non attenderunt, vt deceret, congrue commodum Terræ sanctæ, a communi consilio recedentes, iusta Dei iudicio ceciderunt; & quia non habuerunt sapientiam, propter suam insipientiam perierunt.*

a Nang. de gest. S. Lud. Reg. ann. præced.
Britanniæ comes plurа e Sarrac. spolia auehit.
Alij principes eius gloriæ æmuli irrumpunt in Sarrac. terras atque extrema clade fusi.

49 Perculsi eo aduerso casu Christiani fluctuabant, cum Richardus Cornubiæ comes florentissimo cinctus exercitu, quem ex Anglia eduxerat, appulit b & iacentes omnium animos excitauit. Agitatum mox de asserendis in libertatem Christianis aut redintegrando in Sarracenos bello, qui demum ad incertos illius euentus declinandos in eam concordiæ legem descendere, vt captiuos pristinæ restituerent libertati. Adducit Parisius Richardi comitis literas ad Deueniæ comitem aliosque proceres datas, quibus in miserando rerum statu iacentem Terram sanctam reperisse ait: Christianos mutuis inter se odijs dissidere, ac nōnullos principes superbia tumidos in perniciem terræ vires conuertere, quas aduersus Sarracenos impendere debuissent: Nauarræ Regem ac Britanniæ comitem imminente ipsius aduentu abscessisse, ac fucatas inducias cum Nazer pepigisse: erigendis proinde Terræ sanctæ collapsis rebus dare operam difficillimum fuisse, cum aliorum auxilio destitutus esset: se tamen honestas inducias cum soldano Babyloniæ contraxisse, solutos vinculis viros nobiles, omnesque in gesto a Francis bello vtrinque libertati restitutos: nonnullas Christianis terras redditas in muniendis, instaurandisque oppidis defixam operam, ac se proximam Ascaloni arcem eleganti, ac firmissimo opere duplici cinctam muro excitasse; quæ maximo Christianis vsui tum ad erumpendum in hostium terras, tum ad Christianorum defendendas futura erat; conscensoque rebus perfectis mari post multa tædia tolerata ad Siciliam appulisse, & ingenti mœrore perfusum fuisse, dum discordiam ardere, ac nonnullos Anglos præsules captos audisset: se vero Romam contendere, vt paci conciliandæ ac liberandis captis incumbat. Quæ omnia licet hoc anno gesta non sint, congerere tamen ex occasione voluimus. Iam ad superiora redeamus.

b Par. hist. Angl.
Richardus Cornubiæ comes in Terrā S. appellit.
Eius res gestæ.

50 Peruaserat in occidentem cladis acceptæ fama, ac Fridericus vt existimationem colligeret, literas ad soldanos Damasci & Babylonis dedit, quibus edixit humaniter captiuos haberent ac præcipue nobilitate spectabiles: ni facerent, graues incussit minas, se contra ipsos totius Imperij vires adducturum. Quamobrem Romanorum beneuolentiam, ac plurium, qui in eius fide fluctuabant, conciliauit atque aduersus Pontificem irritauit. Verum concussa tot aduersis Syria respirare tandem, atque illi spes affulgere cœpit. Hermanni enim militiæ Templi præfecti litteræ allatæ a Parisio fidem faciunt, Damasci soldanum omnes terras vltra Iordanem sitas Christianis restituisse, atque arctissimum cum ijs fœdus ad-

Sultanus Damascē. cū Christ. aduersus Babylon. fœdus icit.

adbertam Babylonij impetus strinxisse, ne pacem cum Babylonio inirent, ni Damascenus consentiret; nec viceversa Damascenus contraheret, ni Christianus approbaret: id porro fœdus illum exoptasse non terrore Christianorum, sed diuino instinctu adductum; tum etiam spem iniecisse fore, vt abiecta Mahometica superstitione Christianæ religioni nomen daret.

Solicitati Vngari ad bellum schismaticis Græcis inferendum.

51 Cum ad Terram sanctam e manibus impiorum vindicandam teneri a Latinis Constantinopolitanum Imperium maximi interesse probe nosset Pontifex, ad submittendas illius subsidio copias intentus, vt nutanti Imperio contra Vatacij tyranni impetus, qui Græcorum opibus & armis fultus plures iam ciuitates in suam redegerat potestatem, opportune succurreret, prouincialem ordinis Prædicatorum literis admonuit a, vt tum ipse tum sui, qui in diuino verbo promulgando eloquentia pollerent, Vngaros ad ferendum rei Constantinopolitanæ auxilium concitarent; & eorum vota, qui ad petendam Terram sanctam sese adstrinxissent, cum altera expeditione commutarent, cum Imperio illo corruente Syriæ ruinæ proxima videretur.

a Ep. 2. [illegible]

Vatacius præ se fert Rom. Ecclesiæ coniunctione ambire.

Perculsus Vngarorum potentia Vatacius, vt seruire tempori atque vires astruere, vbi arma non valebant, nouerat, pietatem finxit; ac significauit Belæ sacro se trahendæ in Romani Pontificis obsequium Græcorum ecclesiæ desiderio teneri. quo lætus nuntio Gregorius sequenti ineunte anno rescripsit b eidem Regi, dispiceret quid Græci, vt in fide contineri possent, pollicerentur.

b Lib. 14. ep. 111.

Belæ Regi Vngariæ illustri.

Consuetæ benignitatis affectu recepimus literas, quas nobis tua sublimitas destinauit; & quæ continebantur in eis, perspicaciter intellectis, regiæ celsitudini dignas gratiarum referimus actiones, quod tu tanquam princeps catholicus supra fundamentum, præter quod aliud poni non potest, quod est Christus Iesus, fidei tuæ constantia radicata, prudenter attendens quod, diuisis alijs vestibus, Crucifixi tunica inconsutilis in sortem militum vni cessit; per quod dabatur intelligi, quod ipsius Ecclesia futura in gentibus, quam sicut vestimentum induit, vna esset, cui Dominus vnum, B. Petrum videlicet, caput constituit & magistrum, vt quasi Noe arcam, extra quam animantia derelicta in diluuio submerguntur, in vno cubito consummaret, oues, quæ tanquam errabundæ post gregem sodalium euagantur, vt ad ouile Domini redeant efficaciter elaboras. Cum enim sicut per easdem nobis literas intimasti, Græcorum populum quasi caliginosum montem gratiæ suæ radijs Dominus videatur adeo illustrare, vt tuo studio mediante nobilis vir Batacius cum terris suis & populis, cleris & ecclesijs vniuersis, qui vt Effraim quæ dudum velut columba seducta inuocauit Aegyptum, extra vnitatem Romanæ Ecclesiæ permansisse dignoscitur, ad eam quasi ad caput & matrem omnium sano, quamuis sero, vsus consilio desideret cum humilitate redire; nos qui de aduerso doluimus, de reuerso gaudentes ipsius reditum, qui omnium salutem zelamur, libenter exquirimus, & cum desiderio expectamus imò thus orationum nostrarum pro eius & aliorum errantium conuersione. Domino suauiter adolemus, immolantes pro eis labiorum nostrorum vitulos, & animam nostram coram Domino effundentes, vt de abundantia pietatis suæ, qua merita supplicum excedit & vota, eos ad viam ab inuio, & ad veritatem reuocet ab errore. Cæterum quia de prædictorum nobilis, ecclesiarum & clericorum, terrarum quoque & populorum reditu, videlicet qualiter redire desiderent, quid intendant, qualiterue de ipsorum perseuerantia in posterum caueatur, nihil plene in eisdem literis expressisti; serenitatem regiam rogamus & monemus attentius, quatenus de ijs & alijs circumstantijs vniuersis, quæ præsens negotium tangere dignoscuntur, rescribas nobis plenius veritatem, vt ex tua relatione sufficienter instructi procedamus exinde, prout honori Ecclesiæ ac animarum ipsorum saluti viderimus expedire. *Dat. Later. IV. idus febr. ann. XIV.*] At Vatacij optimum consilium in opus non erupisse, argumento sunt aliæ Gregorij literæ postea ad Bernardum subdiaconum suum XV. kal. aug. sequentis anni exaratæ a in quibus illum Dei Ecclesiæque hostem appellat.

a Lib. 15. ep. 103.

52 Cæterum reuocandorum ad Romanæ Ecclesiæ coniunctionem Græcorum cura, cum iam sæpius de eo agitatum esset, vna ex illis arduis rebus esse potuit, ad quas explicandas concilium œcumenicum extrema huius anni æstate indixit Gregorius. Deuinctus præterea censuris ob excitatam in Ecclesiam persecutionem Fridericus ad Christianos Reges, ac præsules prouocarat, quos suæ causæ iudices admissurum præ se ferebat. Vrgebant alia etiam Ecclesiam mala ingentia, & grauiorum metus impendebat, cum Tartari deletis infidelibus populis ad Christianos excindendos se accingerent, ac plures iam clades intulissent Georgianis: versabat denique Pontifex ad diuinam augendam gloriam plura consilia, ad quæ perducenda synodum cogendam censuit: vtque præsules ex omnibus regnis atque prouincijs accedere facilius possent, Fridericum de inducijs interpellauit, qui ijs assentire recusauit, nisi a cogenda synodo absisteret, atque insuper ab ijsdem Insubres excluderentur, vt literis suis Henrico Anglorum Regi significauit. Ijs enim oppressis versutus princeps sperabat facilius destitutam illorum auxilio Ecclesiam in seruitutem redacturum. Ex quibus refellitur Parisius, qui puerilem fabulam multis in Gregorium aspersam dicterijs concinnat, initas a Pontifice cum Friderico inducias; sed accepto a Iacobo legato in Gallijs nuntio ingentes ad sustinendos belli sumptus opes congregatas Cardinalem Colunnam accersiuisse ac præcepisse, vt inducias dissolueret; eoque negante præcipiti iracundia adiecisse, ni faceret, ipsum vt Cardinalem non habiturum; alterumque aculeato responso dictum retorsisse, se neque Gregorium vt Papam agniturum. Quæ non modo mendacij ex Friderici literis, verum etiam ex ipsius gestis, qui ad occupandam Ecclesiæ ditionem toto anno, vt vidimus, omnes conatus conuerterit atque mense augusti, quo indictum primo consilium est, Beneuentum ac Fanentiam obsidione cinxerit.

Greg. concilium œcumenicum indicit.

53 Refellit denique vanum hominem illustre & conspicuum Gregorij consilium, cum summa contentione synodum cogere optaret, nec ad eam celebrandam gratius ipsi accidere posset, quam vt induciarum beneficio armorum fragor quiesceret. Encyclicis ergo ille literis omnes Christiani orbis præsules proxima Christi resurgentis celebritate ad se accedere iussit, quæ in regesto pontificio archiepiscopo Senonensi ita inscriptæ sunt.

Archiepiscopo Senonensi.

Æterna prouidentia conditoris sanctam & immaculatam Ecclesiam a suæ fundationis exordio eo voluit ordine gubernari, vt vni pastori potestatis plenitudinem obtinenti cæteri partem solicitudinis assumentes, tanquam membra capiti communicatis alterutrum emergentibus casibus, vnione indissolubili cohærerent, per quam eis consensibus mutuis solidatis caput famulantibus membris vigorem assumeret, & membrorum conditio de sui principij robore firmaretur. Quia igitur grandes Apostolicæ sedis euentus & causas te ignorare non conuenit, tanquam necessarium matris Ecclesiæ munimentum, propter quæ necessitate vrgente tuam & aliorum videmus præsentiam plurimum opportunam, fraternitatem tuam rogamus & hortamur attentius, per

Apost. ad Senon. [illegible] de rel.

apo-

apostolica tibi scripta præcipiendo mandantes, quatenus vsque ad proximum festum resurrectionis Dominicæ ad nostram præsentiam personaliter venire procures omni occasione cessante, vt habeat Ecclesia mater in filio speratum in tua visitatione solatium & gratum promdi consilij fulcimentum; proinde vt in personarum & euectionum moderato numero venias, ne nimis Ecclesiæ tuæ onerosus existas. Præterea volumus & mandamus, vt suffraganeorum tuorum capitulis, abbatibus & prælatis alijs tuæ prouinciæ, qui specialiter non vocantur, auctoritate nostra iniungas, vt super ijs eodem termino ad sedem Apostolicam fideles & prouidos nuntios mittere non postponant. *Dat. apud Cryptam ferratam v. idus aug. ann. XIV.*] Subijcitur prolixior præsulum catalogus, ad quos hæ literæ transmissæ; tum etiam Reges principesque, vt ad concilium accederent ipsi, vel mitterent oratores, inuitati, inter quos S. Ludouico Galliarum Regi has literas dedit Gregorius, quæ immutatis consentaneis verbis ad alios principes exaratæ sunt.

Illustri Regi Francorum.

54 Super bases aureas ad locum sanctificationis ornandum animalium tria genera, Cherubim scilicet, leonis & bouis; ac æneum mare desuper sapientia Salomonis extruxit; hoc in Ecclesia secutura demonstrans, vt in exordium charitatis exurgens amaris conspersa fluctibus, & turbinibus agitata de prælatis & subditis ac principibus orbis præsidium dexteræ subleuantis expectet. Cum igitur mater Ecclesia inter turbines seculi grauibus occupata negocijs Reges terræ, Ecclesiæ prælatos & subditos, ac alios mundi principes decreuerit aduocare, vt eorum varietate vestita & munita consilijs grauia, quæ successerunt negotia, valeat felicius expedire, te fili charissime, quem ipsa de regenerationis gratia reddit filium, & sinceritatis prærogatiua dilectum, de fratrum nostrorum consilio ad hoc fiducialiter inuitamus; serenitatem tuam rogantes & monentes attentius, quatenus vsque ad proximum festum resurrectionis Dominicæ ad nos fideles & prouidos nuntios tua celsitudo transmittat, qui super expediendis causis vniuersalis Ecclesiæ vere nobis consilium vice regia largiantur, vt habeat in te Christiana religio deuotionis solitæ filium & promptum profectus ecclesiastici zelatorem, tuis vtilitatibus retributionem debitam impensura. *Dat. vt supra.*]

Rogat S. Lud. Pont. vt oratores transmittat.

55 Percrebuerat indictæ synodi fama populosque sui expectatione commouerat; sed maxime Fridericum non mediocri metu perfudit: ardente enim admissorum in Ecclesiam scelerum conscientia, in futuro concilio exutum iri Imperio arbitrabatur. Quare ad discutiendam synodum intentus, quæ non modo ad iusto supplicio percellenda eius crimina, verum ad Ecclesiæ quoque emarcescentem motum pulchritudinem reuocandam; ad abusus delendos, ad excindendas hæreseon reliquias; ad parandam contra Sarracenos expeditionem; ad Tartarorum impetus propulsandos cogi iustissime poterat; sparsis per orbem Christianum literis, terrores ac minas in eos, qui se itineri accingerent; circumtulit; infesta venientibus futura itinera, cum in ea synodo conflanda aduersus ipsum coniuratio esset, ac non de conciliandâ pace, sed bello inferendo tractandum diceret quod ex ipsa pontificiarum literarum forte se elicere iactabat, cum ea nimirum obscuris verbis cogendæ synodi causa afferretur: vt in rebus arduis dubijsque consilia certiora expediri possent.

Fridericus concilium terroribus discutere nititur.

56 Præterea in missis ad Henricum Angliæ regem literis, eam addit ad concilium principes Imperij perduelles, vel pontificia pecunia subornatos, vt Prouinciæ comitem, Venetorum ducem, marchionem Estensis, comitē S. Bonifacij, Albericum de Romano, Guglinum de Camino, Paulum Trauersarium vocari, cum tamen ipsius Angliæ Regis oratores pacem conciliare meditantes Pontifex repudiasset: iam se, conniuente Rege, in eius regno laceratum probris, cœtuque fidelium summo dedecore eiectum, effusam a præsulibus in legati sinum ingentem pecuniæ vim ad bellum aduersus ipsum adornandum, atque adeo nolle se, quos infestos sensisset hostes, iudices experiri; se quidem inducias ad proximum resurrectionis dominicæ insequentis anni festum in perniciem suam ex iucundæ pacis amore indulsisse, cum hostis interea recreatis viribus acrius in ipsum prosilire meditaretur: cæterum ardente Pontificatum inter & Imperium contentione concilium non permissurum, cum res sua in suspecto foro ageretur; proinde licet ob insitum in Angliæ Regem amorem atque obseruantiam Anglos singulari affectu prosequeretur, se tamen eorum audaciam, qui spretis huiusce monitis ad sese hosti suo coniungendos pergerent, æquo animo non passurum; propterea Anglum orat vt publico programmate denuntiet prælatos tutum ac securum iter non habituros. Adijcit alios prætextus, Pontificem ex præsulibus Galliarum Angliæque ingentes pecunias in sumptus bellicos ex concilio huiusmodi conflaturum; præterea præsules omnes ac maxime Anglos, Regemque Angliæ solemni parendi pontificijs imperijs sacramento deuinctos, atque adeo rem suam in ancipiti discrimine versari, si concilium huiusmodi permitteret, in quo Papa ipsius salutis ac dignitatis hostis præesset, omniumque, quos sibi videret obnoxios, voluntates ad suam facile pellecturus esset. Adscripta est dictis Friderici literis dies XIII. septemb. indictione XIV. in obsidione Fauentiæ.

57 Deterrebant plures a suscipiendo itinere grauiores Friderici minæ, quæ sequenti anno longe maiori furore in præsules, quos mari cepit, sese effuderunt: sed Gregorius, quem rei tristis exitus latebat, ne tyranni nimis ignaue cedere videretur, ad confirmandos ad constantiam præsules paulo post alias literas dedit [a], ne ob grauiora pericula, quibus Ecclesia iactabatur, Friderici minis frangi se paterentur, sed ancipites potius discriminum æstus penetrarent.

a Lib. 14. pag. 49.

Archiepiscopo Senonensi.

Petri nauicula matris Ecclesiæ sinus negotiorum operta fluctibus & quæstionum vrgentium agitata procellis, dexteram Iesu subleuantis implorat: Ea quidem flatibus aquilonis impulsa, dormire videtur Dominus, nutant discipuli, nautæ quasi naufragij verentur euentum, populi trepidant, clamat Petrus, vt manum tepescentibus cæteris saltem porrigerent filij operam consilij salutaris, ne ipsam fluctus inuoluant, ne pirata crudelis abducat. Porro fœdere naturalis pactionis irrupto, fides quatitur, charitas refrigescit, tepescit deuotio, crescit & inualescit iniquitas in Dominum & proximum commissura: ex quibus fidei Christianæ profectibus euidens præstatur obstaculum, sequuntur salutis dispendia & plebs deuota fidelium beneficio quietis exclusa, varijs molestijs fatigatur, quæ communis stateræ iudicij apostolicæ dignitatis auctoritas iustæ discussionis examine prudenter appendens, vt omnium generalis & vna manu ter vtilitati prouideat singulorum, manus fortium regum videlicet, prælatorum, principum & aliorum fidelium non indigne aduocare decreuit, vt multiplicatis clamoribus Dominum suscitet dormientem & plurium adiuta consilijs prudentia faciat oneris leuiora expeditionis optatæ portum feliciter petitura. Verum sicut pro certo didicimus, singularis ille dudum Ecclesiæ filius apostolico prouectus & defensus auxilio, de puero tunc omni destituto suffragio ad Imperij culmen humero materno translatus, ea non contentus iniuria, qua mercede recompensans iniqua,

Addit animos præsulibus Pontifex ne Frid. minis a suscipiendo itinere deterreantur.

qua, patris irrumpit solium, matris exponere pudicitiam, & vendicare sanctuarium indeuotus intentat; astutis adhuc in ipsam armatur insidijs, prælatis vocatis a nobis accessum suis terroribus interdicens vt nullius expers calumniæ illam quam grauibus infestat molestijs, nec in filiorum patiatur solatio respirare.

58 Cum igitur tam sanctum generalis vtilitatis propositum sub fiducia diuini fauoris assumptum humanis non debeat versutijs retardari, fraternitatem tuam rogamus & monemus attentius, per apostolica tibi scripta in virtute obedientiæ districte præcipiendo mandantes, quatenus Dominum præferens homini, & difficultatibus obedientiæ meritum anteponens, vsque ad proximum venturum festum resurrectionis Dominicæ ad sedem Apostolicam accedere personaliter non omittas; vt mater filiorum roborata præsentia, hostis & aduersantis obstaculo prouidentia diuina sublato piæ intentionis exordia felici consummatione concludat. Nos enim super omnibus, quæ ad tantum negotium exequendum expediunt, annuente Domino, curabimus prouidere, prout tibi lator præsentium plenius intimabit. Præterea volumus & mandamus, vt suffraganeis tuis & eorum capitulis, abbatibus & prælatis alijs tuæ prouinciæ, qui specialiter non vocantur, auctoritate nostra iniungas, vt super ijs eodem termino ad sedem Apostolicam fideles & prouidos nuncios mittere non postponant. *Datum Laterani idibus octob. ann. XIV.*]

59 Reuocatis ex Anglia Othonem legatum Cardinalem, vt synodo cum præsulum egregio numero interesset, scribit Parisius a, qui de B. Eadmundo archiepiscopo Cantuariensi addit, cum per ea tempora ecclesias spoliari, ac libertatem proteri lugeret, atque etiam in Regis odium adductus esset, voluntarium exilium elegisse, profectumq; in Gallias animum in cælestium rerum contemplatione liberius quam antea, omnibus alijs curis exutum in Pontiniacensi monasterio, in quo olim S. Thomas martyr Cantuariensis commoratus tot palmas collegerat, defixisse: vbi iam corpore spontanea sui maceratione attritus, consumptus vigilijs, exinanitus ieiunijs, debilitatus fundendarum precum vehementi contentione, pijsq; alijs laboribus, cum ad salubriorem excipiendam auram medicorum iussu ad villam Soyssy delatus, ac dyssenteria correptus, purum ab huius mundi labe ac contagione animum cælo transmisit, de cuius funere hæc idem auctor historiæ mandauit.

B. Eadmundus voluntario exilio Gallias petit.

a Par. hist. Angl. hoc ann.

60 *Transijt igitur ex hoc mundo dictus archipræsul Edmundus XVI. kal. decemb. infra scilicet octauas B. Martini, ipsi confessori confessor in multis assimilatus, absolutis de conuentu Cantuariensi monachis pœnitentibus. Obijt autem apud Soysy domum canonicorum regularium. Et dum adhuc sospes ibi viueret, & crederent monachi, quod ab eis recederet, ait prior loci, qui fuit ei specialissimus: Domine vt quid recedis? vt quid nos deseris? vexaberis itineranda, quiesce nobiscum. Et respondit archiepiscopus: Cor meum vobiscum remanebit. & non intellexerunt verbum. Sed infirmatus illic obijt, & facta anatomia de corpore suo, ibidem sepulta sunt eius viscera cum corde. Distat locus ille a Pontiniaco viginti leucis, id est, duabus dietis: & tunc demum aperti sunt oculi eorum, vt verbum intelligerent, quod dixerat archiepiscopus. Fecerunt igitur clerici & ministri ipsius sanctum corpusculum pontificalibus, vt moris est, indutum super ligneũ vehiculum ad Pontiniacum sepeliendum transportari. Dum enim adhuc viueret, videns se de hoc mundo cito migraturum, causam suam Deo & B. Thomæ commendando, qui ibidem ob similem causam exulans inuenit refugium, Pontiniacensi ecclesiæ corpus suum legauit.*

Pie moritur.

61 *Contigit autem inter itinerandum, dum sacrum corpus portaretur, propter famam sanctitatis ipsius, vt illuc confluerent ægrotantes, sanitatem a Christo ipsius precibus fideliter postulantes, & factum est quod eundem vna die ter dignatus est Dominus manifeste meritis ipsius sancti exigentibus, miraculis præclaris, & titulo sanctitatis insignire. Pro quibus solemniter hymnus Angelorum, scilicet:* Te Deum laudamus, *ter venerantur, & deuota cantabatur. Meruit igitur Pontiniacum corpore confessoris *, quod cum tumularetur, inuentum est vermiculis & cilicio rudi corrosum, & genua ob frequentiam genuflectionum callosa, feliciter venustari; quod fuerat aliquando B. Thomæ tuitionis refugium & asylum, & hoc idem martyr Thomas aperte prædixerat.* Extat perutilis Edmundi commentarius, cui speculum Ecclesiæ titulus inscriptus, atque in bibliotheca patrum insertus est.

Miraculis inclarescit.

* decoratũ

IESV CHRISTI
Annus 1241.

GREGORII PP. IX. annus 15. FRIDERICI II. IMP. 22. BALDVINI II. IMP. 13.

1 APerit sese post Christum natum annus quadragesimus primus, a millesimo ducentesimo, indictione quartadecima, insignis grauissima clade Polonis Vngarisque a Tartaris sæuissimis illata, & acerbo Pontificis summi interitu toti orbi Christiano lugubris. Lacessiuerant cæleste numen suis criminibus septentrionales populi, ad quæ punienda, sacro prouidentiæ arcano, ab vltimis terrarum oris excitæ gentes moribus inconditæ, barbarie immanes, fœdissimæ aspectu, legibus impolitæ, repentina eruptione sese effudere, victorijs immensa locorum interualla peragrarunt, ac vastitatem, ferrum, flammam, excidium incredibilesque calamitates circumtulere, de quibus hæc Nangius: *Per vnum de principibus suis nomine Batho vastauerunt Poloniam, & Vngariam & iuxta mare Ponticum Russiam & Gazariam cum alijs triginta regnis, & vsque ad fines Germaniæ peruenerunt.* Tartarorum seu Tatarorum nomen illis erat, siue a fluuio eius nominis deriuatum, quo ea Scythiæ Asiaticæ extrema pars ad orientem longe submota proluitur; siue a multitudine, quæ apud eos Tartar appellatur, nomen traxerint: immani enim armatorum numero vastissimus oras inundarunt. Monguli etiam vocitati ducto a regione nomine, in qua ex debilibus initijs in immensam potentiam eorum Imperium consurrexit: quanquam erupisse ex Indijs atque in septentrionem protendisse victorias in suis literis Fridericus asserat.

Tartarorũ horrendæ excursiones.

2 Primum Imperij conditorem Chingis fuisse perhibent, qui durissimo Indorum Regis excusso iugo populisque ingentibus promissis ad libertatem pellectis in arma prosiliuit, ac grassantis incendij instar omnes circumquaque regiones, quæ illius imperia respuerent, bello absumpsit; continuis victorijs præferoces eius populi in eam superbiam assurrexerant, vt vniuersum orbem suæ ditioni subijcere, omnesque cæteras gentes quæ iugum accipere recusarent, delere ferro meditarentur. Nulla genti religio, nulla certa sedes, plaustrisque tectis, corio pro domibus vtebatur; adeo barbara vt humanæ carnis saginam in delitijs haberet, cuius mores incõditos ac formam in suis literis Fridericus a ita describit.

Chingis primus Imperij ipsorum conditor.

3 *Egressa dudum ex vltimis mundi finibus de regione australi, quæ diu sole sub torrida zona tosta latuerat, quæ postea versus boreales occupatis violenter regionibus diu manens vt bruchus multiplicatur: gens barbara natione & vita, quo nescimus a loco vel origine Tartari nuncupata, non absque prouiso Dei iu-*

a Rec. apud Paris. hist. Angl.

dicio

duro ad sui populi correptionem & correctionem, non vtinam ad totius Christia statis dispendium, ad hac nouissima tempora reseruatur. Et infra: *Hæc gens est feralis & exlex, humanitatis ignara: sequitur tamen & dominum habet, quem obedienter colit & veneratur, & nuncupat deum terræ: homines parua ac breuis staturæ sunt, quantum ad longitudinem, sed solidi, lati & propaginati, rigidi, ac fortes, & animosi ad nutum sui ducis ad qualibet ambigua prorumpentes; vultus amplos, aspectus toruos, clamores horribiles habent cordibus consonantes: crudaq; gestant coria boumn, asinina, vel equina: insutis laminis ferreis pro armis muniuntur, quibus hactenus vsi sunt: sed quod non sine suspirijs dicere possumus, iam iam de victorum spolijs Christianorum armis decentioribus elegantius muniuntur, vt proprijs armis irato Deo turpius & anxius trucidaremur. Insuper equis melioribus instaurantur, epulis lautioribus reficiuntur, vestibus pulchrioribus adornantur. Ipsi autem Tartari, sagittarij incomparabiles, vtres ferunt artificialiter factos, quibus flumina transmeant indemnes rapacissima & paludes: deficiente vero cibo corticibus arborum & folijs & herbarum radicibus dicuntur esse contenti equi eorum, quos adducunt: quos tamen velocissimos inueniunt & fortissimos in articulo necessitatis.*

4 Ingressa igitur gens effera in Russiam, Rhutenorum metropolim Kion vrbem amplissimam funditus deleuit, totaque Russia direpta cæsisque principibus opulentissimam prædam abduxere, vt rufo eam loco coudere rent: reuersique præcipites Sandomiriam expugnant, ac viros religiosos & magnum vtriusque sexus nobilium, atque ignobilium numerū, qui eo confugerant, trucidarunt. Dum onusti f[...]s redirent in Russiam, Vvaradimirus Cracouiensis Palatinus in eos impetum fortissimum fecit. Fusi initio Tartari, captiuorumq; multitudo in propinquas syluas fuga se recepit. Sed ob exiguas Polonorum copias aduertere, restituto in gradum exercitu, Polonos numero oppre[...] ingenti tamen suorum strage percu[...] in Russiam rece[...]re, & nouis collectis copijs Poloniā iterum aggressi, eam vastauere. Aduersus hos[...] Vvaradimirus copias raptim comparat, & cum nobilitatis Cracouiensis lectissimo flore ac Sandomiriensium reliquijs Tartaris occurrit. Prima barbarorum acies ardenti illa impressione fracta pedem retulit: inde conglobatis turmis irruunt barbari, fessosq; iam nostros part m cæcidere, partim in fugam vertere; ex qua clade tantus terror Polonos inuasit, vt in alias regiones & abditissima loca se ferent; ac Boleslaus Pudicus Cracouiæ ac Sandomiriæ dux cum [...] coniuge primum Pannoniam versus, inde in Morauiam ad monasterium Cisterciense fugerit. Interea Tartari Cracouiam progressi, & ciuibus vacuam repertam dir[...]unt incenduntque.

5 Contendere mox Vratislauiam populis, atque opibus refertā: sed Poloni [...]retiosis omnibu[...] & commeatu in arcem exportatis, vrbi flammas [...]iciunt, ne hosti[...] insideret. Iamque cri[...]a obsidione arx in periculo m add[...]ta erat, cum [...] viro sanctissimo Dominicanæ familiæ ad [...]ces demisso, columna ignea e cælo lapsa & ipsius capiti im[...] neo te, tantus splendor in circumiectas [...] regiones cuibratus, vt omnium oc[...]los perstr ngeret, percussosque terrore barbaros fugam capessere cogeret. Vratislauia profugi in Legnicam infesta [...]na extulere, quo plures populos confluxisse didicer[...]nt.

6 Interea S. Hedvviges deserto monasterio, in quo religiosam vitam excolebat, cum virginibus Deo deuotis, tuto loco se recepit, ipsiusque f[...]ius e Polonia maiore, ac Szlesia copias contrahebat. Concurrere ad illum plures proceres, & alij ctuce [...]iam enim contra Tartatos apostolicu auctoritate vel it contra communes Christianorum hostes crucis signa explicabantur, ac sacri concionatores fideles in arma incitabant. Addebat ipso animos S. Hedvviges, quæ licet diuino spiritu edocta, filium in acie mortem oppetiturum sciret, & Christianum exercitum deletum iri, quod sanctæ c[...]dam ac fidissimæ virgini prædixit; non tamen vultus serenitatem deiecit; sed immota & constans s[...]am voluntatem diuinæ prouidentiæ arcanis consilijs adæquabat. Ino Henricum vt animose Christiani populi defendendi gratia in Tartarum prosi[...]eret, spe æternæ comparandæ gloriæ inflammabat. Succinctus ergo Christiano exercitu religiosissimus princeps, a matris virtute non degener, suburbana oppidi Legnicensis prætergressus quatuor vel, vt trad int al[...], quinque acies instruxit: in totenim agmina diuisi Tartari, sed longe maiori numero, vt vnum eorum agmen omnibus Christianis copijs multitudine præstaret. Hominum tamen numerus generosos Polonos non terruit: tamque prima nostrorum acies magno in petu cum hoste congressa, primos Tartarorum ordines hastis confecerat, & gladijs cominus agi cœptum est: tum que barbarorum sagittar[...] Christianos circumegere, ac tantum telorum imbrem effudere, vt reliquæ Polonorum c[...]piæ sine magno discrimine auxilio ire non posse[...]. Proinde confixi sagittis primi cecidere, nonnulli ad reliquu[...] P[...]lonorum exercit[...] confugere: inde duo Ch[...]stianorum agmina cum tribus barbarorum concurrere, magnamque illorum stragem ediderunt.

7 Tergadant bis Tartaris ex i[...]um acie quidam erupit, qui hinc inde c[...]ertissimo cursu inter vtrumque exercitum discurrens te[...] voce, Polonica lingua intonuit: *Fugite, fugite.* Tartari a vero Tartaros ad pugnam constant anique incendebat: qua voce perterritus Miecz[...]aus Opoliensis dux tertio agmini præfectus non hostem sed amicum ex pietate esse vociferatum arbitratus, deserto prælio magnam militum manum, cotum maxime qui ipsi parebant, in fugam auertit. Q[...] a te visa oculis, ac perlata, Henricus dux ingemuit atque in lugubres has voces erupit: Proh dolor! magna nobis calamitas inflicta est: non fregit tamen egregios ipsius animos signa aliorum fuga, sed quartam aciem, quam ipse ductabat, in tres Tartarorum acies a prioribus Polonis impulsas & conc[...]ssas intulit, easque tergadare coegit.

8 At quartum hostium agmen omnium maximum laborantibus Tartaris succurrit, atque in Polonos formidabili impetu irrupit. Verum Christianis fortiter ipsos excipie[...]bus atrox pugna exarsit, in qua Tartarorum audacissimis cæsis parum aberat, q[...]n Poloni victoriam reportarent: iam enim ad fugam spectabant barbari; cum ex hostibus quidam maximum præferens vexillum, in quo depicta erat Græca litera X, atque in hastilis acie summa præ[...]ixum erat caput teterrimum, e c[...]us mento hisp da ar[...]e horrida barba pendebat, cœ[...]t fortius signum adhibitis incantationibus quater[...] atque i[...]o dæmonis opera fal[...] ha[...]eus vapor erumpere, fæt[...]ssimia nebula no[...]is offundi, stupere Christiani, omnis illorum virtus emarcescere, languere animi, rigere semianimes, arma abijcere, vel ignaue tractare. Contra Tartarus antea fractus redintegrata acie, collectisque viribus in nostros dæmonum arte fascinatos irruere, sæuire ferro ac cædem horrendam edere. Inter alios Boleslaus marchionis Morauiæ filius, & Pompo Hestetnus cruciferorum e Prussia generalis magister mortem oppetiere: Henricus dux stren[...]issime dimi[...]an[...] hasta confossus, pluresque alij nobiles Poloni fortissime occubuere.

9 Quis non lugeat [...] miretur Chri[...]anos sub ethnicorum crudelitate, dæmonum art[...] succ[...]b[...]ssc; & cælo le numen æquis ocu[...]s [...]um[...], vt ma-

a Pars hist. ... Annal. ... Poloni ... Russiam & Polonia ... Secundo prœlio ... Tartari ... Boleslaus ...

Illius cladem a S. Hedvvige spiritu præscitam.

Primum sæpe tu hostes fractos.

Bellum Tartarorum fit agemia.

Constantia Henrici.

Magicas artes adhibent Tartari.

Arcano num[...] cōsilio vincuntur ope dæmonum Christiani

gicæ in eos artes grassarentur. Non id tamen sine altissimo ipsius prouidentiæ consilio permissum: si enim vinci ab hoste visi sunt, longe nobiliorem victoriam profuso pro fide & Christi causa sanguine retulerunt. nec immerito Henricus dux præclaris illis vocibus ad gloriam nominis Christiani defendendam suos accendebat, vt refert Longinus a: *In quamcumque partem euentus futuri certaminis recideret, se tam spe & animo, quam voce & sonora in omnes declamatione portendebat: pluris eam victoriam maiorisque celebritatis & maioris muneris existimans debere per quam occidi in corpore, triumphare in anima contingeret.* Pulcherrima illa documenta a sanctissima matre hauserat, atque in eam contra sortilegos pugnam veluti ad non dubij martyrij gloriam prouolarat. At præstat hoc loco ea inserere, quæ in vita S. Hedvvigis Poloniæ ducissæ eius matris refert auctor b sanæ fidei apud Surium c, quique ex gestis sanctæ diligentissime conscriptis, atque in Trebnicensi monasterio asseruatis, olimque oblatis Pontifici decerpsit.

a Longin. hist. Pol. lib. 7.

Egregiæ Henrici ducis voces.

b Vit. S. Hedw. c. 3.

c Sur. to. 5. die 15. Octob.

10 *Vbi comperit filium suum Henricum ducem a Tartaris in prælio occisum, sine vllis lacrymis, atque sine vllo doloris signo filiam suam abbatissam Trebnicensem, & nurum suam eius Henrici coniugem præ nimio dolore prope exanimatas his verbis consolabatur: Voluntas Dei est, & nobis gratum esse debet quidquid vult Deus & illi placet. Eadem hora exultante spiritu eius in Domino in cælum subiatis oculis & manibus: Gratias, inquit, tibi ago Domine, quod talem mihi dedisti filium, qui me dum vixit semper amauit, & magnam mihi præstitit reuerentiam; nec vnquam mihi vlla in re molestus fuit: & quamuis libenter admodum vellem eum habere superstitem, attamen multo gratulor ei, quod profuso sanguine tibi creatori suo iam est coniunctus in cælis. Ego eius animam tibi Domine Deus accurate commendo.* Refert idem auctor d, vt triennio ante quam hac clade Henricus dux deleretur, ipsius cædem prædixerit, atque antequam cædis eius nuntius peruenire ad ipsam potuisset cælitus cognouerit.

S. Hedvvigis in ferenda filij morte inuictus animus.

d Ib. c. 8.

11 Pessumdederant Poloniam Tartari, cum ad agendas nouas prædas in Morauiam signa conuertere, grassatique sunt libere ferro, tædibus, rapinis, incendijs, cum nullus eorum furori occurreret. Vvenceslaus enim Bohemiæ Rex suis diffisus viribus in tutis ac munitissimis locis se continebat, scriptisque ad finitimos principes literis eos hortatus est, vt hosti furenti breui ad ipsos penetraturo, ni auxilium ferrent, contractis validissimis copijs sese opponerent. Inter eos Saxoniæ Palatinus in auxilium accitus Brabantiæ ducem socerum missis hisce literis e rogauit, vt copias conflaret, & citissime ad ferendam opem prosiliret.

Morauia a Tartaris populatur.

e Extant apud Par. hist. Angl. hoc an.

Rex Bohemiæ eorum furori cedit.

12 *Dilecto ac semper diligendo Domino & socero suo illustri principi duci Brabantiæ H... Dei gratia Longrauius Thuringiæ comes Palatinus Saxonum, paratam ad beneplacita seruiendi voluntatem. Pericula antiquitus in scripturis sanctis prædicta, peccatis nostris exigentibus, nunc pullulant & erumpunt. Quædam enim gens crudelis & innumerabilis, exlex & effera vicinos nobis terminos inuadit & occupat, & iam vsque ad terram Polonorum peruenit, terris multis alijs peragratis & populis exterminatis: super quibus tam per nuntios proprios, quam per Regis Bohemiæ dilecti consanguinei nostri plenius certificati & vocati sumus, vt in [illegible] sue ursum, & fidelium a [illegible] fiorem festinanter accingimur. Veraciter enim & plene nobis constat, quod eadem gens Tartarorum [illegible] citer octauas paschæ terras Bohemorum crudeliter & impetuose inuadet, quibus si non subuenietur tempestiue, stragem facient inauditam* (Irruptionem in Bohemiam [illegible], sed a Rege magna clade

Aliorum principum auxilium implorat.

Propulsat Bohem.

propulsatos refert in suis literis a Fridericus) *Et quia iam paries nobis proximus succenditur, & terra vicina patet vastationi, & aliqua iam vastantur, auxilium & consilium Dei & fratrum vicinorum pro vniuersali Ecclesia anxie & flebiliter inuocantes postulamus.* Addit indictas a præsulum conuentu solemnes ad Deum supplicationes, tum a viris religiosis cum res crucifixi agatur, crucesignatam expeditionem promulgari. *His etiam adijcimus, quod magna pars eiusdem detestabilis gentis cum exercitu alio illic adiecto Vngariam vastat inaudita tyrannide, adeo quod Rex dicitur sibi partem modicam asseruasse.* (de Vngaria vastata a Tartaris fusius dicetur inferius) *Et vt multa paucis perstringamus, adeo opprimitur & tantis & tot pressuris coangustatur Ecclesia & populus borealis & septentrionalis, quod talibus nunquam ab initio mundi fuerit vnquam flagellatus. Dat. anno gratiæ MCCXLI. die qua cantatur: Lætare Hierusalem.* Quas literas cum Brabantiæ dux recepisset, ad Parisiensem episcopum transmisit. Similes etiam Coloniensis archiepiscopus ad Anglorum Regem exarauit.

a Ext. in M.S. cod. lit. ipsius Vallic. bibl.

13 Iam furoris Tartarici fama Christianum orbem repleuerat, metuque mentes perfuderat; quare ad placandum numen indicta vbique ieiunia, solemnes supplicationes celebratæ, effusæ preces, crucis signa explicata, incitatiq; ad defendendum Christianum nomen in arma populi. Et sane insignis fuit omnium ætatum memoria celebranda S. Ludouici vox, quam suis annalibus inseruit Parisius. Perculsa nuntij terrore Regina Blancha, inter abscissa suspiria, imminens Tartarorum periculum filio aperuerat, consiliumque in re difficillima reposcebat; cui sanctissimus Rex constantia humana augustiore exaggeratus metum omnem excussit, confirmauitque animos grauissimis verbis, quæ ex auctore ob rei dignitatem decerpimus: *Huius igitur diuinæ furoris flagellum formidabile cum immineret populis, certificata ait mater Regis Francorum venerabilis ac Deo dilecta matrona Regina Blanca: Vbi es fili mi Rex Ludouice? At ipse accedens, ait: Quid est mater? at ipsa profunda trahens suspiria, in lacrymas prorupit vberes: & licet mulier non tamen muliebriter hæc imminentia librans pericula, dixit. Quid agendum, fili charissime, super tam lugubri euentu, cuius rumor terrificus fines nostros peruolauit? Imminet nostrum omnium & sacrosanctæ Ecclesiæ nostris temporibus excidium generale ex impetuoso super nos aduentu Tartarorum. Quo audito Rex voce flebili, sed non sine diuino Spiramine, respondit: Erigat nos, mater, cæleste solatium, quia si perueniant ipsi, vel nos ipsos, quos vocamus Tartaros, ad suas Tartareas sedes, vnde exierunt, retrudemus, vel ipsi nos omnes ad cælum subuehent. Ac si diceret, vel ipsos repellemus, vel si contingat nos vinci, Christi confessores, vel martyres ad Deum migrabimus, & hoc verbum notabile atque laudabile non tantum Francorum nobilitatem, sed adiacentium finium habitatores erexit & animauit.*

Placare precibus Deum nituntur Christiani.

Egregiæ S. Ludouici de repellendis Tartaris voces.

14 Quod ad Tartarorum immanem in Vngariam irruptionem factam attinet; scribit Nangius b præferoces illos populos, quamuis præteritarum victoriarum successibus elatos, Vngarorum veritos potentiam, dæmonum oracula, antequam signa inferrent, consuluisse: qui, cælesti numine ita Vngaros pœnis meritis percellere meditante, hoc responsum dederunt, quod refert auctor: *Cum Vngaros timentes responsum quærerent dæmonibus immolantes, vtrum in Vngariam transire deberent, responsum est eis: Ite securi, quia spiritus discordiæ & incredulitatis vos præcedent, quia turbati Vngari vobis non præualebunt; sicque factum est: ante introitum enim ipsorum Rex & principes, clerus & populus inuicem diffidebant, & ideo parare se noluerunt vnde pauore con-*

Tartari in Vngar. irrupturi dæmones consulunt.

b Nang. in gest. S. Lud.

Ab ipsis ad vastandam Vngar. confirmatur.

concussi hinc inde fugientes multa millia occisi sunt.

Vera Vngaricæ excidionis causa populi scelera.

15 Laxatas a diuina iustitia eo tempore malignis spiritibus habenas ad plectenda Christianorum crimina ex ijs colligitur. Ac sane si quis vastatæ Vngariæ causas altius perscrutetur, non Cumanos, vt Vngari, non Vngarorum discordiam, non Palatini imprudentiam, non ignauiam Belæ, sed potius Vngarici populi scelera accusabit: quæ in omnes inundasse visa, cum ipsi viri religiosi nefando se vitio contaminarent. Extant enim Gregorij literæ a, quibus ante cladem Belæ precibus solicitatus archiepiscopo Strigoniensi prouinciam iniunxerat, vt monasteria Benedictinæ familiæ lustraret ac monachos, qui tanquam scurræ vagabantur ac flagitia, ad quæ meos ipsa horret, in se admittebant, coerceret: & paulo post diuini sutoris virga Vngariam percussit.

a Ib. ep. 217

Quantis & quā nefando cō-taminata esset Vngaria.

16 Diuisos in tres formidandos exercitus Tartaros fuisse scribit in suis ad Regem Angliæ literis b Fridericus: *Sicut innotuit, & præambula fama gestorum proclamat, indeterminatus exercitus eorum in tres partes infelices ex indultu Domini damnandus consultu diuisus processit. Nam vna per * Pruthenos transmissa, & ingrediente Poloniam, princeps & dux terræ illius ab eorum insequenti exterminio ceciderunt, & dein tota fuit per eos illa regio deuastata: secunda Bohemiæ fines ingressa est & aggressa subsistit, Rege illius terræ cum suis conatibus viriliter occurrente: tertia percurrit Vngariam Austriæ finibus vicinanda.* Ducebat illud agmen Bathy Tartarorum princeps immensa armatorum manu stipatus (sunt qui eorum numerum ad quinquies centum millia ascendisse asserant) Vngariam torrentis effusi instar inuodauit.

b Extr. apud Par. hist. Angl. hoc anno.

Irrumpit in eā tertius Tartarorum exercitus.

*Ruthenos

Bathy hostium dux

17 Et sane antea cum Tartarorum rumor increbesceret, vastata Ruthenia hostis limiti immineret, Bela conflatis maximis copijs comitē Palatinum misserat, vt montium claustra insideret, aditumque hosti præcluderet, plures falso iactatum tumorem, vti sæpe euenerat, putabant: alij de industria sparsum, vt episcopi ad concilium a Pontifice exciti a suscipiendo itinere abducerentur: Budam se Rex Bela contulit, indictisque regni comitijs decretum, vt omnes ad propulsandum hostem strenue sese compararent. Interim irrumpit hostis id. martij, & Palatinum resistentem fundit fugatque, ac per Pannoniam victor excurrens nullam quinque dierum itinere infert vastitatem, ne commeatuum inopia in reditu laboraret, inde nullo sexus, ætatis, conditionis discrimine strages immensas edunt. quoties Vngari manus cum ipsis conseruere, toties profugati.

Palatinum comitem delet.

In ingressu vastitate abstinet.

In recessu omnia ferro flamma que delet

18 Cum irruptionis in Vngariam Tartaricæ, ac primæ illius cladis nuntius ad sedem Apost. peruenisset, Gregorius magno dolore perfusus Regem Belam hortatus est fortiter pro Christiano nomine dimicaret: indulgentiarum præmia ad bellum profecturis tribuit, quæ in Terram sanctam ituri adipiscerentur; atque ad sequenda crucis signa populos excitari, quod non Stadensis c modo, sed literæ etiam pontificiæ d testantur.

Allato primæ cladis nuntio Greg. indulgētias crucem in Tartaros accepturis promulgat.

c Stad. in chron. an. 1241

d Lib. 15. ep. 99.

Gregorius, &c. Belæ Regi Vngariæ.

Vocem in excelso lamentationis & fletus audiuimus, & nos multis amaricati doloribus deploramus, quod iaculatum de cælo iudicium iam depopulatur vndique populum Christianum, quod fidelium gladius in fideles reciproca cæde conuertitur & in Christicolas paganorum mucro crudeliter debacchatur. Clamor enim scelerum humani generis multiplicatus ascendens in aures omnium conditoris, ipsum qui quasi non videns hucusque tacuit, qui correctionem populi sui velut patiens expectauit, vltorem iniquitatum gladium coegit exerere, & ab oculis patientiæ suæ abominationes emendare flagitiorum, expetita graui de peccatoribus vitione. Propter quod omnes, quorum corda timor Domini tetigit, opertos cilicijs, & aspersos cinere in suspirio & lacrymis diuinam conuenit misericordiam implorare, vt qui semper ad ignoscendum multus extitit, qui præstabilis super malitia omni esse tempore consueuit, exemptum gladium ad vaginam iubeat regredi, & iram in gentes, quæ illum non nouerunt, effundēs, dignetur populo Filij sui insignito charactere misereri. Speramus autem quod etsi Deus noster nos dura increpatione redarguere cœperit, regna tamen, quæ ipsius nomen inuocāt, a facie sua disperdere non intendit: quinimo a pœna perpetua peccatores curat eripere, quibus temporalis studet vltionis beneficium ad castigationem nostri generis adhibere: quia etsi filios Israel tentatio mortis in eremo quandoq; tetigerit, in eis tamen ira Domini diutius non permāsit. Verum etsi grauiter de omniū fidelium oppressione turbemur, super afflictione tamen regni Vngariæ, quod a Tartaris inuasum, & occupatū pro magna parte in lectione literarum tuarum nō sine multarum lacrymarum effusione didicimus, eo specialior & maior tristitia cor nostrū impleuit, quo in ipso purioris erga Deum & Apost. sedem signa deuotionis inuenimus, quo claræ memoriæ progenitores tuos, & excellentiam regiam in exequendis Ecclesiæ beneplacitis esse nouimus promptiores.

19 Firmam igitur spem in illo ponentes, qui etsi Regi Assyriorum Senacherib liberum in terram Israel ingressum exhibuit, super Ezechiæ tamen contritione commotus aduersariorum multitudinem nocte vna deleuit, serenitatem tuam monemus & hortamur attentius, & obsecramus in Domino Iesu Christo, quatenus in eo confidens, qui saluum facit populum humilem, & oculum humiliat arrogantem, ad defensionem regni prædicti & catholicæ fidei, quæ ab eisdem barbaris specialiter noscuntur expugnari, potenter & viriliter, sicut decet regalem magnitudinem, te accingens in illorum expugnatione eo studiosior & feruentior cures existere, quo in hoc exaltationem tui nominis & honoris fortius dignosceris procurare. Nos enim tibi & regno prædicto, quibus in tantæ necessitatis articulo deesse non possumus nec debemus, efficax curabimus auxilium & consilium annuente Domino impertiri; ac personam & familiam tuā sub protectione sedis Apostolicę recipientes & nostra, tibi & omnibus, qui assumpto crucis signaculo contra Tartaros eōsdem ad defensionem regni prædicti processerint, illam immunitatem concedimus, eamque indulgentiam elargimur, quæ Terræ sanctæ succurrentibus in generali concilio conceduntur. *Dat. Later. xvi. kal. iuly ann. xv.*] Similia ad Regem Colomanum scripsit a. Vvaciensem b varo episcopum crucem promulgare, indulgentias proponere, censuris irretitos soluere præcepit: totius orbis Christiani archiepiscopos, episcopos cæterosque aliqua dignitate ecclesiastica ornatos excitauit, populos ad induendam crucem inducerent, cum iam regni Vngariæ parte occupata, hostes non modo reliquam profligare, verum vniuersum etiam orbem Christianum euertere molirentur; iussitque si Rex ad ipsos diuerteret, vel apud eos moraretur, summo honore acciperent, opem ferrent, atque ab improborum hominum iniurijs vindicarent. Quas literas encyclicas ad Reges, principes, comites, cæterosque nobiles viros, & ciuitatum aliorumque locorum præfectos exarauit.

Addit Belæ animos ad Tartaros propulsandos.

Colomanum ad Gerum bellum incendit.

a Reg. post eand. ep.

b Id. ibid.

20 Interea Bela & Colomanus, collectis raptim validissimis copijs, ad coercendos hostium progressus Tartaris occurrerant: sed cum ingentem exercitum angustiore loco compressissent, inito cum hoste certamine in fugam acti sunt, & exercitus internecione deletus; atque inter cæteros Colomanus Rhutenorum Rex idemque Sclauoniæ dux, maximarum virtutum princeps, singulari in excindendis hæ-

Bela & Colomanus prælio a Tartaris profligati.

Colomanus in acie cæsus

teticis zelo præditus, quique perpetuam cum vxore Regina Salomea virginitatem coluerat, occulto diuinæ prouidentiæ iudicio cæsus, vt tradit Stadensis, a atque indicat Longinus. b Occubuere pariter in prælio plures antistites, inter quos archiepiscopi Strigoniensis & Colocensis, atque episcopi Iauriensis, Transyluanius, ac Nitriensis pro ouibus animas fortissime effuderunt: qui per pagos ad templa confugerant, flammis exusti: duorum dierum itinere constrata cadaueribus terra cruoreque imbuta cernebatur.

a Stad. in chron. b Long. in hist. Pol. Occumbunt plures antistites.

21 Dedere tantæ cladi non leuem causam Cumani, qui cum a Tartaris sedibus pulsi, ab Vngaris perhumaniter excepti fuissent, irrumpentibus postea in Regnum Tartaris Vngari Cumanos accusarunt hostem in Vngariam traxisse, eo argumento adducti, quod plures Cumani in Tartarorum exercitu viderentur; coortaque seditione Cumanorum princeps Cutenes obtruncatus cecidit. Inde in alios Cumanos versus furor, qui mox cum Tartaris percusso fœdere, in Vngaros conceptum furorem euomuere, adeo vt quoties Vngarum confoderent, vlciscendæ principis sui cædis auidi, his vocibus infremerent: *Hoc tibi Cutenes vulnus infligit.*

Cumani ob Cutenem principem ab Vngaris occisum crudelissime sæuiunt.

22 Tribuit porro Fridericus in suis literis Vngariæ excidium Belæ inertiæ, qui regni munitissima claustra defendere neglexisset, atque vbi primum Cumanos a Tartaris deuictos, dein Rhutenos simili incendio correptos proposuit, vt Vngari inani securitate delusi perierint, describit c: *Ad repentinos impetus, & illius barbaricæ gentis aggressus, quæ velut ira Dei & fulgur se raptim iaculatur, expugnata & capta eiusdem regni*, Rhutenorum scilicet, *Cleua ciuitatum maxima totum illud nobile regnum cassis suis habitatoribus in desolationem cecidit deuastatum. Quod cum contermino regno Vngarorum dedisse debuit ad cautelam robur & munimen, spreuit negligenter. Quorum Rex deses & nimis securus per Tartarorum nuncios & literas requisitus, vt si suam vitam cuperet & suorum, per suam & regni sui deditionem eorum gratiam festinus præueniret; nec sic perterritus aut edoctus suis vel alijs præstitit documentum, vt & ipse & sui se maturius ad eorum protectis præmunirentur incursus: sed hostium contemptores elati, vel nescij dum inimico vicinante segnes dormitarent loci natiuo munimine confidentes, ipsi more turbinis intrantes eos vndique circumdabant repentini.*

Cladis causa tribuit Frid. Belæ imprudentiæ.

c Extant apud Mat. Par. hist. Angl. hoc ann.

Sollicitatus ad deditionem faciendam a Tartaris ad comparandum se tardior extitit.

23 *At Vngari ante expectatum circumdati & oppressi velut imparati ipsis obijcere castra contenderunt, & cum distarent quinque tantum milliaribus hinc exercitus Tartarorum, inde Vngarorum, irruerunt raptim in aurora crepusculo Tartarorum præambuli; & subito castris Vngarorum circumdatis, interfectis primo prælatis & maioribus de regno, qui se obiecerant, cæsis, infinitam Vngarorum multitudinẽ gens inimica trucidauit, stragem faciens inauditam, cui ex antiquissimi lapsu temporis in vno belli conflictu vix recolitur fuisse consimilis. Ex fuga igitur Rex vix elapsus est equo raptus velocissimo, qui raro satellite stipatus associato, ad fraternam Hyllici * regni sortem, vt saltem ibidem protegeretur, fugitiuus auolauit. Victores igitur castris & spolijs victorum insederunt exultantes, iamiamque maiorem & nobiliorem Vngariæ partem vltra Danubium fluuium & incolas eius ferro & flamma feraliter vastantes, cætera confundere minantur procaciter.* Prout per venerabilem Vatiensem episcopum dicti Vngariæ Regis legatum ad nostram curiam, & postea ad Romanã didicimus destinatum. Hic per nos transitum faciens, hu testimoniũ perhibuit, quę vidit.

* Illyrici

24 Dum Vngaria sub excidio barbarorum lugeret, eximium hoc Christianæ charitatis exemplum vir religiosus edidit, qui vt eos solaretur, qui fuga saluti suæ consulere non poterant, barbarico furori sese obiecit: *Dux quidam a in Vngaria potentissimus, relictis in principatu filijs, ordinem Prædicatorum intrauit: erat autem sufficienter literis instructus & factus est egregius ac deuotissimus prædicator. Irruentibus ergo Tartaris, & priore domus cum fratribus fugiente, petiuit idem frater, quondam dux, vt in solatium dimitteretur debilium populorum, dicens se confectum senio, & etiamsi non occideretur a Tartaris, in proximo tamen moriturum. Permissus ergo remansit in domo fratrum, & admonitione dulcissima pauperibus & debilibus, qui fugam inire non poterant, ad patientiam confortans, ipse vsque ad irruptionem barbarorum pronus in oratione & lacrymis in ecclesia in modum crucis extensus ante altare iacebat, & sic ab impijs est occisus.*

a Cantipr. l. 2. c. 44. n. 2. Egregium prænobilis viri religiosi facinus vitam pro alijs exponentis.

A Tartaris obtruncatur.

25 *Recedentibus ergo Tartaris ad domum fratres reuersi sunt, & fratrem quondam ducem lanceis terebratis pedibus & manibus, atque confossis omnibus membris, & cerebro excusso de capite, coram altari, vt dictum est, inuenerunt: quo piaculo cum cuncti fratres nimium ad lacrymas mouerentur, quidam præ cæteris horrens ingemuit, dicens: Tu Domine Deus quare tantum virum tam iniqua morte & pessima passus es interire? Cumque in luctu, lacrymis, & redargutione iudiciorum Dei, tribus diebus & noctibus ferè ieiunus & sine somno penitus permaneret, tandem in excessu mentis raptus, vidit occisum, quem fleuerat, dicentem sibi: Nunquid oportuit Christum pati & ita intrare in gloriam suam? Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Et hæc dicens disparuit: fratrique querulanti diuina iudicia, quæ inscrutabilia sunt, verborum breuitate & auctoritate satisfecit.* Hæc Cantipratensis.

Commurmurantẽ ob illius cædem de diuina prouidentia corripit.

26 Hoc porro temporis spatio incredibile est quanta excidia Pannonijs crudelis gens intulerit, quantumque humani sanguinis fuderit: consumptis eorum furore populis Bela in Dalmatiam confugit, ac denique in insulas proximas traiecit, tutumque ibi solummodo a Tartarorum irruptione locum reperiti de quibus Stadensis Germanus scriptor b hæc historiæ consignauit: *Eodem anno cœperunt magis atque magis horrendi rumores de populis barbarorum, qui dicti sunt Tartari, succrescere: qui pertranseuntes innumerabili multitudine & manu valida Russiam, & Poloniam, & alia plurima regna, nulli pepercerunt; sed omnes quos attingere poterant, cuiuscumque essent professionis, sexus, vel ætatis crudelitate nimia peremerunt: venientesq; Vngariam inopinatissimo euentu, factaque infinita strage hominum, Regem, occiso fratre eius in pugna, de suo regno in Graciam expulerunt.*

Magni ac repentini Tartarorũ progressus

b Stad. in chron. an. 1240.

Bela ad maritima Sclauoniæ fuga se recipit.

27 Tantarum cladiũ nuntius Pontificem acerbissimo dolore affecit: & ad mitigandum Regis Vngariæ ex amisso regno mœrorem, consolatorias literas dedit c, quibus iacentem ipsius animum erigere est conatus, promisitque si Fridericus redire ad Ecclesiam vellet, se ad pacem admittendam paratissimum, ac tum operam ad ipsum regno restituendum conuersurum.

Condolet illius cladi Gregor.

c Lib. 15. ep. 108.

Belæ illustri Regi Vngariæ.

Cum ad arcana pectoris faciem mentis conuertimus, inter alia, quæ de Christi fidelibus sub diuersitate temporum elegimus commendanda memoriæ, immaculata tuorum progenitorum fides, & sincera deuotio nobis occurrunt dignis laudibus specialiter recolendæ; præsertim cum progenitoribus ipsis non solum deriuatione sanguinis, sed illorum propagatione succedens, eo crebrius in nobis illorum memoriam refrices, quo eorundem imitatus vestigia ipsos frequentius repræsentas: tua quoque serenitas sic semper circa Ecclesiam affectione pura, & inconcussa constantia claruit, vt suis obsequijs opportunitatis tempore se offerens reuerenter, honorem eius inter cæteros orbis principes fer-

uen-

ueutrob optarit, cumque studuerit, exposito ad hoc suæ potentiæ brachio, indefessa solicitudine procurare. Digne itaque, tuis dictorumque progenitorum exigentibus meritis, Rom. Ecclesia te tantæ deuotionis titulo insignitum intra claustra cordis affectione præcipua baiulans, & infra mentis vbera brachijs sinceritatis astringens, illo tuam priuilegiat amore personam, vt eam inter reges alios fauoris & gratiæ prærogatiua efferat specialis: maxime cum in te deriuata tuorum probitate parentum fœcundiores virtutum fructus ex ea colligat in propagine filij, quam de radice paterna prouenirent. Et quidem sic honoris regij zelatores existimus, sic regni tui commodum plenis desiderijs affectamus, quod ad ea vigili studio assidue intendentes, quasi successuum tuorum participes lætamur plurimum de tuæ prosperitatis augumento, & grauiter de aduersitatis detrimento tristamur.

28 Nuper autem audito, quod gens Tartarorum ad regnum Vngariæ manus depopulatrices extendens adeo in ipsum desolatrix insæuit, vt gladio eius habitatorum illius sanguine continuata cæde madente, diro illud exterminio deuastarit, grauis doloris extitimus sagitta perculsi, tantæque amaritudinis potati absynthio, vt oculi protinus copiosis exprimerent lacrymis cordis tristitiam vehementem. Et eo maioris turbationis nube respergimur, quo te nobili Ecclesiæ membro tanta tuorum strage fidelium tam crudeliter vulnerato Ecclesiam ipsam sauciatam grauius deploramus. Verum quantumcumque sit casus iste damnosus, & gemendum Christianorum excidium illius gentis feritate patratum, ad eum tamen oculos mentis eleuans, & in ipso totius spei ordiens fundamentum, qui etsi quandoque in populum eius flagellum iaculet vltionis immanitate scelerum intolerabili expetitum, misericordiæ tamen memor post disciplinæ rigorem lenitatem adhibet pietatis, & post correptionis virgam manum consolationis extendit; illo ardore fidei contra eiusdem gentis perfidiam accendaris, eaque constantia cordis aduersus conatus muniatis, illius inuocato vndecumque potes auxilio, vt eius tyrannidi valeat tibi dextera potentiæ assistente resisti, suusque processus ab aliarum regionum exterminio prohiberi. Nos enim super iji diligenti solicitudine vigilantes excellentiæ tuæ in tantæ necessitatis articulo consilium & auxilium, prout potuerimus, efficax impendemus, te semper tanquam charissimum sedis Apostolicæ filium opportunis fauoribus prosequendo. Ad hoc si Fridericus dictus Imperator corde contrito, & humili assumpto pœnitudinis spiritu rediret ad mandatum matris Ecclesiæ reuerenter, parata esset pacem reformare cum ipso, quæ ad honorem Dei, augumentum catholicæ fidei, ac ecclesiasticæ libertatis & quietem Christiani populi redundaret, vt ex ea etiam tibi posset liberius & vtilius subueniri. *Datum Later. kal. iulij ann. xv.*]

Promittit admissurũ in gratiã Fridericũ si redire ad officiũ velit.

29 Redintegrandæ præterea cum Friderico concordiæ maximo teneri desiderio significauit a Gregorius Charinthiæ duci, quo ad restituendum Regem Vngariæ, ac propulsandos Tartaros omnium arma verterentur, modo Fridericus læsæ Ecclesiæ facere satis non detrectaret. At ille felicibus successibus elatus opprimendæ Ecclesiæ, ac ditionis pontificiæ in suam potestatem redigendæ occasionem sibi porrectam arbitratus, dum Tartari fines Christianorum populabantur, maiori furore Pontificem persecutus est, literisque Gregorium vt Tartaricæ irruptionis causam in inuidiam apud omnes vocabat: *Multi*, inquit b, *opinantur quod fama dissensionis huiusmodi non modicam Tartaris præstat audaciam, vt in semetipsum fidei nostræ regnum facilius desolentur*. Quam porro falsò discordiæ causam & crimen a se in Pontificem deriuaret, superius a nobis probatum est. Immo, vt refert Parisius a, communis fama increbuit Tartaros a Friderico in perniciem Christianorum efferatos, siue vt eorum ope Ecclesiam euerteret; vel vt immisso crudelissimo hoste Pontifex deturbandi ex Imperio ipsius consilia abijceret, cum non dissoluendæ sed potius ad repellendos barbaros fidelium omnium vires coniungendæ essent: vel ne Vngari, quos Pontifex datis 11. id. febr. literis b ad crucem aduersus Fridericum induendam excitari propositis indulgentiarum præmijs iusserat, Tartarico bello impliciti arma in ipsum mouere possent.

a Ib. ep. 91

Detrectat pacẽ Fridericus.

Pontificẽ vt causã discordiæ in inuidiã vocat.

b Ext. eius epist. in M. S. Vall.

a Par. hist. Angl.

Excisisse Tartaros ad Christianorum excidium creditus.

b Lib. 14. ep. 217.

30 Dabat sinistræ de Friderico suspicioni locum nota ipsius impietas, tum quod imminente Germaniæ extremo exitio signa in barbaros attollere detrectaret. Quamuis enim literis suis Christianos principes ad corripienda in Tartaros arma hortaretur, seque ijs in tam præclaro bello ducem futurum polliceretur, verbis aduersus infideles pugnare contentus, ipse ad clientes Rom. Ecclesiæ obterendos Tartaricum furorem exercebat. Extant huiusmodi literæ, quibus omnium expectationem solitis eloquentiæ fucis deludebat, in quibus hæc inter cætera ad pompam iactat: c

Spem falsam injicit in eos ducturum.

c Ext. apud Paris. hist. Angl.

31 *Speramus in Domino Iesu Christo, quo duce, quo præuio hactenus ab inimicis nostris liberati triumphauimus; vt & ij, qui de Tartareis sedibus proruperunt, fastu deposito expertis occidentis viribus, quas sibi sentient aduersantes, ad sua tartara Tartari detrudentur; nec gloriabuntur impune tot peragrasse prouincias, tot populos deuicisse, tot facinora perpetrasse, cum ad victrices aquilas præpotentis imperialis Europa fors incauta, immo Sathan ipsos traxerit morituros. Vbi vltro furens ac feruens ad arma Germania, strenua militia genitrix, & alumna Francia, bellicosa & audax Hispania, virtuosa viris & classe munita fertilis Anglia, impetuosis bellatoribus referta Alemannia, naualis Dacia, indomita Italia, pacis ignara Burgundia, inquieta Apulia, cum maris Græci, Adriatici, & Tyrrheni insulis piraticis & inuictis Creta, Cypro, Sicilia cum oceano conterminis insulis & regionibus, cruenta Hybernia cum agili Vvallia, palustris Scotia, glacialis Norvvegia, & quæcumque iacet nobilis & famosa sub occiduo cardine regio suam electam militiam, præuio viuifica crucis vexillo, quod non tantum homines rebelles, immo dæmones aduersantes reformidant alacriter destinabunt. Dat. in recessu post deditionem & depopulationem Fauentiæ tertio die iulij*. Hæc Fridericus, qui iactatis inanibus verborum lenocinijs oratorem, quam rapto contra Tartaros exercitu Christianum Imperatorem agere malebat. Quæ enim post tot ampullata verba facinora versis non in barbaros, sed in Christi vicarium armis ediderit, describit Richardus d: *Imperator discedens a Fauentia venit Fanum, quam circumposita obsidione cum flectere ad sua vota non posset, in exterioribus vastat, & discedens inuadit Spoletum, quod recipit ad mandatum suum. Assisij ciuitatem sibi renitentem similiter vastat exterius.*

d Rich. de S. Ger. in chron. hoc ann.

32 Subijcit nonnullis interiectis auctor: *Ipse Rex Vngariæ significauit eidem Imperatori per Vaciensem episcopum legatum suum, & per literas suas, per quas se ipsum & regnum suum Vngariæ suæ promittit subijcere ditioni, dummodo per ipsum Imperatorem ab ipsis Tartaris protectionis suæ munimine defendatur.* Insignem tum præ se tulit vecordiam Fridericus, qui cũ arrepta Regis Belæ contra Tartaros clientela amplissimi regni supremũ dominium sibi cõparare posset, dum in persequendo Gregorio & occupandis aliquot illius vrbibus ac locis tẽpus male collocat spoliandæque sua ditione Ecclesiæ spe insolescit, idoneam propagandi iuste Imperij occasionem elabi passus est.

Bela summum Vngariæ dominium pollicetur Friderico si ab eo regno restitutus sit.

Insignis Friderici vecordia bellum iustissimum non suscipientis.

a Ext. in M.S. Vallic. bibl.

Emētitur se pacem ambire, dū atrocius Pontificem infectatur.

33 Meminit ille oblati sibi a Bela retento iure fiduciario Vngarici regni in literis a ad principes datis, quibus significat se audito Vatiensi episcopo Regis Vngariæ contra Tartaros Imperij auxilia implorantis oratore, Romam ad conciliandam cum Gregorio pacem, quo tantum opus facilius susciperet, accedere; *Versus Romam dirigimus gressus nostros in deuotione, nec minus potentia nostra de vicino conspectu. Si apud summum Pontificem quæ sunt pacis inuenerit filius, ac apud sedem Apostolicam pro tanta fidei necessitate consilium nullatenus dubitabit, nec retardabit Romanus Augustus catholicus Imperator, ac rebellium inclytus dominator pro tanta fidei necessitate communi exponere & totius potentiæ suæ vires conferre.*

34 At ipse reuera Romam non pacis studio, sed Vrbis inuadendæ cupiditate contendit, vt indicat Richardus, qui vbi mense iulio plura ab eo ditionis pontificiæ loca capta aut vastatos illorum agros descripsit, addit ab Ioanne Columna Card. occupandæ Vrbis spe excitum eo infesta signa vertisse: ille enim fœderis modus erat, quem cum Rom. Pontifice inire iactabat, si omnibus eum bonis exuisset. subdit in suis literis Fridericus: *Vos denique patres conscripti quibus est potius ipsius fama clarior, quam causa victor nobis persequentibus Imperij nostri causam; quia dum patria & auita regna repetimus, non aliena per iniuriam vsurpamus, vias omnes inuematis & modos, qualiter vnà nobiscum & cum alijs terræ principibus, quos ad hoc per literas nostras & nuncios excitamus pro tantæ necessitatis articulo ad destructionem communium hostium occurrere valeatis; præsertim cum diuina potentia non tam tueri velit Romanum Imperium, quam augere. Ecce enim Rex Vngariæ regnum nostræ ditioni subiecit, dummodo defensionis nostræ clypeo protegatur.*

Solicitatus a principibus Imperij, vt in Germaniam contra Tartaros procurrat procrastinat. Quas motarū causas obtenderit.

b Ex eadē bu literis.

35 Solicitarunt ardentissimis precibus Fridericum Germaniæ principes, vt ex Italia cum exercitu ad retundendos hostes Christiani nominis & Imperij procurreret. At princeps perfidus quasi eum extrema imminens Germaniæ pernicies non tangeret, varias causas subornabat, ne ex Italia se moueret, quas obtrudebat Germanis principibus; ac modo fingebat se redacta in suam potestatem Italia vniuersa fortiorem in Tartaros signa directurum: *Circa festiuis*, inquit b, *Italiæ partes direximus gressus nostros, vt res nostras adouimus & nostrorum, vt pacatis vndique dominij nostri partibus, & rebellibus omnibus ad mandata nostra subiectis, tanto velocius tantoque securius ad extremum tempestatis Tartareæ dextera imperialis consurgeret*; fingebat modo hærere adhuc in Italia, ne si re imperfecta abscederet, partas victorias effunderet.

Subacta Italia fortiorem cōtra Tartaros futurū.

Breui Italicum bellum confectum iri.

36 *Quia pridem auditis rumoribus nationis barbaræ Tartarorum, quod regnum Vngariæ subitis aggressibus inuasissent, cogitauimus proximo ardente pariete rebus nostris consultius succurrendum, ad hoc prompta expositi voluntate, velut qui tam proprio suadente negotiorum totius Christianitatis consilio, quam tuitione catholicæ fidei requirente; ad quam tuendam ex commissa nobis imperialis officij dispensatione tenemur, debemus inimicis fidei Christianæ totis viribus obuiare; sed summa necessitas necessaria causam dilationis induxit, vt rem tam arduam Imperij nos specialiter & principaliter principes contingentem, bellicis tot armorum laboribus in effusione Germanici sanguinis exhaustam, ad finem proximum Germanicis casibus iam deductam, non debemus amittere per breuissimam moram temporis imperfectam ne, quod esset deterius & facile contigisset, Italicis gentibus in absentia dominorum suorum viuentibus more suo tantus labor & effusiones diuitiarum in irritum recidissent, negotia grauiora nobis & Imperio iterata pericula remanerent.*

37 Adiecit aliam non susceptæ in Tartaros expeditionis causam, quæ Pontificem in odium adduxit, ne si in barbaros signa conuerteret, a Gregorio, dum eo bello implicitus esset, infestis armis peteretur. *Aliud etiam vrgens & instans impedimentum occurrit, quod intercedente inter nos & Rom. Pontificem ab olim aborto dissidio, experientia præteriti temporis suggerit venturo tremorem, cum instat timor, qui cadere valeat in constantem, certe moueat gentem nostram, ne nobis venientibus ad confusionem hostium barbarorum, familiaris & domesticus hostis, velut quondam nobis partes vltramarinas adeuntibus pro seruitio Iesu Christi, cum quibusdam rebellibus nostris in armis prædonibus, qui libenter occasione absentia nostræ captarant, inuaderent regnum nostrum, cum familiaris pestis sit sitior ad nocendum.*

In se absente versurum arma Pontificem si mouerit in Tartaros.

38 At quam temere hæc in Rom. Ecclesiam effutierit, quæ pluribus alijs literis sparsit, ex dictis cum de illius Asiatica profectione ageremus, constat: Pontifex enim ab ipsius ducibus vltro armis lacessitus, dum ignauum fœdus Fridericus cum Sarracenis pangebat, ad diuellendum e ditione pontificia hostem bellum in Siciliam transferre coactus fuerat, metusque huiusmodi causa omnis aberat, si in Tartaros signa conuersurus cum Pontifice ad pacem, si prætérita scelera expiaret, paratissimo, vt crebræ eius literæ ad Belam Regem, ad ducem Charinthiæ, ad captos præsules demonstrant, concordiam iniisset. Cum vero Christifideles omnes iure de Friderici fama detraherent, quod in extremo rei Christianæ discrimine ad poscendam præteritorum veniam pertinaciam non frangeret, vt a bello Italico expeditus in Tartaros duceret, hæc in sui apologiam scripsit.

Refellitur eius calumnia.

39 *Propter quod de nobis, ac cæteris principibus non absque admiratione publica totius loquitur mundi lingua, quod audito & cognito infausto aduentu infidelium Tartarorum, qui ad exterminium publicum Ecclesiæ & Imperij & totius Christianitatis aspirant, præuia deliberatione principum ad sedem Apostolicam nuncios non misimus speciales, supplicaturi summo Pontifici, vt tot impedimenta, quæ verbis & opere nobis opposuit, & opponere non desistit, inspecta necessitate occidentalis prouinciæ reuocaret, & nos ad publicæ fidei & Christianorum defensionem venire permittat etiam inoffensos, vt moram nostram quam iuste causaris, tu vel alij principes arguere non possitis, si pro diuturnis guerris, ac humiliatione rebellium exhaustis thesauris nostris & viribus, tot armatorum laboribus fatigatis, tam per eos tuemur, quam ab inimici hominis insidijs præcauemus.* Hæc Fridericus, qui nullis rationibus non famæ suæ & existimationis periculo, non imminentis Germaniæ discriminis terrore, non principum precibus, non supremi Vngariæ regni adipiscendi iuris certissima spe adduci potuit, vt in Tartaros bellum traduceret. Cæterum quæ & quanta mala Ecclesiæ intulerit, ob quorum magnitudinem oppressus mœrore Christi vicarius obierit, dicetur inferius, vbi primum ab eo gesta delibauerimus.

Texit apologiam si grassantibus Tartaris bellū gerere cū Pontifice pergat.

40 Permisit Gregorius Gaufrido Constantinopolitani Imperij magistro equitum, quem Vatacius omnibus terris, excepta arce, cui Asquili nomen inditum, magnique erat momenti ad seruandam Constantinopolim exuerat, vt cum opibus ad sustinendos præsidij sumptus non valeret, ipsique ad ineundam bonorum sibi a fratre relictorum possessionem iter in Gallias suscipiendum esset, vectigalium ecclesiasticorum pars, quæ tuendo Imperio addicta fuerant, ad illius arcis defensionem deriuaretur: qua de re ad Bernardum subdiaconum pontificium extant literæ a. Incubuit etiam liberando Amalrico comiti e Monteforti, qui re male gesta in Terra sancta abductus in seruitutem fuerat, atq; Vvillelmo pœnitentiario suo partes iniunxit b, vt ad redimendum ipsum ex hostium manibus e bonis pro terræ subsidio

Nonnulla Gregorij gesta. Consulit Constantinopolitano Imperio.

Pro liberando e Sarr. Amalrico Monsf. redemptionem cuidā iubet.

a Lib. 15. ep. 103. b Lib. 14. ep. 207.

cito relictis ad quinque millia marcharum argenti converteret.

Regis Norvveg. votum permutat.

41 Cum vero Norvvegiæ Rex, qui profectionis Asiaticæ voti reus teneretur, ob longa locorum intervalla, populi egestatem, interiacentium nationum linguæ inscitiam, non sine maximo incommodo votum perficere posset, Gregorius illius votum in sacram septentrionalium ethnicorum expeditionem convertit, atque etiam clientela apostolica est prosecutus a. Capessiverat, vt videtur, recenter regni Norvvegiæ habenas, cum Nidrosiēsis archiepiscopus atque alij antistites tum temporis flagitarint a Gregorio, vt Norvvegiæ Rex, quamuis illegitimis natalibus procreatus, regijs insignibus patrio more ornari posset: at in re grauissima Pontifex nonnullos religiosos viros de patriæ consuetudine inquirere, seque certiorem facere iussit b. Aquinus enim Rex, quem ex coniugio iusto susceperat, siue correptus mania, siue adolescentis crimine aliquo lacessitus, vt refert Crantzius, e medio sustulerat, regnumque naturali filio reliquerat.

a Ibid. ep. Rogatur vt Regem licet ex impuris natalibus ortum regijs insignibus redimiri iubeat. Inquiri de patriæ cōsuetudine præcipit. b Lib. 15. ep. 112.

Florebat tum in Norvvegia Augustini olim Nidrosiensis archiepiscopi sanctitatis fama, maximisque miraculis illustrata Regem ac præsules Norvvegos excitarat, vt a Gregorio sanctorum catalogo apponi expeterent, qui vt in re tanti ponderis mature deliberaret, abbatibus Tauriensi, Cisterciensi & Holmensi S. Benedicti & fratrum Prædicatorum Nidrosiensium priori prouinciam demandauit, sancti miracula ad ecclesiasticum examen reuocarent, seque de re tota facerent c certiorem.

Flagitant a Gregorio Norvvegiæ præsules vt August. Nidr. arch. SS. numero ascribatur. c Ib. ep. 32

42 *Dignas Domino referimus gratias quod, sicut venerabilis frater Nidrosiensis archiepiscopus & eius suffraganei, ac charissimus in Christo filius noster Norvvegiæ Rex illustris suis nobis literis intimarunt, recolenda memoriæ Augustinum Nidrosiensē archiepiscopum, cum pie vixisset in hoc seculo, viam salutis docendo verbis pariter & exemplis, tandem præsentis vitæ cursu feliciter cōsummato, multis miraculis Omnipotens decorauit: vnde cum non deceat eum apud homines sine veneratione relinqui, quem merita & miracula sanctum ostendunt, nobis humiliter supplicarunt, vt ipsum ascribere sanctorum catalogo curaremus. Quia vero nobis non constat de præmissis, discretioni vestræ, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, per apostolica scripta mandamus, quatenus de vita & miraculis ipsis diligenter, ac sollicite inquirentes, quæ inueneritis nobis per vestras literas fideliter intimetis. Dat. Later. XII. kal. maij ann. XV.* Quod ad archiepiscopum Nidrosiensem attinet; Apostolicam sedem literis suis consuluerat, num ceruisia ob aquæ penuriam in baptismo conferendo adhiberi posset, cui Gregorius eos qui ceruisia abluti fuerant, baptismum rite non suscepisse respondit d: *Cum, sicut ex tua relatione didicimus, nonnunquam propter aquæ penuriam infantes terræ tuæ contingat in ceruisia baptizari, tibi tenore præsentium respondemus, quod cum secundum doctrinam euangelicam oporteat ex aqua & Spiritu sancto renasci, non debent reputari rite baptizati, qui in ceruisia baptizantur. Dat. Later. VIII. id. iul. ann. XV.*

Inquiri de illius miraculis iubet.

Consulenti Nidros. arch. respōdet ceruisia baptismum cōferri nō posse. d Ep. 111.

43 In Hispania cum Lusitaniæ Rex, conflata ingenti classe ac pedestri comparato exercitu, armorum terrorem ad Christiani nominis aduersarios lacessendos converteret, egregio illius studio collaudato Gregorius Lusitanos apostolicis literis sollicitauit e, vt spe æternæ adipiscendæ gloriæ, operam suam in instruenda illa expeditione conferrent, in qua amplissimas indulgentias certissime erant consecuturi: *Cum charissimus in Christo filius noster Portugalliæ Rex illustris, sicut sua nobis insinuauit monitione, cum nobilibus terræ suæ contra inimicos crucis Christi tam per mare, quam per terram procedere in manu potenti proponat, & dignum sit, vt viri catholici, qui sunt sanguine Iesu Christi redempti, ad ipsius seruitium, & dilatationem fidei catholicæ viriliter se accingant, vniuersitatem vestram monemus, rogamus & hortamur in domino Iesu Christo, quatenus consultius attendentes, quod omne opus hominis in fine destruitur, eo dumtaxat excepto, quod in Dei seruitio operamur, cum dicto Rege vel eo, quem ad id deputauerit, ad expugnationem hostium fidei fortis & prompto animo procedatis, in modico & temporali labore immarcessibilem æternæ quietis gloriam lucraturi. Nos enim omnibus, qui laborem istum saltem per annum in proprijs personis assumpserint, aut ad hoc de bonis suis iuxta facultates proprias erogarint, illam concedimus indulgentiam peccatorum, quæ talibus pro Terra sancta subsidio in generali concilio est concessa. Datum Laterani XII. kalendas mart. ann. XIV.* Nauabat etiam egregie operam Cauriensis episcopus in retundendis Sarracenis, ac nomine Christiano defendendo; cuius episcopatus cum perfidorum limiti coniunctus esset, facta sæpius ab hostibus excursione vastabatur, sæpius vicissim in eorum terras ipse irrumpere cogebatur; atque adeo vt plurium operam in gerendo eo sacro bello sibi conciliaret, Pontifex concessit a solemnes indulgentias ijs, qui in pijssimo certamine mortem oppeterent, tribueret; alios vero meritis etiam sacris præmijs afficeret.

Rex Lusitaniæ bellum in Sarracenos parat. e Lib. 14. ep. 222. Indulgentiæ sacræ illius signa sequentibus p op. stat.

a Lib. 15. ep. 15.

44 Excitarat tum acerbiorem Sarracenica in Dei Ecclesiam persecutionem Fridericus: ad cuius frangendum furorem adductus est Pontifex b, eorum vota, qui sacræ in Sarracenos expeditioni addixerant, cum gerendo in Fridericum bello commutare: *Tanto enim*, loquit., *salubrius est Apostolicæ sedi in hoc necessitatis articulo subuenire, quanto ipsa mater & caput fidei in grauius Christiani nominis periculum impugnatur.* Damnarunt porro nonnulli impias Friderici partes, quos ab Aretino episcopo Piceni præfecto Pontifex absolui iussit c ac pariter Gregorio e Montelongo subdiacono & notario suo Apostolicæ sedis legato restituendi Ecclesiæ patriarchæ Aquileiensis eadem de causa cœtu fidelium depulsi potestatem fecit d: *Cum patriarcha Aquileiensis pro eo quod Friderico dicto Imperatore Dei, & Ecclesiæ inimico, iuste a nobis multis ex causis culpis suis exigentibus vinculo excommunicationis astricto communicare præsumpsit tam in diuinis officijs, quam in osculo & in mensa; & quia eundem excommunicare publice prætermisit, prout a nobis receperat in mandatis, quanquam hoc coram pluribus duxerit exequendum; ad nostram etiam præsentiam, sicut sibi ex parte nostra mandatum fuerat, protinus non accedens, auctoritate nostra fuerit excommunicationis sententia innodatus; quia personas charissimorum filiorum nostrorum Belæ Vngariæ, ac Colomani Rutheuorum Regum illustrium nepotum ipsius patriarchæ supplicantium pro eodem speciali quadam prærogatiua dilectionis & gratiæ amplexamur, eorum supplicationibus annuentes, mandamus quatenus postpositis omnibus personaliter accedens Venetias, vel Torcellas eidem patriarchæ postquam ad præsentiam nostram iter arripuerit veniendi auctoritate nostra iuxta formam Ecclesiæ munus absolutionis impendas humiliter postulanti. Dat. Later. V. kal. febr. ann. XIV.* Alijsque literis præcepit e, si Lombardica res pareretur, ad se accederet, vt de rerum statu faceret certiorem.

b Lib. 14. ep. 217.

c Ibid. ep. 198.

d Ep. 212. Patriarchā Aquileia Greg. e Montelongo reconciliari præcipit Pontif.

e Ep. 252.

45 Traduxerat superiori anno Recanatum episcopalem sedem f ad percellendos Auximates, qui Friderici partibus irretiti, indignam sede episcopali vrbem suam reddiderant; ornandosque Recanatenses, qui in fide Romanæ Ecclesiæ constantiæ exemplum insigne præbuerant: quare ad cœpta stabilienda Auximano episc. imperauit, vt quam primum ad suscipienda illius ecclesiæ gubernacula Recanatum se conferret: *Cum, attenuantes fidelitatem & deuotio-*

Episcopalis sedes Auximo Recanatū traducta. f Ep. 203.

uotionem dilecti filij cleri, & populi Recanatensis ad sedem Apostolicam habitam inconcussé, ac attimantes dignum, vt benemeritis retributio grata succedat, terram ipsorum quondam castrum statuerimus esse de cætero ciuitatem, episcopalem dignitatem concedentes eidem, a maledictionis filijs populo Auximano exigente infidelitate ipsorum ad ecclesiam sancti Flauiani Recanatensis, quam deinceps esse decreuimus cathedralem Auximan. sedem cum omnibus iuribus suis, dignitatibus & honoribus transferendo, cleri & populi terræ ipsius, eiusque diœcesis alim Auximana cura tibi commissa; mandamus quatenus ad prædictam ciuitatem Recanatensem accedens, de clero & populo eius & dicta diœcesi geras tanquam ipsorum episcopus sollicitudinem diligentem. Dat. Later. xvi. kal. febr. ann. xiv. Quod placitum apostolicum postea Alexander iv. dato ad clerum populumque diplomate, suum robur obtinere iussit a. Asculanum etiam populum hac prærogatiua affecit, quam sequentes literæ illustrant b: *Præsentium vobis auctoritate concedimus, vt contra malefactores, qui in ciuitate ac districtu vestro consistunt, possitis secundum iuris ordinem & aliarum ciuitatum Marchiæ antiquam & approbatam consuetudinem iustitiæ debitum exercere. Dat. Later. iv. id. maij ann. xv.*

a Alex. IV l. 1. ep. 301 b Greg. l. 15. ep. 46.

Beneuentū a Frid. ducibus expugnatum.

46 Percurrendæ iam nobis supersunt clades, quas hoc anno intulit Fridericus. subegit mense aprili ducum opera Beneuentum: eodemque fere tempore ipse Fauentiam longa obsidione maceratam, commeatuū inopia ad deditionem compulit, de quibus hæc Richardus c: *Mense aprilis ciuitas Beneuentana, quæ Rom. Ecclesiæ suberat, arctata, & necessitate compulsa, Imperatori se reddit; cuius mœnia Imperatoris iussu funditus euertuntur, & turres ciuitatis eiusdem vsque ad solum, arma hominum ciuitatis ipsius ad opus recipiuntur Imperatoris. Eodem mense Fauentia per annum obsessa & arctata ab Imp. venit ad mandatum ipsius, saluis personis & rebus hominum ciuitatis eiusdem: in qua postea Imperator ipse fieri munitionem mandat.* Eadem pluribus prosequitur Matthæus Parisius d, qui Friderici eade re ad Henricum Angliæ Regem triumphales literas affert, illius vrbis obsidione annum tenuisse scribit Ricordanus e, atq; adeo victorem sumptibus exhausisse, vt in extremas angustias iam ærario exinanito coniectus, e corio monetam conflari, signarique iusserit, quam se postea redempturum refusa alia legitima pollicitus est, cum præfecto ærarij repræsentata esset: quamquam non desunt, qui rem in Parmensi obsidione gestam asserant.

c Rich. a S. Germ. in chron. Fauentia post longam obsidionem capta.

d Par. hist. Angl. e Ricord. Malaspin. c. 130. Exhaustus opibus augustales e corio conficit.

Aerarium rapinis & sacrilegijs reficit.

47 Vt vero grauem inopiam raptis ecclesiarum thesauris sacrilegus princeps depulerit, significat Richardus: *Mense iunio prælati de regno vocati ab Andrea de Cicala capitaneo & magistro iustitiario apud Melphiam apud eum vadunt, a quibus thesauri ecclesiarum suarum tam in auro & argento, quam vestibus sericis & lapidibus pretiosis in commodato pro principe exiguntur.* Ea nimirum commodati ratio latrocinandi prætextus fuit; & infra mense iulio consignata hæc addit de eodem præfecto iustitiæ vel potius iniustitiæ & rapinarum administro: *Vocatus ad Imper. vadit, a quo rediens per totum regnum certum exigit numerum militum seruientium, & omnes thesauros ecclesiarum suæ iurisdictionis apud S. Germanum congregari iubet.* Ex quo sacras opes a cæteris prouinciarum præsidibus pariter expilatas coniectura elicitur, quod paulo inferius mense augusto gestum explicatius refert his verbis.

48 *Thesauri omnes ecclesiarum regni iussu Andreæ de Cicala a portu Roseti vsque ad fines regni capiuntur; & apud S. Germanum in ecclesia S. Mariæ terræ eiusdem congregantur & reponuntur, quorum custodiæ deputati sunt duodecim de ditioribus & melioribus hominibus ipsius terræ, quando altare B. Benedicti ad ornatum & altera tabula argentea altaris B. Mariæ, & icona cum smaltis, quæ super altare fuerat B. Benedicti, & omnis alius thesaurus ipsius monasterij in auro, argento, pannis sericis, & lapidibus pretiosis, nec non & aliarum ecclesiarum terræ ipsius monasterij ad S. Germanum in prædicta ecclesia S. Mariæ portatur & deponitur. cuius thesauri capti ab ecclesijs regni pars pretio redimitur, & pars reliqua apud S. Mariam de Crypta ferrata ad principem deportatur.* Nonnullisq; interiectis prosequitur auctor, vt Fridericus e prædone in mercatorem mutatus mense octobri omnes præsules ad redimenda pecunijs sacra ornamenta ab ecclesijs direpta adegerit: *Eodem mense, scilicet octobri, thesauri ecclesiarum apud Fogiam per coram S. Germano, qui eorum fuerant custodiæ deputati, mandante Cæsar deferuntur, excepta tabula altaris S. Benedicti; & vt redimi debeant a prælatis singulis & ecclesijs, quarum erant, pro certa pecuniæ quantitate ab Imperatore mandatur.*

Hæc Richardus horum omnium spectator, e quibus Friderici impietas illustratur, qui ob Siculam ecclesiam iniuste oppressam consortio fidelium depulsus non modo non emendarit præterita, sed tot rapinas ac sacrilegia exercuerit. Non cessit illius auaritiæ crudelitas, maiore enim scelere aliorum præsulum, quos e pluribus regnis Christi vicarius ad synodum euocabat, sanguinem effudit, quam Siculorum præsulum opes exhauserat. De qua illata clade antequam agamus, nonnulla nobis ad rei historiam illustrandam præmittenda sunt.

De vocatis a Gregorio synodo.

Defixus a Gregorio anathemate Fridericus, ad illius seueritatem eludendam, vt antea insinuatum est, magno Pontificis contemptu ad futuram synodum prouocarat, de quo hæc ad plures principes scripsit, ne omnino ab Ecclesiæ obsequio discessisse videretur a: *Nos, qui processum huiusmodi temeritate plenum & iustitia vacuum habebamus, ad fratres suos literas & legatos transmisimus, generale petentes concilium conuocari, in quo iudicis corrupti nequitiam, ac Imperij nostri iustitiam, & innocentiam nostram argumentis arguere luce clarioribus spondebamus. Super quo nedum iustitiæ nostræ delata ratio fuit.* Hæc Fridericus cui vt inanem pertinaciæ prætextum eriperet, tum & plura ad diuinam gloriam spectantia in generali patrum conuentu agitaret, concilium indixit b. At mox tyrannus Ecclesiæ patribus se submittere dedignatus, mutato oppugnandi Pontificis modo, ad disturbandum concilium conatus omnes adduxit, causatus alienum aduocandæ synodi tempus sibi videri.

a Ext. apud Par. an. 1239. Vt Fridericus ad eam prouocarit tutiro. Recusarit postea cōgregari. b Ext. apud Par. hist. Angl. an. 1240.

49 Censuerat pontificia constantia indignum Gregorius tyranni minis cedere: sed ad vim vi repellendam se comparat. ac primum vt Vngariæ aliarumque finitimarum prouinciarum præsules Fridericianorum insidijs irretiri non possent, ita rem composuit, vt Friderici terræ sedem Apostolicam adituris peragrandæ non essent; atque adeo cum Vngari antistites terroribus tyranni fracti a Rege Bela contendissent, vt excusatorijs literis ab Pontifice obtineret, ne ad eam synodum conferre se cogerentur, infestis enim itineribus atque ab Friderici satellitibus obsessis summa discrimina adituros, Pontifex rescripsit Belæ e non peragrandas Friderici terras hortatusque est, ne ab illo pristino erga Ecclesiam amore, cuius se filium amantissimum semper præbuisset, desisceret; ne laboranti deesset, manumque auxiliatricem subduceret, ac sui regni præsules ad iter nullis periculis infestum suscipiendum incitaret.

Iubet Pōt. Vngariæ præsules ad concilium accedere.

Bela pro ipsis ne veniant deprecator intercedit. e Greg. l. 14 pag 51.

Illustri Regi Vngariæ.

50 Si filius es Ecclesiæ, immo quia eius es filius specialis, sicut ineffabili argumento tenemus, non potest

test

test te non comedere zelus eius, nec opprobria vlla exprobrantium & vsurpantium iura eius æquanimiter sustinere; vsque adeo enim in timore diuini nominis & ecclesiasticæ dignitatis reuerentia te credimus radicatum, vt nihil a charitate, ac deuotione ipsius te valeat separare. Cum igitur cuius sit causa, quæ ad præsens matri tuæ Rom. Ecclesiæ imminere dignoscitur, celsitudo regia non ignoret, cum sit propter propria non tam sponsæ Ecclesiæ quam sponsi eius, videlicet Iesu Christi, cuius nomen, sine quo nullum nomen aliud est sub cælo, in quo saluari oporteat, hostes eius extinguere moliuntur; propter quod tanto fortius quilibet princeps catholicus in adiutorium eius deberet assurgere, quanto fidei suæ munimina in fundamento, & fundatore Ecclesiæ stabilita cernit apertius vitiari, & nos non tam pro quiete Romanæ Ecclesiæ, quam pro tranquillo statu cunctorum fidelium Iesu Christi concilium prouidentimus euocandum; non credebamus, nec adhuc credere volumus, ab aliquo filiorum Ecclesiæ & præsertim a te, quem inter cæteros Reges catholicos sinceritatis brachijs amplexamur, difficultatem aliquam ingerendam; sed per te tepidos, si qui essent, fortius ad hoc potius accendendos.

Vrget Belam Greg. ipsos ad iter adigat.

51 Licet autem pro excusatione prælatorum regni Vngariæ preces & literas nobis duxeris destinandas; & nos, quia tibi & eis expedire non vidimus, magnificentiæ regiæ prout decuit duxerimus respondendum, si tamen ad te nostræ literæ peruenerunt: quia tamen eadem nuper per alias literas tuas, quas benigne recepimus, nostris auribus inculcasti, quasdam difficultates & viarum pericula in eisdem literis exprimendo, regalem excellentiam rogamus, monemus & hortamur attente, quatenus quid saluti, quid famæ, quid honori tuo expediat, prudenter attendens, ægre non feras, si contra honorem tam nostrum, quam tuum nequimus annuere postulatis, cum iam per Dei gratiam ita de via, qua tute ad sedem Apostolicam accedere valeant, congrue sit prouisum, quod per loca discriminis, seu terras inimicorum Ecclesiæ ipsos habere transitum nullatenus oportebit, super quo per nuntios nostros plene poterunt edoceri. *Dat. Later. IV. kal. mart. pontif. nostri ann. XIV.*]

Pollicetur itinerum securitati prouisum.

52 Hæc ad Belam Gregorius, qui Strigoniensem archiepiscopum diffidentem se mandatis pontificijs præbentem, viaticumque adducentem discrimina non leuiter perstrinxit, ipsum Rom. Ecclesiam adeo egregie de ipso meritam, a qua in illius dignitatis apicem euectus esset, deserere: generosos potius indueret animos: daret se itineri, cum illud liberum esset nullisque periculis implicitum, vt a legato suo facile discere posset a: *Virum secundum cor nostrum te inuenisse credentes, ac lætari posse in te tanquam in Rom. Ecclesiæ filio speciali, Strigoniensem ecclesiam, nobile quidem Ecclesiæ Dei membrum, tibi fiducialiter duximus committendam, sperantes quod in partem sollicitudinis euocatus, sic nobiscum ingruente necessitate onera partireris, quod gloriari possemus nos vineæ Domini sabaoth præfecisse cultorem vtilem & nobis adiutorem idoneum assumpsisse. Sed, quod non sine turbatione referimus, vultus ab hoste non expectato ferentes in instantis necessitatis articulo eidem Ecclesiæ matri tuæ obsequium tuæ deuotionis subducis; a cuius charitate persecutio nulla vel gladius, præsentia vel futura te deberent aliquatenus separare, &c.* Addit preces & imperia vt ad sedem Apost. vna cum cæteris se conferat, cum Apost. prouidentia itinera facilia & expedita forent. At non potuit apostolicis imperijs parere archiepiscopus ob repentinam Tartarorum in Vngariam irruptionem, in quos dum fortiter dimicaret, cæsum diximus superius, cæterique pariter illarum partium antistites ab itinere sunt reuocati, nec res cessit fe-

Imperat Strig. arch. vt veniat.

a ibid.

Vng. præsules ob Tartar. aduentū ad concilium non accedunt.

licius alijs præsulibus, qui ex occidentalibus regnis euocabantur.

53 Non latebant Pontificem nefarij Friderici consilia, illum omnes conatus ad intercipiendos præsules conuersurum. propterea ad eludendos frangendosque tyranni impetus Gregorio e Romania legato partes dederat, vt florentissimam classem Ianuæ ad præsules, qui ex Hispania, Anglia, Gallijs, alijsque partibus ad concilium conuenturi erant, euehendos conduceret, atque omnibus ad propulsandos hostes necessarijs adornandam curaret. Extant plures eo argumento in pontificio regesto literæ a tum ad legatum sedis Apostolicæ, tum ad Ianuensium magistratus, atque alios exaratæ vicissimque ad Pontificem datæ, inter quas hæ ad Gregorium e Romania scriptæ de maiori triremium & nauium numero instruendo: *Quia sexdecim galeas & totidem taridas ad deferendum prælatos, & eorum familias ac alios ad concilium accessuros cum rebus sibi necessarijs minus sufficere arbitramur, mandamus quatenus ne prædictorum aduentum propter defectum vasorum impediri contingat, cum sit melioris cautelæ in præsenti necessitatis articulo in nauigio abundare, adhuc cum consilio venerabilis fratris nostri patriarchæ Hierosolymitani, ac aliorum, qui sunt apud Ianuam, Ecclesiæ deuotorum de ea quantitate vasorum, quæ plene sufficiant pro prælatis omnibus alijs deferendis solicite studeas prouidere. Dat. Later. id. martij pontif. nostri ann. XIV.*

Ad deducendos occid. regnorum præsules classem Ianuę conduci iubet.

Gregorio e Romania legato ea prouincia imposita.

a Lib. 14. pag. 56. 57. 58. 59.

Cum vero Fridericus præualidam classem ex Siculis & Pisanis ad intercipiendos mari præsules conficeret, cui Entium dictum Sardiniæ Regem præfecerat, Pontifex legatum Ianuæ agentem constatarum a Friderico virium monuit b, vt præpotentem adeo classem, cui sustinendæ par non esset hostis, appararet: sed ille, vt questus postea est Gregorius, salubri consilio vsus non est.

Premonet ipsum pararit venientibus a Frid. insidias. Iubet classe augeri.

b Lib. 14. pag. 55.

54 Peruenerant Ianuam A.S. Legati, atque ingens prælatorum numerus confluxerat: quo audito Fridericus, vt erat artibus instructus, ipsos rogauit, vt per suas terras iter haberent: summa se cupiditate ipsos coram alloquendi teneri ad proponendam causæ suę æquitatem, omnibusque eos officijs prosecuturum. Sed quas fraudes pectore premeret, paulo post aperuit, cum omnes conatus ad eos intercipiendos defixit. Metuentes igitur præsules promissis Friderici, atque ad colligendos animos pōtificijs literis recreati, Ianuensium instructę classi, quam legatorum opera magnis sumptibus Papa conduxerat, sese imposuere. At Fridericus cum elusas artes, nec blandimenta videret profuisse, Entio filio notho rei maritimæ prefecto præceperat, vt comparata quamprimum validissima classe Siculorum & Pisanorum opera, legatos ac presules caperet, cęderet, fluctibus mergeret. De illius classis apparatu ait Richardus iussu Imperatoris tota Sicilię vtriusque ora maritima mense februario triremes adornatas, ac mense martio Pisas versus velis remisque contendisse. Venientes ergo Ianuensium classi Fridericiani occurrere, ac maximo in eam impetu prosilierunt. Consurgit initio prælium atrox: tres Pisanorum captæ triremes. dein ingrauescente pugna fusi Ianuenses, nonnulli præsules cæsi vndisque mersi. Cum enim imbellis antistitum imperita armorum turba naues Ianuensium premeret, contra aduersa audacissimis militibus instructa esset, tandem succubuere, ac plusquam viginti triremes amisere, quæ Richardus c hisce verbis historiæ suæ commendauit.

Præsules qui peruenerant Ianuam inuitantur a Frid ad ipsum accedant.

Promissis tyranni diffisi maritimo itinere tendunt.

Imp. Frid. Entio ipsos capiat perdatque.

Naualis pugna Ianuenses ab Entio vincuntur.

c Rich. e S. Germ. in chron.

55 *Mense maio in festo inuentionis S. Crucis, galeæ imperiales cum galeis Ianuensium conflictū habentes, nonnullos prælatos occidentales, qui erant in eis, habita victoria de Ianuensibus, ceperunt et duxerūt apud Pisas captiuos, cū duobus legatis, Prænestino scilicet episcopo, et Oddone S. Nicolai in carcere Tulliano diacono Cardinalibus;*

de

de quorum mandato veniebant ad Papam: inter quos fuerunt Cistercienſis & Claraualleſis abbates, nec non Rothomagenſis archiepiſcopus, & alij. De galeis quoque Ianuenſium captæ ſunt vltra viginti, & nonnulli Ianuenſium in eis, & quamplures ſunt ſponte ob metus cauſam in mari ſubmerſi, qui omnes poſtea Imperatore mandante, tam prælati, quam alij cum legatis ipſis in regnum apud Neapolim per mare in captionem ducti ſunt, & in cuſtodiam per regni caſtella tranſmiſſi.

Legati ap. & præſules partim capti partim mari merſi.

56 De captis legatis alij agunt etiam: ex antiquioribus Albertus Stadenſis a, monachus Patauinus b, ac recentiores innumeri. Dignum vero memoria eſt quod Ptolemæus Lucenſis c alijque aduertunt, Piſanos, qui Friderico ad præſules capiendos cædendoſue ſtrenuam operam nauarant, in eodem loco, ad Meloram ſcilicet, poſtea a Ianuenſibus ingenti clade ſuſos: demumque accidit concitatam in eorum caput diuina ira, vt florens ea reſpublica continuis malis & cladibus ex eo tempore attrita euerſa tandem conciderit: ſenſerit etiam diuinæ vltionis virgam in carceris ſitu Entius; nec pariter diuinam iuſtitiam Fridericus declinarit, qui eo ſucceſſu proſpero elatus, illi ſimillimus quem Propheta d arguit: *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* triumphales literas ad Anglorum Regem, aliosque principes miſit e, atque ex relata victoria cauſæ ſuæ æquitatem probare niſus eſt: quaſi in prælijs virtus furori, æquitas ſceleri ſæpe non ſuccumbat; euentuſque rerum felices ad maius improborum ſupplicium diuina prouidentia non permittat.

a Stad. in chron. b Monach. Pad. chron. lib. 2. c Ptol. Lucen in annal. ann. 1242. & alij. Diuina in Piſanos Entium & Frid. vltio. d Pſ. 51. e Extant in M S bibl. Vallic. & apud Pariſ. hiſt. Angl. hoc ann. Triūphat de tanto ſcelere Frideric. Eiuſdem de parta victoria lit.

57 *Præpotens Dominus, qui de alto videt & iudicat æquitatem, viam eorum & excogitatam malitiam meditatur in viribus, & potentia noſtra, quam effugere terra marique non poterant, Domino faciente, legatos ſimul tradidit & prælatos; & tribus eorum galeis immerſis in mari, ac omnibus, quæ vehebantur in eis ſine ſpe recuperationis amiſſis, viginti & duæ galeæ, non ſine magna cæde nauigantium, cum perſonis & rebus victæ ſunt a galeis noſtris & triumphaliter captiuatæ. In quibus prædicti tres legati cum archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, & multis alijs prælatis, nuncijs & prælatorum procuratoribus & vltra centum ambaſſiatores ciuitatum rebellium Lombardorum, qui ad præfixum venire concilium properabant, ac quatuor millia Ianuenſium exceptis ſpecialibus & electis perſonis de Ianua, qui galeis praerant & comitatui prælatorum pro ducendis eis Romam & Ianuam reducendis, ſicut infortunate inter eos conuentum extiterat, ad manus noſtras peruenere ligati.*

58 Effugere ex Fridericianorum crudeliſſimis manibus nonnulli præſules, qui funeſtæ cladis nuncium literis ſuis Pontifici tranſmiſere. f

Præſules qui e clade effugerant triſtē nuntium ſignificant Gregorio. f Extant apud Greg. l. 15. ep. 55.

Sanctiſſimo patri, & domino Gregorio Dei gratia ſacroſanctæ Rom. Eccleſiæ ſummo Pontifici I.. Arelatenſis & P.. Terraconenſis archiepiſcopi, N.. Aſtoricenſis, L.. Auritenſis, M.. Salamantinenſis, P.. Portugalenſis, & E.. Placentinus epiſcopi pedum oſcula beatorum.

Dolentes reſcribimos, & referendo nimium condolemus, quod cum nos & venerabiles in Chriſto patres Rothomagenſis, Burdegalenſis, Auxitanus, Biſuntinus archiepiſcopi, Carcaſſonenſis, Agathenſis, Neumaſenſis, Terdonenſis, Aſtenſis, & Papienſis epiſcopi, & nobilis Romæus procurator & nuntius illuſtris comitis Prouinciæ, ac quamplures alij prælati, & procuratores noſtrarū & aliarum diœceſum, ac prouinciarum, cum venerabilibus patribus atque domnis Iacobo epiſcopo Peneſtrino, Othone Cardinali & Gregorio de Romania Apoſtolicæ ſedis legatis ad veſtræ ſanctitatis præſentiam in obedientia & deuotione accedere iuxta veſtrarum continentiam literarum, ſpretis, ſiue poſtpoſitis quibuſlibet difficultatibus, terroribus, & periculis niteremur, die tertia menſis maij nauigium Piſanorum, & Siculorum, & quorundam aliorum de iuriſdictione Friderici dicti Imperatoris, & de mandato eiuſdem nobis ſe oppoſuit ex aduerſo, qui nos tam potenter, & viriliter culpis noſtris exigentibus expugnarunt, quod nobis exceptis, & Romæo præfato, & domino Compoſtellano, qui apud portum Veneris Ianuenſis diœceſis impeditus nondum venerat Ianuam, & quibuſdam alijs prælatis Bracharenſi archiepiſcopo videlicet, & Anicienſi epiſcopo, & paucis alijs de procuratoribus & familijs prelatorum, quos de iniquorum manibus Ieſu Chriſti miſericordia liberauit, quibuſdam etiam gladio & ſubmerſione peremptis, ſecum cæteros deduxerunt, ſicut fertur & credimus, vinculis mancipatos.

59 Cum igitur mundus ſit poſitus vltra quam excogitari valeat in maligno, & vniuerſalis Eccleſia in tribulatione maxima videatur, niſi Dominus noſtri debeat extento brachio miſereri, attendat veſtra ſanctitas & deliberet, qualiter ſit in tantæ neceſſitatis articulo procedendum, & nobis præcipiat quod ſibi placuerit; quia aduerſitate aliqua non obſtante, quæ cum bonis votis obijcitur dilectionis veræ probatio, non reprobationis indicium eſſe debet, in omni conſtantia, ac firmitate nos nouerit permanſuros. Et licet propter multa & grauia, quæ hactenus in Deum, & Eccleſiam ſanctam commiſerat, contra ipſum tyrannum eſſet aſperius procedendum, ex atrocitate tamen tanti facinoris audemus ſuggerere, quod contra eundem ratione præuia iuxta qualitatem criminis procedatur; ſub ipſius enim Imperio nunquam Eccleſia pace vel tranquillitate gauderet: præſertim cum principes vniuerſi exemplum & audaciam in hac parte reciperent ab eodem. De poteſtate autem & ciuibus Ianuenſibus veſtræ ſanctitati exponimus, quod quantum audiuimus & cognouimus, fideliores & feruentiores in facto Eccleſiæ ſe oſtendent, quam ſe oſtenderint vſque modo. *Dat. Ianuæ x. die maij.*]

Exquirūt in tam triſti caſu iuſſa Gregorij.

60 Cladis acceptæ ſeriem Ianuenſes etiam ſcripſere a Gregorio, eiuſque dolorem conati ſunt delinire: paratiſſimos ad ſuam Eccleſiæ deuouendam operam præ ſe tulere; animos etiam addidere ne ob aduerſos rei euentus a concilio conuocando deſiſteret, immo generoſius aduerſus tyrannum conſurgeret, in quo ob præclarum erga Eccleſiam ſtudium laude æterna digniſſimos ſeſe oſtenderunt.

a Extant inter lit. ib. ep. 56. Ianuenſes mittunt conſolatorias literas Pontifici.

Sanctiſſimo, &c. Guillelmus Surdus, poteſtas, concilium, & commune Ianuenſe ſanctorum pedum oſculum cum promptiſſimo famulatu.

Tactiſumus dolore cordis intrinſecus, & vſque ad animam ipſius doloris gladius pertranſiuit, quod dum venerabiles & ſancti patres epiſcopus Peneſtrinus, dominus Otho tituli S. Nicolai in carcere Tulliano diaconus Cardinalis, & dominus G.. de Romania capellanus veſter Apoſtolicæ ſedis legati, aliique prælati de partibus occidentis & etiam Lombardiæ, & nobiles viri ambaxatores Mediolanenſiū, Brixiæ, Placentiæ, Ianuæ ad veſtrum concilium euocati in galeis, taridis, & ſagiteis noſtris tam ſecuriter quam lætanter venirent; comitantibus eos viris nobilibus & honoratis Ianuenſibus ciuibus in honorabili quantitate; irruerunt in eos Dei & hominum inimici viri Piſani & Siculi de regno vndique congregati die veneris tertia menſis maij. Noſtri vero Ianuenſes Dei auxilio confidentes, ipſis piratis mirabiliter reſiſtentes, atque potenter tres galeas inimicorum, quæ in prælio anteceſſerunt, victorioſa manu ceperunt, & decapitatis bellatoribus ipſarum tam galeas quam homines ipſarum in maris demerſerunt profundum. Cumque inceptum prælium diu duraſſet, multis hinc inde mortuis & vulneratis, manus inimicorum Domino permittente præualuit: qui Dei timore & naturali lege, & honore Crucifixi, &

ſpon-

ſponſæ ſuæ piæ matris penitus vilipenſis, in contemptum & ignominiam Ieſu Chriſti, tanquam carnifices & tyranni ſanctorum patrum innocentem, & aliorum conducentium eos ſanguinem effuderunt, corpora ipſorum tam in mari, quam in lignis more tyrannico trucidantes, raptis ab eis theſauris, quos ferebant,

61 Licet autem perfidiam, & iniquitatem tantam perfecerint aduerſus inſontes, & innocentes Domino permittente, per gratiam tandem Domini Ieſu Chriſti barchæ & ligna minuta, quæ cum noſtris erant, & galeæ ſeptem cum magna quantitate noſtrorum hominum, & etiam pluribus prælatorum, qui ad concilium veniebant, videlicet archiepiſcopo S. Iacobi, archiep. Arelatenſi, archiepiſcopo Terraconenſi, archiep. Bracharenſi, epiſcopis Placentino Anicienſi, Aurienſi, Aſtoricenſi ad partes noſtras incolumes redierunt. Dominus autem Romedeus procurator & nuntius illuſtris & magnifici viri comitis Prouinciæ cum galea & hominibus ſuis ad propria ſine læſione rediuit, nauim inimicorum rebus pretioſis onuſtam quam in ipſo conflictu cepit, ſecum ducendo; cum quo R.. venerabilis & ſanctus pater epiſcopus Peneſtrinus, ſicut accepimus, incolumis rediuit. Aliæ quidem noſtræ galeæ in ipſo prælio expugnatæ plures, ſicut audiuimus, in pelagus nauigantes hoſtiles manus euaſerunt, quas quotidie reuerſuras expectamus: quatuor aut circa illam quantitatem exceptis, quas crucis & noſtri hoſtes Piſani detinent captas cum quibuſdam prælatorum & ambaxatorum, ac aliorum venientium ad concilium nominatum (verum e dictis ſuperius Ianuenſes falſa expectatione deluſos colligitur) In amiſſione quoque perſonarum & rerum Ianuenſium, licet non modica, non tantum dolemus atque triſtamur, quantum in ignominia nominis Ieſu Chriſti, ipſi & eius fidelibus a Friderico dicto Imperatore de ipſius fautoribus tam pertinaciter illata; & in detrimento prælatorum, ac ſuarum rerum, qui ad concilium in virtute obedientiæ lætantes veniebant, ſanctitati veſtræ ſalutare & iuſtum conſilium præſtituti,

Suam ad expetendá v[illegible]ionem operam [illegible] Pont[illegible] deferunt.

62 Ad vlciſcendum quidem tantum facinus & tam atrox, & defendendam fidem & Eccleſiam ſanctam Dei, & omnem populum ſibi adhærentem, zelo fidei & amoris ac deuotionis charitate accenſi, a majori vſque ad minorem immutabiliter propoſuimus perſonas & res noſtras vniuerſaliter operari, nullam requiem aſſumentes die ac nocte, donec rebellium conculcata nequitia innocentum vulnera, cædes & iniurias vlciſcamur ad honorem & gloriam nominis Ieſu Chriſti, & ſanctiſſimæ perſonæ veſtræ, ac fratrum veſtrorum, & Eccleſiæ vniuerſalis, atque totius fidelis populi Chriſtiani: pro quorum effectu nouerit indubitanter ſanctitas veſtra, quod ciues Ianuenſes maiores & minores damnum eis in prædicto conflictu illatum pro nullo ſiue modico reputantes, omiſſis cauſis, curis & negotijs vniuerſis, conſtructioni & munitioni nauium & galearum inceſſanter vigilant, efficaciter laborant, ita quod eis tanquam victoribus ſubijcientur more ſolito inimici, quod in breui futurum eſſe ſperamus Domino concedente; & quod Eccleſia Dei in perditionis filium, virum flagitioſum, apoſtatam Fridericum dictum Imperatorem, & ipſius complices virtutis ſuæ poterit magnificentiam operari, ſicut oportet. Ecce enim ſcelera & iniquitates, quas eo volente, mandante, & deliberato conſilio procurante, & ſequentes eius viri infideles Dei, & hominum perſecutores exercuerunt in pijſſimos patres ad veſtram curiam publico itinere per mare venientes, capiendo, ſpoliando, cædendo, vulnerando & occidendo eos, & alios qui comitabantur eoſdem nulla iuſta cauſa interueniente, patentes ſunt & publicæ, quarum horror in conſpectu Domini Dei ſabaoth cognoſcetur aſcendiſſe, clamans ad depoſitionem & æternam damnationem ipſius, vt ſub illius indigno Imperio Eccleſia Dei nullatenus conteratur, & fidelis populus Chriſtianus vlterius non crucietur per eum. Aſcendiſſe quippe in altum videtur, vt exaltatus altius mergatur, & præcipitetur in profundum abyſſi & puteum æterni pudoris.

Hortátur ne a cœptis abſiſtat.

63 Supplicamus igitur ſanctitati veſtræ flexis genibus per aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti, cuius vicem geritis in terris, humiliter exorando quatenus infortunium antedictum, vt non deceat non curantes ab incœpto propoſito tam felici deſiſtere non velitis; ſed fortius animati ad effectum eius potentiam veſtram magnam extendere non tardetis, vt Petri naucula, quam pijſſime gubernatis, fluctuum agitata procellis, & adhærentes eidem non in æquore propter tumultus & tempeſtates perire, ſed ad portum valeant peruenire gaudij & ſalutis, gubernante illam ſumma prudentia veſtra, cuius ſplendore illuminantur omnes catholici & fideles Chriſtiani. Venire autem perſonaliter ſi veſtræ placet clemētiæ, aut aliquem legatum veſtrum, virum vtique prouidum & diſcretum mittere dignemini ad ciuitatem & homines veſtros Ianuenſes, qui cum perſonis & rebus omnibus veſtræ paternitati ſubiecti ſunt, & eſſe in perpetuum volunt, veſtris omnibus beneplacitis & mandatis obedire fideliter, & deuote voluntatij & parati; procuraturum & facturum ibidem quæcunque Deo & Eccleſiæ, & omni populo Chriſtiano grata fuerint & accepta; ſcientes pro certo quod vniuerſitas Ianuēſis bene in fide & deuotione Eccleſiæ vnanimis eſt, & conſtans, magiſque feruentior, quam fuerit vnquam: quod verum eſſe præſentia opera teſtificantur, & clarius teſtificabuntur.]

64 Perlato ad ſedem Apoſtolicam triſti nuntio, Gregorius ſcriptis populorum catholicorum mœrorem permulcere literis ſtuduit; vtque in fide Rom. Eccleſiæ conſtantes perſtarent hortatus eſt, ne ob ferocientis tempeſtatis minas concuti ſe paterentur. Extant eius ad Venetos, Inſubres, Bononienſes, & alios literæ a in quibus inconſtantiam Friderici traducit, qui cum initio concilium cogi flagitaſſet, mutata mente primum literis, dein armis conſcientiæ improbæ terrore actus, diſturbare aggreſſus ſit, ac præſules in ſeruitutem abduxerit.

a Eod. l. 15 ep. 46.

Nobili viro duci & poteſtati Venetorum.

Ea de re ad Venetos literæ.

Exiſtens in mari huius mundi Petri naucula contrarijs interdum ventis impellitur, & nonnunquam ictibus collidiтur procellarum; ſed tandem, Domino flatibus imperante; quietem, & turbinum impetus prohibente, ſuccedit tempeſtati tranquillitas, & eidem nauiculæ placati æquoris ſulcanti planitiem vndæ cedunt: quia inopinatis aliquando impulſa fluctibus etſi iactetur, non mergitur; & vndis repercuſſa frementibus ſi quatitur, non quaſſatur. Eccleſia quidem ſupra fidei petram erecta, frequenter ab æmulis Chriſtianæ religionis impetitur, & impugnatur ſæpe ab eccleſiaſticæ perſecutoribus libertatis: ſed demum Altiſſimo ad eam clementiæ oculos inclinante, ſuæque potentiæ dexteram extendente tutricem, detractores fidei fræno arcentur ſilentij, & perſequentium manus in iura Eccleſiæ laxatæ regreſſis viribus contrahuntur; ſicque poſt turbationis nubilum ſerenum pacis ſubſequitur, & Eccleſiæ ipſi, gubernante Domino, præſentis ſeculi mare ſubſternitur colliſo impetu inſurgentium procellarum.

65 Si ergo fideles eiuſdem Eccleſię iuxta mutabilitatem temporis ſiniſtris aliquando exaſperentur euentibus, & mulceantur quandoque votiuis, non eos ſucceſſus aduerſitatis deprimat, nec tamen occurſus proſperitatis extollat; ſed in eo ſpes tota ponatur.

natur omnisque fiducia, qui sperantibus in se misericordiæ sinum aperit, & post tribulationis patientiam in aduersis, remedium in prosperis consolationis impendit. Fridericus namque dictus Imperator, Ecclesiæ persecutor, directis olim fratribus nostris & ecclesiarum prælatis, ac principibus orbis literis, petijt conuocari concilium, vt ibi de meritis cognosceretur ipsius; nosque tandem de fratrum eorundem consilio prælatos, & Regum ac principum nuntios ad sedem Apostolicam duximus conuocandos. Sed idem hoc intellecto, quia terroris sonitus impiorum auribus semper inest, eo quod læsa conscientia sæua præsumit, subsequenter alias literas contrarias destinauit, & nequiter se humilians examen concilij requirendo interiora sua plena dolo scripturæ varietate detexit.

66 Accedentibus itaque ad sedem eandem prælatis aliquibus, & pluribus eorum propter maris timorem ad propria redeuntibus, ipse audito vicino reliquorum aduentu eos, positis insidijs, fecit cum venerabili fratre episcopo Penestrino, ac dilecto filio nostro O.. sancti Nicolai in carcere Tulliano diacono Card. legatis sedis Apostolicæ detineri; quasi non sufficeret sibi, quod Ecclesiam multipliciter læserat, nisi & alias eidem inæstimabilem irrogaret offensam. Verum etsi hæc turbationem mentibus fidelium inferant, non tamen suorum cordium est immutanda constantia, nec eorum sunt animi sinceri flectendi: sed tanto debent ipsi Ecclesiæ contra persecutorem eundem fauorabiliores adesse, quanto enim ex ijs grauiorem ipsis iniuriam in illa sentiunt intulisse. Ideoque vniuersitatem vestram monemus, rogamus, & hortamur attentius, mandantes quatenus in Ecclesiæ deuotione constantissime persistentes, & confidentes in Domino, & in potentia virtutis ipsius inimicis eius tanquam Christi fortissimi bellatores potenter, & viriliter resistatis. Nec repentini casus inquietas corda vestra stupore consternat, sed ad defensionem ipsius Ecclesiæ accendat ea potius zelus Dei. Nos enim super ijs taliter prouidere, Deo actore, studebimus auxilij sui dexteram nobis adesse sperantes, quod impiorum depressis conatibus honor erit Altissimo, catholicæ fidei robur & ecclesiasticæ libertatis augumentum prouenient, ac vestra & aliorum fidelium vtilitas subsequetur. *Dat. Later. xv. kal. iunij pontif. nostri ann. xv.*]

67 Cæterum Cardinales legatos aliosque præsules captos Friderici Neapolim perductos; multis attritos incômodis in carcerem durissimum detrusos, nulloque tantorum patrum dignitatis habito discrimine, quasi vilissima capita constrictos vinculis inuicemque conglobatos fame, siti, squallore, æstu alijsque malis innumeris maxima ex parte emarcuisse tradit Parisius a, qui post intortam in Fridericum hanc poetæ sententiam:

Friderici crudelitas in præsules quos mari ceperat.

a Par. hist. Angl. hic pag.

Gloria peccati non repetenda sui est;

Subdit: *Iussu igitur imperiali ducti sunt per mare cursu diuturno per spatium circiter trium hebdomadarum, donec venirent Neapolim in Apulia, & in castro quod est vicinum ciuitati, & mari circundatum, futeiæ vilissimæ mancipantur. Sed non omnes æqua damnabat calamitas carceralis: Prænestini enim mitterrima erat conditio, & omnes iam vel morbus, vel lethalis sensus erat imbecillitas: cum enim diu nauigauerant sedentes glomeratim vincti & oppressi, exciderat que super eos æstus intolerabilis, muscis circumuolantibus & more scorpionum pungentibus, fame & siti cruciati, & ad arbitrium nequissimorum nautarum, immo bestiarum piratarum, lacessiti & obiurgati longum martyrium protraxerunt, quod pro obedientia subierunt. Videbatur istis carcer requies, licet requie caruisset. Tabuerunt ergo præcipue delicatiores, & varijs infirmitatibus languerunt, vnde quidam religiosi & multi alij animas afflictas exhalantes, ex miseris huius mundi ad Dominum, non sine palma martyrij, migrauerunt:* Addit Richardus Andream Cicalam bellicis rebus præfectum, imperante Friderico, dictos legatos ac præsules Neapoli tentos in vinculis Salernum Richardi e Monte Campaniæ Felicis præsidis opera traduxisse. Hic vero lectorem animaduertere cupio, Parisium licet pontificiarum partium infensissimum hostem, vi veritatis adactum fassum esse eos præsules martyrij corona redimitos, cum tyranni immanitas aduersus christos Domini adeo barbare & impie sæuijsset. Nec sane reuocari in dubium potest, eos martyribus annumerandos, quos ob Christi vicarij pro totius Ecclesiæ consulendis vtilitatibus captata imperia, tyrannus lento supplicij genere confecit.

68 Cæterum Pontifex vinctis Ecclesiæ causa præsulibus, quantum dolorem ex ipsorum seruitute hausisset, significauit literis suis, eorum mœrorem lenire hortarique ad constantiam studuit. Conijcit etiam eius calamitatis culpam in Gregorium e Romania, qui cum de hostis potentia literis suis esset admonitus, non tantam classem instrui iussisset, quæ elidendis hostium conatibus superior extitisset. Demiserando etiam ipsos Ecclesiæ statu certiores fecit, quæ immani cuiusdem feralis gentis irruptione grauissimis cladibus affecta in nonnullis partibus lugebat; quibus funestas Tartarorum excursiones indicauit a.

Vinctos præsules solatur Pontifex.

a Li. 15. ep. 85.

Gregorius, &c. episcopo Penestrino, Othoni S. Nicolai in carcere Tulliano diacono Card. Auxitano, Burdegalensi & Rothomagensi archiepiscopis; Neumasensi, Carcassonensi, Agathensi, Papiensi, Astensi, & Terdonensi episcopis; Cluniacensi, Cisterciensi, Clareuallensi, de pietate Dei, & Fiscanensi abbatibus, Gregorio de Romania subdiacono & capellano nostro, decanis, præpositis, cæterisque vinctis in Domino.

69 Vix diebus istis de vobis aliqua potuisset contigisse prosperitas, quæ si fuisset grata singulis vel acceptabilis vniuersis, quin plures varia de ipsa dicerent, & diuersa sentirent. Consequens est igitur, vt de aduersitate lugubri, quæ permissione diuina vobis nuper accidisse dignoscitur, multiformis opinionis & tractatus materia iuxta varietates affectuum apud aliquos habeatur, super quo nec admiratio vobis incumbere, nec vestra debet turbari sinceritas aut moueri constantia: cum licet, vt scitis, sic disposita sit humani natura generis, quod cunctis sermo tribuitur & paucis animi sapientia indulgetur, fit nobis & intelligentium menti perspicuum, quod vos Dei & Apostolicæ sedis honorem, ac salutem vniuersalis Ecclesiæ, nec non obedientiæ meritum, sub qua omnium consistit summa virtutum, habendo præ oculis de veniendo propere cum adiuncta vobis multitudine deuotorum ad sinum matris Ecclesiæ, omni diligentia desudastis. quanquam id fuisse postpositum digne possit, & debeat deplorari, quod G.. de Romania informatus per literas nostras de partis aduersæ potentia tot, cum potuerit, iuxta mandatum nostrum galeas non habuit, quod hostium eisdem insultibus transitus vester, Christo præuio, ab omni discrimine fieret expeditus.

Queritur de Greg. e Romania potentiore classem vt iussus erat nō confecisse.

70 Cum itaque fratres venerabiles vestrarum lucerna virtutum non sub modio lateat, sed super candelabrum coram omnibus relucescat, vos in contemptum, vanitatem & falsas insanias obloquentium deducentes, ac respirantes in illo, qui corde mitis & humilis circa suos afflictioni deditos affectum gerit continuæ pietatis, de nobis & fratribus nostris illam credulitatem geratis assidue, quod etsi a vobis situ loci differamus & vinculis, sic tamen reddimur pœnæ participes, quod in suspiria sæpe diffundimur, & lacrymis multoties madidamur: licet in eo nobis sicut & vobis consolatio multa

Significat quantum dolorem ex eorum vinculis hauserit.

pro-

prouenliat, quod de ineffabili clementia Redemptoris fiduciam gerimus, vt qui suo sanguine plantauit Ecclesiam, & eam in altum per electorum suorum triumphationem sustulit, super ipsam benignitatis suæ faciem per mundi latitudinem illustrabit; nobis interim & eisdem fratribus vos sicut compassionis affectibus, sic & orationum subsidijs prosequentibus, ve pater misericordiarum, & Deus totius consolationis vobis pro suo nomine patientibus captiuitatis opprobrium, gloriosæ Virginis & beatorum Apostolorum meritis se in miserationis affluentia tribuat gratiosum; detque nobis vt circa tranquillitatem Ecclesiæ & orbis pacem, iuxta quod pie ac laudabiliter per vestras literas suasistis, ita prouidere possimus, vt post tristitiæ turbinem serenum lætitiæ subsequi valeat, & catholica fides, quæ prout ex literis & relatu fide dignorum accepimus, per incursum gentis horridæ (quibus immanes illę Tartarorum, quorum antea nomen ac furor occidentales latuerat, irruptiones indicantur) vltra quam credi posset impetitur, ad maiestatis supernæ gloriam & salutem fidelium inuiolabiliter conseruetur. Cæterum cum vos nobis in Christo charissimos geramus assidue in visceribus charitatis, ac vix diem præterire possimus, quin statum vestrum nobis cum fletibus imaginaria visio repræsentet, in vobis super eo admirationi locum non habeat, quod nec scripta vel nuntium sinceritati vestræ direximus, nec dolor vester fuit in aliquo prouisionis nostræ remedio mitigatus; præsertim cum filius nouit scrutator omnium, id non prætextu occupationis vel negligentiæ postpositum fuerit, sed ex eo potissime, quia probabilis nobis timor inerat, quod super huiusmodi visitationis debito nostrum desiderium sortiri nequiret effectum. *Datum Later. xviii. kal. iulij ann. xv.*]

Audita quam in eos tyrannus exercebat sæuitia ad constantiã hortatur. a ibid. ep. 109.

75 Acceperat Gregorius, quam duræ seruitutis iugum præsulum ceruicibus imposuisset Fridericus, quam aspere & inhumaniter tractaret: quare alijs literis eorum mitigare ærumnas, ac lenare mœrorem studuit a; prouocauit eorum constantiam ad exempla Apostolorum, qui tot labores tulissent, renouata iam antiqua persecutorum tempora: proponeret sibi ob oculos imbelles etiam mulieres pro Christo carnificum iras, ac supplicia imperterrito animo vicisse. spopondit etiam se ad ineundam pacem ipsosque carcere liberandos operam omnem diligentiamque collocaturum.

Gregorius, &c. Penestrino episcopo, Rothomagensi, Burdegalensi, & Auxitano archiepiscopis; Nemausensi, Carcassonensi, Agathensi, Papiensi, Astensi, & Terdonensi episcopis; & O. sancti Nicolai in carcere Tulliano diacono Cardinali; Cluniacensi, Cisterciensi, Claraeuallensi abbatibus. & Gregorio de Romania subdiacono & capellano nostro; decanis, præpositis, archidiaconis, & alijs exulantibus pro ecclesiastica libertate.

73 Dolenda noui casus aduersitas, infelicibus emergens euentibus, nuper filios vteri dolentes inuoluit, quæ suorum consideratione gestorum, & nouitatis præsumptæ nequitia, generalis Ecclesiæ pectus vrens, nostris adaucta doloribus tristes ingeminat gemitus, & causas mœroris apponit; ac prætet enormem Apostolicæ sedis offensam, & illam exempli perniciem, quam vulgus oppido venatur in clerum, patris animum filiorum iniuria vulnerat, non lenem imprimit pressuram malitia, & angit angustia vigilem diligentis affectum. Nam verisimilitudo non tolerat, vt patientibus membris caput non langueat, aut expers doloris existat de palmite percusso colonus. Quis igitur orbati patris capiti dabit aquam, & oculis fontem tribuat lacrymarum? Nam Ioseph non superest, Simeon tenetur in vinculis, Beniamin iunior est sublatus, filij Siõ inclyti ecclesiarum principes renerẽdi auro primo amicti, cũ in manus deuoluuntur hostiles, velut vasa testea reputantur.

73 Quis patria lenire dolorem, aut remedija poterit congruis fratrum tristitiam temperare, dum pro mundi pace properantes ad matris cunabula, filios, sathan insidiator expetijt; sic subito rapuit vna dies, quos regio mortis Apuliæ suscepit; Ægyptus infestus, carcer Pharaonis includit patres conscriptos, & alienæ libertatis auctores aliorum subijciuntur arbitrio, legibus necessitatis addicti coguntur sæculatium patere iudicio sæculi iudices & Apostolorum legitimi successores?

74 Porro charissimi, quos iterum parturimus, donec Christus formetur in vobis, nos & fratres nostri doloris pane vobiscum, teste conscientia, pascimur; mœroris potamur calice, ac tristes manipulos metimus in vestrarum seminibus lacrymarum. Adest nobis in defectu vestræ libertatis angaria, in penuria fames, in terrore supplicium, & in exasperatione tormentum; triste quod loquimur, flebile quod sentimus: dies festi conuertuntur in luctum: in salicibus suspendimus organa, dum sedentes super flumina Babylonis obedientes Aegyptijs, expositi iudicio Pharaonis. Vtinam Moysis manus accederet, cuius obsequio suo Israelis arbitrio redderetur ad solita sacrificiorum libamina votiuis mentibus offerenda. Cæterum recolere libeat Ecclesiæ surgentis exordium, quid pro patrijs legibus patrum constantia pertulit; quid apostolicus labor, quid martyrum triumphus exceperit. Nec prudentum fœminarum, quibus naturæ mollities negauit audaciam, transcatis exempla, quæ satis roborare genua debilia poterunt, & potabilem reddere calicem passionis ingenio prudenti recognita, & Domini digito in cordis tabulis exarata.

75 Quocirca sinceritatem vestram rogamus & hortamur in Domino, quatenus Ecclesiæ causam, Apostolicæ sedis iniuriam, quæ contra fas, & debitum varijs vexatur molestijs, & lacessitur offensis, solita deuotione pensantes, piæ matris, quæ vos recepit ad vbera super benigna genua blandiendo, eis quas toleratis, angustijs præponatis affectum; vt probatio vestræ fidei, quæ satis auro pretiosior inuenitur, habeat cum tentatione prouentum; nec aliquid tyrannus inueniat, quod sinistra interpretatione notabile, aut dignum existimet suis diffamationibus inserendum, certæ spei fiduciam habituri, quod pro liberatione vestra, quinimo nostra confusione tollenda, vias quærimus, remedia cogitamus, impensam solicitudinem nostris desiderijs coæquantes, sic, quod nec de negligentia mordendi digne concurrimus, nec de filiorum obliuione notandi, nisi forte visitandi raritas calumniam habeat, quæ nobis inuitis de viarum difficultate procedens, votis nostris & vestris obuia, iusta potest excusatione defendi: nec enim a laboribus corpora, nec manus ab auxilijs deducemus, donec in vestris consolemur aspectibus exulantibus filijs patris desiderijs restitutis. Vtinam & suæ legis, & gentis miserator Dominus, cuius est gressus dirigere, misericorditer recordetur. *Dat. Later. 11. kal. aug. ann. xv.*]

Instata pud Fred. S. Ludou. vt Gallos præsules liberet. a Nang. in Gestis S. Lud. b Extant in M. S. Vallicel. Etiã de ea re lit.

76 Adhibuisse suam ad liberandos vinculis Gallicanos patres auctoritatem S. Ludouicum refert Nangius a, atque oratores ad tyrannum misisse; qui cum illius preces respuisset, literis b grauissimis Gallicorum armorum, ni præsules vinculis eriperet, terrorem incussit: *Tenuit indubitanter hactenus nostra fiducia, quod inter Imperium & regnum nostrum, longo tractu temporis mutua dilectione firmata, nulla posset exoriri materia odium vel scandalum paritura; cum prædecessores nostri felicis memoriæ Reges Franciæ vniuersi vsque ad tempora nostra honorem Imperij, & sublimitatem zelauerint. Nec qui post ipsos, Deo* ve-

volente, regnamus, in eodem proposito tenebamur; nec non antiqui Imperatores Romani, & nostri proximi unum & idem regnum & Imperium æstimantes, vel existimantes, unitatis pacem & concordiæ seruauerunt, & inter eos alterius dissensionis scintillula non illuxit. Verum admirari cogimur vehementer, & non sine ratione turbari, quod nulla offensionis causa vel materia præcedente prælati regni nostri ad sedem Apostolicam accedentes, cui tamen ex fide quam obedientia tenebantur, nec eius poterant recusare mandata, in mari capi fecistis, & eos sub custodia detinetis: quod magis moleste ferimus, quam maiestatis vestra credulitas forte credat. Nam sicut eorum literis manifeste didicimus, nihil contra imperialem celsitudinem excogitauerant; etsi summus Pontifex iussisset ad aliqua minus debita processurus.

77 *Vnde cum in eis nulla detentionis causa inueniatur, decet celsitudinem vestram prælatos regni nostri debita restituere libertati: in quo nos vobis pacatos reddetis, qui detentionem ipsam iniuriam reputamus; & Regi sublimi multa fieret detractio, si super talibus taceremus. Quod si prædicta ad vestræ mentis oculos volueritis reflectere, Penestrinum episcopum & alios legatos Ecclesiæ in præiudicium vestrum volentes subsidium implorare manifestissime repulimus; nec in regno nostro contra maiestatem vestram potuerunt aliquid obtinere: Prouideat igitur imperialis prouidentia & ponat in statera iudicij ea, quæ dicimus, nec velit trahere locum a potentia vel voluntate, nam regnum Franciæ non est adeo debilitatum viribus, quod se vestris permittat calcaribus perurgeri.*

Comminatur non ita Gallorum ferrum hebetem esse ut impune iniuriam patiantur.

78 Subiectæ sunt huic S. Ludouici epistolæ aliæ Friderici literæ, quarum initium est: *Regiæ serenitatis literas imperialis excellentia intellexit.* atque vbi multa in Pontificem effutijt, subdit: *Nouissime autem in supplantationem nostram aspirans, vt aduersus Dauid currum construeret, prælatos quotquot potuit ad particulare concilium euocauit, orientem ponere cupiens aquiloni. Verum mirabilis Dei prouidentia, per quem viuimus & regnamus, huiusmodi peruersitatis ipsius conspiciens propositum, ac ipsius cogitationes vertens in nihilum, Cardinales & prælatos tam regni Franciæ, quam aliarum prouinciarum conclusit in manibus nostris, quos omnes tanquam nostros hostes & aduersarios detinemus: nam vbi non desistebat persecutor, deesse non debebat defensor; præsertim cum Imperium transcendens hominem & leonis vestigia animalia quæque pertimescant. Non igitur miretur regia celsitudo, si prælatos Franciæ in augusto tenet Augustus, qui ad Cæsaris angustias nitebantur.* Hæc ad S. Ludouicum Francorum Regem Fridericus, cuius vltima verba refert Nangius. atque ijs acceptis S. Regem abbatem Cluniacensem ad tyrannum misisse cum prioribus literis. quibus visis ait Fridericum perculsum metu, ne ipse Gallorum arma verteret, fregisse arrogantiam, ac præsules Gallicanos e vinculis dimisisse.

Friderici ad S. Lud. responsũ.

Noui belli metu liberat Gallos præsules.

79 Quantum vero e dissipata Ianuensium classe, captisque præsulibus Fridericus in superbiam elatus ad opprimendam Ecclesiam creuerit animis, ipse in suis indicat literis a, in quibus exaggerata victoria, addit: *Quibus nouis ad nostram audientiam grata relatione perlatis, quia negotij qualitas expetebat, & rei succedentis euentus maiora nobis felicitatis auspicia suadebat, consilium eundi Bononiam reuocantes propensiori consilio versus Romam victricia castra nostra conuertimus, vbi sub vexillis potentiæ nostræ nos acclamat fortuna felicior, per quam reliqua, si qua sunt, nostrorum rebellium consternantur.*

a Extant vbi sup. Frid. parta de Ianuen. victoria Romam oppugnare cogitat.

80 Subdit partam a suis nouam victoriam, qui cum e Ticino alijsque vrbibus copias ad infestandam terra Ianuam, quæ mari prostrata fuerat, eduxissent, eo cognito Mediolanenses infesta in Ticinum signa duce Gregorio e Monte longo extulisse; suos vero mox gressum reflexisse, grauique pugna Mediolanenses, in qua cæsi plures hostium ac trecenti & quinquaginta abducti in seruitutem, fusos fugatosque fuisse. Describit reliquos Friderici successus ac gesta Richardus: oppressum Spoletum, Interamnam occupatam, Fanensium, Assisinatium, Narniensium, Reatinorum agros ob seruatam fidei constantiam populatos: Quod ad conceptam ab illo iactatamque Romæ in suam potestatem redigendæ spem attinet; quamuis eam sæpius hoc anno pertentarit tyrannus, toties a cœptis absistere est coactus. Scribit Richardus primum mense iunio redintegrandæ pacis cum Pontifice specie, accepto Tartaricæ irruptionis nuncio eo contendisse; dein mense iulio a Ioanne Columna excitum signa in Vrbem direxisse, demum mense augusto, cum Tybur in suam potestatem redegisset, flammis Albam deleuisset, Burgum nouum vastasset, Cryptam ferratam fortissimo præsidio occupasset, in circumiectos Vrbis agros populabundum excurrisse.

Fridericiani Ianuã terra inuadere parãt.

Mediolanenses ipsos a consilio distrahunt.

Leui prælio vincuntur.

Occupatis aliquot ditionis pontif. vrbibus Frid. Romam frustra tẽtat.

Tybur. Albam Cryptam ferr. subigit.

81 Quod porro ad Ioannem Columnam tit. S. Praxedis Cardinalem spectat; Fridericianis iam ante partibus non obscure irretitum supra indicatum est, atque hoc anno aperte ad Fridericum descivisse tradit memoratus Richardus a: *Mense ianuario,* & paucis interiectis verbis: *Ioannes de Columna Cardinalis discors factus cum Gregorio, in potestatem cedit Imperatoris & Lagustam in Vrbe, & extra Vrbem alia castra sua firmari iubet.* Et infra: *Ioannes de Columna Cardinalis discors a Papa discedit, seque confert in Prænestium: Monticellum, & Pontem Lucanum contra Romanos recepit in odium Papæ, ad quem Imperator milites & seruientes de regno mittit.* Subiungit auctor, vt Matthæus Russus a Gregorio senator renunciatus Romanas acies eduxerit ac Lagustam, quam Ioannes Cardinalis præsidio firmissimo muniuerat, obsidione cinctam post Gregorij mortem expugnarit.

Ioann. e Column. Card.

a Rich. in chron.

Lagusta quam muniuerat a Romanis expugnata.

82 Defluxit ad Gregorij mortem oratio, qui cum pene toto suo pontificatu aduersis successibus conflictatus fuisset, demum post deploratas maximas Ecclesiæ calamitates, florentissima Vngariæ & Poloniæ regna excisa a Tartaris, necatos sui in vincula abductos, quos ad synodum exciuerat, patres; maximam ditionis pontificiæ partem a Friderico occupatam, conspectam suis oculis victricem illius impietatem, ferrum flammasque ad Vrbis terrorem obtentis vicinis arcibus circũferre; curis grauioribus fessus, ac senectute, in qua viuidæ iuuentutis robur & constantiã seruarat, iam confectus e viuis discessit, vt tradunt Stadensis a, Parisius b, Richardus c, Patauinus d monachus alijque, quorum nomina recensere superuacaneum foret. Proxime annos centum attigisse Parisius ac Vvestmonasteriensis e testantur. Pontificatum tenuit annis quatuordecim, mensibus quinque: creatus enim fuit, anno salutis Christianæ MCCXXVII. XIII. kal. april. (vel proximis diebus vt alij: obijt vero XII. kalend. septemb. vt testatur Richardus eius temporis auctor Italus, cuius verba infra adducemus, & Albertus Stadensis, qui pariter ijs temporibus chronicon conscribebat: consentiuntque Friderici literæ, quas ad Regem Angliæ aliosque Reges & principes exarauit.

Gregorius senio & aduersorum successuum dolore moritur.

a Stad. in chron.
b Par. hist. Angl.
c Rich. vbi sup.
d Monach. Pad. in chron. l. 2.
e Vvestmon. flor. hist. hoc ann.

83 *Victorioso exercitu nostro Romanis finibus insidente, ad quos auiditate componendæ pacis & voto grauis dissidij specialiter celsitudo nostra peruenit, publicus ad castra nostra rumor exiuit, quod die ... præsentis mensis augusti Gregorius Papa noviter est rebus humanis exemptus, vt qui pacem & tractatum pacis recipere denegabat, ad vniuersalem dissensionem aspirans, vix vlterioris augusti metas excederet, qui Augustum offendere nitebatur. Reuera mortuus est, per quem pax deerat, vigebat dissidium & quamplures in mortis periculum incidebant.* Iactata hæc a Friderico in Gre-

f Bern. in chr. & in pluribus Baron. in notis M. S.

Frid. de illius morte exultat.

Eius memoriam lacerat.

go-

gotium calumnia non ex dictis modo refellitur, sed ex dicendis magis refellctur, cum erepto e viuis Gregorio, quem discordiæ auctorem accusabat, Rom. Ecclesiæ ditionem ferro flammaque delere pertexerit, atque Innocentio IV. postmodum structis insidijs bellum longe acrius concitauerit. Subijcit sperandum de diuina clementia, vt Pontificem Ecclesiæ suæ prouideat, sub cuius auspicijs Ecclesiam ab hostium conatibus tueri possit.

Refellitur

84 *Præsertim*, inquit, *cum ex occidentalibus partibus barbarorum hostis adueniat, qui destructis per quacumque transitum regnis habuerunt, & diuersarum multitudine gentium conculcata & copia populorum, abolere funditus satagit tam nomen quam cultores fidei Christianæ, cui de prouidentia noui patris Romani substituendi Pontificis, assistente nobis potentia Regum & principum orbis terræ, magnifice disponimus obuiare, assumentes fiducialiter causam Dei, qui nostros aufert de medio inimicos, vt expositas ad eius seruitium impedire nequeant vias nostras. Vos igitur diuinæ prouisioni, ac nostris affectibus deuoti, & hilares assurgentes, tam vestrorum proposita cordium præparetis ad pacem quam armis necessarijs corda muniatis ad conterendam vnà nobiscum hostium aduenientium superbiam Tartarorum.* Hæc ille, quæ inaniter iactata, cum ab ipsius verbis opera abhorrerent.

Fallacia tyranni promissa.

85 Persolutis iustis Pontifici, de successore deligendo inter Cardinales agitatum, de quibus Richardus: *Et tunc*, nimirum Fridericus dum Cryptæ ferratæ metatus castra adiacentia Romæ loca vastabat, *de Gregorio Papa, quod obierit Romæ XXI. augusti, pro certo accepit, de cuius licentia Cardinales omnes qui extra Vrbem fuerant, pro electione Papæ facienda ad Vrbem redeunt.* Et infra: *Cardinales, qui in Vrbe ad Papæ electionem conuenerant, per senatorem & Romanos apud Septisolium includuntur vt ad creandum Papam inuiti procedant.* Cum vero dicat auctor Cardinales omnes, qui extra Vrbem morabantur, facta ab eo potestate Romam ad eligendum Pontificem reuersos, indicare videtur, quod expresse affirmat Parisius de Iacobo Prænestino episcopo & Othone diacono Cardinalibus, dum sacra comitia describit, Cardinales numero pauciores duos ad Fridericum legatos misisse, qui ab ipso flagitarent, vt Prænestinum episcopum & Othonem laxaret vinculis, atque ad eligendum Pontificem Romam accedere permitteret: qui precibus Richardi Cornubiæ comitis flexus, ea lege permisit, vt post electum Pontificem ad carcerem redirent, ni Otho Pontifex salutaretur, cumque apud septem solia conuenissent, decem tantum numero fuisse, atque in ancipites contrariasque sententias distractos, quinque ex ipsis Galfridum Mediolanensem elegisse, tres vero Romanum salutasse: cumque apostolica ferret constitutio habendum eum legitimum, in quem duæ partes confluxissent, dissensionem conflatam; Fridericum vero Galfridi partibus adhæsisse. Cæterum sub hæc tempora Robertum Card. apud septem solia non sine veneni suspicione extinctum, Cardinalem vero Columnam a Romanis, quod faueret Imperatori, captum, carcerique mancipatum, eiusque arces & loca funditus euersa. meminit de eodem Vvestmonasteriensis a qui discordiæ inter Pontificem & Imperatorem satorem fuisse ait, eiusque mortem anno MCCXLIV. collocat.

Frid. vinctos Cardinales relaxat.

Exorta in conclaui de creando Pontifice dissensio.

a Vvestm. flor. hist. an. 1244.

86 Cum vero Cardinales in eligendo summo Pontifice dissiderent, Otho ad carcerem est reuersus, ne dati Friderico obsides male haberentur, cuius fidem & constantiam laudasse Fridericum ait Parisius, carceri tamen, cuius suspiciebat virtutem, tradidisse; non enim leuiter exulcerato infensoque in eum erat animo, quod ipsum in Anglia anathemate defixisset. Non placent aliquibus quæ de Cardinalibus laxatis vinculis a Friderico, vt ad eligendum summũ Pontificem cum alijs agitarent, ac postea re e sententia non succedente ad carcerem reuersis retulimus, atque vt inanem fabellam traducunt, quod rem ita insignem ex antiquioribus eorum temporum historicis vnus tantummodo historiæ commendarit. Et quidem qui Parisium vt commentum a asserentem respuunt, mox alia non minus a veri similitudine aliena scriptoris non ita antiqui auctoritate fulti tradidere; tunc sane errandi ac ridicula scribendi periculum est, cum recentiorum historijs nullius antiqui scriptoris testimonio comprobatis volumina farciunt ij, quæ quidem nec Baronio nec mihi placere vnquam potuit. Cæterum quæ a Parisio supra adducta, Cardinales comitiorum sacrorum causa a Friderico acceptis obsidibus carcere relaxatos, Richardus antiquior & probatissimus auctor videtur innuere, dum ait Iacobum Prænestinum & Othonem Cardinales cum magistro Ioanne Toleto sub ducatu cuiusdam T... di Tybur perductos: non enim ob aliam rationem e Neapolitano regno Tybur adducti videntur, quam vt Romam petere ad creandum Pontificem permitterentur.

87 Vt vero Cardinales post diutinas dissensiones iunctis tandem diuina ope animis in eligendo Galfrido Mediolanensi concurrerint, quem integerrimi mores ac scientia cumulata ad Apostolicam sedem conscendendam dignum reddidere, Stadensis a ac Parisius b referunt, quorum posterior ob effœtam senectutem intra sexdecim dies emarcuisse & communem famam veneno propinatũ circumtulisse ait. ex cuius morte vniuersa Ecclesia, quæ tot malis recreari speraperat, in pristinos luctus coniecta est. Cæterum verisimile non videtur adeo frequenter in Pontifices & Cardinales veneno grassatum esse, sed vulgi rumores illos, vt fieri solet, temere sparsisse. At monachus Patauinus c auctor etiam antiquus, Stero d & alij, decem & octo dies Cælestini pontificatui tribuunt, Bernardus & eius M.S. vitæ e auctor XVII. Richardus f vero hæc de Cælestino prodit: *Mense octobris Goffridus Mediolanensis in Cælestinum Papam eligitur. Mense nouembris Cælestinus Papa Romæ apud S. Petrum obijt* (In cuius basilica etiam sepultum fuisse legitur in laudata eius M.S. vita, confirmatque Bernardus g) *Et de Cardinalibus quidem eo insepulto de Vrbe fugerunt & contulerunt se Anagniam.*

c Mon. Patau. ...

Hæc Richardus, qui de Imperatrice mense decembri apud Fogiam defuncta & Andriæ mandata sepulturæ subijcit. Erat hæc Isabella Anglorum Regis soror, quem Fridericus literis suis eadem de re certiorem fecit, recitat ipsas Parisius h atque partus fundendi difficultati succubuisse tradit. Neque hic modo vxoris & filij tristis casus Fridericum afflixit, verum Ptolemaidis regni Hierosolymorum vrbis celeberrimæ iactura exultantis de cladibus Ecclesiæ gaudia mœrore temperauit; ac demum regnum illud florentissimum amisit, ijque ambitionis ipsius Ecclesiam suis possessionibus exuere studentis fructus extitere, vt dum pro occupandis aliquot oppidis orbem turbat, prouincias ac regna amitteret. Sed ab impio homine ad sanctorum miracula orationem traducamus.

Per hæc tempora tanta Deus prodigia ad sacra B. Edmundi Cantuariensis archiepiscopi lipsana edere cœpit, vt paria quodammodo ijs fierent, quæ Apostolorum temporibus patrabantur: vnde populorum commota pietas celeberrimo concursu Pontiniacum confluebat, ac Rex Henricus loculum ex auro elegantissimo opere conflari iussit, in quo sacrum pignus collocaretur.

88 In Gallijs hoc anno S. Vvilielmus episcopus Briocensis in cælum emigrauit, cuius i res præclare ge-

i Bar. in notis ad 29 iul.

Felix S. Vuill. Bituricen. ep. mors.

a Extant apud Sur. tom. 4. die 29. ian.

gestas monumentis consignauit Godefridus Caluus Bituricensis archiepiscopus, atque ea se scriptis tradidisse testatur, quæ partim ipse hauserat oculis, partim a fide dignis acceperat. Cæterum ex ipsis actis a de eius felici obitu & corpore inuento post biennium omnis corruptionis experte atque odorem suauissimum efflante hæc pauca decerpere contenti erimus: *Et quamuis gregis sui curam præponeret omni negotio temporali, fabricam tamen Bituricensis ecclesiæ cathedralis, si posset in pace viuere, proponebat consummare tam inceptam. Circa quod opus cum die quadam vigilantius cogitaret, spiritu prophetico repletus dixit: Certe viuus, vel mortuus ædificium huius ecclesiæ consummabo. Dominus autem ipsius prophetiam processu temporis adimpleuit. Nam cum ipse viuens feliciter victurus in perpetuum præsentis vitæ cursum feliciter consummasset, corpus eius sanctissimum in ecclesia cathedrali digna fuit cum reuerentia tumulatum. Quod cum ibidem duobus annis antequam corruscaret miraculis, tanquam lapis pretiosus latuisset, Philippus episcopus successor eius studuit nihilominus fideliter ipsius propositi circa fabricam ecclesiæ fieri prosecutor. Oportebat autem pro fundamento quærendo, secundum dispositionem operis, corpus B. Vuillelmi de loco, in quo positum fuerat, transferri: factum est autem, cum ad effodiendum thesaurum illum clerici cum populo conuenissent, ipsum corpus cum omnium membrorum integritate mirabiliter est repertum, & quasi pretiosissimis fuisset aromatibus conditum, optimo odore eos, qui aderant, adimpleuit.* Eo munere sanctissimum corpus diuina prouidentia decorauit, ob seruatam virginei candoris illibatam puritatem, refert enim laudatus auctor ipsum morti proximum sacerdotem, qui ei a confessionibus erat, ita compellasse: *Frater age gratias pro me Deo, qui me vsque hodie Deo mundum peccato carnis per suam gratiam custodiuit.* Vt vero sanctorum catalogo ab Innocentio IV. appositus fuerit, suo loco dicetur.

De illius integritate.

Conuenarũ & Fuxi comites repentina morte extincti.

b Bern. chro. R. m. Pont.

39 Longe dispari mortis genere eodem anno Bernardus Conuenarum comes infelix Albigensium defensor, qui in Ecclesiam arma tulerat, dum opipare pranderet, e mensa ad diuinum tribunal raptus est b, vt repentino improuisoq; mortis genere hæreticorum fautor Raymundus senior olim occubuerat. tum etiam Rogerius Bernardi comes Fuxensis Ecclesiæ hostis hoc anno periit, vt qui simul coniunctis armis an misque crudelissime in catholicos fuerant debacchati, eodem tempore æterno iudici se sisterent.

Vualdemari Regis Daniæ mors.

c Stad. in chron.

d Par. hist. Angl. hoc an.

e Crantz. l. 7. Dan. lib 7

Præclara illius gesta

Defunctum eodem tempore Vualdemarum Daniæ Regem, Ericumque filium successisse scribit Albertus Stadensis c, cui Parisius d consentit; Crantzius e vero eius obitum ad sequentem annum retulit. Armorũ gloria effloruit, quæ aduersus ethnicos in Scythia, Frisia, & Ruscia gesserat, septem episcopatuum terras totidem episcopis institui iussis, bello ereptas sibi pepererat: non eadem tamen felicitate armorum iam senex vsus. Quo extincto Angli magno periculi ab eo imminentis terrore liberati. Danique, quorum virtus bellica in ingens decus sese extulerat, mutuis inter se bellis attriti depressique sunt. Cum enim Vualdemari primogenitus non diu patri superfuisset, successit Ericus, cui frater Abel nomine ætate minor bellum crudele mouit, ac multis annis concussa fœde ac suorum manibus laniata Dania luxit.

IESV CHRISTI

Annus 1242.

SEDES VACAT FRIDERICI II. IMP. 23. BALDVINI II. IMP. 14.

1 ANnus Christi millesimus ducentesimus quadragesimus secundus, quintadecima indictione, Romanæ Ecclesiæ orbatæ Pontifice luctuosus extitit. cum Fridericus hostis illius infensissimus, Cardinales aliquot carcere inclusos teneret, alios quos aduersari sibi arbitrabatur, minis percelleret, alios in fugam ageret, alios promissis allectos suis partibus irretiisset, & ad noui Pontificis electionem discutiendam, sacrilegos conatus adhiberet. At quæ de his Stadensis huius temporis scriptor tradat, adducamus a: *Anno Domini* MCCXLII. *duobus annis sedes papalis vacauit, Cardinalibus inter se discordantibus, & quibusdam Romam intrare non audentibus: vnde contigit, vt se inuicem frequentius vocarent ad electionem, & etiam ipsi tam inter se quam ab aliis multas controuersias & insolentias sustinerent.* Sane verisimile est nonnullos Cardinales studiosos Friderici tumultus ingentes conciuisse, ac principem successu rerum tumidum eorum opera aliquem suarum partium sedi Apostolicæ præficere conatum fuisse. Et quidem Parisius b refert Romanæ aulæ dignitatem ac splendorem adeo defloruisse, vt pontificia sede vacante vix sex septemue Cardinales Romæ remanerent, aliis e medio sublatis, aliis aduersa valetudine implicitis, aliis in remotioribus partibus inter amicos ac parentes delitescentibus, ac tum locorum interuallis tum animis disiunctos & discrepantes sententiis fuisse.

a Stad. in chron.

Dissidentes inter se de eligendo PP. Cardinales.

b Par. hist. Angl. an. 1242.

2 Interea Fridericus contumeliosas ad Cardinales literas exarauit c: *Ad vos est hoc verbum filii Effrem male tendentes arcum, & pennis emittentes sagittas turpiter in die belli quasi retrorsum. Ad vos est hoc verbum filii Belial, dispersionis oues. Ad vos est hoc verbum... capita non habentia magni iudicis assessores. Ad vos est hoc verbum Cardinales obligati, quibus male voluitur orbis. Ad vos est hoc verbum, pro quibus totus mundus obloquitur, nec ego possum loqui quin obloquar, quia de mundo sum in et immundus; propter quod oportet me sentire cum ipso tanquam pars suo toti nec dissona, nec aduersa. Scribentes itaque attendite de dura & inepta manu rudem epistolam exordii dignitate priuatam: lingua mea compressa prius prorupit in verba quam concipiens ei spiritus delegasset: & sic non expectato superioris imperio minus plene concepta edere festinauit. Habet hoc enim animus perturbatus, quia plerumque sermonem inconcinnum parit, aliquando abortiuum: communis namque animorum existit conceptio & sermo vulgaris, quod non mediator Dei & hominum Iesus Christus de summo cælo, qui venit ponere pacem in finibus terræ, Apostolorum magister & Dominus, sed diuisus in se sathanas princeps ille varius fit in medio vestrum tanquam qui ministrat; ille persuasor discordiæ spiritus tenebrosus, qui posuit linguas vestras in diuisiones, & in partialitatis articulos vestram disgregare compulit vnitatem, dum nec vobis, nec mundo consulitis, qui tot periculis propulsatur, & Petri nauicula, quæ per maris altitudines ventorum flatibus rapitur remis & remige destituta, non est aliquatenus vobis cura: quæ quamuis in se subuersionem non timeat, in suis tamen multa & varia patitur naufragia tempestatum.*

c Extant apud Pet. de Vinea lib. 1. Vaic.

Arrogantes ad eos & contumeliis plenæ Frid. lit.

3 *Sane si diligenter attenditis qualiter nationes & gentes, quas iudicare soletis, contra vos derisorie moueant capita sua, in se vnusquisque palleret, & ad tam publicum & detestandum opprobrium propulsandum nunquam inueniri posset necessarium argumentum: quia dum quilibet vestrum aspirat ad cathedram, vnus*

non

non consentit in alium; & dum alter in alterum non consentit, nullus erigitur, Cathedralis dignitas euanescit, & sic ex disconuenientia vestra conueniens Ecclesiæ status confunditur, & fidei, quæ viuitis, aperit rectitudo, &c. Pergit Fridericus onerare ipsos conuitijs, quem zeli specie superbe conceptum in Cardinales virus euomuisse certissimum est.

[illegible] pro [illegible] de pace.

4 Misisse illum mense februario ad Cardinales oratores, qui de pace cum Ecclesia ineunda agitaret, scribit Richardus: *Ad Rom. curiam magistrum Theutonicorum creatum nouiter archiepiscopum Barensem, & magistrum Rogerium Porcastellam pro pace legatos mittit.* Cum vero conciliata concordia non fuerit, ac Fridericus armorum potentiam ad reliquam ditionem pontificiam inuadendam effuderit, colligitur huiusmodi pacis leges proposuisse, vt Ecclesiam Rom. suæ seruituti subijcere meditaretur. Vt porro illam bello acerrime fuerit insectatus, significat Richardus: *Mense maij Andreas de Cicala regni capitaneus iussu Cæsaris congregato exercitu, tam militum quam seruientium de regno super Reate vadit, quam exterius totam deuastat. Dux Spolete pro parte Imperatoris super Narniam vadit, & quam potest facit in exterioribus vastitatem.* Et paucis interiectis: *Eodem mense exercitus imperialis de Marchia vadit super Asculum, & ipsam ciuitatem obsidet exterius & deuastat.* Potitum vero ea arce subijcit inferius: *Mense iunio Asculum se reddit & venit ad mandatum Imperatoris.*

Tractatus pacis dissoluitur.

D[illegible] opem [illegible] vexat.

Asculum ad deditionem cōpellit.

5 Subiungit vt tyrannus eo elatus successu Romam, cuius inuadendæ summa cupidine ardebat, obsidione pertentarit: *Mense iulij congregato exercitu copioso super Vrbem vadit, hostilem faciens in exterioribus vastationem: mense augusto in regnum reuersus est.* Addit auctor vesanum Friderici furorem, qui ad ornandam Nuceriam Sarracenorum vrbem nonnulla præclara antiquitatis monumenta ad ineundam charissimorum sibi hominum gratiam e Crypta ferrata direpta, antequam castra ab Vrbe remoueret, eo traduxit.

Romam iterato conatu oppugnat.

6 Cæterum quanto Christiani orbis bono ac rerum suarum incremento arma in Tartaros cum amplissima propagandi latius Rom. Imperij limitis spe conuertisset, nisi illum cæca opprimendæ ecclesiæ rabies egisset, vt omnium Germanorum & Vngarorum vota eo ipsum vocabant! Ad quem incitandum magis, vt supremum Vngariæ dominium, seruato Regi Belæ fiduciario iure, capesseret Tartarosque e regno innumeris cladibus, ac malis attrito depelleret patriarcham Aquileiensem Belæ Regis auunculum accessisse ineunte anno indicat Richardus a: *Patriarcha Aquileiensis pro facto Tartarorum*, de quo nimirum anno superiori locutus fuerat, *ad eum venit.* Sed patriarchæ æque, ac Vaciensis episcopi ob id antea, vt vidimus, missi preces irritæ ceciderunt, atque ita mense iunio cum nil quam cauillationes referret, abscedere re infecta est coactus. Patuit tum quam iniuste Gregorium in odium & inuidiam adduceret Fridericus, illum sibi obstitisse, ne in Tartaros Romanas aquilas conferret, cum eo ad feliciorem vitam iam traducto Ecclesiam opprimere omni conatu non destiterit, suasque amplissimas vires in Christiani nominis hostes verteret, spreuerit.

Sollicitatur a patr. Aquilei. vt arma in Tartaros traducat.

a Rich. in [illegible] huc ann.

Spernit patr[iarch]æ preces.

7 Quantis vero hoc anno malis barbarorum feritate oppressa Vngaria ingemuerit, describit Longinus; Bathy duce supremo Tartarorum cum parte exercitus in Strigoniensibus campis amœnissimis castra metante, Caydanum correpta exercitus parte Strigonium obsidione cinxisse, & vrbe atque arce potitum furorem effuso Christiano sanguine satiasse, opimaque spolia retulisse: deinde impetus in Albam Regalem conuertisse, sed præsidiariorū militum ciuiumque virtute propulsatum, alio diuertisse: Belam vero Regem Vngaris principibus, ac præsulibus cinctum se illius furori subduxisse, quem cum Tartarus assequi non posset, penetrato Illyrico intermen Vngarorum turmam in planitiem æquatam adductam insana rabie trucidauit, & irruptione in Croatiam facta Spalathum peruenit, circumiectisque agris ferro ac flamma deletis, cum Spalathenses ad constantiam præsente mortis terrore obfirmatos cerneret, parum moratum, Belam Tragurium vsque insecutum, cum ab ea vrbe virilibus animis repulsus esset, Bosniam iuncto cū Bathy exercitu perrupisse: dein receptui signo dato Seruiam & Bulgariam ingressum mancipijs Christianis crudeli fraude edixisse, vt in patriam reuerterentur. Qui cum doli nescij spe adeptæ libertatis exultantes redirent, a Tartaris immisso equitatu immani strage deleti fuerunt.

Strigoniū a Caydano expugnatum direptūq.

Belam insequuntur Tartari quacumq. pergit.

Inermem Vngarorum [multitudinem] trucidant.

Irrumpūt in Croatiam.

In Seruiā & Bulgariam signa conuertunt.

Christiana mancipia immani strage perimunt.

8 At Bela cognito exploratorum opera Tartarorum recessu, collectis animis amissum regnum recuperare paulatim cœpit. Quo tempore tanta fames, vt scribit Nangius, sæuijt vt superstites mortuorum cadauera edere non perhorrescerent; immundaque animalia, canes, feles aliaque huiusmodi ad tolerandam famem quærerentur: nec minus feras cadauerum humanorum, quæ degustarant, illecebris illectas in viuos grassatas, absumptisque ad colendos agros iumentis, homines boum instar ad proscindendam terram aratrum ducere coactos refert Longinus. a

Bela regnū paulatim recuperat.

Nangius in gestis S. Ludou.

Horrenda fame laborant Vngarorum reliquiæ.

a Longin. lib. 7.

9 Dum Vngaria tantis malis oppressa lugeret, nonnulli per hæc tempora viri proceres in Coloniensi principatu, insana leuitate abrepti eo calamitosissimo tempore, quo flectenda precibus & lacrymis diuina ira ac barbaricæ acies penetrandæ erant, ludicris certaminibus indulgere non erubuerunt: sed nec diuina iustitia scelus impune reliquit, vt narrat Cantipratensis b: *Anno circiter ab incarnatione Domini MCCXLIII. iuxta Nussiam super Rhenum, oppidum nobile, ad torneamentum multi nobiles, duces, barones, ac milites congregati sunt. Superuenit quidam frater Bernardus de ordine Prædicatorum cum socio, rogauit suppliciter & quasi cum lacrymis, vt sibi parcerent & ab inani proposito desisterent compaterenturque Christianitati, & afflictæ matri Ecclesiæ, quæ suo tempore in Vngaria, Ruthenia, & Polonia a Tartaris miserabiliter vastabatur. At cum multi essent qui ad preces eius libentius destitissent, quidam comes de Castris dictus, subsannauit fratrem & consentientes eidem, turmisque militum congregatis ferale illud torneamentum infelicissimus inchoauit.*

b Lib. 2. c. 49. n. 4.

Diuinæ iræ exemplum mittitur [illegible] ludi [illegible] tempore [illegible] runt.

10 *Mane autem eiusdem diei, vt a pluribus ferebatur, quasi gleba ingens & lata super aera videbatur, & circa glebam ac supra quasi coruini generis volucres crocitando diutius volitare: nec credo aliud quam dæmones has fuisse, qui futuri mali prodigium hoc dederunt. Nec mora: cum torneamentum hoc fieret, milites ac satellites in tanta strage & in tanta multitudine plurimi in mortem, nonnulli in vesaniam, plerique etiam in languores perpetuos ceciderunt, vt nullus ambigeret luctum hunc non tantum hominum, sed verissime ultione diuina, dæmonum extitisse; omnes vero mortui vsque ad trecentos sexaginta septem computati sunt. Inter quos etiam primus mortuus dicitur comes ille de Castris, qui dicto fratre Prædicatore contumaciter contradixit. Sed eadem nocte quo die hæc facta sunt, in speciebus militum armatorum iuxta villam Brabantiæ, quæ Iiska maior dicitur, congregationes fieri a dæmonibus presbytero villæ teste cognouimus: & hoc credo in signum lætitiæ tanti mali.*

Varia dæmonum exultatio de malo Christianorum ludibria.

11 Laxasse tum diuinam iustitiam malignis spiritibus frœna ad plectenda hominum scelera ex ijs constat. Cæterum non Vngari modo, vt emendarentur, virga diuini furoris percussi, sed plures alij populi ad septentrionem fulmina cælestis vltionis

acerbitatem senserunt; Iordanus a enim hæc suis annalibus inserit: MCCXLII. *in partibus aquilonis Tartari vastant Russiam, Cassariam, Scuaaniam, Gotiam, Ziquiam, Alaniam, Poloniam & cætera regna vsque ad xxx. & vsque ad fines Theutonicæ prosiliunt.* Et quidem Longinus ipsos ex Vngaria irrupisse in Poloniam, improuisoque aduentu Cracouienses oppressisse, scribit: maioresque quam anno superiore cædes edidisse. Nec Christiani modo hac diuini furoris virga percussi, sed infideles etiam, atque inter eos Turcas magnis cladibus attritos refert Nangius b, qui non prætereundum silentio egregium duorum Christianorum facinus c, quos Tartari in Turcarum vrbe, cui Arsanga nomen est, ceperant, adducit: cum enim omnes ciues violato fœdere, quibus saluam vitam erant polliciti, trucidassent, duos Francos Christianos vitæ reseruarunt; cumque nonnullos, qui bellicam Francorum virtutem pugnandique genus admodum commendari acceperant, cupido incessisset, vt illos inter se gladiatorum more pugnantes intuerentur, e procerum Tartarorum consilio visum est, vt egregie armis instructi equestri pugna inter se dimicare iuberentur. Sed illi communicato inter se consilio crudelem barbarorum expectationem fefellere: mox enim vbi equis impositi, armisque muniti fuere, concitatis equis in Tartaros impetum fecere, quorum quindecim, sauciaris alijs triginta, peremerunt, antequam ab ijs vndique circumfusi interfici possent. de Tartaris hactenus, iam ad res Gallicas digrediamur.

a Iord. M. S. Vat. sign. n. 1960. Vastata a Tartaris plura regna.
b Nang. in gestis S. Lud.
c Id. ibid.
Egregium duorum Christianorum facinus quos inter se Tartari dimicare iusserant.

12 Dum Romana Ecclesia diutius rectore careret, cuius auctoritate Franci, Anglique ne in mutuas cædes prosilirent, contineri solebant, bellum inter eos atrox sæuumque exarsit. Iusserat anno superiori S. Ludouicus Hugoni Marchiæ comiti, vt Alphonso suo fratri nouo Pictauiæ comiti eius ditionis gratia, quam in Pictauia obtinebat, clientelaris officij sponsionem agnitionemque deferret: quippe Ioanna comitis Tolosani filia, fratri nuptui tradita, ipsi Aruerniam, Pictauiam, aliaque de Albigensibus parta loca contulerat. At comes Marchiæ, consilijs vxoris suæ Regis Anglorum matris, olimque Reginæ subornatus, ac fretus Anglorum potentia & armis, facta imperia detrectabat, eamque rem suæ contrarium dignitati arbitrabatur. Sed breui Ludouici armorum vim sensit eiusque potentiæ succubuit. Et sane Nangius, qui S. Regis gesta conscripsit, prodit Isabellam alteram Iezabelem, frementem ira quod maritus Francorum armis resistere non posset, iamque pluribus arcibus exutus esset, ingens scelus muliebri furore meditatam, ac plures e suis onustos muneribus quasi ad Regis colligendam gratiam ad ipsius aulam misisse, venenoque instruxisse, vt Regem ac fratres tollerent: at Deum tantum scelus elisisse, eosque cum veneno deprehensos durissimo carceri mancipatos.

Exortæ in Gallijs turbæ.
Detrectat Marchiæ comes Alphonso Pictauiæ comiti fidē obligare.
Bellū illi infert S. Ludouic.
Isabella Regina sanctum Regem ac fratres veneno tollere molitur.

13 Scribunt etiam d Regem Anglorum subsidio comiti Marchiæ cum exercitu aduolasse, atque apud Santonas hostiles exercitus concurrisse; magno vtrinque animorum ardore, magnaque pertinacia commissum prælium, in quo tandem, cum diu anceps fluctuasset victoria, attriti Angli, atque eorum Rex in fugam versus triumphantis S. Ludouici impetum sustinere non potuit. Receperat sese vna cum comite Santonas: sed cum tutum se insequente victore non putaret, abscessit noctu, ciues deditione facta, impositum ab Rege Francorum præsidium firmissimum admisere.

Euocat in auxilium vir Henricum Regem Angliæ. Francis fusi Santones se Regi Ludouico dedunt.
d Nang. vbi sup. Ionuill. hist. S. Lud. p. 2. & alij.

14 Tantam adeptus victoriam D. Ludouicus non elatus est superbia, quod in alium victoribus [illegible] re, sed armis comparata iam maxima comitis rebellis ditionis parte, egregium clementiæ exemplum explicuit. Cum enim rebellem comitem toto comitatu deturbare posset, ad pacem, quam Hugo primogenitus petiturus accesserat, animos flexit; ijsque legibus inita concordia, vt quæ eo bello armis parta essent, Alphonsus Regis frater obtineret; tribus arcibus comitis Marchiæ munitissimis Francorum præsidium imponeretur, ne defectionem amplius cogitaret. Subdit auctor, vt Hugo iam fractis rebus suis summa demissione cum Isabella ad veniam implorandam accesserit.

Hugo comes veniā a S. Ludouico efflagitat. Quibus legibus inita cōcordia. Naug. de gest. S. Lud.

15 *Comes quidem illustrissimi Regis Francorum clementiam, & cordis pietatem eximiam non ignorans, in crastino vnà cum vxore sua ad Regem deueniens cum lacrymis, suspirijs, singultibus genuflexo præsente Hugone filio suo primogenito & duobus alijs filijs, quos de nouo Rex Angliæ fecerat milites, cœpit coram Rege humiliter proclamare: Depone domine mi Rex clementissime iram tuam, & ne amplius contra me mouearis. Desinat Rex dulcissime iam indignatio tua, & miserere mei. Cognosco domine culpam meam, quam inique & superbe egi aduersum te; tu mihi secundum multitudinem miserationis tuæ dimitte iniquitatem. Ad hæc Rex, sicut mansuetissimus, & ineffabili pietate, misericordia motus, quibus totus semper in visceribus erga miseros & humiles affluebat * iam non valens in ira sua misericordiam continere, non potuit prædicti comitis illico non misereri: immo quidquid erga ipsum idem comes deliquerat, humilitatem eius considerans, ipsi misericorditer condonauit: munitiones vero & castella, quæ super ipsum Rex acquisierat, quitauit comes Marcota in continenti comiti Pictauensi.*

* iam

16 Pergit auctor, vt plures proceres potentia & armorum S. Ludouici terrore compulsi, ad illius obsequium procubuerint; cumque in Vasconiam infesta signa ad eam in suam potestatem redigendam inferre pararet, Henricum Angliæ Regem metuentem sibi ne eas terras beneficiarias amitteret, magnis precibus inducias eblanditum, quas demum ad pietatē flexus S. Ludouicus, licet victorias circumferre latius posset, ad quinquennium concessit. Eadem de edomito Marchiæ comite tradūt Ionuillæus & Bernardus a, auctor vitæ D. Ludouici apud Surium b, alijque recentiores. De his Parisius c fusissime; & enim, vt ille ait, libido est male loqui, sanctissimi Regis famam venenato dente carpere audet. At ijs missis egregiam D. Ludouici vocem commendare annalibus visum est. Laborabat apud plures Anglorum Regis existimatio, atque etiam præsente Rege in contemptum ac ludibrium ob res male gestas adducebatur, quibus D. Ludouicus: *Nolite ipsius famam lacessere, vel ijs ludibrijs me in ipsius odium vocare: ipsius eleemosynæ ac diuina sacrificia omnium periculorum terrore, hominumque contemptu illum vindicabunt.*

Henricus inducias quinquennales ægre obtinet.
a Ionuill. vbi sup.
Bern. in chr. Rom. Pont. & Reg. Frāc. an. 1242.
b Sur. to. 4. die 25. aug.
c Par. hist. Angl. hoc ann.
Detrahentes nonnullis de Henr. Rege excipit S. Lud. commendāter eleemosynas.

17 Gesto feliciter eo bello S. Ludouicum expeditionem in Raymundum Tolosanum comitem meditatum a conuentu præsulum ecclesiasticorum vectigalium, vigesimam ad delendas Albigensium reliquias, cum hæc pestis sæpius recrudesceret, ac virorum religiosorū cæsorum ab hæreticis necem vindicādam obtinuisse refert Parisius d: quo tempore Raymundum comitem ad Fridericum Augustum se contulisse scribit Richardus. Qua porro constantia Christi martyres illatā sibi ab hæreticis necem exceperint, & inter carnificum fremitus Deo laudes decantarint, describit Bernardus e: *Anno Domini MCCXLII. sex. kal. iunij in nocte * assumptionis Domini frater Guillelmus Arnaldi vir discretus, deuotus, constans, atque inuictissimus * hæreticorum cum duobus fratribus suis socijs ordinis fratrum Prædicatorum, & frater Stephanus collega inquisitoris cum socio suo ordinis fratrum Minorum, & Raymundus scriptor archidiaconus Lazatensis Ecclesiæ Tolosanæ, & prior Auinionetti monachus de Clusa, & Petrus Arnaldi notarius inquisitionis, cum alijs tribus apud Auinionetum Tolosanæ diœcesis*

d Par. hist. Angl. hoc ann.
e Bern. chro. Rom. Pont.
* ascensionis
* contra hæreticos
Viri religiosi ab Albigensibus interfecti.
Illorum cōstantia.

ressis contra hæreticos fidei persecutores in aula ipsius comitis ab inimicis Dei & fidei hæreticorum credentibus fuerunt pro fide atrociter interfecti, cantantes: Te Deum laudamus, de mandato bauili dicti comitis, qui eos illuc duxerat, & nonnullis interiectis verbis: *Glorificauit autem tunc miraculis martyres suos Dominus, quæ alibi scripta habentur, & amplius glorificasset: sed incredulitas illorum a quibus & inter quos passi sunt, sicut probabiliter creditur, impediuit.*

Miraculis post mortem coruscant.

18 Coniungimus his martyribus insontis adolescentis clerici necem, qui cum, vt scribit Thomas Cantipratensis a, ob solutiores mores in carcerem coniectus esset, vt pœnitentiam ageret, ab inimico nocte intempesta occisus est: cuius anima expiato scelere, cælesti gloria donata, non aliam vindictam de homicida repoposcit; quam vt criminis in se perpetrati pœniteret, vt eius ecclesiæ viro pio cælitus obiecto viso ostensum est: *Cum in Theutoniæ partibus circa annum Domini* MCCXIII. *adolescens quidam nobilis in lubricitate corporis excessisset, a senibus canonicis & decano ab ingressu ecclesiæ arctatus est, & infra septa monasterij, quasi pro agenda pœnitentia, in loco ad hoc deputato reclusus. Qui humiliter valde pœnam suscipiens flagellabatur interim a decano, & grauibus conuitijs culpabatur. Eo autem adhuc in pœnitentia existente, contigit eum a concanonico suo innocenter de nocte & latenter occidi. Vno ergo eadem nocte ex concanonicis viro sancta post matutinas orante suppliciter in secreto, vidit subito totam ecclesiam illustrari, & apparente multo comitatu sanctorum, gloriosam Virginem matrem Christi in medio omnium velut magistram & dominam considere, & super diuersis negotijs vniuersalis Ecclesiæ tractatum habere.*

a Cantipr. l. 1. c. 17. n. 5.

Cæleste visum viro pio obiectum.

19 *His finem datis, patronus eiusdem ecclesiæ exorsus est, dicens: Et quis ex vobis miserebitur mei canonici, vt præsentem Domini nostri Matrem pariter rogitemus, vt super piacula eius solita pietate flectatur? Et mox supplicantibus sanctis illata est anima, & omnibus dicitur: Quia locus iste specialiter disciplina viguit, & adolescens iste iam mortuus disciplinam libens accepit, & ex corde pœnituit, pro purgatorio cedat ei mors innocens, quam ipse sustinuit; tu autem anima pete quod vis & fiet tibi. Et anima: Pro occisore, inquit, meo peto qui me occiso statim valde pœnituit, & ad Dominum Apostolicum confestim iter arripuit, vt ipse misericordiam consequatur; & mox responsum accepit: Sicut digne petisti anima, fiet tibi. Hæc vt audiuit orans, canonicis quod vidisset, exposuit: locum igitur introeuntes occisum inueniunt, & deplangunt: occisorem vero mox post factum de nocte iter arripuisse ad Apostolicum repererunt.*

Pœnitenti occisi anima pro interfectore fugato veniam exposcit gratis.

20 In Apulia Henricum Regem Germaniæ ob motam in parentem seditionem, affectatumque Imperium diuturni carceris squallore confectum hoc anno extinctum scribit Richardus: *Henricus primogenitus Imperatoris tentus apud Martoranum naturali morte defungitur*. At non defuere qui ipsius mortem a parente procuratam existimarint b. Verum siue id scelus admiserit, vel ab eo abhorrere, extinctum filium planxit, quem viuum crudelissime habuerat; datisque literis ad Siculos præsules funebrem ab ijs pompam instrui, ac iusta persolui imperauit, quas Richardus c ad abbatem Cassinensem scriptas adducit.

Henrici Reg. Frid. primogeniti mors.

b Ptol. Lucen. in annal. an. 1235.
c Ric. in chr. hoc an. extat etiam in lib. 1. liter. Friderici.

Fridericus, &c. abbati Cassinensi.

21 Misericordia pij patris, seueri iudicis exuperante iudicium, Henrici primogeniti nostri fatum lugere compellimur, lacrymarum ab intimis educente natura diluuium, quas offensæ dolor & iustitiæ rigor intrinsecus obfirmabant. Mirabuntur forsitan diri patres inuictum publicis hostibus Cæsarem dolore domestico potuisse conuinci; subditus est tamen cuiusuis principis animus, quantumuis rigidus, naturæ dominantis imperio, qui dum vires suas exercet in quemlibet, Reges & Cæsares non agnoscit. Fatemur quod qui viui Regis superbia flecti nequiuimus, sumus eiusdem filij nostri casu conuicti: sumus tamen eorum nec primi nec vltimi, qui detrimenta pertulerunt transgredientium filiorum, & nihilominus illorum funera deplorarunt. Luxit namque Dauid triduo primogenitum Absolonem, & in Pompeij generi sui cineres fortunam & animam soceri persequentis magnificus ille Iulius primus Cæsar paternæ pietatis officium & lacrymas non negauit; nec dolor acerrimus ex transgressione conceptus est efficax parentibus medicina doloris, quod in obitu filiorum natura pungente non doleant contra naturam a filijs licet irreuerenter offensi. Nolentes igitur nos, & non valentes circa prædicti filij nostri funus omittere, quæ sunt patris, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus per totam abbatiam cunctis clericis, & cæteris fidelibus nostris iniungas, vt eius exequias omni cum deuotione solemniter celebrantes, animam eius cum decantatione missarum, & alijs ecclesiasticis sacramentis diuinæ misericordiæ recommendent, manifestis indicijs ostendentes, quod sicut in gaudiorum nostrorum tripudijs exultant hilariter, sic & doloribus nostris condolere fideliter videantur. *Dat. &c.*]

Friderici de ea lit.

22 Exercuisse hoc anno numen diuinæ iustitiæ exemplum in municipium Italiæ populo refertissimum, cui Montagnanæ nomen erat, scribit monachus Patauinus his verbis a: *In mense martio populosa Montagnana est diuino iudicio concremata.* Addit auctor Ezelinum audita illius funesta clade mox ad locum occupandum aduolasse, suæq; tyrannidi subiecisse. Absoluimus hunc annum rebus Terræ sanctæ quæ diuino præsidio confirmatæ fuerunt: tradit enim Parisius b Templarios cælesti ope fultos præclaram de hostibus victoriam retulisse.

Montagnana diuino iudicio exusta.
a Mon. Pad. chron. l. 1. hoc an.
Occupatur ab Ezelino.
Templarij Saracenos profligant.
b Par. hist. Angl. hoc ann.

IESV CHRISTI

Annus 1243.

INNOCENTII PP. IV. annus 1. FRIDERICI II. IMP. 24. BALDVINI II. IMP. 15.

1 Erexit sese noui Pontificis electione, luctumque præteritum illius præsentia detersit Rom. Ecclesia anno Domini quadragesimo tertio supra millesimum ducentesimum indictione prima, cum diu antea in mœrore iacuisset. Hoc enim anno iunio mense cum sedes Apostolica anni vnius atque octo mensium spatio & amplius vacasset, iamque sub ferociente Friderici insolentia satisceret, Innocentius IV. gubernacula suscepit. quæ antequam attingamus, gesta ante eius electionem percurrenda. Porrectam sibi vacante sede egregiam opprimendæ Ecclesiæ Romanæ Vrbisque in suam potestatem redigendæ occasionem arbitratus Fridericus, cinctus validis copijs, e Sicilia citeriore in Campaniam irruptione facta, infesta signa in Romanos extulit, vt scribit Richardus c huius tragœdiæ spectator: *Mense*, inquit, *maij de Capua mouens, et per S. Germanum transitum habens & per Agnum, apud Flagellam se contulit, vbi faciens aliquandiu moram inde per Campaniam facto itinere, super flumen Ceparam transitum habens, super Vrbem vadit, vbi turres nonnullas funditus fecit euerti, faciens in alijs etiam quam potuit vastitatem.*

Fridericus Romam obsidione occupare tentat.
c Ric. in chro. hoc ann.

2 Tenuisse porro duos menses Vrbis obsidionem tradit Ptolemæus Lucensis d, quibus consentit Parisius e qui Fridericum obsidendæ Vrbis illum colorem prætendisse ait, Romanos sua ambitione, ac discordia creationem noui Pontificis disturbasse: illos vero culpam in Cardinales animis, ac locis segre-

d Ptol. Lucen. in annal. hoc ann.
e Par. hist. Angl. eod. ann.
Quas fecundi causas prætendent.

gregatos, ac discrepantes deriuasse, nec minus strenue se aduersus illius impetus defendisse: interea Fridericum edicto sanxisse, vt possessiones & ecclesiæ Cardinalium & ditionis pontificiæ vrbes hostili vastitate delerentur; eoque tempore Albam prænobilem vrbem ab Sarracenis vastatam, nulloque discrimine in omnes sæuitum, ipsasque ecclesias direptas, ac sacra omnia prophanata; demum Cardinalium precibus flexum modum iræ posuisse. a quo non discrepat Richardus, qui illatam ab Friderico, quam inferre potuit, vastitatem dixit, adijcitque: *Et tunc ad preces Cardinalium ab Vrbe discedens est reuersus in regnum.*

Othonis carcere Amalphitano liberat.

3 Fauere in eo noui Pontificis creationi, quam incenso studio fucatis verbis ambire præ se ferebat, visus est, quod multis principum precibus frangi demum passus est, vt Cardinales, quos Amalphitanus carcer tenebat, vinculis emitteret. Liberatum e seruitute Othonem tit. S. Nicolai diaconum Card. demostrant literæ a Cardinalium Sede vacante hoc anno in gratiam Capotij canonici Basilicæ S. Petri, cui vectigalia cuiusdam ecclesiæ ipsi a Gregorio antea erepta ab abbate e Vvareduna restitui iubent, exaratæ, in quarum titulo subiecto nomen Othonis cum cæteris collocatum reperitur: *Miseratione diuina R... Ostiensis & Velletrensis I.. tit. S. Praxedis S.. tit. sancti Laurentij in Lucina S.. tit. sanctæ Mariæ in Cosmedin C.. sanctorum Cosmæ & Damiani, O.. sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconi S. R. E. Cardinalis religioso viro abbati de Vvareduna, salutem in Domino, &c.*

a Ext. apud Paris. hist. Angl. hoc ann.

4 Cum Iacobi Prænestini episcopi nomen in illis desideretur, nondum tunc e vinculis relaxatum colligitur. quibus Richardus e S. Germano consentit, dum ait Othonem diaconum Cardinalem mense iunio superioris anni restitutam libertati, quo tempore Iacobum episcopum Prænestinum Tybure ad custodiam relegatum affirmat: infenso enim in eum animo fuisse Fridericum ob Placentinos, olim inter se conciliatos, cum eam rem in suum damnum vergere interpretaretur, suo loco dictum est. At demum Iacobum laxatum e vinculis hoc anno mense maio idem auctor testatur b his verbis: *Eo mense*, nimirum maio, *Prænestinus episcopus Imperatore mandante liberatus est; apud Anagniam ad Cardinales cum honore remissus.* Ad id porro Cardinalium precibus flexum tyrannum fuisse indicat Innocentius IV. in literis c ad nuntios Apostolicos, qui apud Fridericum versabantur, exaratis; in quibus illum ob Prænestinum episcopum redditum libertati præclare se gessisse; non laxatis vero e vinculis alijs præsulibus turpem maculam suscipere respondet. quibus consentientia tradunt Parisius & alij.

Iacobum ep. Prænest. emittit e vinculis.

b Rich. e S. Germ. in chron.

c Inn. l. 1. ep. 89.

Sinibaldus Card. Anagniæ in Pont. eligitur.

5 Igitur Anagniæ cum conuenissent S. R. E. Cardinales communibus suffragijs Sinibaldum Cardinalem Pontificem renuntiarunt, cuius creationem mense iunio celebratam refert Richardus: *Mense iunio Sinibaldus tit. S. Laurentij in Lucina Cardinalis apud Anagniam in Papam Innocentium creatus est voluntate & consensu omnium Cardinalium.* Diem vero mensis quo electus & sacris pontificalibus delibutus est, notat Parisius his verbis: *Ipso quoque anno*, hoc scilicet, *die natiuitatis S. Io. Baptistæ creatus est in Papam dominus Sinibaldus Card. postquam vacauerat sedes papatus per annum & nouem mensibus, & die Apostolorum Petri & Pauli confirmatus & consecratus est: & vocatum est nomen eius Innocentius IV.* Ex his perspicuum est Innocentium IV. hoc anno solium Apostolicum conscendisse, atque demonstrant eius literæ, vt superuacaneum existimemus scriptores alios, qui idem affirmant, enumerare, e quibus eorum error depellitur, qui ad annum superiorem d vel proximum sequentem a electionem Innocentij contulere.

Innocentij IV. nomen sibi imponit.

d Mron. Pad. chro. lib. 1. Dlugosch. hist. Pol. l. 7. & alij.

a Albert Stad. in chron. Blondus dec. 2 lib. 9. Crantz. hist. Saxon. l. 8. c. 11. & alij.

6 De electionis die idem plerique alij, qui tamen non tertio, sed quarto kal. iulias sacris pontificalibus initiatum tradunt, ac sedem antea annum vnum, menses octo, dies quindecim vacasse, ipsumque Pontificem annos vndecim menses quinque dies quinque sedisse testantur. Scribit Henricus Stero b Sinibaldum, quem ipse Symbaldum appellat, antequam Romanus Pontifex salutaretur, S. R. E. diaconum Cardinalem extitisse: cæteri tamen pene omnes presbyterum nominant, quamuis nonnulli S. Martini c & alij S. Laurentij in Lucina titulo insignitum affirment; quam posteriorem sententiam Gregorij IX. literæ ad ipsum, tum Piceni præfectum, datæ confirmant d, atque hic esse videtur, cuius nomen cum cæteris Cardinalibus in allato supra literarum titulo adiectum est. Ipsum vero nobili Fliscorum Lauaniæ comitum genere ortum omnes consentiunt.

b Stero in annal. apud Canis. antiq. l. B tom. 1. p. 267.

c Guil. Nang. in gest. S. Lud. Genus e comitibus Lauaniæ duxerat.

d Greg. IX. lib. 14. ep. 109.

7 Susceptis Ecclesiæ gubernaculis nouus Pontifex de sua creatione vniuersos Christi fideles encyclicis literis, vt moris erat, certiores fecit, quæ in ipsius regesto e Rhemensi archiepiscopo ac suffraganeis inscriptæ sunt: quibus enixe commendauit, pacem ardentissimis precibus a Deo flagitarent, vt barbarorum furorem a Christiano populo auerteret.

e Inn. IV. l. 1. ep. 1

Innocentius, &c.

Felicis recordationis Cælestino Papa prædecessore nostro, qui bonæ memoriæ Gregorio Papæ successerat, infra modicum temporis spatium soluto carnis debito censuali ad superos, vt credimus, vt introeat in potentias Domini euocato ac eius, vt moris est, exequijs in crastino celebratis, post vacationem diutinam, quæ peccatis exigentibus propter malitiam temporis interuenit, fratres ad tantum subrogandi pastoris officium Anagniæ conuenientes in vnum, tandem Spiritus sancti gratia inuocata in nos prouidentiæ suæ oculos iniecerunt, imbecillibus humeris fascem tanti oneris imponere decernendo. Nos autem nostræ infirmitatis & insufficientiæ conscij vehementer expauimus hoc audito, quia mens cœpit refugere, cor tremere, pondus importabile recusando, & ad renitendum omnino disposuit totis effectibus se armare. Verum ne diutina reluctatio in hoc tempestatis articulo aliquid discriminis pareret, cum temerarium videretur diuinæ dispositioni penitus obuiare; ad illum nostros oculos attollentes, qui dat lasso virtutem, & largitur munera in se sperantibus affluenter; quique nostrum considerans imperfectum, cum sit sufficientia omnium, insufficientiam nostram supplebit suæ abundantia largitatis, dando gloriam nomini suo magno; vocationi diuinæ consensimus, & debiles humeros de superna virtute confisi submisimus ad portandum tanti ponderis grauitatem.

Fideles per literas de sua electione certiores facit.

8 Vos itaque fratres, qui estis ad custodiam gregis Dominici deputati, rogamus attentius, & hortamur in Domino, omnem curam & solicitudinem subinferentes ad seruiendum digne Deo per omnia, & implendum legitime pastorale ministerium, quod sumpsistis, ministrare in fide virtutum forma facti gregis ex animo, vt cum oues per sacrum profluuium oris vestri aquas hauserint in gaudio de fontibus Saluatoris, viderintque virgas pastorum detractis corticibus vanitatis & voluptatis diuino candore nitentes, in contemplatione ipsarum affectiones mundas concipiant, & vnicoloris fœtus pariant masculinos digne Christo Domino pastorum principi offerendas. Non cessetis autem pro nobis per vos vestrosque subiectos assiduas preces effundere, vt sua clementia de cælis mittat nobis sapientiam assistricem ad regendum populos nobis commissos, quæ nos doceat cum Domino solicite ambulare, ac

Hortatur ad strenue obeundum pontificale munus.

id

id agere coram eo, quod nunc sibi & omni tempore sit acceptum, vt de sua plenitudine accipientes gratiæ largitatem dignam Domino rationem de suscepto ministerio reddere valeamus.

Ad preces pro salute Christiani populi fundendas.

9 Flagitate insuper quotidiana instantia, vt pacem Ecclesiæ suæ tribuat, & populo Christiano barbaricam rabiem conterat, & gentem perfidam paganorum de finibus Christianorum depellat. Non enim honorare vos disponimus & diligere velut fratres, & in vestris necessitatibus vobis adesse, actore Domino, vtiliter & prodesse. Cæterum cum portitores huiusmodi literarum interdum esse consueuerint exactores, volumus & mandamus, vt latori præsentium præter victum, & si eum infirmari contigerit, necessaria, nihil penitus tribuatis, cum de non recipiendo præstiterit iuramentum, & aliàs pro labore & expensis sibi congrue satisfiat. *Dat. Anagniæ VI. non. iul. pont. nostri an. 1.*]

Gratulatur illi de obtento Ap. dignitatis gradu Frid.

10 Interea Fridericus cum accepisset Innocentium ad solium Apostolicum prouectum, lætitiam præ se tulit, vt testatur Richardus, qui de pontificia creatione locutus subdit: *Quo audito Imperator, qui tunc erat Melfiæ, vbique per regnum laudes iussit Domino debitas decantari.* Tum de missis ab illo oratoribus subijcit: *Mense iulio Imperator ad Papam mittit apud Anagniam Berardum Panormitanum archiepiscopum, magistrum Petrum de Vinea, & magistrum Tadæum de Suessa pro bono pacis, a quo benigne satis recepti sunt, & benignum ad principem retulerunt responsum.* Extant eius literæ in bibliotheca nostra a fucati amoris notis ad eblandiendam illius gratiam aspersæ, quas tum vt tantum honorem recens adeptum Innocentio gratularetur, misit; in quibus perstricta Romana Ecclesia, quam nouercam non matrem antea sensisse queritur, meliores sibi spes sub eo Pontifice, qui e nobilibus Imperio suo obnoxijs originem duxerit, affulgere filijque Ecclesiæ optatum nomen sibi restitutum iri gloriatur.

a In M. S. Vallicell. sign. B. 411

Eiusdem de eo lit.

Sanctissimo in Christo patri domino Innocentio Dei gratia S. R. E. summo Pontifici Federicus eadem gratia Romanorum Imperator semper Augustus, Ierusalem & Siciliæ Rex salutem, & reuerentiam filialem.

11 Audita summis expetita consilijs & ardentibus desiderijs expectata summi substitutione Pontificis, in qua venerabilium fratrum voluntate concordi, & vnica generalis voti postulatione fuistis Deo actore promoti, tanto maior nobis accessit ex vestra promotione iucunditas, quanto subtractum dulce filij nomen, quod viduitas matris abstulerat, in data nobis noui subrogatione parentis non immerito gaudere confidimus restitutum, vt paterno nomini piæ prouisionis omen adueniat, per quod expectanti filio, & nouercalem quodammodo dudum iniuriam iam perpesso recte dicat Ecclesia: Fili ecce pater tuus, in cuius affectione filius respirabit; & ad patrem conuersa respondeat: Pater ecce filius, quem materna vbera lactauerunt, in cuius obsequijs pia paternitas requiescet. Datum est enim vobis e cælo Innocentij prædestinata sorte vocabulum, quod per vos nocentia subtrahi consultius innuat, & pie suadeat innocentiam conseruari.

Transmittit oratores.

12 Aduenistis quoque nobis e nobilibus Imperij filijs vetus amicus, nouum creatus in patrem, per quem confidat Imperium vota pacis & suæ iustitiæ inuiolata seruari. Quapropter ad reuerendum patrem dominum Innocentium Apost. sedis antistitem per fratrem Gerardum de Marpurg, venerabilem magistrum domus S. Mariæ Theutonicorum in Ierusalem, Ansaldum de Mari sacri Imperij & regni Siciliæ ammiratum, magistrum Petrum de Vinea, & magistrum Tadæum de Suessa magnæ curiæ nostræ iudices, & magistrum Rogerium Porcastrellam Messanensem decanum capellanum & fideles nostros, quos de latere nostro ad vestram præsentiam destinamus nostræ serenitatis nuncios & legatos, conceptæ spiritu deuotionis accedimus, & in eorum affatibus tam deuote, quam hilariter nos vestro conspectui præsentamus. Ijdem vero nuncij nostri, tanquam intime conscij voluntatis nostræ, deuotionis ad patrem veraces erunt interpretes tam nos, quam potentiam nostram, Imperium & regna, quidquid & in bonis nostris existit vestris beneplacitis ad honorem Ecclesiæ & fauorem omnimodum ecclesiasticæ libertatis, quantum cum Deo saluis iure & honore sacri Romani Imperij possumus, obnixius offerentes, illam ad nos vtinam reuerendi pastoria beneuolentiam relaturi, per quam erga debitam patris & omnem honorificentiam filialem totis affectibus ac expertis effectibus plusquam aliquis deuotus filius effundamur. *Dat. apud Beneuentum XXVI. * iunij prima indict.*]

Multis verborũ officijs prosequitur.

* iulij

At vaferrimum principem fraudes suas, atque insidias hac pompa officiorum subornasse, rei exitus illustrauit. Profecto sunt qui tradunt Fridericum, vtpote improbæ mentis suæ conscium, tanti viri electionem iniquiore animo tulisse, ac nuntiantibus Sinibaldum Pontificem creatum, mœsta voce subiecisse, ex optimo amico Cardinale se infensissimum hostem Pontificem habiturum. quam vocem an Fridericus vere protulerit, an ex euentu illi afficta fuerit, fides sit penes auctores.

Innocentius legatos ad Frid. pro tractanda pace mittit.

13 Adducendæ coniungendæque pacis studio Innocentius legationem ad Fridericum horum temporum turbinem ac facem decreuit, quam P.. Rothomagensi archiepiscopo, Vuillelmo olim episcopo Mutinensi viro sanctitate, atque amplissimis rebus gestis & legationibus in Germania ac septentrionalibus regnis clarissimo, atque Guillelmo S. Facundi abbati, quem a Ferdinando Rege Castellæ & Legionis motæ inter Fridericum & Gregorium dissensionis initio ad tentandam concordiam missum antea vidimus [a], qui omnes postea in Cardinalium collegium cooptati fuere, quemadmodum in sententia perspicitur, quam Innocentius in Lugdunensi synodo aduersus tyrannum tulit, nosque suo loco referemus. Extant monita [b] apostolica legatis tradita, quibus ad rem cum Friderico gerendam instruerentur. In primis significarent Friderico desiderio magno conciliandæ pacis Pontificem teneri: poscerent ab ipso, vt captos præsules pristinæ assereret libertati; sciscitarentur qua ratione in ijs facere satis in animo haberet, pro quibus anathemate defixus esset: si Ecclesia iniuria aliqua ipsum affecerit, quam non intulisse putat, ad eam sarciendam paratissimam, ac tum concilium œcumenicum coactum iri, in quo omnes principes suos oratores mittere rogabuntur, vt mutuo omnes irrogatæ iniuriæ resarciantur.

a An. 1239

b Sup. l. 1 ep. 54.

Isti sunt articuli quos portauerunt nuntij sedis Apostolicæ ad Imperatorem.

14 *Proponant nuntij quod dominus Papa, & fratres sui desiderant, quantum in eis est, per omnia habere cum principe & cum omnibus hominibus, & parati sunt quantum in eis est, pacem dare & tranquillitatem sibi & vniuerso mundo, & vtinã hoc principi placeat vel eam non impediat, quia magnum præambulum est & vtile ad tractatum pacis. Si restituantur prælati & clerici omnes captiui quos detinet, & omnes tam clerici, quam laici, quos cepit in galeis rogent & petant quod eos debeat restituere, cum hoc ipsum ipse & nuntij sui promiserint ante promotionem nostram. Item proponant quod ipsi pro nobis parati sunt audire, & tractare de pace, & audire satisfactionem, quam vult facere princeps de omnibus, pro quibus excommunicatus est.*

Flagitat vt præsules captos e vinculis dimittat. Offert paratum se ad cogendam synodum vt e Regũ & prælatorũ consilio mutuę infectę iniuriæ sarciãtur.

15 *Item offerant quod Ecclesia, si in aliquo contra debitum læsit eum, quod non credit, parata est corrigere, & in statum debitum reformare: & si princeps dicat quod in nullo læsit Ecclesiam contra iustitiam, vel si dicat*

quod

quod nos læsimus cum contra iustitiam, parati sumus vocare Reges, prælatos, & principes, tam seculares, quam ecclesiasticas ad aliquem tutum locum, vt per se vel solemnes nuntios illuc veniant, & de consilio concilij parata est satisfacere princip, si in aliquo eum læsit; & reuocare sententiam, si quam iniustam contra eum tulit, & cum omni mansuetudine & misericordia, quantum cum Domino & honore Ecclesiæ fieri potest, recipere ab eo satisfactionem de iniurijs & offensis sibi & suis irrogatis. Item hoc sciat princeps quod omnes amicos, & adhærentes Ecclesiæ vult Ecclesia in pace ponere, ac plena securitate gaudere, quod nunquam hac occasione possint subire aliquod discrimen.

a Ib. ep. 89. Postulat Frid. vt legatus ex Insubria reuocetur.

16 Quid vero legati apud principem egerint, quidue ab ipso responsi acceperint, redditis ad legatos literis a insinuauit; quibus ipsos vti eius iras emolliturі querelasq; refutaturi essent, erudiuit Pontifex. Questus in primis fuerat legatum, vti poposcerat, ex Insubriæ non reuocatum: sperabat enim Fridericus absente legato Insubres in suam potestatem redactum iri, cum plures ex ijs suis partibus addictos haberet, maximæque vigerent inter reliquos discordiæ, quas nisi legatus sæpius sopiuisset, vt commune periculum propulsarent, sub Friderici potentia succubuissent. Cumulabat alias querelas, Prænestinum episcopum Cardinalem, ac nonnullos præsules a se liberatos, Salinguerram vero in vinculis a pontificijs teneri. Cæterum Maguntinum archiepiscopum publicum hostem dignitate sedis Apostolicæ auctum, ac ius contra illius gratiam denegari: demandatum Aueniononensi episcopo iu Tolosani comitis iniuriam legationis munus: apud Insubres hæresim latius grassatam, nec Pontificem excindendæ illi pesti incumbere: denique suos oratores in pontificium conspectum magno imperatoriæ maiestatis contemptu non admissos. Ad has ergo infringendas querelas Ecclesiæque æquitatem illustrandam Pontifex his literis nuntios instruxit.

Friderici de Innoc. querelæ.

Archiepiscopo Rothomagensi & episcopo quondam Mutinensi & abbati S. Facundi nuntijs Apostolicæ sedis.

17 Literas vestras benigne recepimus & earum tenorem pleno collegimus intellectu. Sane inter cætera, quæ ipsæ literæ continebant, accepimus quod princeps super quibusdam de nobis conqueritur, & aliqua nihilominus a nobis instanter exposcit. Porro si rei veritas & temporis qualitas diligentius attenduntur, nec suæ in hac parte querelæ, nec petitioni locus ad præsens esse videtur: nam cum Rom. Ecclesia cunctorum fidelium gerens curam frequenter ad diuersas mundi partes legatos dirigat, ne postponat absentes, quorum tenetur procurare salutem, & in Lombardiam olim pro illius terræ vtilitate communi legatum duxerit destinandum; idemque princeps postquam fuimus ad apicem summi Apostolatus assumpti reliquias patrimonij eiusdem Ecclesiæ, quod tempore felicis recordationis Gregorij Papæ prædecessoris nostri fere occupauit in totum, non cessauit multipliciter impugnare: quin potius illas afflictionis manu attriuerit grauioris; nec digne ab eo petitur prædictum reuocari legatum, nec esset ei super hoc a nobis, rebus sic existentibus, exauditionis tribuendus auditus; maxime quia Lombardis diu guerrarum commotione turbatis optatæ spes consolationis ex legati eiusdem tolleretur absentia, & aditus ad maiora notum discrimina præberetur: & non absque nota proditionis Ecclesia sic ipsos desereret, ni prius remissionem ab eodem principe obtinerent, vel cum ipso treugas inirent super iniurijs, quas eos sibi occasione dicit eiusdem Ecclesiæ irrogasse: nec ab ipsius Ecclesiæ Rom. Cardinalibus ea vacante fuit ei præfati reuocatio promissa legati, sed cum de venerabili fratre nostro Penestrino episcopo, alijsque liberandis captiuis haberetur tractatus; & ab eisdem Card. vt legatum renocarent eundem, ex parte principis peteretur ipsius, a quibusdam eorum responsum extitit, quod petitiones eius, quantum cum Deo possent, cum adesset opportunitas temporis, adimplerent.

Respōdet Innoc. legatum ex Insubria reuocare non posse.

Ob infestos Friderici reliquas Patrimonij terras occupare molientis conatus. Insubres nisi pacē cū ijs vel inducias ineat sine proditione deseri non posse.

18 Multum autem gaudendum est principi, quod dictum Penestrinum & quosdam alios restituit libertati, & dolendum satis, quod reliquos adhuc detinet captiuatos, cum ex illorum restitutione salus ac honor, & istorum detentione contrarium ei prouenisse noscatur. Prouide quoque deberet attendere, an Ecclesiam, quam sæpius vocat matrem, reuereatur vt conuenit, & eius vt decet fideles honoret. Quomodo enim verbis matrem illam asseret, si se ipsius filium operibus diffitetur? Aut quomodo erga eam deuotionem dicto prætendit, si se sic facto exhibet indeuotum? Salinguerræ vero liberatio, super qua nunc primo ipsius principia intelleximus voluntatem, incongrue postulatur a nobis, cum nec detineamus illum, nec detineri aliquatenus faciamus (illum a Venetis in vincula adductum superius vidimus) qui si per nos etiam teneretur, cum ciuitatem Ferrariam sedis Apostolicę specialem, sicut ex eiusdem principis & prædecessorum suorum priuilegijs potest liquido apparere; pro qua idem Salinguerra vassallus erat sedis ipsius, contra Romanam Ecclesiam concitarit, & in rebellione captus extiterit ciuitatis eiusdem, non ex hoc princeps ipse iusta posset admiratione moueri. Veruntamen si ostendi poterit coram, quod ratione pacti, vel promissionis alicuius debeat liberari, super hoc quod debebimus, faciemus.

Præclare egisse Frid. in Iacobo Card. liberando; in alijs vero præsulibus detinendis male se gerere. Pij illius verbis opera non cōsentire. Salinguerram a se non detineri. Captum in perduellione fuisse. Si quid de eo conuētum pacta seruaturū.

19 Cæterum nos venerabilis fratris nostri archiepiscopi Maguntini nuntios hilariter recepisse, ac ei commisisse legationis officium, nullosque audire in iustitia contra eum in quærimoniam princeps ipse deducit: sed cum idem archiepiscopus magnus Ecclesiæ Dei prælatus, tantusque princeps existat & ipsi Ecclesiæ tam deuotus, gaudemus vtique, si quem ei honorem impendimus, quem etiam proponimus auctore Domino amplius honorare. Super iustitia tamen contra ipsum a nobis aliquibus denegata, nos conscientia non remordet, cum illam intendamus petentibus plenarie contra quoslibet exhibere. Ad deuotionem autem principis memorati dictum archiepiscopum & alios amicos Ecclesiæ libenter reducere curaremus, si ad reddendum ipsi Ecclesiæ, suisque deuotis pacem debitam & seruandam eundem animum inclinaret.

Collatum quidem arch. Maguntino legationis munus; nulli tamē negatam aduersus ipsum iustitiam. Adducturum ad obsequium Friderici si Frid. ad Ecclesiam rediret.

20 Habet insuper eiusdem conquestio principis, quod in odium sui & fauorem dilecti filij nobilis viri comitis Prouinciæ Auinionensi electo legationis officium in illis partibus duximus committendum; sed Deo teste nullam de principe ipso fecisse meminimus mentionem, cum specialiter contra hæreticos & fautores ipsorum legationem eandem ad fratrum Prædicatorum instantiam, qui propter hoc ad Apostolicam sedem de partibus eisdem accesserant, electo iniunxerimus antedicto. Parati nihilominus sumus pro eodem comite suæ deuotionis exigentibus meritis & ad maiora.

Auinionē si electo non in gratiam comitis Prouin. sed ad excindendos hæreticos legati partes impositas.

21 Nec iuste quid argui possumus, quod contra remotos hæreticos, omissis proximis Lombardiæ videlicet & Tusciæ, procedamus: nam sicut omnium fere tenet notitia, Rom. Ecclesia vbique terrarum ante ortam inter ipsam, & principem eundem discordiā constanter persequebatur hæreticam prauitatem, & eo fortius in vicino, quo inibi ratione propinquitatis facilius & plenius vim suæ auctoritatis poterat exercere: at postquam princeps idem Ecclesiam ipsam cœpit opprimere, sic vndique vires eius arctauit, viasq; præclusit, quod impugnare prauita-

nitatem ipsam & catholicæ fidei & ecclesiasticæ libertatis augmentum, ac salutem fidelium, prout oportuit, procurare nequiuit:

Non esse moris Pontificum Rom. excommunicatos in conspectū admittere

Ad hoc princeps ipse mirari non debet, si suos non admisimus nuntios ad nostram præsentiam destinatos, cum nunquam Rom. Pontifex excommunicatos scienter recipiat, antequam absolutionis beneficium iuxta formam Ecclesiæ consequantur (verum postea IV. nonas septemb. anathemate solutos, vt ad tractandas pacis leges admitti in conspectum pontificum possent ostendunt Innocentij literæ a) Insistite igitur studiosis exhortationibus apud eum, vt de sua salute solicite cogitans vniuerso populo Christiano de pacis tranquillitate prouideat, & arma, quę aduersus Ecclesiam irreuerenter assumpsit, contra hæreticos, schismaticos, aliosque inimicos orthodoxæ fidei ex reuerentia filiali conuertat. Sic enim a se Iudicis indignationem superioris auerteret, qui nonnunquam in præsenti delinquentium culpas punire ideo prætermittit, vt illas in futuro grauius vlciscatur; & sedem Apostolicam adeo sibi constitueret fauorabilem & benignam, vt in ijs, quæ principis ipsius honorem respiciunt, studeret eius desideria præuenire. Quod si forte se monitionibus vestris tam salubribus humiliter non inclinet, volumus & præsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus ad nos protinus redeatis. *Dat. Anagniæ VII. non. septemb. ann. I.*]

a Ep. 93.

22 Cæterum sedis Apostolicæ apud Insubres legatus, quem Fridericus, vt modo audiuimus, ijs partibus remoueri poscebat, erat Gregorius e Montelongo R. E. subdiaconus & notarius, non modo e prouincia non est reuocatus, sed in suscepto etiam gestoque hactenus maxima cum laude munere perstare iussus b quem in primis de ijs quæ Ecclesiam inter ac Fridericum hactenus tractata erant, certiorem fecit c; oratores nempe a Friderico ad agitandā pacem missos eosque beneuole exceptos: se enim ad pacem propendere, tum vel maxime vt lacessendæ calumnijs Ecclesiæ occasionem principi adimeret; missasque a se Friderico pacis ineundæ leges. Eas vero ab ipso repudiatas iterumque alios oratores, qui fœderis alia capita nec Ecclesiæ nec illius oratorum ipsius dignitati conducentia attulere, missos: ea vero se constanter respuisse; tum subijcit: *Quapropter mandamus quatenus fideles & deuotos Ecclesiæ in Lombardiæ partibus constitutos, vt in ipsius deuotione solita stabiliter persistant, suisque obsequijs perseueranter insistant studeas, prout expedire videris, affectuosis inductionibus animare; ipsis ex parte nostra significans, quod cum eis & alijs Ecclesiæ deuotis, prout eidem Ecclesiæ, ac illis expedire viderimus, & non aliter pacem inter Ecclesiam ipsam & memoratum principem intendimus reformare. Dat. Anagniæ IX. octob. ann. I.*

b Ep. 136.

c Ep. 127.

Certiorē facit Pontifex Gregorium e Montelongo de tractatu pacis ineundo.

Pollicetur nō admissurum nisi fœdera iustas & honestę pacis leges extiterunt

Eodem argumento Pontifex datis ad Taruisinos literis d pollicitus est cum Friderico fœdus non conciliaturum, ni illius leges ipsorum dignitati vtilitatique conducerent. Cumque patriarcha Aquileiensis bellum ipsis intulisset, atque circumpositos agros hostili furore exussisset, patriarcham Innocentius grauissime monuit, indignum omnino videri, vt qui pro Ecclesia fortissime opponere sese debuisset, eam in eius clientibus oppugnare. Tum Gregorio e Montelongo legato prouinciam imposuit e illum, ni desisteret, censuris percelleret.

d Ep. 136.

e Ep. 212.

23 Cæterum non obscuris indicijs cælestibus ostensum mortalibus nō discordiam pacatum iri, sed bellum atrocius imminere, vt Richardus prodit historiæ his verbis: *Eodem mense*, iulio scilicet quo oratores de concilianda pace a Friderico missos dixerat, *discursus siderum de nocte visus est in festo S. Iacobi, ita vnum contra alterum quasi hostem insurgerent & inter se hostiliter dimicarent*. Solere diuinam prouidentiam signis similibus populos ad expianda lacrymis crimina, atque iras cælestes auertendas præmonere docent plura exempla annalibus a Card. Baronio & a nobis suis locis insinuata. Addit auctor de concitatis paulo post Viterbij tumultibus: *Tunc ciuitas Viterbij, procurante magistro Rainerio Card. venit ad mandatum Ecclesiæ mense augusto comite Simone Theatino pro Imperatore se tenente in ea: quo audito Imperator mox sine mora periculo se personaliter contulit mense septembri ad succursum prædicti comitis, & ad recuperationem ciuitatis ipsius: qui congregato exercitu copioso obsedit eam, & statutis machinis tam minis quam viribus dire satis impugnauit eandem: qui cum in nullo proficeret, recepto & libere dimisso comite prædicto & suis qui cum eo erant, ab obsidione recessit*.

Cælestia prodigia imminentis belli præsagia.

Viterbienses Friderici iugū excutiunt

Venientē cum exercitu propulsant.

24 His congruunt, quę a Parisio de illo Viterbiensi bello traduntur a. Narrat enim Viterbienses, & circūpositos populos grauiori iugo ab Friderici satellitibus oppressos, illud e suis ceruicibus percusso cum Romanis, qui pontificias partes sequebantur, fœdere, Rainerij Viterbiensis Cardinalis opera feliciter depulisse: submissis enim eductisque clandestine Romanorum copijs, præsidiarij Friderici milites oppressi & cum præfecto Vrbis, Tusciæ comite, in vincula coniecti: mox ea defectione audita Fridericum iratum plenum in Viterbienses magno impetu venisse, sed tandem Fridericum male ab ijs Romanisque habitum terga vertere coactum, ac Pisas se recepisse. Creuisse vero pontificijs animos & eorum partibus plures, inter quos Montisferrati & Malaspinæ marchiones, Vercellenses, Alexandrinos enumerat, sese aggregasse. Inter cæteros Sardi ad Ecclesiæ obsequium redierunt b, ac Regina Turritana Adelasia nomine, quæ Vbaldo viro Pisano dynasta moriente ob nuptias cum Entio Friderici notho filio contra Gregorij supremi illius domini imperia contractas anathemate se deuinxerat, veniam supplicibus votis flagitauit; cuius absoluendæ prouinciam Innocentius Arboreæ archiepiscopo commisit. c

a Matth. Par. hist. Angl. hoc ann.

Plures ad Ecclesiæ obsequiū redeunt.

b Ep. 204.

Adelasia Turritana Regina absolui demisse postulat.

c Ep. 205.

25 Interea dum Fridericus ad eludendam ignominiā maiores copias instruebat, Rainerius S. Mariæ in Cosmedin diaconus Card. comparandis ad retundendū hostem nouis auxilijs intentus, stipendiorum subsidia ab Innocentio flagitauit. Cui Pontifex respondet d fuisse sui animi temperare bello, sine quo Viterbium, dum de eo in Cardinalium consistorio tractaretur, nec recipi, nec retineri posse videbatur: auditis tamen illorum oratoribus eiusque dignitati consulere cupiens, tum pericula a Viterbiensium aliorumque capitibus, qui ad Ecclesiam transfugissent, propulsare, duo millia vnciarum auri supra quingentas suppeditare significauit.

Rainerius Card. postulat ab Innocentio auxilia Viterbiensibus submitti.

d Ep. 167.

R. . sanctæ Mariæ in Cosmedin diacono Card.

26 Tua sinceritas e bene nouit, quod cum olim coram nobis te præsente de facto Viterbiensium tractaretur, dictumque fuisset, quod nobis proponentibus armorum strepitum declinare, huiusmodi negotium aggredi non prodesset, pro eo quod haberi, seu habita retineri terra non poterat sine guerra, nos in ipsius tractatus principio tibi, & nuntijs tuis expressimus viua voce per quosdam fratres nostros nihilominus intimantes, quod in eodem negotio nullas facere volebamus expensas, quare ne procederetur in ipso, nostram aperte potuisti cognoscere voluntatem.

e Ead. lib. ep. 67.

Quid illi responsum ab Innocentio.

27 Cæterum licet ad processum negotij memorati fuerimus semper inuiti, auditis tamen & intellectis quæ nuntij tui & ambassatores Viterbienses nuper coram nobis & fratribus nostris proponere curauerunt, erga honorem personæ tuæ, quam prærogatiua dilectionis & gratiæ complectimur speciali, & sinceris intendimus affectibus confouere, paternum

num respectum habentes, ac Viterbiensium pericula & etiam aliorum, qui ad mandatum Ecclesiæ redierunt, quibus si in manus inciderent inimici, discrimen capitis immineret, pia consideratione pensantes; quamquam nuntij, & ambassatores ijdem pro octo & quindecim diebus tantum quingentorum militum & mille peditum subsidium postulauerint; desideria tamen supplicum excedendo, ex apostolicæ abundantia pietatis duo millia quingentas vncias auri ad pondus Romanum connumeratis quingentis marcis sterlingorum, quas per Areng. mercatorem Florentinum nuper tibi mandauimus assignari, pro stipendijs militum & peditum prædictorum retinendorum per mensem, si fuerit opportunum discretioni tuæ per dilectum filium magistrum Martinum clericum nostrum latorem præsentium destinamus; harum serie declarantes, sicut oretenus diximus nuntijs & ambassatoribus prælibatis, quod ad nullos equorum vel armorum, seu etiam quarumlibet rerum teneri volumus redditus vel emendas; & cum pro defensione ciuitatis militia minus necessaria videatur, pedites autem vtiliores esse noscatur, prouideat circumspectio tua, quod super hoc melius & vtilius viderit expedire, firmiter credens quæ dictus clericus ex parte nostra tibi super præmissis duxerit referenda. *Datum Anagniæ non. octobris anno 1.*]

28 Contulit se Anagnia Romam paulo post has datas literas Innocentius, ac magna celebritate ab Romanis exceptum scribit Richardus: *Mense octobri circa festum omnium sanctorum Innocentius Papa Vrbem intrat cum bonore senatus populique Rom. magno receptus, ad quem dictus comes*, de Raymundo Tolosano loquitur, quem etiam superiore anno in Apuliam accessisse ad Fridericum dixerat, *vadit tractans inter ipsum & Imperatorem bonum pacis*. quibus verbis historiæ suæ accuratissimus scriptor finem adiecit, coronidis autem vice adnexa sunt hæc: *Hucusque Richardus notarius de S.Germano huius historiæ auctor, bajulus perduxit relationes quæ suo tempore contigerunt.*

Innocentius magno honore a Romanis excipitur.

29 Percurrenda nobis supersunt reliqua Innocentij gesta. Eximiam Radicofanensium erga Ecclesiam fidem commendauit a: Perusinos studium erga Rom. Ecclesiam seruare atque opem Assisinatibus laborantibus ferre præcepit b, quorum dolorem ob inflictam ab hostibus cladem literis delinire est conatus c; atque inter cætera summa liberalitate Assisinatibus concessa indulsit d redditus omnes ad Romanam Ecclesiam in Assisinate diœcesi spectantes annuo trium obolorum censu imposito viginti annorum curriculo ad se deriuarent: Tudertinos e atque Vrbeuetanos f ad restauranda iura ecclesiastica diligenter iussit incumbere: constitutiones aduersus ecclesiasticam dignitatem a prætore Portuensi editas rescidit g: Parmenses clero ecclesiæ cathedralis facere satis imperauit h, antea vero episcopum Parmensem bonorum illius ecclesiæ (cuius se alumnum vocat) dilapidatorem sacrorum administratione interdixerat i; Conradum Placentinum prætorem qui nuntium quemdam literas apostolicas deferentem sessione acceperat, aliaque in ecclesiasticam immunitatem scelera perpetrauerat, anathemate damnauit l: denique Ianuensibus a lacessendis opprimendisque ecclesiasticis viris temperarent, atque archiepiscopale palatium, quod rouaserant, restituerent imperauit. m

a ibid ep. 151. b Ep. 69. c Ep. 70. d Ep. 166. e Ep. 71. f ibid. g Ep. 251. h Ep. 330. i Ep. 4. l Ep. 354. m Ep. 255. 256. 260. 261.

30 Porrexit etiam Prærans Alpes pontificias curas, vt hæresim penitus extingueret, atque euelleret in Gallijs, quæ quamuis sæpius amputata renirescebat. Et quidem iam antea in literis ab Innocentio ad Rothomagensem archiepisc. aliosque apud Fridericum nuntios datis vidimus, religiosis Prædicatoribus viris sedem Apostolicam pulsantibus, quos iustitiam de fusa ab hæreticis Albigensibus anno superiori suorum sanguine exegisse probabile est, legationem in Gallias contra hæreticos decretam, eamque Auenionensi episcopo commissam: de qua ad Galliarum episcopos extant in pontificio regesto literæ a, quibus præcipit bene in terris, in quibus legatio ipsi demandata, ecclesijs vacantibus suspecti hæreseos, nisi ipso conscio & iubente, præficiantur. Vti vero clementia seueritatem condire sacræ fidei inquisitores deberent, in literis ad ipsos exaratis præscripsit c, primum hæreticis certum terminum quo damnatæ hæresim iubcrentur, præfigerent, eoque lapso si in perfidia obdurescerent, meritas pœnas in eos exercerent.

Legatum in Gallias aduersus Albigensium reliquias mittit.

a Ep. 31. b Ep. 10... c Ep. 316.

Vniuersis inquisitoribus hæreticorum in prouincia Narbonensi & in partibus Albigensium, ac in toto regno Franciæ constitutis.

31 Inter cætera, quæ nobis incumbunt, nostra quotidiana instantia existit, vt ad propagationem orthodoxæ fidei totis affectibus intendamus. Volentes igitur ijs qui prauitatis hæreticæ vitio sunt infecti, omnem occasionem auferre, quo minus ad lumen veræ fidei sine moræ dispendio reuertantur, præsentium auctoritate mandamus quatenus in singulis locis, ad quæ vos causa inquisitionis huiusmodi peruenire contigerit, omnes hæreticos vel credentes, seu quocunque alio nomine censeantur, qui non condemnati, neque conuicti vel in iure confessi, sed sua spontanea voluntate redire voluerint ad ecclesiasticam vnitatem, auctoritate nostra recipiatis; nulla eis pœna imposita publica vel priuata, ecclesiastica seu mundana; idque faciatis per eadem loca statim cum ad ipsa veneritis, publice nuntiari, præfigentes in singulis locis terminum competentem, infra quem redire debeant, si fuerit eis diuinitus inspiratum; si vero post huiusmodi terminum tales fuerint in eodem vitio deprehensi, contra ipsos vtpote salutis propriæ contemptores asperius, prout expedire videritis, procedatis inuocato ad id, si necesse fuerit, auxilio brachij secularis. *Dat. Later. 13. idus decemb. ann. 1.*]

Perfecit d strenue apostolica imperia sequenti anno Petrus Amelius Narbon. archiep. castro enim montis Securi hæreticorum asylo expugnato, reseruatis vitæ, qui ad Ecclesiam redierere, ducentos & amplius vtriusque sexus pertinacissimos hæreticos cum duobus ipsorum episcopis incendio concremauit. Ante verò quam aduersus Albigenses scriberet Pontifex Barensi arch. 1v. non. dec. præceperat e comitē Tolosanū, qui oratoribus ad fidem Apostolicam missis Pontifici dicto se audientē futurum erat pollicitus, consueto sacramento adacto anathemate soloeret. Cumque de Gallicis rebus agamus, adijcere visum est Innocentium rogatum a clero Beluacensi festum diem inuentionis B. Stephani protomartyris in ea vrbe, ac diœcesi celebrandum indixisse. f

d Guillel. de Podio Laurentij in chro & Bernardus Rom. Pont. an. 1244. Ducenti Albig. cū episcopis ipsorum exusti. e Ead. I.1. ep 266. f Ep. 246.

32 Præclara hoc anno Christiani, ac maxime religiosi S. Mariæ Theutonicorum equites, in Prussia facinora explicuere, latius circumtulere victorias, magnumque terræ tractum comparauere; duæ agrorum partes fratribus, qui sumptus belli suffecerant, attributæ, tertia ecclesiæ eius loci collata a legato apostolico; qui diuidendarum diœcesum, finiumque illarum circumscribendorum auctoritatem commisit Innocentius. ostendunt id apostolicæ literæ ad Prussiæ episcopum datæ, in quibus alienata ab ipso iura rescidit, ac similia in posterum audere vetuit.

Religiosi Prussiæ equites præclare aduersus infideles se gerunt.

Episcopo Prussiæ.

Ijs quæ per dilectos filios fratres hospitalis S. Mariæ Theutonicorum, & alios Christi fideles facta sunt in Prussiæ partibus, diuina propitiante potentia, cum exultatione spiritus intellectis; & considerata ter-

terræ latitudine, ibi per Dei gratiam acquisitæ, venerabili fratri nostro episcopo quondam Mutinensi pœnitentiario nostro apud sedem Apostolicam constituto ipsius Prussiæ ac Liuoniæ partibus plenę legationis officium duximus committendum; eidem in ipsa Prussia & terra Culmensi limitandi diœceses, ac ipsi Prussiæ terram diuidendi per partes de fratrum nostrorum consilio potestatem plenariam concedentes (habetur in regesto huiusmodi concessionis pontificium diploma [a] eidem episcopo inscriptum, quo ea exequendi auctoritate ipsum instruxit) verum episcopus ipse tres in Prussiæ, & vnam in terra Culmensi diœceses limitauit: ac tres partes fecit de terra Prussiæ, quarum duas dictis fratribus ferentibus præliorum angustias, & expensarum onera, quos oportet terram infeudare pluribus, deputauit; Ita quod siue vnus episcopus fuerit, siue plures duas partes terræ integre cum omni prouentu habeant & episcopus vel episcopi tertiam similiter integre habeant cum omni iurisdictione & iure, saluis tamen episcopo in duabus partibus fratrum illis omnibus, quæ non possunt nisi per episcopum exerceri.

a Ep. 144.

Possessiones Pruthenæ Ecclesiæ alienari vetat.

33 Verum cum nos limitationem, & diuisionem huiusmodi duxerimus auctoritate apostolica confirmandas, præsentibus mandamus quatenus vna ipsarum diœcesum Prussiæ quam malueris, & parte tertia terræ ipsius diœcesis contentus existens, terras vel iura ad partem diœcesis, quam eligendam duxeris, pertinentia infeudare, alienare, vel dare absque speciali mandato sedis Apostolicæ non præsumas: sciens quod quicquid de terra Prussiæ, vel terra Culmensi, aut ipsius alienasti prouentibus, in irritum reuocamus, & ex nunc inane decernimus, si quid contra inhibitionem nostram super prædictorum alienatione de cætero attentabis. Si vero diœcesim Culmensẽ elegeris, tibi de ipsa terra Culmensi sufficiat, quod in forma compositionis factæ super terra Culmensi per te ac legatum eundem, & dictos fratres, necnon ipsius terrę incolas plenius continetur. Cæterum temporalia, quæ tibi episcopatus iure competunt, nomine nostro, & Rom. Ecclesiæ de ipsius legati manu recipias, totalem sicut pontificalis dignitas & religiosa requirit honestas, in omnibus redditurus, quod Deo & Ecclesiæ sit ad gloriam, tibi redundet ad meritum, & Christi fidelibus de Prussia veniat ad profectum. *Dat. Anagniæ* III. *kal. aug. ann.* I.] Cæterum diuisionis huiusmodi a Vuillelmo Mutinensi olim episc. Pontificis iussu factæ extat insertum exemplum apostolicis literis, quas ad religiosos S. Mariæ Theutonicorum equites misit [b], dum illam confirmauit Anagniæ VIII. id. octob. anno primo: ad quos etiam id genus alias scripsit [c]; ad calcem vero Vuillelmi literarum hæc adduntur: *Dat. Anagniæ anno Domini* MCCXLIII. *XV. die mensis iulij indict. prima pontificatus eiusdem domini Papæ ann.* I.

b Ep. 121.

c Ep. 168.

Excolendis Christiana religione infidelibus incumbit.

34 Cæterum qua cura ac solicitudine incubuerit Innocentius, vt perdomitas eas barbaras gentes, Christiana religione excoleret, tum noua subsidia ex circumpositis Christianis regionibus colligi studeret, quo cœptæ victoriæ latius proferrentur, demonstrant literæ [d] tum ad priorem & prouincialem fratrum Prędicatorum in Germania, tum ad alios exaratæ [e], quibus idoneos ac lectissimos ad euangelium promulgandum viros submittere imperauit, quos redimendorum votorum auctoritate instructos esse voluit; tum vt partas a Christo opes ad placandam diuinam iustitiam, expiandisque criminibus effunderent ijs, qui vel arma capesserent, vel alios suis sumptibus in bello sacro alerent: *Deuotionem tuam rogamus & hortamur in Domino, per apostolica tibi scripta mandantes, ac in remissionem peccaminum iniungentes, quatenus priores & fratres tui ordinis constitutos in Magdeburgensi & Bremensi prouincijs, Ratisponensi, Patauiensi, Alberstatensi & Verdensi diœcesibus huiusmodi negotio, quaque postposita difficultate, deputare studeas, & eosdem attentius exhortari, quod assumpta sancta prædicationis officio propter Dominum fideles dictarum prouinciarum & diœcesum ad nimiam charitatem, qua Christus nos dilexit & diligit, respectum habere & ei retribuere aliquid pro omnibus, quæ tribuit ipse illis; pijs exhortationibus, secundum datam sibi a Deo prudentiam, studeant informare diligenter, solicite petituri, vt ipsi redempti pretio glorioso, in quos tãquam viros Christianos & catholicos cadere opprobria exprobrantium Christo debent, se viriliter & potenter accingant tanquam zelum Dei habentes ad ampliandum gloriam crucifixi, & liberandum proximos de manibus paganorum profecturi, & acturi secundum fratrum consilia prædictorum; ita quod & ipsis præmium debeatur æternum, & infideles non possint, quod impune Christi nomen impugnauerint, gloriari. Dat. Anagniæ IX. kal. octob. ann.* I.

d Ep. 162.

e Reg. post eand. ep. et ep. 162.

Et propagandæ in Illyrico hæreticis.

35 Nec minorem operam ad fidem in ijs locis, in quibus sata erat, tuendã quam in alijs, vbi nunquam viguerat, propagandã, collocandã censuit: & quo studio inueteratam superstitionem in Liuonia & Prussia euellere, eo hæresim in Croatia & Dalmatia enascentem elidere studuit. Tam ardui & illustris operis partes Vuasiensi episcopo in Strigoniensem archiepiscopum postulato, dato hoc diplomate, imposuit [a]; præcepitque, vt vbi humana vi opus foret, principum auctoritatem contra diuinæ contemptores adhiberet: *Tibi legationis officium in Croatia, & Dalmatia duximus committendum, fraternitatem tuam rogantes & obsecrantes in Domino Iesu Christo, quatenus indutus fortitudine ac virtute præcinctus prauitatis hæreticæ maculas, quibus terra huiusmodi Ramis, sicut accepimus, sunt infecta, sic de ipsius diuina potentia propitiante subsidio, per te ac alios ad hoc idoneos abolere studeas, quod ibidem Christiana possit vigere religio ad illius honorem & gloriam, in cuius beneplacito geritur; vt perennis vitæ felicitas per fidei puritatem & innocentiæ studium acquiratur, &c. Dat. Anagniæ XV. kal. aug. ann.* I.

a Eod. l. I. ep. 29.

Implorāt Vngari aduersus Tartaros Pontificis auxilium.

36 Interea funesti imminentium Tartarorum rumores Vngaros concusserunt, qui lugubres literas dedere ad Innocentium, vt Christiano nomini in ijs regionibus defendendo curas conferret: moxq; ille patriarchæ Aquileiensi prouinciam commisit [b], vt Germaniæ populos sub crucis signis conscriberet; quos idoneos ad habendas pro capessenda militari cruce conciones putaret, sibi adscisceret; comparatoque demum exercitu, Vngariæ periclitanti contra Tartaros succurreretur.

b Ib. ep. 30.

Innocentius &c. patriarchæ Aquileiensi.

Plenæ lacrymis, & repletæ suspirijs reliquiæ fidelium in Vngariæ partibus positorum matris Ecclesiæ solicitant pietatem, vt sui doloris qualitatem attendat, eiusque amaritudini & mœrori consolationis dulcedinem largiatur; ac sibi de illo prouideat defensionis auxilio, per quod, si hostis Dei & amica dæmonum gens impia Tartarorum (ipsos incantationibus deditos, atque eiusmodi dæmonum artibus victorias retulisse superius vidimus) suam in easdem reliquias moliretur experiri sæuitiam, possint ab exitio præripi, vel exterminio præseruari salubris prouisionis effectum ex hoc vniuersitate Christiani populi consequente: maxime cum sit euidens argumentum, quod ipsa tranquilla maneat & secura consistat, si ministra perditionis illa gens effera, diuina dextera triumphante possit conteri, vel de contritorum confinio profligari. Hæc enim dum nos, qui licet immeriti generalis Ecclesiæ curam ex diuina prouisione suscepimus, nostræ mentis oculis præsentamus, reddimur ex corde soliciti, vt illis propere intendamus remedijs, per quæ in Vnga-

riæ partibus sit, celebris perpetuo gloria Redemptoris.

Germanis in barbaros arma correpturis indulgentias proponit.

37 Igitur cum charissimus in Christo filius noster illustris Rex Vngariæ, & subiectus ei populus, qui credentes pro acerbitate illatorum vulnerum suis gladium imminere ceruicibus, dum persecutores horridos in vicinis Vngariæ partibus rumore terribili percipiunt constitutos, nos lacrymis moueant & lamentis inducant, vt eorum angustijs occurramus gratiæ festinæ fomento; fraternitatem tuam rogamus & obsecramus in Domino Iesu Christo, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatenus per te ac alios, quos ad hoc videris opportunos, Christi fideles in Theutonia constitutos, secundum prouidentiam tibi & illis desuper attributam, pijs inducas monitis, vt ipsi, per quos aduersus tyrannidem perfidorum Christiana potissime solet defendi religio, contra sathanæ nuntios tartarique ministros crucis signaculum pro sic afflictâ salute populi reuerenter ad gloriam suscipiant Crucifixi, se taliter ijs quæ sunt opportuna bello Domini munientes, vt si necessitas exegerit, quod auertat Dei Filius, sic Dei familiam de regno Vngariæ tueri valeant, quod pars opposita Domino proprio ruinæ grandis incurrat opprobrium, redempti pretioso Iesu Christi sanguine optatæ salutis consequantur effectum. Nos enim, vt quod tam pie, tam iuste cupimus, lætanter & leuiter fieri gaudeamus, omnibus, qui de Alemannia signo crucis assumpto in Vngariam contra Tartarorum processerint feritatem, illam indulgentiam, idemque priuilegium elargimur, quæ transeuntibus in Terræ sanctæ subsidium in generali concilio conceduntur, &c. *Dat. Anagniæ XII. kal. aug. ann. 1.*]

Via S. Hedvvigis mors.

38 Amisit hoc anno Polonia sanctitatis gemmã, continentiæ speculum, Hedvvigem ducissam Vratislauiensem Henrici cum barba olim vxorem, quæ raro exemplo in maritali thoro plurium virginum merita superauit; & quo illustrius de mundi delitijs triumpharet, Trzebnicense monasterium Cisterciensium virginum a se conditũ ingressa mirabile vitæ genus duxit; vnde diuinum numen, ad illustranda ex voluntaria corporis maceratione cõparata merita, nitidissimum ac lucidissimũ ipsius corpus post eius mortem reddidit; quam etiam ipsa antequam e vita discederet prædixit. De ipsa hæc Dlugoschus a: *Fœmina nobilissima et illustris Hedvvigis ducissa Vratislauiensis Henrici cum barba relicta, magna & euidenti in vita pollens sanctitate, VII. id. octob. moritur, & in Trzebnicensi monasterio a se & a viro suo fundato & dotato sepelitur. cuius corpus, quod in vita croceum & ex ingue abstinentijs & ieiunijs confectum erat, in morte splendidum apparuit & specie honoris corporis glorificati. Quæ beati Stanislai martyris canonizationem in spiritu præuidens futuram, & in loco monasterij Trzebnicensis, in parte sinistra chori, altare illi dicandum fore prædixerat, monens sorores, vt locum illum magna deuotione incolerent: asserens maximo sanctorum illum consecrari oportere. Quæ omnia prout prædixerat euenerunt. Hæc per annos octo & viginti cœlibem vitam ducens, ab omni illecebra carnem & spiritum custodiuit, & quod humanis stupendum est sensibus, inter spinas thori maritalis, vna cum coniuge illustrissimo suo marito Henrico, sicut lilium germinauit, & tanquam aurum in medio incendiorum probata, voluptatum ignibus per totum tempus prædictum æstuata non est.* Quod ad obitus diem; dissentit vitæ eius auctor antiquissimus, qui eius gesta Rom. Pontifici dicauit; idibus enim octobris e viuis discessisse, cæteris vero consentanea tradit b, ac certe annua eius commemoratio, quæ ipsis idibus recolitur c, id ipsum confirmare videtur. Quando vero sanctorum numero adiecta fuerit, suo loco dicetur.

Illius corpus post mortem singulari pulchritudine nitet.

a Longin. hist. Pol. hoc ann. lib. 7. ebro. hist. Pol. l. 8. & alij

b Anonym. vit. auctor apud Sur. to. 5 die 15 octob.

c Martyr. Rom. ead. die.

39 Nec abs re fuerit sanctissimæ viduæ, virginem sanctissimã Hildegardem coniũgere, de qua in sanctorum numerum referenda cum agitatum esset, adductaque ad religiosum examen eius miracula, non ita probe, atque accurate res erat confecta, cum nonnullæ circumstantiæ deessent. Cum enim testes sacramento deposuissent, ipsius beneficio plures valetudini pristinæ restitutos, alios dæmone antea correptos feliciter liberatos; nõ tamen personas in quibus patratum erat miraculum, nec loca, nec tempora designarant: quare Innocentius decano Scholastico & Vr.. de Hascoburen. canonico Maguntinis munus commisit a, vt nouum examen de rebus illius admirandis numeris omnibus absolutissimum instituerent.

De S. Hildegardis miraculis accuratius inquiri iubet Innocentius.

a Lib. 1. ep. 253.

40 *Mandamus quatenus si processistis in inquisitione huiusmodi, recipiendo singillatim super præmissis testes fide dignos, & eorum dicta, prout quilibet per se simpliciter & seriatim deposuit, faciendo conscribi processum ipsum sub sigillis vestris nobis transmittere studeatis; alioquin de prædictis omnibus, & nouis miraculis, si quæ fecisse dicitur; necnon de vita ipsius per fide dignos inquirentes solicite veritatem, dicta ipsorum testium, quos singillatim examinare curetis, prout eorum quilibet per se coram vobis pure, simpliciter, & distincte, ac ordinate, quod super prædictis omnibus sciuerit, deposuerit, faciatis cum attentione conscribi, nobis illa sub sigillis eisdem fideliter remittentes. Datum Later. VIII. kal. decemb.*

41 Ex sanctimonialis illius pijssimæ occasione addimus Innocentium seueriorem disciplinam inclusarum virginum ordinis S. Damiani in cœnobio, cui S. Francisci Pragæ nomen est, sectantium certis in rebus temperasse b. Flagitauere pariter ab Apostolica sede Cantuarienses monachi, qui ex D. Augustini instituto religiosam vitam excolebant, vt cum ex præscripta formula diuino officio nudo capite interesse tenerentur, vnde plures grauissimis morbis erant implicitui, ipsorum valetudini impo sterum consuleretur; quibus hoc diplomate annuit Innocentius: *Vestris supplicationibus inclinati vobis vtendi pileis, vestro ordini congruentibus, cum diuinis interfueritis officijs, concedimus liberam facultatem. Ita tamen, quod in lectione euangelica, & eleuatione Corporis domini Iesu Christi, & in alijs debita reuerentia obseruetur. Dat. Anag. XII. kal. sept. anu. 1.*

b Ib. ep. 32.

Canonicis regularibus pileis quadratis in diuino ministerio vti concessum.

42 Affert hoc anno editum in Anglia diuinæ iustitiæ exemplum Parisius in sacrarum opum, ac vectigalium ecclesiæ S. Albano martyri sacræ inuasorem Radulphum Cheinduit dictum, quamquam numen iustitiam misericordia temperauit. Licet enim præsenti supplicio impium vibratas in se censuras ecclesiasticas deridentem percusserit, moram tamen ad agnoscendum expiandumque crimen concessit c: *Cum per triennium sententia vinculis innodatus claues Ecclesiæ procaciter contempsisset erecta ceruice, in palatio Vvestmonasteriensi multis dixit conuocatis: Eia de monachis S. Albani, eia de ipsis. Tam diu, tam sæpe, tam efficaciter me excommunicarunt, quod impinguatum, incrassatum, & dilatatum, vix me mea sella continet equitantem. Quo dicto, infirmatus & debilitatus, nec non & desperatus, domum est subito, sed vix palpitans, & iam spiritum extremum lethiferos singultus, oregmon prouocante, cœperat exhalando protrahere; cum interuentu martyris S. Albani benignissimi dispensante Domino, qui neminem vult perire, sed potius conuerti, inspiratus ab alto, quosdam monachorum, quos melius nouerat, festinanter iussit accersiri, qui de transgressore eorum, secundum sui arbitrium, satisfactione acciperent plenitudinem: quod & benigne fecerunt. Et ne in abyssum desperationis moriens immersus, damnandus periret, præstita cautione de iustitia super damnis & iniurijs ab eo illatis facienda, sibi beneficium absolutionis impenderunt. Similiter & alij quamplures libertatis*

Diuina in ecclesiarũ spoliatorẽ vindicta.

c Par. hist. Angl. hoc ann.

[illegible] *mar* [illegible] *& [illegible] pro* [illegible] *intes* [illegible] *uiscure* [illegible]

43 [illegible] C [illegible] *Sicut in* [illegible] *testamento* [illegible] *ratio celebrabatur, quanto magis nunc* [illegible] *debet* [illegible] *quam inter* [illegible] *& umbri* [illegible] *illud* [illegible] *In* [illegible] *enim* [illegible] *irrationabilis bestia mactaban-tur;* [illegible] *& mirificum* [illegible] *humani generis* [illegible] *sacrificium* [illegible] *tribuit* [illegible] *eius* [illegible] *accepit de n-* [illegible] *corpus, caput, &* [illegible] *ur* [illegible] *ist. xu. kal. no-* [illegible]

44 [illegible] Ferdinandus Castellæ Rex [illegible] obiuisque [illegible] agrum ex [illegible] cum [illegible] Mattheæ d [illegible] ut gentis pro [illegible] opera, [illegible] Tenue-rat [illegible] Ma [illegible] ardente Granatæ Rex, [illegible] Ferdinandi Re [illegible] fœd [illegible] & [illegible] titur [illegible], fide accepta in castra se Christianorum con [illegible]. Ijs conuentum legibus, ut regnum ab Ferdinando [illegible] ciario iure teneret, vectigalia Granatæ [illegible] Fer-nandum atque ipsum ex æquo diuider [illegible] voca-retur ad regni comitia ut beneficiar [illegible], Gie [illegible] que ad deditionem continuo compellerent. Ita urbs fortissima in Christianorum potestatem venit, [illegible] p [illegible] rite expiatis, grates solemni pompa Deo [illegible], ac nouus in ea urbe [illegible] constitutus. [illegible] nes Mariana [illegible] quidquid dissentiant alij, ad [illegible] nit refert, quo Rodericus Toletanus [illegible] suæ Hispaniæ historiæ finem imposuit. Hæc enim ad calcem adiecit: *Hoc opusculum, ut sciui & potui, consummaui. Anno In-carnationis Domini millesimo ducentesimo quadragesimo tertio æra millesima ducentesima octogesima p* [illegible] *, an-no vigesimo sexto Regis Fernandi, quinta * feria pridie kal. aprilis anno pontificatus mei trigesimo* [illegible] *, sede Apostolica adhuc vacante anno uno, mensibus octo, die-bus decem, Gregorio Papa nono viam uniuersæ carnis ingresso.* Hæc [illegible]. Verum, quod ad vacantis sedis tempus pertinet, longe aliter [illegible] al [illegible], ut ex dictis patet. At de his satis iam ex [illegible] tempus ad [illegible] sales nos conferamus.

Ba [illegible] 45 Sub hoc anno Balduinum imperatoria [illegible] ctione fuisse delibutum, ex [illegible] constitu [illegible] colligitur, qua [illegible] a Græcis iuxta Helenæ, D [illegible] r-chionis Monti [illegible] nepte [illegible] bææ regulum duxe [illegible] gesta anno Christi [illegible] CCXLI [illegible] consignat. Non tamen ea [illegible] ta a nobis computandorum [illegible] gnat: cum non an [illegible] quib [illegible] ra-tor Imperium g [illegible] ed [illegible] tenu [illegible] Imperi [illegible] tempore [illegible] a D [illegible]

u [illegible] *effectum. Ad uni-* [illegible] *peruenire, quod nos* [illegible] *rum t rra* [illegible] *domina Helena ne* [illegible] *constitutæ in-* [illegible] *corundem,* [illegible] *ssalonis* [illegible] *quæ ad dictam domi-nam uxorem eiusdem ex morte* [illegible] *Regis ratione propinquitatis* [illegible] *ex hoc recipientes ipsum in hominem* [illegible] *contra personas omnes præsentes pariter & futuras, ita tamen quod omnium rationes & iura sint salua, nec aliquibus ex hoc præiudicium generetur. In huius* [illegible] *rei fir-mitatem & testimonium,* [illegible] *chartam sibi dedimus aurea bulla no-stra munimine roboratam. Actum* [illegible] *castris astantibus domino* [illegible] *patriarcha, &c.* A [illegible] nota sunt principum [illegible] Con [illegible] politani nomina, qui ret gestæ interfu [illegible] re. *Anno Do-mini* [illegible] *XLI* [illegible] *nonis may Imperij nostri anno* [illegible] *primo.* [illegible] anno [illegible] a [illegible] dat [illegible] Thessalon [illegible] infra [illegible] Comnenus re-gi [illegible] computetur, nept [illegible] de [illegible]

Helenæ Demetrij Regis ne [illegible] [illegible] confirmat

46 De Thessalonic [illegible] Logotheta a varijs motion [illegible] n [illegible] in Ioanne Theodori Comn [illegible], qui post [illegible] Bulgaricum orbitatemque oculorum pul-[illegible] Manuele regnum [illegible] imperarat, [illegible] o dicto u-[illegible] est. Quibus vero artibus Vatacius Nicænus Im-perator, ægre ferens Ioannem [illegible] Theodori ac-cepta purpura agentem Imperatorem, iis insignibus spoliarit, supremum [illegible] regni do [illegible] ad se [illegible] ua [illegible], describit auctor laudatus. *Theodorus Angelus cum filium Ioannem Thessalonicæ & adueniens* [illegible] *Imperatorem acclamatum haberet, &* [illegible] *Constantinus despota & ipse vocitatus,* [illegible] *pos ipsius M* [illegible] *inter se pacem agebant. Imperator ergo Ioan-nes cum Assanus Bulgarus de medio sublatus esset, & puer Bulgaria imperaret, occasione arrepta, appellatio-nem* [illegible] *qua Ioannes Angelus* [illegible] *esturbat,* [illegible] *pr* [illegible] *primum Theodorum* [illegible] *patrem* [illegible] *luctum* [illegible] *quitan-* [illegible] *tunc* [illegible] *nihil eorum, quæ con-* [illegible] *ad Ioannem Imperatorem se confert. Imperator eum excipit lubentissime, hono-ribus* [illegible] *ac reliquis hu-manitatis* [illegible]

Varie [illegible] a Georg. Log. ib. in-terpr. Leone Allat.

Vat [illegible] ad Ti [illegible] lonica [illegible] dam [illegible] parat.

47 *Postquam* [illegible] *habuit Imperator, nec non* [illegible] *tus* [illegible] *quos non multos ante dies* [illegible] *sibi deuinctos, atque ex* [illegible] *& Macedonia distractos in orientem* [illegible] *rat, delectus auctiore* [illegible] *confirmato* [illegible] *partim propter pacta conuenta, partim quod res Bulga-rorum a puero* [illegible] *ex oriente soluens* [illegible] *gato H* [illegible] *cum una & Romanarum copiarum & Scyth* [illegible] *auxilijs a* [illegible] *aduersus Ioannem, qui Thessalonicæ Imperatoris sibi nomen vindicauerat, ac* [illegible] *instruit, ac cum Thraciæ Macedonia oppida superas-set, Christopolim & Strymonem præteriens, Rentinæ ca-stello* [illegible] *custodia* [illegible] *qui* [illegible] *Ioa* [illegible] *parat* [illegible] *quicum Imperator* [illegible] *vacuum* [illegible] *tradunt. Imp ra-* [illegible] ybi

Theodorus Comnenus [illegible] Rentina [illegible] Thessalonicensis [illegible]

principes Græcos, q[illegible] V[illegible]us erat [illegible] at- que ab c[illegible]um [illegible] quaq[illegible] [illegible] ad Vatac[illegible] pe[illegible]eni [illegible] M[illegible]a [illegible] a Tarta[illegible] c[illegible], ac [illegible] at[illegible] [illegible] si en[illegible] [illegible] ex irrupti[illegible] [illegible] a[illegible]t.

Ioannem Comnenū agentem Imperatorem sibi subijcit. 48 *Interim cum Ioanne, qui T[illegible] deris eum proceri T[illegible] [illegible] gatus accessisset, inter alios qu[illegible] ag[illegible] [illegible] sunt, & iusiurandum finem habuit. Namque rubri calcei demissi, & vnionibus interstincta pyramis super quā lapis rubeus emicabat, quæ im[illegible]ratoria [illegible] ant, ab Imperatore postea despota dignitate [illegible]ratur, cuius & amicitiam coluit. Hisce [illegible] Imperator in orientem remeat, [illegible] fecerat, vt Im[illegible]rat[illegible] de[illegible] esset & seruus, quem iureiurando, vti [illegible]rat ob- strinxerat, muneribus, vt pro dignitate affecerat, & cæteros alios sibi subiectos pecunia donauerat, cum etiam patrem Theodorum reliquit.* Non[illegible] ac[illegible] igno- Demetrius in principatu Ioanni succedit. miniæ Io[illegible]nem [illegible]tam Th[illegible] [illegible] Im- peratorem [illegible] fert [illegible]ctor, quem ma- gn[illegible] irtut[illegible] orn[illegible] [illegible] adeo [illegible]um cælesti[illegible]m c[illegible]mpl[illegible] deditum, vt quo liberius ijs vacaret, ex aula in eremum se subducere fuerit meditatus: in despotatu vero fratrem Demetrium successisse.

Balduinus ad Frider. confugit. a Paris. hist. Angl. 49 Cæterum adeo hoc tempore potentiam Vatacij inualuisse tradit Parisius a, vt Balduinus Imp. exhaustus opibus, cinctusque pe[illegible] ad Fridericū confugisse ad [illegible]ius opem implorandam dicat, [illegible] umque sua auctoritate cohibuisse Græcos, atque inducias ad annum conciliasse: anno [illegible] ero sequ[illegible]nti [illegible] Fridericus Vatac[illegible] [illegible] [illegible] Vatac[illegible] ma[illegible]monio magno vtique fidei catholicæ d[illegible], iuncta cum schismatico affinitate, collocasse: quod crimen ipsi postea Innocentius obiecit. Cæterum quæ ad sustentandum labans Imperium egerit Pontifex, prosequamur. In primis Constantinopolitanū patriarcham gerenda in Christiano exercitu sedis Apostolicæ legati dignitate ornauit ea b lege, vt si b Lib. [illegible] ep. 8. legatus e latere eo pergeret, obseruantiæ ergo in Rom. Pontificem, quandiu degeret in ijs locis, h[illegible] modi m[illegible]nus deponeret. Dein ad colligendas con- Consulit Constan. tm. Imperio Innocentius. trahendasque pecuniæ subsidia pro suffic[illegible] stipendijs inte[illegible]s [illegible] ad archiep[illegible]os ac reliquos præsules Imperio or[illegible]ntal[illegible] [illegible] literis c Ib. ep. 2 [illegible] certam [illegible] vim in be[illegible]cos [illegible] conuerte[illegible], reluctantesque censuris pe[illegible] & adigi ad solu[illegible]on[illegible] iussit.

Inopiam Ecclesiæ Constantinop. leuat 50 Effuderat præ cæteris opes suas ecclesia Constantinopolitana ad Imperium [illegible] mand[illegible]m, ac bellorum iniurijs exhausta admo[illegible] [illegible] Ad cuius leuandam inopiā Innocent[illegible] [illegible] & Crescentio Atheniensis ecclesiæ [illegible] [illegible]ecto, & Vvillelmo decano Thebano mandauit d, vt [illegible] [illegible]rum in d Ep. 33. Morea, Negreponto ali[illegible]que in [illegible] acentibus Imperio obnoxij [illegible] firarum de[illegible]mas [illegible] h Constantinopolitano [illegible] dio [illegible] dat[illegible] [illegible] tam verò in Patr[illegible]censi e[illegible] de [illegible] præsule contentionem d[illegible], alterutrique [illegible] repudiata, Bernardum [illegible] diaconum, [illegible] si[illegible] vt summis [illegible] bu[illegible] [illegible] tæ gerendæ dignitate [illegible] [illegible] deum a[illegible] [illegible] & [illegible] e Ep. 199. uit lit[illegible]ris [illegible] [illegible] h[illegible] Patr[illegible] gnitate [illegible]: *[illegible] diuin[illegible] p[illegible] [illegible] bea[illegible] An[illegible] dripartito [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] vac[illegible] [illegible]* [illegible]

[illegible] m pro[illegible] B[illegible] c[illegible] [illegible] [illegible] digni[illegible] [illegible] A[illegible] in omnis [illegible] [illegible] A[illegible] [illegible] sta a [illegible] [illegible] [illegible] are [illegible] [illegible] m [illegible] T[illegible] [illegible] [illegible]to T[illegible] in[illegible] [illegible] totum [illegible] certior[illegible] me[illegible] [illegible].

51 De [illegible] Terræ Sanctæ [illegible] mouenda [illegible] patriar[illegible] legat[illegible] apost[illegible] [illegible] muneri fungenti [illegible] si L[illegible]borabat inte[illegible] [illegible] S[illegible] Friderico [illegible] [illegible]ent[illegible] contra [illegible] cum illo inita [illegible] Cornubiæ induciæ cum [illegible] ar[illegible] potentia [illegible] affe[illegible] Innocentius [illegible] Terræ Sanctæ [illegible] [illegible] [illegible] an[illegible] in patr[illegible] h[illegible] [illegible] Hospitalaris, T[illegible]ariis [illegible] [illegible] euersa Hierosolym[illegible] [illegible] [illegible] da propugnaculis, a[illegible] [illegible] cam præclaram Sarracen[illegible] [illegible] darent, excitandi [illegible] fe [illegible] stianos omnes ad contrib[illegible] [illegible] apostolic[illegible] [illegible] Hi[illegible]ymæ [illegible] mœnia a C[illegible]rad[illegible], dum Christiani [illegible] obsid[illegible] [illegible]erent, olim euersa, [illegible] [illegible] cum eam recepit, a[illegible] [illegible] nond[illegible] ma[illegible] religionis damno, ac [illegible] fuerant, [illegible] par erat, instaurata, iustisque [illegible] communita. quare hæc patriarchæ Pontifex demandauit

Patriarchæ Hierosolymitano Apostolicæ [illegible] legato.

52 In succursum Terræ sanctæ accendi debent corda fidelium ad liberationem [illegible], qua po[illegible] subuentione debent assurgere Christiani ex co[illegible] [illegible] potissime, quod in illa specialiter Dei Filius vnigenitus [illegible] Christus tunc ho[illegible] an[illegible] qui iugo incessanter oppressis voluit misericorditer subuenire, [illegible] [illegible]que pretioso sui sanguinis pretio de[illegible] [illegible] [illegible] carcere liberare. Cum itaque ciu[illegible] Hierosolymitanæ muri sint vndique diruti, [illegible] tant[illegible] [illegible]ndamentis ipsorum; & dig[illegible]um exi[illegible] [illegible] inte[illegible] suffragia plurimum [illegible] ens ipsi ter[illegible] tam veneranda ciuitas Ch[illegible] conspecta [illegible] mœnium fortitudine [illegible], venerabiles fratres nostros archiepiscopos & episcopo[illegible], & dilectos filios alios ecclesiarum [illegible]ælatos, & con[illegible] capitula nec non dom[illegible] [illegible] Hospit[illegible] Hierosolymitan[illegible], & S. Mari[illegible] The[illegible] [illegible] magistros & fratres, al[illegible] [illegible], barones & alios Ch[illegible] fide[illegible] [illegible] [illegible] con[illegible]tos [illegible] & ho[illegible] atten- [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] otest, hoc [illegible] [illegible] q[illegible]m [illegible] [illegible] & [illegible] [illegible] manum [illegible] induc[illegible] atten- [illegible] efficac[illegible]m, & [illegible] [illegible] [illegible] uper [illegible] dam [illegible]

& operarijs, quam alijs eiusdem operi necessarijs, consideratis eorum facultatibus, imponendo finem difficultate qualibet largiantur. Quocirca mandamus quatenus taxationem eādem faciens iuxta prudentiam tibi desuper attributam, & habens præ oculis solum Dominum, nominatum subsidium, secundum quod a te taxatum extiterit & expressum, instanter exigas, faciens illud assignari tibi ab omnibus supradictis. *Datum Anagniæ non. augusti anno* 1.] Hæc si vecordes Christiani Syri attendissent monita, ac perfecissent, non ita postea, cum a Babylonio instigati Chorasmini irrupere, vrbem sanctam vt sustinendis barbarorum insultibus impotentem turpi fuga, nondum hactenus post tot secula recuperandam, deseruissent.

IESV CHRISTI
Annus 1244.

INNOCENTII PP. IV. annus 2.	FRIDERICI II. IMP. 25. BALDVINI II. IMP. 16.

1 INgentium præsagus malorū annus a salute humani generis millesimus ducentesimus quadragesimus quartus, indictione secunda, ex Pontificis, tyrannidem & insidias Friderici declinantis fuga in Gallias, Hierosolymorum, quæ hactenus sub infideliū iugo lugent, excidio, & dominico sepulchro a Chorasminis euerso ac prophanato acerbissimus pijs omnibus extitit. Tantæ cladi occasionē Tartari præbuere: immanis enim ac victrix ea gens per ingentia locorum spatia diffusa, populosque innumeros complexa, si in occidente aliquantulum reprimi visa est, in oriente latius armorum terrorem circumtulit a; in Persidem magno impetu vastatis quibusque obuijs atque excisis oppositis exercitibus irrupit, permasit alias regiones; iamque imminebat Chorasminis ferocissimæ nationi, quæ rubri maris littora, qua Arabia ea parte erythræo sinu perfunditur, accolebat, ac periculi terrore perculsa, relictis pristinis sedibus, nonas terras quærebat. Infecta erat Mahumetica superstitione: ab alijs tamen Sarracenis ob immanitatem exclusa, ad soldanum Babylonium Christi fidelium hostem atrocissimum se contulit: quibus persuasit Babylonius, vt vicinorum Christianorum cultissimas terras inuaderent, se ipsis auxilio futurum; ita Chorasminos, quos in suo regno pertimuerat, in Hierosolymitanum auertit.

Tartari in oriente late victorias protulerunt.

a Par. bist. Angl. hoc ann.

Chorasmini ab ijs suis sedibus eiecti.

Immittuntur a Sultano Babyl. in Christianos Syros.

2 Irrupere igitur improuisi, tantumque terrorem incussere, vt sancta ciuitas, in quam innumera Christianorum omnis sexus, ætatis, & conditionis ad perlustranda redemptionis nostræ veneranda vestigia confluxerat, primo illorum aduentu oppressa in lugubre fidelium sepulchrum conuersa fuerit. Quę verò causa illi populorum concursui occasionem dedisset, significat Fridericus in suis literis b, additque Babylonium sultanum ob iunctam a Christianis aduersus illum cum Damasci & Crachi sultanis armorum societatem, de qua suo loco diximus, efferarum barbaros in nostros concitasse: *Dederat concursus causam famosi loci longis retro temporibus a Christicolis maxime desiderata securitas, & sinistris auspicijs diebus illis obtenta quarumdam occasione treugarum; quas soldanus Damasci & Nathasar, & soldanus Crachi, qui prius hostes & aduersarij fuerant, concordiam inuicem facientes ipsam cum Christianis ea conditione fecerunt, quod tota regni Hierosolymitani terra, quam Christiani possederant trans Iordanem, retentis sibi villis & montanis aliquibus, restituta, Christiani soldanis eisdem in expugnationi soldani Babyloniæ deberent assistere toto posse. Qua confœderatione tanquam in sui perniciem innexa, soldanus accinctus prædictam gentem barbaricam Cobesminorum per deserta vagantem, &* *velut feram in saltibus cum venabulo fugientem ad sua defensionis auxilium conuocauit; qui sibi reputantes oblatum subsidium potius, quam petitum, ad designata loca non minus taciti, quam celeres peruenerunt: vniuersos hostes aduenientes maturius nostrorum vigilantia nouit quam venturos.*

b Extant in M. S. Vall. bibl.

Ob initā cum Damasci & Crachi Sultanis societatē in ipsos fuerat irritatus.

3 *Sicque factum est vt, Christianorum exercitu cum soldanis prædictis in grauamen soldani Babyloniæ apud Aciara commorante, patriarcha Hierosolymitanus de partibus cismarinis ad partes illas athleta nouus accessit: quo superuenientis perfidæ gentis metu de ciuitate Hierosolymitana* * *vnà cum magistris domorū hospitalis & militia templi, & vniuersis habitatoribus ciuitatis eiusdem, tanquam de humano præsidio desperatis noctis silentio præcedentibus, salubriter versus* * *Mopem.*

Fugiunt metu hostis Hierosolymis Christiani

** abscessit.*

** Ioppen*

4 Fugam ex Hierosolymis arripuere, cum sanctam ciuitatem ad propulsandos hostium impetus propugnaculis, vt par erat, non munitam cernerent. æquanerat illa solo Corradinus, dum Christianus exercitus sub Rege Ioanne Brennensi Damiatam expugnaret; cum sustinendæ illius potentiæ, si Hierosolymas inuaderet, imparem se fore diffideret, metueretque ne vrbs a Christianis recuperata tutum illis receptaculum foret: nec postea Fridericus, cum mœnibus exutam a sultano Babylonio sanctam vrbem ex pacis legibus recepit, quamuis promissa magnifica iactaret, illam propugnaculis muniturum adæquatis solo mœnibus deformatam pristino decori restituerat: ac licet Innocentius superiori anno patriarchæ dedisset imperia a, vt reficiendis mœnibus incumberet, sumptibusque transmarinos Christi fideles contribuere iuberet, vel non cœptum opus, vel ignaue perductum fuerat. in quo singularis etiam Friderici Hierosolymorum Regis vecordia fuit, qui regiam vrbem aduersus Sarracenorum impetus firmare negligeret, sed omnia consilia in opprimenda Ecclesia consumeret. Subdit ille de ijs, qui fuga Hierosolymas deseruerant, misere circumuentos in vrbem ad lugubrem carnificinam fuisse reuocatos.

Insignis Christianorum vecordia in non muniendis propugnaculis firmissimis Hierosolyma.

a Innoc. l. 1. ep. 53.

5 *Emenso iam fere medietatis itineris spatio ad cuiusdam vana, seu potius callide procurata vocis auditum, quæ Cobesminorum nationi deuicta securum peregrinationis & ciuibus reditum promittebat, homines regionis & incolatus affectione seducti confestim ad victimam potius, quam ad patriam redierunt. Et nondum eisdem infra septa domorum respirantibus a labore, priusquam fere sarcinulas suas & itineris impedimenta deponerent, ecce quod multitudo gentis hostilis, quam dinumerare nemo poterat, vniuersam terræ faciem occupans sic impetuose, sic subito, continuatis impugnatorum agminibus, circumdedit ciuitatem, vt nec in defensione præsidium, nec in fuga consilium obsessis fidei nostræ pugilibus laxaretur.*

Intercipiuntur Hierosolymis.

6 *Ambigentibus autem eis cuiusmodi mortis genus eligerent, ex prædictis tandem, etsi nulla via securior, saltem est visa via dilatior, vt per fugæ remedium aliquos a persequentium oculis cauerna montis imminentis absconderent, & noctis circuitu aliquis manus occidentium fissas euaderent.* Et paulo inferius: *Non defuit tamen inter tot aduenarum hostium male ductorum & cognitor viarum indigena, qui sufficientes insidiantium turmas velut per siluas angustas venatores per ineuitabilia loca disposuit, & in quorum manus quanto celerius fugerent, tanto rapidius caderent fugientes. Sed fefellit, proh dolor! euentus rei miserandæ consilium, qui tanquam in rete paratum auibus sic omnes septem millia fere hominum inciderunt, incessantibus sanguinis occisorum per valles montium velut profluentis aquæ decursibus.*

Fugiunt ductu Christian.

Cæduntur passim in fuga.

7 Fœderatos nostrorum Sarracenos sultanorum Damasci & Crachi ditionis, singulari in ea calamitate aduersus Christianos perfidia visa deplorant G. e

a Extant apud Par. hist. Angl. hoc ann.

Castro nouo religiosi equitis literæ a: cum enim inito cum ijs fœdere aduersus Babylonium communem hostem præsidentes per eorum terras fugam, vt suæ consulerent saluti, corriperent, illi insito religionis odio Christianos incautos contrucidarunt. Addunt superioribus eædem literæ Chorasminos cæsis ijs, qui in sancta ciuitate restiterant, hac arte vsos ad alios e fuga reuocandos, vt asportatis opibus potirentur: Christianorum signa, quæ repererant in vrbe extulisse, ijsque conspectis, qui fugerant, arbitratos partam ab ijs, qui remanserant, de barbaris victoriam, atque ad meliorum spem excitatos mutuis se sermonibus ad reditum, quamuis Templariorum magister, qui cum acie equitum versus Ioppem se recipiebat, ab eo consilio abduceret, cohortatos: seque hostium laqueis ac ferro ob funestam relictarum opum cupiditatem induisse.

Chorasminorum dolis e fuga Christiani reuocantur.

Deploranda porro Christianorum vecordia fuit, qui imminente hoste non ad ipsum repellendum se accinxerint, sed adeo ex timore mente emotos, vt diuisi inuicem animis non in armis, sed turpi fuga præsidium quærerent: contigitque vt plures in fuga, quam in asperrimo prælio cæderentur, vti exprobrat in literis Fridericus: *Nulla prius extitit pugna, sed cædes: infantes autem & virgines in vrbem sanctam nequiter reduxerunt, senes, infirmos, & debiles, ac moniales ad fugæ laborem inhabiles in vrbe relictos in ipsorum, quin potius in ipsius Dei nostri conspectu in sepulchro Domini inclyto, quod fuerat fidei Christianæ visibile * nutrimentum, miserabiliter occiderunt.*

Immanes strages in Hierosolymitanos edux.

*monimentum

8 De prophanato innumeris Christianorum cædibus sepulchro dominico a Chorasminis, quos Grossomos appellat, locutus Nangius ait b sacrum illud vaticinium tum impletum: *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum; posuerunt morticinia seruorum tuorum, escas volatilibus cæli, carnes sanctorum tuorum bestijs terræ: effuderunt sanguinem tanquam aquam in circuitu Ierusalem, & non erat, qui sepeliret.* Eadem continent lugubres a Roberto patriarcha A. S. L. alijsque præsulibus & proceribus Syris ad Galliæ & Angliæ episcopos literæ c. quæ immania sacrilegia magno religionis Christianæ in sepulchro Domini alijsque locis sacris patrata ita describunt.

b Guill. Nang. in gestis S. Lud.

c Extant apud Par. hist. Angl. hoc an.

Sepulcrũ dominicũ a barbaris prophanatum.

9 *Franominati perfidissimi Israelitanam ciuitatem intrantes, quasi populo destitutam, Christianos qui ibi remanserant, seque infra ecclesiam sepulchri Dominici receptarant, ante ipsum sepulchrum euiscerauerunt vniuersos, & decapitantes sacerdotes, qui in altaribus celebrabant, dicebant ad inuicem: Hic effundamus sanguinem populi Christiani, vbi vinum libauerunt ad honorem Dei sui, quem hic dicunt fuisse suspensũ.* Subijciunt literæ infanda alia impiorum scelera, vt sepulchri dominici ornamenta, ad sepulchrum Mahometi decorandum transtulerint: *Insuper cum dolore dicimus, & cum suspirijs intimamus, quod in sepulchrum resurrectionis dominicæ manus sacrilegas extendentes, illud multipliciter deturparunt: tabulatum marmoreum, quod circumcirca erat positum funditus euertentes; & montem Caluariæ, vbi Christus extitit crucifixus, & totam Ecclesiam, vltra quam dici valeat in omni turpitudine, quantum in se fuerat, fœdauerunt. Columnas vero sculptas, quæ ante sepulchrum Domini erant ad decorem positæ, sustulerunt, illas in Christianorum contumeliam ad sepulchrum sceleratissimi Mahometi, in signum victoriæ, transmittentes: & violatis sepulchris felicium Regum in eadem ecclesia collocatis, eorum ossa in Christianorum iniuriam disperserunt: montemque Sion reuerendissimum sine reuerentia prophanantes, templum Domini, ecclesiam vallis Iosaphat, vbi B. Virginis est sepulchrum; ecclesiam Bethlem, & locum natiuitatis Domini indignis relatu enormitatibus polluerunt, omnium Sarracenorum nequitiam excedentes, qui licet terram Christianorum sæpius occupassent, loca sancta vtcunque venerantur conseruabant.*

Ornamenta illius ad Mahometi templũ translata.

10 Tanta immanitas cladi superstites incitauit, vt in arma ad suorum fusum sanguinem vindicandum prosilirent: explicata crucis signa: certatim dantur nomina: patriarcha voce, nutu, lacrymis omnes inflammat: concurritur in hostem: pertinacissimis animis dimicatum: innumeri Christiani occumbunt: multo plures ex barbaris cæsi: tenuit integrum diem atrocissima pugna, donec nox calentes ira animos prælium dirimere coegit. Redintegratum iterum postea, in quo obruti hostium numero Christiani concisi, ac profligati sunt, vt G. e Castro nouo religiosi equitis literæ describunt a: *Quia atrocitas tanti facinoris intolerabilis omnium fidelium deuotionem prouocauit ad vlciscendum sui creatoris iniuriam, communi voto omnium fuerat cum annotatione præsentium constitutum, vt ordinata expeditione, ad præliandum contra perfidos accingeremur generaliter vniuersi, auxilium de cælo postulantes; & inimicos aggredientes, vsque ad diei conclusionem bello cruentissimo a summo mane infatigabiliter dimicauimus. Et ecce tenebræ cognitionem nostrorum & aduersariorum * ademit. Ceciderunt ex nostris innumerabiles, aduersantium tamen in quadruplo, vt postea compertum est, plures.*

Induunt crucem fideles in Chorasminos.

a Extant apud Par. vbi sup.

Cruento cum ijs prælio dimicant. Nox pugnam dirimit.

* ademerunt

11 *Postmodum vero, die S. Lucæ euangelistæ, resumpto spiritu, & inuocato de supernis suffragio, fratres militiæ templi, & hospitalis, cum omnibus alijs religiosis bello mancipatis, & eorum viribus, generalique exercitu Christianorum Terræ sanctæ, sub patriarcha publico edicto congregati, inierunt prælium cruentissimum cum dictis Chorosminis, & quinque millibus militum Sarracenorum recentium soldano Babyloniæ militantium, Chorosminis adhærentium: & aggressum est vtrobique impetu validissimo, cum non possemus eos euitare. Erat itaque hinc inde exercitus magnus & fortis & numerosus valde. Tandem nos impotentes tantæ resistere multitudini, cum superuenissent semper noui, illæsi & recentes inimici, & nos qui decuplo illis pauciores eramus, vulnerati & fatigati, sentientes adhuc pondus prælij antecedentis, succubuimus, relinquentes eis campum cum victoria, eis cruenta & nimis empta: ceciderunt enim ex eis multo plures, quam ex nostris inæstimabiliter.*

Redintegrata die S. Lucæ pugna. Babylonius submittit Chorasminis auxilia.

12 Dedisse magnos hosti ad referendam victoriã animos Sarracenorum, qui a Damasci & Cracbi sultanis in auxilium nostrorum, quibus fœdere iuncti erant, submissi fuerunt, ignauiam aut perfidiam, patriarchæ literæ b significant; ipsos nimirum primo cõgressu a Chorasminis dissipatos in fugam se coniecisse. At Christiani, quos Christi amor coniunxerat, adeo generose in media pericula penetrarunt, vt nisi numero paucissimi suæ saluti consulere dignati sint; quos etiam vitæ pœnituisse refert G. de Castro nouo his verbis: *Sicque indultum est nobis ab ipso, qui est animarum Saluator, quod nec centum elapsi sunt per fugam* (de religiosis equitibus loquitur) *Sed dum poteramus stare ad inuicem nos in Christo cohortantes & confortantes infatigabiliter & alacriter, ita quod hostes super hoc obstupuerunt, dimicauimus, donec capti, quod tamen multum euitauimus, vel cæsi defeceramus. Vnde nimis admirantes, dixerunt postea captiuis ipsi: Vos sponte mortis discriminibus obtulistis, & hoc quare? responderunt captiui: Maluimus mori in bello cæsis corporibus & animabus glorificatis, quam turpiter cedere fugitiui.*

b Ext. apud eund. Par. Fœderati Christianorũ Saraceni primo congressu terga dant. Certant pugnacissime armis Christiani ac vincuntur.

13 Qui ex eo prælio fuga euasere, Ascalonem vnà cum patriarcha & Hierosolymitani regni equitum magistro se recepere: patriarcha vero mox madidas lacrymis literas Regi Cypri ac principi Antiocheno transmisit, vt auxilia ab ijs ad reprimendas hostium excursiones, tuendasque reliquias Christianorum

inita

imploraret. Cumque tutum se in ea arce non putaret, Acconem, quo fidelium multitudo ex varijs locis confugerat, se contulit; atque ex ea vrbe ad occidentales supplices literas scripsit [a], quibus auxilia flagitauit, significauitque vt Chorasmini victores maximam Terræ sanctæ partem partiti inter se fuerint, vt Babylonici ijs coniuncti Acconem obsidione cingere moliebantur, vt iam Ascalonem oppugnent, ac fideles delere ex Syria meditentur: *Nihil aliud restare præterea, aut superesse videtur, quam vt crucis hostibus reliqua omnia ad votum desiderata succedant: qui in maximam audaciam & intolerabilem insolentiam prodeuntes, castra sua posuerunt in planitie Accon prope ciuitatem per milliaria duo, & per totam terram vsque ad partes Nazareth & Saphet libere nullo resistente, aut obicem ponente, longa lateque discurrunt, occupantes eandem; & inter se quasi propriam diuidentes, per villas & casalia Christianorum legatos & baiulos præficiunt atque constituunt, suscipientes a rusticis & alijs incolis redditus, & tributa, quæ antea Christianis præstare & exsoluere solebant. Qui iam rustici incolæq; Christianis hostes effecti & rebelles, dictis Chorosminis vniuersaliter adhæserunt. Ita quod omnes Hierosolymitana ecclesia simul ac prouincia Christiani aliam terram non habeant ad præsens, nisi munitiones quasdam, quas etiam cũ maxima difficultate & labore defendunt.*

Patriarcha ab orientalibus & occidentalibus Christianis auxilia implorat.

a Ext. apud Paris. vbi sup.

Excursio vsque ad Ptolemaidis mœnia Chorasmini.

Dicitur etiam, quod Babylonici apud Gazaram existentes in multitudine infinita venturi sunt ad partem Accon, vt simul cum Chorosminis obsideant ciuitatem. Recepimus etiam nuntios & literas XXII. die mensis nouembris a castellano & fratribus hospitalis, qui sunt in castro Scalone, quod exercitus Sarracenorum de Babylonia iam obsederant castrum ipsum, & tenebant obsessum, implorantibus a nobis & Christianitate subsidium, & auxilium festinatum. Vt autem charitatem vestram moueat pietas in compassionis affectum super excidio Terræ sanctæ, eo quod communibus humeris hoc onus incumbat, causam Christi vobis duximus intimandam, &c. Dat. apud Accon XXV. die mensis nouemb. anno Domini MCCXLIV.

Ad eam expugnandam se comparãt.

14 In hac Syriæ calamitate innumeri lauros immortales in cælo collegere, inter quos Ioppensis comes ab hostibus captus, ad arcis Ioppensis conspectum adductus brachijs suspensus est, vt supplicij crudelitate Ioppenses ad misericordiam, atque ad deditionem flecteret. Sed vir Christianus, spreta supplicij acerbitate, Ioppenses hortatus est, vt aduersus hostem fortissime se defenderent, nec pro suo capite tot ciuium Christianorum capita barbaro proderẽt. Delusus itaque ipsius cõstantia hostis sultano Ægyptio, qui ipsius sanguinem ardentissime sitiebat, gratissimi muneris vice tradidit. Cæterum ille post grauissima supplicia exhaustumque carnificum ingenium in frusta concidi iussit, cuius postea reliquias S. Ludouicus cũ in Syriam profectus est, vt debito honore seruarentur, Ptolemaidem transtulit. Vt vero Rex sanctissimus non sine singulari Dei prouidentia hoc anno sacro bello aduersus infideles se deuouerit, dicetur inferius; nunc reliquas orientalium res prosequamur.

Ioppensis comitis constantia singularis.

Crudelissimo mortis genere a barbaris occiditur.

15 Non feliciore Constantinopolitani Imperij, quam Syriæ res loco stabant: fluctuabat enim hoc tempore graui bellorum turbine agitatum. Cuius tuendi cupidissimus Innocentius principes omnes Christianos arctissimo fœdere coniungere atque in schismaticos classicum canere optabat; eoque ardentius, quo Terræ sanctæ opportunum subsidium ea ratione pareretur, vti ostendunt literæ ad principem Achaiæ exaratæ [b], quibus Imperio orientali non deesse auxilio, cum maxime ipsius res ex eo penderent, obsecrauit.

Constantinopolitanum Imperium in summũ a Græcis periculum adductũ.

b Lib. 2. ep. 705.

Innocentius, &c. Principi Achaiæ.

Inter cætera, circa quæ nostræ sollicitudinis inuigilat oculus, specialiter ad Constantinopolitani liberationem Imperij est intentus, hanc plurimum continuis in eam defixus cogitationibus concupiscit. Sane cum sedes Apostolica liberationem ipsam toto semper mentis affectu desiderans grandis hactenus diligentiæ studium, vt posset laudabiliter prouenire, duxerit multipliciter adhibendum, auxilij sui dexteram ad hoc magnifice porrigens, & opem nihilominus postulans aliorum, graui non immerito dolore turbamur, quod ad hoc votum hucusque peccatis impedientibus non extitit subsecuta, pro qua iam diu catholici non sine laboribus sumptuosis, & laboriosis sumptibus, anxijsque sudoribus, ac effusione deflenda sanguinis certauerunt. Verum quia Ecclesia corpori tam nobilis membri, Imperij videlicet præfati, carentia notam probrosæ deformitatis induceret, & iacturam periculosæ debilitatis inferret, firma intentione proponimus eidem Imperio efficaci consilio, & auxilio perseueranter adesse, cura vigili & sedula procurando; vt fidelium illuc destinato succursu, & Ecclesiæ manu subuentionis extensa de inimicorum iugo totaliter eripi valeat & libere, auctore Domino, ad ipsius reduci corporis vnitatem: ad quod principes catholicos præsertim in ipsius Imperij partibus constitutos eo magis opem & operam conuenit exhibere, quod ad orthodoxæ fidei & Christianæ religionis augmentum diligentia debent intendere potiori.

Innocentij pro eo fulciendo studium.

16 Ad succurrendum autem Imperio prædicto illa præcipue decet fidelium quemlibet ratione moueri, quod ex hoc consequenter subsidium impenderet Terræ sanctæ, quia dum eidem subuenitur Imperio, vtriusque profecto necessitatibus prouidetur: hinc est quod nos eiusdem Imperij aduersitatibus cõdolentes, & volentes sibi militum ad præsens, & balistariorum subsidio maxime indigenti contra instantia pericula te suffragante opportunum præstare iuuamen; ad quod inuenire te credimus, nec immerito, alijs promptiorem; nobilitatem tuam monemus, rogamus, & hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes in remissionem peccaminum iniungendo, quatenus considerato prudenter, quod etsi alij principes Christiani sint tribulationum ipsius Imperij non expertes, tu tamen amplius & passionum eius & consolationum ex vicinitate, quin potius connexitate consors existis, ad subueniendum eidem in præsentis necessitatis articulo pro diuina, & nostra reuerentia libenter, & potenter assurgas, &c.] Subdit se, quo magis ad ferenda Constantinopolitano Imperio auxilia ipsum inducat, Constantinopolitanæ & aliarum ecclesiarum ex ipsius terris colligenda vectigalia illi ab Honorio ad viginti annos, qui proxime exirent, obligata ad certum temporis spatium, de quo per nuntium fieret certior, concedere, modo centum cataphractos equites in illius Imperij subsidium anno integro sustentaret. *Dat. Lat. XVII. kal. iun. an. 1.*] Versabatur interim in occidente Balduinus, vt ex literis pontificijs constat, summaque ope contendebat, vt Fridericum ac Pontificem in concordiam adduceret, quò ijs curis liber Innocentius apostolicam industriam in schismaticis contundendis, ac propulsandis Sarracenis collocaret. Coniunxerat [b] cum Balduino Tolosanus comes studia sua ad conciliandam pacem, de qua, Friderici perfidia, abrupta antequam agamus, nonnulla ad Tolosanum comitem spectantia aliaque ab Innocentio, priusquam Gallias peteret gesta, perstringenda sunt.

Achaiæ principem vt opem illi porrigat adhortatur.

a Ibid. ep. 645. Par. hist. Angl.

b Inn. l. 1. ep 358. & Frid. en. lit. qua ext. in M. S. Vallic. bibl.

17 Accessisse ad sedem Apostolicam Raymundum Tolosæ comitem & diu vel in pontificia, vel imperatoria aula versatum tradit Bernardus [c], obtinuisseque, vt terra Venusina sibi restitueretur: fuisse etiam censuris, quibus a nonnullis religiosis Prædicatoribus fuerat irretitus, liberatum testantur Pontificiæ literæ [d]

c Bern. in chr. Rom. Pont.

Tolosanus comes cœtui fideliũ a Pontifice restituitur.

d Lib. 1. ep 696.

cum

enim S. Ludouicus, qui multum apud Innocentium gratia poterat, suam auctoritatē adhibuisset. Ex quo apparet S. Regem, qui audita religiosorum virorum a præfecto comitis patrata cæde, expeditionem pro defendenda fidei causa comparatat, Raymundo cum crimen a se remoueret conciliatum. Restituto itaque cœtui fidelium Raymundo, cum prius sacramento adactus fuisset, crimen, si iusta de causa (contrarium enim contendebat) censuris implicitus esset, rite expiatum, Innocentius a de te tota pium Regem certiorem fecit: *Antequam ad præsentiam nostram accederet, secundum consuetudinem dudum in Rom. Ecclesia obseruatam*, de ea loquitur, ex qua nullus de euinctus anathemate in conspectum Pontificis admittitur, vt in Friderici oratoribus ante vidimus, *recepta prius ab eo obligatione terræ suæ de parendo super ijs mandatis Ecclesiæ, ac iuratoria cautione; pro quibus plenarie obseruandis, ac satisfactione præstanda illis, pro quibus latæ fuerunt prædictæ sententiæ, si eas apparuerit iuste latas quibusdam certis personis, de quorum prouidentia indubitatam fiduciam gerimus, literas apostolicas destinamus. Cumque idem comes absolutus ad nostram præsentiam in humilitatis, ac deuotionis spiritu postmodum accessisset, ipsum facie serena recepimus; & tractantes eundem benignitate mansuetudinis consueta, cum tua intercessionis obtentu; considerato etiam quod idem, cum non paruum locum inter alios principes orbis obtineat, Ecclesiæ potest sua strenuitate, potentia, & industria esse vtilis, & non modicum fructuosus; ad gratiam Apostolicæ sedis de prædictorum fratrum consilio duximus admittendum. Quocirca regiam serenitatem rogandam duximus & hortandam, quatenus eundem comitem, te interueniente reconciliatum Ecclesiæ, fauore tua magnificentiæ taliter prosequaris, quod idem in Apostolicæ sedis, ac tua deuotione perpetuo permaneat ad celsitudinis tuæ seruitia fortius animetur. Dat. Later. kal. ianuar. ann. 1.* Eodem argumento literæ ad Galliarum archiepiscopos, atque episcopos b tum ad Auinionensem c præsulem A.S. L. exaratæ. Cui etiam partes imposuit d inducias Tolosæ inter ac Prouinciæ comites, Aragonij Regis opera iam ante pactas, producere studeret, vt bellum atrox, quod magna populis damna attulerat, sopiri ac pacis tractatu conciliari posset. Vt vero in Raymundum comitem purgantem se a crimine hæresis benignitatem apostolicam, ita in Ezelinum labe infectum seruato iudiciorum ordine seueritarem explicuit.

a Inn. l. 1. ep. 358.

Commendatur S. Ludouico

b Inno. l. 1. ep. 362.
c Inno. l. 1. ep. 413.
d Ibid. ep. 414. 445.

Induciæ a Rege Arag. inter Prouinciæ & Tolosæ comites vt concilientur.

18 Fœdabat ille hoc tempore marchiam Taruisinam suis sceleribus, nec dubijs argumentis hæreseos contagione erat inquinatus: aduersus quem Pontifex vt virtutum hostem & fidei persecutorem, eo enim in literis nomine appellat, Rolando Cremonensi Prædicatorum familiæ in eum inquirendi; exploratáq; veritate in loco tuto, quod formidanda eius potentia videretur, præsente populi circumfusa multitudine sisteret sese sacro tribunali indiceret, partes commisit e. Ad alios quoque Ecclesiæ hostes comprimendos animum applicuit ac Narnienses Interamnensibus, qui Ecclesiæ terga verterant, virili animo obsistere iussit f. Non leues illi ab hostibus, qui continuis excursionibus ipsos lacessebant, clades acceperant: quare pontifex ad deterrendos ab improbitate Interamnenses continendosque in fide Narnienses ex Cardinalium consilio sanxit g nunquam Interamnẽses ad Ecclesiam nisi illata omnia Narniensibus dãna resarcissent, admissum iri. Cumque ijdem perduelles nouas ijs diebus singulis iniurias inferre molirentur, si quæ ipsis ea occasione damna inruerint, indulget, vt nunquam ad ea facienda conuenire possint.

Ezelinus in iudicium ob crimẽ hæresis accersitur.

e Ep. 517.

f Ep. 617.

Pontificis aduersus Interamnenses decretum.

g Lib. 1. ep. 617.

19 Incitarat Interamnenses ad Narnienses fatigandos Fridericus, qui non tacitas instruebat fraudes, quo potentiam suam siue tyrannidem potius Romæ stabiliret, Fraiapanes enim ciues Rom. vt dimidiam Colisei partem palatiumque ipsi coniunctum atque alia annexa iura in se transfunderent, terrore coegerat: quam donationem Innocentius vt iniquam apostolicis literis conuulsit a: *Cum sicut lecta coram nobis vestra petitio continebat*, Henricum & Iacobum Fraiapanos alloquitur, *nuper apud Aquampendentem in præsentia principis constituti eidem ad suã instantiam, ipsius timore perterriti, medietatem Colisei cum palatio exteriori sibi adiacente, & omnibus iuribus ad ipsam medietatem pertinentibus dilecto filio Anibaldo ciui Romano titulo pignoris obligata, quæ ab Ecclesia Rom. tenetis in feudum de facto, cum de iure nequiueritis, duxeritis concedenda, præstitis nihilominus iuramentis vos contra concessionem huiusmodi non venturos, prout in iuramento inde confecto plenius dicitur contineri licet ex hoc essetis non immerito puniendi; attendentes tamen, quod coacti quodammodo terrore tanti principis id fecistis, concessionem huiusmodi nullam esse penitus nuntiantes prædicta ad vestrum & Ecclesiæ Romanæ ius & proprietatem auctoritate prædicta reuocamus: iuramentis prædictis nihilominus relaxatis eadem auctoritate excommunicationis vinculo ac pœna quinque millium marcharum argenti, omnes qui contra venire præsumpserint, supponentes. Datum Laterani XVI. kal. maij pontif. nostri anno 1.* Extant eodem argumẽto literæ Henrico Fraiapani sacri palatij b Lateranensis comiti atque Iacobo ipsius filio datæ, quibus eam donationem permutationis colore extortam scribit, rescinditque, ne ex eo ad affectandum Vrbis dominium occasionem aucuparetur.

Fridericus vt in Vrbem tyrannidem exerceret ar...

a Ibid. ep. 603.

Dissolutæ a Pontifice.

b Ep. 619.

20 Patuit sane paulo post, quem aduersus Ecclesiã animum gereret Fridericus, quosq; in Pontificem dolos moliretur, cũ violate pacis tractarum Innocentium insidijs suis irretire est conatus. Iam eo Balduinus Imp. ac Tolosanus comes, qnos concordiæ inter Pontificem & Fridericum conciliatores fuisse superius insinuauimus, rem adduxerant, vt Fridericus sacramento fidem suam alligaret omnia Ecclesiæ imperia libentissime excepturum; ijs omnibus, ob quæ anathemate a Gregorio ictus fuerat, facturum satis; iniurias omnes ac damna ecclesiasticis ante & post latam sententiam inflicta repensurum. Sed vir inconstans paulo post e suscepta mente resilijt, ac pontificia imperia obtriuit. Quo animaduerso Innocentius mox principes omnes rei gestæ fecit certiores, vt suæ causæ æquitati aduersus tyrannum adessent: inter quos Lantgrauio Thuringiæ Apostolicæ sedis studiosissimo, qui postea aduersus Friderici tyrannidem Imperator renunciatus fuit, has literas exarauit. c

Fridericus præstet fert Ecclesiæ gratiã ambire.

c Ep. 645.

Nobili viro Lantgrauio Thuringiæ.

21 Vt quæ noniter nobiscum acta sunt, in tuam & omnium principum veniant notionem, dignum duximus intimare, quomodo post tractatus multiplices pacis nobis & amicis Ecclesiæ honorabilis & securæ, ac promissiones factas a principe diuisas per articulos, & conscriptas per nuntios suos nobilem virũ comitem Tolosanum, magistros Petrum de vinea, & Thadæũ de Suessa curiæ suæ iudices, in die cœnæ Domini proximo præterita; præsentibus charissimo in Christo filio nostro Constantinopolitano Imperatore illustri, ac fratribus nostris; adstante quoque turba non modica prælatorum, coram senatoribus & Romano populo vniuerso, & multis alijs, qui de diuersis mundi partibus ad diem festum conuenerant iuxta morem; de stando mandatis nostris & Ecclesiæ super omnibus articulis, pro quibus per piæ memoriæ Gregorium Papam prædecessorem nostrũ fuit vinculo excommunicationis astrictus, ac damnis, iniurijs, & offensis ecclesijs, & personis ecclesiasticis ante & post excommunicationem illatis præstitit publice iuramentum, a quo non post multos dies elegit resilire potius, quam parere, adimplere quod sibi mandauimus renuendo. Sane vt deuotionis affectum, quem

Pollicetur facturum fata Pontifici.

quem erga Rom. Ecclesiam habere dicetis, exhibeas laudabiliter in effectu, expedit vt negotium fidei per te laudabiliter inchoatum promptius exequaris, vt exinde vberior tibi [illegible] me[illegible] or in, & Apostolicam sedem ad in[illegible]entum tui nominis, & honoris sui tuus habeas ob[illegible]atam: nos enim in proposito gerimus quod te in dicto negotio minime deseramus. *Dat. Later. 11. kal. Maij anno 1.*

22 A[d] hac [illegible]anda [hist]oriæ veritatem ex Parisio, ipsis Pontificibus Romanis [illegible], confirmare operæpretium est. Is igitur dissimulare non potuit vecordiam Friderici, qui rerum antea gestarum [illegible] dolore correptus Tolosano comiti, Petro e Vineis, ac Thadæo e Suessa procuratorias partes imposuit, vt solemni sacramento se deuincirent, ipsum pontificis imperijs pariturum, omnibusque damn[is] ac in[iuri]js ante & post in[di]ctum a[n]a[th]ema irrogatis Ecclesiæ [illegible] satis; & quidquid [illegible] rerét ratum habit[ur]u[m], qua de re diploma publicum edidit. *Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, Hierusalem & Siciliæ Rex. Per præsens scriptum notum facimus vniuersis, quod nos Raymundo [illegible] comiti Tolosano, dilecto affini ac fideli nostro, & magistris Petro de Vineis, & Thadæo de Suessa, magnæ curiæ nostræ iudicibus & fidelibus nostris ipse talem & plenam concedimus potestatem iurandi in anima pro parte nostra stare mandatis domini Papæ & Ecclesiæ super omnibus articulis, iniurijs, damnis & offensis, ante & post excommunicationis sententiam ecclesijs & personis ecclesiasticis illatis, pro quibus olim per Gregorium summum Pontificem contra nos ipsa excommunicationis sententia noscitur fuisse prolata; ratum habentes & firmum quicquid super hoc prædicti fideles nostri duxerunt faciendum. Ad cuius rei memoriam & debitam firmitudinem, præsens scriptum aurea bulla* [typario] *topazio nostræ maiestatis impressa iussimus communiri.*

23 Addit auctor Fridericum literis Angliæ Regem rogasse, vt oratores mitteret, qui inchoato Tolosani comitis opera pacis tractatui inter se atque Ecclesiam ineundo interessent. Tum recenset capita contrahendæ concordiæ, quorũ præcipua hæc sunt: Restitueret Fridericus omnes terras, quæ ante dissensionem obortam ditionis pontificiæ fuissent, t[u]m quas Ecclesiæ fœderatis eripuisset: scriberet ad Christianos principes, se Ecclesiæ summam auctoritatem non spreuisse, sed cum sententia a Pontifice lata [illegible] denuntiata non fu[isset], consilio Italiæ ac Germaniæ princip[um] [n]on se[r]uandam censuisse, simulq; Romanum Pontificem in omnes cl[er]icos vel laicos auctoritatem obtinere profiteretur, interim se eleemo[s]ynis, ieiunijs, [pijs]q; operibus culpam præteritam expiaturum [illegible]que sententiam ad absolutionis diem seruaturum. Quod ad præsules captos spectabat, [illegible] omnia, quæ [illegible] reperirentur, [illegible] ecclesias ac xenodochia excita[illegible] pont[illegible] mandatis, salua tamen Im[illegible] regno [illegible] possessione, obte[m]peraturum. Quod ad eos, qui Ecclesiæ partes defendissent spectaret, omnia [illegible] in eos lata reuocatum [iri]. Cæterum de ac[illegible] cum Ecclesia inimicitias [illegible], P[illegible] & Cardo[illegible] m sent[illegible] tiæ statur[um] [illegible] be atum iri; [illegible] patria ac bon[is] ob [illegible] a[illegible] a[illegible]cituros.

[illegible] *per* [illegible] *terræ* [illegible] *sermo* [illegible] *cet* [illegible] *ique* [illegible] *quod* [illegible], *quam possidebat* [illegible] *reddatur; & item de adhærentibus Ecclesiæ* [illegible] *ter* [illegible] *per* [illegible] *potestatis* [illegible] *do* [illegible] *entia* [illegible]

non fuerit, de consilio prælatorum & aliorum nobilium Alemanniæ & Italiæ processit, quod prius quam sibi denuntiaretur, eam non tenebatur seruare: profitetur tamen, quod recognoscit bene quod deliquit in hoc non seruando, & molefecit, cum bene sciat & credat fideliter, quod tam super eum quam super omnes Christianos Reges & principes, clericos & laicos habet, summus Pontifex, etiamsi peccator existat, quod Deus auertat, in spiritualibus plenitudinem potestatis. Nihilominus subsidium pro isto excessu faciet in militibus vel pecunia, cuicunque dominus Papa Christianitatis, quantumcunque & quale viderit expedire: alias eleemosynas & ieiunia facturus iuxta ordinationem domini Papæ: & sententiam ipsam vsque ad diem absolutionis humiliter, & deuote seruabit.

25 *Super captione prælatorum: in primis omnia ea quæ ad eum peruenerunt de his, quæ capta sunt in galeis, vel apud eum poterunt inuenire, integre restituet, & restitui faciet: de reliquo volentibus damna passis, iuxta mandatum domini Papæ, de cuius benignitate confidit, satisfaciet. Faciet etiam in satisfactionem huius offensæ, & ob honorem Dei hospitalia & ecclesias, ad dispositionem domini Papæ, quot, & vbi, & sicut viderit expedire; & prædicta loca dotabit, sicut dominus Papa mandabit. Super prædictis, & super alijs omnibus articulis, iniurijs, damnis & offensis, ante & post discordiam & latam sententiam, ecclesijs & personis ecclesiasticis illatis, pro quibus excommunicatus est, iurabit præcise stare mandatis domini Papæ: saluis tamen sint ei honore & iura quoad conseruationem integram, sine aliqua diminutione Imperij & regnorum suorum. Et licet pro prædictis offensis satis oblatum esse credamus, nihilominus ad satisfactionem, & securitatem tam præcedentium quam sequentium capitulorum; & ad maiora deuotionis indicia demonstranda dominus Imperator stabit consilio, & ordinationi tractatorum, scilicet dominorum Ostiensis episcopi, Stephani, Aegidij, & Othonis Cardinalium, qui excepta persona domini nostri Papæ, supplebunt in satisfactione, & securitate, quod viderint esse supplendum. Ita tamen, quod nihil faciant sine conscientia, & mandato domini Papæ, & prædictis satis de satisfactione & securitate, prædicti tractatores facient quod de consilio fratrum dominus Papa faciendum decreuerit.*

26 *Super adhærentibus autem Ecclesiæ ita dicimus, quod omnibus his, qui post ortam discordiam Ecclesiæ adhæserunt, vndecunque sint, ex nunc plena omnis remittatur offensa, tam ante discordiam quam post, siue occasione Ecclesiæ, siue alia commissa; & omnia banna & sententias contra eos latas reuocabit. Et si quas donationes, vel contractus, vel obligationes eis fecissent post latam sententiam, vel postquam adhæserunt Ecclesiæ, relaxabit, possessionibus eorum, iuribus, & bonoribus suis eis integre restitutis, etiamsi alijs sint concessa. Super alijs autem, qui inte ortam discordiam rebelles domino Imperatori fuerunt, [et] erant tunc in bello cum eo ita dicimus, quod remittetur eis omnis offensa, quam postea commiserunt contra eum & Imperium. De offensis vero commissis ante ortam discordiam; stabit dominus Imperator prouisioni, & ordinationi domini Papæ & fratrum, faciendæ infra tempus a domino Papa præfigendum, ipsis & omnibus dabit plenariam [securita]tem ex nunc.*

27 *Super securitate vero illorum de Romandiola, qui post ortam discordiam Ecclesiæ adhæserunt, & nobilium de marchia Teruisiana, & marchionis montis Ferrati, & aliorum nobilium vbique; ita faciet dominus Imperator, videlicet quod prædicti nobiles in proprijs personis, nisi ad prouisionem domini Papæ, sed per substitutos seruire domino Imperatori minime teneantur. In iudicibus autem vocati per nobiles [illegible] pares suos reliquos [illegible] tus [illegible] adhærentibus Ecclesiæ non ex [illegible] iudicari. De personalibus & realibus a[illegible], & etiam de criminibus accusati, [illegible] in R[illegible] rum [illegible] securitatem*

tem eorum, qui Ecclesiæ adhæserunt, statuet dominus Imperator capitaneum aliquem de prælatis Italiæ, sub cuius scilicet examine litigabunt, vsque ad beneplacitum domini Papæ, tam in ciuilibus, quam in criminalibus causis; & prælatus ipse eligatur de consensu domini Papæ, quamdiu dominus Papa voluerit.

28 *Munitiones autem proprias dominus Imperator per quos sibi placuerit, faciet custodiri: munitiones vero prædictorum non lædet vel tanget sine consensu eius, qui deputatus fuerit super his. Illis etiam de marchia Teruisiana prouidebit dominus Imperator capitaneum, cui soli debeant respondere illi de marchia Teruisiana, qui Ecclesiæ adhæserunt, de consensu vnius fratrum, quem dominus Imperator duxerit eligendum. Captiuos in galeis captos, necnon omnes Romanos, Thuscos, & alios omnes captiuos, post latam sententiam excommunicationis, cuius ad præsens absolutio petitur, libere liberabit; & ab omnibus iuramentis & obligationibus, quibus obligassent se post captionem, absoluet tam eos qui liberati sunt, quam qui postea liberabuntur; & super hoc litteras suas dabit fidelibus suis, qui capti sunt vbique per detentores eorum liberatos. Eiectos occasione discordiæ primæ vel secundæ, tam clericos, quam laicos, redire permittet ad propria, & ibidem secure manere, possessionibus eorum & bonis integre restitutis. De discordia autem Romanorum, dominus Imperator stabit ordinationi domini Papæ, & fratrum tam de restitutione damnorum hinc inde datorum in bello ipso, quam de alijs: ita tamen, quod ita statuatur de discordia, & indemnitate suorum excepto castro Anticuli, de quo non compromittitur.*

29 *De damnis datis per dominum Imperatorem, officiales, & balliuos suos, prælatis, ecclesijs tam religiosorum, quam secularium, vel alijs de mandato suo, post sententiam latam in eum, satisfaciet dominus Imperator secundum prouidentiam & benignitatem sedis Apostolicæ: vbi non intelligit dominus Imperator damna hostiliter data per se aut suos exercitus. Gregorio de monte longo, & omnibus consanguineis suis plenam pacem dat & securitatem: terra comitis Vuillelmi, quæ tenetur ab Ecclesia, restituetur: de alia terra compromittatur in Imperatorem Constantinop. dominum Othonem Cardinalem, & archiepiscopum Rothomagensem, ita quod ipsi de iure cognoscant, sicut fuerit cognoscendum. Nuncij Imperatoris dicent, quod compromittent, quod de possessione, & proprietate & simul recognoscent & definient, & iurabunt, quod bona fide & sine fraude studebunt inducere dominum Imperatorem, quod ipse patiatur quod præfati domini procedent, siue simul siue separatim de possessione & proprietate. & dicti tres requirent dominum Imperatorem, & recipiunt super se, quod super eo apud dominum Imperatorem facient bona fide, quod Imperator consentiet, quod isti tres procedant, sicut eis videbitur expedire, audiendo scilicet & terminando causam ipsam, siue simul de possessione & proprietate, siue separatim. Quod si non omnes possunt interesse, & aliquis eorum fuerit iusto impedimento detentus, duo eorum procedent.*

30 Non diu in suscepta pia mente perstitit Fridericus: mox enim [illegible] ignauiæ & superstitionis iniuriæ accula[illegible] hostibus, atque in summam [illegible] damnanda præterita, sibe [illegible] Ponti[illegible] sese ad[illegible] inxisset; tunc [illegible] ad scelu[illegible] eque[illegible] pacem disturbare non [illegible] que Pontifici [illegible] insidias [illegible] Innocentius cautius a[illegible] cœp[illegible], atque [illegible] mandas partes sua[illegible] nonnul os [illegible] ac gestis in[illegible] renuntiauit, vt [illegible]

Resilit a promissis Fridericus.

31 *Die S. Trinit[illegible] volens dominus I[illegible] suam meliu[illegible] are, [illegible] [illegible]*

les, *videlicet magistrum Iohannem de Toleto natione Anglicum, & quosdam alios moribus & sanguine præclaros.* Hæc auctor [illegible] Octauianum ex procuratore Bouonien[illegible] ecclesiæ in amplissimum purpuratorum Patrum collegium cooptatum, ac S. Mariæ in via lata diaconum Cardinalem creatum, testatur Innocentius [illegible] hoc anno viii. & [illegible] kal. iun. datis a. Iacobum S.R.E. vi[illegible] [illegible], nepotem suum, vt in sequ[illegible] ponti[illegible] cij appos[illegible] in margine nota indicat; qui vt refert Sigonius, adolescens diuino spiritu ictus Prædicatoribus se aggregarat; illi sedi præfecit, in qua ita se præclare gessit, vt mutuis imbutos odijs ciues inter se conciliarit. sed ad Fridericum redeamus.

Creat Innoc. ad suas confirmandas partes decem Cardinales.

a L. 8. ep. 715. 740.

32 Tradit Parisius Pontificem recrudescente vetere discordia cum omnibus Cardinalibus Tif[illegible] modo dictam Castellanam vrbem acce[illegible], [illegible] mo[illegible], quo propius pacis tractatum redintegraret. Longe verò aberrant ij, qui Ponti[illegible] Tifernu[illegible] non adijsse, vt erat conuentum, asserunt, cum datæ ab ipso Tiferni literæ b ad nos emanarint; indeque cum Summi Apostolorum Petri & Pauli peruigilium [illegible], Imperatorem [illegible] iam præteritæ pœnitentiæ larua, & conuenta violantem petij[illegible], vt prius anathemate [illegible], alioquin promissa non seruaturum. Quod cum ab æquitate ac legum ordine abhorrere responderet, grauior contentio exarsit; ac tum certo nuntio accepit Innocentius conflatas sibi insidias, atque Imperatoris satellites nocte in eum inuolaturos. Quorum impetus consiliaque anteuertens, Centumcellas se nocte proripuit. cuius fugam Parisius, non sine aspersis improbe Pontifici salibus, ita describit.

b Ibid. ep. 715.

O[illegible] a F[illegible] P[illegible] S[illegible] ab [illegible] fidei.

33 *Eadem die [illegible], videlicet vigilia Apostolorum, significatum fuit domino Papæ, vt idem postea asserebat, quod trecenti milites Thusci erant in veniendo ipsa nocte, vt ipsum apprehenderent. Dominus igitur Papa non mediocriter attonitus, & perturbationis vultum præferens in hora primi somni, relictis papalibus ornamentis, vestem induit Senibaldum, & leuiter armatus, equum ascendit velocissimum, magis non vacua, & vix cubicularijs conscijs, clam subitoque discedens, non equinis pep[illegible] stlater bus, ita quod ante primam triginta quatuor miliaris pertransiuit, nemine comitante, vel ipsum sequi potente. Media autem nocte clamor factus: Ecce Papa recessit; nescientibus aliquibus, nisi aliquot, sed paucis Cardinalibus. Petrus vero de Capua, cum vno solo comite, non sine viarum discrimine secutus inuenit Papam ipso die apud castrum supra mare, quod dicitur Ciuitas vetus: venerant autem [illegible] dem in occursum Papæ viginti tres galeæ quarum vnaquæque sexaginta viros bene ferro armatos, & centum & quatuor remiges assignatos continebat, exceptis nautis, & sexdecim bargæ. Propter quod argumentosi suspicabantur hæc omnia diu ante prouisa dominum Papam desiderasse. Fuerunt autem cum armatis & eis præfuerunt potestas Ianuæ, quem admiratum vocant, & maiores ciuitatis, qui se omnes iactabant esse vel affines vel consanguineos Papæ propter retributionem.*

De Pontificis fuga. Par. loco cit.

34 *Intrauit igitur vnam galearum illarum dominus Papa [illegible] Cardinalibus, & pau[illegible] a[illegible] [illegible], & vix magnum mare intrauerant naues [illegible] tempestas [illegible] aduerso [illegible] non sine max[illegible] periculo & [illegible] quos antea ceperant prælatis, per [illegible], die veneris [illegible], compellente tempestate [illegible] in portu insulæ cuiusdam Pisanorum, [illegible] pernoctantes. In crastino vero omnibus a [illegible] absolutis, & audita missa de B. V[illegible] Pisanos, raptim [illegible] Ianu[illegible] bant, [illegible] centum & [illegible] die [illegible]*

Magno honore a Ianuensibus excipitur.

& vix præ tempestate euadentes, venerunt ad portum Veneris, vbi moram fecerunt die dominica, & die lunæ: die vero martis peruenerunt Ianuam latabundi: distabat autem dominus Papa ab vrbe iam quindecim dietis. Receptus est autem a conciuibus, consanguineis, & affinibus suis in vrbe ipsa, qua natus est, in campanarum classico, in concentu & musicis instrumentis dicentibus omnibus & conclamantibus: Benedictus qui venit in nomine Domini. Quibus & ipsi responderunt: Anima nostra sicut passer erepta de laqueo venantium; laqueus contritus est, & nos liberati sumus.

35 Vbi Pontificem Fridericus ipsius furori sese subduxisse accepit, excanduit illico, nec leuium curarum ancipiti æstu fluctuabat; cum antea redacto in suam potestatem Pontifice meditatus esset leges Ecclesiæ, quas vellet, imponere, spesque suas euanuisse videret; ac pertimesceret, ne Pontifex Christianos principes in ipsius perniciem concitaret. Quo vero facti inuidiam in Pontificem deriuaret, literas ad Regem Angliæ dedit, quibus acerbe questus est, inique admodum veluti contumacem apud principes ac populos traduci: quasdam vrbes arcesque obtinere atque occupare voluisse Innocentium, de quibus exploratum non esset an ad Ecclesiam vel Imperium spectarent: poposcisse, vt ij in libertatem vindicarentur, quos in vinculis tenebat, antequam censuris solueretur: paratissimum se ad coniungendam pacem; sed cum pertimesceret ne aliquibus a Pontifice laqueis irretiretur, gerere in votis Galliæ & Angliæ Regibus controuersiam totam dirimendam committere. quibus discutere cogendam ab Innocentio synodum, atque principes pontificiæ causæ iudices constituere nitebatur. Iras verò maxime ac minaces voces in suos clientes euomuit, qui itinera Innocentio non abrupissent, prædamque, vt aiebat, præclaram ignauia sua e manibus euolare passi essent: tum vias omnes, quæ ex Italia in Gallias ducunt, custodijs diligentissime sepiri ac muniri iussit. Quo facto manifesti Ecclesiæ persecutoris nomen infame apud omnes sibi peperit: fefellere tamen ipsius insidias Otho Portuensis episcopus Cardinalis, qui ex diacono Cardinali S. Nicolai in carcere Tulliano ad eam dignitatem superiori anno promotus fuerat; alijque per Insubres arrepto itinere marchionis Montis ferrati & aliorum principum opera Ianuam ad Pontificem se contulere.

Fr... Innocentium deri... Friderici...

Male audit apud omnes.

Nonnulli Cardinales elusis illius insidijs ad Pontificem se cõferunt.

Discedit Ianua Innocentius

36 Cæterum cum Ianuæ diutius tuto manere non posset, periculumque foret ne Fridericum ferocem animis atque armis prepotentem ad eam vrbem opprimendam alliceret, Astam fortissimo Ianuensium exercitu stipatus perrexit: quæ vrbs, & Alexandria, aliæque non paucæ, cognita Friderici tyrannide, ab eo desciuere. Inde feliciter Fridericianis prædonibus, qui vias obsederant, elusis, Lugdunum contendit: quod tum scriptores, tum pontificiæ literæ demonstrant. Quocirca mirari satis non possum Colmariensium annalium auctorem, qui hac tempestate vixit: vt qui dicat ad Prædicatorum familiam anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo primo se recepisse, tradidisse historiæ Innocentium Papam hoc anno apud Lugdunum obijsse. Sed mendum ex scriptorum incuria irrepsisse dicendum est; non enim apud Lugdunum obijsse, sed Lugdunum adijsse reponendum est. Addit Parauinus monachus a Innocentium, cum iam D. Lucæ sacer dies appeteret, per terras Sabaudiæ comitis iter fecisse. Certum quoque est ipsum excurrente nouembri medio in oppido Camera in Vallemorien. substitisse, quo loco consignatæ extant literæ. b

Per Sabaudiam iter arripit.

a Monach. ... chro. lib. 2.

b L. ... 7.

... grant C... Cistercienses a S. Ludouico ... Pontifice ... excipiat.

c Par. hist. Angl. hoc ann.

37 Antequam in Gallias perueniret, ad Cistercienses epistolam dedisse, qui tum illius sacri ... solemnia conuitia celebrabant, narrat Parisius c; qua ipsos rogauit (magna enim tum temporis ob sanctitatis opinionem auctoritate florebant) ab Rege exposcerent, vt Romanum Pontificem Christi domini in terris vices gerentem, Imperatoris tyrannidem fugientem, benigne exciperet; accessisse verò ad ipsorum comitia, quæ imminente S. Michaelis festo die celebranda erant, vt se eorum apud Deum precibus commendaret, D. Ludouicum cum Regina matre Blancha ac fratribus Pictauiensi & Arrebatensi comitibus; locique religione tactos ait ex equis longissimo teli a monasterio iactu desilijsse. tum abbates, qui ad comitia conuenerant, adornato religioso agmine, Regi obuiam prodijsse, atque ad monasterium adduxisse: Regem obseruantiæ ergo matri honorificentiorem locum, dextrum scilicet detulisse: captata porro occasione Cistercienses in genua prouolutos infimis precibus effusoque lacrymarum imbre flagitasse, Pontificem ab iniurijs tyranni vindicaret, ac peramanter ad se confugientem exciperet maiorum exemplo, qui Alexandro alterius Friderici tyrannidem fugienti Galliarum asylum aperuissent; & tum sanctum Regem, vti summa obseruantia religiosos viros prosequebatur, in genua pariter procubuisse, ac pollicitum se Pontifici auxilio & beneuolentia non defuturum.

Eorum precibus S. Rex annuit.

38 Non fluxerat post hæc multum temporis, cum aduersa ægritudine implicitus S. Ludouicus decubuit a; iamque crescente in dies mali sæuitia, & medicorum artes ac remedia eludente, extremis cum morte viribus colluctabatur, cum diuino munere paululum e sæuissimo symptomate, quo exanimatus putabatur, recreatus gestandæ in Sarracenos crucis voto se obstrinxit, quæ Nangius b ita describit: *Regis infirmitatem videntes crescere, placuit ipsis, vt diuinam clementiam implorarent, quatenus Deus, qui omnia solus potest, virtutem suam circa infirmum Regem ostendere dignaretur. Destinantur igitur nuntij per ecclesias cathedrales, vt in illis eleemosynæ & orationes ac solemnes pro Rege fierent processiones. Sed Regis ægritudine postea ingrauescente, creditus fuit Rex per magnum vnius diei spatium spiritum exhalasse.* Et quidem Ionuillæus c scribit se ab eiusdem Regis ore excepisse alteram e matronis, quæ decumbenti assidebant, arbitratam extremos spiritus efflasse, faciem linteo inuoluere deliberasse; alteram verò minime passam, vt mortui instar componeretur, vel ad sepulturam efferretur: interque altercantium voces collectis viribus amissum vocis vsum recepisse, moxque sibi afferri crucem præcepisse. Quibus consentientia Nangius: *Vt autem ab illa ecstasi ad seipsum redijt, crucem protinus transmarinam instanter petijt & accepit. Tandem quia Regis ægritudo adeo grauis erat, vt medici desperarent de ipso, Rex & serenissima mater eius domina Blancha Regina petierunt Odonem abbatem ecclesiæ macarij Dionysij, vt sacratissima corpora Dionysij, Rustici & Eleutherij, quorum patrocinio tota gaudet regio, regni stat potentia, * descripta, in qua quiescebant, vt suis precibus Regi sanitatem impetrarent a Domino, tollere & eleuari facere non differret.* Subdit vt magna pompa ac pietatis sensu instructa solemnis supplicatio sit, in qua sacræ martyrum reliquiæ claræ fuerunt; ac paulatim vi morbi se remittente pristinæ diuina ope valetudini plane fuerit restitutus. His addit Matthæus Parisius, Blancham Reginam matrem, in extremis mortis vitæque confinijs laboranti filio, iamque sensu pene destituto, crucem Christi, coronam spineam, aliasque reliquias admouisse. Cõsentientia scribit Vvestmonasteriẽsis d, qui hæc Reginæ Blanchæ sacra ea pignora admouentis exanimi filio verba adducit: *Non nobis Domine Christe, non nobis; sed nomini tuo da gloriam. Salua hodie regnum Franciæ & coronam, quam hactenus ... tractatus sustinuisti. Monstra virtutem ... orum insi... niuin, quæ in terra post te reliquisti, in magno iudici apparetura:*

a Vit. S. Lud. anct. apud Sur. e ... diea 25. aug. Guill. Nang. ... gest. Lud. an. 1244. Ber... chr. Rom. P... eod. ann. ...

Grauissimo ... morbo ... b ... peri... ... S. Rex

b Nang. vbi sup.

Instaurat pro illius valetudine solemnes supplicationes.

c Ionu. de bell. S. Lud. ... Sarracenos expeditione Deo vouet.

* descripta

Admotæ morbundo spinea Domini corona & crucis porcio ...

d Vvestm. flor. ... hoc ann.

tura: in quibus confidentes gloriamur. Mira res! Rex statim oscitans, tibias & brachia ad se trahens, halitus faciens & suspirans, se signo crucis signari postulauit, vouens se in Terram sanctam adsturum.

39 Condidisse porro religiosissimum principem eleganti opere in regia sacrarium, vt pretiosissima redempti humani generis instrumenta, honorificentissimo loco reponeret: vectigalia amplissima, attribuisse quibus sacerdotes diuino cultui addicendi sustentarentur, restantur Innocentij literæ a, quibus hoc anno tanti Regis pietatem ornauit: atque ad decorandam priuilegijs apostolicis loci sanctitatem decreuit, vt nullus nisi obtenta singulari facultate sacellum interdicto subijcere, vel sacerdotes in eo diuinum cultum celebraturos percellere anathemate posset: *Sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, capellam Parisijs infra septa domus regiæ opere superante materiam, vt ibidem prædicta corona sanctissima, ac aliæ pretiosæ reliquiæ, quas de ligno crucis, & alijs sacris habere dignosceris, sub veneranda custodia conseruentur, tuis sumptibus duxeris construendam, ipsamque deputandis ibidem ministris idoneis de bonis proprijs dotare proponas; nos volentes, vt eadem capella speciali gaudeat priuilegio libertatis, deuotionis tuæ precibus inclinati, vt nullus in capellam ipsam, vel personas inibi constitutas, aut constituendas excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententias absque speciali mandato sedis Apostolicæ faciente plenam de hac indulgentia mentionem promulgare valeat, auctoritate prædicta indulgemus: quasi per præsumptionem cuiuscumque promulgari forsan contigerit, eadem auctoritate decernimus irritas, & inanes. Dat. Later. ix. kal. iun. an. 1.* Extant eodem argumento ad abbatem S. Dionysij literæ b, quibus iubet concessas ab Apostolica sede prærogatiuas propugnare; ac S. Ludouicum pulcherrimo titulo singularis Ecclesiæ, atque ecclesiasticæ libertatis defensoris nomine insigniuit.

a Lib. 1. ep. 716.

Sacell. quæ a S. Lud. in regiæ sacrario reposita.

Exornat locū prærogatiuis Innocentius.

b ibid. ep. 717.

40 Ardentem pariter S. Ludouici Francorum Regis in vindicanda a Iudæorum contemptu Christi gloria zelum Innocentius collaudauit. Irrepserat apud gentem perfidam ea superstitio, vt prophetarum libris, quorum oraculis ad amplectenda Christiana sacra pellici potuisset, contemptui habitis, futilem rabbinorum doctrinam scatentem mendacijs, horrendisque insectam blasphemijs in suo talmuth fabellis insanis consarcinato hauriret; vnde odio in Christianos imbuti a vera religione abhorrerent. Ad comprimendum igitur malum, Gregorij Pontificis iussu Parisiensis academia, perlectum talmuth, vt impium publice flammis tradidit, ac Iudæos tumultuantes D. Ludouicus compressit, quem Innocentius rogauit c, vt eiusmodi libros toto regno conquisitos ignibus deleri iuberet: deinde ne Iudæis Christianas fœminas seruire pateretur, cum illi pudicitiæ hostes grauissima ijs dedecora inferrent, atque a ratione alienum penitus foret, vt seruorum obsequijs liberi manciparentur.

Iudæi in Gallijs coerciti.

c Lib. 1. ep. 621. extat etiam in bullar.

41 *Ipsi*, de Iudæis loquitur, *ingrati domino Iesu Christo, qui conuersionem eorum ex sua longanimitatis assinentia patienter expectat, nullam prætendentes verecundiam culpæ suæ, nec reuerentes honorem fidei Christianæ, omissis seu contemptis lege Mosayca & Prophetis, quasdam traditiones seniorum suorum sequuntur, super quibus eos in euangelio Dominus obiurgat dicens: Quare vos transgredimini mandatum Dei, & irritum fecistis propter traditiones vestras, hominum doctrinas & mandata docentes? In huiusmodi namque traditionibus, quæ Thalamuth Hebraice nuncupantur, & magnus liber est apud eos excedens textum bibliæ in immensum, in quo sunt blasphemiæ in Deum, & Christum eius, ac B. Virginem, manifeste intractabiles fabulæ, abusiones erroneæ, ac stultitiæ inauditæ; filios suos docent ac nutriunt, & a legis & prophetarum doctrina reddunt ipsos penitus alienos, verentes ne veritate, quæ in eisdem lege ac prophetis est intellecta, aperte de vnigenito Dei Filio venturo in carne testimonium perhibente, conuertantur ad fidem, & ad Redemptorem suum humiliter reuertantur.* Et paulo inferius, vbi alias de Iudæis, qui fœminarum Christianarum contubernijs abuterentur, querelas adiecit:

Talmuth horrendis blasphemijs referrtum.

42 *Et licet dilectus filius cancellarius Parisiensis & rectores regentes Parisijs in sacra pagina, de mandato felicis recordationis Gregorij Papæ prædecessoris nostri, tam prædictum abusionis librum, quam alios quosdam cum omnibus glossis suis perlectos in parte ac examinatos ad confusionem perfidiæ Iudæorum publice coram clero, & populo incendio concremarint; prout in literis eorum perspeximus contineri, quibus tu tanquam catholicus Rex, & princeps Christianissimus impendisti super hoc auxilium congruum & fauorem; pro quo regalem excellentiam dignis in Domino laudibus commendamus ac prosequimur actionibus gratiarum; quia tamen nondum Iudæorum ipsorum abusio prophana quieuit, nec adhuc dedit eis vexatio intellectum, celsitudinem regiam attente rogamus, monemus, & obsecramus in domino Iesu Christo, quatenus excessus huiusmodi detestabiles, & enormes commissos in contumeliam Creatoris, & in iniuriam nominis Christiani, prout pie incepisti laudabiliter prosequendo faciens debita seueritate percelli, tam prædictos abusionum libros reprobatos per doctores eosdem, quam generaliter omnes cum glossis suis, qui per ipsos examinati & reprobati fuerint, mandes per totum regnum tuum, vbicunque reperiri poterunt, igne cremari, &c.* Contendit summis precibus a sancto Rege, ne Christianas nutrices ac famulas Iudæorum obsequijs se addicere patiatur. *Dat Lat. VIII. id. maij an. 1.*

Gregorij auctoritate a Parisiensi academia dānatum.

Iubetur ab Innoc. cum omnibus exē[...] [...] flammis deleri.

In Anglia refossum Londini e terra pueri Christiani corpus scribit Parisius a, cuius membra Hebraicis literis erant exarata, creditumque Iudæos Christi Domini odio percitos, vti sæpius eo crimine conuicti fuerant, eam barbariem exercuisse, nonnullorumque ex ijs fugam suspicionem auxisse: corpus verò magna veneratione in ecclesia S. Pauli fuisse collocatum.

a Par. hist. Angl. hoc ann.

Crudelit. Iudæorū in puerū [...]

43 Delapsa est oratio ad res Anglicanas, quæ magni belli metu, atque horrore turbidæ paulo post ad pristinam serenitatem adductæ fuerunt. tradit enim historiæ Parisius maximum inter Henricum An[gl]iæ, atque Alexandrum Scotiæ Reges bellum exars[isse], Henricoq; Scotiam petere meditanti conscri[p]to florentissimo exercitu obuiam perrexisse Alexandr[um], adeo, vt præter equites, centum millia peditum [su]b signis numeraret, iamque funesto conflictu im[mi]nente, in quo sanguis plurimus fundendus timebatur, agitatum de pace; eaque feliciter confecta ambos Reges ab armis discessisse: pacis vero sancitæ leges ad Rom. Pontificem transmissas, vt eas apostolica auctoritate sanctiores efficeret, quod Alexandri ac principum regni ad Innocentium literæ a Parisio adductæ illustrant, quas nos ex eo decerpemus ob argumenti dignitatem; inter cæteras verò ea princeps extitit, vt Scotiæ Rex fiduciario iure regiæ Anglorum aulæ teneretur, nec vnquam fœdus aliquod contra Henricum hæredesque coiturus esset nisi iniuste grauaretur.

A[le]xāder [Re]x expeditionem in Henricū parat.

Reuocata inter eos principes pax [...] ab Innoc. vt [...] leges confirmaret.

44 *Sanctissimo in Christo patri Innocentio Dei gratia summo Pontifici, Alexander eadem gratia Rex Scotiæ, &c.* sequuntur procerum nomina, qui Pontifici has literas b inscripsere, *salutem & debitam cum omni honore reuerentiam. Sanctitati vestræ significamus, nos sacramentum corporaliter præstitisse coram venerabili patre Othone, tit. S. Nicolai in carcere Tulliano diacono Card in Anglia, Scotia, & Hibernia, tunc A. S. L. ac chartam nostram confecisse, quæ ita incipit: Sciant præsentes & futuri.* nonnullisque interiectis: *Cum ex forma præcedentium nostrarum pateat obligationum,*

b Extant apud Par. hist. Angl. hoc ann.

Scotiæ Rex Regi Angliæ re[...] Angliam se profitetur.

Sub-

subiecimus nos iurisdictioni vestræ, vt nos & hæredes nostros per censuram ecclesiasticam possitis coercere, si aliquo tempore contra memoratam pacem venerimus. Et si nonnunquam contingit, quod quidam nostrum, omnes, vel vnus contrauenire temere præsumerent, vel præsumere nituntur, vel nitentur; & ex hoc tam animabus nostris, quam hæredum nostrorum graue posset generare periculum, & corporibus nostris, & rebus non minimum immineret detrimentum; sanctæ paternitati vestræ supplicamus, quatenus alicui suffraganeorum archiepiscopi Cantuariensis detis in mandatis, vt nos hæredesque nostros ad præfatæ pacis obseruationem compellat, prout in instrumentis inde confectis plenius continetur. Aliás super eadem pace, quod canonicum fuerit, auctoritate vestra statuat.

Norvvicẽsis ep. Põt. auctoritate ad Vvintoniẽsem traducitur.

45 His addit Parisius Henricum Regem acerbe exagitasse episcopum Vvintoniensem, cum ægre ferret illius ecclesiæ gubernaculis admotum fuisse; traduxerat enim illum Innocentius a Norvvicensi sede ad Vvintoniensem. ad quod disturbandum, nonnulli propriæ vtilitatis amore irretiti, creduli principis animo insuderant, hæc Pontificem agere non posse, ni prius ipse consensisset: summum circa diuina penes Pontificem, circa humana & ecclesiarum opes penes Regem in Anglia imperium esse: proinde nullum ex pontificia auctoritate cuiusuis ecclesiæ reditus ad se deriuare posse, nisi regius assensus accessisset. His adulationibus delibutus princeps Romani Pontificis imperijs obluctabatur; quem Innocentius paterna beneuolentia corripere coactus, huiusmodi opinionem ex eius mente conuellere aggressus est. a

Exagitatur ab Angl. Rege ob non expetitum ipsius cõsensum.

a Lib. 1. ep. 504.

Corripit Henricũ Innocentius.

46 *Hæc fili charissime non Dei vel Ecclesiæ, non tuæ resonant sublimitatis honorem, non sapiunt iustitiam, non redolent æquitatem; præsertim cum teneat omnium credulitas pia fidelium, quod Apostolicæ sedis auctoritas in ecclesijs vniuersis liberam habeat a Dei prouidentia potestatem, nec arbitrio principum ipsa stare cogitur, vt eorum in electionum, vel postulationum negotijs requirat assensum: in quibus tamen Deum habendo præ oculis sic prouide procedit & caute, quod per illa nullius possit honori detrahi, vel iustitiæ derogari, sicut etiam in translatione ipsius episcopi dignoscitur processisse; in quo promouit hominem scientia, moribus, & honestate conspicuum, ac in temporalibus & spiritualibus circumspectum, olim tibi charum & amabilem, ac semper tuis beneplacitis secundum Deum totis viribus intendere cupientem; per cuius industriam, probatam in plurimis, honoris & commodi proficere poteris incrementis: si tamen contrarium non suggerat astutia susurrsuum, a quibus parare dispendia virtuosis pro indifferenti ducitur, dummodo sua specialia commoda, vel priuata desideria consequantur, &c.* Adiungit preces & imperia, vt episcopum ecclesiæ Vvintoniensi bonisq; pristinis restituat, nunquã enim se passurum, vt libertas ecclesiastica exolescat. *Dat. Lat.* III. *kal. mar. an.* I. Conijcit in historiam suam easdem literas Parisius b, qui addit demũ post longas contentiones Henricum Rom. Pontificis monitis, atque episcopi modestia flexum hoc ipso annõ optimum præsulem summo bonorum omnium applausu in Angliam reuocasse.

b Par. hist. Angl. an. 1244.

Pontificijs monitis mosẽ gerit.

47 Admisit pariter Innocentius Henrici preces, quibus contenderat, vt testamento a se condito, in quo vxori dotem attribuerat, apostolicam adijceret auctoritatem; Londoniensique & Lincolniensi episcopis partes demandauit c, vt eos, qui contra tenderent, censuris percellerent. Iniunxit præterea ijsdem præsulibus d, vt de Edmundi archiepiscopi olim Cantuariensis rebus gestis atque cælitus explicitis ad confirmandam eius sanctitatem, sacrum examen instituerent: *Cum dilecti filij abbas & conuentus monasterij Pontiniacensis Cisterciensis ordinis nobis humiliter supplicarint, vt recolenda memoriæ Eadmundum Cantuariensem archiepiscopum; quem pijs operibus floruisse fatentur in vita, certisque post mortem miraculis adeo claruisse, quod ad gloriosum sepulchrum eiusdem diuersis mundi partibus prona deuotione innumerosa populi confluat multitudo; ascriberemus sanctorum catalogo a Christi fidelibus deuotione debita venerandum.* recitat Matthæus Parisius a literas, quas illi hac de re ad Innocentium scripsere, vbi plura de illius sanctitate patratisque eius ope miraculis afferunt: *Nos attendentes, quod ad hoc, vt sanctus habeatur aliquis apud homines in Ecclesia militante, duo necessaria requiruntur, virtus morum, & veritas signorum; merita videlicet & miracula, vt hæc & illa sibi inuicem contestentur; ac volentes in tanto negotio grauitatem debitam & omnimodam diligentiam adhibere, fraternitati vestræ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus, quatenus de virtute morum, & veritate signorum, operibus videlicet & miraculis inquiratis solicite veritatem; & receptis testibus depositiones eorum faciatis conscribi, & sub sigillis nostris ad nos fideliter transmittatis, vt procedamus exinde, prout secundum Deum viderimus procedendum, &c. Dat. Later. IX. kal. maij an. I.*

c Tom. L. 1. ep. 643.

d Ibid. ep. 618.

B. Edmũdus miraculis inclarescit.

Porrectæ Innocentio preces vt SS. catalogo apponeretur.

a Par. hist. Angl. an. 1244.

De vitæ sanctitate ac miraculorum veritate quæstionem sacram instituit iubet Pontifex.

48 Fulsisse hoc tempore in Anglia magnæ sanctitatis opinione ac miraculorum gloria Robertum S. Edmundi fratrem, Robertum e Kartebrag, Rogerium olim episcopum Londinensem, ac Ioannem e Foxtuna refert Parisius b, quorum sepulchra a Deo pluribus prodigijs illustrata, ac morbos e plurium ægrorum corporibus singulari beneficio depulsos docet. Efflorescebat etiam in Germania multis miraculis B. Colomani martyris gloria, quorum fama permotus Austriæ dux, flagitauit a Pontifice, vt sacrum illius memoriæ diem constitueret. Qui Pataniensi archiepiscopo indixit c illius, si sanctorum catalogo adscriptus reperiretur, festum diem agitari posse. Nec prætermittendum videtur Innocentium ad cultum & venerationem B. Elizabethæ fidelibus adituris sacrum illius nomini templum Marpurgi in Maguntina diœcesi excitatum præmia indulgentiarum impertitum, quæ sequuntur d: *De omnipotentis Dei misericordia, & BB. Petri & Pauli Apostolorum, eius auctoritate confisi vere pœnitentibus confessis cum debita reuerentia & deuotione in cœna Domini, parasceue & sabbatho sancto, & dominica paschæ illuc accedentibus annuatim quadraginta dies de iniuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus. Dat. Lat.* 2. *id. feb. an.* I.

Celebres in Anglia sanctitate viri.

b Par. hist. Angl. hoc ann.

c Lib. 1. ep. 672.

De instituendo B. Colomano martyr festo die agitatum.

d Ep. 461.

Propositæ ab Innoc. S. Elisab. templum adituris indulgentiæ.

49 Illustrauit insuper Germaniam Ecclesiæ athleta nobilissimo, Ludolpho scilicet Racemburgensi episc. qui multis grauissimis laboribus, ob defensa ecclesiæ suæ iura ab Alberto Saxoniæ duce perlatis, mereri id nomen potuit. Refert Crantzius e insigne miraculũ quo vir pius leuatus admodum ac recreatus est: *Iam viribus totis destitutus post varia tormentorum genera, diem expectans extremum, nocte præcedente cœnam Domini duo ex fratribus ad eum venientes poculum ei salutis dederunt: quo confortatus, viribus receptis ipsa die cœnæ officium suum deuotissime peregit; & vt pie creditur, duo illi fratres qui poculũ tradiderunt, antecessores sui episcopi Euermodus et Godefridus fuere: nã vnde venerint, quo abierint, vidit nemo. pastor hic bonus animã suam pro ouibus posuit, & pro suo grege mori dignatur.*

Ludolph. Racemb. ep. ob defensa eccl. iura cruciatus.

e Crantz. metrop. l. 8 c. 6.

Diuinitus recreatur.

50 Viguisse vero illius temporibus Racemburgi disciplinam monasticam ait, vt vulgo illud monasterium carcer ordinis dicerent. Subdit miraculum aliud in prænobili viro eius opera a Deo patratum: cum enim elusa chirurgorum diligentia ferrum teli capiti infixum ac demersum hæreret, immanibusque ob id doloribus cruciaretur, ad Ludolphi suffragia confugit; moxque e cranio sponte ferrum sese extulit, quod sua manu vir nobilis euulsit, pretiosissimaque dona auro gemmisque distincta in eius honorem obtulit. Dignum denique sacro sepulchro affixum epitaphium fuit, quod ex eodem auctore de-

Miraculis fulget.

cerpamus: *Quoquo pacto legeris siue per capita versuum deorsum, siue per directum, sonant idem.*

Illius epitaphium.

Gemmula pastorum, lux fulgens, regula legis,
Pastorum speculum, iuuenum dux, senis corona,
Lux iuuenum clara, reparator, gloria plebis,
Fulgens dux, reparator cleri, pacis amator,
Regula senis, gloria pacis, formula dulcis,
Legis Icona, plebis amator, dulcis adesto.

Eosdem reperies si singulorum dictiones primas iunxeris sit versus primus, inde si secundas singulorum iunxeris sit versus secundus, & si tertias tertius vsque in finem ita deinceps.

51 Cum Ludolphi occasione ad septentrionales res nostra digressa sit oratio, Polonicarum rerum statum ex Longino a alijsque subijciemus. Laborabat grauissimo bello Polonia, cum Conradus Masouiæ dux, qui cum Cracouiensis ducatus nepoti Boleslao Pudico eripiendi cupiditate, tum eluendæ præterito anno acceptæ ignominiæ desiderio actus; Pruthenorum, Lithuanorum, ac Iaczvvingorum auxilijs fretus irrupit; horrendaque illata vastitate, qua nullo discrimine in ecclesias atque prophanas domos flammis sæuitum est; Boleslao subditos populos eius potentiam reformidantes, ad suam deditionem pellexit. Subornare studuit Prandotham Cracouiensem episcopum, quem cum nullis minis promissisve a Boleslai fide diuellere posset, eius bona ac domos ferro atque igne vastauit: in illum Prandothas ob facinus generose insurrexit, perculitque anathemate, quod publice promulgari iussit. Tum Gnesnensis archiepiscopus celebrata synodo Conradum vt hostem Ecclesiæ ijsdem censuris defixit.

a Long. hist. Pol. l. 9 hoc an. Cromerus l. 8. atque ex ips. nouatores cent. 13 c. 9 col. 887

Conradus Masouiæ dux Boleslaum pudicum bello petit.

Ecclesias infestat.

Percellitur anathemate a Poloniæ præsulibus.

52 Tumultuante Polonia Innocentius legatum apostolicum ad componendas eas turbas misit Iacobum Leodiensem archidiaconum, quem postea egregiæ eius virtutes in pontificio solio sub Vrbani quarti nomine collocauere. Nec pacatior erat Prussia, in quam cum Austriæ princeps dilatandæ fidei studio accensus expeditionem ornaret, Pontifex ea ex sanctiore Ecclesiæ ærario illius signa secuturis sacra stipendia ad delendas reliquas criminum maculas contulit b, quæ ex œcumenici concilij liberalitate Terram sanctam petentibus proposita fuerant. Cum vero infideles non tam armis ad Christi cultum frangendi, quam diuino verbo pelliciendi sint, inter alios viros religiosos, ad inferendam barbaris euangelij lucem misit Dominicum Aragonium Minoritam pietate insignem. Sparsi etiam erant ex eadem familia plures in oriente per Armenorum, Græcorum, Georgianorum, Iacobitarum, & Nestorianorum terras, qui Ecclesiæ limites latius proferre summis laboribus contendebant; quibus Pontifex, vt partes susceptas præstantius exequi possent, concessit cum hæreticis ac schismaticis familiari sermone & mensa vti possent; eorum tamen ecclesias adire vetuit: si quos vero ad Ecclesiæ castra traducerent, impertiendæ ijs absolutionis potestatem fecit. c

Iacobus archidiac. in Poloniam legatus mittitur.

Dux Austriæ expeditionem in Prussiā cogitat.

b Lib. 2. ep. 710.

Viri religiosi ad disseminandum inter infideles euangelium missi.

c Ep. 571.

53 Quo vero religiosos Prædicatorum & Minorum ordines in suo splendore tueretur, apostolica d lege interdixit, ne quis inconsulto familiæ, cui aggregatus erat, præposito a Minorum familia ad instituta Prædicatorum, vel a Prædicatoribus ad Minoritarū castra transfugere posset; cum huiusmodi transfugarum inconstantia ac leuitas grauissimos tumultus ciere, ac mutua odia parere posset. Deinde id tantum de illis intelligendum censuit e, qui publice nuncupatis votis alteri familiæ sese deuinxissent. Vtq; mature in tanta re deliberarent ij, qui aliquam excolendæ vitæ religiosæ rationem erant professuri, sanxit f ne ante exactum tyrocinij annum publicis votis sese adstringerent.

d Ibid. ep. 607.

Innoc. constitutio de Prædic. & Minoritis ne ex vno ordine in alium trāsfugiant.

e Ep. 741.

f Ep. 742.

54 Cum in hoc versetur argumento oratio, silere non possum insigne virtutis in calcando mundi fastu exemplum. Adolphus Holsatiæ comes contemptis opibus immensis, vt diuinas compararet, religiosæ vitæ apud Franciscanos sese addixerat a: qui cum incredibili suscipiendi sacerdotij conficiendiq; Christi corporis desiderio teneretur, Romā se contulit, vt a Pontifice impedimentis, quibus erat irretitus, solueretur. Annuit eius voluntati Innocentius atque amplissimam apostolicis literis potestatem concessit, quas Albertus Stadensis a in suos annales coniecit. Tanto vero pietatis sensu ac gaudio delibutum eo obtento triumphasse ait Crantzius b, ac si regno florentissimo potitus esset; monasterium suis manibus partim, partim eleemosynis condidisse, quas ipse a subditis quondam suis demisse deposcebat. Ferebat aliquando impositam capiti hydriam lacte plenam, quod in fratrum operarumque vsus emendicarat, cum magno fastu subuectos equis filios est conspicatus; perfususque ob id rubore, mox ad reprimendum frangendumque animi tumorem exarsit, hydriaque capite excussa se totum lacte proluit. egregia sunt Crantzij verba.

Adolphus Holsatiæ comes S. Franc. disciplinam amplectitur.

a Stad. in chron. an. 1244.

b Crantz. Sax. lib. 8. cap. 7.

Pietate floret.

55 *Monasterium sui ordinis ipse manibus multa molitus in oppido Kyl, vbi nunc requiescit, curauit erigere, eleemosynas suorum quondam subditorum humiliter poscens & accipiens, curauit quoque ecclesiam in terra Aldeburgensi (quæ noua dicitur) erigere in honorem diui Antonij fratris sui ordinis; quamuis rerum ignari patrocinium deriuent ad Aegyptium Antonium. Cumque multum solicite laboraret in erectione dicti monasterij in oppido Kyl, ibat ostiatim lac in hydria mendicans, vt haberent operarij & fratres, qua inter laborandum per æstum reficerentur. Media iam platea, vbi declinare iter non poterat, ibat hydriam baiulans lacte plenam: & cum obuios habuisset filios sublimes in equis comitum more secularium, passus est humanitus aliquid, vt rubore cœperit perfundi. Sed ille infremuit, & robur mentis aduocans, cum adhuc in conspectu essent filij, hydriam leuatam super caput euertit, sese totum a vertice lacte perfundens, dixitque: Infelix erubuisti Christi paupertatem baiulare lac in manibus: nunc vel in capite ostende quid portaueris.* Hactenus Crantzius, ex quo hæc recentiores catholici c, ac nouatores d hausere.

Egregium contemptus mundi ab illo editū facinus.

c Radul. l. 9 Vunad. hoc ann. & alij.

d Cent. 13 cap. 6. col. 668.

56 Præclarissimo religiosi viri sanctissimi de se demisse sentientis facinori arrogantissimæ monialis insanam temeritatem, quæ velandarum virginum auctoritatem episcopis adscriptam sacris canonibus, muliebri superbia sibi arrogauit, subijcere visum est, eum ad posteritatis documentum vsui esse possit. Præerat illa Cisterciensium virginum domui in suburbanis Burgi Legionis vrbis regiæ sitæ, quæ reluctante loci episcopo præsente Castellæ Rege ac Regina, Berengariæ corporis illibati florē Christo deuotæ velum imposuit. abbatissam Pōtifex temeritatis perstrinxit e, statuitque, datis ad Burgensem f episcopum Cistercij abbatem literis g, vt si nefarium simile facinus aliqua auderet, ab episcopo iterum, concesso velo, Deo consecraretur.

Præsumit abbatissa Cistercié. Virginem velare.

e Lib. 1. ep. 590.

f Ibid. ep. 589.

g Ep. 588.

Abbati Cistercij.

Ad aures nostras nuper abusiua præsumptio, & abusio detestanda peruenit, quod cum venerabilis frater noster Burgensis episcopus; sicut accepimus a charissimis in Christo filijs Rege Castellæ ac Legionis, & Regina matre sua illustribus; inuitatus ad velandam dilectam in Christo filiam Berengariam sanctimonialem virginem monasterij S. Mariæ regalis Cisterciensis ordinis siti prope suburbium ciuitatis Burgensis, filiam Regis ipsius ad idem monasterium accessisset, eodem ibi missam solemniter celebrante, abbatissa loci eiusdem in tantæ prorupit temeritatis audaciam, quod eisdem Rege ac Regina, & multis alijs religiosis & secularibus præsentibus, qui ad tam celebre festum spirituale conuenerant, ipsoque episcopo

Corripitur ab Innoc.

ſcepo contradicente, dictæ virgini ſacrum, immo execrandum conſecrationis velum præſumpſit imponere contra canonicas ſanctiones, de quo graue ſcandalum eſt exortum.

57 Ne igitur tantæ temeritatis exceſſus, ſi remanſerit incorrectus, transeat alijs in abuſum; cum ſit ſtatutum in canone, vt ſi abbatiſſa, vel quælibet ſanctimonialis in tantam proruperit audaciam, vt aut viduam, aut puellam virginem velare præſumat, iudicio canonico vſque ad ſatisfactionem ſubdatur; mandamus quatenus eidem abbatiſſæ pœna pro modo culpæ impoſita competenti, omnibus abbatiſſis tui ordinis in Hiſpania conſtitutis, ſiue mediate, ſine aliquo medio tibi ſubſunt, auctoritate noſtra diſtricte ſtudeas inhibere, ne id præſumant vlterius attentare; & cum velandæ ſint, ſi quæ ſunt in earum monaſterijs virgines ſic velatæ contra canonica inſtituta, prædictis abbatiſſis & virginibus firmiter per literas tuas iniungas, vt a diœceſanis ſuis conſecrationis velum recipiant, prout debent, pœnam illis debitam, ſi non fecerint, inflicturus. Per hoc enim abbatibus, quibus eædem abbatiſſæ nullo medio ſunt ſubiectæ, nolumus in poſterum præiudicium aliquod generari. *Dat. Lat. 11. id. martij an. 1.*]

IESV CHRISTI
Annus 1245.

INNOCENTII PP. IV. annus 3.	FRIDERICI II. IMP. 26. BALDVINI II. IMP. 17.

Innocentius in Galliis concilium conuocat.

a TVtiſſimo Galliarum aſylo receptus Innocentius aduerſus Eccleſiæ Romanę ac ſuum perſecutorem ſuum vires & animos collegit, annoque Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo quinto indictione ſecunda œcumenicam ſynodum, ad quam ſacros præſules, Reges ac principes exciuit, vt ſalubria conſilia ad Terræ ſanctę lapſas res erigendas, ad Tartaros propulsãdos, ad ſchiſmaticos ab Imperij Conſtantinopolitani extremo exitio auertendos depromeret; tum maxime vt Friderici cauſam in auguſtiſſimo illo Eccleſiæ ſenatu agitaret: cui propterea diem dixit, vt vel ipſe ad diluenda obiecta ſcelera, atque aduerſus ipſum contendentibus reſpondendum accederet, vel procuratores mitteret. Pontificiæ porro literæ encyclicæ, quibus concilium indixit, Senonenſi archiepiſcopo inſcriptæ extant in regeſto Innocentij a: *Vt ipſa*, inquit, *Eccleſia per fidelium ſalubre conſilium & auxilij fructuoſum, ſtatus debiti poſſit habere decorem; & deplorando Terræ ſanctæ diſcrimini, & afflicto Romano Imperio propere valeat ſubueniri, ac inueniri remedium contra Tartaros & alios contemptores fidei ac perſecutores populi Chriſtiani; necnon pro negotio, quod inter Eccleſiam & principem vertitur, Reges terræ, prælatos eccleſiarum ac alios mundi principes duximus aduocandos. Rogamus itaque fraternitatem tuam, & hortamur attente præcipiendo mandantes, quatenus ad præſentiam noſtram, omni prorſus occaſione poſtpoſita, vſque ad proximum feſtum S. Ioannis Baptiſtæ perſonaliter venire procures; vt ipſa Eccleſia ex tua viſitationis honore ſpirituale gaudium, & ex tua induſtria conſilium percipiat profuturum. Sciturus quod nos dictum principem in prædicatione noſtra citauimus, vt per ſe vel ſuos nuntios in concilio celebrando compareat reſponſurus nobis & alijs, qui aliquid contra ipſum proponendum duxerint, ſatisfactionem idoneam præſtiturus. Dat. Lugduni III. non. ianuar. an. 2.* Quas literas Angliæ præſulibus, per nuntios miſſas, adducit Pariſius b: qui auctor ſubdit plures Angliæ pręſules, huiuſmodi acceptis literis, capeſſendo itineri ſe alacres accinxiſſe; alios vero vel regni negotijs gerendis implicitos, vel aduerſa valetudine ſenioue confectos ſeſe Regis procuratorumue opera Pontifici excuſaſſe: ipſumque excuſationes huiuſmodi admiſiſſe redditæ Regi literæ c XIII. kal. iunij teſtantur. Denique epiſcopum Oſtienſem, S. tit. S. Mariæ Transtyberim presbyterum Cardinalem, atque R. S. Mariæ in Coſmedin & R. S. Angeli diacono Cardinales e ſuis prouincijs reuocauit b. Vocatos quoque ad concilium Reges ac principes miſſæ ad Regem Francorum literæ c demonſtrant.

a *Inn. l. 2. ep. 1.*
Quæ cauſæ ad illud cogendum impulerint.

b *Par. hiſt. Angl. an. 1245.*

a *Extant apud Par. vbi ſupr.*

b *Inn. l. 2. ep. 4.*

c *ib. ep. 3.*

2 Quæ vero, antequam patres Lugdunum confluerent, Pontifex aduerſus Fridericum in dies in Eccleſiam graſſantem decreuerit, prodit Pariſius d his verbis: *Quadrageſimali tempore ingrediente fecit Dominus Papa iterato excommunicare Imperatorem per totam Franciam, propter quaſdam nouas inuaſiones, quas fecerat in ſuos conſanguineos, & perſonas eccleſiaſticas.* Hæc ille. Sed quanquam contumelioſiſſimum principem cenſuris percuſſerit, ex alia tamen parte nauare operam non deſtitit, vt ipſius animum inflecteret, atque in priſtinam Eccleſiæ gratiam reuocaret. Teſtes ſunt pontificiæ ad patriarcham Antiochenum literæ e quibus affirmat ſe Fridericum, ſi præſules vinculis laxarit, terraſque Eccleſiæ occupatas, antequam celebretur concilium, reſtituerit, in gratiam recepturum.

Antequam illud celebret Frid. percellit anathemate.

d *Par. hiſt. Angl. hoc an.*

e *Lib. 2. ep. 6.*

Pacem Friderico offert ſi acceptas ſuperiore anno illius leges admiſerit.

3 *Sane nobis & fratribus noſtris olim in noſtra & ipſorum conſtitutus præſentia retuliſti, quod cum ad ſedem Apoſtolicam veniendo tranſitum per principem habuiſſes, ipſum inueneras pacis auidum, & ſicut dixerat tibi, paratus erat obſeruare pacem ſecundum formam ab Eccleſia, & eodem anno proximo præterito acceptatam; & alia etiam, quæ cum quorundam fratrum noſtrorum adderemus conſilio adimplere.* Fuere hæ Friderici fallaciæ ad conciliandas hominum voluntates, bellique inuidiam in Eccleſiam detorquendam, pacis auidiſſimum ſe, vt in ipſius literis videre eſt, oſtentate; cum tamen ad æquitatem nunquam flecti potuerit. *Nos autem nullum ſpecialiter, qui ſuper eis inter Eccleſiam & principem ipſum tractaret, duximus deputandum; diximus tibi tamen, cum a ſede receſſiſti prædicta, quod acceptaret Eccleſia, ſi præfatus princeps vellet præmiſſa effectui demandare; quodque ipſius principis in hac parte nobis reſcriberes voluntatem: & certis perſonis iniunximus, quas per dilectum filium fratrem I. de Roian familiarem noſtrum duximus deſtinandas, alias tibi ſuper hoc literas dirigendo, vt ſi dictus princeps terram Eccleſiæ reſtitueret, ipſam noſtro nomine recipere procurarent. Tu vero nihil certum ſuper ijs penitus reſcripſiſti, ſed quod ad compromittendum ſuper negotio Lombardorum in nos et quoſdam alios arbitros idem princeps obtulit ſe paratum, excipitque pacem Conſtantiæ, quam ſemper ſe aſſerit excepiſſe.* Oblatas ipſi ſub Gregorio a legatis Cardinalibus ineundæ cum Inſubribus concordiæ leges, quæ olim inter eoſdem, ipſiuſque auum Henricum Imperatorem Conſtantiæ ſancitæ fuerant, & inſigni impudentia ab ipſo repudiatas; belloque ſe implicuiſſe, atque ad ipſius obſequia paratos, quos armis nunquam edomiturus eſſet, repuliſſe ſuperius vidimus: *Ac vt principibus Imperij et alijs clericis et laicis plenarie noſtram reſtituamus gratiam in omnem euentum expoſcit; de quibus in prædicta forma pacis mentio aliqua non habetur, nec tecum meminimus nos tractaſſe. Et quamquam olim in tractatu pacis pro huius reſtitutione gratia prædictus princeps apud nos inſtari fecerit; nequaquam tamen a nobis potuit obtineri, cum nec clericis nec laicis pœnas ſpirituales remittere aliquatenus intendamus, vnde plurimum poſſumus admirari.*

Concibat de diſcordiæ incūbit Antioc. patr. Innoc. ad eum lit.

4 *Verum, quia pacem diligimus, et diſcordiam cupimus euitare, acceptaremus adhuc, ſi memoratus princeps pacem iuxta præfatā formam obſeruare ſtuderet, et tam viros eccleſiaſticos, quam alios, qui Eccleſiæ adhæſerunt, et detinentur ab ipſo captiui, redderentur libertati; cum*

aliàs pax eis minime reddi videretur, ac terram Ecclesiæ restituere non differret, ita quod huiusmodi tam captiuorum, quam terræ restitutio posset ad nostram peruenire notitiam ante concilium a nobis, annuente Domino, celebrandum, in quo proponere non poterimus, quin super ijs et alys, prout de iure fuerit, procedamus. Cæterum siue restitutionem tandem fieri contingat, siue non, ad nos accedere non omittas. Dat. Lugduni 11. kal. maij anno 2. Paucis interiectis diebus eidem patriarchæ significauit a se principem mox, vbi de manifestis illatis iniurijs fecisset satis, ac de dubijs idoneam cautionem dedisset, censuris liberaturum. *Præsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus principi ex parte nostra denunties, quod quam cito de manifestis offensis, pro quibus excommunicatus esse dignoscitur, satisfecerit, et de dubijs sufficientem præstiterit cautionem, sibi faciemus munus absolutionis impendi. Datum Lugduni 2. non. maij anno secundo.* Contempsit superbus princeps oblatam Ecclesiæ gratiam; seque & alios summa imprudentia extremorum malorum, quæ facile prænidere ac depellere poterat, abysso mergere, quam prætermissa filij officia Ecclesiæ deferre maluit.

a Ib. ep. 5. — Patriarchæ Antiocheno absolutionis promittendæ iustis conditionibus prouinciã imponit.

5 Vt vero Friderico Pontifex, antequam illum Imperij culmine euerteret, paternũ sinum, si iuratas pacis leges mandaret operi, explicuit, ita Sanctium Lusitaniæ Regem, qui summæ inertiæ labe regij nominis gloriam inficiebat, prius saluberrimis monitis corripuit, quam publicæ rei administrationem Alphonso ipsius fratri committeret, vt imminentem calamitatem prompto remedio, quod facillimũ erat, propulsaret. Grauissimæ illi objiciebantur querelæ, pati impune ecclesiasticam dignitatem obteri, labefactari ipsius iura, conuenta inter ipsum ac Gregorium IX. conuelli, illius socordia solutam legum metu improbitatem victricem exultare, nobiles vetita matrimonia inire, ac non sine hæreseos suspicione detortis in prauos sensus scripturis sacris ad colorandum facinus abuti; diripere passim ecclesias, exinanire monasteria, ædesque viris religiosis consecratas equorum stabulis, imo & prostibulis mancipare; cædes nobilium & ignobilium nullo legum metu perpetrari, sanctimoniales ac virgines rapi, colonos, mercatores, clericos, grauissimis pœnis extorquendatũ pecuniarum gratia discruciari; prophanari tẽpla, cœmeteria violari, ferrum, flammamque late circumferri, abrumpi inducias, aliaque immania scelera vidente ipso & conniuente committi: pati quoque, vt Sarraceni in regni limitem excurrant, nec ad eorum impetus elidendos studium adhibuisse: & quamuis sæpius a præsulibus ad ea emendanda fuisset sollicitatus, in gnauo otio consenuisse. Præmonuit igitur serijs & grauissimis verbis ignauum principem Pontifex, b tantis malis modum poneret, comminatus regno alia ratione consultum iri ab Apost. sede, ipsumque in præsenti ac futuro sæculo criminis pœnas luiturum.

Præmonet Sanctiũ Regẽ vt publicis malis medeatur.

Insignis illius socordia.

b Ibid. ep. 439.

Illustri Regi Portugalliæ.

6 Inter alia desiderabilia cordis nostri salutem fidelium, quorum regimini, licet immeriti, Deo præsumus disponente, principaliter affectantes grãdi gaudio exultamus in Domino, cum ea nobis de ipsis fidelibus referuntur, per quæ suarum profectus propenire dignoscitur animarum, & vehementi dolore turbamur, si nos illa de eis audire contingat, quæ ipsis & alijs prauo exemplo salutis afferunt detrimentum: vnde tanto lætitia maiori replebimur, si cultui virtutum insistens studeas te ante oculos reddere diuinæ maiestatis acceptum, quanto plures ex hoc a malo retrahere & ad exercitium bonitatis inducere comprobaris. Sane non sine graui turbatione mentis audiuimus, quod post clamores & querelas multiplices prælatorum & aliorum regni Portugalliæ cõtra te super conculcatione libertatis ecclesiasticæ, alijsque oppressionibus ecclesiarum eiusdem regni depositas, & admonitiones frequentes tibi propter hoc a Rom. Pontificibus nostris prædecessoribus; & prouisiones super ijs a felicis recordationis Gregorio Papa prædecessore nostro inter te & quosdam ex prælatis ipsis, ac promissiones a te in hac parte super articulis certis factas; tu circa malefactorum ipsius regni audaciam reprimendam sic negligens inueniris, quod in eodem regno bona tam ecclesiastica, quam mundana per raptores, prædones, innasores, incendiarios publicos, sacrilegos, & detestabiles homicidas, abbatum videlicet, priorum & aliorum religiosorum & clericorum secularium, ac laicorum occisores deperire propter secularis defectum iustitiæ dignoscuntur.

Innoc. ad eund. lit.

Arguit ec clesiasticos oppressi.

7 Vnde quia sic in regno a quibuslibet tuis subditis impune delinquitur, barones alijque ipsius regni nobiles & ignobiles, sumpto ex hoc delinquendi ausu, matrimonia contrahere in gradu prohibito, bona ecclesiastica recipere, ac alia quamplura mala, olim a bonæ memoriæ Sabinensi episcopo tunc in partibus illis Apostolicæ sedis legato sub anathematis interminatione prohibita, committere non verentur: & tam ipsi quam plures alij de regno præfato diuersarum excommunicationum innodati laqueis, per deuia desperationis errantes, in contemptum clauium diuinis se officijs irreuerenter ingerunt, & ecclesiasticis sacramentis; ac in subuersionem catholicæ fidei plures eorum de ipsius articulis auctoritates tam noui, quam veteris testamenti temere, non sine fermento prauitatis hæreticæ, in suarum & aliorum animarum periculum exponendo, te dissimulante, non metuunt disputare: & nonnulli de regno ipso ecclesiarum & monasteriorum patroni, & alij asserentes se patronos, cum non sint, locorum ipsorum & ab eis illegitime geniti in bonis dictarum ecclesiarum & eorundem monasteriorum crudeliter debacchantes, ecclesias ipsas & monasteria eadem ad tantam inopiam redegerunt, quod eis nequeuntibus proprios sustentare ministros; quinimo aliquibus ex ipsis seruitorum solatio destitutis, & aliorum claustris, refectorijs cæterisque officinis, equorum stabulis & prostibulis quarumlibet personarum vilium deputatis; diuini nominis & religionis cultus exinde penitus est sublatus, bonis illorum omnibus in direptionem expositis, & in prædam.

Improborum licentiam impune grassari.

8 Cæterum castra, villas, possessiones, & alia iura regalia deperire permittens personarum tam ecclesiasticarum, quam secularium, nobilium & ignobiliũ, occisiones nefarias, dum religioni non parcitur, nec sexui, vel ætati; rapinas, incestus raptusque monialium & secularium mulierum; rusticorum & clericorum, ac negotiatorum tormenta grauia, quæ ipsis a nonnullis regni præfati pro extorquenda ab ipsis pecunia infliguntur; ecclesiarum & cœmeteriorum violationes & incendia, fractiones treugarum, & alia enormia, quæ a tibi subiectis libere committuntur, scienter toleras: quin potius tot tantisque malis, dum ea præteris impunita, consentire videris, & pandis aditum ad peiora. Terras insuper & alia Christianorum bona in confinio Sarracenorum posita non defendens, eis infidelibus occupanda relinquis. Et licet a supradictis prælatis, vt ad corrigenda præmissa pluraque alia nefanda, quorum cœnosa narratio fastidium generaret, ardenter, vt teneris, assurgeres, monitus fueris diligenter; tu tamen eorum monitionibus obaudiris, id hactenus efficere neglexisti.

Regni finium ad versus Sarracenorũ excursiones non defendit.

9 Nos igitur eidem regno super tam miserabili statu paterno condolentes affectu, & cupientes ipsum a tot respirare angustijs, totque oppressionibus releuari; serenitatem regiam monemus, rogamus, & hortamur attente in remissionem tibi peccaminum inιun-

infringentes, quatenus prudenter considerans, quod si omnipotens Dominus tuam super ijs negligentiam ad tempus forte sustineat; postremo tamen si in te, ac tuis contemnas errata corrigere, illam & hic impunitam non deseret, & in futuro nihilominus vlciscetur grauius; sic ad corrigẽda præmissa sollerter & feruenter exurgas, vt culpas subditorum tuas per reprobabilem patientiam non efficias: sed in te ac ipsis proberis odire malitiam & diligerẽ bonitatem, & de persona tua grata de cætero auctore Domino audiamus. Quod si forte, quod non credimus, fueris circa hæc corrigenda remissus, nequaquam tolerare sedes Apostolica poterit, quin super ijs ad salutem tuam dictique regni commode remedium adhibeat opportunum: & nihilominus venerabilibus fratribus nostris Portugallensi & Coimbriensi episcopis, ac dilecto filio priori fratrum Prædicatorum Coimbriensium literis nostris iniungimus, vt te ad id monentes attente, & efficaciter intendentes, qualiter super hoc faciendum duxeris, & de ipsorum circa te in hac parte processu, nos in concilio a nobis proximò celebrando certificare procurent. *Dat. Lugduni XIII. kal. apr. an. II.*]

Inertiæ ipsius non malitiæ hæc mala tribuit Pont.

Intentatæ illi minæ.

10 Obiectis a Pontifice Regi Lusitano consentiunt, quæ de ipso scribunt historici, Sanctium eo nomine secundum (vt tradit Mariana a) a vestium forma cognomento Capellum dictum, initio haud prorsus male rexisse: at eum in socordiam facilitatem morum ingenijque mansuetudinem detorsisset, ac Mentiæ Hari Biscayæ reguli filiæ, cuius amoribus erat irretitus, in omnibus morem gereret, atque apud eum gratia & auctoritate plures obscuriori genere nati pollerent, ac rempublicam male gererent, apud omnes ipsum in odium adductum fuisse, improbosque ex ea occasione, deflorescente in dies principis auctoritate, audaciæ nequitiæque habenas laxauisse.

Historicorum dicta pontificijs literis cõsonant.

a Mariana de reb. Hisp. l. 13. c. 4.

Parta Sanctio Mentiæ vitio calamitas.

Accusauit porro apud sedem Apostolicam Sanctij cum Mentia matrimonium Alphonsus Bononiæ in Gallijs comes, qui obscuris artibus ad regnum nitebatur, quarto nimirum consanguinitatis gradu vxorem attingere, ex quo plurimis scandalum pareretur. At Innocentius, quamquam illud vitium ac impedimentum facile aboleri auctoritate pontificia poterat; cum tamen illius exemplo nobiles in Lusitania vetita matrimonia contraherent, ac omnium publicorum malorum improbæque regni administrationis causa Mentiæ tribueretur; Compostellano archiepiscopo & episcopo Astoricensi partes imposuit b, vt comperta re a vetito illo contubernio monitis suis diuellerent. Quid vero in Sanctium ob publicam rem male gestam hoc anno post synodum rescripserit Pontifex, vtq; regni administrationem in eius fratrem comitem Bononiæ contulerit, cum pontificijs monitis ad gerendum probe regnum, ac sceleratos coercendos reuocari non potuisset, dicetur inferius.

Vetitum cum illa matrimonium dissoluit Pont.

b Eod. l. 2. ep. 244.

11 Postridie eius diei, quo hæc ad Sanctiũ scripsit, datis ad Colmanum in Bulgaria imperantẽ literis c, vbi de primatu Rom. Ecclesiæ multa disserit, ipsum ad Ecclesiæ gremium subeũdum peramanter inuitat:

Sollicitat Pont. Regem Bulgar. ad Eccles. Rom. coniunctionem.

c Lib. 2. ep. 10.

Illustri Colmanno in Bulgaria imperanti Deum diligere & timere, &c.

Cum Dei gratia disponente non nostris meritis præsideamus, nequaquam sine dolore possumus intueri a tanti capitis corpore membra quædam esse diuisa, videlicet Græcorum & Bulgarorum ecclesiam, seiuncta nempe per inobedientiam a suo capite speciali corporis sensificationi nequaquam participat, cum ab eius se subtraxerit vnitate. Igitur quia debitores sumus omnium salutem quærere seruus seruorum illius, qui neminem vult perire, non immerito circa te & subditus tuos misericordiæ visceribus affluentes Pauli gentium doctoris affectum induimus, qui sciens Creatorem omnium acceptionem non facere personarum, conformatus infirmis & omnibus omnia factus, vt omnes Domino lucraretur; rogamus & obsecramus in domino Iesu Christo, quod ad vnitatem sacrosanctæ Rom. Ecclesiæ redire non differas, nec reputes otiosum, quod a nobis in hac parte diebus istis inspiratione diuina de fratrum nostrorum consilio sitientium illuminationem tuam populique tibi subiecti, non sine sacrarum scripturarum est auctoritate prouisum: non enim vestra requirimus; sed animarum vestrarum cum Iesu Christo lucra sitimus: nihil de facultate vestra subtrahere quærimus, vel minuere de honore; sed quantum cum Deo iuste possumus, prouehere vos & ampliare potius affectamus. Erit proinde dante Iesu Christo nostris affectibus incrementum, si tu qui esse populi tui caput & princeps diceris, per gratiam intellectus, quæ a multitudine subiecta discerneris, proposita tibi per pacis nuntius audieris patienter, ad vnitatem Ecclesiæ catholicæ reuertaris, vt efficiaris Christo primitiæ populi reuersuri. Et si forte excusare te volueris, dicens hæc nequaquam fieri posse sine concilio generali, respondemus, quod ad congregandum concilium ad requisitionem tuam & Græciæ, & Bulgariæ prælatorum offerimus nos beneuolos & paratos, recipientes vos vestrosque procuratores & nuncios cum honore & cordis lætitia; & restituemus corpori Ecclesiæ sua membra, proferẽtes stolam primam, occidemus vitulum saginatum, generale conuiuium faciemus vniuersis Christi fidelibus; & annuntiabimus cum exultatione & gaudio, quod Ecclesia catholica suo decore, vt a principio, est induta, tanquam vitis abundans, cuius filij sunt, vt nouellæ oliuarum in circuitu mensæ sedentes expectando, vt occurrat saluatori suo domino Iesu Christo, &c.] Adiungit preces, vt nõnullos Minoritas animis, religione & doctrina præstantes benigne excipere, eorũ dictis adhibere fidem ac proficiscentium ad Tartaros aliasq; gentes remotissimas diplomate regio securitati cauere velit. *Dat. Lugduni XII. kal. april. an. II.*

Offert cõcilium œcumenic. pro redintegranda concordia cum Bulg. & Græcis celebrandũ.

12 Agitasse Colmanum siue Callimanum, ita enim Georgius a Logotheta illum appellat, de coniungenda cum Romana Bulgarorum ecclesia Caloioannis aui, atque Asanis patris exemplo, quamquam illi icto cũ ea fœdere mox nimia leuitate defecere, salubria cõsilia ex appositis hisce in literarum b apostolicarum calce verbis elicitur: *Cum super prædictis, omnium ecclesiarum coniunctione, & specialiter de ijs, quæ ad pacem pertinent, tractatum habeas fructuosum.* At non potuisse ob immaturam mortem ea perducere ex memorato Georgio constat: florentem enim pubere ætate principem annos natum octodecim siue naturali morbo, siue clam parato veneno, vt ferebat rumor, extinctum tradit; eoque accepto nuncio Vatacium, qui lustrãdæ regionis causa ad Hebrum peruenerat, Philippos contendisse, ac militare consilium de lacessendis Bulgaris, vrbibusque Græcis antea ab ijs ereptis ad Imperium reuocandis iuijsse, ac Palæologum Andronicum, negantibus alijs violandum Bulgaricum fœdus, institisse tentandam Serrarum arcem, qua si potiri contigisset, rem Græcam amplificatum iri; si vero propulsati fuerint, facile cum infante Rege pacem redintegratum iri. Serras itaque facta impressione excepta arce impugnatas, Dragotám vero Bulgarum præfectum arcis & Vatacij præsentia & Callimani morte territum, tum promissis ingentibus illectum arcem Græcis certis conditionibus dimisisse, profectumque Melenicum tacitis colloquijs vrbis ciues ad Vatacij obsequium pellexisse; inde circumiectam regionem, impositaque Rhodope oppida in illius ditionem concessisse; Bulgarorum vero nouum Regem felici Græcorum progressu perculsum, ijs legibus pacem eblanditum, vt Vatacius partis contentus, vlterius exercitum non inferret.

a Georg. Logoth. hist. Constantinop. à Leone Allatio interpr.

Ad coniunctionem ecclesiarũ inclinabat Colmanus.

b Innoc. vbi sup.

Immatura mors euertit illius consilia.

Vatacius captata occasione Serras expugnat.

Pellicit ad deditionẽ Melenicũ.

Redintegrat pacẽ cum Bulgaris.

Addit de se Logotheta: *Hæc quidem ita peracta sunt: ipse vero in scribendis epistolis operam nauabam, singulis vrbibus, ac oppidis captis scribens, & imperatorium sigillum imprimens: namque id moris erat Romanorum Imperatoribus per literas illis, qui longe distabant, egregie a se gesta significare voluptatemque illis, quam ipsi experirentur, conciliare.*

Demetrius Thessalonicen. despota.

13 Subiungit auctor excurrente tum nouembri mense Vatacium, in orientem remeare meditantem, a profectione occupandæ Thessalonicæ spe retardatum. Successerat Ioanni fratri ex Imperatore creato despotæ, vt vidimus, Demetrius, qui administrandi principatus parum gnarus in libidines se effuderat adeoque subditorum alienarat voluntates, vt coniuratione facta, dum Vatacius Melenici cōsistebat, Campanum artibus instructissimum transmiserint, vt bullam auream impetraret, qua antiqua Thessalonicensium iura & priuilegia ciuiumque libertas assererentur: in quorum vota mox descēdit Vatacius, & coniurationis principes ad rem vrgendam muneribus ac promissis incitauit. Tum Melenico egressus Thessalonicensi despotæ missis oratoribus edixit, vt si pactis stare vellet, ad aulam imperatoriam se conferret. At Demetrius proditorum consilijs subornatus, cum nec propulsandis conatibus Vatacij, cui necessaria deerant ad obsidionem, nec promerendæ eius gratiæ incumberet, repente a coniuratis aperta porta admissoque hoste circumuentus est, quam Thessalonicæ expugnationem ita Georgius describit.

Init illius opprimendi consilia Vatacius.

Proditione Thessalonicam occupat.

14 *Parua militum manus*, e Vatacij scilicet exercitu, *cum apud Pausilam vrbis portam & mare spectantem adsideret custodiretque, ne quis ex vrbe ex improuiso erumpens militem læderet, inde oborto clamore portam ab ijs, qui intus erant, apertam fuisse, clamorem insequitur; & vniuersus exercitus post eam armatus cum Imperatore confestim Thessalonicam ingressus omnia occupat. Imperator in porta vrbis, quæ in orientem vergit, stetit. Aderat & Demetrij soror Erena Bulgarorum Asani vxor supplex genibus nixa & lacrymabunda, exorans ne frater oculis obcæcetur. Demetrius in arcem prius sese receperat, sorori spondente ac iureiurando promittente Imperatore, oculos eum non amissurum, fratrem adolescentem ætatem maturam admodum præ se ferentem, sed ad huc imberbem, forma & specie egregium ad Imperatorem detulit. Eam honore ornauit Imperator, etiam a proprio vehiculo exiliens, pedes cum ea stetit. Thessalonica hac ratione sub Imperatoris Ioannis ditione facta est, immo potius sub tutela Romanorum acquieuit: illius etenim domini Romanis contraria sentiebant.* Hactenus Georgius Logotheta. Vt verò ingrauescente in dies Vatacij Imperatoris potentia, & collabente sensim orientali Latinorum Imperio, in Lugdunensi concilio de comprimendis Græcorum conatibus actum sit, inferius dicetur. Iam ad institutam orationem, a qua nos Græcorum res abduxere, redeamus.

Innocentij studiū in adducendis ad Christi cultum gentilibus

15 Sacro illo & apostolico zelo succensus Innocentius, quo schismaticos ab Ecclesia diuulsos reuocare nisus, gentiles superstitionibus imbutos ad Christi ouile adducere conatus est. Insignes erant inter eos Tartari gentium multitudine, prouinciarum, quas subegerant, numero, opum potentia, morum ferocitate, victoriarum partarum gloria, vesanæque superstitionis tenebris inuoluti. Ad quos euangelij luce collustrandos nonnullos Minoritas in subeundis huiusmodi pro Christo laboribus ac periculis fortissimos misit, cum literas [a] apostolicas exarauit, in quibus augustiora religionis nostræ, vt eam amplecterentur, mysteria explicuit; vt nimirum primus parens occiderit, vt Verbum diuinum ad illum e casu erigendum pœnisque eripiendum humanos artus virtute diuini Spiritus in aluo Virginis induerit, vt Christus promulgarit euangelium miraculisque illustrarit, vt pro redimendo humano genere cruorem effuderit, vt se ad vitam propria virtute excitarit, vt suas in terris vices Petro eiusque successoribus demandarit; atque adeo officij sui religione ductum ipsos ad suscipienda baptismi sacra amantissime sollicitare. [a]

[a] Lib. 2. ep. 11.

Innocentius &c. Regi & populo Tartarorum viam agnoscere veritatis.

Tartaros ad fidem inuitat.

16 Dei Patris immensa benignitas humani generis casum, quod primi hominis culpa corruerat, ineffabili respiciens pietate, ac illum, quem diabolica prostrarat inuidia suggestione dolosa, volens ex charitate nimia misericorditer reparare, Filium suum vnigenitum consubstantialem sibi de cæli excelso solio misit ad infimum mundi solum, qui prælectæ Virginis vtero sancti Spiritus operatu conceptus, & ibi veste carnis indutus humanæ, indeque postmodum clausa maternæ porta virginitatis egressus, cunctis visibilem se ostendit. Humana enim natura cum esset rationalis, erat æterna veritate tanquam optimo suo cibo pascenda: sed pœna peccati mortalibus detenta vinculis ad hoc est diminutionis redacta, vt per coniecturas rerum visibilium ad intelligenda inuisibilia niteretur, cibi rationalis creaturæ ipsius conditori facultas non sine commutatione, diminutione naturæ, vt visibilia sectantes, ad se inuisibilem factus visibilis reuocaret, salubribus homines institutis informans viamque vitæ ipsis indice doctrina demum demonstrans, dignatus est post sacræ conuersationis exempla & euangelicæ instructionis eloquia sub diræ crucis supplicio mortem pati; vt pœnali vitæ præsentis fine pœnam mortis perpetuæ, quam protoplasti posteritas ipsius incurrerat transgressione, finiret; & de amaro mortis calice temporalis hauriret homo vitæ dulcedinem sempiternæ. Mediatorem namque inter nos & Deum & mortalitatem habere oportuit transeuntem, & beatitudinem permanentem; vt per id quod transit, congrueret morituris, & ad id quod permanet, ex mortuis nos transferret.

Summi rerum conditoris cognitione informat.

Redēptionis propōnit mysteria.

17 Pro humani ergo redemptione generis se hostiam exhibens, illud suæ salutis hoste prostrato de opprobrio seruitutis eripuit, ad gloriam libertatis supernæ sibi patriæ ostium reserando: & demum resurgens a mortuis, ac in cælum ascendens, vicarium sibi reliquit in terris, cui animarum curam, vt earum saluti, pro qua suam humiliauerat altitudinem, vigilanter intenderet & inuigilaret, attenta amoris eius constantia, trinæ professionis argumento probata cōmisit; & tradens sibi claues regni cælorum, per quas ipse suique per eum successores potestatem aperiendi omnibus, ac claudendi eiusdem regni ianuam obtinerent. Vnde prædicti vicarij disponente Domino nos, licet immeriti, successores effecti super omnia, quæ nobis ex iniuncto incumberent officio, ad vestram aliorumque salutem nostræ intentionis dirigimus aciem, ad hanc præcipue mentis nostræ destinamus affectum, circa eam diligenti studio, & studiosa diligentia vigilantes, vt errantes in viam veritatis reducere, eosque lucrifacere Deo, sua nobis cooperante gratia, valeamus. Verum quia humanæ conditionis renitente natura, vno eodemque tempore diuersis locis præsentialiter adesse nequimus, ne vllatenus negligere videamur absentes, ad eos viros prouidos & discretos transmittimus vice nostra, ipsorum ministerio circa illos apostolicæ seruitutis debitum exoluentes; propter quod ad vos dilectum filium Fr. Laurentium de Portugallia, & socios eius latores præsentium ordinis fratrum Minorum, viros religione conspicuos, honestate decoros, & sacræ scripturæ scientia præditos, vt ipsum Dei Filium Iesum Christum salutaribus eorum eruditionibus agnoscentes suum gloriosum nomen Christianæ

fidei

fidei obseruatione colatis, duximus destinandos. *Dat. Lugduni III. non. mart. an. II.*]

Ad clementiam adducere nititur.

a Ib. ep. 13

18 Ad mitigandam etiam eius populi ferociam, qui grauissimas calamitates, vt vidimus, Christianis attulerat, ac maiores inflicturus in posterum, quo magis potentia, armorumque peritia & opibus creuisset, videbatur, alias Tartaris literas dedit a, quibus admonuit, ne ita in eiusdem naturæ consortes sæuirent: imitarentur supernorum spirituum mutuam coniunctionem, vel saltem ipsa ratione carentia bruta animantia, quæ licet immanitate effera suo generi parcunt, vel ipsa sensu expertia mundi elementa, quæ mutuo fœdere inter se consentiunt: se summi Regis exemplo imperioque ad colendam pacem adhortari; humano in posterum adeo immaniter fundendo sanguini temperarent, atque ab affligendis maxime Christianis absisterent.

Cum non solum homines, verum etiam animalia irrationalia, nec non ipsa mundialia elementa machinæ quadam naturæ fœderis sint vnione coniuncta, exemplo supernorum spirituum, quorum agmina vniuersorum conditor perpetua pacifici ordinis stabilitate distinxit; mirari non immerito cogimur vehementer, quod vos, sicut audiuimus, multas tam Christianorum, quam aliorum regiones ingressi, horribili eas desolatione vastatis, & adhuc continuato furore depopulatrices manus ad vlteriores extendere non cessantes, soluto cognationis vinculo naturalis, nec sexui, nec ætati parcendo, in omnes indifferenter animaduersionis gladio desæuitis. Nos igitur pacifici Regis exempla cunctos in vnitate pacis sub Dei timore cupientes, vniuersitatem vestram monemus, rogamus, & hortamur attente quatenus ab impugnationibus huiusmodi, & maxime Christianorum persecutionibus penitus desistentes, super tot & tantis offensis diuinæ maiestatis iram, quam ipsarum exacerbatione vos non est dubium grauiter prouocasse, per condigna satisfactionem pœnitentiæ complacetis: nec ex eo sumere debetis audaciam amplius sæuiendi, quod in alios potentia vestra furente mucrone omnipotens Deus diuersas ante faciem vestram substerni permisit hactenus nationes; qui nonnunquam superbos in hoc sæculo corripere ad tempus ideo prætermittit, vt si humiliari neglexerint per seipsos, eorum nequitiam & punire temporaliter non postponat, & nihilominus in futurum grauius vlciscatur. Dat. Lugduni III. non. mart. ann. II. Subdit se religiosos viros Ioannem ac socios præsentium latores sciētia ac virtutibus ornatos ad ipsos mittere, rogatque ipsos perhumaniter excipiant ac fidem adhibeant ijs, quæ Pontificia nomine dicturi sint; in ijs maxime, quæ ad pacem mutuam conciliandam spectent: significent etiam, quid ipsos ad excindendas alias gentes permouerit, quidue vlterius meditentur; denique prouideant ijs ad reditum necessaria ac publicas literas pro obeundo tuto itinere, vt vltro citroque commeare possint.

Viros religiosos transmittit.

19 Inter cæteros, qui ad excolendam in remotissimis terrarum oris obsitam sentibus vineam Domini missi, Minoritarum familiæ religiosis viris circumferendi euangelicam lucem demandata prouincia est b; concessumque vt anathematis vinculis implicitos in gratiam cum Ecclesia recipere, verbis officioque familiariter cum ijs conferre, gentiles baptismo abluere, & clericali charactere insignire, atque etiam acolytatus munere decorare possent; *Præsentium vobis auctoritate concedimus, vt in terris, quæ adhuc sedis Apostolicæ magisterio non intendunt, proponere verbum Dei, & constitutis ibidem, non obstante si aliqui sint excommunicatione ligati, in verbis, officio, & cibo ac in alijs secure communicare; & ipsos, seu etiam alios conuerti ad vnitatem Christianæ fidei cupientes recipere, baptizare, & aggregare filijs Ecclesiæ sanctæ possitis; nec non aggregatos eosdē insignire charactere clericali, & ipsos ad acolytatus ordinē promouere, &c.*

b Ib. ep. 9.

Quæ auctoritas euangelij præconibus concessa.

20 Obiere a magna in perferendis diuturni itineris laboribus constantia, ac Tartarorum barbarie tolerandaa, impositum legationis munus: e quibus Ioannes e Plano Carpio de Tartarorum situ, forma, moribus, consuetudinibus, legibus, superstitione, victorijs, pugnandi genere, opibus, potentia librum conscripsit, ex quo plura apud Vincentium Bellouacensem collecta sunt. Peruenere vero sequenti anno nuncij ad solemnem Tartarorum conuentū, vbi nouus Imperator est renuntiatus, in quo ad imperatorium solium euehendo adhibitos ritus ita describit. b

Quæ gesserint ac viderint apud Tartaros nuncij.

a Vinc. Bellouac. spec. hist. l. 31. cap. 2.

b Ib. c. 32.

Cuyne Tartarorū creatus Imperator.

21 *Anno Domini* MCCXLVI. *Cuyne, qui & Gogcham, idest, Imperator, vel Rex, sublimatus est in Tartarorum regno: omnes siquidem illorum barones congregati quandam sedem aureā in loci supradicti medio posuerunt, supra quam ipsum Gog sedere fecerunt; coram eo gladium posuerunt dicentes: Volumus & rogamus, atq; præcipimus, vt domineris omnibus nobis: at ille dixit eis: Si me vultis super vos regnare, nunquid parati estis vnusquisq; quod vobis præcepero facere, quemcunq; vocauero venire, quocumque voluero mittere pergere, quemcumque occidi præcepero occidere? responderunt: Vtique. Ergo, inquit, oris mei sermo de cætero gladius meus erit; omnesq; communiter ei consenserunt. Post hoc autem filtrum quoddam in terra statuerunt, ipsumque rursus desuper sedere fecerunt, dicentes: Vide sursum & agnosce Deum, ac respice filtrum, in quo sedes deorsum. Si bene regnum tuum rexeris, si largus fueris, iustitiamque seruare dilexeris, ac principes tuos vnumquemque secundum dignitatem suam honoraueris, magnificus regnabis; totusque mundus tuæ substernetur dominationi, & quidquid desiderabit cor tuum, dabit Deus tibi: si autem e contrario feceris, miser & abiectus eris, adeoque pauper, vt nec tibi permittatur filtrum, in quo nunc sedes. Hoc dicto ijdem barones vxorem Gog cum ipso super filtrum sedere fecerunt, sicque ambos sedentes a terra sursum in aera leuauerunt, atque Imperatorem & Imperatricem omnium Tartarorum voce publica & clamorosa eosdem protestati sunt. Postea multitudinem infinitam auri & argenti, & lapides pretiosos, ac quæcumque remanserant a Chagadadam coram Imperatore nouo apportari fecerunt, eique dominium super omnia illa plenarium concesserunt: ipse verò, prout ei placuit, vnicuique principum distribuit, sibique residuum seruari præcepit.*

Ritus in ea celebritate obseruati.

Oblata illi munera.

22 Subijcit auctor c nouum Tartarorum Imperatorem erga religionem Christianam egregie affectum, spemque affulsisse illum ad Christi cultum aliquando traductum iri; *Dicebant etiam nobis*, inducitur nimirum Ioannes nuncius apostolicus, *firmiter asserendo Christiani, qui erant de familia eius, quod deberet fieri Christianus, cuius signum erat, quod ipse clericos Christianos tenebat, & expensas eis dabat: habebat etiam semper capellam Christianorum ante maius tentorium suum, vbi cantant clerici publice & aperte, ac pulsant ad horas, vt cæteri Christiani secundum mores Græcorum, quantacumque sit ibi multitudo Tartarorum, vel etiam aliorum hominum; hos tamen non faciunt alij duces ipsorum.* hæc ille. Vt verò Tartarorum Reges, atque Imperatores Christiana sacra amplexi fuerint, quæ postea Sarracenica superstitione commutarint, dicetur suis locis.

c Ib. c. 33.

Bene sentire visus Cuyne de religione Christiana.

23 At quamuis hic Imperator de religione Christiana præclare sentire, missosque ab Romano Pontifice nuncios non illiberaliter pro barbaro excepisse videretur; signa tamen infesta, spretis apostolicis monitis, aduersus Ecclesiam principesque Christianos, si Tartarico iugo collum submittere recusarent, e suorum ducum consilio, sola dominandi libidine incitatum, attollere constituisse: *Idem Cuyne Imperator de nouo electus cum omnibus suis principibus erexit vexillum contra Ecclesiam Dei, ac Romanum Imperium, ac contra omnia regna Christianorum, & populos occidentis; nisi fortasse, quod absit, facerent ea quæ mandabat*

Occidentem sibi subijcere est meditatus.

domi-

domino Papa, atque potentibus & omnibus Christianorum populis, videlicet vt ipsi subdantur eis: nam excepta Christianitate nulla est terra in orbe quam timeant, & idcirco contra nos ad pugnam se praeparant. Huius siquidem Imperatoris pater, scilicet Octoday, necatus fuerat veneno, & ob hoc a bellis quieuerant tempore pauco. Intentio autem eorum, vt dictum est supra, est sibi totum subijcere mundum, sicut a Chingyscam habent mandatum: vnde & ipse Imperator in literis suis ita scribit: Dei fortitudo omnium hominum Imperator. In superscriptione quoque sigilli eius hoc est: Deus in caelo, & Cuyuc Cham super terram Dei fortitudo omnium hominum Imperatoris sigillum. Subiungit Vincentius barbarum principem immani vitium potentia ad perducenda alta consilia sibi praefidentem insolescere: cuius ingentes exercitus, ac praecipuorum ducum nomina recenset, quamquam in numeris non parum deprauatus est textus. De missa alia ad Tartaros, qui Persidem aliaque regna vastissima domuerant, a Pontifice legatione, vt ipsos a fundendo humano ac praecipue Christiano sanguine auocaret, qua e Praedicatorum familia viri religiosi perfuncti sunt, dicetur inferius.

Vesana Tartarorum ambitio.

24 Reliquum iam est, vt de Lugdunensi synodo agamus: ac sane, quod ad illius celebratae tempus attinet, nonnulli in superiorem a, alij in sequentem annum b contulere; verum ex caeteris antiquioribus scriptoribus, atque ex Innocentij literis ab ipso in Fridericum ex synodo promulgatis, atque inscadducendis erroris arguuntur. Synodi porro acta in pauciora cogit Albertus Stadensis c eius temporis auctor alijque: fusius vero exposuit Matthaeus Parisius, qui eadem tempestate scribebat, atque haec historiae commendauit d: *Circa aestatis medium congregati sunt Lugduni ex totius fere Christianitatis latitudine praelati venerabiles, vel eorum idonei, Imperatoris quoque & multorum principum, aliorumque procuratores, secundum papalis mandati tenorem, concilium celebraturi. absentes autem quamplurimi praelatorum, per eos quos* * *promiserunt procuratores sese ex legitimis causis sufficienter excusarunt; sicut quidam ex Anglorum regno, &c.* Et paulo post: *Verumtamen de regno Vngariae, quae pro multa sui parte per Tartaros est vastata, nulli venerunt. De Alemannia bello imperiali perturbata, pauci praelati ad concilium minime conuenire potuerunt.* Adde, quod Innocentius testatur alijque tradunt, plures principis metu perculsos accedere veritos: *De Terra vero sancta, quae multo patuit discrimini nullus potuit illuc aduenire, sed nec aduocari: occasionaliter tamen illuc aduenit de Terra sancta episcopus Beritensis, totius Syriae nuncius generalis, & syndicus omnium Christianorum Terrae sanctae, mandatum baiulans lugubre de exterminio, permittente Deo, in Terra sancta perpetrato.* De illo superiore anno egimus, ac rursum verba facturi sumus.

De Lugdunensi concilio.
a Paul. Lang. chr. Citiz. & Io. Trith. in suis chr.
b B. sed. dec. 2. l. 7. Crantz. Sax. l. 8. c. 12. & alij.
c Stad. in chron. hoc ann.
d Par. hist. Angl. hoc ann.
E quibus regnis praesules ad illud confluxerint.
* promiserunt

Prima sessio.

25 *Dum autem dominus Papa multos iam praelatos, licet tamen non omnes, vidisset congregatos, die lunae proxima post festum natiuitatis S. Ioannis Baptistae intrauit dominus Papa cum fratribus Cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis & alijs praelatis ad concilium conuocatis, simul & procuratoribus absentium tam principum, quam praelatorum, in refectorium religiosorum S. Iusti apud Lugdunum. Fuerunt itaque ibidem absque Cardinalibus duo patriarchae, scilicet Constantinopolitanus, qui & Antiochenus & patriarcha Aquileiae, qui & Venetiae!* Verum tres patriarchas enumerant alij e. Caeterum apud Parisium librarij incuria error irrepsit, dum Constantinopolitanus & Antiochenus vnus idemque asseritur. Patriarcharum vero aliorumque plurium antistitum, qui ad synodum conuenere, ex eorum subscriptionibus quibusdam Innocentij literis adiectis, nomina patent: *Imperator quoque Constantinopolitano, comes etiam Tolosanus, & procuratores Angliae, comes Bigod cum socijs suis nobilibus, archiepiscopi vero & episcopi centum & quadraginta.* Haec ille. Breuem porro narrationem de ordine locorum affert conciliorum collector, quam apud ipsum videre licet, atque optandum fuisset, vnde eam decerpsisset, indicaret.

Tres patriarchae affuere.
e lit. in annal. apud Consf. antiq. vol. to. 1. p. 207 & alij.

26 Pergit Parisius, vt Constantinopolitanus patriarcha in eo venerabili coetu proposuerit ecclesiae suae calamitates, adeo illius antiquum splendorem obsoleuisse, extinctamque pene maiestatem, vt eum triginta olim suffraganeos obtinuisset, iam vix tres numeraret; praeterea adiecerit Graecos & alios Rom. Ecclesiae hostes Constantinopolitanum Imperium ad ipsas vrbis regiae portas per vim occupasse: quod reliqui esset, continuis cladibus exhaurire, & quatere; vnde damnum grauissimum ac dedecus, si hostis grassari vlterius sineretur, immineret. Deinde iniectum sermonem de reponendo in albo sanctorum Edmundo Cantuariensi archiepiscopo vita sanctissime functo, quem diuino numine potiri, innumera edita miracula octo archiepiscoporum, atque episcoporum viginti instantium, vt ad maiorem pompam in concilio res perficeretur, voce confirmata comprobabant: sed Innocentium ob ardua, quae incumbebant negotia, rem in aliud tempus distulisse.

Constantinop. patriarchae aduersum Graecos querela.

27 Tum recenset auctor, vt Thadaeus Suessanus eximiae eloquentiae vir, belli iurisque peritus, palatij imperialis iudex & Friderici procurator ad obtinendam Friderico Ecclesiae gratiam, promissis ingentibus patrum mentes perstringere conatus sit; iactaritque Fridericum Graecorum Imperium ad Ecclesiae Romanae coniunctionem reuocaturum, Tartaros, Chorasminos, Sarracenos aliosq; Christiani nominis hostes bello petiturum; Terrae sanctae res, quae in maximum discrimen adductae erant, pristino splendori restituturum, eamque expeditionem suis sumptibus, se duce ornaturum; erepta Rom. Ecclesiae redditurum, ac pro illatis damnis iniurijsque facturum satis. Splendida erant promissa, atque Ecclesiae vtilia videbantur, sed fucis plena, atque in ventos inanes abitura, quae subodoratus Innocentius nuda sibi & vana verba dari imponique non est passus: addit enim de eo Parisius.

Fridericus ingentia promittit concilij patribus vt Ecclesiae gratiam sibi comparet.

28 *Ad quae omnia respondit dominus Papa dicens exclamando: O quam multa & quam magna sunt promissa! nunquam vel nusquam tamen adimpleta, vel adimplenda. Sed & haec nunc constat sunt promissa, vt securis iam ad radicem posita, illuso concilio & soluto per dilationem auertatur. Pacem nuper in anima sua iuratam, secundum formam praestiti sacramenti teneat, & acquiesco. Et si concederem sibi postulata, & resilire vellet, nec aliud spero, quis nunc pro eo cauens fideiuberet, vt cogeret resilientem?* Adijcit Parisius Thadaeum Pontificis verbis subdidisse, daturum Fridericum duos fidissimos fideiussores, Anglorum & Francorum Reges; atque Innocentium admittere recusasse, ne si Fridericus pacta commutaret infringeretue, cum non aliud de eius inconstantia tot argumentis probata sperandum esset, in eos Reges animaduertere aequitas cogeret: ac tunc Ecclesia tres potentissimos principes, quibus in Christiano orbe potentia pares alij non sunt, hostes experiretur. Sed neque commissam Thadaeo auctoritatem ad haec se porrexisse, vnde non sine moerore conticescere coactus est.

Quid ad illa responderit Innocentius.

Tum Gualtrannus Beritensis episcopus a Syriae Christianis missus, vt occidentalium auxilia imploraret, lugubres literas a, lacrymisque imbutas concilio porrexit, quae ab Arnulpho ordinis Praedicatorum religioso viro perlectae patres ad lacrymas coegerunt. Eae vero sunt quas anno superiore annalibus nostris, cum de illata a Chorasminis clade ageremus, insinuauimus. his porro perfectis prior sessio dimissa est.

Beritens. episc. calamitates Terrae S. exponit.
a Extant apud Par. hist. Angl.

Inchoa-

Secunda sessio. Pontificis ad patres concilij oratio.

29 Inchoatam alteram feria quarta sequenti ait Parisius, atque Innocentium pontificalibus ornamentis indutum ac singulos suæ dignitatis infulis decoros ecclesiam S. Ioannis subijsse, ac diuini Spiritus implorata ope, litanijs subsecutis & alijs rite peractis, Pontificem perorare cœpisse in ea verba: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus*; ac voce crebris intercisa gemitibus, infixa altissimo pectore acerbissimi doloris, ex funestis Ecclesiæ calamitatibus impressis, accepti vulnera cum patientis in cruce Domini vulneribus contulisse a: *Comparauit quinq; dolores suos maximos quinque vulneribus & plagis Crucifixi. Vnum de inhumanis & feraliter Christianitatem vastantibus Tartaris: alium, quem pro schismate Romaniæ, idest, Græcæ ecclesiæ.* E paulo inferius: *Alium pro serpigine nouarum hæresum, scilicet Paterinorum, Bugarorum, Iouinianorum, & aliorum schismatum, sectarum, & errorum, quæ iam multas ciuitates Christianitatis, præcipue tamen Lombardiæ, subrependo maculauit. Alium, de Terra sancta: in qua Chorosmini detestabiles domos Templi & Hospitalis, ciuitatem quoque Hierusalem & alias multas Christianorum ciuitates, cum magna Christiani sanguinis profluuio, vsque ad internecionem, solo tenus diruendo, destruxerunt. Alium vero, de principe, idest, Imperatore; qui, cum esse teneretur summus secularium œconomus, & protector Ecclesiæ, hostis factus familiaris Ecclesiæ Christi efficax & validus factus est inimicus, & ministrorum eius aduersarius iam manifestus.*

a Paris. ubi sup. Cóceptos animo dolores cum vulneribus Crucifixi confert. Conqueritur de Tartaris. Shismaticis. Hereticis. Chorasmis. Et Friderico.

30 *Et prosecutus dominus Papa materiam lane quantum videbatur expedire, cunctos audientes dolore compassionis salubriter sauciauit: exitus enim aquarum deduxerunt oculi eius, & singultus sermonem proruperunt. In fine autem prædicationis suæ proposuit enormitates Imperatoris Friderici, scilicet hæresim, sacrilegium, & inter alia mala, quod ciuitatem quandam in Christianitate construxerat nouam, fortem & magnam, quam Sarracenis populauerat, ipsorum vtens, sed potius abutens, ritibus & superstitionibus, spreto Christianorum consilio & religione: familiaritatemque specialem contraxerat, vt asserebat, cum soldano Babyloniæ, & quibusdam alijs Sarracenorum primatibus; distractusque & obscenis illectus illecebris, concubitu muliercularum, vel potius meretricularum Sarracenicarum, indifferenter & imprudenter polluebatur. Imponebatque ei multiplex periurium; & quod spreto veritatis tenore, nunquam pacta, nusquam promissa conseruabat. Super quibus, vt magis eos audientes certificaret, signorum Imperialium ac auro appensione communitas ostendit epistolas multas & multiplices, quibus euidenter arguit, & redarguit ipsum Imperatorem super periurio.*

Inter cætera obijcit Nuceriam Sarracenis cóndidisse. Eorum ritus amplexum. Creberrima periuria. De ijs aperte ipsum conuincit.

31 Subijcit Thadæum audacter ad refellenda Pontificis dicta sese obiecisse, Innocentijque literas produxisse, quæ eius dictis dissentirent: sed cum diligentissime essent discussæ, & quibusdam conditionibus temperatæ, quas nunquam Fridericus impleuerat; contra Fridericianæ absolutæ repertæ, nec promissis stetisse Fridericum insignis periurij conuictum. Quod scelus Thadæus, vt poterat, fucatis rationibus amouere nitebatur, accusabatque Innocentium promissa alia non tenuisse. Demum post varias altercationes, in quibus inepte obiectum crimen hæreseos diluere eo argumento contendebat, quod vsurarios Fridericus in suæ ditionis terris versari non permitteret, quasi verò si ea labe careret, alijs maioribus inquinatus non foret; inducias petijsse, vt admonitus Fridericus accedere ad concilium posset: tandem verò Regum Francorum & Anglorum annitentibus oratoribus, duarum hebdomadarum spatium ferme indultum: ac Fridericum, de tota re certiorem factum, respuisse concilio se sistere, tanquam ab imperatoria dignitate abhorreret, concilio se subijcere. quo facto Anglorum multorumque aliorum animos, qui ipsi studebant, a se abalienauit, atque a toto orbe Christiano, vt contumax ac perduellis Ecclesiæ est existimatus.

Frid. orator Thadæus Pontificis dicta refellere aggreditur irrito conatu. Induciæ Friderico datæ vt accederet ad concilium. Spernit se illi subijcere.

32 Redierat Thadæus, nec nisi funesta pro Friderico præsagiebat, cum etiam per eos dies idem Fridericus, qui ducis Austriæ filiam ad confirmandam suam potentiam in vxorem flagitarat; iamque propediem res perficienda videretur, ab ea constanter repulsus est, ni communioni Ecclesiæ restitueretur, quod Imperij gradu euertendus timeretur, ipsaque defixi anathemate amplexus horreret.

Ducis Austriæ filia respuit Friderici nuptias ni cósortio fidelium restituatur.

Coacta igitur tertia sessione, cum obiecta purgare non posset ac ferendam ab Innocentio sententiam præsentiret, ad concilium aliud solemnius prouocauit, quod nec omnes præsules eorumue procuratores, nec principum omnium consistere videret. Cui Pontifex sufficere illud, nec iam magis præsules, qui ex vniuersis orbis Christiani oris confluxissent, ac diutius vt Fridericus submitteret se Ecclesiæ, expectassent, grauandos non videri: quod ad absentes spectaret; ipsos ab eo vinculis irretitos teneri, nec vlterius differendam sententiam, cum indignum sit, vt cuiquam fraus sua ac scelus patrocinetur. Pontificiæ huius sententiæ seriem licet typis iam cusam inserimus historiæ, ob rerum quas continet dignitatem; quamuis enim nostri moris sit, vt operis initio insinuauimus, verera monumenta iam in lucem edita leuiter delibare; interdum tamen historiæ ratio cogit nonnulla iam in aliorum libris prælo mandata ob ipsorum maiestatem adducere; præsertim cum non sit historia suis luminibus & ornamentis spolianda, sed ex peruulgatarum rerum copia lectorum nausea remouenda.

Tertia sessio. Pontifice sententiá laturo prouocat Fred orator ad concilium celebrius.

Innocentius episcopus seruus seruorum Dei.

33 Sacro a præsente concilio ad rei memoriam sempiternam. Ad apostolicæ dignitatis apicem, licet indigni, dignatione diuinæ maiestatis assumpti omnium Christianorum curam vigili sedulaque solertia gerere, ac intimæ considerationis oculo singulorum facta & dicta discernere, & prouidæ deliberationis statera librare debemus, vt quos iusti rigor examinis dignos ostenderit, congruis attollamus & euehamus fauoribus: quos autem reos & culpabiles inuenerimus, pœnis debitis pro grauitate culpæ afficiamus & deprimamus; appendentes semper meritum & præmium æqua lance, retribuendo cuique iuxta qualitatem operis siue boni siue mali, pœnæ vel gratiæ quantitatem. Sane cum diu bellorum diuturna commotio nonnullas professionis Christianæ prouincias & regiones grauiter afflixisset, nos toto cupientes mentis affectu tranquillitatem & pacem Ecclesiæ sanctæ Dei, ac generaliter cuncto populo Christiano restituere ac reducere, ad præcipuum principem secularem, huius dissensionis ac tribulationis auctorem, a felicis recordationis Gregorio Papa prædecessore nostro, pro suis excessibus anathematis vinculo innodatum, speciales nuncios magnæ auctoritatis viros venerabiles, videlicet fratres nostros P. Albanensem, tunc autem temporis Rothomagensem archiepiscopum & Vv. Sabinensem nunc, quondam verò Mutinensem, episcopos, ac dilectum nostrum filium Guillelmum, basilicæ duodecim Apostolorum presbyterum Card. tunc abbatem S. Facundi, qui salutem zelabantur ipsius, duximus destinandos; facientes sibi proponi per ipsos, quod nos, & fratres nostri, quantum in nobis erat, pacem per omnia habere nitimur, vt cum omnibus hominibus parati sumus, optabamus pacem sibi & tranquillitatem dare, ac mundo etiam vniuerso. Et quia prælatorum, clericorum, omniumque aliorum, quos detinebat captiuos, & omnium tam clericorum, quam lai-

a Inn. lib. 3. ep. 14. & apud Matth. Par. & collector. conciliorum citat. Innocentii aduersus Fridericum sententia. Exponit Pont. vt Fridericú ad pacem inuitarit.

laicorum, quos ceperat in galeis, restitutio poterat esse pacis & reconciliationis plurimum inductiua, illum vt eos restitueret; cum hoc idem tam ipse, quam sui nuncij, antequam ad Apostolatus vocati essemus officium, promisissent; rogari & peti ab ipso fecimus per eosdem, ac proponi insuper, quod ijdem pro nobis parati erant audire & tractare pacem, ac etiam audire satisfactionem, quam facere vellet princeps de omnibus, pro quibus vinculo erat excommunicationis astrictus, & offerri.

Quam aequas leges indixerit. 34 Praeterea, quod si eum in aliquo contra debitum laeserat Ecclesia, quod tamen non credebat, parata erat corrigere, ac in statum debitum reformare. Et si diceret ipse, quod in nullo contra iustitiam laeserat Ecclesiam, vel quod nos eum contra iustitiam laesissemus, parati eramus vocare Reges, praelatos, & principes tam ecclesiasticos, quam seculares, ad aliquem tutum locum, vbi simul per se, vel per solemnes nuncios conuenirent; eratque parata Ecclesia etiam de consilio concilij sibi satisfacere, si eum laesisset in aliquo; ac reuocare excommunicationis sententiam, si quam contra ipsum iniuste tulisset, & eum omni mansuetudine & misericordia, quantum cum Deo & honore suo fieri poterat, tractare, & de iniurijs & offensis ipsi Ecclesiae, suisque per eum irrogatis satisfactionem ab ipso recipere. Volebat etiam Ecclesia omnes amicos suos, sibique adhaerentes in pace ponere, plenaque securitate gaudere, vt nunquam hac occasione posset aliquod in posterum subire discrimen, aut periculum.

Queritur de illius pertinacia 35 Sed licet sic apud eum pro pace paternis monitis & precum insistere curauerimus lenitate, idem tamen Pharaonis imitatus duritiam, & more aspidis obturans aures suas, huiusmodi preces & monita, elata obstinatione, ac obstinata elatione & superbia, despexit ac contempsit. Et licet processu temporis in die coenae Domini proximo nuper praeterita praecedente coram nobis, & fratribus nostris Cardinalibus, praesentibus charissimo in Christo filio nostro Constantinopolitano Imperatore illustri, coetu quoque non modico praelatorum, & de senioribus ac famoribus senatoribus, populoque Romano; & maxima multitudine aliorum, qui eodem die propter solemnitatem ipsius de diuersis mundi partibus ad Apostolicam sedem conuenerunt; quod staret mandatis nostris & Ecclesiae, per nobilem virum comitem Tolosanum, ac magistros Petrum de Vinea, & Thadaeum de Suessa curiae suae iudices, & procuratores suos speciale super hoc ab ipso mandatum habentes, praestiterit iuramentum; postmodum tamen quod iurauerat non impleuit. Quinimo ea intentione ipsum praestitisse iuramentum probabiliter creditur, sicut ex factis sequentibus colligitur euidenter, vt eidem Ecclesiae ac nobis illuderet potius, quam pareret: cum anno & amplius iam elapso nec ad ipsius Ecclesiae gremium reuocari potuerit, nec sibi de illatis ei damnis & iniurijs curauerit satisfacere, licet super hoc extiterit requisitus. Propter quod non volentes, nec etiam valentes absque graui Iesu Christi offensa, eius iniquitates & scelera amplius tolerare, cogimur vrgente nos conscientia animaduertere in eundem.

Vt stetamentoora totu operi ad sarcienda illata Ecclesiae dano se deuouerit.

Promissa deinde infregerit.

Obiecta ipsi a Gregorio capita. Et vt ad praesens de caeteris eius sceleribus & iniquitatibus taceamus, quatuor grauissima, quae nulla possunt celari tergiuersatione, commisit. Deierauit enim multoties, pacem quondam inter Ecclesiam & Imperium reformatam temere violauit. Perpetrauit etiam sacrilegium, capi faciens Cardinales S.R. Ecclesiae, ac aliarum ecclesiarum praelatos & clericos religiosos & seculares, venientes ad concilium, quod idem praedecessor noster duxerat conuocandum. De haeresi quoque non dubijs & leuibus, sed difficilibus & euidentibus argumentis suspectus habetur.

36 Plura siquidem eum commisisse periuria satis paret. Nam olim cum in Siciliae partibus commorabatur, priusquam esset ad Imperij dignitatem electus, coram bonae memoriae G. S. Theodori diacono Card. A. S. L. felicis recordationis Innocentio Papae praedecessori nostro, & successoribus eius, Ecclesiaeque Rom. pro concessione regni Siciliae, ab eadem Ecclesia sibi facta, fidelitatis praestitit iuramentum; & sicut dicitur, illud idem, postquam ad eandem dignitatem electus extitit, & venit ad Vrbem coram eodem Innocentio, suisque fratribus Cardinalibus & alijs multis praesentibus, ligium homagium in eius faciens manibus, innouauit. Deinde cum in Alemannia esset, eidem Innocentio Papae, & ipso defuncto, bonae memoriae Honorio Papae praedecessori nostro, & eius successoribus, ac ipsi Ecclesiae Rom. praesentibus Imperij principibus ac nobilibus, iurauit, honorea, iura, & possessiones Rom. Ecclesiae, pro posse suo seruare ac protegere bona fide. Et quod quaecunque ad manus suas deuenirent, sine difficultate restituere procuraret, nominatis expresse dictis possessionibus in huiusmodi iuramento, quod postmodum confirmauit, coronam Imperij iam adeptus. Sed horum trium iuramentorum temerarius extitit violator & transgressor, non sine proditionis nota, & laesae criminae maiestatis. Nam contra praefatum praedecessorem nostrum Gregorium & fratres suos Cardinales, comminatorias literas eisdem fratribus destinare, ac dictum Gregorium apud fratres ipsos, sicut apparet per literas ab eodem tunc directas eisdem, & etiam prout fertur, per vniuersum fere orbem terrarum multipliciter diffamare praesumpsit; ac venerabilem fratrem nostrum Othonem Portuensem, tunc S. Nicolai in carcere Tulliano diaconum Card. & bonae memoriae Iacobum Praenestinum, episcopos, Apostolicae sedis legatos, nobilia & magna Ecclesiae Rom. membra personaliter capi fecit, & bonis omnibus spoliatos, ac per diuersa loca non semel ignominiose deductos & circumductos, carceribus mancipari.

Saepius periurij crimine se deuinxisse.

37 Priuilegium insuper, quod B. Petro, & successoribus eius in ipso tradidit dominus Iesus Christus, videlicet: *Quodcunque ligaueritis super terram, erit ligatum & in caelis: & quodcunque solueritis super terram, erit solutum & in caelis*; in quo auctoritas & potestas Rom. Ecclesiae consistit, pro viribus diminuere, vel ipsi Ecclesiae auferre satagit; scribens se praefati Gregorij Papae praedecessoris nostri non vereri latam ab eo excommunicationis sententiam in ipsum; non solum contemptis clauibus Ecclesiae non seruando, verum etiam per se ac officiales suos & illam & alias excommunicationis vel interdicti sententias, quas idem omnino contempsit, cogendo & compellendo alios non seruare.

Concessi a Christo Pontifici auctoritatem negasse.

Censuras ecclesiasticas spreuisse.

38 Possessiones quoque praefatae Ecclesiae Rom. videlicet Marchiam, Ducatum, Beneuentum cuius muros & turres dirui fecit, ac alias quas in Tusciae ac Lombardiae partibus, & quibusdam alijs obtinebat locis, paucis exceptis, occupare non metuens, eas detinet adhuc occupatas. Et tanquam ei non sufficeret, quod manifeste contra iuramenta praemissa, praesumendo saba, veniebat per se, vel per suos officiales, earundem possessionum homines deierare compulit, ipsos a iuramentis fidelitatis, quibus tenebantur ratione Ecclesiae, de facto, cum de iure non posset, absoluens, & faciens eosdem fidelitatem nihilominus abiurare praedictam, sibique fidelitatis huiusmodi iuramenta praestare.

Pontificii ditionem occupasse.

39 Pacis verò ipsum violatorem existere plane constat: quia cum olim tempore pacis inter ipsum & Ecclesiam reformatae iurasset coram bonae memoriae I. de abbatis villa, episcopo Sabinensi, & magistro Thomasio, tunc temporis S. Sabinae presbytero Card.

Ostendit iuratae cum Greg. pacis leges violasse.

Card. præsentibus, cum multis alijs prælatis, principibus & baronibus, quod staret & pareret præcise, absque vlla conditione, omnibus mandatis Ecclesiæ super his, pro quibus erat vinculo excommunicationis astrictus, causis excommunicationis expressis per ordinem coram eo. Tunc temporis etiam omnibus Theutoniæ hominibus, regni Siciliæ, ac quibuslibet alijs cuiuscunque conditionis, aut status, qui Ecclesiæ contra eum adhæserant, omnem remittens offensam & pœnam: & quod in nullo tempore offenderet, vel offendi faceret ipsos, pro eo quod Ecclesiæ astiterant, præstari in anima sua per comitem Acerrarum faciens iuramentum; postmodum pacem & iuramenta huiusmodi, nequaquam erubescens irretiri periurijs, non seruauit. Nonnullos enim etiam ex ipsis hominibus prædictis tam nobiles, quam alios postea capi & incarcerari fecit, & eis bonis suis omnibus spoliatis, vxores eorum & filios captiuari, ac insuper terras Ecclesiæ contra promissionem, quam idem I.. Sabinensi episcopo, & Thomasio Cardinali fecerat, irreuerenter inuasit: licet ipsi ex tunc in eundem præsentem, si vllo modo prædictis articulis, aut conditionibus contrauenîret, excommunicationis sententiam promulgauerunt.

Siculam ecclesiam oppressisse.

40 Et cum ijdem, apostolica auctoritate sibi commissa, ipsi mandassent, vt nec per se, nec per alium impediret, quin postulationes, electiones & confirmationes ecclesiarum & monasteriorum in regno præfato libere de cætero fierent, secundum statutum concilij generalis; & quod nullus deinceps in eodem regno viris ecclesiasticis ac bonis, aut rebus eorum imponeret tallias vel collectas; quodque nullus ibidem clericus vel persona ecclesiastica de cætero in ciuili vel criminali causa conueniretur coram iudice seculari, nisi super feudis quæstio ciuilis haberetur; ac Templarijs, Hospitalarijs, & alijs personis ecclesiasticis de damnis & iniurijs irrogatis eisdem satisfaceret competenter; ipse mandatum huiusmodi adimplere contempsit. Liquet namque vndecim, aut plures archiepiscopales, & multas episcopales sedes, abbatias quoque, & alias ecclesias ad præsens in regno vacare prædicto, easque procurante ipso, sicut aperte patet, fuisse diutius prælatorum regimine destitutas, in graue ipsarum præiudicium, & periculum animarum multarum. Et licet forte in aliquibus eiusdem regni ecclesijs electiones sint a capitulis celebratæ; quia tamen per illa eadem familiares clerici sunt electi, probabili potest argumento concludi, quod facultatem non habent liberam eligendi. Ecclesiarum autem ipsius regni non solum facultates & bona fecit, prout voluit, occupari; sed & cruces, calices, thuribula, & alios sacros earum thesauros, & pannos sericos, velut cultus diuini contemptor, auferri: licet vt dicitur, ipsis ecclesijs, exacto tamen prius pro eis certo pretio, in parte fuerint restituti. Clerici quippe collectis & tallijs multipliciter affliguntur, nō solum trahuntur ad iudicium seculare sed, vt asseritur, coguntur subire duella, incarcerantur, occiduntur, & patibulis cruciantur, in confusionem & opprobrium ordinis clericalis. Præfatis autem Templarijs, Hospitalarijs & personis ecclesiasticis, non est de damnis illatis eisdem & iniurijs satisfactum.

Sacrilegij scelere inquinatū.

41 Eum quoque certum est sacrilegij esse perpetratorem: nam cum præfati Portuensis & Prænestinus episcopi, & quamplures ecclesiarum prælati & clerici, tam religiosi, quam seculares, ad apostolicam sedē, pro celebrando concilio, quod prius ipse petiuerat conuocari, per mare venirent, vijs omnibus terræ ipsius, de mandato eius omnino præclusis, idem destinato Henfio filio suo cum multitudine galeiarū, & per alias quamplures longe ante serio præparatas in partibus Tusciæ, maritimis insidijs positis contra eos, vt grauius posset virus vomere præconceptum, ipsos ausu sacrilego capi fecit; quibusdam prælatorum ipsorum & alijs in huiusmodi captione submersis, nonnullis etiam interemptis, & aliquibus hostili insecutione fugatis; reliquis autem bonis spoliatis omnibus, & de loco ad locum in regno Siciliæ opprobriose deductis, & circumductis, ac ibidem diris carceribus mancipatis: quorum aliqui macerati squalloribus, & inedia pressi, miserabiliter defecerunt.

Iusta hæreseos suspicione aspergi.

42 Merito insuper contra eum de hæretica prauitate suspicio est exorta, cum postquam excommunicationis sententiam a præfatis I.. Sabinensi episcopo, & Thomasio Cardinali prolatam incurrerit, & prædictus Gregorius Papa ipsum anathematis vinculo innodauerit, ac post Ecclesiæ Romanæ Cardinalium, prælatorum, & clericorum, ac aliorum etiam diuersis e partibus ad sedem Apostolicam venientium captiones; claues Ecclesiæ contempserit & contemnat, sibi faciens celebrari, vel potius, quantum in eo est, prophanari diuina: & constanter asseruit, vt superius est narratum, in se præfati Gregorij Papæ sententias excommunicationis non vereri.

Sarracenis amicitia esse coniūctissimū.

43 Præterea coniunctus Sarracenis amicitia detestabili nuntios & munera pluries destinauit eisdem, & ab eis vicissim cum honorificentia & hilaritate recipit; ipsorumque ritus amplectitur, illos in quotidianis eius obsequijs notabiliter secum tenens: eorundem etiam more vxoribus, quas habuit de stirpe regia descendentibus; eunuchos, præcipue quos, vt dicitur, serio ipse castrari fecerat, non erubuit deputare custodes. Et quod execrabilius est, olim existens in partibus transmarinis, facta compositione quadam, imo verius collusione, cum soldano, Machometi nomen in templo Domini diebus ac noctibus publice proclamari permisit. Et nuper nuncios soldani Babyloniæ, postquam idem soldanus Terræ sanctæ ac Christianis habitatoribus eius per se ac suos damna grauissima & inæstimabiles iniurias irrogarat, fecit per regnum suum Siciliæ cum laudibus, ad eiusdem soldani extollentiam, sicut fertur, honorifice suscipi, & magnifice procurari.

Ducem Bauariæ immissis sicarijs trucidasse. Vatacio schismatico filiam vxorem tradidisse.

44 Aliorum quoque infidelium perniciosis & horrendis obsequijs contra fideles abutens, & illis, qui damnabiliter vilipendentes & contemnentes Apostolicam sedem ab vnitate Ecclesiæ discesserunt, procurans affinitate, ac amicitia copulari; claræ memoriæ ducem Bauariæ specialem Ecclesiæ Romanæ deuotum fecit, sicut pro certo asseritur, Christiana religione despecta, per assasinos occidi: & Battacio, Dei & Ecclesiæ inimico; a communione fidelium per excommunicationis sententiam cum adiutoribus, consiliatoribus & fautoribus suis solemniter separato, filiam suam tradidit in vxorem. Catholicorum vero principum actus & mores respuens, neglecta salutis suæ & famæ integritate, pietatis operibus non intendit. Quinimo, vt de suis nefarijs dissolutionibus sileamus, cum didicerit tantum opprimere, non curat oppressos iniurijs releuare, manu eius, vt decet principem Christianum, ad eleemosynas non extenta; cum destructioni ecclesiarum institerit, & religiosas ac alias ecclesiasticas iugi attriuerit afflictione, & persecutione personas: nec enim ecclesias, nec vlla monasteria, nec hospitalia, seu alia pia loca cernitur vspiam construxisse, aut fundasse. Num igitur hæc non leuia, sed efficacia sunt argumenta de suspicatione hæresis contra eum? cum tamen hæreticorum vocabulo eos ius ciuile contineri asserat, & latis aduersus eos sententijs debere succumbere, qui vel leui argumento a iudicio catholicæ religionis & tramite detecti fuerint deuiare.

Debitum pro regno Siciliæ vectigal annuum nō soluisse.

Præter hæc regnum Siciliæ, quod est speciale patrimonium B. Petri, quod idem princeps ab Apostolica sede tenebat in feudum, iam in tantam in cle-

ricis

ricis & laicis exinanitionem seruitutemque redegit, quod eis pene penitus nihil habentibus, & omnibus exinde fere probis eiectis & expulsis, illos, qui remanserunt ibidem, sub seruili quasi conditione viuere, ac Romanæ Ecclesiæ, cuius principaliter sunt homines & vasalli, offendere multipliciter & hostiliter impugnare compellit. Posset etiam merito reprehendi, quod mille squisatorum annuam pensionem, in qua pro eodem regno ipsi Romanæ Ecclesiæ tenetur, per nouem annos & amplius soluere prætermisit.

Iure Imperij deturbat.

45 Nos itaque super præmissis, & quampluribus alijs eius nefandis & execrandis excessibus ac flagitijs, cum fratribus nostris Cardinalibus & sacrosancto concilio deliberatione præhabita matura & diligenti; cũ domini nostri Iesu Christi vices, licet immeriti, teneamus in terris, nobisque in B. Petri Apostoli persona sit dictum: *Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, &c.* memoratum principem, qui se Imperio & regnis, omnique denique honore, ac dignitate reddidit tam indignum; quique propter suas iniquitates atque scelera a Deo, ne regnet vel imperet, est abiectus; suis ligatum peccatis a Deo abiectum, omnique honore ac dignitate priuatum a Domino ostendimus ac denuntiamus, & nihilominus sententiando priuamus: omnesque, qui ei iuramento fidelitatis aliquo modo tenentur astricti, vel obligari, a iuramento huiusmodi perpetuo absoluimus & liberamus; auctoritate apostolica firmiter & strictim inhibendo, ne quisquam de cætero sibi tanquam Imperatori vel Regi pareat, vel quomodolibet parere intendat; decernendo quoslibet, qui deinceps ei velut Imperatori vel regi consilium, vel auxilium præstiterint, seu fauorem, ipso facto excommunicationis vinculo subiacere: illi autem, ad quos in eodem Imperio, Imperatoris spectat electio, eligant libere alium in eius locum successorem. De præfato vero Siciliæ regno prouidere curabimus, cum eorundem fratrum nostrorum Cardinalium consilio, sicut viderimus expedire. *Datum Lugduni XVI. kal. aug. pontif. nostri an. III.*]

Subditos sacramenti religione absoluit.

Censuris omnes illius sequaces deuincit.

46 Hactenus sentẽtia in Fridericum lata, quam etiã adducit Parisius: qui ea lata Thadæum Suessanum ac Matthæum de Ocra Friderici procuratores pudore suffusos, ac pectora ex nimio dolore tundẽtes abscessisse ait. Cumq; iam omnes concilij patres accẽsas faces manibus gestarent, atque in execrationis in Fridericum defigendæ signum eas inuersuri atque extincturi essent, Thadæum ingemuisse, atque in ea verba prorupisse: *Dies illa dies iræ, calamitatis & miseriæ*; nec falsus vates: ex eo enim tempore omnia mala in Fridericum inundarunt, atque eius genus funesto mortis genere funditus sustulerunt. Dictam sententiam conciliorum collector etiam ex regesto pontificio, tum nouatores a afferunt, qui tamen vti omnia imperite, ac nullo iudicio quæ reperere, consarcinare solent, huic Lugdunensi synodo tribuunt nonnulla, quæ post multos annos alteri sub Gregorio decimo celebratæ conuenire neminem peritum latere possint: exempli gratia D. Thomam Aquinatem ad illam euocatum in itinere obijsse. denique eiusdem a patribus latæ in Fridericum sententiæ scriptores innumeri meminere, quos ne lectorem fatigemus, recensere prætermittimus.

Emendatur nouatorum censuræ qui perperam plura de hac synodo effutiunt.

a Cent. 13 cap. 9 col. 867. &c.

47 Inter cæteros Stadensis de eis locutus hæc tradit b: *Hanc depositionem per totã Ecclesiam promulgauit; præcipiens sub interminatione excõmunicationis, vt nullus eum Imperatorem de cætero nominaret.* Licet vero Fridericus regio & imperiali nomine exutus sit, lectorem tamen monitum volumus, nos illius annos, dũ dixerit, ad consignanda tempora annalibus Baronij more apposituros. Cæterum concilij collector ex Innocentij regesto constitutiones quasdam seu decreta refert huiusmodi titulis prænotata: *De rescriptis: de electione, & electi potestate: de officio & potestate iudicis delegati: de iudicijs, & de litis contestatione: de dolo & contumacia: de rescriptis: de eo, qui mittitur in possessionem causa rei seruandæ: de confessis: de appellationibus & recusationibus: de sententia excommunicationis: de vsuris,* quo decreto ecclesijs consulitur, ne ære alieno opprimantur: *De subsidio Constantinopolitani Imperij.* Vbi Pontifex, postquam conceptum animo dolorem ex Imperij illius laceratione exposuit; quantaque dedecoris labes inureretur Ecclesiæ, si a schismaticis illud obrui pateretur, ac post tantos pro eo stabiliendo susceptos labores, tot commissa certamina, tantum sanguinis catholici fusum a pristina coniunctione diuelli; decernit quid ecclesiastici contribuere debeant.

b Stad. in chron. Intentatũ ijs anathema qui Fred. Imperatorẽ appellarẽt.

48 *Ad liberationem autem ipsius, eo magis ecclesiarum prælatos, aliosque viros ecclesiasticos vigiles, & intentos existere, ac opem & operam conuenit exhibere; quo amplius eiusdem fidei & ecclesiasticæ libertatis augmentum, quod per liberationem huiusmodi principaliter proueniret, procurare tenentur: maxime quia dum prædicto subuenitur Imperio, consequenter subsidium impenditur Terræ sanctæ. Sane vt festina fiat & vtilis Imperio præfato subuentio; ex communi concilij approbatione statuimus, vt medietas omnium prouentuum tam dignitatum & personatuum, quam præbendarum ecclesiasticarum, aliarumque beneficiorum ecclesiasticorum, personarum illarum, quæ in ipsis residentiam non faciunt personalem, per sex menses ad minus, siue vnum habeant, siue plura; eis qui nostris, & fratrum nostrorum, ac suorum prælatorum immorantur obsequijs, aut sunt in peregrinatione, vel scholis, seu ecclesiarum suarum negotia de ipsorum mandato procurant, aut assumpserunt, vel assument crucis signaculum in prædicta terra, vel personaliter in eiusdem Imperij proficiscentur succursum, exceptis: & si aliqui eorundem exceptorum, præter huiusmodi cruce signatos & proficiscentes, de redditibus ecclesiasticis vltra valentiã centum marcarum argenti percipiunt annuatim, tertia pars residui ipsius Imperij subsidio colligenda, per eos, qui ad hoc apostolica fuerint ordinati prouidentia, vsque ad triennium integre deputetur; non obstantibus quibuscunque consuetudinibus, vel statutis ecclesiarum, seu quibuslibet indulgentijs ipsis ecclesijs vel personis ab Apostolica sede concessis iuramento, aut quacunque firmitate alia roboratis. & si forte super hoc scienter fraudem commiserint sententiam excommunicationis incurrant. Nos vero de obuentionibus Ecclesiæ Romanæ deducta prius ex eis decima succursui terræ deputanda prædictæ, decimam prædicti pro subuentione Imperij plenarie tribuemus.*

Cõsulitur Constantinopolitano Imperio.

49 Quo vero populi in eiusdẽ Imperij ac Terræ sanctæ subsidiũ excitarentur; præsules admonuit, vt Christianos suæ curæ & fidei commissos pro cõcione hortarentur, vel cum pœnam aliquã ad crimina diluenda infligerent, pijs monitis adducerent, vt proposita ob oculos Christi defendenda gloria, suas opes in Terræ sanctæ, vel Imperij Constantinopolitani auxilia conuerterent. *Attentius prouisuri*, inquit, *vt quod ipsi ad Crucifixi reuerentiam habendo respectum in pecunia pro huiusmodi subuentione dederint, in certis locis sub sigillis vestris conseruari fideliter; & illa, quæ in rebus alijs ad hoc legata fuerint diligenter in scriptis redigi faciatis. Hoc autem pietatis opus, in quo sola causa Dei quæritur, & salus fidelium procuratur, sic vestra sinceritas promptis prosequatur affectibus, vt tandem securum de manu superni iudicis cælestis gloriæ præmium expectetis.*

Fideles ad conferendas in illius & Terræ S. opes excitari iussi.

50 Cum Tartari Christiani nominis omnium infensissimi hostes essent, nec tam suæ Christianos subijcere seruituri, quam funditus delere meditarentur, Christique domini cultum extinguere, cum eius fideles excidissent; iamque excursionibus hor-

Decreta cõcilij ad propulsandos Tartaros.

hortendis editis Poloniam, Russiam, Pannoniam, aliasq; regiones fideliũ nullo sexus ætatisue discrimine passumdedissent, atq; ijs conculcatis, ad alias prosilire cogitarent; sanxit vt omnes aditus, per quos ea gens penetrare posse videretur, diligentissime munirentur, excitarentur propugnacula, vt dum in ijs oppugnandis hostis distineretur, ipsorum irruptionis admonita sedes Apostolica, toti orbi Christiano auxilia imperaret, vt collectis omnium viribus commune periculum propulsaretur: *Ideo sacro suadente concilio vniuersitatem vestram monemus, rogamus, & hortamur attente, mandantes quatenus viam & aditus vnde in terram nostram gens ipsa posset ingredi, solertissime perscrutantes, illos fossatis, vel muris, seu alijs ædificijs, aut artificijs, prout expedire videritis, taliter præmunire curetis, quod eiusdem gentis ad vos ingressus patere de facili nequeat: sed prius Apostolicæ sedi suus denunciari possit aduentus, vt ea vobis fidelium destinante succursum, contra conatus & insultus gentis ipsius tuti esse, adiutore Domino, valeatis. Nos enim in tam necessarijs, & vtilibus expensis, quas ob id feceritis, contribuemus magnifice, ac ab omnibus Christianorum regionibus, cum per hoc occurratur communibus periculis, proportionaliter contribui faciemus; & nihilominus super his alijs Christi fidelibus, per quorum partes habere posset aditum gens prædicta, literas præsentibus similes destinamus.*

Desoranda expeditione in Sarracenos.

51 Ad collapsas verò Terræ sanctæ res restituendas indicta est crucesignatorum expeditio: qui sacro accepto signo se bello deuouissent, iussi certum in locum opportuno tempore confluere, vt apostolica benedictione donati alacriter traijcerent: studerent pietati: si quo peccato conscientiam macularent, mox illud pœnitentia eluerent, vt veri Christi milites effecti, cælestique virtute induti felicius in hostem dimicarent: qui nobilitate diuitijsque pollerent, superuacaneis sumptibus abstinerent, quo in meliores vsus opes conuerterent, ac eo facto plena criminum condonatione potirentur: *Afflicti corde pro deplorandis Terræ sanctæ periculis; sed pro illis præcipue, quæ constitutis in ipsa fidelibus noscuntur nouiter accidisse; ad liberandam ipsam, Deo propitio, de impiorum manibus totis affectibus aspiramus, diffinientes, sacro approbante concilio, vt ita crucesignati se præparent, quod opportuno tempore vniuersis insinuando fidelibus per prædicatores & nostros nuncios speciales omnes, qui disposuerint transfretare, in locis idoneis ad hoc conueniant, de quibus in eiusdem terræ subsidium cum diuina & apostolica benedictione procedant. Sacerdotes autem, & alij clerici, qui fuerint in exercitu Christiano, tam subditi, quam prælati, orationi & exhortationi diligenter insistant, docentes eos verbo pariter & exemplo, vt timorem & amorem Domini semper habeãt ante oculos; ne quid dicant, aut faciant, quod æterni Regis maiestatem offendat; & si quando in peccatum lapsi fuerint, per veram pœnitentiam mox resurgant, gerentes humilitatem cordis & corporis, & tam in victu, quam in vestitu mediocritatem seruantes; dissensiones, & æmulationes omnino euitando, rancore, ac liuore a se penitus relegatis, vt sic spiritualibus & materialibus armis muniti, aduersus hostes fidei securius prælientur, non de sua præsumentes potentia, sed de diuina virtute sperantes. Nobiles quidem & potentes exercitus, ac omnes diuitijs abundantes pijs prælatorum monitis inducantur, vt intuitu Crucifixi, pro quo crucis signaculum assumpserunt, ab expensis inutilibus & superfluis, sed ab illis præcipue, quæ fiunt in commessationibus, & conuiuijs abstinentes, eas commutent in personarum illarum subsidium, per quas Dei negotium valeat prosperari; & eis propter hoc, iuxta prælatorum ipsorum prouidentiam, peccatorum suorum indulgentia tribuatur. Prædictis autem clericis indulgemus, vt beneficia sua integre percipiant per triennium, ac si essent in ecclesijs residentes: & si necesse fuerit, ea per idem tempus pignori valeant obligare.*

Crucesignati iterum se accingere iussi.

52 *Ne igitur hoc sanctum propositum impediri, vel retardari contingat, vniuersis ecclesiarum prælatis districte præcipimus, vt singuli per loca sua illos, qui signum crucis deposuerunt, resumere; ac tam ipsos quam alios crucesignatos & quos adhuc signare contigerit, ad reddendum Domino vota sua diligenter moneant, & inducant; & si necesse fuerit per excommunicationis in personas, & interdicti sententias in terras ipsorum, omni tergiuersatione cessante, compellant.* Adiectæ plures cruce insignitis prærogatiuæ, quas ideo prætermittimus, cum in literis Gregorij IX. supra allatis contineantur. In eos vero, qui crucesignatos iniuria afficerent, statutæ pœnæ, & vibratum anathema, in illos maxime, qui piratis maria infestantibus fauerent, atque opera commercioue cum ijs participarent. In singulis etiam maritimis vrbibus anathematis sententia in eos promulgari iussa, qui Sarracenis arma, ligna, naues, aliaque bellicis vsibus apta suppeditarent.

53 Vetitum quoque, ne quadriennio naues in Sarracenorum portus ad inuehendas commutandasue merces ducerentur, quo plures transfretaturis suppeterent, atque hosti commoda non leuia, quæ ex ijs eliceret, subducerentur. Hastiludia quoque eo potissimum tempore, quo sacra ornabatur expeditio, prohibita. Cumque tanti belli consilium perduci non posset, ni principes mutuo pacis fœdere astricti eo tempore tenerentur, hæc constituit: *Quia ad hoc negotium exequendum est permaxime necessarium, vt principes, & populi Christiani ad inuicem pacem obseruent, sancta & vniuersali synodo suadente statuimus, vt per quadriennium in toto orbe Christiano pax generaliter obseruetur, ita quod per ecclesiarum prælatos discordantes reducantur ad plenam pacem, aut firmam treugam inuiolabiliter obseruandam: & qui acquiescere forte contempserint, per excõmunicationem in personas, & interdictum in terras arctissime compellantur, nisi tanta fuerit iniuriarum malitia, quod ipsi non gaudere debeant tali pace. Quod si forte censurã ecclesiasticam vilipenderint, poterunt non immerito formidare, ne per auctoritatem Ecclesiæ contra eos, tanquam perturbatores negotij Crucifixi, sæcularis potentia inducatur.*

Vetita hastiludia.

Indicta omnibus publica pax.

De electoribus Imperij.

54 Post recitatam de electione sanctionem (quæ nonnullis omissis ab eodem collectore recensetur) hæc insuper de principibus Germaniæ viris electoribus Imperatorum, deque alio in Friderici locum subrogando subdit Parisius: [a]

[a] Par. hist. Angl. hoc anno.

Magnates Alemanniæ, non tamen electores Imperatorum.

Rex Bohemiæ.	*Dux Lemburgiæ.*
Dux Lotharingiæ.	*Dux Carentaniæ.*
Dux Brunesuuikiæ.	*Dux Saxoniæ.*
Dux Sueuiæ.	*Comes de Galtia.*
Landegrauius Thuringiæ.	

Electores Imperatorum.

Laici { *Dux Austriæ. Dux Bauariæ. Dux Saxonum. Dux Brabantiæ, qui & Louaniæ.*

Prælati { *Archiepiscopus Coloniensis. Archiepiscopus Maguntinus. Salburgensis.* } *principales.*

Isti ducentur in insulam quamdam Rheni, & dimittentur soli in ea, & amouebuntur omnes nauiculæ, & ibi tractabunt de electione Imperatoris: nec adueniet aliquis ad eos, donec sint concordes. Huic negotio præerit archiepiscopus Coloniensis, secundus Maguntinus, tertius Salburgensis. Hactenus Parisius. Hic pluribus de electoribus Imperij ab Innocentio Papa in Lugdunensi synodo constitutis disserendum videretur: sed cum Cardinalis Baronius [b] de ijs accuratissime dis-

[b] Baron. to. 10. an. 996.

differuerit, eo lectorem reijcimus. Sunt qui tradunt octauas a natiuitatis B. Mariæ Virginis illic primum institutas: alij tamen asserunt b, ibi dumtaxat statutum, vt B. Virginis octauæ a clero ac religiosis viris solemni ritu celebrarentur. Præterea Pontificem ipsum instituta ac priuilegia ordinis Grandimontensis, cuius prior Guillelmus nomine eidem synodo interfuit, ibidem confirmasse traditur in actis S. Stephani ipsius ordinis conditoris in epitomen coactis, quorum exemplum apud nos extat.

Institutus sacer dies octauus a natali Virginis festo recurrens.

a Longin. hist. Pol. l. 7 an. 1245 Blond. l. 7. sed. an col lect. v. sinc. hist. huius concil. Au ctor addit. ad Vincen e. 1. idem tribuit in not. I V. b Compil. chron. hoc ann.

55 Eadem in synodo cum Angli literis omnium nomine exaratis, quas historię suæ adiecit Parisius, atq; oratorum suorum opera de vectigali, quod Ioannes Rex pro Romana Ecclesia inuitis eius regni populis (vti iactabant) imposuerat; deque frequentibus pecuniarum exactionibus, quas Pontifices præter consuetum B. Petri denarium imperabant, vehementius expostulassent; easque in posterum minime se passuros affirmarent, repulsi ab Innocentio fuere. Sollicitatos porro in Pontificem a Friderico tradit anno superiore: qui ipsis pollicebatur daturum operam, vt Anglia sedis Apostolicæ fiduciaria amplius non esset; vtque illius iugum excuterent, hortabatur. Hoc interim spatio ijdem Angli Martinum pontificiæ cameræ clericum per contumeliam regno exegere. hæc idque genus alia Matthæus Parisius acerbo atque, vti plerumque solet, atrociore stylo fusius prosequitur. Post hæc de Martino enarrata Bonifacium Cantuariensem archiepiscopum Lugduni, quo se contulerat, ab Innocentio sacris pontificalibus initiatum testatur. Cæterum eiusmodi Anglorum querimoniæ fortasse Innocentio occasionem iniecere, sacrosancta comprobante synodo, nonnullas eius æui principum literas c de Apostolicæ sedis iuribus & prærogatiuis legendas proponere: inter quas in primis eas attulit, quibus Ioannes Rex regna sua Romanæ Ecclesiæ vectigalia constituit.

Queruntur Angli a Romana curia nimium grauari.

Obiecta illis repulsa ab Innocentio.

c Extant in M. S. Vallicel.

56 *Ne occasione casuum futurorum, quibus corporalia subiacent vniuersa priuilegia & literæ, quæ temporibus retroactis ab Imperatoribus, & Regibus alijsque principibus, nobilibus, ac fidelibus Christianis sedi Apostolicæ sunt concessa vel missa; quorum aliqua bullis aureis, alia vero sigillis plumbeis, aut cereis roborata esse noscuntur; valeant deperire, nos his omnibus & eorundem characteribus sigillorum diligenter inspectis, quæ eadem ex ipsis nō corrupta offenderimus, non cancellata, nec etiam vitiata, præsenti pagina facientes de verbo ad verbum nihil addito, mutato, vel dempto transcribi; & transcripta huiusmodi prælatorum ecclesiasticorum, quorum nomina inferius continentur, sigillorum munimine roborari auctoritate apostolica sacro concilio decernimus approbante, vt illa eadem fides transcriptis adhibeatur de cætero memoratis, quæ ipsis autenticis adhibetur; & ipsa transcripta ex nunc autentica censeantur. Tenor vero prædictorum priuilegiorum & literarū est talis: Ioannes Dei gratia Rex Angliæ, dominus Hiberniæ, dux Normaniæ & Aquitaniæ, comes Andegauiæ, etc.* Huiusmodi regium diploma suo loco attulimus, nimirum anno Saluatoris MCCXV. Secundo loco exposuit eiusdem Ioannis exhibitum fidei sacramentum: *Ego Ioannes Dei gratia Rex Angliæ & dominus Hiberniæ ab hac hora in antea fidelis ero Deo & B. Petro Apostolo, & Ecclesiæ Romanæ & domino meo Papæ Innocentio tertio, eiusque successoribus, &c.* Quod ibidem insinuauimus: deinde omnibus spectandum proposuit aliud iusiurandum a Petro Aragonum Rege præstitum, de quo anno MCCIV. mentionem fecimus, quo regnum suum Apostolicę sedi vectigale futurum sanxit.

Lecta in concilio facta a Ioāne Rege Angliæ donatio.

Et sacramenti forma a Petro Rege Aragonū præstitū.

57 His adiecit iurisiurandi formam, quo Massæ marchio idemque Calaritanus iudex eiusque vxor Innocentio tertio se deuinxerant: *Nos Parason marchio Massæ, iudex Calaritanus, & Benedicta marchisia Massæ, iudicissa Calaritana, filia quondam claræ memoriæ V.. marchionis Massæ iudicis Calaritan. ab hac hora in antea fideles & obedientes erimus B. Petro sanctæque apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, & domino nostro Papæ Innocentio suisq; successoribus catholicis.* Et infra: *Papatum Romanum, & regalia B. Petri, specialiter Sardiniam adiutores eis erimus ad retinendum & defendendum contra omnem hominem: censum in quo pro iudicatu Calaritano, & alia terra, quam habemus in Sardinia, Ecclesiæ Romanæ tenemur, statutis terminis sine difficultate annuatim persoluemus. Sic nos Deus adiuuet, & hæc sancta euangelia. Acta sunt autem hæc anno Domini MCCXV. XIV. kal. decemb. in villa Scangilha in palatio memorati archiepiscopi Calaritani.*

Tum a Parasone regulo Calaritano.

Denique post exhibitas duas Philippi Sueuiæ ducis, qui Imperium inuaserat, ad eundem Innocentium tertium epistolas, quibus Apostolicæ sedi se dicto audientem futurum pollicebatur, quasque nos superiorum temporum annalibus inseruimus, nonnullæ attexuntur a aliæ Vngarorum Regis literæ ad Innocentium III. Honorium III. & Gregorium IX. quas suis locis recensuimus, vt eas iterum repetere superuacaneum videatur. Illud tamen minime prætereundum in codicis margine adnotari fratrem Bonauenturam, qui vltimo loco in Philippi Sueuiæ ducis literarum recognitione subscribitur, esse eius nominis virum illum probitate & scientia spectatissimum, quem miraculis illustrata sanctitas cœlestium albo aggregauit. Porro hæ literæ a Ioanne de Amelio archidiacono Foroiuliensi sacræ apostolicæ cameræ clerico vnà cum pluribus alijs Benedicti XII. iussu collectæ fuere, atque autenticis scriptis mandatæ; quæ Assisij in Romanæ Ecclesiæ sanctiore tabulario tum temporis asseruabantur, ac publicis probatisque monumentis summa cum diligentia consignatæ, vt ipsemet Ioannes testatum reliquit. Extant porro apud nos in laudato supra codice manuscripto, vnde superiores literas delibauimus. iam ad Fridericum, a quo deflexiumus, historiam traducamus.

a Extant in ead. cod. Vallicell.

58 Vbi Fridericus inaudijt in Lugdunensi concilio Christi vicarium, totius orbis Christiani patrum augustissimo cœtu stipatum, de Imperio ipsum deiecisse, vehementissime excanduit: atque furoris primi impetu pene e sede mentis emotus, in acerbas voces prorupit, & circumstantes accenso iracundia vultu, micantibus & toruis oculis intuitus, quæsijt vbinam suæ essent opes, vbi tot pretiosissimæ coronæ gemmis auroque distinctæ; ijsque in conspectu suo mox allatis, vnam capiti imposuit. Eius vesaniam ita describit Parisius b: *Toruo vultu omnes circumsedentes aspiciens intonuit, dicens: Abiecit me Papa iste in synodo sua, priuans me corona mea. Vnde tanta audacia, vnde talis temeraria præsumptio; vbinam sunt clitellæ meæ thesaurum meum portatilem continentes? Et cum allata fuissent, & coram eo eius iussu reserata essent, ait: Vide si nunc sunt amissæ coronæ meæ. Repertam igitur vnam imposuit capiti suo. Et coronatus erexit se, & minacibus oculis, voce terribili & insatiabili corde dixit in propatulo: Non adhuc coronam meam perdidi, vel Papali impugnatione, vel synodali concilio sine cruento verdam certamine. Ad tanta prorumpet fastigia vulgaris superbia, vt me præcipuum principem, quo non est maior, imo cui nec est par, ab apice dignitatis imperialis valeat præcipitare: in hoc tamen conditio mea melioratur; in aliquo tenebar illi obedire, saltem venerari: nunc autem ab amore & veneratione, nec non & ab omnimoda pacis absoluor aduersus Papam obligatione. Ex tunc igitur efficacius & vigilantius, vt dominum Papam grauaret, in thesauris, consanguineis, & amicis eius damna & iniurias irrogauit.*

Fridericus audita Innoc. sententia iracundia exæstuat.

b Par. hist. Angl. hoc ann.

Furibundæ illius voces.

59 Mox literas ad principes Christianos, vt suum illis virus afflaret, exarauit: in quibus calumnias plures

Literas sacroces scribit aduersus Innoc.

res

res in Pontificem atque Ecclesiæ præsules iactauit, suasitque homo vecors, vt ecclesiasticorum opes diriperent, dictitans eximium illud opus charitatis futurum, si diuitiæ malorum causæ ijs eriperentur, atque ad antiquam egestatem, in qua tot miracula patrabant, adducerentur. In eo Iuliano Apostatæ simillimus, qui cum opes Christianorum expilaret, flagitium colorare arbitrabatur, si impie effutiret æquum non esse, vt Christiani Christo paupere ditiores essent. Eiusmodi literæ extant apud Petrum Vineam, in manuscripto codice bibliothecę nostrę, quas etiam Parisius attulit: nec eas, quamuis impietate refertas, omittere visum est, ad scelerati hominis improbitatem in posterorum oculis defigendam, latæque in eum sententiæ æquitatem magis illustrandam. *Vocata synodo, vt asserit* (de Innocentio IV. loquitur) *generali contra nos, nec citatos, nec super aliqua fraude, vel prauitate conuictos ausus est sententiam depositionis statuere, quam præter omnium Regum enorme præiudicium non poterat stabilire. Quid enim vobis singulis Regibus singulorum regnorum a facie talis principis sacerdotum timendum non superest, si nos & principum electione solemni & approbatione totius Ecclesiæ, dum cleri fide ac religione vigebat, Imperiali diademate diuinitus insignitos, & alia regna nobilia magnifice gubernantes ille deponendos aggreditur, cuius quoad temporalium detrimenta non interest in nos aliquid exercere rigoris, etiamsi causa legitima probarentur? Verum quos sacerdotalis sic infestat abusio potestatis, & a summo conatur præcipitare deorsum, nec primi sumus nec vltimi. Et hoc quidem vos facitis obedientes simulatoribus sanctitatis, quorum sperat ambitio, quod totus Iordanes influat in os suum. O si vestræ credulitatis simplicitas a Scribarum & Pharisæorum fermento, quod est hypocrisis, iuxta Saluatoris sententiam, sibi curaret attendere: quot illius curiæ turpitudines execrari possetis, quas honestas & pudor prohibet recitare! Sane redditus copiosi, quibus ex plurium depauperatione regnorum ditantur, quemadmodum ipsi nostis, ipsos faciunt insanire. Apud vos Christiani, vel peregrini, mendicant, vt apud nos Paterini manducent. Vos vestrorum domos obruitis, vt hic aduersariorum vestrorum oppida construatis. Sic de vestris decimis & eleemosynis tales pauperes Christi sustentati, qua beneficij recompensatione, qua saltem gratitudinis exhibitione se præbent obnoxios! Quanto manus largiores extenditis tanto non solum manus, sed etiam cubitos auidius apprehendunt, suo nos laqueo detinentes, sicut auiculam, quæ quanto ad euasionem fortius nititur, firmius alligatur.*

Contēdit ob nulla scelera posse imperatoria dignitate excidere.

Inuehitur in aulam pontificiam.

60 *Hæc vobis ad præsens scribenda curauimus, insufficienter exprimendo votum nostrum. Cætera vero secretius intimāda, videlicet in quos vsus diuitias pauperum expendat prodigalitas auarorum.* Et infra: *Quantis viribus, quot virorum, qualiter instructorum ad bella in hoc ipso vere, quod instat, omnes illos, qui modo nos opprimunt, opprimere posse speremus, etsi se nobis totus mundus opponeret; quicquid fideles nostri latores præsentium vobis retulerint, certe credatis & ac si S. Petrus iurasset, firmissimum reputetis,*

Comminatur omnes sibi aduersantes bello obterere.

61 *Nec vobis petimus videatur, quod per latam in nos sententiam papalem nostræ magnitudinis maiestas aliquid detrimenti incurrit. Habemus enim conscientiæ puritatem, ac per consequens Deum nobiscum, cuius testimonium inuocamus, quia semper fuit nostra intentio voluntatis, clericos cuiusque ordinis ad hoc inducere, & maxime maximos, vt tales perseuerarent in fine, quales fuerunt in Ecclesia primitiua, apostolicam vitam ducentes, humilitatem dominicam imitantes. Tales namque clerici solebant angelos intueri, miraculis coruscare, ægros curare, mortuos suscitare, & sanctitate, non armis sibi Reges & principes subiugare. At isti seculo dediti, delitijs inebriati, Dominum postponunt, quorum ex affluentia diuitiarum & opum omnis religio suffocatur. Talibus ergo subtrahere nocentes diuitias, quibus damnabiliter onerantur, opus est charitatis. Ad hoc vos, & omnes principes vnà nobiscum, vt cuncta superflua deponentes, modicis rebus contenti, Deo deseruiant, debitis diligentiam adhibere.*

Impia tyrannicos ecclesiast. ironia.

62 Cum impiæ huiusmodi literæ in lucem prodijssent, tantum abest, vt Fridericus Francorum atque Anglorum Regum cæterorumque principum animos sibi conciliaret, vt eos magis a se auerteret. Patuit enim, vt inquit Parisius, luce ipsa illustrius, Fridericum dignitatem Ecclesiæ, quam ipse nunquam auxerat, sed alij magno ipsius dolore Imperatores amplificarant, infringere ac labefactare conatum esse, & hoc ipso hæresis suspicione vehementi apud omnes laborasse; atque ipsius prudentiæ & sapientiæ famam, quam apud populum præteritis rebus collegerat, eo facto obscuratam omnino fuisse: res vero pontificias sese admodum extulisse.

Ex ijs literis magnum decus suscepit.

63 Hic atque alijs de Friderico supra enarratis insignis impudentiæ ac manifestæ calumniæ arguuntur nouatores a, qui odij stimulis agitati, quo in Romanam Ecclesiam flagrant, nulla habita veritatis ratione, Pontificem in crimen vocare, carpere, insectari, conuicijs vrgere, execrari; contra impium Fridericum excusare, principem optimum prædicare, in cælum ferre non verentur. Cæterum quamuis furijs percitus princeps, in Romanam Ecclesiam sæuum & atrox bellum gereret, iras in Innocentium euomeret, effunderet minas, in ipsius coniunctissimos sæuire appararet; illum de constantiæ gradu non deiecit. Calumniabatur inter cætera Fridericus, lateque circumtulerat literis suis, Innocentium præcipiti iracundiæ impetu ac temeritate abreptum sententiam tulisse: ad quam diluendam calumniam, quæ nonnullorum forte Cisterciensium animis afflata fuerat, ijs ordinis sui comitia celebraturis, vt maturitatem, qua deliberatum fuisset, illustraret, epistolam b exarauit, cuius exemplum infra scriptum est.

a Cent. 13. c. 12. col. 996 & Auent. annal. Boior. lib. 7.

Refutantur nouatores qui impium principem collaudat.

64 *Nouerit vniuersitas vestra statum Ecclesiæ formidabiliter periclitantem precum instantia solito vigilantius indigere; subest enim vrgens causa, quæ toti Christianitati terribiliter comminatur. Nec curabimus de cætero gladio vti materiali, sed tantum spirituali contra Fredericum aliquando Romanorum Imperatorem vastatum Ecclesiæ Christi & obstinatum inimicum. Obstructum est os loquentium iniqua. Non vos moueant imperitorum, & veritatis ignarorum, precamur, obloquia, vt a nobis quasi præcipitanter putetis & absque deliberato fratrum nostrorum & multarum peritorum moroso consilio contra ipsum Fredericum fuerit sententiatum. Non enim meminimus vnquam causam cum tanta deliberatione & diligenti examinatione fuisse excussam, & peritorum atque sanctorum mentibus libratam extitisse: adeo quod in secretis aliqui fratrum nostrorum induerunt personam aduocati pro ipso; aliqui autem e contra personam aduersantis: vt ex obiectionibus & responsionibus inquirentium & disputantium, vt solet in scholis, causæ veritas radicitus hinc indeque discuteretur. Nec aliquam viam inuenimus, sine Dei iniuria, & graui eius offensa, & Ecclesiæ eiusdem læsione, & nostrarum conscientiarum vulnere, aliter procedendi, quam vt processimus, licet inuiti & eiusdem læsoris miseriæ condolentes. Parati igitur sumus in hac causa, & pro illa vsque ad mortem stare, & pro ea, & in ea tam omnes fratres nostri, quam nos mori, immutabiliter pro causa Dei & eius Ecclesiæ dimicantis.* Subdit Parisius perlectis pontificijs literis, Friderici partes execratos, Innocentio maximis animis studuisse, atque a Deo ardentissimis precibus flagitasse, ne Ecclesiam suam a persecutore deijci, labefactarique vnquam pateretur.

b Extant apud Par. hist. Angl. hoc ann.

Quanta cum maturitate Pont. sententiā in Frid. tulerit.

65 Seruorum preces numen excepisse visum est,

euanescente enim tyranni terrore, plures populi impressum ceruicibus iugum excussere, inter quos Taruisini, qui cum antea captis a Friderico vrbis primoribus, ac periculis vndique a Friderici exercitu cincti, in eius imperium concessissent, missisque oratoribus sese illi confectis publicis instrumentis subdidissent; comparandæ pristinæ libertatis cupidi expetiere a Pontifice, vt instrumenta huiusmodi conuelleret. Quibus Innocentius si eo metu ad id adducti fuerant, qui in viros constantes cadere, rescindenda penitus, libertatemque eorum præteritis actis non labefactandam censuit. a

Taruisini flagitant ab Inn. vt sacramēti Friderico dati religione ipsos liberet.

a Inn. l. 3. ep. 56.

Potestati e communi Taruisino.

Sicut reuera vestra petitio nobis exhibita continebat, olim multis nobilibus per Fridericum quondam Imperatorem arctæ custodiæ carceris mancipatis, eadem ciuitas velut hostibus circumcincta, & exposita conatibus eorundem, nequiens damna grauia & dolores innumeros, & ingentes angustias, quibus ipsam non cessabant opprimere, vlterius sustinere; non sine mentis suspirijs ac propter tunc instans, vel futurum periculum trepidatione animi se ipsi Friderico reddidit: qui, vobis seu ambaxatoribus vestris ob metum rerum & corporis non contradicentibus, quod ex vestra vel eorum concessione præfata ciuitas hactenus sua foret; siue quod in ipsa esset per hoc ius sibi creatum de nouo, in vestra præsentia confecisse dicuntur publicum instrumentum. Vnde vos ex hoc formidantes vobis in posterum præiudicium generari, vt tali concessione non obstante ciuitatem vestram restitueremus libertati pristinæ, nobis humiliter supplicastis. Nos vero attendentes, quod ea quæ vi metusve causa fiunt, carere debent robore firmitatis; si prædictus metus talis ac tantus fuit, quod merito potuerit & debuerit cadere in constantem, ab omnibus concessionibus seu contractibus cum eodem F.. aut suis nuntijs taliter initis, vos auctoritate apostolica decernimus absolutos. *Dat. Lugduni* IV. *kal. aug. an.* III.]

Annuit Pont. si timore qui in constantes cadere adacti fuerint.

66 Damnatas etiam Friderici partes Pisanos deserere cupidos, atque Ecclesiæ pro captis præsulibus, occupatisq; Lucanorum oppidis facere satis paratissimos, ipsorum archiepiscopus significauit b Innocentio: qui lubenter cum ipsis rediturum in gratiam, ac sacris templisque, si promissis starent, restituturum respondit archiepiscopo Pisano: committerent propterea alicui e Cardinalibus, quem mallent, custodiendas ereptas arces, qui demum Lucanis tum redditurus esset, cum ipsi votorum compotes euasissent.

Pisani in Ecclesiæ gratia recipi postulant.

b Lib. 3. ep. cur. 1.

Archiepiscopo Pisano.

Quoniam maius est angelis Dei gaudium super vno agente pœnitentiam peccatore, quam super nonaginta nouem iustis, qui noscuntur pœnitentia non egere; nosque affectamus ex corde conuersionem errantium filiorum, te nobis referente comperto, quod ciues Pisani ad Ecclesiæ redire desiderant vnitatem, ipsius mandatis, & nostris stare parati super captione ac spoliatione prælatorum, & aliorum etiam, qui olim ad Apostolicæ sedis concilium veniebant & castrorum ecclesiæ Lucanæ detentione, pro quibus ijdem ciues vinculo sunt excommunicationis adstricti, & eorum ciuitas est supposita ecclesiastico interdicto; fraternitati tuæ, de qua sinceram in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus si dicti ciues de stando, & parendo præcise, & absolute super captione, & spoliatione prælatorum aliorumque, præscriptis ecclesiæ mandatis & nostris, sufficientem tibi præstiterint nostro nomine cautionem; & quod Apostolicæ sedi cum alijs sibi fidelibus adhærebunt; si castra illa ecclesiæ Lucanæ prædictæ, quæ tenent, alicui Ecclesiæ Romanæ assignauerint Cardinali, quem ipsi duxerint eligendum, per eum tandiu detinenda, do-

Quæ leges ad eā obtinendā ipsis propositæ.

nec vtrum ea pertineant ad iam dictam Lucanam ecclesiam, vel ad ipsos legitime cognoscatur; præfatis ciuibus super excommunicatione præmissa iuxta formam Ecclesiæ beneficium absolutionis impendas, & prælibati relaxes sententiam interdicti. *Dat. Lugduni* XVI. *kal. sept. an.* III.]

Vercellenses vero, qui in fide atque obseruantia erga sedem Apostolicam ita constantes perstiterant, vt nec minis labefactari, nec iniuriarum acerbitate diuelli ab Ecclesiæ partibus potuissent, singulari affectu complexus Innocentius, in clientelam sedis Apostolicæ recepit a; ac nundinas solemnes, quas edictis suis Fridericus Taurinum transtulerat, rescissis huiusmodi sanctionibus, Vercellis celebratum iri tum pœnas a tyranno in eam vrbem eiusque decretas abolendas censuit.

a Lib. 2. ep. 573. Conuellit Innoc. decretum Frid. nundinas Vercellis Taurinū transferentis.

Effudisse hoc tempore Fridericum in clientes Ecclesiæ grauissimas iras referunt vetera Cornetanorum monumenta b: sensere enim tyranni seuitiam insignes aliqui ipsorum ciues ab hoste intercepti, qui ob fidei in Pontificem constantiam in suorum conspectu suspendio præfocati sunt. de quorum iniusta & acerba nece hæ literæ c Rainerio Cardinali prouinciæ præfecto transmissæ.

b Extat Corneti in vetusto codic. M.S.

c Extant ibid.

Post Deum viuidæ spei domino Rainerio S. Mariæ in Cosmedin diacono Cardinali, et in Tuscia per patrimonii, ducatum Spoletanum, &c. Axximanam marchiam vicem domini Papæ gerenti Rollandus qualis qualis notarius Cornetanus, eius subactissimus fidelis seipsum ad pedes prostratum cum omni gratiarum famulatu. *Ea qua lacrymosis oculis, & suspirijs pectoris edidit rythmice, paruitas ingenij mei de peremptis pacibus Ecclesiæ filijs Cornetani primo vestra sanctitati quam alteri studui flexis genibus declarare, vt coram vobis, qui estis niteus lux matutina, perlectis, impietas & duritiæ depositi Friderici ab omnibus cognoscatur, & nomen eius diffametur per secula in æternum.*

a Anconitanam

Describit insignem a Vitale Friderici crudeli administro, conciuibus supplicij genus versu quidem inpolito, sed veraci; reique gestæ tempus ita consignauit..

Anni ducentesimi quini, & milleni
Quadragem tempore currunt isto pleni.
Quo Rex regum tulit ictum in amæni
Cornetani populi cœtum, & sereni:
Nam tuentes patriam fide Nazareni
Et iura Ecclesiæ defendentes Dei,
Capti sunt insidijs Friderici rei
Quadraginta quatuor in luce Dei.

Iam ab eo ad alium principem, qui ob aliena flagitia, nimiamque socordiam pontificia sententia non quidem regno, sed publicæ rei administratione remotus est, orationem traducamus.

67 Præmonuerat Innocentius Sanctium Lusitaniæ Regem, antequam synodum celebraret, grauissimis literis, vt abiecta inertia, qua improbos grassari in ecclesias, ac scelus extincta omni legum seueritate aperte debacchari patiebatur, regnum fortiret moderaretur, ecclesiasticos a sceleratorum iniurijs assereret, tueretur bonos, coleret iustitiam, nefarios exscinderet, Sarracenos limite suo propulsaret. At ille Mentiæ Lupæ irretitus amoribus, adeo vt vulgus iniectam illi carminibus & veneficio amentiam existimasse Mariana scribat d, cum regni res ignaue tractaret, nec animaduerteret a se Lusitanos proceres ob regiam auctoritatem indignis hominibus permissam, honoresque male collatos abalienasse; præterea ipsius fratrem Alphonsum ex eius vitio captata occasione ad regnum aspirare; Innocentij monita, vt antea Gregorij eluserat, respuit. Quare Pōtificia Portugalensi & Conimbricensi, quibus eæ partes iniunctæ erant in synodo relata, Innocentius inertem principem, cum nullis artibus ad re-

d Mariana de reb. Hisp. l. 13.

gi:m

gium minus obeundum adduci potuisset, a publicæ rei administratione amouendum censuit, iustitiæque exercendæ atque armorum auctoritatem ipsius fratri Alphonso; virtutibus quidem ornatissimo, sed quem ambitione id confectum exitus docuit; ad præterita emendanda regnumque ab exitio vindicandum committendam: ita tamen vt regio nomine abstineret, quod seruari integrum Sanctio, atque in filios, si quos ille suscipere, transmittendum sanxit: Lusitanosque imperia apostolica, quibus eorum saluti, ac regni dignitati consulebat, capessere est cohortatus a.

a Lib. 3. ep. cur. 29. *Baronibus, communitatibus, concilijs tam ciuitatum, quam castrorum & aliorum locorum, ac vniuersis militibus & populis per regnum Portugalliæ constitutis.*

68 Grandi non immerito exultamus in Domino gaudio, cum Christianæ professionis regna sic salubri diriguntur statu, quod ecclesiæ ac alia loca cultui & obsequio deputata diuinis, & personæ ecclesiasticæ, cæterique fideles ipsorum pacis tranquillitate lætantur, fides in eis catholica maiori continue robore conualescit, fernatur inibi iustitia, & audacia euntis ibidem interdicitur delinquendi. Vehementi autem dolore turbamur, si quando regna ipsa, quod absit, procurante humani generis inimico scinduntur discordijs, circa fidei cultum remisso deuotionis ardore tepescunt, institiam negligunt, & in seipsis permittunt illicita perpetrari. Vnde multa sollicitudine magnoque studio procurate nos conuenit, vt Christianorum regna, quæ in statu sunt incommutabiliter in illo regantur, & quæ periculose ruere dignoscuntur, reformatione laudabili reparentur. Sane cum charissimus in Christo filius noster Portugalliæ Rex illustris a pueritia sua, claræ memoriæ patre suo viam vniuersæ carnis ingresso, regni Portugalliæ gubernatione suscepta, ecclesias & monasteria existentia in eodem, prauo vsus consilio; in grauem Dei offensam, & conculcationem ecclesiasticæ libertatis; multimodis exactionibus & oppressionibus per se suosque immaniter afflixisset, & ab alijs pro ipsorum libito libere permisisset affligi; tandem quibusdam ecclesiarum prælatis eiusdem regni apud Romanos Pontifices prædecessores nostros querelas multiplices super ijs deponentibus, contra eum felicis recordationis Gregorius Papa prædecessor noster; post huiusmodi querelas & admonitiones frequentes, Regi propter hoc factas eidem, & expectationes diutinas; nec non & interdicti, ac excommunicationis sententias ob ipsius contumaciam in eum, & præfatum regnum auctoritate apostolica promulgatas, diuque obseruatas ibidem; super certis prædictæ libertatis articulis, & quibusdam alijs ab eo & suis in posterum obseruandis & satisfactione impendenda monasterijs & ecclesijs, & damnis ac iniurijs per ipsum & suos irrogatis eisdem, ac ipsorum defensione; duxit salubriter prouidendum, certis executoribus, qui eum ad hoc ecclesiastica censura compellerent, deputatis. Sed idem receptis apostolicarum prouisionum literis, licet promiserit per suas patentes literas, quod articulos contentos in earundem prouisionum literis obseruaret, & faceret a suis subditis obseruari; postmodum tamen non solum præfatis monasterijs, & ecclesijs de præmissis damnia & iniurijs satisfacere, vel ea defensare neglexit; sed etiam, vt accepimus, ecclesias, & monasteria ipsa per se suosq; portarios meyrinos collectis procurationibus, & exactionibus indebitis intolerabiliter aggrauauit, & aggrauat incessanter: ac circa malefactorum regni eiusdem insolentiam reprimendam sic negligens inuenitur, quod in eodem regno bona tam ecclesiastica, quam mundana per raptores, prædones, inuasores, incendiarios, publicos sacrilegos, & detestabiles homicidas; abbatum videlicet, priorum, & aliorum religiosorum, & clericorum, secularium, ac laicorum etiam occisores; deperire propter secularis defectum iustitiæ dignoscuntur.

Pontificiæ de eo ad Lusitanos liter.

Vt saepius mala quæ in regno grassabantur emendare admonitus fuerit.

69 Vnde quia sic in eodem regno a quibuslibet suis subditis impune delinquitur, barones aliique ipsius regni nobiles & ignobiles, sumpto ex hoc delinquendi ausu, matrimonia contrahere in gradu prohibito, bona ecclesiastica rapere, ac alia quamplura, mala olim a bonæ memoriæ Sabinensi episcopo, tunc in partibus illis Apostolicæ sedis legato, sub anathematis interminatione prohibita committere non verentur: & tam ipsi quam plures alij de regno præfato diuersarum excommunicationum innodati laqueis per deuia desperationis errantes, in contemptu clauium diuinis se officijs irreuerenter ingerunt & ecclesiasticis sacramentis: ac in subuersionem catholicæ fidei plures eorum de ipsius articulis auctoritates tam noui, quam veteris testamenti temere, non sine fermento prauitatis hæreticæ, in suarum, & aliorum animarum periculum exponendo, eo dissimulante non metuunt disputare: & nonnulli de regno ipso ecclesiarum & monasteriorum patroni, ac alij asserentes se patronos, cum non sint, locorum ipsorum, & ab eis illegitime geniti in bonis dictarum ecclesiarum & eorundem monasteriorum crudeliter debacchantes, ecclesias ipsas & monasteria eadem ad tantam inopiam redegerunt, quod eis nequeuntibus proprios sustentare ministros; quin mo aliquibus ex ipsis seruitorum solatio destitutis, & aliorum claustris, refectorijs, cæterisque officinis, equorum stabulis, & prostibulis quarumlibet personarum vilium deputatis; diuini nominis & religionis cultus exinde penitus est sublatus, bonis illorum omnibus in direptionem expositis, & in prædam.

Frena suis dictorum improbitati laxauerat.

70 Cæterum castra, villas, possessiones & alia intra regalia idem Rex propter ipsius desidiam inique cordis imbecillitatem deperire permittens; ac passim & illicite malignorum acquiescens consilijs alienans, personarum tam ecclesiasticarum quam secularium, nobilium & ignobilium occisiones nefarias, dum religioni non parcitur nec sexui vel ætati, rapinas, incestus raptusque monialium & secularium mulierum; rusticorum ac negotiatorum tormenta grauia, quæ ipsis a nonnullis regni prædicti pro extorquenda ab ipsis pecunia infliguntur: ecclesiarum & cœmeteriorum violationes, & incendia, fractiones treugarum, & alia enormia, quæ a sibi subiectis libere committuntur, scienter tolerat: quin potius nor tantisque malis, dum ea præterit impunita, consentire videtur, & pandit aditum ad peiora. Terras insuper & alia Christianorum bona in confinio Sarracenorum posita nō defendens, ea infidelibus deuastanda, seu etiam occupanda ex animi pusillanimitate relinquit. Et licet a supradictis prælatis, vt ad corrigenda præmissa, pluraque alia nefanda, quorum seriosa narratio fastidium generaret, ardenter, vt tenetur, assurgeret, monitus fuerit diligenter; idem tamen, eorum monitionibus obauditis, id efficere non curauit. Propter quod episcoporum, abbatum, priorum & aliorum, tam religiosorum, quam secularium regni eiusdem conquestionibus, & clamosis insinuationibus excitati, Regem ipsum per nostras literas, vt præmissa corrigeret, rogandum duximus attentius & hortandum; venerabilibus fratribus nostris Colimbriensi, ac Portugalensi episcopis, & priori prædicto Colimbriensi nihilominus iniungentes per alias literas; vt eum ad hoc ex parte nostra monentes attente, & efficaciter inducentes, qualiter super hoc faciendum duceret, & de ipsorum circa eum in hac parte processu, nos in concilio certificare curarent.

Quā acerbe sub eo Lusitana ecclesia luxerit.

71 Cum igitur per dictos Colimbriensem, &

 Por-

Implorāt Lusitani sedis Ap. opem.

Portugalensem, eiosdem concilij tempore, apud sedem Apostolicam constitutos, ac ipsorum & dicti prioris literis, quod præfatum Regem super ijs diligenter monuerint; & tam per eosdem, quam per alios fide dignos, necnon multorum virorum ecclesiasticorum, communitatum, baronum, militum, ac etiam nobilium dominorum literas, quod præmissa nullatenus emendantur, sed potius de die in diem grauiora propter eius desidiam, & negligentiam præsumuntur; quodque in subuersionem regni præfati vasalli eiusdem Regis, congregata multitudine armatorum, castra ipsius nouiter expugnare, omniaque occurrentia inuadere, deuastare, prædari, & alia mala, & hæc ex torpore nimio tolerante, committere diuino timore posthabito non formidant, nobis satis liquido innotescat; cupientes regnum ipsum tot tribulationum aduersitate depressum; maxime cum sit Rom. Ecclesiæ censuale, alicuius prudentis & prouidi diligentia & industria releuari; vniuersitatem vestram de fratrum nostrorum consilio monemus, rogamus, & hortamur attente, per apostolica vobis scripta districte præcipiendo mandantes, in remissionem vobis vestrorum peccaminum iniungendo, quatenus dilectum filium nobilem virum comitem Boloniensem præfati Regis fratrem de deuotione, probitate, ac circumspectione multipliciter commendatum; qui eidem Regi, si absque legitimo decederet filio, iuri regni succederet; quique ex innatæ dilectionis affectu, quo vos & prædictum regnum prosequitur, magnanimitate ac potentia sibi plurimum suffragantibus regnum ipsum reformaturus firma credulitate speratur; præsertim cum ad curam & administrationem generalem & liberam regni eiusdem non minus pro sæpedicti Regis, quam ipsius regni vtilitate, si prouide attendatur, ac ad defensionem ecclesiarum, monasteriorum, aliorumque piorum locorum regni præfati & personarum ecclesiasticarum, tam religiosarum, quam secularium, necnon viduarum, orphanorum, & cæterorum ibidem degentium ac de perditorum inibi recuperatione salubriter in domino cōfidimus, sit assumptus; cum ad vos accesserit, fidelitate homagio iuramento, seu pacto, si aliquibus forte præfato Regi, vel cuicunque alij personæ tenemini, aut etiam Regis prohibitione, dummodo personam eius & vitam ac legitimi sui filij, si aliquem ipsum habere contigerit, fideliter conseruetis, debitum eis exhibentibus honorem, nequaquam obstantibus; in ciuitatibus, castris, villis, & munitionibus regni prædicti, eum omnibus suis recipere, ac eius depositioni, & mandatis vniuersaliter singuli & singulariter vniuersi per omnia, & in omnibus intendere absque difficultate qualibet procuretis; impendentes sibi contra quoslibet repugnantes ac etiam volentes consilium, auxilium, & fauorem; de redditibus, prouentibus omnibusque sæpe fati regni iuribus sine diminutione aliqua plenarie respondendo, vt de illis dicto Regi, secundum quod suam decet excellentiam, & sibi ac suis & præfati regni necessitatibus pro temporum, ac negotiorum emergentium qualitate valeat prouidere. Alioquin venerabili fratri nostro Bracarensi archiepiscopo & episcopo Colimbriensi damus nostris literis in præceptis, vt vos ad id monitione præmissa, per censuras ecclesiasticas appellatione remota compellat. Per hoc autem non intendimus memorato Regi, vel ipsius legitimo filio, si quem habuerit, prædictum regnum adimere; sed potius sibi & eidem regno destructioni exposito a vobis ipsis in vita eiusdem Regis per solicitudinem, & prudentiam comitis consulere supradicti. *Dat. Lugduni* xx. *kal. aug. an.* III.]

Iubentur ab Innoc. Boloniæ comiti regni habenas capessituro obtēperare.

Decernit Pont. salua regni iura penes Sanctium eiusque filiū remāsura.

72 Agit de his Ioannes Mariana [a], qui Lusitanæ proceres contendisse ab Innocentio ait, vt Sanctius regno pelleretur; sed tantum obtinuisse, vt Alphonsus Sanctij nomine, dum viueret, rempublicam gubernaret. addit Alphonsum, qui Mathildem in Gallia Boloniæ comitem vxorem duxerat, pontificia auctoritate ac procerum ecclesiasticorum studijs fretum continuo leui conatu rempublicam capessiuisse: Sanctium vero cum populos certatim in fratrem inclinare, atque ad eius obsequia procumbere videret, fugam corripuisse, demumque ad Ferdinandum Castellæ Regem se recepisse. Inde Mentia repudiata, quæ ipsi eam calamitatem pepererat, & cuius nuptias Pontificem damnasse vidimus, Castellani filiam vxorem duxisse, ac pollicitum Lusitaniam beneficiario iure, si in regnum restitueretur, Castellæ submissurum; verum eius conatus Alphonsus frater diligentia sua elusit.

a Mariana de reb. Hisp. l. 13. cap. 4.

Sanctius Lusitania depellitur.

Confugit ad Regē Castellæ.

73 Captauit e Sanctij Regis exilio Fridericus vocandi in inuidiam Pontificis occasionem, literisque [a] hæc disseminauit: *Requirimus affectionem vestram, & rogamus attente quatenus diligentius aduertentes, qualiter summus Pontifex suis iuribus, qui nihil commune habere debet cum gladio, non contentus in alienam messem falcem præsumptuosus immittit; & vt a nobis non longe petatur exemplum, qualiter in regno Portugalliæ honoris sibi vsurpauerit dignitatem.* Non Lusitanum regnum inuasit Innocentius, sed integra illius iura Sanctio, vt vidimus, seruauit; qui enim moderandæ reipublicæ par non esset, nemini administratio reipublicę potius quam Alphonso committi poterat: ac si Sanctius regno depulsus fuerit, id vel nimię ipsius formidini vel Alphonsi ambitioni, non pontificię prouidentiæ, tribuendum est.

a Ext. apud Petr. de Vin. M. S. Vall. bib.

74 Consenuit porro Toleti ingloriùs Sanctius ea calamitate ob spreta toties Romanorum Pontificum salubria monita, auditaque assentatorum deliramenta mersus. De cuius obitus anno dissentiunt auctores; Mariana vero post hęc lapso decimo tertio defunctum tradit, cum regium nomen quatuor & triginta annis sustinuisset; eoque sublato, qui hactenus in ipsius fide perstiterant, Alphonso se dedidere. Insignis inter eos Flectij Conimbricę præfecti constantia fuit, qui arctissima ab Alphonso regni moderatore obsidione pressus, extremam inopiam magna constantia vicit: nuntiatoque Sanctij obitu, cum facile non crederet, petita eundi gratia, pactisque inducijs Toletum se contulit, an fides dictis consentiret exploraturus; accedensque ad Sanctij sepulchrum, Conimbricenses claues, hęc preloquutus deposuit [b]: *Quādiu, Rex, viuere te iudicabam, extrema omnia sum perpessus corpore famem toleraui, sitim lotio. Ciuium animos consilia de deditione agitantium ad malorum patientiam erexi. Quidquid a fideli, & constanti homine, atque in tua verba iurato expectari debuit, præstiti. Mortuo tua tibi vrbis clauibus traditis, quod supremum officium est, sacramento me solutum, ciuibus decessisse te renuntiabo, Alphonso fratri ne amplius resistant, te concedente, ero auctor.* Hęc de Sanctio suffecerint. Reliquas Hispanicas res prosequamur.

Insigne Flectij erga Regem fidei & constantię exemplū.

b Mariana vbi sup.

75 Proposuere sedi Apostolicę religiosi equites S. Iacobi Regem Zale tanto suscipiendi sacri baptismatis desiderio teneri, vt etiam ad propagandam in Africa latius Christi fidem, euellendamque Mahumeticam superstitionem regnum in ipsos transfundere meditaretur: quibus Innocentius illius regni recipiendi finitimasque regiones, quę ad nullum Christianum principem, spectabant, suo imperio adiungendi, ecclesias ac xenodochia excitandi auctoritatem contulit [c]; ipsosque sedis Apostolicæ illius regni nomine, quadraginta marabutinorum censu imposito, vectigales deuinxit.

Rex Zale Christiana sacra amplecti cogitat.

c Ep. 152.

Magistro & fratribus militiæ S. Iacobi.

Cum, sicut intimantibus vobis accepimus, Zeid Aazon Rex Zale illustris diuinitus inspiratus desiderans baptismatis vnda renasci, & Deo viuo ac vero

sub

ſub religionis obſeruantia Chriſtisnę plscere, paratus exiſtat vobis & otdini veſtro concederc regnum ſuum; per quod vobis illud habentibus vicinę Sarracenorum regiones de facili poſſent dommio noſtro ſubijci, & cultui aequiri diuino, ac conſequętor Chriſti fideles Terręſanctę liberius, & efficacius ſubuenire; nec ad aliquem principem Chriſrianum pertincat regnum ipſum; nos prouide attendentes vtilitatem mulriplicem, magnam catholicę fidei exaltationem, grandeque Chriſtianitatis robur, quæ de conceſſione huiuſmodi prouenirent, veſtris ſupplicationibus inclinati, vniuerſitati veſtrę, vt prçfatum regnum l'-cite recipere ac acquirere, necnon præmiſſas regiones & alia circumpoſita Sarracenorum loca, quæ iuris alicnius Chriſtiani principis non exiſtant, & acquiſita retinere plene, ac libere in perpetuum; necnon in regno, ac in regionibus, & locis prædictis ecclesias per veſtros clericos idoneos cum ſuis plebibus gubernandas, plenaque libertate fundare, & hoſpitalia conſtruere ſine contradictione qualibet valeatis; ita quod ſoli Eccleſiæ Romanæ teneamini pro præmiſſis annuum quadraginta marabottinorum cenſum in ſignum libertatis huiuſmodi ſedi apoſtolicæ perſoluendo; auctoritate præſentium indulgemus. *Dat. Lugduni vi 11. kal. octobr. an. 111.*] Mirum ſane quo tempore Chriſtianus princeps impius Fridericus ob alia ſcelera, tum quod in Sarracenorum mores deſlecteret, deijci Imperio meruit, Africæ Sarracenum Regem baptiſmi ſuſcipiendi cupidum religioſis equitibus, quo fidem Chriſti propagarent latius, regno cedere meditatum,

Regnum equitib. S. Iacob vectigale cõſtituere deliberat.

Conceſſa hjs perficiẽdæ rei ab Innoc. auctoritas.

76 Hoc tempore Rex Aragonum Valentiæ gymnaſium condidit, cuius conſilium laudibus eſt proſecutus Innocentius, ampliſſimiſque prærogatiuis, vt pontificiæ literæ tum ad ipſum a tum ad epiſcopum Helenenſem b datæ demonſtrant, inſigniuit. Eademque illa in literatos egregia voluntate impulſus ad Toloſanam academiam, vbi literarum gloria efflorescebat, decorandam omnia ipſius priuilegia ſua auctoritate corroborauit c: *In ciuitate d Toloſana domus Dauid factus eſt fons patens, & vena vitæ ſcientiæ ſalutaris, ad cuius aquas ſitientes confugiunt haurientes in gaudio de fontibus Saluatoris.* Nonnulliſque interiectis hæc de theologica ſcientia, quę in Toloſana academia florebat: *Ibi lactentes ad vbera pendent matris; ibi paruulis panis frangitur ſcripturarum: ibi exercitatos habentibus ſenſus in altum retia ducit Petrus, ita vt nullus expers munerum inueniatur ipſius, qui ad eandem ſcientiam acceſſerit puro corde. Vocat hæc ſiquidem ancillas, artes videlicet liberales ad ſui obſequium, ad ſuperna mœnia ciuitatis: & idcirco ibidem floret ſtudium in eiſdem, vt per ancillas oſtiarias ad veram ſapientiam oſtium pateat, & tanquam per viam compendij adducant ad ipſam velocius ſtudioſos,*

Valentina academia a Iacobo Rege excitata.
a lib. 13. ep. 7. & 8.
b ib. ep. 9.
c Ep. 155. 156.
d Ead. ep. 156.
Toloſana ab Innoc. priuilegijs decorata.

77 Contulit in alia piorum virorum collegia plures prærogatiuas e. decanum quidem Maguntinæ eccleſiæ ſolemnibus feſtis diebus mithram geſtare permiſit f. Religioſis viris S. Mariæ ad S. Gallum diœceſis Florentinæ ordinis S. Auguſtini hæc indulſit g *Deuotioni veſtræ benignum impertientes aſſenſum, deferendi pro ſigno in veſtibus veſtris duplicem crucem rubeam cum lilio in parte poſteriori vobis auctoritate præſentium concedimus facultatem.* Conceſſas Virziliacenſi conuentui a Leone, Gregorio, Vrbano, Eugenio, Alexandro, Lucio, Vrbano, Gregorio, Clemente, Cæleſtino, Innocentio, Honorio, & Gregorio Romanis Pontificibus prærogatiuas confirmauit h, cuius diplomatis ſubſcriptiones adducere ad commendandam illius temporis Cardinalium memoriam nobis viſum eſt.

e Lib. 2. ep. 437. 463. 464. 602.
f Tritthem in chr. Sponheim.
g Lib. 3. ep. 234.
h Lib. 2. ep. 167.

Ego Innocentius catholicæ Eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Otho Portuenſis & S. Rufinæ epiſc. ſubſcripſi.

Qui hoc tempore Card. Innocentio adhæserẽt.

Ego Petrus Albanenſis epiſc. ſubſcripſi.

Ego VV. Sabinenſis epiſc. ſubſcr.

Ego Odo Tuſculanus epiſc. ſubſcr.

Ego Petrus S. Marcelli presbyter Card. ſubſcr.

Ego Vvillelmus baſilicæ duodecim Apoſtolorum presbyter Card. ſubſcripſi.

Ego Vgo tit. S. Sabinæ presbyter Card. ſubſcr.

Ego fr. Ioannes tit. S. Laurentij in Lucina presbyter Card. ſubſcripſi.

Ego Goffredus S. Hadriani diaconus Card. ſubſcr.

Ego Octauianus S. Mariæ in via lata diaconus Card. ſubſcripſi.

Ego Petrus S. Georgij ad velum aureum diaconus Card. ſubſcripſi.

Ego Ioannes S. Nicolai in carcere Tulliano diaconus Card. ſubſcripſi.

Ego Vvillelmus S. Euſtachij diaconus Cardinalis ſubſcripſi.

Datum Lugduni per manum magiſtri Martini ſacroſanctæ Rom. Eccleſiæ vicecancellarij x. kal. februar. indict. 11. Incarnationis dominicæ ann. 1244. pontificatus vero domini Innocentij Papæ quarti anno 2. Hæc de prærogatiuis pontificijs ſuffecerint: quid ageret interim in Gallijs Innocentius, proſequamur.

78 Tradit Pariſius Innocentium Cluniacum contendiſſe, vt in Ludouici Francorum Regis congreſſum veniret, quo pariter quindecim poſt diebus poſt feſtum circiter S. Andreæ, Rege ipſo cum matre Blãcha accedentibus, ſeptem diebus remotis omnibus arbitris ſecreta conſilia contuliſſe: creditum tamen de pace Eccleſiam inter & Imperium redintegranda potiſſime agitatum. At S. Regem Lugduni Rom. Pontificem conueniſſe affirmat illius geſtorum ſcriptor, dum ait a: *Vir Dei amantiſſimus Rex Franciæ Ludouicus flagrans deſiderio videndi ſummum Pontificem, conuocata multitudine non modica militia regni ſui, fratribuſque ſuis cum Regina Blanca matre eorumdem iter aggreſſus eſt; & vt ſuum huiuſmodi propoſitum adimpleret, Lugdunum properauit, &c.* Deſcribit ve S. Ludouicus inſtructis egregie quatuor agminibus magna pompa ac magnificentia, vt ſpectantium oculos admiratione percelleret, Lugdunum ingreſſus ſit. Et nonnullis in hanc ſententiam interiectis verbis ſubdit: *Ipſe autem Rex nobiliſſimus cum incredibili, & glorioſa multitudine militum regni ſui quarta agmine procedens Lugdunum ſic introiuit, ad quem locum vniuerſalis Eccleſiæ Pontifex ſummus acceſſerat, vt ibidem cum dicto Rege de negotijs ſanctæ matris Eccleſiæ loqueretur, habitoque inter eos ſecreto & latente conſilio, idem Rex ſereniſſimus benedictione a ſummo Pontifice percepta, eique humiliter valedicto in Franciam remeauit.* Hæc ipſe. Alij vero recentiores b, cæterique vtrumque affirmant, nimirum Ludouicum Cluniacum primo ad Innocentium Papam, inde Lugdunum ad ſacram ſynodum profectum; ibique ſe ſuumque regnum Eccleſiæ ac Pontificis obſequijs detuliſſe.

S. Ludou. Pontificẽ Lugduni adit.
a Nang. de reb. geſt. D. Lud. eod. ann.
b Ricord. Maleſpin. hiſt. Flor. c. 137. Villan. l. 3. c. 23 &c.

79 Addit Cluniacenſis chronici c auctor anonymus Innocentium S. Andreæ feſto die principe in eccleſia rem diuinam feciſſe, deque magno eius comitatu iſthæc refert: *Hoc anno,* nimirum MCCXLIV. *in feſto B. Andreæ Apoſtoli celebrauit miſſam Innocentius Papa IV. apud Cluniacum in maiori eccleſia ad magnum altare, & fuerunt cum ipſo duodecim Cardinales: cum ipſis fuerunt patriarcha Antiochenus, patriarcha Conſtantinopolitanus.* Et inferius vbi nomina epiſcoporum, qui celebritati interfuere, attulit: *Item fuit ibi dominus Ludouicus Rex Franciæ & Regina mater eius, & ſoror eius, & comes Dartoyſ frater eius, & Imperator Conſtantinopolitanus, & filius Regis Aragonum, & filius Regis Caſtellæ, dux Burgundiæ &c.* addit multam procerum aliorum multitudinem Pontificem ſtipaſſe. deque amplitudine

c M.S. bibl. Vallicell.

Clu-

Cluniacensis monasterij hæc notat: intra illius septa Pontificem, Imperatorem Constantinopolitanum, Gallorum Regem cum matre, fratre, ac sorore, & Syluanectensem, Eboracensem, & Lingonensem episcopos cum amplissimis ipsorum famulis habitasse; nec tamen Cluniacenses monachos necessarijs sedibus, atque officinis caruisse.

Proponit sedi Apost. Vng. Rex Fridericũ promissis non stetisse atque adeo Vngariã Imperio vt vectigalẽ non subijciendam.

80 Iam e Gallicis rebus ad Vngaricas nos conuertamus. Proposuit sedi Apostolicę Vngariæ Rex se, quo tempore Pannoniæ Tartarorum funestis excursionibus vastatæ fuerunt, ne penitus excinderentur populique reliquias ab hostis potentia eripere posset; ea conditione fiduciario iure Vngariam Imperio subdidisse, si certo tempore Fridericus, vel ipsius filius ad defendẽdam Pannoniam succincti fortissimo exercitu accessissent. Qui cum conditionem appositam non implesset, ad præstanda clientis officia non teneri; ne tamen occasionem ex ea re aucupatus Fridericus, Imperio subdere Vngariam moliretur; futuraque bella auerterentur, sedes Apostolica prouideret. Explorata ergo re Innocentius sanxit a Vngariam Rom. Imperio non subiectum iri, tum quod Fridericus pacta non seruasset, tum quod reliquorum Christianorum more ad propulsandos nominis Christiani hostes teneretur, vt tantis stipendijs ad capessenda arma ferendaque auxilia conducendus non esset: propterea se apostolica auctoritate, adhibito Cardinalium consilio, prætensa ex huiusmodi clientelari exhibito officio omnia iura irrita ac inania futura pronuntiare.

a Lib. 3. ep. 58.

81 *Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod cum olim regno Vngariæ depopulato a barbaris nationibus, & Tartarorum tyrannide pene penitus deuastato, permittente Domino vel iubente; timens ne regnum ipsum ad exinanitionem vltimam deueniret, ac desiderans vt ipsius reliquiæ saluæ forent; Friderico quõdam Imperatori sub ea conditione præstiteris homagij iuramentũ, vt idem in regnum tuum ad defendendũ ipsum contra prædictorum impetum Tartarorum infra certum terminum potenter accederet, vel illuc suum filium destinaret; idem Fr. diu expectatus post terminum nec venit nec illuc filium suum, vt promiserat, destinauit.* Ex his refellitur Parisius b, qui Fridericum ait immisso numerosissimo exercitu, non sine magnis periculis & sumptibus Vngaria Tartaros depulisse. Barbaros vero Vngaria recessisse, nec latius protulisse victorias ob Octoday Tartarorum Imperatoris veneno extincti necem scribit Simon c Minorita ad Tartaros ab Innocentio missus. *quare nobis humiliter supplicastis, vt ne hac occasione in te vel regnum tuum possit a Romano Imperio aliquid in posterum vẽdicari, prouidere indemnitati tuæ super hoc paterna sollicitudine curaremus. attẽdentes igitur quod quotiens aliquid sub conditione conceditur, nõ extante conditione perinde ac si concessum non fuerit, sit habendum; considerantes etiam, quod non est conquassatus calamus conterendus, nec debet afflictis afflictio superaddi; sed eo sunt illis humanitatis solatia impendenda, quo vrgentius miserationibus indigent alienis, vt misericordibus vberior inde crescat cumulus meritorum; & maxime quia prædictus Frid. ad id sicut Christiani cæteri dictante hoc natura cuilibet tenebatur, propter quod non erat ad illud stipendio conducendus; te huiusmodi iuramento, & homagio de fratrum nostrorum consilio denuntiamus auctoritate præsentium non teneri: ita quod hac occasione nihil in te, vel tuos successores, aut regnum possit ab aliquo vllo vnquam tempore vendicari. Dat. Lugduni XII. kal. sept. ann. III.*

b Par. hist. Angl. ann. 1244.

c Apud Vincent. Specul. hist. l. 13. c. 33. & 34.

Declarat Innoc. Belam dato Frider. fidei sacramento nõ teneri.

Svvantopelkus fœdera cũ infidelibus aduersus Christianos init.

82 Ab Vngaricis ad Polonicas & Pruthenicas res diuertamus. Promeruit Svvantopelkus Pomeraniæ dux, vt Pontifex grauioribus minis ipsum percelleret. In eã temeritatem infelix princeps sese coniecerat, vt grauissimo iugo ecclesiasticorum ceruices premeret, in bona Ecclesiæ inuaderet, latas censuras contemptu eliderer, atque etiam scelerato cum atrocissimis Christi hostibus; Pruthenis nimirum ac Iaczuingis, Lithuanisque, qui fœdissimis superstitionis antiquæ erroribus adhuc erant inuoluti; percusso fœdere, Theutonicos equites, sacræ militiæ ad Christianæ religionis latius proferendos fines consecratos bello lacesseret, ac non leuia damna importaret. Sed quo historiæ lucem conciliemus, res nobis paulo altius repetenda est.

83 Exponit Longinus sub anno Christi MCCXLII. immania Pomeraniæ ducis facinora, atque a Pomerania per dolum ac tyrannidem occupata, cum a Conrado Masouiæ duce Cruciferos aduersus Pruthenos ethnicos Polonis infestos excitos breui opibus creuisse cerneret; atque vrbibus oppidisque pluribus potitos, nobilioribus Pruthenis deletis cæteros ad baptismi sacra suscipienda compulisse, veritum ne se quoque ducatu adepto exuerent, Pruthenos iam baptismate initiatos subornasse, atque ad pristinos errores reuocasse: vnde ij alterius Ieroboami funestis consilijs artibusque irretiti, ad idolorum cultum rediere, ac Polonos, Germanos & catholicos quosque in Prussia commorantes improuiso impetu trucidauere, ac Svvantopelkum nefandi facinoris auctorem, in ducem principemque elegere. Mox ille conculcata omni religione, ambitione cæca abreptus, Pomeranorum Pruthenorumque succinctus exercitu, Culmensem ditionem inuasit, omnia rapinis, ferro, igne, cædibus deleuit.

a Long. hist. Pol. l. 7

Vt ex nefaria ambitione Christianæ religioni magna intulerit dãna.

84 Conatus est Guillelmus A.S.L. a Rom. Pontifice ad sedandum serpens malum missus, præferocem animis, atque impium principem a cœptis abducere; sed frustra operam laboresque consumpsit. quæ pluribus auctor enarrat: emendandus tamen, qui dum hæc in annum salutis quadragesimum secundum supra millesimum contulit, ac Guillelmum episcopum missum ab Innocentio quarto tradit; ex temporum enim ratione impositam a Gregorio nono legationem gessisse constat. pergit Longinus, vt anno Domini MCCXLIII. compressa sit Svvantopelki audacia, ac Theodoricus apud Prussiæ Cruciferos castrorum præfectus, Casimirus Cuiauiæ, & Premislaus maioris Poloniæ duces, coniunctis copijs plures Svvantopelki arces expugnarint; isque Pomerania eijci veritus Guillelmi Apostolici legati opera cum illis pacem confecerit.

Repressi a fœderatis fidelibus eius impetus.

Verum infidus ac periurus princeps, vbi se a præsentia periculi terrore collegit, conceptum animo virus aperto furore effudit, atque anno superiore scilicet MCCXLIV. vt religiosorum equitum & Polonorum vires adæquaret, Lithuanos Polonis conterminos, Iaczuingos, aliosq; infideles in funesti belli societatem adsciuit violatoq; fœdere in Culmensem terram equitibus Theutonicis ipsorum sanguinis pretio de infidelibus partam irrupit, ac fœdissimam intulit vastitatem, adeo vt ea prouincia Christi adiuncta imperio perfidi Svvantopelki scelere in pristinam, dæmonum idolorum cultu reuocato, recideret seruitutem.

Resilit a promissis armorũq. societatẽ cum infidelibus contrahit.

85 Vbi tristem accepit nuncium Innocentius illius principia ambitione religionem in Prussia periclitari, religiosos equites Theutonicos, ac fideles cruce insignitos ad retundendos hostium conatus ineunte hoc anno excitauit b: vtque Svvantopelkum ad officium adduceret, ac diuelleret ab impiorum societate, ardentes apostolico zelo paternique amoris notis insignes exarauit. c

b Inn. l. 2. ep. 7.

Co[illegible] ipitur b Innocentio.

c l. 2. ep. 185.

Nobili viro Svvantopelko duci Pomeraniæ spiritum consilij sanioris.

Potentiæ tuæ robur in eo deberes experiri potissime, quod esset Deo placitum, & Christianæ religionis proferret augmentum. Sed tu, sicut mirantes accepimus, contrarium efficere niteris, non absq; grau

graui contumelia creatoris, fideles eius, & dilectos filios fratres hospitalis S. Mariæ Theutonicorum constitutos in terra Culmensi, & Prussiæ partibus, diris affligendo molestijs; &, quod est grauius, inuadendo multoties cum paganis, stupent, qui audiunt tanti erroris excessum; præsertim cum omnem tyrannidem, omnem supererferitatem cum Letoinis, & Pruthenis familiam Redemptoris impetere, & cōtra peregrinos innoxios damnatæ gentis gladium concitare, destruendo negotium fidei, pro quo a longis retro temporibus & Ecclesia multum solicitudinis habuit, & Christianus populus cum sui effusione sanguinis labores multiplices tolerauit. Videndum est tibi vir nobilis, ne propter hoc contra te prouoces iram Dei, & des Apostolicæ sedi præsumendi materiam, quod fidei puritate careas, & tibi sit in gaudium, claues Ecclesiæ deducere in contemptum, sicut patens ex eo coniectura sumitur, quod pro afflictione cleri, ecclesiarum desolatione multiplici, ac pro multis horrendæ impietatis excessibus iam per octo annos, vt asseritur, excommunicatione ligatus redire ad mandatum Ecclesiæ non curasti.

Iubetur impiam societatem dissoluere.

86 Te itaque per domini Iesu Christi crucem & sanguinem obsecramus, quatenus omni dilatione, & occasione postpositis ad pium rediens matris Ecclesiæ gremium, negotium Christi, quod in Prussia geritur, efficaciter habeas commendatum, prædictis fratribus, & eisdem fidelibus te reddendo affabilem, ac eisdem pro diuina, & nostra reuerentia beneuolum præstando fauorem; vt ex hoc cæli Regem constituas tibi propitium, & Apostolica sedes, quæ Culmensem & acquisitas Prussiæ terras in ius, & proprietatem B. Petri recepisse dignoscitur, ex hoc tibi ad speciales gratias teneatur. Alias autem cum non possimus Dei causam negligere, qui ius suum studemus vnicuique conseruare, contra te, quod absit, in talibus persistentem excessibus, taliter auctore Domino procedemus, vt de necessitate percipias qualiter Ecclesia corde tangitur, quod per te fidei negotium sic damnabiliter perturbatur. *Dat. Lugd. kal. febr. an. 11.*]

Imposita Gnesnen. arch. prouincia vt Svvantopelk anathemate percelleret.

87 At ne princeps improbus, qui ad stabiliendum principatum religionem euertebat, pontificias preces impune respueret, nec ad eum in sinum Ecclesiæ reuocandum apostolici muneris aliquid prætermitteret Pontifex, Gnesnensem arch. episc. & suffraganeos in impium hominem; qui Pruthenis ac Lithuanis antea repressis addiderat animos, vt ipso duce in fratres S. Mariæ Theutonicorum, a quibus contusi fuerant, audacter prosilirent; consurgere imperauit a, vtq; ducem officij sui admonerent, contemnentem monita solemni ritu anathemate defigerent: ac si incussas anathematis pœnas ludibrio haberet, vt iam ab octo annis fidelium cœtu depulsus Ecclesiæ auctoritatem contempserat, auxilia principum aduersus eum implorarent.

a Lib. 2. ep. 285.

88 *Ac hic hostis Dei & fidei persecutor, abutens Christiani nominis dignitate populum Domini sic impune conterere glorietur, fraternitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus ipsum & complices eius infra quindecim dies post susceptionem prædictarum, quod a tanta penitus temeritate desistat, sicut efficaciter poteritis, moneatis. Alioquin ex tunc in eos excommunicationis sententiam, omni occasione postposita, proferatis; quam singuli vestrum in suis ciuitatibus, & diœcesibus singulis diebus dominicis, & festiuis, pulsatis campanis & candelis accensis, publicetis & publicari solemniter; & eosdem tanquam excommunicatos, vsque ad satisfactionem condignam appellatione cessante faciatis ab omnibus arctius euitari. Cæterum si præfatus dux, qui pro multa impietatis excessibus, sicut dicitur, excommunicatione ligatus iam per octo annos claues contempsit Ecclesiæ, ad inductionem vestram & prædictorum fratrum a fidelium persecutione non duxerit desistendum, vos contra ipsum, velut Christiani hostem, exercitus seculare brachium inuocetis. Dat. Lugduni kal. febr. an. 11.*

89 Meditatum porro Innocentiū hoc anno in eas regiones transmittere ad erigendam religionis causam, tumultusque exortos componendos, Guillelmum Sabinensem episcopum, qui antea a Gregorio IX. post abdicatum Mutinensem episcopatum in proferendis fidei limitibus magna industriæ suæ, ac virtutis facinora explicuerat, indicant apostolicæ literæ, quibus illi de partienda inter equites religiosos Theutonicos ac præsules Curlandia auctoritatem contulit a: *Vt de terra*, inquit, *Curonia, seu Curlandia infra Prussia terminos, sicut asseritur, constituta dilectis filijs fratribus hospitalis S. Mariæ Theutonicorum, in quibus post Deum esse dignoscitur, vt tantum negotium salubriter dirigatur; ac episcopo, vel episcopis, qui pro tempore fuerint in eadem; prouidere valeas, prout ipsi negotio & saluti fidelium in prædictis partibus positorum expedire videris; tibi auctoritate præsentium concedimus facultatem. Datum Lugdun. non. februar. ann. 11.*

Guill. Sabin. episc. destinatus in Prussiā.

a Ibid. ep. 295.

Diuidendæ inter equites & Præsules Curlandiæ data illi prouincia.

90 Hæc Pontifex ineunte anno antequam Lugdunensem synodum celebraret: qua dimissa, cum nondum sopitæ essent in Prussia discordiæ certissimum exitium fidei allaturæ (scribit enim Longinus b Casimirum Cuiauiæ ducem Pomeraniā victrici exercitu percurrisse, atque Svvantopelkum & Pruthenos magna clade fudisse) vt tot malis modum poneret pacisque beneficio reflorescerет religio; atque etiam Pomeranos & Prussos ad sinum Ecclesiæ reuocaret, ad discordiam non armis, sed æquitate dirimendam Messanensem abbatem, gerendæ legationis apostolicæ munere auctum, in eas regiones transmisit, pacemque inter religiosos equites & Svvantopelkum & ipsorum fœderatos conciliare iussit c: ac si discordias pacare non posset, veritatem diligentius inquireret, vt sedem Apostolicam instrueret; indiceretque aduersis partibus certum diem, quo oratorum suorum opera iura sua in pontificia aula disceptarent: *Cum inter venerabilem fratrem nostrum episcopum Cuiauiensem, fratres domus S. Mariæ Theutonicorum in Prussia, & nobiles viros Poloniæ & Cassimirensem duces ex parte vna, & nobilem virum ducem Pomeraniæ, ac Prussiæ neophytos ex altera graues discordiæ sint exortæ; nec super his quæ pro vtralibet partium fuere proposita coram nobis, plene scire potuerimus veritatem; nos huiusmodi dissensionis extinguere fomitem, & discordes ipsos ad concordiæ reducere vnitatem optantes, personam tuam, de cuius diligentia & circumspectione firmam in Domino fiduciam obtinemus, ad id exequendum inter alias specialiter duximus eligendam; te propter hoc ad partes illas tanquam pacis angelum dirigentes. Ideoque monemus quatenus, vocatis auctoritate nostra coram te partibus, tractes solicite, ac prudenter de facienda concordia inter ipsos, eamque si poteris iuxta datam tibi a Deo industriam studeas reformare. Quod si forte illas pacificare nequiueris, tu inquisita super omnibus discordiæ articulis diligentius veritate, quæcumque inueneris nobis fideliter referre procures, præfigendo eisdem partibus terminum peremptorium competentem, quo per procuratores idoneos nostro se conspectui repræsentent, quod super ijs statuendum duximus recepturæ. Datum Lugduni 11. id. octob. anno 111.*

b Longin. hist. Polon. l. 7. hoc an.

Messanensis abbas ad conciliandam in Prussia discordiam missus.

c Lib. 3. ep. 104.

91 Iniunxit alijs literis d apostolicis legato suo, vt ipsos arma ponere, ac pacisci inducias iuberet aduersantesque censuris percelleret. Illum enim diplomate e amplissimo ea instruxerat auctoritate, quo munus obire melius posset, vt præsules, clerum, populos, vrbes, comites, duces, aliosque viros dignitate conspicuos anathemate, interdictoue percutere

Quæ illi concessa ad rem gerendam auctoritas.

d Ep. 106.

e Ep. 197.

re

re posset. Tum datis ad omnes eruca insignitos, qui in ijs regionibus ad edomandam ethnicorum perfidiam versabantur, legatidictis obtemperare impetrauit a, quantumuis alia imperia, vt parerent alijs excepissent: quare Henricum Prædicatorum familiæ religiosum viri imposito sibi munere, donec legatus accessisset, supersedere iussit b. Ad pelliciendos porro ad fidem amplectendam barbaros legato demandauit c concessis ab Innocentio, Honorio & Gregorio Romanis Pontificibus prærogatiuis baptismate initiatos insigniret.

a Ep. 307. b Ep. 308. c Ep. 305.

Perfunctum egregie d suis partibus abbatē legatū, quem Opizonem vocat, tradit Longinus; peragrataque Polonia in Prussiam & Pomaraniam se contulisse, Svvantopelkum Pomeraniæ ducē Casimiro Cuiauiæ duci & cruciferis sacramento pollicentem cum Prathenis & barbaris aduersus Christianos non coniuraturum, nec vlla publica, vel occulta commercia iniiturum censuris, quibus erat irretitus, absoluisse; redactisque in vnum vectigalibus, quæ in Polonia beato Petro soluuntur, ad Innocentium se recepisse.

d Longin. hist. Pol. l. 7 an. 1246. Concordiam inter Svvantopelk. & cruciferos redintegrat.

92 Protendit etiam curas apostolicas Innocentius ad defendendum contra ingruentes ethnicos barbaros Estoniam; eximiumque Daniæ Regis zelum, qui ad eam prouinciam ab ethnicorum grassationibus ac seruitute vindicandam arma corripuerat, collaudauit e, adiecit animos, atque ad sustinendos sacri belli sumptus tertiam Lundensis prouinciæ decimarum partem in triennium concessit. Lundensi vero archiepiscopo prouinciam tradidit f, fideles ad capessenda arma Christiani nominis tuendi gratia pio ardore lacesseret. Quo porro ipsos sacro aliquo præmio ad labores impigre suscipiendos incitaret, simillimas indulgentias, cum similis causa ageretur, expeditionem illam inituris proposuit, quas in Terræ sanctæ subsidium profecti lucrarentur. Ne quis porro in Dania turbas excitaret, dum sacro bello Rex esset implicitus, Danum in B. Petri clientelam accepit g Lundensi; archiepiscopo & cæteris præsulibus vt tuendæ eius dignitati comprimendisque nouarum rerum cupidis, coniurationibusque elidendis incumberent partes dedit: priorum vero literarum h: hęc est sententia.

Excitat Inn. Regē Daniæ ad defendendam cōtra barbaros Estoniam. e Lib. 2. ep. 345. 346. f Ib. ep. 47. g Ibid. ep. 346. 347. h Ibid. ep. 344

93 *Cum ij, qui de Estonia partibus per Dei gratiam ad fidem Christiani nominis sunt conuersi, a barbaris & paganis circumstantibus multipliciter molestentur; & propter hoc charissimus in Christo filius noster Daciæ Rex illustris zelo fidei et deuotionis accensus cōtra dictos barbaros & paganos, sicut accepimus, viriliter se accingat; fraternitatem vestram monemus & obsecramus in Domino, ac in remissionem vobis iniungimus peccaminum, quatenus subiectos vobis populos moneatis attente & efficaciter inducatis, vt ad tanta felicitatis brauium properantes, & ponentes cum Moyse gladium supra femur contra huiusmodi gentes idololatras, & populum murmurantem currant in splendore armorum Domini accincti ad eius prælium præliandum, qui coronam legitime certantibus repromittit. Dat. Lugduni x. kal. mart. an. 2.*

Eius signa in defensione fidei cauta securis indulgentiis proponit.

94 Superest vt de ijs, quæ ad Terram sanctam attinent, disseramus. Exposuerat in Lugdunensi, vt vidimus, synodo Beritensis episc. Christianorum Syriæ orator extremas calamitates, in quas illa felix olim regio coniecta erat: excisas a Chorasminis Hierosolymas: profanatum Domini sepulchrum: Christianos nullo discrimine trucidatos; ac Pontificem ad indicendam sacram in barbaros expeditionem permouerat. Inde peragratis Gallijs, vbi nobiles ac plebeios sponte ad induendam contra infideles crucem excitatos magis incendit, in Angliam traiecit, vt Anglos pari zelo inflammaret. Sed a Rege illiberaliter acceptus abscedere re infecta est coactus; parum vero ideo Angli Syrorum miserijs commori videntur, cum illi violatis inducijs, quas Richardus Cornubiæ

Res Terræ sanctę. Beritensis episc. in Angliam traijcit pro eliciendis auxilijs nullo effectu.

comes cum babylonijs percusserat, eam sibi calamitatem peperisse dicerentur, vt in suis exprobrat literis a Fridericus.

95 *Dudum viro spectabili comite Cornubia, dilecto sororio nostro, cum honorabili comitiua nobilium Transalpina in vltramarinis partibus vices agente nostras, de consilio magistrorum hospitalis & S. Mariæ Teutonicorum & totius Christiani exercitus ex parte nostra, qui iure filij nostri in Romanorum Regem electi, semper Augusti, & regni Hierosolymitani hæredis eiusdem Regis & regni moderamini fungebatur, cum soldano Babyloniæ supradicto treugas fideliter & prudenter iniuit, quas magister domus militiæ templi cum cæteris nobilibus indigenis & ciuibus Acconensibus, ad specialis nostræ celsitudinis odium, non ad commune bonum habendo respectum, acceptare nullatenus voluerunt: quin potius more dispariam aurigarum in diuersas hinc inde partes detrahendo vehiculum, tandem prout cernitur rerum eduxit, in præcipitium demum vectores & sarcinam deduxerunt. Hoc quidem vos latere non credimus fuisse præcipuam, immo solam originem morbi præsentis & causam, quæ soldanum Babyloniæ, continuis etiam postmodum iniurijs lacessitum, ad quærenda remota suffragia & desperanda coegit, &c.*

a Extr. in cit. M.S. Vallic. bib. Dissensio Christianorum ex edicionis Syriæ causa.

96 Cæterum Chorasmini a Babylonio incitati in nostros non superiore modo anno Hierosolymas oppressere, aliaque ingentia mala intulere; verum hoc anno Damascenum sultanum Christianorum fœderatum aggressi regiam ipsius vrbem Damascum, vt scribit Parisius b, expugnarunt; adeo vt auctis viribus ad totius Syriæ dominium aspirarent. Ad frænandas argo Chorasminorum ac Babyloniorum victorias, recuperandaque amissa fideles in arma sacra concitati. de Germanis quidem hæc refert Albertus Stadensis c: *Papa per totam terram Teutonia lugubrem literam principibus ecclesiasticis destinauit, conquerens flebiliter, quod a gente quadam Sarracena, quam Chorasminorum populum appellauit, sepulchrum Domini esset enormiter violatum, ita vt plurimi, immo fere omnes hanc literam audientes intellexerint venerabile monumentum Domini ab eisdem infidelibus destructum funditus & euersum, & locum sanctum in planitiem iam redactum: & in eadem litera fideles sollicitari præcepit, vt se crucis insignirent charactere contra ipsos.* Hæc ille. At non in Germaniam modo, verum in alias quoque Christiani orbis regiones trāsmissæ ex literæ; tum decretæ plures lagationes, vtique pij ad promouendam sacram expeditionem destinati, inter quos Otho Tusculanus episcopus mox a perfecta synodo Lugdunensi in Francorum Regis aulam transmissus, vt refert Nangius d. Cuius strenua opera non modo S. Rex, sed plures alij principes bello sacro se accinxera.

b Par. hist. Angl. Damasco potiuntur Chorasmini. Pontificis studiū pro recuperāda Hierosolymis. c Stad. in chron. an. 1245.

97 *Sequenti mense augusti post concilium destinauit Parisios Innocentius Papa magistrum Odonem de castro Radulphi episcopum Tusculanum sedis Apostolicæ legatum, qui prius Parisiensis cancellarius fuerat, vt per totam Franciam prædicaret, quatenus nobiles Francigenæ bellatores pro liberatione Dominici sepulchri & vrbis sanctissimæ Hierusalem, de qua nostros Christianos Grossotini infideles, vt supra dictum est, expulerant, signum crucis acciperent sacrosanctæ. Eodem anno infra octauas sancti Dionysij conuocauit Rex Francorum Ludouicus grande Parisijs parlamentum, in quo prædictus legatus & plures regni Franciæ archiepiscopi, pontifices, & abbates, barones quoque, & comites affuere; & tunc ad præfati legati prædicationem & Christianissimi Franciæ Regis Ludouici exhortationem Iubellus Rhemorum archiepiscopus, Philippus Bituricensis archiepiscopus, Robertus Beluacensis, Garnerus Laudunensis, Guillermus Aurelianensis episcopi; dominus Robertus frater Regis Franciæ comes Atrebatensis vir clarissimus, Hugo de Castellione comes sancti Pauli, &*

d Nang. in gestis S. Lud. Franc. Regis red. an. OdoCard in Gall. legatus mittitur. Solemnes a Rege ordinum habitū conuentus. Sacro bello solemni ritu se deuouet, S. Lud.

Blesen

Filtiensis; Galsberus nepos eius, Ioannes de Piarris vir nobilis, Petrus comes Britanniæ, Ioannes filius eius, Hugo comes Marchiæ, Ioannes Montis fortis, Radulphus de Conciaco, & multi alij tam clerici, quam laici, etsi non omnes simul, processu tamen temporis signum crucis dominicæ assumpserunt.

a Par. hist. Angl. hoc ann.

Pium & facetum illius in consignanda cruce regalitimi lia facinus

98 Affert Parisius a pium ac venustum S. Ludouici facinus, qui festi natalitij Domini nocte famulitium regium piam illius fraudem non animaduertens, cruce insigniuit. Quam facetam historiam ex ipso decerpere iuuat: *Appropinquante & imminente præclara dominicæ natiuitatis festiuitate, qua mutatoria recentia, quæ vulgariter nouas robas appellamus, magnates suis domesticis distribuere consueuerunt; dominus Rex Francorum crucis signifer officium prædicatoris procuratorisque negotij Crucifixi nouo modo sibi assumens, capas cum suis pertinentijs de pretiosissimo panno multo plures, quam moris habuit, cum pellibus varijs imponendis iussit comparari; & de subtili auriphrygio factas in locis caparum humeralibus cruces insui opere furtiuo ac nocturno prudenter curauit & imperauit: & mane cum adhuc sol nondum oriretur, milites capatos capis regijs iussit cum ipso Rege missam audituros comparere. Quod cum fecissent, & mane ne somnolentia aut pigritia redarguerentur in Ecclesia missis celebrandis interessent, quilibet in alterius humeris crucis insutum signa uidens intuetur: fit iucunda admiratio, ac tandem compererunt, quod pie sophisticatos decepit eos dominus Rex, nouum & nunquam auditum inueniens prædicatoris officium, factus potius realis prædicator quam verbalis. Cumque eis indecens ac turpe, immo indignum uideretur ipsas cruces deponere, risum nec tamen derisum cum iucunda lacrymarum effusione facientes, dominum Regem Francorum propter hoc factum peregrinandorum venatorem, & hominem nouum vocauerunt piscatorem.*

b Cantip. lib. 2. c. 3. nu. 9.

99 Meminit etiam susceptæ a S. Rege sacræ militiæ Cantipratanus, qui ostentum crucis in cælo diuinitus expressæ, ac radiantis enarrat; quod ipse suis oculis hausit: *Ego fidelium nouissimus, antequam piissimus Ludouicus Francorum Rex anno ab Incarnatione Domini * MCCXLVI. crucem transmarinam susciperet, crucem in cælo ex clarissimo & sidereo lumine vidi; nec recolo me decentius & operosius formatam crucem unquam sub aliqua materia, vel figura vidisse: octonos habere cubitos crucem ipsam in longitudine, mihi plenissime visum est. Serenum cæli erat valde, & sine aliqua nube in aliqua parte; fui sub nostro horizonte cæium erat coloris unius.* Hæc Cantipratensis. Vt vero arcano diuinæ prouidentiæ consilio ea expeditio diuinis auspicijs conflata, post felices initio successus, tristes exitus habuerit, suo loco dicetur.

* MCCXLIV.

IESV CHRISTI
Annus 1246.

INNOCENTII PP. IV. annus 4. FRIDERICI II. IMP. 27. BALDVINI II. IMP. 18.

1 Affulsit meliorum spes anno Christi quadragesimo sexto supra millesimum ducentesimum indictione quarta sub noui Romanorum Regis auspicijs, qui tyranni potentiam contudit in Germania, certatim populis ad Ecclesiam brachia tendentibus; Russorum Rege abiecto Græcorum schismate ad eam conuolante; Noruego obsequia sua pro Christi proferendo ac dilatando nomine deferente. Vtque primordia noui Regis, quem hoc anno in Friderici locum subrogatum Stadensis b, Parisius c, Stero d, Siffridus e alijque auctores consentiunt, attingamus, Is fuit Henricus Lantgrauius Thuringiæ D. Elizabethæ leuir, qui non imperialis diadematis fulgore perstrictus, sed liberandæ persecutoris tyrannide Ecclesiæ studio inflammatus, arduum opus, periculis plenum suscepit. Respuit aliquandiu promissum honorem, qui maximis discriminibus horrebat, tandemque pontificijs precibus euictus assensit. Extant Innocentij ad principes electores literæ, quibus iniunxit a, vt cum vacaret rectore Imperium, diuino præsidio freti Thuringum ad Ecclesiæ & Imperij defensionem paratum in Regem Romanorum Imperiale postea fastigium adepturum eligerent.

b Stad. in chron. ann. 1246.
c Par. hist. Angl.
d Stero in annal. apud Canis. antiq. lect. to. 1. pag. 267
e Siffrid. epit. 2.

Hortatur Inn. principes electores vt Lantgrauium Thuring. Imp. salutent.
a Inn. l. 3. ep. cur. 4.

Archiepiscopis, & nobilibus viris alijs principibus Theutoniæ habentibus potestatem eligendi Romanorum Regem & in Imperatorem postmodum promouendum.

2 Quia inter cæteros orbis principes honorem Ecclesiæ ac Imperij Rom. tenemini specialiter procurare: nosque firma credulitate speramus, quod ad exaltationem vtriusque tanquam fide præclari & deuotione sinceri solicite intenditis, & feruenter, eo confidentius vos ad id requirimus & hortamur, quo nostris in hac parte beneplacitis libentius & promptius vos credimus parituros. Hinc est quod cum dilectus filius nobilis vir Lantgrauius Thuringiæ ad honorem Dei, & Ecclesiæ, ac Christianæ religionis præsidium Imperij prædicti negotium assumere sit paratus, vniuersitatem vestram monemus, rogamus, & hortamur, attente mandantes, in remissionem peccaminum iniungendo, quatenus de gratia Spiritus sancti confisi eundem Lantgrauium in Romanum Regem, & in Imperatorem postmodum promouendum, cum præfatum Imperium ad præsens vacare noscatur, vnanimiter absque dilationis dispendio eligatis; intendentes sibi fideliter & constanter, ac viriliter assistentes ad laudem, & gloriam Domini Iesu Christi, catholicæ fidei, & Ecclesiæ libertatis augmentum, & tranquillitatem totius populi Christiani. Nos enim eiusdem Imperij, ac vestra & aliorum principum Theutoniæ negotia curabimus, auctore Domino, indefessa solicitudine promouere. *Dat. Lugd. xi. kal. maij ann. iii.*

Pontificis ea de re lit.

3 Abhorrebant a creando nouo Rege Romanorum Bohemiæ Rex, Bauariæ, Brabantiæ, Brunsuici & Saxoniæ duces, Misniæ & Brandeburgi marchiones; quos b monuit Pontifex, vt paribus animis in renuntiando futuro Imperatore consentirent: qua de re inscriptæ extant Regi Bohemiæ literæ c quibus ipsum precibus flectere nititur, vt tot malis, quæ Fridericus Ecclesiæ inflixerat, moueretur; atque ad comprimenda bella, quibus Christiana respublica laniabatur, cum cæteris principibus in eligendo principe catholico operam collocaret; *Serenitatem tuam monemus, rogamus, & hortamur attente in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatenus pie pensans quam dura persecutione Dei Ecclesiam Frid. quondam Romanorum Imperator olim afflixerit, & adhuc concepta malitia prosecutor affligere non desistat; & quanta commotione guerrarum, velut feruens pacis æmulus, quam plures prouincias Christianorum quassauerit, & concutiat incessanter; considerans etiam quod si præsto Imperio fuerit, diuina operante clementia, de catholico & deuoto Imperatore prouisum, & ipsius Ecclesiæ cessabit tribulatio, & pacis tranquillitas reddetur populis Christianis; totius diligentiæ studium adhibere procures, vt electio de Romano Rege, in Imperatorem postmodum promouendo, vnanimiter absque dilationis dispendio celebretur, ita quod ex hoc grande a Deo premium & vberiorem ab Apostolica sede fauorem consequi merearis. Dat. Lugduni xi. kal. maij an. iii.*

b Reg. post seq. ep.
c Ib. ep. 5.

Solicitat Regem Bohem. vt noui Imp. creationi consentiat.

4 Diuelli a tyranni partibus ex ijs plures non potuere, verum ab alijs proceribus præcipueque ecclesiasticis strenue adeo nauata opera, vt Henricus Lantgrauius Thuringiæ e Caroli magni, vt ferunt, stirpe procreatus, singulari pietate conspicuus Rex Romanorum fuerit salutatus. cuius rei gestæ tempus & locum ita consignat Stadensis d: *Anno Domini*

Henricus Lantgr. Thuring. Rō. Rex salutatur.
d Albert. Staden. in chron.

mini MCCXLVI. Henricus Lantgrauius Thuringia iuxta Herbipolim in ascensione Domini a Maguntino & Coloniensi, & quibusdam principibus in Regem eligitur. Peruasit mox rei fama ad Pontificem, qui ingenti gaudio delibutus gratias summas Deo egit. Spes enim eximia affulgebat nouum Romanorum Regem Friderici impetus compressurum, ac Maguntino archiepiscopo, qui rem diligenter promouerat, & de noui Regis creatione fecerat certiorem, rescripsit a: collaudatoque eximio ipsius studio gratulatus est, & concepta gaudia patefecit, Lantgrauium Thuringiæ magno consensu principes ad Imperium extulisse; iniunxitque, quoscumque posset ad ipsius partes pelliceret, vtque ab omnibus fulciretur incumberet; proximum Rom. Ecclesiæ auxilium non defuturum.

a Lib. 3. ep. cur. 24.

Archiepiscopo Maguntino.

5 Literis affectuose receptis ex earum tenore collegimus, quod dilectus filius nobilis vir Lantgrauius Thuringiæ communi consensu principum in Romanum est Regem electus, & gerit publice se pro Rege: super quo ei, qui suorũ vota inspirando præuenit, & prosequitur adiuuando, dignas gratiarum retetimus actiones. Sane Imperij Romani negotium successibus dirigi prosperis ardenti desiderio cupientes, sic tota mente, stabilique proposito ad illius promotionem, ex quo ipsum idem Lantgrauius assumpsit, intendimus, vt ad id prouidentia concilij, auxilij robore, & fauoris vigore volumus perseueranter insistere; ac plus etiam factis Regi eidem adesse, dictumq; iuuare negotium, quam promissionibus exprimamus. Ideoque fraternitatem tuam rogamus & hortamur attente, mandantes quatenus Regem ipsum attente monere, efficaciter inducere, ac multipliciter confortare procures, vt de virtutis diuinæ suffragio, & de sedis Apostolicæ fauore confisus præfatum negotium, quod iam animose suscepit, strenue ac viriliter prosequatur. Alios insuper Theutoniæ principes tam ecclesiasticos, quam seculares iuxta datam tibi a Deo studeas prudentiam animare, vt prædicto Regi plene ac fideliter intendentes, potenter eidem ac patenter assistant, ita quod negotium ipsum, annuente Domino, prospere inchoatum possit eiusdem cooperante gratia fine laudabili consummari. Circa exhibitionem quoque promissi a nobis subsidij, nullus reperietur ex parte nostra defectus, cum pro consummando eodem negotio intendamus etiam ad maiora. Regi autem præfato nondum [illegible] fimus pro eo quod solemnes ipsius nuntios expectamus, cum quibus de ijs, quæ ipsi negotio videbimus opportuna, plenarie disponamus. *Datum Lugduni v. idus iun. ann.* s t 1,]

Apostolicum studium ad illius res promouendas pollicetur Innocentius

6 Transmisisse paulo post nouum Regem ad Innocentium suos oratores, vt sua Ecclesiæ obsequia deuoueret; exceptosq; perhumaniter pontificiæ ad Henricum scriptæ literæ b ostendunt; ad cuius promouenda felicia auspicia, magna stipẽdia, vt bellicum apparatum in hostem Ecclesiæ adornaret, Pontificem suppeditasse, Parisius c & Siffridus d referunt: cũ vero plurimũ ad permouendos populos possit religio, Henrici milites cruce insigniri iussit, quam Albertus e Stadensis a Maguntino archiep. accepisse ait, ac literæ f ad Tusculanum episc. A.S.L. missę ostendunt; ad deterrendos vero eos, qui Friderici partes sectarentur, diebus sacris vibratum in Fridericum partiumq; illius sequaces promulgari iussum g; ac terræ, quæ ijs parerent, ecclesiastico interdicto percelli: qua de re ad Arelatensem & Viennensem h archiepiscopos missæ literæ, quas encyclicas fuisse magno argumento est. Tum Ferrariensem electum legati Apostolici dignitate auctum in Germaniam misit i, summaque auctoritate statuendi, quæ e re Ecclesiæ fore arbitraretur, instruxit: *Nos tibi, de cuius prouidentia & discretione firmam in Domino fiduciam obtinemus, plenæ legationis officium in Theutonia partibus duximus committendum, concessa tibi libera potestate, vt euellas & destruas, dissipes & disperdas, ædifices & plantes, prout secundum Deum videris expedire, &c. Dat. Lugduni* 1 s 1. *non. iul. ann.* IV. Et quo legato suo maiorem auctoritatem apud Germanos conciliaret, ad omnes, qui bonorum insulis fulgerent, vel populis in gradu aliquo eminerent, scriptis literis commendauit a: legati imperia capesserent, quem, vt libentius ad ipsius conciones sacras concurrerent, hoc priuilegio exornauit b: *Discretioni tuæ, vt quoties in eisdem partibus contigerit te fidelibus proponere verbum Dei, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui ad tuam prædicationem accesserint, viginti, vel quadraginta dies de iniunctis sibi pœnitentijs, sicut expedire videris, relaxare valeas, vt ex hoc ad audiendum verbum ipsum copiosior populi confluat multitudo, auctoritate præsentium tibi duximus concedendum.*

Henrici oratores ab Inn. excepti.
b Lib. 4. ep. cur. 25.
c Par. hist. Angl.
d Siffrid. lib. 2.
e Stad. in chron.
f Innoc. l. 4. ep. 19.
Consignati cruce Henrici milites.
g Lib. 4. ep. 348.
h Reg. post eand. ep.
i Inn. l. 4. ep. cur. 1.

Ferrariẽsis electus in Germaniã legatus missus.
a Lib. 4. ep. cur. 2.
b Lib. 3. ep. cur. 15.
Imperiẽdarum indulgentiarum priuilegio auctus.

7 Decreuerat iam ante, quam Henricus Imperium capesseret, eam legationem: Ferrariensique electo partes dederat, vt Germanos ecclesiastica vel ciuili dignitate spectabiles, incusso censurarum, pellendique ipsos ex honorum gradu terrore, in obsequia illius, qui electus fuisset, compelleret c: *Cupientes Imperij negotium Romani, suffragante diuina gratia, laudabiliter promoueri, discretioni tuæ, vt postquam de Romanorum Rege in Imperatorem postmodum promouendo extitit electio celebrata, vniuersos tam ecclesiarum secularium, & regularium prælatos, quam principes, & alios clericos & laicos per Theutoniam constitutos, vt ei, qui electus fuerit, efficaciter intendant, fidelitatis iuramenta præstent, ac omnia exhibeant, quæ consueuerunt ab eis Romanis Regibus, seu Imperatoribus exhiberi; dictos prælatos & clericos monitione præmissa per suspensionis ab officio, dignitate, honore ac beneficio sententiam; præfatos vero principes & laicos per pœnam spiritualem & temporalem valeas, si fuerit necesse, compellere, auctoritate præsentium duximus concedendum, &c.* Præcipit clericis & prælatis, quibus ob negatũ nouo Regi obsequium muneris vsum abrogarit, peremptorium diem apud sedem Apostolicam indicat, vt sententiam pontificiam excipiant; denuntietque, si abfuerint, exauctorandos, pœnisque alijs percellendos. *Dat. Lugdun. x. kal. maij an.* 1 1 s. quo etiam die ad Prædicatores & Minoritas scripsit, cum pietatis prudentiæque existimatione florerent, multaque apud populos pollerent auctoritate, vt noui Regis partes tuerentur, ac Romanæ Ecclesiæ, quæ singulari ipsos beneuolentia complectebatur, vicem referrent: atque occasione captata, prudenter Germanos ad noui Regis capessenda imperia, cum primum electus esset, publice occulteque hortarentur d; ipsosque eo facto criminum veniam a Deo promerituros significarent.

Demandata illi prouincia Germanos in noui Regis obsequia adigendi.
c Ib. ep. 6.
d Ib. ep. 7.

8 Nec minus postea cum celebratæ electionis fama emanasset, apostolicis literis Germanos ad Henrici Regis imperia traducere studuit: ac nobilitatem Germanicam monuit se legato cẽsuras in perduelles distringendi auctoritatem, imperiumque contulisse e: *Cum dilectus filius nobilis vir Lantgrauius Thuringiæ in Regem, Dei operante virtute, qui suorum vota inspirando præuenit & adiuuando prosequitur, sit assumptus, nobilitatem vestram monemus, rogamus, & hortamur in Domino, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus Regem ipsum totius honorificentia debito prosequentes, eidem, cuiuslibet contradictionis & difficultatis amoto repagulo, prompte ac fideliter intendatis.* Et repetitis alijs literis f principes ac nobiles viros hortatus est, Lantgrauij in Romanorum Regem electi partes defendendas susciperent, ac strenue in ipsius aduersarios dimicarent: nunquam sedem Apostolicam, vel quandiu Henricus superesset,

e Ib. ep. 24.
Pellicere nititur Pont. Germanos in partes Hẽrici.
f Ep. 16. 17.

siue

suæ e viuis discedere contingeret, ipsis auxilio defuturam.

Inter cæteros Regem Bohemiæ, qui armis opibusque florebat, trahere in partes Henrici studuit, ac legato præcepit a vt ad ipsum flectendum apostolica auctoritate vteretur; eodemque desiderio amplificandarum rerum noui Imperatoris adductus Magdeburgensem archiepiscopum, cui diem dixerat, atque ad diluenda obiecta crimina exciuerat b, indulsit scriptis ad legatum literis c, si ad iuuandum armis Henricum Romanorum Regem ita sese egregie compararet, vt magnæ vtilitati Henrico futurus videretur, ad pontificium tribunal se conferre non teneretur.

a Ib. ep. 6. b Ep. 20. c Ep. 21.

9 Diffiderat iam se creati noui Romanorum Regis fama, nec leui terrore Fridericum percusserat, ne vti ipse Othonem a summo Pontifice adiutus Imperio deturbarat, ita ab Henrico Ecclesiæ præsidio suffulto exueretur: quare ne mora noui Regis res crescerent, Conrado filio præceperat collectas raptim copias, ad eum opprimendum duceret. Paruit Friderico Conradus, sed mito cum Henrico prælio fusus fugatusque est. Commissas acies prope Francofurdum ait Stadensis d; regia quippe comitia in ea vrbe indixerat Henricus, quo cum se florentissimo exercitu succinctus conferret, ausus est Conradus ipsi occurrere eumque lacessere: at mox temeritatis pœnas, amisso exercitu, luit; ingens suorum strages edita, pluresque viri nobiles, centuriones, tribuni, ac præfecti in victoris potestatem venere. His consentanea tradunt alij e historici, & confirmare videntur Henrici literæ, quas ad Rauennatem archiepiscopum dedit f, quibus felicium successuum certiorem facit, vt in Sueuiam mouere cœperit, mandarque vt a Friderico ex Romaniola, Fauentia, Rauenna, Arimino, alijsque vrbibus & oppidis eiectos colligat, commodis ipsorum consulat, atque ad recuperanda de hoste amissa incendat: se quamprimum quid ex ipsius & Insubrium re fuerit, oratorum opera significaturum.

Côradum Henricus profligat. d Stad. in chron. e Paris. hos. ast. fragm hist. incert auct. Mon. Pat. chro. lib. 2. f Apud Hier. Rub. hist. Rauc. lib. 6.

10 *Henricus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus dilecto principi suo venerabili patri archiepiscopo Rauennati gratiam suam, & omne bonum.*

Cum inter cæteros mundi prælatos sis membrum sacri Imperij speciale, honestatem tuam decet merito esse solicitam, & intentam ad ea, quæ noscuntur ad promotionem negotiorum Ecclesię, & Imperij pertinere. Specialem itaque super ea de te fiduciam detinentes, ex probitate personæ tuæ maxime nostris auribus instillata; deuotionem tuam requirimus attentius & monemus, quatenus viros nobiles, qui de Arimino, Rauenna & Fauentia, & alijs ciuitatibus & castris Romaniolæ per Fredericum quondam Imperatorem, tunc super eos regnantem, ex domibus proprijs sunt eiecti, ac bonis omnibus spoliati, quantum scis & potes, debeas consilio & auxilio consouere; ac eos efficaciter inducere non desinas, vt ipsi vnanimiter ad confusionem suorum inimicorum, & recuperationem rerum suarum, quantum possint, operam exhibeant efficacem. Quia tamen, sicut accepimus, dilectorum fidelium nostrorum Rauennat. auxilium contra eos esse præ cæteris opportunum . . nos eis super hoc nostras dirigere literas speciales, quas easdem per te ex parte nostra petimus & volumus præsentari . . . volumus & mandamus, vt ad ea feliciter exequenda, ipsos nomine nostro, secundum collatam tibi a Deo prudentiam moneas efficaciter & inducas. Nostrorum quoque actuum statum, & qualiter Sueuiam hostiliter inuadamus, iam fere omnibus illius terræ nobilibus ad pedes nostræ celsitudinis inclinatis, & quid de tuo, & aliorum Lombardorum negotio in breui agere disponamus, tibi quam cito per solemnes nostros nuntios curabimus destinare. *Dat. Vvartlt pridie kal. decemb. indict. v.*] Procumbebat Germania in noui Imperatoris obsequia, certatimque vrbes sese illi dedebant, penitusque, vt testatur monachus Patauinus a, Conradum Germania pepulisset, tranquilloque esset potitus Imperio, nisi Bauariæ dux acceptæ iniuriæ immemor, cum eius parentem Assasinorum opera Fridericus peremisset; quod facinus crudele ab Innocentio obiectum Friderico in lata aduersus ipsum sententia vidimus; accepta clade perculsum Conradum recreasset, resque ipsius afflictas restituisset. Trithemius b in Italiam fugatum tradidit.

Rauennatem arch. hortatur vt eiectos a Frid præsidio sit. Significat Sueuiam sibi subijcere. a Monach. Pat. in chr. vbi sup. Conradus ad duce m Bauariæ confugit. b Trithem. in chron.

11 Quo vero studio Innocentium in Germania legati opera ad stabiliendum Henrici solium incubuisse vidimus, ita ad potentiam Friderici, synodi sententia abdicati Imperio, in Italia ac Sicilia infringendam illud conferebat. Ad quod perficiendum duos Cardinales S. . tit. sanctæ Mariæ Transtyberim presbyterum ac R. . sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconum legatos summa auctoritate instructos misit; & quidquid gererent ratum se habiturum pontificio diplomate declarauit c. Apostolicas quoque ad Siciliæ præsules, optimates, ac populos literas misit d; ad quorum conciliandam gratiam, ipsosque in Fridericum conciliandos, eam inter cæteras demandatæ legationis rationem insinuauit, se erga ipsos pietate motum, quod tandiu sub Friderici tyrannide ingemiscerent; ad eos in pristinam libertatem vindicandos, atque in Romanæ Ecclesiæ gratiam restituendos, prouinciam illam Cardinalibus contulisse.

Duos Cardinales legatos in Siciliam mittit Innocentius. c Lib. 3. ep. cur. 22. d Ib. ep. 8.

Archiepiscopis & episcopis, abbatibus prioribus decanis, archidiaconis & alijs ecclesiarum prælatis; & nobilibus viris comitibus, baronibus, militibus, & populis ciuitatum, castrorum & locorum per regnum Siciliæ constitutis.

In omnem terram vestræ sonus tribulationis exiuit, & in fines orbis terræ compassione dignissimi vestri gemitus processerunt, multis pro miro vehementi dicentibus, quod pressi tam diræ seruitutis opprobrio, & personarum ac rerum grauati multiplici detrimento neglexeritis habere consilium, per quod vobis, sicut gentibus cæteris, aliqua prouenirent solatia libertatis. Verum super hoc apud Sedem Apostolicam vos excusante formidine, quæ corda vestra sub alterius Neronis videbatur dominio possidere, sedis eiusdem pietas sæpe multis, quæ materna suggerere solet affectio, vacauit ingenijs, vt per eius auxilium vel aliqua vobis pœnarum remissio fieret, vel plenæ redemptionis gaudium proueniret. Propter hoc enim piæ recordationis Gregorius Papa prædecessor noster angustias cordis pertulit, quousque temporalis vitæ spatium pertransiuit: propter hoc etiam nos ipsi adhuc in minori manentes officio, & postquam, licet immeriti, sumus in pastorem Ecclesiæ generalis assumpti, profunda fundimus & amara suspiria, voce cordis clamantes ad Dominum, quod vos in diebus nostris dignanter efficeret de numero liberorum.

Excitat Siculos ad recuperandam libertatem.

12 Cum autem nimis in longum fieret desiderij nostri protensio, vt minister fallaciæ Fridericus, turbator seculi, fidei Christianæ contemptor, persecutor Ecclesiæ, & humilitatis vestræ depressor assiduus a solitæ peruersitatis operibus fieret alienus, ad remota loca sub laborum & dolorum experientia plurimum elegimus proficisci: vbi post expectationis longæ tædia cognoscentes, quod dictus persecutor hoc solum exquireret, vt deleret Ecclesiam, vel ipsam cum eius filijs astrictam redderet necessitatibus lacrymosis, ipsum de sacri approbatione concilij tanquam obstinato corde nolentem ab iniquitate resurgere digne priuauimus regnorum, & Imperij dignitate; concepta de diuina pietate fiducia, quod vestris

præcipue ac plurium aliorum angustijs daretur exitus salutaris: quicum venturus in proximo per Dei gratiam iam speretur, commoto contra impium orbe terrarum, oppositis ei pluribus regni nobilibus, qui sibi, & vobis, ac posteris optant solatia libertatis; vniuersitatem vestram per Dei misericordiam obsecramus, & in remissionem vobis iniungimus peccatorum, quatenus nobis & fratribus nostris super afflictione vestra gementibus festinam super eo præbeatis lætitiam, quod damnati hominis abdicato dominio, cui penitus in nullo tenemini, per nos a iuramento fidelitatis totaliter absoluti, ad gremium sanctæ Romanæ Ecclesiæ matris vestræ, cuius estis speciales filij cessantibus quibuscunque diffugijs redeatis: præsertim cum nos iuxta quod in Deo poterimus, vobis semper subuenire parati, duos legatos solemnes, scilicet dilectos filios nostros S.. tit. sanctæ Mariæ Transtyberim presbyterum, & R.. sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconum Cardinales, viros vtique sapientia præditos & conspicuos diuersitate virtutum, huiusmodi promotioni negotij duximus deputandos, concesso eis plenæ legationis officio, sicut ex alijs literis, quas super huiusmodi negotio vobis mittimus, plenius colligetis; scituri quod nos pro vestra generali procuranda salute, quod ad præsens expedire credimus, subsidium destinamus.

13 Ecce quid vobis, qui sub laborum pœnalium pressura gemitis; ac per exactiones, & collectas assiduas vestram exinaniri substantiam deploratis; ad salutem expediat, quid de vobis anima nostra desiderer, aperte cernitis, & manifeste sentitis. Cogitate itaque corde vigili, vt a collo vestræ seruitutis catena decidat, & vniuersitas vestra in libertatis & quietis gaudio reflorescat; sitque rumor in gentibus, quod sicut regnum vestrum nobilitate multa & mira est vberrate conspicuum, ita diuina fauente potentia secura sit libertate decorum. *Dat. Lugduni vi. kal. maij an. III.*] Posterioribus vero literis de eadem legatione loquens certiores fecit [a] commissam Cardinalibus auctoritatem, vt eos censuris, quibus irretiti ob præterita tenebantur, liberarent; contraherent contra Fridericum copias, omniaque tam in humanis quam diuinis perficerent, quæ diuinæ gloriæ, ipsorum vtilitati libertatique asserendæ conducerent.

a Ib. ep. 11

Siculi a Friderico deficiunt.

14 Pontificijs literis excitati Siculi, ac legatorum ope freti diuturna vincula abrumpere, ac pro Ecclesiæ dignitate, suaque defendenda salute, ac libertate strenue in Fridericum Theobaldo duce arma capessiuere: quibus Innocentius gratulatorias hasce literas [b] misit: *Illustrauit super vos faciem suam Dominus, vestras a Pharaonis dominio subducendo personas, & eas illorum operum applicando studijs, in quibus ad salutem regni Siciliæ procuratur honor & tranquillitas Ecclesiæ generalis: de hoc autem in consolatore mœrentium domino Iesu Christo plenam consecuti lætitiam, fratrum nostrorum communicato consilio, ita prouidimus, quod pro redemptione ipsius regni omnem diligentiam habeamus*, Subdit duos Cardinales legatos ad ferenda ipsis auxilia in Siciliam mitti. *Vos itaque, de militibus tyrãni reprobi, facti pugiles domini Iesu Christi, celebrem in conspectu gentium vestri famam nominis constanti animo & indefesso ampliare spiritu studeatis; in illam spem firmiter exurgentes, quod si virtus Altissimi per vestrum ministerium deuotarum Ecclesiæ cooperante subsidio, finem dederit gemitibus afflictorum, sedes Apostolica vos tanquam genere ac virtute nobiles inter charos suos filios habebit assidue speciales.*

b Ib. ep. 17 18.

15 De Siculorum aperta defectione, conflataque, antequam erumperet, atroci in se coniuratione, ac structis vitæ insidijs queritur Fridericus in literis [c] ad Anglorum Regem datis, cuius factionis principes Tibaldum . . . ait extitisse, ac nonnullos iam merito supplicio affectos, alios vero breui criminis pœnam luituros: cuius inuidiam deriuat in Pontificem ac Minoritas, a quibus subornatos asserit. At licet Pontifex literis suis Friderici subditos ad depellendum e suis ceruicibus seruitutis iugum concitarit, præmiaque indulgẽtiarum crucem induentibus proposuerit; abhorruit tamen sẽper ab eo, vt insidias illius vitæ compararet. Post iactas ergo in Pontificem crudeles calumnias subijcit: *Absuit a nobis huc vsque, nouit Altissimus, abominationem talem, quod etiam post voluntarium & iniquum istius Papæ processum contra nos in Lugdunensi concilio celebratum in necem suam vel alicuius ex fratribus consentire vellemus; quamquam nos fuimus per nonnullos nostræ fidei zelatores multoties requisiti: sed sola semper extitimus iniuriarum nostrarum propulsatione contenti, nos iuste defendere, non vlcisci, sufficiens reputantes.* Iactasse hæc falso ad captandam clementiæ laudem e dicendis sequenti anno patebit, quo sicarios ad Innocentium & nonnullos Cardinales necandos subornauit.

c Extant apud Pet. a Vin. & Par. hist. Angl. hoc ann.

16 Implicito ciuili bello Friderico, atque arma in Siculos vertente, Innocentius Picenos, Spoletanos, Tuscos Romanæ Ecclesiæ clientes, qui tyranni potentia oppressi lugebant, proposito Siculorum exemplo ad excutiendum seruitutis iugum hortatus est [a], tum alios, qui in fide perstiterant, ad erigendos animos, impulso iam in ruinam Friderico, viresque confirmandas sollicitauit. quo argumento datis literis [b] Romanis spem iniecit, fore vt communi hoste a suis destituto, pristina Italiæ pax, Ecclesiæ dignitas, felicitas populorum refloresceret: *Ad mitem & humilem corde Dei Filium dominum Iesum Christum ascendit in tantum horrenda perfidi superbia Friderici, quod ipsum & ab Imperij dignitate repulit, & ad ruinam eius corda Deum timentium prouocauit; sicut ex eo patenter exultantibus nobis, & vobis agnoscitur, quod plures de nobilioribus & potentioribus regni Siciliæ, illius fraudes & laqueos fugientes, sibi omni, qua sufficiunt, virtute animi contradicunt. Cum autem ex hoc claro Dei miraculo, sic sedis Apostolicæ matris vestræ attollatur honor & dignitas, quod vobis etiã eius specialibus filijs decus consequenter acquiritur, & vtilitas adaugetur; vniuersitatem vestram rogamus & obsecramus in domino Iesu Christo, in remissionem vestrorum peccaminum iniungentes, quatenus vestrarum mentium præsentantes oculis, quantis & qualibus idem perfidus Ecclesiam Dei, ac vos sibi charissimos diu perturbauit iniurijs, & iacturis, contra ipsum sic toto cordis consurgatis affectu, quod per vestrarum virium victoriosa subsidia cadat hostis fidei; afflicta vobiscum respiret Ecclesia, tranquillitas populo Christiano proueniat, & regnum Siciliæ, quod miseria iugo comprimitur, redemptionis festina gaudia consequatur: sitque nobis sicut optata, sic cita possibilitas, vt qui sedem nostram tam diri tyranni feritate coacti reliquimus, ad eandem feliciter duce salutis angelo redeamus.* Hæc in Gallijs Pontifex. Iam quid in Italia ipsius persecutor gereret, adducamus.

a Ib. ep. 15 16.

b Ib. ep. 12

Qua arte vsus Fridericus ad depellẽdã hæreseos notam.

17 Vrebat maxime Fridericum, non modo concilij sententia exauctoratum, sed etiam hæreseos infamia aspersum iudicatum esse; iamque ipsius existimationem apud omnes laborare. Quare ad eluendam labem plures ad Christianos principes literas, quibus perfidiã suam colorare nitebatur, exarauit. [c] Tum e fidissimorum consilio has artes instruxit: archiepiscopum Panormitanum, episcopum Papiensem, Cassinensem, Cauensem, Casæ nouæ abbates, ac Rolandum, & Nicolaum Prædicatorum familiæ religiosos viros, quid ipse de Christianæ fidei symbolo alijsque articulis ac mysterijs religionis sentiret, a se quærere diligentius ac discutere iussit. Quo peracto, atque instrumento confecto procuratores, ipsos constituit, vt coram Romano Pontifice iureiurando sese denin-

c Extant apud Pet. de Vin.

de ... rent, vocatum ad examen Fridericum recte circa omnia fidei capita cum omnibus Christianis cōsentire, ac longe ab hæresi abhorrere. Ingrate illi admodum excepti, quod depulsi e fidelium cœtu hominis procuratores agerent, ob quod facinus non tam audiendi quam percellendi pœnis videbantur; sed cum simplicis Christiani hominis nuntios se dicerent, tribus S. R. E. Cardinalibus discuciendæ rei commissa est prouincia, qui eam purgationem futilem & inanem pronuntiarunt: cum nulla ipsis instituendi illius examinis auctoritas esset demandata, quare repudiata huiusmodi purgatione indixit Friderico, vt si rite purgare se & committere examini vellet, adiret sedem Apostolicam sine armorum strepitu ac terrore se modico comitatu stipatus: tum ipsi tum suis cautionem idoneam concessurum: nullam iniuriam, molestiamque irrogatum iri.

Vniuersis Christi fidelibus has literas inspecturis.

Oratores mittit vt sacramento se deluciane ea labe nō teneri.

18 Cum post latas dudum in concilio Lugdunensi contra Fridericum quondam Imperatorem ex manifestis, & rationabilibus causis priuationis ab Imperio & regnis, quibus se indignum reddiderat; ac in ipsum, & omnes illos, qui ei ex tunc tanquam Imperatori, vel Regi præstarent consilium, auxilium seu fauorem, excommunicationis sententias; nuper idem Fridericus archiepiscopum Panormitanum, & Papiensem episcopum, ac Cassinensem, Cauensem & Casænouæ abbates, necnon fratres Rolandum & Nicolaum ordinis Prædicatorum ad sedem Apostolicam destinarit; licet nec immerito videretur, quod ijdem, qui ex eo præsumebantur vinculo excommunicationis astricti, quod suscipiendo protectionem, seu legationem ipsius cum instrumento & literis, in quibus idem Fridericus se Imperatorem & Regem, cum non esset, dicebat, fauere sibi contra prædictam sententiam videbantur, audiendi non erant; sed potius de tantæ temeritatis excessu, cum sint viri ecclesiastici puniendi; quia tamen se ipsius Friderici, non tanquam Imperatoris, vel Regis, sed velut simplicis Christiani nuncios asserebant, eis venerabiles fratres nostros Portuensem, & Albanensem episcopos, & dilectum filium H.. tituli S. Sabinæ presbyterum Card. concessimus auditores, quibus ijdem nuncij instrumentum cuiusdam scriniarij Lucanæ diœc. & literas ex parte ipsius Friderici munitas bulla aurea præsentarunt: in quibus continebatur, quod cum dictus Fridericus fuisset in eodem concilio habitus de hæretica prauitate suspectus, ipse interrogatus & examinatus a prædictis nuncijs super articulis contentis in symbolo, & alijs ad fidem catholicam, dixit se firmiter credere, ac iurauit & constituit examinatores eosdem procuratores suos ad iurandum in anima eius, quod eos credebat, & purgationem etiam in præsentia nostra in loco idoneo super suspicione huiusmodi offerendam: hæcque dicti nuncij referentes in eorundem auditorum præsentia viua voce, quod parati erant sic iurare, ac ex parte ipsius Friderici purgationem huiusmodi obtulere.

19 Ijs itaque nobis per auditores eosdem fideliter recitatis, & instrumento & literis præfatis ostensis, manifeste comperimus, quod huiusmodi examinacio fuerat per magnæ præsumptionis audaciam, cum ijdem examinatores nullam super hoc potestatem habuerint, attentata; nec erat præfatis instrumento & literis, cum in eis & bulla ipsa diceretur idem Fridericus Imperator & Rex; per quod dictus scrinarius, sic ei fauendo, vinculum excommunicationis incurrerat, fides aliquatenus adhibenda. Nos enim ad notandum ipsum suspectum in eodem concilio de vitio hæreticæ prauitatis ex violentis, & notorijs, quæ contra fidem per euidentiam iam ostenderat, argumentis moti, nec immerito, fuimus contra eum: maxime cum idem Fridericus tam a canone, quam ab

Causæ ob quas vehementi hæreticæ suspicione la... erat Fridericus.

homine, & præcipue a felicis recordationis Gregorio Papa prædecessore nostro pluribus excommunicationum sententijs innodatus fecerit, in contemptum clauium, sibi celebrari diuina; patenter asserens se præfati Gregorij sententias non vereri; quas non solum non seruauit, sed mandauit etiam non seruari: aliasq; coniunctus amicitia detestabili Sarracenis, ritus eorum complectens, ac aliquos ex eis in quotidianis eius obsequijs secum tenens, nuncios soldani Babyloniæ, postquam idem soldanus, cum quo dictus Fridericus, prout ipsius soldani literis nuper accepimus, a tempore patris eiusdem soldani familiaritatem, & dilectionem mutuam & concordiam perfectam habere dignoscitur, Terræ sanctæ & eius habitatoribus Christianis per se ac suos damna grauissima & inæstimabiles iniurias irrogarat, fecerat per regnum Siciliæ cum laudibus ad eiusdem soldani extollentiam honorifice suscipi, & magnifice procurari. Aliorum etiam infidelium perniciosis & horrendis obsequijs contra fideles abutens, illis, qui damnabiliter vilipendentes Apostolicam sedem, ab vnitate Ecclesiæ discesserant, procurarat affinitate, ac amicitia copulari. Proptec quæ & alia contenta in prædicta sententia, quæ ad præsens ob sui prolixitatem omittimus, dictus Fridericus est hæretici vocabulo secundum sanctiones legitimas nuncupandus.

20 Nos igitur protestatione præmissa, quod per hæc prædictæ sententiæ contra eundem Fridericum latæ, quam firmam & stabilem permanere volumus, nullum debeat præiudicium generari, eosdem examinatores non tanquam procuratores, vel nuncios, qui de tantæ præsumptionis excessu merito puniri debeant; astare fecimus coram nobis, quibus in nostra, fratrum nostrorum, ac multorum aliorum prælatorum, qui nobiscum erant, præsentia constitutis, nos huiusmodi examinationem & purgationem eum nec vbi, nec de quibus, neque coram quibus debuit, præsumpta fuerit; cum ijdem examinatores & eorum consanguinei sint de ipsius curia, seu eius potestati, sed verius tyrannidi suæ subiecti, illusoriam, prout est, & friuolam reputantes; ipsam de prædictorum fratrum & prælatorum consilio decreuimus irritam & inanem, processum eorundem examinatorum super ijs præsumptum penitus reprobando. Super eo, quod idem Fridericus obtulit super suspicione prædicta in præsentia nostra in loco idoneo se purgare; licet idem super hoc propter causas assignatas superius audiendus non esset, non tamen negamus, si veniens personaliter infra tempus legitimum sine armis, & cum modico comitatu, quin ipsum super hoc, si de iure, & sicut de iure fuerit, audiamus: cui, prout eisdem nuncijs præsentibus diximus, faciemus, si voluerit venire, caueri, quod in se, vel suis non sustinebit aliquam læsionem. *Dat. Lugduni x. kal. iun. ann. III.*]

Repulsi ab Innoc. & qua de causa Friderici oratores.

Offert Friderico illũ præsentē auditurũ.

21 At longe ab ea animi demissione tyrannus aberat, vt se Apostolicæ sedi ad subeundam fidei examen committere vellet: eos namque oratores ad credulas tantummodo hominum mentes eludendas miserat; non enim animorem animi fregisse literis ad a Anglos datis satis aperuit, in quibus Pontificem in odium adducere fucata oratione nititur; quæ apologia rem mature perpendenti, aspersa passim mendacia, proteruiamque detegenti non tam apologia quam illius accusatio habenda videtur. In ea siquidem queritur sine iudicij forma damnatum: quod quam a veritate abhorreat, præteritorum series patefecit, toties quippe vocatus varijs artibus iudicium eluserat, tot inchoatos componendæ rei tractatus leuitate ac scelere infregerat, toties pœnitentis modo tyranni personam induerat, vt nulla reuocandi illius ad officium spes superesset. S. Ludouicum & ita Pontificis auctoritatem deprimit, vt non magis

Respuit Pontificia imperia Fridericus.

a Apud Petrus Vin. M.S Vatic. ep 3. Par. hist. Angl. hoc ann.

Imperatorem quem consecrat, quam cæteri episcopi qui alios reges consecrarint, Imperio ob scelera ac tyrannidem exuere possit; adeo vt si religionem cõuellat, hæreses alat, Ecclesiam laceret, animas ad inferos deturbet, ignauis oculis Christi vicarius, cui rei Christianæ cura commissa est, hæc debeat intueri; ac non potius ardenti zelo in persecutorem Ecclesiæ insurgere ipsumque gradu euertere: nec iam illud nouum, vt ait, sed laudatissimo exemplo antea id Romani Pontifices perfecerunt. Demum post cumulata plura mendacia, quæ exposita suis locis historiæ veritas confutat; vt nullum iuris ordinem in ferenda sententia seruatum contumaciæ notam incurrere non potuisse; non expectatos quos ad rite expianda crimina destinabat oratores; his verbis in summum Pontificem inuehitur.

Acerbas in eum lit, spargit.

22 *Apparet animosa nimis, & ampullosa non minus ex ipsius inflicta pœna seueritatis sententia, per quam Imperator Rom. imperialis rector et dominus manifestus, læsa maiestatis crimine dicitur condemnatus: per quam ridiculosa subijcitur legi, qui legibus omnibus imperialiter est solutus. A quo temporales pœnas sumendæ, cùm temporalem hominẽ superiorem non habeat, non sunt in homine, sed in Deo.* superiorẽ principibus Christi vicarium, atq; in eos posse animaduertere, cum animarum salus periclitatur, vel ad ipsum vt communem omnium patrem adducta in discrimen republica confugientibus populis, publico bono consulere, nemo vnquam Christiana imbutus doctrina negauerit. *Spirituales autem pœnas per sacerdotales nobis pœnitentias indicendas, tam pro contemptu clauium, quam pro alijs transgressione humana peccatis, nedum a summo Pontifice, quem in spiritualibus patrem nostrum, & dominum profitemur, si tamen nos filium debita relatione cognoscat, sed per quemlibet sacerdotem reuerenter accipimus & deuote seruamus.* At cum tyrannus sacerdotalem auctoritatem sperneret, tolerandum ipstus iudicio erat, vt Christianus orbis a Sarracenis, quos habebat coniunctissimos, opprimeretur, ecclesiastica inuaderetur ditio, Cardinales & episcopi in carcerum squallore contabescerent, alerentur hæreses, insurgerent schismatici, clerici fœdissimæ mancipaerentur seruituti, ipseque Romanus Pontifex exulare tyranni metu cogeretur? *Ex quibus omnibus manifeste liquet, quod potius ignominiose quam iuste habendos nos dixerit a catholica fide suspectos; quam nos teste supremo iudice in omnibus & singulis eiusdem articulis, secundum vniuersalem Ecclesiæ disciplinam, & approbationem per Romanam Ecclesiam, symbolum firmiter credimus & profitemur simpliciter.* Confutant nudam & fallacem illius assertionem fœdissima opera, quæ nisi ex hæretica labe emanare potuerunt. *Aduertat igitur industria vestra, si prædicta nulla sententia ipso iure, nullus ipso iure processus, non magis in nostram, quam in omnium Regum, & principum, ac quarumlibet temporalium dignitatum perniciem debeat obseruari; quam nulla nostrorum Germaniæ principum, a quibus assumptio status & depressio nostra dependent, præsentia vel consilia firmauerunt.*

Promulgat se fidei Symbolũ firmissime tenere.

23 *Aduertat & aliud, qualis ex istis initijs exitus expectitur. A nobis incipitur: sed pro certo noueritis, quod in alijs Regibus & principibus finietur, a quibus publice gloriantur resistentiam aliquam minime formidare, si quod obsit, posset nostra potentia primitus conculcari.* Non suam in Friderico experiri cœpit Romanus Pontifex auctoritatem, nec illa vnquam ad euertenda, sed componenda seruandaque regna vsus est. *Regis igitur vestram iustitiã in causa nostra defendite, & vestris et eorum hæredibus prouidete. Nec nos illud omittemus, quin fidei nostræ constantiam ex confœderatione contracta vobiscũ, ad præsens fiducialiter requiramus; vt nedum aduersario nostro, nũcijs aut legatis ipsius occulte vel publice faueatis: quin potius nobis toto posse assistatis viriliter & potenter, nullum omnino nuncium aut legatum populũ suæ iurisdictioni subiectũ in nostra dispendia conuertere uolentem, aliquatenus admittere debeatis; Pro certo scituri, quod per nos, in quibus inchoata est tanta temeritatis audacia, quod ad priuationem nostri velut cuiuslibet sacerdotis pontificalis auctoritas, officium suæ iurisdictionis extendit; taliter assistente nobis dextra Regis regum, quæ semper nostram iustitiam comitatur, istis principijs occurretur, dummodo se nobis illorum potentia non opponat, scilicet Regum & principum, quos communiter causa nostra contingit; & quorum non minus vertitur interesse quam nostrum; quod vobis & alijs orbis terræ nobilibus causam iusti timoris in talibus, nostra defensio non relinquet: inuiti tamen hoc facimus, teste Deo, sed necessario prouocati, vt cum qui peste multiplici Christianitatem nostris temporibus vidimus attritam. Ad cuius auxilium vna vobiscum, prout etiam nuperrime regiæ magnificentiæ scripsimus, totis intendere viribus sperabamus. Requirat autem de manu eius hoc Dominus, qui tanto discrimini, quod toti fere reipublicæ Christianæ minatur excidium, materiam subministrat. Dat. Taurini pridie augusti tertia indictione.*

Reges in Pont. concitare nititur.

24 Non ita literis suis principum oculos perstrinxerat Fridericus, quin Ecclesiæ æquitatem intuerentur, atque ad eam fouendam contra tyrannum animis propenderent: vnde callidus princeps cum in publicum odium adduci se videret, extimuit, ne pontificium fulmen frustra vibratum non esset; atque ad conciliandos auersos a se animos finxit scelerum pœnitere, redire in gratiam cum Ecclesia percupere. Suscepitque D. Ludouicus Rex pacis inter ipsum ac Innocentium ineundæ prouinciam, ac dedit ad Innocentium literas a, vt redeuntem Fridericum in gratiam reciperet. Agnouit illico Innocentius Friderici dolos, qui ficte pacem, quo tutius grassaretur, expetebat; ac sancto Regi gratias egit b, se pacis & concordiæ futurum interpretem obtulisse: sciret tamen se ante celebratum concilium nil vna cum Cardinalibus ad pacem componendam prætermisisse; vnde ex præteritis, illius conficiendæ spem omnem ereptam videri: cum tamen Ecclesia nullum venientem abigere soleat, se ex toto animo salutem Friderici expetere, cumque in fidelium consortium admissurum.

S. Ludouicus pro pace inter Frider. & Innoc. conciliãda operam nauat.

a Par. hist. Angl.

b Lib. 4. ep. 32.

Regi Franciæ illustri.

25 Illius deuotionis ardore progenitores tui erga Ecclesiam ferbuisse noscuntur, quod inter cæteros orbis principes ipsius Ecclesiæ defensores præcipui libertatem eius non solum conseruare, sed augere multipliciter studuerunt. Super eo igitur, quod tu eisdem progenitoribus propagatione sanguinis, & deuotionis imitatione succedens præfatæ honorem Ecclesiæ feruenter appetere, illumque solicite procurare operis exhibitione probaris, celsitudinem tuam dignis in Domino laudibus efferentes gratiarum tibi, quas possumus actiones referimus. Sane venerabilis frater noster episcopus Siluanectensis, & dilectus filius G. custos Baiocensis tui nuntij, quos nuper ad nostram præsentiam destinasti, inter alia nobis ex parte tua proponere curauerunt, quod inter Ecclesiam & Fredericum quondam Imperatorem pacem desideras reformari: ad quam tractandam paratus es ob zelum Dei & reuerentiam Ecclesiæ, ex quo tibi tenemur non modicum, instanter interponere partes tuas. Verum scire te volumus quod nos, & fratres nostri ab eo tempore, quo fuimus supra regimen vniuersalis Ecclesiæ constituti, vsque ad tempus concilij Lugdunensis toto ingenio, totaque solicitudine instantes opportune ac importune laborauimus; in vanum tamen, ad pacem huiusmodi obtinendam. Vnde amodo per ea, quæ præcesserunt, non speramus posse proficere in [illegible] atu.

Quid sancto Regi responsum a Innocentio.

Sed

26 Sed quia Ecclesia non consuevit claudere gremium redeunti, nos eius exemplo, cuius sumus, licet immeriti, vicarij constituti; qui non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat, præfati Frederici salutem appetimus, ipsumque desideramus recipere, si forsan inspiratus diuinitus redire velit ad ecclesiasticam vnitatem; & ob specialis dignationis affectum, quem ad tuam personam habemus, & de quo speramus, quod non permitteres in aliquo decipi sacrosanctam Ecclesiam matrem tuam, agemus, quanto mitius & benignius cum Deo & honore Ecclesiæ sine peccato poterimus, cum eodem. Super facto vero subsidij Terræ sanctæ præfati nuntij tibi responsionem nostram referent viua voce. *Dat. Lugduni non. nouemb. ann. IV.*]

27 Egisse magna contentione superiore anno sanctum Regem cum Innocentio in secretis illis colloquijs, de quibus diximus, vt Fridericum exauctoratum in gratiam reciperet, ex literis a ipsius Friderici colligitur: in quibus Anglorum Regi significat S. Ludouicum ad redintegrandam concordiam summum Pontificem conuenisse. Permouerat religiosissimum principem (quem Ionuillanus b omnium pacis amantissimum fuisse docet, ac semper conciliandæ inter exteros concordiæ incubuisse, quamquam non leuia commoda ex eorum dissensionibus aucupari posset) instaurandarum Syriæ rerum cupiditas; cum prudentissime præsagiret ornandam a se in potentissimos hostes expeditionem parum feliciter confectum iri, si occidens ciuilibus Imperium inter & Ecclesiam bellis arderet. Cur vero intercessoris tanti beneficio pax iniri non potuerit, refert Fridericus ad Pontificis seueritatem, qui voluerit vt sine vllis conditionibus Ecclesiæ sese submitteret; cum ipse Imperij & regnorum suorum saluis iuribus tantum pœnarum dare vltro se offerret, quantum Ecclesiæ iudicio decerneretur: *Fideles nostros excellentia nostra legatos plene nostra voluntatis auctoritate suffultos specialiter prouidimus destinandos, qui dum pro honore Ecclesia matris nostra ac felicibus Christianitatis auspicijs, saluo semper honore Imperij & regnorum, quibus auctore Domino præsidemus, voluntatem nostram paratam exponerent, & manifesta præsagia futura satisfactionis offerrent: qua Rex,* Francorum scilicet, *sufficientia postulabat, iste bonus pastor Ecclesia nullum ad ius & honorem Imperij, nec ad nos voluit habere respectum, sed totum sua subijcere potestati, &c.* Cæterum S. Regem Pontificis rationibus acquieuisse, sensisseque in Fridericum pacis simulatorem & incentorem belli commorum, sequenti anno videbitur; quo Pontifici ad euertendam Friderici tyrannidem in Italiam exercitum ducere obtulit. Hactenus de Friderico; iam ab ipso ad Russorum principem, qui subditos ad Ecclesiæ Romanæ coniunctionem adduxit, dum ille quos poterat ab ea diuelleret, sermonem conuertamus.

a *Ext. apud Petr. de Vin. Valbe. lib. 1.*
b *Ionuill. in hist. S. Lud. par. 2.*

Russi ad Ecclesiæ Rom. coniunctioné traducti.

28 Procubuere in Romanæ Ecclesiæ obsequium Russi hoc anno, qui licet antea euangelica luce essent collustrati, in Græcorum tamen schismate atque erroribus mersi iacuerant: quorum conuersionem Longinus c non tam Danielis ipsorum principis pietati, quam ambitioni tribuit. Cum enim amplissimis opibus subditarum gentium multitudine polleret, ducis nomine abiecto ad regiam dignitatem assurgere in animum induxit: quam vt conciliaret sibi, oratores ad Opizonem abbatem e Mezano in Polonia legatum maxima auctoritate ab sede Apostolica instructum misit; obtulitque se populos sibi subditos ad Romanæ Ecclesiæ obsequium adducturum, viresque ad propulsandos Tartaros cum cæteris catholicis coniuncturum, si regium sibi diadema imponeret: illum vero & diuinæ gloriæ amplificandæ & illustrandæ legationis suæ cupidum, renuentibus Polonis præsulibus, quos inuidia agi putabat, regijs ornamentis Danielem sacramento adactum se suosq; Romanæ Apostolicæ sedi obsequentes futuros induisse. Meminere apud Vincentium a promotæ ab Opizone Russorum conuersionis Minoritæ, qui gesta apud Tartarorum Imperatorem legatione redierant: exceptos enim magna lætitiæ & gratulationis significatione a Daniele & Vvasicone eius fratre aiunt; tum subijciunt: *Medio tempore inter se, & cum episcopis cæterisque probis viris, super his, quæ locuti fueramus eisdem in processu nostro ad Tartaros consilium habentes responderunt nobis communiter dicentes, quod dominum Papam habere vellent in specialem dominum & in patrem, sanctam quoque Romanam Ecclesiam in dominam & magistram: confirmantes etiam omnia quæ prius de hac materia per abbatem suum transmiserant: & super hoc etiam nobiscum ad dominum Papam nuncios suos & literas transmiserunt.* Verum antequam ij ad sedem Apostolicam accederent, lætissimo primo nuncio excitatus Innocentius, Prussiæ archiepiscopum, quem ex Armachana ad illam sedem ineunte anno transtulerat b, Apostolicæ sedis legati dignitate ornatum ad Russos misit c, redeuntibusque ad Ecclesiæ coniunctionem gratulatorijs literis sanste precatus est.

c *Long. hist. Pol. l. 7 hoc anno.*
a *Apud Vinc. Bellou. spec. hist. l. 31. cap 39.*
b *Tom. 2. ep 377.*
c *ibid. ep. 476.*

29 *Cum in partibus vestris mores & ritus Græcorum, qui superstitiose ac damnabiliter ab vnitate ecclesiastica recesserunt, fuerint hactenus non sine animarum periculis obseruati; & nuper gratia faciente diuina illuminata fuerint corda vestra, vt recognoscentes Romanam Ecclesiam matrem aliarum omnium & magistram; ac summum Pontificem successorem Petri, cui collata sunt claues regni cœlestis ligandi, & soluendi, & Iesu Christi vicarium esse caput; quia cum vnus sit Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnum principium, vnum corpus Ecclesia militantis, corpus cum pluribus capitibus monstruosum, & sine capite acephalum censetur; ad deuotionem & obedientiam Apostolica sedis & nostram redire, sicut accepimus, affectetis; nos et assurgentes in laudem, qui oculos Tobia per collyrium ex felle piscis illuminare dignatus est, & aperire oculos cæci nati; ac exultantes cum muliere, qua iuxta veritatem euangelicam dragmam, qua perierat, reinuenit; venerabilem fratrem nostrum archiepiscopum Prussia, & Estonia A. S. L. virum vtique secundum cor nostrum, morum honestate decorum, literarum scientia praditum, & consilij maturitate praclarum; qui vobis verba vita deferat, & nostram & fratrum nostrorum plenius voluntatem exponet, ad partes vestras, commisso sibi in eisdem partibus plena legationis officio, duximus destinandum; concessa ei libera potestate vt euellat & destruat, dissipet & disperdat, ædificet & plantet, prout secundum Deum viderit expedire, &c. Dat. Lugdun: v. non maij ann. III.*

30 Quas etiam literas Russorum Regi paucis immutatis dedit, exhortatus c vt legato gratia & opera non deesset, & ad retundendos Tartarorum impetus consilium auxiliumque tribueret: ita enim immortalē apud homines gloriam, atque apud Deum immensa sibi præmia pariturum. Illum etiam in beneuolentiæ signum Apostolicæ sedis clientelæ commendatum fore pollicitus est d: concessitque e, vt Alexius Prædicatorum familiæ, vir laudibus cumulatissimus, vna cum socio in eius aula versaretur. Legato vero suo in Russia, quo felicius religionis causam promoueret, iniunxit, vt lectissimos quosque viros scientiæ ac virtutum laude conspicuos, siue seculares sacerdotes, siue ex Prædicatorum ac Minorum religiosis familijs, & alijs regularibus, episcopos Russis præficeret, ijsque consecrationis munus impertiretur. Concessa alia illi apostolica beneficia attexere visum est: petierat legatus, idemque archiepiscopus Prussiæ, Liuoniæ, & Estoniæ, dum apud sedem

Hortatur Russorum Regem ad propulsandos Tartaros.
c *ib. reg. post sand. ep.*
d *Lib. 3. ep 480.*
e *ibid. ep. 481. 482. ep. 478.*
Religioni in Russia propagandæ incumbit.

Apostolicam versatus erat, vt pallium pontificalia officij insigne daret, præmissoque fidei sacramento obtinuerat, ad quē exarato diplomati hæc Innocentius inseruit a: *Tu autem illo intra ecclesiam tuam illis vtaris diebus, qui expressi in ipsius ecclesiæ priuilegijs continentur. Vt igitur signum non discrepet a signato, sed quod sic geris exterius, interius serues in mente: fraternitatem tuam monemus, & hortamur attente quatenus humilitatem & iustitiam dante Domino, qui dat munera, & præmia elargitur, conseruare studeas, quæ suum seruant, & promouent seruatorem; & Ecclesiam sponsam suam cures solicite auctore Deo spiritualiter, & temporaliter augmentare. Dat. VI. kal. maij anno III.*

a Lib. 3. ep. 483.

31 Antea illi vt in prouincijs suæ auctoritati obnoxijs crucem præferre posset, indulserat b, vt qui Christo sub ducis munere militaret præessetque fidelibus, illius triumphali signo præuio incederet.

b Ep. 416.

Archiepiscopo Prussiæ, Liuoniæ, & Estoniæ.

Æterni Regis victoriosum vexillum, ex impressa fidei potestate credentium mentibus per prædicationis in omnem terram diffusa præconia eleuatum, coram ordinata Christianorum acie proponitur imitandum: sed illi, qui aliorum curam ex iniuncto sibi officio susceperunt, gregis dominici facti duces, & cum Apostolo commissis sibi fidelibus dicere confidentius audeant: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*; oculos in ipsius vexilli appensum signaculum, & suspensum eo indeclinabiliter debent dirigere, quo sibi per passionis iugem memoriam imprimuntur sequenda vestigia, vt in sui corpore portent stigmata Iesu Christi, quæ sequacibus proponant euidentius in exemplum. Tuis igitur precibus inclinati, vt commissa tibi ecclesia in te munus recipiat gratiæ specialis, & post crucifixum crucem portes propriam abnegans temetipsum, currens velocius, cum explicaueris vias tuas, spei propositæ brauium accepturus; quod per totam prouinciam tibi metropolitico iure subiectam, tam tu, quam successores tui coram vobis faciatis crucis signaculum anteferri, auctoritate vobis præsentium indulgemus. *Dat. Lugduni XIV. kal. april. ann. III.*]

32 Flagitante per hæc tēpora Yaquino Norvvegiæ Rege, vt Innocentius legatum apostolicum in ipsius regnum mitteret, Vv. Sabinensem episc. eo munere ornauit Pontifex; quem Regi, vt virtutibus cumulatissimum, rescriptis omni officio refertis literis c commendauit; meritisque etiam laudibus egregium ipsius in sedem Apostolicam studium extulit. Nec modo Vvillelmo gerendæ in Norvvegia, sed etiam Suecia legationis officiū minctum: *Tuo desiderio expresso*, Regem alloquitur, *nobis per literas, ac dilectū filium abbatem monasterij de Hoduedbeia Cisterciensis ordinis & B.. canonicum Nidrosiensem nuncios tuos, diligenter audito de consilio fratrum nostrorum prouidimus, quod venerabilem fratrem nostrum Sabinensem episcopum in Norvvegiam & Sueciam, concesso sibi plenæ legationis officio, destinemus. Qui cum sit de dignioribus membris Ecclesiæ ad hoc tota mente solicitus, vt Deo per innocentiam vitæ placeat, & gratus hominibus per piæ studium conuersationis existat intentus ad hoc; habebitur, quod tuæ decus excellentiæ, ac regni vtilitas per eius ministerium, Deo propitio, procuretur. Ipsum autem cum ad te peruenerit, sic deuote recipias, & pleno prosequaris honore, eius pia consilia efficaci diligentia completurus: quod ex hoc & in conspectu æterni Regis amabilis, & semper charus in oculis Ecclesiæ habearis. Dat. Lugduni III kal. nouemb. anno IV.* De eadem legatione ad præsules magnatesque regni scripsit, quos legati apostolici imperijs præsto esse iussit. d

Sabinēsis ep. Card. in Norvvegiam legatus missus.

c Lib. 4. ep. 189.

d Eod. l. 4. ep. cur. 30.

33 Inter cæteras vero rationes, quæ Yaquinum ad postulandum legatum impulerant eam, principem existimo, vt solempni ipsum pompa corona redimiret; in literis enim apostolicis a, quibus legatio Sabinensi episcopo commissa, iussus est legatus præsulum nobiliumque cœtum indicere, eoque coacto vice Romani Pōtificis Norvvegiæ Regem corona insignire: *Te in Norvvegiam & Sueciam, concesso tibi plenæ legationis officio, duximus destinandum, dantes fraternitati tuæ de fratrum nostrorum consilio potestatem, vt ascitis prælatis prouinciarum huiusmodi, & conuocatis earum nobilibus, quos videris opportunos, eisque consultis, charissimo in Christo filio nostro illustri Regi Norvvegiæ vice nostra coronæ regiæ largiaris honorem. Tu autem commissam tibi solicitudinem sic prudenter & laudabiliter secundum gratiam attributam desuper prosequaris, quod Dei gloria, & ipsius Ecclesiæ, ac Regis eiusdem decus inde proueniat; & præfatis prouincijs accrescat, auctore Domino, status gratiæ salutaris. Dat. Lugd. III. non. nouemb. an. IV.* Delibutum sequenti anno regia inunctione Haquinum Regem narrat Parisius b his verbis: *IV. kal. augusti, qui est dies sanctissimi Regis & martyris Olaui, celeberrimi apud Norvvegensium regiones & insulas, coronatus est Rex Haco, & in Regem inunctus solemniter apud Bergas ab episcopo Sabinensi legato, tum in partibus illis existente.*

a Ibid. ep. cur. 32.

Data illi induendi regijs ornamentis Haquini prouincia.

b Par. hist. Angl. ann. 1247.

34 Impuris natalibus procreatus erat Haquinus, sed eam maculam maximis laudibus, virtutumque ornamentis opprimebat: quare Innocentius ob egregia eius animi decora, tum ob præclara ipsius patris erga Apostolicam sedem merita, tum ob eximiam a Norvvegiæ Regibus propagandæ Christi, atque Ecclesiæ gloriæ nauatam operam adductus est, vt diplomate apostolico natalium maculam deleret; c atque ad conscendendum solium regium, quod vnum videbatur obstaculum, amoueret: omnia ipsius acta regia legitima futura sanciret; & in ipsius posteros capessendi sceptri iura transfunderet.

Natalium illius labē ad sustinēdam regiā dignitatē delet.

c Lib. 4. ep. 221.

Yachino illustri Regi Norvvegiæ.

Mira Regis æterni benignitas honore multiplici sponsam suam Reginam Ecclesiam insigniuit: sed in eo potissime ipsam honorabilem, & felici reddidit statu fulgentem, quod illam sibi tribuit plenitudinem potestatis, vt non solum personis humilibus, sed quantacunque sublimitate conspicuis, in ijs posset adesse magnifice, per quæ ipsi clari nominis titulum & famosæ consequantur potentiæ incrementum. Sane contemplati merita puræ deuotionis, & fidei quibus inclytę recordationis Reges Norvvegiæ inter catholicos mundi principes claruerunt, nobis & Ecclesiæ producit specialium delicias gaudiorum. Inde fit quod feruens in mente nostra consurgit affectio, vt circa te, Apostolicæ sedis charissimum pro tuorum excellentia meritorum, sic eiusdem sedis abundet gratia, penes deuotos ipsius multipliciter affluere consueta, quod auctore Domino tibi & hæredibus tuis honoris exinde magnitudo proueniat, & votiuæ materia prosperitatis accrescat. Cum itaque claræ memoriæ Haquinus Norvvegiæ Rex pater tuus te, prout accepimus, solutus susceperit de soluta; nos tuam celsitudinem speciali beneuolentia prosequentes, vt huiusmodi non obstante defectu ad regalis solij dignitatem, & omnes actus legitimos admittaris; nec non quod hæredes tui legitimi tibi in dominio & honore succedant, fratrum nostrorum communicato consilio, tecum auctoritate apostolica dispensamus; sperantes quod tu & ijdem hæredes tantæ gratię magnitudinem memoriæ signaculis taliter alligetis, vt tibi & eis in delectationem veniat omnium conditori, per vitæ virtuosæ studium, & sanctæ ipsius Ecclesiæ placere iugiter per sincere deuotionis augmentum. *Dat. Lugd. VI. id. nouemb. an. IV.*]

35 Acceptis ab Ecclesia beneficijs respondit præstantissimus Rex: ad tuendum enim illius splendorem & elidendam in extremis orientis oris Sarracenorum tyrannidem crucesignatæ militiæ se deuouit.

Bello sacro se deuouētem in protectionē suscipit.

Illum

Illum enim propterea, vxorem, filios, omniaque ſua ſedis Apoſtolicæ clientelæ commiſſa ac demandata fore ſanxit Innocentius a, dum in ea expeditione verſaretur. Conceſſam etiam illi a Pontifice tertiam pro inſtruendo bellico apparatu, militumque ſtipendijs eccleſiaſticorum vectigalium partem refert Pariſius b: additque S. Ludouicum, accepto pij illius conſilij nuncio, oratoribus ad eum miſſis, vt copias cum ſuis coniungeret ſolicitaſſe, pollicitumque ſe ipſum, vtpote maritimis viribus pollentem, claſſi ſuæ ac parti exercitus præfecturum: Haquinum verò, cum metueret Norvvegos moribus & lingua a Gallis diſcrepantes facile ad rixas cum ijs deſcenſuros, & rei Chriſtianæ maximum inde damnum illatum iri, pro oblatis liberaliter gratias egiſſe, cenſuiſſeque tutius fore, ſi ipſi ſeorſim exercitum ducerent; regium tamen diploma, quo ipſius ſecuritati, dum per Gallias iter haberet, caueretur, expetijſſe, ac verbis ampliſſimis obtinuiſſe. Sed ne impietatem in proximis ſuæ ditioni locis dominari permitteret, qui ad eam in Terra ſancta oppugnandam tot locorum interualla erat peragraturus, expetijt a ſede Apoſtolica ſibi poteſtatem demandari, vt ethnicos edomaret, qui in ipſius regni confinio idolorum cultui erant mancipati, atque ad proſcribendam ſuperſtitionem armis cogeret. Cuius pijs votis obſecutus Innocentius in præmium explicandæ in egregio facinore virtutis hoc conceſſit c: *Tuæ ſerenitatis precibus annuentes, vt cum aliqua ex terris paganorum ipſorum Chriſtiano dominio fuerit ſubiugata, in eccleſijs, quæ ibidem a te, vel tuis hæredibus conſtructæ fuerint & dotatæ, ius patronatus habendi perpetuo tibi auctoritate præſentium indulgemus. Dat. Lugd. VII. id. nouemb. ann. IV.* In tanti etiam Regis gratiam Innocentius ipſius vxorem Reginam beneficijs apoſtolicis eſt complexus: omnia enim regia magnificentia ac liberalitate a viro dotis nomine conceſſa bona, exarato ad ipſam diplomate d rata eſſe ſanxit, eaque in pontificiæ maieſtatis clientelam arripuit: qua de re ad archiepiſcopum Nidroſienſem, atque Stauangrenſem & Bergenſem epiſc. literas exarauit e, vt ad vindicanda ab inuaſorum audacia eius bona incumberent, nec pontificiam conſtitutionem vllo modo infringi vnquam paterentur.

Porrexerat ſedi Apoſtolicæ preces Nidroſienſis archiepiſc. quem modo ad Reginæ Norvvegiæ iura integra ſeruanda operam explicare iuſſum vidimus, vt Auguſtinus ipſius deceſſor ſupra a nobis memoratus, cuius ſanctitas late pluribus miraculis effulſerat, ſanctorum catalogo adſcriberetur: impulitque Innocentium, vt religioſis viris ad ea inquirenda & exploranda miracula, inſtituendumque de ijs ſacrum ac publicum examen, prouinciam committeret.

36 Detulit grauiores querelas ſedi Apoſtolicæ Daniæ Rex in Robſadenſem epiſcopum, qui cum ingentibus ab eo beneficijs & honoribus ornatus eſſet; atque etiam ipſo Regij ſigilli præfecti munere decoratus, ac regiorum arcanorum ex ſummo, quo eum complectebatur amore, particeps factus, in hoſtem ac proditorem deſciuiſſet; regni regiſque bona expilaſſet, & cum conſanguineis in eum coniurationes conflaſſet: quæ cum in lucem emerſiſſent, vrente conſcientia ſceleris, in alienas ac remotas terras aufugerat. Quare Pont. ſex, vt ſeueritatem legum in eum exerceret, Simoni de Aluernia Minoritæ cauſæ epiſcopi de pluribus ſceleribus poſtulati cognitionem permiſit g; eaque de re publica acta ſuo ſigillo munita tranſmitteret iuſſit. Expoſtularat etiam idem Rex Lundenſem archiepiſcopum, cum prouincia ei demandata eſſet, vt epiſcopum Neſvvicenſem ad præſtandum Regi fidei ſacramentum eccleſiaſticis cenſuris adigeret, impetijs ſuperſediſſe. Quocirca Innocentius pontificijs literis Lundenſem archiepiſcopum rebellem præſulem compellere ad clientis officium deferendum iuſſit a, vel ſe cur id fieri vel non debeat, vel non poſſit, facere certiorem.

37 In Vngaria archiepiſcopus Colocenſis A.S.L. ardenti catholicæ fidei ſtudio æſtuans, aduerſus hæreticos, qui Boſniam infecerant, crucis ſuſcipiendæ cupidus, cõſilium Pontifici ſignificauit. Qui eo collaudato b crucem tranſmiſit, quam ita humeris affigeret, vt corde altiſſimo impreſſam circumferret, atque illius ſigni conſpectu ſeſe ad eorum ſalutem armis comparandam inflammaret, pro quibus in cruce ſanguinem Dominus profudiſſet: *Fraternitatem tuam rogamus, monemus & hortamur attente, ac in remiſſionem tuorum tibi iniungimus peccatorum, quatenus ob illius reuerentiam, qui in eodem ſigno mortis amaræ ſubiuit tormentum, vt humanum genus de mortis faucibus liberaret; dictum ſignum humeris tuis affigens, illud ſemper in corde geras, votum huiuſmodi exequendo viriliter & potenter; ita quod tuus labor fructum, & obſequium optatam reportet mercedem; ac exinde diuinam gratiam & fauorem ſedis Apoſtolicæ uberius merearis. Dat. Lugduni III. id. aug. an. IV.*

38 Nondum euulſa in Gallijs penitus atque exciſa fuerat Albigenſium hæreſis, cuius delendæ ſolicitus Innocentius tribuit c Agennenſi epiſcopo; cui Albanenſis epiſcopus pontificio iuſſu excidendæ illius in Toloſani comitis terris, alijſque circumpoſitis munus iniunxerat; vt in ſacris concionibus habendis contra hæreticos indulgentiarum præmia effunderet, vti cæteri inquiſitores conſueuerant; vtque officij ſui partibus egregie atque ardentiſſimo zelo fungeretur imperauit. Hic vero de Tuſculano epiſcopo atque A. S. legato ſilentio prætereundum non eſt, Innocentium ad ipſum ſcripſiſſe d vt decimas, flagitante ita Rege, pauperibus re cognita remitteret. De decimis porrò expeditionis ab Rege in Terram ſanctam ornandæ gratia, Innocentij permiſſu exactis meminit Pariſius e: hacque de cauſa vtrumque temere carpit.

39 Offerunt iam ſeſe Anglorum res percenſendæ. In primis edidit Innocentius diploma apoſtolicum in gratiam Henrici Anglorum Regis ad præſules ac proceres Angliæ directum, quo ipſos accepta a Rege bona, ac iura in regia ipſius conſecratione extorto ſacramento confirmata reſtituere iuſſit. Cum enim in priore nuncupato iureiurando ſe omnia regni iura integra atque illibata ſeruaturum ſpopondiſſet, non licuit poſtea regia bona diſtrahere; quare reſciſſo poſteriore ſacramento, accepta reddere iubet: ni faciant, ſe Regi in adeo iuſta cauſa non defuturum comminatur f: *Ad audientiam noſtram peruenit, quod licet idem Rex in coronatione ſua ipſius regni iura, honores coronæ, immunitates & libertates ſeruare iurauerit illibate; quidam veſtrum fratres archiepiſcopi & epiſcopi, & filij prælati ſibi & eccleſijs ſuis; quidam vero veſtrum filij comites, barones, & milites ſibi & eorum hæredibus procurauere ab eodem Rege conferri villas, caſtra, maneria, libertates & alia quædam iura, quæ ad regnum iam dictum pertinent ab antiquis in ipſius regni non modicum præiudicium & iacturam; ac de huiuſmodi conceſſionibus minime reuocandis iuramentum, & literas exhiberi. Cum igitur prioris licite fuerit præſtatio iuramenti, & ideo iuramentum poſtea præſtitum contra illud non extiterit licitum, nec ſeruandum, vniuerſitatem veſtram rogamus & hortamur attente, mandantes quatenus diligentius attendentes illius rei detentionem eſſe prorſus illicitam, & indignam, quæ ſaluti obuiat animarum; quicquid ſinguli veſtrum de præmiſſis a memorato Rege taliter obtinetis, præfato iuramento ſecundo præſtito non obſtante ipſi Regi libere ac ſine qualibet difficultate reddatis. Dat. Lugd. VII. kal. april. ann. III.* Miſſis etiam alijs Regi literis g id confirmauit, vt cum prius ſacramentum iuſtum foret, alterum omnino irritum fuiſſe:

a Ibid. ep. 332.
b Par. hiſt. Angl. an. 1247.
Excitat ad finitimos infideles edomandus.
c Ibid. ep. 327.
d Ep. 329.
e Ep. 130.
Inſtituta de miraculis B. Auguſt. Nidroſ. arch. quæſtio.
f Ep. 355.
Rex Daniæ apud Pontificẽ de Robſadenſi epiſcopo queritur.
g Lib. 4. ep. 19.
a Ibid. ep. 350.
Crucem tranſmittit Pont. Colocenſi arch. ad uerſus Boſniæ hæreticos.
b Ep. 55.
Albigenſes ad ſupplicium quæſiti.
c Ep. 48.
d Ep. 58.
e Par. hiſt. Angl.
Reſciſſa Regis Angliæ ſacramenta, quibus iura regia forent imminuta.
f Lib. 3. ep. 417.
g Ibid. ep. 448.

fe:

se: ac licet ab sede Apostolica corroboratum esset, omnino tamen conuellendum.

Cordubēsis episc. in Mauros se cruce consignat.

40 Superest vt de Hispanicis rebus aliquid ex pontificijs literis, atque ex auctoribus decerpamus. Igitur Innocentius, ecclesiæ Cordubensi consulturus, præfecit a G., antea eiusdem ecclesiæ canonicum, quem sacris episcopalibus initiauit. Accinxerat ille sese ingentibus animis ad debellandos Sarracenos, qui terras Christianorum occuparant, prophanarant, horrendis sacrilegijs consecrata numini templa, religionemque euerterant. Quod pium & generosum consilium cum sedi Apostolicæ detulisset, assensit Pontifex b, concessitque vt ea indulgentiarum præmia ijs, qui in ipsius castris versarentur, attribueret, quæ in Terram sanctam profecturis concilium 11. Lateranense decreuisset: illi prætetea potestatem fecit c, vt anathematis nexu eos absolueret, qui clericos percussissent, si sacræ in Sarracenos expeditioni vnà cum ipso profecturos se deuouerent.

a Ep. 409. b Ep. 410. c Ep. 412.

Alfonsus Regis Castellæ maior natu filius in eos expeditionem parat.

Ardebat eadem pietate fidei propagandæ Alfonsus Regis Castellæ ac Legionis maior natu filius, qui Sarracenos Christianorũ terris proximos bello lacessere ac subijcere in animum induxerat. illũ hoc anno plura loca barbaris in Murciæ regno eripuisse, ac Ferdinandum patrem Oringim amplissimam vrbem subegisse scribit Surita d; Mariana e vero addit Alfonsum Carmonam ad pendenda annua vectigalia compulisse, & Constantinam, Reynam, Loram in suam potestatem redegisse. Susceptam igitur ab egregio principe expugnandæ Sarracenæ superstitionis mentem summis laudibus cumulauit, literisque apostolicis fideles, vt sub illius signa confluerent proposita criminum condonatione incitauit f: *Benedictionis filius Alfonsus primogenitus charissimi in Christo filij illustris Regis Castellæ & Legionis, ad hoc feruenter inuigilans, vt sicut pollet nobilitate generis, sic semper eniteat decore virtutis, inspirante Dei filio, prout læti corde percepimus, suum ad hoc firmiter direxit affectum, quod hostes fidei in frontaria regni Castellæ, & Legionis positos per auxilium diuinæ potentiæ reddat Christiano nomini subiugatos. Cum itaque delectabile vobis & promptum esse debeat, vt quasi in domorum vestrarum ianuis vobis regni cælestis gloriam acquiratis; vniuersitatem vestram rogamus, & hortamur in Domino in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus ad vestri creatoris honorem, qui pro momento laborum temporalium quietis gaudia æterna compensat, deuotis mentibus assumatis Redemptoris nostri negotium vnà cum prædicto Alfonso magnanimiter promouendum; ita quod vestrarum virium fultus auxilio de catholicæ contemptoribus fidei palmam victoriæ, iuxta suum & nostrum desiderium, gaudeat reportasse. Nos enim, vt ad tanti prosecutionem negotij eo feruentius voluntarij sitis & faciles, quo nos in largitione gratiæ spiritualis ad vitam perpetuã esse percipitis liberales; omnibus verè pœnitentibus, & confessis, qui opus tã sanctum cum prædicto Alfonso in proprijs personis subierint et expensis; vel qui secum personaliter in alienis expensis, contra huiusmodi hostes processerint in terram illorum ad tẽpus congruum iuxta ipsius Alfonsi prouidentiam seruituri, concedimus illam peccatorum veniam, quæ Hierosolymã euntibus indulgetur. Dat. Lugd. VIII. kal. maij an. 3.*

d Surit. annal. to. 3. cap. 43. e Marian. de rebus Hisp. l. 13. cap. 3. f Ep. 492.

Queritur Sanctium Regem Lusitaniæ ab Alfonso eiectũ.

41 Concussa est hoc tempore grauissimo bello Lusitania. Sanxerat Innocentius, vti anno superiori vidimus, vt Regis frater Bononiæ comes, qui maxima auctoritate & prudentiæ laude florebat, regnũ administraret; & a gubernaculis eos, quos Mentia, quæ Regis voluntatibus dominabatur, ex obscuriore loco ad honores extulerat, amoueret: non tamen fratri regnum præriperet; immo potius illud integrum eius proli, si quam gerendo regno idoneam susciperet, reseruaret. Armatus ergo pontificia auctoritate Bononiæ comes, quod nisi aperta vi non poterat, resistentes sibi bello petijt, ac plures vrbes, oppida & propugnacula in suam potestatem adduxit. Inter quæ nonnulla fuere, quæ Lusitaniæ Rex Alphonso Castellæ Regis filio liberaliter contulerat: quam sibi illatam iniuriam cum Pontifici exponeret, hæc rescripsit Innocentius. a

a Eod. l. 3. ep. 593.

Nobili viro Alphonso charissimi in Christo filij nostri Regis Castellæ illustris primogenito.

42 Sinceræ deuotionis, qua tui progenitores inter alios orbis principes erga Deum & Ecclesiam specialiter ferbuisse noscuntur; & inconcussæ constantiæ, qua eidem Ecclesiæ, ipso præcipue opportunitatis tempore non est dubium astitisse, Apostolica sedes, velut gestorum consideratrix attenta, non immemor; te claris illorum exigentibus meritis intimæ brachijs dilectionis amplectitur, & ad tui honoris augmentum, & commodi sedulo, ac vigilanter intendit: præsertim quia progenitoribus ipsis non solum propagatione sanguinis, sed probitatis imitatione succedens, sic te sedi prædictæ filialis prosecutione reuerentiæ reddis charum, quod te sedes ipsa exuberãtibus circa personam tuam maternis eius affectibus, quasi filium reputat predilectum. Vnde nõ solum pati volumus, quantum in nobis est, tuæ nobilitatis iura imminui, sed & apostolici fauoris presidio illa communire cupimus, & etiam paternæ diligentię studio multipliciter augmentare. Sane receptis literis tuis, & plenius intellectis, ex earum tenore collegimus te cõmotum esse grauiter & turbatum super eo quod, sicut in eisdem continetur literis, dilectus filius nobilis vir comes Boloniæ, Portugalliæ regnũ ingressus, charissimũ in Christo filium nostrũ illustrem Regem Portugalliæ regno ipso eiusque dominio inhumaniter spoliat; ciuitates, villas, castra, & oppida dicti regni expugnans machinis, & violenter inuadens, alia quamplura in eorundem Regis, & regni iacturam immaniter exercendo. Terras insuper, castra, & quædam alia, quæ dictus Rex in eodem regno tibi regia liberalitate contulerat, occupare ac sibi vindicare molitur. Verum ignorare te nolumus quod licet ad magnum, diutinum, & instantem clamorem prælatorum, & aliorum tam religiosorum, quam secularium clericorum; nobilium quoque, omniumque fere fidelium regni præfati, iam dictus comes Regis eiusdem frater, qui de solicitudine ac prudentia multipliciter commendatur, ad ipsius regni custodiam, quod propter periculosum & intolerabilem iustitiæ defectum; ac alia multa grauia, & enormia, quæ libere ac impune sine intermissione committebantur ibidem, quasi vndique dissipatum cernitur, sit assumptus; non tamen est intentionis nostræ, nec extitit, vt per hoc iuri vel honori prædicti Regis, seu legitimi filij, si aliquem eum habere contigerit, in aliquo derogetur, si ad eum statum ipsum deuenire claruerit, vt per suam diligentiam & industriam possit prædictum regnum vtiliter & salubriter gubernari: sed potius sibi & eidem regno destructioni exposito, ac in illo degentibus in vita eiusdem Regis per probitatem, & circumspectionem memorati comitis consulatur. Porro quia firmam, quo te sincerius diligimus, eo amplius tuam honorandi personam * omnia bona, & iura tua, vbicumque illa te habere contingat, sic illibata manere volumus, vt nihil erga ipsa per quemcumque in tuum præiudicium attentetur; vnde præfato comiti nostris damus literis b in mandatis, vt contra te super huiusmodi bonis & iuribus nil præsumens; si contrarium hactenus forsan egit, vel si aduersus Regem prædictum contra formam a nobis traditam excessit in aliquo, emendare studeat protinus per seipsum. *Dat. Lugduni VI. kal. iul. ann.* III. numeratis nimirum pontificatus annis non a die, quo ad Petri sedem euectus, sed quo papali corona est redimitus.

Respondet Pont. daturum operam vt regiæ illius dignitati non detrahatur.

* voluntatem gerimus,

b Extrau. ib. ep. 594.

43 Dum Lusitania non leuibus turbis mutata

noua

Iacobus Rex Arag. Gerūdēsis episc. linguam amputat.

a Marian. de rebus Hisp. l. 13 cap. 6.

Cur tam graues in eum iras cōceperit.

nona rerum facie agitaretur, Aragonia ad crudele principis sui facinus expauit. Is enim Gerundensi episcopo, qui a confessionibus ipsi fuerat, linguam amputauit. Qua de re quid prodat Ioannes Mariana a ex tabulis Benefaciani monasterij hauriamus: *Iacobus Rex Aragonum a Therasia Vidaura, cuius amoribus iunior addictus fuerat, lege de coniugijs postulatus, quasi datam ipsi fidem iniustis nuptijs violasset, causam apud Romanos Pontifices dixit. Idonei testes non erant eo coniugio comprobando, quippe nullo, aut clandestino. Lite ergo contestata, victa Therasia est: ac secundum iura & merita Violantis Regina pronunciatum. Vnus Gerundensis episcopus, cui Rex arcano rem omnem reuelasse fama est, quod id studio incertum, sed Pontifici tamen Innocentio quarto renunciauit iniuste Regem facere, qui datam fidem falleret, posteriori coniugio quasi vitioso rescisso: Therasiam iustam vxorem loco reddendam videri, id ipsi Regem arcano confessum.* Hæc auctor. At cum Innocentius literis ad Regem datis, atque infra afferendis constantissime asserat, non fieri verisimile episcopum sacram confessionem patefecisse, id nulla ratione ab eo sibi indicatum ostendit. Cœptam paucis post interiectis verbis narrationem Mariana prosequitur: *Ergo cum Rex Therasia causa passim fauere Romanos Pontificisque animum manifeste in eam propensum, renuntiato iudice, seu quod ris erat ex conscientia suspicatus, episcopo Gerundensi in curiam euocato, atque in regiam ingresso linguam abscindi coram mandauit.* Hæc Mariana.

Corripit Regē ob crudele facinus Innocent.

44 Ad quæ illustranda pontificias literas adducere operæpretium est, ex quibus constat Pontificem grauissimis verbis perstrinxisse Regis crudelitatem, ipsiusque postulata refregisse, cum Aragonius id supplicium in episcopum exercuisse non contentus, in exilium amandari posceret, criminibusque illum varijs oneraret: amplissimis honoribus ornatum ingratum se gessisse, præter conscientiæ arcana patefacta, coniurationes aduersus ipsum conflasse. Quæ cum Rex iactaret tantummodo, nec probaret, Pontifex ad corripiendum flagitium insurrexit: crimen deleret pœnitentia admonuit b; nec enim potentia qua florebat, insolescere debere, quæ quo maior foret, eo maiori pudore, suscepto tanto scelere, suffundendus esset.

b Lib. 3. ep. cur. 27

Regi Aragonum spiritum consilij sanioris.

Receptis tuis literis & perlectis, mens nostra nimium obstupuit enormitate flagitij, quod ipsarum series continebat. Asseruisti quidem in eis venerabilem fratrem nostrum B. Gerundensem episcopum iamdudum, priusquam ad pontificale assumptus esset officium, ex regiæ familiaritatis gratia tantum in tua curia obtinuisse fauorem, vt inter maiores ibidem, quasi honorabilior haberetur. Sed ipse postmodum, sicut adiecisti, te prodens, quæ in foro pœnitentiali detexeras reuelare præsumpsit; alias quamplura contra te grauia machinando, propter quod vt tuum non differret regnum egredi præcepisti: & demum ipso episcopalem inibi honorem adepto, tu iracundiæ feruore succensus, eundem capi fecisti episcopum, & partem linguæ sibi ausu sacrilego amputari; vnde petebas a nobis vt de regno ipsum dictum episcopum amoueri, & tibi ac illis, qui tanti sceleris consilio vel ope seu facto fuere participes, absolutionis impendi beneficium faceremus.

45 Sane tuæ nos hactenus literæ puritate fidei, ac deuotionis sinceritate refertæ lætificare solebant; & celebris tuorum fama gestorum diffusa per orbem consueuit etiam reddere remotis: sed, proh dolor! tua missa nuper epistola stupendæ sæuitiæ insinuatione horribilis vehementi cor nostrum impleuit mœstitia, & rumor patrati facinoris tam longe, lateque dispersus nomen tuum singularis laudis solitum clare praeconio grauiter offuscauit. Super quo eo grauioris confodimur doloris aculeis, quo personam tuam charius, tui tuorumque progenitorum multis exigentibus meritis, diligentes, te inter cæteros catholicos principes Christi fidelibus, tanquam deuotæ fidei fidelisque deuotionis speculum & exemplar anteponere confidentius sperabamus. Porro eundem episcopum tuæ pœnitentialis confessionis secreta pandisse, non leuiter credere, nec asseuerare constanter regalem decet prudentiam; cum nec verisimilitudinem habeat nec ad id accedat credulitas aliorum: præsertim quia si velis diligenter attendere, hoc de facili comprobari non posset; & peritorum discretio principum maxime digne relinquit silentio, quæ legitimis nequit probationibus affirmare. nec nos petitioni tuæ potuimus annuere, cum nondum, prout ipsius epistolæ tenor innuit, videaris habere animum pœnitendi; sed conceptum potius contra dictum episcopum prosequendi rancorem. Postulasti namque ipsum a regno remoueri præfato, tanquam commissa in eum crudelitate minime sis contentus, nisi alterius pœnæ inflictio desæuiat in afflictum; & super dirum sui corporis cruciatum rigor exilij inualescat.

Hortatur ad expiandum pœnitentia crimen.

46 Verum quia non sinit nos antiqua dilectio immemores esse tui, ecce non omittentes adhuc literas, & monita nostra tibi dirigere, dilectum filium fratrem Desiderium pœnitentiarium nostrum, virum prouidum & discretum, ad te pro salute tua, quam feruenter appetimus, specialiter destinamus; vt idem, exprobrata tui grauitate reatus, consilium tibi super hoc tribuat salutare. Nam quis tanquam princeps catholicus excessum sic detestabilem commisisse recolitur, & tam atroces tamque sacrilegas manus in christum Domini extendisse? Qua itaque ira, vel furore inflammari adeo potuisti, vt regia prorsus maturitate deposita tanta laxaretis facilitate, vt in virum religiosum, venerabilem Christi ministrum, pontificali dignitate præditum irreuerenter irruens, linguam eius prædicationis ministerio, & officio ligandi animas, & soluendi; ac diuinæ laudis deputatam iubilo, vel verius dedicatam; abiecto timore Domini, cuius idem episcopus fungi legatione noscitur, tam enormi diminutione faceres deformari? Qua iniuria, vel offensa sic tua debuit commoueri constantia, vt in tuum olim spiritualem patrem, tuæque medicum animæ huiusmodi tyrannidem exerceres? Et quidem si etiam contra te in aliquo deliquisset, tibi penitus non licebat exinde sumere vltionem; sed illius profecto super hoc erat iudicium requirendum, qui suus dominus est & iudex.

47 Redeas igitur ad teipsum, & considerans in amaritudine spiritus huius immanitatem criminis, humiliare coram cælesti Rege, per quem regnas in terris; studens ipsum, quem contra te nimium prouocasti, condigna satisfactione placare: prædicto nihilominus episcopo & alijs eiusdem regni prælatis veram cordis contritionem de tanto commisso per affectum congruæ pœnitentiæ demonstrando, vt liquida tuæ mentis compunctio ipsos ad parcendum moueat, & ad rogandum etiam pro te animos attrahat eorundem: sicque veniam a Iesu Christo consequi, & ipsius reconciliari Ecclesiæ merearis; nec de potentia terrena confisus, pro qua magnæ confusionis debes rubore perfundi, cum illa contra Deum, a quo ipsam obtines, sis abusus, satisfacere prætermittas; quia excelsus Dominus amator humilium, & hic nonnunquam sublimium ceruices incuruat, & interdum eorum sibi vindictam in futuro reseruat. Non igitur differas, sed acceleres pœnitere, aperiens in hac parte iam dicti pœnitentiarij consilijs aures tuas; securus quod, etsi hoc agere forte contemnas, nos tamen non omittemus, etiam te inuito, quantumcunque

magni-

magnitudini regali diſpliceat, tuam procurare ſalutem. Speramus enim, quod ille, qui conuerti & viuere deſiderat peccatores, quæ prius bene geſſiſti reſpiciens, tui recordari dignabitur, tibique cogitandi quæ recta ſunt & agendi gratiam largietur; vt tandem tu rationis ſuperſtite iudicio, recognoſcens quod pater filium, quem diligit, corripit & caſtigat, ad pœnitentiam conuertaris. *Dat. Lugduni x. kalend. iul. an. III.*

48 Paruit pontificijs monitis, vt refert Mariana a Iacobus Rex, ac Valentinum epiſcopum ad veniã poſcendã, paratumq; ſe ad dandas pro crimine expiando pœnas, quæ a Pontifice decernerentur, exhibendum Apoſt. miſit. Audita legatione Innocentius Deſiderio legato cauſæ cognitionem commiſit, ac poteſtate conciliandi Regis Eccleſiæ, vbi ſcelus rite expiare ſacramento eſſet pollicitus, inſtruxit. Subdit auctor ex tabularijs Benefaciani monaſterij, vt Iacobus in ſolemni epiſcoporum conuentu Ilerdæ habito, Chriſtiana demiſſione in genua prouolutus, impoſitas a præſulibus pœnas magna doloris ſignificatione admiſerit: *His præſentibus Rex verbis grauiſſimis caſtigatus, atque in genua procumbens, criminis venia donatus eſt ea lege, ſi monaſterium Benefacianum, quod in Dertuſæ montibus ante viginti annos poſt captam Morellam oppidum inchoatum tardis incrementis ſurgebat, magnis ipſe molibus & cæmentis ad culmen vſque ſuo ſumptu perduceret Virginis matris nomine ſacrum, argenti pondo centum & quadraginta circiter annua tribueret; vnde Ciſtercienſes in eo monachi vitam ſuſtentarent. Publicum hoſpitium Valentiæ D. Vincentij nomine extrui cœperat pauperibus & peregrinis ſuſcipiendis. Et xenodochio maiora vectigalia deſignata ſunt, argenti pondo quadringenta ſingulis annis; vnde pauperes & peregrini alerentur: præterea ſacerdotes aliquot, qui ſacra procurarent, & iuuandis fouendiſque pauperibus præſto eſſent. Additum vt Girundæ in templo maximo idoneis redditibus ſacerdos perpetuis ſacris diuinum numen Regi & poſteris propitiaretur. Pontifex diploma conceſſit decimo kalendas octobris anno* MCCXLVI *quo poteſtas legatis datur Regem conciliandi cum Eccleſia, quod proximo menſe factum eſt. XIV. kal. nouemb. Ilerdæ ſolemni cæremonia Rex eſt piorum ſocietati templiſque redditus.* At de Hiſpanicis rebus ſatis.

a Marian. de rebus Hiſp. l. 13. cap. 6.

49 Hoc anno Edmundum Cantuarienſem archiepiſcopum ab Innocentio Papa Lugduni dominica proxima natalitia Domini præcurrente ſanctorum catalogo adſcriptum referunt, Pariſius b, Bernardus c, Guillelmus Nangius d, ac Longinus e. Subijcit Pariſius Anglorum Regem, vbi hæc accepit lætitia ingenti perfuſum, rem diuinam ſolemni pompa in æde regia peragi iuſſiſſe. Cæterum extat apoſtolicum diploma f de eodẽ Edmundo inter ſanctos relato, anno proximo ineunte datum, in quo Pontifex patrata diuinitus eius apud Deum precibus miracula recenſet, vt cæcis viſus reſtitutus, vt leproſi lethalique morbo impliciti priſtinæ valetudini redditi; tum vero vt vitam ſanctiſſime duxerit, carnis aculeos cilicijs, ieiunijs ac vigilijs attriuerit; vt puriſſimum animum cælo continuis precibus transfuderit, gregem ſanctiſſime pauerit, atque ingentes in pauperes eleemoſynas effuderit; tum ſubijcit: *Vt geſtorum ſuorum multitudinem ſuccincta relatione perſtringamus, ſic Ieſum firma credulitate cognouit, & agnitum ſincero corde dilexit, ac dilectum totis votis ambiuit, quod mundo & eis, quæ in mundo ſunt, penitus vilipenſis, ad cæleſtia cunctis ſtudijs inhians ſatagens ſe ſuo nomini actibus coaptare, vt ſicut vocabatur Eadmundus, ſic ſe vel a criminum labe mundum, vel e mundo abductum, ſeu extra mundi amplexus poſitum, operum teſtificatione probaret. Vnde tanquam ſpiritualis homo Eadmundus a carnis contagijs in extremis agens, & corpus Chriſti ſibi delatum reuerenter adorans, hæc verba omni attentione notanda, miro protuliſſe compunctione aperte monſtratur: Tu es in quem credidi, quem prædicaui, quem docui, & tu teſtis es mihi, quod nihil aliud niſi te Domine in terra quæſiui, ſicut tu ſcis quod ego nihil volo niſi quod tu vis, fiat voluntas tua. Verum cum viuens Dei Eccleſiam præclaris illuminaſſet meritis, mortuus ſuæ claritatis radios non ſubtraxit: ſed quum functus hac vita verius viueret quam vixiſſet, eam poſtmodum illuſtrauit fulgore luminis plenioris. Non enim voluit Dominus ſanctitatem mundo ſupprimi tanti viri: quin ſicut pluralitate innotuerat meritorum, ſic miraculorum diuerſitate pateret: vt qui tota ipſum deuotione coluerat, iam ſecum regnans venerabiliter coleretur. Nam cæcis lumen reſtituit &, quod glorioſius, de cuiuſdam oculis innatæ cæcitatis tenebras infuſi viſus perſpicuitate fugauit. Alij, cuius linguam natura diutina taciturnitate ligauerat, liberam loquendi tribuit facultatem. Leproſam quandam, ſquamis lepræ mox decidentibus, ſubita & mirabili abſterſione mundauit. Tremula paralytici membra firmauit conſolidatione neruorum: contractis artuum extenſione ſubuenit. Tumentem hydropiſim corporis extenuatione curauit; & quandam ſimilis ætatis veteri gibbo imis inflexam reſtituit, erecta ſurſum eius facie, ſanitati. His & alijs quampluribus coruſcauit miraculis manifeſtis, quorum ſeriem non duximus præſentibus inſerendam. Conualeſcit ex ipſis fides catholica, Iudæorum pertinacia erubeſcit, confunditur hæreticorum fallacia, & obſtupeſcit ignorantia paganorum. Dat. Lugd. III. id. ianuar. pontif. noſtri ann. IV.*

Edmundus Cantuar. arch. SS. catalogo adſcribitur.

b Matth. Par. hiſt. Angl. c Bernar. Rom. Pont. d Guill. Nang. de geſt. S. Lud. e Io. Long. hiſt. Pol. l. 7. De illius virtutibus f Apud Voſt. mo. millor. flor. hiſt. hoc ann.

Fide in ſſ. ſtiſſimum Sacramentum ſingularis.

Et miracula.

50 Hoc denique anno, quo egregium præſulem ſanctorum albo adiectum vidimus, S. Lutgardem in beatorum ſedes emigraſſe teſtatur Thomas Cantipratenſis a, qui eius res geſtas præclare conſcripſit: *Cum iam, inquit, mortis hora adeſſet, oculos in cælum ſuſtulit, & munita viuificis ſacramentis in medio iuuencularum tympaniſtriarum, admixtis cæleſtis exercitus principibus pſallentibus, felix anima ad liberas auras ſupernæ Hieruſalem exultans & lætabunda euolauit ſub veſperã, anno a Chriſti incarnatione* MCCXLVI. *decimoſexto kal. iulij indictione IV. ætatis ſuæ anno* LXIV. Hæc ille. Porro Lutgardis virginis nomen eodem die in eccleſiaſticas tabulas b relatum eſt.

Felix S. Lutgardis obitus.

a Cantipr. vit. S. Lutgard. l. 3. c. 12 apud Sur. to. 3. die 16 iun.

b Martyr. ad 16 iun.

51 Supereſt vt res orientales delibemus: de quibus tradit Pariſius c Templarios atque Hoſpitalarios quibuſdam precibus ac ieiunijs, pro Terræ ſanctæ a Deo obtinenda liberatione, communi voto ſeſe aſtrinxiſſe; ac pro eripiendis e ſeruitute magiſtris nonnulliſque fratribus, ad ſoldanum Babyloniæ oratores miſiſſe, eoſque ab hoſte contemptui habitos ac repulſam paſſos, Terræ ſanctæ incolas, emergentibus inter Sarracenos nouis odijs & diſſidijs, paululum recreatos, ſed a ſultano Ægyptio improuiſa demum irruptione oppreſſos ex Iordano d colligitur: *Eodem anno,* nimirum MCCXLVI. *ſoldanus Damaſci a ſoldano Alapiæ fratre incarceratur. Hæc audiens ſoldanus Aegypti veniens occupauit Damaſcum, Calamellam, & Maubeth. Deinde Chriſtianorum terram percurrens, omnia munimenta nuper erecta per Regem Nauarræ, comitem Britanniæ, & comitem Cornubiæ decerit; caſtrum ſcilicet Tyberiadis, Aſcalonem, &c. Tunc Turchemani præ cunctis deſpectiores Antiochiæ caſalia depopulantur; qui nec ciuitatibus nec caſtris vtuntur, nec lucris inhiant: ſolis animalibus contentantur, & tentorijs vtuntur de philtro. Hos Antiocheni contemnentes, dum inordinate procedunt, ab ordinatis pluries ſuperantur, & facti ſunt Antiochenis formidini.*

Re Terræ ſanctæ.

c Par. hiſt. Ang. Inſtitutæ publicæ a religioſis equitibus preces.

d Iord. MS. biblio. Vat. ſignat. nu. 1960. in chron. hoc ann.

Soldani Ægyptij in Syriam irruptio. Antiochenis a barbaris vaſtati.

52 Vt hæc atque alia imminentia mala auerteret Innocentius, opportunumque S. Ludouico ornandæ expeditionis ad afflictas res excitandas tempus conciliaret, ſoldanum Babylonium de pace interpellauit: non, vt Albertus Stadenſis a Fridericianis in er-

Interpellat Innocẽtius ſoldanum Babylon. de pace.

roicem inductus scripsit Pontificem tam acerbo in Fridericum odio flagrasse, vt non Christianos modo, sed etiam Sarracenos concitare niteretur; quin potius, vt notat Parisius, incessit plures timor, ne Fridericus Sarracenos in Imperium euocaret. Diuisi præterea inter se erant animis Christiani regni Hierosolymitani, cum alij Friderico eiusque filio Conrado adhærerent; alij vero vt Acconenses, qui a Friderico defecerant, Regi Cypri parerent. Iordanus enim vbi hoc anno mortem Reginæ Aylisiæ consignauit, subdit a: *Filius Henrici Rex Cypri in regno Hierosolymitano succedit, & in Ptolemaide balsuum posuit.*

Quæ causæ ad id mouerint.

Henricus Rex Cypri Ptolemaidi præfectum imponit.

a Iord. M. S. Vatic. signat. nu. 1960.

Ex ea igitur dissensione non leuis terror impendebat, ne Fridericus ex Acconensium, aliorumque defectione exasperatus in ipsos amicitia coniunctissimum Babylonium commoueret. Cuius auertendi mali consilio potuit adduci Pontifex; quem etiam pelliciendi ad Christi cultum barbari principis cupiditas mouit, vt e scriptis a soldano e Græco in Latinum versis literis b videre est: quibus significauit Innocentio, rem eam sine Friderici assensu, cuius amicitiam veterem, qua parenti suo fuerat coniunctissimus, religiosissime colebat, perficere non posse; deque ea re ad oratorem in Friderici aula agentem literas missurum. Antea vero ex pontificijs literis vidimus soldanum, dissimulante Friderico, atque etiam oratorem Sarracenum magnificentissime excipiente, acerba Christianis damna intulisse.

b Extant apud Inn. l. 3. ep. cur. 39. apud Stad. vbi sup. & Crantz. Metrop. l. 8. c. 14.

Præsentia Papæ, nobilis, magni, spiritualis, affectuosi, sancti, tertijdecimi Apostolorũ; vniuersalis loquelæ Christianorum manu tenẽtis, adoratoris crucis, iudicis populi Christiani, ductoris filiorũ baptismatis, summi Pontificis Christianorum. Confirmet eum Deus, & det sibi felicitatem. A soldano potentissime regnante super colla nationũ, continente duas virtutes gladij & calami, possidente duo præcellentia, scilicet doctrinam & iudicium; rege duorum marium, dominatore austri & septentrionis, rege regionis Aegypti, & Syriæ, & Mesopotamiæ, & Mediæ, & Idumææ, & Ophir; rege Salech, Belfet, Aiob, filio soldani Regis Hadel Robere filij Aiob; cuius regnum Deus diligit.

Honorifica nomina a soldano Pontifici data.

53 In nomine Dei misericordis & miseratoris. Præsentatæ sunt scripturæ Papæ nobilis, magni, spiritalis, affectuosi, sancti tertijdecimi Apostolorum, vniuersalis loquelæ Christianorum manu tenentis, adoratoris crucis, iudicis populi Christiani, summi Pontificis filiorum baptismatis. Faciat eum Deus de affectantibus bonum & facientibus illud, & volentibus pacem, & perseuerantibus in causis eius; & adiuuet eum Deus in his quæ decentia sunt ad illos, qui sunt sui cultus siue ritus, & ad alios. Respeximus illas scripturas studiose, & intelleximus capitula, quæ in eis inserta erant; & eorum continentia nobis placuit, & delectatus est auditus noster in relatu eorum. Et nuncius venit ad nos, quem misit sanctus Papa, & ipsum præuenimus cum honore & dilectione, cum deuotione & reuerentia. Ipsumque conuocauimus ad conspectum nostrum, sibi inclinantes. intendimus aurem verbis eius, & fidem adhibuimus ei, nuncianti nobis de Christo, super quem sit salus. De quo Christo plus scimus, quam vos sciatis; & magnificamus eum plus quam vos magnificetis. Et de hoc, quod dicitis vos desiderare tranquillitatem & quietem, & habere materiam conuocandi populos ad pacem; similiter nos desideramus, nec volumus contraire: & hoc semper voluimus & desiderauimus. Sed Papa, quem Deus confirmet, scit, quod inter nos & Imperatorem iamdudum fuit familiaritas & dilectio mutua, & concordia perfecta a tempore soldani patris nostri, quem Deus ponat in claritate: & inter nos & Imperatorem prædictum est, sicut scitis. Vnde non licet nobis aliqua componere cum Christianis, nisi prius habuerimus super his ipsius consilium & assensum. Et nos scripsimus nuncio nostro, qui est in curia Imperatoris, pro causis quas detulit nuncius Papæ, nuntiantes ei capitula & proposita nuncij vestri. Ipse nuncius noster veniet ad præsentiam vestram, & loquetur vobis, & postquam renunciauerit, faciemus iuxta tenorem responsi. Nec discrepabimus ab eo, quod vtile videbitur vniuersis; ita quod possumus habere meritum a Deo. Hæc vobis annunciamus, & bonum ampliabitur in posterum, Deo dante. Scriptum est hoc in septima die mensis * Maharram, quæ fuit lunatio augusti. Laus Deo soli, & benedictio eius super dominum nostrum Mahumetum, & super genus ipsius. Ipse sit pars nostra.] Hactenus Sarraceni principis literæ, qui illatam euangelij lucem admittere noluit.

Sine Friderici consensu pacem recipuit.

* al. Macharem

54 Superioribus Syrorum malis addit Parisius Tartaros, pluribus Sarracenorum principibus domitis, latius victorias protulisse; ac Regem Armeniæ, Antiochenum principem & alios proceres Christianos vectigales fecisse. Quibus consentanea apud Vincentium Bellouacensem a de Rege minoris Armeniæ leguntur: *Constans pater & baiulus Regis Armeniæ, qui vocatur Aitoni, filium suum eiusdem regni comestabulum ad Tartaros misit, eorumque tributo se ac regnum suum subijciens pacem cum eis composuit.* Ingruentibus igitur vndique ad opprimendos orientales Christianos barbaris, Innocentius tuendæ fidei zelo ad sacrum subsidium comparandum incubuit: ac tum Frisiæ episcopos, tum episcopum Tusculanum A.S.L. monuit b crucesignatos ad traijciendum in Syriam cum Gallorum Rege paratos esse juberent; reluctantes censuris compellerent, ni forte ijs impedimentis impliciti essent, vt eorum vota commutanda viderentur. Quin etiam præcepit legato, vt cum Hierosolymitanæ profectionis tempus appeteret, côcionatorum opera crucesignatos ad se itineri accingendos adigeret c, vtque crucesignatos, qui prærogatiuis decorati ijs ad patranda immania scelera abutebantur, vt a Francorum Rege acceperat, clientela sua destitueret, ac permitteret d in eos legum seueritatem distringi. De inita porro a sancto Rege expeditione, cui principes aliquos viros cruce insignitos ad rem publicam gerendam, atque alia negotia conficienda dimittere permisit, plura anno sequenti.

Rex Armeniæ & princeps Antiochiæ se Tartarorum vectigales cõstituunt.

a Spec. hist. l. 13 c. 29.

Innocentij curæ pro Asiatica expeditione promouenda.

b Inn. l. 4. ep. 59. & 232.

c Ibid. ep. 233.

d Ep. 234.

Nec intentæ modo ad reparandum Hierosolymit. regnum pontificiæ curæ; verum ad Constantinopolitanum etiam Imperium ab schismaticis vndique maximo discriminis extremi terrore circumfuso liberandum incubuere: imperatas enim ideo ab Innocentio pecunias Parisius testatur. Præterea inter cetera beneficia apostolica illud contulit Innocentius e Balduino Imp. vt dum pro Imperio bellum cum hoste gereret, nullus ipsum anathemate defigere, vel terras quas in Germania & Gallijs obtineret, interdicto supponere posset, nisi ab sede Apostolica huiusmodi indulti mentio expressa edita foret.

Et Constantinopolitano Imp. fulciendo.

e Ep. 302.

IESV CHRISTI

Annus 1247.

INNOCENTII PP. IV. annus 5. FRIDERICI II. IMP. 28. BALDVINI II. IMP. 19.

1 EXcitatæ præteriti anni victoria a Lantgrauio partæ Ecclesiæ res, inopina clade hoc anno, quadragesimo septimo supra millesimum ducentesimum a Christo nato indictione quinta, depressæ fuerunt: rursusq; Pontificis diligentia suffecto in extincti Lantgrauij locum Vuillelmo Hollandiæ comite, erectæ & confirmatæ. Recenset quidem Parisius f perculsas fra-

f Par. hist. Angl.

fractasque repentino casu Ecclesiæ adhærentium partes. Cum enim secundo rerum successu vteretur Lantgrauius, vtque regijs ornamentis insigniretur, Aquisgranum cum exercitu peteret, Conradum Friderici filium cum egregijs copijs obuiam accurrisse, & quindecim armatorum millibus in insidijs collocatis, prælio Lantgrauium lacessiuisse: qui cum iam tota exercitus mole Conradum obtereret, hostes alij signo edito procurrere, atque victores incautos oppressere. Mox Conradum reportatæ victoriæ terrorem late circumtulisse, in Lantgrauij sequaces omne crudelitatis genus execuisse: Lantgrauium vero, qui die sequenti diadema excepturum se arbitrabatur, mœrore ac luctu emarcuisse. Verum alij nullã cladis huiusmodi mentionẽ edidere, vnde fictionis suspicione non carere videtur. Henrici sane obitum hoc anno accidisse, præter magnæ auctoritatis historicos testes, Stadensem a, qui addit ducem Brabantiæ mox filiæ nomine, quæ Henrico nupserat, Thuringiæ administrationem corripuisse, Parisium b, fragmenti historici incertum auctorem, Siffridum c, Parauinum monachum d, Vuillelmum Nangium e, historiæ de Lantgrauijs scriptorem f, atque alios g plerosque; ex recensendis paulo post Innocentij literis manifeste colligitur. Eum vero principem dignis Imperio virtutibus ac laudibus ornatissimum, ac S. Elizabethæ leuirum fuisse, in Lantgrauiorum historia & chronico Citizensi traditur: quamuis Trithemius h illius filium extitisse asserat.

Henricus Romanorum Rex a Conrado ex insidijs fusus.

Magnum sui desiderium moriens relinquit.

a Stad. in chron. b Matth. Par. hist. Angl. c Siffr. de ep. lib. 2. d Monach. Pad. chron. lib. 2. e Vuill. Nang. in gest. S. Lud. f Hist. de Lantgrau. c. 43. g Albert. ad Lambert. annal. Colmar. & alij. h Trithem. in chron.

2 Quid porro Innocentius accepto de morte Henrici tristi nuncio egerit, refert Albertus Stadensis, qui primum de legato in Germaniam misso hæc scribit: *Papa Henricum Lantgrauium mortuum intelligens, Petrum * Capucium de Aurelo * diaconum Cardinalem misit in Theutoniam.* Innocentium hoc anno id. martij legationis in Germania, Dania, Polonia, ac Pomerania gerendæ munus illi imposuisse ostendunt ad Germanos principes diuina, vel humana auctoritate conspicuos, ea de re literæ exaratæ i, quibus, vbi desiderium ingens, quo ad lustrandas ipsorum regiones, vt malis vrgentibus mederetur, flagraret exposuit, adiecit vt cum natura vni tantum loco ipsum adstringeret, se ipsum vice sui transmittere; ac deriuata in eum apostolica potestate, statuendis componendisque rebus omnibus præfecisse: *Dilectum filium nostrũ Petrum S. Georgij ad velum aureum diaconum Card. virum vtique scientia præditum, morum honestate decorum, & consilij maturitate præclarum, ad partes easdem tanquam pacis angelum de fratrum nostrorum cõsilio, commisso sibi plenæ legationis officio, vt euellat & destruat, dissipet & disperdat, ædificet & plantet, sicut viderit expedire, duximus destinandum. Quia vero ipsum inter alios fratres nostros specialis dilectionis brachijs amplexamur, vniuersitati vestræ per apostolica scripta mandamus, atque præcipimus quatenus eum, immo potius nos in ipso, benigne recipientes, & honeste pertractantes, eidem tanquam Apostolicæ sedis legato intendatis humiliter & deuote; ipsius monita & præcepta. & quæ vobis ex parte nostra mandauerit efficaciter adimplendo. Dat. Lugd. id. mart.*

Petrus Capocius Card. in Germaniam legatus mittitur.

** Capocium. * ad velũ aureum. i Innoc. lib. 5. ep. 52.*

3 Ad coercendos porro Fridericianorum impetus legato apostolico prouinciam iniunxit, vt subiectas pœnas l in eos, qui tyranni partibus infecti erant, distringeret: *Multum expediret Ecclesiæ negotio, quod habetur præ manibus, vt in partibus Theutoniæ in publicis stationibus & alijs locis, in quibus solet multitudo populi conuenire, per aliquos religiosos auctoritate apostolica excommunicationi subdantur omnes illi, qui, postquam Ecclesiæ adhæserant, & super hoc præstiterant iuramentum, in arcum conuersi peruersum redire ad obsequia Frederici & Conradi nati eius ausu nefario præsumpserunt; suppositis nihilominus eorum terris ecclesiastico interdicto. Et in eisdem stationibus & locis probibeatur expresse, vt tam ipsi quam omnes alij, qui eisdem Frederico vel Conrado post latam in eundem Fredericum depositionis sententiam adhæsere, ad testimonium, vel ad alios actus legitimos nullatenus admittantur: nec si ad Ecclesiam confugerint, habeant consuetæ defensionis beneficium ab eadem; cum legis auxilium * inuocet, qui committit in legem: in dictis locis et stationibus sub interminatione anathematis; & interdicto vt nullus cum adhærentibus seu fautoribus præfati Frederici vel Conradi emendo, seu vendendo, aut etiã alio modo communicare præsumat: clerici quoque, qui suis venenatis detractionibus nituntur vel Ecclesiæ impedire negotium, vel ipsum, quantum in eis est, denigrare, ab officio, & beneficio in prædictis locis, & stationibus suspendantur, & suspensi ibi & alibi nuntientur, &c. Datum Lugdun. xi. non. iun. anno iv.* Consuluit vero Bambergensis episcopi dignitati, quem Henricus Lantgrauius ad summum Imperij in re forensi magistratum, quem cancellarium dicebant, vt virum gerendo muneri virtutibus parem vocauerat; dum legato suo præcepit, vt cum id munus toto vitæ cursu geri deberet, atque pro dignitate ab eo episcopo sustineretur, daret operam, vt qui Imperio esset successurus commissum illi officium confirmaret: quæ literæ nonis septembris exaratæ.

l Lib. 4. ep. cur. 113.

** frustra.*

4 Non diu postea vacauit rectore Germania, agente enim Innocentio, ac Petro Capocio Cardinale legato rem vrgente, Vuillelmus Hollandiæ comes opibus, ætate, viribus florentissimus, multorum principum affinitate atque amicitia suffultus, in Romanorum Regem electus est; ac mox sacramento fidei plures sese illi astrinxerunt; Saxoniæ tamen ducem nonnullosque alios ab ea electione abhorruisse tradit Parisius a. A quibus parum discrepant, quæ incertus fragmenti historici auctor prodit, metu plures principes perhorruisse sceptrum Germaniæ contra Friderici & Conradi potentiam suscipere, ac refugientibus alijs, ne suo sanguine oblatam purpuram cruentarent, Brabantiæ ducem suum ex sorore nepotem gerendo Imperio obtulisse. Celebratam Vuillelmi Hollandiæ comitis quinto post diem D. Michaeli sacrum recurrente electionem affirmat Stadensis, qui de nauata a legato in conuentu principum celebrando egregia opera hæc tradit b: *Eustatis archiepiscopis, & episcopis, quos potuit, concilium prope Coloniam celebrauit. Et feria quinta post Michaelis *, Vuillelmus frater comitis Hollandiæ a quibusdam episcopis & comitibus in Nussia in Regem Romanorum ad gubernandum Imperium est electus.* Cæterum Vuillelmum hoc anno Regẽ Romanorum ad euertendam Friderici, & Conradi tyrannidem salutarum non consentiunt modo auctores alij, sed pontificiæ literæ c ad Maguntinum archiepiscopum & suffraganeos datæ illustrant, quibus egregium ipsius in eligendo nouo Rege studium maximis laudibus extulit, atque ad eius partes tuendas amplificandasque excitauit.

a Par. hist. Angl. hoc ann.

Habitus a legato Nussiæ principum conuentus.

b Stad. in chron. hoc ann.

In eo Vuillelmus comes Hollandiæ Rex salutatus.

** festum*

c Lib. 5. ep. cur. 22.

5 *Studium & solicitudinem, quam in creatione charissimi in Christo filij nostri Regis Romanorum illustris habuisse noscimini, dignis in Domino laudibus cõmendantes gratiarum vobis, quas possumus, referimus actiones. Quia vero quanto maius est inceptum negotium, tanto ad felicem eius consummationem auxilio indiget potiori, fraternitatem vestram rogamus, monemus, & hortamur attente in remissionem vobis peccaminum imponentes, quatenus considerato prudenter, quod non est in tam arduo negotio dormiendum, ad ea quæ ipsi negotio expedire videritis, dantes opem & operam secundum prudentiam a Domino vobis datam, eidem Regi viriliter & potenter assistatis constantia consueta. Dat. Lugd. xiii. kal. decemb. ann. v.* Cuius epistolæ sententia ad Coloniensem, Treuerensem, & Bre-

Solicitat Germanos Innocentius vt Vuillelmi partes strenue defendant.

& Bremensem archiepiscopos, eorumque suffraganeos missa, tum ad alios præsules, Herbipolensem, Argentinensem, Monasteriensem, Spirensem electum; atque ad principes ducem Brabantiæ, Geldriæ & de Los comites, vt communibus animis nouo Romanorum Regi, atque Ecclesiæ causæ adessent.

Gratulatur Coloniensibus Pont. ob egregium in Vvillelmum studium.

a lib. ep. 17

6 Eorum principum exemplo adducti populi, Conradi depulso iugo, Vvillelmum Regem salutarunt: erga quem præ cæteris egregie affecti Colonienses fuere, quos ob id literis subiectis a Innocentius commendauit: *Sicut a Domino factum est, quod quasi ex insperato persona non tam digna, quam dignissima ad Imperij fastigium est assumpta, ita credimus a Domino esse factum, quod Coloniensis ciuitas adeo famosa & celebris, & quodammodo in Theutonia partibus singularis, prout sui magnitudine, nobilitate, & potentia præcellit alias ciuitates, sic in recipiendo & honorando personam ipsam, videlicet charissimum in Christo filium nostrum Regem Romanorum illustrem spontanea voluit, super quo vobis gratiarum multimodas actiones referimus, esse prior: ex quo vos & sedem Apostolicam ac eundem Regem tanto vobis fortius obligastis, quanto per hoc dignoscitur ipsius Regis processus feliciter dirigi, & status eius prospere sublimari. Cum igitur non incipientium, sed vsque in finem perseuerantium sit corona; licet inter alios de virtute constantiæ & nomen habeatis & omen, quia tamen non nocet immisso subdere calcar equo, vniuersitatem vestram rogamus, monemus & hortamur attente in remissionem vobis peccaminum imponentes, quatenus considerato prudenter, quod prudentum est de virtute proficere in virtutem; sic in ipsius Regis deuotione firmitate inconcussa & solita persistatis, quod proinde vobis fauore apostolico, & regio insimul accrescente, possitis apud Deum & homines de fide, perseuerantia fidei non immerito commendari. Dat. Lugd. XIII. kal. decemb. anno V.* Monet vt fidem constantissime colant, gratiamque ipsis apostolicam ac regiam pollicetur: cuius etiam argumenti Maguntinis ciuibus literas b misit, quibus omnibus epistolis dies apposita est XIII. kal. decemb. pontificatus anno quinto.

b ib. ep. 18

Brabantiæ ducem & Magunt. arch. conciliat.

7 Ne vero discordia quæ inter Brabantiæ ac Lotharingiæ ducem noui Romanorum Regis auunculum, & Maguntinum archiepiscopum emerserat, Vvillelmi progressus disturbaret, viresque ipsius infringeret, plures ad legatum epistolas cõciliandæ inter eos pacis gratia exarauit c, cui in ea re Maguntinum dicto audientem esse iussit d, legatum vt antea iusserat e crucis signa in Fridericum attollere, ac fideles proposita indulgentiarum venia in auxilium Vvillelmi accendere imperauit f, cuius argumenti extant ad religiosos Prædicatores datæ apostolicæ literæ g, vt eloquentia sua ad capessendam sacri belli tesseram militem pro concione incitarent. Prouinciam etiam suo legato dedit h, vt episcopos Germaniæ vires suas cogere, & cum Brabantiæ ac Lotharingiæ duce pro causa pontificia strenue laborante coniungere moneret: *Cum sicut accepimus, promiseris dilecto filio nobili viro duci Brabantiæ ac Lotharingiæ & feceris promittere omnes prælatos Alemanniæ per patentes literas eorundem, quod assistant ei tanquam socij socijs, & amici amicis viriliter, & potenter in negotio Ecclesiæ cõtra Fredericum quondam Romanorum Imperatorem & filios & adiutores & fautores eorum; nos attendentes quod huiusmodi promissio digna est prosecutione fauoris, quodque ijdem ipsorum viribus conflatis in vnum causam Ecclesiæ, quæ nunc agitur, cum non sit propria, sed communis, poterunt intrepide prosequi, & inimicorum impetum minime formidare; mandamus quatenus dictos prælatos ad id moneas efficaciter & inducas, & si necesse fuerit auctoritate nostra, submoto appellationis impedimento, prout videris expedire, compellas. Dat. Lugdun. XII. kalend. decemb. ann. V.*

c Ep. 64. & c.
d Ep. 48. & 51.
e Ep. 20.
f Ep. 13.
g Ep. 19.

Bellum sacrum proposita indulgentijs in Frid. accendit.

h Lib. 5. ep. 380. 383.

Iubet omnes præsules scripto sacramento se astrinxere duci Brabantiæ non defuturos.

8 Respuere iussa apostolica nonnulli, inter quos Magdeburgensis archiepiscopus, Patauiensis & Frisingensis episcopi fuerunt, qui Friderici partes ardentissime efferebant; ad quas confirmandas magis Magdeburgensis pro conciliando inter Saxoniæ ducis filiam & Fridericum matrimonio intercesserat; cuius rei occasione Saxo, Bauarus, Misnensis, Austriaci, Stirij, alijque viri nobiles copias maximas conflabant: quorum impetus incussa censurarum religione coercere conatus est Innocentius atque hæc legato imperia fecit a: *Cum Magdeburgensem archiepiscopum, & Patauiensem, ac Frisingensem episcopos, velut nobilia membra Ecclesiæ, adeo deberet comedere zelus eius, vt non possent opprobria illi exprobrantium, & vsurpantium iura eius æquanimiter sustinere; ijdem, quod non absque amaritudine cordis accepimus, non solum non assistunt ipsi Ecclesiæ eorum matri contra malitiam eam persequentium, vt deberent, opponendo se murum pro ea ascendentibus ex aduerso; sed etiam, diuino timore ac humano pudore postposito, & pontificatus grauitate neglecta, necnon & clauibus Ecclesiæ damnabiliter vilipensis; Frederico quondam Imperatori excommunicato, & Dei & Ecclesiæ inimico præstant manifeste auxilium, consilium & fauorem; per quod dictam Ecclesiam vt hostes publici persequuntur, eodem Magdeburgensi matrimonium inter ipsum Fredericum, & filiam ducis Saxoniæ procurante. Accepimus siquidem quod marchio Misnensis, Bauariæ, ac Saxoniæ duces, & filia ipsius ducis Saxoniæ; necnon & nobiles de Austria, & Stiria, & H. ac Ouurstem, qui pro ipsorum nobilium capitaneo nomine dicti Frederici se gerit; viri nobiles genere, sed suis peruersis actibus ignobilitantes seipsos, & in reprobum sensum dati, præfato Frederico contra Deum, & ipsam Ecclesiam assistunt viriliter, & potenter. Ideoque mandamus quatenus prædictos archiepiscopum & episcopos auctoritate nostra citans præfigas eis terminum peremptorium competentem, quo personaliter ad præsentiam nostram accedant pro meritis recepturi: alias vero iam dictos nobiles, vt ab eodem Frederico penitus recedentes non præstent ei auxilium, consilium, & fauorem; ac ad vnitatem sanctæ matris Ecclesiæ reuertantur, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellendo, si videris expedire. Dat. Lugd. VII. kal. nouemb. anno V.*

a Ibid. ep. 382.

Nonnulli Germani præsules Pontifici aduersantur.

Vocantur in iudicium.

9 Quæ vero ex ingenti illo aduersarum partium bellico apparatu sint secuta, describit Parisius b legatus Coloniensi archiep. fultum auxilio cõflato potentissimo exercitu, quem stipendijs, a laicis fidelibus atque ecclesiasticis ad Ecclesiæ iura tuenda suppeditatis, alebat, aduersus Conradum duxisse, illiusque ita fregisse vires omnes, vt Germania discedere coegerit: sed postea id contigisse non leui argumento est, quia auctor etiam annalibus suis Friderici impium facinus mandauit. Ait enim illum mœrore ingenti ob res suas depressas in Germania perfusum, cum noui Imperatoris potentiam efflorescere videret, insidias vitæ Innocentij parauisse, quosdamque profligatos milites pro eo trucidando corrupisse: alterã quidem coniuratio, quam Vvalterus de Ocra Friderici clericus, ac præcipuus consiliarius conflauerat ab altero sceleris conscio, diuinæ prouidentiæ consilio paucos post dies lethali morbo correpto, cum ad meditatum scelus in extremis iam constitutus horreret, detectam esse; alteram vero duos Italos milites Lugduni captos aperuisse, vique tormentorum conspirationis participes indicasse. Quibus periculis perfunctus Pontifex gratias Deo agens ea Apostoli c verba occinere potuit: *Dominus mihi astitit, & confortauit me: & liberatus sum de ore leonis.*

b Par. hist. Angl. hoc ann.

Immissi a Friderico sicarij ad tollendũ e medio Põtificem.

Diuina in coniuratis detegendis prouidentia.

c 2. Tim. 4

10 Cum occultas insidias euanuisse cerneret Fridericus, vim apertam instruxit; conflatoque poten-

tissimo exercitu Gallias ad opprimendum Pontificem bello aggredi statuit; indeque in Germaniam, quæ admodum fluctuabat, seque magna ex parte ad noui Regis obsequia conuerterat, irrumpere. Illectum in Gallias a Burgundiæ duce scribunt nonnulli. Is certe vnà cum alijs proceribus a Friderico subornatis grauissimam contra Ecclesiam coniurationem conflauit, de qua dicetur inferius. Taurinum igitur Fridericus ingenti militum multitudine septus prætergressus minaces aquilas in Gallos attollebat, cum Innocentij consanguinei, vt ait monachus Patauinus a, vnà cum ijs qui Parma eiecti Placentiæ sedes fixerant, captata occasione, dum Entius Friderici in Italia legatus cum exercitu Cremonensium Quinortanum Brixiæ castrum obsidione tentabat, Parmam populari cum ijs coitione facta mense Iunio ingressi, pretore neci tradito Fridericianos pepulerūt: quibus mox Gregorius e Monte longo cum Mediolanensibus & Placentinis, & comes S. Bonifacij cū Mantuanis auxilia tulere, vrbemque aggeribus & cæteris necessarijs rebus celeri opere muniuerunt. Terruit Fridericum Parmensium defectio, ac veritus, ne si vlterius signa inferret, Italiæ reliquæ vrbes ac Sicilia ipsius jugum e suis ceruicibus depellerent, prætermissa Gallicana expeditione, reflexit iter, iraque exæstuans cum exercitu numerosissimo atq; Ezelini auxilijs, Parmam obsidione cinxit, suscepto consilio nunquam inde castra remouer, nisi Parmam deleuisset; nouā in circuitu vrbem, cui, inanibus præsagijs fretus, imposuit Victoriæ nomen, excitauit. b

Pontificē in Gallijs opprimere meditatur.

Taurinū prætergreditur.

Parmam amittit.

a Monac. Pad. chron. l.1. hoc an.

11 Meminit suscepti a se versus Lugdunum itineris Fridericus in literis c, quibus non ad opprimendum Pontificem, Galliasque inuadendas, sed ad veterem discordiam extinguendam eo contendisse mentitūr. Si enim pacis conciliandæ cupiditas illum agebat, cur præscriptas ab Innocentio superiori anno leges, vt sine exercitu accepto securitatis pignore accederet, non seruabat? *Repetentibus*, inquit, *nobis nuper Italiam, post statum regni salubriter ordinatum, ad dissensionis tam longa materiam, quæ inter nos & Ecclesiam vertitur, finaliter decidendam; ad nostros & fidelium nostrorum, quibus compunctiua necessitate compatimur, labores & sumptus taliter finiendos; ad tollendam denique morbi nascentis originem, ne prasens incurretur infirmitas residua, altissimi nobis plenitudo consilij, sicut infallibiliter opinamur, occurrit, quod* ° *me non hactenus per ambages & deuia, non per inutiles circumstantias,* ° *vt qualibet valida per ipsius naturam negotij finem tanti discriminis attingentes, Lugdunum recta via procedere deberemus, causa nostra iustitiam præsentialiter & patenter in aduersarij nostri facie coram Transalpinis gentibus posituri, dictam confestim petituri Germaniam, ad motus eius, quos aliquorum infidelium prouocauit iniquitas, salubriter componendos: hocque tam salubre propositum, velut finem tanto discriminis positurum, Italorum & Transalpinorum omnium communis opinio commendabat.* Et infra, vbi subijcit, post contumeliosa in Pontificem verba, nōnullas copias ab eo submissas, vt iter illi in Germaniam per Lugdunum præcluderet, a comite Sabaudiæ deletas fuisse: *Cum*, inquit, *repente fortuna Cæsarea, quæ nunc demum nobiscum gloriosius prouehitur, cum nobiscum primo de qualibet conditione contendit, se processibus nostris circa radices Alpium in ipso Lugdunensis itineris obiecit ingressu timoris inopinati de Parma insidiis rebellione nuntium perferens, quam electorum diu per nefariæ proditionis offensam infidelium repentinus incursus, mediantibus fraudis intestinæ suffragijs, occupauit &c.* Subdit se Parmam rapto exercitu obsidione cinxisse, ac breui expugnaturum; indeque ad conterendas circa Lugdunum, vt ait, belli reliquias accessurum; cum maxime Germania sub Conradi filij potentia procumbat. Vt vero ille delusus

b Mon. Pad. chron. l.1. hoc an. Paris hist. Angl. eod. ann. Ricord. hist. Flor. c. 138. Io. Vill. chron. l.6. c. 35.

c Ext. apud Petr. Vin. l.1. & Vall. ell. bibl.

Quas caulas expeditionis in Gall. obtenderit Fridericus.

° nos

° &

Gloriatur pontificias copias quas Mediolanensibus submittebat profligatas.

Cur a cœpto itinere fuerit reuocatus.

Parmam obsidione cingit.

spe sua fuerit, amissisque in Parmensi obsidione copijs fractus ac profligatus, sequenti anno dicetur.

12 Euersit itaque feliciter Gallia ex ingenti periculo, quod ex imminenti Friderici irruptione, ac nonnullorum procerum nefaria coitione, quos ex allatis Friderici literis ipsum exciuisse colligi videtur: ac mox S. Ludouicus Francorum Rex, quem tam strenuam operam ad reuocandum in gratiam Ecclesiæ Fridericum vidimus, vbi sæua illius consilia perspexit, atque Ecclesiam Friderici tyrannide innumeris mersam calamitatibus lugeret; decreuit animo ad prædecessorum cumulandam gloriam bello Fridericum petere, atque ad restituendum Rom. Ecclesiæ Christi vicarium, exercitum in Italiam ducere. Susceptum ergo pium consiliū Innocentio exposuit, ac sua & Francorum arma ad retundendam hostis audaciam obtulit. Cuius officij magnitudine recreatus, atque ingenti volnptate delibutus Pontifex, maximas sanctissimo Regi gratias egit a: flagitauit tamen ne vel in Italiam exercitum duceret, mitteretue, nisi nouam ab Apostolica sede prouinciam suscepisset.

S. Ludou. a Frid. lacessitus bellum illi inferre meditatur.

Armorū potētiam pontifici offert.

a Lib.4. ep. cur. 124.

Illustri Regi Franciæ.

13 Lætentur cæli, & exultet terra, quod sic Deus super Ecclesiam in Filij sui vnigeniti sanguine pretioso fundatam, suam de nouo illustrauit faciem, vt quæ sub insurgentium turbine tempestatum credebatur extremum quasi passura periculum, videatur subito consequi cum honoris plenitudine securæ libertatis effectum; te filio charissimo, præ terræ principibus in conspectu Dei, & hominum glorioso, qui duxisti originem de stirpe regia, fructum honoris, & gratiæ semper Ecclesiæ producere consueta, sine interpositione spatij feruore concepto sancti Spiritus, cum charissima in Christo filia nostra illustri Regina Franciæ matre, ac dilectis filijs nobilibus viris fratribus tuis comitibus; vnanimiter decernente, quod in nostri, quem pro diuina reuerentia tibi recognoscis in patrem ac ipsius defensionem Ecclesiæ cum victorioso venires exercitu omni postposita tarditate. De huius autem operis diuina gloria nos vnà cum fratribus nostris incredibili iucunditate perfusi, glorificamus mente humili Regis æterni clementiam, qui tibi suo regi tam pium, tam laudabilem infudit affectum, vt digne sit in nostra & aliorum mente mirabilis, & in cuiusquam perpetuam deduci debeat notitiam nationis. Nec mirum, cum ad ipsius Ecclesiæ gemitum & frequentes angustias, quibus affligitur, dum filiorum Ecclesiæ vexationes continuas illatas per turbatorem seculi meditatur, quasi tacentibus alijs, tu sōlus in medio Regum terræ præfulgidus elegisti, ad succursum matris Ecclesiæ non solum exponere substantiam, sed deputare personam.

Gratias illi ob tam egregium studium agit Innocentius.

Collaudat rēgem alijs Regibus dissimulātibus patrocinium Ecclesiæ suscipere.

14 Referuet Deus huiusmodi inexplicabilem meriti quantitatem tibi ad illius retributionem præmij, quo æternorum principum beata noscitur acies coronari. De ipsius etiam virtute meriti claræ memoriæ progenitoribus tuis perducat Dei benignitas, vt ipsorum felices animæ in superna gaudeant constitui claritate; concesso nobis interim, vt qui de affluentia diuinæ benignitatis, & tuæ insita corda nostra festum exultationis exultantes agimus, tibi & tuis quæ sunt ad condignum decorem, & decus debitum compensare possimus. Ecce fili benedictionis & gratiæ nostram audiuisti lætitiam, & gaudium Ecclesiæ percepisti; cui cum sit votiuum, & necessarium, vt sibi peramaris olim potatæ calicibus fauus consolationis adueniat, & specialis materia iucunditatis accedat; serenitatem tuam per Dei misericordiam obsecramus, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatenus secundum quod ad ipsius honorem concepisti propositum, mente pia deducas iugiter in augmentum, & in Domino super eo multiplices tuo

cor-

cordi lætitiam: quia cum senserit aduersarius affluentiam gratiæ, qua supetna benignitas sæpedictam Ecclesiam per nostrum non desinit perfudisse, relictis forte mentis peruersæ tenebris conuertet animum ad diuinæ reuerentiam maiestatis: vel si quid ei remansit interni luminis, de necessitate percipiet, quod institutor, & gubernator Ecclesiæ Filius Dei non patitur, vt per eius multiplicem nequitiam data ipsi Ecclesiæ de cælo dignitas vacuetur, pro cuius defensione promptissima, licet te iubente, conuertetur militia gloriosa. Volumus tamen, vt te non accingas ad iter, nec aliquem mittas exercitum, quousque super hoc per nostrum nuncium, vel speciales literas votum Apostolicæ sedis agnoscas. *Dat. Lugduni xv. kal. iul. an. iv.*] Simili argumento gratiarum & officij plenas ad comites, Atrebatensem, Pictauensem, atque Andegauensem, Robertum nimirum, Adelphonsum & Carolum S. Ludouici germanos, magnæ virtutis & ingentium animorum principes, qui Innocentio suam quoque operam liberaliter deuouerant, misit. a

Vetat in Italiam ducere exercitum, ni ordinem imperata acceperit.

Fratres S. Ludouici se Pontifici obsequijs adiersus Fri dericum deuouent. a ibid. ep. 117.

15 Nec generosissimi modo ij principes fundere pro vicarij Christi causa sanguinem paratissimi erant, ac bello cum Friderico decernere; verum ipsorum quoque mater Regina Blanca, muliebrem sexum virilibus virtutibus supergressa, rapere exercitum ad defendendum Pontificē, alpes superare, lacessere Fridericum, atque ancipites periculorum æstus penetrare agitabat. Cui studium ardens proponenti has literas Innocentius misit. b

Regina Blāca mater S. Lud. ofert Pōtifici suos filios ducturam in Italiam contra tyrannum copias. b ibid. ep. 125.

Illustri Reginæ Franciæ.

Vocibus gementis Ecclesiæ, sicut confidimus, cælorum intercedente Regina, cui Regis æterni benignitas suum inclinauit auditum, vt charissimo in Christo filio nostro illustri Rege, ac dilectis filijs nobilibus viris comitibus natis tuis disponentibus magnificum Ecclesiæ personaliter præstare succursum; tu inflammata igne sancti Spiritus de regio corde protuleris, quod teipsam velles cum exercitu ad iter accingere, vt posses Ecclesiæ magnifice subuenire. Ex hoc enim filia charissima non solum nos & fratres nostros, plena iucunditate perfusos, tibi & filijs tuis ad fauorem perpetuum obligasti; sed acquisito apud homines laudis stabilis, & immensæ præconio sic benignum reddidisti conditorem omnium, vt animæ tuæ compensandam ab ipso credamus in posterum gloriam supernorum.

Redditæ illi ab Innoc. gratiæ.

16 Cum autem prædicta Ecclesia puncta frequenter angustiarum aculeis, quos producit assidue horrenda malignitas persequentis, sit in statu conseruandæ lætitiæ, qua diuina clementia ipsam, per tuam & filiorum tuorum intentionem pijssimam noscitur repleuisse, tuam serenitatem qua possumus affectione rogamus, in remissionem peccaminum iniungentes, quatenus infusum tibi & eisdem filijs a Deo propositum deducens iugiter in augmentum, ad hoc pro diuini honore nominis firma & stabilis habearis; vt sic resurgere possit Ecclesia, quod ipsius fundatori Dei Filio redundet in gloriam, & afflictis eius filijs proueniet status gratiæ salutaris; verecundo manente persecutore ipsius Ecclesiæ, dum mente confusus adierterit, quod aula regni Franciæ, quæ virtutibus semper emicuit, ad hoc robur conuerterit suæ potentiæ, vt per eam fides, quam ille suffocare nititur, in statu decoris & gloriæ consoderetur. Cæterum cum sit nostri desiderij tunc nobis præstari subsidium, quādo dignoscitur esse opportunum; volumus tamen quod nec prædictus Rex, vel tu, aut aliquis filiorum tuorum pro succursu præstando ipsi Ecclesiæ se accingant ad iter, quousque super hoc sibi, & ipsis per nostrum nuntium, vel speciales literas votum sedis Apostolicæ declaretur. *Dat. Lugd. xv. kal. iuly anno iv.*]

Hortatur ad piā adeo studia fouenda augendaque.

Rogat ne exercitū nisi iussa transmittat in Italiam.

17 Tantis auctus viribus erat tyrannus, vt non vnius regni tantummodo armis petendus videretur, sed collectis ex vniuerso orbe Christiano copijs obruendus: quare Pontificem omnes principes in Fridericum commouere conatum ait Parisius a, atque legatos in Germaniam, Italiam, Hispaniam, Norvvegiam misisse, vt proposita amplissima criminum venia, in arma sacra populos in illum concitarent. De legatis in Germaniam & Norvvegiam missis, Petro scilicet S. Georgij ad velum aureum diacono Cardinale, & Sabinensi ep. sc. supra egimus; reliquum iam est vt de alijs sermonem instituamus.

a Par. hist Angl. breu.

Creauit igitur Italiæ legatum Octauianum S. Mariæ in via lata diaconum Cardinalem, vti apostolicæ ostendunt literæ, quas de prouincia ipsi imposita hoc anno aprilis mense ineunte ad ipsum b atque ad Italiæ præsules c, principes viros, ac populos exarauit. cæterum Octauianum hunc S.R.E. Cardinalem, nobili Vbaldinorum familia Florentiæ ortum recentiores quidam auctores docent d. Hic vero Friderici artes prætetire silentio non possumus, e im fideles ad excutiendum seruitutis iugum, ac depellendam ipsius tyrannidem in arma prosilire inueteretur, falsos rumores disseminasse, de pace inter ipsum atque Innocentium agitari; vt inflammatus eorum zelus pacis expectatione deferuesceret, atque ij sic incautos circumuenire & opprimere posset: reique factum certiorem Innocentium literis suis hominis perfidiam in luce collocasse. Extant sane ad marchionem Estensem eo argumento scriptæ literæ e, quibus discutit hostiles fraudes; monetq; ab eo tempore, quo exauctoratus fuerit Imperio Fridericus, nullum de concilianda pace tractatum admissum fuisse. Præterea Ferrarienses omni erga Fridericum officio, si quo tenetentur, eximit f; atque Ecclesiæ perduelles, qui in Italia tyranni partes sequebantur, comprimi iussit g: suorum vero partes extulit; atque adeò cum Sicilia legitimo Rege careret, studiosissimis in ijs regionibus nobilibus viris Apostolicæ sedis nonnullas vrbes, & oppida beneficiario titulo concessit. h

b Inn. l. 4 ep. cur. 83. c ib ep 82 8..9. 86. Octauianus Card. Vbaldin. in Italiam legatus missus. Hist. Rub. hist. Rau. l. 6 Car. Sigon de episc. Bonon. l. 2. & alij. e Lib. 4. ep. 677. f ibid. ep. 437. g ibid. ep. 491. 596. 7:8. 855. 856. h Ep. 897. 898. 899. 9. 3. 904. & l. 5. ep. 483

18 Quod ad legationem in Hispanias missam attinet, nullum S.R.E. Cardinalem id munus hoc anno in Hispanijs gessisse reperimus; sed dumtaxat Desiderium religiosum virum, vt Iacobi Aragonum Regis audax & sacrilegum facinus corriperet, anno superiore proficisci iussum, quem hoc anno in Lusitaniam direxit, vt regni illius statum intueretur, quo postea ipsius rebus consuleret: grauissimis enim querelis ab Alphonso Castellæ Regis primogenito pulsatus fuerat, Bononiæ in Gallijs comitem Lusitaniæ Regis fratrem magnas sibi iniurias ac Lusitano intulisse, cuiita Innocentius rescripsit. i

Desiderius in Lusitaniam legatus mit.

i Lib. 4 ep. cur. 8 1 1.

Innocentius, &c. nobili viro Alphonso Regis Castella primogenito.

Literis tuis affectuose receptis, ex earum tenore collegimus quod per dilectū filium nobilem virum comitem Boloniæ quamplura charissimo in Christo filio nostro illustri Regi Portugalliæ, suoque Regno, & tibi grauamina inferuntur, super quibus opportunum per apostolicam prouidentiam adhiberi remedium petiuisti. Verum, sicut alias tibi scripsisse recolimus, ad magnum, diutinum, & instantem clamorem prælatorum & aliorum tam religiosorum, quam secularium clericorum, nobilium quoq; omniūque fidelium regni eiusdem præfatus comes, qui de solicitudine ac prudentia multipliciter commendatur, ad ipsius Regni custodiam; quod propter periculosum & intolerabilem iustitiæ defectum, ac alia multa grauia, & enormia, quæ libere, ac impune sine intermissione committebantur ibidem, quasi vndique dissipatum cernitur; est assumptus: & nostræ intentioni non extitit, nec existit, vt per hoc iuri vel hono-

Querenti Alfonso Castell. Reg. filio Sanctium regno exui respondet non id factum sui consilij.

honori iamdicti Regis fratris eiusdem comitis, seu legitimi filij, si aliquem eum habere contigerit, in aliquo derogetur, si ad eum statum ipsum Regem deuenire claruerit, vt per suam diligentiam & industriam possit prædictum regnum vtiliter, & salubriter gubernari: sed potius vt sibi & eidem regno destructioni exposito, ac in illo degentibus in vita eiusdem Regis per probitatem, & circumspectionem memorati comitis consulatur. Vnde dilectum filium fr. Desiderium pœnitentiarium nostrum, virum literatum, probatæ vitæ, ac in consilijs circumspectum, in regnum ipsum de fratrum nostrorum consilio duximus destinandum; vt ipse, quem solicite ac prudenter processurum speramus, de præfati regni statu diligenter inquirens, nos plene de statu ipso certificare procuret, vt instructi per eum prouideamus, auctore Domino, circa illum, prout extiterit opportunum. Ideoque deuotionem tuam monemus, rogamus & hortamur attente, quatenus eidem fratri adhibeas in huiusmodi negotio firmam fidem, eius acquiescendo consilijs, & monitis intendendo. *Dat. Lugd. v. id. maij anno* IV.] Contundebat feliciter tunc in Hispanijs infidelium potentiam Ferdinandus Castellæ Rex, cui Hispalim Christianorum ditioni adijcere meditanti, Innocentius tertiæ partis decimarum medietatem ab ecclesiasticis illi ad triennium persolui iussit a; meritisque laudibus illius propagandæ fidei studiũ exornauit. De Hispali porro a Ferdinando obsidione cincta pluribus agit Mariana b. Impulisse videtur alia ratio Innocentium ad mittendũ in eas regiones Desiderium, vt nimirum Hispanos Reges ad Ecclesiæ patrocinium aduersus Fridericum suscipiendum incitaret. Sed cum in eo statu Hispaniæ res versarentur, in qua aut continue lacessendus erat Christianorum hostis aut propulsandus, parum ex eo regno subsidij contra tyrannum colligi ac sperari poterat: quare ex alijs potius regnis comparanda auxilia fuerunt.

Regni administratione saluo Sancio & filijs regio iure permissa Bononiæ comiti. Mittit legatum ad regnum in suum statum restituendũ.

Hispalis a Ferdinando Rege Castellæ obsessa.

a Ibid. ep. 541

Aliæ mittendi Desiderij causæ

b In Mariana de reb. Hisp. l. 13. c. 7.

19 Ingentem ex Anglia pecuniæ vim coegisse Innocentiũ queritur Parisius c, ac Ioannem & Alexãdrum Minoritas, ac Marinum capellanum eo missos in inuidiam traducit; additque Gofridum Vrbis præfecti filium in Scotiam, Ioannem Rufum in Hiberniam missos. Extant in pontificio regesto ad Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, Hispaniæ, Galliarum, Germaniæ archiepiscopos atque episcopos datæ d, vt opes suas ad tuendam Ecclesiæ causam conferant: ex quo Parisius addducendi in inuidiam Pontificis occasionem aucupatus est, atque ex eo Vvestmonasteriensis e incaute venenum hausit. Qui sane auctores æquiores extitissent, si prudenti iudicio extremã ponderassent inopiam, qua tunc premebatur Romana Ecclesia, pericula quibus vndique erat circumfusa, potentiam tyranni, sacra Hierosolymitana loca a Saracenis prophanata, fideles angustijs inuolutos, quibus sacrosancta synodus porrigendam opem & maxime ab ecclesiasticis viris, sanxerat; Constantinopolitanum Imperium magna ex parte a schismaticis occupatum, Tartarorum in Christianorum terras immanes excursiones. Nec enim remedium tantis malis adhiberi poterat, nisi instruerentur potentissimæ ad tot retundendos hostes copiæ, nec milites sine stipendijs ali poterant, nec haberi stipendia, nisi a Christianis & maxime a clero cogerentur.

c Par. hist. Angl. hoc ann.

Missi in Angliam ad subsidia colligenda nuncij.

d Lib. 4. epistolar. 81. 109.

e Vvestm. flor. hist. hoc an.

Refelluntur Parisij & Vvestmonasteriensis querelæ.

20 Cæterum hoc anno in Angliam sanguinis dominici in cruce effusi portionem patriarchæ Hierosolymitani archiepiscoporum, episcoporum, magistrorũ templi & hospitalis, aliorumque plurium testimonio, & sigillo confirmatam, munitamque in vase crystallino reconditam, Templarij equitis opera allatam, & a Rege Henrico magna religionis pompa susceptam tradit Parisius f: atque Henricum in eo tum Heraclij Imperatoris, tum Francorum Regis, nimirum S. Ludouici, qui crucem Dominicam maxime colue-

Portio sanguinis dominici in Angliam a Syria transmissa.

f Par. hist. Angl. hoc ann.

re, exempla imitatum: subditque: *Ipse Rex venit, & cum summo honore, & reuerentia, ac timore accipiens illud vasculum cum thesauro memorato, tulit illud ferens in propatulo super faciem suam, sens pedes, habens humilem habitum, scilicet pauperem capam sine caputio, præcedentibus, c[l]ericis prædictis*, nimirum Londinensis cleri religioso agmine egregie instructo atq; eleganter adornato, *sine pausatione vsque ad ecclesiam Vvest, quæ distat ab ecclesia sancti Pauli circiter vno milliari. Nec prætermittendum, quod ambabus manibus illud deferens, cum per stratam salebrosam & inæqualem pergeret, semper vel in cælum vel in ipsum vas lumina tenebat defixa, supportabatur autem palla per quatuor hastas; supportabantque duo coadiutores brachia sua, ne in tanto forte labore deficeret, &c. demum illud quasi donum impretiabile & quod Angliam illustrauerat, donauit & obtulit Deo & ecclesiæ sancti Petri Vvest, & charo suo Edmundo & sacro conuentui, qui ibidem Deo & sanctis suis ministrant.* Subijcit episcopum Norvvicensem sacram concionem habuisse, ac magnifice illud exaggerasse, non minus, immo magis illo Christi sanguine gloriari Angliam, quam Gallia cruce dominica, cum crux ab ipso Christi sanguine suam acciperet dignitatem: verum non defuisse, qui eius dicta traducerent; atque hæsitantibus Templarium equitem dixisse, ideo in Angliam translatum vt maiori veneratione, quam in Syria, quæ Saracenorum furore vastabatur, coleretur; nec fraudi patere locum, cum nulla merces ab Anglis ideo optaretur: atque etiam libros ad rem confirmandam in lucem emanasse, cum plerique illud obijcerent, Christum Dominum e mortuis tertia die excitatum, sanguinem suum pro humana salute effusum recepisse. De portione sanguinis Christi, qui tempore passionis dominicæ e sacro illius corpore defluxit reperta Mantuæ, atque illius veritate Caroli magni precibus a Leone tertio indagata, comprobataque refert Baronius a.

Instructa magna pompa solemni supplicatione ab Henrico Rege in ecclesiam S Pauli translata.

Vt exortæ de illius veritate magnæ fuerint cõcertationes.

De simili sanguine olim reperto Mantuæ.

a Baron. annal. to. 9. ann. 804. nu. 1.

21 Superioribus addit Parisius b sacras B. Edmundi exuuias magna pompa in ædes monachorum Cistercienfium translatas; celebritatemque Ludouicum Francorum Regem principum corona succinctum ac matrem ipsius Blancham, cuius pietatem in porrigendis sancto episcopo precibus commendat, cohonestasse. cuius translationis meminit etiam sancti Ludouici gestorum scriptor c. tum subdit Parisius de B. Edmundi corpore omnis corruptionis experte inuento: *Sciendumque est, immo toti mundo prædicandum, quod totum corpus eius integrum inuentum est, & incorruptum, & odoriferum &, quod mirabilius est in mortuo, cum omnibus membris flexibile, vt solet esse in dormiente. capilli eius & vestimentum inuiolatum colore & substantia.* Adijcit ex eo tempore Francorum Regem Anglis permisisse, vt liberius quam cæteri confessoris corpus viserent: sepulchrum vero ipsius magnifice pluribus icunculis elegãti cultu adornatum; quinetiam Richardum comitem singulari religione memoriam illius coluisse; cumque morbo grauissimo esset implicitus, ipsius apud Deum precibus valetudini restitutum, nuncupato voto, ad feretri ipsius partem anteriorem pretiosissimo opere elaborandam atque ornandam se astrinxisse.

Celebrata S Edmundi translatio.

b Par. hist. Angl. hoc ann.

c Guill. Nang. eod. ann.

Illius corpus ab omni corruptionis labe immune repertum.

22 Sanctissimo maioris Britanniæ archiepiscopo sanctitate & miraculis illustrem episcopum, minoris Britanniæ ornamentum & decus, Guillelmum Briocensem coniungemus, quem hoc anno Pontifex sanctorum albo solemni ritu adiecit, deque illi decreto cultu amplissimisque laudibus literas ad Turonensem archiepiscopum & suffraganeos exarauit. d

Guillelmus Briocen. episc. sanctitate insignis.

Innocentius, &c. archiepiscopo Turonensi, & eius suffraganeis.

d Inn. l. 4. ep. 332.

Merito tunc gaudere poterat Briocensis ecclesia curæ talis deputata pastoris, qui tanquam magistrum vitæ pietatis titulis & misericordiæ speculum

lum rotam Britanniam, & adiacentes prouincias suæ doctrinæ radijs mirifice illustrarat: sed nunc non solum ipsa, immo Ecclesia vniuersalis debet persundi lætitia ampliori; tum quia de nouo perspicuum sidus oritur conspicit in partibus occidentis, per quod in mundi pelago naufragantes ad portum reducuntur salutis; tum quia talem in terris meruit producere filium, nunc angelorum conciuem effectum, cuius patrocinium inuocandum censent in suis necessitatibus non indignum. Cæterum vt ij se, qui dum adhuc in carne retineretur, erat quasi lilia, quæ sunt in transitu aquæ; oliua pullulans, & cypressus incremento proficiens venustatis, nondum carnis solutus nexibus; & Israel de Iacob idem Deum videns effectus, tanquam lucerna * sub modio, sed super candelabrum posita illis, qui sunt in domo Domini, mi raculis coruscarat, est per ipsum, vel vt alterū Eliseum puer mortuus suscitatus: cuidam mulieri est candidior solito restituta mammilla, quam sibi præ nimio infirmitatis dolore miserabiliter amputarat; mulieri nihilominus altera per extenuationem corporis congruam ab hydrope si nimium tumescente curata. Viro insuper cuidam est in inguine repente consolidata ruptura, per quam ipsius viscera se hominum aspectibus horribiliter offerebant.

Britannia illius gloria illustrata.

* *non*

Puer e morte ad vitam excitatus.

23 Quædam etiam puella, cuius adeo pedes, & tibiæ infecti fuerant vlceribus fistularum, quod in solat. biarum abscissione, * ne per hoc sinceră corporis partem corrumpi contingeret, pro consilio parabatur, ad plenum de vlceribus liberata prædictis. Altera quoque puella ignis interempta incendio fuit in medio carbonum reperta: cui eiusdem sancti meritis ignis vim suæ virtutis oblitus nuli immpressit vestigium læsionis: nec non lumen cæcis, auditus surdis, mutis loquela, gressus claudis, & paralyticis debitum membrorum officium ad inuocationem sui gloriosi nominis subinde conferuntur: per quod ignorantium Deum tenebræ propulsantur, hæreticorum peruersum dogma confunditur, & fidelium beata credulitas adaugetur.

*Tale do pluri... ... rei ... *al. de...*

Puella in medijs ignibus implorata eius ope illæsa servata.

24 Cum igitur dignum sit, vt quos triumphans sublimauit Ecclesia militans, quæ ipsam, vt potest semper imitar desiderat, prompto veneretur affectu; nos postquam de tam apertis eiusdem episcopi miraculis tam per testes idoneos, quam etiam quosdam miraculose curatos in nostra & fratrum nostrorum præsentia constitutos liquido constitit, ipsum, quem cum illis in libro viuentium iam scriptum esse cognouimus, de communi fratrum nostrorum, & venerabilis fratris nostri patriarchæ Constantinopolitani, & prælatorum omnium, tunc apud sedem Apostolicam existentium, consilio & assensu in festo resurrectionis Dominicæ glorioso sanctorum catalogo decreuimus adscribendum. Quocirca fraternitatem vestram monemus & hortamur attente, præcipiendo mandantes, quatenus festum ipsius IV. kal. aug. quo spiritum reddidit Domino, attenta deuotione celebrare curetis; ac faciatis per vestras ciuitates, & diœceses a Christi fidelibus solemniter celebrari, vt per hoc eum in cælis mereamini apud Deum intercessorem perpetuum inuenire. Porro cupientes sepulturam ipsius, quæ tam euidentibus signis rutilare dignoscitur, congruis honoribus frequentari; omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui cum reuerentia illuc in eodem festo annuatim accesserint ipsius suffragia petent, de omnipotentis Dei misericordia, &c. vsque confisi, vnum annum & quadraginta dies: accedentibus vero ad prædictam sepulturam infra eiusdem festi octauas quadraginta dies, &c. vsque relaxamus. *Dat. Lugdun. XVII. kal. maij anno IV.*]

Sanctorū cultus illi ab Innocē tio decretus.

Flagitauere per eadem tempora Herbipolenses episcopus & clerus, vt Brunonem, qui eam olim ecclesiam gesserat, tumque illustrabat miraculis, sanctorum albo adijceret. Quibus motus Innocentius Cisterciensibus nonnullis abbatibus prouinciam tradidit a admirandas res eius sancti viri, testium sacramento confirmatas, in tabulas publicas referrent, seque de tota re facerent certiorem. At de his hactenus. Iam ad septentrionalia regna oratio traducenda est.

Bruno Herbipol. episc. miraculis clarus.

a Ibid. ep. 354.

De iis inquiri iubet Innocentius.

25 Infestantibus Poloniam ethnicis barbaris, qui in Cracouiæ & Sandomiriæ prouincias excursiones agebant; ac pro innata aduersus fideles immanitate cædibus & flammis obuia queque miscere consueuerant; Innocentius Cracouiensis episcopi aliorumque sacrorum oratorum opera fideles, proposita criminū venia, ad gerenda sub Boleslai Pudici ducis Cracouiensis auspicijs arma incitari iussit b. Fatigauit illum etiā diuturno bello, vt tradit Longinus c, Cōradus Mazouię dux, qui aliarum prouinciarum ditione auctus, cœca regnandi libidine, totius Poloniæ dominationi inhiabat, ac maxime nepotem suū Boleslaum iniquo bello lacessebat. Sed tandem hoc anno illius consilia mors obruit. cuius filij paternæ ambitionis hæredes, nondum persolutis parentis exequijs, ad relictas sibi terras partiendas ferro flammisque concurrere. Recreatus vero est extincto hoste Boleslaus, aduersus quem Conradus, violatis consanguinitatis legibus, Pruthenos ac Lithuanos sæpius concitarat.

Fideles cōtra barbaros Poloniam infestantes excitat.

b Lib. 4. ep. 250.

c Long. hist. Pol. lib. 7. Cromer. l. 8.

Conradus dux Mazouiæ Poloniæ fax morte extinctus.

Non immunes bello aliæ Poloniæ partes fuere. Cuiauia enim a Svvantopelko Pomeraniæ duce vastara, qui vario euentu magnis illatis acceptisque cladibus cum cruce feris bellum gessit d. Coniuncti erant Pomerano Prussiæ neophyti: religiosis vero equitibus Poloniæ & Cuiauiæ duces hærebant. Ad quam discordiam sopiendam, e qua plura religioni Christianæ damna inferebantur, Innocentius Iacobum archidiaconum Leodiensem, qui postea sub Vrbani IV. nomine Ecclesiæ præfuit, legati munere auctum misit, vt inducias, obiecta censurarum religione, aduersis partibus randiu obseruandas indiceret, donec pro tota re componenda imperia pontificia excepissent. Quæ Iacobo prouincia literis x. kal. decemb. data imposita est e. Extant etiam aliæ ad legatum f, Gnesnensem g, & Prussiæ archiepiscopus eorumque suffraganeos, atque ad abbates Cistercienses i exaratæ, quibus eos muneris legato impositi certiores factos, suam illi ad conciliandam concordiam operam explicare imperauit.

d Id. Long. ibid. & Cromer. lib. 8.

Cuiauia a Svvantopelko vastatur.

Ad discordiam sopiendam Iacobus legatus missus.

e Lib. 5. ep. 29.

f Ibid. ep. eod. 25.

g Ib. ep. 26

h Ib. ep. 27

26 Trepidanti etiam Vngariæ, quæ ad imminentium Tartarorum rumores inert a horrebat, non defuit summus Pontifex. Rogatus enim a Bela Vngariæ Rege, vt sibi auxilia submitteret, cum rumores hostilis aduentus increbrescerent, pollicitus i est se omnes ad Terræ sanctæ, atque Imperij Constantinopolitani reparandas res cruce insignitos; aliosque plures illue directurum, vbi certam ab eo famam futuræ hostilis impressionis accepisset; cum in ea re totius Christiani nominis causa ageretur. Strigoniensi vero & Colocensi archiepiscopis iniunxit l, vt munitissima loca excitarent, quo ipsi vnà cum populis barbaris ingruentibus consugere possent. Nullo etiam officij genere, aut studij prætermisso, quod ad vtilitatem eiusdem Regis spectaret; cum pro ducatu Austriæ sibi asserendo Vngariæ Rex bellum gereret, eumque principatum Fridericus Imperio exauctoratus occupare niteretur; hortatus m est Innocentius Vvillelmum Romanorum Regem, vt contra Fridericum Vngaro opem ferret. Interfectus enim fuerat anno superiore alter Fridericus Austriæ dux, vti produnt rerum Germanicarum scriptores n, e quibus Albertus Stadensis hæc literis consignauit: *Dux Austria contra Regem Vngaria conflictu habito occubuit, & ducatum sine herede reliquit.* Extincta itaque ducum Austriæ stirpe mascula, cum Margareta postremi

Formidāti Tartarorū irruptionē Vngariæ Regi polli cetur auxilia Inn.

i Lib 4 ep. eur 37. 39 ep. 41.

l Ib. ep. 42.

m Ibid. ep. 40.

Dux Aust & Bela pugna victus cæsusque.

n Albert. Stad. chro. ann. 1246 Stero in annal. apud Canis. ant. lect. to. 1. pag 267. chr. Austr. & alij.

ducis soror, Henrici olim Regis Romanorum & Thuringiæ Lantgraui vidua, ampla in principatum iura obtineret, illam Pontifex cælibem vitam meditantem, iustissimis causis permotus a suscepto seruandæ castitatis consilio abduxit, ac marchionis Misnensis fratri, qui Vuillelmi Romanorum Regis nepos erat, communis boni causa nubere solicitauit [a], vt vero Premislao Regis Bohoemiæ filio nupserit [b], dicetur inferius. Cum porro de Misnensi marchione mentio inciderit, prætereundum non est Innocentium hoc anno illum a Nuenbergensi ecclesiæ diuexatione monitis ac minis reuocare studuisse [c]: præterea inita inter filium ipsius ac Friderici exauctorati filiam sponsalia dissoluisse [d]. Sed nostra ad Vngarum, a quo deflexit, recurrat oratio. Egregiam Rex ad excindendos e Bosnia hæreticos operam nauare cœperat: ad quod perficiendum susceptum opus illum Innocentius incendit, fecitque certiorem se nihil de Bosnia nisi ex ipsius consilio, atque assensu decreturum. De ea porro prouincia Colocensi archiepiscopo sub icienda, extant literæ [e] si tem diuinæ gloriæ versum iri, atque hæresim facilius prosternendam censeretur.

Austriam sibi subijcere meditante Frederico hortatur Vuillelmũ Pont. vt Beatrix faueat.
a Lib. 4. ep. cur. 79.
b Sifr. in annal. apud Can. lect. to. 3. pag. 272.
c Lib. 4. ep. 373.
d Ibid. ep. 626.
Insectatur Bela Bosnenses hæreticos.
e Lib. 5. ep. 155.

27 Nec Vngariæ modo Rex proferendæ Christi gloriæ, delendisque hæreticis feliciter incumbebat; verum etiam Regina ad traducendos schismaticos ad Ecclesiæ Rom. obsequium gloriosissime desudabat. Cui Innocentius, acceptis eius perhumaniter oratoribus, gratias egit [f] ad Vatacium & Græcos a schismate abducendos studium collocasse; hortatusque est, vt quamprimum viros prudentia ac doctrina spectatissimos pro re perficienda ad Vatacium mitteret: *Exultantes accepimus, & referimus gloriantes, quod pro tuis insistis viribus & laboras, vt ad sinum matris Ecclesiæ redeat Vatacius, et gens eius. Ex quo tanto tibi maiores actiones referimus gratiarum, quanto magis id ad laudem cedit & gloriam Iesu Christi, exaltationem contingit & commodum sponsæ suæ, nostram & tuam vtilitatem respicit pariter & honorem. Vt igitur, charissima in Christo filia, effectus huiusmodi negotij fœliciter subsequatur, excellentiam tuam requirimus, & rogamus quatenus aliquos nuncios viros prouidos & discretos ad præfatum Vatacium non differas destinare, quorum diligentia, studio, & solicitudinis industria prædictus Vatacius ad vnitatem matris Ecclesiæ reuertatur. Nos enim ob tui gratiam & amorem, quicquid cum honore Dei & Ecclesiæ, ac salute ipsius animæ fieri poterit, sicut te volumus nos facturos. Dat. Lugd.* III. *kal. febr.*

Regina Vngariæ studet Vatacium ad Pontificem obsequium pellicere.
f Lib. 4. ep. cur. 38.
Gratulatur illi ob egregium zelum Innocentius.

28 Euanuit postea ea spes, quam suæ conuersionis Vatacius mouerat: sed diuini numinis pietas beneficium, quod respuit Vatacius, alijs Regibus ac populis, qui Græcorum ritus & errores sectabantur, contulit. Abiurato enim schismate Daniel Russorum Rex, superiore anno Rom. Ecclesiæ filijs aggregari flagitarat. Quo læto nuncio voluptate incredibili delibutus Pontifex, archiepiscopo Prussiæ, Liuoniæ, & Estoniæ Apostolicæ sedis legato prouinciam tradiderat [g], vt in eas regiones se conferret: cui noua hoc anno dedit imperia, si Regem, principes, & præsules eo sacro desiderio tactos, atque in suscepto consilio constantes reperiret, in filiorum Rom. Ecclesiæ numerum ipsos admitteret.

Daniel Russorum Rex ad Ecclesiæ Rom. coniunctioné tenetur.
g Lib. 5 ep. 188.

Archiepiscopo Prussiæ, Liuoniæ, & Estoniæ Apostolicæ sedis legato.

Sicut omnes, quos extra arcam inuenit diluuium, perierunt; ita omnes, qui sunt extra communionem Ecclesiæ nisi conuersi ad eius vnitatem redierint, in æternæ damnationis supplicium deportantur. Hac siquidem consideratione inductus charissimus in Christo filius noster Daniel Rex Russiæ illustris, cuius mentem Dominus, qui non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat; sua misericordia illustrauit, per literas speciales, & nuncios, quos propter hoc transmisit nuper ad nostram præsentiam, cum humilitate, ac instantia postulauit a nobis, vt ipsum & totam gentem ac regnum eius, hactenus a fidei vnione præcisos, ad vnitatem ecclesiasticam, & deuotionem Ecclesiæ Romanæ, quæ aliarum omnium caput est & magistra, recipere de benignitate solita curaremus. Quocirca mandamus quatenus personaliter ad partes illas accedens, si præfatus Rex in tam sancto proposito perseuerans, tam ipse, quam archiepiscopi, & episcopi, & alij magnates regni sui schismate quolibet penitus abiurato promiserint, & iurauerint se de cætero in vnitate fidei, quam Ecclesia Romana prædicat & obseruat, eiusdemque Romanæ Ecclesiæ deuotione perpetuo permansuros; eos auctoritate nostra reconcilies, & tanquam speciales & deuotos filios incorpores prædictæ Romanæ Ecclesiæ, quæ mater est omnium, vnitati; idque per loca & regna, in quibus expedire videris, publices & facies etiam publicari. *Dat. Lugd.* VII. *id. septemb. an.* V.]

Archiepisc. Prussiæ in Russia legatus A.S.
Concessa ei reconciliandi Ecclesiæ Russos auctoritas.

29 Nec Daniel modo Russiæ, sed Vuasilico etiam Laudemeriæ Rex ipsius frater ad sinum Ecclesiæ, abruptis schismatis vinculis, quibus tandiu fuerat irretitus, se recepit. Quos Pontifex vt arctius beneficio aliquo insigni sibi deuinciret, ipsos in B. Petri clientelam admisit [a]. Affecit etiam ipsos nonnullis alijs beneficijs: Vuasiliconem enim qui vxorem tertio & quarto consanguinitatis gradu attingebat, sacrorum canonum emollita seueritate, manere cum vxore permisit, ac matrimonium ratum firmumque futurum sanxit. Qua de re tum ad ipsum, tum ad Dubraucen Reginam literas exarauit [b]. Russorum vero Regi Danieli concessit [c], vt qui Romanæ Ecclesiæ non repugnarent ritus in ipsius regno seruarentur; ac fermentato pane pro conficiendo Christi Domini corpore sacerdotes vterentur.

Vuasilico Rex Laudemeriæ Eccl. Rom. se coniungit.
a Ibid. ep. 169.
b Ep. 419.
c Ep. 174.

Danieli Regi Russiæ illustri.

Cum te de cætero specialem inter deuotos Ecclesiæ reputemus, petitiones tuas, quantum cum Deo possumus, libenter ad gratiam exauditionis admittimus, & votis tuis fauorem beneuolum impartimur. Eapropter charissime in Christo fili tuis supplicationibus inclinati, episcopis, & alijs presbyteris de Russia, vt liceat eis more suo ex fermentato conficere, & alios eorum ritus, qui fidei catholicæ, quam Ecclesia Romana tenet, non obuiant, obseruare, auctoritate præsentium indulgemus. *Dat. Lugd.* VI. *kal. sept. anno* V.] Instruxit ea etiam auctoritate legatum apostolicum, vt illos qui legitimis natalibus procreati non essent, modo non ex adulterio vel incesto genus duxissent, ad sacros ordines [d] vel etiam ad episcopatus [e] in Russia promouere posset.

Permittit Russis Innocentius vt in fermentato Christi corpus conficiant.
d Ep. 175.
e Ep. 176.

30 Hæc Innocentius ad Russos in Ecclesiæ Romanæ obsequio confirmandos, qui vt pariter alios schismaticos populos quamuis ad extremas orientis oras submotos, ad Ecclesiæ sinum reuocare studuit, virosque religiosos propagandæ fidei zelo ardentes, ac doctrina pollentes legationis apostolicæ munere auctos transmisit: inter quos Laurentio Minoritæ pœnitentiario suo prouinciam amplissimam in oriente demandauit [f]: *De circumspectione*, inquit, *tua plenam in Domino fiduciam obtinentes te ad partes transmarinas tanquam pacis angelum, commisso tibi in Armenia, Iconio, Turchia, Græcia & regno Babyloniæ; ac super omnes Græcos tam in Antiocheno & Hierosolymitano patriarchatibus, quam regno Cypri morantes; necnon super Iacobitas, Marronitas, & Nestorianos plenæ legationis officio: vt iuxta datam tibi a Deo prudentiam euellas & dissipes, ædifices & plantes, duximus dirigendum. Ideoque mandamus quatenus Græcos illarum partium, quocunque nomine censeantur, auctoritate apostolica protegens, turbari eos violentijs, vel*

Innocentij in conuertendis populis zelus.
f Lib. 4. ep. cur. 132.
Laurentiũ Minoritã in orienté cum amplissima auctoritate mittit.

qui-

quibuscunque molestijs non permittas; iniurias quaslibet & offensas a Latinis illatas eisdem plenarie faciens emendari: & Latinis ipsis districte præcipiens, vt a similibus de cætero penitus conquiescant. Dat. Lugdun. non. iun. ann. IV.

31 De eolegationis munere Laurentio demandato scripsit [a] etiam ad Antiochenum Græcorum patriarcham, Catholicum Armeniorum, & Maronitarum patriarcham, q[uos] leg[a]to ad consilia sua, quæ ad diuinam gloriam au[gen]dandam spectabant, open porrigere iussit; adiecitque ni facerent, latas se a leg[at]o sententias ratas habiturum: ab[i]s vero literis Laurentium monuit, ne post [su]sceptum Græcorum [pa]trocinium Hierosolymitani patriarchæ iuribus detraheret. Acceperat enim Græcos suæ auctoritati obnoxios, arrepta occasione, ipsius imperio se subducere meditari; ac definiuit qua ratione se ipse in ea re gerere deberet. Cæterum legatus officium sibi ab In[n]ocentio iniunctum strenue suscepit, ac Græcorum patriarcham ad sedis Apostolicæ obsequium trahere moliebatur. cui Pontifex imperauit [b], vt illum ad eam venire moneret, vel mitteret alium; ac si sustinendis itineris sumptibus vires deessent, Romanam Ecclesiam eos ex pontificio ærario suppeditaturam. [c]

a ibid. ep. 110 & l. 5 ep. cur. 5.

b Lib. 5. ep. cur. 3.

c Ib. ep. 2.

Innocentius, &c.

Volumus & per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus mentem habens ad cuncta vigilem, quæ rectitudinem in hac parte contineant, & sapiant honestatem, de prælatis Græcis ad deuotionem, & reuerentiam ipsius Ecclesiæ redire volentibus sic prouideas, & disponas, vt illi ex eis, qui Antiocheno, seu patriarchæ Hierosolymitano qui fuere pro tempore, aut alijs prælatis Latinis olim subiecti fuisse noscuntur, ipsis astricti ad debitam obedientiam & reuerentiam teneantur: illos autem, quos eisdem patriarchis, seu prælatis noueris non fuisse subiectos, ad obedientiam Ecclesiæ Romanæ receptas, aliorum per omnia iure saluo. Cæterum prædicto patriarchæ Græcorum ex nostra parte studeas diligenter, vt præuio salutis angelo Apostolicam sedem adeat, in eius vnitatem, & plenam gratiam admittendus; ita vt si nobis constiterit eum alicui patriarcharum vel prælatorum ipsorum subiectione aliqua non teneri, ipse cum suis suffraganeis, q[ui] fruuntur libertate simili, sedi Apostolicæ nullo medio sint subiecti. si vero ipse nollet/nollitam personaliter nequiuerit adire præsentiam, personas idoneas pro ipso & suffraganeis memoratis, sufficiens in hac parte mandatum habentes, ad sedem transmittat eandem. Et si forte ipse vel alij ad hoc pro expensarum defectu extiterint impotentes, tu ipsis expensas necessarias de bonis nostræ cameræ largiaris. *Dat. Lugd. VII. id. aug. anno V.*]

[Mo]dum [ser]uat Inn[ocentius] de Græcis Ecc[l]e[siæ] comu[ni]onem adducendis.

Iubet inducere pa[tri]archam [Græ]c[orum] vt ac[ce]dat ip[s]e ad sedem Apost. vel nuncios mittat. E pontificio ærario sumptus suppedita[ri] præcipit.

32 Solicitati ab apostolicis legatis, qui annis superioribus crebro fuerant missi, ac literis pontificijs Iacobitarum, & Nestorianorum patriarchæ, vt sub vno summo capite Christi vicario cum occidentalibus Christianis coalescerent; rogatique vt suæ fidei formam e scripto transmitterent; officio, ad quod peramanter illecti erant, non defuerunt. E quibus orientis Catholicus, agnito Petri eiusque successoris Romani Pontificis primatu, hasce literas [d] Innocentio misit, quæ in huius anni regesto pontificio insertæ sunt.

Qui sunt [Ca]duex cre[bris] lega[tio]n[ibus] ad [occid]entales [Ec]clesias [Fed]e sunt secuti.

d Extant apud Inn. l. 4 ep. cur. 19.

Litera transmissa ad Dominum Papam ex parte Catholicon.

Ad præsentiam Papæ magnifici ex parte illius, qui petit orationes eius in subsidium debilitatis suæ, Raban Ara vicarij orientis adorantis inter manus eius, Patri patrum, decori pastorum, misericordiæ vitæ, fonti pietatis & indulgentiæ; intercedenti pro populo Domini perfecto in diuinis, excellenti in spiritualibus, soli iustitiæ, cuius lux oritur super quatuor mundi climata, qui lucet, & splendet in ecclesijs catholicis sanctis; Cherubim corporeo, & Seraph in carneo, tenenti sedem beati Petri; domino meo sanctissimo Papæ vrbis Romæ, & omnium climatum mundi coram Deo: sit vita eius temporibus longis, quousque cesset mundus iste admiratione sua, orationibus prophetarum, & Apostolorum sociorum eius, & nos confidimus eius orationibus adiuuari, Amen.

Honorificentissimi tituli dati ab orientis patriarcha Rom. Pontifici.

33 Peruenit ad nos epistola vestra elegans, quæ ex ore vestro sancto [pr]odijt, & mandato vestro excelso conscripta est; & suscepimus eam manibus nostris debilibus, & eam super oculos nostros posuimus. Et sicut Simeon senex, qui portauit Dominum nostrum Iesum Christum in vlnis suis, sic diximus: Quia viderunt oculi nostri pietatem vestram immensam. Nunc igitur Domine mi dimitte seruo vestro peccata sua, sicut posita est in manibus vestris potestas ligandi atque soluendi, & omnium mysteriorum. Legimus eam siquidem cum lætitia, & intelleximus, quod in ea scriptum est cum gaudio: & mandatum vestrum attendimus, & non habemus os, quod sufficiat ad commendationem vestram; neque linguam, quæ possit exprimere gloriam vestram, & nos contremiscimus excellentiam vestram, quia Dominus magnificauit vos.

Qua reuerentia apostolicas literas exceperit.

34 Insuper audiuimus de anathemate, quo anathematizastis Imperatorem & intelleximus hoc factum esse propter transgressionem eius & peccatum. Nostis tamen quod Dominus noster Iesus Christus præcepit & dixit. *Si peccauerit in te frater tuus, dimitte ei.* Et etiam dixit: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Et in alio loco dixit Simon Petrus: *Domine vsque septies si peccauerit in me frater meus, dimittam ei.* Et dixit ei Dominus. *Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies.* Sic præcepit fundamento Ecclesiæ, vt dimitteret fratri suo ignorantiam suam, & non recordaretur peccatorum suorum. Et nunc peto domine mi a sanctitate vestra, & a patribus patriarchis, episcopis, & Regibus subditis baculo paternitatis vestræ, vt dimittatis dicto Imperatori peccatum suum & delicta sua. Et hoc tribus de causis, propter stragem, & captiuationem fratrum nostrorum Christianorum; & propter destructionem ciuitatis sanctæ; & propter tentationem, quæ accidit in conculcationem sepulchri Domini nostri Iesu Christi, qualis ab initio non est audita. Propter hæc igitur porreximus hanc petitionem & ex zelo, quem habemus propter Deum, & ex dolore cordis scripsimus hæc; quia necessitas vrget nos, vt simus soliciti pro ecclesijs Iesu Christi. Oporteret autem, vt omnes ecclesiæ Iesu Christi & monasteria, & omnes fideles, qui sunt in oriente & occidente induerent se cilicijs, & sederent in dolore, & plangerent super Hierusalem, super ijs quæ acciderunt in ea in diebus nostris. Intimauimus hæc siquidem dominationi vestræ. Nunc autem isti fratres filij vestri speciales, religiosi, virtuosi in omnibus operibus suis, quos oportet honorari ab omnibus hominibus qui sunt digni audire, quod dixit os viuificantis: *Euge serue bone, & fidelis, &c.* ipsi, inquam, missi a vobis Andreas & socius eius, conseruati a Domino, notificabunt vobis ore ad os, quæ viderunt & audierunt apud nos: & cum hoc præsentabunt salutationem debilitatis nostræ, & vniuersis patribus & sacerdotibus & monachis; Regibus subditis sedi dominationis vestræ, pariter & omnibus Christianis obedientibus paternitati vestræ.

Hortatur Innocentium vt ignoscat Frederico.

Significat quantum dolorem orientales ex prophanato Domini sepulchro acceperint.

35 Misimus autem vobis per manus dictorum fratrum nuntiorum vestrorum libellum, quem attulimus de pectore orientis, scilicet de terra Sin & libellum alium de fide ex parte archiepiscopi Nesibini, cui subscripserunt alij duo archiepiscopi, & tres episcopi. Et nos vna cum eis in spiritu petimus iterum a

Formam suæ & aliorum fidei transmittere.

pater-

paternitate vestra petitionem secundam pro I. archiepiscopo Hierosolymitano, qui est de gente nostra, & pro fratribus nostris orientalibus Christianis qui sunt Antiochiæ, Tripoli, & Accon, & in alijs terris vestris, vt recommendetis eos, ne aliquis eos offendat, & sint apud vos, sicut dixit Dominus noster Iesus Christus: *Quodcunque vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis; & quod vultis vt faciant vobis homines, hoc facite illis*. Hæc sufficiant. Gratia autem diuina residens in habitaculo cordis vestri, quæ operatur virtutes, & curationes in omni hora per manus vestras sanctas, custodiat vos per virtutem Apostolorum sociorum vestrorum die & nocte vsque in sempiternum. Amen.]

36 Procliuem se ad Romanæ Ecclesiæ coniunctionem exhibuit Ignatius Iacobitarum orientalium præsul, atque vbi exposuit quanto honore ac lætitiæ significatione apostolicas literas excepisset, fidei suæ formam subiecit, quæ catholicæ veritati consentit, si veterem Armenorum circa sacramentum confirmationis errorem, quo irretitus tenebatur, exceperis. Qui cum a concilijs* & patribus, ac recentioribus theologis abunde sit confutatus, in eo refellendo non commorandum; sed patriarchales epistolas in medium adducendas censeo.

Littera missa ad dominum Papam ex parte Catholicon Iacobitarum. [a]

[a] Extant ib. ep. 120. Patriarch. Iacobitarum lit. ad Innoc.

Illi generi supremo constitutiuo omnium specierum, quod ita vocatur genus, quod non contingit ipsum vocari speciem; Patri patrum, sanctissimo Innocentio tenenti sedem B. Petri principis Apostolorum, glorificato a Christo Deo, qui credidit B. Petro claues regni cælorum, & posuit eum fundamentum Ecclesiæ; seruus seruorum Christi Ignatius debilis, cui creditum est a Spiritu sancto, vt sit pastor Syriæ, & totius orientis populo Iacobitarum; adorationem sinceram in spiritu & corpore.

Gratulatur illi ad coniunctionem Eccl. Ro. prouocasse.

Innotescat sanctitati patris communis post Patrem cœlestem; & domini communis post Deum cælestem, quod peruenit ad nos epistola vestra sancta per manum fratris sancti, sapientis, omnibus virtutibus ornati Andreæ; & leuaui eam super capita nostra, & benedictionem recepimus ab ipsa, sicut a similitudine imaginis Iesu Christi. Quod autem mandastis de pace & charitate communi; & quis est qui non gaudeat de concordia? Cum autem simus paci perfectæ obedientes, primo ostendamus veritatem fidei nostræ, quam confitemur: & Deus testis est nobis, quod illud quod credimus corde, confitemur ore, & exaramus scriptura.

Forma fidei Iacobitarum.

37 Dicimus igitur, quod nos Christiani orientales vocati Iacobitæ credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum; vnam naturam, tres hypostases, tres personas. Et cum Pater sit principium Filij & Spiritus * sanctus; principium Filij generatiui, & Spiritus sancti principium spiritatiui. At vt quia est vna natura diuinitatis, non oportet nos confiteri vnam hypostasim & vnam personam; nec iterum quia sunt tres hypostases & tres personæ perfectæ, oportet nos confiteri tres naturas esse; sed vnam naturam, vnam potentiam, vnam voluntatem, vnum actum naturalem Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Et iterum confitemur, quod Deus Verbum vnigenitus Patris de voluntate Patris, & Spiritus sancti descendit, habitauit in vtero virginis Mariæ, & natus est ex ea natiuitate secunda, cum natus sit a Patre natiuitate æterna. Et factus est ex ea homo perfectus, animatus anima rationali intellectiua; similis nobis in omnibus præter peccatum: & ipse est perfectus Deus, & perfectus homo sine mixtione, sine confusione: & ipse est vnus Deus, vnus Christus, vna persona, sicut dicit Athanasius, & Cyrillus: quod Deo verbo est vna natura incarnata. Et propter hoc confitemur, quod Maria est mater Dei in veritate; quia ipsa peperit Deum incarnatum, qui natus est pro salute nostra, & creuit in dimensionibus humanis, & compleuit gubernationem; & passus est, & mortuus secundum carnem, & surrexit tertia die: & cum impleret diuina, erat in veritate perfectus Deus, & perfectus homo; & iterum cum operaretur humana, erat perfectus Deus, & perfectus homo vnus post vnionem. Non recipimus igitur eos, qui confitentur dualitatem diuisiuam vnitatis, nec iterum eos, qui confitentur mixtionem, & confusionem, sicut Eutyches excommunicatus; sed recipimus omnes, qui sequuntur fidem B. Petri principis Apostolorum & incedunt per viam Niceni concilij, quicunque sint illi de doctoribus Ecclesiæ sanctæ, quorum veritas nota est apud excelsum Deum. Item damnamus, & excommunicamus omnem deuiantem a fide B. Petri, & concilij Niceni, & corrumpentem rectitudinem fidei Christianæ a tempore Simonis magi vsque ad diem hanc, quicunque sint illi, & ipsi noti sunt apud Deum.

* sancti

De Deo vno & trino.

Verbo incarnato.

Damnat omnes a fide Rom. Eccl. & conc. Niceni deficien.

38 Hæc est igitur fides nostra, & confessio nostra, & nobiscum Ægyptij, & Armeni, & Libyi, & Æthiopes. Confitemur iterum, quod sacrosancta Ecclesia Rom. est mater, & caput omnium ecclesiarum, & ipsa est in qua sunt reposita corpora beatorum Petri & Pauli. Hæc autem ostendimus magnificentiæ vestræ breuiter & succincte, ne afficiamus vos tædio in prolixitate, & hoc quia scimus, quod ex paucis * intelligimus plura. Cum autem postuletis vnitatem & concordiam, & quis est, qui hæc renuat, quæ appropinquare faciunt Deo excelso? Sed in firmamentum pacis, & concordiæ petimus a sanctitate vestra primo quod patriarcha nostro mortuo congregentur archiepiscopi, & statuant sibi secundum canonem, & secundum sortem Apostolorum, quem elegerit Spiritus sanctus, & hoc secundum canones & consuetudines nostras. Secundo quod patriarcha & archiepiscopi & episcopi Latini, qui sunt in partibus nostris, non iudicent super patriarchas & archiepiscopos nostros, sed sicut est præceptum vestrum, super patriarchas & archiepiscopos Latinos; ita & sit super nos: & iterum sicut recipiunt sententias & iudicia vestra, ita & nos. Tertio quod patriarcha & archiepiscopi & episcopi Latini non accipiant censum de ecclesijs & monasterijs, quæ habemus in terris ipsorum: sed communicent nobis libertates Ecclesiæ, sicut filijs in honore; & nos semper exhibeamus eis reuerentiam, & honorem. Alioquin non erit decens, quod illa, quæ cum magno labore habemus, contra libertatem Ecclesiæ concupiscant. Quarto quod illi de gente nostra, qui contrahunt cum Latinis, non compellantur ad confirmationem secundam; cum sint insigniti charactere baptismali, & confirmati fuerunt vna vice. Cum pace igitur & concordia tollatur hæc confirmatio. Iterum notificamus sanctitati vestræ, quod ex quo fratres vestri Latini benedicti egressi sunt, & venerunt ad partes nostras, populus noster dilexit eos, & pro posse suo astitit eis in omnibus necessitatibus suis, sicut in liberatione sclauorum, vel captiuorum, & consimilium. Nunc igitur petimus a sanctitate vestra, vt remuneretis nos in charitate, quæ super omnia assimilat nos Deo, & oretis pro debilitate nostra, sicut incumbit nobis ex miseria nostra.]

Primatum Rom. Eccl. agnoscit.

* intelligimus

Quæ flagitet ab Innoc.

Error Armenorum.

39 Adiecta est in regesto [a] alterius Ignatij Iacobitarum patriarchæ concepta subiectis verbis fidei professio.

[a] Lib. 5. ep. 122.

Confessio venerabilis patris Ignatij patriarchæ Christianorum orientalium, qui vocantur, Iacobitæ, pro se, & pro populo suo sibi commisso.

Credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum vnam naturam, & tres personas. Pater est gignens, Filius genitus ab eo, & Spiritus sanctus procedens a

Pa-

Patre, accipiens a Filio. In vltimis autem temporibus ex voluntate Patris, & Spiritus sancti Verbum æternum descendit de cælo, & habitauit in vtero Virginis, & natum est ex ea natiuitate secunda, & conseruauit ei virginitatem suam post partum; ideo credimus & confitemur eam Dei genitricem. Circumcisus est, & euacuauit circumcisionem: ieiunauit siquidem, & tentatus est a diabolo, & passus est & mortuus est secundum carnem, & resurrexit; & post resurrectionem suam quadraginta diebus mundo apparuit, vt * iustificaret resurrectionem suam: ascendit ad cælum, sedet ad dexteram Patris; inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Et ipse in veritate est perfectus Deus, & perfectus homo: vnus Christus ex duabus naturis diuina & humana. Et est diuina natura conseruata in * sancta essentia, & in suis proprietatibus: & natura humana conseruata est in sua essentia, & in suis proprietatibus; & facta vnio inter illas sine confusione, sine mixtione, sine corruptione.

40 Concordamus siquidem cum B. Petro, & confitemur eum fundamentum esse Ecclesiæ, sicut nominauit eum Christus petram, dicens: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; & ideo Ecclesia, in qua est corpus eius repositum, est mater omnium ecclesiarum in vniuerso mundo: & dicimus, & prædicamus, quod ipsa est lampas lucens, ex qua omnes aliæ lampades succenduntur. Dicimus etiam, quod animæ iustorum, qui voluntatem Dei impleuerint, quando separantur a corpore, requiescunt in regno cælorum. Peccatores, qui moriuntur sine confessione, flagellantur in inferno. Illi vero, qui peccauerint, tamen confessi sunt peccata sua, sed non compleuerunt pœnitentiam, affligentur vsque ad pœnitentiæ complementum. Dicimus siquidem quod oportet Christianum discipulum Iesu Christi diligere Christianum fratrem suum, sicut Christus dilexit nos, & posuit animam suam pro nobis. Christianus vero, qui odit fratrem suum, non est Christianus, quia est præuaricator mandatorum Iesu Christi; sed vt discipulus illius, qui inuidit Adæ, & odiuit eum. Hæc autem sunt; quæ breuiter diximus ad ostensionem fidei nostræ.]

41 His addendam Ioannis primatis Iacobitarum fidei normam existimamus, in qua sententiam suam grauissimis hisce verbis in lucem collocat. a

Confessio primatis Iacobitarum orientalium.

Dico ego Ioannes debilis primas Iacobitarum orientalium, quod confessio mea, & fides mea est de domino Iesu Christo Verbo Dei æterno, scilicet persona Filij æterni nati ex Patre ante secula, quod ipse descendit de excelso cælorum habitaculo ex voluntate sua, & Patris sui, & Spiritus sancti; & non recessit a dominatione maiestatis suæ: & habitauit essentialiter in Maria virgine ancilla sua: & recepit ex ea carnis animatum anima rationali intellectiua. Et vnitus est ei mediante anima prædicta, vnione vero inseparabili. Et non dicimus, quod prius fuerit formatus homo, & post habitauit in eo diuinitas; sed dicimus, quod non prodijt ad esse aliqua pars humanitatis eius, quin diuinitas esset vnita sine mixtione, sine confusione; vnione inquam perpetua, inseparabili, indiuisibili: & propter hoc confitemur, quod ipse est Deus vnus incarnatus, Filius vnus natus ex Patre, primo natiuitate æterna, & ex Maria virgine postremo natiuitate temporali. Vna persona, vna substantia ex duabus substantijs, non quod diuinitas conuersa sit in humanitatem, aut humanitas in diuinitatem; nec quod composita sit ex ijs duabus substantijs, substantia tertia: sed est vnita secundum naturam vnionis vitæ non accidentalis. Et licet vnio excludat dualitatem, tamen indicia duarum naturarum, & proprietates earum permanent in ipso; & discernuntur solo intellectu. Et non attribuimus miracula, & opera magnifica diuinitati abstractæ ab humanitate, nec attribuimus naturalia, & opera * infima humanitati abstractæ a diuinitate; sed dicimus, quod fecit miracula ex virtute diuinitatis, & gustauit passionem, & mortem voluntariam, quia natura humanitatis; & ipse tamen vnus Filius Dei, & hominis. Et dicimus, quod quando suscepit passionem, & mortem voluntariam propter salutem creaturæ suæ, diuinitas eius non est separata a corpore suo in hora mortis, sed semper fuit vnita & corpori, quod susceperat passionem, & animæ separatæ: nec attingit eam passio, cum substantia diuina propter excellentiam sui immunis sit ab omni accidente, & passione.

42 Cum autem quælibet trium personarum nominetur Deus; & constet, quod Filius est vna trium personarum, & nominetur Deus; oportet vt nominemus virginem Mariam matrem eius, genitricem Dei. Et si dicat nobis aliquis, quod hoc nomen Deus nomen est commune tribus personis, & ita forte transibit dictum ad personam aliam a Filio, vel ad tres simul; dicimus, quod hoc nomen est commune, nisi sit aliquid distinctiuum, & propriū. Si sit aliquid distinctiuum, quia quælibet trium personarum habet propriam notionem, qua distinguitur ab alijs, & hoc quia Pater paternitate distinguitur a Filio & Spiritu sancto, & Filius filiatione a Patre & a Spiritu sancto, & Spiritus sanctus processione a Patre & Filio. Si igitur nominemus Patrem Deum, & notificemus paternitatem, non sequitur quod transeat ad Filium, & Spiritum sanctum, similiter de Filio & Spiritu sancto. Igitur cum dicimus: Maria virgo peperit Deum, intelligitur tantum de Filio, quia restringitur hoc nomen per notionem natiuitatis & filiationis; nec oportet quod transeat dictum ad alium. Et si dixerit nobis aliquis: Quare non sufficit eam vocari genitricem Christi? respondemus, quod hoc nomen non sufficit ad notificationem veritatis essentiæ genitrici, cum sit nomen deriuatum ab vnctione, & indigeat longa expositione, & exeat a sua prima expositione; & æstimabit forte insipiens, quod vocatus hoc nomine sit sicut Dauid, & sicut Saul, aut huiusmodi: sed si esset nomen deriuatum a diuinitate & humanitate, sufficeret breuiter dicere Mariam matrem Christi. Cum igitur natus de ea in veritate sit Deus, vocamus eam genitricem Dei, & in hoc imitamur vestigia sanctorum Patrum.]

43 Nec Iacobitæ modo Innocentij votis in adducendis ad mutuam coniunctionem fidelibus, sed etiam Nestoriani consensere, vt archiepiscopi Nisibini literæ ostendunt; a quibus Nestorij errores damnat.

Confessio Nestorianorum.

Dico ego Enstaib archiepiscopus de Nasabin, quod fides mea de domino Iesu Christo, quod ipse est perfectus Deus, & perfectus homo: vnus Filius scilicet Dei & hominis, vna persona: & ipse non fuit prius homo purus, & post vnitus deitati; sed qualibet pars humanitatis eius non extitit nisi vnita deitati; & quod Maria virgo peperit perfectum Deum, & perfectum hominem Filium vnum, qui est dominus Iesus; & hæc volo non fuit accidentalis possibilis separari, sed permanens & perpetua: & quod proprietates diuinæ naturæ & humanæ insunt Christo. Mortuus est autem secundum humanitatem vnitam, & nendesijt in eo vnio, sed permansit eo existente in cruce & in sepulchro; & est separata anima a carne in morte; nec tamen deitas ab humanitate, sed permansit vnio deitatis ad animam separatam a corpore, & ad corpus quod susceperat passionem. Initium autem vnionis fuit, ex quo nunciauit Angelus B. Mariæ,

* al. ven ... ret

* al. infirma

a Extat apud Ian. Lat. ep. 133.

Confessio primatis Iacobitarum.

a Extat ibid. ep. 131.

Professio fidei Nestorianorum

riæ, & ipsa consensit ei, & credidit verbis eius, & dixit: *Fiat mihi secundum verbum tuum*; & facta est vnio inter f. dei fiat & inter m. dei tuum; & in hoc quod dicimus: Maria peperit Christum, intelligitur quod ipsa peperit Deum Filium, vnam trium personarum vnitam homini vni, de quo dicitur in euangelio, quod ipse est filius Dauid, & filius Abraham, & est filius Mariæ virginis, & Dei Patris; & in hoc quod dicimus: Maria peperit Christum, intelligitur quod ipsa peperit Deum; tali tamen conditione, quod ipse est Deus Filius vnitus humanitati. Sunt autem voces intellectuum, & hæc vox, Christus, significat perfectum Deum, & perfectum hominem: hæc autem vox, Deus, significat de pari sanctam Trinitatem; & supponit pro Patre, & supponit pro Filio, & supponit pro Spiritu sancto: & cum dicitur: Maria peperit Deum; existimabit forte insipiens quod ipsa peperit aut sanctam Trinitatem, aut Patrem, aut Spiritum sanctum, nisi exponatur Deum Filium vnitum. Cum igitur indigeat expositione, & Deus Filius vnitus ipse sit Christus, sub vno vocabulo erit, cum dicimus: Maria peperit Christum verbum vnum breuiter comprehendens diuinitatem & humanitatem. Est igitur vnus Christus, vnus Filius, res duarum naturarum diuinitatis & humanitatis; vnum indiuiduum, vna persona.]

44 Insidebat alia Pontificis animo cura, vt non modo schismaticos quosque remotissimos ad Apost. sedis obsequium reuocaret; sed maxime hæreticos per Italiam & Gallias sparsos, ad veræ religionis cultum traduceret, atque in perfidia obstinatos iustis pœnis perculeret, vt alios a scelere supplicij metus submoueret, quos fœditas criminis ab eo cōmittendo non deterruisset. Pluribus enim in ijs prouincijs Prædicatorum familiæ religiosis viris, quos diuinæ amplificandæ gloriæ studium incitabat; vt Ioanni a Vicentino in Insubria, atque Bisuntino b, Burdegalensi, & Narbonensi prioribus c in Gallijs; prouinciam demandauit, vt in conuertendis ijs animabus, quæ hæresi corruptæ ac subornatæ erant, zelum ardentissime explicarent. Tanta porro religione districtæ in hæreticos censuræ seruabantur, vt Tolosanus comes, qui summa potentia florebat, obtinere nō potuerit, vt corpus Raymundi patris ipsius, qui ob impensum hæreticis studium, aliaque scelera perpetrata anathemate defixus, atque a fidelium consortio segregatus obierat, ecclesiasticæ sepulturæ traderetur. Quamuis enim id summis antea votis a Gregorio ac postea ab Innocentio flagitasset d; demumque ineunte hoc anno Pontificem solicitasset, vt ecclesiasticæ sepulturæ honore parentem sibi permitteret; atque assereret se probaturum testibus patrem editis maximis pœnitentiæ commissorum criminum signis obijsse, quamuis censuris quibus erat irretitus absolui, atque Ecclesiæ conciliari non potuisset; hoc solum obtinuit, vt Pontifex Auxitano archiepiscopo, atque Aniciensi & Lodeuensi episcopis prouinciam imponeret, inquirerent si ita, vt proponebat comes, ipsius parentem flagitiorum pœnituisset, & Christi domini corpus excipere postulasset. & si dicta veritati consentientia reperissent, ecclesiastico more ipsi iusta persolui iuberent. In quam sententiam hæc scripsit. e

45 *Cum non sit ei post mortem communio deneganda, qui eam affectasse, dum viueret, euidentibus pœnitentiæ indiciis demonstratur; nosque simus omnibus in iustitia debitores, & præfati comitis tanquam deuoti Ecclesiæ annuere petitionibus, quantum cum Deo possumus, intendimus; tradi faciatis, absolutione præmissa iuxta formam Ecclesiæ in talibus obseruandam, ecclesiasticæ sepulturæ.* His vero vbi grauissime differuit cur hæreticis alijsque fidelium communione eiectis sepulturæ ecclesiasticæ honor denegetur, subijcit: *Licet bonis contemptibilis sepultura non obsit, nec honorabilis prosit malis; conuenit tamen in locis sacris fidelium corpora tumulari, excommunicatorum autem deijci in vilibus, & despectis, vt quibus Ecclesia communicauit viuentibus, communicet defunctis; eosque deuitet mortuos, quos euitauit & viuos. Illos autem, qui ab ipsius vnitate præ ijs certa pœnitentiæ signa ostenderint, licet ei reconciliati non fuerint morte præuenti, dum tamen per ipsos non fuerit, & absolutionis impendendum est beneficium & sepultura etiam ecclesiastica exhibenda.* Cæterum Bernardus, qui huiusmodi prouinciæ hisce præsulibus impositæ meminit a, asserit Tolosanum comitem, qui signo crucis se insignierat, ac Regis Francorum auctoritatem adhibuerat, elicere nunquam potuisse, vt patris corpus ritu ecclesiastico terræ mandaretur.

46 Dum ita in tuenda ecclesiasticarum legum securitate constantiam seruabat Innocentius, aduersus nonnullos, qui clerum subijcere satuitur moliebantur, desudandum ipsi fuit. Subornati enim, vt creditum est, atque indicat Parisius b, a Friderico Galliarum proceres, quoddam fœderis genus percussere, vt clero, qua potiebatur in dirimendis causis, auctoritatem adimerent; atque eos tuerentur, qui anathemate defixi fuissent; si ipsi iis iniuste ea pœna perculsos cēsuissent; iussi sunt ij omnes, qui illius factionis participes esse vellent, redditum centesimam pendere, & quatuor principes viros, Burgundiæ ducem, Britanniæ, Engolismæ & S. Pauli comites designati, vt eos quibus controuersia aliqua cum ecclesiasticis esset, omnibus viribus aomisque defenderent. Editas ab ipsis leges Gallica lingua affert Parisius, atque aliud scriptum ab ipsis promulgatum plenum contumeliarum in clerum adijcit, quo primum illi imperite admodum gloriantur Francorum regnum non prædicatione euangelica, sed ferro sub Carolo magno, ad fidem catholicam esse traductum; atque ecclesiasticos vulpium more ita sensim suam extulisse auctoritatem, vt qui serui antea fuerant, principum inuaderent iura; & ijs dominari vellent, a quibus veterum victorum, et triumphatorum more leges accepissent.

47 Addunt principes viros totius regni perpendentes non clericorum, sed militum opera regnum fuisse partum, sanxisse, vt nullus clericus, vel laicus alium coram ordinario iudice, vel delegato in iudicium trahat, nisi in hæreseos, matrimonij, vel vsurarum causis: ijs vero, qui ea statuta violare tentarent, iacturæ bonorum ac vnius membri mutilandi tetrorem incussere. Tum facti subijciunt rationem, vt ita eorum auctoritas ab ecclesiasticis extincta reuiuiscere et, atque opes, quibus illi affluunt, ad se deriuarent; ac demum hunc colorem ac fucum appingunt iactis hisce in clericos falsibus: *Et reducantur ad statum Ecclesiæ primitiuæ, & in contemplatione viuentes, nobis sicut decet, actiuam vitam ducentibus, ostendant miracula, quæ dudum a seculo recesserunt.* Quæ extrema verba ex Friderici literarum calce deprompta notat Parisius, quas ille ad Reges principesque exararat, vt ipsos ab Ecclesiæ reuerentia, atque a vera pietate alienaret.

48 Vbi ita publicum emanasset fœdissima lex, quæ ad creandum ecclesiasticis odium, omnemque non humanam modo, sed diuinam etiam auctoritatem il is attributam conuellendam conflata erat (quid enim contumeliosius quam laicos se liberos insignire, seruos vero clericos appellare; iactare ad statum primitiuæ Ecclesiæ reducendos, cum nimirum sub perfectorum tyrannide ingemiscebant; non censendos perculsos anathemate, nisi quos laici publici clericorum hostes iuste sacris depulsos iudicassent) Gallicanus clerus ad Innocentium, vt Ecclesiæ causam defendendam arriperet, confugit: tum nonnullos cœtus celebrare cœpit, vt iniquum laicorum, eccle-

Hæreticos in Gallijs atque Italia extinguendos iubet Inn.

a Lib. 4. ep. cur. 129. b Lib. 5. ep. 370. c ibid. ep. 371.

Raymundus comes Tolos. flagitat ut paternum corpus sepulturæ ecclesiasticæ tradatur. d Lib. 4. ep. 436. & l. 5. ep. 393.

Dati ab Innoc. iudices ad cognoscendam causam num pœnitentia accessisset. e Ibid. ep. 393.

a Bern. chro. Rom. Pont. hoc anno.

b Par. hist. Angl. eod. ann. Subornati a Friderico nonnulli Galli proceres aduersus ecclesiasticos iniquas moliuntur.

Quas leges ad ea deprimendam statuerint

Impius ad bona eorū inuadēda color.

Refendit mi(?) iuram legem Innocentius

ecclesiasticos obterere meditantium fœdus dissoluerent, Tanto etiam malo occurrere Innocentius studuit; apostolica auctoritate rescidit a ab illis gesta; latas contra ecclesiasticæ libertatis violatores censuras renouauit; in omnes, qui vel hæretica lue aspersi essent, vel hæreticis studerent, quiue ea statuta seruari iuberent, anathematis sententiam tulit, nisi ea intra duos menses erasissent. Tum omnes magistratus, atque eos, qui eiusmodi leges exscriberent in publicis tabulis, iisdem pœnis afflixit.

Censuris percellit libertatis ecclesiasticæ violatores.

a Lib. 4. ep. cur. 35.

Archiepiscopis & episcopis, abbatibus, prioribus, & alijs ecclesiarum prælatis, ac vniuersis qui Parisijs, vel alibi pro honore Dei, & Ecclesiæ fuerint congregati.

49 Angustiæ nobis sunt vndique, dum persecutoris Ecclesię crudelem impietatem attendimus; dum eiusdem opera, qui ad absorbendum eam per se, ac membra sua totis conatibus inhiat, cogitamus. Sed illud nos pungit profundius, ferit acerbius, quod illi, de quibus vtpote catholicis maximam habebamus fiduciam, & in quibus præcipue vigere tam fides quam deuotio credebatur; quorumque progenitores fide feruentes, deuotione sinceri Ecclesiam non solum defensarant ab alijs, verum etiam & ampliarunt diuitijs, & multis libertatum priuilegijs muniebant; contra eandem Ecclesiam nouæ, ac prorsus insolitæ adinuentionis genere machinantur. Nec est mirum, si de hoc dolemus, potissime tum propter exempli perniciem, quam afferent exinde aliæ nationes: tum pro eo quod amicorum offensæ plus aggrauant plusque lædunt, testante Domino per prophetam: *Si inimicus meus maledixisset mihi, supportassem vtique.* Satis quidem sufficiebant ad præsens afflictiones, quas Ecclesia patitur; insultus, quibus impetitur; & turbationes, quibus iugiter ab inimico homine vbilibet superseminante zizania molestatur. Non erat necesse vt quidam ex baronibus Franciæ afflictæ afflictionem adijcerent, ipsam nouis constitutionibus, vel potius detestationibus perturbantes. Qui, sicut dolentes audiuimus & miramur, Ecclesiam, quæ ipsos ex vtero sanctificationis regenerauit in filios, ac pro eorum salute immaculatum agnum offert iugiter Deo Patri, in seruitutem cupientes redigere; vt iam nolint vocari filij liberæ, sed ancillæ, immo sponsam Regis æterni, qui ipsos suo sanguine a seruitute perpetua liberauit; conantes miserabiliter ancillare, communi coniuratione, & conspiratione contra libertatem ipsius plura, sicut dicitur, grauia & enormia statuerunt, quæ ius & consuetudinem prædictæ libertatis absorbent, Ecclesiæ honorem elidunt, scandalum pariunt, & pericula generant animarum.

Pontifices de eo lamentatur.

50 Sane si negotij qualitas diligenter attenditur, si status rerum qualiquali meditatione pensatur, honori, vel strenuitati eorundem baronum non expediebat hoc tempore aggredi sanctam Ecclesiam in tali articulo constitutam; cum in gentibus, circumscripto timore diuino, ex magnanimitate quadam oppressis, eorum etiam si quæ forte præcesserint, non memorantes iniurias, subuenire soleant; eisque in necessitate manum porrigere adiutricem. Verum si dicti barones diligenter attenderent, quod Carolus magnus Ecclesiam, a qua omnem honorem susceperat, cupiens honorare, perpetua lege decreuit, vt omnes ipsius iurisdictioni subiecti statutum a Theodosio Imperatore pro Ecclesiæ libertate editum, inuiolabiliter obseruarent; videlicet, vt quicunque litem habens siue petitor fuerit vel in initio litis, vel decursis temporum curriculis, siue cum negotium peroratur, siue cum iam cœperit promi sententia, si iudicium elegerit sacrosanctæ sedis antistitis, illico sine aliqua dubitatione, etiamsi pars altera refragatur, ad episcoporum iudicium cum sermone litigantium dirigatur: & omnes causæ, quæ prætorio, & etiam ciuili iure tractantur, episcoporum terminare sententijs, perpetuæ robur obtineant firmitatis: & negotium quod iudicio ipsorum deciditur, nequaquam vlterius ab aliquo retractetur. Ex quo manifesta potestis ratione perpendere, quam iniquum videatur & absonum, si honor Ecclesiæ, quæ tam grandis libertatis priuilegio donata dignoscitur, in illis immunitatibus, quæ multo prædictis noscuntur esse minores, nostris temporibus decurtetur.

Obijcit Inn. Gallis proceribus longe a Caroli magni & Theodosij pietate abesse.

51 Si alias barones ipsi pensarent quod omnes, qui præsumunt statuta condere contra ecclesiasticam libertatem, sunt ipso facto excommunicationis sententia innodati, forsitan non processissent ad talia, nec etiam persisterent in eisdem: sed quia fortassis ad eorum non peruenit notitiam, vt occasio de ignorantia, & quod non fuerint moniti, omnino tollatur; ipsa eis quod desistant ab huiusmodi per aliquos vestrum, quos ad hæc idoneos videritis, nuntiari volumus & exponi ac eos ad id solicitis monitis & exhortationibus diligenter induci. Quod si forte ad hoc præfati barones flecti nequiuerint, aliquid de insufflatæ ipsorum auribus fermento nequitiæ retinentes, cum scriptum sit: *Ne prospera te alleuent, nec aduersa deijciant*; vos sperantes in illo, qui colligationes impietatis, & fasciculos deprimentes sua virtute dissoluit; ac considerantes quod Ecclesia, contra quam etiam portæ inferi non præualebunt, consueuit in tribulatione iuxta verbum propheticum dilatari, statuatis vosmetipsos in defensione ecclesiasticæ libertatis exemplo prophetæ, ciuitatem munitam, & columnam ferream, nihil penitus metuentes: sed cordis armati constantia, quam nulla possit persecutionis penetrare sagitta, murum pro domo Domini vos viriliter opponentes; ea libertate, in cuius possessione adhuc existitis & qua hactenus vsi estis, confidenter vtamini; & contra rebelles procedentes, prout conuenit, statuta contra libertatem ecclesiasticam attentata irrita nuntiando, vos aut subditos vestros ipsius non permittatis commodo spoliari; pro firmo scientes quod cum Ecclesiam Gallicanam speciali affectione inter cæteras orbis ecclesias diligamus, vobis omnimodum in conseruatione iurium & libertatum vestrarum, dante Domino, consilium, & auxilium impendemus.

Gallicanũ clerum ad constantiã hortatur.

52 Cæterum cum olim felicis recordationis Honorius Papa prædecessor noster in omnes aliqua statuta contra ecclesiasticam libertatem edentes excommunicationis sententiam tulerit; & super hoc canonem latæ sententiæ promulgauit; nos ipsius tenorem, vt eum solemniter publicari & seruari in vestris diœcesibus, non obstantibus indulgentijs vel priuilegijs quibuscunque ab Apostolica sede concessis, appellatione postposita faciatis, vobis duximus transmittendum, qui talis est: Noueritis quod nos in basilica principis Apostolorum &c.] Adducit lati ab Honorio anathematis formam, quam nos superius Gregorij literis ad sanctum Ludouicum datis insertam attulimus. a

a A. 1236. nu. 30.

53 Eodem argumento ad Tusculanum episcopum A.S.L. scripsit b vt concilio, quod præsules Gallicani erant celebraturi, interesset, ipsosq; ad tuendã egregie causam Ecclesiæ animaret, cum non tam ijs legibus iniquis libertas labefactari, quam Ecclesiæ status immutari videretur: tum anathemate defixos promulgaret, qui ad eas leges infligendas operam vllam adhiberent; pluraque alia illi imperia pro ea re disturbanda fecit.

b Eod. l. 4. ep. nr. 36.

Innocentius &c. episcopo Tusculano A.S.L.

Cum per prædicta ab eisdem baronibus attentata videatur non tam libertas ecclesiastica, quam status totius Ecclesiæ immutari, idque credatur ab inimico homine aspirante ad subuersionem fidei procuratum;

Data Tusculano ep. ad factionẽ procerum dissoluendam imperia.

ratum; volumus & de conſilio fratrum noſtrorum mandamus, vt ſuper hoc procedere debeas iſto modo. Primo denunties & denuntiari facias excommunicatos omnes illos, qui ſeruari fecerint ſtatuta edita & conſuetudines, vel potius abuſiones introductas contra Eccleſiæ libertatem. Item excommunicatos nunties & nuntiari facias ſtatutarios, & ſcriptores ſtatutorum ipſorum, necnon barones, & dominos terrarum, ac alios nobiles, & poteſtates, conſules, rectores & conſiliarios locorum, vbi huiuſmodi ſtatuta, vel conſuetudines edita fuerint, vel ſeruata, necnon & illos, qui ſecundum ea præſumpſerunt iudicare vel in publicam formam ſcribere iudicata. Item nunties, & nuntiari facias prædicta ſtatuta nullius eſſe momenti, & iuramenta ſuper eis obſeruandis præſtita prorſus illicita: & ideo illos, qui præſtiterunt ad obſeruationem iuramenti huiuſmodi non teneri.

54 Item excommunices omnes illos, qui ſocietatem coniurationis huiuſmodi intrauerunt, vel intrabunt, aut procurauerunt, vel procurabunt aliorum ingreſſum, niſi penitus reſipiſcant. Item excommunices omnes illos, qui pro huiuſmodi ſtatutis ſeruandis centeſimam redditnum ſuorum ſoluent, vel colligent, aut recipient per ſe, vel alium; ad ſoluendũ, inducent alios, vel compellent, vel ad id dederunt, aut dabunt conſilium, auxilium, vel iuuamen. Item excommunices omnes illos, qui occaſione coniurationis huiuſmodi prælatos impedient vti iuriſdictione eccleſiaſtica in caſibus, in quibus eis competit de iure vel conſuetudine approbata. Item excommunices omnes illos qui impedient, turbabunt, ſeu moleſtabunt agentes, reſpondentes, aſſiſtentes, patrocinantes, vel iudicantes in foro eccleſiaſtico in caſibus ſupradictis; necnon & illos qui eorum propinquos in perſonis vel rebus præſument occaſione huiuſmodi moleſtare. Non obſtantibus aliquibus indulgentijs, ſeu priuilegijs quibuſcunque perſonis ab Apoſtolica ſede conceſſis, vt in eas vel eorum terras excommunicationis vel interdicti ſententię ferri non valeant abſque ipſius ſedis licentia ſpeciali. Quod ſi forſan inuenti fuerint aliqui pertinaces, nouerint quod omni priuilegio ab Apoſtolica ſede obtento, & feudis, ſi qua tenent ab eccleſijs, priuabuntur; eorumque proles ad clericatum, vel eccleſiaſticum beneficium, ſeu dignitatem minime aſſumetur. Clerici quoque qui cum prædictis permanent, niſi incontinenti poſt publicam monitionem tuam ab eorum recedant obſequio & conſilio, omnibus eccleſiaſticis beneficijs, & etiam clericatus priuilegio ſpoliabuntur.] Refert Pariſius a Pontificem alia induſtria vſum, vt ea principum fœdera diſcuteret, plura opima in eorum conſanguineos ac germanos ſacerdotia contuliſſe, obtinendorum aliorum ſpem inieciſſe, atque ita apoſtolicis beneficijs affectos a ſuſcepto conſilio abduxiſſe; ac periculum, quod exinde Eccleſiæ conflatum erat, prudenter diſieciſſe. Sed de bis ſatis. iam de bellico in Aſiam apparatu, qui a Gallis inſtruebatur, deque Syriæ rebus aſſeramus.

a Par. hiſt. Angl. hoc ann.

Syriæ lugubris ſtatus.

55 Ceciderat Syria in grauiſſimas calamitates, cum Fridericus ſacris eiectus & exauctoratus Imperio, non modo illi non ſuccurreret, ſed ob diſſenſiones vires illius admodum debilitaret. Et quidem Innocentius oppreſſos grauiſſimo luctu Hieroſolymitani regni fideles recreare literis, atque ad meliorum ſpem excitare niſus eſt; vtque aduerſus Friderici, qui eos ſubornare ac peruertere moliebatur, fraudes conſtantes perſtarent, adhortatus b: traduxerat enim illius regni dominium ob Conradi, ad quem iure materno ſpectabat perfidiam, in Cypri Regem, illumq; præſtiti Friderico ſacramenti religione liberauit, atque vna cum Cypri regno in ſedis Apoſtolicæ tutelam recepit: tum iniecit c animos vt Syriam contemptis periculis ac laboribus ſibi ex fidei hoſtium manibus vindicaret.

b Lib. 5. ep. cur. 5.

c Lib. 4. ep. 445.

Regi Cypri illuſtri, & domino regni Hieroſolymitani.

Debent qui poteſtate præeminent grandiori, illam curam, & ſolicitudinem gerere de ſubditis, vt eorum prouidentiæ ſtudio pacis & concordiæ ipſis adaugeatur tranquillum, & illorum ſtatus in proſperum dirigatur; vt, ſuccedentibus eis felicium temporum commodis, iam non ſubeſſe, ſed quaſi regnare ſub ſuis maioribus glorientur. Si ergo fili chariſſime, diligenter attendas, & vt conuenit, mediteris, quod illi terræ præſis, in qua Ieſus Chriſtus pro humani generis redemptione naſci, conuerſari voluit, atque mori, dulciter perferes, & ſuauiter deguſtabis quorumlibet laborum, curarum, & ſolicitudinum ingruentiam; vt eam, quæ peccatis exigentibus perſecutionum concutitur incommodis diuerſarum, ad ſtatum poſſis reducere meliorem. Super quo tanto libentius & fiducialius te requirimus & rogamus, quanto magis id tuo commodo & honori, exaltationi Eccleſiæ, ac ſaluti & vtilitati totius populi Chriſtiani ſcimus & cognoſcimus expedire. Exurgat igitur tuæ potentiæ fortitudo conſortata, & ſecura de gratia Regis regum, quæ tibi non deerit, ſi ad illum referas greſſus tuos, & regnum prædictum labores non metuens vel expenſas, illo cautelæ ſtudio, virtutis & potentiæ argumento regere ac gubernare procures, quod eiuſdem regni hominibus, te faciente, proueniat pax & quies corroboretur, & hilareſcat deuotio Chriſtiana; & in eum ac ipſius terræ ſubſidium animetur. Sicque fiat vt præter æternæ beatitudinis præmia, quæ conſequeris proinde cumulus tibi perpetuæ laudis accreſcat; & a nobis etiam, quos ſemper habebis ad tua commoda fauorabiles & benignos, dignis in Domino laudibus commenderis. *Dat. Lugd. xv. kal. maij anno v.* r r.]

56 Parabantur ſane ex occidente ingentia ſubſidia, quippe Ludouicus Francorum Rex tranſmarinæ ſeſe expeditioni non minus religioſe quam fortiter accingebat. Vt enim diuinam gratiam colligeret, toto regno inquiri iuſsit, vt ſi quis damnum aliquod ab eo accepiſſet, rem probaret, ac mox omnia reſtitutum iri promulgauit: *Autumnali*, inquit Pariſius,a *tempore piiſſimus Rex Francorum Ludouicus, miſſis fratribus Prædicatoribus, & Minoribus per totum regnum ſuum, vt diligenter inquirerent, fecit etiam per ballinos perſcrutari, quod ſi aliquis inſtitor vel iniuriam paſſus vnquam, quicumque alius in aliqua accommodatione coacta, vel extorſione pecunia vel victualiũ, vt ſolet, per regios exactores proferret ſcriptum, vel talliã vel teſtimonium vel iuraret, vel quomodolibet aliter legitime probaret; quia paratus erat omnia reſtituere: quod et ita factum eſt.* Hæc auctor. Imitati videntur S. Ludouici egregium exemplum alij principes, qui tranſmarinæ expeditioni ſe deuouerant: de ſe enim narrat Ionuillæus b, recurrente poſt paſcha huius anni feria quinta excitis clientibus expoſuiſſe Syriacæ profectionis conſilium; latere mortales an e longinqua peregrinatione ad patriam rediturus eſſet; atque adeo ſi quis ab ipſo factam ſibi iniuriam quereretur, controuerſiam in medium adduceret: quo vero æquitas ſeruaretur, ſubduxiſſe ſe e circulo, ac nonnullis prudentibus viris litis dirimendæ prouinciam demandaſſe; idemque in alijs ipſius ditionis terris factum.

S. Ludouicus pro eo inſtaurãdo exercitum parat.

a Par. hiſt. Angl. hoc ann.

Præclarũ illius facinus.

b Ionuill. 1. par. hiſt. S. Ludou.

Iuuit etiam pium Regis conſilium Innocentius: ad augendas enim eius copias, expoſcente ſancto Rege, Petro S. Georgij ad velum aureum diacono Cardinali in Germania legato iniunxit c, ne vota Hieroſolymitanæ profectionis permutari, neue concionatores ad capeſſendam crucem incitare populos vetari permitteret. Incenderat eadem pia cupido

c Lib. 5. ep. 334.

An-

Anglos defendendæ Terræ sanctæ, quorum plures crucesignatæ militiæ se deuouisse testatur Parisius a, remque promouebat ipse Anglorum Rex Henricos, qui Guidonem e Lexiniaco marchiæ comitis filium, suumque vterinum fratrem, Francorum Regis vectigalem, præfecit. Cumque ille antea sacramento se deuinxisset S. Ludouico cum eo iter arrepturum, Pontificem rogauit sacramenti religione solueret; namque longe melius videri, si Francorum copias subsequeretur. Cui Innocentius actorum se cum Rege ac Regina rescripsit. b

a Par. hist. Angl. hoc anno Angli in. duendæ crucis zelo accensi.

b Lib. 5. ep. ...

57 Explicuerat antea egregie suum zelum Pontifex, cum pro summo, quo flagrabat, traducendarum omnium barbararum gentium ad Christi cultum ac venerationem desiderio, legatos ad Sarracenorum sultanos misit, vt eos euangelij luce collustraret: quam legationem religiosis e Prædicatorum familia viris commiserat. Sed barbari vitiorum pondere oppressi ad lucem aspiciendam oculos non extulere, atque Innocentio literas c, licet honorificas ob splendidos titulos, quibus eum ornauere, blasphemijs tamen aspersas misere. Extant eæ in regesto pontificio, inter quas primæ occurrunt a Salchino exaratæ, vbi post comprobatam philosophicis argumentis vnius diuinitatem, ad astruendam sacrilegam superstitionem, Christum Dominum vt prophetam humana conditione non augustiorem collaudat; ac temere essutit omnia diuina munera in reliquos prophetas sparsa in suum Mahometum confluxisse: idque non argumentis grauibus, quæ habere non poterat, sed mera impostoris assertione, qui ad circumueniendum simplicem populum cælos penetrasse, atque ab ipso Deo edoctum se fuisse iactabat. Quas nos literas cum Sarraceni principis hostis publici religionis testimonio Romani Pontificis illustretur dignitas, quam nequiores eo nouatores deprimere & obscurare nituntur; tum Mahumeticæ superstitionis insania deprehendi possit, atque ex ijs ecclesiastica historia lucem accipiat, afferemus.

Vt In. Sarrac. principibus fidei Christianæ veritatem pro posuerit.

c Extant apud Inn. l. 4. ep. cur. 115.

Sultani Babyl. ad Pont. Rō.

Sancto, illustri, puro, excellenti, temporalium contemptori, Dei cultori, venerabili, sublimi, scienti, magno, capiti sectæ Christianæ, & duci filiorum baptismatis, sedenti super sedem Simonis, ornatum habenti intellectum sanctis theologicis Papæ Romæ, cuius Deus perpetuet prosperitatem Saleumus I. ex parte Desaleb soldani Aegypti, Rex victoriosus, protector mundi & legis, cognomento Vbutaber, quod interpretatur pater pueri, nomine Abraham, filius Regis propugnatoris, cognomento Leonis legis, nomine Sertxcub, filij Mahometi, adiutor emar elemumemin, idest, Imperatoris fidelium, qui est Calipha.

58 In nomine Dei misericordis, & miseratoris, qui entia ad esse deduxit potentia sua, demonstrantia perfectionem sapientiæ suæ, attestantia singularitati suæ, loquentia, quod omnia entia innituntur vnitati suæ. Ille laudabilis, & superexaltatus: vnus, non sicut cæteræ vnitates segregatus est a participibus & consortibus, & carens repugnantijs, & societatibus expers coniugis & filiorum, singularem perfectionem possidens, ad cuius comprehensionem breues sunt intellectus, & vnicam habens scientiam, quam æstimatio non circumcludit, & appropriauit sibi notiones eius esse, nec indemonstrantes, & confirmantes apud eos, qui habent intellectum; quia non licet adorare, vel colere præter ipsum, vt creaturæ etiam attestantur; quia non est Deus nisi ipse, & loquitur argumenta necessaria; quia non est præter ipsum alius adorandus, * qui illi, quibus Deus dedit scientiam specialem, & elegit eos, vt supremam benignitatem propius contemplentur, & fecit eos locum habitationis sapientiæ suæ, & patriam, in qua reposuit tanquam depositum fidem suam, & confœderatus est cum eis fœdere protoplasti; cum sint ta-

Agnoscit Soldanus Dei magnitudinē.

** ab illis*

lis creatura, quos copiose bonitatis suæ induit indumento, videlicet intellectu cuius nobilitatis ratio, & traditio concorditer attestantur, & probant demonstrationes, ipsum ad esse primitus processisse: postea etiam intellexerunt, quod intellectus iste oportet necessario, quod sit simplex in seipso, licet multiplex in consideratione respectuum, & relationum. Oportet autem quod qui ei esse contulit, & ordinauit eum in filo ordinis creaturarum, Deus videlicet laudabilis & superexaltatus, omnimoda multiplicitate careat. Nec in eū cadit aliqua species partitionis, aut numeri: nec ei accidit diffinitiua diuisio, nec dissoluta. & illa omnia nota sunt manifeste apud eos, qui in talibus sunt periti.

Illius vnitatem.

59 In hoc concordant præterea nationes omnes, tribus, populi, atque sectæ, quod Deus mundum istum in esse produxit absque præexistente exemplari. Ille ergo, qui talis est, præter quem omne aliud est contingens, necesse est quod nulla sit in eo compositio; nec est eius essentia ex aliqua rerum coniunctione compacta, quia cum partes in compositione alicuius totius conueniunt, aut aliquid eis accidit, quod ante non habebant, aut non. Dato primo, aut causatur illud adueniens ratione vnius partis tātum, vel cuiuslibet, vel totius, si secundum duo membra primo posita; sequitur quod qualibet pars sit per se sufficiens, & reliquæ superfluunt ad illud adueniens consummandum: quia secundum primum modum, qui causat illud adueniens, est vnum solum, vnde reliqua sunt otiosa, & secundum suum modum qualibet est sufficiens absque alterius adiumento, & sic iterum partes cæteræ sunt vacantes. & secundum tertium membrum, videlicet secundum quod illud adueniens causatur ratione totius, tunc fiet in illo adueniente eadem quæstio, quæ & in primo causato, & si aliud est adueniens, vel resultans, erit procedere in infinitum: manifestum est in sapientialibus scientijs in proposito concatenationis. Dato autem secundo, hoc videlicet quod nihil aduenit partibus componentibus ex sua compositione, sequitur quod sicut non surgebat causatum ex illis partibus separatis, ita nec surgat ex coniunctis. Et hoc est propositum, & hoc quod dicimus est parum ex multis, & modicum ex magnis: & vere non est sicut scintillula ex magnis illuminationibus, & splendor permodicus ex magnis coruscationibus, & hoc intelligenti sufficit; obtuso autem & hebeti istis amplius non proficit.

Potentia in creatione orbis.

Simplicitatem eius.

Illam probat philosoph. argumentis.

60 Manifestum est igitur, quod verum dixit laudabilis, & superexaltatus in alchorano: *Deus verus, Deus vnus est, nec est alius præter ipsum Deus, qui est misericors, & miserator.* Cum ergo sit ipse vnus, mundus autem sit iste multiplex; cum sit diues, mundus autem sit tenuis: & vt breuiter concludam, cum consideratur ipse in comparatione ad istum mundum, apparet diuersitas numerosa, & multiplicatur temeritio, vel longinquitas semper noua, & hæc attestantur suæ singularitati in se, & diuersitati ad alia, & diuisioni eius a creaturis tam separatis quam coniunctis. Non est alius sicut ipse, & ipse est audiens, & videns.

Deum verum & vnum in alchorano prædicatum ait.

Prædestinauerat autem ab æterno ostensurum se benignitatem suam in creaturas suas, & bonitatem suam effusurum super res, quas condiderat; vnde misit prophetas suos, ad quos prius destinauerat angelos sibi propius assistentes, & dedit eis per gratiam de fonte certitudinis scientiam loquendi, & quibusdam ex eis speciali contulit libri aperti munere confortari. Misit ergo Moysen super quem psallat Deus suum pentateuticum afferentem. Misit nihilominus & Iesum, super quem etiam psallat Deus euangelium proferentem.

Fatetur missos a Deo prophetas.

Moysem diuino spiritu afflatum.

Christum simpliciter prophetā existimat.

61 Ordinauerat autem quod pars amplior, & por-

portio copiosior, & lex firmior & veritas durabilior, & virtus largior, & demonstrator aptior seruaretur ei, cui thesaurizabat simul dona omnia, quæ prophetis alijs omnibus, super quos psallat Deus, fuerant particulariter distributa, dans ei consuetudines sanctas, & proprietates gloriosas, & defensiones veritate victoriosas, & ducatum, per quem alij dirigantur; & ipse dominus noster, super quem psallat Deus palmis continuatis secundum continuationem temporum, & sese consequentibus quamdiu nox & dies se inuicem consequentur. Cum ergo incredulitas fixisset anchoram, & ipsius dæmonium se latissime exaltasset, & ramos suos in sublime dilatasset, & quæstiones suas multiplices exaltasset; venit ipse, & incredulitatis ædificium percussit a basibus, & abscidit radices eius, non permittens eam in prosperitatem amplius crescere, vel in fructum. Pugnauit pro Deo, prout est congruum pro ipso pugnare, & studuit diligenter a perditione cultores eius pro magna parte liberare, & laborauit tantum, quod direxit maiorem partem hominum ad viam rectitudinis eius, sicut dicit dominus in alchorano. Qui pugnauerunt pro nobis, dirigemus eos in vias nostras; idcirco ipse, super quem psallat Deus, fecit oriri solem rectitudinis, qui prius fuerat in occasu; & effecit vias, per quas incederent homines manifestas.

Blasphemat seductorem Machometum prophetis anteponendo.

Alludit impie ad religionē Christianam.

De propagata armis sua superstitione gloriatur.

62 Postquam autem ad nos peruenit epistola sancti, nobilis, puri, eminentis, temporalia contemnentis, cultoris Dei, venerabilis, sublimis, scientis, magnifici, capitis populi Christiani, & ducis filiorum baptismatis, sedentis super sedem Simonis, cuius intellectus ornatus est scientijs theologicis; & perlegimus, quod continebat & intelleximus ex eius consideratione, quod prætendebat; inuenimus eam plenam demonstrationibus ducentibus ad propositum. De quo diu diuersa senserunt rerum inquisitores continentem talia, quæ capere non sufficiunt intellectus, & res super quibus locuti sunt prophetæ præcedentes, & radices ex legibus, quarum veritatem non comprehendunt, nisi certissimi sapientes.

63 Sed non scimus quæ sit intentio literarum, vt singula singulis redderemus. Quia si sit propositum certificatio veritatis & ipsius demonstratio & manifestatio, vt per viam probationis acceptetur, & teneatur veritas declarata, non secundum consuetudinem traditionis hominum; sciat ipse, quod ad hoc necesse esset pariter conuenire, & obiectionibus, responsionibus, & disceptationibus perscrutari veritatem: & si contentus sit epistolis sententiosis, & nuntijs ad hoc negotium inueniret, Deo dante, apud nos de talibus quod refrigeret cor eius, & quæ cum perlegerit, desiderium consequetur. Sed nos ei honorem deferentes, quem debemus, ex eo quod talis qualis ipse est, tales quales nos sumus, primus literis adijt, dignum duximus hanc vicem rependere, vt hoc solum agamus, quod ipsius est consonum voluntati, & quod beneplacito appropinquat; vnde adiudicauimus nos nihil tale debere scribere, donec eius epistola iterum ad nos venit; nec aliquid innouare, donec certi fuerimus super ipsius proposito & voluntate. Et idcirco expectamus ipsius epistolam, ipsius super hoc sententiam continentem, vt respondeamus veritatis certissime puritatem, ad hoc peragendum in Domino confidentes, quia ipsum colimus, & ipsum nostrum constituimus adiutorem.]

Inanis illius iactantia.

64 Subdit barbarus gessisse quidem in votis de religione cum summo Pontifice corā agere: quod cū fieri non possit, lubenter acturum cum eius legatis: flagitantiq; vt aditū Prædicatoribus ad Tartaros daret, quo eorum furor, qui in omnes pariter grassabatur, mitigaretur; negauit se id pa[illegible]rum. Pergit ille. Quod autem in epistola memorauit, qui super omnia; quæ ei ex iniuncto incumbunt officio ad nostram, aliorumque salutem intentionis suæ dirigit aciem: & quomodo circa eam diligenti studio, & studiosa diligentia sedulo inuigilat; certe hoc est opus laudabile, & secundum intentionem, ex qua procedit, iustificat facientem: & ex hoc debent nostri animi excitari, & desideria incendi, in hoc vt intendamus, Deo dante, ad ea per quæ liberemur a peccato, & perueniamus ad gradus sublimes, & acquiramus mansionem cum angelis Deo proximis, & prophetis Dei nuntijs, & martyribus, atque iustis; quorum decora societas, atque grata. Sed desideraremus vt possemus insimul conuenire, & ore ad os disputare, & colloqui de rebus diuinis de prope, quasi certamine manuali: sed quoniam hoc sunt impossibile, voluimus hoc agere cum illis, quos miserat de fratribus Prædicatoribus; sed non erat eis in terris nostris omnino securum de lege vestra, & nostra in præsentia nostrorum sapientum disputare; & manifestum est quod hoc erat ob impedimentum linguæ Arabicæ, & propter incessum per viam humilitatis ordinis monachatus, & quia nisi in lingua Latina, siue Gallica disputandi consuetudinem non habebant. Signa enim virtutis in eis relucebant, & insignia serenitatis ex eorum vultibus manifeste apparebant, & vestigia contemptus mundi: & religionis in eis erant manifesta, & mores eorum laudabiles & decori.

Commendat Pontificis zelū quem in adducēdis ad salutē Sarracenis præ se tulerat.

Significat optasse quidē de religione disceptare cum nuntijs A. S. sed periculum a furore suo vel impedisse. Carpit autē eos Ap. linguæ Arabicæ cognitionis expertes fuisse.

65 Et innuerat sensus in sua epistola, quod ipsi vellent proficisci ad Tartaros, & quod nos iuuaremus eos ad suum propositum adimplendum, & remoueremus causas ipsorum viam impedientes, & promoueremus eorum voluntatem; sed non consuluimus dictis fratribus propter multas causas, quas diximus, vt ad ipsos Tartaros deberent proficisci. Quod autem de Tartaris memorauit, quod ipsi velint omnia vastare, & in terras & populos deseuiant, & quod iam vastauerunt nationes plurimas de Dei cultoribus, & quod indifferenter furorem suum in omnes exerceant, nec in aliquo termino figerēt gradum; vere non descripsit factum eorum prout se habet veritas, nec totum prout est, memorauit: quia gens illa mare est pestilentiæ, quod suis inundationibus inundauit in tantum, quod si ipse modo antichristus videret partem malorum, quæ perpetrant, fluerent eius lacrymæ præ compassione: sed Deus laudabilis per suam immensam gratiam, & bonitatem in omnia inundantem recreauit Sarracenos, immo in veritate sectas etiam vniuersas per soldanum quendam, per quem scient Tartari, Deo dante, prauitatem finis, quam ex illa discordia sortientur, quam elegerunt, & calorem ignis istius prælij quem accenderūt, quia ipsi, Deo dante, istius ignis cibus erunt, & gladij istius soldani iniquitatum eorum erunt chirurgici, quæ non desinunt iterantes: & ipse dominus noster soldanus maximus Rex Saalech, stella Regis, soldanus soldanorum, veritatem demonstrationibus manifestans, expādens iustitiam in seculis, Rex duplicis meridiei, protector duarum domorum nobilium refugij, amicus Imperatoris fidelium; vnde versus: Saalech vulnerator inimicorum, excelsus gloria, largus manu, stabilis corde, bonus natura; cuius gladiorum fila gentium cum eos euaginauerit, vaginæ sint colla audacium: & cum conquesti fuerint se esurire, statim pascit eos ceruicibus nullorum. Exaltet Deus per eum dignitates legis Sarracenorum, & nobiliter & fulciat regna sublimia, & celsitudinem admirationis eius, & congreget per eum dispersiones voluntatum declinantium a tramite veritatis.

Negat ipsis vero ad Tartaros permissurum.

Tartarorū immanitatem exponit.

Iactat ipsius Soldani [illegible] prodigiis [illegible]

66 Ego vero, & homines vniuersi redimus ad protectionem eius, & speramus sub vmbra, & regimine eius, & scimus quia per potentiam eius erunt viles, & per imperiosam vindictam eius destruentur: & istius rei apparuerunt prodigia, & signa prosperitatis iam inceperunt coruscare: quia exercitus

istius

istius soldani magnifici, cuius Deus perpetuet Imperium, postquam in anno isto Syriam intrauerunt, & in ingressu eorum prospectata est prouidentia Sarracenorum, abierunt retro exercitus Tartarorum; reuersi sunt per viam, per quam venerant absque peruentione ad terminum, quem adibant; & apparuerunt in eis testimonia fugæ omnibus manifesta, cum in anno præcedenti terram hanc introissent, & vndique deferuissent; & fas & nefas pro eodem reportassent in rantum, quod etiam terram Halapiæ equorum suorum vngulis conculcassent: sed de finibus eius redierunt omne suum desiderium consecuti.

Propulsatos ab ingressu Syriæ.

67 Nos autem confidimus in largitate Dei laudabilis, & misericordia eius, & benignitate complectente creaturas suas, quod in anno futuro, si Deo placuerit, exibunt exercitus istius soldani magnifici, cuius Deus magnificet potestatem, & reducat ad dominium Sarracenorum quod ab eo detractum est, & adibit Tartaros & fugabit eos ab ijs quas possederunt regionibus, & eas ab eorum manibus liberabit. Adiuerunt autem in anno isto istius soldani magni ianuam nuncij Tartarorum, offerentes ei seruitium & pacem, rogantes vt cum lucro beneplaciti eius reuerterentur; & non permisit eos ad suam ianuam petuenire, nec concessit eis gratiam osculandi puluerem pedum suorum propter desensionem legis suæ. Ipsi enim recesserunt a consuetudine regum, & soldanorum, qua consueti sunt exercere iustitiam, & clementiam in regiones & terras, quæ suo regimini sunt subiectæ.

Illorum oratores cū pudore a Saalech repudiatos.

68 Certus ergo sit super his, quæ narramus de præconijs istius domini nostri soldani maximi Regis Saalech, cuius Deus confortet imperium; & sciat sanctus quod dominus noster soldanus maximus, vt afflictis refrigerium, & nullum lucrum mag s reputat, quam beneficentiam exhibere; & plura sunt opera eius, quam de ipso enarrantur. Perpetuet Deus in bonis regnum eius; & inundationes beneficiorum eius non posset aliquis quantumcunque facundus; & eloquens enarrare calamo, siue lingua. Et quis posset viam claudere impetui pluuiæ vehementis, aut obstruere ostia maris sese inuicem collidentis? Vnde versus: Neque quicunque vult bonum, agit illud, neque quicunque incipit agere, complet illud. Pro certo ergo habeat sanctus quod Tartari cum sua prouidentia & omni multitudine sua, & fine intentionis suæ despecti sunt in comparatione ad soldanum, & exercitus eius. Et quid plura? In ipso et innata nobilitas, liberalis & excellens prouidentia, & animæ honestas moribus enutrita, & scientia regalis regiminis specialiter prærogata: literæ autem sancti cum veniunt, lætitiam & solatium nobis portant. Mittat ergo eas frequentius continentes ipsum beneplacitum, & notificationem eorum, quæ circa eum innouantur. Viuat semper indutus prosperitatis indumento, qualiterque fuerit status eius, sic fiat Domino concedente. *Dat. die decimo in fine benedicti mensis Dei decembris in * Camera ciuitate munita. Gloria Deo domino seculorum, & benedictio eius super dominum nostrum Mahometum, & super suos. Amen.*

Literas pōtificias acceptas habiturum pro se fert

*Chamela

Subiecta sunt hisce literis nonnulla soldani diplomata, quibus religiosorum Prædicatorum securitati, vt Christianos, qui in ipsius terris versantur, excolant ad pietatem, cauet.

69 Allatam a prædicatoribus religiosis euangelij lucem similiter non admisit soldanus Ismael, quamuis eos humaniter excepisset: qua de re ad Pontificem, qui ad Christi cultum ipsum traducere studuerat, hæc rescripsit. a

Soldanus Ismael ad Christi cultū pro uocatus rescribit Pontifici.

a Azrau ib. ep. 116.

Præsentia excelsæ, sanctæ, dominatrici, apostolicæ, venerabili, honorabili, dominanti ceruicibus Francorum, ductori capitaneorū legis Christianæ, munificatori sectæ Christianitatis. Prolonget Deus vitam eius, & protegat seruus Dei confessor gratia eius Ismael filius Ebibecre fily Iob.

In nomine Dei miserantis & misericordis. Hoc est rescriptum nostrum procedens ad sanctam præsentiam domini Papæ venerabilis, honorati, dominantis ceruicibus nationum Francorum, gubernatoris capitaneorum legis Christianæ, munificatoris sectæ Christianorum: quem possidere faciat Deus colla ducum eius, & præceptum eius in eorum iudicia faciat penetrare, & omnes nationes crucem adorantes in ipsius seruitium, & obedientiam congreget, & adunet, offerens ei dulcedines salutationis perfectæ, & expandens ornatum volæ multiplicis, & Deum excelsum glorificans creantem omnia, qui potenti adinuentione sua sponsam fecit hominis imaginem, & ipsius speciei contulit prærogatiuam rationis super animalium species vniuersas, & inseruit in eo viam directiuam, per quam ad viam rectitudinis dirigatur, & eum qui non erat, inueniri fecit in esse impositione duplici, tēporis videlicet atque loci, & misit prophetam nostrum Mahometum.] Et infra, vbi nonnulla in Mahometi & superstitionis ipsius, quam nullis alijs argumentis, quam illius impostoris figmentis confirmat, laudem congessit; adijcit.

70 Postquam autem peruenit epistola a præsentia sancta apostolica, inuenimus eam complectentem talia, qualia continet mittentis præsentia, & dirigentem intentionem ad procurandum ea, in quibus sit sufficientia communiter humano generi, & ad ministrandum congrue regimen humanæ speciei. Nec mirum si procedant talia a prouidentia sanctitatis eius, & exeant a magnificentia prærogatiuæ eius, & deriuentur a laudabili proposito eius & prouenant a fonte studiorum eius. Et nos quidem summam curam gerimus de protectione eorum, qui apud nos sunt, gregis videlicet Sarraceni, & defensione eorum, quorum cura nobis incumbit specialiter de gente Mahometica: & nostræ mentis acies intendir omnino ad ea, quæ expediunt, & impendit solicitudinem ad ea, quæ ad publicam pacem sunt & prosperitatem. Peruenerunt autem ad nos fratres Prædicatores, & perspeximus in eis sufficientiam ad ea, quæ intēdunt; & diligentiam circa ea quæ expetunt, & solicitudinem circa iudicia legis suæ: & narrauerunt nobis ea, quæ commissa eis fuerant ad narrandum. Quibus attendimus nos summa intentione, & ea recondimus in vltimo cordis loco: redierunt, & commisimus eis verba, ad quæ repetenda coram vobis potentes sunt, & sufficientes, vt ea nobis memorent, & explanent; cum ore ad os collocutionem cum eis habuerimus verbis efficacibus, & collationem de rebus manifestis. Hæc omnia vobis notificamus, & Deus excelsus adiuuet nos in his, quæ custodimus, & simul conferat nobis hodiernam, & crastinam prosperitatem, quod fiet, si beneplacitum fuerit coram Deo excelso. *Dat. xx IIII. die mensis nouembris anno ab appartitione Mahometi sexcentesimo quadragesimo tertio. Laus Deo soli, & benedictio Dei super dominum nostrum Mahometum prophetam eius, & super familiam eius, & consortes eius, & salus eis salute perpetua. Sufficit nobis Deus, ipse est bona spes.*]

Laudat Pontificis zelū quo in solicitādo ad Christi fidem Sulta no expli cuerat.

Nuncios apost. Christum prædicantes benigne audijsse ait.

71 Non discrepant ab his soldani Dauidis literæ a qui, vbi eleganter de diuinitate sapientis philosophi more disseruit, ac Moysi & domino Iesu nefaria comparatione scelestum Mahometum æquauit, grates agit sibi ab Innocentio suisse expositam, quæ illius saluti conducere arbitratus esset: e superstitionis tamen & flagitiorum cœno excitari neglexit.

a Extans ib. ep. 117.

Soldanus Dauid ad Christiana sacra inuitatus respondet Innocentio.

Ex parte serui Dei indigentis misericordis Dauidis fily Iesu.

In nomine Dei misericordis & miserantis, qui est vna vnitas; simplex imparitas, qui non recipit coniunctionem neque generationem, Deus excelsus,

diues bonitas, firmus & fortis, apparens & occultus, æternus & perpetuus, ens existens a seipso; qui non multiplicatur per numerationem suarum proprietatum; cuius essentia incircumscriptibilis est, & semota a tempore & loco, qui caret præsentia locorum: nec diffinitur in suis substantialibus, ne sit terminatus aut finitus, nec in quantitate, ne sit mensurabilis & numerabilis; sed nec in qualitate, ne habeat in regno suo comparem, & similem, aut æqualem; nec etiam in relatione, ne referatur per paternitatem, & filiationem. Nec etiam comparatur per absentiam & præsentiam, nec in vbi, ne circumscriberetur quod pertinet ad suas creaturas: nec est in quando, ne innouetur in temporibus, tempora etenim sunt de quibusdam suis operibus: nec in positione, ne alteretur in dispositione & situ locali: nec est in habitu, ita vt egeat perfectione aliqua extrinseca: nec in passione ne mutetur, seu operatione alicuius agentis: nec in actione qui semper est agens existens. Ipse est bonitas indeficiens in distribuendis beneficijs, largiens, ac superfluens super omnibus entibus iuxta meritum de superabundanti largitione sua. Ipse est arcanum, quod nequit referare multiplex quæstio quærentium, nec solicitudo solicitantium: cui non deficiunt thesauri gratiarum. Ipse distribuit prioribus, & posterioribus diuitias gratiarum, dirigit quem vult de creaturis suis absoluta prædestinatione, nec diminuitur nec indiget in hoc aliqua actione ad quam intendat, quia non est, diminutus in complemento perfectionis.

Egregia de Deo elogia affert.

72 Ipse creauit scientiam atque scitum, & fecit iustos suos ex ijs, qui fidem habent in eum sapientes in vera religione, & via recta. Qui elegit Abraham, quem Deus benedicat, & Mahometum quem Deus benedicat & attribuit ei nomen dilectionis; & Moysem eloquentem, & Iesum in claro spiritu, quem Deus benedicat, & in prophetam admirabilem: in bonum atque largum Dei benedictio sit super eos omnes, & viuificet nos, & mortificet in eorum sana doctrina, & virtute existimata, ac lege sancta: & salus diuina sit super prædictorum successoribus fidelibus, & super gente placentium Deo, qui imitantur ipsos vsque in diem iudicij. Ad hæc peruenit libellus domini Papæ reuerendi, magni, religiosi, credentis, temperantis, animosi, virtuosi, honorabilis Innocentij, qui est honor orthodoxorum & patriarcharum, continens loquelam Christianorum; gloria multitudinis Francorum, corona gentis crucis, maior prædecessorum sedentium in cathedra apostolica Romæ: & legi ipsum, & intellexi ea, quæ mihi consuluit in eo fideliter, & quod mihi intimauit quod credidit esse ipsam veritatem dirigentem animas in die iudicij propter earum merita, & laudaui eum in hoc. Quem Deus conseruet, consortet & dirigat ad id per quod placeat Domino suo, quia mihi elegit, quod elegit animæ suæ; & voluit mihi illud, quod credidit posse me deducere ad præsentiam Domini pleni sancto spiritu apud Deum suum propter suam sanctitatem. Vnde significo eidem, quem Deus conseruet ad id quod Deo placeat in ipso, & aperiat portas pacis: Deus gloriosus respexit fideles suos rubricatos, et denigratos, et subuenit eis, quando misit ad eos Mahometum suum electum, et seruum suum fidelem de genere electorum, qui habet dominium irrigandi de fluminis largitate, qui habet curam liberandi omnes illos, qui eum imitantur in die iudicij, videlicet Mahometum prophetam crescentem, fidelem, circumspectum, consolatorem: quem Deus misit dominatorem, visitatorem, et ductorem ad ipsum Deum; lucernam lucentem, ad cuius librum cæteri libri retorquentur, siue reducuntur; & misit alcoranum, & constituit per ipsum dominium & argumentum, & versificatus est in ipso. Deus ipsum benedicat.

Gratias agit Pontifici de proposita sibi lege Christiana.

Vias salutis præparauit, & dogmata erroris ipse destruxit, declarauit interpretatores librorum destinatorum, ostendens qua de causa prouenerunt opiniones errantium, & sustinuit patienter in Domino iuxta præceptum diuinum in vita sua, nec retrocessit in mandatis suis; immo semper fuit solicitus donec patefecit veritatem omni habenti oculos; & donec omnis habens aures audiuit mandatum diuinum in his doctrinis, quas recipiunt intellectus, non voluntates; & receperunt eorum veritates soli sapientes & iusti.

73 Cum igitur peruenit libellus Papæ reuerendi, magni, sapientis, religiosi, credentis, dominantis, qui est honor patriarcharum, colligentis verbum Christianorum, ad me destinatus in eo, quod opinatus est mihi fore vtile, salutare, ac perducens ad veram victoriam, visum est mihi ostendere sibi particulam legis meæ. Cuius veritas est nota per demonstrationem euidentem, necessariam, ac manifestam, quæ fidem facit per seipsam habentibus intelligentiam ponderosam, vt versa vice respondeam ei in eo quod ipse incepit mihi: in eo etiam quod credidit mihi fore salutare: in eo etiam, quod opinatus est fore mihi remissibile de peccatis præteritis, vt in hoc æquiparetur consilium meum fidelitati suæ credibili, & ingenio suo æstimabili in intelligentia; vt exinde consequar præmium, & appropinquationem ad Deum, demonstrando ipsum Deum sub præmissa forma. Deus igitur gloriosus custodiat Papam magnificum, reuerendum, religiosum, credentem, sapientem, regnantem, modestum, magnanimum, virtuosum, honorabilem, honorem patriarcharum, continentem loquelam Christianorum, pulchritudinem multitudinis Francorum; pro eo quod direxit sibi in præmissis scriptis ex verbis philosophiæ, quæ illuminat omnem multitudinem, & reficit omnem studentem in eis, quæ continentur in ipsis. Laus Deo altissimo, & benedictio eius super domino nostro Mahometo, ac tota progenie sua sancta, & munda. *Scriptum fuit in vltimo decennario mensis Rabie, anno XXXXIV. & sex centenario ipsius Mahometi.*]

Recusata Mahumetica superstitione di scedere.

Fauste precatur Pontifici.

74 His adiectæ sunt aliæ a præpotentis alterius soldani literæ ad Pontificem, quibus se excusat sepulchrum Domini se inscio violatum fuisse, ac dolet tantum flagitium perpetratum; illique instaurando daturum operam pollicetur, claues illius fidissimis viris tradidisse, vt iis peregrinis aperiretur: rum omnes Christianos captiuos e vinculis laxasse ait, ac pacem cum nostris religiose culturum.

a Extant ib. ep. 116 Soldani alterius ad Pontif. lit.

Sedis altissima domino excelso, venerendo, sancto, spirituali, beato, qui est fiducia sacerdotum, & religiosorum, Papæ excellentissimo: duret excellenter.

In nomine Dei misericordis, & miserantis. Triumphator, amator, & saluator peruenit scriptura largissimæ sedis, & altissimæ domini, regnantis, spiritualis, beatissimi, iusti, sancti, abstinentis, venerabilis, & honorabilis regni, patrum sanctorum sustinentis filios obedientiæ, refugij gentis Christianæ, victoriæ legis Christi, auxilij prælatorum & clericorum; semper sit sapiens plenus speciebus largitatis, & retributionum, exercens quicquid pertinet ad communem vtilitatem, & ad sermones reficientes, & perducentes ad beatitudinem perfectam.

75 Inquisiuit igitur dilectus Saluator significationes literarum, & explorauit continentiam earum, iuxta veritatem & certitudinem; & inuenit, in legendo ipsas, vtilia commoda, & consuetudines laudabiles, & executus est singula obedienter, & diligenter: & in eo quod innuit in custodia, & reuerentia Ecclesiæ resurrectionis, & sancti sepulchri quicquid accidit in hac partu in deturpatione, seu contaminatione eiusdem, non accidit ex sua conscientia, nec in sua præsentia; sed incursus exercituum singularium ante

De euerso sepulchro Domini se excusat.

suum

suum aduentum attentauerunt ipsa opera sanguinolenta. Quando ergo venit amans saluator, reprehendit eos summa reprehensione, & inhibuit malefactores, & præsumptuosos, ne noceant, vel appropinquent eis, & præcepit claudi portas eius, & tradidit claues eiusdem quibusdam fidelibus, præcipiens ne aperiantur nisi peregrinis, & conatus est reædificare ipsam, & ornare, quoniam eius reædificatio est reædificationis patriæ præcipua. Et quando peruenerant literæ reuerendæ, & mandatum suum benedictum, maiorem curam dedit in eius ædificatione, & reparatione, & sine dubio ante hoc non erat inter nos præcedens cognitio, quando siquidem peruenimus ad illam patriam, accidit id quod accidit de destructione sine nostra conscientia.]

Significat illi instaurando incumbere.

76 Extinctos penitus hoc anno Chorasminos sepulchri dominici violatores, ac patrati criminis neç expiati pœnas dedisse scribit Parisius a: *Anno eodem*, hoc scilicet, *detestandorum Chorasminorum post innumeras cædes & incendia, & Terræ sanctæ multiplex exterminium, quæ etiam Accon nimis depauperauerant, & obsidere procurauerant, ac tota adeo Deo vindice eneruata est & debilitata, quod in seipsa defecit. Cœpit enim contra soldanum Babylonia recalcitrare, vnde auxilio suo destituta cœpit inedia deficere & multiplicatis vndique inimicis, vbique superari & deuinci: & factum est, vt de sub cælo nomen eorum penitus deleretur; adeo quod nec eorum vestigia apparuerunt: nisi eatenus quod fœtore vestigiorum eorum Terram sanctam indelebiliter macularunt.* Pergit soldanus: Postquam igitur peruenit inter nos amicitia, & reuerentia .. de cætero percipiet summa sedes, cuius excellentia perseueret, & tota gens Christianorum de pulchritudine nostri fœderis, & obseruatione nostræ amicitiæ, quod non viderunt ante vel postea. Peruenerunt igitur nuncij sedis altissimæ, & audiuimus relationes eorum in vero auditu, & dedimus responsionem eis. Audiat ergo sedes, & fiduciam gerat, & iniungat seruitia, & continuet nuncios & literas. Super sermone vero captiuorum; non nouimus aliquem eorum apud nos: quoscumque ita nobis certiorabitis, mittemus incontinenti, Domino concedente. *Scriptum est hoc in fine Rabig primi anno XLIV. & sexcentesimo.*]

a Par. hist. Angl. hoc ann. Chorasmini sepulchri dominici euersores penitus deleti.

77 Nec illustrandæ veritati deerat numen, ac miraculorum luce tenebras superstitionis Mahameticæ fugabat. Inter quæ insigne illud Iconij præsente maxima Sarracenorum multitudine, vt ipsos ad crucis venerationem alliceret, narrauit: *Anno Domini* MCCXLVII. *mense iunio*, inquit Nangius b, *accidit miraculum quoddam apud Iconium Turquiæ ciuitatem in loco communi, vbi crux erat sculpta in quodam palatio. Quidam enim ioculator ibi stabat, & in facie omnium astantium cum vrso ludebat: vrsus autem leuato crure super crucem prope ipsum existentem minxit, statimque omnibus videntibus ibidem expirauit. Cumque Christiani astantes super id, quod acciderat, Dominum benedicerent atque laudarent, quidam Sarracenus indignatus est valde, quod ibi super miraculo facto Christum attollebant. Ideoque accedens in impetu, tanquam in contemptu ipsius crucis & Christianorum, cum manu crucem percussit; statimque brachium eius cum tota manu, qua illam percusserat, totaliter exaruit. Iterumque Sarracenus quidam alius ebrietati vacans, illamque Christianorum admirationem & laudem vilipendens, continuo quasi amens a potatione surrexit, & in contemptum Christianitatis super crucem mingere volens, morte subitanea percussus interijt; sicque Christianorum multitudine Dominum magnificante super tribus miraculis iam ibidem ostensis, quidam Græcus inspiratione diuina inflammatus, accessit ad baiulum ciuitatis, rogans vt illum locum, vbi crux prædicta erat insculpta, venderet, in quo ad honorem Dei & sanctæ cru-*

Insignia de virtute crucis prodigia.

b Nang. de gest. S. Lud.

Vrsus crucem minxit casu procumbens repente moritur.

Sarraceno manus qua percusserat crucem exarescit. Alter infidelis in ipso eijciendam in illa vrinam conatu exanimatus procubuit.

cis ecclesiam permitteret ædificare, pro quo etiam, si id sibi facere concederet, promisit quod viginti duo millia soldanorum soldano daret. Quod episcopus Turquorum audiens fieri omnibus modis, quibus potuit, impediuit. Hæc Nangius, quæ etiam referuntur apud Vincentium Bellouacensem. a

78 Sed a Turcis ad Tartaros digrediamur, quos etiam ad verum Dei cultum adducere moliebatur, Pontifex atq; ad ipsos, vt vastissimorũ regnorũ dominos, religiosos alios in septentrionalem Tartariam, alios in Persidem, Indiasque miserat: de primis iam egimus vt apud Chanum sua legatione sint perfuncti; alij vero cum Sarracenorum mediæ regiones penetrandæ essent, hoc anno ad Persidis Tartaros peruenere, quorum res apud ipsos gestas ex Simone apud Vincentium Bellouacensem b decerpemus: *Anno Domini* MCCXLVII. *in die translationis B. Dominici primi patris ordinis Prædicatorum frater Ascelinus a domino Papa, sicut iam supradictum est, missus cum socijs suis peruenit in exercitum Tartarorum, & hoc in Perside, vbi erat exercitus ille sub Bayothnoy principe. Quod audiens idem princeps in tentorio suo sedens in vestimento deaurato, suis quoque baronibus in sericis vestibus pretiosis ac deauratis circumstantibus, misit ad dictos fratres quosdam ex eisdem baronibus cum suo Aegyp, id est principali consiliario, & interpretibus; qui præmisso salutationis eulogio dicunt eis: Cuius nuncij estis? frater autem Ascelinus principalis domini Papæ nuncius respondit pro omnibus: Ego sum domini Papæ nuntius, qui apud Christianos maior dignitate omni homine reputatur, & ab eisdem illi tanquã patri & domino reuerentia exhibetur. In hoc verbo illi quamplurimum indignati dixerunt: Quomodo superbe loquentes dicitis, quod Papa dominus vester sit maior omni homine? Nunquid scit ille quod Cham sit Dei filius, & quoniam Bayothnoy & Batho sint principes eius, sicque nomina eorum diuulgantur & multiplicantur vbique?*

a Specul. hist. l. 31. cap. 53

Religiosi viri ad Tartaros conuertendos missi.

a Spec. hist. l. 31. c. 40.

Res ab ijs gestæ.

Indignantur Tartari Pontificem a Christianis cæteris hominibus augustiorem haberi.

79 Addit his Tartarorum verbis subiecisse Ascelinum latere Pontificem, qui Cham vel Batho aut Boyothnoy forent, quorum nomina si resciuisset, illa in literis suis expressisset: accepisse vero barbaram quandam gentem, cui Tartarorum nomen esset, conflatis numerosissimis copijs ex oriente erupisse, nullaque sexus ætatisue habita ratione, plures populos ferro deleuisse: ad quorum mitigandam crudelitatem ad primum Tartarorum exercitum transmissum, vt illius principem ab hominum cædibus temperare patrataque scelera expiare admoneret, vt ferebant pontificiæ literæ. Demum Tartaros post nonnulla dolo quæsita, Ascelino ac socijs hæc proposuisse: *Si vultis domini nostri faciem videre, & ei domini vestri literas præsentare, oportet vt eum adoretis tanquam filium Dei regnantem super terram, trina prius ante ipsum facienda genuflexione; sic enim præcepit nobis Chaam regnans super terram filius Dei, vt principes suos Bayothnoy & Batho ab omnibus huc aduenientibus faciamus sicut semetipsum adorari: quod & vsque nunc fecimus, & in perpetuum firmiter obseruare proponimus.*

Quem exegerint cultum a nuncijs apostolicis principi barbaro exhiberi.

80 Cum ad hæc verba æstuarent nuncij apostolici, quid tandem Tartari huiusmodi cultus specie exigerent, a Guichardo Cremonensi viro religioso, diu inter Georgianos atque Armenos versato, morumque Tartarorum perito ita edocti sunt: *De idololatria exhibenda Bayothnoy nullatenus formidetis, quia non hanc sibi petit a vobis fieri, sed in signum subiectionis domini Papæ, totiusque Romanæ Ecclesiæ mandato Chaam subijciendæ, hunc sibi, quam audistis, reuerentiam omnibus ad se venientibus nuncijs consuetam exhiberi.* Deliberarunt igitur nũcij quid in eo rerum statu agendum foret, atque in eam sententiam itum est, fundendum potius sanguinem, quam Tartarorum principi sponte huiusmodi venerationis signa exhibere

Respondent nuncij ad id se vtatenus genuflectere demittere.

bere, ne Georgianis, Armenis, Græcis, Persis, Turcis, alijsque orientalibus populis scandalum inijceretur; Tartarique in spem subijciendæ suæ dominationi Romanæ Ecclesiæ efferrentur. Quorum audito consilio in iras efferatus barbarus nuncios apostolicos capitali sententia damnauit. Sed non sine prouidentia ex imminenti periculo erepti sunt: iterumq; barbari de Chami & Pontificis dignitate certarunt, quorum argumenta hæc fuere.

Quæ obiecerint barbari contra Pontificis dignitatem.

81 *Qua fronte vos Christiani omnes audetis dicere, quod Papa sit omni homine maior dignitate? Quis enim vnquam audiuit quod Papa vester tot & tanta regna sibi acquisierit, quot & quanta filius Dei Chaam, Deo sibi largiente, hoc acquisiuit? quis vnquam tam longe lateque diffundi audiuit nomen Papæ, sicut & nomen Chaam in orbe terrarum iam diffunditur, & dilatatur, ac timetur vbique? Iam cum ab ortu solis vsque ad mare mediterraneum, & vsque ad Ponticum, Deo iubente, dominatur; & vbique in his terminis nomen eius magnum ac celebre in eis habitantibus timetur, & honoratur. Chaam ergo maior est Papa vestro, & omni homine, potentia, gloria sibi a Deo datis, & acquisitionis dignitate.* Cum hæc refellere Ascelinus pontificius nuntius aggressus esset, ac B. Petro a summo Rege regum concessam auctoritatem victarum non ferro, sed crucis ligno, gentium multitudinem imperiumq; ad extrema conflagrandi orbis tempora firmum permansurum enuclearet; illius rationes, vtpote homines qui sensibus addicti, nec fide euãgelica collustrati, capere non potuerunt. Demum vbi nuncij grauissimas ærumnas apud Tartaros pertulissent, ægre vt dimitterentur obtinuere; atque huiusmodi literas [a] fastu turgidas Baiothnoy ad Pontificem exarauit.

a Ext. vbi sup.

Baiothnoi imperantis ad Pontificem superbæ literæ.

82 *Dispositione diuina ipsius Chaam transmissum Baiothnoy verbum. Papa istud scias; tui nuncij venerunt, & tuas literas ad nos detulerunt. Tui nuncij magna verba dixerunt: nescimus vtrum iniunxeris eis ita loqui, aut a semetipsis dixerunt; & in literis taliter scripseras; Homines multos occiditis, interimitis, & perditis. Præceptum Dei stabile & statutum eius, qui totius faciem orbis continet, ad nos sic est: Quicumque statutum audierint super propriam terram, aquam, & patrimonium sedeant; & ei, qui faciem totius orbis continet, virtutem tradant: quicumque autem præceptum & statutum non audierint, sed aliter fecerint, illi deleantur & perdantur. Nunc super hoc istud statutum & præceptum ad vos transmittimus. Si vultis super terram nostram, aquam, & patrimonium sedere, oportet vt tu Papa in propria persona ad nos venias; & ad eum, qui faciem totius terræ continet, accedas. Et si tu præceptum Dei stabile, & illius qui faciem totius terræ continet, non audieris, illud nos nescimus, Deus scit. Oportet vt antequam venias, nuncios præmittas, & nobis significes si venis aut non; si velis nobiscum componere, aut inimicus esse; & responsionem præcepti cito ad nos transmittas. Istud præceptum per manus Aybeg & Sargis misimus mense iulij xx. die lunationis in territorio Sitiens castri scripsimus.* Ex arrogantibus hisce barbari principis literis magis Christianæ religionis gloria effloruit, quæ potuit ita Tartaros emollire, vt postea in Christi cultum Pontificisque Romani obsequium procubuerint, vt suis locis videbitur. hactenus de Tartaris, iam nonnulla de Iudæis, quos ab iniustis iniurijs vindicauit Pontifex, afferamus.

Vesana imperia illis facta.

Iudæi in Germania & Gallijs crudeliter habiti.

83 Pulsatus est Innocentius tristibus Iudæorum querelis, qui in Germania & Gallijs grauissimis iniurijs ac malis oppressi lugebant. Cum enim inanis fama circumferretur, ipsos festis paschalibus occisi pueri cor communionis sacræ vice mandere, ita ea calumnia ipsis adhæsit, vt leui de causa exuerentur bonis; conijcerentur in carceres, morte etiam crudelissima, nulla iudicij seruata forma, admodum iniuste afficerentur. Ad quorum tuendam innocentiam, eosque ex inmani illo principum & populorum zelo liberandos, Germaniæ archiepiscopis atque episcopis scripsit [a] Pontifex, vt populari furori obsisterent, ne insontes adeo crudeliter laniarentur; cũ maxime perpendendum prudenter esset, quasi ex eorum sanctiori tabulario Christianæ fidei testimonia prodijsse.

a Lib. 5. ep. 25. Popularẽ furorem in eos concitatum extinguere nititur Pontifex.

84 *Archiepiscopis & episcopis per Alemanniam constitutis.*

Lacrymabilem Iudæorum Alemanniæ recepimus questionem, quod nonnulli tam ecclesiastici, quam seculares principes, ac alij nobiles, & potentes vestrarum ciuitatum, & diœcesum, vt eorum bona iniuste diripiant & vsurpent, aduersus ipsos impia consilia cogitantes, & fingentes occasiones varias, & diuersas; non considerato prudenter quod quasi ex archiuio eorum Christianæ fidei testimonia prodierunt, scriptura diuina inter alia mandata legis dicente: *Non occides*; ac prohibente illos in solemnitate paschali quicquam morticinum non contingere; falso imponunt eisdem, quod in ipsa solemnitate se corde pueri communicant interfecti, credendo id ipsam legem præcipere, cum sit legi contrarium manifeste; ac eis malitiose obijciunt hominis cadauer mortui, si contigerit illud alicubi reperiri. Et per hoc, & alia quamplura figmenta sæuientes in ipsis, eos super his non accusatos, non confessos, nec conuictos contra priuilegia illis ab Apostolica sede clementer indulta spoliant contra Deum, & iustitiam omnibus bonis suis; & media, carceribus, ac tot molestijs, tantisque grauaminibus premunt ipsos, diuersis pœnarum affligendo generibus, & morte turpissima eorum quamplurimos condemnando, quod ijdem Iudæi, quasi existentes sub prædictorum principum, nobilium, & potentum dominio deterioris conditionis, quam eorum patres sub Pharaone fuerint in Ægypto, coguntur de locis inhabitatis ab eis, & suis antecessoribus, a tempore, cuius non extat memoria, miserabiliter exulare; vnde suum exterminium metuentes duxerunt ad Apostolicæ sedis prudentiam recurrendum, Nolentes igiter præfatos Iudæos iniuste vexari, quorum conuersionem Dominus miserans expectat: cum testante Propheta credantur reliquiæ saluæ fieri eorundem; mandamus quatenus eis vos exhibentes fauorabiles, & benignos, quicquid super præmissis contra eosdem Iudæos per prædictos prælatos, nobiles, & potentes inueneritis temere attentatum, in statum debitum, legitime reuocato, non permittatis ipsos de cætero super ijs, vel similibus ab aliquibus indebite molestari. *Dat. Lugd. III. non. iul. anu. v.*] Quæ literæ ad Galliarum etiam præsules [b] exaratæ.

Iudæorum innocentiam tuetur Pontifex.

b Reg. post eand. ep.

85 Dum Lugduni sedens Pontifex in omnes, etiam Iudæos, Tartaros, Sarracenos, schismaticos curas pontificias explicaret, consecrauit solemni ritu princeps altare ecclesiæ Lugdunensis, & indulgentias ijs propositas qui pecunias ad tẽplum inchoatũ, quod eleganti quidem opere, sed tardis incrementis surgebat, ad culmen perducendum conferrent, auxit, atque Anglos (multo magis Gallos solicitasse argumento est) ad eas lucrandas pellicere studuit [c]: *Licet benefacientibus fabricæ Lugdunensis ecclesiæ, quæ dudum incepta est magno, & opere sumptuoso, quadraginta dierum indulgentiam duximus concedendam, quia tamen assistentibus nobis venerabilibus fratribus nostris Cardinalibus, & quampluribus episcopis, & alijs ecclesiarum prælatis, sacrosanctum altare ipsius ecclesiæ proprijs manibus duximus consecrandum; volentes ob nostri memoriam indulgentiam huiusmodi ampliare, omnibus vere pœnitentibus, & confessis, qui eidem fabricæ manum porrexerint adiutricem, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi vnum annum de iniunctis*

Princeps ara Lugdunen. ecclesiæ ab Innoc. IV. cõsecrata.

c Lib. 4. ep. 571.

Indulgentias subsidia ad perducendũ tẽplũ ipsum conferentibus proponit.

sibi

sibi pœnitentiis annis singulis misericorditer relaxamus. Dat. Lugd. v. kal. may an. iv.

IESV CHRISTI
Annus 1248.

INNOCENTII PP. IV. annus 6. FRIDERICI II. IMP. 29. BALDVINI II. IMP. 20.

1 ANno millesimo ducentesimo quadragesimo octauo cum Fridericus, crebra populorum defectione, atque vibratis in se in concilio Lugdunensi, in quo exauctoratus Imperio fuerat, censuris; tum assentatorum susurris efferatus non resipisceret modo, verum in dies etiam in deteriora lapsus ad obterendam Rom. Pontificis auctoritatem nefarias leges promulgaret, Innocentius ecclesiasticas pœnas ad proteruiam illius comprimendam addidit. Inter cæteras namque leges, quas vir impius sedis Apostolicæ contemptor tulerat, eam clericis pijs infixit, vt si quis ad Romani Pontificis imperium, legatiue ipsius, sacra peragere vel populis sacramēta porrigere respuetet, sacerdotijs sui tedditibus, in eorum vtilitatem, qui in suo obsequio fernerent, deriuandis; tum paternis bonis, ad coniunctos deuoluetendis, exueretur; ptaterea in exilium pelleretur.

Fridericus fert iniquas leges aduersus ecclesiasticos.

2 Vbi iniquissimam legem promulgatam audijt Innocentius, ad Germaniæ [a] Italiæque [b] præsules encyclicas literas exarauit, in quibus significauit vt Fridericus in concilio hæresis infamia, ob contemptam pontificiarum clauium auctoritatem laborare existimatus, nonnullos misisset, qui profiterentur Fridericum a se in examen fidei adductum, repertumque in omnibus catholicæ veritati consentire; ac se paratos ad id comprobandum in ipsius anima solemne sacramentum nuncupare: cæterum decreuisse, vt si infra legitimum tempus sine armorum strepitu, atque exiguo comitatu stipatus accederet, purgationem de suspicione hæresis, quam iniecerat, si eam iure præstaret, recepturum: at illum non modo tribunali pontificio se sistere detrectasse, sed bonis etiam omnibus clericos, qui interdictum ecclesiasticum non infringerent, euerti iussisse: ob eamque impiam legem, cum se hæreticæ labe aspersum demonstret, nouo anathemate desixum ac si in peruicacia perstiterit, maioribus pœnis afficiendum, seueritatemque legum in eos, qui ipsi studuerint, distringendam promulgent.

a Tom. 4. ep. cur. 44. b Reg. post tom. ep.

Archiepiscopis, & episcopis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, & alijs ecclesiarum prælatis per Alemanniam constitutis.

3 Cum nos olim Fridericum quondam Romanorum Imperatorem citauerimus, vt in concilio Lugdunensi personaliter, vel per nuntios compareret, responsurus nobis, & alijs, qui vellent aliquid proponere contra eum, & satisfactionem idoneam præstiturus; tandem quia in eodem concilio multa inter cætera contra ipsum sic certa & euidentia, quod in eis inficiationi prorsus locus esse non poterat, manifeste comperimus, ex quibus de vitio prauitatis hæreticæ merito debebat haberi suspectus; maxime cum post excommunicationis sententiam a bonæ memoriæ I., episcopo Sabinensi & .. tit. S. Sabinæ presbytero Card. latam in ipsum; postquam etiam fel. recordationis Gregorius Papa prædecessor noster eum anathematis vinculo innodauit; ac post Ecclesiæ Romanæ Cardinalium, prælatorum, & clericorum, ac aliorum etiam, diuersis temporibus ad sedem Apostolicam venientium, captionem, Ecclesiæ claues contempsit, sibi faciens celebrari, vel potius quantum in eo fuit, profanari diuina, constanter, & patenter asserens se præfati prædecessoris sententias non vereri; & insuper coniunctus amicitia detestabili Saracenis, eorum ritus amplectens, & aliquos ex ipsis in quotidianis eius obsequijs secum tenens, nuncios soldani Babyloniæ, postquā idem soldanus, eum quo dictus Fredericus, prout ex ipsius soldani accepimus literis, a tempore patris eiusdem soldani familiaritatem, & dilectionem mutuam, ac concordiam perfectam habuisse dignoscitur; Terræ sanctæ, ac eius habitatoribus Christianis per se ac suos damna grauissima, & inæstimabiles iniurias irrogarat; fecerit per regnum Siciliæ cum laudibus ad eiusdem soldani extollentiam honorifice suscipi, & magnifice procurari; necnon aliorum infidelium perniciosis & horrendis obsequijs contra fideles abutens, illis quidamnabiliter vilipendentes Apostolicam sedem ab vnitate Ecclesiæ discesserunt, procurauerit amicitia, & affinitate coniungi; ipsum in præfato concilio, propter hæc & alia plurima, quæ in sententia tunc prolata contra eum a nobis plenius continentur, abiectum; omnique honore, ac dignitate tam Imperij quam regnorum priuatum a Domino denuntiauimus; eum nihilominus sententiando priuantes, excommunicationis solemniter in eundem propter has, & alias causas sententia promulgata; quam postmodum annuatim certis solemnitatibus more Rom. Ecclesiæ duximus innouandam.

Argumenta quibus iusta in eū hæreseos suspicio caderet.

4 Sed ipse tanquam in suis obsirmatus nequitijs, nec adhuc de tam nefanda & damnabili suspicione satisfacere, nec ad gremium matris Ecclesiæ redire curauit; licet Panormitanum archiepiscopum, episcopum Papiensem; & quosdam alios ad sedem destinarit eandem, qui venerabilibus fratribus Portuen. & Albanensi episcopis, & dilecto filio nostro H.. tit. S. Sabinæ presbytero Cardinali, quos eis concessimus auditores, instrumentum cuiusdam tabellionis, & literas munitas bulla aurea præsentarunt, in quibus continebatur quod, cum idem Fr. fuisset in præmisso concilio habitus de hæretica prauitate suspectus, ipse interrogatus, & examinatus ab eis super articulis contentis in symbolo & alijs ad fidem catholicam pertinentibus, dixit se illos firmiter credere; ac iurauit: in quibus etiam constituit examinatores ipsos procuratores suos ad iurandum in anima eius, quod eos credebat; & ad purgationem etiam in præsentia nostra in loco idoneo super suspicione huiusmodi offerendam. Qui hæc eisdem retulerunt auditoribus viua voce, quodque sic erant iurare parati, ex parte ipsius Frederici purgationem huiusmodi offerentes.

Vt eam suspicionē a se amoueret conatus sit.

5 Nos autem his intellectis talem examinationem & purgationem, cum nec vbi, nec de quibus, neque coram quibus debuit, præsumpta fuerit; cum ijdem examinatores, & eorum consanguinei fint de ipsius curia, seu terris, potestati, vel verius tyrannidi suæ subiectis; illusoriam, prout erat, & friuolam reputantes, ipsam de fratrum nostrorum & multorum prælatorum, qui nobiscum tunc aderant, consilio decreuimus irritam & inanem; processum eorundem examinatorum super ijs præsumptum penitus reprobando. Concessimus tamen si veniret idem Fredericus personaliter infra tempus legitimum sine armis, & cum modico comitatu, quod ipsum super purgatione, quam de suspicione prædicta se coram nobis velle præstare dicebat, si de iure, & sicut de iure faciendum existeret, audiremus.

Repudiata eius purgatio-ne sistere se coram iubetur.

6 Veruntamen non solum postmodum venire neglexit, sed quasi delectet eum malefacere, prioribus nequiora committens, quandam execrabilem edidit sanctionem inter alia continentem, vt quicunque clericus, vel religiosus ad papale, vel papalis legati mandatum publice forsan omiserit missarum, seu alia celebrare solemnia, & sacramenta fidelibus ecclesiastica propinare; de ciuitate vel loco, cuius inco-

Cauetur eius securitati si nō armatus accesserit.

incola reperietur eiectus, bonis suis patrimonialibus & ecclesiasticis, vt pœnam de tanta temeritate tulisse se doleat, spolietur; clericis mandato prædicto parere nolentibus, & in fide sua feruentibus ecclesiasticia applicandis; patrimonialibus autem proximis, ab intestato venientibus scilicet, assignandis. Vnde, quia merito contra eum, qui pœnitere despiciens peccata peccatis accumulat, & ortam contra se suspicionem dictis & factis innuit esse veram, est durius procedendum; nos præfatum Fredericum sicut hactenus, sic in die iouis sancto proximo præterito; quinimo districtius pro eo quod suspectus vehementer de hæresi & anathematizatus ad sinum præfatæ matris Ecclesiæ redire, ac ea facere, quæ a sic suspecto, ac excommunicato fieri debent, omnino contempsit; excommunicauimus, & anathematis vinculo duximus innodandum; denuntiantes nihilominus sibi præsente generali, & publica congregatione fidelium, & per alios etiam ei nuntiari volentes, quod si deinceps in huiusmodi contumacia duxerit persistendum, contra ipsum grauiter, quantumcumque secundum Deum expedierit, procedemus. Pronuntiauimus præterea, quod quicunque sibi post duos proximo futuros menses ab eodem die iouis computandos consilium, aut auxilium præstiterit, vel fauorem publicum vel occultum, illi eidem pœnæ subiaceat tam in persona, quam in rebus, cui talium fautores subiacent secundum canonicas, & legitimas sanctiones. Mandamus quatenus prædicta omnia, & singula publicetis, & publicari faciatis per loca, in quibus videritis expedire. *Dat Lugd. XIV. kal. maij an. V.*]

De obsfirmata in spernēdis censuris illius pertinacia.

Intentatæ illi grauiores minę.

7 Huiusmodi censurarum fulmina, vt verba inania contemnebat Fridericus: quare cum frangendum armis obsirmatum in scelere cerneret Innocentius, Frisingensi, Patauiensi, & Ratisponensi episcopis, alijsque imperauit a, vt in vrbibus ac diœcesibus suis fideles ad induendam crucem, corripiendaque in Fridericum & Conradum arma, vti aduersus crudeles fidei euersores, propositis diuinia præmijs, incitarent: *Per apostolica vobis scripta in virtute obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quatenus singuli vestrum in vestris ciuitatibus, & diœcesibus contra dictum Fridericum & Conradum natum eius & fautores ipsorum proponatis subiectis vobis populis verbum crucis, eosdem populos aduersus ipsos, tanquam peruersores fidei, & libertatis ecclesiasticæ subuersores, studiosius animando; concessuri auctoritate nostra eis, qui huiusmodi crucem in proprijs personis, & rebus * assumpserint, illam suorum peccatorum veniam, & indulgentiam, quæ proficiscentibus in Terræ sanctæ succursum in generali concilio sunt concessa; præceptum nostrum taliter impleturi, quod sanctitatis vestræ studium clareat per effectum, & Apostolica sedes quantum de vobis confidere debeat, in hoc argumentum euidens capiat; vosque de inobedientia, vel contemptu argui non possitis. Dat. Lugd. IV. non. maij ann. V.*

Sacrum in ipsum & Conradum bellum propositis indulgentijs promulgari iubet.
a Lib. 5. ep. 813.
** negotiū*

8 Iisdem præsulibus b & quibusdam c alijs præcepit Innocentius, vt nonnullos Germaniæ viros principes, qui res Friderici fulciebant, censurarum terrore ab illius obsequio auellerent: similemque prouinciam Ratisponensi & Misnensi episcopis iniunxit, d vt Bohemiæ proceres, qui abiecta, quam susceperāt in Fridericum, cruce; reuersique ad vomitum, vt loquitur Pontifex, Friderici partibus se irretierant; ad Ecclesiæ castra reuocarent: qui si ipsorum monitis metu Vvenceslai Regis, qui pontificias partes egregie tuebatur, parere detrectarent, cauerent eorum securitati, nullum ipsis a Rege periculum conflatum iri: si vero necdum veniæ spe ac pignore dato flecti ad obsequium possent, anathemate publice defixos, eorumque ditionem interdicto ecclesiastico suppositam, adeo vt baptismi paruulis ac morituris pœnitentiæ sacra tantum conferrentur, promulgarent: tum ad perfringendam eorum pernicaciam regiam potentiam implorarent. E quibus graues in Bohemia seditiones concitatas, atque a proceribus in Vvenceslaum Ecclesiæ studiosissimum, vt testatur Pontifex, conflatam coniurationem colligitur.

b Ibid. ep. 809. 810. 811.
c Id. ibid. 813. 814.
d ibid. ep. 814.
Bohemiæ proceres ad Fridericum deficiunt.
Innocentij in ijs ad officiū reuocādis studium.
Vvenceslaus Rex Pontifici adhæret.

9 Refert quidem Longinus a, rebellasse in parentem Premislaum dominandi cupidine incensum; pellectisque in suas partes nobilibus, illum regno cedere ac sceptrum in ipsum, retento sibi trium oppidorum dominatu, transmittere compulisse: sed cum diuina iustitia fœdum adeo filij in parentem scelus impune abire non sit passa, breui rerum conuersa facie, Premislaum, dum Barsonem in munitissima arce ob singularem in Vvenceslaum fidei constantiam obsidione cingeret, facta nocte intempesta eruptione profligatum, ac Vvenceslaum collectis nouis viribus regnum recuperasse, filium veniam flagitantem mancipasse carceri, præcipuosque coniurationis præteritæ auctores crudeli supplicij genere perimi iussisse. Inter cæteros Stiborio, qui inter Bohemos ingenti sapientiæ gloria florebat, atque adeo, vt refert Longinus, sibi præfidebat, vt Deum posse se in consilium suum vocare gloriaretur; trabe caput collisum. Premislaus vero castigato ita fastu in parentis gratiam a proceribus restitutus Morauiæ principatu contentus esse iussus. Ita in Bohemia Fridericianæ partes oppressis sceleris auctoribus penitus conciderunt.

a Longin. hist Pol. 7 hoc ann.
Regno deiectus a fi. lio iterum recuperat.
Coniurationis auctores cęsi.
Stiborij de sapientia sua præfidentis iustum supplicium.

10 Quod ad Ratisponensem episcopum, cui Bohemos proceres ad officium adducendi munus traditum vidimus, spectat; grauissimas ille a Ratisponensibus, qui Friderici partes sequebantur, iniurias pertulit: ij enim post depulsum e sua sede ob promulgatam in Fridericum pontificiam sententiam Siffridum prædecessorem; violatum ecclesiasticum interdictum, quo erat Ratispona perculsa; negatas temere defuncto Siffrido honorificas exequias; nouum episcopum vrbe depulere, suisque iuribus, quæ in percutienda moneta, exigendis vectigalibus, exercendis iudicijs, alijsque similibus obtinebat, exuerunt, vt ea in Conradum transfunderent. Ob quod scelus tum ab episcopo tum ab electo Ferrariensi A.S.L. anathemate solemni ritu percussi, ac sacris interdicti fuere. Quę vero postea ijs pœnis efferati flagitia admiserint, vtque in ipsus ab eodem Ratisponensi episcopo animaduerti iusserit Innocentius describit. b

Ratisponenses in episcopū reuellant.
Transferunt illius iura in Conradū. Anathemate & interdicto percussi.
b Lib. 5. ep. 832.

Innocentius &c. episcopo Ratisponensi.

Tam tu, quam dilectus filius electus Ferrariensis tunc in partibus illis Apostolicæ sedis legatus in eos (nimirum Ratisponenses) excommunicationis, & in ciuitatem eandem interdicti sententias proferentes, fecistis eos excommunicatos denuntiari publice, ac ab omnibus arctius euitari.

11 Sed ipsi, clauibus Ecclesiæ vilipensis, vt prius mortuos suos excommunicatos sepelientes in cœmeterio, & corpus cuiusdam comitissæ ad mandatum Ecclesiæ redeuntis, quæ extra ciuitatem in campo, vt mortuis non communicaret quæ non communicarat & viuis, sepeliri petijt, exhumantes illud, quod detestabile est narrare, cum furore per medium ciuitatis in Iesu Christi, & Ecclesiæ contumeliam diutius tractum, tandem extra muros proiecerunt canibus, & alijs bestijs ac auibus ad vescendum. Præterea quendam sacerdotem ad tuum mandatum, & Ecclesiæ redeuntem cædentes alapis, ac vsque ad effusionem sanguinis verberantes, conspuerunt in eum: & in opprobrium Crucifixi extensis manibus ducentes eundem, tandiu tenuerunt carceri mancipatum, donec pro redemptione sua soluit eis pecuniam, quam petebant, alia sibi damna plurima irrogando. Insuper adijcientes peccata peccatis, quoddam inter se fecere statutum, vt nullus crucesignatus cum signo

Immania eorum scelera.

cru-

crucis vestibus suis imposito modo aliquo audeat apparere; & qui eum hoc signo repertus fuerit, pœnis affectus varijs debeat mortit tradi.

12 Ne igitur tantæ temeritatis excessus, si repressi non fuerint, transeant alijs in exemplum; & facilitas veniæ incentiuum tribuat alijs delinquendi, nos, cupientes ipsos ciues iuxta officij nostri debitum ad viam ab inuio reuocare, mãdamus quatenus, nisi prænominati ciues a te moniti diligenter, infra festum assumptionis beatæ Virginis proximo futurum ad Ecclesiæ mandatum redierint; & immobiles perstiterint in fide ac deuotione ipsius, & competenter satisfecerint de præmissis; ex tunc eos excommunicatos, & ciuitatem ipsam interdicto supponitam, publice nunties, faciens vtramque sententiam auctoritate nostra vsque ad satisfactionem condignam, appellatione remota, arcte obseruari: ita quod in ea nullus religiosus, vel alius clericus prætextu alicuius sedis Apostolicæ indulgentiæ, præter pœnitentias morientium, & baptismata paruulorum, celebret diuinum officium, aut exhibeat ecclesiasticum sacramentum; & ipsos nihilominus omnibus feudis, quæ ab ecclesijs tenent, priuans omnino; eis, ad quos illorum collatio pertinet, conferendi eadem deuotis Ecclesiæ, ac impugnantibus indenotos eosdem liceotiam largiaris, districtius inhibendo, vt nullus cum eis exerceat commercium, vel contractum, ac de debitis, seu depositis eis, quandiu in huiusmodi durauerint pertinacia, debeat respondere; ac debitores, & depositarios a iuramentis sub pœnis, quibus forte tenentur, interim absoluendo, eisdem ciuibus omnibus actibus legitimis nihilominus interdictis. Ad hæc, vt vindicta tantorum scelerum in pœnam pareotum ad eorum posteros extendatur, volumus & mandamus, vt hæredes clericos ciuium eorundem vsque ad quartam generationem beneficijs priues ecclesiasticis, & priuatos publice studeas nunciare; ac omnia priuilegia, & indulgentias, a quibuscunque illis concessa, decernas auctoritate nostra cassa, & irrita, & nullius esse penitus firmitatis. *Dat. Lugd. III. id. May ann. v.*

Inter lineas margin: Iura illi subtrahit, ni resipuerint a perfidia.

13 Exerenda in Italia aduersus Friderici partium studiosos eadem seueritas fuit: qua de re extant Octauiano S. Mariæ in via lata, & Rainerio S. Mariæ in Cosmedin diaconis Cardinalibus, ac Gregorio e Montelongo subdiacono & notario legatis datæ literæ a; vt nimirum vrbes Friderici partibus infectas interdicto subijcerent, sequaces illius piorum consortio pellerent; ac demum, ne censuræ haberentur ludibrio, huiusmodi homines publicis muneribus submouendos, euertendosque bonis omnibus censuit: b cum Fridericus contra sontuos omnibus pontificios exueret, quorum spolijs auctum se & locupletatum in literis c ad Henricum Anglorum Regem gloriatur, illiusque ac sequacium armata impietas, nisi vi perrumpenda esset; necessitasque eo adegit Pontificem, vt non modo ad crucem induendam propositis indulgentiarum præmijs, quæ in Syriam transfretaturis concessa sunt, incitari iuberet; quam prouinciam in Germanico Imperio Curoniæ episc. commisit d; sed in aliquibus etiam prouincijs eorum, qui se sacro in Sarracenos orientales bello obstrinxerant, vota commutaret, atque arma in Fridericum conuertere imperaret. Ita Vuillelmo Rege flagitante Petro Card. legato munus demandauit e, vt Frisios qui se ad recuperanda sancta loca obstrinxerant, voti religione exolueret, si Guillelmi signa sequerentur.

14 Felicem porro exitum Innocentij consilia sunt assecuta: innumerabiles enim crucesignatorum copiæ ab Apostolicæ sedis legato atque archiepiscopo Coloniensi conflatæ Aquisgranum, quamuis Friderici & Conradi milite præsidiario munitum esset, post arctissimam & diutinam obsidionem expugnarunt, atque in ea vrbe Vuillelmus omnium sanctorum festo die ritu solemni regni insignia accepit. Hæc pluribus Matthæus Parisius a eius temporis scriptor: quibus consentanea tradunt fragmenti historici incertus auctor, Siffridus b, atque alij; ex quibus redarguas Trithemium c & nouatores d, qui hæc sequenti anno peracta ex illo affirmant. Cæterum nouus Romanorum Rex Innocentio Papæ fidei sacramento se deuinxit, atque omnia Ecclesiæ priuilegia ab alijs Imperatoribus concessa, vt eius hoc anno datæ literæ restantur, quę in libro priuilegiorum Romanæ Ecclesiæ extant e, confirmauit. Addit memoratus Parisius non probatam a multis huiusmodi regiam consecrationem ob desideratos in ea nonnullos electores, vt Saxoniæ & Bauariæ duces, qui ab ea dissenserunt.

15 Felicibus Vuillelmi Regis successibus territus Conradus, ad confirmandam parentis tyrannidem & euertẽdam Pontificis auctoritatem optimum ratus, si hæreticos foueret, qui suis erroribus populum irretirent, atque ab Ecclesia abductos in suo obsequio continerent, facinorosis pseudoprophetis disseminãdarum plurium hæresum fræna permisit. quorum falsæ doctrinæ summa, vt ex Alberto Stadensi, f qui ea narrat, hæc erat: sacerdotem, lethali crimine obstrictum, corpus Christi conficere non posse, nec prælatos huiusmodi labe infectos ligandi, atque soluendi potestatem obtinere: interdici sacris populos non posse: diuina contra quælibet imperia pontificia frequentanda: religiosorum virorum instituta abhorrere a vera sanctitate, atque iniustitiæ & sceleris macula non carere: Rom. Pontificem & episcopos hæresi inquinari. Sed hæc aliaque ex ipso auctore audienda potius videntur g: *Anno*, inquit, *Domini* MCCXLVIII. *cœperunt in Ecclesia Dei mirabiles, & mirabiles hæretici pullulare: qui pulsatis campanis, & conuocatis baronibus & dominis terræ, in halis Sueuorum sic prædicauerunt in publica statione. Primo quod Papa esset hæreticus: omnes episcopi & prælati simoniaci & hæretici: inferiores quoque prælati cum sacerdotibus, quia in vitijs & peccatis mortalibus non haberent auctoritatem ligandi & soluendi; & omnes isti seduxerunt, & seduxissent homines. Item quod sacerdotes in peccatis mortalibus constituti non possent conficere, nimirum Christi corpus in Eucharistia. Item quod nullus viuens, nec Papa, nec episcopi, nec aliquis alij possint interdicere diuina, & qui prohiberent, essent hæretici & seductores. Et intentiant ruuit in ciuitatibus interdictis, vt missas audirent super animas ipsorum, & sacramenta ecclesiastica libere perciperent, quia ipsis perceptis mundificarentur a peccatis. Item quod Prædicatores & fratres Minores peruerterent Ecclesiam falsis prædicationibus, & quod omnes Prædicatores & fratres Minores, Cistercienses quoque & omnes alij prauam vitam ducerent & iniustam. Item quod nullus esset, qui veritatem diceret, & qui fidem iustam opere seruaret, nisi ipsi & eorum socij: & si ipsi non venissent antequam Deus in perienlo dimisisset suam Ecclesiam, prius ipsas de lapidibus suscitasset, vel alios, qui Ecclesiam Dei vera doctrina illuminassent. Prædicauerunt etiam huc vsque vestri prædicatores, sepelierunt veritatem & prædicauerunt falsitatem: nos sepelimus falsitatem, & prædicamus veritatem. Et in fine*, scilicet prophanæ concionis, *Indulgentiam quam damus vobis, non damus fictam, vel compositam ab Apostolico, vel episcopis: sed de sola Deo, & ordine nostro. Et sic non audemus habere memoriam Papæ, quia ita peruersa vita est, & tam mali exempli homo, quod eum tacere oportet. Et blasphemando adiecit idem perfidus prædicator: Orate (inquit) pro domino Frederico Imperatore & Conrado filio eius, qui perfecti & iusti sunt. Item dixit quod Papa non haberet auctoritatem ligandi, nec absoluendi, quia non haberet vitam apostolicam, & hoc probare vellet per quandam*

Margin notes (left column): Iarusse ll. hi in resi- puerint a perfidia. — Vrbes Friderici, iniquitas partium terdicto subiectæ. — b ibid. ep. 656. 657. 658. & ep. eur. 47.52 — Tyranni sequaces bonis spoliari iussi. — b Lib. 3 ep. cur 46. — c Extant apud Par. hist Angl. an. 1248. — Quo studio Vuillelmi partes auxerit Innoc. — d Lib. 5. ep. 597. — Frisiorum crucesignatorum vota in Vuillelmi Reg. subsidium cõmutata. — e Lib. 5. ep. 731. — Aquisgranum Vuillelmus Cõrado eripit.

Margin notes (right column): In ea vrbe solemni ritu coronatur. — a Par hist Angl. hoc ann. — b Siffr. epit lib. 2. — c Trith. Hirsaug. chron. — d Cent. 13 cap. 6. col. 683. — Priuilegia Rõ. Eccl. cõfirmat. — e Extat in reg. lib. 8. — Hæretici in Germania exorti. — f Stad. in chron. an. 1248. — Nefandi eorum errores. — g Albert. Stad. in chron. hoc anno.

dam glossulam. Erant hæ impostorum illorum blasphemæ voces, quas Baronij a exemplo hac B. Hieronymi b sententia refellere sufficerit: *Hæc sunt quæ coargutione non indigent, perfidiam eorum exposuisse, superasse est.* Ad quid porro huiusmodi damnatæ artes Conrado profuerint, subdit Stadensis.

a Bar. an. Christ. 173. nu. 34.
b Hier ep. 58.

Conradus hæreticorum patrocinium suscipit.

16 *Istos hæreticos fouit & defendit Conradus filius Friderici Imp. quondam, & patrem suum, se per talia venena credidit defensare. Sed res lapsa est in contrarium, quia catholicis prædicatoribus audacter resistentibus, & fideles exhortantibus, liberi & ministeriales a Conrado recesserunt, ita quod quasi exul & profugus de Suevia in Bavaria moraretur.* His consentiunt Pontificis literæ c ad Augensem abbatem in Constantiensi diœcesi, quibus gratulatur captata opportuna occasione a Conradi partibus desciuisse, parumque abfuisse, vt Conradus non caperetur: *Venerabilis*, inquit, *fratris nostri Constantiensis episcopi & dilectorum filiorum nobilium virorū H. de Kyburch, L. de Fonbust, G. de Signering. & H. de Cruenungen comitum Romanæ Ecclesiæ deuotorum per literas nobis extitit intimatum, quod, si hactenus circa negotium Ecclesiæ visus fueris negligens & remissus, prouenit ex industria, non contumacia, vel defectu, vt ipsis opportunitate captata magis posses resistentes offendere, quam offendi; opinione pro ipsorum assertione manifestius fallente, quod cum nuper Conradus natus Friderici quondam Imperatoris, aggregatis vndique viribus; non attendens, quod non in multitudine exercitus victoria belli, sed est de cælo tantummodo fortitudo; cum ipsis somitibus congredi attentasset, astitisti eis viriliter & potenter cum decenti armatorum & honorabili comitiua; ita quod persecutor Ecclesiæ terga vertens, relictis ribus quampluribus, fere fuit manu valida captiuatus, &c.* Subdit se episcopi & procerum illorum precibus permotum, ipsum in Ecclesiæ gratiam admittere; ac prouocat ad expectationem, quam ij de ipsius virtute suis literis concitarunt, sustinendam. *Dat. Lugduni 6. id. maij ann. V.*

c Lib. 5. ep. 968.

Vix ex hostium manibus euadit.

Discant ex eo Christiani principes verum ac solidum regnorum fundamentum religionem esse; qua conuulsa ac labefactata regna concidere necesse est: nec sperent ex depressa Rom. Pontificis maiestate, suam efferre, atque amplificare. Cæterum Stadensem hæc de nouorum dogmatum auctoribus differentem exscripsisse videtur Crantzius d, ex quo eadem perditi nouatores e non vt illi improbantes facinus, sed hæretico spiritu asserentes, decerpsere. Quamuis vero monumentis non sit proditum, quid Innocentius in huiusmodi hæreticos sanxerit, cum sextum & septimum illius regestum non reperiantur; ex ijs tamen quæ in alios hæreticos statuta, prudens lector conijcere poterit.

A suis deseritur.

d Crantz. Metr. l. 8. cap. 18 & Saxon. l. 8. cap. 16
e Cent. 13. c. 13. col. 743.

17 Nec felicius per id tempus in Italia res Friderico successere; cum enim Parmæ obsidioni, quam mensibus sex cum toto sui exercitus robore vnà cum Ezelino e Romano oppugnarat, incumberet; & vrbem nouam quam Victoriæ nomine felices rerum exitus sibi male ominatus insignierat, anno superiori condidisset; atque ob nimiam hiemis sæuitiam partem exercitus in hiberna misisset, Parmenses noctu eruptione facta, hostium castra aggressi, multis ex ijs cæsis, nobilissimum de Friderico triumphum retulerunt, quæ monachus Patauinus his verbis expressit f: *Anno Domini* MCCXLVIII. *Friderico in Victoria residente, in medio februario, legatus, Gregorius scilicet de Montelongo, & Parmenses, inita consilio de ciuitate vnanimiter exiuerunt: irruentesque in Victoriam, ipsam sine mora ceperunt, captamque protinus cremauerunt. Fridericus vero versus Cremonam fugam arripiens vix euasit; dimissis ibidem diuitijs infinitis. Parmenses autem, multis captis & occisis de ipsius exercitu, carrocium etiam a Cremonensibus habuerunt.* Eadem de obsessa Parma & noua Victoriæ vrbe capta incensaque narrant Matthæus Parisius a, Ricordanus, Malaspina b, Ioannes Villanus c, Iordanus d, ac plerique recentiores.

Parmenses facta eruptione hoste funduntur.
f Monac. Pad. chro. lib. 1.
Victoriam vrbem incendunt.

a Par. hist. Angl. ann. 1247. & 1248.
b Ricord. hist. Flor. c. 132.
c Io. Vill. l. 6. c. 35. et alij.
d Iord. MS Vat. bibl. sign. num. 1960.

18 Addit Parisius vnà cum alijs trucidatum Thadæum imperialis palatij iudicem, virum eloquentiæ laude florentissimum, cui Fridericus exercitus curam atque thesauri sui custodiam crediderat; atque illius necem Fridericum acerbissime luxisse. Illum me fuisse existimamus, qui in Lugdunensi concilio Friderici causam defendit. Luit merito pœnas crudelitatis suæ Thadæus: scribit enim de eo Parisius e, cum Parmenses facta eruptione propulsati ab hoste magna clade, partimque capti fuissent, suasisse Friderico, vt in castris proclamari iuberet nullum Parmensem vitæ aut carceri reseruandum, sed mox capite amputandum. Addit etiam cum Parmenses acti in desperationem missis oratoribus Fridericum ad misericordiam flectere pertentassent, Thadæi consilio immaniter imprudenterque repulisse: *Immisericors*, inquit, *Fredericus iracundia succensus, & in arrogantiam eleuatus viscera misericordiæ clausit exorantibus; nec miseris aurem benignitatis alicuius, quod Deo displicuit, dignabatur commodare; sed ipsis sub occulto & aculeato consilio, remandauit ironice, vt parce ac prudenter sua vterentur annona, quia nunquam plus vita comite Frederici comesturi: & hæc austeritas a Thadæo creditur emanasse.*

e Par. hist. Angl. ann. 1247.
Diuinæ in Thadeum iustitiæ exemplū ob crudelitatem in Parmēses.

19 Adducendæ porro ex parte visæ sunt triumphales literæ, quas Parmenses de profligato hoste ad Mediolanenses fœderatos misere f: *Laudes retribuimus Deo Patri, Filioque suo Iesu Christo, & Spiritus sancto, trino Deo & vni maiestati, & Virgini gloriosæ, qui non propter nostrorum exigentiam meritorum, sed propter suam clementissimam pietatem ciuitatem nostram protegit, defendit, visitat, & gubernat. Quod manifeste conspicimus in victoria triumphali, quam die martis duodecimo februarij exeuntis contulit nobis Deus Genitricis suæ interuentu. Quamuis enim mille quingenti de nostris iuissent inter Caluirum & Bersillum, & præterea duæ portæ in integrum; & ille sauiens draco, qui per tantum temporis obsederat terram nostram, nos omnino crederet deglutire, tam extra mœnia cunctis militum & peditum suorum agminibus ordinatis, & suis fidelibus commissis, & ipso parum remoto; nos inuocato Dei auxilio, & Virginis gloriosæ, cernentes quod potens est Deus deponere superbos & humiles exaltare; protinus exiuimus contra ipsos populus, & milites vniuersi nequaquam vestigia nostra retardantes, quoad hucusque dimicantes iunximus nos cum eisdem præcedente vexillo cum forma Virginis pretiosæ, cuius regebamur semita, & ducatu. Et quamuis dariter a principio restitissent; nos tamen, inualescentes durius in eosdem, confregimus & prostrauimus omnes ipsos, & contriuimus vniuersos. Et cum hoc audisset impius Fredericus, & cogitaret suis succurrere, formidauit nobis occurrere, & descendens per subterfugia tamquam latro dimisit suos, & spolia sua prorsus vniuersa, ex quibus tria millia cepimus & plures. Cepimus quoque carrocium Cremonensium. Cepimus etiam mœnia quæ fecerat & omnia castra sua, & habemus omnia quæ habuerat. Interfecimus quoque Thadæum iudicem suum, cubicularios, & camerarios suos: nostros quoque bannizatos de suis militibus & populo interfecimus vltra mille quingentos; præter subuersos equorum pedibus & ruina, quos præ multitudine describere nō potuimus: alios autem de suis fugauimus vsquequaque, etc.* Subdunt vt æterno numini pro parta victoria laudes cecinerint, magnisq; contendunt precibus, vt raptim, cōtractis vndique auxilijs, Parmam se conferant ad Friderici reliquias dissipandas, & propugnacula sibi erepta recuperanda: præterea certiores faciunt omnes, quos e Parmensibus & Placentinis tenebat hostis in vinculis, libertati fuisse restituros,

f Extant apud Ptolomæum. ... an.
Triumphales eorundem de profligatis hostibus literæ.

Acce-

a Par. hist. Angl. hoc ann.

De Victoria exusta elegans carmen.

Aretinus episcopus tridu ante acceptam cladem in castris Friderici crudeliter interfectus.

b Extant apud Parisium. 3. Angl. ann. 1249.

20 Accepto clarissimæ victoriæ nuntio tradunt a Innocentium gaudio ingenti delibutum hoc versiculo iussisse.

Ad laudem Christi Victoria victa fuisti.

Delenda sane flammis erat vrbs tyranni crudelissimi sedes, vlciscente suorum iniurias numine: in qua tertio, antequam euerteretur, die Marcellinus episcopus Aretinus ab hostibus captus, ac diuturno maceratus carcere Friderici sententia, ob Ecclesiæ partes strenue aduersus eius tyrannidem defensas, ad patibulum damnatus est, & carnificum Sarracenorum, hi enim erant fidissimi tyranni administri, manibus traditus innumeris probris onustus, ac magno religionis Christianæ ludibrio raptatus est; vt Cardinalis Rainerius in literis suis b apud Parisium deplorat; *Hic impius dux prophanus habens, sicut pater suus diabolus, contra Dei Ecclesiam iram magnam, sciens quod modicum tempus habet; protinus in furorem erumpens ore rabido suspensionis, & iuguli contra christum Domini sententiam fulminauit apud Victoriam ab eo fundatam; sed titulis fidelium ascribendam. Hoc autem actum est, non sine stupendo miraculo, tertio videlicet die ante suum & illius loci exterminium triumphale. Ipsa namque Victoria felici auspicio, contra votum furentis, qui ei nomen indidit, victoriosi trophæi tripudium de seipsa parti cessurum Ecclesiæ, suo vocabulo præsignauit. Cæterum cum Auerni Cyclopes, & Vulcani satellites hoc mandatum a suo principe recepissent; vrgebant episcopum vt ipse dominum Papam, Cardinales, & alios prælatos Ecclesiæ tunc excommunicaret publice coram plebe, & fidelitatem iuraret perfido Frederico, impunitate sibi super hoc, & multis diuitijs repromissis. Ipse vero, Domini spiritu roboratus, fidenter asseruit, quod ipsum Fredericum sathanæ* * progenitum & alumnum frequenter excommunicauerat, atque suos: & tunc etiam in ipsum anathematis sententiam iterauit. Cumque duceretur ad martyrium pontifex, se primum muniuit tam lamentis pœnitentiæ, quam omnibus ecclesiasticis sacramentis. Verum cum se in abyssum demergi æstimans a circumstantibus intellexit, quod tractus per villam debebat suspendio interire, cantare cœpit: Te Deum laudamus; & hymnum Angelorum alta voce. Deinde ad patibulum trahi voluit velut Christus ad crucem. Sed flentibus mulieribus & paruulis circa ipsum non est permissus ex toto nudari.*

* primogenitum

Contumeliosissime a Sarracenis habitus.

21 *Porro Sarraceni ligauerunt sacras manus & pedes, velauerunt oculos; caput vero iuxta caudam animalis est positum, vt alui profluuium, si erumperet, sacram verticem inquinaret. Cæterum vero illud brutum animal licet stimularetur calcaribus, moueri non poterat, donec psalmum & orationem inceptam athleta Domini terminaret, & ab ipso gradiendi vlterius data foret licentia. Sicque per castrum S. Flaminiani Sarraceni traxerunt eum ad furcas, ac si esset vir ignobilis et plebeius; seu omnium abiectorum peripsema, vel perfidus parricida, seu sicarius, aut plagiarius, seu nocturnus depopulator agrorum. Sane Christo Domino, et fratribus Minoribus hinc inde assistentibus, inter alia est confessus, quod sensualitas murmurans suadebat, vt martyrium, quod ipse, dum esset liber, cupierat, refugeret si valeret: sed ipse tam hæc, quam quæque minima quæ occurrebant memoriæ, non cessabat publice confiteri, omnibus sibi nocentibus offensas ex corde dimittens, et quæ inferebant sustinens patienter.*

Illius corpus post mortem tempus extra sepulcrum suspensum.

22 *Fuit autem suspensus in patibulo in prima dominica instantis quadragesimæ pene hora eadem, qua Redemptor noster crucem ascendit. Positis vero custodibus ac triduo pendens in furcis, Minores tandem furati sunt corpus eius: sed illud carnifices de tumulo extrahentes, ac trahentes per lutum iterum suspenderunt; non deponendum absque noui Pilati licentia speciali, ad maius Christianitatis opprobrium, cleri contumeliam, perpetuam ignominiam sacerdotalis ordinis, et honoris confusionem pontificalis. Sane martyris corpus prius pœnarum ludibrio tabefactum, nunc miraculis illustratur, vt testantur fratres religiosi, qui exinde aduenerunt, firmiter asserentes, quod iam elapso* * *decennio non fœtebat, etc.* Subijcit immania alia Friderici scelera; inter quæ hoc insigne est illius impietatis argumentum, cum impune patrari permitteret: *Insuper, vt furor Domini contra malignum amplius incandescat, nuper apud Harniam Sarraceni, multis cernentibus, ad caudam subiugalis traxerunt imaginem Crucifixi, et beatæ Mariæ, et aliorum sanctorum: deinde, succisis Crucifixi cruribus & brachijs, ipsum sibi & alias imagines in clypeos adaptabant, vt in bello Christiani eas appetere cogerentur iaculis & sagittis.*

* decendio

Fridericus acceptam cladem leniter imminuit.

a Apud Petr. de Vin. M. S. bibl. Valli.

23 Nemini itaque mirũ videri debet, si tum maxime, cum victrix impietas exultaret, Fridericus repentino casu perculsus fuerit. Meminit ille a acceptæ huius in Parmensi obsidione cladis: qui tamen non sine rhetoricæ artis lenocinio illius magnitudinem imminuit, vt deiectos suorum animos erigeret. Ad quos magis confirmandos aliquos Entij filij, de profligatis Pado Mantuanis, felices successus describit: *Per triduum tam Cremonensium, quam Papiensium, aliorumque nostrorum fidelium robore concorditer adunato, statim castra nostra in obsidione Parmensi ex altera parte duximus repetenda: vbi eorum proteruiam multo arctius solito tenentes obsessam, in Dei nostri virtute, & de fortunæ felicis, quæ solet gratius arridere dum prouocat, proprietate confidimus, quod cum nostra per id nostrorumque fidelium ardentius sint accensa præcordia, de rebellibus ipsis in proximo vota nostra infallibiliter attingemus.* Sed hæc ad inanem iactantiæ pompam effusa euentus docuit.

Reportatam ab Entio de Mantuanis victoriam amplificat.

24 *Vnum veruntamen notitiam tuam non lateat, quod sic nos dimittere fortuna non voluit suæ felicitatis expertes, quin post eundem diem martis, quo se aduersitatis casus immiscuit, proximo sequenti die dominico nos ex parte altera marte gratifico demulceret, &c.* Addit Entium Regem filium, qui Padi imperium tenebat, Mantuanos, qui in Parmensium auxilium confluxerant, magna clade delevisse, centumque naues maioris, vel minoris alueI cepisse; ac trecentos ex hostibus, præter ferro cæsos vel haustos fluctibus, in vincula abduxisse. Sed de Friderico satis. Iam ad præcipuum illius administrum, ac scelerum participem Ezelinum e Romano sermonem conuertamus.

Ezelinum hæreseos grauiu suspicione infamat.

b Lib. 5. ep. cur. 45.

25 Exeruit hoc eodem anno Innocentius aduersus illum cœnæ Dominicæ die censuras ecclesiasticas, vti pontificiæ literæ b ad præsules Insubriæ, marchiæ Taruisinæ, ac Romaniolæ exaratæ docent. Constituerat antea in eum inquisitores, cum hæreseos infamia aspersus esset: ad quam a se depellendam nuntios ad sedem Apostolicã miserat, qui sacramento solemni in ipsius anima se obstringerent, recte illum de fide catholica sentire. Sed cum nec ab episcopo Sabinensi, qui auditor nuntiis traditus fuerat, nec a Pontifice ea purgatio esset admissa, cum rei grauitas præsentem rerum desideraret, illi Innocentius diem ... kal. aug. ad purgandum se præfixit; cauitque illius securitati. Quæ vero inde secuta, declarat Innocentius.

Vocatur in iudiciũ a Pontifice.

26 *Et quoniam in termino, nec post terminum sic venire, nec mittere procurauit, qui plurium est excommunicationum alias vinculis irretitus; & quod de fide catholica male sentiat certa ratione suspectus; eodem anathematis laqueo in die sancto iouis proximo præterito duximus innodandum: & ei mandauimus, ac id sibi volumus nunciari, quod nisi vsque ad festum B. Ioannis proximo venturum comparuerit coram nobis, super præmissis Ecclesiæ mandatis, & beneplacitis pariturus, extunc contra eum grauius procedemus iuxta canonicas, et legitimas sanctiones. Quocirca vniuersitati vestræ per apo-*

apostolica scripta mandamus, quatenus prædicta omnia et singula publicetis, et publicari faciatis per loca in quibus videritis expedire. Dat. Lugdun. XIV. kalend. maij anno V.

Pontificis in euellendis Albigensiũ reliquijs opera.
a Lib. 5. ep. 819. 820.

27 Ad euellendas etiam in Gallijs infelices Albigensis hæreseos propagines Pontifex Agennensem episc. in Tolosanos hæreticos inquirere, atque animaduertere iussit a: qua in re motem se gerere ait Tolosano comiti, qui vt sedi Apostolicæ significarat, hæreticam nequitiam in sua ditione funditus deleri, euellique radicitus exoptabat; ob quem pium zelum summis illum laudibus commendauit. Cumque Hierosolymitanam profectionem adornaret, ad stimulandam eius pietatem iuuandamque, Hugoni Minoritæ hoc munus imposuit b. *Mandamus quatenus redemptiones et legata prædicta, quamdiu in expeditione eiusdem terræ fuerit, per te vel alios, quibus hoc committendum duxeris, eidem comiti, seu cui ipse mandarit, assignes, et assignari procures iuxta traditam tibi formam.*

b Ibid. ep. 851.

S. Ludouicus maritimam expeditionẽ in orientẽ aggreditur.
c Ibid. ep. 612.

28 Hoc anno, affecta iam hieme, sanctum Regem in procinctu traijciendi exercitus fuisse, apostolicæ literæ testantur: tum maximam spem atque expectationem referendæ alicuius insignis victoriæ ac liberandæ Terræ sanctæ concitasse. Ad incendendos enim nobiles ac populos, vt sub tanto duce arma sacra induerent, hæc grauissime disseruit Pontifex c: videri diuinam prouidentiam, quæ post susceptas innumeras expeditiones passa erat, vt Terra sancta e barbarorum iugo nondum erepta esset; cæsisque pro ea causa tot Christianis dumtaxat quoad animarum salutem apertum iter ad regna cælestia videretur, nũc rei perficiendæ gloriam D. Ludouico reseruasse.

Magnis laudibus ornatur ab Innocentio.

Ineffabilis sapientia Dei Patris vnigenitus suus Deus & homo dominus Iesus Christus rem suam agi conspiciens, charissimum in Christo filium nostrum Regem Franciæ illustrem, virum vtique, qui cordis & corporis munditia nitidus, & virtutum opulentia plenus nunc pollet operibus ac militia, & diuitijs noscitur abundare, ad liberationem terræ ipsius inter alios mundi principes prælegisse videtur, qui se insigniens viuifico signo crucis, & ad consummationem assumpti laboris desiderans feliciter & celeriter peruenire, sic per Dei gratiam in apparatu regio, prout decet tantum principem, & tanto expedit negotio, se muniuit, quod per ipsum, vt speratur, imponi poterit negotio ipsi finis. Hæc ipse, qui triumphos ex humana coniectura sibi fingebat, vt enim initio partas clarissimas victorias funestissimi rerum exitus confuderint, postea dicetur.

d Ibid. ep. 917.
e Ep. 918.
f Ep. 950.
g Ep. 919.
h Ep. 927. 928.

29 Subdit Pontifex se Tusculanum episcopum, suis manibus cruce insignitum, legatum creasse, vt illud munus in Christiano exercitu, atque oris transmarinis obiret: summaque ipsum auctoritate ad bene gerendam prouinciam instruxisse. *Dat. Lugd. VII. kal. mar. an. V.* Eodem argumento exaratas literas ad patriarcham Hierosolymitanum, Armeniæ, Cyprique præsules misit d. Antequam vero legatus e Gallia discederet, vetuit e Pontifex, ne quemquam nuncupati voti religione absolueret; Ebroicensique ac Syluanectensi episcopis mandauit, ad traijciendum cum Rege proximo mense martij omnes, qui militiæ sacræ nomen adscripsissent, paratos esse iuberent f; eademque Frisiæ, Hollandiæ, ac Zelandiæ crucesignatis imperia fecit g; atque adeo tum præsules tum alios Galliarum principes viros obiecto censuratum metu ad promissa implenda adigerent. h

i Vit. S. Lud. apud Sur. loc. cit. cap. 7.
l Ionuill. hist. S. Lud. part. 2.
m Par. hist. Angl.
n Nang. in gest. S. Lud.
o Apud Cons. ant. lect. to. 1. pag. 269.
p Bern. chr. Rom. Pont. & chron. Reg. Frãc.

30 Porro S. Ludouicum hoc anno iter Hierosolymitanum suscepisse constat, tum ex eius vitæ actis i, tum ex auctoribus grauissimis Ionuillæo l, Parisio m, Nangio n, Sterone o, Bernardo p alijsque. Nos vero gesta tum ab ijs tum ab anonymo auctore tradita in medium afferemus. Ac primum de ea expeditione dicturi, quæ licet funestum exitum sortita videretur, fuisse tamen Deo auctore, cuius adoranda non scrutanda sunt consilia, susceptam, nonnulla prodigia illustrarunt, quæ memoratus auctor anonymus recenset. *Anno salutis millesimo ducentesimo quadragesimo octauo crux prædicabatur in diœcesis Coloniensis pago, quem vulgo Bedonsrisium vocant: ibi tum mense maio feria sexta ante pentecosten tres cruces visebantur in aere; vna candida versus aquilonem, altera eiusdem coloris ad austrum, tertia colore medio, in qua cernebatur suspensi hominis effigies extensis brachijs, & capite inclinato, atque in manus, & pedes eius adacti claui; eaque medium tenebat inter alias locum, in quibus nulla cernebatur hominis figura.*

Crucifixi in cælo cõspecta effigies.

Aliа prodigia tunc temporis visa.

31 *Alio tempore in Enchusen Frisiæ oppido, cum illic prædicaretur crux, alia crucis forma iuxta solem apparuit colore cæruleo, quam multi viderunt. In Traiectensi quoque diœcesi in Doccum, vbi S. Bonifacius martyr trucidatus fuit, crux visa est in eiusdem martyris festo die, ingens sane, & albi coloris; perinde, ac si trabi altera trabs transuersim artificiose impacta esset. Creduntur autem bis apparuisse cruces, ne quis ambigeret de prima apparitione.* Paucis vero interiectis verbis, de D. Ludouici profectione instituto sermone, hæc addit: *Rex Ludouicus sexta feria a pentecoste iter transmarinum suscepit, multis cum e Lutetia cum processionibus vsque ad S. Antonium deducentibus. Fuerunt cum eo Odo Tusculanus episcopus A. S. L. & duo fratres Regis, Robertus comes Atrebatensis & Carolus Andegauensis comes cum vxoribus suis, & multis Franciæ episcopis & nobilibus. Erat quidem etiam Alphonsus comes Pictauensis Regis frater crucesignatus; sed eo anno cum Blancha Regina matre ob regni tuitionem mansit domi. Die quinta & vigesima augusti Rex cum suis in nauim ingressus biduo sustinuit ventos* secundos. Vigesimo octauo augusti die a portu soluens, Christo duce, prospere nauigans, paulo ante B. Matthæi ferias nocte ad Cyprum appulit.* Hæc auctor, quæ ijsdem pene verbis paulo ante laudatus Nangius, qui hoc seculo floruit, atque ex eo Bernardus a alijque, vt consueuerunt, decerpsere.

* aduersos

a Bern. chr. Reg. Frãc. Vinc. spec. hist. l. 31. c. 99 & c. & alij.

32 Tradit porro Nangius Regem secundo Lugdunum, vt summum Pontificem viseret, se contulisse; atque apostolica benedictione ab Innocentio fausta omnia illi precante donatum, maiori studio ad cœpta perficienda inflammatum prosilijsse. Dignissimum vero atque æterna celebrandum memoria egregium modestiæ exemplũ Regis pijssimi, quod narrat Nangius b: illum ex eo tempore, quo transmarinæ expeditioni se deuouerat, nunquam purpura aut pretiosis vestibus indutum: quæ cum in pauperes erogari solerent, ne ea res ipsis fraudi esset, præcepisse vt quædam vis pecuniæ ijs insuper traderetur: tum in reliquo omni apparatu luxum regium castigasse. Seruabat nimirum summa religione Põtificum monita, qui toties crucesignatis inania ornamenta abijcere, vt opes in armis optimis, vel egentium leuandis incommodis collocarent, fuerant adhortati: *Ab illo tempore nunquam indutus est scarleto, vel panno viridi, seu bruneta, nec pellibus varijs, sed veste nigri coloris, vel camelini, seu persei: & quia vestes huiusmodi minoris valoris esse videbantur ad dandum pauperibus, quam aliæ pretiosiores, quibus vti solebat, prout Reges Franciæ consueuerunt, instituit quod ad recompensationem huiusmodi vestium eleemosynarius suus erogaret quandam summam pecuniæ æquipollentem pretio vestium pretiosarum, vltra id quod erogare solebat. Nolebat enim pius Rex, quod propter humiliationem suam exteriorem aliquid pauperibus deperiret. Similiter ex tunc nunquam vti voluit calcaribus vel frænis, nisi omnino albis & ferreis, absque aliqua auratura; nec sellis ad equitandum nisi albis, sine omni pictura.*

Singularis S. Lud. in cultu vel luxu modestia.
b Nang. in vit. S. Lud.

33 Cum secundis auris vela fecisset S. Rex, e procerum consilio ad insulam Cyprum applicuit c; ac pro-

In Cyprũ secundis ventis appellit.
c Nang. in eius gest.

propter varias causas, tum quod magna copiarum pars nondum appulisset, ac tormenta bellica ad expugnandum hostem deessent, ad festum Paschæ profectionem in Sarracenos distulit. Nec frustra consumptum tempus: concordia enim inter Regem Cypri atque insulæ viros principes cōciliata: qui omnes odia mutua & inimicitias posuere. Legati quoq; apostolici opera Græcos inter & Latinos Cyprios dissensiones compositæ, ac Græcus archiepiscopus, qui se a Latini archiepiscopi obsequio subduxerat, est reuersus; atque alij qui anathemate defixi fuerant, in Ecclesiæ gratiam restituti. Et ad gaudij publici cumulum Sarraceni plures, qui in vinculis tenebantur, post ardentissimas eorum preces, sacris baptismalibus lustrati: sed hanc lætitiam plurium ducum, comitum, & aliorum nobilium, qui alieni cœli solique intemperiem ferre non poterant, crebra funera turbauere.

Discordias inter proceres & Regem conciliat. Græcos Cyprios ad Rom. Ecclesiæ obsequiū adducit. Plures Sarracenos ad baptismi sacra pellicit.

34 Dum Cypri S. Ludouicus ageret, ac bello sacro necessaria compararet, Henricus illius insulæ Rex Hierosolymitanique regni dominus vnà cum proceribus, vt refert Nangius a, crucem induit ac S. Ludouicum aduersus Sarracenos secuturum sacramento se adstrinxit. Cuius expeditionis fama totum orientem peragrauit, vtque Sarracenos terrore percussit, ita Christianos magna spe atque expectatione erexit; nam soldanus Babyloniæ, vt scribit idem auctor, qui inimicitias cum Damasceno exercebat, ac per Christianorum terras in eius ditionē irrumpere parabat, ea fama accepta consilium reuocauit, submisitque sicarios, qui S. Regem ferro aut veneno necarent, quorum aliqui in meditato scelere comprehensi. Armeniæ vero Rex suos ad Francorum Regem oratores, in quibus Armenorum archiepiscopus erat, misit; omniaque illi studia & officia humanissime detulit. Excepti sunt ij honorificentissime a S. Ludouico, qui cū accepisset Armenum inter & principem Antiochenum discordias exortas, conciliatis ad biennium inducijs, ne res Christiana ex ijs affligeretur, sopiuit. Nec Armenus & Antiochenus modo, sed etiam Ercalthay magnarum apud Tartaros opum atque auctoritatis oratores ad S. Regem cum literis Persico & Arabico idiomate misit, quas ab Andrea religiosæ Prædicatorum familiæ viro ex ijs, quos Pontifex ad Tartaros legarat, traductas b in Latinum sermonem ad Reginam Blancham misit: *Per potentiam Dei excelsi missi a Rege terræ Cham verba Ercalthay Regi magno prouinciarum multarum; strenuo propugnatori, orbis gladio, Christianitatis victoriæ, ac religionis apostolicæ defensori, legis euangelicæ filio, Regi Franciarum. Augeat Deus dominium suum, & conseruet ei regnum suum annis plurimis; & impleat voluntates suas in lege, & in mundo nunc & in futurum per veritatem diuinæ conductricis hominum; & hominum prophetarum & Apostolorum. Amen. Centum millia salutum & benedictionum. Ex hoc rogo, quod recipiat salutationes istas, vt sint grandes apud ipsum. Faciat autem Deus vt videam hunc Regem magnificum, qui applicuit. Creator autem excelsus faciat occursum nostrum in charitate, & fieri faciat, vt congregemur in vnum. Post hanc autem salutationem nouerit, quod in hac epistola non est intentio nostra nisi vtilitas Christianitatis, & corroboratio manus Regum Christianorum Domino concedente. Et peto a Deo, vt det victoriam exercitibus Regum Christianitatis, & triumphet eos de aduersarijs suis contemnentibus crucem. Ex parte autem Regis sublimis; sublimet eum Deus videlicet de præsentia Kyocay: augeat Deus magnificentiam suam.*

Henric. Rex Cypri se vna cum proceribus cruce cōsignat. a Nang. vbi sup.

*Sultan. Babylon. vitæ S. Lud. insidias parat. Induciæ inter Regem Armen. & princ. Antioch. conciliatæ. Ercalthay Tartarorū princeps ad eum oratores mittit. b Extant apud Vincent. Bellouac. l. 31. cap. 91 & Nang. in gestis S. Lud. Honorificentissimi tituli illi in literis attribui. * victricis*

35 *Volumus enim potestate & mandato, vt omnes Christiani sint liberi a seruitute, & tributo, & angaria, & pedagijs, & consimilibus: & sint in honore et reuerentia, et nullus tangat possessiones eorum; et ecclesiæ destructæ reædificentur, et pulsentur tabulæ, et non audeat aliquis prohibere vt orent corde quieto et libenti pro regno nostro. Ista autem hora adhuc venimus pro vtilitate Christianorum et custodia ante Deo excelso. Misimus autem hæc per fidelem nostrum virum venerabilem Sabelaim Monffat David & per Marcum, vt annuncient istas bonos rumores, & quæ sunt circa nos, dicent ore ad os: filius autem recipiat verba eorum, credat eis & literis suis. Rex terræ augeatur magnificentia sua. Ita præcepit, quod in lege Dei non sit differentia inter Latinum, Græcum, Armenium, Nestorinum, Iacobinum, & omnes, qui adorant crucem: omnes enim sunt vnum apud nos. Et sic petimus, vt Rex magnificus non diuidat inter ipsos; sed sit eius pietas super omnes Christianos. Duret eius pietas & clementia. Dat. in fine Merebarram, & erit bonum concedente Domino excelso.*

36 Addunt Nangius & alij Othonem episcopum Tusculanum Apost. S. L. tum Elcarthay literas tum alias, quas magister equitum Armeniæ ad Chamum orator missus Henrico Regi Cypri ac Reginæ Emelinæ dederat, Romano Pontifici transmisisse. Exposuisse vero inter cætera Tartari principis oratores S. Ludouico magnum Chamum iam a tribus annis vnà cum procerum ingenti multitudine Christiana sacra amplexum, fideique propagandæ desiderio Sarracenicam superstitionem delere in animum induxisse: *Dixerunt quod ille, qui nunc agit in sceptris, Hyocay nomine matrem habuit Christianam, Regis, qui Presbyter Ioannes vocatur, filiam: ad cuius exhortationem, & cuiusdam episcopi sanctissimi, qui Malassias vocatur, suscepit sacramentum baptismi, & cum eo XVIII. filij Regum & plures alij, maxime capitanei.* His dissentit a Cantipratensis, qui nulla ratione Chamum ad Christianam religionem, quamquam illius mater pietate exculta esset, adduci potuisse a Prædicatoribus scribit b. *Multi adhuc inter illos sunt, qui nondum fidei sacramentum susceperunt. Erchelthay vero, qui nuncios miserat, Christianus erat iam ex pluribus annis, & non erat de semine regio, sed tamen magnus & potens. Agebat in finibus Persidis a parte orientis. Requisiti vero nuncij de Batho duce, cur sic male recepisset domini Papæ nuncios, responderunt quia homo paganus erat & Sarracenos habebat consiliarios: sed iam potestatem tantam, vt prius non habebat, quia modo sub Erchelthay potestate constitutus erat. Præterea requisiti de soldano Moyssac, siue Musulæ, quæ quondam Niniue dicta est, an Christianus esset, dixerunt eum fuisse cuiusdam Christianæ filium, & quod ex corde Christianos diligeret, ac festa illorum obseruaret, nec in aliquo legi Mahometi obediret, & credebatur, quod si tempus & opportunitatem haberet, libenter Christianus fieret. Dicebant etiam quod summi Pontificis nomen apud Tartaros iam celebre esset, & quod Erchelthay domini sui propositum erat, vt in æstate proxima Caliphum impugnaret, & iniuriam Domino Iesu Christo illatam vindicaret.*

Significat Sarracenos oppugnaturū. Tartari a Malassia episc. conuersi. a Cantip. lib. 2. c. 54 nu. 14. b Nang. in gest. S. Lud. & apud Vinc. Bellou. lib. 31. cap. 93.

37 Non caruisse omnino eam legationē Tartarorum aliqua fraudis suspicione ex ijs colligitur, quæ nūcij apostolici anno superiore ad Bayothnoi transmissi retulere: multis enim interrogationibus a Tartaris, vt occidentalium consilia explorarent, atque ipsos circumscriberent, aiunt fuisse lacessitos c: *In primis quæstionibus suis caute, multumque solicite a fratribus inquirebant, vtrum adhuc in Syriam Franci transfretarent: audierant enim a mercatoribus suis, vt dicebant, quod multi Francorum in Syriam in breui transfretarent. Ex tunc autem & antea fortassis apud se cogitabant quales pedicas, deceptionesque eorum pedibus inuoluendis in ipso eorum introitu præpararent; siue sub simulatione fidei Christianæ suscipiendæ, siue sub qualibet alia mendacij dolositate, vt ipsos a terrarum suarum introitu Turquiæ, seu Halapiæ coercerent, seque saltem ad tempus amicos Francorum velle fieri simularent; quos super omnes homines, qui sunt in mundo, sicut atte-*

c Simon apud Vincent. Bellouac. lib. 31. cap. 42.

stantur Georgiani, & Armeni, formidant & timent.

38 Cæterum S. Ludouicus adhibito prudentissimorum, vt refert Nangius, virorum consilio, oratores tum ad Erchaltay tum ad Chamum decreuit: ad quorum incendendam pietatem sanctissimæ crucis particulas transmisit. Adiecit quoque pretiosum e purpura conopœum phrygio opere intertextum, in quo omnia, quæ Christus dominus pertulerat, supplicia elegantissimo artis lenocinio expressa ac descripta erant, vt ex dominicæ passionis memoria Imperator Tartarus in diuino amore constans perstaret: addiditq; suas literas Odo Cardinalis legatus Apostolicus ad Regem Cham, eius matrem, atque Ercalthay exaratas, quibus significabat magno ex eorum cõuersione Ecclesiam Romanam gaudio perfusam esse, atque amantissime gremio excepturam, modo agnoscerent matrem illam, atque magistram omnium ecclesiarum, Romanumque Pontificem, vt summum in terris Christi vicarium, cuius curæ omnes fideles credidisset: tũ præsules, qui apud Tartaros versabantur, literis alijs est adhortatus, ne sententijs discreparent inuicem, aut schismata alerent, sed in vna eademque fide a quatuor primis concilijs promulgata constantes hærerent.

Pia ad Tartaros munera trãsmittit S. Ludou.

Tum oratores alios ad Ercalthay alios ad Chamum. Odo Card. A. S. L. literis ad fidei constãtiam hortatur.

39 Addit Ionuillæus a S. Ludouicum calices, libros, ornamenta, aliamque ad diuina celebranda mysteria sacram supellectilem transmisisse. Se vero ex ipsorum oratorum gestarum in legatione sua rerum seriem exponentium ore excepisse: ipsos ad Antiochiæ portum applicuisse, indeque arrepto itinere, quamuis singulis diebus decem leucas conficerent, integrum annum collocasse; pluribusque in locis ingentes ossium humanorum aceruos deletarum a Tartaris gentium tristes reliquias conspexisse. Cum vero Tartarici imperij vastitatem mirarentur, a Tartaris tantæ potentiæ initia esse sciscitaros; ipsosque subiecisse, olim sub Regis Persarum, partim sub Presbyteri Ioannis iugo diutius ingemuisse, atque a viro strenuo ad depellendam seruitutem solicitatos: qui cum persuasisset ijs, vt Regem crearent, statuisse vt quinquaginta duæ sagittæ, tot enim erant Tartarorum tribus, sigillo gentis & nomine consignatæ afferrentur, atque ex ea tribu Regem renuntiatum iri cuius sagittam puerulus fraudis expers extulisset. Segregatis itaque cæteris tribubus, ex regia quinquaginta duos præstantissimos viros eligi iussisse, ac imperasse puero, vt telum acciperet sortemque in illius auctorem cecidisse: moxque illum sacramento omnes in sua verba adegisse. Inde conflato exercitu aduersus Presbyterum Ioannem duxisse, suisque præcepisse, vt si victoria pot ri cõtingeret, nullus ad spolia cæsorum, sed ad reliquos cædendos procurreret; tantaque ferocia hostem insecutos, vt tribus diebus ac noctibus ferro sæuitum fuerit, Presbyterique Ioannis Imperium sibi subiecerint. Rem vero admiratione dignam post eam victoriam contigisse, Tartaricæ vnius tribus principem aliquot diebus desideratum fuisse: cumque die tertio ad suos esset reuersus, narrasse altissimum montem conscendisse, atque in illius fastigio multitudinem hominum incredibili vultus elegãtia, ac superbo vestium cultu adornatam suspexisse: in medio vero atque editiore loco cõspicatum cælestem Regem formæ præstãtia vestiumq; nitore cæteros omnes superantẽ, ac solio ex auro purissimo ad miraculum radianti insidentem, qui ipsi Christiana sacra amplecti imperasset. Cuius cælestis visi meminit etiã Cantipratensis b, atque oratores a S. Ludouico missos cum eo familiariter versatos refert quanquam in nonnullis circumstantijs a Ionuillæo discrepet.

a Ionuil. vbi sup.

Nonnulla de initijs Tartarorũ memoria digna que ab ipsis oratores excepere.

Vt primũ ipsorum Regem elegerint.

Vt Christianam religionẽ diuino monitu susceperint.

b Cantipr. lib. 2. c. 54. nu. 14.

40 *Viderunt*, inquit, *ibidem in exercitu*, de religiosis Prædicatoribus ad Chamum missis loquitur, *virum nobilem, Regis scilicet consobrinum, de quo talia ferebantur. Cum idem nobilis adhuc gentilis febri acutissima laboraret, materia ad cerebrum ascendente in furiam raptus dormientibus omnibus, qui circa illum erant aufugit nudus & tribus diebus ac noctibus per eremum vastissimam oberrauit. Tertia ergo nocte digesta materia creticauit & ad se rediit compos mentis, qui in tenebris horrens solitudinem quid faceret, vel quo se verteret nesciebat. Et ecce post instans modicum discussis tenebris vidit in montis cacumine ingens lumen. Reptans ergo manibus & pedibus ascendit in montem & ecce super omnem solis fulgorem Regem admirabilem vidit in throno aureo residentem, & ad eius dexteram Reginam incomparabili decore fulgentem: vidit mixtim seniores & iuuenes in thronis aureis assidentes ministrosque ex omni parte vultibus sydereis rutilantes. Hæc vt vidit gentilis, supra id quod credi potest obstupuit. Nec mora vnus ministrorum a Rege missus cum vestibus nudum induit & ad Regem duxit. Cui Rex: Nihil ait in rebus humanis simile quid vidisti? et ille: Nihil, inquit, Domine. & Rex ad eum: Ego sum (inquit) Christianorum Deus, Rex & Dominus sempiternus. Tu autem redibis ad populum tuum & perquirens inuenies in gente Vngarica, quæ immixta est genti tuæ duos presbyteros Christianos talis habitus, & talis formæ, a quibus erudieris ad normam fidei Christianæ. Hæc vt audiuit gentilis, renuit de istorum societate frustrari. Et mox ad eum Rex: Impossibile est (inquit) talem te remanere nobiscum: sed si Christianorum fidem susceperis, vt præcepi, societate ista iucundissima perfrueris. Hoc dicto miles sedens in equo albo suscepit illum & in exercitum Tartarorum populo mirante reduxit, fuitque apud illum diebus tribus, & post repente disparuit. Nobilis autem vt iussus erat, presbyteros quæsiuit & inuenit: & eruditus ad fidem cum multis millibus Tartarorum sacrum baptisma suscepit & postmodum Christiane ac sancte vixit. Vestes autem quas, vt diximus, nudus acceperat, præcipui coloris erant, atque mollitiei, opus vero earum nec plumarium, idest, ex acu factum aduerti poterat, nec textrinum, sed super omne artificium hominis diuina virtute contextum. Dictum igitur virum fratres missi a Rege Franciæ sæpe viderunt, & postea reuersi in Galliam fratribus rem gestam, vt narrauimus, retulerunt: & post, vt ab vno fratre percepi, mox memoriæ & literis commendaui.* Variat Ionuillæus a Cantipratensi, dum ait sacerdotes Christianos non Vngaros, sed e Presbyteri Ioannis ditione extitisse, Christumque imperasse addit, vt Christiani, qui in vinculis erant, in libertatem vindicarentur: atque ad rem confirmandam adiunxisse, Persas a trecentis Tartaris Christianis sacris imbutis profligatum iri. Diuino itaque imperio ad Tartarorum castra reductum, ab Rege barbaro Christianos sacerdotes, ac religiosos expetijsse, perhumaniterque recepisse, atque vnà cum suis baptismalibus sacris initiatũ, & trecentos e neophytis lectissimos rite sacramentis munitos arma aduersus Persas corripere iussisse, infidelemque principem Imperio suo depulisse. Cæterum Christianam religionem in illius principis tribu adeo propagatam Ionuillæus addit, vt ex oratorum a S. Ludouico transmissorum ore acceperit, ipsos in illius principis castris plusquam octingenta oratoria in curribus magnifice adornata conspexisse. cuius historiæ fides sit penes auctorem.

41 Cum plura de Tartaris orientalibus diximus, nonnulla de septentrionalibus nobis sunt delibanda. Imbuti erant ij gentilium superstitione, ac barbarie immanissimi, qui in Russiam ac Pannoniam se infuderant. Ad quorum retundendos impetus Pontifex Hospitalarios equites, qui in Vngaria versabantur, propositis indulgentiarum præmijs, ad corripienda aduersus Tartaros arma accendere conatus est a; tum Alexandrum Susdaliensem ducem in Russia ad Romanæ Ecclesiæ partes traducere b,

a Pau. l. 5. ep. 952.

Alexandrum Susdaliensem ducẽ Russiæ ad Ecclesiæ obsequium inijcitur.

b Lib. 5. ep. cap 42.

quem

quem ad egregia a Ieroslao parente relicta sibi exempla consectanda prouocauit; rogauitque vt cum Tartarica immineret irruptio, crucigeros Liuoniæ periculi admoneret.

Nobili viro Alexandro duci Susdaliensi.

Pater futuri seculi, princeps pacis, seminator casti consilij, redemptor noster dominus Iesus Christus menti claræ memoriæ Ieroslai progenitoris tui rorem suæ benedictionis infudit: ac idem inæstimabilem suæ notitiæ gratiam admirabili largitate concedens, viam sibi præparauit in eremo, per quam ipse fuit ad ouile reductus dominicum, velut ouis quæ longo tempore oberrauerat per desertum. Quia sicut dilecto filio fr. Ioanne de Plano Carpino de ordine fratrum Minorum pœnitentiario nostro, ad gentem Tartaricam destinato, referente didicimus, idem pater tuus nouum hominem affectans induere, de conscientia cuiusdam militis consiliarij sui obedientiæ Rom. Ecclesiæ matris suæ in eiusdem fratris manibus deuote, ac humiliter se deuouit, quod quidem confestim claruisset hominibus, nisi tam subito quam infeliciter mortis euentus eum de medio subduxisset (De Ieroslao duce magno Russiæ refertur apud Vincentium Bellouacensem a, exceptum conuiuio a matre Imperatoris Tartarorum, vbi e mensa consurrexisset, morbo correptum, ac die septimo extinctum, eiusque corpus glauco colore suffusum apparuisse: quæ res vehementi veneni suspicioni locum dedit, Tartaros id scelus molitos, vt ipsius principatu libere potirentur) Vnde cum ipse præsentis seculi cursum tam felici termino consummarit, pie credendum est, & omni ambiguitate semota tenendum, quod iustorum aggregatus consortio in æterna beatitudine requiescat, vbi lux fulget, quam non capit locus; redolet odor, quem non spargit flatus; & charitatis viget amplexus, quem satietas non diuellit.

Ieroslaus illius parens in Ecclesiæ obsequio defunctus

a Spec. hist. l. 31. c. 36. Vt a Tartaris veneno sublatus fuerit.

42 Cupientes itaque te vna cum ipso tantæ beatitudinis participem fieri, qui in paterna hæreditate suus hæres legitimus extitisti, ad instar illius euangelicæ mulieris, quæ lucernam accendit, vt dragmam perditam inueniret, viam exquirimus, apponimus studium, & diligentiam adhibemus, vt ad hoc te prudenter possimus inducere, quod tui patris vestigia salubriter imiteris cunctis temporibus imitandi; ita quod sicut corde sincero, & mente non ficta se ad suscipienda mandata, & documenta Rom. Ecclesiæ dedicauit, sic tu relicto perditionis inuio, quod ad æternæ mortis damnationem perducit, vnitatem eiusdem Ecclesiæ per obedientiam amplexeris, quæ per directionis semitam suos cultores proculdubio dirigit ad salutem. Nec est in hoc nostra certe a te repudianda petitio, quæ nostrum adimplens officium tuis est commodis profutura: quia cum a te solummodo postulemus, vt Deum timeas, & ex tota ipsum mente diligens ipsius mandata conserues, profecto sani spiritum non videreris habere consilij, si tuam in hoc nobis, immo Deo, cuius vices licet immeriti obtinemus in terris, negares obedientiam impertiri. In hac autem obedientia nullius quantumcunque potentis honor minuitur, sed ex hoc omnis potestas & libertas temporalis augetur: quia ubi digne populorum præsunt regimini, qui sicut ipsi alios præcellere cupiunt, sic diuinæ student excellentiæ famulari.

Hortatur ad imitanda patris exempla.

43 Hinc est quod nobilitatem tuam rogamus, monemus, & hortamur attente quatenus Romanam Ecclesiam matrem recognoscere, & eius Pontifici obedire, ac ad Apostolicæ sedis obedientiam subditos tuos efficaciter studeas inuitare; ita quod ex hoc in æterna beatitudine fructum consequi valeas, qui non perit. Sciturus quod si in hoc nostris, immo Dei potius, beneplacitis te coaptes, te inter cæteros catholicos principes reputabimus specialem, & ad tui incrementum honoris semper diligenti studio intendemus. Cæterum quia pericula possunt facilius euitari, si contra ipsa per prouidentiæ clypeum muniamur, pro speciali munere petimus, vt quam cito tibi constiterit, quod Tartarorum exercitus versus Christianos dirigat gressus suos, id quantocyus fratribus de domo Theutonica in Liuonia commorantibus intimare procures, vt cum istud per eosdem fratres ad notitiam nostram peruenerit, qualiter ipsis Tartaris viriliter cum Dei adiutorio resistamus, maturius cogitare possimus. Super eo autem, quod collum tuum noluisti subdere iugo Tartaricæ feritatis, prudentiam tuam dignis in Domino laudibus commendamus. *Datum Lugdun. x. kalend. februar. ann. v.*]

Crucigeros Liuoniæ imminentibus Tartaris faciat certiores.

Hæc erant soliciti pastoris studia, vt imminentia pericula a commisso sibi dominico grege propulsaret. Hactenus de Russis, ac Tartaris partim Christianis partim infidelibus: nunc quid in Hispaniæ Sarracenos gestum, prosequamur.

44 Adiuncta est Christiano imperio, vt traditur in veteri chronico a, Hispalis Ferdinandi Regis Castellæ virtute, quem tradit Mariana sexdecim in obsidione menses consumpsisse; ijsque conditionibus in deditionem accepisse, vt Rex Maurus ciuesque, asportata omni supellectile quo vellent, incolumes abirent; Luciferi fano, Aznalfarachio, ac Niebla oppidis retentis, reliquæ arces & oppida Hispali contributa victoribus traderentur. Igitur centum Maurorum millibus promiscui sexus atque ætatis vrbe egressis; quorum pars in Africam traiecit, pars per alia Hispaniæ loca & vrbes dissipata est; Rex solemni supplicatione & apparatu Hispalim ingressus in templo maximo, quod ritu Christiano expiatum est, sacris interfuit. Quæ celebritas a Gutterio Toletano archiepiscopo, qui in Ioannis mense iulio defuncti locum suffectus erat, peracta est. Raymundus vero Losana Hispalensi vrbi archiepiscopus impositus est.

Hispalis a Rege Ferdinando Castellæ expugnata.

a Anony. auct. ex vet. M. S. Marian. de rebus Hisp. l. 13. cap. 7.

45 Quod ad Ioannem Toletanum archiepiscopum attinet, cuius vna cum Mariana modo meminimus; dum suo pastore viduata ea ecclesia lugeret, cum ij ad quos pertinebat electio E. SS. Cosmæ & Damiani diaconum Cardinalem communibus suffragijs elegissent, idque per oratores ardentissimis precibus a sede Apostolica confirmari flagitassent, Innocentius ex Cardinalium senatus consilio eorum vota repulit, Ioannemque præficiendum censuit b, qua de re ad Toletanum clerum ix. kal. mart. exaratæ literæ: quamquam paucis post mensibus e viuis discessit. Silere porro non possumus D. Ludouicum istius archiepiscopi precibus adductum Toletanæ ecclesiæ religionem ac venerationem, missis pretiosissimis reliquijs, quas e sacro Constantinopolitano thesauro acceperat, auxisse; cuius literas ex autographo exscriptas Mariana affert. c

b lib. 5. ep. 605.

Ludouicus Dei gratia Francorum Rex dilectis viris in Christo canonicis, et vniuerso clero ecclesiæ Toletanæ salutem et dilectionem.

c Marian. de rebus Hisp. l. 13. cap. 8.

46 Ecclesiam vestram volentes xenio præclari muneris insignire, per dilectum nostrum Ioannem venerabilem archiepiscopum Toletanum, & ad preces ipsius de venerandis & eximijs sanctuarijs nostris, quæ de thesauro Imperij Constantinopolitani suscepi, pretiosas vobis particulas destinamus. Videlicet de ligno crucis Domini; vnam de spinis sacrosanctæ spineæ coronæ eiusdem Domini; de lacte gloriosæ Virginis Mariæ; de tunica Domini purpurea, qua indutus fuit; de linteo, quo præcinxit se Dominus, quando lauit & extersit pedes discipulorum suorum; de sindone qua corpus ipsius sepultum iacuit in sepulchro; de pannis infantiæ Saluatoris. Vestram itaque dilectionem rogamus & requirimus in Domino, vt prædictas sacras reliquias in ecclesia vestra cum debito recipiatis & custodiatis honore; necnon in missis, & orationibus vestris benignam nostri me-

Reliquiæ a S. Lud. Toletanæ Eccl. transmissæ.

moriam habeatis. *Act. apud Stampas anno Domini* MCCXLVIII. *mense maio*.] Hactenus S. Regis literæ. Qui pietatem, qua flagrabat, non in Gallos modo, sed in Hispanos etiam transfundere ac propagare cupiebat. Sed ad Regem Castellæ redeamus.

Ferdin. Alfonsusq. subleuati ad locupletandas ecclesias Sarracenis ereptas.
a Lib. 5 ep. 722.

47 Cũ Ferdinandus & Alfonsus religionis Christianę limites latius proferrent, ipsos adhortatus est a Innocentius, vt regia magnificentia episcopales sedes in ijs terris, quas Sarracenis eripuerant, locupletarent: cum maxime ecclesiastici suas opes in militum stipendia liberaliter contulissent.

Illustri Regi Castellæ & Legionis, & nobili viro Alphonso primogenito suo.

Virtutum Dominus discretionis tantæ gratiam vtrique vestrum contulisse dignoscitur, vt libere deuotis mentibus agnoscatis, quod suæ maiestatis oculis pro eo placiti semper debeatis existere; quia ipse multa, & grandia vestro dominio cum interuentu famosi nominis noscitur subiugasse. Propter hoc itaque secura fiducia magnitudinem vestram affectione, qua possumus, rogandam duximus & monendam, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus sedes episcopales terrarum illarum, quas virtus Altissimi principaliter per vestra, & aliorum fidelium victoriosa subsidia de manibus paganorum eripuit, & ad lucem religionis Christianæ deduxit, de multiplici bonorum vestrorum affluentia pro diuini honore nominis dotare magnifice studeatis: itaquod præsentibus & posteris nomen vestrum semper effulgeat, & Deo propitio vobis augmentum gloriæ triũphalis accedat; succedentibus postmodum illis felicibus præmijs, quæ recompensat Regis æterni benignitas pro fructuosæ operibus pietatis. *Dat. Lugd. III. kal. april. an. V.*]

b Lib. 5. ep. 515.
Censuræ in Alfonsũ Regis Castellæ filiũ latæ a Lusitanis præsulibus dissolutæ.

48 Sustinebat tum in Hispanijs legati apostolici dignitatem Desiderius vir religiosus, Pontificis pœnitentiarius: cui præcepit b Innocentius, vt nõnullorum defunctorum corpora, qui sub Alphonso Castellæ Regis maiore natu filio Lusitaniam hostili furore ingressi erant; eaque de causa a quibusdam episcopis anathemate defixi fuerant; ecclesiasticæ sepulturæ, præmissa ex sacro ritu absolutione, tradi iuberet; si tamen iure damnatos, atque pœnitentiæ signa præ se tulisse comperisset. Alphonsum vero, in quem Lusitani præsules fulminarant, nullis censuris irretitum pronuntiauit, cum iam ante nullas in eum censuras ob rem Lusitanicam, de qua nos supra, ferri vetuisset. Dignissimus quippe erat apostolico patrocinio Alphonsus, cum ob amplificatum religionis Christianæ cultum vnà cum parente de Ecclesia optime meritus esset. De Hispanicis rebus hæc suffecerint, ad Polonicas digrediamur.

c Longin. hist. Pol. l. 7 ex ann. Cromer. 8.
Poloni liberaliter Pontifici subueniũt.

49 In Polonia Iacobus Leodiẽsis archidiac. de quo supra mentio a nobis facta, Apost. sedis nuncius synodum apud Vratislauiam, vt refert Longinus c indixit: in qua, congregatis patribus, Romanæ Ecclesiæ vrgentissimas necessitates ob Friderici flagrantem tyrannidem in omnium oculis defixit, atque Innocentij nomine omnium ecclesiasticorum redditũum tertiam partem ad triennium postulauit: sed cum ea res grauior & intoleranda visa esset, quintam partem illi concedendam patres decreuerunt; atque ad ineundam a Pontifice gratiam, certo & constituto die omnem illam pecuniarum vim tribus annis colligendam in vnum redegere, & Innocentio Gotfridi pœnitentiarij apostolici opera transmisere: pro quo episcopis & clero Poloniæ publicæ a Pontifice gratiæ actæ; atque etiam ritus obseruandæ quadragesimæ more orientalis ecclesiæ a septuagesima inchoandæ, ab ipsis Polonicę ecclesiæ incunabulis susceptus, cum non leues controuersias pareret, penitus sublatus.

Sublata a legato cõsuetudo vetus qua a septuagesima carnium abstinentia indicta erat.

Populi enim negabant more occidentalium ea religione teneri; contra episcopi censuras in eos distringebant. quare Iacobus auctoritate apostolica in conuentu illo ea difficultate hinc inde ventilata, Polonis esum carnium ad diem cinerum permisit.

Collecta in Scotia subsidia.
a Lib. 5. ep. 696.

50 Præterire hic silentio non possumus, Innocentium quosdam viros religiosos in Angliam, Hiberniã, & Scotiam misisse, qui subsidia quædam in ea Ecclesiæ persecutione flagitarent. Cum vero Vuillelmus Minorita, ab alio eius sodalitij viro in Scotia colligendi huiusmodi subsidij prouinciam suscepisset, ab Alexandro Rege humanissime habitus magna pecuniarum subsidia contraxit: quæ res ne Scotorum fraudi verteretur, aut priuilegia ipsorum infringeret, renouandum censuit a Innocentius Scotos nulli legato ad parendum teneri, qui ab Apostolica sede missus non fuisset: *Humiliter supplicasti, vt cum claræ memoriæ V. Regi Scotiæ patri tuo, & dicto regno fuerit ab Apostolica sede indultum, vt nullus in ipso regno possit legationis officium exercere, nisi de latere Romani Pontificis ibi ue specialiter, & per speciales literas destinetur; prouidere super hoc tibi & ipsi regno paterna diligentia curaremus; nos celsitudini regiæ gratiarum actiones multimodas exsoluentes, ac nolentes quod ex huiusmodi prædicti fratris V. admissione aliquod sentias detrimentum, tuis supplicationibus inclinati, vt per admissionem eandem nullum super indultis tibi & regno ipsi a sede præfata præiudicium generetur, auctoritate præsentium indulgemus. Dat. Lugd. II. id. mart. anno V.*

b Ibid. ep. 704.
Cõcessus Regi Scotiæ in quadragesima certis legibus carniũ esus.

51 Prætereà petenti eidem Regi vt quadragesimæ tempore seruandi ieiunij religione absolueretur, cum piscium esu morbum contrahere soleret, permisit b Innocentius, modo id ex medici & sacerdotis, qui ipsi a confessionibus erat, consilio fieret: *Cum, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, esus piscium & præsertim continuus tibi odiosus et nociuus existat, quod omni fere quadragesimali tempore infirmaris, nos tuis deuotis precibus inclinati, quod ouis, butyro, caseo, lacte, ac carnibus de confessoris tui & medicorum consilio, cum necessitas propter corporalem infirmitatem exegerit, vti prædicto tempore valeas, auctoritate tibi præsentium indulgemus, &c. Dat. Lugd. II. id. mart. anno V.*

c N c. IV. l. 2. ep. 186 Palean. l. 3. antiq. Carmelit.
d Ian. l. 5. ep. 565.
e Ib. ep. 51
f Lib. 5. ep. 753.

52 His coniungendæ videntur aliæ prærogatiuæ, quas Innocentius hoc anno impertijt. Confirmauit in primis sacræ Carmelitarum familiæ institutam excolendæ vitæ religiosæ rationem, vt Nicolaus c IV. testatur. Placentiæ academiam erexit, omnibusque prærogatiuis, quibus Parisiensis gauderet, ornauit d. Iannensis archiepiscopi auctoritatem in nonnulla Terdonensis diœcesis oppida amplificauit e. Quibus addimus Scemensi episcopo permisisse vt in diuinis officijs libris Sclauonico charactere exaratis vteretur. f

Porrecta nobis tua petitio continebat, quod in Sclauonia est litera specialis, quam illius terræ clerici se habere a B. Hieronymo asserentes, eam obseruant in diuinis officijs celebrandis. Vnde vt illis efficiaris conformis, & terræ consuetudinem, in qua existis episcopus, imiteris celebrandi diuina secundum dictam literam a nobis suppliciter licentiam postulasti. Nos igitur attendentes quod sermo rei, & non res est sermoni subiecta, licentiam tibi in illis duntaxat partibus, vbi de consuetudine obseruantur præmissa; dummodo sententia ex ipsius varietate literæ non lædatur; auctoritate præsentium concedimus postulatam. Dat. Lugd. XV. kal. april. anno V.

g Cantip. lib. 1. 20. nu. 2.
Insigni prodigio negligentia prælatorum castigata.

53 Concludemus hunc annum insigni prodigio quod refert sub hoc tẽpus Thomas Cantipratensis g in solemni Pontificum conuentu habito accidisse: *Clericus quidam in synodo episcoporum prædicare compulsus angustiabatur non modicum, quidnam digne posset coram tot prælatis Ecclesiæ prædicare. At vbi accessurus in oratione iaceret, venit ad eum diabolus, &*

dixit

dixit ei: Quid angustiaris istis clericis prædicare? dicas eis illud & non aliud: Principes infernalium tenebrarum principes Ecclesiæ salutant: læti omnes nos gratias eisdem referimus, quia cum ipsi & eorum nobis afferuntur subditi; & per eorum negligentiam ad nos deuoluitur totus pariter fere mundus. Inuitus quidem tibi dico quod dico: sed Altissimi iussione coactus. Respondit clericus: Mihi quidem si hæc eis retulero, non credent. Tunc diabolus tangens maxillam eius: Ecce, ait, signum; nigredo insolita faciei. Hanc, antequam prædices, non contingas, quia frustra: post prædicationem vero aqua benedicta delebis. Processit ergo clericus in synodo prædicaturus: & admirantibus cunctis insigno indito faciei, tantum illa, quæ sibi iussa sunt recitauit; & ad horrorem maximum cunctorum corda permouit. Hæc anno ab incarnatione Domini MCCXLVIII. fuerunt Parisijs coram omni clero & populo solemniter recitata. Huius narrationis fides penes actorem sit.

IESV CHRISTI
Annus 1249.

INNOCENTII PP. IV. annus 7. — FRIDERICI II. IMP. 30. BALDVINI II. IMP. 21.

1 FElicibus initijs res Christiana effloruit in Ægypto anno salutis millesimo ducētesimo quadragesimo nono indictione septima: quæ postea insequenti anno tristes exitus labefactarunt. Gerebatur sacrum bellum a S. Ludouico, nec modo Gallicæ nobilitatis delibatum florem, verum Angliæ sub duce Vuillelmo e longa Spatha, Græciæ sub Achaiæ principe & Cypri sub Henrico Rege lectissimas copias trahebat. Quis non speraret sub duce sanctissimo impietatem Sarracenicam prostratum iri, atque Ecclesiam de Mahumetica superstitione gloriosissime triumphaturam? Et sane dum Christiani integri animis coniunctique extitere, conceptoque illo primo pietatis sensu deliburi, in Sarracenos concurrere, non modo barbari illorum impetus, sed ne quidem præsenti m, pugnante pro suis numine, sustinere potuerunt. Quæ quomodo acciderint, oratione delibanda sunt.

Christiani in Cypro ad inuadēdos Sarracenos se cōparant.

2 Scribit Nangius a sabbatho ab ascensione Domini proximo in Christiano exercitu, qui iam mare conscenderat, promulgatum. Pelusium in Nili faucibus situm bello petitum iri, vt Ægyptus ex qua Sarraceni in Terram sanctam acies educere, atque effundere consueuerant, opprimeretur; cum aliquandiu reflassent venti & classem vi procellæ dispersam Nimocij collegissent, festo sanctissimæ Trinitatis die, cū secundæ auræ increbrescerent, vela explicuisse, atque sequenti sexta feria Ægyptum, ac paulo post Damiatam siue Pelusium conspexisse. Non defuerat Sarracenis animus vel militare consilium: Nili enim ostia triremibus ac nauibus egregie instructis sepserant: tum littus equitatu ac magnis copijs ad propulsandos Christianos, ne excensionem in terram facerent, cinxerant. Quare Rex vocatis in consilium proceribus impetum in hostem imprimere in sequentem diem distulit, quo eductis ex nauibus cymbis in terram desilire summo mane appararunt. *Rex cum legato Pontificis*, inquit vitæ auctor b, cui Nangius consentanea scribit c, *sacrosanctam gestans crucem nudam & apertam in cymba vehebatur, iuxta cum præcedente in alia cymba B. Dionysij vexillo; fratribus quoque suis & alijs nobilibus & sagittarijs comitantibus.*

a Nang. de gest. Lud. Reg. hoc ann.
In Aegyptū signa conuertunt.
Pelusium oppugnatur.
b Apud Sur. to. 4. 25. aug. c. 11.
c Nang. vbi sup.
Vt excensio in terram facta fuerit.
d Ionuill. in hist. S. Lud. 1. par.
Iord. M.S. Vat. bibl. signat nu. 1960. hoc ann.

3 Cumque ob nimiam maris planitiem cymbæ ad siccum pertingere non possent, desilijt d in aquas cum armis Rex, eius exemplo magno ardore toto exercitu pariter defluente; quamuis Sarraceni continuo telorum effuso nimbo eos arcere littore conarentur. Mox Christiani in barbaros procurrere, ac pugnante cum ijs diuino numine pauci ex ipsis sauciati, magna vero infidelium strages edita; inter quos nonnulli etiam ipsorum præcipui duces ceciderunt. Eodem die qui in classe remanserant, non minus strenue se gessere: barbarorum enim, qui fluminis ostia obsederant, triremes repulerunt. Refert Ionuillæus a eo ipso tempore, quo excensio in terram facta est, arreptitium hominem ad templum, cui beatæ Mariæ Tortosanæ nomen inditum, in quo ara prima, vt fertur, Virgini dicata maximis ad eam patratis miraculis celebratissima est; adductum, dum alij in preces effusi a B. Virgine contendebant, vt dæmonem e corpore illius depelleret, subito exclamasse: Non hic Virgo præsens est: in Ægyptum se contulit, vt Gallorum Regi, & Christianis, qui hodie in terram exscendunt aduersus gentiles, qui stant in equis ad prælium armis instructi, auxilium ferat. Diem vero qua hæc dæmon protulerat consignatam, ac legato postea dum vnà cum Rege versabatur, delatam: ex cuius ore rem accepisse auctor asserit. Quamuis porro dæmon rem in iocum detorserit; credendum tamen est B. Virginem suis apud Deum precibus singularitum ad frangendos hostes præsidio Christianis fuisse. Propulsatis igitur diuina ope hostibus, cum Rex vnà cum crucesignatis in littore castra locasset, Deus pro suis prælium in vrbe confecit: tantum enim terrorem infidelibus iniecit, vt ea nocte ac sequenti dominica ex vrbe, quāuis munitissima, propugnaculis & aggeribus circumdata, commeatu, armis, milite, opibusque refertissima effugerint: quæ ne in Christianorum potestatem venirent, iniectis flammis absumere conati sunt: vt nemini dubium esset eos non humanis sed diuinis viribus depulsos esse; ac iure tantum triumphum Ganfridus b e Belloloco miraculo ascribat: cui Ionuillæus c cōsentit, nostrosq; Israelitis olim in terram promissionis adductis comparat.

Infideles magna strage propulsati.
Barbarorū classis repulsa.
a Ionuill. in hist. S. Lud. par. 2.
Pelusio diffugiūt hostes.
b Gaufrid. e Belloloc. vit. S. Lud. cap. 25.
c Ionuill. vbi sup.

4 Cum ea res a nostris exploratorum opera cognita esset, missum est ab Rege præsidium, & flammæ ne grassarentur restinctæ, atque vrbs equorum & aliorum animalium, quæ occisa fuerant cadaueribus, ne aerem inficerent, purgata. Ascripsit numini victoriam sanctus Rex, atque non superbi triumphatoris, sed pœnitentis Christiani specie, ac religioso instructo agmine in vrbem ingressus est, vt vitæ auctor describit: *Legatus Pontificis cum patriarcha Hierosolymitano, cum archiepiscopis, episcopis & magna parte eorum qui conuenerant; itemque Ludouicus Rex cum permultis alijs, nudis pedibus, præsente Rege Cypri cum non paucis nobilibus, in vrbem ingressi sunt. Cumque legatus ædem quamdam prophanatam reconciliasset, & gratias egissent Deo, in honorem sanctissimæ Matris Dei ab eodem legato sacrificium oblatum est: Rex autem constituit Deo bene volente illic canonicorum institui collegium, qui Domino seruirent. Capta est Damiata, quam alij Heliopolim vocant; anno ab orbe redempto millesimo ducentesimo quadragesimo nono.* Consentiunt alij auctores eodem anno a Christianis expugnatam, Ionuillæus d, Nangius e, Parisius f, Stadensis g, Stero h, Patauinus monachus i, Siffridus l, Iordanus m, Vincentius n, Bernardus o, & alij antiquiores; tum etiam recentiores, in quibus ipsi nouatores. p

In vrbem instructa religiosa pompa sāctus Rex ingreditur.
d Ionuill. in hist. S. Lud. par. 2.
e Nang. de gest. Lud. Frāc. Reg.
f Matth. Par. hist. Ang.
g Alb. Stad. in chron.
h Stero in annal.
i Monac. Pad. chron. lib. 1.
l Siff. epit. lib. 2.
m Iord. M.S. Vat. bibl. vbi sup.
n Vincen. spec. hist. l. 32. c. 97. 98.
o Bernar. chr. Rom. Pont.
p Cent. 13. c. 2. col. 15.

5 Obtenta adeo facile munitissima Ægypti arce, tota Ægyptus mox subijcienda Christianorum armis videbatur, ac nonnulli auctores erant, vt mox ad occupandam regionem excurreretur: sed repugnarunt alij prudentiores, cum reuocarent in memoriā simili casu perditum Christianorum exercitum, cum diffractis Nili molibus barbarorum arte in depressiores campos fluuius effusus esset; atque adeo expectandum vt illius alueus, qui tunc aquis turgebat, detumesceret; sicque tota æstas Pelusij transacta: tumque nouæ copiæ crucesignatorum e Gallijs sub duce

Cur post tantam victoriā vlterius non fuerint progressi Christiani

Alphonso Pictanorum comite Regis fratre Christianis, adiunxerant. Cum enim is se reducta Regina Blancha custodiendo regno, deuexo iam mense iunij in portu, cui Aquæ mortuæ nomen est, mare conscendisset, felicibus ventis vsus, sub finem octobris Pelusium applicuit.

Alphōsus Pictan. comes Pelusium applicat.

6 Interea fluminis aluens se depresserat, visumq; est in Sarracenos mouendum, atque interior Ægyptus penetranda. Nouembris ergo vicesimo die nauali, ac terrestri instructis exercitibus, præsidio validissimo Damiatæ relicto contra Massoram siue Pharamiam, quo Ægyptiorum vires confluxerant, progressi sunt Christiani: qui toto itinere Sarracenos obuiam factos magna clade fuderunt. commissoque etiam ante Christi natalem prælio, victoria a Christianis stetit, infideles cæsi ferro N[ilo]que hausti periere. Tum etiam fluuius Thaneos, cuius aluens altior erat, duce Ægyptio superatus. Hactenus Christianorum res, quæ etiam ex soldani morte auctæ videbantur, votis respondere. Vt vero sequenti anno euersæ ac pessundatæ fuerint, ne luctum ante tempus accersamus, suo loco dicemus.

Depresso Nili alueo Ægyptū interiorē penetrant Christiani.

Fluuium Thaneos superant, Infideles fundunt.

7 Non minus operæ nauabat eodem tempore Pontifex, vt ex occidente Christianorum exercitui, qui in Ægypto Christi religionem proferebat, supplementa mitteret: scribit enim Parisius a, ipsum in Angliam Prædicatores, ac Minoritas, vt populos ad sequenda crucis signa pro concione concitarent, ac præmia indulgentiarum crucem amplexuris proponerent, misisse: quibus obuiam lintcati sacerdotes composito agmine religioso præeunte signo crucis cum effusa plebe occurrebant. Atque ita factum vt plures orientali profectioni se deuouerent: quam rem in cæteris occidentis regnis ac prouincijs celebratam colligi videtur. Tradit de eodem Rege, ipsum magno pietatis sensu delibutum a Benedictini ordinis abbatibus, qui sua comitia coegerant, supplicibus precibus obtinuisse, vt pro ipso ac Regina quotidie in missarum solemnijs, in quibus memoria B. Virginis recolitur, sacræ preces quarum initium: *Deus in cuius manu corda sunt Regum*, Deo funderentur.

Comparata in occidente: auxilia.

a Par. in hist. Angl. hoc ann.

In Gallijs, cū in B. Edmundi Cantuariensis archiepiscopi honorem; cuius sacrum corpus omnis corruptionis immune diuinum numen seruabat, feretrum ex auro argentoque elegantissimo opere conflatum, ac gemmis adornatum iussisset, confluente ex Anglia Gallijsque maxima populorum multitudine, Pontiniaci v. id. iun. secundam illius translationem celebratam idem auctor b asserit.

Secunda B. Edmundi translatio.

b Par. vbi sup.

8 Eodē anno, vt scribūt Gillelmus e Podio Laurētij c & alij d, v. kal. oct. Raymundus vltimus Tolosatiū comes, qui anno præcedenti se ad expeditionē Hierosolymitanam compararat, atque Massilia adornatis omnibus, iter reflexerat, Æmiliani febre implicitus, omnibus Ecclesiæ sacramentis rite acceptis munitus, e vita discessit: eiusq; corpus ad monasterium fontis Ebrandi iuxta matrem Ioannam Anglorum Regis filiam sepeliendum delatum est. Ita comitatus Tolosanus ad generum ipsius Alphōsum comitem Pictauiæ peruenit; eoque sine liberis decedente ad Reges Gallorum deuolutus. Describit accuratius illius principis extremū vitæ actum dictus Guillelmus e Podio Laurentij, cuius verba historiæ inserenda duximus, cū fidei catholicæ zelo ac pietate floruisse; & si quod antea hæreseos venenum hausisset, penitus euomuisse perspicue ostendant. *Comes Tolosanus, qui remanserat*, nimirum post susceptū a S. Ludouico iter Asiaticum, *transacta hyeme tempore verno intrauit Hispaniam, & apud Lucronium in introitu regni Castellæ occurrit ei Alfonsus primogenitus Regis Castellæ, cum quo colloquium habuit, & fuit fere diebus quindecim apud eum, & reuersus ad propria, in via diebus aliquot ægrotauit*, Et infra,

c Guillel. e Podio Laur. ab ann. c. cap. 46.

d Bern. Guid. Rom. Pont. & chron. ab... praeclarus Fránc. Bosquet. ... & alij.

Raymundus vltimus Tolosanum comes.

9 *Eisdemque diebus circiter octoginta credentium hæreticorum in iudicio coram se confessos de hæresi, aut conuictos apud Aginnum in loco, qui dicitur Berlaigas, fecit incinerari & cremari. Mox audito quod dominus Alfonsus comes Pictauensis aduenisset sequens Regem fratrem suum, & domina Ioanna vxor eius cum eo filia ipsius comitis Tolosani, eis apud Aquas mortuas occurrit, habuit cum eis de negotijs suis colloquium & tractatum. Reuersus autem apud Aemilianum febre corripitur, & procedens inde in villam, quæ dicitur Pris, prope Rhutenum in lectum decidit, & ibi venit episcopus Albiensis, qui primo affuit, & famoso eremitæ fratri Guillelmo Albaronco confessionem reddidit suorum peccatorum: de cuius episcopi manu communionem Eucharistiæ humiliter & deuote recepit, sicut in signis exterioribus apparebat. Ingrediente enim corpore Christi saluatoris, exiens de lecto, quamuis multum debilis esset, in medio domus occurrit; & in solo communicauit flexis genibus, non in lecto. Conuenerunt ad eum, Tolosanus, Agennensis, Caturcensis, Rhutenensis, Albiensis episcopi, & magnates: & multi milites terræ suæ, & consules Tolosani; quorum omnium erat consilium, vt ad partes descenderet Tolosanas, sed nescio quo auctus spiritu contra omnium vota se fecit referre Aemilianum, vbi eum inuaserat ægritudo: ibiq; dispositio de sepultura sua in cœnobio fontis Ebraudi ad pedes matris suæ, et ordinato de rebus suis, & suscepta extrema vnctione, diem clausit extremum v. kal. oct. ann. Domini MCCXLIX. ætatis vero suæ LII.* Ipsum porro amicitia Innocentio Papæ coniunctissimum fuisse scribit Parisius a, atque ad hostes Ecclesiæ oppugnandos, & maxime Sabaudiæ comitem, thesaurum ab eo accepisse, quem ad Pontificem, cum iam in mortis discrimine se constitutam agnosceret, transmisit. Cum vero de Raymundi obitu mentio sit edita, nonnulla principum funera adiungemus.

Hæretici flammis damnat.

Magna pietatis signa in excipienda Eucharistia præ se fert.

Aemiliani moritur.

In cœnobio fontis Ebraudi sepelitur.

a Par. hist. Angl. hoc ann.

Discessit ex humanis hoc anno Siffridus Maguntinus archiepiscopus, quem magnum Friderici aduersarium vocat Parisius & alij, atque in eius locum Christianus eiusdem Ecclesiæ præpositus suffectus est b qui eodem anno pallio est decoratus.

Christianus Siffrido in Mag. arch. succedit.

b Conrad. episc. Mag. in ... epis. & a Paris. & alij.

10 Ereptum e viuis eodem anno Alexandrum Regē Scotiæ tradit Parisius c, dum Oenum Argetheleæ inter Scotiam & Orcadem interiacentis insulæ dominum bello persequeretur. cuius mortem in diuinæ iustitiæ exemplum vertit his verbis: *Rex antequam exiens de naui equum valeret ascendere, quasi vltione morbo subito & lethali percussus est. Et volens innocentem exhæredare, inter manus magnatum suorum ex improuiso cum ipsa ambitione vitæ spiritum exhalauit.* Hæc auctor, qui tum scribebat. A quo dissonat Hector Boethius d qui Alexandri mortem humanæ tantum conditioni tribuit; traditque Sumerledum Argadiæ Thanum filium alterius Sumerledi, qui post alteram seditionem Macolmi imperio necatus suspendio fuerat, paternis insistentem vestigijs ab Rege defecisse, ac vicinas Argadiæ terras fœdissime depopulatum: sed a comite Merchiarum victum ea lege in deditionem acceptum, vt suspenso ex collo laqueo supplex ad Regem accederet: quod vbi factum, venia ab Alexandro donatum. Cuius principis mortem post interiecta alia ita describit: *Correptus graui morbo in Carnere insula a continenti Argadiæ haud late diuisa, breui post*, nimirum submissas aliquot S. Ludouico delectas cohortes Syriam prosecutas, *moritur, ætatis suæ anno primo & quinquagesimo, & regni, tricesimo quinto, salutis vero nostræ supra millesimum ducentesimum quadragesimo nono: corpus delatum, vt viuens voluerat, ac sepultum est in Melrois.* Additque Alexandrum III. parentis sceptrum anno ætatis nono capessiuisse, ac non sine procerum contentione regia inunctione delibutum. Cuius regni anno secundo rem memorandam ita describit.

Alexandri Regis Scotiæ mors.

c Par. vbi sup. Angl. hoc ann.

d Boet. Scot. hist. lib. 13.

Succedit Alex. filius eo nomine III.

Anno

11 *Anno secundo regni sui Alexander, conuocatis ex toto regno cœnobiarchis, episcopis ac baronibus, ad Dumfermlem celebribus, ac multis supplicationibus habitis, ossa Margaritæ atauiæ suæ, terra effossa, capsulæ argenteæ multis ornatæ gemmis imposuit. Cumque ea episcopi omnium consensu in adytum templi deportare conarentur, ac peruentum iam esset ad Malcolmi mariti eius sepulchrum, repente omnes immobiles constitere. Capsula enim, cui reliquiæ inerant, sepulchro Malcolmi impressa adhæsit, nec vila vi moueri potuit. Quo miraculo stupefacti omnes, cum haud inuenirent tam nouæ rei causam, venerandus quidam senex spiritu diuino afflatus, sublata voce vt cuncti eum facile exaudirent, Margaritam, inquit, marito quam viuo semper exhibuit reuerentiam, eã mortuo denegare noluit: quamobrem non prius eam sese vestris manibus in adytum deportari permissuram, quam Malcolmus maritus humo effossus lateri adiungatur. Quod vbi factum est, tum denique sublata cum marito in adytum delata est; atque in hodiernum vsque diem multa populi veneratione ibidem coluntur ambo.* Hæc de Scoticis rebus suffecerint: ad Italicas nos referamus.

Trãslatio Margaritæ illius atauiæ.

Mutuus post mortem coniugũ amor.

12 Sensit per hæc tempora Fridericus; qui, vt ait Parisius a, Herode, Iuda, & Nerone deterior existimabatur, vltrices iras numinis, quæ cum anno præterito effundere se in illius caput cœpissent, hoc anno magis auctæ, tandem sequenti penitus obruerunt. Ex filijs enim ipsius alter in Apulia obijt, alter Entius Sardiniæ tyrannus, dum Cremonensibus & Regiensibus stipatus Bononiensem agrum vastaret, suorum magna strage deletus captusque e vinculis arctissime mancipatus est b. Extant apud Petrum e Vineis c Friderici ad Bononienses de capto Entio literæ, quibus mixtis minis ac blanditijs ipsos ad emittendum e vinculis filium eorum constantiam infringere molitur: *Considerate*, inquit, *prouide, & attendite diligenter, quod Imperij nostri serenitas, quamuis passa videatur aliquas tempestates, tamen digno Dei iudicio multos de illis, qui rebelles esse nostræ potentiæ præsumpserunt, iustitia mediante ad pœnam & mortem conduximus, exemplum cunctis hostibus monstraturi. Non enim, sicut putare videmini, sopita est Romani Imperij fortitudo: nam semper vigilans ac attenta potentia non dormitat. Interrogate patres vestros & dicent vobis, quoniam auus noster felicis recordationis victoriosissimus Fridericus, cum voluit, Mediolanenses priores vestros expulit a proprijs laribus, & eiecit; ac ciuitatem ipsam tenuauit in burgis. Non igitur pateant faciles aures vestræ suggestionibus & adulationibus Lombardorum, qui vos sua damnatione associare cupiunt, inducentes vos in foueam, de qua nullo auxilio poteritis liberari. Quapropter sub pœna gratiæ nostræ præcipimus & mandamus, quatenus dilectum filium nostrum Hentium Regem Sardiniæ & Galluri cum alijs fidelibus nostris Cremonensibus, Mutinensibus, & cæteris alijs, quos cepistis, visis præsentibus de carceribus relaxetis: quod si feceritis, non inter alias ciuitates Lombardiæ vestram exaltabimus ciuitatem, &c.* Entium e carcere laxarint, terrores incutit se in ipsorum vrbem omnes impetus suos conuersurum. Sed Bononienses nec minis, nec promissis frangi potuerunt: atque ita in carceris horrore Entius contabuit, daturus documentum posteris fallacem esse persecutorum Ecclesiæ felicitatem.

a Par. hist. Angl. hoc ann.

Entius a Bononiensibus captus.

b Monac. Pad. chro. l. 2. hoc an.

c Pet. de Vin. M. S. Vallicell. bibl.

Fridericus sacro igne torquetur

d Par. hist. Angl. hoc ann.

e Apud anonym. auct. vit. Greg. IX.

13 At non in filijs modo, verum in seipso diuinas iras expertus: morbo enim, d qui lupus ac sacer ignis dicitur, vexari cœpit, vt viuus arderet, qui tot sacerdotes flammis inieceerat e. Atque ad malorum cumulum in fidissimorum suspicionem, tanquam sibi insidias instruerent, venit: accusatum enim proditionis Petrum e Vineis, huius seculi Achitophelem, magnæ virum scientiæ & eloquentiæ, sed scelestissimæ conscientiæ, oculis orbauit f. Tradunt nonnulli a crimine huiusmodi purum extitisse, sed ab æmulis eius auctoritatis & gloriæ in inuidiam adductum. Scribit vero Parisius præmonitum Fridericum sibi a Petri medico venenum propinatum iri, iussisse vt partem pharmaci ebiberet; cumque mox, quasi offenderet simulante, maximam potionis partem effudisse; reliquam sontibus aliquibus e carcere eductis faciendi periculi causa porrectam & ipsos ea extinctos esse; conuictumque ita medicum laqueo præfocatum: Petrum vero e Vineis oculis orbatum vitæ reseruatum, vt crudelius periret: ac postquam in ostentum calamitatis per Italiam circumductus esset, Pisanis, qui odio maximo in eum ardebant, occidendus traderetur: eoque accepto Petrum ex desperatione in rabiem efferatum, dum columnæ alligatus esset, illi caput allisisse. Ita perijt infelix, qui eloquentiam suam in Romanos Pontifices exacuerat, ac iustas ab eo pœnas accepit, quem assentationibus suis corruperat; vt plane in eum factum illud prouerbiorum cadat a: *Qui affligit patrem, & fugat matrem, ignominiosus est, & infelix.* Et rursus: *Qui b maledicit patri suo & matri, extinguetur lucerna eius in medijs tenebris.* Fuit is Italus genere, Capua oriundus, cuius ingenij monumenta hactenus superfuerunt.

Petrus e Vineis ob porrecti veneni suspicionem oculis orbatus.

f Par. vbi sup.

Inimicis infensissimus traditur.

Ex desperatione in rabiem actus sibi mortem infert.

Diuina in eum vltio

a Prouer. c. 19.

b Ib. c. 20.

14 Coniecit etiam Fridericum in maximos metus, atque anxietates Capochius c ab Innocentio legati dignitate auctus, atque in Apuliam missus, vt aduersus ipsum, Apulos commoueret. Nec ille impigrerem gessit: plures enim viros nobiles a tyranni obsequio abduxit. Poposcisse vero pacem ab Innocentio Fridericum scribit Parisius d: atque inter cæteras conditiones eam adiecisse, se totam vitam in bello contra Sarracenos gerendo in Terra sancta collocaturum, modo Henricus ipsius filius, quem cæteris præferebat, in Imperio succederet; sed eas fœderis leges Innocentium repudiasse. Ex quo auctor carpendi more suo Pontificis occasionem aucupatur: at potius probabile videtur cum versuto principe nullum fœdus iniri posse Innocentium aduertisse, qui ex ficto fœdere nouas ad opprimendam Ecclesiam vires collecturus esset.

Solicitati ad defectionem Apuli in Fridericũ consurgũt.

c Par. hist. Angl. hoc ann.

d Id. ibid.

15 Tractasse hoc anno cum Græcis orientalis Ecclesiæ cum Romana coniunctionem Innocentium; atq; Ioannem Parmensem supremum Minoritarum ordinis magistrum in orientem misisse, vt Imperatorem ac patriarcham ad id adduceret, affirmat in sui ordinis accuratis annalibus P. Lucas Vvadingus e: conatum etiam eodem anno Pontificem Russos ad Romanæ Ecclesiæ obsequium, a quo se subduxerant, reuocare, atque ad Danielem ipsorum ducem Albertum Arcananum olim episcopum, tunc Russiæ archiepiscopum misisse, qui ipsum ad officium alliceret: sed perfidum principem non iussis apostolicis modo paruisse, verum vt hostem Ecclesiæ legatum illiberaliter acceptum a se amandasse.

Pontificis in schismaticis ad Ecclesiæ obsequiũ reuocãdis studium.

e Vvading. annal. Min. tom. I. hoc ann.

Danielis Russorũ Regis perfidia.

16 Nec minus turpiter Nicolaus Pragensis episcopus tractatus est: scribit enim Longinus vocatum in inuidiam ab æmulis eius dignitatis apud Vvenceslaum Monoculum, ob fluxionem quæ alterum oculum corruperat ita dictum, Bohemiæ Regem; & accusatum ipsius filij coniurationis participem extitisse, atque ob id ab Rege coniectum in vincula: sed ob violatam illius dignitatem, sub interdicto totam Pragensem diœcesim luxisse, donec in libertatem vindicatus est. Traditur f etiam de eodem Rege iussum esse vxorem dimittere ob canonicum impedimentũ, quo illã quarto consanguinitatis gradu attingebat: illum vero cum a Pontifice retinendæ illius potestatem etiam susceptis ex ipsa liberis obtinere non potuisset, Vngariæ Regis sororem duxisse: præterea ecclesias, quas oppresserat, pristinæ libertati asseruisse, sanxisseque, vt electiones præsulum a Pontifice confirmarentur notat Baronius.

Pragensis ep. initæ cum Rege Bohem filio coniurationis accusatus misso carceri traditus. Libertati restituitur

f Baron. in notis M. S. ex lib. prouil. Rã Ecc

Regis Bohemię matrimoniũ ob consãguinitatis vitium dissolutum. Ecclesiæ in Bohemia pristinæ libertati restituitur

IESV CHRISTI

Annus 1250.

INNOCENTII PP. IV. annus 8. | FRIDERICI II. IMP. 31. BALDVINI II. IMP. 22.

Præfectus Cayri defectionem a Sarracenis molitur. *a Par. hist. Angl. hoc ann.*

1 SVccubuit sub potentia Sarracenica Christiana res anno Redemptoris millesimo ducentesimo quinquagesimo indictione octaua; atque iam ante acti de Ægyptijs triumphi in luctum conuersi sunt. Quomodo vero clades acciderit, prosequamur. Præfectus a vrbis, cui Cayri nomen est, vindicta in soldanum exæstuans, ob ipsius fratrem ignominiosæ neci traditum, qui adeo facile commissum suæ fidei Pelusium expugnari esset passus, Templarios nonnullos equites e carcere eductos ad Galliarum Regem pergere iussit, atque vrgere, vt cum victrici exercitu Cayrum contenderet, se maxima suscipiendæ Christianæ religionis cupiditate ardere, vrbemque totius Ægypti principem rerum omnium copia circumfluentem illi traditurum. Ea spe ducti Christiani soldano pacem exposcenti, & Hierosolymam, ac Terræ sanctæ loca Christianis erepta restituere pollicenti, modo sibi Pelusium redderetur, inducias fœdusue cum eo pascisci recusarunt b: confectisque in itinere versus Cayrum feliciter prælijs, quæ anno superiori enarrauimus, Robertus c Atrebatensis comes S. Ludouici Regis frater successu prospero elatus, cum Sarracenos aduersam fluminis ripam obsidentes in fugam versos intueretur, effusis habenis fugientes in Massoram vrbem barbaros est insecutus; nulloque ordine permixti fugientibus Christiani ingressi sunt. Tum barbari cum Christianos numero sibi impares, secunda enim & tertia acies nondum flumen traiecerant; tum non instructo & composito agmine progredi cernerent, inter primam enim quæ Templariorum erat, & secundam aciē orta erat de prima in hostem facienda impressione honoris contentio; collectis animis excitisque nouis auxilijs resistere Christianis cœperunt, lapidibus e tectis obruere, eijcere ex vrbe, ac demum magnam illorum stragem edere; Atrebatensis comes S. Ludouici frater, siue in Massora, vt Nangius scribit d, siue flumine, dum equi fortitudine fretus illud tranare præsideret, absorptus, vt Parisius e tradit. Occubuit etiā Vvillelmus e longa Spatha regio Anglorum sanguine natus, de quo nobis inferius sermo erit, cum de matris illius constantia agemus. Quamuis vero plures e nostris cæsi essent, longe tamen maiori numero Sarraceni obtruncati fuerunt, & castris machinisque barbarorum Christianos potitos auctor vitæ S. Ludouici narrat his verbis. f

Respuunt Christiani amplissimas pacis conditiones a sultano oblatas. *b Id ibid.* *c Ionuill. in hist. S. Lud. 2. par.* *Fluuium superat. Robertus Atrebat. comes hostes fundit.* *Fugientes imprudenter insecutus in Massoram irrumpit.* *Vna cum alijs.* *d Nang. in gestis S. Lud.* *e Par. vbi sup.*

f Apud Sur. to. 4. die 25 aug.

2 *Tandem nostris eo die victoria cessit. Proxima luce, iubente Rege, plures e Christianis flumen transgressi Sarracenorum euerterunt machinas, & pontes nauales instituerunt, vt possent nostri facile fluuium transire.* Meminit huius pugnæ Ionuillæus g in qua Carolum Andegauensem comitem egregia belli facinora explicuisse ait: ac de cæsis sex equitibus suis rem non prætermittendam narrat. Defuncto enim in prima Massoræ oppugnatione Hugone Landricurtio, qui sub illius signis meritus erat, dum sacra pro illius animæ expiandis criminibus peragerentur, sex equites immodeste admodum se gessisse: quorum insolentiā cum grauibus verbis perstringeret, ipsos elato cachinno adiecisse, de Hugonis vidua in matrimonium collocanda inter se conferre: cæterum quantum ea immodestia æterno numini ingrata esset, sequenti die patuisse, quo ij sex equites in acie occubuere, demumque ipsorum vxores alijs viris nupsisse.

g Ionuill. in hist. S. Lud.

3 Vt vero post confecta feliciter illa duo prælia ingrauescente fame Christianorum res pessum ierint, describit vitæ S. Ludouici auctor a: *Post dies aliquot in castra eorum venit sultani Aegyptij filius: iam enim pater eius obierat. Quæ res auxit animos Sarracenorum. At Christianorum res occulto Dei omnipotentis iudicio deteriores reddebantur, multis eorum morbo absumptis, ita vt ex triginta duobus millibus vix millia sex superessent.* At irrepsisse in numerum militum error videtur: cum S. Ludouici chronicon vetus longe maiorem collocet: *Magna enim commeatus penuria laborabant: nec pauci fame & inedia periere; Sarracenis itinera obsidentibus, ne posset a Damiata commeatus aduehi in castra Regis. Ea res coegit eos Damiatam repetere.* De interceptis egregia Ægyptiorum arte bellica nostrorum commeatibus refert Ionuillæus b ipsos nonnullas triremes probe instructas in fluminis regionem, quæ Pelusium inter & Massoram excurrit, induxisse; nostrorumque naniculas ignaras periculi cepisse: grassatam pariter epidemiam tum ex graui paludum expiratione, tum ob cadauerum, quæ secundo flumine delata ad pontem hæserunt, infectione, adeo vt ægrorum lamentis & vlulatibus castra personarent.

a Anony. auct. vit. S. Lud. p. 2. *b Ionuill. vbi sup.*

4 Debilitato itaque adeo exercitu ex popularibus morbis atque ex ea annonę difficultate, Rex cum suis deliberato consilio, Massoræ obsidionem soluere redireque Pelusium decreuit; cum iam exercitus magna ex parte aut fame morbisue confectus esset, viribusque adeo debilitatus, vt ingruentis barbari, qui totam Ægyptum secum trahebat, impetus sustinere posse diffideret. Pars ergo exercitus vnā cum ægrotis, nauibus imposita, vt secundo flumine delaberetur; quorum plures in piratarum potestatem ceciderunt, atque ex ijs maxime ægrotorum multitudo, post atrox prælium, igne Græco ab Sarracenis iniecto funestissime conflagrarunt. Alij terrestri itinere composito agmine redibant, cum barbari nostros insecuti in extremam aciem, quæ ob præcipitem recessum pontes, vt erat iussa, non diffregerat, impetum fecerunt; ac permittente ita numine maximam Christiani sanguinis stragem edidere: cæteri vinculis mancipati, adeo vt nullus ex ea clade saluus euaserit: Rex vnā cum fratribus Carolo Andegauensi, & Alphonso Pictauiensi comitibus capti. Illius cladis causam in nefarij præconis, Marcelli nomine, proditionem refert Ionuillæus c. Cum enim fracta nostrorum extrema acie, secunda fortissime cum hoste dimicaret, ancipite adhuc victoria, scelestus vir ad singulos ordines inclamare cœpit, vt protinus deditionem facerent, si Regem saluum vellent, hostium enim gladijs, si resisterent diutius, concisum iri: eneruatosque mox omnium animos arma posuisse. Potuerat S. Rex fuga saluti suæ consulere, cum parata esset nauis ac plures ipsum vrgerent precibus, vt abiret, saluo enim ipso & incolumi afflictas Christianorum res restitutum iri: sed constantissime renuit suos vnquam deserturum: stare fixum animo eandem cum ipsis aleam subiturum. additque hæc Nangius, quæ miram illius in aduersis constantiam commendant: *In illo instanti, cum videret Rex Christianissimus horam diei nonam declinare ad vesperam, petijt a quodam suo capellano iuxta se stante breuiarium, vt hora quæ præterierat, laudes Domino decantaret; magis enim erat solicitus deuotus Rex, quomodo creatori suo seruitium impenderet, quam fugæ & euasionis præsidium prepararet.*

Ingentia contrahūt auxilia. *Fugam meditatur Christianus exercitus.* *Aegri nauibus impositi Græco igne exusti a barbaris.* *Extremā nostrorū agmen pōtem non abrumpit.* *c Ionuill. hist. S. Lud. par. 2.* *Sarraceni insecuti Christianos delēt.* *S. Lud. vna cum alijs capitur.* *Eius constantia in aduersis.*

5 Reportata de Christianis victoria, quæ die v. aprilis contigit; inflati animis Sarraceni crudelitatem, quam ira furorque accenderant, exercuere. Nec in viuos modo, sed in mortuos etiam sæuiere: quorum corpora, brachijs cruribusque amputatis, præmia ipsis soldano proponente, deformarunt. Et quasi de Christo Domino triumphassent, ipsius pendentis e cruce imaginem in religionis nostræ opprobrium

Sarracenorum crudelitas & impietas.

brium

brium inspectantibus Christianis, flagris ceciderunt, fœdarunt sputis, lacerarunt manibus, pedibus conculcarunt; vt iam heretici æui nostri, qui similia flagitia perpetrant, habuisse olim Mahumetanos, quorum exempla imitarentur, gloriari possint. Mollinit tamen crudelem barbari animum diuinum numen, vt S. Regem liberaliter tractaret: qui cum ea morbi contagione, quæ exercitum conflictarat perdideratque, laboraret; adeo vt modica illius vitæ spes, eludente medicorum nostrorum industriam mali pertinacia, superesset; medicorum suorum opera, qui in curandis simillimis morbis longe peritiores erant, pristinæ valetudini est restitutus, vt diuinæ prouidentiæ consilia in aduersis etiam suspicienda sint, quod Gaufridus e Belloloco iustis ponderibus librat [a]: *Aduertendum quod si captus fuit a Sarracenis, non est multum admirandum: sed est diuino miraculo & ipsius potentiæ, necnon sancti Regis meritis adscribendum, quod ita de facili & satis pro modico pretio contra spem fere omnem ipse & fratres sui, & exercitus Christianus fuerint satis incolumes & sani de impiorum manibus liberati. Denique non silendum est, quod quando ipse Rex captus fuit, grauiter ægrotabat illa mortifera & generali infirmitate, qua maxima pars exercitus illis diebus est defuncta; ita quod de vita ipsius in dicum sperabatur. Sed eo capto, prouidente ipso, qui diligentibus se omnia cooperari facit in bonum, soldanus per medicos suos, qui melius quam nostri nouerant artem curationis infirmitatis huius, fecit eum custodiri diligentius & sanari; & omnia necessaria quæcumque Rex petijsset, abundanter & curialiter ministrari; ita quod de ipso, atque de suis potuit vere dici: Et dedit [b] eos in misericordias, in conspectu omnium qui ceperant eos.*

Diuina prouidentia in curando S. Rege ægro Saracenorum opera.

a Gaufrid. de Bello lo in vita S. Lud. c. 25.

A soldani medicis a morbo an captus curatur.

b Ps. 105.

6 Ad recuperandum sane Pelusium barbari graues illi initio minas incusserunt: quanta vero constantia animi barbaricos terrores exceperit, atque improba pro ipso redimendo postulata repulerit, describit Guillelmus Carnotensis [c]: *Quam prudenter, quam fideliter, quam constanter se gessit in omnibus erga ipsos Sarracenos importune & improbe ipsum aggredientes, & impugnantes exactionibus atque minis, non est mea facultatis euoluere: licet fere semper præsens affuerim ei vbique. Hoc tamen possum veraciter asserere, quod in omnibus factis honestissime se habuit, prudentissime in responsis, in tractandis fidelissime, & cautissime securissimeque in negandis. In omnibus quidem appressionibus constantissimus erat semper; ipsis etiam maioribus coram mirantibus admiratis, & dicentibus ipsi Regi ad importabiles exactiones eorum inflexibiliter se habenti: De hoc supra modum miramur, quod vos, quem prisonem nostrum & sclauum reputabamus, talem in vinculis inuenimus, & tales etiam nos reputatis, ac si nos in carcere teneretis. Nequaquam enim consensisset eis reddere Damiatam, si eam potuissent retinere tunc temporis Christiani: prius enim dixe miserat, & sibi relatum inde fuerat, quod si obsiderent eam Sarraceni, non poterant contra tanti robur exercitus tunc defendi. Sed nec propter duras eorum oppositiones & comminationes aliquantulum flecti potuit, vel induci, vt aliquid promitteret, concederet, aut iuraret, quod in aliquod Christianitatis detrimentum cederet aut sua cõstantia læsionem. Mirantibus cunctis qui aderant, magnatibus etiam Christianis qualiter tam securus, tam imperterritus erat; cum ipsi non modicum terrerentur. Ipse quidem tanquam vir iustus in Domino confidebat, & ideo non timebat iuxta illud sapientis: Iustus quasi leo confidens absque terrore erit.*

c Guill. Carnot de vit. & mirac. S. Lud.

Admiranda illius magnanimitas.

7 Cum labefactare exaggeratam illius constantiam, nec ad imperandam Pelusij deditionem minis adducere possent, e barbaris versutissimum arte facile Pelusium, reluctante etiam ipso Rege, recuperatum iri cæteris persuasisse refert Parisius [d]. Monuit itaque socios militari vtendum ingenio, induendas Gallorum vestes, explicanda ipsorum signa, atque ita instructis Gallico more agminibus Pelusij ingressum tentandum, opprimendumque. Parum abfuit quin ars barbarica succederet, quod etiam [illegible] Cornubiæ comitis sigilli præfecti confirmant literæ [a]. Sed cum excubiæ ipsos venientes conspicatæ præsidio signum dedissent, aduertere Christiani ipsos nimis clypeos barbarico more rotare: cumque accessissent propius, ex promissa eorum barba, vultibusque ferinis ac partim ænei & atri coloris fraudem subesse cognouerunt. Conclamatum itaque ad arma, atque a mœnibus hostis propulsatus. Mox tota vrbe terror luctus atque vlulatus se diffuderunt, profligatum enim & cæsum Christianorum exercitum sibi finxere, cum suorũ vestibus indutos barbaros ac signis superbire intuerentur. Præerat vrbis custodiæ Burgundiæ dux, atque in ea Regina Margareta [b] cum alijs fœminis principibus versabatur: quæ cum vterum gestaret, tristi accepto nuntio partum edidit, cui Ioannis Tristanni nomen inditum est. Sed S. Regem in Ægyptiaco carcere, velut alterum Iosephum, in diuinis laudibus celebrandis occupatum inuisamus. Hæc enim de ipso Guillelmus Carnotensis testis oculatus scribit. [c]

d Par. hist. Ang. hoc an.

a Ext apud Par. hist. Angl. hoc an.

Repelluntur a Christianis.

b Ioinuill. vbi sup.

Regina Margareta audito capti viri nuncio abortum facit. Filio Ioannis Tristani nomen impositũ.

8 *Non est omnino tegendum silentio, quod cum captus fuisset ab hostibus in Ægypto, quandiu detentus est in carcere, nunquam a solita deuotione, & diuina laude cessauit. Nam quantumcumque in illo grauis ergastula carceris arctaretur, diuinum tamen officium, secundum morem Parisiensis ecclesiæ, matutinas scilicet, & horas canonicas tam de die, quam de B. Virgine; et totum officium missæ, absque sacramenti consecratione assidue cum vno presbytero fratre Prædicatore, qui sciebat Arabicum, me adiuncto sibi illic temporis clerico suo, ipsis etiam Sarracenis custodibus eius audientibus; iugiter exsoluebat deuoto corde & ore, horis competentibus, habens ibi breuiarium capellæ suæ, quod ei Sarraceni post captionem suam pro xenia præsentauerunt, & missale.* Hæc Guillelmus, qui cum S. Ludouici clericum se tunc extitisse dicat, prætereundum non arbitror, quod ipse de se scribit, sanctum Regem spiritu prophetico afflatum adhuc agenti in seculo, religiosæ vitæ, remisso rebus humanis nuntio, se addictum prædixisse: *Hoc fideliter possum asserere, quod accidit de me ipso*, auctoris verba sunt. *Cum semel nobis duobus, videlicet fratri Gaufrido bonæ memoriæ, & mihi tunc existenti in seculo, eius vnam pinguem thesaurariam contulerat Rex de nouo, de hoc familiariter loqueretur, præter alia sermonem ad fratrem illum de me ipso conuertens: Hic, ait, dominus Guillelmus ludet modo de sua ista thesauraria per quinque annos, vel sex, & post religionem intrabit. Hoc autem tunc, sicut non proposueram, non consensi; sed quod prædixit verissime rei exitus comprobauit. Nam post quintum & dimidium annum completum ordinem fratrum Prædicatorum, in quo sum per gratiam, licet indignus, intraui, sicut in spiritu præuiderat ac prædixerat Rex deuotus: nec tunc recordabar verbi quod dixerat, sed postmodum occurrit mihi memoria quod audiui.* Hactenus Guillelmus: verum ab ipso ad institutam, a qua digressi sumus, orationem recurramus.

c Guill. de vita & mirac. S. Lud.

Singularis illius in angustijs carceris pietas.

Prædicit Guillelmo Carnot. post plures annos religionem ingressurum.

9 Tentato frustra Pelusio, barbarus, qui grauiori sollicitudine æstuabat, ne ex ea arce, quæ Ægypti ostium erat, toti regno bellum inferretur a Christianis, qui subsidio venturi essent; tractare de recipiendo Pelusio, & ineundis inducijs agitare cœpit, de quibus hæc vitæ S. Ludouici scriptor [d]: *Egit apud Regem sultanus minacibus verbis de pacis seu de inducijs, de restituenda Damiata, de præstandis damnis, sarciendisque sumptibus, quos fecisset ipse a capta Damiata. Tandem initæ sunt induciæ decennales his conditionibus: vt sultanus Regem Ludouicum & captiuos Christianos omnes e suis ditionibus liberos a se dimittat:*

Tractatur de pace cum Saracenis.

d Anony. vit. S. Lud. auctor apud Sur. to. 4. die 25 aug.

De eo redimendo agitur.

vt

vt Christiani retineant loca aliquot Terræ sanctæ: porro Rex Ludouicus restituat Damiatam, & pro factis in illud bellum impensis octo millia byzantiorum; reddatque captiuos Sarracenos omnes. Quod de octo millibus byzantiorum auri scribit auctor; mendum irrepsit, atque octingenta reponenda sunt. Scribit enim Ionuillæus [a] sultanum pro restituendis libertati Christianis decies centena millia petijsse, consensisseque S. Ludouicum pro suis tantum auri refusum iri; pro se vero liberando, cum pecunia æstimandus non esset, Pelusium Ægyptijs redditum iri: eaque agendi sinceritate raptum in admirationem sultanum, ducenta millia aureorum e summa remisisse. Pergit auctor.

a Ionuill. hist. S. Lud. par. 2.

Quibus legibus ineunda cõcordia.

10 *His confectis inducijs sultanus, dum eum exercitu proficiscitur, a quibusdam e suis frustatim gladijs conciditur.* Coniurasse in sultanum præfectos Aegyptios ob erepta sibi dignitatum insignia, quæ in alios contulerat, quos ex oriente adduxerat, refert Ionuillæus [b]: tum metu incitatos, ne Pelusio potitus, ipsos partæ in capiendo Francorum Rege gloriæ inuidia stimulatus lenta morte in carceribus conficeret, vt ipsius auus eo prænij genere vsus erat erga præfectum exercitus atque alios duces, qui Barensem & Montisfortis comites profligarant. Addit idem auctor nonnullos Aegyptios iactasse cruentas ideo sultano manus intulisse, cum Francorum Regem obtento Pelusio trucidaturus esset: res vero tota arcanis potius diuinæ prouidentiæ indicijs ascribenda, vt etiã Guillelmus perpendit his verbis [c]: *Hoc insuper maximum gratiæ & virtutis indicium ostendit in eo præcipue Rex virtutum, quod cum post initas & concessas treugas inter soldanum & Regem conuentiones habitas & firmatas, deliberationis nostrorum, quadam die dominica in sero præsente patriarcha Hierosolymitano bonæ memoriæ Roberto, quem de Damiata Rex venire fecerat pro consilio habendo, cum multis alijs magnatibus Christianis; in crastino mane maiores admirati Babyloniorum confœderati ad inuicem soldanum suum sedentem ad prandium per quosdam familiares suos fecissent interfici, & sicut canem mortuum, & fœtidum proijci super terram; statim eiectis custodibus, qui Regem & suos seruabant, & iam ipsis absque custodia existentibus, & nihil aliud expectantibus nisi gladium seu mortem; intrauerunt subito quidam de interfectoribus cum quibusdam de maioribus admiratis, & principalibus actoribus huius necis quasi leones vel vrsi rabidi, truculentis animis, & cruentis manibus, adhuc etiam de tam noua nece fumantibus, & de recenter effuso sanguine, brachijs erectis. Qui statim ad aspectum gloriosi Regis omni pristina feritate deposita, quasi agni mansueti vultibus, ac demissis ad terram capitibus, ac manibus adorantes, & eum salutantes dixerunt: Ne timeatis domine sed securi sitis. Nec de facto isto multum vos conuenit admirari: sic enim fieri oportebat. Faciatis quod vestrum est celeriter iuxta conuentiones habitas, & cito eritis liberati.*

Sultanus a suis necatur. Quæ caussa ipsos impulerit ad id facinus.

b Ionuill. in hist. S. Lud. p. 2.

c Guill. Carnot. de vit. et mir. S. Lud.

Diuinæ vltionis exẽplum.

11 Adiungit superioribus Ionuillæus [d], cæso soldano, Aegyptios ante Ludouici tentorium festos tubarum clangores edidisse; ac S. Regi præfectos Aegyptios diu inter se de salutando ipso Babyloniæ Rege contulisse insinnarum, parumque abfuisse vt sceptrum Babylonicum illi non traderent: eaque tantum de causa ab eo consilio reuocatos, quod omnium, quos vnquam vidissent, Christianorum fidei ac religioni addictissimum suspicerent: quoties enim e tentorio discederet, crucem flexis genibus inducere & crucis signo totum corpus munire. Addit auctor Regem ab ipso aliquando sciscitatum, num putaret admittendum ab ipso sceptrum Babylonicum, si illud ipsi transfudissent, seque negante cum adeo immanitate efferati essent, vt paulo ante Regem suum trucidassent, adiecisse non tamen a se repudiatum iri. Propagandæ enim fidei Christianæ cupidissimus sanctus Rex omnium periculorum terrores, modo diuinam augeret gloriam, protriuisset. Vt vero singulari prouidentia ex truculentissimis hostibus liberatus sit, ex Guillelmo supra laudato excipiamus: *Post diem tertium*, nimirum a sultano cæso, *facta est liberatio Regis & suorum magnatum valde celebris & solemnis, Domino exercituum sic mirabiliter ordinante: vt qui paulo ante dominum suum infidelem soldanum tam pomposum, & in superbiam de nostra subiectione elatum, tam viliter interfecerant, & proiecerant tanquam putridum & immundum; captiuum Regem, & humilem, suum aduersarium, & Christi fidelem, tam honorabiliter redderent liberatum omnino. Sic enim per sapientem prædictum fuerat: Iustus de angustia liberatus est, & traditur impius pro eo.*

d Ionuill. vbi sup.

Deliberãt Aegyptij de salutando ipso Babyloniæ & Aegypti Rege.

Ob ipsius summam religionẽ deterriti.

Diuina in victore cæso victoq; liberando prouidentia.

12 Non defuere, vt refert Ionuillæus [a], nonnulli infidi, qui obtento Pelusio (quod postea solo æquasse aiunt, ne amplius bellorum causa esset) de occidendo Rege & cæteris Christianis agitarent. Inter quos vir scelestus producto alcorano legebat dominum vt pupillam oculi obseruandum, hostem vero Mahumeticæ religionis necandum atq; inferebat admissam in occiso sultano sceleris labem Christianorum Regis sanguine eluendam: sed demum, æterno numine suorum miserente, deliberatum e pactorum legibus Christianos libertati restituendos. quæ porro sint secuta, vitæ S. Ludouici auctor exponit. [b]

a Ionuill. vbi sup.

Ad certum diem Damiata illis redditur; Rex & fratres eius & nobiles Franciæ, ditionis Hierosolymitanæ, & Cypri e carcere demittuntur. Sperabat tamen pius Rex fore vt etiam reliqui captiui, vti conuentum erat, a Sarracenis dimitterentur: sed cum diu expectasset, ex duodecim millibus ægre quadringentos recepit, impijs illis Sarracenis fidem iureiurando firmatam violantibus: qui etiam de cæteris nihil voluere remittere. Et quod est longe immanius, egregios quosdam iuuenes Christianos e captiuis illis coegerunt impurissimi Mahometis profiteri sectam, Christiana religione abiurata. Imposuerant enim nudos enses ceruicibus eorum, & si qui nollent eis consentire, illos iugulabant. Ex ijs quidam imbecilliores a Christo ad Mahometem defecerunt: alij coronas martyrij contempta morte, reportarunt. Eadem Nangius. [c]

b Anony. S. Lud. auct. apud Sur. to. 4. die 25. aug.

c Nang. de gest. S. Lud.

13 Cum Sarracenos datam fidem infringere sanctus Rex cerneret, agitato cum suis consilio deliberanit quid sibi agendum videretur: si enim discederet, maximi periculi metus impendebat, ne Christianos Terræ sanctæ auxilio omni destitutos Sarraceni inuaderent, perderentque; si remaneret, spes non exigua rei bene gerendæ affulgebat, cum inter Aegyptios & Halapianum sultanum maxima discordia exorta esset: quare demum remanere decreuit [d], ac fratres suos Alphonsum, & Carolum ad leuandum Reginæ matris dolorem in Gallias dimittere: qui ventis vsi felicibus in patriam peruenere. Agunt de ijs Ionuillæus [e] S. Ludouici in ea expeditione socius, Gaufridus de Bello loco [f], qui sancto Regi a confessionibus erat, Guillelmus Nangius [g], Bernardus [h], qui Nangij dicta delibauit, Iordanus [i], Albertus Stadẽsis [l] monachus Parauinus [m], Mattheus Parisius [n], Ioannes Villanius [o], Guillelmus de Podio Laurentij [p], & alij veteres ac recentiores. Ijs consentiunt S. Ludouici literæ [q], quas ad superiora confirmanda, tum ob rerum, quas continent dignitatem, atque in penetrandis periculis, ac subeundis pro Christo laboribus illustrandam constantiam, adducendas censuimus.

Deliberat S. Lud. in Syria consistere. Alphonsũ & Carolũ fratres in Gallias trãsmittit.

d Apud Ionuill. vbi sup. Anonym. auct. vit. S. Lud. Nang. vbi sup.

e Ionuill. in vit. S. Lud.

f Gaufrid. de Bello loco in vita S. Lud.

g Nang. de gest. Lud. R. S.

h Ber. chr. Reg. Frãc.

i Iord. M. S. Vatic. signat. nu. 1960.

l Stad. in chron. hoc anno.

m Monac. Pad. in chr. l. 2.

n Par. hist. Angl. hoc anno.

o Io. Vill. l. 6. c. 37.

p Guil. de Podio Laur. chr. c. 49.

q Ext. in notis Ionuill. adiectis.

Ludouicus Dei gratia Francorum Rex dilectis, & fidelibus suis prælatis, baronibus, militibus, ciuibus, burgensibus suis, & alijs vniuersis in regno Franciæ consistentibus, ad quos præsentes literæ peruenerint, salutem.

Ad

Ad decus, & gloriam diuini nominis Crucis prosequi cupientes negotium, totis affectibus vniuersitati vestræ duximus intimandum, quod post captionem Damiatæ, quam dominus Iesus Christus per ineffabilem suam misericordiam, quasi miraculose præter vires humanas Christianæ tradiderat potestati, sicut vos credimus non latere, deliberato communi consilio, de Damiata recessimus, vicesima die mensis nouembris proximo præteriti; congregato tam nauali exercitu, quam terrestri, procedentes aduersus Sarracenorum exercitum congregatum, & castrametatum in loco, qui vulgariter Massora appellatur. In ipso quidem itinere fuimus aliquos Sarracenorum insultus, in quibus assidue detrimentum suorum non modicum receperunt; quadam die nonnullis eorum, qui de exercitu Aegyptiorum nostris occurrerant, interfectis. Intelleximus autem in ipso itinere, Soldanum Babyloniæ de nouo vitam miseram finisse: qui, sicut publice dicebatur, miserat ad filium suum morantem in partibus orientis, vt in Aegyptum veniret; & eidem a cunctis sui exercitus maioribus fidelitatis fieri fecerat iuramenta; relicta totius suæ terræ exercitus custodia cuidam admirato suo, nomine Farchardino. Hæc quidem in accessu nostro ad locum prædictum inuenimus vera esse.

14 Accedentes igitur ad locum prædictum die martis ante festum natiuitatis Dominicæ, in primis accessum habere nequiuimus ad Sarracenos eosdem, propter quendam fluuium inter vtrumque exercitum defluentem, qui fluuius Thaneos dicitur; & in loco illo a magno flumine deriuatur. Inter vtrumque fluuium posuimus castra nostra protendentia a maiori flumio ad minorem: vbi aliquanto conflictu habito cum Sarracenis, multi ceciderunt ex ipsis, nostrorum gladijs interfecti; maxima insuper eorum multitudine submersa in aquis validis & profundis. Sane quia memoratus fluuius Thaneos non erat vadabilis, propter profunditatem aquarum, & riparum altitudinem, cœpimus facere super eum calciatam, vt per eam pateret transitus exercitui Christiano, ad hoc multis diebus cum immensis laboribus, periculis, & sumptibus insistentes. Sarraceni autem e contra totis resistentes conatibus, machinis nostris, quas ereximus ibidem, machinas opposuerunt quamplures, quibus castella nostra lignea, quæ super passum collocari feceramus eundem, conquassata lapidibus, & confracta, combusserunt totaliter igne Græco. Quo facto fere omni spe, & expectatione frustrata per calciatam illam taliter transeundi, tandem per quendam Sarracenum venientem ab Ægyptiorum exercitu, datum fuit nobis intelligi locum esse vadabilem aliquantulum inferius, quo poterat exercitus Christianus fluuium transmeare. Inde communicato consilio baronum, & aliorum maiorum de exercitu, die lunæ ante cineres, fuit concorditer ordinatum, quod in crastino, die videlicet carnispriuij, summo mane conueniremus ad locum prædictum, fluuium transituri, quadam parte exercitus ad castrorum custodiam ordinata. Die itaque crastina, ordinatis aciebus, venientes ad locum, transiuimus fluuium, non tamen sine graui periculo. Nam profundior & periculosior erat locus, quam nobis fuerat intimatum: ita quod ibi oportuit natare equos nostros, & propter altas & lutosas ripas periculosus erat exitus fluminis antedicti.

15 Transacto itaque flumine, ventum est ad locum, vbi erant Sarracenorum machinæ, iuxta calciatam prædictam: & habito cum Sarracenis aggressu, nostri, qui præcedebant, multos ex ipsis trucidarunt gladijs, non parcentes sexui vel ætati. Inter quos capitaneum eorundem, & quosdam alios admiratos interfecerunt ibidem. Deinde vero dispositis aciebus nostris, quidam nostrorum per castra hostium discurrentes venerunt vsque ad villam, quæ Massora dicitur; quotquot hostium occurrebant, gladijs occidentes. Sed tandem Sarraceni, cognito eorum inconsulto processu, resumptis viribus irruentes in eos, & circumuallantes vndique, oppresserunt eosdem. Et vbi facta est nostrorum strages non modica baronum, & militum, tam religiosorum, quam aliorum, de qua non immerito doluimus quamplurimum, & dolemus. Ibi etiam illum præcordialem & præclarum fratrem nostrum, recolendæ memoriæ, Atrebatensem comitem, temporaliter amisimus: quod cum cordis amaritudine recolimus, & dolore: licet de ipso gaudendum sit potius, quam dolendum; quoniam pro certo credimus & speramus, eum corona martyrij ad cælestem euolasse patriam, & ibi cum SS. martyribus perenniter congaudere.

16 Itaque die illa, Sarracenis super nos irruentibus vndique, ac imbrem emittentibus sagittarum, graues insultus sustinuimus eorundem vsque circiter horam nonam, deficiente nobis omnino balistarum subsidio: & tandem multis ibidem vulneratis ex nostris, & equis nostris pro maiori parte diuersis sauciatis vulneribus, aut occisis, Domino auxiliante, campum retinuimus, nostrorum viribus recollectis: & ibi, iuxta Sarracenorum machinas, quas acquisiuimus, eadem die castra nostra posuimus, vbi cum paucis moram fecimus die illo; facto ibi ponte de lignis, per quem possent illi ad nos, qui erant vltra fluuium transmeare. In crastino vero plures e nostris, de mandato nostro fluuium transeuntes, castrametati sunt iuxta nos: & tunc destructis Sarracenorum machinis, licias fecimus ad pontes nauales, per quos nostri de vno exercitu ad alium transire libere poterant, & secure. Sequenti autem die veneris, filij perditionis, congregatis ex omni parte viribus suis, Christianum exercitum omnino perdere intendentes, in fortitudine maxima, & in multitudine infinita conuenerũt ad licias nostras; ex omni parte exercitus tantos, tamq; terribiles facientes insultus, quantos, sicut a pluribus dicebatur, in eis nostris partibus nunquam viderant facere Sarracenos. Quibus tamen, diuina præualente potentia, ordinata ex omni parte exercitus nostrorum copia restitimus, & impetus repulimus eorundem, maxima eorum multitudine nostrorum gladijs incumbente.

17 Postmodum autem elapsis aliquot diebus aduentauit apud Massoram soldani filius, veniens de partibus orientis: in cuius aduentu tympanizantes & lætantes Aegyptij, receperunt eum ad dominum: & ex hoc augmentata est eorum non modicum fortitudo. Vnde apud nos postmodum, nescimus quo Dei iudicio, omnia nostris desiderijs in contrarium successerunt; inolente diuersarum ægritudinum peste, & mortalitatis etiam generalis tam in hominibus quam equis: ita quod vix erant in exercitu aliqui, qui mortuos suos non plangerent, aut ægrotantes ad mortem. Vnde pro magna parte diminutus erat exercitus Christianus & consumptus. Tantus erat defectus victualium, quod plures inedia deficiebant & fame. Non enim vasella naualia de Damiata ad exercitum transire poterant, impedientibus Sarracenorum galeis, & vasis piraticis, quæ per terram in flumine collocauerant antedicto. Sicque compluribus vasis nostris prius captis ab eis in flumine, tandem duas successiue carauanas victualia, & alia multa bona ad exercitum deferentes, cæsa marinariorum & aliorum multitudine, ceperunt, in totius exercitus detrimentum. Vnde deficiente omnino victualium, & annonæ equorum suffragio, cœperunt in exercitu deficere fere omnes, in desolationem, & terrorem non modicum incidentes.

18 His igitur arctatos incommodis, tam propter cibo-

ciborum carentiam & equorum annonæ, quam propter casus superius annotatos, ineuitabilis necessitas nos induxit a loco prædicto recedere, & ad partes Damiatæ redire, si Dominus prouidisset. Sed cum viæ hominis non sint in eo, sed potius in illo, qui quorumque gressus dirigit & disponit iuxta suæ placita voluntatis; dum essemus in itinere reuertendi, quinto scilicet die mensis aprilis, Sarraceni totis suis viribus congregatis in vnum, cum multitudine infinita aggressi sunt exercitum Christianum, & sicut accidit permissione diuina, peccatis nostris exigentibus, in manus inimicorum incidimus; nobis, & charissimis fratribus nostris A. Pictauensi, & K. Andegauensi comitibus, & cæteris, qui nobiscum reuertebantur per terram, nemine penitus euadente, captis, & carceribus mancipatis; non sine maxima strage nostrorum, & effusione non modica sanguinis Christiani: maiori parte illorum, qui reuertebantur per fluuium, similiter capta, aut gladio interfecta: vasellis naualibus vt plurimum incendio dissipatis, in quibus incendij flamma combussit ægrotantium multitudinem dolorosam.

19 Sane post captionem nostram, per dies aliquot iam dictus soldanus requiri nos fecit de treugis faciendis; petens instanter, non sine minis, & austeritate verborum, quod sublato moræ dispendio faceremus sibi restitui Damiatam cum omnibus rebus ibidem inuentis; & resarciremus omnia damna, & expensas quas fecerat vsque ad tempus illud a die qua receperant Damiatam Christiani. Tandem vero, post multos tractatus, treugas iniuimus vsque ad decennium sub hac forma, videlicet: Quod idem soldanus nos, & omnes, qui capti fuerant a Sarracenis, postquam venimus in Aegyptum, Christianos captiuos, necnon & omnes alios de quibuscunque partibus oriundos, qui capti fuerant a tempore, quo soldanus Kyemel, auus eiusdem soldani Cayni, cum Imperatore treugas inierat, de carcere liberaret, & liberos abire permitteret vbi vellent: & quod terras, quas Christiani in regno Hierosolymitano tenebant in aduentu nostro, cum omnibus pertinentijs in earum pace tenerent. Nos autem tenebamur ei reddere Damiatam & octingenta millia bisantiorum Sarracen. pro liberatione captiuorum, & damnis & expensis prædictis, de quibus iam soluimus quadringentos: & liberare omnes Sarracenos captos in Aegypto a Christianis, postquam illuc venimus; necnon & eos qui capti fuerant in regno Hierosolymitano, a tempore treugarum olim factarum inter Imperatorem & soldanum prædictum. Adiecto, quod omnia bona nostra mobilia, & omnium aliorum apud Damiatam remanentia post recessum nostrum salua forent, & sub custodia & defensione eiusdem soldani portanda ad terram Christianorum, quandocunque opportunitas haberetur. Omnes etiā Christiani infirmi, & alij, qui pro vendendis rebus suis, quas ibi habebant, in Damiata moram traherent, tuti similiter essent, recessuri per terram vel per mare, quando vellent sine impedimento vel contradictione quacunque. Et omnibus illis, qui per terram vellent recedere, tenebatur idem soldanus vsque ad terram Christianorum securum præstare conductum.

20 Vnde cum huiusmodi treugæ inter nos, & soldanum prædictum, præstitis iuramentis, hinc inde firmatæ fuissent; & iam idem soldanus esset cum suo exercitu in itinere veniendi aduersus prope Damiatam pro complendis omnibus supradictis; accidit diuino iudicio, quod quidam milites Sarraceni, non sine conniuentia, vel maioris partis exercitus, irruentes in soldanum prædictum surgentem in mane de mensa, post prandium, ipsum immaniter vulnerauerunt, & de suo tentorio exeuntem, vt posset fugæ beneficio liberari, videntibus fere omnibus admiratis, & aliorum Sarracenorum multitudine, frustatim gladijs trucidarunt. Quo perpetrato, statim multi Sarraceni armati in illo furoris calore venerunt ad nostrum tentorium, ac si vellent, vt timebatur a multis, in nos & alios Christianos desæuire: sed diuina clementia eorum furiam mitigante, super firmandis treugis præhabitis cum soldano, & ciuitatis Damiatæ liberatione festina, nos requisierunt instanter. Cum quibus, præmissis tamen ab eis verborum, & comminationum tonitruis, tandem sicut Domino placuit, qui tanquam pater misericordiarum, & pius in tribulationibus consolator, gemitus compeditorum exaudit, firmauimus cum iuramentis treugas, quas feceramus antea cum soldano, & ab omnibus & singulis eorum recepimus iuramenta, iuxta legem eorundem, super treugis nostris obseruandis, determinatis certis temporibus, infra quæ captiui liberarentur hinc inde, & Damiatæ ciuitas redderetur. In cuius redditione & tunc cum admiratis eisdem, & antea cum soldano ea de causa non sine difficultate conuenimus; quia spes nulla erat detinenda ciuitate iam dicta, sicut certissimè per illos intelleximus, qui ad nos de Damiata venerant, veritatem nullatenus ignorantes: propter quos, de consilio baronum Franciæ, & quamplurium aliorum, potius elegimus Christianitati fore consultius, nos & captiuos alios pro treugis huiusmodi liberari, quam ciuitatem taliter amittere cum residuo populi Christiani existentis in illa, * quam nos, & alios sub tantis periculis in carcere remanere. * ac

21 Die igitur statuta receperunt admirati prædicti ciuitatem eandem: qua recepta, liberauerunt nos, & fratres nostros, nec non comites Britanniæ, & Flandriæ, & Suession. & multos alios barones, milites de regno Franciæ, Hierosolymitorum, & Cypri. Et tunc spem firmam habuimus, ex quo nos liberauerunt, & alios supradictos, quod de reddendis, & liberandis omnibus alijs Christianis iuramenta sua firmiter obseruarent, secundum continentiam treugarum. His itaque peractis, a partibus Ægypti recessimus, certos nuncios dimittentes ibidem ad recipiendum captiuos a Sarracenis, & ad custodiam rerum, quas ibidem dimisimus, & quod non habebamus nauigia quæ sufficerent ad portandum. Postmodum autem, venientes in actu de rehabendis captiuis, quod multum insidet cordi nostro, solicite cogitantes, remisimus alios solemnes nuncios, & nauigia in Ægyptum, ad reducendum captiuos, & res alias quas dimiseramus ibidem: scilicet, machinas nostras, arma, tentoria, quandam quantitatem equorum, & alia multa bona. Sed admirati prædicti nuncios nostros cum instantia postulantes reddi sibi captiuos iuxta formam treugarum, & alia supradicta, detinuerunt diutius in Babylonia, sub spe reddendi omnia, quæ petebant.

22 Tandem vero post expectationem diuturnam de captiuis omnibus, quos reddere tenebantur; qui sunt, vt firmiter dicitur, numero plusquam duodecim millia inter antiquos & nouos; non liberauerunt nuncijs nostris nisi tantummodo quadringentos: de quibus pars quædam exiuit de carcere pecunia mediante. De cæteris * tantum rebus, nihil omnino reddere voluerunt. Imo, quod est detestabilius, post treugas initas, & iuratas, sicut intelleximus per nuncios nostros, & per captiuos quosdam fide dignos de illis partibus redeuntes, electos iuuenes de Christianis captiuis ducendo ad victimam tanquam oues, quantum in eis erat, compellebant apostatare a fide catholica, appositis gladijs super eorum ceruicibus, & clamare legem sceleratissimi Mahometi; quorum multi imbecilles, & fragiles exorbitauerunt a fide, legem illam detestabilem profitendo. Cæteri * tamen

vero tanquam athletæ fortiſſimi, in fide radicati, & in firmo propoſito conſtantiſſime perſiſtentes minis, vel flagellis hoſtium ſuperari nullatenus potuerunt: ſed certantes legitime, coronas martyrij receperunt ſanguine rubricatas: quorum ſanguis, vt pro certo tenemus, clamabit ad Dominum pro populo Chriſtiano, & aduocati noſtri erunt coram ſummo iudice in cæleſti curia, in cauſa quam agimus contra fidei inimicos, vtiliores nobis in illa patria quam ſi nobiſcum conuerſarentur in terris. Multos etiam Chriſtianos, qui apud Damiatam remanſerant ægrotantes, gladijs trucidarunt. Nec de liberandis captiuis Chriſtianis, nec de rerum reſtitutione noſtrarum aliquam certitudinem habebamus, quamuis plene ſeruauerimus conditiones & pacta, quæ cum eis habuerimus, & parati fuerimus obſeruare.

23 Ad hoc cum poſt treugas initas, & liberationem noſtram, firmam haberemus fiduciam, quod liberatis captiuis, terra tranſmarina, quam Chriſtiani tenebant, in ſtatu pacifico permaneret vſque ad tempus in treugis diffinitum; voluntatem & propoſitum habuimus ad partes regni Franciæ reuertendi, & iam diſponi feceram de nauigio, & alijs quæ ad noſtrum paſſagium neceſſaria videbantur: ſed aperte videntes, per ea quæ ſuperius ſunt expreſſa, quod admirati prædicti aperte contra treugas veniebant, & contra propria iuraměta, nobis & Chriſtianitati illudere non verentes, requiſiuimus conſilia baronũ Franciæ prælatorum, domorum templi, hoſpitalium S. Ioannis & S. Mariæ Theutonicorum, & baronum regni Hieroſolymitani, & communicatum quidem eſſet nobis ineuntibus huiuſmodi faciendum. quorum maior pars concorditer aſſerebat, quod ſi nos recedere contingeret his diebus, prædictam terram dimitteremus omnino in amiſſionis articulo conſtitutam, & noſter receſſus non eſſet aliud, niſi eam totaliter exponere Sarracenis: maxime cum in ſtatu tam debili, & tam miſerabili his diebus eſſet, proh dolor! conſtituta. Captiui etiam Chriſtiani, qui ab infidelibus detinentur, poſt receſſum noſtrum poterant pro perditis reputari, omni ſpe de liberatione ipſorum ſublata. Si autem contingeret nos morari, ſperabatur, quod ex mora noſtra poſſet aliquod bonum euenire, ex quo etiam liberatio captiuorum, & caſtrorum, & villarum regni Hieroſolymitani retentio, & quædam alia toti Chriſtianitati vtilia poſſent, auctore Domino, prouenire: maxime cum inter ſoldanum Halapiæ & Babyloniæ grauis diſcordia ſit exorta; qui ſoldanus congregatis ſuis exercitibus iam cepit Damaſcum, & quædam caſtra ſub dominio Babyloniæ conſtituta; proceſſurus, vt a multis aſſeritur in Ægyptum, ad vindicandam mortem interfecti ſoldani, & ad terram illam quantũ poterit occupandam.

24 His igitur conſideratis attente, prædictæ Terræ ſanctæ compatientes miſerijs, & preſſuris, qui ad eius ſubſidium veneramus, ac captiuorum noſtrorum captiuitatibus & doloribus condolentes; licet nobis diſſuaderetur a multis morari in partibus tranſmarinis, maluimus tamen adhuc differre paſſagium, & morari per tempus aliquod in regno Syriæ, quam negotium Chriſti totaliter relinquere deſperatum, & captiuos noſtros in tantis periculis conſtitutos. Chariſſimos autem fratres noſtros Alphonſum Pictauenſem, & Carolum Andegauenſem comites ad chariſſimæ dominæ ac matris noſtræ, nec non & totius regni conſolationem in Franciam duximus remittendos.

Cum igitur omnes, qui in nomine Chriſtiano cenſentur, zelum habere debeant ad negotium memoratum, & vos præcipue clerici, qui de illorum ſanguine deſcendiſtis, quos Dominus ad Terram ſanctam acquirendam tanquam populum peculiarem elegit; quam acquiſitionis titulo propriam reputare debetis, vniuerſitatem veſtram ad * illud ſeruitium inuitamus, qui nobis in cruce ſeruiuit, & pro redemptione veſtra ſanguinem proprium effundendo . . . ita quod corda veſtra noua in Chriſto Ieſu. Gens enim illa ſceleratiſſima in contumeliam Creatoris, præter blaſphemias, quas dicebant, in conſpectu populi Chriſtiani crucem flagellis cædebant, ſpuebant in eam, & deinde viliter pedibus conculcabant in opprobrium fidei Chriſtianæ. * illius

25 Eia ergo milites Chriſti, peculiaris populus Dei viri accingimini, & eſtote viri potentes ad vindicandas iniurias, & opprobria ſupradicta: actus veſtros ad anteceſſorum veſtrorum exempla reducite, qui ſpecialiter inter cæteras nationes fuerunt in fidei exaltatione deuoti, & ſinceritatis affectu dominis ſuis temporaliter obſequentes totum orbem geſtis inſignibus impleuerunt. Præceſſimus vos in obſequium Dei, venite & vos, aſſequimini nos pro Deo tandem nobiſcum, licet tardius deueneritis, recepturi Domino largiente mercedem, quam euangelicus paterfamilias primis donauit vineæ ſuæ operarijs & extremis. Inſuper præter indulgentiam generalem cruceſignatis indultam, venientes, vel competens ſubſidium tranſmittentes in noſtrorum ſubſidium, immo potius Terræ ſanctæ, dum ibi præſentes fuerimus, apud Deum & homines multum ſibi fauoris & honoris acquirent. Expedite autem negotium, vt illi quibus virtus Altiſſimi inſpirabit venire, vel mittere in ſubſidium memoratum, præparent ſe venturos, vel miſſuros in paſſagio inſtantis menſis maij, vel aprilis: ipſi autem, qui parati eſſe non poterunt ad tranſmittendum in illo paſſagio, ſaltem in ſecundo paſſagio S. Ioannis transfretare procurent in ſubſidium memoratum: acceleratione enim opus eſt, & mora diſpendioſa videtur iuxta negotij qualitatem. Vos autem prælati & alij Chriſti fideles pro nobis ac memorato negotio Terræ ſanctæ ſpecialiter orationum inſtantia interpellare velitis Altiſſimum, ac in locis vobis ſubiectis faciatis ſpecialiter exorari, vt quod noſtra peccata præpediunt, diuinæ ſuæ propitiationis annuente clementia, veſtrarum aliorumque bonorum orationum ſuffragijs valeat. * *Actum Acon, anno Domini* MCCL. *menſe auguſto.*] * obtinere

26 Cum percrebuiſſet in occidente acceptæ cladis rumor, omnia regna catholica horrore concuſſit; maxime vero Gallias, vbi matres, filios, vxores, viros, virgines, fratres, & conſanguineos vlulatibus expoſcebant: eoque prorumpebat inſanus dolor, vt nefarias voces in diuinam prouidentiam laxaret. Nec deerant viri pij, qui ſingultus hos comprimere, ac lacrymas detergere niterentur, inculcarentque cæſos in tam iuſta cauſa Chriſtianos ea potiri felicitate, vt ij luctus ipſis admodum ingrati eſſent, cum martyrum palmis decori in aſtra euolaſſent, cælumque aucto ſanctorum numero de ea clade triumpharet. Simillimis verbis repreſſum plurimorum dolorem ſcribit Pariſius [a], qui egregium matronæ conſtantiæ exemplum, matris nimirum Vvillelmi e longa Spatha, regij Anglorum generis, vbi illius mortis nuntium accepit, adducit: *Memor, inquit, viſionis, quam viderat, glorioſa de filio ſuo eo tempore, quo ipſe martyr, vt prædictum, occubuit manifeſtus, alacri ſpiritu iunctis manibus, & flexis genibus prorupit in hanc Dei laudem Chriſto valde complacentem: O Domine mi Ieſu Chriſte gratias tibi ago, qui de corpore meo indignæ peccatricis talem ac tantum filium voluiſti procreari; quem tam manifeſti martyrij corona dignatus es redimere. Spero vtique quod ipſius patrocinio citius ad culmen cæleſtis patriæ promouebor.* Quod vero fuerit cæleſte viſum pijſſimæ fœminæ obiectum enarrat auctor his verbis [b]: *Nocte hoc prælium*, nimirum primum, quod ad Maſſoram commiſſum eſt, *antecedente viſum fuit matri ſuæ nobiliſſimæ dominæ comitiſſæ ac*

Occidentalium terror audito cladis acceptæ nuncio.

a Par. hiſt. Angl. hoc anno.

Inſignis principis fœminæ conſtantia audita Vvillelmi filij nece.

b Idibid.

abbatissa de Acoca Halo nomine, quod cælo aperto susceptus est quidam miles omnibus armis redimitus, cuius clypeum cum per picturam cognouisset, stupefacta sciscitabatur, quisnam esset ipse, qui ascendens ab angelis ad tantam suscipiebatur gloriam, cuius nouerat spolia; & responsum fuerat voce manifesta & articulata: Vuillelmus filius tuus. Notata igitur nocte illa, visio illa postea patuit declarata.

Henricus Angliæ & Alphonsus Castellæ Reges Syriacā profectionem vouent.

27 Non deterruit ea strages Christianos principes a meditanda in Terram sanctam expeditione; sed maiori pietatis ardore accendit: illum nimirum palmarum campum, atque obtinendi martyrij locum videre. Alphonsus enim Castellæ, & Henricus Angliæ Reges cum maxima procerum multitudine defendendæ Christi causæ ac religioni indura cruce se deuouerunt. Quo vero dolore ex tristi illo nuntio confossus fuerit, quaue diligentia ad redintegrandas Christianorum res vsus Pontifex, referre superuacaneum esset. Dolemus epistolas regesti septimi anni, quæ maxima ex parte ad hunc annum pertinent, non reperiri, eum historiam ornare ac locupletare potuissent. Nec reuocari in dubium debet ipsum Reginam Blancam luctu confectam recreare studuisse, atque auxilia in orientem transmittere. Argumento sunt eius literæ ad Parisiensem, Ebroicensem, & Syluanectensem episcopos datæ a, quibus prouinciam demandauit, vt Tectosages & Prouinciales crucesignatos, cum vellet Regina Blanca, transfretare compellerent.

Crucesignatos Gallos traijcere iubet Innocentius.

a Inn. l. 8. ep. 183.

Item Germanos Frisios Noruegos.

28 *Cum ad præsens Terra sancta subsidio indigeat bellatorum, mandamus quatenus omnes crucesignatos prouinciæ, ac communitatis Tolosanæ, & vicinos partibus, & totius regni Franciæ; illos quoque, qui crucem sine auctoritate Ecclesiæ deponere præsumpserunt, quod in proximo passagio a vobis ad beneplacitū charissima in Christi filia nostra Blan. illustris Reginæ Franciæ, statuendo transfretent in subsidium Terræ sanctæ; per vos & alios, quos expedire videritis, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellatis, &c. Dat. Lugd. III. kal. decemb. anno VIII.* Exaratis eodem argumento literis e Germania, Frisia, ac Noruegia eos omnes, qui se Christi obsequio sumpta cruce addixerant, in Terram sanctam proficisci imperauit. b

b Ibid. ep. 153.

Pastorelli exorti in Gallijs grauissima mala inferunt.

c Nangius & Paris. an. seq. Iord. M.S. bibl. Vat. signat. nu. 1960 & alij.

29 Emersit interea c in Gallijs Pastorellorum secta, quæ induendæ crucis atque instruendæ in Hierosolymitanum regnum ad vindicandam S. Ludouici seruitutem ac fusum sanguinem Christianum expeditionis specie multa flagitia patrauit. Aggregarant se ijs rusticorum puerorum, aliorumque simplicium hominum multitudo, qui iactantibus diuinitus obiectis visis se potitos ac miracula edidisse, fidē adhibuerant: eoque mali labes progressa erat, vt Parisijs, qui inter ipsos se magistros affectabant, episcoporum sibi auctoritatem arrogarent: aquam lustralem conficerent: matrimonia ex arbitrio coniungerent, dissoluerentque: ecclesiasticos iniurijs grauissimis ac morte ipsa afficerent: crucem accedentibus imponerent, alijsque iam crucesignatis detraherent.

30 Præcipuus omnium dux erat apostata Vngarus genere, prouectus ætate, qui Babyloniæ soldano, induta superstitione Mahumetica, erat pollicitus, se ipsi infirmam Christianorum multitudinem proditurum. Callebat ille Germanicum, Gallicum, Latinum, & Sarracenicum idioma, suisque præstigijs, prætenta religionis larua, suos circumscripserat; cum re ipsa religionem perdere, atque ecclesiasticos trucidare meditaretur. Edidit Aureliani magnam sacerdotum & religiosorum virorum stragem: ac plura Biturigibus mala inflixit; cumque in laicos pariter & ecclesiasticos sæuire cœpisset, a Bituricensibus eum insequentibus, dum progrederetur, interceptus cum suorum audacissimis obtruncatus est: omnisque illa multitudo partim cæsa, partim dissipata, partim veræ crucesignatorum militiæ nomen adscripsit.

Cæso secte auctore dissipati.

Friderici ob S. Ludouici cladem læti dies agūt.

a Io. Villā. lib. 6. c. 37.

31 Lugentibus porro omnibus occidentis Christianis, quos vel minimus religionis amor imbuerat, soli Friderici sequaces Gibellini, vt qui de Ecclesiæ cladibus triumphare consueuerant, & cum impietatis omnis antesignano Friderico cum Sarracenis sentire; Florentiæ, vbi dominabantur, festos dies & conuiuia læta, vt refert Ioannes Villanus a, celebrarunt: Fridericus vero, vt erat artibus omnibus instructissimus, missis ad soldanum oratoribus liberandi Regis Francorum specie, creditus moliri soldanum ipsum inducere, vt S. Regem in vinculis detineret: plures enim Gallos proceres id opinatos refert Ionuillæus a. Sed spe sua ac fraudibus illi excidere, cum iam e carcere emissum reperissent. Gallijs enim tyrannus spe & cupiditate imminebat, vtque refert Parisius, excrescebat adeo tunc ipsius potentia, vt Vuillelmum Regem omnino deprimeret, & Cabochium legatum prouincia sua deturbaret: plures ciuitates suis partibus irretiret, atque etiam Arelatum & Auenionem, misso præsidiario milite, adactisque sacramento ciuibus, suæ subijceret seruituti. Sed diuina vindicta breui illius potentiam, quæ magnis a Vatacio Imp. receptis auxilijs b terrorem omnibus incutiebat, euertit.

a Ionuill. in hist. S. Lud. p. 2.

Doli a Friderico in S. Lud. cōflati.

b Extant ea de re Friderici lit. apud Petr. de Vineis.

Amplificatæ illius vires.

c Id ibid.

d Stad. in chron.

e Monach. Padu. in chr. lib. 2.

f Ricord. Malesp. hist. Flor. c. 143.

g Io. Vill. l. 6 c. 42.

h Long. hist. Pol. 7 hoc anno

32 Hoc quidem anno extinctum infelicem principem testantur auctores Parisius c, Stadensis d, monachus Patauinus e, fragmenti historici incertus auctor alijque: sed omnium instar Innocentius in literis, sequenti anno ineunte exaratis. Quamquam non ita de loco in quo obijt consentiant, cum alij in Sicilia, alij in Apulia defunctum scribant. Ricordanus f quidem atque ex ipso, vti solet, Ioannes Villanus g tradunt ipsum grauiori morbo apud Aprutios tentatum in Apuliam commigrasse: cumque illi a dæmone præsagitum fuisset, ipsum Florentiæ moriturum, quam ob causam eam vrbem postea declinabat, quasi tam insana fuga immortalitatem esset consecuturus, Florentiolam in Apulia peruenit: atque a maligno spiritu ita delusus, in eo loco diem suum obijt, cui etiam consentit rerū a Conrado & Manfredo gestarum scriptor h his verbis: *Mortuus est ipse Imperator apud Florentinū in Capitanata Apuliæ.. die mensis decembris, IX. indict.* Dies porro, quæ in hoc M.S. excidit, ex alijs auctoribus colligitur, a quibus sanctæ Luciæ sacer dies consignatur. Recensent aliqui funestā illius mortem, atque vitæ quam duxerat respondentem: nimirum a Manfredo notho filio, imposito ori puluino, præfocatum i: atque ita exauctoratum Imperio, defixum ab Ecclesia anathemate, sine pœnitentia, nullisque munitum sacramentis manu parricidæ oppressum.

Inenibus dæmonū oraculis delusus.

i Ricord. Malesp. hist. Flor. c. 143. & alij.

A Manfredo præfocatur chron. incert. auct. de præclaris Franc. facinoribus

Dubiæ an in morte pœnituerit auctorum sententiæ.

l Stad. in chron.

m S. Frid. epit. l. 2.

n Nouat. tom. 13 c. 7. col. 688

o Par. hist. Angl. hoc ann.

p Guillel. e Podio Laurent. in chr. c. 49.

q Ber. chr. Rom. Pont.

r Iord. M. S. bibl. Vat. signat. nu. 1960.

33 Verum alij ipsum pœnituisse scelerum in extremo vitæ actu, atque Ecclesiæ a Panormitano archiepiscopo conciliatum, riteque sacramentis expiatum, vt Stadensis l, & Sifridus m, atque ex Crantzio nouatores n asserunt; Parisius o vero tanta eum pœnitentiæ signa præ se tulisse ait, vt cum censuris ecclesiasticis, quibus deuinctus erat, solutus esset, Cisterciensium habitum religiosum induerit, atq; ingentis patratorū criminum doloris, & Christianæ animi demissionis exempla explicuerit. Inter quæ Vuillelmus de Podio Laurentij hęc affert p: *Sed in fine recognoscens errorem exhiberi sibi in morte funera imperialia, & plāgi etiam interdixit, quod Ecclesiæ inobediens fuerit & rebellis.* Quæ Bernardus q & Iordanus r ex ipso hausere. Eliciuntur etiam aliqua illius pœnitentiæ signa ex testamento f, quo extremam voluntatem expressit; vt ponderat Cardinalis Baronius s, qui illius præcipuum caput affert, quo erepta Ecclesiæ terræ ac iura occupata restitui iussa sunt; additque: *Sitque illud propheticum u de inimicis Ecclesiæ: Sanctifica illos in die occisionis; hoc impio tyranno magna Dei miseri-*

f Extat apud Par. ann. 1258

s Baron. XI. to. annal. ann. Christ. 1097. n. 8.

u Ier. 12.

sacerdotis concessum, vt nouissimo elogio, quæ pij princi-pis essent, præstare posset. Hæc Baronius, e cuius M.S. notis a Friderici testamentum, quod ipse e manuscripto codice bibliothecæ Frumenti protonotarij apostolici decerpserat, adducendum putamus: in quo etiam Conrado imperatum legitur, vt ditionem aliaque iura, quæ iniuste se inuasisse fatetur, Ecclesiæ restitueret: *Testamento nobis instituimus hæredem illustrissimum, & excellentissimum Regem Conradum filium nostrum in corona & Romano Imperio, in omnibus facultatibus & thesauris, in omnibus & singulis bonis nostris, quæ nostro subiacent dominio, vel quæ subiacere debent sub cælo super terram ab oriente vsque ad occidentem, a meridie vsque ad aquilonem. Præcipimus eidem Conrado illustri Regi, vt centum millia vnciarum auri expendere debeat in recuperatione Terræ sanctæ vltramarinæ, sanctissimi sepulchri Saluatoris nostri: non prætermittentes quin eidem Regi iniungamus, vt debeat reddere & restituere omnia iura, omnesque rationes sanctissimæ Romanæ Ecclesiæ nostræ matri, quæ & quas possidemus iniuste, si eidem Christianissimo ipsa misericors & pia mater iure debita facere non cessabit. Illustrem Regem Fred. nepotem nostrum nobis hæredem instituimus in ducatu Austriæ & Sueuiæ, &c. Henricum filium hæredem instituimus regni Siciliæ, Manfredum filium hæredem instituimus in principatu Tarenti, nepotem Corradinum hæredem instituimus in comitatu Catanensi.* Affert etiam Parisius b Friderici testamentum: sed in quo nonnulla ab hoc admodum discrepant.

a Baron. in notis quæ apud nos extãt e cod. M.S. Petr. de Vrea. Testamentum Friderici. Conradus hæres in imperio relictus. Censum millia vnc. auri in subsid. Terræ S. relicta. Iura Ecclesiæ restituenda. Fred. nepoti Austriæ & Sueuiæ ducatus traditi. Henrico concessa Sicilia. Manfredo principatus Tarentinus datus.

34 Subiungit Baronius in ijsdem notis Friderici monita Conrado data ex superiori codice delibata, quorum exemplum subijcimus: *Fridericus Dei gratia, &c. Conrado Regi. Gloria genitoris est filius sapiens, & ex obedientia filij paterna quotidie benedicitur. Gaudium est nobis, o Cæsarei sanguinis diuina proles, quod regalis indoles tua laudabiliter clarescit: quod scientia quotidie proficias & ætate, vt honorificetur nomen Augusti patris in Rege filio, & eam impleas virtute regnantem. Benedicat itaque dextera nostra tibi, & tuorum incrementis bonorum ac statui tuo paternæ zelum sollicitudinis * aspiraret. Hortamur filiationem tuam, quatenus per gratiam nostram, quam in te gerimus paterno corde diffusam, de bono in melius dirigas mores tuos, & de virtute proficiens in virtutem: & cum materiam virtutis habeas, proferas in actu. Consiliariorum ac procerum tuorum prudentiam non abhorreas informare: susurronesque bilingues aspernari, viros honestate conspicuos audire te volumus, & amare. Leues & leuia non admittat. Palpans & adulator in aula tua locum non habeat, & detractoribus aures regias non impendas.*

b Par. hist. Angl. ann. 1251. Friderici ad Conradum monita.

35 *Prælatos nobis & Imperio nostro deuotos, ac viros ecclesiasticos indesinenter honores ob auctoris reuerentiam, qui regna constituit & imperat vniuersis. Serenitatem tuam militibus & militiæ directoribus affabilem præbeas. Subditis iuste pius, & pie iustus existas; pacificus Rex & verax, vt iuncta sibi misericordia & veritas obuiantes, iustitia simul & pax tuum regale solium complectantur. Aucupationis & venatorum solatia Regibus assueta tibi non interdicimus loco & tempore cum exercitantibus hominibus exercendi: monemus tamen & id facere volumus ad cautelam, quod venationis exercitio, vel diductionibus animum non te exhibeat adeo familiarem venatoribus, vel balistarijs, vt grauitatem regiam offendas, & .. alternes & inficias tuos mores. Ad nos autem memoriter respectum habeas, & velut nobis in pectore singula prauideas, & sequaris assistentium lateri tuo de ordinatione nostra consiliariorum consilijs inhærendo: & scias vitare noxia & salutaribus informari. Improuisa fratris tui quondam Henrici Regis, & incauta temeritas veniat frequenter in mente; qui pro eo quod nobis credere noluit, & obedire patri filius recusauit, secutus est adulationes & blanditias, nec non praua consilia dissipantium bona sua & peruertentium quotidie mores eius; vnde cecidit a sede quam habuit, & in filis bona maioris locum eius, nobis iuuantibus, accepisti. Si ergo nobis obediens, & deuotus verba nostra memoria retineas, & tam affectu, quam opere prosequaris, augeatur in te benedictio nostra, & regnum tuum optata felicitate firmetur.* Hactenus de Friderici vitæ gestis; iam nonnulla de illius exequijs afferamus.

36 Magna pompa a Manfredo in montis Regalis ecclesia sepultũ scribũt a Ricordanus & Ioãnes Villanus, atq; hoc epitaphium eius sepulchro insculptum:

a Ricor. & Io. Vill. vbi sup. Eiusdem epitaphiũ.

Si probitas, sensus, virtutum gratia, census
*Nobilitas orti possent * resistere morti;*
Non foret extinctus Federicus, qui iacet intus.

* obsistere

Fuisse de re literaria bene meritum tradunt scientia rerum naturalium ac plurium lingarum cognitione instructum; atque etiam librum de natura & cura auium composuisse b. Circumfertur aliud eiusdem epitaphium, quo maximam Regum potentiam, dignitatem, opes in sepulchri titulum redigi non ineleganter describitur.

b Anony. auct. M.S. de reb. Conrado & Manfredi.

Qui mare, qui terras, populos, & regna subegit,
Cæsareum fregit subito mors improba nomen.
Sic iacet, vt cernis, Federicus in orbe secundus:
Nunc lapis hic, totus cui mundus paruit, arcet.
Vixit an. LVII. Imper. XXXIII. regni Hierusalem XXXVIII. Et regni Siciliæ LI. obijt anno Domini MCCL.

Eadem porro nocte, qua ille interijt, ipsius præfectũ Florentiæ Ranerium e monte Merlo, concidente fornice cameræ, in qua iacebat, oppressum tradunt c: nec dubium signũ extitisse ipsius dominationem breui Florentiæ interituram. Vt vero ex tyranni morte res Ecclesiæ, quæ depressæ erant, assurrexerint, sequenti anno dicemus. nunc de præcipuo illius tyrannidis administro nonnulla attingamus.

c Ricord. vbi sup. c. 143. Io. Villan. l. 6. cap. 44.

37 Edidit aduersus Ezelinum, cui nihil humani, quam vultus inerat, Vvillelmus Romanorum Rex regiam sanctionem d: ipsum vt hæreseos infamia aspersum grauissimis subiecit pœnis; eiusque bona in Albericum e Romano, qui pontificias partes strenue tuebatur, transfudit.

d Extat apud Inn. ep. l. 11. ep. 624.

Vvillelmus Dei gratia Rom. Rex semper Aug. Nobili viro Alberico de Rom. dilecto fideli suo gratiã et bonũ omne.

Nos diligentius attendentes præclaram fidem, & deuotionem sinceram, & inconcussam constantiam, quam erga sanctam matrem Ecclesiam, ac sacrum Romanum Imperium, in promptu & iugi prosecutione negotiorum suorum, non sine grauibus & dispendiosis laboribus, non sine magnis personæ, & rerum tuarum periculis, dignosceris habuisse, quem nulla tribulatio, nulla vnquam potuit angustia superare, vt te ab obsequio, & deuotione Ecclesiæ separaret; considerantes etiam nefandam malitiam, & obstinatam rebellionem Ezelini fratris tui, qui contemptor excellentiæ nostræ, ac conculcator ecclesiasticæ libertatis eo minus de fide habere connititur, quo in ipsius orthodoxæ fidei zelatores crudelius, & inhumanius desæuire probatur: qui etiam vilipensis Ecclesiæ clauibus F.. quondam Imperatori patenter assistens ad Ecclesiæ gremium pertinaciter redire contempsit; quem insuper dominus Papa, tanquam hæreticum reputans, decreuit latis aduersus hæreticos sanctionibus subiacere; præfatum Ezelinum suis culpis exigentibus, castris, villis, terris, possessionibus, iurisdictionibus, iuribus, vassallis, mancipijs, & eorum peculijs, ac vniuersis bonis, quæ occasione diuisionis inter te, & ipsum hæreditate de bonis paternis, siue adhuc patre viuente, & ipsius consensu, siue iam mortuo, & omnibus alijs bonis, quæ postea iure hæreditario ex parte patris, vel aliunde; & insuper quæ alias em-

ptionis, donationis, permutationis, aut quoquo alio iusto titulo vndecunque ad ipsum Ezelinum vsque ad præsentem diem quocunq; tempore peruenerunt, aut si quid iure vlterius peruenerit ad eundem auctoritate regia priuamus omnino, & condemnamus eum in amissione omnium prædictorum: tibique ac tuis hæredibus adiudicamus omnia supradicta; & ad te pertinere decreuimus cum omni plenitudine rationis. Quicquid autem ad Imperium, vel fiscum nostrum in bonis memoratis pertinere dignoscitur; seu possit, & debeat de iure deuolui pro eo, quod hæreticus reputatur idem Ezelinus, debeat prædictis sanctionibus subiacere, siue quod nostram læserit, vel offenderit maiestatem, siue quod in dictum F. de bonis suis aliquid duxerit transferendum; id tibi ac tuis hæredibus pleno iure de speciali gratia liberaliter concedimus, & donamus; ipsorumque bonorum omnium prædictorum introm issiones faciendi, & possessiones apprehendendi auctoritate tua, liberam tibi damus & concedimus facultatem ea pro tuis amodo pacifice possidendi, &c. *Dat. in castris ante Gryseul assem vr non. octob indict. x1 anno Dni imi MCCL. regni viro nostri* 1 11. Confirmata est postea ab Innocentio a hæc Villelmi Regis sententia in Ezelinum, cũ in dies crudelius grassaretur, sed de eo satis. Iam ab immanissimo homine ad crudelem alium principẽ, Abelem scilicet vel alterũ potius Cainum, qui in fratrem Ericum, siue Henricum Daniæ Regem cruentas manus iniecit, historiam traducamus.

a Ead. ep. 114.

Abelis dux in Ericum Regem fratrem proditio.

38 In Dania cum potiundæ tyrannidis cupiditate dux Abel ad atrox & immane facinus, vt maiorem natu fratrem e medio tolleret, animum obfirmasset, Ericum ab illius insidijs nil tale cogitantẽm in amœnum locum deliriarum causa inuitauit: in medijs enim aquis domus assurgebat, atque ad temperãdos æstus, colligendasque frigidiores auras magnis artis lenocinijs condita fuerat. Quo cum pellectus Rex fuisset ac latrunculis luderet, Abel improuisus aduenit, fratremque in paratam cymbam coniecit, quam in medias aquas impelli iussit, vt securi fratrem feriret, ferroque onustum corpus aqua submergeret. Non expauit ad periculum Rex, sed vt narrat Albertus Stadensis b, ad mortem Christiano viro dignam se comparauit: *Rex*, inquit, *cum mortem ineuitabilem videt, sacerdotem petijt, & obtinuit: & facta confessione, vt dicunt, intime decollatori flagitium indulsit, & tam decollandus dixit: Frater meus, sicut ante Deum bene merui, turpem mihi ingerit mortem: sed ipsi si se non emendauerit, sentiet turpiorem. Illud contigit in nocte Laurentij. Non multo post corpus inuentum est a Prædicatoribus ipso ferro onustum, & capite adhuc ad collum pendente & petierunt eum Prædicatores in ecclesia sua Sleswic.* Hæc Stadensis, cui Siffridus c, Bernardus d, Ioannes Longinus e, & alij consonant.

b Albert. Stad. in chron. hoc ann.

Erici interitus constantia.

c Siffrid. epit. lib. 2. d Bern. chro. Rom. Pont. e Longinus Pol. lib. 9. f Crantz. Dan. hist. lib. 7. c. 21. g Cent. 13. c. 16. col. 1341.

39 Discrepat nonnihil Parisius a Stadensi, quem in annum proximum refert, quem Crantzius f, & nouatores g sequuntur: addit vero Abelem fratris corpus terin mare ferro grauissimo alligatum proiecisse, cum illius sepulturæ inuideret, quo memoriam ipsius deleret: sed diuino miraculo in litus proiectum, ac Minoritas eo viso, sepulchro in sua ecclesia corpus tradidisse, illudq; magnis postea miraculis collustratum. Corripuit mox Abel imbutum fraterno cruore Daniæ sceptrum, atque in omnium sanctorum festo regia inunctione delibutus est; verum nõ multo post sceleris præmi potiri licuit: anno enim proximo vel altero a Frisijs, quos reprimere nitebatur, occisus occubuit, ac Lago, qui Abel in necando Erico cõsenserat pariter interfectus cælestis iræ exemplum extitit: sed de his satis, iam ex Danicis rebus ad Suedicas digrediamur.

Nefarius in electio nibus mos sublatus in Suecia

40 Susceptа erat improba apud Suecos consuetudo, vt episcopi non a canonico rum collegio eligerentur, sed ad nutum Regis ac procerum loci; cum ad tumultuantis populi confusas voces instituerentur: quem morem cum episcopus Sabinensis Ap. S. L. a canonicis institutis abhorrere comperisset, consulsit; cuius acta Innocentius, datis hisce ad Vpsalensem archiepiscopum & suffraganeos, ac Sueciæ clerum literis, confirmauit. a

a Lau. l. 8. ep. 345.

Archiepiscopo Vpsalen. eiusque suffraganeis, & dilectis filiis toti clero regni Sueciæ.

Lecta nobis ex parte vniuersitatis vestræ petitio continebat, quod cum dudum in regno Sueciæ quædam consuetudo, quæ corruptela dicenda est verius, inoleuerit; videlicet, vt cathedralibus ecclesijs regni non præficerentur aliqui, nisi quos in eis instituti, vel destitui potius per potestatis secularis potentiam, Regis scilicet & baronum; necnon & ad clamorem tumultuantis populi regni prædicti contra sacrorum statuta canonum contingebat; venerabilis frater noster Sabinensis episcopus, tunc in partibus illis Apostolicæ sedis legatus, tam detestandæ præsumptionis abusum diligenter attendens, ac volens super hoc salubre remedium adhibere, prouida deliberatione statuit, vt in singulis ecclesiarum ipsarum, in quibus adhuc capitula nulla erant, vnus prælatus idoneus, & ad minus quinque canonici habebantur, per quos eisdem ecclesijs pro tempore vacaturis possit de futuro episcopo, per electionem canonicam prouideri. Nos igitur, vestris deuotis supplicationibus inclinati, statutum huiusmodi prouide factum auctoritate apostolica confirmantes, præsentium tenore statuimus, ne quis de cætero in aliquam ecclesiarum ipsarum in archiepiscopum, vel episcopum per abusum huiusmodi præfici debeat, sed ille præficiatur, quem eisdem ecclesiæ capitulum, vel eorum maior & sanior pars, forma seruata canonica, sibi duxerit eligendum; nec quisquam ad iura, redditus, & bona ad mensam archiepisc. seu episcopalem spectantia, vel bona, quæ apud vos, vel quemcumque successorum vestrorum tempore sui obitus reperiri contigerit, occupare, vel inuadere, seu contra dispositionem ipsorum præsumptione damnabili aliquatenus detinere præsumat, quæ per capitulum ecclesiæ, vel alium ad hoc deputatũ ab ipsis ad opus futuri episcopi fideliter conseruentur; districtius inhibentes, ne aliqua secularis persona contra statuta huiusmodi quicquam attentare, aut a vobis, vel successoribus vestris homagia, vel fidelitatis exigere, seu oblatum recipere audeat iuramentum; maxime cum, sicut asseritis, pro aliquorum receptione tegalium, seu feudorum obtenta eisdem Regi, & baronibus, seu alijs personis secularibus obnoxij nullatenus existatis. *Datum Lugdun. VII. id. decemb. anno* VIII.] Hactenus Innocentius, qui in eo pontificias partes impleuit.

41 Pertinuit etiam ad munus apostolicum aduenientibus nonnullis Græcorum schismaticis atque in obsequium Ecclesiæ Romanæ procumbentibus, sinum amantissime explicare. Cyprij enim Græci plures a fidelium communione alieni Innocentio Papæ se subiecerunt, ac nonnulla ijs beneficia exposcentibus, vt suæ nationis præsules quatuordecim episcopatibus, vt antea consueuerant, præficerent, non subessent Latinis præsulibus; sed pari cum ipsis libertate sedi Apostolicæ tantum essent obnoxij; liberaliter indulsit: nonnullaque alia, quæ ad conciliandam cæterorum Græcorum gratiam, vt eorum exemplo ad coniunctionem pellicerentur, pertinebant, adiecit; vt ex subiectis literis b episcopo Tusculano missis conspicuum est.

Græci Cyprij ad Ecclesiæ Rõ. obsequiũ traducti.

b l. 8. ep. 19.

Innocentius &c. episcopo Tusculano A.S.L.

Venerabilis fratris nostri archiepiscopi Græcorum in Cypro transmissa nobis insinuatio cõtinebat, quod ipse olim per dilectum filium fr. Laurentium pœni-

pœnitentiarium nostrum, tunc in partibus illis A.S. legatum ab exilio, in quod eum illata sibi, vt asserit, a Latinis prælatis iniuriarum molestia egerat, reuocatus tibi postmodum, in eisdem partibus existenti, cum suffraganeis suis sponte obtulit, & humiliter præstitit Ecclesiæ Romanæ nomine obedientiam manualem; propter quod ijdem archiepiscopus & suffraganei de Apostolicæ sedis clementia, quæ illis abundantius solet affluere, quos integritatis consortio reconciliationis nouitas inserit; petitiones suas, quas missas per communes nuntios coram nobis & fratribus nostris fecere proponi, ad gratiam exauditionis admitti suppliciter postularunt. Petierunt siquidem ijdem nuntij eidem archiepiscopo & suis successoribus ordinandi, & substituendi canonice in insula Cypri quatuordecim suæ nationis episcopos, cum totidem ibi episcopales Græcorum sedes esse consueuerint ab antiquo, permitti de nostra licentia plenam & liberam potestatem: & concedi tam sibi, quam eisdem episcopis eorumque successoribus in Ecclesiæ Romanæ obedientia permanentibus, ne prælatorum Latinorum iurisdictioni subiaceant, sed in subiectione sedis Apostolicæ pari cum illis gaudeant priuilegio libertatis.

Egregiũ in ea perficienda contradictione operam Laurentius Min. contulit.

Quæ Græci vt in fide Rom. permanerent flagitarint,

41 De cætero quoque in clericos, & laicos suos, liceat eis iurisdictionem ordinariam exercere, prout ante quam ab Ecclesia Romana resilirent, obedientiam exercebant, eisque clerus & populus Græcorum, quemadmodum a suis subditis Latinis prælatis intenditur, obediant in spiritualibus, & intendant; & inconcussa sit apud eos canonica ordinum ecclesiasticorum susceptio, & libera monasticæ professionis electio, sicut erat ante quam terra illa subderetur dominio Latinorum. Decimas vero, quas archiepiscopus, & episcopi Latini a monasterijs Græcorum de laboribus ipsorũ, quos proprijs manibus, aut sumptibus excolunt; necnon & a Surianis, & Græcis liberis regni Cypri exigunt, petierunt omnino dimitti, eorundem archiepiscopi Græcorum, & suffraganeorum suorum vsibus profuturas. Et nihilominus eorundem, ac suorum sustentationi clericorum a memoratis archiepiscopo, & episcopo Latinis aliqua decimarum, quæ ipsis de laboribus, & nutrimentis animalium Græcorum præfatæ insulæ proueniunt, portio assignetur.

42 Ad hæc quoque ipsorum supplicatio postulauit, vt liberum sit eis Græcorum omnium sæpe fatæ insulæ spirituales causas audire, ac secundum canones, & rationabiles & antiquas ipsorum consuetudines diffinire, super quibus ab eis, non ad archiepiscopum, vel episcopos Larinos; sed ad nos, vel legatum sedis Apostolicæ, quem in partibus illis deputabimus, appelletur: qui ab archiepiscopo Græcorum Cypri, pro tempore subrogato, vice Rom. Pontificis recipiat obedientiæ, & reuerentiæ sponsionem: ipsumque ac suffraganeos eius protegat ab indebitis molestationibus, & defendat. Subiecit præterea petitio eorundem, vt quæcunque fuerunt in pœnam inobedientiæ ipsorum, vel ipsius occasione per bon. memoriæ P.. Albanensem episcopum, tunc in partibus illis A.S.L. constituta, vel scripta, & quibuslibet pactis, vel conditionibus ordinata, seu per quoscumq; alios contra archiepiscopum, & episcopos, ac cæteros Græcos insulæ sæpe fatæ ab eadem sede, vel eius legatis obtenta in irritum reuocentur, cum culpæ causa sublata effectus vindictæ debeat submoueri.

43 Quia vero de circumstantijs, & causis, quæ super huiusmodi petitionibus erudire possent animi nostri motum, reddi sicut oportuit nequiuimus circumspecti; cum in talibus ita petentium affectibus sit faciendum, vt circa ea, quæ vtiliter expediunt, non erretur; nos plenam obtinentes de tua discretione fiduciam, & attendentes, quod de ijs, quæ oportebit in considerationem deliberationis adduci, vicinitate suffragante locorum, tua poterit prudentia facilius informari; mandamus quatenus prælatorum, & aliorum prudentum virorum, quos sine scrupulo suspitionis videris consulendos, communicato consilio, super præmissis, quæ ab eisdem archiepiscopo Græcorum, eiusque suffraganeis postulantur, & alijs eorum iustis desiderijs statuere, ac disponere prouidendo, & ordinando auctoritate nostra procures, quod eorum intentioni pro animarum salute, Ecclesiæ pace perpetua, ac salutaribus catholicæ obedientiæ incrementis videris conuenire. *Dat. Lugd. XII. kal. aug. anno VIII.*]

Odoni Tusculan. ep. A.S.L. imposita prouincia, vt quod visũ fuerit statuat,

44 Adiunxere se Romanæ Ecclesiæ eodem tempore nonnullæ prouinciæ, quæ Græci schismatis, quo tenebantur, vincula diffregere, vt se in libertatem filiorum Dei assererent. Prætulit facem inter cæteros populis suis Albaniæ episcopus, qui nemini extra Romanam Ecclesiam salutem patere agnouit. Quem Innocentius benigne excipi iussit, dataque archiepiscopo Antiuarensi sequentibus literis prouincia imperauit a, vt si nulli Latino episcopo antea obnoxius fuisset, illum sedi tantum Apostolicæ pariturum decerneret.

Albania in Eccles. Rom. obsequium procumbit.

a Bod. l. 8. ep. 62.

Archiepiscopo Antiuarensi.

In Græciæ partibus quædam habetur prouincia, quæ Arbania nuncupatur, cuius episcopus solicita mente desiderans & prudenter aduertens, quod positis extra fidem, & deuotionem sedis Apostolicæ, non est datum ad perennis vitæ gloriam peruenire; maxime cum Dei virtus, & Dei sapientia dominus Iesus Christus B. Petro Apostolorum principi, & successoribus eius Romanis Pontificibus regimen vniuersalis Ecclesiæ sub speciali & præeminenti noscatur priuilegio commisisse; cordi habere dicitur, vt eiusdem membris Ecclesiæ ad æterni pastoris gloriam indissolubili vinculo coniungatur.

45 Quia vero semper ad hoc nostri cordis aspirat affectio, vt ij, qui ab vnitate sedis Apostolicæ, reprobæ voluntatis impulsu, aut maligno spiritu instigante, vel quocunque alio modo discesserunt, ad illius obedientiam redeant, & in diuinæ institutionis obseruantia sincera deuotione persistant; nos eiusdem episcopi pijs desiderijs fauore beneuolo annuentes, præsentium tibi auctoritate committimus, vt eundem, si nulli prelato Latino fuit vnquam, aut esse debet de iure subiectus, vice nostra solemniter ac publice ad gratiam & communionem sedis Apostolicæ restituas, cum super hoc fueris ab ipso humiliter requisitus; decernens eundem nulli preterquam Romano Pontifici debere perpetuis futuris temporibus subiacere. His autem iuxta mandati nostri formam rite peractis, tu pro nobis & Ecclesia Romana fidelitatis solite iuramentum ab ipso recipias secundum formam, quam tibi sub bulla nostra mittimus interclusam. Formam autem iuramenti, quod ipse præstabit, de verbo ad verbum nobis per eius patentes literas, suo sigillo signatas, quantocyus destinare procures. *Dat. Lugd. VI. id. aug. an. VIII.*]

Decernit Innoc. Albaniæ episc. sedi tantũ Ap. obnoxiũ futurum.

46 Nec A[illegible]ania mod[illegible], v[illegible] Vnauia & Philot prouinciç, q[illegible]me excurr[illegible]nt, m[illegible]so Græcorum schismate, sedi Apo[illegible]olicæ se submiserunt. Quo lęto nuncio maximo gaudio delibutus Innocentius summo Predicatorum in Vnga[illegible]ia mag[illegible]stro munus demãdauit b, vt [illegible]n eas regiones socios ad instruẽdos populos, ac traducendos ad Ecclesię Romanę obsequia, mitteret, quos etiam ea auctoritate, quæ ad augustum illud munus obeundum necessaria erat, instruxit; vt in subiectis his literis lector conspicere poterit.

Aliæ prouinciæ Ecclesiæ imperio adiũctæ.

b ib. ep. 61.

Quasdam amplas, & popul[illegible]sas prouincias Philot, Arbaniam, & Vnauiam prope Vngariam sitas esse percepimus, in quibus aliqui epis[illegible]opi, ac plurimi sacer-

 de-

dotes, & clerici sub Græcorum dominio constituti habitant, qui ritum sanctæ Romanæ Ecclesiæ sincera mente diligunt, & pro viribus libenter obseruant. Quia vero, virtutum Domino inspirante, in eorum affectu esse perspicitur, quod ad ipsius Ecclesiæ redeant vnitatem, & deuotam obedientiam, ac reuerentiam impendant eidem; nos qui habemus in voto potissimum, quod in deuio constituti conuertantur ad viam rectitudinis, & vniuersis nationibus per obseruantiam catholicæ fidei proueniat gloria perpetuæ claritatis; præsentium tibi auctoritate committimus, vt aliquos ex fratribus ordinis Prædicatorum tuæ curæ commissis, qui sint probatæ conuersationis & vitæ, ac potentes in opere & sermone, mittas ad prouincias memoratas: in quibus verbum Dei proponant, & clericis, ac laicis de ipsius prouincijs oriundis, qui ad obedientiam sedis Apostolicæ redeuntes sunt parati satisfacere de commissis, reconciliationis, ac eisdem, si aliqua excommunicatione teneantur, absolutionis beneficium iuxta formam Ecclesiæ largiantur: & cum clericis ex prædictis, qui nullum Ecclesiæ beneficium obtinent a Latinis, super eo, quod excommunicati celebrauerunt diuina; necnon cum illis, qui iuxta ritum Græcorum ordines infra ætatem legitimam, vel temporibus indebitis, aut qui omnes eadem die, vel superiores prætermissis inferioribus, aut etiam, soluto pretio aliquo, secundum ritum eundem recipere præsumpserunt, valeant dispensare: ita tamen, vt quod circa ordinationem clericorum ipsorum pro ritus differentia omissum esse dignoscitur, per catholicos episcopos obtinentes gratiam, & communionem sedis Apostolicæ prouide suppleatur. Cæterum liceat fratribus supradictis eis, qui de prouincijs memoratis ad solemnem ipsorum prædicationem accesserint, indulgentiam quadraginta dierum de iniunctis sibi pœnitentijs elargiri, Dat. Lugd. v i id. aug. an. v i i i.

47 Illustri vero miraculo diuinum numen hoc anno catholicæ fidei veritatem in Germania collustrauit, dum sacram Eucharistiam, a facinorosis hominibus in lacunam proiectam, omni corruptionis labe prorsus expertem post plures menses fidelibus ostendit: *Fures a duo noctu e sancti Martini templo hierothecam, in qua consecrata hostiæ nouem, furati sunt anno MCCXLIX. ipso B. Virginis assumptæ pridiano; & argentum illi quidem acceperunt: sacrosancta vero Dominici corporis frustula cum sacra, quo inuoluta erant, linteolo in altiam quandam lacunam abiecerunt. Quinto autem vertente mense contigit sacrilegorum illorum alterum Isenaci extrema conflictari ægritudine: scelerum pœnitentia tangitur, & cui de illis confiteatur bonum e Franciscanorum ordine sacerdotem vocat. Is Erfurti nunquam fuerat, sed re illa comperta illuc venit: & confessionis arcano seruato, primores e ciuibus ire secum, remque maximam quærere obsecrat. Annus iam erat MCCL. ianuarij dies XIII. post epiphaniam octauus, tum dominicus. Aquæ pro anni tempore congelarant omnes: illa tamen haudquaquam lacunæ pars, in qua Domini corpus, & iuratus postea pius quidam dixit diaconus se perpetuum illic noctu lumen vidisse crebrius. Hic igitur Eucharistiam illi, quos quæsisse diceb[illegible], inuenerunt & quidem in linteolo integro & sicco. Re tanta cognita Christianus archiepiscopus, qui in ea vrbe fo[illegible] tunc erat, clerum populumque totum solemni tum processione illuc duxit, augustissimum Domini corpus sustulit, & in B. Virginis templo venerabundè posuit. Optimus autem vir Vlricus Viering, ne diuini operis interiret sensim, vt in omnibus rebus fit, memoria, impensis non paruis, prout etiam nunc apparet, curauit.*

a Serar. Moguntia rerum lib. 5.

Insigne de veritate corporis Domini in Eucharistia miraculum.

48 Confudit quoque diuinum numen Iudæorum perfidiam ingentibus miraculis, quæ in illustrando martyre suo Do[illegible]co puero septenni, quem Cæsaraugustæ Iudæi ex immenso, quo flagrant in Christum odio, parieti clauis confixerant, latusque hasta crudelissime transfoderant, expliciut: cum enim ad tegendum scelus sacrum corpus in litore sepeliendum curassent, noctu clarissimo fulgore locus radiauit. Quo prodigio commoti Christiani eo accurrere; indeque erutas sacras reliquias magna religiosa pompa in princeps templum extulere: vbi plura miracula patrata sunt. Quibus visis Iudæus Moses Albayhuzerus; qui innocentem puerum rapuerat, Christo nomen dedit. Cæterum portenderat martyri Deus gloriosissimum illud mortis genus, cum ex materno vtero crucis humero dextro, coronæ vero figura capiti impressa decorum in lucem prodire voluit. Hæc pluribus Hieronymus Blanca a ex primarij templi, vt ait, tabulario decerpta.

Puerulus a Iudæis in Hispania confixus miraculis coruscat.

Crucem impressâ humero nascens gestarat.

a Blanca commentar. rer. Aragon. in Ia. ob. 1. Rege.

49 Coniungemus glorioso martyris funeri, vel potius triumpho, sanctissimos confessores, de quibus cœlitum albo adijciendis cum summo Pontifice hoc anno actum est. Efflorescebat in dies apud Vrbeuetanos Ambrosij Minoritæ, qui pijssime vitam clauserat; gloria magnisque miraculis, quæ ediderat, hæreticorum perfidia retusa fuerat: quare institere apud Innocentium Vrbeuetani, vt sanctorum catalogo illum aggregaret, atque acta Gregorij IX. iussu conscripta transmisere: sed cum Pontifex, qui instituendi de patratis eius implorata opera miraculis examinis prouinciam Vrbeuetano & Suanensi episcopis, ac priori S. Ioannis Vrbeuetani iniunxerat, non seruatum in omnibus Ecclesiæ morem comperisset, iussit b iterum, quæ dicebantur patrata a sancto prodigia, ad diligens & seuerũ examen reuocare: easdemq; literas, paucis immutatis, transmisit ad Vrbeuetanos c. tradidit porro sacris censoribus formam d, ex qua omnes miraculorum circumstantias erant discussuri. Cum vero hæ literæ Lugduni IV. non. decembris Innocentij pontificatus anno VIII. exaratæ sint, dicendum recentiorem auctorem hallucinatum, qui eas ad sequentem annum refert: tunc enim Innocentius nonum in pontificatu agebat; nec in Gallijs, sed in Italia, vt dicemus, versabatur.

Instituta de Ambrosij Minoritæ miraculis noua quæstio.

b Lib. 8. ep. 194.

c Reg. post eand. ep.

d Ibid. ep. 195.

50 Propositum etiam sedi Apostolicæ rursum fuit hoc anno, Augustinum Nidrosiensem episcopum, de quo supra memorauimus, post mortem multis miraculis effulsisse, dignumque omnino videri, cui sanctorum cultus decerneretur: Innocentiusque, librata rei grauitate, Bergensi episcopo ac duobus Prædicatorum ordinis prioribus munus commisit e, vt summa maturitate consilij & diligentia de eius rebus gestis ac miraculis, quæ ipsius precibus patrata fama circumferebat, inquirerent. Agitatum quoque de B. Stanislao Cracouiensi episcopo in martyrum catalogo collocando; atque ad rem vrgendam Polonos hoc anno ad Innocentium oratores Lugdunum misisse scribit Longinus f, cum iam Polonia illius sanctissimi viri suffragijs maxima apud Deum beneficia, & cælestia contra Tartaros auxilia consecuta esset. qua in re promouenda Boleslaus Pudicus, & Prandothas episcopus eximium studium collocarunt. Vt vero Innocentius prouinciam nonnullis episcopis, quæ ferebantur edita miracula ad examen reuocandi commiserit, suo loco dicemus.

e Lau. 18. ep. 215.

De Stanislao Cracou. ep. sanctis annumerando agitatum.

f Longin. hist. Pol. l. 7.

51 Contendere præterea sequenti anno magnis precibus ab Innocentio Mantuani, vt Ioannem Bonũ, ex eremitarum ordine religiosum virum, in sanctorum numerũ referret. Quare Pontifex, vt rei poscebat grauitas, Mutinensi episcopo, priori S. Marci, & præposito Mantuanæ ecclesiæ prouinciã imposuit g sacrum examen de rebus illius gestis, editisque miraculis instituerent: atque in rogandis testibus seruandam formam præscripsit h, quæ illi prorsus consentit, quam anno superiore in simili Ambrosij serui Dei causa ad Vrbeuetanum, ac Suanensem episcopos transmiserat. Illos porro, vti iussi erant, publica acta summa fide confecisse, comperisseque Ioannem, dum in viuis ageret, &

Ioannis Boni vita & miracula ad examen reuocata.

g Ibid. ep. 522.

h Ep. 523.

post

post mortem, miraculis inclaruisse, eoque apud cœleste numen adhibito intercessore mortuum ad vitam reuocatum; ac plura alia prodigia patrata, refert Sixtus IV. Pontifex, qui ipsi sanctorum cultum ac venerationem decreuit a. *De fratrum*, inquit, *nostrorum consilio & assensu auctoritate apostolica concedimus, quod ipse beatus Ioannes Bonus, vt pie inter sanctos in superna patria collocatus ad laudem & diuini nominis, & altissimi gloriam, qui in cælis habitat & humilia respicit, sine hæsitatione & conscientia scrupulo, vel canonis diuini incursu possit pro beato in omnibus & singulis ciuitatibus, terris, & locis, ac monasterijs & ecclesijs venerari: & ad eum vt beatum preces porrigi, & suffragia eius implorari, donec aliud per nos, vel sedem prædictam fuerit solemniter ordinatum, &c.* Hunc vero sanctissimum virum anno salutis millesimo ducentesimo quadragesimo nono x. kal. nouemb. ex hac vita migrasse tradit Constantius Laudensis eiusdem ordinis theologus, qui ipsius vitam ex publicis actis, vt profitetur, excerpsit ediditque.

a Bull. Sixti IV. qua in eis. beat. S Ap. cuiusmodi extitit antat in nostra biblior. M S. sign. lit. Q. SS numero adscribitur.

52 Pertinet ad institutum de sanctis sermonem, tentatum imprudenter a nonnullis monachis Pontiniacensibus facinus referre, qui S. Ædmundi reliquias omnis corruptionis hactenus immunes, amputato a reliquo corpore brachio violarunt: & quasi humana industria diuinæ omnipotentiæ præcelleret, balsamo, ne corruptionem contraheret, condiuerunt. Sed ad puniendum illorum fidei defectum, ac temeritatem, permisit Deus, vt brachium quod post tot annos corruptionis expers extiterat, atrum colorem ita dinulsum indueret. Declamat ob id in eos Parisius c, ac demum adijcit: *Hoc in triste præsagium totius Christianitatis creditur euenisse.* Fecisse vero scribendi finem hoc anno testari videtur his verbis: *Hic terminantur fratris Matthæi Parisiensis monachi S. Albani chronica, quæ pro vtilitate posteritatis subsecutura, Dei pro amore, & B. Albani Anglorum protomartyris honore, ne memoriam euentuum modernorum vetustas, aut obliuio deleat, literis commendauit.*

Reliquiæ B. Aedmūdi balsamo condite situm contrahūt quæ antea corruptionis erant immunes.

c Par. hist. Angl.

Virginis a partu iam mille volumina phœbus
Cum bis centenis & quinquaginta peregit, &c.

Qualis porro & quotus sit ipsius commentarius, optime censet Cardinalis Baronius, dum hæc, post alia, de eo scripta reliquit d: *A quo libro si quis demat calumnias, inuectiuas, dicacitates & blasphemias in Apostolicam sedem frequenter iteratas, aureum sane dixerit commentarium; vtpote quod ex publicis monumentis totidem verbis redditis egregie contextum, & exaugmentatum enuenistur.* Sed post hæc historiam suam prosecutum esse ipse auctor indicare videtur, qui Christi anno MCCLI. hæc de se scripsit: *Et hoc idem protestatus est idem Rex*, de Noruego loquitur quem adierat, *mihi ipsi Matthæo, qui & hæc scripsi.* Non desunt tamen qui reliqua post annum MCCL. ab alio adiecta putent.

De Parisij historia sententia Baronij.
d Baron. Annal. to. 2. an. 996. nu. 63.

IESV CHRISTI

Annus 1251.

INNOCENTII PP. IV. annus 9. VACAT IMP. OCCID. an. 1. BALDVINI II. IMP. 23.

1 LVgduno, vbi tanquam in munitissimo asylo Friderici tyrannidem eluserat, in Italiam reuersus est Innocentius anno Christi quinquagesimo primo supra millesimum ducentesimum indictione nona: cum iam peruadente omnes regiones tyranni mortis fama, quam familiares aliquandiu suppresserant, pontificiæ res assurgerent; atque ij, qui carnem posuerant brachium suum, Ægyptique arundineo calamo innixi fuerant, spes suas euersas ac fractas intuerentur. Verum antequam e Gallijs discederet, pluribus literis fluctuantes Fridericianorum animos pertentauit, vt ipsos in Ecclesiæ triumphantis obsequium pelliceret: ac maxime Siculos sedis Apostolicæ clientes ad officium reuocare studuit: tum alios, qui in fide constantes extiterant, confirmare, iniunxitque partes Petro S. Georgij ad velum aureum diacono Cardinali Apost. S. L. quem ex Germanica legatione abduxerat, vt diligenter Siculorum voluntates, ac populorum a consilia exploraret, num sponte in Ecclesiæ obsequium procubituri viderentur; an adeo in pertinacia obduruissent, vt nisi vi & armis essent infringendi: vt secum statueret an exercitu valido cinctus Italiam ingrederetur ad hostium omnes conatus obterendos; an vero sine militari strepitu reditum adornaret.

Innocentius audita Friderici morte in Italiam reditum meditatur.

a lun. l. 8. ep. cur. 2.

Petro S. Georgij ad velum aureum diac. Card. Apost. Sed. Leg.

2 Intellecto per deuotionis tuæ literas, quod Fridericus quondam Imperator viam sit vniuersæ carnis ingressus, ad hoc tam cito nostrum conuertimus cogitatum, vt, sicut nobis & fratribus nostris diu votiuum extitit, ad vrbem Deo propitio rediremus. Postmodum autem meditandum nobis occurrit, quod vel omnibus de regno Siciliæ diuina pietas inspirauit, vt pro habenda plena pace, ac libertate perpetua, vnanimiter ad sinum matris Ecclesiæ reuertantur; vel quod forte aliqui, maligno spiritu instigante, super hoc obstaculum apponere nequiter conceperunt. Quia vero clara, & salubris prouidentia est in tanto negotio adhibenda, volumus, & per apostolica scripta tibi mandamus, quatenus corde solicitus habearis, vt de vniuersali affectu hominum ipsius regni super reuersione ipsorum ad Ecclesiam plenam inuestigare studeas veritatem; & quid inueneris, nobis sine dilatione rescribas; quia si reuersio desiderabilis hominum eorundem possit fieri, libere, virtutum Domino faciente, poterimus grandis militiæ postponere comitiuam: ant alias ita decebit nos cum potenti venire brachio, quod malitia rebellium cito conteri, & deuotorum pia voluntas de facili valeat adimpleri. *Dat. Lugdun. VIII. kal. februarij ann. VIII.*]

Petro Capocio prouinciam tradit explorandi Siculorū volūtatē.

3 Exaratis vero ad Siculos antistites literis b gratulatus est, sublato de medio tyranno, e funesta seruitute, sub qua tandiu ingemuerant, emersisse, atque e malis, quibus erant circumfusi recreatos: maximo se ex ipsorum præteritis angustijs dolore affectum; & agitare animo, legato præeunte, ipsorum prouinciam adire, vt flagitato eorum consilio, omnibus incommodis remedium adhibere, atque ex eorum ceruicibus intolerabile hactenus iugum depellere possit.

b lib. ep. 1.
Præsules ad recuperandam libertatem excitat.

Archiepiscopis, & episcopis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, archipresbyteris, & aliarum ecclesiarum prælatis, ac vniuerso clero; & nobilibus viris comitibus, baronibus, militibus, & populis ciuitatum, castrorum, & aliorum locorum per regnum Siciliæ constitutis.

Lætentur cæli, & exultet terra, quod fulminis horrendi tempestas, qua mirabilis, & metuendus Dominus per prolixa temporum spatia vniuersitatem vestram sustinuit vehementer affligi, vobis, per ipsius ineffabilem misericordiam, in ventum roris flantem iam esse conuersa videtur; illo sublato de medio, qui vos specialiter de numero fidelium persecutionis malleo continuare contriuit; & Ecclesiam Dei grauiter in multis, sed in vestra grauissime vexatione turbauit: sicut in eo de facili a vestra potest circumspectione notari, quod nos profundos gemitus, & plurima fundendo suspiria, de Apostolica sede ad loca remota transiuimus, vt multorum afflictionibus, sed vestris præcipue angustijs finem imponere valeremus. Sane quod in hoc apostolica solicitudo non potuit, in complementum celebre perpetuis futuris tem-

temporibus recolendum, supernæ deduxit gratiæ pietatis; & expandit super vos amictum suæ gloriæ, quos omni orbi terræ despectos, & miserabiles fama publica reuelauit. Propter hoc siquidem dilectissimi nobis in Christo a vobis lætitiæ canticum est vnanimiter assumendum, & illis inuigilandum studijs, per quæ ad votum de cætero persundi omnimoda prosperitate possitis.

4 Nullius itaque suggestionis obstacula, vel dilationis, sue difficultatis impedimenta retardent, quin effusam super vos affluentiam diuinæ dulcedinis perfectum operis agnuscentes, ad vestræ matris Ecclesiæ gremium suauissimum recurratis, habituri perpetuam tranquillitatem, & pacem, ac illam tutissimam & delectabilem libertatem, qua cæteri speciales Ecclesiæ filij feliciter & firmiter sunt muniti; nobis adhuc omni solicitudine vacaturis, vt qui spiritu exultamus vobis diem lætitiæ post noctem tristitiæ prouenisse, quicquid vobis ad commodum & honorem redundare senserimus, promptis affectibus diuina gratia cooperante faciamus. Vt autem mentem nostram in iis plenius & clarius agnoscatis, vos ita præsentibus literis duximus visitandos, quod etiam idoneos nuntios ad vos in proximo transmittemus; disponentibus nobis interim, quod quamcitius poterimus nos ad felicem reditum, præuio salutis angelo, accingentes, vestram desiderabilem patriam nostris oculis videamus, illa cum fratribus nostris de vestro dispositurі consilio, per quæ tollatur a vobis angustiosæ seruitutis opprobrium, & honor perpetuæ libertatis accedat, cum stabili plenitudine gaudiorum. *Dat. Lugd. VIII. kal. febr. an. VIII.*]

5 Passus est tamen in Sicilia nonnullos antistites aduersarios Pontifex, quamuis tuendæ eorum dignitatis adeo cupidum se demonstrasset, coniunctaque cum pontificia esset ipsorum causa: & inter cæteros Panormitanum archiepiscopum, cuius pertinaciæ se contrari ostendit: hortatusque est a præterita male gesta insigni aliquo officio redimeret: quos posset ad Ecclesiæ obsequium traheret; ac Barensi archiepiscopo pro rebus Siculis misso, strenue studium operamque suam commendaret.

Panormit. archiepisc pont. hostis partibus aduersatur

a Sed. 18. ep. aur. 73.

Archiepiscopo Panormitano.

Ætatis tuæ nos plurimum miseret, & ex corde compatimur canis tuis, si ad inferos obstinationis laqueo, vel quod absit, peruerso desperationis consilio deducantur. Et ideo quia, sicut tua tibi dictare potest conscientia, nisi forte rationis extrema scintilla in te præ nimia peccatorum caligine penitus sit extincta; enormiter coram Deo in totius Ecclesiæ scandalum deliquisti. Recogita, quæsumus, annos tuos, & in amaritudine multa dilue pœnitentiæ lacrymis culpam tuam: si forte tibi ex summæ pietatis fonte proueniat, quod in charitate multa, multa tibi crimina dimittantur. Nos quidem adeo vincit circa te pietas, vt ab euidentibus pœnitentiæ tuæ signis, cupiamus nobis aliquam violentiam irrogari, qua tui misereri cogamur, & rigorem, quem aduersus te iustitiæ disciplina retendit, abundanti clementia temperari. Cæterum vt aliqua tibi via ad veniam nobis suadentibus præparetur, prudentia tua, quæ malo cooperabantur in malum, in obsequium iustitiæ conuertere studeat consilio saniori; venerabili fratri nostro Barensi archiepiscopo, quem ad partes regni transmittimus, in eiusdem regni, ac Ecclesiæ negotijs assistendo fideliter, quos poteris ad Ecclesiæ fidelitatem solicite reuocando; ita quod exinde non solum misericordiam, sed gratiam consequaris. *Dat. Lugd. VI kal. feb. an. VIII.*]

6 Eodem argumento Salernitano archiepiscopo datæ literæ b: deque legationis munere Barensi archiepiscopo imposito diploma extat c. Alios etiam Siculæ rei incumbere iussit: vt Matthæum d subdiaconum ac Rogerium Leucinianum ordinis Prædicatorum, quem nobilibus viris ac præsulibus impense commendauit a. Ita Manfredi conatus, qui sibi Siciliæ administrationem arrogabat, seque Conradi proregem gerebat, re autem vera tyrannidem moliebatur, debilitare conabatur Innocentius. Ac ne ex Germania submitterentur illi auxilia, Germanos præsules intentato anathematis terrore vetuit, cuilibet Siciliæ regnum affectanti auxilia porrigere, eiusue partibus se irretire: quo argumento Coloniensi archiepiscopo & suffraganeis extant scriptæ literæ b, quibus ipsos tum mortis exauctorati Friderici certiores fecit; vtque eam famam disseminarent imperauit: extulitque summis laudibus archiepiscopum ob nauatam Regi Romanorum operam, illumque vt cœptis constanter insisteret est adhortatus. c

b lib. ep. 72. c Ep. 70. d Ep. 8. & 44.

a Ep. 50. 51. 52. 57. Manfredus tyrannidem in Sicilia affectat. Comprimendo illi incumbit Pont. b Ep. 11. c Ep. 19.

7 Ad subducendos vero ex Conradi obsequio Germanos proceres magistro Iacobo archidiacono Laudunensi capellano pontificio, cuius probitas & industria explorata erat, eam prouinciam commendauit d: illique Theodoricum socium adiunxit, ac Germanis præsulibus opera & consilio illi non deesse iussit e: *Quia per te tanquam per probatum virum volumus eiusdem Ecclesiæ negotia promoueri, discretionem tuam rogamus, & hortamur attente mandantes, quatenus assumpto tecum fr. Theodorico magistro domus Theutonicorum Prussiæ, qui linguam nouit Theutonicam, accedas ad duces, marchiones, & comites Imperij, reuoces eos ad deuotionem Ecclesiæ; & ad præstandum homagium charissimo in Christo filio Vuillelmo Regi Rom. illustri efficaciter inducere satagas iuxta prudentiam a Domino tibi datam: nec expauescas onera Ecclesiæ Romanæ subire, quæ te virum industrium comprobarunt, ac filium in deuotione sedis Ap. generosum. Dat. Lugd. XII. kalen. mart. ann. VIII.* Pluribus etiam alijs literis Bauariæ, & Saxoniæ duces, Misnensem & Brandeburgensem marchionea, aliosque magnates & populos conciliare Ecclesiæ; atque a Conrado ad Guillelmi partes traducere conatus est f: quos ab episcopo Constantiensi sacris restitui censurisque absolui imperauit. g

d Ep. 20. e Ep. 21. Iacobum archid. in Germanum legatum mittit vt proceres ad Vuillelmi Regis partes traducat.

8 Præterea quo Guillelmo Romanorum Regi eos principes necessitudinis vinculo adstringeret, Saxoniæ ducem solicitauit, vt filiam electo Imperatori matrimonio coniungeret: Austriæ vero ducissam h, vt Florentium eiusdem Guillelmi fratrem virum acciperet. Cæterum Stadensis i tradit Guillelmum Regem non Saxoniæ sed Brunsuici ducis, Othonis nimirum filiam vxorem duxisse, parumque abfuisse, vt in ipsa nuptiarum festa nocte incendio conflagraret: *Anno Domini*, inquit, MCCLI. *Vuillelmus Rex duxit filiam ducis Othonis de Brunsuich, & in ipsa nuptiarum nocte, scilicet conuersionis S. Pauli, palatium, in quo quieuerunt sponsus & sponsa in Brunsuich iuxta leonem penitus exarsit, ex luminis & straminis incuria, Corona Regis exusta est, & multæ res pretiosa: duo sartores, qui in consuendis in quadam camera sedebant vestibus, sunt exusti. Rex & Regina vix euaserunt. Regina tamen Regem tanquam in domo esset maior educente.* Hæc Stadensis. Adijsse eodem anno maximum vitæ discrimen Guillelmi æmulum, Conradum scilicet, & casu inopino ex coniuratorum cruentis manibus euasisse, describit Henricus Steto l: *Chunradus Rex natali Domini Ratispona fuit, vbi quia possessiones episcopi & ministerialium Ratisponensium incendijs vastauerat, dum proxima nocte post festum innocentium in monasterio S. Emmerami dormiret, Chunradus de Hohenuels, & alij ministeriales Ratisponenses, quasi media nocte in cameram suam irrumpunt: & cum per explorationis dicta non plures quam Regem cum quatuor socijs suis in ea dormire putabant, duobus occisis & tribus captis credebant se occidisse ipsum Regem: sed nocte sextus fortuito casu superuenerat, & loco ipsius Regis interfectus est. Rex autem latitans sub scamno valde mi-*

f lib. ep. 23. 24. 31. 32. 33. 34. 35. 37. 38. 40. g lib. ep. 41. Pro augendis Guillelmi viribus Pontifex studia. h Ep. 16. i Alb. Stad. in chron. hoc ann. Vuill. prima nuptiarum nocte vix ex incendio euadit.

l Steto in annal. apud Canis. ant. lect. t. 1. pag. 270. Conradus quæsitus latebris coniuratorum cruentas manus euadit.

miraculose imminens periculum mortis euasit. Addit Stero Viricum abbatem a criminis suspicione non absuisse, eiusque monasterium vastatum; episcopum vero Ratisponensem clientum suorum turma stipatum extra Ratisponæ mœnia rei exitum præstolantem, sua expectatione delusum fuisse. Illum iniuste a Ratisponensibus eiectum ac spoliatum iuribus a ciuibus, qui Conrado se suaque addixerant, superius vidimus, sed de superatis a Vvillelmo & Conrado grauissimis periculis satis. Iam quantum studij collocarit Innocentius, vt deiecto Conrado Vvillelmum efferret, intueamur.

Vvillelmo imperialia ornamenta pollicetur. a Inn. l. 8. epist. 17. & 18.

9. Pollicitus in primis est Vvillelmo imperialia ornamenta conferre, illumque ad fidei erga Ecclesiam constantiam excitauit, vt exaratæ xv. kal. martij ea de re ostendunt literæ a.

Vvillelmo Regi Romanorum illustri.

Licet, postquam Dominus, seruorum suorum humilium clamoribus excitatus, in Christum suum ad liberandum deuotos filios a iugo miseræ seruitutis, voluntatis nostræ circa tuos profectus meditatione continua, indefesse vigilauerit sedes Apostolica mater tua, prout operum clara testimonia probauerunt; nunc tamen tanto amplius ad personæ tuæ sublimationem statum feliciter consummandum intendimus, teque fouere proponimus auxilijs & fauoribus opportunis, quanto prosperius negotium Ecclesiæ, ac Imperij, cum quod multorum studia, quæ feruere debuerant, frigescebant, diuina cooperante dextera, progressuum optatorum desiderio expectatum.

10. Proinde fili charissime hortamur serenitatem tuam in Domino, & labora soluere per teipsum, & Excelsi dexteræ collabora; promptos fideles in negotio, infideles ad fidem satage prudenter, qua conuenit, reuocare; gloriosius exinde prouenturus ad Romani Imperij diadema, quod tu, Deo concedente, decorare tota intentione animi affectamus. Nec regalis excellentia credulitatis aditum accommodet veraniloquijs aliquorum, in contrarium tibi forsan suggerentium, & intendentium forte ipsa vetere bisi candidate serpentis venenum aliquod sinceris affectibus admiscere; vt eam, quam ad Romanam habes Ecclesiam, & quam ipsa te sincere complectitur charitate, attenuet vel remittant; & tuam magnificentiam reddant in prosecutione imminentis negotij negligentem. Omni autem a talibus cautelæ studio obserua cor tuum; & aures tuas, ne blandis pateant susurronibus, spinis sepi, in Ecclesiæ deuotione crescere semper studens, quæ te pure dilexit, & diligit; ac materno affectu diligere non desistens, ad coronam Imperij, Deo propitio, ac vita comite, in proximo sublimabit. *Dat. Lugd. xv. kal. martij an. viii.*

b Stero in annal. apud Canis. antiq. lect. to. 1. p. 270
c Par. hist. Angl.
d Siffr. ep. lib. 2.
Conradū anathemate percellit.
e Lib. 8. ep. 192.

11. Confirmauit etiam die cœnæ Dominicæ, vt restatur Stero b, in magna episcoporum corona regnum Germaniæ Guillelmo: Conradum vero, vt docet Parisius c, Imperium affectantem anathemate perculit, iussuque apostolico Hugo Cardinalis in Germania idem præstitit, vt scribit Siffridus d; & obiecta religione omnes in Guillelmi obsequia adducere est conatus. Demum ad conflandas vires, ac propulsandos Conradi impetus religioso viro de Eyka ordinis Prædicatorum partes imposuit e, vt propositis indulgentiarum præmijs ad induendam crucem populos excitaret, munusque cruce milites insigniendi alijs demandaret: *Prædicationem crucis contra Conradum natum quondam F. Imperatoris, suosque fautores persecutores Ecclesiæ, per totum regnum Alemanniæ tibi duximus auctoritate apostolica committendam, exequendi prædicationem huiusmodi per te, vel per alios, quos ad eam idoneos esse cognoueris, largiendi etiam crucesignatis ob causam huiusmodi, & concedendi priuilegia, & indulgentias quæ crucesignatis in Terræ sanctæ subsidium transfretantibus conceduntur; necnon remissionem quadraginta dierum ijs, qui ad tuam super hoc prædicationem, vel aliorum, quibus iam commiseris, accesserint audiendam; ipsosque nihilominus censura ecclesiastica compescendi, qui super ijs vota sua præsumpserint impedire, concessa vobis auctoritate præsentium plenaria potestate. Dat. Lugdun. non. februar. anno viii.*

Suevos ad Conradi partes repudiandas sollicitat. a Lib. 8. ep. cur. 67.

Ad diuellendos a Conrado Sueuos, qui suos, & amicorum conatus omnes consumebat, vt Germanicum sceptrum inuaderet, Innocentius ad illius prouinciæ prænobiles viros datis literis a, certiores fecit, nunquam Rom. Ecclesiam consensuram, vt Conradus Imperio, vel Sueuico principatu potiretur.

Herode sublato, qui Christi animam in animabus fidelium semper perdere nitebatur, hæreditario iure paternæ tyrannidis principatum alter sibi vindicat Archelaus. ita Conradum Friderici filium appellat, qui parenti crudelitate, artibusque impar non erat. *Propter quod adhuc matrem oportet Ecclesiam deuotorum suorum præcauere pericula, ac dexteram protectionis extendere in filiorum præsidium contra eos, qui aduersus Dominum, & aduersus Christum eius, in sua superbia eriguntur. Hinc est, quod nos volentes in prosecutione catholicæ libertatis, & propriæ animorum vestrorum constantiam roborare, vniuersitatem vestram volumus esse certam, quod quemdam Friderici, qui olim pro Imperatore se gessit, sobolem nobis, vt nobis merito de paternæ perfidiæ hæreditaria imitatione suspecta, & traductam ab auis & proauis suæ tyrannidis æmulatrix; nunquam ad Romanum regnum, vel Imperium, aut Sueuiæ principatum consurget ex permissione sedis Apostolicæ, aut fauore. In cuius certitudinis argumentum vobis præsentes literas duximus concedendas. Dat. Lugd. xv. kal. apr. an. viii.*

b Ib. ep. 66

Commendauit b eorumdem nobilium erga Apostolicam sedem studium, & comitem Guerembergensem ab ijs oratorem missum benigne excepit. Tum H. e Prædicatorum familia religiosum virum ad incitandos in hostem torpentium animos, & crucis sequenda signa inflammandos missurum adiecit.

c Serarius rerum Mogunt. l. 5. in Christ. 31. an. M.S

12. Dum fideles magnis animis ad comprimendam Conradi tyrannidem consurgerent, Christianus Maguntinus archiepiscopus, quem alij Conradum vocant, inertiæ accusatus, cum ad defendendam armis Ecclesiæ causam segnior esset, gradu deturbatus est, vt refert Serarius c: *Dicebat*, inquit, *nequaquam decere talia*, nimisum belli opera exercere, *sacerdotem, sed quidquid debet per gladium spiritus quod est verbum Dei, omnino se promptum asserebat & voluntarium fruiturum. Cumque eius prædecessorum sequi vestigia moneretur, respondit, scriptum est: Mitte gladium in vaginam. Ob hoc in odium Regis, Vvillelmi scilicet, & multorum incidit laicorum, qui omnes eum accusantes apud Papam obtinuerunt eum ab episcopatu omni submoueri. Cessit ergo anno Dom. MCCLI, substitutus est autem ab eodem legato adolescens, subdiaconus Gerardus nomine filius comitis Conradi, qui dicebatur Siluester comes.* At iure episcopatu deiectum ob principatum illi coniunctum exploratum est; cum non modo præsulem, sed etiam principem agere, ac vim insultantium Ecclesiæ vi repellere oporteret. Susceperat sane initio Innocentius id consilium vt aduersus Fridericum censuris tantum vteretur, vt ex literis d tum ad Cistercienses datis constat; sed cum tyrannum censuras contemptu proterere cerneret, infringendam armis illius tyrannidem censuit, insignisque fuit Christiani proteruia, tanta maturitate consilij a Pontifice & Cardinalibus decreta spernere, ac fræna impietati laxanda arbitrari. Quod porro ad legatum spectat, is fuit Hugo tit. S. Sabinæ presbyter Cardinalis, vt literæ ineunte hoc anno exaratæ testantur e: quibus prouincia illi demandata est, vt Tarantasiensis ecclesiæ administros ad

d Extant apud Par. hist. Angl.
e Ep. 227.

vete-

veterem disciplinam, & sanctitatis cultum reuocaret. Adiectum etiam illius nomen in diplomate a reperitur, quo Innocentius Guindelburgensium monialium in Alberstadensi diœcesi priuilegia, suscepto earum patrocinio, confirmauit; ad cuius calcem hæc apposita: *Ego Innocentius Ecclesiæ catholicæ episcopus subscripsi. Ego Petrus Albanen. episcopus subscrip. Ego Vvillelmus Sabinen. episcopus subscr. Ego Petrus tit. S. Marcelli presb. Card. subsc. Ego Fr. Iohnes tit. S. Laurentij in Lucina presb. Card. subscr. Ego Fr. Hugo tit. S. Sabinæ presbyter Card. subscr. Ego Richardus S. Angeli diac. Card. subscr. Ego Io. S. Nicolai in carcere Tulliau. diac. Card. subscr. Ego Vvillelmus S. Eustachij diac. Card. subsc. Dat. Lugdun. per manum magistri Marini S.R.E. vicecancellarij XIII. kal. mart. indict. IX. incarnationis dominicæ ann. MCCL. pont. vero D. Innocentij Papæ IV. ann. VIII.*

a Lib. 8. ep. 342.

Qui Cardinales hoc anno Pontifici assiderent.

13 Nec prætermittendum est fuisse Hugonem insignem pietate ac literis, cum in sacra Dominicanorum familia excultus fuisset, atque in omnia sacra biblia elegantes lucubrationes ediderit. Ex eo denique Cardinalium numero dicto diplomati ascripto Guillelmus Sabinensis episcopus hoc anno pijssime e vita discessit, eum obiecto cælesti mortem diuinitus ante præsagijsset, seque ad eam constanter Christiano more comparasset, de quo hæc narrat Parisius b: *Anni sub eiusdem tempore episcopus Sabinensis Vvillelmus, vir quidem sanctus, Romanæque Ecclesiæ Cardinalis; qui in Suecia, & Norvvigia paucis ante elapsis annis existens legatus, Regem Haconem Norvvegiæ, vt prædictum, coronauerat, cum quadam nocte sanus, & incolumis in strato suo dormiret, vidit in visione nocturna, quod Otho Cardinalis, qui paulo ante obierat, sedit in quodam concilio generali populoso nimis: & cum superuenisset prædictus Vvillelmus, nec aliquis ei assurrexisset, nec daret locum sessionis, solus Otho, assurgens ei, palam dixit ipsi: Amice, ascende superius: locum tibi sessuro reseruaui. Erant nempe ipsi duo re vera dum viuerent amicissimi. Vvillelmus autem, cum euigilaret, commotus est vehementer; & datum est ei desuper scire, quoniam infra tertium diem ab hoc seculo foret migraturus. Illico igitur adijt Papam, & accepta licentia, & benedictione, dixit: Vale domine mi, vocat enim me Dominus ab hoc seculo; & eodem modo vale dicens omnibus fratribus, & amicis suis, redijt deuotus valde ad hospitium suum. Mirabantur autem omnes super his, & fuerunt, qui deriderent eum, dicentes quoniam senuit, & delirauit: quia sanum eum videbant, & nullam in corpore habentem læsionem. Ipse autem Vvillelmus, dispositis in domo sua cum deliberatione disponendis, & multis patefacta prædicta visione; laudabili fine in crastino ab huius mundi transijt incolatu.* De Vvillelmo olim episcopo Mutinensi nos plura superius, cuius epitaphium, affert D. abbas Ferdinandus Vghellus c. Subijcit paulo post idem Parisius pijssimum matronæ cuiusdam Anglicæ nomine Cæciliæ obitum, quæ defuncto viro coram S. Edmundo Cantuariensi archiepiscopo, vt ait auctor, continentiæ votum nuncuparat, & abiectis muliebribus ornamentis, vitam magno virtutum exemplo insignem duxerat: *Moritura suum aduocari confessorem, videlicet fratrem Vvalterum de S. Martino de ordine Prædicatorum, virum eleganter moribus præditum, & scientia, fecit sub festinatione: in cuius præsentia, cum facta plenissima confessione Dominici corporis viatico muniretur, extrema vnctione delibuta, & morti exponeretur, frater Vvalterus, videns annulum aureum in digito eius, ait ancillis: Deponite illico annulum illum, ne moriatur sic adornata. Ipsa vero hæc audiens, licet semiuiua, resumpto spiritu sic loqui conata est: Absit, absit hoc pater charæ a me, vt vnquam recedat a me viua, vel mortua hic annulus, quem ante tribunal Dei sponsi mei proferam in testimonium inuiolatæ, quam ei per hunc annulum promisi, continentiæ, vt recipiam quam pepigimus retributionem. Scio cui credidi, quoniam nobilium amplexus pro ipso cum optimis dotibus recusaui. Et sic manum retraxit, & recuruato digito annulum, quem famulæ attentabant deponere, retinuit: & sic sermonem cum vita terminauit. Frater autem Vvalterus, vtpote vir discretus tam verba deuota, quam pium propositum commendauit. Hæc & alia sanctitatis argumenta mihi hæc scripturo dictus frater veraci relatu patefecit.*

Guillelmi ep. Sabinensis pia mors.

b Par. hist. Angl. hoc ann.

c Ferd. Vghel. Ital. sac. t. 2. col. 198.

14 His funeribus coniungendum aliud adolescentis prænobilis videtur, qui cum primo infelici exitu vitam clausisset, B. Virginis ope, cuius cultui addictissimus erat, ad vitam reuocatus, expiatis apud sacerdotem criminibus, felicissime iterum animam efflauit. Rem adeo admirandam narrat Cantipratensis a his verbis: *Quid de triplici quinquagena in salutatione versus angelici, Aue Maria; anno ab incarnatione Domini MCCLI. contigerit referamus. Vidi & cognoui iuuenem in Brabantiæ partibus generosum; qui, quamuis esset totaliter seculo deditus, B. tamen Virginis deuotus quotidie tres dictas quinquagenas in salutationibus exoluebat. Infirmatus autem ad extrema perductus est. Cumque per horas dies plurimas mortuus iacuisset, reuixit subito, & sorori monialis, quæ iuxta se sedebat, inclamauit, dicens: Soror ecce redij: cito aduocari facias sacerdotem. Mirantibus omnibus presbyter aduocatur, & in magna cordis lætitia palam omnibus confitetur dicens: Ad tribunal Christi iudicis raptus, cum in tribus maxime a dæmonibus accusarer, ferrique deberet sententia contra me, pijssima Christi mater rogauit filium, vt ad corpus reducerer, locum pœnitentiæ suscepturus. Nec mora, factum est vt rogauit. Vnum de peccatis erat pro quo damnandus eram, quia decimas de bonis & agris meis sacerdoti subtraxeram. Secundum erat, quod cum sodalibus meis pisces quorumdam religiosorum furto subtraxeram. Tertium erat, quod segetes & fruges pauperum cum canibus venaticis vagabundus destruxeram. Hæc cum coram omnibus loqueretur, quidam ex mansionarijs respondit: Et cur, inquit, pro damno isto extremo damnandus eras, cum nos omnes illud vobis puro corde remiserimus? Et ille: Mihi quidem vestra remissio nequaquam suffecerat, cum copiosior essem vobis in iniurijs refundendis, quam vos mihi in iniurijs dimittendis. Et his dictis restituenda damna protinus assignauit. Sicque disponens rebus & domui in spe & pace mirabili spiritum exhalauit.* Hæc Cantipratensis. Iam ad Innocentium, a quo digressa est oratio, redeamus.

Adolescens e morte ad expianda crimina ad vitam reuocatur.

a Cantip. lib. 2. c. 29. num. 8.

15 Cum Lugduno discessum adornaret Pontifex, vt egregium aliquod grati animi signum in ciues, qui summa veneratione ipsum erant prosecuti, explicaret, eos fortunasque in sedis Apostolicæ patrocinium arripuit, de quo has literas dedit. b

Discessurus Lugduno Pontifex in clientelam ciues accepit.

b Lib. 8. ep. 317.

Ciuibus Lugdunensibus.

Multa & deuota seruitia, quæ nobis & fratribus, cæterisque officialibus, & familiaribus nostris in ciuitate Lugdunensi libenter, & liberaliter impendistis, secure sedem Apostolicam interpellant, & ab ea exigunt confidenter, vt vos inter alios deuotos Ecclesiæ filios præcipua beneuolentia prosequentes, personas vestras singularis priuilegio gratiæ honoremus. Nullo etenim tempore ab eiusdem sedis memoria excidere poterit, cum quanta nos ciuitas vestra veneratione susceperit, & cum quanta studuerit diligentia honorare. Sed hæc in armario pectoris perpetuo conseruabit, vt crebra horum rememoratione sæpe vos mentis comprehendat obtutibus, quos in absentia non poterit corporaliter intueri. Claruit siquidem erga nos, & sedem ipsam vestra sinceritas, patuit fidei vestræ puritas, & cordis constantia inconcussa permansit: propter quod apostolicis vos fauoribus

pro-

proponimus amplius communire. Volentes itaque paternum affectum, quem ad vos pro tam acceptis obsequijs gerimus, demonstrare, personas vestras cum familijs & omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum iustis modis præstante Domino poteritis adipisci, sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti pagina communimus. *Dat. Lugdun. xvi. kal. mart. ann. viii.*]

a Ibid. ep. 15. 319 320. b Ep. 412. 413. 414. 415. c Ep. 411. d Ep. 316. Commendat ipsos omnibus præsulibus

16 Ornauit a eosdem pluribus alijs beneficijs, ac maxime ecclesiam S. Iusti, apud quam erat moratus, amplissimis priuilegijs b; tum canonicos auxit c. Alijs vero encyclicis literis d ad omnes præsules orbis Christiani transmissis certiores fecit, Lugdunenses ob grata eorum in sedem Apostolicam officia, Pontificiæ clientelæ fuisse commissos: tum partes iniunxit, vt ob cultum, quem erga eandem sedem gesserint, Lugdunensibus in eorum prouincijs præsidio sint, ab omnibus vindicent iniurijs, publicis tabulis eorum securitati caueant, & alia præstent officia, quæ ab ipsis fuerint experita.

Innocentius &c. Vniuersis archiepiscopis, & episcopis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, & alijs ecclesiarum prælatis, ad quos literæ istæ peruenerint.

Lucida Lugdunensium deuotio ciuium, plena erga Ecclesiam sinceritate coruscans, sic tenaciter est ascribenda memoriæ, vt nulla exinde obliuione, succedente tempore, valeat aboleri. Sane vigente olim temporis qualitate, cum in Italiæ partibus contra Ecclesiam ipsam procella persecutionis excresceret, prouidimus ad partes alias deliberato consilio declinare, vt defensioni catholicæ fidei, & ecclesiasticæ libertatis dare possemus operam potiorem: propter quod tempestatis Italicæ turbine deuitato ad cismontanam, vbi viget tranquilla requies & quieta tranquillitas, peruenimus regionem, eligentes pro mora nostra specialiter Lugdunensem ciuitatem, in quam titulo nobilitatis insignem, fidei puritate pollentem, pacis vnione concordem, rerum affluentia locupletem, & situ loci communem & habilem vniuersis; in qua vniuersali & celebri congregato concilio, ac in eo Ecclesiæ causa diligenter exposita, contra tyrannos, & persecutores ipsius constanter processimus, & super necessaria Terræ sanctæ, ac Imperij Romaniæ subuentione; necnon contra imminentes Tartarorum incursus, & generaliter super statu Ecclesiæ, solerti cum eodem concilio deliberatione præhabita, duximus salubriter prouidendum.

Egregia Lugduni ciuitas.

17 Hæc est vtique ciuitas deuotione conspicua, quæ generalis pastorem Ecclesiæ, & omnium fidelium spiritualem patrem cum magna veneratione suscepit, ac ipsum cum fratribus, cæterisque officialibus, & familiaribus suis multipliciter honorauit. Huius quidem ciuitatis habitatores recte peculiares Ecclesiæ filij vocari merentur, qui humilitate tractabiles, mansuetudine lenes, affectione beneuoli, & modestia compositi studuerunt eam vt matrem & dominam in omnibus reuereri. Merito itaque sedes Apostolica ipsos tanquam ex multimodo famulatu condignos ampliori amore complectitur, prosequitur vberiori fauore, ac erigit gratia potiori; vt ipsorum recognita, & remunerata bonitas sit alijs ad Ecclesiæ obsequia inductio efficax, & effectiuum exemplar. Verum quia volumus quod grata ipsorum merita non solum proximis, sed remotis etiam innotescant, vt & apud illos clareant digna laude; prouidimus pro eis vobis nostras affectuosas literas, deuota ipsorum exponentes seruitia, destinare: quia non solum per nos, sed & per vos, & alios profectum eorum procurare intendimus & honorem. Ideoque vniuersitatem vestram rogamus, & hortamur attente, per apostolica vobis scripta in virtute obedientiæ districte præcipiendo mandantes, quatenus eosdem Lugdunenses ciues, quos sub B. Petri & nostra protectione suscepimus; quandocumque ad terras, vel loca vestræ iurisdictionis ipsos accedere, vel exinde transire contigerit; habentes pro nostra, & sedis Apostolicæ reuerentia, tanquam filios ipsius sedis speciales præcipue commendatos; & eos in personis & rebus fauorabiliter protegentes, ac de securo conductu, si necesse fuerit, in eundo & redeundo prouidentes eisdem, non permittatis ipsos a quoquam molestari aliquatenus vel offendi: & si super iniurijs, vel quibuscunque negotijs iustitiam sibi fieri petiuerint, illam eis a vestris subditis, cum super hoc vos requisiuerint, faciatis plenarie sine mora & difficultate qualibet exhiberi, &c. *Dat. Lugdun. id. febr. anno viii.*]

Regina Blanca Pontifici reducturo Galliarum vires offert.

18 Cum in Italiam reditum meditari Pontificem Regina Blanca accepisset, quæ agente in Syria sanctissimo ipsius filio regni gubernacula tractabat, misso oratore regni vires Innocentio, & Cardinalium collegio obtulit ad ipsum Romanæ sedi contra hostium omnium conatus restituendum; ac significauit incredibili se desiderio vidẽdi Pontificis teneri, gerereque in votis, quamuis ex præterita valetudine recreata omnino non esset, Lugdunum petere, vt cum ipso magnas res conferre, atque apostolica benedictione potiri posset. Quam Pontifex, post collaudatum eximium illius regnique Francorum in Apostolicam sedem studium, a suscipiendo itinere reuocauit: cum valetudinis discrimen, ex qua tot populorum salus pendebat, adiutura esset, eaque res ipsius discessum, qui maturandus erat, retardatura videretur. a

a Ibid. ep. cur. 60.

Reginæ Francorum illustri.

Commendat illius erga sedẽ Ap. studiũ Innoc.

19 Nota nobis est patenter & cognita illius sinceritas charitatis, quæ erga Dei Ecclesiam in animo tuo semper sic viguit, & radicata sic viruit in sacro solio regni tui, vt nullis vnquam malignitatibus ipsa arefacta deciderit, nec in extremis necessitatum articulis aliquem teporis sui senserit tepefacta languorem. Notam quidem certo indicio, & cognitam experimento probabili eandem non immerito dicimus charitatem, quam tot irrefragabilia promptitudinis argumenta pronuntiant, tot afflictionum insignia signa probant, tot irreuincibilia operum testimonia manifestant. Hæc quippe antiqua leguntur in libro illabilis memoriæ, quo apud sedem Apostolicam meritoria cuiuslibet deuotionis obsequia recoluntur; sed non per obliuionem ingratitudinis aliquatenus antiquata, quæ prædicta sedes efficit sæpe recensendo recentia, eaque apud se de cunctis temporum vicissitudinibus, ne cum his a modernæ considerationis dilabantur aspectibus, congregata in conseruationis suæ thesauris præcipuis consignauit. Verum inter cætera certitudinis documenta, quibus nobis se hactenus prodidit tua puritas, tuus ardor, nunc experimentum charitatis, non ambigue obiecisti, mittens ad præsentiam nostram nuntium fidelem, prouidum & prudentem, per quem te ac regnum tuum, munificentia pietatis in Deum, eiusque sponsam orthodoxam Ecclesiam exuberans inter alia regna mundi, nostris & fratrum nostrorum beneplacitis obtulisti.

Collaudat piũ adeundæ sedis Ap. desiderium.

20 Et vt insuper Romana Ecclesia mater tua de finibus tuis plenius a te salutata recederet; teque diuinis augeret benedictionibus, & maternis dimitteret amplexibus lætiorem; proposuisti per nuntium memoratum, quod nos flagranti desiderio videre affectes, & alloqui ante discessum nostrum de partibus Gallicanis. In tantum quidem ad hoc animum tuum bonæ voluntatis, vt accepimus, impellit instinctus, quod te, quamuis diuturnis corporalis ægritudinis laboribus fatigatam, necdum plenæ naturæ viribus redditam, labor longioris itineris non deterret;

ret; quin per debilitatem membrorum, cordia adhortante vigore, nostris aspectibus pro Christi reuerentia, quam in eius vicario, licet immerito, sanæ fidei oculo consideras, quoquo aduehendi conamine gestias præsentari. Benedictus itaque Deus, & Pater domini Iesu Christi, omnisque laus iubilet nomini sancto eius, qui deuotionem fidei catholicæ, qua regnum Francorum in suis dudum resulsit principibus, te ac gloriosis fructibus ventris tui tanta integritate seruauit, quod eius serenitas ex aliquo turbinis nubilo vlla mutationis in aliud detrimenta non sentit. Sed super ijs quæ ex parte celsitudinis tuæ nobis sunt proposita & oblata, & quæ tanquam de prælo regiæ puritatis expressa munera pretiosa tota cordis alacritate suscepimus, & omni acceptionis fauore indicauimus amplectenda; mansuetudini tuæ gratiarum exsoluimus actiones, retributorem omnium, quem per hoc in nobis regalis pietas veneratur & colit, suppliciter implorantes, vt huiusmodi deuotæ promptitudinis meritum signanter tibi reponat ad cumulum præmiorum; quia certi sumus, nec est quo possimus fieri certiores, quod regiæ liberalitatis amplitudo magnifica suæ affectionis pollicita libenter prosequeretur effectu. Nec mirum si hæc tibi suggerit fœcunda innatæ deuotionis benignitas, cuius fontem exuberantiæ multiplicitas non exhaurit: in te quidem, ab illustrissimis & Christianissimis traducta parentibus; deinde & in serenissimo reperta consorte, ac demum per tuæ institutionis documenta salubria in diuitem sobolem propagata: vt iam inuiolabilis Christianæ religionis sanctitas, & fidei orthodoxæ sinceritas tuis de cætero posteris de throno tuo videatur quasi hæreditaria prouenire.

Ad celerem reditum se vrgeri significat.

21 Sane charissima filia hoc ex nobis nosse te volumus, quod ad mutuum conspectum atque colloquium votum nostrum adeo cum tuo voto concurrit, quod in loco tibi commodo, ac vicino non piguisset nos desiderio tuo Apostolicæ sedis afferre præsentiam, vt ea iuxta posita sine aliquo laboriosæ profectionis incommodo fruereris; si id tempus admitteret, & rerum incumbentium vrgens necessitas pateretur. Quippe nostræ tibi, ac tuæ nobis præsentiæ commoditas proueniret captanda, sicut confidimus, ex sermone communi secundum Deum consilia orirentur: sed importune nos in Italiam reuocant accelerandæ vtilitatis manifesta necessitas, & ardua Ecclesiæ Romanæ negotia, quæ de nouis diuinæ voluntatis dispositionibus emerserunt; vlteriorem non ferentia protractionem in his partibus moræ nostræ sine certa iactura, & discrimine manifesto.

Iustas ob causas a suscipiendo itinere reuocat.

22 Impedit præter hæc alternæ visionis vota communia non iniusta formido de tua nos debilitate deterrens; ne tui conualescentiam corporis contingat ex aliquo motu inquietudinis retardari: ne dicamus incurrere, quod absit, periculum recidiuæ. Cum tibi multorum salus de tua vita dependeat, seruanda est, & procuranda omni studio tanquam publica tua salus; & nobis, ne læsionis esse tibi possimus occasio, tanto diligentius est cauendum, quanto incolumitatem tuam ampliori aelamus affectu. Eam quidē fructuosam esse cognouimus tui regni profectibus, robori fidei, ac munimini ecclesiasticæ libertatis, quę gaudet sub tuo præcipue se fauore florere. Præferantur ergo tuæ cautela salutis, publica necessitas nos accelerans ad recessum; & his cedant æquanimiter vota nostra, quibus ad mutuæ visionis alloquiū vtrinque laudabilis intentionis inuitabantur affectus; & corporum absentiam spirituum in Domino præsentia recompenset. Rogamus itaque celsitudinem tuam, vt itineris assumendi propositum omnino deponas, consistens, & valens, ac conualescens filia in domino benedicta. Augeatur indesinenter quæsumus seruor tuæ deuotionis in Deum, & Ecclesiam sanctam eius, quæ te semper in intimis suæ dilectionis visceribus continebit. Sit tibi, sit natis tuis nobis in veritate charissimis; sitque regno tuo gratia, & pax a Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo, quatenus per bona temporalia feliciter deducamini ad æterna, & inconcussa stabilitate subsistat in secula thronus tuus. *Dat. Lugd. xv. kal. apr. ann. VIII.*]

Henricus Angl. Rex Pontifici videndi ipsius pio cupiditate teneri significat. a Lib. 8. ep. 68.

23 Eadem, qua Regina Blanca, videndi Pontificis cupiditate flagrabat Henricus Anglorum Rex, qui suis literis significarat Innocentio se Lugdunum ea de causa profecturum. Cui Pontifex, commendatis egregijs eius animi virtutibus, respondet a eadem se illius conspectu potiundi desiderio teneri; sed ob arduam rerum sibi incumbentem molem morari in Gallijs diutius non posse.

Regi Angliæ illustri.

Quid illi rescripserit Pont.

Mansuetudo, pietas, & clementia, quæ solent potissime inter alia virtutum genera principes insignire, tuam quidem specialibus titulis excellentiam efferentes in te videntur diuina operante gratia conuenire. Qui cum pius in operibus, in aspectu clemens, & in sermonibus dicaris ab hominibus mansuetus; integritate fidei, sinceritate affectus, & deuotionis ardore culmen regium in obsequijs diuinis inclinans; te in eis non inutiliter lucidum speculum exhibes, & cultorem. Quem inquam nos, qui sumus, disponente Domino, quamuis immerito, constituti supra mundi specula, diligentius intuentes; ac intendentes, quod talia sunt dona diuinitus inspirata, præter indissolubile vinculum specialis dilectionis, quam ad tuam personam inexplicabili quodam affectu gerimus; tanto te habemus inter alios chariorem, quanto ijs laudabiliter ceteros per continuum exercitium antecellis.

Singulares Henrici virtutes effert.

Excusat se ab ineundo cū eo colloquio.

24 Hac siquidem consideratione inducti tuo, vt corporali visione ac collocutione mutua nos recrearemur ad inuicem, desiderio concordamus; ita quod omnino tuam expectaremus, immo expeteremus præsentiam, qui ad nos accedere, super quo tibi te gratiamur quamplurimum, causa deuotionis intendis, nisi quod nos trahunt ardua Ecclesiæ negotia, quæ propter mutationem temporis dilationem aliquam non expectant. Licet autem ad præsens adimpleri nequeant vota nostra, speramus tamen quod fiet commodius aliàs, in tuo videlicet accessu, vel recessu de transmarinis partibus, aut forsan ex alia causa, quam Dominus procurabit. Quocirca celsitudinem tuam rogamus attentius, & hortamur, quatenus in Apostolicæ sedis deuotione constantia solita perseuerans, habeas nos super eo, quod tuum desideratum aduentum in his partibus expectare non possimus, interpretatione laudabili excusatos. *Dat. Lugd. IV. non april. ann. VIII.*] Cum in ijs literis dicat Pontifex in mutuum conspectum venire ipsos posse, cum iter Hierosolymitanum adornabit, vel ex ea expeditione reditum compararit, constat Henricum, quod superiore anno diximus, sacro bello se deuouisse.

Flagitat ab Innoc. Henr. vt decimas Scotiæ ob Hierosol. expeditionis apparatum concedat. b Lib. 8. ep. 474.

25 Poposcerat ob eandem susceptam expeditionem idem Rex ab Innocentio, vt ipsi Scotiæ decimas permitteret; tum decerneret, ne Rex Scotiæ sine Anglorum Regum facultate obtenta, quorum stipendiarius erat, regia inunctione liniri posset. Cuius Innocentius in ea re preces his literis b repulit.

Ne Rex Scotiæ sine ipsius auctoritate regijs ornamentis redimiri possit.

Ex parte tua fuit nobis cum instantia supplicatum, vt tibi, ne charissimus in Christo filius noster Rex Scotiæ illustris absque tuo assensu inungi, vel coronari posset; cum sit ligius homo tuus, tibique homagium fecerit, concedere curaremus. Quia vero talia concedere sedes Apostolica minime consueuit, non mireris, si te non exaudiuimus in hac parte. Noueris tamen, quod alicui non concederemus aliquid, quod redundare crederemus in præiudicium regiæ dignitatis. Super eo vero, quod petebas

bus tibi decimam ecclesiasticorum prouentuum in ipsius regno concedi; petitionem tuam, de quo non turberis, non admisimus, quia quod hoc in alterius regno concederetur alicui, est penitus inauditum. Dat. Lugd. VIII. id. april. ann. VIII.

Repulsam Henrico obijcit Innoc.

26 Quod ad suscepta ab Henrico Asiaticæ profectionis consilia spectat; tradit Parisius a solicitatum ab Alphonso Castellæ & Legionis sceptri hærede, ne Gallis se coniungeret, sed ad ipsum potius accederet, se illi in ea peregrinatione socium additurum, cumque commeatu, armis, classe, cæterisque necessarijs instructurum. Et quidem ipsum numerosissimam classem in Cantabriæ litoribus tunc conflasse, atque Africam inuadere animo meditatum, scribit Mariana b: subdit Parisius ex Alfonsio nuncium retulisse, capta Hispali, quam Sibellam vocat, quidquid fere terrarum ad mare vsque excurreret, Castellani imperio adiunctum; atque Hispalim tantis abundasse opibus, vt Marrochitano Regi vna cum circumiacente prouincia hebdomadis singulis vndecim millia talentorum pendere solita esset, quod idem superare videbatur. Henricum vero Regem magno gaudio delibutum grates Hispano retulisse; sed mortem Regis Castellæ, Ferdinandi scilicet Alphonsi parentis, immaturam omnia ea consilia euertisse: *Huius*, inquit Paris. *mandati tenore gaudium suscepimus, honorem suscepturi, nisi mors immatura ipsum Regem magnificum* * *A. de medio sustulisset. Eodem enim anno in fata concessit omnibus Christianis deplorandus, verumtamen filios strenuissimos ne moriturus penitus moreretur, Domino dispensante, regno suo post se reliquit gubernando.* Dissentiunt a Parisio Surita, c & Mariana d, dum illum obijsse asserunt ad tertium kal. iunij salutis anno MCCLII, cum regnasset in Castella annos triginta quatuor, menses vndecim, dies tres & viginti: vir, vt Mariana subdit, omnibus animæ & corporis dotibus præditus, morum probitate tanta, vt sancti cognomen adeptus sit. Alphonsum vero filium hæredem sceptri reliquit, qui magna virtutum exempla regni sui principio explicuit. Cum in res Hispanicas inciderimus, cæteris eo spectantia, abrupto de Syriacis rebus sermone, connectemus.

a Par. hist. Angl. hoc ann.
Inuitatur Henricus ab Alphonso Regis Castellæ filio vt potius cum Hispanis quam Gallis arma coniugat.
b Mariā. de rebus Hisp. l. 13. c. 8.
* Ferdinandum
Regis Ferdinandi mors profectionis Asiaticæ susceptæ ab Alphonso consilia discutit.
c Surit. l. 3. annal. c. 45.
d Mar. vbi sup.
Ferdinādi elogia.

27 Optabat Berengaria Regis Ferdinandi filia, quæ vitæ religiosæ institutis se addixerat, corpus Reginæ Berengariæ auiæ in honorificentiore mausoleo, quod ipsa extruxerat, reponere, atque ab Innocentio flagitarat, vt pompam funebrem cohonestaturis, atque pro anima matris oraturis indulgentiarum præmia impertiretur. Cuius pijs precibus ob nauatam pro amplificanda Christiana religione operam a Ferdinando optime de Ecclesia merito, quem Berengaria ad gentiles debellandos excitarat, morem gessit, dato hoc fidelibus diplomate: *Nos attendentes quod pium, & salubre sit orare pro mortuis; ac volentes, vt a Christi fidelibus huiusmodi orationum suffragia eo deuotius frequententur, quo per hoc vberiorem sibi fructum sperauerint prouenire; omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui ad eandem sepulturam in die translationis huiusmodi, vel etiam vsque ad decennium deuote accesserint memorata orationum suffragia impensuri, quadraginta, necnon & illis, qui pro anima ipsius B. remedio orationem dominicam dixerint, decem dies de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, de iniunctis sibi pœnitentijs misericorditer relaxamus. Dat. Lugd. id. febr. ann. VIII.*

Datæ ab Innoc. indulgentiæ pro anima Berengariæ Ferdinandi matris oraturis.

28 Cum eodem tempore Paschasius Toletanus episcopus obijsset, Sanctius Ferdinandi Regis filius, illius ecclesiæ archidiaconus, in archiepiscopum electus est: atque ab Innocentio in ea dignitate confirmatus, vt gratulatoriæ ad decanum & collegium Toletanorum ostendunt literæ e. Eodem argumento Toletanæ prouinciæ clero ac populo obseruantiam, studium erga nouum archiepiscopum commendauit a. Tum etiam Ferdinandum Castellæ ac Legionis Regem, Sanctij parentem hortatus est, vt ecclesiam ipsius filij fidei commissam tueretur: *Licet te tanquam catholicum, & deuotum generaliter, ad omnes ecclesias, & specialiter ad ipsam credamus habere sinceræ deuotionis affectum, & eas velle diligenter fouere; vt tamen, eiusdem ecclesiæ ad te dilectione crescente, tua crescat deuotio ad eandem, quæ supradictum archidiaconum natum tuum, suum adeuntem ad sponsum, sperans & tuis adiuuari suffragijs, & ipsius ministeria feliciter gubernari; serenitatem tuam rogamus, & monemus attente, quatenus continuato fauore eam munifica gratia, & regalibus beneficijs prosequens ecclesiam memoratam, eam manuteneas, & defendas. Impendendo ipsi procuratori & per eum eidem ecclesiæ, in quibus circumspectationem regalem decuerit, auxilium consilium, & fauorem.* Extant vero aliæ ad eundem Sanctium literæ, c quibus ipsum erigat Marrochitano episcopo, qui multos pro religionis causa labores tulerat, atque sustinendis sumptibus ad munus obeundum necessarijs impar erat, prouideret.

Sanctius Regis Ferdinandi filius creatus archiepiscopus Toletanus.
e Lib. 8. ep. 400.
a Reg. post eand. ep.
b Reg. post eand. ep.
c Lib. 8. ep. 435.

29 Vt vero Pontifex Africanis Christianis, qui sub Marrochitano Rege stipendia faciebant, atque maritimam oram incolebant, consuleret, barbaro scripsit d, vt ipsis tuta loca attribueret, quo liberos, vxores, ac fortunas subducerent; ne direptioni Saracenorum paterent, dum illius signa sequerentur; nisi faceret, se ipsorum episcopo partes daturum, vt eos ab eius obsequio abduceret.

d Ibid. ep. 436
Christianos stipendiarios Marrochitano Regi commendat Pontifex.

Miramamolino Marrochitano Regi illustri timorem diuini nominis & amorem.

Constitutus in præsentia nostra venerab. frater noster Marrochitanus episcopus nobis exposuit, quod cum nos olim tibi direxerimus preces nostras, vt Christianis illarum partium munitiones, & castra sita supra ripam maris, in quibus secure habitare possent, & contra impugnatores suos necessitatis tempore se tueri, liberaliter largireris; tu, preces ipsas super hoc negligens adimplere, id efficere omisisti; propter quod Christiani præfati, tam in personis, quam rebus damna coguntur grauia sustinere, nam cum oporteat multos ex illis frequenter ad exercitum tuum ire, vel alias pro tuis seruitijs laborare; nec habeant tuta loca, vbi vxores, filios, ac alios consanguineos relinquere valeant; Sarraceni, opportunitate captata, multos ex eis interficiunt, & nonnullos cogunt fidem catholicam abnegare. Cum igitur tua pati non debeat magnitudo, vt Christiani, qui sic ardenter tuis insistunt obsequijs, ex defectu locorum, in quibus necessitatis tempore se recipiant, tot iniurias & molestias sub tuo dominio patiantur, excellentiam tuam iterato monendam duximus & rogandam, quatenus munitiones & castra præfata Christianis ipsis, vt ibidem tueri se possint, absque qualibet difficultate concedas. Alioquin memorato episcopo literis nostris iniungimus, vt Christianos in illis partibus degentes, a tuo seruitio reuocare, ac alijs, ne illuc transeant, inhibere procuret. *Dat. XVII. kal. april. an. VIII.* Eodem argumento Marrochitano episcopo datis literis e, vt Christianos a sequendijs sub Miramamolino signis auerteret, si monita neglexisset; idemque Christianis oram illam incolentibus imperauit f. De Castellanis & Africanis rebus satis: ad Italicas iam nos conuertamus.

Hortatur arces illis vt se ab hostibus tueantur attribuat.
e Ep. 437.
f Ep. 438.

30 Ardebat Italia videndi suauissimi parentis desiderio, illiusque expectatione suspensa erat, cum Innocentius feria 3 paschalis hebdomadæ cum sacro Cardinalium collegio, Lugdunensi electo, magna prænobilium virorum multitudine & copijs egregie instructis stipatus, ad retundendos Fridericianorum cona-

Lugduno discedit Pontifex.

conatus, atque ad dandas insidias Alpes transgressus est. Cui venienti Insubriæ principes ac populos magno sensu pietatis delibutos; & omni obseruantiæ significatione se effudisse, tradit monachus Patauinus a; at Ianuam felicissime, superatis omnibus periculis, attigisse; qua in vrbe mensem circiter ad decimum kal. iulias commoratum compertum est, vt plures ex ea datæ literæ demonstrant: ad Aragonum in primis Regem & Reginam, quibus ipsorũ filijs Petro & Sanciæ permisit, vt in contrahendis nuptijs quartus consanguinitatis gradus non obesset b: *Vestris precibus*, inquit, *inclinati cum dilecto filio nobili Petro & Sancia, natis vestris, quod libere possint matrimonia contrahere cum personis eos quarta consanguinitatis, vel affinitatis linea contingentibus Ecclesiæ Romanæ fidelibus & deuotis, auctoritate apostolica dispensamus. Nulli ergo, &c. Dat. Ianuæ III. kal. iun. anno VIII.* Tertio vero nonas iunij Vvestmonasterij Londinensis abbati misso diplomate concessit, vt qui ecclesiam eo die, quo S. Eduardi reliquiæ solemni pompa in eam erant transferendæ, ac sequentibus octo diebus adituri essent, indulgentiam vnius anni & centum dierum consequerentur. *Cum sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, corpus beati Eduardi gloriosissimi confessoris; quod prout asseritur, innumeris coruscans miraculis in ecclesia vestri monasterij requiescit; ad quem etiam charis. in Christo filius noster illustris Rex Angliæ gerit intimæ deuotionis affectum, proponatis a loco in quo est ad alium locum honorabilem transferre; nos volentes, vt ecclesia ipsa congruis honoribus frequentetur, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui eandem ecclesiam in die qua idem corpus translatum fuerit, & vsque ad octo dies sequentes venerabiliter visitauerint; de omnipotentis Dei misericordia; & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi vnum annum & centum dies; & postmodum singulis annis in anniuersario translationis ipsius die, centum dies de iniuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus. Dat. Ianuæ III. non. iunij anno VIII.*

31 Tum v. id. iunij ad Viennensem archiepiscopum & episcopum Gratianopolitanum exaratis literis c prouinciam iniunxit, vt ad Sabaudiæ comitem se conferrent, atq; præterita mala emendare monerent. Friderici partes Sabaudus extulerat, ac Rom. Ecclesiæ iniurias graues intulerat: legatũ apostolicum e Gallijs exacto ire spatum Italiam ingressurum; vt pontificijs opem afferret, itinere regio arcuerat; vnde grauissima damna emerserant: Taurinensis Ecclesiæ possessiones inuaserat: profecturos ad sedem Apostolicam ac redeuntes ceperat, spoliarat, occiderat, eaque flagitia a suis patrari impune permiserat, quãuis huiusmodi criminũ reis apostolicæ censuræ quotannis in festis solemnibus incurrerentur. At si comes Taurinensi ecclesiæ erepta restituere, spoliatis iacturam refundere, sedi Apostolicæ pro iniurijs illatis satisfacere satis recusaret, denuntiarent ipsum deuinctum in anathemate, eius ditionem subijciendam interdicto, ac seueritatem legum, prout suaderet æquitatis zelus, distringendam. Paruit vero monitis comes atque in gratiam cum Ecclesia reuersus est; siue Fridericianas partes prosterni ac ruere videret, siue illum conscientiæ & religionis amor tetigisset: id namque datum proximo anno diploma docet, quo Innocentius omnia illius principatus iura confirmat d. Nec minus studij & operæ collocauit e, vt fœderatos in Italia populos, qui tyranno adhæserant, Cremonenses, Ticinenses, Terdonenses, Alexandrinos, Vercellenses, Taurinenses, Papienses, Astenses, de quorum ecclesiis ab inuasoribus vindicãda plures literas f dedit; atque alios in suas partes pelliceret. Cumque Fridericus Carfagnanæ agrum Lucensibus, & Carpenses Mutinensibus, ad eos sibi deuinciendos, nullo iure tradidisset, cum ij agri ditionis essent pontificiæ; ipsos Pontifex literis ad iniuste parta restituenda sollicitauit, perficiendæque rei Octauianum S. Mariæ in via lata diaconum Cardinalem nauare operam præcepit. a

32 Nec modo ad reuocandos in Ecclesiæ gratiam, quos Fridericianæ persecutionis æstus ab eius complexu, & studio diuiserat, opem contulit Innocentius; verum ad excindendas hæreses, atque ex Italia eijciendas, quæ sub tyranni dominatu pullularant, plurimorumque corruperant animos; dum passim opprimerentur ecclesiastici, & victrix impietas effusis frænis exultaret: quare viris religiosis pietate, ac scientia præclaris, eas partes tradidit, & fidei censores instituit. Quo argumento epistolam scripsit b ad Viuianum Bergomensem, & Petrum Veronensem; quem illum putamus excitisse, qui anno sequenti a Manichæis confossus, gloriosissimam martyrij palmam collegit.

Petro Veronensi, & Viuiano Bergamensi fratribus ordinis Prædicatorum.

33 Misericors & miserator Dominus, cogitans cogitationes pacis & non afflictionis, Ecclesiam suam diuturna vexatione concussam, rabie distractam tyrannica, duris afflictam tribulationibus, & incursionibus fatigatam hostilibus; de excelso solio suo mira benignitate respexit: & misertus super ipsius contritione nimia, quam callidus ille seminator discordiæ inferebat, salutare sibi remedium ministrauit, extinguens funestæ dissensionis fomitem & pestiferi odij incentorem: a quondam siquidem Frederico Rom. Imperatore hoc tantum Ecclesiæ malum, & tanti causa periculi pendebatur. Ipse namque accensus odiorum ignis, fomes discordiarum æstuans, pacis inuidus, Christianæ vnitatis salutiferæ dissipator, & totius fere Italicæ regionis; turbato vbique tranquillo; Ecclesiam ipsam validis persecutionum fluctibus conquassabat: quinimo totam regionem eandem; & alia etiam mundi regna, immisso dissensionum turbine, commouebat: propter quod ille, cuius imperio cælestia obediunt & terrena, tot & tanta volens sua clementi virtute submouere pericula, dixit, & huiusmodi procellæ spiritus statim statis: mandauit, & quieuit ventus maximæ tempestatis; & facta est in Ecclesia ipsa tranquillitas communi desiderio diutius expectata. Quam tribulantem procellam in auram conuertit prosperam, & pacem, quam eidem Ecclesiæ mundus dare non poterat, ipse dedit, tollens illum omnino de medio, qui discors concordijs, concors vero discordijs vniuersalis ollam odij ignibus nequitiæ suæ flatibus succendebat. Vnde cum ipsi Ecclesiæ de tantæ propitiationis beneficio dignanter prouiderit; & in grandem cum ea sit misericordiam operatus, debitum est & dignum per omnia, vt pro hac inæstimabili gratia, sic pie desuper erogata; gratiarum ei actiones cum deuotione reddamus, & offeramus sacrificium plenæ laudis, ne tam magnificum eius donum in vacuum recepisse, sibique ingrati de illo existere videamur; maxime quia generalis persecutionis actore præcipuo iam sublato, & quiete nunc Ecclesiæ restituta, restat nimirum, vt in diuinas laudes cuncta nostra studia conferamus. Et quoniam verbis, & operibus honorificandus est Dominus, recognoscenda est immensa benignitas in vtrisque; vt in vtroque modo, dicto scilicet atque facto sui nominis laudem & gloriam personemus.

34 Quia vero tunc potissime acceptabile sibi exhibetur obsequium, cum ei pro catholicæ conseruatione fidei, cuius est ipse stabile ac perpetuum fundamentum, pura intentione seruitur; prouidimus specialiter in hoc ipsi studiosum & placidum, eo cooperante, impendere famulatum, & præcipue in Ita-

licis

a Monach. Pad. chro. l. 1 hoc an. Ianuam feliciter ingreditur

b Lib. 8. ep. 493.

Ib. ep. 501.

c Ibid. ep. cur. 74. Sabaudiæ comitem ad Ecclesiæ castra reuocare studet.

Comes Sabaudiæ Pontificis partibus se coniungit.

d Lib. 10. ep. 103.

e Lib. 8. ep. cur. 14. & reg. post eand. ep. Pontificia studia pro reuocandis ad officiũ ciuibus populis

f Lib. 8. ep. 518. 519. 520. 521.

a An. 1251. pag. 36. Hæreses quæ Insubriam infecerant delere aggreditur.

Petro Veronensi Prædicatorum familiæ ea prouincia imposita.

b Lib. 8. ep. cur. 76.

Væ hæresis ob Friderici tyrannidē propagata fuere.

licis partibus propter ipsarum vicinitatem vigilare instantius, & validius satagere contra eiusdem fidei diros hostes; vt cultura salubris per nos agris dominicis impensa vicinis, vtilis sit longinquis; & verbi diuini semen fusum in proximis fructificet etiam in remotis: licet Apostolica sedes tales hostes vbique indefessa solicitudine persequatur, nec vnquam ab huiusmodi exercitio cessauerit cura eius. Conuenit namque, vt quia inquisitiones contra pestem hæreticam roborare, ac renouare per diuersas seculi volumus regiones; id agere in Italia, maiori opportunitate nunc habita, nullatenus omittamus: cum quanto propior nostris adest aspectibus, tanto iustius, nisi attente salutis prospiceremus ipsius, possemus argui de negligentia. Olim enim, dum viuebat perfidus ille tyrannus, non potuit libere contra huiusmodi pestem, præcipue in ipsa Italia, eo impediente, procedi, cum non impugnaret, sed foueret potius pestem ipsam: de qua cum euidenter haberetur suspectus, exigentibus nihilominus alijs multis, & enormibus suis excessibus, fuit a nobis in Lugdunensi concilio condemnatus. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta districte præcipiendo mandamus, in remissionem vestrorum peccatorum iniungentes, quatenus huiusmodi fidei negotium, quod principaliter residet cordi nostro, totis assumentes affectibus, & feruentibus animis prosequentes Cremonam personaliter accedatis; cum & per alias ciuitates, & alia loca Lombardiæ discretos alios ad exequendum idem negotium duxerimus deputandos: & ad extirpandam de ciuitate ipsa & eius districtu hæreticam prauitatem solicite ac efficaciter, prælibato diœcesano concilio laborantes, si quos ibidem prauitate ipsa culpabiles inueneritis, vel infectos, seu etiam infamatos, nisi examinati velint absolute mandatis Ecclesiæ obedire, contra ipsos, & receptatores, defensores, ac fautores eorum, humano timore postposito, iuxta sanctiones canonicas auctoritate apostolica procedatis, inuocato ad hoc contra eos, si opus fuerit, auxilio brachij secularis, contradictores, &c.

Sublato tyranno diligentiam in eius excindenda acuit Pont.

35 Si vero aliqui, hæretica labe penitus abiurata, redire voluerint ad ecclesiasticam vnitatem, eis iuxta formam Ecclesiæ diœcesano ipso consulto, absolutionis beneficium impendentes, iniungatis eisdem quod iniungi talibus consueuit; prouiso solemniter ne simulata conuersione redeant fraudulenter, & vos immo potius se fallentes sub agni specie gerant lupum. Verum quia tam salubre negotium super omnia promouere cupimus, propter quod impedimenta quælibet ab ipso intendimus penitus cum Dei adiutorio remouere, scire vos volumus, & alijs aperte prædicere, quod si forte, quod non credimus, aliqua ciuitas, seu communitas, siue aliqui magnates, vel nobiles, aut potentes, huic negotio se opponere, seu illud præsumpserint aliquatenus impedire, vt non possit per deputatos ad hoc a nobis procedi libere in eodem; immo nisi fouerint illud, & intenderint studiose; nos proculdubio ad comprimendam tam superbam, & perniciosam audaciam, omnimodo confundendam, in illos gladium ecclesiasticæ potestatis acriter extendemus, & Reges, & principes, aliosque Christi fideles, siue pro Terræ sanctæ succursu, siue alias pro Christi seruitio crucis charactere insignitos; necnon & cæteros catholicos inuocabimus contra eos, vt & cælum, & terra aduersus detestabilem temeritatem ipsorum pariter inuocantur: cum non minus expediat, immo fidem magis in locis prope positis, quam procul distantibus defensare. Quia enim futura volumus, in quantum possumus, præcipue in Lombardia, quam speciali affectione diligimus, vitare discrimina, idcirco scribimus quod ista palam exponere, ac prænuntiare curetis, Cremonensem populum & alios de ipsorum districtu di-

Sponte redeuntibus misericordia exhibenda.

Intentatæ hæreticorum fautoribus minæ.

ligentius admonentes, vt debitum habentes respectum ad negotium memoratum, nullum prorsus promotioni eius inferant nocumentum, sed potius vobis in exequendo illo fauorem tribuant, & auxilium opportunum: quia si forsan contrarium agere attentauerint, nullatenus dimittemus, quin per Reges ipsos & principes, aliosque fideles dictum promoueamus negotium, sicut superius est expressum. Vt autem prædicta possitis liberius & vtilius exercere, vobis largiendi viginti, vel quadraginta dierum indulgentiam, quoties opportunum videritis, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui ad vestram prædicationem propter hoc faciendam accesserint, plenam tenore præsentium concedimus potestatem. *Dat. Ianuæ id. iunij an. VIII.*]

Admonitio Cremonenses ne inquisitionem disturbet.

36 Grassabatur quoque in marchia Taruisina mali labes, atque adeo eam regionem infecerat, vt monachus Patauinus in suis ad annum sequentem annalibus hæc de Ezelino Fridericianæ persecutionis incendione; qui in ea prouincia non tam dominatum, quam carnificinam exercebat, tradiderit: *In diebus eius cessauit prædicatio, obmutuit confessio peccatorum, & deuotio fidei est extincta*. Ne ergo sub illius improbissimi tyranni religio extingueretur, cum hæresis infamiæ nota insustus esset, illum Innocentius ad sedis Apost. tribunal accersiuerat, vt de imposito crimine se purgaret, fideique rationem redderet. At Ezelinus missis oratoribus, qui pro ipso responderent, præsens accedere detrectauit; sed eum rei grauitas præsentem virum exposceret, Pontifex Taruisino episcopo & priori Prædicatorum Mantuanorum munus iniunxit [a], vt denuntiarent ipsum omnibus pœnis in hæreticos latis subiectum iri, nisi intra proximas kalendas augusti sedi Apostolicæ se sisteret; atque excipiendis illius imperijs se submitteret: si vero parere recusaret, promulgarent ab omnibus vt hæresi inquinatum declinandum, expositum inuasuris illius corpus, & bona direptioni parere, atque crucesignatorum copias in eum ac sequaces immittendas.

Instituta aduersus Ezelinum de hæresi suspectum quæstio.

a lib. ep. 75

37 *Quod si forte vestris non acquieuerit monitis, sed inductione salutifera vtilipensa elegerit arrepto prosequi mortis iter, volumus, & sub obedientia debito cum quanta possumus districtione præcipimus, vt potestatibus, consilijs, & communitatibus, tam ciuitatum, quam castrorum totius marchiæ Taruisinæ, ac patriarchatus Aquileiensis auctoritate nostra firmiter in publico iniungatis, vt eundem Ezelinum, cuius pater, & nonnulli alij de genere suo notorij fuerunt hæretici, & in errore huiusmodi dies suos miserabiliter & damnabiliter finierunt; in ciuitatem terra, seu districtu hæretici aperte morantur; pro manifesto habentes hæretica omnino deuitent, & a sua prorsus communione repellant: quinimo personam eius velut labe hæretica respersam, si possunt, capere studeant, & alias contra eum suo, ne bona secundum statuta contra hæreticos edita, quibus eum iamdudum subiacere decreuimus, animose consurgant, denuntiando ipsis expresse, ac publice contestanda; quod si hoc plene non fecerint, vel in ys forsan extiterint negligentes; nos non solum contra dictum Ezelinum, sed & pariter contra eos tanquam defensores, seu adiutores, & fautores prauitatis hæreticæ faciemus crucem generaliter prædicari, & tam Italia, quam aliarum prouinciarum catholicos; necnon Reges, & principes, aliosque fideles crucis charactere pro quocunque Christi seruitio insignitos concessa eis illa indulgentia, eoque indulto priuilegio, quæ in Terram san lam proficiscentibus in generali concilio conceduntur, inuocabimus contra ipsos, cum firmo intendamus proposito mortificare viros tam mortiferum animorum, & eradicare de vinea Dominicatanta pestem. Dat. Ianuæ 16. kal. iunij an. VIII.*

Intentatæ Ezelino pœnæ.

38 Agebat adhuc Ianuæ Innocentius, cum ex Sicilia a Casertæ & Acerrarum comitibus, tum Neapolitanis & Capuanis ciuibus sedi Apostolicæ addi-

ctissimis oratores excepit, atq; ad ornandam insignibus prærogatiuis ipsorum fidem hæc scripsit. a

Nonnulli Siculi proceres & Neapolitani oratores ad Innocentium transmittunt.

a Lib. 8. ep. 77.

Innocentius et potestati, consilio, et communi Neapolit.

Nos deuotione vestra, qua paribus votis ad exaltationē Ecclesiæ Rom. feruenter intēditis, per eos solicite intellecta, vos & ciuitatē vestrā multis magnificare gratijs, & singularibus insignire priuilegijs intendentes; vobisq; illam omnino libertatē in assumendis potestatibus, & statutis edendis, ac alijs, quā fideles nostri de patrimonio B. Petri habere noscuntur, auctoritate apostolica concedentes; præsentium tenore scire vos volumus, & pro certo tenere, quod in ijs, quæ vestro expedire cognoscimus honori, benigni semper & beneuoli vobis, tanquam peculiaribus eiusdem Ecclesiæ filijs, existemus; & in nostro ad partes illas aduentu, qui erit in proximo, Deo duce, probitatem vestram in omnibus respicientibus ciuitatis vestrę profectum, curabimus fauorabiliter exaudire. *Dat. Ianuæ x. kal. iulij an. viii.*] quæ etiam literæ ad Capuanos transmissæ. b

Excipiuntur amantissime atque ad meliorū spē excitātur.

39 Eadē priuilegia Neapolitanis concessa deuexo iam hoc anno renouauit, atq; post collaudatam egregiam illorum erga sedem Apostolicam operam, ita ipsis flagitantibus sanxit c vt nulli in posterum principi ac Regi, sed tantum Romano Pontifici subessent, ac magistratus sibi præficiendi libera facultate potirentur, modo tamen ecclesiasticæ libertatis custos, Romanæque Ecclesiæ addictus esset.

Prærogatiuæ ab Innoc. Neapolitanis concessæ.

b Reg. post pand. ep.

c Lib. 9. ep. 148.

Dilectis filijs Communi Neapolitano in perpetuum.

Puræ fidei claritate conspicua Neapolitana ciuitas, & lucidis in se, ac magnificis proficit actibus, & cunctis alijs regno Siciliæ spectabili, sectandæque probitatis exemplo, libertatis amplectendæ profectum manifeste propinat. Propter quod ciuitas ipsa, quæ a mœnium fundatione suorum generosa, populo nobilis, nobilior gestorum ingenuitate conspicitur; sic apud proximos & remotos multipliciter redditur suorum processuum strenuitate laudabilis, & penes nos & Apostolicam sedem præcipuis attollenda fauoribus, & gratijs potioribus honoranda, quod non solum per singulas vicinæ Italiæ regionis clare resonat suæ præconium bonitatis; sed & longius tuba intonat laudis eius, suaque remotius acta volantis famæ diffusione notescant, & nos, dictaque sedes totis affectibus ducimur, vt condignis eam honoribus sublimemus.

40 Sublato namque Frederico quondam Romano Imperatore, ac Siciliæ Rege de medio; qui austeritate Pharao, Herodes impietate, sæuitiaque Nero prædictum regnum continuæ afflictionis iugo depresserat, & furoris immanis gladio laniabat, eadem ciuitas, vt regnum ipsum ad statum reduceretur liberum & tranquillum; & a pristinæ oppressionis erueretur oneribus, quæ adhuc illius pestilentis reliquiæ, ipsius videlicet filij paternæ malitiæ successores, eidem inferre regno more præterito, vtpote genimina viperina venenosa egressa de colubro moliuntur; nec non & ad deuotionem præmissæ sedis, ad quam illud specialiter pertinere dignoscitur, cordis stabilitate rediret; feruentis vigore spiritus animata, virium collecto robore statim ipsius regni, quinimmo & dictæ sedis negotium, prout etiam ante præfati Frederici decessum proposito firmo conceperat, de diuino, & matris Ecclesiæ confisa suffragio constanter assumpsit, sestiens patenter præfatis nequitiæ filijs, eorumque conatus assiduos virtuose propulsans; sicque in reliquos dicti regni ex huiusmodi repugnandi audacia, commendanda resistendi transfusa fiducia, prædictorum iniquorum temerarius refrænatus est ausus, & superbus eorundem processus non modicum impeditus. Non in hoc vtique ciuitas ipsa proprium duntaxat attendit commodum; non suis tantum vtilitatibus inhiauit; sed ad profectus profecto communes puræ intentionis direxit affectum, publicę quodammodo tranquillitati & commoditati prospexit, in libertatis quidem antiquæ recuperatione præambula, in exhibitione plenæ deuotionis anterior, prior ac potior contra hostes, & in magnifica tanti negotij prosecutione conspectior; vnde valde promeruit specialium priuilegiorum insignijs a sede Apostolica decorari.

Collaudat ipsorum constantiā ob fractos Manfredi aliorumq; impetus.

Datā alijs adipiscendæ libertatis exemplum.

41 Nos igitur præmissis omnibus diligenti consideratione pensatis, volentes propterea eiusdem Neapolitanæ ciuitatis honorem prædictæ sedis donis sublimibus & perpetuis ampliare, vestris in hoc desiderijs assensu beneuolo concurrendo; personas vestras, & ciuitatem ipsam in deuotionem sedis persistentes eiusdem, cum omnibus bonis &c. vsque communimus; de fratrum nostrorum consilio statuentes, vt eadem ciuitas perpetuo præfatæ sedis remaneat: ita quod Romana Ecclesia semper absque vllo medio retinens illam sibi, sicut terram Campaniæ vel Maritimæ, nunquam eam a suo excludat gremio, neque aliquando ipsam, vel ius quodcumque in ea, seu pertinentijs, aut in territorio eius cuiquam siue Imperatori, siue Regi, seu duci, aut principi, vel comiti, seu cuicumque alij personæ concedat. Sane vt ex affluentia beneficiorum sedis eiusdem exultet ipsa ciuitas gaudio pleniori, vobis illam omnino libertatem in assumendis potestatibus, dummodo fideles, vel deuotos Ecclesiæ assumatis; & in statutis edendis, ita tamen, quod nihil in eis contra præfatam Romanam Ecclesiam & libertatem ecclesiasticam præsumatis; ac alijs apostolica auctoritate concedimus, quam fideles de patrimonio D. Petri habere noscuntur. Porro rationabiles consuetudines approbatas dudum in ciuitate ipsa, & pacifice obseruatas vsque ad tempus, quo iam dictus Fred. suas constitutiones in regno edidit memorato; necnon & ordinationes post ipsius F. obitum inter milites, & populares ciuitatis eiusdem, & pro bono, & pacifico ipsius ciuitatis statu ad honorem Ecclesiæ factis, super quibus instrumenta dicuntur esse confecta; vobis de speciali gratia confirmamus.

In clientelā Apost. suscipit illorum bona.

Decernit sedi tantū Apostolicæ obnoxios futuros.

Præficiēdi sibi magistratus auctoritatē concedit.

Veteres probæ cōsuetudines confirmatæ.

42 Ad hæc ea omnia quæ ciuitas ipsa, vel ciues aliquando tenuerunt, quorum quidem iusta per superiorem priuatio non apparet, exceptis ijs, quæ per singulares personas præfatæ ciuitatis teneri noscuntur; vniuersitati vestræ confirmamus de prædictæ sedis munificentia liberali. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis, constitutionis, concessionis, confirmationis, & collationis infringere, vel in aliquo ei ausu temerario contraire. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisue persona paginam ipsam sciēs, contra eam venire tentauerit, &c. vsque vltionis. Cunctis autem paginam ipsam obseruantibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi, &c. vsque Amen.

Ereptā præterea iura in antiquum statum restituit.

Ego Innocentius catholicæ Ecclesiæ episc. subscripsi. Ego Raynaldus Ostiensis & Vercellensis episc. subscripsi. Ego Petrus episcopus Albanensis subscripsi. Ego Stephanus sanctæ Mariæ Transtyberim presbyter Cardin. tit. Callisti subsc. Ego Petrus tit. S. Marcelli presbyter Card. subsc. Ego fr. Ioannes sancti Laurentij in Lucina presbyter Card. subscripsi. Ego Richardus S. Angeli diac. Card. subscripsi. Ego Petrus S. Georgij ad velum aureum diac. Card. subscripsi. Ego Vvillelmus S. Eustachij diac. Card. subscripsi. Dat. Perusij per manum magistri Marini sanctæ Romanæ Ecclesiæ vicecancellarij vi. decemb. indict. x. incarnationis Dominicæ anno millesimo ducentesimo quinquagesimo primo, pontificatus vero D. Innoc. Papæ iv. an. ix.]

43 Non Neapolitanos modo & Capuanos, verumetiā Andrenses, Fogitanos, ac Barolitanos ad pōtificias partes se conuertisse meminit antiquus rerū a Cōrado & Manfredo gestarū scriptor a, cuius auctoris manu-

a Anony. auct. verū a Manfr. gest. an. 8.

manuscriptum codicem D. Ferdinandus Vghellus Cistercienfis abbas, pro singulari suo erga me studio communicauit) addit superioribus Manfredum ad Neapolitanos sibi subijciendos ingentem exercitum coegisse: *Post modicum tempus a morte Imperatoris, ex qua etsi non in aperto, in occulto tamen multorum sunt corda concussa, cœpit in terra laboris & Apulia quadam occulta fieri coniuratio, non absque aliquorum instigatione, qui olim honoris & nominis imperialis æmuli fuerant. Quæ quidem coniuratio in Apulia, in Andrensibus, Fogitanis, & Barolitanis, apud terram laboris in Capuanis & Neapolitanis primo visa est manifestari: rebellantibus autem Neapolitanis & Capuanis, factaque ab eis confœderatione cum quibusdam ipsarum partium magnatibus, qui propter odium & inimicitias Bertoldi marchionis de Honebruch a principis latere discesserunt; princeps prædictis magnatibus precum spe dimissus; imo eos sibi esse aduersarios cognoscens, cum non haberet tunc tantas armatorum hominum vires, vt prædictas ciuitates et magnates oppugnare posset, venit in Apuliam, et exercitu sibi congregato ad expugnationem prædictarum ciuitatum & magnatum potentior interea reuertebatur.* Verum

Mãfredus populorũ defectione perculsus pontificiã gratiam ambit.

illum populorum ad libertatem aspirantium repentina conuersione percussum, quam regni administrationem susceperat, abijcere deliberasse; atque ad res suas stabiliendas, deserto Conrado, cum marchione e Frimborch suos oratores ad Innocentium misisse, vt in illius gratiam admitteretur, ac relictum sibi a Friderico principatum assereret: ex pontificijs literis a constat, quibus Petro S. Georgij ad velum aureum diacono Cardinali munus commisit, vt communicato cum Acerrarum Casertaque comitibus, & Capuanis ac Neapolitanis consilio, Tarentinum principatum Manfredo, Andriæ comitatum marchioni fiduciario iure traderet, atque eos in verba Romanæ Ecclesiæ adigeret.

a Eod. l. 9. ep. cur. 5.

P. sancti Georgij ad velum aureum diac. Cardinali Apostolicæ sedis legato.

Cum dilectum filium fratrem Petrum Ostiarium, & consanguineum nostrum ad te pro eo, quod nobilis vir Manfredus natus quondam Friderici olim Romanorum Imperatoris, & marchio de Frimborch volunt, vt per tuas & ipsorum literas accepimus, ad mandatum nostrum, & Ecclesiæ deuotionem redire, vt tibi super hoc nostræ voluntatis exponat beneplacitum, destinemus; sicque nobis fiducia & spes detur, quod ijdem ad ipsius Ecclesiæ beneplacita, & obsequia eius præ tenti gratijs & beneficijs, eo insistent feruentius, & studiosius se conuertent, quo eam impetiuerunt maioribus nocumentis; mandamus quatenus, si de consilio nobilium virorum Casertani & Acerrarum comitum; necnon Neapolitanæ, & Capuanæ ciuitatum, & communium, quibus super hoc dirigimus scripta nostra, ijdem nobiles ad mandatum Ecclesiæ redierint, & recepti fuerint ab eadem; tu eidem Manfredo principatum Tarentinum, & marchioni præfato Andrensem comitatum in feudum auctoritate nostra concedas, receptis prius ab eis nostro & Ecclesiæ Romanæ nomine fidelitatis & humagij ligij iuramentis: ac dilecto filio nobili viro nato dilecti filij nobilis viri marchionis Estensis (e Raynaldo Azonis filio loqui Pontificem ex monacho Patauino colligitur videtur, quem ait b hoc anno in Apulia obijsse relicto notho filio Obizone, qui iustorum natalium dignitate a Pontifice & Romanorum Rege decoratus Estensem principatum obtinuit) ac Arcioni germano tuo; necnon ijs, qui adhæserunt Ecclesiæ, ac adhærent, & eiusdem fidelibus, & deuotis, datis omnimoda libertate, ac etiam primitus ciuitatibus, castris, villis, terris, & munitionibus omnibus, quocumque nomine censeantur, quæ detinentur ab eis, prædictorum principatus, & comitatus exceptis, in

Quibus legibus in gratiam restitui iussus.

b Monach. Pad. lib. 1. hoc ann.

eiusdem fratris P. vel aliorum, quibus idem frater commiserit, manibus restitutis; vt de ipsorum castrorum, & munitionum custodia ordinent, & disponant prout eis videbitur expedire. *Dat. Mediolani ix. kal. aug. an. ix.*]

42 Respuit Manfredus fiduciarium se Ap. sedis profiteri, cum nouas interea vires collegisset: ac præfecturæ Siciliæ, quam pro Conrado gerebat, retenta dignitate acerrimum illius vindicem & hostem Ecclesiæ se exhibuit. Exponit enim pluribus anonymus gestorum illius scriptor a vt Germanicas copias, quæ ob stipendiorum defectum ab eius partibus desciscere moliebantur, erogatis pecunijs in suo obsequio confirmarit, atque Andriam, quæ ad pontificias partes transfugerat, primo impetu oppresserit: inde Nuceriam profectus Fogitanos, qui defectionis consilia inibant, seque aggeribus cœperant communire, ad deditionem compulsos, propugnacula recens excitata solo æquare coegerit: tum Barolum facta impressione expugnarit, eiusque mœnia euerterit. Quo expugnationis Baroli die Auellinum a marchione de Honebruch copiarum illius præfecto captum addit, ijsque victorijs perculsos Siculos, Capuanis, & Neapolitanis exceptis, ad quos oppugnandos se accinxit, in illius obsequium procubuisse. Ac sane Neapolitanos diuturna cinxisse obsidione & circumiacentes agros ferro, flammaque vastasse, cum ipsos vi frangere non posset, fusius describit: quam soluere sequenti anno est coactus, vt venienti Conrado occurreret ius in Siciliam appulsu suo loco dicetur. Iam pontificium iter perlustremus.

Resilit a suscepto consilio.

a Anony. auct. de reb. Conradi & Manfredi.

Andriam opprimit. Fogiam euertit.

Barolum expugnat. Auellum sibi subijcit. Neapolitanum agrũ vastat.

43 Describit illud breuiter monachus Patauinus: *Circa pascha exiens de Lugduno venit ad Ianuensem ciuitatem, vbi omnes magnates Lombardiæ, qui viam Ecclesiæ sectabantur, ei in reuerentiam occurrerunt. Deinde venit Mediolanum, & recuperata Laudensi, trãsiens per Lombardiam festinanter, Perusium properauit:* Exceptum porro Mediolani ingenti apparatu a ciuibus obuiam effusis tradit Parisius b, qui in eo errat dum festo natalis Deiparæ die eam vrbem ingressum asserit, cum plures literæ, quibus Mediolani dies longe ante ascripta, contrarium demõstrent: idibus enim iulij Nouariensium erga sedem Apostolicam fidem, & in aduersis constantiam literis commendauit c atque eorum omnium possessionem, quæ hostieripuissent ex eo die, quo a Friderico resilierant, confirmauit; initas ipsos inter ac Laudenses, quos Innocentium ad suas partes traduxisse scribit monachus d Patauinus, fœderis leges ratas esse iussit, atque a Guilielmo Romanorum Rege corroborari voluit e: contra vero eodem die Placentinis, qui se hostibus Ecclesiæ coniunxerant, pœnas graues intentauit: seditionem enim in nobiliores plebeculam concitasse tradit idem auctor, atque Vbertum Palauicinum sibi præfecisse. desciuere etiam ab Ecclesia Fulginates a quorum iure imperioque Trebarum oppidum exemit. f

Innocentij itinera.

b Par. hist. Angl. hoc ann.

Mon. Pad. chron. l. 1. hoc ann.

c Lib. 9. ep. 65.

Laudenses Pontificis partes amplectũtur.

d Mon. Pad. chro. l. 1.

e ib. ep. 66

f R. d. lib. ep. 42.

Vbertus Palauicinus Placẽtinos ab Ecclesiæ partibus diuellit.

44 Conceptum ex Placentinorum defectione dolorem Lithuanorum ad sedis Apostolicæ gremium concurrentium conuersio permulsit. Mendog enim siue Mindanus gentis princeps ethnicorum abiectis erroribus, in Ecclesiæ obsequium tanto pietatis sensu atque ardore se demisit, vt principarum etiam D. Petro pijssime dederit seque illius stipendiarium fuerit professus. Cui Innocentius amantissime sinum explicuit, eius ditionem in clientelam apostolicam arripuit; denique ad ornandam præclaro aliquo præmio eius pietatem regia illum dignitate insigniuit. g

Lithuani ad Ecclesiæ Rom. sinum cõfugiunt.

g Lib. 9. ep. 1.

Charissimo in Christo filio illustri Regi Lithauiæ.

Multa cor nostrum est super eo iucunditate perfusum, quod Dei & redemptoris nostri Iesu Christi benignitas, super te faciem tuam illustrando, tibi misericorditer inspirauit; quod te olim in tenebris

positum cum numerosa multitudine paganorum ad gloriam diuini nominis regenerari fecit per vndæ gratiam baptismalis; personam, regnum, & omnia bona iurisdictioni, ac protectioni sedis Apostolicæ totaliter submittendo. Quia vero per solemnes, ac speciales nuntios nobis humiliter supplicasti, vt te admittere in specialem filium sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac paterna beneuolentia prosequi deberemus; nos tuis iustis desiderijs, quæ digna fauore plenissimo reputamus, affectu beneuolo annuentes, regnum Luthavviæ, ac terras omnes, quas per diuinæ virtutis auxilium iam eripuisti de infidelium manibus, vel eripere poteris in futurum, in ius, & B. Petri proprietatem suscipimus; & ea cum vxore, filijs, & familia tuis sub protectione, ac deuotione sedis Apostolicæ permanere facimus, districtius inhibentes, ne quis te in fide ac* sedis Apostolicæ persistente super præfatis regno & terris temere impedire, seu molestare præsumat. Nulli ergo, &c. *Dat. Mediolani XVII. kal. aug. anno IX.*]

Mendog illorũ Rex in christianam apostolicam admissus.

*deuotione

45 Scribit Longinus in suis ad annum proximum annalibus a, illum non ex animo, sed ficte Ecclesiæ se aggregasse, cruciferorum equitum, quibus nonnullas possessiones in Lithuania tradiderat, consilijs inductum ad regium nomen sibi comparandum: & Culmensi episcopo, quem ait Prædicatorum disciplina excultum fuisse, ac magna religione præditum, atque etiam hoc ipso anno canonicorum secularium collegium ecclesiæ suæ ad instituta regularia, vt in vna domo sub eadem viuendi ratione virtutibus perpolirentur, traduxisse; prouinciam fuisse demandatam, vt Mendog regia inunctione solemni pompa ex ritu sacro liniret. Extant in pontificio regesto huiusce modi literæ, quibus id munus ipsi iniunctum b est.

a Longin. hist. Pol. l. 7 ad 1252.

b Lib. 9. ep. 3.

Innocentius, &c. episcopo Culmensi.

46 Mãdamus quatenus accersitis aliquibus ecclesiarum prælatis, & religiosis personis dictum Mindo-uum in totius Luthovviæ, ac terrarum omnium, quas per diuinæ virtutis auxilium iam eripuit de infidelium manibus, vel eripere poterit in futurum, auctoritate nostra corones in Regem, & sibi ab omnibus constitutis ibidem tanquam Regi catholico super omnibus diligenter intendi facias, quæ spectare ad dignitatem regiam dignoscuntur. Ita tamen quod ipse, ac successores sui, Regnum prædictum & præfatas terras, quæ ad suarum precũ instantiam in ius, & proprietatem beati Petri suscepimus, se ab Apostolica sede tenere perpetuo recognoscat. Contradictores autem si qui fuerint, vel rebelles, monitione præmissa per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compescas. *Dat. Mediol. XVII. kal. aug. ann. IX.*]

Culmensi episcopo illius regis ornamentis induendi prouincia data.

47 Partes etiam ipsi impositæ c, vt Lithuaniæ episcopum præficeret gerendo tanto muneri, excolendæque nouæ illi ecclesiæ idoneum, excitis duobus episcopis sacris pontificalibus initiaret: *Præsentium tibi auctoritate committimus, quatenus virum bonesum & prouidum, ac in spiritualibus & temporalibus circumspectum, qui pontificali conueniat oneri & honori, prædictæ Luthovviæ auctoritate nostra præficias in episcopum & pastorem, ac duobus, vel tribus accersitis episcopis sibi munus consecrationis impendas: prius tamen ei a prædicto Rege optimo terræ solo pro fundanda cathedrali ecclesia, & honorabilibus ac decentibus dotibus assignatis: cui statum esse volumus vt quoties opportunum fuerit, terram ipsius Regis visitet, & cuncta ibidem exerceat, quæ nõ possunt nisi per episcopum exerceri. Cæterum postquam de præfato episcopo, quem soli Romano Pontifici volumus subiacere, prouisum fuerit iuxta mandati nostri tenorem, tu ab ipso fidelitatis solitæ iuramentum nobis, & Ecclesiæ Romanæ nomine recipias iuxta formam, quam sub bulla nostra tibi mittimus interclusam. Formam autem iuramenti, quod ipse præstabit de verbo ad verbum per eius patentes literas,*

c Eod. l. 9. ep 4.

Et præficiendi Lithuaniæ antistitis.

suo sigillo signatas, nobis per proprium nuntium quantocyus destinare procures. Dat. Mediolani XVI. kal. aug. anno IX.

48 Ad conuertendos vero reliquos Lithuanos, qui gentilium erroribus erant adhuc irretiti atque improborum temeritatem coercendam, qui nascentem fidem præfocare niterentur, solicitus Pontifex VII. kal. aug. dum adhuc Mediolani versabatur, Rigensi, Tharbathensi, & Osiliensi episcopis præcepit, Regi in subditis ad religionis cultum traducendis laboranti operam. At deferbuit cito, vt indicauimus ille pietatis ardor, quem præ se tulerat Mindanus, siue laruam religionis tantummodo tunc induisset, siue postea bonam mentem in nefas detorserit.

49 Cum duobus mensibus, vt ex ascripta literis pontificijs die colligitur, Mediolani egisset, Innocentius Perusium se contulit a, in qua vrbe dum consistebat, Octauiano S. Mariæ in via lata diac. Card. legationis munus in Insubria, patriarchatu Aquileiensi, atque Æmilia imposuit; datisque ad earum prouinciarum antistites hisce literis, legato suo operam, & auxilium porrigerent, imperauit b: *Vt ipsa partes eo magis in Dei, & Ecclesiæ deuotione proficiant, quos spectatius per fidem Apostolicam velut matrem se visitationis officio senserint refoueri; ecce dilectum filium nostrum O. sanctæ Mariæ in via lata diaconum Cardinalem, virum vtiq; scientia præditum, morum honestate decorum, & consilij maturitate præclarum ad partes easdem tanquam pacis angelum de fratrum nostrorum consilio, commisso sibi plenæ legationis officio; vt euellat & destruat, dissipet & disperdat, ædificet & plantet, sicut viderit expedire; duximus destinandum. Quia vero ipsum inter alios fratres nostros speciali dilectionis brachio amplexamur, vniuersitati vestræ per apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus eum, immo potius nos in ipso benigne recipientes, & honeste tractantes, eidem tanquam Apostolicæ sedis legato intendatis humiliter & deuote, ipsius monita, & præcepta, & quæ vobis ex parte nostra mandauerit, efficaciter adimplendo: alioquin sententiam, quam idem tulerit in rebelles, &c. Datum Perusij 10. id. nou. anno IX.* Hactenus de occidentalibus, rebus iam orientales delibemus.

a Par. hist. Angl. hoc an. & mon Pad. chro. l. 1. hoc an.

b Lib 9. ep. cur. 5. Octauiano S Mar. diac. Card legatio in Insubria commissa.

50 Tradit Ionuillæus c, sultanum Damascenum oratores ad sanctum Ludouicum, dum Ptolemaide agebat, transmisisse: quibus grauissime de Ægyptijs proceribus, qui sultanum consanguineum suum neci tradiderant, expostulabat, ac regni Hierosolymitani quas obtinebat terras pollicebatur, si ad expetendam de ijs vltionem armorum societatem iniret. Qua de re cum deliberasset, Yuonem Prædicatorum familiæ virum religiosum Saracenæ linguæ peritum ad sultani oratores, vt consilia exponeret, direxisse; rem vero admiratione & memoria dignissimam Yuoni contigisse, quam ex ipsius ore excepisse Ionuillæus asserit: dum oratorum Damascenorum domum adibat, in medio vico fœminam senio veneran-dam, quæ dextra accensam facem, sinistra hydriam aqua plenam gestabat, eunti occurrisse: quo spectaculo permotum esse sciscitatum quorsum hæc gestaret: illamque subiecisse facem cœlo iniicere, ac succendere, aqua inferorum ignes extinguere meditari, ne quis amplius vel suppliciorum metu, vel præmiorum spe, sed solo diuini amoris intuitu numini obsequeretur. Cuius rei fides sit penes auctorem. Cæterum fœdus illud cum Damasceno firmatum non fuisse, dicetur suo loco.

c Ionuill. in hist. S. Lud. p. 2.

Sultanus Damasc. S. Ludoui cum de ineundo in Aegyptios fœdere inter pellat.

His addit Ionuillæus d, dum Ptolemaide versabatur Ludouicus, Assasinorum principem ad eum oratores transmisisse, qui de S. Rege expostularunt, ipsum Germaniæ Imperatoris, Regis Vngariæ, sultani Babylonici, aliorumque principum exemplo, quos non lateret, diutius hac vita nisi quantum Assasino-

d Ionuill. hist. S. Lud. par. 2.

Audax Assassinorũ legatio.

finotum principi collibitum esset, perfrui posse: muneribus illius amicitiam sibi non comparare, atque adeo denuntiarunt, vel donis placaret, aut vectigal, quod Templariorum, Hospitalariorumque magistris pendebant, remitti curaret, ad quos quidem occidendos sicarios suos princeps non submitteret, cum ijs caesis mox alius aeque strenuus sufficeretur; patem vero Regum conditionem non videri: acerbeque ob id increpitos a Templarijs dimissos, ac iussos meliora principis nomine ad Regem verba afferre: tumque honorificentissimam legationem ad S. Ludouicum decreuisse, vnaque cum pluribus muneribus annulum aureum, cui nomen erat insculptum, transmisisse: ac Regē vicissim alia munera, & Yuonem Praedicatorum ordinis religiosum virum, vt ad Christi cultum barbarum alliceret, destinasse. E cuius ore excepisse addit auctor, cum haec Regi referret, quoties barbarus incederet, praeferre armigerum securim manubrio argenteo, cui plures gladioli acutissimi erant infixi, adornatam; atque alta inclamare voce: Abscedite, fugite ante illius ora, qui Regum mortem in suis manibus circumfert.

Illorum princeps factum emendat. — *Yuo relig. Praed. ad barbarum missus.* — *Vesana Assassinorum principis iactatio.*

51 Operiebatur porro Ptolemaide S. Rex noua ex occidente auxilia ad afflictas res redintegrandas, contigitque; vt ingens pecuniae vis, quam Regina Blanca ad soluendam reliquam redemptionem miserat, hausta fluctibus naui periret. quo aduerso casu audito S. Ludouicus in egregiam vocem prorupit, quam Parisius a, adcommendandam illius constantiam, scriptis commendauit: *Dubus sub eisdem mater & fratres Regis Francorum pecunia quantitatem non minimam ad redemptionem Regis transmiserunt. Et dum esset in mari, suborta tempestate, nauis cum omnibus contentis est submersa. Quod cum audisset Rex Francorum Christianissimus ait: Nec hac nec alia qualibet aduersitas a charitate Christi me poterit separare.* Et sic Rex magnanimus alios quos vidit pusillanimes confortauit, *vt secundus Iob vere possit censeri; infideles etiam mirati sunt admirabantur constantiam.* Quanta vero aliarum virtutum exempla Rex sanctus in Syria explicuerit, quamque res Christianorum erexerit; ve etiam post acceptam illam cruentissimam cladem illius in Syriam accessus maximas vtilitates religioni pepererit, quamuis sequentibus annis transacta sint, hic vnum in locum congerere visum est. Integro pene quinquennio, quo in Syria mansit, Christianorum vrbes suis sumptibus moenibus, aggeribus, ac turribus ad repellendos hostes firmauit, qua de re haec Gaufridus b de Belloloco testis oculatus tradit.

Regina Blanca ad S. Lud. erarium trasmittit. — *a Par. hist. Angl. an. 1251.* — *Perit fluctibus.* — *Egregia in eo ad uerso casu S. Lud. sententia.* — *Plures arces magnis molibus munit.* — *b Gaufrid. a Bello lo. in vit. S. Lud. c. 26.*

52 *Moratus est in Terra sancta per annos quinque vel circa: nec mora sua fuit inanis & vacua. Nam in spatio illo tum magnis sumptibus aedificauit Caesaream muris fortissimis in circuitu ciuitatis. Eodem modo Ioppen, & Sidonem. Multa insuper posuit in ampliando & fortificando muros ciuitatis Achon. Licet autem labores huiusmodi, quamuis plurimum sumptuosi, modicū effectum vtilitatis Christianitati visi fuerint contulisse; credimus quod per ipsum non steterit: sed potius ex secreto, & nobis ignoto Dei iudicio hoc processit; & culpis aliorum hoc exigentibus potius quam suis.* Tantis vero molibus sumptibusque operis perduxisse scribit Nangius c, vt ea res in maximam Sarracenos admirationē rapuerit: *Sarracenorum*, inquit, *principes non minimum mirabantur, non putantes potentiorem principem de toto mundo ad tantas expensas posse sufficere: post tanti exercitus stipendia, supellectilis amissionem, & redemptionis sua solutionem, cum manu valida inter hostes suos nouis muris vrbes accingere & aliorum ruinas proprijs sumptibus restaurare; vnde quidam Admirati, admirantes eius magnanimi cordis constantiam, sibi fiebant beneuoli.*

c Nang. in gest. S. Lud.

53 His adijcienda videntur nonnulla memoria dignissima, quae dum instaurandis illis arcibus incumbebat, contigerunt; hortatum saepius sui exēplo operas ad vrgendum opus, ac laborem subeūdum huiusmodi verbis refert Ionuillaeus: Macti animis, saepius enim ad lucrandas indulgentias corbem gestaui. Sed mirari desinet sanctissimū Regem in vallo egisse militē, ac terram humeris euexisse, qui ex eodem auctore acceperit ipsum proprijs manibus putrida cadauera, ad quorum aspectum horrebant sensus, ad sepulturā extulisse. Ad quam rem adeo insignem confirmandam alterius oculati testis, Guillelmi nimirum Carnotensis a, verba adducimus: *Illud non silendum, quod humilitatem & feruorem fidei Regis ipsius commendat plurimum, quod cum venisset Sidonem audissetque de Christianis illuc missis, qui ciuitatem ipsam readificare inceperant, interfectis ibidem a Damascenorum exercitu, quod multa corpora atque membra eorum iacebant in littore penitus insepulta, accessit ad locum Rex prius antequam cibum sumeret, vna cum venerabili patre bona memoria domino Odone Tusculano episcopo A. S. L. Et cum alij, qui aderant, quasi quandam abomina ionem, & horrorem haberent leuandi corpora, & truncata membra, & iam quasi semiputrida contrectandi, siue etiam ossa tangendi; ipse magnanimus & deuotus Rex, quasi nihil abominationis huius sentiens, & a mane vsque ad meridiem ibidem, ac si esset in cella aromatica conuersans; proprijs manibus ipsa etiam intestina & horrida membra Christianorum, quos vere martyres reputabat, sic benigne leuabat a terra, sic dolenter contrectans & colligens ponebat in vasculis ad locum sepultura, quem prope castra parari fecerat, deportanda, quodomnes, qui aderant, & quamplures, qui prae abominatione fugerunt, mirabantur humilitatem & magnanimitatem ipsius. Sicque nullo omnino, vel minutissimo osse relicto, quidquid inuentum est, traditum est honorifice, cum exequiarum celebratione solemni, ecclesiastica sepultura. Vt plane de ipsis possit intelligi illud psalmi: Custodit Dominus omnia ossa eorum: vnum ex ijs non conteretur. & illud etiam sapientis: Corpora sanctorum in pace sepulta sunt: & viuunt nomina eorum in aeternum.*

a Guill. Carn. de vit. & mirac. S. Lud. — *Putrida Christianorum cadauera apud Sidonem proprijs manibus sepelit.*

54 Perfecto eo pio officio Sidonem, euersam a barbaris, magnis molibus instauratam, ac munitam, propugnaculis scribit Ionuillaeus: & Caesaream Philippi, quamuis triplici cinctam muro, ab eodem non minus forti, quam pio impetu expugnatam: alteram vero Caesaream iam antea ab ipso inibus operibus firmatam, cuius reficiendis moenibus dum insisteba, vocatum in iudicium equitem in lupanari deprehensum refert, atque a S. Rege praesente se hanc latam sententiam, vel vt per regia castra a meretrice, ligato ad genitalia fune nudus circumferretur: vel equo, armis, ac supellectile mulctatus castris turpiter pelleretur. Qua data illi optione, rebus omnibus amissis, eijci maluisse; eaque mox poena affectum caeteris frenandae incontinentiae exemplo extitisse. Tantus erat in S. Rege pudicitiae amor, vt eam non solum in se religiosissime coleret, verum in suis militibus, quos ad fundendum pro Christo sanguinem in eam expeditionem adduxerat, summam continentiam exigeret. Militaris quippe licentia abesse longe debebat ab exercitu, ex quo plures martyres prodiere.

Sidonem instaurat. Caesaream Philippi expugnat. — *Alteram Caesaream propugnaculis munit.* — *Illius seueritas in equitem in lupanari deprehēsum.*

55 Instaurata Caesarea, Ioppem ad excitanda illius propugnacula se contulisse tradit idem auctor. Vbi dum aggeribus moliendis, moenibusque erigendis occupatus erat; ipsi insinuatum addit, sultanum Damascenum dato fidei & securitatis pignore, vt Hierosolymas adiret, permisisse; sed ab eo consilio a proceribus reuocatum: non enim ipsius dignitati consentaneum videri, vt vrbem impiorum potestati discessurus relinqueret, atque hoc exemplum attribuisse. Quo tempore Philippus Rex Francorum Ptolemaide in Gallias vela fecisset, relictis in Hugonis Burgundiae ducis castris copijs suis, Hugoni ac Richardo Anglorum Regi perlatum nūcium, ipsos Hie-

Ioppem reficit. — *Deliberat an Hierosolymas S. Sepulchrū lustraturus sit.* — *Quibus rationibus a suo filio fuerit reuocatus*

Hierosolymas facile oppressuros, cum Ægyptiorum vires sultano Damasceno aduersus Nessanum auxilio perrexissent: cumque instructis aciebus, quarum primam Richardus Rex ducebat, Christiani Hierosolymas certi de victoria peterent, Richardo denuntiatum fuisse, Burgundum cum Gallicis copijs abscedere, ne captæ Hierosolymæ gloria Anglo tribueretur. Inter hæc virum nobilem ad Richardum inclamasse, vt propius accederet, se ipsi Hierosolymas ostensurum: illum vero subortis ob spes euersas lacrymis auertisse oculos, atque in hæc verba erupisse: *Absit domine Deus ne tuam sanctam conspiciam ciuitatem, quandoquidem ita casus ferat, vt ipsam ex hostium manibus eripere non possim.* Huic etiam exemplo adiecisse fore, vt si ipse omnium Regum Christianorum maximus peregrinationem Hierosolymitanam, vrbe non recuperata, obiret, exteros Reges cum in Syriam accederent, officij sui partes impleuisse existimaturos, si sancta loca ea ratione, qua Francorum Rex, perlustrassent. At si sepulchrum Domini lustrare nō potuit, Nazarethanam tamen domum, in qua diuinæ incarnationis mysterium peractum est, adijt. Describit Gaufridus e Bello loco a, quo sensu pietatis delibutus eam peregrinationem obierit. Cuius verba exscribenda censemus ad Regis tanti pietatem in luce collocandam.

Richardi Regis Angl. exemplum ipsi propositū.

a Gaufr. e Bello loco in vit. S. Lud. c. 22. ex cap. Nang. in gest. S. Lud.

Quo pietatis sensu Nazaret. domum adierit.

56 *Nec silendum arbitror quam humiliter, quam catholice se habuit Rex deuotus in peregrinatione, quam fecit de Accon in sancta ac deuota ciuitate Nazareth. Nam in vigilia annuntiationis Dominicæ fuit, indutus ad carnem cilicio, de Sephora, vbi ea nocte iacuerat in Cana Galilææ. Inde per montem Thabor: inde eadem vigilia descendit in Nazareth. Cum autem a longe locum sanctum videret, descendens de equo flexis genibus deuotissime adorauit: & sic pedes incessit, donec humiliter ciuitatem sacram, & pium locum incarnationis intrauit. Ea die in pane & aqua deuote ieiunauit, quamuis plurimum laborasset. Quam deuote ibidem se habuerit, quam solemniter & gloriose fecerit celebrari vesperas, matutinas, missam & cætera, quæ ad solemnitatem tam celebrem pertinebant, testes esse possunt, qui affuerunt; de quibus nonnulli attestare veraciter sine edere potuerunt, quod postquam Filius Dei in eodem loco de gloriosa Virgine carnem assumpsit, nunquam tam solemne, tamque deuotum officium fuerit ibi factum. Ibidem deuotus Rex, missa in altari annuntiationis celebrata, sacram communionem accepit, & dominus Odo Tusculanus A.S.L. ad maius altare ecclesiæ missam solemnem celebrauit, & sermonem deuotum fecit.*

57 Absoluimus hunc annū pio Rudolphi Habspurgensis comitis facinore, cui nūmē ob donarum sacerdoti, Eucharistiam in salebroso loco deferēti, equum præmij ergo Germanicum Imperium, quo adhuc eius posteri potiuntur, contulit, vt quondam Abrahamo ob immolatum voluntate Isaac progeniem, stellis cæli & arenæ maris numero æquandam, ac diuino consecrandam germine, concesserat b: *Anno MCCLI. Rudolphus comes in Habspurg iuxta Brug in Ergovv, vir timens Deum, die quodam optimo sedens equo, trans campum equitans cum quodam seruo, sacerdotem quemdam sacramentum Eucharistiæ ad infirmum gestantem, præcedente ministro, obuium habuit. Cui comes ait: Cur bone domine tam digna sarcina onerate asperum & lubricum iter non equitatis? Et ille: Non habeo, inquit, præbendam valoris tanti, vt possim equum comparare. Et comes: Accipite hunc meum equum, & deinceps pro Dei honore vtamini. Compunctus in hoc facto socius itineris & ipse suum caballum sacerdotis dedit ministro. Cumque venissent ad quandam inclusam, cui Deus hæc reuelauerat, inter alia audierunt ab ea: Domine, inquit, Rudolphe, vos hodie honorastis Deum in equo, ecce Deus largus remunerator infra triginta annos vos honorabit, & ad magnum honorem ascendetis. Factus est enim postea Imperator post viginti duos annos.* Confirmat Serarius hanc historiam adductis plurium scriptorum auctoritatibus, vt merito fides miraculo detrahi non possit.

b Serar. rerum Mogunt. l. 5. in Gerardo 1. ep. M. 2. Rudolphus Habspurg. comes sacerdoti Euch. deferenti equum donat.

Præmij ergo a nd. domine Germanico donatus imperio.

IESV CHRISTI
Annus 1252.

INNOCENTII PP. IV. annus 10. VACAT IMP. OCCID. an. 2. BALDVINI II. IMP. 24.

1 Fluctuauit occidens dubijs bellorum euentibus anno a partu Virginis millesimo quinquagesimo secundo indictione decima; hinc pontificijs ad tuendam Ecclesiæ maiestatem, illinc Fridericianis ad tyranni successores stabiliendos, inter se Italiam, ac Germaniam ferro flammaque partientibus. Hæc vt enucleatius exponamus, a Siculis rebus, quæ depressæ admodum fuere, huius anni historiam auspicamur. Ingemiscebat tunc infelix Sicilia sub intolerabili iugo, quod iam olim ceruicibus populorum Fridericus imposuerat, atque in dies filiorū ipsius, ac ministrorū crudelitate augebatur. Inter cæteros vero ecclesiasticorum conditio longe infelicissima erat, cum direptioni improborum ipsorum fortunæ expositæ essent. Ad infringendam porro hostium temeritatem Innocentius Papa omnia Friderici vetera decreta, quibus libertas ecclesiastica euertebatur, conuulsit a: *Qui pro regnorum clarissimo regno Siciliæ dudum sub dira, seu durissima posito seruitute profundos gemitus, & amara fudimus sæpe suspiria, id semper in mente gerimus, quod libertatem ecclesiasticam, ibi quasi ad nihilum iam redactam, in statum pristinum, auctore Domino, reformemus; maxime cum regnum ipsum iuris & proprietatis Apostolicæ sedis existens, nunc Rege careat, & aliqua sibi, nisi per Deum, & Ecclesiam resurgendi possibilitas non existat. Hinc est quod nos cum fratribus nostris diligenti consideratione præhabita, de consilio ipsorum omnes leges, seu constitutiones, aut statuta, ordinationes, dispositiones, iussiones, & vniuersa similia in derogationem, vel præiudicium libertatis, aut immunitatis, auctoritatis, seu iurisdictionis ecclesiasticæ, vel quorumcunque iurium ecclesiasticorum a persecutore eiusdem quondam Frederico Imp. ante vel post depositionem ipsius edita; necnon quaslibet consuetudines contra hæc in eodem regno ab ipso, vel suis prædecessoribus Regibus Siciliæ, aut quibuscunque alijs introductas; irritas omnino decernimus, & inanes: singulis ecclesijs ipsius regni, tam secularibus, quam regularibus, cathedralibus, & alijs, ac domibus religiosis, ciuitates, castra, villas, terras, prædia, possessiones, homines, vasallos, & cætera bona, & iura, quibus eas idem Fredericus & aliquis filiorum, seu ministrorum eius per inquisitiones, seu concessiones, aut venditiones, vel concambia, siue quocumque alio modo iniuste destituit, restituentes plenarie, ab ipsis de cætero, cum omnibus iuribus, & pertinentijs suis, integre possidenda. Eisdem etiam ecclesijs, & domibus, ac prælatis ipsarum reparandi, & readificandi de nouo ciuitates, terras, villas, & castra de mandato eiusdem Friderici aut filiorum, seu fautorum ipsius in parte, vel toto diruta, seu destructa; & faciendi inhabitatarehabitori, concedimus liberam facultatem. Præterea, vt electa & prædilecta ciuitas Beneuenti, cameræ vtique sedis Apostolicæ specialis, quam eiusdem P. persecutor, euersa tandem præpotenti virtutis diuinæ brachio, impia feritate destruxit, se per eiusdem sedis auxilium condigna gaudeat consolatione perfundi, eam in præmissis omnibus, & alijs libertatibus vniuersis prædicto regno parem reddimus, & æqualem; omnes sibi fidantias, quas olim aliquis sine auctoritate sedis Apostolicæ in præiudicium suæ libertatis antiquæ fecisse dignoscitur, nihilominus remittentis; ac districte iniungentes illis, qui fidantias huiusmodi receperunt, quod eas sine omni dilatione*

a Lib. 10 ep. cur. 9. sine tit.

Iniustæ Friderici in ecclesiasticos sanctiones a Pontifice rescissæ.

ac difficultate remittant, & ipsas de cætero exigere non præsumant. Nulli ergo omnino hominum liceat hæc nostra statuta infringere, vel ei ausu quolibet contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, animaduersione dura se nouerit puniendum. Dat. Perusij x. kalend. septemb. anno x.

Henrico Frangipani Tarentum, Hydruntumq; attributa ab Imperatrice Constantia cõfirmat. a Lib. 9. ep. 93.

3 Ad ornanda meritia præmijs prænobilium virorum officia, nonnullas regni Siculi terras ipsis attribuit, inter quos Hẽrico Frangipani Tarẽtini principatus, atque Hydruntinæ ditionis iura contulit, vt ea ex hostis manibus auelleret a: *Cũ concessionem claræ memoriæ Constantiæ Roman. Imperatricis & Reginæ Siciliæ, ac etiam quondam Friderici Roman. Imperatoris tunc Regis Siciliæ factam olim O. Fraiapano auunculo tuo, eiusque successoribus de principatu Tarentino & tota terra Hydruntina, tibi, qui eiusdem O.. hæres existis, liberaliter duxerimus confirmandam; facientes te de principatu, & terra prædictis postmodum inuestiri, prout in alijs literis nostris plenius continetur; nos circa te gratiam merito gratia cumulantes, te quoque volentes super præmissis principatu & terra fauore gaudere apostolico speciali, tuis benigne supplicationibus inclinati præsentium tibi auctoritate concedimus, vt nulli alij, sed nobis, & Romanis Pontificibus successoribus nostris tantum de principatu & terra eisdem, pro quibus immediate præfatæ sedi subesse te volumus, respondere de cætero tenearis: districtius inhibentes, ne cuiquam alij deinceps liceat te super memoratis principatu & terra, & omnibus pertinentijs, ac iuribus suis temere perturbare, vel quomodolibet vexare, aut aliquam inferre tibi molestiam super principatum & terram iam dictos: seu te pro eisdem aliquibus datijs, collectis, aut talijs, seu quibuscumque alijs exactionum impetitionibus fatigare; nihilominus decernendo, vt ea omnia ad ius, & proprietatem Rom. Ecclesiæ pertinentia integra tibi perpetuo & quieta permaneant, tuis commodis, & vsibus libere profutura. Nulli ergo, &c. Dat. Perusij x11. kal. febr. ann. 1x.* Liciensem præterea comitatum Maroo Ziano Petri Venetorum olim ducis filio, ad cuius auũ spectaret, omni Tigenti comitis iure ob secutas Friderici partes abrogato, adiudicauit b. Verum ea liberalitas parum ija profuit, cum hostis eas terras occuparet, cuius potentiam armis frangere non potuerunt. Manfredus enim Tarentino principatu, ac Siciliæ legatione a Friderico donatus, Siculos in suo obsequio continebat, ac sibi aduersantes Neapolitanos arctiori obsidione vrgebat, quorum vastatis agris, audito aduentus Conradi nuntio castra remouit, vt venientem exciperet, regnique administrationem in eum transfunderet; vt rerum ab ipso gestarum scriptor exponit c: *Facto depopulatione ibidem*, scilicet Neapoli, *in quantum placuit sibi, & æstus temporis intemperies passa est, recessit de loco illo ad alias partes terræ laboris in statu pacifico & fide regia reformandas incedens: processuque temporis intelligens Regem Conradum fratrem suum de Alemannia in regnum per mare esse venturum, reuersus est in Apuliam; ibique moram trahens, & pro aduentu Regis opportuna quæque disponens, dictum Regem cum magna Theutonicorum comitiua per mare venientem apud Sypontum debita reuerẽtia & deuotione recepit sub ann. Domini MCCLII. regnumque, cuius pro ipso baiulum gesserat, in pace totaliter fere constitutum, sibi assignauit.* Quæ porro vrbes Conradi imperia detrectarint, exprimuntur in M.S. chronic. Cauensi d, quod nobis D. Lucas Holstenius vir doctissimus S. Petri basilicæ canonicus, vnà cum alijs veteribus monumentis pro sua liberalitate communicauit: *In hoc anno*, nimirum MCCLII. quo rẽ consignat. *Conradus Rex venit de Alemannia, & obediuit ei totum regnum præter Neapolim, Capuam, et Nuceriam, & quasdam alias terras.* His Cõradi & Manfredi natum rerum scriptor addit: *Rex autem valde principi gratificatus est, recognoscens regnum ipsum in absentia sua post Imperatoris patris sui mortem pro viribus principis industria sapienter, atque viriliter fuisse gubernatum: cum vix credidisse potuerit se sic quietum & pacatum regnum inuenturum esse, sicut inuenit; propter quod principem in magna beneuolentia est amplexatus, &c.* Interiectis nonnullis subijcit Conradum liuore in Manfredum suffusum sensim illius potentiam elidere ac labefactare iura cœpisse. Hæc de Siculis rebus suffecerint: ad reliquas Italicas digrediamur. Flagrabat hoc tempore ciuili bello Hetruria, hinc enim Pisani, ac Senenses Fridericianas partes, hinc Lucenses, & Florentini pontificias ferro flammaque tuebantur.

Liciensem comitatũ in Zianum trãsmittit. b Lib. 9. ep. 121.

c Anony. auct. M.S. de rebus Conradi & Manfr. Conradus e Germania in Siciliam mari transmittit & appellit.

Manfredus regni habenas illi reliquit.

d Chron. M.S. in Cauen. add.

Duo legati Cardinales in Hetruriam missi. a Lib. 10. ep. cur. 7.

4 Ad confirmandos ergo Ecclesiæ clientes legatos in Hetruriam summa auctoritate instructos Albanensem episcopum, & Guillelmum sancti Eustachij diaconum Cardinalem misit Innocentius, vt Fridericianos ad pontificias partes pellicerent a: *Cum pro pacis negotio inter discordes Tusciæ reformanda vos ad partes illas de nostro latere destinamus; dignum videtur & congruum, vt onus laboris iniuncti auctoritatis honor ac nostræ potestatis plenitudine comitetur. Hinc est, quod de circumspectionis vestræ prudentia cõfidentes, recipiendi ad Apostolicæ sedis gratiam ciuitates, aliorumque locorum communitates, ac personas quaslibet partium prædictorum eiusdem sedis communionẽ, & gratiam non habentes, ac eis absolutionis beneficium iuxta formam Ecclesiæ impendendi, necnon & relaxandi quorumlibet interdicta locorum; ac etiam in pertinaces ecclesiasticam aggrauandi censuram, & contumacibus pœnas tam spirituales, quã etiam temporales, prout singulorum proteruitas exegerit, imponendi, quemadmodum in præmissis omnibus vestra viderit discretio faciendum; plenam & liberam vobis, & vtrique vestrum concedimus auctoritate prædicta potestatem. Nulli ergo, &c. Dat. Perusij v11. kal. septemb. ann. x.* Alias eodem die literas ad Florentinos de imposita dictis Cardinalibus legatione dedit. b

b Lib. 10. ep. cur. 8. Florentini Pisanos & Senenses fundũt

5 Erexere Florentini admodũ res suas partis de hostibus gloriosissimis victorijs, vastato Pistoriensi agro, captoque castro, cui Tizani nomen est: atque increbrescente fama Lucenses magna clade a Pisanis deletos fuisse, motis castris victoribus occurrere: & inito prælio Pisanos fudere, ac paulo post de Senensibus victoriam retulere c. Quibus successibus elati florenos ex auro purissimo percusserunt d. Quod genus monetæ nouæ miratus postea Rex Tunetanus, cum de Florentinorum republica quæsijsset; ijsdem prærogatiuis ac Pisanos ornauit, vt inferre merces, atque auehere possent; templumque Tuneti permisit, in quo Christiana sacra peragerent.

c Record. hist. Flor. cap. 150. 152. Io. Vill. 16 c. 50 & 53 d Record. ib. c. 5. & Io. Vill. c. 54. His elati successibus florenos aureos cudunt.

In eo secundarum aduersarumque rerum æstu Interamnenses ad Ecclesiæ obsequium se contulere; quos Innocentius recepit in gratiam ac beneficijs est complexus e: Fulginates ob peruicaciam insignẽ pontificias iras exasperarunt, vt aculeatæ Innocentij literæ demonstrant f; Laudenses, qui maximis in Friderici gratiam sceleribus se inquinarant; ob quæ a Gregorio IX. eorum ciuitas episcopalis sedis dignitate exuta fuerat; in castra Ecclesiæ transfugere: promeruereque ab Innocentio, vt pristinum decus illorum patriæ restitueret g; quo argumento ad nouum designatum episcopum literæ exaratæ.

Interamnenses ad Ecclesiæ obedientiam reuocati. e Lib. 10. ep. cur. 28. f Lib. 10. ep. 130. Laude restitutæ episcopalis sedis dignitas. g Lib. 9. ep. 53.

6 Ornauit eodem tempore Albanensis episcopus A.S.L. Adriam episcopali sede; cui ecclesiam Pennensem coniunxit: quod legati factum ad deuinciendos arctius illius ciues de Apost. sede benemeritos confirmauit Pontifex h. Eodem argumento Adriæ & Pennæ episcopo datæ literæ i, vt Adriæ administrationem capesseret: tum ad Adrienses l, vt episcopo ipsorum beneuolentiam, atque obsequia debita conciliaret. Nec prætermittendum visum est Innocentium hoc anno appetente vere Perusij honorificentissi-

Adria & Penna cõiunctæ episcopali sede decorãtur. h Ibid. ep. 160. i Ep. 166. l Ep. 167. Perusium Pontifex proficiscitur.

tissime exceptum, sacri senatus numerum creatis septem Cardinalibus, amplificasse, vt Parisius testatur. a Præterea nonnullos alios, vt Turonensem archiepiscopum, Mantuanum, Verulanum, & Bartholomæum S. Dominici religiosa disciplina excultum sacris pontificalibus initiasse b. Cum vero Dominicanorum mentio inciderit; addimus Innocentium ipsos regendarum monialium onere liberasse c, ne a sacrarum literarum lectione, & habendis concionibus distraherentur. Duo tamen sacrarum Deo virginum cœnobia, nimirum alterum vrbanum S. Xisti, quod singulari studio complectebatur Pontifex; alterum S. Mariæ Pruliani Tolosanæ prouinciæ, quod S. Dominicus condiderat, excepisse.

a Par. hist. Angl. hoc ann.

b Lib. 9. ep. 174. 217. 243. 285.

Prædicatores monialiũ regendarum onere a Pontif. liberati.

c Lib. 10. ep. 132.

7 Flagitauere ab Innocentio Viterbienses, vt pijssimam virginem, cui Rosæ nomen erat, quæ dum vixerat egregijs virtutibus præluxerat, ac post mortem magnis miraculis claruerat, sanctorum catalogo adijceret, atque ad religiosum examen eos, qui illius suffragijs magna a Deo beneficia comparasse asserebant, euocari iuberet, vt in publicas tabulas referrentur. Qua in re consilij maturitatem solitam adhibiturus, priori Prædicatorum, & S. Xisti Viterbiensis archipresbytero censorum munus demandauit d: *Sic in sanctis suis mirabilis & benedictus in secula Dominus noster veneranda memoria Rosam, virtute, ac fortitudine in huiusmodi vita solitudine dicitur fondasse, vt inter mundanos incursus, & vitiorum illecebras virginei floris integritate seruata, per virtutum ardua immaculato calle pertransiens, ac nitorem in conscientia præferens, foris alijs velut rosa redoluerit per exemplum: ac tandem secundum pietatis fidem thronum gloriæ conscendere meruerit choris virgineis sociata, prout clara miraculorum indicia, quæ in terris diuina bonitas operari dicitur, protestantur, ne lucerna sub modio lateat, sed luceat ad veritatis agnitionem infidelibus & fidelibus ad fidei fulcimentum. Iis sane miraculorum signis, ac prodigijs dilecti filij nostri electus, clerus, consilium, & populus Viterbienses merito, quin potius meritorie excitati, nos humiliter, & humaniter supplicarunt, vt fidelium testimonia super ipsius nouellæ Rosæ fragrantia, videlicet vitæ meritis, & miraculorum assertionibus recipi faceremus; ita quod, quæ felicitatis potiri creditur præmijs in Ecclesia triumphante, in militanti quoque honore congruo celebris habeatur; & quæ gloriosa Dei virgo coram hominibus claruit, pia innotescat patrona pro hominibus coram Deo. Nos igitur ipsorum laudabile votum fauore beneuolo cupientes prosequi; cum in re tam profundi iudicij tanta expediat maturitatis cautela procedi, vt ijs, qui peruersitatis hæretica fermento corrupti loqui audent mala de bonis, & in electis pingere maculam, vt Ecclesiæ sponsæ Christi species decoloretur in membris, nullus insultandi fidelibus aditus relinquatur; discretioni vestræ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus, quatenus super ipsius Rosæ vita & miraculis testes fide dignos, atque legitimos, quos vndecunque produci contigerit, coram vobis legitime recipere, ac de singulis circumstantijs iuxta interrogationis formam, quam vobis sub bulla nostra transmittimus, prudenter examinare curetis, &c. Dat. Perusij VII. kal. decemb. ann. x.* Discutiendorum testium eadem atque in causa Ambrosij e pijssimi viri, cuius sacræ exuuiæ Vrbeuetere seruabãtur, forma Marino de Ebulo præscripta est, quo argumento eidem Marino literæ exaratæ f. Similem prouinciam Spoletino & Eugubino episcopis de perscrutandis, atque in acta publica redigendis Simonis Minoritæ gestis, cuius opera plura prodigia patrata circumferebantur, Spoletanorum adductus precibus, iniunxit. g

B. Rosa miraculis clara.

De illa sanctis annumeranda agitatũ

d ibid. ep. 240.

Transmissa est interrogandorum testiũ formula.

e Vide sup. an. 12. o nu. 22 & an. 1250. n. 49

f Ep. 241

Redintegrationis de Ambrosij Minoritæ miraculis examen.

g Lib. 9. ep. 331.

8 Instabat etiam eodem tempore summis precibus Prandothas episcopus Cracouiensis, vt eiusdem olim ecclesiæ antistes Stanislaus sanctorum numero ascriberetur; & quamuis Gnesnensis archiepiscopus, episcopus Vratislauiensis, atque abbas e Lucedio commissam sibi prouinciam executi, confectas de miraculis beati viri beneficio patratis tabulas ad Innocentium misissent; is tamen, quo nullas humanæ prudentiæ partes in re tanti momenti prætermitteret, Iacobum Velletrensem Minoritam in Poloniam misit, vt actorum prototypa exploraret, excuteret testes, ac illorum senum dicta, qui annos centum erant egressi, quos martyrẽ nouisse fama erat, ad examen reuocaret a: *Discretioni tuæ auctoritate præsentium in virtute obedientiæ districte iniungimus, vt a dictis inquisitoribus, si superstites & præsentes in prouincia fuerint, an sic processerint sicut sub ipsorum sigillis recepimus, perscruteris; & ipsorum actorum exempla ad maiorem certitudinem tecum portes, faciens præsentari tibi eos, qui dicuntur fuisse a diuersis infirmitatibus liberati, quos & quot potueris; ac illos duos centenarios, si superstites fuerint, de quibus mentio est in actis, qui dicuntur ab aliquibus accepisse, vel eorum alterum, quod sanctum nouerunt eundem, & de ipsius clara, & honesta conuersatione, dum viueret, audiuerunt; inquisiturus ab ipsis an ita sit: & inspecturus nihilominus deuotionem populi & famam communem super martyrio, & causa martyrij, nec non & sanctitate ipsius. Inquiras insuper, vtrum Cracouiensis diœcesis paganis, & Ruthenis sibi finitimis sit confinis; vt per hoc ex ipsorum confinio lucrum prouenire valeat animarum. Ad hæc librum chronicorum, quoad capitulum, pertinens ad negotium memoratum ex archiuo ducis Poloniæ editum; & etiam librum annalium, & epitaphium considera diligenter: & his summatim sub obtestatione iuramenti, vbi tibi visum fuerit, coram prioribus inquisitoribus præstito plenius intellectis, si aliqui testes super prioribus, vel nouis articulis tibi fuerint præsentati, eos iuratos secundum formam recipiendorum testium prudenter recipias, & diligenter examinare procures; & sic instructus ad nos, vt per te super ijs instruamur plenius, reuertaris. Datum Perusij VII. kalend. iunij anno IX.*

Prãdothas episc. referẽdi inter SS. Stanislai ep. causam vrget.

a Lib. 9. ep. 281.

Innocẽtij studium in explorãda rei veritate.

Has literas historiæ suæ insinuauit Longinus: b qui in eo emendandus est; dum ipsas ad annum Christi MCCL. refert. Cæterum ex eodem auctore liquet, Iacobum Minoritam strenue suo munere perfunctum. cuius occasione data, addimus Innocentium Minoritis confirmasse c vrbanam ecclesiæ S. Mariæ Capitolinæ donationem, iam ante Lugduni adhibitis Raynaldo Ostiensi episcopo & Stephano sanctæ Mariæ Transtyberim presbytero Card. a se factam V. kal. iul. pontificatus ann. VII.

b Longin. vbi sup.

c Lib. 10. ep. 39.

9 Eodem anno Gregorius e Montelongo, vti monachus Patauinus scribit d, patriarchatu Aquileiensi ab Innocentio ornatus, ecclesiæ possessionem inijt, vt egregias virtutes, quas in continendis in fide Ecclesiæ Insubribus, infringenda Fridericianorum tyrannide, atque Ezelini e Romano, qui non tam principem, quam immanissimum carnificem agebat, conatibus debilitandis, in amplissimo munere explicaret. Ezelinus porro, non Fridericiana tantum, sed etiam hæretica lue infectus erat, quem vt ad pietatem reuocaret Pontifex, vel iustas in contumacem pœnas decerneret, iam ante illi ad purgandam, & amouendam a se publicam infamiam diem e apud sedem Apostolicam dixerat, iudiciumque vir improbus varijs artibus eluserat. Cui iterum Pontifex, ne inanes perfidiæ colores, ac periculi metum obtenderet, permisit, vt in Insubria, marchia Taruisina, aut Germania locum deligeret, vbi tuto ecclesiastico solio se sisteret. Quo argumento hoc decretum pontificium promulgauit.

d Mon. Pat. chro. lib. 2. hoc ann.

Ezelinus crudelitate & hæresi infamis.

e Lib. 9. ep. cur. 22.

Vniuersis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis.

Licet

Licet pridem nobili viro Ezelino de Romano certum duxerimus terminum præfigendum, quo personaliter ad sedem Apostolicam accederet, super impressa sibi nota hæresis recepturus, quod dictaret iustitia, & facturus, alioquin ex tunc contra ipsum grauius super hoc procedere curaremus; volumus tamen, prouidentiæ suggerente consilio, eidem nociuam cuiuslibet excusationis auferre materiam, ne aduersus manum salutis eius remedia perscrutantem de impossibilitate parendi, vel periculo nostris conspectibus comparendi aliqua sibi possit verisimilitudinis assuere tegumenta; & nobis negotium catholicæ fidei prosequentibus modestia, qua possumus, circa ipsum, cunctis liquido liqueat, quod pia fidelium omnium mater cum iniusto animositatis inimicæ calore non impetit, sed sinceræ charitatis desiderio repetit ad salutem. Hinc est, quod dicto nobili præmissæ citationis formam ad sedem prædictam personaliter veniendi hoc æquitatis moderamine tẽperamus, vt siquidem vsque ad festum assumptionis proximo venturæ certum, & idoneum locum in Lõbardia, vel marchia Taruisina, aut Foroliuij, seu etiam Alemannia, siue regione alia commode adiacenti viderit sibi tutum; dummodo idem locus sit in plena constitutus Ecclesiæ, ipsiusque fidelium potestate; eius sibi permittimus optionem: & in eo parati sumus sibi securitatem plenariam prouidere, vt ibi, quod eidem in prædictis faciendum incumbit, personaliter implere procuret. Ad quem locum parati sumus destinare personas, quæ ipsum nobilem efficientem in hac parte humiliter quod debebit, ibidem recipiant vice nostra. Hoc autem in communem volumus venisse notitiam, vt nota factum ratione probetur, & quod de publico agitur fidei negotio cunctos tangente fideles, publicis auribus innotescat. *Dat. Perusij IX. kal. iulij anno IX.*]

10 Contempsit Pontificis imperia Ezelinus, ac paulo post conflatæ in se a Marchianis coniurationis suspicione efferatus crudelitatem Neronianam exercuit, quam monachus Patauinus describit a: *Incipiens a Caruarola milite Veronensi, quem coniurationis principem asserebat, tam in Verona, quam in Padua, Vicentia, & in tota Marchia inauditam stragem & occisionem hominum perpetrauit. Vbique luctus erat, vbique dolor & tristitia, obique dira mortis imago. Caeterum tam milites & maiores natu in foro gladijs necabantur, membra frustatim præcidebantur, & rursum collecta & imposita rogis igne supposito cremabantur. Frater fratrem, consobrinus consobrinum, amicus amicum trudebat ad mortem, & proprijs manibus trucidabat. His sceleribus credebat quilibet se obsequium præstare tyranno. Et tamen ipsi, qui hoc faciebant, post paucos dies in similem mortis gladium, seu laqueum incidebant. Filij nobilium & aliorum ciuium oculis priuabantur, & eorum genitalibus amputatis, includebantur in carceribus tenebrosis, vbi moriebantur famie horribili cruciati. Matronæ nobiles & delicatæ, & virgines speciosæ fame, peste, iniurijs, & afflictionibus inauditis in custodijs tabescebant. Quotidie diuersis generibus tormentorum indifferenter tam maiores, quam minores a carnificibus necabantur. Voces terribiles clamantium in tormentis die noctuque audiebantur in altis palatijs, quæ dolorem & horrorem maximum hominibus inducebant, nullusque publice audebat plorare super his malis: sed quilibet vitam & victoriam, etsi non corde, saltem verbis affectuosis Ezelino nequissimo domino affectabat.* Pergit effusam in omnes nullo ætatis, sexus, dignitatis, religionis discrimine crudelitatem, circumuentos calumnijs plures, vt bonis exuerentur, ecclesiastica vectigalia occupata describere, subijcitque: *In diebus eius cessauit prædicatio, obmutuit confessio peccatorum, & de vltra fidei est extincta. Visitare etiam loca sancta publice homines non audebant.* Et paucis interiectis: *Residere sub Ezelini tyrannide intolerabile: effugere impossibile videbatur, quod nequissimus dæmon fossatis magnis districtum suum circumdederat, & super ipsa fecerat speculas, quas Marchiani muras appellabant, in quibus erant die noctuque speculatores, qui nec intrare, nec exire aliquos permittebant. Si quis in fuga deprehensus fuisset, sine audientia oculis, vel pedibus & manibus priuabatur, nec aliqua eum poterat excusatio liberare, &c.*

Respuit Pontificis imperia.
a Monac. Pat. vbi sup.
Inauditã carnificinam exercet.

Diuinus cultus in illius ditione obsolescit.

11 Freti illius potentia, atque auctoritate hæretici in Marchia, alijsque regionibus circumiectis grassabantur. Friderici enim ac sequacium id consilium fuerat, Saracenis, hæreticis, improbissimisque alijs sectis, quæ ex omnium vitiorum colluuione emerserant, fræna laxare, quo eorum opera, atque insolentia in Christi vicarium vterentur: tum apud Mediolanenses aliosque Insubres ob intestina bella hæresis admodum se propagarat. At Pontifex ad euellendum enascens zizania ex agro dominico, censores fidei plerisque in locis instituerat: atque anno præterito inter cæteros Petro Veronensium Prædicatorum magistro defendendæ religionis causæ contra hæreticos prouinciã, vt vidimus, cõmiserat. Qui vir diuinus, pietate ac doctrina instructus, cum zelum quo flagrabat, in hæreticos explicare cœpisset, eorũ sibi immanissimum odium, quorum salutem sitiebat, conflauit: atque hoc anno a ab ijs crudelissime gladijs transfossus martyrij palmam adeptus est. de quo hæc veteris chronici, in quo præclara Francorum facinora continentur, incertus auctor: *Anno Domini* MCCLII. *nonis aprilis sabbato in albis, fr. Petrus de Verona inquisitor hæreticorum per sedem Apostolicam deputatus, pro pietate fidei in territorio Mediolanensi est occisus; virgo, doctor, & martyr, corona triplici laureatus.* Illius porro martyrij historiam ex Thoma Lentino b patriarcha Hierosolymitano c decerpendam putamus.

Petrus Veronensis exercendæ quæstionis in hæreticos strenue incumbit.
a Cantip. l. 1. c. 5. n. 2.
b Bern. chr. Rom. Pont. & alij.
c Extat apud Sur. to. 2. die 29. april.

12 *Anno salutis millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo die sabbati illius, quod est finis septuagesimæ, diciturque sabbatum in albis annotinum & pascha, athleta Christi, de suo cœnobio ad certamen fidei Mediolanum contendens, nitebatur præfixum terminum peruenire. Cumque iter medium carperet, quidam funestus hæreticus, & cruentus hæreticorum satelles eorum precibus adductus, & pretio librarum quadraginta conductus in beatum virum iter salutaris propositi persequentem, in agnum vtique lupus, in mitem ferus, in pium impius, furibundus in mansuetum, prophanus in sanctum ausu sacrilega incurrit; & de Christi sacerdote victimam faciens, sacrum illius caput ense cruento ferit, diraque illi semel atque iterum repetitis ictibus, vulnera imprimit. Deinde nihil diuertentem ab hoste, sed protinus hostiam sese exhibentem; illiusque truces ictus patienter excipientem, semineccem humi prostratum reliquit, & ad fratrem Dominicum sancti viri comitem, aerem miserandis vocibus implentem opemque & auxilium implorantem, mox cruentus carnifex se conuertit, et quatuor illi lethalia vulnera inflixit.*

Ab hæreticis ex insidijs trucidatur.

13 *Interea B. Petrus in parte alia se Domino commendans: In manus tuas Domine, inquit, commendo spiritum meum; a fidei catholicæ professione & præconio etiam in hoc articulo minime desistens, sed symbolum fidei, quod propter patrui blandimenta puer abnegare noluit, in ipsis mortis angoribus tanquam egregius fidei propugnator, nequaquam oblitus recitare, quemadmodum etiam ille scelestus carnifex fuga præsidia destitutus, & a fidelibus, quos fratris Dominici clamores excitauerant, postea captus, atque idem quoque frater Dominicus aliquot diebus superstites testati sunt. Cum autem adhuc palpitaret vir sanctus, cultrum homo ille sanguinarius per eius latera adegit, eoque confosso, beatum illius martyrium absoluit.*

Inter vltima suspiria symbolum fidei recitat.

14 Pulcherrimis eius vestigijs, quæ in hæreticis inse-

insectandis sodalibus exarsarat, institere Dominicani: atque strenuam nauauere operam, quo impietas in ijs locis interiret. Adeo vt merito gloriosus Christi athleta cum Sampsone a conferri possit, qui cæsus hostes numinis plures obtriuerit, quam viuus debellarat. quam rem vir sanctus Mediolani in publica concione prædixerat, vt eius vitæ auctor narrat: *Mediolani coram multa populi frequentia e suggestu palam dixit se non ignorare hæreticos ipsi necem meditatos esse, & iam pecuniam sicario numerandam alicubi depositam esse: sed agant illi, inquit, quidquid volent, plus me sentient facturum cötra se etiam post obitum quam fecerim viuens.* Agunt de eo plerique alij auctores, in quibus Cardinalis Baronius b ipso die, quo martyrio affectus III. kalend. maij eius memoria ab Ecclesia anniuersarijs sacris celebratur.

a Iud. 16. Vt morté suam prædixerit. Graues pœnæ ab Innoc. in hæreticos statutæ. b Baro. ad Martyr. Rom. die 29 apr. Pontifex ex eius morte magno dolore affectus.

15 Indoluit ob eius mortem Innocentius ac maiori zelo in hæreticos exarsit. Paucis enim post diebus, nimirum id. maij, pontificatus sui anno nono plures sanctiones aduersus hæreticos, eorumque studiosos, ac fautores a magistratibus vrbium locorumque, & prouinciarum præfectis seruandas promulgauit; quibus huiusmodi præfixa est inscriptio.

Potestatibus siue rectoribus, consilijs, & communitatibus ciuitatum, aliorumque locorum per Lombardiam, Romaniolam, & marchiam Taruisinam constitutis salutem & apostolicam benedictionem. Cum vero id pontificium diploma iam typis excusum in manibus omnium teratur, auidum lectorem eo dimittimus c, iam constantissimo martyri purissimam virginem nostra oratione coniungemus.

c Bull. to. 1 in Inn. IV.

Iutta S. Elizab pedissequa miraculis & sanctitate clara.

16 Euolauit in cælum eodem ferme tempore Iutta sanctissima fœmina, quæ pudoris florem Deo vouerat, atque egregia exempla virtutum hauserat a S. Elisabetha Lantgrauia Thuringiæ, cuius pedissequa fuerat: de qua hæc Trithemius d: *Hoc anno obijt deuotissima Christi virgo Iutta XIV. kal. april. quæ olim fuerat pedissequa B. Elizabeth Lantgrauiæ Turingiorum; Hæc sancta virgo multis & signis & miraculis, tam in vita, quam post mortem claruit: & omnium virtutum domina sua, dum adhuc viueret, conscia & cooperatrix semper fidelissima fuit; eiusque sanctissimam conuersationem, qua in tantum præualuit, in omnibus imitari studuit, pauperumque singularis aduocatrix fuit.* Hactenus auctor, atque ex eo recentiores: Cum vero in Germanicam virginem inciderit oratio, nunc Germanicas res decurramus.

d Tritem. in chron. Spanheim. hoc ann.

Vuilelmus Rex Francofurdi procerü bona publicæ qui euoluerüt se anno illi fidem non obligaßet.

17 Celebratis Francofurdi solemnibus comitijs, Romanorum Rex Guillelmus, assentientibus Imperij principibus, eorum omnium bona vectigalia, quæ Germanica ad imperium reuocarat, qui intra euolutum ab acceptis Aquisgrani regijs ornamentis annum, clientum, ac stipendiariorum debita officia ipsi non detulissent. Quam sententiam Innocentius, eiusdem Regis precibus adductus, confirmauit e, ac prouinciam Fridensi abbati imposuit f, vt apostolica auctoritate legis rigor in reos exerceretur.

e Lib. 10. ep. 352. f Reg. post eand. ep.

VV. Regi Romanorum illustri.

Dignum est sententias, quæ solemniter regio promulgantur oraculo, vt illibatæ permaneant, apostolicæ firmitatis patrocinio non carere. Tua siquidé, charissime fili nobis exhibita narratio continebat, quod tu in generali curia nuper apud Franchefort. de antiqua Imperij consuetudine celebrata per diffinitiuam sententiam, de communi consensu principum Imperij eiusdem tibi fidelium ibidem præsentium, promulgatam, illos omnes bonis quibuscumque, quæ ab Imperio tenebant in feudum, priuare curasti, qui super ijs inuestituram infra annum a die, quo apud Aquisgranum in Romanorum Regem fuisti, diuina fauente gratia, coronatus, a tua celsitudine recipere

Ea sentenția ab Innocentio cöfirmata

non curarunt, prout in authenticis literis confectis exinde, & regio sigillo signatis plenius continetur. Nos itaque tuis sublimitatis precibus inclinati, quod a te super hoc factum est, & ratum habentes & gratum, illud auctoritate apostolica confirmamus, &c. vsque, communimus. Nulli ergo nostræ confirmationis. &c. *Dat. Perusij IV. non. decembris anno XI.*

In eo ordinum conuentu aduersus Conradum Friderici filium Imperium sibi arrogantem plura statuta, iusque omne in Sueuiam, quam obtinebat, illi abrogatum, cui decreto regio Innocentius pontificium robur adiecit a.

Abrogatus Conra do Sueuię principatus a Vuilelmo. a Lib. 10. ep. 446.

VV. Regi Romanorum illustri.

18 Cum sicut ex parte tua fuit propositum corä nobis, nobilis vir Conradus natus quondä Frederici olim Imperatoris, tamq clara mem. Hërico Rege Romanorü prædecessore tuo, quam a tua celsitudine postmodum in curia generali a te apud Franchef. ex more principum congregata, non solum ducatu Sueuiæ, sed etiam omnibus bonis suis, quæ ad ipsum dicebantur in Regno Alemanniæ pertinere eiusdem Regis principum accedente consensu ex eo fuerit rite priuatus, quod erat persecutor Ecclesiæ, & aduersarius manifestus, nec de prædictis ducatu, & alijs inuestituram a te, vel eodem prædecessore tuo recipere procurauit; nos priuationem huiusmodi ratam habentes & gratam illam auctoritate apostolica confirmamus, &c. *Dat. Perusij XIII. kal. aug. anno X.*

Ea sententia a Pont. rata habita.

E superioribus refellendus Parisius, dum tradit Guillelmum bello fatigatum promissis pontificijs irretitum se fuisse conquestum, malis auspicijs capessitas regni habenas deseruisse, seque in Hollandiam subduxisse; non negauerim tamen Guillelmum aliquid aduersarum rerum expertum: ita enim fluctuabat Germania, vt pari ancipitiq; contrariarum partium victoria in hunc modum, modo in illum inclinaret. Susceptit quidem graues & iustas iras Innocentius in Treuetensem archiepiscopum, cum eo iubente, vel conniuente Confluentiæ, quæ ditionis ipsius erat, Sculteto duce a militibus præsidiarijs, ciuibusque in arma concurrentibus, Guillelmi quædam crucesignatæ copiæ partim cæsæ, partim dissipatæ, aut præterlabentis fluminis aquis mersæ fuissent.

Nonnulle Vuilel. copię deletę in Germania.

Hugoni tit. S. Sabinæ presbytero Cardinali Apostolicæ sedis legato.

Ad nostram noueris audientiam peruenisse, quod Sculteus, milites, & homines castri de Confluentia Treueren. diœcesis ad venerab. fratris nostri archiepiscopi Treuerensis eorum domini temporalis instinctum in charissimum in Christo filium nostrum Regem Romanorum illustrem, crucesignatos, & alios de exercitu dicti Regis manu irruentes armata, nonnullos ex ipsis vulnerare, alios occidere, quosdam spoliare, ac captiuare temere præsumpserunt, aliis quibus miserabiliter in Rheni flumine suffocatis in ipsius Regis iniuriam, & Ecclesiæ, ac Imperij negotij generalis non modicum detrimentum. Ne igitur tantæ præsumptionis temeritas propter impunitatem transeat alijs in exemplum, mandamus quatenus si de plano, & absque iudicij strepitu super hoc per te, vel per alium inquirens inueneris ita esse, dictum archiepiscopum moneas, vel moueri facias, vt plenariam super ijs satisfactionem studeat exhibere, quam secundum Ecclesiæ, ac Regis honorem, & atrocitatem facti videris exhibendam: verum si monitus plenam humilitate debita satisfactioné ad mandatum tuum, immo nostrum impendere forte contempserit, tu ex parte nostra peremptorie cites eundem, vt infra duos menses post citationem huiusmodi compareat personaliter coram nobis, prout decuerit recepturus. Si vero in statuendo sibi termino ad nostram venire personam recusabit, subditos eius ab obedientia ipsius in pœnam inobedientiæ sua vsque ad satisfactio-

ctionem congruam absoluere non postponas. Quod interim feceris per tuas, &c. vsque intimare. *Dat. Perusij 11. id. decemb. anno x.*]

Pontificia seueritas in virum nobilem ecclesiæ Constātiēsis oppressorem. a Lib. 10. ep. 9.

19 Vt seueritatem in archiepiscopum, qui regiam suorum opera maiestatem violarat, distrinxit; ita eandem in eos exeruit, qui læserant præsulum dignitatem. Deuinxerat se tunc nefario scelere Vvalterus e Clitugen, qui episcopum Constantiensem comprehenderat, atque adeo in se Pontificis iras exasperauit. Abbati enim Campidonensi prouinciam tradidit a, viro nobili denuntiaret pontificio nomine, vt episcopo iniuriam & damna illi ecclesiæ illata sarciret, ac parere detrectantem ea perculleret pœna: *Nullus de ipsius progenie vsque ad quartam generationem in Constantiensi, vel alia cuiuscumque ciuitatis collegiata ecclesia in canonicum vel in clericum admittatur: quod si secus præsumptum fuerit, decernimus irritum & inane.* Exeruit quoque ecclesiasticæ disciplinæ rigorem in Elanum præpositum, qui Abelis Daniæ tyranni (hunc enim non Regem vocat, sed Regem tunc se gessisse ait, cum fratrem Regem ad inuadendum sceptrum, vt vidimus b, securi feriri, & aquis mergi iussisset, ac tunc sceleris pœnas vita ac sceptro amissis luerat) potentia fretus dissentientibus canonicis, Bulgauensem sedem occuparat. Vviburgensi enim episcopo datis Perusij XIII. kal. ianuar. anno pontificatus x. literis, prouinciam demandauit c, vt ab ea ecclesia deturbari, & alium iuste eligi, ac subrogari operam daret.

Elanus ab Abele ecclesiæ Bulgauēsi impositus ab ea deijcitur. b Ann. Chr 1250 nu 38. c Lib. 10. ep. 301.

Sueciæ Rex optime de Ecclesia meritus.

20 Quanto obsoleuerat in Dania impij Abelis scelere libertas ecclesiastica, tanto magis in Suecia egregijs Vvaldemari Regis & Birgeri ducis studijs efflorescebat: qui potentiam non ad opprimendas, vt ille nefarius merito repētino diuinæ iustitiæ impetu e viuis excisus; sed ad defendēdas ecclesias conuerterant: quare vt benemeritis Innocentius gratiam referret, hæc Vpsalensi archiepisc. eiusq; suffraganeis præscripsit d. *Cum charissimus in Christo filius noster VV. Rex illustris & nobilis vir B. dux Sueciæ, prout decet catholicas principes, cupiant, sicut intelleximus, ecclesias & personas ecclesiasticas in regno Sueciæ constitutas in sua conseruare iustitia, & a malignorum incursibus defensare; mandamus quatenus præfatis Rege, & duci contra perturbatores ipsius regni viriliter assistatis; ita quod ydem, vestro mediante auxilio, tenere valeant in pacis pulchritudine terram suam, & nos deuotionem vestram possimus exinde in Domino commendare. Dat. Perusij XII. kal. nouemb. anno x.*

d ibid. ep. 186. Defendēdarum illius partiū prouincia præsulibus imposita.

21 Defixerant præstantissimi illi principes præcipuas in pietate excolenda, atque omni labe repurganda conscientia curas: quorum pia desideria vt promoueret Innocentius, criminum veniam deposcentibus hæc præmia dato ad ipsos atque ad vxorem eiusdem ducis diplomate e, ex sacro meritorum Christi ærario effudit, vt reliquæ criminum, quæ apud sacerdotem intra trium ab acceptis apostolicis literis mensium spatium rite deposuissent, maculæ delerentur.

e ibid. ep. 297.

Illi ac duci Sueciæ vxorique crimina sacra confessione expiaturis indulgentias impertitur.

Cum desideres, sicut accepimus, in cordis mundicia deducere dies vestros, nolentes currere in incertum; nos de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnium peccatorum vestrorum absolutionem & veniam, de quibus estis, vel infra tres menses a receptione præsentis eritis corde contrito vere confessi, vobis misericorditer elargimur, Domini clementiam deprecantes, vt vestrorum immemor delictorum, bonorum cælestium faciat vos esse participes in æterna retributione iustorum. Dat. Perusij x. kal. nou. anno x.

Rex Norvvegiæ in Syriā träsfretaturus in clientelā apost. accipitur.

22 *Non inferior Sueco pietatis laude erat Haquinus Norvvegiæ Rex, qui illustre illius specimen, induta cruce, & consecratis propagandæ fidei armis explicuit. Cuius eximium facinus magnis laudibus commendauit a Innocentius, atque illius ditionem in clientelam apostolicam accepit. b

a Ep. 10 ep. 232. b ibid. ep. 290.

Illustri Regi Norvvegiæ crucesignato.

Dignum est vt cælestis Regis obsequijs inhærentes prærogatiua gaudeant gratiæ specialis. Cum igitur zelo fidei ac deuotionis accensus, signo viuificæ crucis assumpto, pro subsidio Terræ sanctæ, non solum terram propriam relinquere, verum etiam personam exponere sis paratus; nos tuis precibus inclinati personam tuam cum vxore, familia, regno, terris, & omnibus bonis, quæ in præsentiarū rationabiliter possides, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis, &c. vsque confirmamus. Statuentes, vt ex nunc ea omnia integra maneant & quieta, donec de reditu tuo, vel obitu certissime cognoscatur. Nulli ergo, &c. *Dat. Perusij 11. id. decemb. anno x*] Extant aliæ c ad Nidrosiensem archiepiscopum atque Asloensem & Bergensem episcopos exaratæ, quibus solerti opera seruandæ in regno paci, comprimendisque improborum conatibus, ac tuendæ regiæ dignitati incumbere iubet.

c Ep. 291.

23 Versabatur adhuc in Terrasancta Ludouicus Galliarum Rex, cuius sanctitatem ac virtutes in ijs locis diuina prouidentia expoliebat. Vrebat illum immensa amplificandæ religionis cura; adeoque æstuabat zelo, vt totam vitam in bellicis laboribus pro diuino amore conterere, abiectis opulentissimi regni delitijs, cuperet. Ex ijs locis solicitabat Christianos principes, vt in orientalium auxilium prosilirent, vtque inter cæteros Anglorū Regem stimularet magis, scribit Parisius d hanc conditionem ipsi obtulisse. Normanniam illi traditurum, si eum exercitu crucesignatorum in Syriam se conferret: adeo parum sua curabat, modo Christo nouas prouinneias compararet. Sed addit auctor, Francorum proceres obstitisse: non videri ita magna consilij maturitate a prædecessoribus sancita facile reuocanda, nec rem adeo arduam sine parium assensu perficiendam: Anglorum Regem iam antea expeditioni sacræ se deuouisse, atque ad id præstandum officium ex conscientia deuinciri: demum sciret Angliæ Rex, prius per horrentes hastas, strictosque gladios iter sibi faciendum, quam Normanniam ingrederetur: atque ita Gallorum perspecta constantia Henricum a cœptis destitisse.

S Ludouicus agens in Syria, Anglum Regem ad ferenda auxilia inuitat.

d Par. h. ft. Angl. hoc ann. Normanniam Henrico si accesserit pollicetur. Galli proceres negant eam pro iactā a regno posse diuelli.

24 Dum vero Henricus Anglorum Rex expeditionis in Terram sanctam adornandæ speciem præ se ferebat, Innocentius pietatem illius magis excitare, ac studium promouere omnibus modis contendit; adsciuit e illum in apostolicam clientelam, ac Londoniensem & Cistercensem episcopos conseruandæ publicæ paci incumbere, censurisque perturbatores percellere præcepit f: *Quia Regem tam nobilem, tam præclarum, cuius progenitores inclytos gaudet Ecclesia semper habuisse deuotos, decet dictæ sedis auxilio sic protegi, sic foueri, vt eidem super bonis suis nulla indigne irrogetur iniuria, vel iactura; sed ipsa potius illibata maneat, & secura consistat; mandamus quatenus eundem super regno, & terris suis, iuribus ac bonis eiusdem, quousque ad propria de transmarinis partibus feliciter Deo propitio reuertatur, non permittatis ab aliquo molestari; molestatores aut inuasores, seu turbatores ipsius super præfatis regno, terris, & bonis, quæcunque dignitate vel honore præfulgeant, monitione præmissa per excommunicationis in personas, & in terras eorum interdicti sententias, appellatione postposita, compescatis. Dat. Perusij xv. kal. nouemb. ann. x.*

Henricus a Pontifice ad maturandum bellicum apparatū excitatur. e Lib. 10. ep 182. & 214. f ibid. ep. 182. In clientelam recipitur.

25 Ad conciliandam illi diuinam gratiam, solemnes supplicationes in Anglia, Hibernia, & Vasconia indixit; ac viros religiosos preces ad Deum pro felici sacrorum armorum successu fundere imperauit g: *Cum ad felicem consummationem tam ardui sui considerationi negotij, & assumpti hactenus a multis mundi* prin-

Solemnes supplicationes pro eo institutæ. g ibid. ep. 178.

principibus, cognoscat idem Rex humanam potentiam, nisi diuino fulciatur officio, non posse sufficere, quia non in multitudine exercitus est belli victoria, sed fortitudo de cælo, ac per hoc vestris aliorumque fidelium orationibus, & alijs Ecclesiæ suffragijs indigeat adiuuari; vniuersitatem vestram rogamus, & hortamur attente, per apostolica vobis scripta in virtute obedientiæ districte præcipiendo mandantes, quatenus pro ipso Rege, ac societate sua ex nunc, & postquam ad terram ipsam transierint, thus orationum vestrarum in corde contrito, et humili pure Domino adolentes, ac offerentes vestrorum vitulos labiorum, instetis suppliciter apud ipsum processionibus, & litanijs, præcipue diebus dominicis, & festiuis, vt qui de abundantia pietatis suæ merita supplicum excedit & vota, eiusdem Regis & comitiuæ suæ gressus feliciter dirigat, & ipsum in proposito bono corroboret, & conseruet; ac terram, quam ipse Christus proprio sanguine consecrauit, prædicti Regis studio mediante de manibus inimicorum crucis eripiens, restituat cultui Christiano, votum eiusdem Regis, & sequentium eum ad eius liberationem instantium in viam salutis æternæ misericorditer dirigendo. Dat. Perus. XIV. kal. nouemb. ann. X. Præterea Anglicanis, Hibernis, & Vasconibus præsulibus prouinciam imposuit a, vt omnes, qui se bello sacro vouerant, ad arripiendum iter accingerentur, excitarent; ac repugnantes, ni eiusmodi impedimenta occurrerent, vt eorum vota ex sedis Apostolicæ auctoritate differenda permutandaue essent, censuris compellerent.

a Ibid. ep. 120.

26 Imposuit etiam præsulibus, qui eloquentiæ sacræ laude, atque apud populos auctoritate florebant, prouinciam, vt pro concione sacra auditores ad sequenda crucis signa ac suscipiendam transmarinam profectionem excitarent, & incenderent: atque inter cæteros episcopo Auenionensi id munus commisit pluribusque prærogatiuis ad illud cum dignitate exequendum ornauit b; *Largiendi omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui ad huiusmodi prædicationem accesserint, certam dierum indulgentiam a quadraginta diebus infra, secundum tuam prudentiam moderandam; & absoluendi, iuxta formam Ecclesiæ, manuum iniectores in clericos seculares, & personas religiosas, ac incendiarios ecclesiarum; & dispensandi cum clericis, qui sic ligati facti immemores, vel iuris ignari, celebrando diuina, seu ordines suscipiendo, irregularitatem aliquam contraxerunt, & illegitime natis prædictorum locorum, qui non sint geniti de adulterio, regularibus, vel incestu, & alias sint honestæ conuersationis, & vitæ; quod eorum quilibet defectu natalium, quem patitur, non obstante, possit ad omnes sacros ordines promoueri; & ecclesiasticum beneficium obtinere; nec non & alia vota, religionis votis exceptis, in votum huiusmodi commutandi, plenam tibi auctoritate præsentium concedimus potestatem: prouiso quod præfati manuum iniectores, & incendiarij iniuriam, & damna passis satisfaciant competenter, & illos quorum fuerit grauis, & enormis excessus, mittas ad sedem Apostolicam absoluendos, Dat. Perus. id. feb. an. IX.*

Fideles e sacro suggesto ad induendã crucem incendi iussi.

b Lib. 9. ep. 120. Auenion. episc. cru ce signatos alicuius criminis reos absoluendi potestate cõmittit.

27 Moderabatur tum Hierosolymitanum regnũ Henricus Cypri Rex, cui illius administratio consentientibus orientalium votis erat demandata, dum Fridericus, Conradusque in perfidia perstarent: quem Pontifex Tusculani episcopi A. S. L. opera monendum studuit c, vt quasdam vectigales possessiones, quæ ad Toffitum prænobilem ciuem Ianuensem Pontificis consanguineum, & familiarem pertinebant, restitueret. Cum vero idem Rex iura sua ab episcopis, qui causas ad forum seculare spectantes ad ecclesiasticum auertebant, inuadi quereretur, patriarchæ Hierosolymitano prouinciam dedit d, caueret ne quid in ea re nouaretur.

c Lib. 9. ep. 134.

Vetat Põtifex regia iura ab ecclesiasticis Syriæ inuadi.

d Lib. 10. ep. 34.

Charissimus in Christo filius noster illustris Rex Cypri, & regni Hierosolymitani dominus nobis significari curauit, quod licet causa, quæ inter viduas & orphanos, ac inter ipsos & alios laicos regni Hierosolymitani interdum emergunt, de antiqua & approbata, & hactenus pacifice obseruata consuetudine in seculari foro consueuerint terminari; prælati tamen regni prædicti laicos ipsos coram se trahunt in causam ad viduarum, & orphanorum instantiam eorundem; ipsosque per excommunicationis sententiam sub eorum examine respondere compellunt inuitos, & causas ipsas in eorum curijs terminare, ijs sub quorum iurisdictione laici ipsi consistunt nullatenus monitis, nec etiã negligentibus eisdem orphanis et viduis exhibere iustitiæ complementũ, in ipsius Regis non modicum præiudicium, & grauamen; mandamus quatenus dictos prælatos auctoritate nostra efficaciter moneas, & inducas, vt de causis ipsis, quæ ante monitionem, & negligentiam huiusmodi ad ipsos non pertinent de consuetudine, vel de iure, se de cætero nullatenus intromittant, &c. Dat. Perusij VII. kalend. augusti anno X.

28 Quod ad Hierosolymitani regni statum attinet; solicitatus, vt Ionnillæus testis oculatus refert, a sultano Damasceno S. Ludouicus a, vt cum eo armorum societatem aduersus Ægyptiarum copiarum præfectos iniret, respondit ipsius oratoribus, se primum ipsis denuntiaturum num promissis stare, ac violatas inducias redintegrare vellent, & si petita respuerent, cum ipso arma ad sultani Babylonici vindicandam iniuriam coniuncturum. Missis itaque oratoribus ad Aegyptios proceres, vt de illatis iniurijs expostularent, illi facturos satis polliciti sunt, si aduersus sultanum Damascenum opera non defuturum sponderet: ac tum omnes captiuos e vinculis laxarunt. His vero non contentus pius Rex flagitauit, vt sibi Christianorum capita, quæ a Monfortij, & Barensis comitum cladis tempore pro mœnibus Gazarorum affixa pendebant, vna cum omni iuuentute, quam terroribus ad fidem Christi abiurandam adegerant, mitterentur: tum ducenta millia auri pondo, quæ nondum erant persoluta, remitterent. At Aegyptij petitis omnibus assensere, ac missis oratoribus conuenere, vt Ioppe de ineundo fœdere agitaretur. Sultanus vero Damascenus copias, vt Aegyptijs iter Ioppense impediret, immisit; & contracto maximo exercitu in Ægyptum irrupit; commissoque prælio cruentissimo, in quo altera Damascenorum acies ab Aegyptijs cæsa, Aegyptiorum vero altera deleta a Damascenis, sultanus grauissimis vulneribus exceptis saucius Gazaram se recepit. Cum Ægyptij belli exitum pertimescentes, missis oratoribus pacem cum sultano pepigere: atque ita sanctus Rex ab vtraque parte delusus pacis induciarumque beneficio potiri non potuit.

a Ionn. hist. S. Lud. p. 2.

Sultanus Damascenus S. Lud. de fœdere interpellat.

Quid ab ipso respõsum.

Quas leges Aegyptijs ipsius amicitiã ambientibus imposuerit.

Damascenus Aegyptijs oratoribus iter ad S. Lud. abrũpit.

Cruento prælio cũ Aegyptijs dimicat.

Sarraceni inter se pacẽ coeũt.

S. Ludou. ab vtraq; parte delusus.

29 Dum sanctus Rex incredibili traducendæ in sanctis locis reliquæ vitæ, religionisque amplificandæ cupiditate arderet, Regina Blanca ipsius mater, cui regni administrationem crediderat, extremo hoc anno occubuit. Cuius egregia elogia Gaufridus e Belloloco his verbis delibauit b; *Solerti prouidentia matris eius, quæ tota virago semper extitit, & fœmineæ cogitationi ac sexui masculinum animum iugiter inferebat, perturbatores regni semper confusi succubuerunt. Nec prætereundum de quodam religioso, qui a falsis relatoribus audierat, quod dominus hic Rex ante matrimonium suum concubinas habebat, cum quibus quandoque peccabat conscia, vel dissimulante matre sua. Quod cum ille religiosus cum multa admiratione, quasi eam redarguendo, dominæ Reginæ dixisset; illa super hac falsitate se & filium humiliter excusauit, verbum laudabile subinferens, videlicet, quod si dilectus filius suus Rex, quem super omnes creaturas mortales diligebat, infirmaretur ad mortem, & diceretur ei, quod sanaretur, semel peccando cum muliere non sua, prius permitteret ipsum mori, quam semel peccando mortaliter ipsum offen-*

b Gaufrid. e Bello loco in vit. S. Lud. c. 4.

Regina Blanca prius filiũ Regem mori quã peccato succumbere optac.

fendere creatorem. Hoc ego ab ore ipsius domini Regis audiui.

Non minus eximia virtutum exempla in ancipiti mortis vitæque lucta illam explicuisse, quam in prospera valetudine, indicat Parisius, qui hæc de extremo illius vitæ actu scribit a: *Videns mortem imminere, corpus suum legauit ad sepeliendum domui sanctimonialium apud Pontoysi, quam ipsa a fundamentis magnifice construxerat. Facta est autem sanctimonialis professa velata ante mortem: & supra velum apposita est corona, & vestita est regaliter; & sic sepulta est, vt decuit, redimita.* Quibus verbis auctor indicat, quod alij plures testantur, ipsam lethali implicitam morbo religiosæ vitæ se deuonisse: siue etiam, vt contendunt alij, sese illi antea addixisse, atque inter cæteras moniales Cistercienses, quibus Pontiniaci ædes regia magnificentia excitarat, nomen dedisse. Cæterum discessisse e viuis affecto iam ac denexo anno nimirum kal. decembris tradit Parisius.

a Par. hist. Angl. hoc an.
Pia illius mors. Sanctimonialium disciplinam amplectitur.

30 Quantum vero amantissimæ matris obitus nuntius in Syriam sequenti anno delatus S. Ludonico dolorem attulerit vix credi potest b. Sed tamē ne excresceret nimium, Christiana constantia frenauit, precesque apud Deum pro ipsius anima, si quæ forte illius noxæ in igne purgatorio expiandæ essent, effudit: hæc vero satius fuerit ex Gaufrido e Belloloco c decerpere, qui vbi in Ioppensium murorum instauratione occupatum, Odonemque A.S.L. Cardinalem ad lugubrem nuntium solatiumque afferendum accessisse descripsit, subijcit: *Attendens Rex grauem legati faciem, cognouit, quod aliquid triste dicere sibi vellet. Duxit itaque vir Deo plenus legatum & nos de camera in capellam suam, quæ cameræ erat coniuncta, & clausis cameræ ostijs, sedit coram altari, & nos cum eo. Tunc legatus prudenter exposuit varia & magna beneficia, quæ diuina bonitas sibi abundanter contulerat ab ineunte puerili ætate: inter alia autem, quod per gratiam suam sibi prouiderat talem matrem, quæ ipsum tam catholice instruxerat, & tam fideliter; tamque prudenter tractauerat, & administrauerat negotia regni sui. Subiuncto post modicum cum singultu & lacrymis dicta Reginæ obitu, tam damnoso tamque plangendo; Rex catholicus, eiulans alta voce & in lacrymas resolutus, coram altari genua flexit; & manibus iunctis, ac deuotissime plorans ait: Gratias ago tibi domine Deus, qui dilectissimam matrem ac dominam, quamdiu bonitati tuæ placuit, mihi commodasti: & nunc Domine per corporalem mortem eam tibi secundum tuum beneplacitum accepisti. Verum est Domine quod ego nuper eam super omnes mortales creaturas, prout bene meruerat, diligebam sed ex quo beneplacitum est ante te, sit nomen Domini benedictum in sæcula, amen.* Et infra vbi auctor exposuit illum magno pietatis sensu diuinum officium, remotis arbitris, in oratorio pro defunctæ matris anima exoluisse, subiungit: *Fidissimus filius extitit animæ piæ matris: nam infinitas missas, & multiplicium orationum deuota suffragia in religiosorum collegijs impetrauit. Item & ex tunc quotidie specialem missam voluit celebrari, nisi diebus dominicis, & festis præcipuis. Postmodum mansit adhuc in Terra sancta plusquam per annum; nam, peracta instauratione murorum Ioppensium, iuit ad ædificandos muros fortes in circuitu ciuitatis Sidoniensis.* Vt porro ad repetendas Gallias S. Regem ob Reginæ Blancæ excessum temporum necessitas coegerit, suo loco dicetur.

b Ionuill. in hist. S. Lud. p. 2.
c Gaufr. e Bello loco in vit. S. Lud. Nang. de gest. S. Lud.
Acerbe illius mortem plangit S. Ludouicus.
Ipsius diligentia in conciliandis ipsi precum suffragijs.

31 Addenda hic videntur cætera, quæ ad res Gallicas pertinent. Excindere studuit Innocentius barbarum ac ferinum morem, monomachiam nimirum, qua interdum controuersiæ dirimebantur, atque ex gladiatoria ethnicorum arte, non ex ratione prima causarum argumenta petebantur. Extant enim literæ pontificiæ d, quibus ab ea execranda consuetudine ecclesiastici eximuntur.

Barbarus monomachiæ mos in Gallijs inoleuit.
d Lib. 10. ep. 25.

Archiepiscopis & episcopis, abbatibus, prioribus, & alijs ecclesiarum prælatis, & capitulis, ac ecclesiasticis personis vniuersis in regno Franciæ constitutis.

Consuetudo quædam, quin potius corruptela in plerisque locis regni Franciæ, vt accepimus, inoleuit, quod videlicet quando ecclesiarum homines de corpore ad alienum dominium se cōuertunt, si eos vestrum aliqui, quorum ipsi sunt homines, forte conueniant coram iudice competenti, necesse habent suam per duellum intentionem fundare; alioquin ab actione proposita repelluntur, licet per testes, vel alia documenta intentionem ipsam velint & valeant legitime comprobare.

Damnatur ab Innocentio.

Cum igitur clerici absque sui ordinis periculo duella suscipere nequeant, vel offerre pro eo, quod siue per se siue per alios in duello pugnauerint, ipsos ab executionis sacrorum ordinum canonicæ constitutionis seueritas alienat; nos huic prauæ consuetudini remedio, quo possumus, obuiare volentes, & duellorum præsertim, cum de rebus ecclesiasticis agitur, penitus interdicentes abusum, quo Deus tentatur, & vera sæpius iudicia peruertuntur; vt in quibuslibet iudicijs omni probationum genere a iure concesso liceat vobis vti, prædicta consuetudine non obstante, auctoritate vobis præsentium indulgemus; edicto perpetuo statuentes, vt si aliquibus vestrum in quibuslibet casibus descendere per duellum recusantibus causam suam, aut in huiusmodi reprobo probationis genere succumbentibus, propter hoc contra tales sententia, seu executio quæcumque processerit, eadem & quicquid ex ea secutum fuerit, vel ob ipsam, nullius penitus sit momenti. Nulli ergo, &c. *Dat. Perusij x. kal. aug. anno x.* Extant aliæ a proximo anno datæ in eandem sententiam ad Senonensem archiepiscopum, quibus illam monomachiam reprobum probationis genus pariter vocat.

Clerici legum æquitate non singulari certamine sua iura persequi iussi.
a Ibid. ep. 327

32 E Gallicis rebus ad Hispanicas nos conferimus. Corripuerat recenter Castellæ ac Legionis sceptra Alphonsus: qui cum præclaro aliquo facinore regni auspicia ornare, atque insignire cuperet, bellum in Africam traducere est meditatus: vtque rem suam ex Sarracenorum discordia augeret, amplificaretque Christianum nomen, cum nonnullis barbaris fœdus pepigit, alijs bellum intulit. Extant enim Innocentij ad ipsum literæ b IV. non. octob. anno pontificatus x. datæ, quibus ea fœdera cum Sarracenis ineunda, quæ ad Dei gloriam, & Ecclesiæ honorem redundent, confirmaturum pollicetur: eodemq; die Carthaginensi & Zamorensi episcopis significauit c, vt Regi contra Africanos Sarracenos profecturo viros religiosos ad sacramenta cōferenda subsidio mitterent, clericique illius castra sequi in tam pia causa, in qua de proferendis Christiani imperij limitibus & comparandis Ecclesiæ nouis subditis agebatur; tum nonnullis priuilegijs expeditionem suscepturos, suisue opibus adiuturos muniuit. Datis alijs literis d ad eosdem episcopos munus commisit, vt qui vsurarij, alijue, qui in alienas opes grassati essent, pœnitentia ducti, in diuinam gratiam redire cuperent; nec personæ extarent, quibus sua restitui possent; eam auctoritatem sacerdotibus, quos Rex designaret, conferrent, vt ea bona in sacræ expeditionis sumptus ac stipendia deriuare possent.

Alphonsus Rex Castell. & Legionis Africanæ expeditioni incumbit.
Ineunda cum Sarracenis alijs quibus fœderis potestatem obtinet.
b Ibid. ep. 157.
c Ep. 172.
d Ep. 173.

33 Antequam ex Hispanicis rebus digrediamur, adiungimus Innocentium, iustitiæ zelo incitatum, in Pontium episcopum Vrgellensem maximorum criminum infamia aspersum inquiri iussisse e, eamque prouinciam Raymundo e Pennaforti ordinis Prædicatorum, cuius sanctitas Aragoniam illustrabat, ac Minoritarum magistro imposuisse: tum omnia quæ episcopus in archidiaconum & canonicos, qui ipsum apud sedem Apostolicam in iudicium vocarant, gesserat, rescidisse, vt exemplum seueritatis in eo statueretur.

e Lib. 9. ep. 156.

Discrepabat longe ab eius episcopi obsoletis moribus Aegidius SS. Cosmæ & Damiani Cardinalis, qui antequam ex Burgensi ecclesia inter purpuratos patres adscisceretur, optimas leges ad probe instituendos canonicos ac perpoliendos virtutibus tulit: quibus Innocentius apostolicum robur hoe anno adiecit a. Vt enim ecclesiasticorum, qui dignitatem turpibus moribus fœdabant, est insectatus; ita alios, qui ipsam vitæ sanctitate ornabant, tum religiosos viros, ac prærogatiuis singularibus, vt eius ostendunt literæ est complexus. Stephanum etiam archiepisc. Turritanum Sardiniæ & Corsicæ creatum legatum hoc priuilegio honoris affecit b: *Cum tibi in Sardinia, & Corsica concesserimus plenæ legationis officium, eiusdem officij plenitudine in omnibus fungi te volumus, quam prædicti noscuntur Apostolicæ sedis legati, qui de nostro latere transmittuntur, prærogatiua gaudentes, prædictis potiri. Dat. Perusij 11. non. septemb. anno x.*

a Ibid. ep. 267.

b Lib. 10. ep. 105. Stephanus arch. Turritan creatus in Sardinia legatus.

34 Ne vero sanctitatis flos, qui tunc in nonnullis religiosis ordinibus emicabat, temporum iniuria emarcesceret, omnia quæ illum labefactare possent, submouere satcgit. Hæc enim ad frænandam ambitionem eorum, qui ex S. Dominici sodalitio irreperēt ad honores, dato ad Dominicanæ familiæ magistrum diplomate, sanxit. c

Religiosorum digni tates affectantium ambitionem coercet Pōtif.

c Lib. 10. ep. 20.

Petitio tua nobis exhibita continebat, quod cum aliqui fratres tui ordinis in aliquibus ecclesijs in episcopos eliguntur, vel etiam postulantur, ijdem fratres, licet proprium velle non habeant, aut nolle pro eo, quod renunciauerunt mundo & propriæ voluntati, & per se nequeant consentire; tamen irrequisitis prioribus suis prouincialibus, quorum licentia, & testimonium essent in talibus requirenda, interdum electionibus, siue postulationibus de se factis temere consentiunt, & locorum archiepiscopi fratres ipsos assumere in episcopos, ac ordinare præsumunt, propter quod plerumque in eodem ordine scandalum generatur, super quo prouideri per sedem Apostolicam humiliter postulasti. Quia vero prædictum ordinem, cum sit rectæ vitæ speculum, & salutiferæ conuersationis exemplum, semper de bono in melius cupimus, Deo propitio, prosperari, auctoritate præsentium de spirituali gratia districtius inhibemus, vt nulli præfati ordinis fratres, si eos in episcopos eligi, aut postulari forte contigerit, electioni, siue postulationi de se factæ audeant consentire; nec aliquis archiepiscopus, seu quicumque alius prælatus, vel etiam legatus sedis eiusdem dictos fratres, nisi de tua, vel ipsorum priorum prouincialium, qui pro tempore fuerint, licentia & consensu, aut sedis eiusdem speciali mandato, nomen promouendi fratris specialiter exprimente, ad episcopatus, vel alias dignitates extra dictum ordinem assumere, vel ordinare præsumat, &c. Dat. Perusij idib. iulij anno x.

Simillimum antea diploma ad continendam ordinis Minoritarum disciplinam d, ac frangendam adipiscendarum ecclesiasticarum dignitatū cupiditatem Franciscanorum magistro concesserat, quod P. Lucas Vvadinghus e in suos annales retulit, aliaque ad sacrum illum ordinem spectantia adducit. Ad hæc pertinet Innocentij aliud diploma, quo ad sacræ religionis Chartusianorum splendorem tuendum, prioribus, qui ad solemnia comitia confluxerant VII. kal. decembris sequenti anno exarato, editam iussu suo ab I.. Cardinale constitutionem confirmauit. f

d Lib. 9. ep. 246.

e Vvadin. annal. Min. to. 2. hoc ann. nu. 22.

f Lib 11. ep 726.

35 Suscepit etiam magno ardore Cluniacensium clientelam, quorum nonnulla bona a regijs administris ob non solutas trium annorum decimas occupata cum essent, dum abbas in Anglia conscio Rom. Pōtifice versabatur, Innocentius apud S. Regem questus est g, atque ad defendenda eorum iura hęc inter cætera de illius monasterij priuilegijs peruetustis scripsit: *Sane tuam excellentiam credimus non latere, quod Cluniacense monasterium, quod inter alia monasteria regni tui nobile, & præcipuum habetur, florens in spiritualibus, bonorum temporalium vbertate refertum, cum villa Cluniacensi, castro de Lordon. & alijs ipsius pertinentijs consistentibus infra cruces, & metas positas circa ipsum; Ecclesiæ Romanæ iuris, & proprietatis existit, ac ea gaudet per priuilegia Romanorum Pontificum libertate, vt nullus mortalium, Imperatorum scilicet, regum, ducum, comitum, marchionum, archiepiscoporum, vel episcoporum, aut quæcumque persona in idem monasterium, vel eius pertinentias potestatem aliquam possit, vel audeat exercere; seu possessiones, terras, & castra, vel alia bona eius infra cruces, & metas existentia supradictas auferre, capere, inuadere, vel tenere: quod si quisquam præsumpserit, anathema sit apostolicæ maledictionis transfossus aculeo, & excommunicationis vinculo innodatus, nec potest super hoc, nisi per condignam satisfactionem benedictionis, vel absolutionis gratiam promereri.*

Cluniacēses protegit.

g Lib. 9. ep 161. Illorū insigne priuilegium.

36 Absoluemus huius anni periodum Parisij a verbis, qui narrat puerum bimulum patrandorum miraculorum munere a Deo donatum plura prodigia explicuisse: *Ipso quoque anno erat quidam infans, qui in festo exaltationis sanctæ crucis bimatum in ætate expleuerat, in villa Cancia, quæ Estanes dicitur, iuxta Dertheford, nescitur qua virtute, mirabilia operabatur. Pater autem pueri Vvillelmus Crul dicebatur: mater autem Eslachia; puer autem nomine patris Vvillelmus nuncupabatur. Hic puer, facto per aliquem etiam assistentem crucis signaculo, & nominato infirmo, curabat omnes languentes, graui licet infirmitate detinerentur. Propter quam gratiam omnes infirmi de vicinis partibus ad ipsum ob gratiam recuperandæ sanitatis confluebant, nec a suo, quod mirum erat, desiderio frustrabantur. Mater autem eius requisita, vnde hoc tali infantulo? respondit se super hoc adhuc grauidam fuisse, & etiam post partum super hoc diuinitus præmunitam. Sed quia hoc mirabile diu non perdurauit, sed diatim in effectu suscepit diminutionem, lethæ traditum est post pauca temporis spatia tam incuria, quam obliuioni.* Dara a Parisio non aliena a veritate censebit, qui ea, quę theologi de gratijs gratis datis ex Apostolo b edisserunt perpenderit.

Puer bimulus miracula patrat.

a Par. hist. Angl. hoc ann.

b 1. ad Cor. 12.

IESV CHRISTI
Annus 1253.

INNOCENTII PP. IV. annus 11. VACAT IMP. OCCID. an. 3. BALDVINI II. IMP. 25.

1 REcruduit Fridericiana persecutio in filio Cōrado, anno Christi millesimo ducentesimo quinquagesimo tertio, indictione vndecima, qui nō modo parentis immanitatē æquare, sed superare visus Apuliam, Siciliamq; rapida victoria subegit, Neapolim, Beneuentum, & Capuam, quæ pontificiæ clientelæ se addixerant, arctissima cinctas obsidione ad deditionem compulit, nullisque concordiæ legibus seruatis mœnibus exuit. Quos felices Conradi, quem stipabat Manfredus, progressus anonymus auctor ipsius Manfredi studiosissimus, ita describit c: *In terra Laboris Rex*, de Conrado loquitur, *ciuitates Aquini, Suessæ, S. Germani, pluraque vicina castra, quæ per Regis aduentum rebellauerant, vicit. Ciuitatem quoque Capuanam, & quodammodo Neapolitanorum obsidionibus terra, marique ordinatis, machinis quoque circumcirca dispositis, & cauis etiam subterraneis ad murorum euersionem & fossis, ad deditionem coegit, magnaque victoria ex illarum ciuitatum deditione Rex illustratus est.* Consentit huic auctori chronicon Cauense d, in quo eum gestarum rerum tempora accuratissime consignentur, illius verba ad rem illustrandam adiungenda visa sunt: *In hoc anno omnes terræ, quæ rebellatæ fuerant Conrado Regi, reuersæ sunt ad eum præter Neapolim; vnde iratus congregauit totum regnum, & obsedit*

Conradus Siciliā potitur.

c Anony. auct. M. S. de rebus Manfredi.

d Chron. Cauen. M. S.

dit eam XVIII. iunij e mari & a terra, & circumdata est ciuitas viriliter, & fecit contra eam multas machinas, & exquisita ingenia. Decimo itaque die intrantis mensis octobris, cogente eos fame simul & exercitu, reuersi sunt ad eum, & precepit Rex & destruxerunt murum eius per circuitum vsque ad solum, & multos ex eis exulauit. Similiter fecit Capua. Partas etiam has a Conrado victorias referunt Parisius a, & alij: quamuis aliqui aut nullo certo anno consignent, vel in alium conferant. Elatum tantis successibus Conradum, viros pios ac probos, Pontificis studiosos, bonis spoliatos in exilium pepulisse; quos Innocentius perhumaniter excepit, exilijque ipsorum incommoda permulcere paterna prouidentia sategit; ostendunt ipsius literæ b, deuexo iam anno, electo Neapolitano datæ, quibus ipsi prouinciam tradit, vt ciues Neapolitanos, quos tyrannus patria deturbarat, colligeret, eorumque malis mederetur. Quamobrem Sabinensis episcopatus illi administrationem concredidit, eodemque argumento Sabinensi clero scripsit c, vt episcopatus obuentiones ad leuandam ... inopiam deriuaret. Portuensem quoque ecclesiam electo Beneuentano administrandam commisit d, vt exulum Beneuentanorum egestati opitularetur.

a Par. hist. Angl. hoc ann.

Aduersantes sibi opprimit.

b Lib. 11. ep. 303.

c Reg. post eandem ep.

d Ibid. ep. 327.

2 At ne Conradus reliquos clientes Ecclesiæ perderet, Innocentius ad frænandam illius principis tyrannidem, cum Italia sustinendo bello ciuili non sufficeret, externa auxilia implorauit & Carolo Andegauiæ, & Prouinciæ comiti Siciliam e Conradi manibus eripiendam obtulit, qua de re subiectæ ad eum literæ exaratæ.

Externa auxilia implorat Innocentius.

Nobili viro Carolo Andegauiæ, ac Prouinciæ comiti in perpetuum.

Dum aduersitates, & pericula, quæ passa est hactenus Ecclesia per regnum Siciliæ, Apostolicæ sedis peculium speciale, recolimus; dum non superflua meditatione pensamus quot, & quantis, & quam inexcogitatis offensionum modis quondam Fredericus dudum Imperator, ipsius regni tunc feudatarius, & contrectator iniquus, turbabat per nequitiam propriam, & regni eiusdem incredibilem opulentiam, totum orbem; apparet protinus, quod de regno ipso, quo inter alia prædictum Fredericum, sacro approbante concilio, priuauimus, ad Rom. Ecclesiam deuoluto, sic diligenti deliberatione præhabita, ordinare nos conuenit; vt cum idem regnum, si bonus ibi Rex fuerit, sit in se regnum pacis, talis præficiatur ibidem, de quo nulla possit haberi sinistra suspicio, vt interuertant subitæ diuitiæ mentem eius; quin potius plena de ipso per approbatam experientiam geratur fiducia, vt tanquam aurum in fornace probatum, non quærat quæ sua sunt; immo tamquam Christi verus athleta desideret, vt per hoc Deo thurificet, obsequatur Ecclesiæ, ac seruiat, sedatis vbique discordijs, earum obstructa, vel verius exsiccata radice, cuncto Christiano populo, & maxime Terræ sanctæ, quæ nisi per idem regnum succurratur eidem, vix aut nunquam poterit de Sarracenorum manibus liberari.

Albertū notarium in Gallias legatum mittit.

Super ijs itaque cum fratribus nostris opportuna & necessaria deliberatione tractantes, dum de multorum idoneitate quis foret præferendus regno tam opulentissimo conferremus; nolentes a nostris recedere, nec nostra ad extraneos deriuare; euidenti & manifesta ratione comperimus, quod tu, quem semper inuenimus ad beneplacita nostra paratum, & in negotijs Ecclesiæ non remissum; cuiusque progenitores a longis retro temporibus fide feruentes, deuotione sinceri, Ecclesiam de proprio multis opibus, & libertatum priuilegijs ampliarunt; ad tantum dignosceris fastigium merito attollendus. Vt igitur te tanquam Ecclesiæ Rom. specialem filium, & singulare signaculum, ac in persona tua charissimum in Christo filium nostrum Regem Franciæ illustrem fratrem tuum, quem præcipua inter alios prærogatiua fauoris prosequimur, cum se offert opportunitas, exaltantes promoueamus; vtpote benemeritum, ad coronam; dilecto filio magistro Alberto notario nostro A. S. L. quem dudum propter hoc ad tuam præsentiam destinauimus, concedendi tibi, tuisq; hæredibus regnum Siciliæ, & totam terram, quæ est citra pharum, cum omnibus iuribus, iurisdictionibus, honoribus, districtibus, & pertinentijs suis, excepta ciuitate Beneuentana cum omnibus iuribus, districtibus, & pertinentijs suis, in feudum libere, sub conditionibus sub bulla nostra contentis; teque nostro & Ecclesiæ Rom. nomine inuestiendi de prædictis regno & terra, cum solemnitate, quæ desideratur in tanto negotio; ac obligandi nos, & Ecclesiam Rom. ad prædictas conditiones seruandas, & recipiendi a te obligationem, nostro & Ecclesiæ Rom. nomine de seruandis eisdem; plene de fratrum nostrorum consilio concedimus auctoritate præsentium facultatem. *Dat. Assisij 11. id. iun. indict. XI. an. X.*]

Offertur Sicilia ab Innoc. Carolo Andeg. & Prouinciæ comiti.

3 Misso in Gallias Alberto notario, quem legati Apost. dignitate auxit a, munus illi demandauit, vt cum Andegauensi comite Carolo, de Sicilia fiduciario illi iure tradenda, ageret; illique conditiones, quæ ipsi exponendæ essent, diplomate apostolico contentas commisit. b

a Lib. 10. ep. cur. 39.

b Ibid. ep. cur. 40 & 53.

Istæ sunt conditiones petendæ in concessione regni Siciliæ, ducatus Apuliæ, Capitinatæ, & Calabriæ, ac principatus Capuæ, & totius terræ, quæ est citra pharum vsque ad confinia terrarum Ecclesiæ in feudum; excepta ciuitate Beneuentana cum iuribus, & districtibus suis; nobili viro Carolo Andegauiæ, ac Prouinciæ comiti per magistrum Albertum domini Papæ notarium legatum sedis Apostolicæ facienda, super quibus concordatum est hinc & inde.

Quæ donationi leges adiectæ.

In primis idem comes in ipsa concessione præstabit eidem legato, recipienti nomine domini Papæ & Ecclesiæ Rom. iuramentum fidelitatis. Eidem domino Papæ faciet homagium ligium, cum fuerit in eius præsentia; & tam ipse, quam hæredes sui legitimi regnum & terras prædictas tenebunt a domino Papa & Ecclesia Romana in feudum. Ita tamen quod si contingat regnum ad fœminam deuenire, illa non nubat aduersario Ecclesiæ, nec Imperatori, aut filio seu fratri eius, aut ei, de cuius electione ad Rom. Imperium agetur, absque consensu domini Papæ & Ecclesiæ Rom.

Obliganda a comite Pontifici fides. Si ad fœminam regnum perueniat hostem Ecclesiæ virū nō ducat.

Item regnum Imperio nullo modo subdetur, seu sibi vnquam tempore in eadem persona aliquatenus vnietur.

Sicilia cū Imperio amplius non coniūgenda.

Item reuocabit omnes constitutiones, seu leges per quondam Fredericum dudum Imperatorem, vel Reges Siciliæ, siue per Conradum ipsius filium editas contra ecclesiasticam libertatem: & in iuramento fidelitatis quod præstabit, addetur quod priuilegia Apostolicæ sedis a Regibus, & principibus, vel alijs Christi fidelibus concessa super regno, aut rebus sitis in ipso, illibata seruabit: alia vero priuilegia, æquitatem continentia, seruabit: nec statuta, vel constitutiones aliquas edet, aut etiam promulgabit, per quæ iuri, vel libertati ecclesiasticæ derogetur.

Improbæ leges a Frider. & Cōrado latæ reuocādę.

Item electiones, prouisiones, postulationes, & confirmationes cathedralium ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum locorum religiosorum, tam in prælatis, quam clericis, & alijs personis ecclesiasticis libere fiant, secundum quod canones mandant & maxime statuta concilij generalis. Denunciatio tamen mortis prælati Regi fiat si fieri consueuit; sed eius consilium, vel consensus in prædictis non requiratur, nec ante electionem, nec post electionem.

Prælatorū electiones libere celebrandæ.

Item restituantur omnes episcopi, et alij prælati et clerici, et aliæ personæ ecclesiasticæ ad sedes, et loca sua.

Ecclesiastici suis sedibus reddendi.

Iura occupata restituenda.

Item restituet quicquid occupatum est hactenus per Fredericum, & ministros suos, seu alios quoscunque, de castris, iuribus, possessionibus, hominibus, cuiuscumque conditionis existant, & alijs rebus immobilibus, & mobilibus, quæ extent, & ad manum suam, vel suorum deuenerint, vel ad eos qui erunt in sua potestate, prælatorum, Templariorum, Hospitalariorum, & aliorum religiosorum, ecclesiarum, vel ecclesiasticarum personarum. De occupatis autem per Reges Siciliæ ab antiquo iustitia plena fiat.

Item generaliter omnes de regno, vel extra regnum, cuiuscumque conditionis existant, vel ordinis; siue mares, siue fœminæ siue ciuitates, siue castra, siue quæcumque loca Ecclesiæ adhærentes, ad quos aliqui in eodem regno de iure pertineant; recipiet ad gratiam suam, ipsosq; affidabit, nisi postquam regnum receperit ei, vel regno suo aduersentur: & eis omnia bona sua stabilia, & mobilia, quæ extant, et ad manũ suam, vel suorum deuenerint, vel ad eos, qui erunt in sua potestate, plene restituet, & bona eis imposita ad voluntatem domini Papæ relaxabit.

Pro instaurando hac vice Beneuento opera conferenda.

Item pro ciuitate Beneuentana hac vice reficienda per Beneuentanos, exponet pro lignaminibus omnia nemora regni, & omnem materiam ad ædificia opportuna, puta lapides, arenam, quæ puteolana vocatur, cæmentum, & similia absque iuris præiudicio singularium personarum, ad vnam dietam prope Beneuentum; præstabit eis securitatem per totum regnum, nisi in terra sua de nouo delinquant, propter quod ad ipsum de iure iustitia pertineat. Priuilegia quoque prædictæ ciuitati a Regibus & principibus concessa illibata seruabit. Omnia statuta per Fredericum, seu quoscumque Reges Siciliæ facta contra libertatem ciuitatis eiusdem reuocabit, & in omnibus, & per omnia, quoad ea quæ libertatis fuerint, cæteris regnicolis parificabit eandem; nec aliqua statuta, seu leges ponet in posterũ, per quæ ciuitati eidem directe, vel indirecte possit præiudicium generari: nec e conuerso eadem ciuitas ponet vel statuet aliqua, per quæ Regi vel regno præiudicium generetur. Et pro Apostolicæ sedis, & B. Bartholomæi reuerentia ipsius ciuitatis patroni, fidancias ab omnibus remitti faciet, & remittet eisdem. Fidanciarum remissio est concessio libertatis, vt ciues Beneuentani possint libere proprias terras, & vineas excolere, earumque fruges, & fructus colligere, ac easdem terras, & vineas vendere, & de ipsis ad suam voluntatem disponere sine aliqua exactione vel munere, seu datione.

Quinto quoque anno equus offerendus.

Item in quolibet quinquennio dabit Rex domino Papæ vnum palafredum album, pulchrum, & bonum in recognitionem veri dominij regni eiusdem.

Nullus spurius in regno successurus.

Item in regnum ipsum nullus succedet, qui non fuerit de legitimo matrimonio procreatus.

Imminente festo SS. iter a comite arripiendum

Item idem comes vsque ad festum omnium sanctorum proximo venturum personaliter, viriliter & potenter cum exercitu iter arripiet ad negotium prosequendum; & siquidem humanitus de ipso contingeret, vnus, vel duo capitanei, viri strenui & potentes in forti manu nomine filij, vel filiæ teneantur ad omnia, & singula supradicta.

Beneuentum Ecclesiæ restitutum iri.

Item Beneuentum cum omnibus iuribus, & pertinentijs suis Ecclesiæ remanebit.

Hæredes regni in minori ætate custodię sedis Apostolicæ committendi, * qui

Item hæredes, qui non erunt legitimæ ætatis, si pater præmoreretur, in custodia Rom. Ecclesiæ remanebunt; ita quod expensis necessarijs pro hærede, et custodia terræ deductis, residuum conuertatur in vtilitatem hæredis, & conseruetur, nisi Rex aliud ordinauerit. De prouentibus regni custodia non fiat * quod prædictus legatus cum eodem comite ordinabit. Potestas autem collocandi in matrimonium hæredem pertinebit ad amicos propinquiores cognatos aut ad illum vel illos, quibus Rex duxerit committendum; saluis omnino conuentionibus supradictis.

Nunquã fœdus cũ hostibus Ecclesiæ coeundũ.

Item nullam confœderationem, seu pactionem, vel societatem faciet cum aliquo Imperatore, vel Rege, seu principe, vel barone, Sarraceno, Christiano, vel Græco; aut prouincia, seu ciuitate, communitate, vel loco extra regnum suum contra Rom. Ecclesiam, vel in damnum Ecclesiæ.

Reuocandi exules.

Item exulantes pro Ecclesia restituantur ad propria, & debita iura sua in eodem regno existentia.

Captiui ecclesiæ clientes aut fœderati in libertatem vindicãdi.

Item restituet omnes captiuos, & obsides, qui tenentur in regno, Romanos, regnicolas, & alios de terra Ecclesiæ, Tuscos, Lombardos, & illos de Taruisina marchia libertati bona fide pro posse sua. Super comitatibus vero Fundano, & Sorano, & Salpen. & Tressant. nec non & alijs, si quæ sunt in regno, Ecclesiæ Rom. aut alijs Ecclesiæ Rom. fidelibus, & Regibus, & principibus concessa, saluum sit ius Ecclesiæ Rom. ac ipsorum fidelium omnino: nec per regni concessionem comitatuum seu concessorum eorumdem cuiquam, quo ad proprietatem, seu possessionem, præiudicium generetur; regio in ijs omnibus iure saluo.

Conditiones quas Pontifex negauit recipiendas.

4 Istæ infrascriptæ sunt conditiones, quas infrascriptus comes moderari petijt; sed idem dominus Papa moderationem aliquam non admittit: immo vult quod remaneant sic omnino.

De ecclesiasticis ad laicorum tribunalia non vocandis.

Idem comes promittet, quod nullus clericus, vel persona ecclesiastica eiusdem regni in ciuili, vel criminali causa conueniatur coram iudice seculari, nisi super feudis conueniatur ciuiliter: sed omnes ecclesiæ, & personæ ecclesiasticæ omnimodo erunt liberæ, & in nullo Regi, seu principi subiacebunt.

Non imponendis clero vectigalibus.

Item nullas talleas, vel collectas imponet ecclesijs, monasterijs, clericis, & viris ecclesiasticis, vel rebus eorum.

Item in ecclesijs vacantibus Rex, seu princeps nulla habebit regalia. Hanc concesserunt eiusdem comitis nuncij, postquam regum priuilegia bullata bulla aurea inspexerunt. Super reliquis vero conditionibus, illis omnino amotis, de quibus hic non fit mentio, placet eidem domino Papæ, vt taliter procedatur. Prædictus legatus inducet eundem comitem, & rogabit eum affectuose ex parte ipsius domini Papæ, vt placeat sibi, si dictum regnum ad personam, quod absit, peruenerit extraneam, quod Ecclesiæ Rom. mille vncias auri ad minus pro reluamine in signum dominij persoluantur.

Item quod pro eodem regno soluat idem comes annuatim eidem Ecclesiæ censui nomine duo millia, vel ad minus mille marcas.

Item quod seruiat domino Papæ, & Ecclesiæ Rom. in expensis proprijs per sex menses de quingentis militibus in terris Ecclesiæ, videlicet marchia Anconitana, ducatu Spoletano, patrimonio B. Petri, Campania, & Maritima.

In Sardinia vero seruiat in nauigio ad æquiualens, quandocumq; dominus Papa, vel Ecclesia Rom. ibi guerram habuerit, & fuerit requisitus.

Item promittet, quod pro reædificatione Beneuenti, & specialiter ecclesiarum, ac locorum religiosorum, & palatij domini Papæ, cum habuerit regnum in pace, decem millium vnciarum auri subsidium exhibebit. Quod si præfatus comes has conditiones admittere, quod non creditur, recusaret omnino, vult idem dominus Papa, quod dictus legatus nihilominus ad ipsius regni et aliarũ terrarum concessionem, & inuestituram sine aliqua dilatione procedat, ita tamen quod idem comes ad censum se obliget consuetum. Cæterum præfatus comes ad idem negotium potentius exequendum petijt, quod habeat quolibet anno ab Ecclesia mutuum quadringentarum millium librarum Turonensium quousque terra sit acquisita, de quibus infra kal. septemb. proximo venturi soluentur ducenta millia Parisijs, vel in nundinis Campaniæ, aut in Prouincia. Alia autem ducentarum millia soluentur statim quando erit in regno, vel ante, si necesse fuerit, & de necessitate credetur bonæ fidei comitis &c.

Quadringenta millia argenti pondo a comite pro ornanda expeditione mutuo petita.

Nonnullæ adiectæ sunt conditiones de summa pecuniæ mutuo conferenda ad bellicum apparatum instruendum.

Non

Instaurat iter cassum.

5 Non potuit tunc ea res in opus perduci, cum Gallorum Rex sanctus Ludouicus in oriente ageret; nec tunc ex Gallijs educere exercitum liceret, ne regnum viribus bellicis exhaustum prædæ exponeretur, ac potius Gallorum arma ad instaurandam in Syria rem Christianam S. Rex conuertere meditaretur, & ob id magno animorum æstu nouam aliquam crucesignatorum expeditionem expectaret. Tentasse Pontificem anno superiori Richardi fratris Anglorum Regis, comitis Cornubiæ animum, qui magnis opibus florebat, scribit Parisius a; Albertumque in Angliam ob id traiecisse narrat: ac demum te in consilium adducta, Richardum siue Conradi potentiam, siue consanguinitatis iura, quibus Henricum nepotem attingebat, violare veritum, regnum oblatum respuisse.

Solicitatur Cornubiæ comes ad Siciliæ regnum capessendum.
a Par. hist. Angl. hoc ann.

Excitatur in Germania aduersus Conradum fideles.
b Lib. 10. ep. 634. 790.

6 Dum victor in Sicilia Conradus sæuiebat, conuersæ sunt curæ pontificiæ in Germaniam, vt Guillelmi Regis partes efferret, & Hugonem S. Sabinæ presbyterum Cardinalem opera, consilioque Regi Guilleimo adesse iussit b; ac præsulum, qui eloquentiæ laude, & auctoritate florebant, vt Guillelmi Cicheusis ordinis Prædicatorum, ac Ioannis Minoritæ Sambiensis industria est vsus, vt populos ad induendá cótra Conradum crucem incitaret, eoque argumento datæ ad illos literæ, quibus arma capessituris opesue in militum stipendia suppeditaturis, indulgentiarum præmia attribuit c. Hunc vero Ioannem postea ex Sambiensi ad Lubecensem sedem traduxit d. Profiliere in sacram expeditionem contra Conradistas plures, quos pietatis zelus incenderat: inter quos Henricus Lotharingiæ ac Brabantiæ dux, ad vindicandam ab impiorum tyrannide Dei Ecclesiam, se Pontificijs obsequijs deuouit. Cuius pia consilia data ad ipsum diplomate magnis laudibus Innocentius extulit, & omnia illius bona apostolicæ clientelæ commendarum iri pollicitus est e: *Nobilitatem tuam rogamus, monemus, & hortamur in Domino, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatenus spiritu fortitudinis roboratus, constantis animi munimenta suscipiens, & ad defensionem Ecclesiæ prædictæ matris tuæ viriliter te accingens, in fide ac deuotione ipsius inuiolabiliter persistere. Nos enim personam tuam, in Ecclesiæ præfatæ deuotione manentem, cum familia & bonis, quæ impræsentiarum rationabiliter possides, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, &c. vsque communimus. Te volentes pro certo tenere, quod Ecclesia cum hostibus suis ad eam non veniet concordiam atque pacem, vt Conradus natus quondam Frederici, qui se pro Imperatore gerebat, in Alemannia regali honore remaneat decoratus. Nulli ergo, &c. Dat. Perusij III. Id. martij anno x.* Quo magis comparatum egregie ad tuendam Ecclesiæ & Guillelmi causam inflammaret, proposita peccatorum condonatione, ad nauandam strenue Guillelmo Regi operam pellicere studuit. f

c Ibid. ep. 447. 448. 465.
d Ibid. ep. 793. & l. 11. ep. 490.
Dux Brabantiæ Lotharingiæque partes pontificias amplectitur.
e Lib. 10. ep. 540.
In clientelam apostolicam accipitur.
f Ibid. ep. 552.

7 Retulit hoc anno Guillelmus insignem victoriam de Belgis, qui a Flandriæ comitissa in Hollandiam instructa validissima classe immissi fuerant: qui partim cæsi, partim in vincula abducti. Ex quibus magna, vt ait Stadensis g, pecuniæ vis coacta est. Cui auctori consentit Parisius h, qui in comitissam vt malorum omnium incentricem, & causam inuehitur: diuiso temere principatu filios vterinos in arma concitasse, ac tum Romanorum Regem alterius Ioannis de Auenis, cui sororem thoro iunxerat, patrocinium sumpsisse; atque in eo conflictu cruentissimo vltra viginti hominum millia occubuisse. Fuisse vero diuinitus Belgas attritos ad frangendam eorum superbiam indicat Thomas Cantipratensis i ex cælesti responso, dato viro sanctissimo, qui ardentissimis cælum precibus pro felici Belgarum successu fatigabat: *Antequam in Vvalatria sub rege Vvillelmo moderatore Romanorum, a comite Florentio, & Zelandensibus Flamingorum exercitus feriretur, oranti cuidam pro dicta gente, idest, pro Flamingis, in oratione responsum est: Sine superbos humiliari. Quod tertia post die factum inspeximus; licet tamen multi cum eis, & in eis occisi fuerint, qui talem nullo modo mortem meruerunt.* Elatus ea victoria Guillelmus cum Gallijs immineret, Galli proceres sanctũ Ludouicum e Syria reuocarunt, de quo anno proximo dicetur: iam ad Innocentium pontificij muneris partes obeuntem redeamus.

g Stad. in chron. an. 1253.
h Par. hist. Angl. an. seq. Siffr. epit. lib. 2. ann. 1253. & alij.
Belgæ a Guillelmo Rege profligati.
i Cantip. l. 2. c. 2. n. 4.
Ea clades diuinitus ostensa.

8 Conciliandæ etiam inter populos pacis solicitus Mantuanum episcopum concordiæ inter Insubres conficiendæ operam dare iussit a. Populis vero Castellanensibus, Vrbinatibus, Ariminẽsibus, Feretranis, Bobiensibus, Cæsenatibus, Foropopuliensibus, Fauentinis, Immolensibus, Ceruiẽsibus, Comaclensibus, Rauennatibus, atque Aretinis eximium, quem erga sedem Apostolicam gerebant, animum ac studium legato explicare mandauit b. Neque prætereundum ipsum hoc tempore nonnullas constitutiones apostolicas edidisse, quas archiepiscopo Bononiensi transmisit c. Delibatæ eæ maxima ex parte e Lugdunensi synodo fuere, atque libro decretalium sexto insertæ.

Dissidentes Insubres conciliare nititur Pont.
a Lib. 10. ep. cur. 28.
Plurium populorũ erga ecclesiam studium commendat.
Nonnullæ ab eo constitutiones editæ.
b Lib. 11. ep. cur. 4.
c Ead. l. 11 ep. 117.

Archiepiscopo Bononiensi.

Ad explicandos nodos multiplicium quæstionum, quos in rebus iugiter emergentibus circa varios positiui iuris articulos humanæ indaginis nectit infirmitas, nonnulla temporibus nostris nouarum constitutionum, & decretalium epistolarum remedia emanarunt, quæ prædecessorum nostrorum strenuis sunt subiecta laboribus, per quos fuit ad communem omnium, & maxime studentium vtilitatem vigilantissimis desudationibus excogitatum. Verum sicut accepimus, eisdem constitutionibus, & decretalibus, quædam aliæ sub nostro confectæ nomine ab aliquibus inseruntur, quas nostræ approbationis se non prouexit auctoritas, vt cum alijs, quas locum habere cẽsuimus in iudicijs, & scholis, debeant eisdem iuris vinculis contineri. Ne igitur per commixtionem huiusmodi, opinionis cuiuslibet vmbra speciem sibi veritatis vsurparet, aliquos in confusionis deducat errorem, constitutionum & decretalium epistolarum principia, quas tempore nostri pontificatus edidimus, quasque in corpore iuris contineri decreuimus, tibi competentibus assignata titulis duximus transmittenda; mandantes quatenus ea magistris, & scholaribus diligenter exponens ex parte nostra districte prohibeas, ne quis alias sub nostro nomine editas, vel edendas in iudicijs, vel in scholis admittat absque mandato sedis Apostolicæ speciali.

9 Principia vero illarum hæc sunt, & hi sunt tituli, quibus competenter disponuntur: *De rescriptis:* Cum in multis iuris articulis, præsenti decreto duximus statuendum. Dispendia litium æquitatis compendio, &c. *De electione & electi potestate:* Statuimus, vt si quis electionem, postulationem, vel prouisionem in electionibus, postulationibus ac scrutinijs, &c. *De supplenda negligentia prælatorum:* Romana Ecclesia, & infra: Edictum vero per Rhemen. &c. grandi non immerito. &c. *De officio vicarij:* Romana Ecclesia, & infra: Cum Rhemensis archiepiscopus, &c. *De officio & potestate iudicis delegati:* Statuimus, vt conseruatores. *De officio legati:* Officij nostri debitum remedijs, &c. *De officio ordinarij:* Romana Ecclesia. & infra: Prohibemus, &c. *De iudicijs:* Iuris esse, ambiguum non videtur. *De foro competenti:* Romana Ecclesia. & infra: Ne appellationis, &c. *De lite non contestata:* Exceptiones peremptoriæ, &c. *De restitutione spoliatorum:* Frequens, & assidua nos querela, &c. *De dolo & contumelia:* Actor, qui venire, &c. *De eo, qui mittitur in possessionem causa rei seruandæ:* Cum qui super dignitate personarum, vel beneficio. *De confessis:* Statuimus,

mus, vt positiones negatiuas. *De testibus*: Romana Ecclesia. & infra: In appellationis causa ad hoc, quod in quadam epistola: *De exceptionibus*. Pia considerатione statuit. *De sententia & re iudicata*: Cum æterni tribunali iudicis. Ad apostolicæ dignitatis. & infra: Sane abbas de Bonifacio abbate, &c. *De appellationibus*: Cordi nobis est lites minuere. Legitima suspicionis. Romana Ecclesia. & infra: Cum suffraganeorum Rhemensis: *De concessione præbendæ & ecclesia non vacantis*: Quia cunctis. *De rebus Ecclesiæ non alienandis*; Dudum, & infra: Dictus vero archidiaconus. *De censibus & procuratoribus*: Romana Ecclesia. & infra: Statuimus, vt quilibet archiepiscopus, *De homicidio*: Pro humani redemptione generis. *De priuilegijs*: Volentes libertatem. *De pœnis*: Romana Ecclesia. & infra: Licet autem Rhemen. *De pœnitentijs & remissionibus*: Romana Ecclesia. & infra: Quæstoribus autem. *De sententia excommunicationis*: Cum medicinalis. Solet a nonnullis. Statuimus, vt nullus iudicum. Quia periculosum. Romana Ecclesia. & infra: Cæterum interdicti. Dilecto filio decano Aurelianensi. &c. *De verborum significatione*. Veniens. & infra: Per illa verba. *Dat. Assisij v. id. septemb. an. xi.*]

Petrus ordinis Prædicatorum SS. catalogo appositus.

a Apud Sur. to. 2. die 29. apr.

10 Antequam Perusio se conferret Assisium Pontifex, Petrum ordinis Prædicatorum anno superiori ab hæreticis martyrio affectum, cum maximis miraculis certa comparatæ ab illo æternæ felicitatis argumenta illustrata efflorescerent, non cunctandum censuit ipsum numero sanctorum solemni ritu adijcere, vt Thomas a Lentinus patriarcha Hierosolymitanus, martyri coæuus, in eius vita prodidit. *Vbi perspicue cognouit*, nimirum Pontifex, *famam*, miraculorum scilicet, *vinci rerum veritate; maioraque comperisset, quam ad ipsum perlata fuerant, de communi consilio Cardinalium & prælatorum omnium, qui per id tempus apud Apostolicam sedem residebant, VIII. kal. april. nondum exacto post martyrium anno primo, illum Perusij in platea ecclesiæ fratrum Dominicanorum, astante ipsi cleri, plebisque, itemque religiosorum, nobilium, ac procerum multa frequentia; alijs vbertim flentibus præ gaudio, alijs Deum magna voce laudantibus; vniuersis denique mirifice tripudiantibus & solemni ritu diem festum celebrantibus; cum mirabili cereorum ardentium multitudine, & eximio sacrarum vestium apparatu, sanctorum martyrum catalogo statuit adscribendum. Sed quia dies passionis eius, qui fuit septimus aprilis in festa paschalia crebro incidit, eius festum diem III. kal. maij iussit ab omnibus fidelibus deuote & solemniter celebrari*. Hactenus ille. Extant ea de re typis cusæ Innocentij literæ b, in quibus, post amplissima encomia in sanctum virum congesta, patrata hæc illius opera diuina prodigia adducit.

b Ext. in Bullar. to. 1. in Inn. IV.

Miracula ab eo adhuc viuo patrata.

Nec in vita latere sic potuit, quin miraculorum claritate pateret: cuiusdam etenim nobilis filium præ nimio & horribili totius gulæ tumore nec loqui, nec spirare valentem, leuatis ad Deum manibus & crucis in eum facto signaculo, illoque accipiente ipsius cappam, & infirmo supponente loco, sanauit. Idem quoque nobilis vehementi postmodum corporis torsione grauatus credens, & metuens inde sibi mortis imminere discrimen, cappam ipsam, quam ex tunc conseruauerat, reuerenter fecit afferri: qua suo apposita pectori, mox vermem villosum euomuit, plena liberatione secuta. Cuidam etiam iuueni muto, immisso digito in os eius suæque linguæ soluto ligamine, beneficium loquelæ concessit. Hæc & alia plura, dum viueret, dignatus est per eum Dominus operari.

Quanta post mortem gesserit.

11 *Post mortem vero ipsius lampades, ad sepulchrum eius venerabile dependentes, plures per se ipsas absque omni humano studio & ministerio diuinitus sunt accensæ: quia conueniens nimis erat, vt quoniam igne ac lumine fidei excellenter claruerat, singulare de ipso ignis & luminis miraculum appareret. Quidam autem dum vesceretur cum alijs, & illius sanctitatem & miracula deprauaret, sumpto quodam sub hac attestatione morsello, quod eum non posset, si circa hæc delinqueret transglutire, sensit eum mox ipsum gutture suo sic hærentem, vt illum educere, vel inducere non valeret. Quare illico pœnitens, & iam vultus mutato colore, quasi sentiens vicina mortis euentum, facto intra se voto, quod linguam de cætero ad talia non laxaret, fuit protinus, illo euomito, liberatus.*

Obtrectator ipsius gloriæ diuinitus castigatus.

Hydropica quædam ad locum passionis ipsius auxilio viri perueniens, fusa ibi oratione, sanitatem integram mox recepit. Obsessas a dæmonibus longo tempore mulieres martyr ipse, deiectis illis cum multo sanguinis vomitu de corpore, liberauit: febres expulit, languores curauit plurimos & diuersos; cuiusdam sinistræ manus digitum ex morbo fistulæ plurium foraminum concauitate defossum mira consolidatione sanauit.

Hydropica morbo liberata.

Quidam insuper puer ex casu grauissimo sic oppressus, vt motu & sensibus penitus destitutus tanquam mortuus deferretur, mox apposita de terra suo pectori sacro eiusdem martyris cruore contacta, incolumis exsurrexit. Quædam cuius carnem cancer edax sedula corrosione vorabat, linitis huiusmodi terra vulneribus, est curata: alij etiam diuersis infirmitatibus occupati, qui sepulchrum eius in vehiculis & alijs sustentaculis adierunt, exinde postmodum plena incolumitate recepta, sine aliquibus subsidijs redire.

Plures alij e varijs malis recreati.

Ad hæc magna hæreticorum & ipsorum credentium multitudo, cum tantam fidei aduerterent efficaciam, & ad eam tot certis & apertis signorum indicijs, tanquam quibusdam clamantibus præconibus vocarentur; nec possent quasi tam valida illorum instantia non parere, ad ipsius lucem fidei de suis erroris nubilo est conuersa: Quid plura? his & quam multis alijs miraculis gloriose magnificauit Dominus sanctum suum, & colendum exhibuit vniuersis, &c. Subijcit tot tantisque miraculis confirmata Petri sanctitate e Cardinalium consilio in sanctorum martyrum numerum illum retulisse. *Dat. Perusij IX. kal. april. an. X.* Quo argumento sequenti anno, ad commendandam illius venerationem, cum in dies ipsius gloria latius se diffunderet, literas a exarauit: quas cum in lucem editas nos lateat sint, ob egregia, quæ continent, tanti martyris elogia, adducendas arbitramur.

Hæretici abiurata perfidia ad ecclesiam reuocati.

a Inn. l. 10 ep. 123.

Vniuersis archiepiscopis, & episcopis, ac dilectis filijs abbatibus & prioribus, archidiaconis, archipresbyteris, decanis, præpositis, & alijs ecclesiarum, & religiosorum ordinis cuiuscunque prælatis.

Magna magnalia de B. Petro martyre ordinis Prædicatorum, natione Lombardo, per oras vbilibet innotuere Italicas; & iam vsque ad longinquum terrarum per vniuersalem notitiam effulsere. Qui dum in carne viueret, a carnis delitijs & illecebris alienus sic virtuose pro fide Christiana certauit, quod stabili animo susceptum prosecutus agonem, gloriosum tandem de ipsius fidei hostibus reportauit, martyrio præualente, triumphum. Huius, inquam, triumphi fama in omnem quasi fidelium terram exiuit, & ad extrema fere orbis illius signa lucida radiarunt. Fulget iam inter clara sanctorum agmina recens martyr, & in firmamento Ecclesiæ nouum iam rutilat luminare. O mira martyris victoria! in quo dum caro conteritur, spiritus roboratur; dum certator videtur deficere, fortius conualescit: in quo tunc magis Christi miles præualet, cum acrius comprimitur; quia re vera tunc gloriosius hostem conuincit, cum inter passiones atroces constantius mortem suffert. O quam admiranda catholicæ fidei per certamina martyrum defensio prouenit! nam in illorum oppressione ac cæde robur ipsa suscipit & vigorem; quia nequaquam ei demitur, cum sui sibi pugiles taliter adimuntur; quinimmo tunc status eius erigitur potius, & firmatur, cum illi sic moriendo non desunt, sed

Collata in eum a Pontifice præclara encomia.

plusquam antea viuunt, & assumunt fidei munimentum & tunc magis clara fulget fidei lampas, cum ardentes lucernæ martyrum suppliciorũ incendijs corporaliter extinguuntur. Quod plene ac liquido patuit in ipsius B. Petri martyris passione, quia post gloriosum, & recolendum eius martyrium, sic suorum multitudine, atque eminentia miraculorum fides resplenduit, quod quamplurimi hæretici, eorumque credentes ipsius fidei, tot & tantorum ostensione signorum, agnita virtute, ad illius lumen de suorum errorum tenebris propere redierunt. O quam laudandum, & honorandum athletam, qui hostiles non pauescens occursus, pro lege Dei sui perseueranter in studio vsque ad mortem inuicta stabilitate pugnauit! O venerandum virum, & vbiq; sonoris præconijs declarandum! Hic est religionis norma, munditiæ nitor, morum decus, thesaurus scientiæ, prædicationis fulgor, charitatis ardor, fidei paries, cumulus gratiarum, virtutum speculum, & fragrantis sinceritatis aroma. Hic timor hæreticorum & tremor, & viuus expugnauit eorum perfidiam, & iam ab ipsis occisus illos deterret vehementius, & confundit. Hic sidus cæli fulgidum, & dignus cælestis regni cohæres, illustris conciuis martyrum, inclytus mensæ supernæ conuiua, & securus patriæ sempiternæ possessor.

Merito itaque tam reuerendi martyris vniuersa plebs catholica recensere debet memoriam, & tota Christi Ecclesia eius festum solemniter celebrare, ne tantum Dei donum recepisse in vacuum videantur, ac non recognoscere immensam, quã in hoc eis largitus est gratiam, magnificando ipsas tam eximio martyre, ac tanti patroni suffragio muniendo. Et certe cum de ipsius consortio vniuersi beatorum chori assidue coexultent, inconueniens, & reprehensibile nimis esset, si Christi fideles solemnitatem eius non susciperent, & agerent reuerenter. Quem enim Dominus mirificauit in terris, & sublimauit in cælis, debemus etiam nos & crebris attollere laudibus, & celebri festiuitate honorare, vt de illius magnificentia, & gloria communem gerentes lætitiam, & voto, voce, ac opere, quasi quodam pariter psallentes tripudio, congaudeamus in hoc sanctorum collegijs, & digne ipsius patrocinium mereamur.

Quapropter volentes penitus, vt prædicti beati Petri martyris solemnitas aliquatenus non negligatur, quem pridem sanctorum martyrum catalogo, de communi fratrum nostrorum, & prælatorum omnium, tunc apud sedem Apostolicam existẽtium, consilio, & assensu duximus cum ingenti gaudio adscribendum, sicut per alias nostras literas plenius notificauimus ad vniuersas prouincias destinatas; vniuersis vobis per apostolica scripta districte præcipiẽdo mandamus, quatenus considerantes attente, quod in tanti claritate martyrij altis titulis fides orthodoxa refulsit, & hæreticum dogma funestum ad confusionis & ignominiæ ima ruit; eiusdem martyris festum, quod solemniter agit Romana Ecclesia, quod etiam principaliter, & studiose propter insigne illius martyrium ab omnibus catholicis generaliter agi volumus; cum deuotione, ac solemnitate omnimoda celebretis, & faciatis a vestris subditis veneratione congrua celebrari, matutinale officium de ipso martyre omnino cum IX. lectionibus, & alia de eo nihilominus officia solemniter, prout conuenit, exequentes. Illi vero, qui non consueuerunt paschali tempore, quo ipsius martyris solemnitas agitur, festum aliquod cum IX. lectionibus celebrare, nocturnum & diurnum officium cum magna reuerentia & celebritate, iuxta morem & modum suum solitum, de martyre ipso agant. Et ne de ipsius festiuitate interuenire vnquam possit obliuio, sub simili districtione iniungimus, vt diem festi sui, qui videlicet occurrit III. kal. maij, in kalendarijs vestris scribendo, ibi eiusdem sancti nomen, cum specificatione ordinis Prædicatorum, solicite designetis. Sic autem præmissa omnia efficaciter exequi studeatis, quod ipsum pretiosum martyrem apud Deum habere possitis sedulum adiutorem. *Dat. Anagniæ VI. id. aug. anno XI.*]

Præscribit quo ritu colendus sit.

De eodem sanctorum catalogo apposito meminere etiam Matthæus Parisius a, Colmariensis chronici auctor b, Bernardus c, alijque recentiores: quorum nomina, ne lectori tædium creemus, silentio preterimus. Nec tamen nouatores omnis osores sanctitatis, Petrum, ac Stanislaum, de quo infra, martyres suo more carpere, eorumq; obscurare gloriam non omittunt d. Sed cæcos suis inuolutos tenebris relinquamus.

a Par. hist. Angl. b Dom. Colm. chr. c Ber. chr. R. m. Pont. d Cent. 13. cap. 7. col. 720.

13 Celebrata igitur Perusij beati Petri martyris consecratione, summus Pontifex Assisium contendit: vbi sanctissimam Christi famulam ac virginem Claram ad sponsum proxime migraturam inuisit, vt iam ante illi virgini cælitus prænunciatum erat. Quæ ex ipso auctore iuuat decerpere, qui eius res gestas, ab Alexandro IV. iussus, monumentis consignauit: e *Dominus Papa cum Cardinalibus de Perusio transiuit Assisium, vt de transitu sanctæ præostensa visio sortiretur effectum, quo viso prædictum fuerat Claram non antea ex hac vita excessuram, quam Dominus cum suis discipulis venisset*, vt paulo ante idem auctor narrat; subiungitque: *Ipse namque summus Pontifex vltra hominem, citraque Deum existens, personam Domini repræsentat, cui in templo militantis Ecclesiæ familiarius hærent velut discipuli domini Cardinales.* Et paucis interiectis verbis: *Artubus itaque sacris veteri morbo detritis, noua cumulatur debilitas, quæ & proximam vocationem ad Dominum indicat, & sanitatis perpetuæ viam parat. Festinat sanctæ memoriæ Innocentius IV. vna cum Cardinalibus visitare Christi ancillam, & cuius vltra feminas nostri temporis probauerat vitam, mortem non dubitat papali præsentia venerandam. Ingressus monasterium pergit ad lectulum, & infirmantis ori manum applicat osculandam: quam illa gratissime suscipit, & pedem Apostolici summa cum reuerentia osculandum expostit. Ascenso ligneo scabello curialis dominus dignanter pedem accommodat. Super quem illa, sursum & deorsum inculcans oscula, vultum reuerenter acclinat. Petit exinde a summo Pontifice vultu angelico remissionem omnium peccatorum; qui cum diceret: Vtinam ego tanta venia indigerem; perfectæ absolutionis* * *manus, & ampla benedictionis gratiam impertiri festinat. Recedentibus autem omnibus, quia die illa manu prouincialis ministri sacram receperat hostiam, subleuatis in cælum oculis, & iunctis ad Deum manibus, cum lacrymis ait suis sororibus: Laudate Dominum filiolæ meæ, quia tale beneficium hodie Christus mihi est dignatus tribuere, quod cælum, & terra non sufficeret compensare: ipsum hodie recepi altissimum, & eius vicarium videre commerui.*

e Apud Sur. to. 4. die 12. aug. c. 25. 26. 27. 28.

B. Claram Innocentius inuisit Assisij, Prædictũ B. Claræ id fuerat mysticis verbis.

* *munus*

14 Et infra: *In crastino B. Laurentij egreditur anima illa sanctissima præmio perpetuo laureanda: templo-que carnis soluto, spiritus feliciter migrauit ad astra.* De eius vero funere subdit: *Commouetur die sequenti curia tota. Christi vicarius cum Cardinalibus accedit ad locum, totaque ciuitas versus sanctum Damianum dirigit gressus suos. Venturum erat ad celebrandum diuina, cum fratribus, incipientibus officium mortuorum, repente dominus Papa officium de virginibus, non de mortuis fieri debere proloquitur, vt prius eam canonizare videretur, quam corpus traditum esset sepulturæ. Respondente autem viro eminentissimo domino Ostiensi morosius in his fore agendum, missa de mortuis celebratur. Considente postmodum summo Pontifice, Cardinalium quoque & prælatorum cœtu, Ostiensis episcopus, de vanitate vanitatum sumpta dicendi materia, vanitatis egregiam contemptricem nobili sermone commen-*

Felix B. Claræ mors.

mendat. Circumdant illico sanctum funus deuota dignatione presbyteri Cardinales, & circa virginis corpus solita officia complent. Tandem nec tutum esse censetur, nec dignum, vt tam pretiosum pignus tam longe distet a ciuibus. Leuatur cum hymnis & laudibus, cum tubarum clangore, ac iubilatione solemni ad sanctum Gregorium honorifice deportatur: nam & illis locus ille est, vbi S. patris Francisci corpus primo conditum fuerat, vt qui viam vita viuenti parauerat, etiam morienti locum quodam prasagio prepararet. Subdit postea de Agnete S. Claræ sorore: *Paucis interiectis diebus Agnes ad Agni nuptias euocata sororem Claram ad aternas delitias subsecuta est: vbi amba Sion filia natura, gratia & regno germana Deo iubilant sine fine. Et vere consolationem illam, quam Clara repromiserat, Agnes antequam migrarit, accepit. Nam sicut sorore prauia de mundo ad crucem transierat, sic dum Clara signis, & miraculis rutilaret, Agnes post ipsam de luce fluibili mature volauit ad Deum.*

Ioannes olim Bossinensis episcopi mortitur.
a Colucne rius in notis ad Cantiprat.
b Thom. Cantip. l. 2 c. 57. n. 55
Egregia illius in pauperes liberalitas dum episc. gerebat.

15 Sacræ illius virginis funeri pijssimi sacerdotis funus, Ioannis nimirũ, qui Bossinensi episcopatu abdicato; Prædicatorũ ordinis magister supremus creatus, hoc anno, vt ferũt a, coniũgemus. Quanto vero ille zelo, ac rerum humanarum despicientia ecclesiam suam regeret, describit Cantipratensis b: *Cum multo tempore pœnitentiarius domini Papa in Roma fuisset, cum Bosinensi ecclesia prafecit episcopum. Et cum haberet in episcopatu plusquam octo millia marcharum in redditibus, in vsus tamen proprios, quasi nihil inde expendebat, sed omnia pauperibus erogabat. Nec solum quidem equum habuit, sed asellum, qui libros, & episcopales infulas deportabat: ipse vero pedes cum fratribus incedebat. Hinc postmodum absolutus ab episcopatu, electus est in magistrum ordinis Prædicatorum, & his prafuit multis annis.*

Helias generalis olim Minoritarum minister in morte resipiscit.

16 Longe illi virtutibus dispar extitit Helias primus a S. Francisco Minoritarum generalis minister, qui hoc anno diem suum obijt. Is enim superbiæ stimulis agitatus, honorumque auidus, exauctorato Friderico se coniunxerat, & ordinem ac religiosum habitum deseruerat. Sed demum lethali morbo a numine castigatus, resipuit: veniaque a Pontifice petita & obtenta, Ecclesiæ est conciliatus. Quæ antea sanctus Franciscus, diuino afflatus spiritu, prædixerat: ac fusius Lucas Vvadinghus c prosequitur: nobis hæc perstrinxisse suffecerit: ad decretos enim B. Stanislao Cracouiensi episcopo sacros honores, adscripto illius nomine sanctorum martyrum catalogo, nostra properat oratio.

c Luc. Vvad. ann. Min. to. 2. ann. 1253 nu. 30 & seqq.

17 Ardebant desiderio incredibili Poloni, vt episcopo illi sanctissimo, cuius beneficia sæpius senserant, sanctorum cultus exhiberetur, summosque labores ob id susceperant; ac Ioannes Gaietanus, tit. sancti Laurentij in Lucina presbyter Cardinalis, cui testium discutiendorum prouincia erat commissa, eo rem adduxerat, vt propediem confecta videretur: ac felici adeo nuntio Polonos, missis literis, gaudio perfuderat, cum versis studijs nouæ difficultates exortæ, ita vt cœpta nunquam ad exitum perducenda viderentur. At demum, insigni miraculo valetudine Reginaldo episcopo Ostiensi, qui Innocentio quarto in Petri sede Alexãdri quarti accepto nomine successit, a Stanislao reddita, Pontifex miraculi magnitudine perculsus, moras omnes abiecit, illumq; ritu solemni sanctorum numero aggregauit. Prodigium tantum enarrat Longinus d, ex quo historiam hanc decerpimus: *Reginaldus episcopus Ostiensis, pradictus canonizationis viri Dei Stanislai pracipuus hostis & aduersarius*, vtpote qui in re grauissimi momenti summam consilij maturitatem, quod etiam in S. Claræ exequijs vidimus, desideraret; *cuius etiam sententijs & consilijs propter notam hominis in vtraque scientia solertiam & probitatem Innocentius Papa deferebat, graui adeo morbo correptus est, vt iam suo; quam physicorum iudicio propinquam sibi mortem imminere speraret: in qua cum dies aliquot laboraret, vigilanti illi & in camera priuata existenti solitario, B. Stanislaus in pontificali amictu cum magno splendore apparuit, & in grabato iacenti, de visioneq; ignota persona, & insoliti fulgoris stupenti vir Dei Stanislaus ait: Agnoscis ne me? Qui tremens & stupens, ac verba vix formans: Non agnosco respondit; quaso tamen quis sis; qui cum tanta luce clausis etiam ianuis in cubile meum intraueris, edicas: Ego sum, ait, Stanislaus Cracouiensis episcopus, pro nomine Iesu Christi eiusque Ecclesia & veritate glorioso martyrio a Boleslao Rege Polonorum damnatus: cui tu te aduersarium, non recte de vita & miraculis, martyrioque meo, propitia diuinitate a me patratis, sentiendo, cõstituisti. Ad quem Reginaldus Cardinalis spiritu resumpto: Ignosce, ait, mihi & ignorantia mea prasul sanctissime, & veniam prastare digneris meo errori, fortiorem promotorẽ canonizationis tua, quam impeditorem pertuleras, habiturus. Cui vir Dei Stanislaus: Vt me*, inquit, *in conspectu Dei & sanctorum glorificationem & sanctificationem martyrio, quod accepi, consecutum esse cognoscas, a grabato & agritudine, quibus detineris, valens & incolumis illico consurge; caueque ne canonizationi mea de catero aduerseris: quam non in meam amplitudinem & gloriam tantummodo, qua ego iam plenissime in videndo Deo perfruor, sed in omnium fidelium salutem & profectum diuina decreuit consummare clementia. Cardinali Reginaldo omnia, qua iubebantur, expleturum se pollicente, visio disparuit. Qui accersitis seruis suis sterni sibi equũ, quo ad palatium papale vehatur, imperat: qui etsi illum primum delirare credidissent, eo tamen sine adiutorio, & de lecto consurgente, & equum ascendente, in magnam & ipsi ecstasim de subita domini sui conualescentia versi, illum vsque ad papale palatium iucundi comitantur. Innocentius denique Papa Reginaldum Cardinalem venisse, & plene sanum, quem prope horam moriturum sperauerat, intelligens; etiam aduenienti occurrit, & quomodo ad valetudinem tam subito redierit, solicite inquirit. Cui Reginaldus Cardinalis: Beatissimus, inquit, martyr Dei Stanislaus Cracouiensis episcopus, cuius ego canonizationis apud tuam sanctitatem fui impeditor, hac eadem hora mihi cum claritate vix ferenda apparuit, & ignorantia mea facinore benigne correpto, etiam mihi in euidentissimum sua sanctitatis signum sanitatem, qua me ex homine paulo ante infirmo & ad mortem iudicato, pollere vides, restituit, & beneficium pro iniuria rependit, interminatus etiam vltionem, si illius canonizationi obstitero. Scelere itaque ignorantia mea apud te recognito, & in viri beatissimi Stanislai canonizationem pronus eo, & pro illa supplex ad pedes tuos, ne diutius illam differas, procumbo; intercessionem etiam suam prolapsu testatus. Id miraculum dum in Perusiorum vrbe grandi, & celebri sermone vulgatum esset, & omnium mentes ac pectora Polonorum pracipue & nuntiorum, atque procuratorum canonizationis viri Dei gaudio immenso opplesset; virum Dei Stanislaum certatim canonizatione dignissimum depromebant. Sed & Papa Innocentius, cœtus quoque Cardinalium miraculo, quod in Reginaldo Cardinale acciderat, prodigio permoti, omnibus impedimentis, qua interponebantur, circumscriptis, & quasi quodam sole siccatis, virum Dei Stanislaum in sua sanctitate gloriosum & magnificum canonizandum decernunt, & diem natiuitatis B. Maria Virginis, qua tempori, quo ea agebantur, vicinior erat in Assisio; illuc enim Innocentius Papa versus Neapolitam exercitum deducens venturus erat; constituunt.*

Reginaldus Ostiensis episc. a B. Stanislao valetudini restitutus.
d Longin. hist. Pol. lib. 7. ann. 1253.

18 Subdit auctor, vt comparatis iam omnibus ad referẽdum solemni ritu inter sanctos Stanislaum, atque Pontifice in ecclesia sancti Francisci Assisiana iam sacra operaturo, examine prænobilis adolescen-

tis

tis corpus implorantibus eius parentibus intereisis suspirijs vocibus B. Stanislai suffragia: templo inuectum fuerit, ac post fusas preces ad vitam excitatum. *Natali domina nostra excellentissima Virginis Mariæ adueniente die, Pontifex summus Innocentius cum collegio Cardinalium, & multitudine prælatorum, ad basilicam S. Francisci in Assisio, in qua suum & suorum sociorum corpora reconasta sunt, ex palatio, canonizationem B. viri Stanislai episcopi Cracouiensis expleturus, descendit; illamque multitudinem plebis, quæ futura viri Dei canonizatione vulgata pene ex omni Italia confluxerat, refertam reperit. Quo in ecclesia præfata missarum agente solemnia, diuina etiam pietas agni cælestis ipsi summo Pontifici Innocentio quanti meriti sanctus canonizandus apud se esset declarauit. Adolescens enim quidam ex Assisio in ipso articulo canonizationis præfata defunctus ad ecclesiam S. Francisci parentibus, fratribus, & necessarijs magno eiulatu mortuum illum lugentibus, inferebatur aut tumulandus, aut meritis sancti canonizandi viuificandus. Propinquis itaque & cognatis pro eius resuscitatione obsecrationes, & voces emittentibus, Innocentius Papa ante altare, cui insistebat prostratus, fudit cum fiducia orationem suam in hæc verba: O pater & clementissime domine, si ea, quæ de beato Stanislao Cracouiensi episcopo martyre tuo, in nostro conspectu sunt enarrata, vera per omnia quemadmodum humana habet credulitas, probantur, declara quæso hodierna die nouum sanctum a me canonizandum nouo signo. Vix Pontifex summus orandi fecerat finem, & mortuus nunciatur sibi surrexisse. Tunc itaque mirum in modum & stupentibus & gaudentibus, ardentesque cereos & luminaria accensa, vt ecclesiam arsisse putares, gestantibus; summus Pontifex missarum solemnia prosequitur. Quibus expletis sermone in longum de vita, martyrio, & miraculis B. Stanislai recitato, ambona conscensa, virum beatissimum Stanislaum, gloriosum martyrem Cracouiensem pontificem canonizat, & sanctorum catalogo ascribit, mandans eius festum vt 13. idus maij ab vniuersa catholica Ecclesia inter præclaras martyrum festiuitates cum debita veneratione venerari: præsentibus autem omnibus vnum annum, & dies quadraginta de indulgentijs largitus est, & orationem de S. Stanislao, tangens in ea ipsius sanctitatis merita, edidit, & per se publice pronuntiauit, quæ incipit: Populum tuum quæsumus intercedente B. Stanislao, &c.* Hæc Longinus, atque ex ipso Chrometus a.

Adolescens defunctus B. Stanislai precibus e morte ad vitam excitatur.

29 Extat in pontificio regesto apostolicum diploma ad ecclesiarũ antistites datum, quo venerationẽ in S. Stanislaum b, vt certissimis argumentis cælesti gloria potitum, & apud Deum magna gratia pollentem commendat: & de sanctissimi episcopi martyrio edisserit, vt nimirum Boleslaus Poloniæ Rex, qui ob impudicitiam a viro sancto saluberrimis monitis castigatus erat, efferatus in iras illum trucidasset, ac sacrum corpus iussisset concidi in frusta, & feris exponi, quod aquilæ ab animalium impetu defenderunt, ac diuina virtute, coalescentibus inuicem membris, integritati restitutum sit, verum hæc ex ipso Pont. audire præstat.

a Chromer. de reb. gest. Pol. l. 9. b Inn. l. 11. ep. 198. quæ extat Bull. to. 1. in Inn. IV.

Innocentius, &c.

Cum non sine interna mentis angustia Regem Polonorum nomine Boleslaum in tantum horrendis voluptatibus subijci, carnisque nefandis illecebris cerneret eneruari, vt in passionis ignominiæ traditus, & inhumanis contumelijs afficiens corpus suum, mulierum mamillis, auulsis proprijs exinde liberis, catulos apponeret, miserabiliter educandos; ne execrandam fouere malitiam, & iniquitati eiusdem Regis videretur præfatus pontifex pro dissimulatione fauere, postquam ipsum a præmissis flagitijs sedula, & paterna correptione euocare non potuit, in ipsum consulte medicinalem Petri gladium exercuit in spiritu lenitatis, sperans vt percussus dolens ad percutientem se in humilitate rediret, Dominum exercituum suppliciter requirendo. Sed ipse indurato corde medicinam exhortens, & increpationem abhorrens disciplinæ, immo malleum velut stipulam reputans, non solum nulla pœnitudine se correxit, verum etiam ad peiora in suæ damnationis cumulum prouocatus, iuxta aram, non ordini, non loco, nec tempori deferens, iussit pontificalibus indutum antistitem per suos satellites duris corporis cruciatibus deputari; sed ipsi quotiens in eum irruere tentant, totiens compuncti, totiens mansuescunt prostrati. Et tunc idem Rex, suæ inseruiens impetuosius tyrannidi, manus in eum conuertit sacrilegas, sponsum e gremio sponsæ, pastorem abstrahit ab ouili, patrem intra filios amplexans, & filium in visceribus pene obtruncauit maternis, faciens, irritatus atrocitate ferali, ipsius proh dolor! corpus inhumaniter in frusta concidi, velut singulis membrorum partibus pœnæ inflictio deberetur. Sed ille, apud quem patientia pauperum non peribit in finem, non solum rutilantibus huius sanctissimi corporis partes splendoribus illustrauit, verum etiam ipsum nullo in eo cicatricis apparente vestigio integritati restituens aquilarum suarum præsidio miraculose a ferarũ morsibus præseruauit. Gustato denique acerrimæ ob zelum iustitiæ calice passionis, cum ab eodem tyranno totaliter putaretur consumptus; ecce vt lucifer oritur, & quasi meridianus fulgor in firmamento consurgit, propter quod eius faciem in suis nonnulli necessitatibus deuotissime deprecantur. Ipse quidem defossus securus dormit, requiescit, & non est qui iam ipsum exterreat. Nec mirum, quia ciuitatem illam honoris & gloriæ corona insignitus inhabitat, vbi est mansio secura, populus sine murmure, ac patria totum id continens quod delectat.

Boleslai impudicitia & inhumanitas. Corripitur a S. Stanislao.

Percellitur anathemate.

Sanctum episcopũ occidi & in frusta conscindi iubet.

Martyris corpus dissectũ ferarum ab aquilis.

Pristinæ formæ & compagibus suis restitutũ.

30 Verum ne nutitans Ecclesia de tali ac tanto patrono sic atrociter sibi subtracto inconsolabiliter, quasi gemitus singultuosos emitteret, si beneficiorum ipsius affluentia eam non contingeret sæpius delectabiliter mitigari, ecce gloriosus in sanctis suis Dominus volens eiusdem patris plenitudinem * gloriose indicijs exprimere manifestis, & præstolanti Ecclesiæ grata conferre super hoc recreationis remedia, tot & tantis fecit ipsum famosis miraculis coruscare (de quibus facta nobis, & fratribus nostris, prout debuit per testes idoneos plena fides extitit) quod eius inter sanctos cæteros implorare præsidium reputauimus merito non indignum. Nam mortuis vita, lumen cæcis, auditus surdis, verbum mutis, claudis gressus, epilepticis cerebri robur, & dæmoniacis immundis ab eis electis spiritibus corporum requies ad eius inuocationem nominis cælesti dextera subito conferũtur. Propter quod ne huiusmodi rutilantem lucernam sub modio periculose abscondi contingeret, quam idem Dominus tot mirificis signis recte disposuit super Ecclesiæ candelabrum honorifice collocari; præsertim cum ex hoc ignorantium Deum propellantur tenebræ, confundatur peruersum hæreticorum dogma, & fidelium beata credulitas augeatur; eorundem fratrum, necnon & prælatorum tunc apud sedem Apostolicam existentium communicato cõsilio, prædictum beatum Stanislaum episcopum digne sanctorum catalogo duximus adscribendum. Quocirca vniuersitati vestræ per apostolica scripta districte præcipiendo mandamus, quatenus VIII. id. maij, die videlicet quo mortis absolutus vinculo victurus perenniter ad fontem supernæ prodijt voluptatis, festum eiusdem, prout miranda ipsius meritorum magnitudo exigit, celebretis, & faciatis solemniter celebrari, &c.) Ad alliciendam excitandamque populorum pietatem adeuntibus martyris sepulchrum festo illius die, atque excurrentibus ab eo octo diebus annum vnum & quadraginta dies impertitur. *Datum Assisij xv. kal. octob. an. x i.*

* gloriæ

Plura miracula martyris suffragio edita.

Institutus illius nomini sacer dies.

Idem

Idem de honoribus B. Stanislao decretis diploma affertur a Longino, qui sanctissimi episcopi res gestas literis mandauit; ex quo Surius a in compendium sancti vitam coegit. Datis præterea Cracouiensi episcopo, & canonicorum collegio literis, quibus dies III. kal. octob. b adscripta est, translationis pompam cohonestantium crimina condonauit. Celebratam porro magnifice sequenti anno a Prandotha episcopo Craconiensi tradit Longinus c his verbis: *Ad leuandum ossa S. Stanislai de tumulo octauam diem maij, quo festum eiusdem a Pontifice Romano celebrari sancitum est, Prandotha Cracouiensis episcopus indixit, & per vniuersam Polonicam ecclesiam prædicari & diuulgari ordinauit.* Addit maximam non ex Polonia modo, sed etiam Vngaria populi multitudinem amplissimumque præsulum & principum numerum Cracouiam confluxisse: *Sub quorum*, inquit, *præsentia & populi multitudine infinita, ossa viri S. Stanislai ex tumulo prope portam meridionalem, in ecclesia Craconiensi consistente, a pontificibus, qui conuenerant, vino lota, leuata sunt, & populo plaudenti, atque vociferanti, ac patrocinium S. Stanislai imploranti ostensa, & in ecclesias cathedrales, & alias principaliores collegiatas ecclesias conuentuales, & parochiales portio illorum, capite, brachijs, & alijs insignioribus apud Craconiensem ecclesiam, cum cineribus, sacri corporis membris remanentibus, distributa.* Hactenus de S. Stanislao. reliquas res Polonicas coniungamus.

a Tom. 3. die 8. maij

b Inn. l. 11. ep. 214.

c Longin. lib. 7. anno seq.

21 Inuesit hoc tempore Poloniam circumiectasque regiones Tartaricæ excursionis grauissimus metus: quos cum a Russiæ Rege Innocentius imminere accepisset, tuendæ rei Christianæ cupiditate incensus, Mezonensem abbatem, demandato illi legationis munere, in Poloniam misit d, vt Christianos ad retundendos barbarorum impetus cruce muniret, eoque argumẽto Polonis, Russis, Bohemis, Morauis, Sarbijs, & Pomeranis literas encyclicas exarauit: e *Nuper charissimo in Christo filio nostro Rege Russiæ illustri, quem loci vicinitas suorum secretorum plerumque reddit participem, per literas suas accepimus referente, præfatos Tartaros fore paratos ad delendas reliquias, quas diuina benignitas in plerisque locis per fugæ præsidium ab ipsorum clementer manibus liberauit, & ipsius vicinia Christianitatis vesano spiritu, nisi Deus eis restiterit, conculcanda. Propter quod ne tam infelicis propositi præconceptum sortiantur effectum, ne feralis eorum impetus in multorum debacchetur excidium, obsistentium robore non repressus, interest vestra præcipue, qui prioribus ipsorum incursibus estis expositi, sic disponi, quod per vos eorum conatibus, ne ceruicosa ipsorum amplius inualescat superbia, irretusa acie viriliter resistatur. Alter enim reipublicæ ac vestro detrimento non parum accederet, si vobis negligentibus, & non obserantibus eis ostium, cum possitis, ipsos ad alios Christianos pestiferum per vos contingeret habere progressum.*

Imminente Tartarorũ metu septentrionales cruce insigniri iubet Pontifex.

d Lib. 10. reg. post ep. cur. 25.

e Lib. 10. ep. cur. 25.

22 *Ceterum etsi in tam discriminoso belli congressu arma materialia vtiliter requirantur, non sunt tamen postponenda, immo præferenda salutifera crucis insignia, vt vos athletæ Christi, eis laudabiliter insigniti, cui dues deseruiatis, euidenter appareat; ac per eius virtutem, in qua Christus debellauit aereas potestates, ipsorum Tartarorum aduersitas mirifice vobis cedat. Non videtur itaq; præstolandus buccinæ clangor, nõ inuitatis suggestio creatur opportuna, vt in tanto necessitatis articulo ad prælium huiusmodi vos excitet præliandũ, cum in vobis æstimemus itmus vigere rationis iudicium, quod nullo etiam vos ad id inuitante, maturato præsidio casibus curabitis occurrere tam votiuis. Veruntamen ne salutem vestram videamur negligere, ac sanguis vester requiratur a nobis gerentibus speculatoris officium, si eum, nobis tacentibus, gladius effuderit impiorum; dilectum filium abbatem de Mezano, virum morum honestate conspicuum, præditum scientia literarum, ac nobis & fratribus nostris merito suæ probitatis acceptum, ad vos propterea duximus destinandum, vt per se ac alias, quos ad hoc idoneos nouerit, in sapientia sapius sibi diuinitus attributa, vobis contra ipsos Tartaros, ac etiam alios paganos, Christianorum sanguinem non minus eisdem Tartaris sitientes, prædicans verbum crucis, ipsius insigni charactere vos studeat præmunire.*

23 *Tollat ergo fideliter quilibet crucem suam, si quis in splendore armorum Domini vexillum gloriæ summi Regis, ad huiusmodi saltem abolendã verecundiæ maculam, quæ vobis adscribitur, quod nunc miserabiliter infidelibus terga datis, quibus nomen vestrum esse terribile consueuit. Vt autem nihil omnino desit ad tam salubre negocium prosequendum, omnibus, qui ab ipso commoniti contra prædictos Tartaros receperint signum crucis, illam suorum peccatorum veniam, illudque priuilegium elargimur, quæ accedentibus in Terra sancta subsidium conceduntur. Dat. Assisij 11. id. maij an. x.*

24 Commisit etiam eidem abbati Mezanensi Apost. S. L. prouinciam a, vt Polonorum, qui a susceptæ ab ipsis fidei tempore sedis Apostolicæ vectigales erant effecti, iuribus contra omnium, vel etiam Vvillelmi Romanorum Regis conatus defendendis incumberet.

a Lib. 10. ep. 693.

Licet apostolatus officium nos vniuersis constituat debitores, illis tamen specialius, & efficacius adesse nos conuenit, qui nullo medio subesse sedi Apostolicæ dignoscuntur. Cum itaque, sicut ex parte dilect. fil. nob. virorum principum Poloniæ fuit propositum coram nobis progenitores eorum, postquam Christianæ fidei notitiam habuerunt, eidem sedi solummodo subiecti fuerint, & ipsi adhuc existant; & in signum subiectionis huiusmodi censum, qui denarius sancti Petri vulgariter appellatur, ijdem & habitatores Poloniæ ipsi sedi annis singulis persoluerint hactenus & persoluant; mandamus quatenus eisdem principibus & habitatoribus per te, vel per alium efficaciter præsidio defensionis assistens, ac non permittens eos ab aliquibus molestari, si quas infeudationes, distributiones, aut occupationes de terra Poloniæ inueneris tam a charissimo in Christo filio nostro Vvillelmo Rege Romanorum illustri, quam ab alijs factas, denunties auctoritate nostra per te, vel alium aliquatenus non valere, &c. Dat. Assisij xvi. kal. iul. an. x.

Poloni ob singulare in Ecclesiã studium, aduersus omnium impetus a legato defendi iussi.

25 Ad propagandam vero in septentrione religionem Cracouiensi duci b, & ducis Lanchitiæ & Cuiauiæ filijs concessit c, vt terras, quæ ethnicis parebant, armis compararent, suæque adiungerent ditioni, modo nullius diœceseos terminis continerentur. Significantibus quoque Cracouiæ ac Lanchitiæ Cuiauiæque ducibus Polexianos barbaros ad suscipiendam Christianam fidem paratos, modo ab ipso in clientelam admitterentur, ac pristina libertate frui liceret, annuit d Innocentius, sanxitque, vt Polexiam suo dominatui coniungerent.

b Ibid. ep. 733.

c Ep. 732.

Polexiani ad fidem amplectẽdam se paratos exhibent.

d Ep. 741.

Nobili viro duci Lanchitiæ, & Cuiauiæ.

Cum, sicut te intimante, accepimus, quidam pagani terræ, quæ Polexia vulgariter appellatur, & adiacet terræ tuæ, parati sint ad fidem Christianam conuerti; dummodo ipsos sub dominio, & protectione tua recipias temporali, eis libertate seruata; nos ipsorum paganorum conuersionem nolentes prætextu alicuius obstaculi, quod vitari valeat, retardari, præsentium tibi, tuisque successoribus auctoritate concedimus, vt dictæ terræ paganos sub tua possis protectione recipere, ac dominio retinere, si sponte propter hoc velint fidem Christi recipere per baptismum. Non obstante quod fratribus domus Theutonicorum tota terra Prussiæ, quam gladio sibi subiugare poterunt, dicitur esse ab Apostolica sede concessa: cum sponte, non coacti gladio, velint ipsi pagani, vt dictum est, ad fidem Christiani nominis conuolare. Nulli ergo, &c. *Dat. Assisij iv. kal. iunij an. x.*]

Lanchitiæ & Cuiauiæ duci auctoritas data vt eos in suã clientelã admittat.

Eius-

Eiusdemque exempli literæ ad Cracouiæ ducem missæ fuere. a

a Reg. post eand. ep.

Lithuaniæ Rex cathedralis ecclesiæ erigendæ desiderium pię se fert.

26 Monuerat Innocentium Lithuaniæ Rex, qui sacris Christianis nuper imbutus fuerat, gerere in votis, vt episcopus Lithuanis præficeretur, cum ecclesiam cathedralem regia magnificentia in regno excitare bonisque augere paratus esset, cuius Pontifex piis desideriis obsecundaturus, Liuoniæ ac Prussiæ archiepiscopo munus demandauit, vt virum pietate & doctrinæ gerendæ dignitati parem Lithuanis imponeret b; ac sacris pontificalibus initiaret, vtque ab omnibus debita obseruantia exciperetur operam daret. Quod vero ad Liuoniam & Prussiam attinet; tradita c erat prouincia Prædicatorum ordinis religiosis viris, pro tuenda re Christiana populos ad arma accenderent.

b ibid. ep. 788.

c Lib 11. ep. 129.

Cumani plures a Prædicatoribus ad Christum traducti.

Nauarant eiusdem familiæ sodales strenuam adeo apud Cumanos operam, vt magnam eorum partem prædicatione euangelica ad Christianam fidem traducerent. Quo accepto nuntio Pôtifex magna lætitia delibutus, ad conciliandã præconibus euangelicis auctoritatem, illis concessit d, vt Christi fidelibus ipsorũ conciones audituris triginta, vel quadraginta dierum indulgentias impertirentur. Præterea Pannoniæ archiepiscopis concessit e, vt suscepta ab iis, qui se ad Christi cultum traduxerant, canonicæ irregularitatis impedimenta, dummodo facinus atrox & immane non foret, amouere possent.

d ibid. ep. 416.

e ibid. ep. 418.

Prænestin. episc. in Vngariam legatus missus.

27 Decreuit eodem anno in Vngariam legationem summus Pontifex, cuius obeundæ auctoritatem Prænestino episcopo S.R.E. Cardinali commisit: atque ad comparandam illi populorum obseruantiam, & antistitum prolectandum studium literas exarauit f, quarum potiorem partem afferõ: *Venerabilem fratrem nostrum Prænestinum episcopum, magnum quidem & honorabile membrum Ecclesiæ, virum morum honestate conspicuum, præditum scientia literarum, & prouidentia circumspectum; quem inter cæteros fratres nostros admodum charum habemus, pro suorum excellentia meritorum; in regnum Vngariæ, & ducatum Sclauoniæ, commisso sibi plenæ legationis officio, de latere nostro prouidimus destinandum, vt tanquam diligens cultor euellat & destruat, dissipet ac disperdat, ædificet & plantet, prout quæque ipsi Dominus ministrabit. De quo vtique, cum ei adsit puritas conscientiæ, & præsto sit iudicium rationis, malitiam odiat, & innocentiam tueatur, speramus firmiter quod, dirigente Domino gressus eius, ita regia via curabit incedere, vt non declinet ad dextram, vel sinistram, sed plus crescet conuersationis laude, quam etiam profecerit dignitate. Porro licet saluatoris exemplo, quod vni ex minimis nostris fit, nobis fieri reputemus, quia tamen illos volumus propensius honorari; qui per se honorabiles in parte sollicitudinis honorant in nobis plenitudinem potestatis, etc.* Addit preces & imperia, vt legatum honore debito prosequantur. *Dat. Assisij III. non. maij anno x.*

f Lib 10. ep. cur. 16.

Crudele bellũ Vngaros inter & Bohemos accensum.

28 Gerebatur tunc bellum atrox Vngaros inter & Bohemos: ad quod extinguendum, ac sopienda ingentia, quæ inde erumpebant mala; Morauiam enim a Bela Rege Vngariæ, qui Cumanos in expeditione duxerat, adeo immaniter vastatam Longinus scribit g, vt horrorem audientibus cladis magnitudo incuteret; Innocentius Velascum pœnitentiarum ad eos Reges misit, quo exasperatos ipsorum animos conciliaret; ac literas apostolicas Bohemorum Regi h, tum eius filio duci Austriæ i, & Regi l Vngariæ eo argumento dedit.

g Long. hist. Pol. l. 7.

Illi extinguendo incumbit Innocentius.

h Lib. 11. ep. 5.

i Reg. post eand. ep.

l ibid.

Datæ ad Vvenceslaum eo argumento literæ.

Regi Bohemiæ.

29 Si considerarent, vt expediret, guerrarum discrimina dimicantes; cum hinc tamen vix, aut nunquam nisi animarum pericula, excidia personarum, & rerum damna reportent; ab eorum forsan inchoatione, vel saltem exercitio abstinerent. Sed quia quosdam sic plerumque impetus furoris inuoluit; vt eo plus se bellis exerceant, quo magis ipsorum non sine amaritudine detrimenta degustant, oportet nos; qui non tam puri hominis quam veri Dei vicem in terris gerimus, partes nostras contra talia interponendo discrimina, remouere scandala, sedare litigia, & reuocare ad concordiam discordantes. Accepimus siquidem veridica relatione multorum, quod inter te, & Premislaum natum tuum ducem Austriæ ex parte vna, & charissimum in Christo filium nostrum Regem Vngariæ illustrem ex altera, adeo scintilla discordiæ, sufflante inimico humani generis, esset succensa, vt quos antea familiaris decorabat dilectio, & familiaritas confouebat alterna, tempestatis exagitet spiritus, & in profundum vorago iurgiorum absorbeat, dum ad nõ necessaria bella, sed perniciosa prorsus insurgitis, & adinuicem dimicatis, sicque fit quod vobis regna vestra prædantibus, & depopulantibus circumpositas regiones, terra remanet habitatoribus, proh dolor! desolata. Quia vero nostræ sollicitudinis interest, vt nos, qui disponente Domino vniuersali regimini præsidemus, ex officio nostro; pro eo maxime, quod ecclesiæ, quæ inde consueuerunt nunc lædi, nunc destrui, præseruentur, & Christianus populus taliter non perdatur; tantis occurramus periculis, remediis opportunis, celsitudinem tuam rogamus, monemus, & hortamur, atque in remissionem tuorum peccatorũ imponimus, quatenus ab his guerris omnino desistens, cum prædicto Rege sic ad pacem & concordiam pro Apostolicæ sedis & nostra reuerentia, sine dilatione ac difficultate qualibet reuertaris, quod exinde apud Deum & homines valeas non immerito commendari. Nos enim dilectum filium fratrem Velascum pœnitentiarium nostrum ad partes illas, ad reformanda inter vos pacis fœdera, destinamus, dantes ei cogendi contradictores, & rebelles per excommunicationis in personas, & terras ipsorum interdicti sententias plenariam potestatem. Non obstantibus si vobis ab Apostolica sede concessum sit, vt in vos, seu terras vestras non possint huiusmodi sententiæ promulgari. *Dat. Assisij kal. iulij anno XI.*]

Austriæ ducatum ducta Margareta obtinebat Premislaus.

30 Adeptus fuerat Austriæ ducatum Regis Bohemiæ filius Othacherus, iuncta sibi thoro Margareta ducissa Austriaca, quam cum tertio & quarto consanguinitatis gradu attingeret, ab Innocentio obtinuit, vt apostolica auctoritate ipsum a canonicis legibus, quæ id vetabant, eximeret: elicitum tamen ab eo ac patre Rege sacramentum, ipsos Romanæ Ecclesiæ ac Vvillelmi Romanorum Regis partes contra Conradistas strenue suscepturos: qua de re Velasco a pœnitentiario pontificio duæ epistolæ III. non. iul. & pridie non. eiusdem mensis exaratæ. Traductas in illius principis potestatem Austriam ac Stiriam, perfecto eo matrimonio, consentit Stero b his verbis: *Dominus Premizel, qui Othacher, filius Venezlai Regis Bohemorum, Austriam & Stiriam sibi attraxerat, ducta in vxorem domina Margareta relicta Henrici quondam Regis Romanorum, quæ fuit filia illius nobilissimi quondam ducis Austriæ, & Stiriæ Luipoldi.* Hæc ille, qui subdit Venceslaum Bohemorum Regem hoc anno, mense septembris mortem obiisse. Eadẽ de eius obitu Siffridus c & Longinus d, qui Monoculum appellatum scribit, ob amissum alterum in venatione oculum, cum in silua ramus arboris vi adductus illum elisisset; additque viginti quatuor annis, ac mensibus octo sceptrum tenuisse. Ex Bohemia in proximam Daniam orationem traducimus.

a Ibid. l. 11 ep. 2. & 3.

b Ster. in ann. 1253. ap. ud Can. antiq. lect. to. 1. pag. 272.

Vvẽceslai mors.

c Siffr. epit. lib. 2. ann. 1253.

d Long. hist. Pol. lib. 7. eod. ann.

Daniæ Rex Lundensis ecclesiæ priuilegia infringit.

31 Infregerat Danorum Rex concessas a maioribus Lundensi ecclesiæ prærogatiuas, atque in designandis iis, quibus sacerdotia conferrentur, se temere ingesserat: cumque canonicorum collegium iusto accensum zelo, illi restitisset, grauiores in

eos ita conceperat a, quem permulcere Pontifex conatus a est, monuitque hisce literis, vt edicta regia, quibus vetera priuilegia deleuerat, rescinderet.

a Inn. l. 11 ep. 181.

Charissimo in Christo filio illustri Regi Daciæ.

Optamus, fili charissime, tibique in sinceritate cordis, & animi suademus, vt assuescas temetipsum timori diuini nominis, & amori non solum diligendo sanctam Ecclesiam sponsam Christi, quæ te per baptismum regenerauit in ipso, sed ab ipsius offensa penitus abstinendo, quia per hoc seruiens Deo, cui seruire regnare est, vere regnabis, & post præsentis vitæ ineuitabilem exitum regnum temporale commutabis feliciter in æternum. Sane sicut dilecto filio capitulo Lundensis ecclesiæ intimante, non sine animi turbatione accepimus, tu, prout conuenit, non considerato prudenter quam sit abominabile apud Deũ, laicos quarumcunque religiosos disponere de personis & rebus ecclesiasticis, pœna quam Ozias Rex pertulit, qui accepto thuribulo, volens offerre incensum Domino vt sacerdos, fuit in facie lepra percussus, indicat manifeste, quod cum in collegiatis ecclesijs jus eligendi non cadat in laicos, quantumcunque patronos; motus ex eo dumtaxat, quod ecclesia ipsa vacante ijdem præsentatos sibi a te noluerunt, sicut nec debuerunt, nec potuerunt eligere in pastores; priuilegia super libertatibus, & immunitatibus, a claræ memoriæ progenitoribus tuis ecclesiæ prædictæ concessa, per tuas literas reuocasti. Vt igitur his literis non ex deliberatione, sed calore animi processisse credantur, regalem excellentiam rogamus attentius, & hortamur quatenus ob diuinam, & Apostolicæ sedis reuerentiam & nostram reuocans literas memoratas, ipsi ecclesiæ concessas, ei libertates & immunitates illibatas studeas conseruare; reuocando nouis epistolis ad debita & consueta seruitia ipsius ecclesiæ homines, & vasallos eiusdem, quos ab ijs per supradictas literas diceris subduxisse, ac ab eorũdem ecclesiæ, & capituli oppressionibus & molestijs abstinendo; ita quod Deum, quem ex hoc offendisse dignoscetis, placatum tibi reddere valeas: nosque sinceritatis tuæ zelum dignius possimus in Domino laudibus commendare. *Dat. Assisij xvi. kal. septemb. anno xi.*]

Corripitur ab Innocentio.

Traduxerat Pontifex paucis ante diebus ad archiepiscopalem illius ecclesiæ sedem Iacobum Roschildensem episcopum, vt literæ apostolicæ de ea re tum ad ipsum b, tum ad clerum; ac Regem c datæ illustrant: contrà Ludolphum ab Alberstadensi sede, in quam fraude irrepserat, euertit, ac latæ in eum anathematis sententiæ robur apostolicum adiecit. d

b Ibid. ep. 330.
c Reg. post eand. ep.
d Ibid. ep. 313.

32 Statuit hoc anno diuinum numen insigne iustitiæ suæ in ecclesiarum direptores exemplum in atrocissimo illarum hoste Othone duce Bauariæ Cõradi socero: illius enim partes aduersus Pontificem ob iunctam cum eo affinitatem, omni studio & contentione efferebat; clericos sæuissime insectabatur, inuadebat bona ecclesiastica, templa incendebat, ac spoliabat; effusis denique furori habenis ita grassabatur, vt nil illi sacrum videretur. Percussus ob hæc flagitia censuris pontificijs & fidelium consortio abactus, non resipuerat; vt etiam hoc anno ab Innocentio episcopo Frisingensi coercendi illius prouincia data sit. Sed demum cum in dies cumulatis nouis facinoribus diuinam fatigasset patientiam, iustitiamque exasperasset, lata est in eum diuinitus mortis sententia: & quidem adeo formidanda, vt nullis perceptis Ecclesiæ, quam toties violarat, sacramentis, magno æternæ reprobationis argumento, cum sagmatus opipare, & lætus vespere decubuisset, noctu repente a diuino satellitio ad Christi tribunal raptus fuerit. quæ res antea innocenti rustico, obiecto cœlesti viso, ostensa fuerat, & ab eo promulgata. Quam historiam ex Augustensibus annalibus decerpimus. a

Otho dux Bauariæ diuino iustitiæ exemplo moritur.

a Chron. Aug. hoc ann.

33 *Otho dux in principio sui regiminis fuerat iudex & princeps mansuetus, postea propter fauorem, quem impendere videbatur Friderico quondam Imperatori, & Conrado filio eius, ab Innocentio Papa iv. & episcopis iamdiu & sæpe excommunicatus; persequi cœpit clerum: & mala malis addens, in vigilia S. Andreæ apostoli, cum in sero cum vxore & familiaribus suis valde iucundus fuisset, præsentem vitam subitanea morte finit. Eodem tempore mense nouembri famosus ille prædicator frater Bertholdus in Lantzhut prædicationis officium exercebat, & morabatur in castro cum duce prædicto, cupiens eum inducere ad obedientiam Ecclesiæ, & suum erga ecclesias & clerum animum mitigare. Tunc superuenit quidam pauper rusticellus asserens se in nocte præterita festum * Michaelis raptum & ductum ad tribunal iudicis cuiusdam: vbi audiuisset & vidisset, quod ad querimoniam sanctorum sententia mortis data esset in Othonem ducem, & cæteros principes pacis turbatores & ecclesiarum ac pauperum vastatores. Asserebat etiam, quod sub pœna mortis a sanctis ex parte Dei esset iniunctum, vt hæc duci & alijs principibus nuntiare deberet: quod si non admitteretur, deberet alijs propalare. Is igitur homulus, cum non fuisset admissus ad præsentiam ducis, prædicto fratri Bertholdo & alijs quibusdam talia propalauit. Sed & sexto die ante obitum ducis idem homo venit ad monasterium Altahense, & dixit H. abbati, & Alberto abbati de Metem ex parte illius iudicis, quod cum non admitterent talia manifestare dicti abbates cum Henrico abbate de Eberspergk, deberent intimare duci prænotato, quod nisi citius monetam nouam destrueret, & resipisceret a vexatione pauperum & ecclesiarum, mortis esset in breui sententiam subiturus.* Sed ex Germanicis rebus ad Gallicas sermonem conuertamus.

Illius mors homini rustico diuinitus præostensa.

* festi

34 Excitatam hoc anno in Gallijs grauem aduersus Iudæos persecutionem narrat Parisius a, atque, exceptis ijs, qui artes mechanicas exercerent, in exilium actos. Quod edictum a S. Ludouico in oriente adhuc agente emanasse ait, cuius causam hanc affert; *Improperatum enim fuit eidem Regi a Sarracenis, quod parum diligimus, aut veneramur Dominum nostrum Iesum Christum, qui peremptores eius inter nos degere toleramus.* Grauia vero ipsos damna intulisse Christianis, ac suo consortio eos infecisse; vnde ij, qui literarum periti erant, ea pœna mulctati, ne simplices suis erroribus irretirent; ex literis Viennensi archiepiscopo ab Innocentio hoc anno missis constat b; *Sicut tua nobis fraternitas intimauit, ex conuersatione Iudæorum in tua prouincia, quos aliquandiu de mandato sedis Apostolicæ in eadem prouincia, non sine Christianorum dispendio & multorum scandalo, tolerasse te asseris, grauia ipsis Christianis animarum noscuntur pericula imminere; nos ad animarum salutem totis affectibus aspirantes, expellendi de ipsa prouincia prædictos Iudæos vel per te, vel per alios; præsertim cum statuta contra eos a sede prædicta edita, sicut accepimus, non obseruent; plenam tibi auctoritate præsentium concedimus facultatem, &c. Dat. Assisij x. kal. aug. an. xi.*

Iudæi in Gallijs exagitati.
a Par. hist. Angl. hoc ann.
b Lib. 11. ep. 160.
Rabini ipsorũ pulsi in exilium a Pontifice iussi.

35 Feruebat hoc tempore Anglia bellico in Terram sanctam expeditionis apparatu, quanquam is postea fuit dissolutus. Pontifex tamen, quo Henricum incitaret, graues ea de re hoc anno literas scripsit c, quibus ipsius regnum, atque alios principatus clientelæ apostolicæ commendatũ iri, est pollicitus: *Cum in succursum Terræ sanctæ, quam in contemptum Christi, & fidelium eius opprobrium occupatam detinent Agareni, velut fidus athleta fidei, & vltionis & iniuriarum Domini auxius, cum honorabili commilitonum exercitu crucis iam assumpto signaculo transfretare* pro-

c Ep. 165.
Henricus crucesignatus in clientelã apostolicã acceptus.

ponis; nos tuum tam laudabile propositum commendantes; ac volentes apostolicis tibi adesse fauoribus in hac parte, tuam & charissima in Christo filia nobilis Alienora Anglia Regina illustris vxoris, nec non Eduardi primogeniti & heredis, ac aliorum liberorum tuorum personas cum familijs, & Anglia regno, Hibernia, Vvallia, Vvasconia, & alijs terris, possessionibus, iuribus, libertatibus, rationabilibus consuetudinibus, & cateris bonis tuis, qua in prasentiarum rationabiliter possides, aut in futurum iustis modis prastante Domino poteris adipisci, sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & prasentis scriptura pagina communimus. Nulli ergo, &c. Datum Assisij non. septembris anno vndecimo.

36 Eodem argumento missis literis Angliæ episcopis data prouincia est a, vt tuendæ publicæ paci incumberent, & censuras in regios hostes ferrent. Tradit etiam Parisius b ecclesiasticorum decimas ad triennium ad sustinendos bellicos sumptus decretas Regi fuisse: tum alia a viris nobilibus stipendia coacta; illumque magnam chartam (ita quasdam leges vocat) religiosissime seruaturum sacramento spopondisse. Anglicanos vero patres sacris ornamentis magnifice induros anathematis sententiam solemni ritu in eos tulisse, qui illas infringerent; cumque Regi fax accensa oblata esset, accipere recusasse adiectis his verbis: *Non decet me candelam talem tenere; non enim sum sacerdos: cor autem maius perhibet testimonium. Et ex tunc tenuit manum expansam ad pectus donec tota sententia finiretur*: quæ postmodum sententia ab Innocentio sequentis anni xi. kal. oct. confirmata est, literisque c apostolicis insinuata; quas ob rei dignitatem afferendas duximus.

a Ep. 169.

b Par. hist. Angl. hoc ann.

Renouatæ in Anglia solemni ritu nonnullæ leges.

c Lib. 12. ep. 341.

Vniuersis archiepiscopis, & episcopis regni Angliæ.

37 Cum sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, vos cupientes, prout ad vestrum spectat officium, libertatem ecclesiasticam in regno Angliæ illibatam ab omnibus conseruari, cum voluntate ac beneplacito charissimi in Christo filij nostri Regis Angliæ illustris, in omnes illos, qui malitiose, ac scienter ecclesias ipsius regni suo iure priuauerunt vel spoliauerunt, & libertates ecclesiasticas, & antiquas regni consuetudines, & præcipue illas libertates & liberas consuetudines, quæ continentur in chartis communium libertatum, & de foresta concessis a dicto Rege vobis ac alijs eiusdem regni prælatis, violauerint, infregerint, diminuerint, seu immutauerint; & qui contra illas statuta ediderint, vel edita obseruauerint, consuetudines introduxerint, vel seruauerint introductas; necnon in scriptores, executores, & consiliarios statutorum ipsorum, excommunicationis sententias duxeritis proferendas, prout in literis super hoc confectis plenius continetur; nos vestris supplicationibus inclinati, quod a vobis prouide factum est, in hac parte ratum habentes & gratum, id de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica confirmamus, tenorem literarum ipsarum præsentibus inseri facientes, qui talis est.

Confirmatur Ap. sedis auctoritate.

38 *Auctoritate Dei omnipotentis Patris, et Filij, & Spiritus sancti, gloriosa Virginis & Dei genitricis Maria, beatorum Apostolorum Petri & Pauli, omniumque Apostolorum, B. Thoma archiepiscopi & martyris, omniumque sanctorum martyrum, B. Eduuardi Regis Anglia, omniumque confessorum, atque virginum, omniumq; sanctorum, & sanctarum Dei. Nos B. miseratione diuina Cantuariensis episc. totius Anglia primas, F. Londoniensis, H. Eliensis, R. Lincolniensis, VV. VVigorniensis, VV. Noruicensis, P. Herefordensis, VV. Saresbiriensis, VV. Dublinensis, R. Exoniensis, S. Karleolensis; VV. Bathoniensis, S. Roffensis, Th. Meneuensis episcopi, de assensu & voluntate venerabilis patris VV. Dei gratia Eboracensis archiepiscopi anathematizamus, & ali-*

Forma vibrati a præsulibus Angliæ anathematis in eos qui ipsas violarent.

minibus sancta matris Ecclesia sequestramus omnes illos, qui amodo scienter, & malitiose ecclesias priuauerint, vel spoliauerint suo iure. Item omnes illos, qui ecclesiasticas libertates, vel antiquas regni consuetudines approbatas, & pracipue libertates, & liberas consuetudines, qua in chartis communium libertatum, & de foresta continentur a domino Rege concessis archiepiscopis, episcopis, & cateris Anglia pralatis, comitibus, baronibus, militibus, & libere tenentibus quacumque arte, vel ingenio violauerint, diminuerint, vel infregerint, seu immutauerint clam, vel palam facto, verbo, vel consilio contra illas, vel illarum aliquam in quocunque articulo temere veniendo.

39 *Item omnes illos, qui contra illas, vel earum aliquam statuta ediderint, vel edita seruauerint, consuetudines introduxerint, vel seruauerint introductas: scriptores etiam statutorum ipsorum, necnon consiliarios, & executores: & qui secundum ea prasumpserint iudicare. Qui omnes & singuli superius memorati hanc nostram sententiam incursuros se nouerint ipso facto, qui scienter aliquid commiserint de pradictis. Qui vero ignoranter, nisi commoniti intra quindenam a tempore commonitionis se correxerint, & arbitrio ordinariorum plene satisfecerint de commissis: & tunc sint hac sententia inuoluti. Eadem etiam sententia innodamus omnes illos, qui pacem Regis & regni prasumpserint perturbare. In cuius rei memoriam sempiternam, nos signa nostra prasentibus duximus apponenda. Actum in maiori aula regia, apud VVestmonasterium, an. Domini MCCLIII. id. maij sub prasentia, et assensu Henrici Dei gratia Regis Anglia illustris, & dominorum Richardi egregij comitis Cornubia fratris sui; R. comitis Norfolchia, & marescalli Anglia. H. comitis Herefordia, H. comitis Hexonia, I. comitis Vvaruuic, & aliorum optimatum Anglia ad hoc, quasi ad consilium specialiter vocatorum.* Nulli, &c. Nostræ confirmationis, &c. *Dat. Anagnia XI. kal. oct. an. XI.*

40 Subornatum porro paulo post ab assentatoribus Henricum facti pœnituisse scribit Parisius, ac modos ad conuellenda ea, quæ sacramento sanxerat, excogitasse: cum illi insusurratum esset regiam auctoritatem ijs legibus labefactari.

Gesta rescindere molitur Henricus.

Expostularant apud Innocentium Anglicani patres, in eo consilio congregati, ad libertatem ecclesiasticam in eo regno oppressam pristino restituendam splendori, sacerdotia peregrinis hominibus ab Romano Pontifice sæpius conferri; cui rei modum positurum est pollicitus, ac paulo post ea de re constitutionem edidit. a

Vetat Innoc. exteros in Anglia sacerdotia gerere.

a Lib. 10. ep. 696.

41 Hoc anno IV. non. aprilis, vt ait Parisius b, pulcherrimum Angliæ lumen Richardus Cicestrensis episcopus, sanctitate & doctrina insignis, beati olim Edmundi Cantuariensis archiepiscopi clericus, ac familiaritate ipsi coniunctissimus; quem sanctus archiepiscopus suis consilijs adhibere erat solitus, & illi ecclesiæ præficiendum prædixerat: extinctum est, vt cælo fulgeret, quamquam multis post mortem miraculis Angliam illustrauit: quæ Rodulphus Cicestrensis duobus libris, vna cum cæteris eius rebus gestis, est prosecutus. illa vero in compendium ab incerto auctore redacta Surius in lucem edidit c. Incumbebat porro vir sanctus magno ardore incitandis ad sequenda crucis signa populis, cum ad colligenda laborum præmia in cælum est receptus.

b Lib. 51. ep. 249.

Richardus Cicestrensis episc. pie moritur.

Miraculis effulget.

c Sur. to. 2. die 3. april.

42 Agunt de Richardo nouatores d, qui anno superiori defunctum male asserunt, atque viri improbi eximios quosque sanctitate viros canino dente proscindere solent, non perhorrescunt asserere, illum non modo salutari pabulo oues suas non pauisse, verum falso doctrinæ veneno interemisse. Vt vero ab Vrbano IV. in sanctorum numerum relatus fuerit, sequenti tomo collocauimus e. Coniunctum sanctissimo episcopo in cælesti gloria fuisse Thomam archidiaconum

d Cent. 13. c. 10. col. 1536.

e Anno Chr. 1262.

Northambriæ, vt illi ac D. Edmundo, cuius fuerat discipulus, in terris amicitia extiterat coniunctissimus; ac multis miraculis eius beneficio patratis effulsisse tradit Parisius a; atque ex auctoris verbis, quibus Richardo nondum a Rom. Pontifice sanctorum honores decretos insinuat, colligitur illa ante annum millesimum ducentesimum sexagesimum secundum conscripsisse.

a Par. hist. Angl.

Robertus Lincoln. fidelium cœtu eiectus moritur.

43 Addit idem auctor eodem anno vita functum Robertum Lincolniensem episc. quem veluti insignem sanctitate celebrat: ac tamen iactatas ab illo insanas in Romanum Pontificem voces schismatico odio imbutas affingit; refertque literas ab eo ad Innocentium, qui nonnulla pecuniarum subsidia reposcebat, scriptas; quæ viri sancti zelum non redoleant, sed efferati potius schismatici rabiem, proiectamque impudentiam redarguant. Floruere in Dei Ecclesia antistites sanctitate & zelo diuino insignes, infelici illo æuo, quo nonnulli Pontifices Romani parum digne demandatas sibi a Christo vices gerebant (de quibus Baronius b) nec tamen illi vnquam, nisi summa cum modestia, ipsos corripuerunt. Certe hoc tempore vigebat S. Richardus Cicestrensis, qui maximis miraculis, vt dictum est, effulsit; atque diuino spiritu longe magis, quam Robertus agebatur; nec ille tamen aduersus Innocentium ita inuectus est: immo summo honore est prosecutus, atque in demandato ab illo incitandi pro concione ad arma sacra populi Christiani munere vitam collocauit. Beata etiam Clara, quam sanctitate & miraculis eo tempore efflorуisse omnes testantur, summo honore Innocentium est prosecuta. Atrox etiam & felle plena est oratio, quam Roberto in extremis vitæ confinijs agenti affingit auctor, in qua ineptis argumentis Papam hæreticum esse & antichristum insinuat, quæ non diuino spiritu afflatum, sed diabolica vertigine agitatum coarguunt. Aut ergo ficta sunt ea miracula, quæ Parisius ipsius mortis tempore ait contigisse, auditos nimirum ab episcopo Londinensi, & Minoritis quibusdam suauissimos campanarum concentus; aut longe a iaciendis illis in Rom. Pontificem maledictis abfuit, quibus ab eo laceratum Innocentium scribit Parisius, quem dedita opera simillimis figmentis, atque artibus Rom. Pontifices in odium vocare solitum, alias a Card. Baronio, atque a nobis demonstratum est. Commentitium pariter videtur, quod tradunt c cum Innocentius Roberti ossa ob aculeatas & ardentes ab eo acceptas literas e sepulchro extra ecclesiam eijcere meditaretur, Robertum in somnis ipsum increpuisse, ac pastorali pedo magna vi lancinasse, vt acerrimum inde dolorem Pontifex acceperit. Sed hæ Parisij aliorumque nugæ abunde iam conuictæ. ad grauiora nos conferamus.

b Baronius Annal. tom. 11.

Refutantur ea quæ Parisius de ipso fingit.

c Par. vbi sup. & Vuestmonasteriensis Flor. hist.

Alfonsus in Africã ducere expeditionẽ parat illius signa secuturis proposita indulgentia.

44 In Hispania meditatam a patre Ferdinando in Africam expeditionem Alphonsus Castellæ & Legionis Rex vrgebat; iamque ab elapsis retro annis in Cantabrico littore consiandæ classi incubuerat; cum Romanum Pontificem hoc anno rogauit, vt viris pijs munus demandaret ad solicitandos pro concione populos, vt in arma sacra prosilirent: tum crucem sumpturis e sacro Christi meritorum ærario indulgentias liberaliter largiretur. Cuius pijs desiderijs respondit Innocentius, atque Prædicatorum & Minoritarum in Castella magistris prouinciam dedit d, vt vel ipsi populos ad sequenda crucis signa incitarent, vel suorum, qui pietate & eloquentia valerent, operam ad id adhiberent; atque profectutis, stipendiaue suppeditaturis crimina a numine condonatum iri pollicerentur.

d Ep. 355.

45 *Charissimus in Christo filius noster Rex Castellæ, ac Legionis illustris, vt princeps catholicus & Deo deuotus aspirans ad augmentationẽ fidei, et nominis Christiani, prout nobis intimare curauit, contra Sarracenos de Africa inimicos crucis transfretare proponit cum bellatorum multitudine copiosa. Quia vero ad prosecutionem huiusmodi negotij auxilium Christi fidelium est plurimum opportunum, mandamus quatenus in eiusdem Regis succursum contra Sarracenos ipsos per regna Castellæ, ac Legionis crucem per vos, vel per alios fratres vestrorum ordinum, quos ad hoc eligendos duxeritis, prædicetis, & studeatis ipsam recipere volentibus impertiri; concessuri omnibus illis, qui propter hoc in personis proprijs, & expensis, aut in personis tantum cum eodem Rege transfretabunt, siue in expensis suis miserint idoneos bellatores; & ijs etiam, qui iuxta facultatem & qualitatem suam secundum vestræ ac aliorum, quibus hoc commiseritis, discretionis arbitrium de bonis suis contulerint pro conducendis, vel remunerandis idoneis bellatoribus, in ipsis regnis subsidium destinandis, seu alias aliqua de bonis proprijs pro huiusmodi subsidio erogabunt; iuxta qualitatem, & quantitatem subsidij, & deuotionis affectum illam suorum peccaminum veniam, de quibus veraciter corde contriti, & ore confessi fuerint, quæ succurrentibus, & mittentibus in Terræ sanctæ subsidium, in generali concilio est concessa. Volumus autem, quod vos, & ij, quibus hæc commiseritis, ea quæ pro conducendis huiusmodi bellatoribus, & alia etiam, quæ pro prædicto subsidio fuerint erogata, fideliter colligatis, depositurі eadem penes aliqua tuta loca Regi assignanda prædicto, cum per se, vel per vicarium suum iter arripere voluerit contra Sarracenos huiusmodi transfretandi. Dat. Perusij xv. kal. ian. an. x.*

Eodem argumento gemini illius ordinis religiosis viris, qui in Nauarræ regno versabantur, scripsit a. Cum vero in ea expeditione Christi causa agеretur, censuit Pontifex sacras Ecclesiæ opes optime in illa collocatum iri: quare concessit, vt ob id Regi Alphonso ad triennium tertia decimarum pars, quæ ad templorum sartatecta deriuanda erat, attribueretur. Cumque in Compostellano archiepiscopatu eiusmodi decimæ ad vsus templorum conuertendæ consuetudo non valeret, iussit b ex alijs ecclesiarum vectigalibus tanta pecuniarum subsidia confici, Alphonsoque ad ornandum belli apparatum suppeditari.

a Lib. 10. ep. 356.

b Ibid. ep. 419.

46 De Lusitanis rebus illud occurrit, Innocentium, ne regni illius, Ecclesiæ vectigalis effecti, memoria lapsu temporum obsolesceret, publico diplomate c prædecessoris Lucij II. literas promulgasse, quibus fertur, vt Alfonsus Portugalensis dux ob accepta a Deo beneficia, partasque de infidelibus victorias, Christo se, suaque consecrarit, atque eius vicarij se stipendiarium, promisso quatuor vnciarum auri vectigali, constituerit.

c Lib. 10. ep. cur. 18. Vt Lusitania ecclesiæ vectigalis fuerit constituta.

Omnibus Christi fidelibus præsentes literas inspecturis.

Inspeximus literas felicis recordationis Lucij Papæ II. prædecessoris nostri, formam huiusmodi continentes. *Lucius episcopus seruus seruorum Dei. dilecto in Christo filio Alphonso illustri Portugalensi duci salutem, &c. Deuotioni tuæ dilecte in Domino fili maxime congaudemus, quod temetipsum de illis omnibus recognosceris, quibus dominus noster Iesus Christus B. Petri custodiæ commendauit, cum ad expugnationem paganorum intentus, multisque negotijs secularibus occupatus, Apostolorum limina visitare non posses, per manum dilecti filij nostri G. diaconi Card. tunc in partibus illis Apostolicæ sedis legati, prædecessori nostro felicis memoriæ Papæ Innocentio hominium laudabili deuotione fecisti, & terram tibi a Deo commissam B. Petro Apostolorum principi contulisti, atque personam tuam, & terram ipsam ipsius patrocinio humiliter commisisti. Postmodum vero tam per literas tuas, quam per venerabilem fratrem nostrum I. Bracharensem archiepiscopum, nobis etiam promisisti, vt tam tu, quam heredes tui de terra ipsa quatuor vncias auri annis singulis Rom. Pontifici persoluatis. Nos itaque, qui licet indigni, B. Petri loco residere conspicimur, tam te quam*

filios

filios tuos, & successores vestros, inter heredes ipsius Apostolorum principis ipso adiuuante suscipimus, vt in eius semper benedictione, & protectione tam animarum, quam corporum maneatis, per quam ab hostium visibilium & inuisibilium expugnatione defensi ad caelestia regna peruenire, largiente Domino, valeatis. Dat. Later. kalend. maij. Quarum litterarum tenorem de verbo ad verbum praesentibus inseri fecimus ad memoriam futurorum. Datum Perusij xi. non. ianuarij anno x.

a Lib. 1. ep. 59. vide sup. ann. 298. n. 35 Meminit harum Lucij II. literarum Innocentius III. a in suis ad Sanctium I. Regem Lusitaniae, quibus in mentem reuocauit Alphonsum Lusitaniae ducem ad pendendum quatuor vnciarum auri vectigal se suosque obstrinxisse: qui postea ob praeclaras de Sarracenis partas victorias ab Alexandro tertio regia dignitate decoratus, regnum Lusitanum sedi Apostolicae iure fiduciario, ob accepta a numine ingentia beneficia, subiecit. De his Card. Baronius b, qui pluribus vetustis monumentis rem probat; adducitque alias Innocentij tertij literas ad Alphonsum secundum, quibus ipsi regnum vt sedis Apostolicae fiduciarium confirmauit, & duas marchas auri ab eodem Alphonso Sanctij successore census nomine oblatas admisit: quarum etiam nos literarum praecipuam partem suo loco edidimus. c

b Baron. Ann. Chr. 1179. nu. 56. & 57.

c An. Chr. 1212. nu. 38.

In Nauarra Theobaldus Rex octauo iulij die sceptrum Theobaldo filio moriens reliquit d: qui vt ob studium instaurandae rei Christianae in Syria magnam laudem pepererat, ita non leui macula ob ecclesiastica oppressa iura nomen inquinauit. Feruntque enim ea de causa regnum toto triennio sacris interdictum: pulsumque Remigium episcopum Pampelonensem, annitentibus proceribus magno omnium gaudio regiae gratiae ac suae sedi restitutum. Illum etiam ea laude ordat Mariana, poeticae & musicae fuisse peritissimum, & composita a se carmina in aula dijudicanda proponere solitum. Eo vero extincto Margareta Regina confirmandi ac tuendi regni solicita foedus, de quo fusius Surita f, cu Iacobo Rege Aragonum ad Castellae Regis consilia comprimenda, accepta dataque fide, percussit, eosdem ipsis amicos & hostes futuros. Suscepit praeterea Innocentius sequenti anno nonum Regem ad magnas spes pubescentem in clientelam apostolicam ad quinquennium, vt imbecilli ipsius aetati praesidio esset, quales de. re has ad ipsum literas g dedit: *Etsi cunctis Regibus, & principibus Christianis ex iniuncto nobis seruitutis officio defensionis praesidio assistere teneamur; circa illos tamen speciali patris officium exequi nos oportet, quorum faciem pubertas non nouit, & qui carnalis patris sunt regimine destituti. Hinc est, quod tuis postulationibus grato concurrentes assensu, personam tuam cum omnibus bonis, quae in praesentiarum rationabiliter possides, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus. Nulli ergo, &c. praesentibus post quinquennium, &c. Dat. Assisij v. kalend. an. xi.*

d Surit. annal l. 3. c. 48.

e Marian. de reb. Hisp. l. 13. cap. 9.

f Surit. vbi sup.

g Lib. 11. ep. 705.

Atrexere hoc loco visum est collata ab Innocentio simillima apostolica beneficia. Recepit h in suam protectionem magistrum ecclesiae Deiparae sacrae, cui Sempinghami nomen est, & canonicos regulares; vetuitque ne quis religiosi illius ordinis instituta a B. Giliberto conditore scriptis tradita, atque a Romanis Pontificibus confirmata, immutare auderet: priuilegia denique ab Henrico secundo, & Richardo eius filio ipsis tributa rata ac firma esse iussit, cui diplomati sua quoque suffragia ac sigilla Cardinales adiecere.

h Lib. 10. ep. 547.

48 His adiungimus Innocentium abrogasse i legem a legato apostolico latam, vt omnes eremitici ordinis fratres quocumque irent baculum gestarent, cum id non leui ipsis incommodo foret: *Petitio vestra nobis exhibita continebat, quod olim a quibusdam legatis sedis Apostolicae de speciali mandato eiusdem sedis, vt dicebant, statutum extitit, vt quilibet fra-*

i Ibid. ep. 560.

ter vestri ordinis, quocumque ipsum ire contingeret, ipse in manu propria baculum teneatur. Cum autem, sicut asseritis, delatio baculorum huiusmodi certis ex causis molesta vobis existat, & nimium taediosa, & pro hoc vestris mentibus obducto turbationis nubilo contingat multoties apud vos sancta contemplationis otium impediri; nos vestris deuotis supplicationibus inclinati, quieti vestrae in hac parte consulere pro remedio cupientes, vt eosdem baculos, non obstante statuto praedicto, inuiti deferre minime teneamini, auctoritate vobis praesentium indulgemus. Datum Perusij xi. id. mart. anno x. approbasse a vero, quae a Ioanne Bono in summo priore eligendo sancita erant, tum etiam constitutionem a Richardo tit. S. Angeli diacono Cardinali superiori anno de eorundem fratrum vestibus editam corroborasse k: indulsisse Minoritis Assisianis l, vt ad augendam S. Francisci gloriam, cuius corpus in ipsorum templo seruabatur, pretiosissimis quibuscumque ornamentis vestire altaria, atque decorare possent, ac plures Minoritis praerogatiuas, quas P. Lucas Vuadinghus recenset, contulisse m: dimisisse in varia terrarum loca religiosos Praedicatores ad Sarracenos, paganos, Graecos, Bulgaros, Cumanos, Aethiopas, Syros, Iberos, Alanos, Cazaros, Scythas, Tartaros, Zichos, Rhutenos, Iacobitas, Nubianos, Nestorianos, Georgianos, Armenos, Indos, Moscelitas, Vngaros maioris Vngariae, Christianos captiuos, aliosque populos a fide catholica aberrantes in sinum Ecclesiae reuocandos pontificiae ostendunt literae. n

Innocentius, &c.

Cu hora vndecima sit diei hominibus, vt exeant ad opus vsque ad mudi vesperam deputati, & illud Apocalypsis eulogium cito eredatur cum matris Ecclesiae consolatione complendum, videlicet oportere viros spirituales vitae munditiam, & intelligentiae gratiam cum Ioanne fortitos populis, & gentibus, linguis, Regibusque multis denuo prophetare, quia non sequitur reliquiarum Israel per Isaiam prophetam saluatio, nisi iuxta Paulum Apostolum prius introeat gentium plenitudo; nos licet immeriti; super Apostolicae sedis speculam constituti fideliter, & prudenter dispensandis ministerijs & operibus coadiuuandis intendimus, si vrgente plenitudine temporis post pia ipsorum studia in vineam domini Sabaoth nouos, & pene nouissimos, qui sapientiam longam didicere, per otium operarios mittere procuramus. Vos igitur, quos iuxta professae religionis officium zelus comedit animarum, & in quadriga quarta, quam varijs charismatum donis, & fidei fortitudine trahitis vbique discutere, ac vexillum Regis gloriae procul leuare gestitis ad gentes, quae Iesum Christum Dominum non cognoscunt, & ad subtractionis filios, qui sacrosanctae Romanae Ecclesiae non obediunt, destinamus, vobis in remissionem peccatorum omnium iniungentes, quod seminaturi super aquas multas in illo tantum, qui mundum dixit se vicisse, confisi ad illuminationem caecae multitudinis, & exterminium haereticae falsitatis, ad confirmandum nutantium animos, & fidelium confortandos in luce sermonis, & certitudine operis propositum vobis iter sine quo rumlibet offensione aurrar s, &c. Instruit auctoritate amplissima ad munus ardaum strenue obeundum. *Dat. Assisij x. kal. aug. an. xi.* Odoni Cardinali episcopo Tusculano A.S.L. comisit vt e Praedicatorum, & Minoritarum ordinibus religiosos viros pietate & doctrina illustres, episcopos crearet, qui fidem Christianam inter Tartaros disseminarent, atque auctoritate instruerent, vt earum prouinciarum Christianos, nondum in religione corroboratos, fernandis ieiuniorum legibus absoluere, ac matrimonij in gradibus canonibus tantum pontificijs vetiti, contrahendi potestatem tribuere possent. Ad quod S. Ludouici precibus, qui amplificandi Christiani nominis modos

k Ep. 635. Augustinianis ne baculum gestare tenerentur.

l Lib. 11. ep. 15.

m Ib. ep. 88

n Lib. 11. ep. ...

d Luc. Vuading. annal. Min. to. 2. ann. 1253

S. Ludouici adductus preci bus ad Tartaros praedicatores mittit.

omnes studiosissime explorabat, eaque de causa oratores ad Tartaros miserat, adductus est. a

a Lib. 10. ep. 508.

Episcopo Tusculano A. S. L.

49 Athleta Christi præcipuus, & Christianissimus princeps charissimus in Christo filius illustris Rex Franciæ, ad ampliandum cultum Christianæ fidei ardenter aspirans, suis nobis literis intimauit, vt cum, sicut ipse accepit a suis nuncijs, quos misit ad Tartaros, nonnulli ex eis fidem Christi susceperunt per baptismũ, & quamplures ex ipsis, prout creditur, si proponeretur eis verbum salutis, ad viam veritatis, quæ Christus est, per lauacrũ regenerationis redirent; conueniens & salutiferum sibi videtur, & multis, vt quia, procurãte Calipho de Baldach, Christiani, qui sunt in partibus illis, paucissimos habent episcopos, aliqui de fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, qui ad prædicandum eis sunt destinandi, promouerentur ad vacantes illarum ecclesiãs ad episcopalis apicem dignitatis, qui possent * conferre, & alia ecclesiastica sacramenta, quæ ad episcopos pertinent, exercere, ac haberent etiam facultatem dispensandi cum illis, qui ad fidem nouiter conuertentur; vt in gradibus nõ prohibitis in lege diuina, si necessitas, vel vtilitas exigit, matrimonialiter valeant copulari, & quo ad obseruationem ieiuniorum secundum constitutiones ecclesiasticas passim non tenerentur astricti, donec per inhabitantem gratiam in fide catholica fortius radicati ad hæc, & alijs conuenientia Christianis ritibus obseruanda se reddiderint aptiores. Quia vero fratrum industriæ earundem partium habere potes notitiam pleniorem, præmissa omnia tuæ prouidentiæ committimus, vt super his ordines, disponas, & facias, prout animarum saluti, & vtilitati, & promotioni huiusmodi negotij videris expedire. *Dat. Perus. x. kal. martij anno x.*

* ordines

50 Versabatur adhuc in Syria sanctus Ludouicus ad Christianam rem, quæ in anceps discrimen adducta erat, sustentandam. Sarraceni enim Damasceni atque Ægyptij & Babylonij, vt ex Ionuillæo b diximus, positis mutuis odijs inter se conciliati sunt, belique molem in fideles verterunt, & excursionibus in terras, quæ Christo parebant, factis, obuia quæque ferro flammaque vastauerunt. Quo tristi nuntio perculsus Pontifex incubuit, vt in Gallijs sub Alphonso Pictauiæ comite S. Regis fratre, qui crucem induerat, expeditio conflaretur, & Gallos flebilibus literis solicitauit, vt suo Regi in auxilium procurrerent, ne penitus res Christiana in Syria interiret; prouinciam vero Prædicatorum Parisiensium præfecto contulit c, vt sacras conciones de capessenda cruce, ac suscipienda Hierosolymitana profectione haberet.

b Ionuill. hist. S. Lud. par. 2.

Pictauiæ comes ad ferenda Syriæ auxilia solicitatus.

c Lib. 10. ep. 612.

Innocentius &c. priori fratrum Prædicatorum Parisiensium.

Planxit hactenus non paululum mater Ecclesia dolorem suum, videlicet miserabilem statum illius terræ sanctissimæ, quam olim sanctis promissam patribus Dei Filius, inclinatis cælis, homo factus inhabitans, ipsam in propriam hæreditatem, & exhibenda ibidem mysteria humanæ redemptionis electam suo pretioso sanguine consecrauit. Luget adhuc amaritudine plena, & mœrore confecta, quod præter id, quod foris interficit gladius, & domi mors similis est, tamen hostibus eius alienos deos colentibus factis in capite, ac prophanam immittentibus ad ipsius desiderabilia manum, sanctuarium Domini, cuius etiam ingressum diuina eis interdicit prohibitio, polluitur: hinc Christicolis in Christi sponsam insurgentibus, & filijs vipereo more lacerantibus matrem, cuius vbera lactauerunt; ex insperato cecidit in illis partibus exercitus Christianus. Quorum, & maxime charissimi in Christo filij nostri Regis Franciæ illustris, casum lacrymarum inundante diluuio Ecclesia ipsa deplorans, emittit luctus, multiplicat fletus; & inter singultus & suspiria vix respirans, clamat ad proximos, recurrit ad notos & exponit domesticis fidei Saluatoris instantiam: qui sine intermissione singulos fideles ad tyrocinium suum vocat, & necessitatem ingentissimam Terræ sanctæ, cui nisi celeriter succurratur, timendum est, ne Sarracenis inualescentibus vix possit postea de ipsius recuperatione sperari. Attendite itaque vniuersi catholici, quam ignominiosum sit locum illum salutis nostræ primordium coinquinari spurcitijs, & tanto tempore ab immundissimis gentibus contrectari. Consideret quilibet quam detestabile sit largitori omnium claudere dexteram, & non succurrere Saluatori, & apparebit aperte, quod nec ad profliganda huiusmodi opprobria, nec ad impendenda ei, qui omnia largitur, auxilia est ipsius fidelibus dormiendum. Nonne crimine læsæ maiestatis inuoluitur, qui temporali domino inter inimicos posito negat auxilium, eiusque terram ab hostibus non defendit? Vnde cum plus sit diuinam quam humanam lædere maiestatem, non debet aliquis ad succurrendum Deo viuo & vero domino Iesu Christo excitantis tubæ sonitum, vel hortantis vocis præconium expectare; sed sine interpellatione currere, vt non tam pœnam effugiat, quam Regi cælestia mereatur fieri particeps cohæres.

51 Consurgite igitur strenui pugiles Domini athletæ, & ad tam sanctum, & laudabile opus virium vestrarum extrema conflantes, armemini crucis galea contra eos, qui sancta sanctorum coinquinant, & abominationes in ea, & immunditias introducunt. Ne vero dictus Rex, & dilectus filius comes Pictauensis, crucis assumpto signaculo, in succursum dictæ terræ potenter & magnifice se accingens; qui non proiecerunt animum, proiecti, sed resurgunt constantiores; videantur in illis partibus soli crucem Domini baiulare, vt sitis vnà cum eis, & momentanei laboris participes, & æterni præmij non expertes; exurgite in succursum eis viriliter, & potenter apprehendentes arma, & scutum ad vlciscendam illius iniuriam, qui probra nostra diluit, & seipsum in cruce pro nobis viuam hostiam immolauit, &c.] Consueta indulgentiarum præmia arma sacra correpturis, suppeditaturisue stipendia proponit. Tum pluribus eos prærogatiuis exornat, prioremque Prædicatorum crucesignatam expeditionẽ in Francorum & Nauarræ regnis, Prouincia, Britannia minori, Burgundia, atque Alphonsi comitis ditione promulgare iubet: denique summa ad reos criminum absoluendos auctoritate instruit. *Dat. Perusij IV. non. april. ann. x.*]

52 Exasperarant sane diuini numinis iustissimas iras immania orientalium Christianorũ scelera, quos Mahometica labes non parum infecerat, cum in nummis Ptolemaide, vel Tripoli percussis execrandum Mahometis nomen insculperent, vel annos etiam infelicissimi illius natalis ritu Sarracenico signarent; non inani præsagio illas vrbes a Mahometanis deletum iri, quorum superstitionem æmulari videbantur. Tantum nefas Tusculanus episcopus sedis Apostolicæ legatus pœnis ecclesiasticis tollere conatus d est, cuius sententiam Pontifex dato ad ipsum diplomate sua mox auctoritate corroborauit: *Transmissa nobis insinuatione monstrasti, quod cum tibi liquido constitisset, quod in bisancijs, & dragmis, quæ in Acconensi, & Tripolitana ciuitatibus fi. bãt, a Christianis nomen Machometi, ac annorum a natiuitate ipsius numerus sculpebantur, tu in omnes illos, qui nomen & numerum ipsa in eisdem bisancijs & dragmis, siue in auro, siue in argento sculperent de cætero, vel sculpi facerent in regno Hierosolymitano, principatu Antiocheno, ac comitatu Tripolitano, excommunicationis sententiam promulgasti; quare petijsti, vt eandem sententiam robur faceremus firmitatis debitum obtinere. Nos igitur attendentes non solum indignum esse, sed etiam abominabile huiusmodi blasphe-*

Sarracenicæ consuetudines Tripoli & Accone inductæ.

d Ibid. ep. 479.

mum namen tam solemni memoria commendare, mandamus quatenus sententiam ipsam facias auctoritate nostra, subiecto appellationis obstaculo, inuiolabiliter obseruari. Dat. Perusij xi. id. febr. anno x.

53 Absoluamus huius anni periodum collocatis hoc loco orientalis Imperij rebus; quæ cum ingrauescere Græcorum potentia fractæ admodum essent, Innocentius ad eas erigendas apostolicas curas intendit. Cum enim Pantaleonem Iustinianum patricium Venetum capellanum suum ad patriarchatum Constantinopolitanum extulisset, mox illi excitandi pro concione ad induendam crucem Veneti populi munus demandauit; vt comparatis validissimis copijs ad fulciendum Imperium, cum quo res Christiana graue adibat discrimen, prosilirent: *Inter cætera*, inquit, a *desiderabilia cordis nostri Constantinopolitani liberationem Imperij principaliter affectantes, ad cam vigili solertia non cessamus intendere; ac vt iuxta nostri desiderij plenitudinem valeat auctore Domino prouenire, continua diligentia studium adhibemus*. Et infra: *Quia tamen ipsius Ecclesiæ corpus ex membris tam ebari, videlicet Imperij præfati, carentia notam probrosa deformitatis incurreret, & sustineret debilitatis dolenda iacturam, firma intentione proponimus eidem Imperio efficaci subsidio subuenire*. Demum adiungit amplissimam indulgentiarum ex sacro Christi meritorum ærario stipendia consecuturos omnes, qui tam iustam causam armis suscepetint defendendam. Tum permisit b eidem patriarchæ, vt ad cogenda pro sustinēdis bellicis sumptibus, aliqua pecuniarum subsidia, mille nimirū marchas sterlingorum mutuo accipiendas, bona ecclesiæ Cōstantinopolitanæ Imperij oppignerare. Illum vero & ob egregias virtutes, quibus ornatus erat & ob enixissimam Venetorum commendationem, ad patriarchatum euectum ostendunt literæ pontificiæ, quibus Innocentius nobilissimæ illius reipublicæ strenua in sedem Apostolicam studia ita collaudauit c: *Vt in te prouisa circumspectionis deflectamus intuitum, hæc specialiter suggerunt inter multa, deuotio videlicet Venetis populi, quæ te natales conspicui produxerunt, qua Ecclesia Romana fœdere inconcusso cohærens, ab eius obseruantia nunquam euelli funditus potuit, inundatione quacumque in fundamentum catholicæ fidei pro tempore irruente*. Tum excurrit in patriarchæ laudes, quem legati apostolici in exercitu Christiano, atque in Imperio Constantinopolitano munere decorauit d; ea tamen lege, vt ab illo obeundo abstineret, cum legatus a latere eo se contulisset; quo argumento ad archiepiscopos, episcopos, cæterosque ecclesiasticos literas exarauit. e

Pantaleo Iustinianus creatus patriarcha Constantinop.

a Lib. 11. ep. 26.

Venetos ad impe rium Cōstantinop. defendendum incitare iussus

b Ibid. ep. 29

c Lib. 10. ep. cur. 37.

d Lib. 10. ep. 816.

e Ibid. ep. 808.

IESV CHRISTI
Annus 1254.

INNOCENTII PP. IV. annus 12. VACAT IMP. OCCID. 4. BALDVINI II. IMP. 26.

1 Affulsit Ecclesiæ orientalium Tartarorum ad Christum conuersione, plurium schismaticorum ad illius gremium redeuntium pijs obsequijs, atque euangelij apud septentrionales nationes amplificatione felix annus a redempto humano genere millesimus ducentesimus supra quinquagesimum quartum indictione duodecima. Vtq; a Tartaris ducamus initium, Sattachus Tartarorum Rex diuino collustratus lumine, atque baptismalibus sacris ablutus Ioannem presbyterum ad Innocentium transmisit, vt supremum in terris Christi vicarium agnosceret. Quo ingenti gaudio delibutus Pontifex, Sattacho ipsi gratulatus est Christianam fidem, vnà cum principibus amplexum, omnes criminum sordes baptismo detersisse; paternique amoris notis insignibus literis a ad formandos ex diuina lege mores, sectandas virtutes, diuinam amplificandam gloriam, subditosque ad Christi cultum adducendos excitauit.

Sattach Tartarorū Rex Christianos ritus amplectitur.

a Lib. 12. ep. cur. 10.

Sattach illustri Regi Tartarorum.

2 Gratias & laudes agimus Deo Patri, omnium rerum visibilium & inuisibilium creatori, & vnico Filio eius coæterno sibi domino Iesu Christo redemptori, & saluatori hominum, toto nostræ mentis gaudio exultamus, quis sicut iam vniuerso mundo incipit prædicari ipse Deus Pater, in facie cordis tui vitæ spiraculum inspirauit, reuelans tibi lumen charitatis suæ, vt de speculo fidei, quo ad cognitionem inuisibilis gloriæ intellectus humani oculus illustratur, radium summæ veritatis accipias, quo ad veram, & præsentem scientiæ diuinæ certitudinem perducaris, immortalitatis & incorruptionis desiderabili munere fruiturus. Nec mirum si super illuminationis tuæ beneficio, quo de tenebris ignorantiæ, in quibus alieni a Dei veri notitia homines euanescunt, ad lumen veræ cognitionis adduceris. Applaudens tibi exultat humanitas, & fidelium Christi vniuersitas collætatur, cum non sit dubium in cælesti curia, incrementum ex modo receptura, non modicum de tua & tuorum conuersione creuisse gaudium angelorum, quibus, sicut dominus Iesus Christus Rex eorum, homo factus nunciauit hominibus, de reconciliatione pœnitentium nascitur in cælo lætitia principalis. Propterea cum dilectum filium Ioannem presbyterum capellanum tuum, latorem præsentium, quem ad nostram misisti præsentiam, nobis innotuit, quod tu cū nonnullis de populo tuo, relicto infidelitatis errore, veterem gentilitatis hominem in sacro Christiani baptismatis lauacro exuisti; & per fidem, & confessionem domini nostri Iesu Christi Filij Dei nouum induisti hominem, qui secundum Deum in iustitia, & sinceritate creatus ad immortalitatis & incorruptionis beatitudinem iugiter innouatur; repletum est os nostrum Dei laude festiua, & in spiritu nostro pro modulo imbecillitatis humanæ ineffabilem cum Angelis gaudij dulcedinem sensimus, quia coram Deo in libro vitæ scriptum legitur nomen tuum, & per libertatem gloriæ filiorum regni Dei hæres, & cohæres Christi Filij eius effici meruisti.

Gratulatoriæ ad eum Innocentij literæ.

3 Gaude igitur charissime fili, & non fatigetis assiduis laudibus diuinæ pietatis rememorari clementiam, quæ tantam benignitatis misericordiam tecum fecit, vt te ad lucem suam mirabilis inspirationis electione vocarit, ne per antiquos cæcitatis errores in æternas spiritualis mortis tenebras traheretis. Gaude, inquam, incessanter, & lauda, quod ex tumulo mortuorum, qui de tuba euangelij Christi non hausferunt audiendo & credendo vitæ spiritum, suscitatus rationabilem sensuum motum, quo in sanctam resurrectionem viuentium procedere valeas, recepisti. Ergo nos, quos licet immeritos idē dominus Iesus post Petrum Apostolorum principem, cui quidem in summo apostolatus tempore nostro successimus, tenere voluit super homines vices suas, collata nobis in eodem Apostolorum principe potestate super terram in cælo quodcumque ligandi pariter, & soluendi de omnipotentis Dei auctoritate confisi super te, tanquam charissimum in Christo filium nostrum, thesauros paternæ, ac apostolicæ benedictionis effundimus, vt fisa Deo, & nobis in secula benedictus; & in præsenti tempore augeatis spiritualium, & temporalium bonorum gratia; & in futuro seculo felicitatis æternæ præmio sublimeris.

Accepti beneficij magnitudinem ob oculos proponit.

4 Proficiat quoque tibi, nobis pro te Dominum exorantibus, susceptum Christianæ fidei sacramentum ad vberem meritorum gratiam promerendam, quod proculdubio tibi profuit ad plenam omnium tuo-

Apostolicam benevolentiam pollicetur.

tuorum indulgentiam peccatorum: & per quod tibi patuit aditus ad regnum æternum, per illud inuenias peruentionis introitum ad salutem. Eum siquidem concepimus erga te deuotionis affectum, quo afficitur in filio suo pater: immo tanto maiorem, quanto potentior, & affectuosior est spiritualis patris charitas, qua tibi vice Dei coniungimur, quam carnalis, qua quis ad tempus diligit filios carnis suæ. Ideoque fili amantissime nobis, in Domino tuam celsitudinem obsecramus, quatenus in fide, spe, ac dilectione Creatoris, & Saluatoris nostri, qui te vocauit in gratiam suam, suscepit ad misericordiam, elegit ad gloriam, per meditationem legis ipsius assiduam, & voluntariam disciplinam mãdatorum eius, studeas exerceri. Illa quæsumus scrutare solicitus, in illis versare quotidie, & in ipsis viarum Dei semitas inuestiga, vt per hæc qualiter te Deo placere oporteat eruditus, in potentias Dei, cum te de infirmitate mortalis corporis educi contigerit, inducaris. Verum quia, sicut docuit ex conscientia Dei diuinus apostolus Paulus, corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem, oportet, excellentissime princeps, vt susceptam Christi fidem claro confessionis præconio declarare studeas, & piæ actionis testimonio dilatare. Sumat igitur ex te rationabilis creaturæ multitudo, quam contines, Christianæ institutionis exemplar: & quia Saluator omnium dedit omnibus hominibus potestatem filios Dei fieri, credendo in nomine ipsius, qui neminē vult perire, largiendi ac recipiendi adoptionem filiorum huiusmodi per verbum euangelij omnes, te protegente, securam habeant libertatem; ita quod ad summam tibi copiosæ retributionis accrescat salutaris conuersio plurimorum. Sane præfati capellani tui mora prolixior excusationis legitimæ apud regalem clementiam debet esse tuta præsidio, quia dudum cum ad nos accederet, procurantibus, vt dicitur, quibusdam maleuolis, a quondam Conrado, nato quondam Friderici olim Romanorum Imperatoris, in regno Siciliæ captus fuit, & non nisi post mortem eiusdem Conradi libertati prosequendi itineris, suis tamen rebus & literis, quas afferebat, perditis, restitutus. *Dat. Anagniæ 10. kal. septemb. anno XI.*

Turcarũ sultanũ ad religionem Christianam inuitat Pontifex.

5 Disseminandæ apud alios Tartaros ac Turcas religionis Christianæ zelo pari incitatus, religiosos viros e Prædicatorum familia ad Turchiæ sultanum transmisit, quem apostolicis literis a vero numinis cultu imbuere contendit.

Nobili viro soldano Turchiæ Deum vnum colere & timere.

a Lib. 10. ep. cur. 28.

Deus creator omnium * ipsius sator & amator hominũ, qui neminem vult perire, cunctos, vt salui fiant, venire desiderat voluntarios ad suæ notitiã veritatis, quæ rationabiles creaturas spiritu immortalitatis instaurat. Eos enim, vt ipsis in se credentibus innotesceret, condidit, & illis capaces conditoris sui animas * diuinæ mentis imagine decoratas, proposito eis creaturarum visibilium speculo, creatoris innuente vestigium, quo ad perceptionem inuisibilium, quæ auctorem suum probant inuisibilem & æternum, intellectualis inquisitio conualescit. Ad liberandam autem hanc humanæ dignitatem naturæ ob peccatum originis, ignorantiæ tenebris & carnalium sensuum infectionibus inuolutam; vt hausto pristinæ lucis radio ad contemplationem veri Dei solutis errorum vinculis raperetur: per Vnigenitum suum, coæternum sibi, etiam maiestate potestatis æqualem, sine impassibilis & immortalis iniuria diuinitatis, passibilem, & mortalem hominem factum, misit in fine seculorum hominibus verbum vitæ per illud dans eis, qui a Dei gratia fuerant alienati, per culpam, filios Dei fieri potestatem, & ad vitam de morte transferri mortis legibus absolutam. Huius sane verbi ministerium idem Dei Filius multis videntibus in celum, vnde descenderat, vehiculo propriæ virtutis ascendens, non omnibus, sed præordinatis ad hoc hominibus, quos nouæ doctrinæ disciplinis imbuerat, delegauit: prælato cæteris vno, beato videlicet Petro, penes quem in dispensatione cælestis gratiæ summa præ hominibus, diuinæ potestatis auctoritas resideret. Cui nos longa intercedentium patrum series, secundum diuinæ dispositionis ordinem, subdidit paris potestatis, licet imparis meriti, successores.

* ipsorum

* infudit

Augustissima illius mysteria proponit.

Viros religiosos ad eum transmittit.

Iniunctum itaque principaliter diuinitus nobis cælestis verbi præconium, quo ad cognoscendum solum verum Deum, & quem misit Filium suum vnicum dominum Iesum Christum, non debet aures tuas, ac tibi subditæ multitudinis præterire: cuius sonus, Ecclesia Romana, cui præsumus, prædicante, quam idem Iesus in seipso fundauit in secula, & primitiuorum prophetarum, & Apostolorum fundamentis originalibus stabiliuit; exijt in omnes terminos orbis terræ, quo sepulti peccato, spiritus ad vitam, quæ in Deo cum Christo est abscondita, suscitantur. Hinc est quod nos tuam, tuorumque salutem, in quibus conceptum de Deo rectæ fidei semen, copiosam, vt credimus, filiorum Dei reperiet genituram, totis desideriorum viribus affectantes, dilectos filios fratres ordinis Prædicatorum, viros in Dei lege peritos latores præsentium ad tuam nobilitatem destinamus: in quibus diuinus Spiritus pias aures omnem docebit de Deo, eiusque iustitia, & futuro seculo veritatem; rogantes attentius, & pro animæ tuæ commodo deposcentes, quatenus fratres ipsos in Dei nomine benigne suscipiens, & charitatiue pertractans, in tuo dominio eos viuere patiaris, vt Deo viuo patri spirituum per æternæ vitæ verba, quæ continent, in te pariter, & in tuis; nec non & in alijs nationibus, ad quas, iuxta nostræ missionis debitum, procedere sub tuo conductu voluerint; fructum possint proficere animarum: & ob hoc ipse cæli Deus, creator tuus, tibi recta fide veraciter, ipsis aperientibus, innotescens, pietati tuæ immortalitatis gloriam, & felicitatis gratiam, quæ nisi per ipsum & ab ipso non prouenit, largiatur. *Dat. Later. XIV. kal. martij ann. XI.*]

Georgiæ præsulibus ipsos commendat.

a lib. ep. 29

6 Cum euangelici illi præcones per Georgianorum, qui religione Christiana exculti erant, terras iter habituri essent, ipsos Pontifex Georgiæ antistitibus, ac viris ecclesiasticis commendauit a: *Vniuersos*, inquit, *vos rogamus attentius, & hortamur, in remissionem vobis peccatorum iniungentes, quatenus fratres ipsos pro diuina & nostra reuerentia benigne recipientes, & charitatiue pertractantes, faciatis eisdem in vita necessarijs, & de securo conductu, cum oportuerit, prouideri.* Hæc Pontifex. Præterea vt aduersus septentrionales Tartaros, qui Christianis bellum inferebant, crucem promulgari iusserit, dicetur inferius. nunc alia quæ ad amplificatam hoc anno fidem spectant; adiungimus. Accessisse hoc anno nonnullos Græcos proceres ad sedem Apostolicam, vt catholicis dogmatibus imbuerentur, tradit Parisius b, quos grauem de processione Spiritus sancti disceptationem proposuisse ait: demum post illustratam multis argumentis veritatem, orthodoxa fide informatos Pontificis Romani obsequio se demisisse, ac maximis muneribus vestibusque pretiosissimis ab Innocentio decoratos. Et sane Pontificem, vt eos ad Rom. Ecclesiæ coniunctionem pelliceret, studium collocasse atque ipsis in ijs, quæ cum fide, & bonis moribus non pugnarent, se accommodasse ex eius literis c ad Tusculanum episcopum A.S.L. colligitur: in quibus ardens antiqui schismatis abolendi desiderium explicuit, ac nonnullas controuersias, quas Græci, & Latini magna animorum contentione ventilabant, diremit. Quæ, cum plura ad fidem

b Par. hist. Angl. hoc ann.

Nonnulli proceres Græci schisma abiurant.

c Lib. 11. ep. 495. 101.

Inter Græcos Cypri incolas & Latinos controuersias dirimit Innocentius.

ac

ac morum honestatem spectantia contineant, in medium adducenda visa sunt. a

a Rad. ep. 351. quae extat in bullar. in Innoc. IV.

Innocentius &c. Episcopo Tusculano A, S, L.

Sic deliberatio nostra resedit, vt Graeci eiusdem Regni in vnctionibus, quae circa baptismum fiunt, morem Ecclesiae Romanae teneant, & obseruent. Ritus vero, seu consuetudo, quam habere dicuntur vngendi per totum baptizandorum corpora, si tolli sine scandalo, vel remoueri non potest, cum siue fiat, siue non, quantum ad baptismi efficaciam, vel effectum non multum referat, toleretur. Nec refert etiam vtrum in frigida, vel calida aqua baptizent; cum parem vim & effectum in vtrumque baptismum habere asseuerare dicantur. Soli autem episcopi consignent chrismate in frontibus baptizatos, quia huiusmodi vnctio non debet nisi per episcopos exhiberi; quoniam soli Apostoli, quorum vicem gerunt episcopi, per manus impositionem, quam confirmatio, vel frontis chrismatio repraesentat, Spiritum sanctum tribuisse leguntur. Singuli quoque episcopi in suis ecclesijs in die coenae Domini possunt secundum formam Ecclesiae chrisma conficere, ex balsamo quidem, & oleo oliuarum; nam Spiritus sancti donum in chrismatis vnctione confertur, & columba vtique quae ipsum designat spiritum, oliuae ramum ad arcam legitur retulisse. Sed si suum antiquum ritum in hoc Graeci potius seruare voluerint, videlicet quod patriarcha vna cum archiepiscopis, & episcopis eius suffraganeis, & archiepiscopi cum suffraganeis suis simul chrisma conficiant, in tali eorum consuetudine tolerentur. Nullis autem per sacerdotes, vel confessores pro satisfactione poenitentiae vnctio aliqua solummodo iniungatur. Infirmis vero iuxta verbum Iacobi Apostoli vnctio exhibeatur extrema. Porro in appositione aquae siue frigidae siue calidae, vel tepidae in altaris sacrificio, suam si velint consuetudinem Graeci sequantur, dummodo credant & asseuerent quod seruata canonis forma conficiatur pariter de vtraque.

De sacramento baptismi.

Sacramentum confirmationis a solis episcopis conferendum.

Chrisma ab ijs conficiendum ex balsamo & oleo.

Vt patriarcha cum episcopis illud conficeret permittitur.

Vnctione extrema infirmi liniendi.

Aqua in sacrificio miscenda cum vino.

8 Sanctam Eucharistiam in die coenae Domini consecratam vsque ad annum praetextu infirmorum, vt de illa videlicet ipsos communicent, non reseruent. Liceat tamen eis pro infirmis ipsis corpus Christi conficere, ac per xv. dies, & non longiore temporis spatio conseruare, ne per diuturnam ipsius reseruationem, alteratis forsitan speciebus, reddatur minus habile ad sumendum: licet eius veritas, & efficacia semper eadem omnino remaneat, nec vlla vnquam diuturnitate, seu volubilitate temporis euanescat. In celebratione vero solemnium, & aliarum missarum, & de hora celebrandi eas, dummodo in confectione, vel consecratione formam verborum a Domino expressam, & traditam obseruent, & celebrando non transgrediantur horam nonam, suam sequi consuetudinem permittantur. Sacerdotes autem dicant horas canonicas more suo: sed missam celebrare prius quam officium matutinale compleuerint, non praesumant. Promouendi vero ad sacerdotium, & presbyteri, qui praeficiendi fuerint ecclesiarum regimini, examinentur antea diligenter; si praecipue de horis canonicis, & missarum officijs secundum distinctionem temporum exequendis sint sufficienter instructi, vt ad haec non nisi digni & idonei admittantur. Caeterum vnusquisque sacerdos in aureo, vel argenteo solum, aut saltem stagneo calice sacrificet, habens corporale de lino candidum, & nitidum, & altare mundis vestimentis opertum, vel decentibus paramentis. Mulieres autem seruire ad altare non audeant: sed ab illius ministerio repellantur omnino. De ieiunio vero diei sabbati quadragesimali tempore; quamquam honestius, & salubrius Graeci agerent, si sic toto illo tempore abstinerent, vt nec vnico die institutum ieiunium violarent; teneant & seruent pro libito morem suum.

Eucharistia vltra dies quindecim no conseruanda.

Missa ante officium matutinum non perfectum non celebranda.

Foeminae ab altaris ministerio abigendae.

Permittitur Graecis die sabbati in quadragesima non ieiunare.

9 Sacerdotes quoque coniugati, & alij, quibus parochiarum cura, vel ecclesiarum parochialium regimen per episcopos suos committitur, licite ac libere possint parochianorum suorum confessiones audire, ipsisque poenitentiam iniungere pro peccatis: quia cui licet vel conceditur quod est maius, competit nimirum, nec negari conuenit quod est minus. Liberum tamen sit ipsis episcopis viros alios idoneos coadiutores, & cooperatores habere in audiendis confessionibus, & poenitentijs iniungendis ac caeteris quae ad salutem pertinent animarum; ipsisque in ijs per eorum dioeceses, absque sacerdorum ipsorum praeiudicio, & grauamine committere vices suas: cum propter occupationes multiplices, & occasiones varias possit contingere, quod nequeant per easdem dioeceses officium suum exequi per seipsos. De fornicatione autem, quam solutus cum soluta committit; quin sit mortale peccatum, non est aliquatenus ambigendum: cum tam fornicarios, quam adulteros a regno Dei Apostolus asserat alienos. Ad haec volumus, & expresse praecipimus, quod episcopi Graeci septem ordines secundum morem Ecclesiae Rom. de caetero conferant, cum hucusque tres de minoribus circa ordinandos neglexisse, vel praetermisisse dicantur. Illi tamen, qui iam sunt taliter ordinati per eos, propter nimiam ipsorum multitudinem in sic susceptis ordinibus tolerentur.

Coniugatis sacerdotibus confessiones audire.

Fornicatio soluti cum soluta noxa letalis ex Apostolo definitur.

Toleratur in sacerdotibus ob multitudinem quibus tres minores ordines non fuisse pere.

10 Quia vero secundum Apostolum mulier, mortuo viro ab ipsius est lege soluta, vt nubendi cui velit in Domino liberam habeat facultatem; secundas & tertias, ac vlteriores etiam nuptias Graeci non reprehendant aliquatenus, nec condemnent: sed potius illas approbent inter personas, quae alias licite adinuicem matrimonio iungi possunt: secundo tamen nubentes, presbyteri nullatenus benedicant. Et quoniam apud eos consueuerunt contrahi matrimonia inter personas contingentes se iuxta eorum computationem octauo gradu, qui secundum computationem & distinctionem graduum, quam nos facimus, apud nos quartus habetur, ne id praesumant deinceps firmiter prohibemus, districte praecipientes, vt cum in vlterioribus gradibus licite matrimonia contrahantur, in praedicto quarto consanguinitatis, vel affinitatis gradu copulari vlterius non praesumant; statutum in hoc generalis concilij obseruantes. Illos tamen qui iam in gradu huiusmodi contraxerunt, dispensatiue permittimus in sic contracto matrimonio remanere.

Viduis secundae & vlteriores nuptiae permittendae.

11 Denique cum veritas in euangelio asserat, quod si quis in Spiritum sanctum blasphemiam dixerit, neque in hoc seculo, neque in futuro dimittetur ei, per quod datur intelligi quasdam culpas in praesenti, quasdam vero in futuro posse seculo relaxari; & Apostolus dicat, quod vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit, & cuius opus arserit detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem; & ipsi Graeci vere ac indubitanter credere, ac affirmare dicantur, animas illorum, qui suscepta poenitentia, ea non peracta, vel qui sine mortali peccato cum venialibus tamen, & minutis decedunt, purgari post mortem, & posse suffragijs Ecclesiae adiuuari; nos, quia locum purgationis huius dicunt non fuisse sibi ab eorum doctoribus certo & proprio nomine indicatum; illum quidem iuxta traditiones, & auctoritates sanctorum patrum Purgatorium nominantes, volumus quod de caetero apud ipsos isto nomine appelletur. Illo enim transitorio igne peccata vtique non tamen criminalia, seu capitalia, quae prius per poenitentiam non fuere remissa, sed parua & minuta purgantur, quae post mortem etiam grauant, si in vita non fuerint relaxata. Si quis autem absque poenitentia in peccato mortali decedit, hic proculdubio aeternae gehennae ardoribus perpetuo cruciatur.

De purgatorij poenis quibus leuiora animarum crimina expiantur veritas catholica explanatur.

Ani-

Animæ vero paruulorum post baptismi lauacrum, & adultorum etiam in Christianitate decedentium, qui nec peccato, nec ad satisfactionem aliquam pro ipso tenentur, ad patriam protinus transuolant sempiternam. Ordinationes demum, & instituta regularia sanctorum patrum de vita, & statu monachorum præcipimus ab abbatibus, & monachis Græcis inuiolabiliter obseruari, &c. *Dat. Lat. 11. non. mart. an. x1.*] Hactenus Pontifex ad Cypriorum Græcorum controuersias decidendas, discutiendosque errores. Cum vero hoc anno amplificatam barbararum gentium, atque schismaticorum conuersione Ecclesiam viderimus, nonnulla hic de pluribus Sarracenis a S. Ludouico ad Christum pellectis videntur delibanda.

De monastica disciplina.

12 Explicuisse S. Regem in tam præclaro opere eximium zelum, dum in Syria consistebat, testatur Gaufridus, qui cæteris egregijs illius facinoribus hoc adijcit a: *Insuper in mora illius spatio Sarraceni multi ad ipsum pro Christianitate suscipienda venerũt, quos gaudenter recipiebat & baptizari faciebat; & in fide Christi instrui diligẽter: & eos in omnibus proprijs sumptibus sustentabat, & in Franciam secum adduxit, & ipsis & vxoribus ac pueris eorum, quandiu viuerent, prouisionem assignauit: sclauos & multos Sarracenos, siue gentiles de proprio emi fecit & baptizari, & prouisionem eis similiter assignauit.* His consentit Parisius, dum infideles plures virtutum S. Ludouici splendore perculsos, exuta Mahometica superstitione, Christianorum numero se aggregasse scribit b: *Hac fuit,* inquit, *eorum causa conuersionis: viderant vtique Regem miraculose a manibus potentissimi Babylonia soldani liberatum, & ipsum soldanum illico post captionem trucidatum. Viderant insuper maximam Regis in aduersitate patientiam, in proposito inflexibilem constantiam: nam post suam captionem in Terra sancta moram adhuc continuauit, castra firmauit, ciuitates contra Domini sui hostes communiuit. Viderant praterea fidei sua firmitatem, quod sicut Iob in tot aduersis labijs non peccauit. Caterum considerabant, quod pro amore domini Dei sui Iesu Christi dulce regnũ Francia deseruerat, se maris, ventorum, & bellorum, & alienorum ac remotorum regnorum periculis & bellatorum expositurus, & pro animabus infidelium lucrandis omnem operam impensurus: quod nulla modo posset fecisse sine numinis adminiculo, & diuina maiestatis consolatione.*

Eximium S. Ludouici studium in conuertendis infidelibus.
a Gaufr. a Belloloco in vit. S. Lud. c. 27.
b Par. hist. Angl. hoc ann.
Quæ causæ plures barbaros ad Christiana sacra amplectenda permouerint.

13 Excitum porro pijssimum Regem Ludouicum e Terra sancta, cui defendendæ contra infidelium conatus vitam addicere decreuerat, magna Francorum procerum contentione reditum hoc anno maturasse scribunt c, auctores, eum post Blancæ Reginæ ipsius matris, prudentissimæ fœminæ, quæ regnum moderabatur, obitum magna bellorum discrimina ex Henrico Angliæ Rege, qui in Aquitania versabatur, atque a Vuillelmo Rege Romanorum imminerent: ac Flandria vectigalis regni Francorum prouincia sub Margaretæ comitissæ administratione periclitaretur. Exarserat enim inter comitissæ filios ex Bochardo de Auenis, atque alios ex Guillelmo Dompetra secundis nuptijs susceptos de principatus successione bellum atrox. In quo Vuillelmus Romanorum Rex, qui prioris illegitimi matrimonij filiorum partes amplexus erat, cruentissimo prælio Margaretam ac Francos fuderat. De his agunt Nangius d, Parisius e, Meyerus f, & alij. Describit sanctissimi Regis, qui nisi magno dolore a terra illa Christi Domini sanguine olim imbuta & consecrata diuelli potuit; reditum Gaufridus a Belloloco, & ex eo Nangius & alij, vtque mare conscensurus ex magno, quo erga sanctissimum sacramentum pietatis sensu erat deliburus, ab Odone Tusculano episcopo A.S.L. obtinuerit, vt in altari eleganti cultu adornato, ad ipsius atque aliorum piorum preces ac venerationem excipiendas, exponeretur;

Cur in Galliam reditum maturarit S. Lud.
c Gaufr. a Belloloco in vita S. Lud. c. 28. Paris. hist. Angl. hoc ann. Nang. de gest. S. Lud. Frah. Bag. Bern. chr. R. m. Pont. Chr. Cont. mar. con. ap. & alij.
d Nangius de gestis S. Lu. 19.
e Par. hist. Angl. hoc ann.
f Meyer. in annal. Fland. & alij.

14 *Nauem ascensurus ex deuotione sua,* inquit Gaufridus a, *fecit poni in naui corpus Domini Iesu Christi pro communicandis infirmis, ac pro seipso, & suis, quando sibi expediens videretur, Et quia alij peregrini, quantumcumque magni, hoc facere non solebant, obtinuit super hoc a domino legato licentiam specialem. Hunc autem sacrum thesaurum in loco nauis dignissimo & conuenientissimo fecit poni, & pretiosum tabernaculum ibi erigi, pannisque sericis, & aureis operiri. Fecit insuper ibidem altare collocari, & decenter ornari, vbi quotidie diuinum officium solemniter audiebat, videlicet omnes horas canonicas, & prater canonem, qua pertinebant ad missam sacerdote et ministris sacris vestibus indutis secundum quod congruebat, dies. Diligens erat valde circa infirmos, quod haberent necessaria, secundum quod eorum infirmitas exigebat, scilicet sacram communionem, & vnctionem extremam. Mortuis vero debitas exequias a capellanis suis exhiberi faciebat:* Subdit auctor b, vt sanctus Rex firmissima illa spe, quam in Christo itineris duce, collocarat delusus non fuerit, ac precibus suis e periculo grauissimo, vnà cum omnibus vectoribus, sit ereptus.

a Gaufr. a Belloloco in vita S. Lud. c. 29.
Obtinet a legato vt in naui regia sanctissimum Sacramentũ exponatur.
b Id. ib. c. 30.

15 *Dum prope Cyprum essemus, nauis subito impegit in rupem, siue in lingulam terra, vel arena induratam quasi in lapidem. rupes illa siue lingula procul protendebatur in mari. Vbi igitur aura impulsione nauis fortiter est collisa, clamantibus cunctis & eiulantibus, & vere astimantibus, quod nauis esset in fundo sentina quassata, nauta quasi penitus desperabant, quarentes quid agere, vel qualiter se habere deberent. Rex autem catholicus, fidem & spem in Deo concipiens, intellecto periculo, quasi corporis sui oblitus, necnon vxoris sua Margareta Regina, ac liberorum suorum, qui prope ipsum, quasi consternati iacebant; concitus ad orationem ante altare, & coram sacro corpore Christi, ac sanctis reliquijs deuote prostratus humiliter exorabat, vt omnipotens Deus prasenti periculo subueniret: & credere debemus, quod meritis eius & precibus diuina pietas nauem, & ea qua in ea erant, a naufragio liberauit, cum de simili periculo vix dua de centum nauibus euasissent. Nam nauis fortitudine sua, siue potius virtute diuina rupem siue lingulam illam rupit, & viam per medium sibi fecit. Nauta igitur, accenso lumine, sentinam nauis scrutantes, & nullam nauis lasuram inuenientes, securi a periculo anchoras submiserunt diem expectantes. Mane facto, Rex fidei plenus reuersus est secreto ante altare, prostratusque deuotas gratias retulit super tanto, & tam mirabili beneficio sibi & suis exhibito ab omnium Saluatore. Sacerdotes autem, qui adhuc circa altare in lectis quiescebant, excitati, & videntes Regem in oratione deuote prostratum, stupuerunt: sed ipse eis veritatem humiliter recognouit.*

E magno naufragij periculo diuinitus euadit.
Illius pietas in gratijs Deo agendis.

16 Agit fusius de ijsdem Iouuillæus c, ac subdit paulo post asperiorem tempestatem in mari concitatam, ac Reginam Margaretam ipsius consilio argenteam nauim B. Nicolai templo appensurã vouisse, ipsumq; illud nudis pedibus aditurum se deuinxisse, ac breui serenitatem adductam: & tum S. Regẽ proceres suos, sumpta e periculo occasione, ad pietatem erudijsse, cæleste nimirum numen suam ipsis potentiam aperte explicuisse, cum leui aura Regem, Reginam, prolem regiam, totque alios strenuos viros vndis mergere potuisset: adiecisseque, cum huiusmodi aduersi casus, vel ægritudines acciderent, sanctissimos viros vsurpare eam sententiam solitos, cælestes tum minas incuti, & quodammodo nobis Deũ huiusmodi verba insinuare; Nonne vos haurire fluctibus ac perdere, si libuisset, potui? atque adeo excutiendos mox omnes conscientiæ sinus, ac si quid diuinæ maiestatis oculos læserit, lacrymis delendum, atque ita diuinam beneuolentiam conciliatum iri: si vero contraria egerimus, ipsum postquam frequentibus minis percule-

c Iouuil. in hist. S. Lud. par. 2.
Pia eiusdẽ ad proceres monita.

auerit, ingenti nos aliquo malo obruturum, ac detrudi ad inferos permissurum. Vsurpasse etiam hanc ex Iob sententiam: *Domine, vt quid terrores ingeris? si enim funditus nos perdideris, non propterea egentior, at si nos ad te pellexeris, non locupletior ac potentior fueris.* e quibus S. Rex cæleste numen minas ex singulari in nos amore, ac nostri non sui commodi gratia intentare; vt perspicue crimina nostra contemplemur, & quæ ingrata ipsi fuerint, ex animis eijciamus: hoc enim summum opus humanæque sapientiæ fastigium futurum.

Miles in mare lapsus in vndis a B. Virgine sustentatus.

17 Subiungit Ionuillæus ingens miraculum suis oculis conspexisse, equitem nimirum e naui prænobilis Prouincialis, Argonij nomine, fugiente gressu in vndas excidisse; cumque ventus impleret vela, ac nauicula ad eum excipiendum deesset, in extremo discrimine destitutum; tum conspectum ab ijs, qui in regia naui erant vno milliari & amplius longe ab ea, e qua lapsus erat, distitum; nec tamen vllo modo brachia pedesue agitantem, sed immobilem hærere: cumque propius ad eum accessissent, ex vndis eripuisse; illum vero exceptum nauis casus seriem exposuisse; interrogatumque cur nec ad nandum brachia commouisset, nec auxilium nautarum implorasset, subiecisse, se dum præceps ruebat B. Virginem inclamasse, illamque ipsum humeris in aquis, dum regia nauis accesserat, sustinuisse.

a Gaufr. a Bello loco in vita S. Lud. c. 23.

Nautas excitat S. Lud. ad expiandam confessione conscientiam.

18 Prætereundum hic non videtur, quod refert Gaufridus a e Bello loco, pijssimum Regem summam nautarum curam suscepisse, vt dum mare tranquillum arridebat, doctrina Christiana imbuerentur, atque hæc de illius, in ijs ad sacram exomologesim adducendis, studio affert: *Voluit insuper, quod nautæ prædicti singuli confiterentur sacerdotibus ad hoc electis: & ad hoc ipsemet ore suo exhortationem fecit eisdem valde salutarem & efficacem, persuadens ipsis & exprimens, quam frequenter essent in mortis periculo propter maris discrimina repentina. Inter cætera autem dixit eis verbum notabile & memoria dignum; videlicet quod si interim, dum vnus nautarum confitetur peccata sua, nauis officio suo forsitan indigeret, Ego, inquit Rex, libenter manum meam apponam, siue ad chordam trahendam, siue ad aliquid aliud faciendum. Nec fuit inanis ipsius exhortatio: nam nonnulli nautæ tunc fuerunt confessi, qui per annos plurimos nunquam confessi fuerant.*

Notanda illius vox.

Appellit in Gallias.

19 Appulit demum Ludouicus saluus & incolumis in Gallias, ac peragrato regno Lutetiam peruenit, vbi S. Dionysij Gallorum patroni sepulchrum pretiosis donis exornauit. His addit Parisius S. Regem crucem, veluti perfecta expeditione, non exuisse, vt qui susceptum vindicandæ e Sarracenorum manibus Syriæ consilium non abiecisset; sed præsentibus periculis coactus intermisisset: propulsata vero diuina ope atque ipsius præsentia omnia pericula, quorum terror Gallijs impendebat. Vuillelmus enim Romanorum Rex postea a Frisijs cæsus occubuit, atque Henricus Anglorum Rex a nouandis rebus sibi temperauit, qui cum reditum in Angliam appararet; atque ancipitea periculorum maris æstus pertimesceret, a S. Ludouico flagitauit, vt terrestri itinere Gallias peragrare liceret: cuius votis pius Rex nõ modo obsecutus, venientẽ magnificentissima etiam pompa excepit. Subdit auctor grauissimam sancti Ludouici sententiam, qui dum in familiari sermone cum Henrico de initis a se periculis ac perlatis ad diuinam proferendam gloriam in Asia, ac Ægypto laboribus loqueretur, qua fortitudine animi aduersos casus excepisset, prorumpens in hæc pijssima verba significauit: *Si omnia mihi euenerunt aduersa, grates tibi refero Altissime; reuersus autem ad meipsum, & ad cor meum regressus & ingressus, plus gaudeo de patientia quam mihi Dominus per sui gratiam concessit, quam si totus mihi mundus subderetur.*

Crucem non exuit.

Singularis illius patientia.

a Gaufr. a bello loco in vit. S. Lud. c. 31.

Exempla virtutum omnium explicat.

20 At non constantiæ modo, sed virtutum etiam cæterarum exemplo omnibus præluxisse describit his verbis Gaufridus a: *Postquam in Franciam feliciter est reuersus, quam deuote ad Deum, quam iuste ad subditos, quam misericorditer ad afflictos; quamque humiliter se gesserit ad seipsum, denique quantum pro viribus in omni virtutum genere proficere studuerit, testes sunt, qui ipsius conuersationem diligenter viderunt. Ita quod secundum iudicium discretorum quanto aurum pretiosius est argento, tanto conuersatio ipsius sancta & noua, quam de Terra sancta itinere reportauit, conuersationi pristinæ præeminebat: quamuis status iuuentutis suæ semper bonus & innocens, at commendabilis multum extitit.* His consentientia scribit Ionuillæus b, qui de contempto ab illo fastu regio, calcatis delitijs, suauitate morum, in pauperes misericordia refert post reditum a peregrinatione Asiatica nunquam eleganti cultu, vestibusque viridis coloris, nec purpura, nec calcaribus, aut stapetibus aureis vsum: in victu fuisse temperantissimum: nullum vnquam de lautis cibis apponendis instruendisque gulæ lenocinijs verbum fecisse: vinum multa aqua diluisse: vt plurimum pauperes a tergo mensæ assidere iussisse, quibus cibos transmittebat, ac postea eleemosynas erogabat: sublata vero mensa sacerdotes ad gratias Deo persoluendas adhibere consueuisse.

b Ionuil. in hist. S. Lud. 2. p.

De eius modestia.

Beneuolẽtia in pauperes.

Regni statum componit.

21 Incubuisse vero strenue componendo regni statui, qui dum abesset, improborum temeritati, ac magistratuum effrænata licentia nõ parum labefactatus erat, vt Nangius c scribit: qui etiam latas ab eo ad coercendam regiorum præfectorum audaciam leges affert, e quibus colligitur ipsum libertatem ecclesiasticam, quam eius administri afflixerant, suo splendori restituisse. Et quidem cum ad frænandos proceres regiosque administros Innocentius, illius in suum decus vindicandæ cupidus, constitutionem Honorij, qua in omnes anathematis sentẽtia lata erat, qui leges contra ecclesiasticorum iura dignitatemue edidissent, renouasset; edixissetque, vt in publicis episcoporum conuentibus, ac prouincijs latam sententiam in legum improbarum conditores, scriptores, & obseruatores promulgarent; S. Rex sedandi illius tumultus, atque ecclesiasticæ libertatis restituendæ cupidissimus, ex ea dissensione non leuem dolorem percepit; significauitque Innocentio nil se magis mente animoq; versare, quam vt iura ecclesiastica in suum decus assererentur. Quo responso placatus Pontifex literis encyclicis omnibus Galliarũ archiepiscopis, & episcopis partes hoc ineunte anno dedit, vt latam anathematis sententiam reuocarent. d

c Nang. in gestis S. Lud.

d Lib. 11. ep. 360.

Archiepiscopis & episcopis per regnum Franciæ constitutis.

22 Grauem dudum ad sedem Apostolicam Gallicana ecclesia vniuersaliter querimoniam deferente, quod maligna quorundam improbitas, & audacia improba malignorũ, postquam charissimus in Christo filius noster Rex Francorum illustris ad terræ Hierusalem transfretauit subsidium, ecclesias & personas ecclesiasticas, quantum in eis erat, libertate subuersa deprimere, ac deijcere quarundam consuetudinum, quinimmo abusionum potius, & statutorum prætextu, quæ de nouo minus prouide fecerant in diuini nominis iniuriam, ac derogationem non solum Gallicanæ, sed & vniuersalis Ecclesiæ depressionẽ non modicam, nequiter conarentur; nos ab huiusmodi clamosa conculcatione querelæ auditum auertere, vel ipsam dissimulare aliquatenus non valentes; præsertim quia si suffragaretur ijs veritas, quam huiusmodi deferebat querela, erectus in regno Franciæ videretur nutare solidus catholicæ fidei paries in grauissimum dispendium libertatis eiusdem; talitumque volentes, prout nostra interesse videtur ex commissi nobis apostolatus officio, prauis conatibus refragari; bonæ

memo-

memoriæ H. Papæ prædecessoris nostri inhærendo vestigijs, excommunicationis sententiæ per literas subiecimus omnes illos, qui de cætero seruari facerent statuta edita in regno prædicto, vsus, & consuetudines introductas contra ecclesiasticam libertatem, nisi ea de capitularibus suis infra duos menses post illius publicationem sententiæ, nullatenus resumenda vlterius, facerent amoueri: nihilominus eiusdem excommunicationis vinculo innodantes statutarios, & scriptores statutorum ipsorum; necnon dominos potestates, & consules, rectores, & consiliarios locorum, vbi de cetero huiusmodi statuta, vsus, & cõsuetudines fierent, vel etiam seruarentur: ac illos etiam, qui secundum ea iudicare præsumerent, vel in publicam formam scribere indicata.

23 Ad repressionem quoque insolentiæ prædictorum, & coerctionẽ audaciæ detestabilis, prouidentes, districte vobis in virtute obedientiæ nostris duximus literis inter alia iniungendum, vt cum prosanctuario Domini, ne in conculcationem veniret, oporteret vos, deceretque prædictæ libertatis propugnatores esse constantes, sicq; resistere viriliter ascendentibus ex aduerso; quatenus Ecclesia Dei aduersus exteriores insultus muros fortitudinis vos habere probaretur, non parietes inclinatos; prædictam excommunicationis sententiam tam in prouincialibus cõcilijs, & episcopalibus synodis, quam alibi per vestras ciuitates & diœceses solemniter publicare, ipsamque contra eos, qui in edictum præfati prædecessoris nostri committerent, obseruare inuiolabiliter curaretis, & faceretis vsque ad satisfactionem plenariam obseruari, contradictores, &c. Cæterum, sicut nuper ad audientiam nostram peruenit, mandatum apostolicum, super præmissis vobis directum, præfatum Regem, postquam eidem innotuit, plurimum contristauit; pro eo quod inter cuncta, quæ sibi accidere possunt ad cumulum salutis & famæ, suis præcipue affectibus est votiuum, vt libertatis Ecclesiæ fauor, & ecclesiarum ac personarum ecclesiasticarum tranquillitas, & integritas iurium & bonorum ad ipsas spectantium inconcussa seruentur, semperque in regno vigeant memorato; & si talia circa præmissa committerentur interdum a suis officialibus, & ballitiis, nequaquam postquam ad sui perferrentur notitiam, eadem regalis sustinere posset æquitas incorrecta: propter quod ex parte regia petitum extitit, vt regali super hoc deferre honori; & ne prædicti ballitii & alij huius auctoritate mandari, ipso in partibus Hierosolymitanis agente vexentur, adhibere apostolicæ prouisionis remedium curaremus. Volentes igitur regijs concurrere precibus in hac parte, vniuersis vobis mandamus quatenus per præmissas literas contra officiales & balliuos Regis præfati nullatenus procedatis. Nos enim, si quid per vos ipsorum fuerit auctoritate præsumptum, irritum decernimus & inane. *Dat. Laterani id. ianuarij anno XI.*] Restitutam in pristinum decus non multo post libertatem ecclesiasticam ex sancti Regis æquitate, & in numinis ministros propensione, ambigendum non videtur. sed de Gallicis rebus satis, ad Hispanicas digrediamur.

Alphõsus expeditionem in Africam cogitat.

24 Meditabatur per id tempus expeditionem aduersus Sarracenos Africæ Alphonsus Rex Castellæ ac Legionis: cuius præclara consilia vt efferret Innocentius, a sacris concionatoribus classicum in barbaros cani, & Christianam iuuentutem ad crucem induendam excitari iussit: quam vt prærogatiuis ad id pelliceret, inter cæteras clientela apostolica ornauit a; *Cum contra Sarracenos de Africa crucem per Hispaniam mandauerimus prædicari, nos personas & bona crucesignatorum, qui ad partes illas cum charissimo in Christo filio nostro Rege Castellæ ac Legionis illustri, vel eius vicario transfretabunt, ex quo crucem assumpserint, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus; statuentes, vt donec de ipsorum reditu, vel obitu certissime cognoscatur, integra & quieta maneant; necnon sub archiepiscoporum, episcoporum, & omnium prælatorum Ecclesiæ Dei defensione consistant, &c. Datum Anagniæ XI. non. aug. anno XI.* Gratulatus vero est alijs literis a Alphonso sacro illi bello accepta cruce se deuouisse: atque ad trahendos ad illius signa viros ecclesiasticos, concessit b, vt sacerdotiorum vectigalibus, dum in eo bello versabantur, potiri possent. Cæterũ Alphõsum, cum Eduardo Henrici Anglorum Regis maiori natu filio, tradita illi in vxorẽ Alienora sorore affinitatẽ iniunxisse, cinguloq; donasse militari, tradit Parisius.

a Lib. 12. ep. 128.

Propositæ illius signa secuturis indulgẽtiæ.

a Lib. 11. ep. 640.

b Ibid. ep. 641.

25 Ornauit Pontifex apostolica clientela Theobaldum c Nauarræ, & Iacobum d Aragoniæ Reges, quos hoc anno arctissimum inter se fœdus percussisse, atque armorum societatem sanxisse scribit Surita e. Cæterum incubuisse Iacobo grauissimi in Mauros, qui in Valentino regno considebant, belli molem addit auctor: ac Regem, Alasdraci Sarracenorum principis cõiuratione detecta, infideles omnes regno eijcere meditatum, & cognito illius consilio barbaros ex desperatione collectis animis, atque in rabiem efferatos bellum crudele mouisse; demum Iacobi bellicum robur veritos, in eas leges consensisse, vt saluis rebus regno excederent: illorum porro numerum, qui bello idonei forent, fœminis ac pueris exceptis, ad sexaginta millia hominum ascendisse; seque in Granatense regnum & alias Sarracenorum terras recepisse. Hæc de Hispanicis rebus suffecerint, ad septentrionales iam nos conferamus.

Nauarræ & Arag. Reges in clientelã Apost. suscepti.

c Lib. 11. ep. 705.

d Lib. 12. ep. 217.

e Surita l. 3. ann. c. 49. & d. l. cap 50.

Mauri Valentino regno ab Rege Aragõ. cædũ.

26 Procurandæ animarum salutis studio Innocẽtius cum accepisset prouinciam inter Russiam & ducatum Cracouiæ interiectam, Lvvcou vulgo dictam, Cracouiensis episcopi auctoritati obnoxiam, ob nemorum interiacentium densitatem, viarumque discrimina pastorum præsidio, quibus fide Christiana excolerentur, destitutam, in fide periclitari, abbati e Mezzano Apost. S. L. partes demandauit f, vt episcopum Cracouiensem ad mittendos viros pietate & doctrina conspicuos pro excolendis Christiana religione populis impelleret: *Ad audientiam nostram peruenit, quod inter Russiam, & ducatum Cracouiæ, quædam existit prouincia, quæ a ciuitate Cracouiensi quatuor distans dietis Lvvcou vulgariter nuncupatur, in qua homines habitantes, licet Christiano nomine censeantur, quia tamen venerabilis frater noster Cracouiensis episcopus loci diœcesanus, propter loci distantiam, & difficultatem viarum, quas immeabiles facit densitas nemorosa, non potest instructioni eorum intendere, in ruditate sua & cæcitate fere pristina perseuerant: ibi pueri nisi grandiusculi, & gressus potentes firmare vestigium ad fidei ianuam, regenerationis videlicet sacramentum a parentibus adducuntur, propter quod multi decedunt ibidem vnda baptismatis non renati, & alias infinita pericula proueniunt animarum: nos itaque volentes super ijs, quo possumus, remedio prouidere, mandamus quod eundem episcopum moneas attentius, & inducas, vt circa erudiendos populos regionis illius, quos fidei sacramenta signarunt in fide, & Christianæ religionis moribus, & alios ad veritatis Christi notitiam inuitandos efficaciter labores. Si autem hoc dictus episcopus neglexerit adimplere, vel tu cogitatione habita diligenti perpenderis, quod propter interiacentium locorum distantiam, asperitatem viarum, vel difficultates alias idem episcopus nequeat illis populis curam impendere, sicut oportuerit, pastoralem; tu venerabili fratri nostro Gnezenensi archiepiscopo metropolitano loci, & episcoporum illarum partium communicato consilio, prædicti diœcesani requisito consensu, pontificalem ibi sedem constituas; & aliquem virum ordinis fratrum Minorum opere, ac sermone potentem illi plebi præficias in episcopum, & pastorem, faciens ei a suis subditis reuerentiam, & obedientiam*

Lvvcouẽsis prouinciæ catholicos consulit Pontifex.

f Lib. 12. ep. 37.

tiam debitam exhiberi. Dat. Anagniæ III. id. Iulij anno XI.

27 Erexerat antea in Lithuania Innocentius episcopalem sedem, cui Christianum equestris ordinis sanctæ Mariæ Theutonicorum presbyterum imposuerat: ac Liuoniæ & Prussiæ archiepiscopo imperauerat sacris ipsum episcopalibus initiaret, sacramentoque in verba Pontificis adigeret: sed antequam literæ peruenissent, archiepiscopus Christianum in Lithuanorum episcopum consecrarat, & ipsum iureiurando sibi adstrinxerat. Quæ res cum Lithuaniæ libertatem imminueret, quam sedis Apostolicæ auctoritati tantum fore obnoxiam Pontifex sanxerat, Lithuani principis, quem regijs insignibus ornarat, precibus adductus Pontifex sacramentum Liuoniæ & Prussiæ archiepiscopo nuncupatum rescidit [a], ac significauit Christiano ipsum ecclesiastica iura non ab Liuoniæ archiepiscopo, sed ab sede Apostolica tantummodo petiturum; partesque Sluemburgensi episcopo imposuit [b], vt Romani Pontificis nomine sacramentum a Christiano exigeret: *Sane idem archiepiscopus, priusquam ad ipsum nostræ literæ peruenissent, ecclesiæ memoratæ de prædicto fratre prouidit, iuramentum fidelitatis suo, & ecclesiæ suæ nomine ab illo recipiens, licet hoc de intentione nostra nullatenus extitisset; maxime cum terra Lethouiæ sit iuris & proprietatis B. Petri, ac pro eiusdem Regis honore, quem a suæ conuersionis initio assumpsimus, & filium Ecclesiæ spiritualem, & regiæ dignitatis titulo fecimus insigniri; nullum ibi esse velimus episcopum, qui alij quam Romano Pontifici sit subiectus. Quia vero idem Rex postmodum per affectuosas literas postulauit a nobis, vt super hoc prouidere de circumspectione sedis Apostolicæ curaremus; nos eiusdem precibus annuentes, mandamus quod eundem episcopum ad obseruantiam prædicti iuramenti præfato archiepiscopo taliter præstiti denuncians aliquatenus non teneri, recipias ab ipso pro nobis & Ecclesia Romana fidelitatis solita iuramentum iuxta formam literarum, quas super hoc transmisimus archiepiscopo memorato. Dat. Anagn. III. non. sept. anno XI.*

Lithuaniæ episcopus Romano tantum Pontifici obnoxius esse iussus.

[a] Lib. 12. ep. 212.

[b] Ibid. ep. 578.

28 Quod ad Liuoniæ & Prussiæ archiepiscopum spectat; cum septentrionales Tartari infideles in Liuoniam, Prussiam, Estoniam, atque alias prouincias Christiana religione magno labore excultas, irrumpere pararent; illi Pontifex cæterisque earum regionum ecclesiasticis præsulibus munus demandauit, vt ad conscribendum crucesignatorum exercitum zelum pro sacris concionibus explicarent: *Non absque cordis anxietate percepimus, quod sæuissimi Tartari, Christiani nominis inimici, & ipsorum complices terras Liuoniæ, Estoniæ, Prussiæ, ac alias, quas in partibus illis dilecti filij fratres hospitalis sanctæ Mariæ Theutonicorum non sine magnis laboribus, & expensis, ac proprij effusione sanguinis, diuina potentia suffragante, reduxerunt ad culmen catholicæ veritatis, occupare ac destruere moliuntur. Cum autem dignum sit, & congruum, vt per sedem Apostolicam, cui diuinitus omnium cura fidelium commissa esse dignoscitur, super hoc salubre consilium apponatur, nos de vestra circumspectione confisi, vniuersitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus contra Tartaros, & complices memoratos in dictis terris verbum crucis per vos & alios ad hoc idoneos prædicetis, eam auctoritate nostra peccatorum veniam, & illas immunitates assumentibus crucem huiusmodi concessuri, quæ transfretantibus in Terræ sanctæ subsidium in generali concilio sunt concessæ. Dat. Assisij XIIII. kalend. iunij anno XI.*

Indicta ad repellendos Tartaros expeditio.

29 Propagatam hoc tempore, Tetrici crucigerorum equitum magistri virtute, in finitimas prouincias religionem Christianam, ac maiorem Bartham & Galandam infidelibus ereptas, e literis pontificijs [c] constat, quibus Culmensi, Pomezanensi, & Vvarmiensi episcopis data prouincia est, vt religiosis equitibus in earum terrarum dominio obtinendo præsidio essent, censurisque inuasores percellerent: *Frequenter ad nostrum peruenire gaudemus auditum, quod religio dilectorum filiorum fratrum hospitalis S. Mariæ Theutonicorum ad hoc vigil, & feruens esse dignoscitur, per quod Christiani gloria nominis augeatur. Sane, sicut ex relatu dilecti filij fratris Tetrici præceptoris eiusdem hospitalis in Alemannia, & Prussia, necnon & vestrarum, & aliorum nobilium de partibus illis, serie literarum accepimus, fratres ipsius hospitalis cum peregrinorum, & aliorum Christi fidelium subsidio terras, quæ maior Bartha vulgariter appellatur, Vvarmiensis diœcesis, ac terra nomine Galanda prope posita ad cultum fidei catholicæ, idoneis de prædicta terra Bartha receptis obsidibus, de nouo per Dei gratiam deduxerunt. Quia vero dictis fratribus, pro terris eisdem salubriter conseruandis, vestrum subsidium esse dicitur plurimum opportunum, fraternitatem vestram rogamus & hortamur attente, mandantes quatenus eis ad hoc pro diuina, & nostra reuerentia, impendatis consilium, auxilium, & fauorem. Nec permittatis ipsos super illis ab aliquibus indebite molestari. Dat. Assisij idib. maij anno XI.*

Bartha & Galanda Christiano imperio a Tetrico adiunctæ.

[c] Lib. 11. ep. 776.

30 Effulsit hoc tempore Dania cælestibus prodigijs; quæ Numeo ad piorum solatium B. Nicolai Canuti olim Regis Daniæ filij opera explicabat: Danorumque precibus solicitatus Innocentius, ne viri sanctissimi gloriam obsolescere pateretur, illumque sanctorum catalogo aggregaret, vt solitam consilij maturitatem in re grauissima adhiberet, Slevvicensi, ac Vvibergensi episcopis, & abbati e Cara insula Cisterciensis ordinis miraculorum, quæ ad beati Nicolai sepulchrum edita ferebantur, cognitionem detulit [a].

Nicolaus Canuti Regis Daniæ filius miraculis conspicuus

[a] Lib. 12. ep. 70.

Innocentius, &c.

Charissimus in Christo filius noster Christophorus illustris Rex, ac venerabilis frater noster arch. Lundensis, episcopi, necnon clerus & religiosi regni Daciæ per suas nobis literas intimarunt, quod recolendæ memoriæ Nicolaus natus claræ memoriæ Canuti Regis Daciæ, diuina misericordia faciente, aggregatus existat collegio supernorum, gloriam concessæ sibi beatitudinis signis exprimens gloriosis. Nam circa sepulchrum eius & loca alia per inuocationem sui nominis, & deuotionis sinceræ suffragia, multa miracula circa multos mirabiliter in aliis Dominus multipliciter operatur; ita vt illius sanctitas manifestis indicijs comprobetur, & ipsius inter alios sanctos non inuocare suffragia sit indignum. Quare dicti Rex, archiepiscopus, episcopi, clerus, & religiosi nobis humiliter supplicarunt, vt super huiusmodi miraculis testimonia recipi mandaremus. Verum quia in tam sancto & pio negotio est cum grauitate & maturitate præuia procedendum, de fide ac circumspectione vestra plenam in Domino fiduciam obtinentes, mandamus quatenus ascitis vobis viris religiosis, & Deum timentibus, de virtute morum, & veritate signorum, operibus videlicet & miraculis diligentissime inquirentes, quæ inueneritis nobis vestris literis fideliter intimetis. *Datum Anagniæ VIII. kal. august. anno XII.*]

De exploranda eorum veritate instituta quæstio.

31 In Bohemia cum Rex Othacherus regia inunctione liniri optaret, atque ad Maguntinum archiepiscopum imponendi illi diadematis partes spectarent, qui tamen ab Hugone tit. S. Sabinæ presbytero Cardinali deuinctus anathemate obire munus non poterat; rogatus Pontifex a Bohemo Rege, vt eiusmodi rei consuleret, Neapolitano electo hanc prouinciam dedit: *Cum charissimus in Christo filius noster Otacherus Rex Bohemiæ illustris, sicut eo insinuante accepimus, regni diademate cupiat coronari; quia Maguntinus archiepiscopus, de cuius manibus deberet idem Rex coronam suscipere, per dilectum in Christo filium nostrum H. tit. S. Sabinæ presbyterum Cardinalem tunc legatum Apostolicæ sedis excommunicationis vincu-*

Maguntino arch. anathemate deuincto consulit Pontifex Bohem. Rex a quo inungendus sit.

le dicitur innodatus; volumus, & præsentium tibi auctoritate mandamus, quod eidem archiepiscopo, ut libere ad coronationem eiusdem Regis possit procedere, absolutionis beneficium, dummodo satisfaciat super ijs, pro quibus excommunicatus habetur, iuxta Ecclesiæ formam exhibere procures. Quod si recusauerit satisfacere, tu dilecto filio capitulo Maguntino auctoritate nostra præcipias, ut ipsi loco archiepiscopi, & ecclesiæ Maguntinæ nomine, per aliquem de suffraganeis ipsius ecclesiæ Regem eundem faciant coronare: & si præfati capitulum noluerint efficere, tu hoc uni de suffraganeis ipsius, vel alicui alij pontifici, quem ad id idoneum fore cognoueris, eadem auctoritate committas, qui eiusdem archiepiscopi vice coronationis ipsius officium, seu ministerium exequatur. Dat. Later. VI. id. april. anno XI.

Vngaros inter & Bohemos crudele bellum.

32 Adduxerat porro Pontificem ad imponendum electo Neapolitano legationis apostolicæ in Vngaria, Bohemia, Austria, Styria, & Morauia gerendæ munus, ardens conciliandæ inter Belam & Othacherum Reges, qui se diuturno bello consecerant, pacis desiderium: quem propterea præsulibus eorum regnorum ac prouinciarum commendauit a. Cumque legatus iter in prouinciam arripuisset, venientibus ad sedem Apostolicam Zagabriensi episcopo & religioso viro Minoritæ oratoribus, qui Belæ Regis nomine, quem Innocentius ad dicendam causam festo natali sancti Ioannis Baptistæ vocarat, deferrent Pontifici, Vngarum ad redintegrandam pacem, fideique sedis Apostolicæ prouinciæ arces, de qua exarserat contentio, committendas, si Othacherus suas pariter Pontifici custodiendas traderet, paratissimum; legatum ex suscepto itinere reuocauit, munusque impositum datis Anagniæ III. id. iulij literis abrogauit. b

a Lib. 11. ep. 570 & ep. cur. 30.

b Lib. 12. ep. cur. 4. extat apud Vvading. tom. 2. in eius regest.

Felici concordia sopitur.

33 Sopitum denique bellum tradit Henricus Stero c his verbis: *Bela Rex Vngariæ, qui iam plus quã per biennium Austriam, Styriam, & Morauiam vastauerat, multis millibus hominum interfectis & in captiuitatem abductis, concordiam facit cum Othachero duce, recipiens ducatum Styriæ, suæque potestati subijciens terrã ipsam. Ipse autem Othacherus in tribus suis principatibus, videlicet Bohemia, Morauia, & Austria tanquam princeps omni probitate præclarus, inopinatam & optimam pacem facit, vadens in hyeme subsequenti in Prussiam crucesignatus: & magnam partem ipsius terræ cultui subdedit Christiano.*

c Stero in annal. apud Canis. antiq. lect. to. 1. pag. 274. hist. Austr. eod. ann.

Othacherus arma aduersus infideles Prussos vertit.

34 Cum intestino adhuc alio bello Germania arderet, quæ hinc a Vvillelmo Rege, inde a Conradi sequacibus lacerabatur, Innocentius ad Vvillelmi partes efferendas, pelliciendamque in illius obsequium Germaniam, Petrum sancti Georgij ad velum aureum diaconum Cardinalem transmisit, instruxitque auctoritate, vt eos, qui Conradi partes abijcerent, fidelium communioni restitueret, illatas ab ijs Ecclesiæ iniurias remitteret, conscriberet in rebelles exercitus. De qua illi imposita prouincia ad cunctos principes Germaniæ viros hæc scripsit d: *Salubrem & prosperum partium vestrarum statum, exaltationem Ecclesiæ, ac Romani honorem Imperij totis desiderijs affectantes, dilectum filium nostrum P. sancti Georgij ad velum aureum diaconum Card. virum scientia praditum, honestate decorum, & in consilijs circumspectum, ad partes ipsas pro eiusdem Ecclesiæ, ipsius Imperij promouendo negotio, ac vtilitate dictarum partium procuranda, tanquam pacis angelum duximus transmittendum; sibi plena legationis officia, ac libera potestate relaxandi excommunicationis sententiam, quam nonnulli partium earundem adhærendo quondam Frederico olim Romanorum Imperatori, suisque fautoribus contra Ecclesiam ipsam, & quasiunque alias in eisdem partibus existentes incurrerunt, vel incurrent; & remittendi liberaliter iniurias, & offensas, si quas eidem intulerunt Ecclesiæ, ipsosque in nostram & ipsius Ecclesiæ gratiam admittendi; congregandi quoque contra eiusdem Ecclesiæ hostes exercitum, & omnia faciendi tam in spiritualibus quam temporalibus, prout eiusdem Ecclesiæ vtilitati viderit expedire; concessis, &c.* Addit preces, & imperia, vt legatum debito honore ac studio prosequantur, suamque operam commendent. *Dat. Lat. XV. kal. maij ann. XI.* Ad comparanda Vvillelmo ampliora auxilia, & conciliandam legato maiorem auctoritatem, eodem argumento ad Pomeranos, Suecos, Polonos, aliarumque borealium regionum principes scripsit a. Extant etiam plures de eadem legatione literæ, quibus Petrum Cardinalem prærogatiuis exornauit: tum aliæ quibus Sabinensem episcopum ad Lubecensem sedem traducere iussit. b

Petrus S. Georgij diac. Card in Germ. missus.

d Lib. 11. ep. cur. 20.

a Ibid. ep. cur. 22. & ep. 490.

b Ibid. ep. 476.

Nauabat is præsul strenuam in defendendis Ecclesiæ & Vvillelmi Regis partibus operam: cui Pontifex promulgandæ in Conradum sacræ expeditionis, atque indulgentias Vvillelmi signa secuturis proponendi prouinciam imposuit: vtque plures ad sacras conciones alliceret, auditoribus, quos verus criminum dolor afficeret, viginti, vel quadraginta dierum veniam condonauit: & clericis, qui crucem induerent, vt vectigalia ecclesiastica creditoribus ad triennium obligarent, permittendi potestatem fecit.

Ezelinus ob hæresis crimen in iudicium accersitus.

35 Distrinxit porro Innocentius aduersus Ezelinum præcipuum Conradi in Italia ducem, & consiliorum Friderici nequissimum olim participem: qui cum grauissimis argumentis iusta hæresis suspicione infectus esset, atque ad purgandum crimen sæpius vocatus in iudicium sedem Apostolicam elusisset, obque contumaciam anathemate percussus obfirmato animo censuras pluribus annis spreuisset; demum hoc anno die cœnæ Domini hæresis crimine damnatus, & omnibus hæreticorum pœnis pontificia sententia irretitus est. Cuius scelera, atque inhumanam crudelitatem ita describit Innocentius. e

e Lib. 11. ep. cur. 9.

Ad memoriam rei gestæ in perpetuum.

Truculentam virus inhumani hominis rabiem, sæuamque barbariem, Ezelini videlicet de Romano; quem diræ malignitatis enormitas fecit insignem, & mundo non incognita factorum atrocium multitudo spectabilem; humana societas ad elidendum improbas malepotentium tyrannides instituta, indigne forsitan pertulisse videtur; sed indignum proculdubio noscitur sustulisse. Hic siquidem sub humani vultus effigie bellualem animum retinens, Christiani sanguinis sitibundus, & viribus rigidus alienis, implacabile aduersus communia humanitatis fœdera bellum gerit. Non enim solum ferali hominum excidio debacchatur in corpora, verum & super omnem modum, mensuram, & numerum, exhausti cruoris profluuio non contentus, per catholicæ fidei corruptores spiritualis vitæ operatur exitium in interitum animarum: nimirum si in suis atrocitatibus propria contra infensos exequeretur odia, vel patientia iam deferbuisset in eo incalescens animi feritas, peractæ vltionis refrigerio mitigata in his, quos habere videbatur exosos. Sed eius effera crudelitas sic in omnes excandet, vt nec fortunæ, nec vitæ pepercerit etiam amicorum, nec sexum miseratus fuerit in quibuslibet, vel ætatem; nec alicuius religionis, vel ordinis vereatur honorem, cæcans paruulos innocentes, adultos nequiter perimens, diuersis excogitatis in eos generibus tormentorum. &, quod pudorosum est cogitare vel eloqui, horrido sectionis impiæ cultro tam fœminas, vt dicitur, eunuchizante quam mares, spem futuræ prolis occidens in superstitibus occisorum, vt ex intentione quodammodo fiat eorum etiam, quos adhuc de lumbis natura non protulit, homicida. Quis ergo dubitet eum in hominibus non tantum personas persequi, sed naturam? Quis ambigat illum, quasi non homi-

nem,

nem, humani generis ſore publicum inimicum?]

36 Hæc a Pontifice non iracundiæ in hoſtem ardore, ſed minora tyranni ſceleribus iactata intuebitur, qui duobus ante annis ab eo patrata, atque ex monacho Patauino ſuo loco excerpta meminerit, & ab eodem auctore de eo immaniſſimo carnifice anno ſuperiori ſcripta legerit a: *Ezelinus nullas, niſi ſanguine fuſo, gaudens habere vias, tam in Verona quam in marchia vniuerſa vehementer iterum manum ad incarcerandum & occidendum extendit, impleuitque ciuitates & caſtra multitudine captiuorum, quos fame horribili affligebat. Præ famis autem & ſitis anguſtia, proh dolor! qualibet immunda miſeri comederunt, ac vrinam cum auiditate inopinabili bibere cogebantur: & non paruum impendere beneficium putabatur, qui vrina ſua potum dignabatur ſocijs impartiri. Fœtor etiam intolerabilis, & aer corruptus calorque nimius et tenebræ ita horribiles erant in carceribus Ezelini, quod captiui vix poterant reſpirare, multique his de cauſis ſpiritum exhalabant. Præterea tanta erat in his hominum miſerabilium multitudo, quod ita vnus alium comprimebat, quod nec iacere poterat aliquis, nec ſedere: corporis vero debilitas nullo modo ſuper pedes conſiſtere permittebat. Clamor autem lugentium, & dicentium: Væ, væ, ac percuſſiones manuum ita horrida perſonabant, quod non carceres manu facti, ſed ergaſtula infernalia, & pœna inflicta a dæmonibus merito putabantur: quia ibi nulla requies, nulla conſolatio, nulla ſpecies redemptionis a malis illatis, & imminentibus habebatur. Mors ibi ſummo deſiderio quærebatur, vt finem imponeret tantis malis: moriens enim in tali ſtatu viuente felicior credebatur: in mortis vero articulo conſtituti, confiteri cum ſacerdotibus, & rerum ſuarum diſponendarũ licentiam nullo modo poterant obtinere. Efferebant itaque quotidie corpora extincta de carceribus tenebroſis, nec permittebant aliquem ſepeliri, niſi prius euidentiſſime probaretur quis eſſet, vel vnde, qui beneficium conſequi debebat ſepulturæ.* Prodierat ex hæreſi, atque alebatur ea ferina barbaries: qua labe inquinatum fuiſſe docent quæ ſubijcit Pontifex.

a Monac. Pad. lib. 1.

37 Hunc ex genere cum publice damnati hæretici filius fuerit, hæreticorumque cognatus; hunc etiam ex moribus, cum eum perfidum eſſe contraria religioni Chriſtianæ opera manifeſtent; nos cum publicæ opinionis concurrentes aſſenſu, vnam de ſubdolis præſumpſimus eſſe vulpeculis, quæ vineam Domini ſabaoth demoliri non ceſſant, teſtamentum æterni euangelij corrumpentem. Ad hunc autem nequiſſimæ intentionis effectum, eo ingenij ſui calle proceſſit, quia in quos potuit vaſa ſceleratiſſimæ interfectionis arripiens, per corporalis necis formidinem, quæ plerunque cadit in fortes, reſiduos regionis ſuæ viros redegit in paruulos, vt eis animorum confidentia libertatis priuilegio, & veritatis oraculo deſtitutis, facile per magiſtros errorum ſub prædicti Ezelini præſidio ad ſubuertendas fidelium mentes in marchiæ Teruiſinæ partibus emergentes in publicum, peruerſa hæreticæ infectionis dogmata ſuggerantur. Execrans præterea commune omnibus gentibus, & magnum in Chriſto & Eccleſia matrimonij ſacramentum; quod non humanæ voluntatis inuentio ſtatuit, ſed diuinæ inſtitutionis commendat auctoritas, quod temporaliter orientis ex homine Saluatoris natiuitas honorauit, quodque cunctis fere animantibus ſuggerit inſitus eis ordo naturæ; damnabili, & de typo abominationis hæreticæ procedente præſumptionis audacia ſeparat, contra legis euangelicæ interdictum legitimæ coniunctionis fœdere copulatos a Deo, inter complices ſuos fœda connubia, & adulterina contubernia coniungendo, ex quibus ſpuria vitulamina prodeunt radices altas poſteritatis proſperæ non datura.

38 Nos itaque quos, licet immeritos, ſuſtinens fidelium paſtor ad arcendos a redempto ſanguine Chriſti grege ferales impetus, ſalutem Chriſtiani populi lædentes & vitam; nec non ad huiuſmodi inueſtigandas aſſiduis vigilijs, capiendaſque vulpeculas, Eccleſiæ ſuæ voluit præſidere, valido clamore Chriſtiani ſanguinis, quo idem Ezelinus terram operuit, nec minus euangelicæ fidei, quam molitur euertere, periculo excitati; per religioſos viros deſcendere curauimus, & videre an idem Ezelinus illud circa Eccleſiam catholicam naufragium pateretur, quod de ipſo & deteſtanda nunciabant opera, & vulgata infamia prædicabat. Cum autem ipſi religioſi ſuper his cum diligentia inquirentes eundem, qui de fide Chriſti non recte ſentiret, haberi debere ſuſpectum certis indicijs comperiſſent; tandem ipſe ad ſedem Apoſtolicam nuntios deſtinauit, quibus bonæ memoriæ Sabinenſem epiſcopum conceſſimus auditorem. Coram quo ad iurandum in ipſius Ezelini anima ſe obtulere paratos, quod idem de Deo, & catholica fide credebat, ſecundum quod Romana tenet Eccleſia, & docet eſſe credendum. Sed quoniam a dicto epiſcopo, vel a nobis huiuſmodi purgatio admiſſa non extitit; cum in tanto crimine non per nuntios, ſed per propriam perſonam præſtanda eſſet purgatio coram nobis; ſibi præfiximus terminum, quo apoſtolico ſe aſpectui præſentaret, facturus ſuper ijs, quæ ordo exigeret rationis, oblata ſibi de ſecuritate perſonæ in veniendo, & redeundo plenaria cautione. Vnde quia nec in eodem termino, nec poſt venire, vel mittere procurauit, ipſum, qui plurium erat alias excommunicationum laqueis irretitus, & quod de fide catholica male ſentiret, certa ratione ſuſpectus, anathematis duximus vinculo innodandum, alium eidem terminum aſſignantes, quo in noſtra compareret præſentia, ſuper præmiſſis mandatis Eccleſiæ paritutus; denunciato publice quod, niſi vſque ad terminum ipſum id faceret, ex tunc procederemus grauius contra eum iuxta legitimas, & canonicas ſanctiones.

39 Cum autem venire, ſeu mittere, licet vltra terminum diutius expectatus, damnabili obſtinatione deſpexiſſet; & non ſolum per annum, ſed per biennium, vilipenſis Eccleſiæ clauibus, præfatum ſuſtinuiſſet contemptibiliter anathema; nos, quia non debebamus vlterius contra eum canonicum differre iudicium, quem tam longum diffugium & tam dura pertinacia reum tanti criminis oſtendebant; præſertim quia huiuſmodi iudicij tarditas periculoſam forte aliquibus præbebat audaciam, & quos a malis feſtinata in vnius perſonam pœna compeſceret, protelata forſitan ad illa laxaret; eundem Ezelinum tanquam hæreticum reputantes decreuimus ipſum, habito fratrum noſtrorum conſilio, prolatis aduerſus hæreticos ſententijs, ſanctionibus ſubiacere, niſi vſque ad kal. aug. tunc proxime ſecuturas coram nobis comparere curaret noſtris, & Eccleſiæ pariturus præciſe beneplacitis, & mandatis: quem ſiquidem terminum tunc ſibi ex multa benignitate Apoſtolicæ ſedis indulſimus, cum eum ſaluari vellemus potius quam perire. Ipſe vero contra Deum & homines collo rebellionis extento, & ad omnem Chriſtianæ fidei inobedientiam ſpiritu confirmato, tanquam prolapſus in deſperationis abyſſum, & humani pudoris, diuini iudicij, ac ſalutaris conſilij pertinax aſpernator, imminentia ſibi diſcrimina quæcunque contempſit: & perire potius eligens quam parere, nec in termino ſibi ex multa eccleſiaſticæ miſerationis lenitate conceſſo, nec poſtmodum diutius expectatus venire curauit. Nos autem illius periculo condolentes, adhuc voluimus eius duritiam ſolita ſedis Apoſtolicæ benignitate mulcere, ſi forte ad ſuſcipiendum ſalutis remedium aliqua in eo ſcintilla ſanioris conſilij re-

manifestet; ipsumque non solum semel, vel secundo, sed pluries, immo multotiens ad misericordiæ iudicium edictis legitimis euocatum, duximus prolixis ad conuincendam inexcusabilem eius malitiam temporum spatijs expectandum: porro idem, sicut aspidis surdissimæ filius ad omnem monitoris vocem obturans auditum, iam per sex annos & amplius vocationis, longanimitatis, & expectationis nostræ patientia est abusus.

Nos igitur ex ijs attendentes, quod diuturnior erga eundem Ezelinum tolerantiæ pietas in communem multorum posset redundare perniciem, & vlterior expectatio nil operaretur in eo nisi contumaciam, & contemptum; ne tantum malum in medio Christiani populi diutius toleratum latius peruagetur, de prædictorum fratrum nostrorum consilio, præsente fidelium populo, qui in die cœnæ Domini ex diuersis mundi partibus ad Apostolorum limina de more confluxit, præfatum Ezelinum sicut manifestum hæreticum sententialiter iudicamus, ipsum excommunicatum & anathematizatum, cum damnatis hæreticis deputando, adscripta illis damnationis stipendia recepturum, quem si forsan vsque ad festum ascensionis Dominicæ proxime venturum ad præsentiam nostram personaliter venerit, audiemus, quod de abundantissima prædictæ sedis clementia duximus adiungendum. *Dat. Later. v. id. apr. an. xi.*] Imposita a etiam omnibus præsulibus prouincia, vt Ezelinum hæreseos damnatum crimine diuulgarent, omnesque illius studiosos propositis hæreticorum sequacibus pœnis, percellerent.

a Reg. post p. v. ep.

Ezelini bona Alberico adiudicata.

40 Cum pontificiam clementiam sperneret Ezelinus, meritis eum pœnis Innocentius affecit. Extant enim ad Albericum ipsius fratrem eo argumento literæ, quibus bona Ezelini, quem pœnis hæreticorum subiecerat, in eum transfudit; Vvillelmique Regis Romanorum sententia, qua ipsum perduellionis damnarat, omnibusque vectigalibus Imperij tertia exuerat, confirmauit. b

b Lib. 11. ep. 624.

Innocentius &c. nobili viro Alberico de Romano nostro & Ecclesiæ Rom. deuoto.

Tuæ nobilitatis assertio continebat, quod nos olim Ezelinum de Romano, qui de fide catholica male sentiret, habentes certa ratione suspectum, ipsumque, qui pluries citatus legitime, vt compareret propter hoc personaliter coram nobis, venire contempsit, tanquam hæreticum deputantes, ac decernentes ipsum promulgatis aduersus hæreticos sanctionibus subiacere, ipsius bona tibi adiudicauimus vniuersa: & charissimus in Christo filius noster Rex Romanorum illustris propter præmissa, & quod idem Ezelinus sibi obstinata rebellare perfidia præsumebat, diligenter attendens, ipsum castris, villis, possessionibus, iurisdictionibus, vassallis, mancipijs, & eorum peculijs, ac vniuersis bonis suis regali auctoritate priuauit omnino; ipsumque in amissione eorum eadem auctoritate damnauit, tibi hæc adiudicans vniuersa, & ad te cum omni plenitudine iuris pertinere decernens; nos quoque quod per Regem ipsum super hoc factum extitit ratum habentes, & gratum id auctoritate apostolica duximus confirmandum. Cum igitur nuper præfatum Ezelinum sicut manifestum hæreticum sententialiter duxerimus iudicandum ipsum excommunicatum, & anathematizatum, cum damnatis hæreticis deputando, adscripta illis damnationis stipendia recepturum; nos deuotionis tuæ precibus inclinati, prædictos ipsius Regis processus, ac nostros robur obtinere decernentes perpetuæ firmitatis, tibi denuo dictas ipsius Ezelini villas, & omnia supradicta suprabundantis cautelæ studio conferimus, & adiudicamus, ac alias collata, & adiudicata auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripturæ pagina communimus; intrandi, & apprehendendi corporalem possessionem omnium prædictorum per te, vel per alios auctoritate propria, contrarijs constitutionibus canonicis, vel ciuilibus nequaquam obstantibus, plenam tibi concedentes ac liberam facultatem. De Ezelino satis. Iam ab eo ad Conradum hæresis suspicione inquinatum sermonem conuertamus.

41 Indixerat illi Pontifex peremptorium diem, vt obiecta crimina coram sede Apostolica purgaret: qui missis oratoribus ea diluere est conatus. Cum vero illius ad gremium Ecclesiæ reuocandi summo desiderio Innocentius teneretur, Montisfortis & Sabaudiæ comitum precibus adductus dictam illi diem ad rem totam facilius componendam prorogauit: qua de re hoc diploma edidit. a

Conradus in iudiciū ab Innoc. vocatus.

a Lib. 11. ep. cur. 6.

Vniuersis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis.

Super diuersis articulis, fidem moresque religionis Christianæ tangentibus, nobilem virum Conradum natum quondam Friderici olim Romanorum Imperatoris, propositis publicæ citationis edictis, ad præsentiam nostram suadente officij pastoralis debito duximus euocandum, præfixo sibi peremptorio termino, quo veniret suam, si Domino volente valeret, coram nobis innocentiam ostensurus. Ipse vero audita citatione huiusmodi ad statutum terminum solemnes procuratores, & nuncios ad sedem Apostolicam destinauit, qui super prædictis articulis excusationes suas in nostro auditorio publice proponere curauerunt. Nos itaque ijs intellectis, quoniam eiusdem quærimus affectu paterno salutem, dilectorum filiorum nobilium virorum I.. Montis fortis, & T.. de Sabaudia comitum, precibus inclinati, vsque ad medium proximæ quadragesimæ de solita eiusdem sedis misericordia prædictæ citationis terminum prorogamus, in eodem statu, in quo erat, negotio per omnia remanente. *Dat. Assisij 11. non. febr. ann. xi.*] Quid gestum sit condicta die nobis exploratum non est.

Prorogata illi ad dicendam causam dies.

42 Obiecisse porro Conrado inter cætera atrocia scelera Innocentium Henrici fratris necem refert Parisius b: atque multis argumentis Conradum sceleris fœditatem diluere conatum: *Papa*, inquit, *grauiter rum accusanti respondit, dicens quod in eius obitu partem sui corporis reputat amisisse potissimam. Sed re vera quidam flagitiosissimus Ioannes Maurus ipsum potionatum, & adhuc sub morte palpitantem quadam manutergio strangulauit, Rex autem Conradus post mortem dicti fratris sui nunquam, vt antea, vultum ostendit serenum.* Adhæsit Conrado illius criminis infamia, cum iustæ suspicioni pateret locus illum, vt Siciliam testamento, vt vidimus, Henrico relictam sine metu obtineret, e medio sustulisse; sed diu flagitij præmio potiri non licuit; nec Ioannes Morus diuinam seueritatem euasit. Tradit enim Conradi ac Manfredi rerum scriptor c hoc ipso anno conuersis rebus, a Saracenis, quos habebat comites fidissimos, obtruncatum.

Henrici violenta mors Cōrado obiecta.

b Par. hist. Angl. hoc ann.

Illius suspicionis causæ.

c Anonym. auct. M.S. de rebus Conrad. et Manfredi.

Ad confirmandum præterea in Sicilia dominatum Conradum Manfredi potentiam debilitasse admodum opesque fregisse narrat idem anonymus auctor, quem ait tacito in eum liuore fuisse suffusum: *Parum durauit hæc affectio*, inquit, *Regis ad principem; nam processu dierum videns Rex istius principis solertiam, suspicionem de ipso in certo recipiens quod ratione magnæ sapientiæ, quæ in ipso erat, homo esset magis dominandi, quam obsequendi conditione dignus, mutari cœpit aduersus eum, ipsumque deprimere quomodocumque posset intendebat. Vt autem animi sui motum sub quadam generalitatis specie occultaret, vt cum quidem læderet, lædere tamen nulli videretur, fecit eidem principi notum se omnes donationes post Imperatoris obitum factas reuocare velle: principique suggessit, vt quo magis*

Conradus & Manfredus mutuo flagrāt odio.

alijs

alijs regni maioribus daret exemplum, reuocationem factarum sibi donationum æquanimiter patiendi; ipse princeps primus, atque spontaneus Honorem montis S. Angeli, & ciuitatem Brundusij, quam ratione principatus Tarenti possidebat, Regi resignaret. Sicque factum est quod princeps Regis voto satisfaciens, animique motum plene cognoscens, Honorem montis S. Angeli & ciuitatem prædictam Regi obtulit, atque dimisit.

Manfredi potentiam opesque Conradus paulatim atterit.

43 *Rex autem generalem prædictarum concessionum reuocationem faciens, cœpit prædicto principi paulatim fauorem subtrahere, terramque illam, quam princeps tenebat ex concessione paterna non quidem simul, sed successiue quibus poterat occasionibus ab eius dominio & possessione reuocauit; solumque principatum Tarenti mutilatum comitatibus Grauinæ, Tricarici, Montiscaueosi, & prædicto Brundusina ciuitate sibi dimisit. Et ne princeps de ipsa quoque terra, quæ sibi remanserat, subsidium habere posset, hominibus ipsius principatus collectam generalem grauissimam imponi & exigi mandauit, regio ærario applicandam. Iustitiarium quoque in principatu ipso a principe ordinatum remouit, & iustitiarium suum, sicut in alijs regni partibus, in ipso constituit, subtracta sibi in eodem principatu meri imperij potestate, quam ex concessione patris Imperatoris habuerat, vt princeps nonnisi in ciuilibus tantum iurisdictionem in principatu ipso retineret. Princeps vero prudentissimus in tali quidem aduersitate fortuna minime frangebatur, virtutumq; suarum auxilio, cum magis necessarium sibi erat, vtens propter ea, quæ Rex sibi faciebat. Nec quidem tantis malis in fratrem Rex exoturatus est; sed ad maiorem extremamque ipsius principis depressionem Gualuanum Lanceam, qui Imperatori diu seruiuerat, quem propter magnam eius fidem, atq; prudentiam Imperator vicarium suum in Tuscia per multum temporis spatiū habuit; Fredericum quoq; Lanceam fratrem eius, et Bonifaciū de Anglono ipsius principis auūculū, omnesq; ipsius principis consanguineos et affines ex parte materna, cōficta in eos occasione, cum vxoribus, matribus, sororibus, ac filijs & filiabus magnis & paruis regnū exire mandauit: qui omnes exeuntes regnum, cum se ad Imperatricem Romaniæ sororem ipsius principis contulissent, misit Rex postmodum Bertoldum marchionem de Honebruch in Romaniam, qui prædictos Gualuanum & fratres ab Imperatore Romaniæ*, nimirum Vatacio, *fecit de Imperio suo licentiari, multum displicuisse Regi asserens si Imperator eos circa se retineret. Licet autem Rex ita grauiter contra principem moueretur, princeps tamen libenter omnia patiens Regi cum omni deuotione obsequebatur.* Verum alto pectore conceptum dolorem pressisse Manfredum, vt facilius lædere posset, apparet ex ijs, quæ e Ricordano, atque alijs infra dicemus. Pergit anonymus scriptor exponere, vt Manfredus strenuam Conrado operam in expugnandis pluribus munitissimis vrbibus explicuerit.

Illius affines in exilium ejicit.

Signa in Germaniam aduersus Vvillelmū conuertere meditatur.

44 Ingrauescebat quidem adeo Conradi potentia, vt nisi repentina mors illius consilia oppressisset, Romanam Ecclesiam, atque omnes illius clientes fœderatosque in discrimen adducturus timeretur. Iam ille adiuncta suo imperio Sicilia, Aquino, Suessaque obtentis, Capua, & Neapoli, alijsq; vrbibus pontificiarum partium expugnatis, in Germaniam expeditionem comparabat aduersus Vvillelmum in Imperio æmulum, cuius maiestas, atque auctoritas admodum obsoleuerat, vt ex ijs, quæ Stadensis narrat colligitur a: *Anno Domini* MCCLIIII. *Inter Regem Vvillelmum & Coloniensem archiepiscopum in Nussia tanta controuersia surrexit, quod Coloniensis apposito igne valido ad domum, in qua erat legatus cum Rege, voluit ambos incendio suffocare, vix euaserunt.* Affulgebant ergo Conrado secundarum rerum spes certissimæ, atque humanæ felicitatis apicem facile conscensurus videbatur, cum repentino implicitus morbo decubuit, vt anonymus rerum Conradi, & Manfredi, siue dixerimus Sicularum sui temporis scriptor narrat his verbis: *Reuersus in Apuliam hyeme sequenti, scilicet post expugnatam superiore anno Neapolim, mortuoque Henrico minore fratre suo, disponebat Rex versus partes Imperij procedere, & cum circa veris initiū ordinato exercitu processurus castrametari cœpisset in campis prope Lauellum infirmitate correptus, cum esset circa annos ætatis* XXVI. *in triumphorum suorum primordijs acerbo mortis fato succubuit. Mortuus est autem idem Rex* XXI. *mensis maij an. Domini* MCCLIV. XII. *indict. superstite sibi filio nomine Conradino duorum iam annorum ex Elisabeth Regina suscepto.* At illius obitum aliquot ante diebus collocant Stero a, ac Patauinus monachus b, Parisius c vero in aliquot posteriores dies reijcit, qui omnes alijque hoc anno accidisse consentiunt. Ex quibus atque e pontificijs literis refellendi nonnulli, qui Conradi obitum in superiores annos contulere.

a Stad. in chron. hoc ann.

Colonienses in Vvillelmum rebellant.

Anonym. auct. M.S. de reb. Conradi & Manfred.

In expeditionis apparatu moritur Conradus.

Conradinum hæredem relinquit.

a Stero in annal. ann. 1254. apud Canis. ant. lect. to. 1. pag. 273.

b Monach. Pad. chron. lib. 2.

c Par. hist. Angl. hoc ann.

45 Quod ad eius mortis genus spectat; innuit Parisius partim e concepto ob sibi atrocissima obiecta scelera dolore, partim veneno contabuisse: *Interim*, inquit, *Papa non mediocriter diffamauit Regem Conradum, imponens ei enormia crimina, scilicet cædem fratris sui Henrici, vt sic prouocaret Regem Anglorum, & omnes Anglos contra eum; & quod contemptor extitit clauium Ecclesiæ, & multa alia, quæ non oportet recitare: scripta autem sunt in libro additamentorum, & in hoc præfacta. Rex igitur Conradus irruptiones hostiles, comminationes, opprobria Papæ sustinens & diffamationes*, nimirum ob necatum Henricum, *cœpit supra modum contristari, & graui dolore contabescere; & vt dicitur, veneno propinato impellente.* Porrectum illi a Manfredo, qui tyrannidem affectabar, scribit Ricordanus d, quem Ioannes Villanus e, & nonnulli alij sequūtur, ac languenti clystere infusum tradit. Certe mutua quæ intercesserant odia, illatæque Manfredo iniuriæ, de quibus supra dictum est, tentati facinoris suspicioni locum dedere. Pergit Parisius lugubrem Conradi mortem describere, tristesque ab illo in extremis vitæ confinijs emissas voces adducit: *Væ mihi misero, væ, væ mihi misero. Vt quid me fudit mater mea e gremio? vt quid pater meus me genuit tot ærumnis exponendum? Ecclesia quæ mater patri meo, & mihi esse debuit, potius nouercatur: Imperium quod ante Christi natiuitatem vsque nunc floruit, modo marcescit & datur lethææ obliuioni. Maledictus ergo dies natiuitatis suæ, miseram & afflictam animam exhalauit.* Discessisse e viuis non expiatis sacra confessione criminibus, atque anathematis vinculis irretitum scribunt f laudati Ricordanus & Ioannes Villanus g: iusto Numinis iudicio, vt sacerdotum ministerio in extremo vitæ articulo, e quo pendebat æternitas, ad soluendos censurarum nexus, atque eluenda scelera careret, quos ob defensam Ecclesiæ causam acerrimis etiam tormentis aliquando confecisset. Funesto mortis generi funestæ exequiæ respondere, si vera sunt quæ nonnulli referunt h; extincti Conradi corpus in Messanense templum, vt sepulturæ mandaretur illatum, ex cereorum multitudine funebri apparatu flammam corripiente vnà cum templi tholo conflagrasse, eaque de re elegans hoc carmen compositum.

Creditur Mãfredus venenum illi porrexisse.

d Ricord. hist. flor. c. 146.

e Io. Vill. l. 6. c. 44.

Funere Conradus caruit tumuloque: rebelli
Vtraque namque negat munera religio &c.

f Ricord. & Io. Vill. vbi sup.

g Id. ibid.

h Maurol. & Constant. in hist. Sicil. Summon. in hist. Neap.

Conradi corpus in ecclesiam deportatū conflagrat incendio.

46 Sublato itaque e medio Conrado, Bertoldum marchionem Conradini vice Siculi regni administrationem ex testamento Conradi arripuisse scribit auctor anonymus supra memoratus i: *Pueri balili prænominatus Bertoldus de Honebruch per magnam sui astutiam procurauit sibi a Rege committi propter fauorem Theutonicorum, quos omnes ratione communis nationis munerum allectione adeo sibi deuinxerat, quod de eis omne suum beneplacitum facere poterat.* Et infra:

i Anonym auct. M.S. de rebus Conrad. & Manfr.

Bertoldus Marchio Siciliæ administrationem suscepit.

Assumpto itaque baliatus officio a marchione Bertholdo, tota camera, cunctaque Regis gaza in auro, argento, lapidibus pretiosis, & alijs], qua in ipsa camera continebantur, ad ipsius marchionis manus & dominium peruenerunt. Cumque inter alia, qua dictus Rex Conradus de filio & regno suo in vltima voluntate disposuit, filium suum monibus & gratia sedis Apostolica submittendum esse mandasset, Papa Innocentius IV. qui sedi tunc Apostolica praerat, ex Regis dispositione quandam sumens occasionem, asserens regnum Sicilia ad Ecclesiam Rom. spectare, regnum ipsum vendicare intendebat. Cumque pradictus marchio, regni balium gerens, misisset legatos ad Papam super petenda Regi pupillo sedis Apostolica gratia, prout pater suus in vltimo voluntate statuisse videbatur, summus Pontifex illam legatorum missionem & apostolica gratia postulationē magis debilitati partis regia, quam deuotioni adscribens, respondit pracise se habere velle regni possessionem, atq; dominium promittens Regi pupillo, cum ad pubertatē veniret, de iure si quod haberet in regno, gratiam esse faciendam. Hæc auctut Manfredi studio in Pontificem patum æquus.

Oratores mittit ad Innoc. vt Conradinum a patre clientelæ Ap. relictum tueatur. Respódet Pont. regni possessionem inire velle. Adalto Córadino sua iura restitutū iri.

47 Explicuisse Innocentium in Conradinum apostolicam clementiam, atque regnum Hierosolymitanum, cuius dominium in Henricum Cypri Regem, vt supra vidimus, ob Conradi de Ecclesia male meriti scelera; ne res Christiana in oriente funditus euerteretur, transfusū fuerat; atque Sueuiæ principatum, quo ipsius pater deiectus erat, & alia iura, si quæ in Siciliam obtineret, adscripsisse ostendunt ad vniuersos fideles exaratæ pontificiæ literæ. a

Regnum Hierosolymit. & Sueuiæ principatū illi confirmat.

a *Inn. l. 12. post ep. 205.*

Vniuersis Christi fidelibus.

Benigna mater Ecclesia, circa deuotos & humiles filios solicite vigilans, eorum profectibus & saluti pietatis oculo instanter prospicit, & attente. Sed cum semper misericordiæ beneficijs affluat abundanter, illud præcipue inter clementiæ opera ipsam reddit conspicuam, & insignem, quod de pupillorum statu, & suffragio indigentium alieno, propensius meditans, in opportunum patrocinium ad illorum munimen inundanter exuberat, & ad tutelam & præseruationem ipsorum manus extendens propitias, brachiaque fauorabilia explicans, ministerium circa eos constantis exequitur adiutricis. Quia igitur competit Ecclesiæ congruis pupillos fulcire fauoribus, pijsque præsidijs communire, nos circa charissimum in Christo filium nostrum Conradum Regem Hierosolymitanum illustrem ducem Sueuiæ filium quondam Conradi nati quondam Friderici olim Rom. Imperatoris, nunc in annis teneris, & pupillari constitutum ætate, apostolicæ beneuolentiæ gratiam effundentes, vt suæ propitiationis salubre munimen, magnumque commodum per effectum teneat, sentiat, & agnoscat, ac nostra, & Apostolicæ sedis benigne sibi largientis iuuamina; regnum Hierosolymitanum, & ducatum Sueuiæ, & alia iura sua, vbicunq; illa, siue in regno Siciliæ, siue alibi habeat, integra & illæsa sibi, deliberatione cum fratribus nostris habita, proponimus & volumus conseruare, & permittimus, quod vniuersi de ipso regno Siciliæ in serie iuramenti fidelitatis, quod nobis, & Ecclesiæ Rom. præstabunt, possint adjcere, Conradi pueri iure saluo. Ideo autem hæc vobis insinuamus & scribimus, vt ex tenore præsentium notitia, & certitudo de ijs in posterum habeatur.]

48 Vt Siciliæ porro regnum, cui Manfredus dominandi cupidine allectus inhiabat, ad Ecclesiam reuocaret, Guillelmum S. Eustachij diaconum Card. A. S. L. cum amplissima auctoritate, vel ad rebellium pertinaciam comprimendam, vel aliorum studia alliciendā suppeditandaue militi stipendia misit, vt ex literis b tum ipsi datis perspicitur: *Discretioni tua, quam firmiter, & pro certo tenere volumus, quod nos & fratres nostri te ac pradictum negotium in omni euentu constanter manutenebimus, tibique pro eo auxilia continua impendemus, prasentium tenore concedimus, vt possis pro eodem negotio nostro, & Ecclesia Rom. nomine contrahere mutuum, quantumcunque a mercatoribus Romanis, vel alijs, & obligare propter hoc Rom. Ecclesiam, & castra, & possessiones ecclesiarum Vrbis, Campania, & maritima, nec non castra, & possessiones circumadiacentium locorum, & regni Sicilia supradicti. Possis etiam pro ipsius promotione negotij fructus & prouentus omnes ecclesiarum tam cathedralium, quam aliarum in eodem regno vacantium libere accipere, ac etiam non vacantium, si earum prælati negotium ipsum non iuuerint iuxta tuum beneplacitum, & mandatum. Imponendi quoque ac exigendi collectas in eodem regno, si expedire videris, & nouam ibi cudi faciendi monetam, ac exhæredandi omnes de regno ipso quondam Friderici olim Romanorum Imperatoris, & natorum suorum fautores, qui ad mandatum Ecclesia, post denunciationem eis super hoc auctoritate nostra factam, minime redierint, & cunctos alios, qui postquam ipsis denunciaueris, redire contempserint. Omnia insuper iura demania, & quacunque siue in comitatibus, siue baronijs, seu feudis, vel standentijs, aut quibuslibet alijs sunt in eodem regno concessa, libere reuocandi; priuandi praterea vniuersos ipsius regni, quos Ecclesia proditores esse constiterit, si ad eius mandatum redire noluerint, omnibus suis feudis, & illa conce dendi fidelibus, ac accipiendi rebellium de regno ipso deposita vbicunque sunt, vel fuerint, & faciendi reddi in eodem regno, cum necesse fuerit, per illius pares iudicia; tribuimus tibi plenariam potestatem. Ideoque prudentia tua per apostolica scripta mandamus, quatenus ad eiusdem prosecutionem negotij, de diuino, & apostolico confisus suffragio, forti assurgens animo circa illud cunctis inuigiles studijs, & vt optata promotionis fauente Deo incrementa suscipiat, instanti solicitudine, ac solicita instantia elabores. Dat. Anagnia IV. non. sept. ann. XII.* Auxit pluribus prærogatiuis a legatum, vt maiorem illi conciliaret auctoritatem, datisque ad Siculos præsules literis b tum ecclesiasticis, ac laicis sacerdotia, aut vectigales ecclesiarum possessiones eripi iussit, qui Manfredi sequacium partes tuerentur.

Guillelmus tit. S. Eustachij diac. Card. in Siciliam exercitu legatus missus.

b *Ibid. l. 12. ep. cur. 11.*

a *Ib. ep. 12. & seqq.*
b *Ep. 33.*

49 Plures Siculos, quos diuturna Friderici, & Conradi tyrannis fatigarat, ad pontificias partes traductos indicat rerū Siculatum scriptor c: qui subdit, mox certatim populis liberas manus attollentibus, atque in Ecclesiæ obsequium procumbentibus, perculsum marchionem Honebruchensem, regni administrationem, quam pro Conradino susceperat, in Manfredum contulisse: *Cœpit*, inquit, *ex parte summi Pontificis caute tractari cum aliquibus regni magnatibus, qualiter regni possessionem adipisci Ecclesia posset. Cum autem iam aliqui de regni maioribus ad partem Ecclesia inclinari cœpissent, & pradicti marchionis non esset tanta potentia, quod tam graui dissidio vigenti posset obstare, videns marchio se in tanta difficultate perplexum, cum summus Pontifex exercitum iam congregare cœpisset, ad occupandum regnum, pluresque magnates, quos ipse marchio habere sperabat in auxilium, alij occulte, alij manifeste ad partem Ecclesia declinarent; baliatus officium se assumpsisse pœnituit, & ex tunc onus quidem incaute susceptum non sine pudore deponendum existimauit.* Et infra:

c *Anony. auct. rerū Conrad. & Manfr.*

Siculi ad Pontificias partes trāsfugiunt. Bertoldus regni administratione cedit.

50 *Marchione itaque dimittente baliatus officium, comites, barones, & alij magnates regni in Regis, nimirum Conradini, fidelitate manentes, ipse etiam marchio vnanimiter conuenerunt, rogantes principem Manfredum, vt balium nepotis Regis pupilli a marchione dimissum, quod eidem principi iure agnationis legitime offerebatur, assumeret, publice protestantes, quod si ipse princeps balium ipsum non reciperet, negotium pupilli Regis in regno Sicilia penitus perislitabatur, quod eidem principi pracipue posset imputari ad culpam, quod*

Mãfredus illam arripit.

ipse

ipse, qui singulariter regnum ipsum defendere poterat, ipsum in præiudicium Regis pupilli nepotis sui, & suum relinqueret indefensum. Interiectisque nonnullis, quibus auctor Manfredo addictissimus probare nititur, illum regni Siculi habenas corripere debuisse, subdit, vt marchionem Honebruchensem, & alios proceres fidei sacramento sibi adstrinxerit: *Tam ipse marchio*, de Bertoldo loquitur, qui Siciliæ moderandæ a Conrado præfectus erat, *quam comites, barones, aliique regni fideles eidem principi iurauerunt fidelitatem Regis, & suam, ita videlicet vt si Rex paruulus viueret, eidem principi tanquam generali balio eius intendere, & parere; sin autem ipse puer vel iam defecisset, vel post liberis non susceptis, deficeret, ipsum principem Manfredum ex tunc in Regem & regni dominum haberent*. Vt vero Manfredus, conficta Conradini morte, tyrannidem inuaserit, suo loco dicetur. Subijcit ad confirmandam quam arripuerat potestatem, cum regium ærarium marchio Honebruchensis sibi non restitueret, in comparandis copijs proprias opes effudisse, & Capuam ac nonnullas alias arces firmissimis præsidijs munijsse.

Pontifex Manfredũ & alios cõiuratos ad vsurpatã regni administrationem retinendã in iudiciũ accersit. Grauium pœnarum terrorem incutit. Vvillelmũ Regem sollicitat vt bonis exuat.

51 Ad euertendam interea improborum defectionem, ac Manfredi tyrannidem, Innocentius Anagniæ, quo se, vt propius consuleret Siculæ rei, contulerat, festo Assumptæ in cælum Virginis die Manfredum, marchionem ex Honebruch, Conradum ex Antiochia, atque alios coniuratos, incusso censurarum, aliarumque grauissimarum pœnarum, ac mulctæ fortunarum, & dignitatum terrore, publica acta, seruato iuris ordine, confecit: quos euoluto ad natalem Deiparæ diem temporis spatio ad Ecclesiæ obsequium redire iussit. Cumque ijs minus frangi nondum potuissent, stato die pontificijs ipsos censuris perculit, atque omnibus vectigalibus, bonis, & iuribus exuit; qua de re ad Vvillelmum Romanorũ Regem literas dedit a, vt bona quæ marchio ex Honebruch, alijque factionis Siculæ participes obtinerent in Germania, in alios traduceret, alijsque grauibus pœnis, vt Cæsareæ maiestati visum esset, afficeret. a

a Lib. 12. ep. cur. 41.

Vvillelmo Regi Romanorum illustri.

Manfred. Freder. de Antiochia Bertoldus alijq; sequaces anathemate percussi.

52 Excellentiæ tuæ notum esse volumus, quod nos in festo Assumptionis B. Mariæ Virginis proxime præterito marchionem de Houmburch, Manfredum, qui se nominat, & vocari facit principem Tarentinum, Fredericum de Antiochia, & fratres marchionis eiusdem, ac alios de Theutonia, ac partibus alijs extra regnum Siciliæ præsente copiosa fidelium multitudine publice, ac solemniter monuimus, eisque auctoritate apostolica districte præcepimus, vt vsque ad proximum sequens festum natiuitatis ipsius Virginis, quod iam prætetijt, quodque ipsis pro peremptorio præfiximus termino, regnum prædictum, & ciuitates, castra, villas, roccas, & alia ipsius loca Rom. Ecclesiæ; ad quam regnum ipsum cum districtu, & pertinentijs suis totaliter pertinere dignoscitur; libera & expedita dimitterent, per ipsius rectores, baliuos, officiales, & nuncios iuxta suum beneplacitum gubernanda; nullum impedimentum, nullamque turbationem, offensam, seu molestiam ijsdem rectoribus, officialibus, & nuncijs, seu alijs eidem Ecclesiæ adhærentibus, aut ijs, quos pro ipsius regni negotio, vel eius gubernatione illuc destinauimus, inferentes.

Denuntiatum omnibus exteris qui in Sicilia vectigales terras obtinerẽt ius fiduciar. a sede Ap. petere.

53 Illis etiam, qui de regno ipso non existentes, comitatus, baronias, feuda, seu alia huiusmodi iura in regno eodem obtinent, eadem auctoritate iniunximus, vt infra eundem terminum ad nostram accederent præsentiam, inuestituram, seu concessionem, aut confirmationem de ijs a nobis, seu de nostris manibus, sicut iustum existeret, recepturi; & si nostris super ijs non parerent monitis, & præceptis, sed horum existerent potius contemptores, ex tunc ipsos vniuersos & singulos propter hunc contemptum tam temerarium, & superbum; ac principaliter prædictos marchionem, Manfredum, Fredericum, & marchionis fratres anathematis vinculo innodantes, eos comitatibus, baronijs, feudis, cunctisque dignitatibus & honoribus, iure patronatus, aduocarijs, & quibuslibet alijs iuribus, quæ habent in eodem regno vel alibi, tanquam rebelles & hostes prædictæ Rom. Ecclesiæ, suorumque iurium inuasores, occupatores, & detentores sacrilegos, ac insuper eorum filios, & fratres, omnibus dignitatibus, & beneficijs ecclesiasticis duximus prædicta apostolica auctoritate priuandos; statuentes, vt nullus ipsorum deinceps ad huiusmodi dignitates, & beneficia promoueri valeret: & concedentes illis, a quibus ijdem rebelles, & hostes comitatus, baronias, feuda, & alia præmissa tenent, resumendi, & retinendi ea propria auctoritate, ac disponendi, prout ad ipsos pertinet de eisdem, & illis, ad quos siue sua ordinaria, siue nostra speciali, seu legatorum sedis Apostolicæ auctoritate dignitatum, & beneficiorum ipsorum ecclesiasticorum collatio pertinet, conferendi ea personis idoneis, liberam facultatem: ac omnes, qui præfatis marchioni, Manfredo, Frederico, & ipsius marchionis fratribus, & alijs de regno ipso non existentibus, fidelitate, homagio, vel iuramento, seu pactis, aut promissionibus, seu quibuscunque obligationibus siue quoad fidelitatem, siue quoad sponsalia, siue quoad alia sunt adstricti, ab huiusmodi vinculis & obligationibus penitus absoluentes.

Imperia detrectantibus incusse pœnæ.

54 Veruntamen quia præfati marchio, Manfredus, Fredericus, & ipsius marchionis fratres, ac alij prædicti, tanquam in sua malitia obfirmati contempserunt huiusmodi apostolica monita, & præcepta, nolentes a sua tanta temeritate cessare; nos in prædicto festo natiuitatis eiusdem Virginis ipsos vniuersos, & singulos, astante multo fidelium populo, declarauimus, & denunciauimus præmissis pœnis, & sententijs subiacere: ac illos a quibus ipsi comitatus, baronias, feuda, & alia prædicta tenent, & eos ad quos dignitatum, & beneficiorum eorumdem collatio pertinet, habere disponendi de ijs liberam potestatem; ac omnes qualitercunque prædictis modis ipsis astrictos ab omni esse vinculo, & obligatione penitus absolutos. Ideoque celsitudinem tuam solicitamus, & requirimus, monentes, & hortantes attente, quod comites, duces, marchiones, barones, aliosque principes & nobiles de Alemannia, a quibus præfati marchio, ac ipsius fratres, & alij de Theutonia, in regno existentes prædicto, baronias, feuda, vel alia huiusmodi tenent, moneas, eisque districte iniungas, insinuato ipsis huiusmodi nostro processu, quod infra certum terminum, quem eis præfixeris, baronias, feuda, & alia prædicta omnino ad se capiant, & resumant illa prædictis marchioni & alijs auferentes, disponendo alias de ijs prout pertinet ad eosdem. Quod si forte non fecerint, tu ex tunc hæc regia potestate capiens ordines de illis, prout videris expedire. In hoc autem promptum te, ac studiosum exhibeas, & solertem, cum in ijs omnibus & Ecclesiæ honor, & tuus communiter procuretur. *Dat. Anagniæ 11. id. sept. ann. XI.*]

Vrgetur Vvillelm. vt Bertoldũ aliosq; Germanos perduelles bonis detrahet.

55 Eodem argumento Spirensi episcopo datis literis a præcepit, vt perduellium possessiones in alios deriuaret, atque sacerdotijs ipsorum filios fratresque exueret. Dissolutam breui Siculorum procerum coitionem Pontificis diligentia ex memorato Manfredi rerum gestarum scriptore colligitur. vbi enim Manfredi solicitudinem in vrbibus ac populis, qui in eius obsequio fluctuabant, continendis descripsit, subiungit: *Interea summus Pontifex in Sicilia nuncios miserat ad Petrum Ruffum de Calabria, qui Siciliæ, & Calabriæ baiulus fuerat ordinatus sub marchione*

a Ep. 42.

Manfredi aliorumq; procerũ coitio dissoluitur.

Ber-

Bertoldo: quorum nunciorum tractatu ad id deuentum erat, quod dictus Petrus Ruffus Fulconem nepotem suum & alios solemnes nuncios pro parte sua in ciuitate Messana misit ad Papam, cum duobus galeis per mare vsque Terracinam venientes; factumque erat, quod tam Sicilia, quam Calabria ad conuertendum se in partem Ecclesiæ disponebatur. Richardus enim de monte nigro, qui propter odium, & inimicitias quas habuerat cum marchione Bertoldo, in partem contrariam declinauerat, qui in regni finibus terras & castra tenebat, confœderationem iam fecerat cum Campanis, & exercitus papali transitum in regnum dare promisit: & alij etiam per occultos nuncios suos donationes sibi a sede Apostolica impetrauerant. Et paucis interiectis: *Coniuratio quoque facta erat a quibusdam in Capua, vt statim quod papalis exercitus regno appropinquasset, ipsi vno impetu in principem latenter insurgerent, & ipsum aut caperent, aut interficerent. Prædictus quoque marchio Bertoldus eam promissionem, quam principi fecerat de mittenda sibi pecunia, & de veniendo ad eum cum exfortio de Apulia, sibi defecerat: immo per Apuliam discurrendo negotia sua, commodaque tractabat; & requisitus etiam per Gualuanum Lanceam ex parte principis ad eum missum de periculis, in quibus principem dimiserat, non curabat.* Nonnullisque in Manfredi laudem congestis, qui rebus in extremum discrimen adductis vincere astu quam audacia maluisset, subijcit.

Plures a Manfredo ad Pontificias partes se conferunt.

56 *His ergo alijsque rationibus circumscriptis, nuncijs qui ad se a summo Pontifice missi erant, princeps respondit; & talem per eum & suos nuncios missos ad Papam deprecationem cum ea deuotione, qua decuit, fecit: vt videlicet sanctus Pater apostolicus, ad quem causa & præcipue pupillorum defensio, Dei vice defertur, ipsum principem, qui causam pupilli Regis nepotis sui gerendam ex sola ætatis imbecillis miseratione suscepit, in ipsius administratione contra debitum pietatis apostolicæ non turbaret: immo sibi super hoc auxilium tribuens, prædictum pupillum Regem in matris Ecclesiæ sinu reciperet, et pater suus Conradus in vltima decreuerat voluntate. Et si eidem summo Pontifici prorsus placebat terram pupilli regere, paratum se obtulit idem princeps eundem sanctissimum Patrem in regnum recipere sine præiudicio Regis, & suo; & tam ipsius Regis, quam suo in omnibus iure saluo, sub cuius auctoritate petitionis exposita finibus tractatum est, quod Papa sine præiudicio pupilli Regis, & principis cum iuris vtriusque protestatione ex permissione principis ingrederetur regnum.* Sed Manfredum suis viribus diffidentem se tempori accommodasse, ac pontificiam clementiam, ne res suas omnino euerteret, eblanditum, e pontificijs literis constat: quibus Innocentius principatum Tarentinum, Grauinæ & Tricarici comitatus, Honorem montis S. Angeli a Friderico relictos confirmauit: præterea Andrensem comitatum adiecit; & Galuanum Lanceam, ipsius auunculum in Cardinalium consessu, dato annulo, amplissima ea ditione induit: tum sententias, quibus illius dignitas ob præteritam rebellionem infringeretur, rescidit, atque apostolicam clientelam est pollicitus.[a]

Suorum defectione perturbatus Manfredus Pontificis gratiam ambit. Plena fucis & dolis illius oratio.

Regnum pontificio arbitrio submittit.

Principatus Tarentinus aliæque terræ ipsi confirmantur.

a Lib. 12. ep. 101.

Nobili viro Manfredo principi Tarentino fideli nostro.

57 Clemens semper, & mitis in suis actibus mater Ecclesia illum benignitatis circa suos filios, & subditos tenet modum, vt tanquam vehementer in operibus pietatis exultans, & quasi amœnas sibi delicias existimans misereri, eligat magis seruare mansuetudinem, quam rigorem, & ignoscere potius, quam sæuire. Veruntamen si culpam in quoquam reperiat, vel offensam, quia delectabile ac iucundum est sibi dimittere delinquentem in pœnæ dimissionem, vel moderationem iucundum, libentius parcit quam feriat; & plus se illi propitiam exhibet, quam seueram. Nam & agnoscit quod reuera tunc egregie de aliquo vindicta sumitur, cum ei magnanimiter indulgetur: id enim in suis præcipue quærit, & optat Ecclesia, quod in suo benigno collecti gremio amore ac deuotione proficiant, & in suorum dulcedine vberum continue delectentur: quibus sponte nos in donis, & gratijs largifluos exhibemus, vt beneuolentia, & liberalitate nostra percepta, in nostris, & eiusdem Ecclesiæ beneplacitis fortius roborentur. Quia igitur * ipsius Ecclesiæ brachijs totaliter commisisti, eam matrem, & dominam recognoscens, tua firmata salubriter ad ipsius mandata, & obsequia voluntate; nos de hoc multo concepto gaudio, recipientes te in nostram, & Apostolicæ sedis gratiam, patris, & fratrum tuorum, ac tuis culpis nequaquam obstantibus; tibique omnes iniurias, & offensas, quas nobis & eidem Apostolicæ sedi, ac Ecclesiæ intulisti, totaliter remittentes; quoniam per te, in quo generis claritas, potentia, industria, & alia quamplura digna laude concurrunt, honor, commodum, & exaltatio Ecclesiæ poterunt multipliciter, & efficaciter procurari; prouidimus personam tuam muneribus sublimare magnificis, eiusque statum insignibus honoribus illustrare: vt tu de tot effusorum circa te beneficiorum affluentia corde lætus, & Ecclesiæ valde gratus ad deuotionem, & dilectionem eiusdem vehementer inardescas.

* te

58 Hinc est quod cum regnum Siciliæ cum omnibus districtibus, & pertinentijs ad Apostolicam sedem plene pertineat, sitque ad eius dominium totaliter deuolutum; nos volentes te in illo principaliter & amplifice honorare, concessiones de principatu Tarentino, cum Grauini & Tricarici comitatibus, ac de Honore montis S. Angeli dudum tibi factas a quondam Frederico olim Romanorum Imperatore, ac Rege Siciliæ patre tuo, prout in eius literis, seu priuilegijs confectis exemplum continetur; nobilitati tuæ de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica confirmamus, &c. vsque communimus. Ac insuper apostolicum circa te fauorem ampliando, præmissa omnia ab eodem Frederico concessa, de nouo tibi & hæredibus tuis in perpetuum, de fratrum consilio eorundem, plene conferimus ex gratia speciali. Comitatum etiam Andrensem pro comitatu montis Caucosi, quem nunc tenet nobilis vir B. marchio de Houmburch, tibi gratiose in concambium duximus concedendum: ita quod & principatum, & Honorem, & comitatus prædictos cũ ciuitatibus, castris, villis, portubus, baronijs, hominibus, infeudatis, & non infeudatis; terris cultis, & incultis, syluis, aquis, aquarumque decursibus, & pascuis; cum honoribus, dignitatibus, & ijs quæ ad merum & mixtum imperium pertinent, & cum iuribus, & rationibus, & pertinentijs omnibus eorundem; tu & ijdem hæredes immediate a Rom. Ecclesia, nullum alium præter ipsam recognoscendo in ijs superiorem, vel dominum, teneatis perpetuo. De quibus omnibus dilectum filium nobilem virum Galuanum Lanceam auunculum tuum tuo nomine in eorundem fratrum nostrorum præsentia curauimus per annulum inuestire: non obstantibus quibuscunque excommunicationum, seu priuationum, aut depositionis sententijs, in personam memorati Frederici auctoritate apostolica promulgatis, seu alijs circa ipsum impedimentis, & quibuslibet statutis, seu legibus editis, vel edendis, per quæ prædicta ipsius Frid. concessiones infringi, seu irritari, vel vacuari possent, aut etiam reuocari, & qualibet alia in te priuationis dignitatis, & honorum, aliorumque iurium sententia per nos lata.

Comitatum Andrensem tribuit Pont.

59 Volumus autem, vt quotiescunque ipsa catholica Ecclesia pro defensione regni præfati generalem exercitum congregauerit, vel indixerit, tu dictique hæredes teneamini pro prædictis quinquaginte

Ad quæ officia ipsum adstrinxerit.

ginta milites equis & armis bene munitos ad seruiendum per quadraginta dies vestris sumptibus eidem Ecclesiæ infra regni confinia exhibere. Nos quoque ac ipsa Ecclesia te, ac ipsos hæredes in prædictorum principatus, & aliorum omnium possessione manutenebimus, & contra omnes, qui vos molestauerint, impetierint, vel turbauerint super illis, defensione vobis curabimus assistere opportuna. Et si aliquem ius in eis, vel aliquo eorum habere constiterit, de condigno illi concambio in eodem regno studebimus prouidere. Ad hæc pro terris alijs, quas prædictus marchio & Gualterus de Ocra in eisdem principatu, & comitatibus tuis tenent, æquiualens in ipso regno tibi concambium concedemus. Nulli, &c. *Dat. Anagniæ per manum Guillelmi magistri scholarum Parmensium S.R.E. vicecancellarij v. kalen. octob. indict. XIII. incarnat. dominicæ MCCLIV. pontif. vero domini Innocentij Papæ IV. ann. XII.* Explicuit adhuc in Manfredum, quo magis illum sibi deuinciret, pontificiam liberalitatem Innocentius suasque illi vices in amplissimis prouincijs demandauit, vt subiectæ literæ ostendunt.

60 *Nostrum te ibi vicarium a Faro vsque ad flumen Silens, & ab eodem flumine infra per terram Beneuentanam, & comitatum Molisij vsque Trignium, excepto iustitiariatu Aprutij, duximus in temporalibus, & ijs quæ ad merum, & mixtum imperium pertinent, de fratrum nostrorum consilio statuendum: itaquod vicariam huiusmodi immediate ab Apostolica sede recognoscas, & teneas; & in vita tua, quamdiu fidelis, & obediens, & deuotus Ecclesiæ Rom. fueris, eandem exerceas vicariam: ordinantes & præcipientes, quod de prouentibus ex terris, locis, & vniuersis districtibus ipsius vicariæ obuenientibus; deductis exinde prius sumptibus, qui fient in custodia munitionum, castrorum, aliarumque terrarum infra terminos eiusdem vicariæ consistentium, & expensis officialium, qui ad colligendum prouentus huiusmodi fuerint deputati; octo millia vnciarum auri habeas, & percipias annuatim: ita quod tertia pars horum octo millium in kal. decembris, & alia tertia in kal. aprilis, & reliqua tertia kal. augusti tibi annis singulis integre persoluantur.*

Venienti in Siciliam Innocentio occurrit.

61 His illectus beneficijs Manfredus, venienti in Siciliam Pontifici occurrit, vtque suum studium commendaret, stratoris etiam officium exhibuisse, rerum ab illo gestarum scriptor his verbis tradit [a]: *Ad maiorem sui deuotionem ad sacrosanctam Ecclesiam ostendendam, princeps summo Pontifici obuiam processit, vsque ad Ceperanum, & Papa regnum intrante, princeps stratoris ei officium exhibens, frænum tenuit quousque ad pontem Gariliani transiret. In ipso autem ingressu Papæ in regnum, res mira contigit: nam crux, quæ ante summum Pontificem de consuetudine dignitatis apostolicæ ferebatur, capitulo suum crucem circumplectente confestim, de manu illius, qui ipsam portabat, statim post transitum pontis in terram cecidit.*

a Anony. auct. M.S. de reb. Conrad. & Manfred.

Stratoris officia illi exhibet.

Capuam proficiscitur Innoc.

62 Exceptus itaque magno honore a citerioribus Siculis Innocentius Capuam se contulit, vbi ipsum plurium ciuitatum oratores, vt suam illi fidem obligarent, adiere. Quorum obsequijs receptis, ipsos in clientes admisit. Eo enim argumento ad Melfienses extant exaratæ literæ [b]: *Sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, temporibus claræ memoriæ omnium regum Siciliæ semper de demanio extitistis. Cum autem per speciales nuncios propter hoc ad præsentiam nostram destinatos, nobis fidelitatis debitæ præstiteritis iuramentum, nos supplicationibus vestris annuentes, præsentium auctoritate statuimus, vt vos, & prædicta ciuitas in deuotione sedis Apostolicæ permanentes, de nostro, & Ecclesiæ Rom. demanio, sicut fuistis temporibus eorundem regum, in perpetuum existatis. Nulli, etc. Dat. Capuæ x. kalen. nouemb. ann. XII.* Transmissæ ad alios paucis immutatis eædem literæ [c], quibus a se-

b Ibid. ep. 267.

Plures populos beneficijs exornat.

c Ep. 264.

de tantum Apostolica iura petere iussi sunt, eiusque clientelæ commendati.

63 Paucis vero ante diebus ad palliciendos ad officium reliquos Siculos, vt pontificij imperij suauitatem experirentur, ac vincula quibus tamdiu crudelissime constricti ingemuerant, dissoluerent, dato diplomate ad omnes Siculi regni ordines grauiora a Frederico & Conrado imposita vectigalia abrogauit [a], & erepta ab ijs ecclesijs proceribus, atque alijs quibuscumque iura & bona restitutum iri sanxit. Præterea ipsis patrocinium explicuit: [b] tum veteres probas consuetudines, iura, prærogatiuas, libertatesque redintegrauit.

Grauiora a Frid. & Conrad. imposita vectigalia abolet.

a Ep. 276.

b Ep. 276.

Archiepiscopis, & episcopis, ac dilectis filijs abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis & alijs ecclesiarum prælatis: ac nobilibus viris comitibus, baronibus, iustitiarijs, vicarijs, & ceteris officialibus, militibus, burgensibus, communi Messanensi, & vniuersis per Siciliam, & Calabriam constitutis, nostris & Ecclesiæ Romanæ fidelibus.

Communi fidelium fidelium voto libenter Ecclesia beneuola mater concurrit, digne illos, qui sincera se fide, ac obsequia ei deuote præstiterint, apostolicis attollens fauoribus, & largitiuis beneficiorum magnificans donatiuis. Vt igitur vobis exultationis, & gaudij de peroptato ipsius regimine, pro quo diuturna sunt tracta suspiria, grata proueniat plenitudo, vos, ecclesias insuper vniuersas, & loca religiosa Siciliæ, & Calabriæ, & cuncta vestra, & ipsorum bona sub B. Petri, ac nostra protectione, ac defensione suscipimus speciali. Libertates vero, & immunitates, vsus, & laudabiles consuetudines a priscis temporibus vobis, & ecclesijs, ac locis prædictis, regali, vel alia quorumcunque fidelium munifica largitione concessas, illibatas semper seruare volentes, illas vobis, ac eisdem ecclesijs ac locis auctoritate apostolica de speciali gratia confirmamus. Statuimus præterea, vt prædictæ Sicilia, & Calabria perpetuo sint de demanio Ecclesiæ Rom. atque nostro; eædemque cum pertinentijs, districtibus, & iuribus suis, & cum vniuersis hominibus sub dominio semper Apostolicæ sedis consistant: nec cuiquam aliquid concedere, quo minus verum dominium apud Ecclesiam Rom. remaneat, vel quomodolibet alienare, vel transferre, siue in illustres, seu in alias quascunque personas liceat: eisdem semper hominibus cum bonis suis permansuris sub potestate, iurisdictione, ac præsidio dictæ sedis, & habituris optatæ solatia libertatis. Nulli, &c. *Dat. Capuæ XIII. kal. nouemb. ann. XII.*]

Sancit Siciliam & Calabriam nulli quam sedi Ap. obnoxias fore.

64 His Capuæ gestis Innocentius Neapolim profectus, plures proceres ac populos ad obsequium redeuntes benigne excepit. Inter quos Ioannem Morum [c], & Guillelmum Cynardum amplissimis beneficijs affecit, atque Alifanos [d], vt maiori libertate potirentur, Romanæ tantum Ecclesiæ dominio subijciendos statuit. Accepit pariter in clientelam pontificiam Messanenses restituitque pristinæ libertati; redintegrata vetera iura, eademque reipublicæ forma, quæ apud Neapolitanos, & Capuanos floreret, ipsis permissa: qua de re Petro Ruffo Siciliæ, & Calabriæ præfecto, de quo ex rerum a Manfredo gestarum scriptore memorauimus, literæ exaratæ. [e]

Capua Neapolim se confert.

c Ep. 284. 337. 353.

d Ep. 295.

Messanenses atque alios plures aggregatum augет.

e Ep. 289.

Nobili viro Petro Ruffo de Calabria comiti Catacensi, regni Siciliæ marescalco, ac eiusdem Siciliæ, ac totius Calabriæ generali, nec non & ciuitatis Messanæ vicario: ac consilio & communitati Messanensi fidelibus nostris.

Apostolica sedes, quæ semper æquitatis statera librat merita singulorum, non sine discretionis deliberato iudicio, propria per suos distribuit munera gratiarũ, oculo debitæ prouidentiæ, ac lance considerationis dijudicans quos, quando, & quibus beneficio-

rum

rum suorum lætificat donatiuis. Dignum igitur, & congruum sedes eadem arbitratur se circa ciuitatem Messanensem eiusque ciuea impendere gratiosa, & eam, quæ inter ciuitates regni Siciliæ potentiæ, ac nobilitatis antiquæ fama præfulget, priuilegijs efferre conspicuis, & præcipuæ prærogatiua gratiæ honorare: præsertim cum per ipsam, dictosque ciues grata sacrosanctæ Rom. Ecclesiæ, & grandia possint commoda prouenire. Vestris itaque supplicationibus affectu beneuolo concurrentes, vt illa insignis fidei & fidelitatis deuotio, qua vos ei, cuius estis regenerationis lauacro filij, cuiusque ditionis dominio vos reuerenter prosternitis, noua pariat gaudia vobis, & desideratæ præmia libertatis producat; vos & ciuitatem eandem sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus speciali. Et vt ex cumulata matris ad filios gratia eorum semper fides, & deuotio augeatur, præsentium auctoritate statuimus, vt vos & dicta Messanensis ciuitas de demanio sitis Rom. Ecclesiæ, libertatum, honorumque priuilegijs, quæ a priscis habuistis temporibus, de cætero gauisuri: auctoritatem vobis eandem nihilominus concedentes, vt sub simili regimine viuatis, & maneatis deinceps, sicut Neapolitani & Capuani manere, & viuere dignoscuntur. Nulli, &c. *Datum Neapoli III. non. nouembr. ann. XII.*]

Mãfredus a Pontifice desciscit.

65 Effloruerant hactenus secundis successibus pontificiæ res, cum funesta conuersione ob Manfredi perduellionem, atque Innocentij immaturam mortem funditus conciderunt. Defectionis Manfredi causas has affert gestarum ab illo rerum scriptor a. Exulceratum Manfredi animum ob nimiam a legato apostolico, nimirum Guillelmo S. Eustachij diacono Card. quem iuuenem, & Pontificis cõsanguineum fuisse ait, vsurpatam auctoritatem: *Cœpit*, inquit, *legatus non tanquam rector, aut gubernator in regno agere, sed tanquam regni dominus pupilli Regis & principis iura subuertere; & a comitibus, baronibus, & alijs tanquam Rex iuramenta fidelitatis exigere nulla iure regio, & principis saluo: sibique tanquam Regi Siciliæ intendi ab omnibus faciebat. Ipsumque etiam principem requirebat, vt sibi simile iuramentum præstaret*. Adactos iure sacramento fidei in Pontificis verba explicatum est, cum regnum ad sedem Apostolicam, vt literæ Innocentij testantur, deuolutum esset; nec Conradinus illud posset iuste capessere, nisi ab sede Apostolica illud accepisset. Pergit auctor.

a Anony. auct. M.S. de rebus Conradi & Manfr.

Nonnullæ illius defectionis ob tentæ causæ.

Recusat in legati verba sacramento se astringere.

66 *Princeps autem sibi respondit, quod cum ex pactionibus habitis inter summum Pontificem, & ipsum de regni negotio cautum esset nepotis, & sua iura saluari, nec vsque ad tempora pubertatis ipsius pupilli aliquid de regni statu immutari debere; cum existimandum esset de iure pueri, & quod Ecclesia in regno habere contendit, iuramentum ipsum ab eo exigi non debebat. Licet autem ad iuramentum tale præstandum nullatenus princeps induci potuerit, cœpit tamen apud eundem principem reuerentia hominum consueta diminui, cum dictus legatus ipsum principem, sicut & alios regni magnates, nulla contemplatione habita Cæsareæ nobilitatis, qua ipse alijs excelleret, suo intenderet suppeditare dominio*. Hæc anonymus auctor, qui improbe sugillat Ecclesiam, initas cum Manfredo fœderis leges violasse, vt Manfredi perduellionem aliquo colore iustitiæ cohonestet: ea ipso enim pontificio diplomate superius allato refellitur, in quo confirmatis Conradino regno Hierosolymitano & Sueuiæ principatu vnà cum alijs iuribus siue in Sicilia, vel alijs terris ea obtineret, permisit Siculos sacramento fidei Rom. Ecclesiæ exhibendo Conradini iura excipere. De Manfredi vero iuribus seruandis nulla iniecta mentio, cum nulla, vtpote e vetito thoro oriundus, obtineret. Licet auctor ipsius, vt dictum est, studiosissimus, passim vt de legitimis natalibus decorato loquatur, Defuit itaque Manfredo ob Siculos in verba Ecclesiæ adactos iusta rebellandi occasio, scelusque inani prætextu colorauit; si enim ab ipsis Regibus Siciliæ, vt in Friderico vidimus, Ecclesia sacramentum fidei exigeret multo magis a principe inferioris dignitatis accipiendum fuit.

67 Interea dum Pontifex aduersa valetudine implicitus Thaani subsisteret, ac Bertoldus de Honebruch ex Apulia ad pontificiam aulam se conferret, refert memoratus scriptor Manfredum marchioni obuium perrexisse, ac Burrellum ex Anglonorum familia, qui ob exortam de Alesinæ comitatu contentionem cum Mãfredo inimicitias exercebat, egredienti Theanum occurrisse, accensisque ex mutuo cõspectu iracundia animis, nonnullos e Manfredi satellitio Burrellum facto impetu auertisse in fugam, fugientemque versus Theanum inuito ipso Manfredo obtruncatum: eoque casu exterritum sibique metuentem, cum suorum extremæ copiæ Cardinalium, qui Pontificem Capuæ cum exercitu operiebantur, iussu captæ essent, Nuceriam Sarracenorum vrbem munitissimam contentis itineribus peruenisse, noctuque a Sarracenis excubitoribus perfractis securibus portis, cũ interim Ioannes Morus arcis præfectus ad Pontificem, vt se ac Nuceriam subijceret, contulisset; ptimo nouembris die inductum. subdit auctor, vt Sarracenorum studijs fretus mox defectionis a Pontifice consilia aperuerit.

Burrellus contra rixa a Manfredi satellitio truci datus.

Confugit Manfredus ad Sarracenos Nuceriæ.

68 *Congregato vniuerso populo ciuitatis ante palatium regium, princeps in ipso palatio residens ad fenestrã, quæ prospicit inter meridiem & occasum, de qua ipse populum respiciebat, totusque populus ipsum videbat, prælocutus est ad populum, sicut negotij qualitas requirebat, exponens causam, propter quam a summo Pontifice recesserat; & qualiter voluntatis suæ erat iura Regis nepotis sui, & sua, & libertatem, bonumque statum regni, & ciuitatis ipsius viriliter manutenere, atque defendere. statimque omnes se in personis & rebus ad seruitium & beneplacitum Regis, & principis obtulerunt: & iuramenta fidelitatis & homagij sibi pro parte Regis & sua, secundum eorum ritum, corporaliter præstiterunt*.

Ipsos ad defectionẽ trahit.

69 Adactis igitur in sua obsequia Sarracenis, qui Romani Pontificis imperium exhorrescebant, Manfredus thesauros, qui in regia Nucerina a Friderico, & Conrado, atque Odone & Ioanne Muro marchionibus reconditi erant, inuasit, eosque liberaliter, ad pelliciendum militem, spargere cœpit: adeo vt maxima equitum & peditum multitudo, tum Germani maxime, ad eum vndique confluxerint, ac plures e Bertoldi marchionis ac legati apostolici exercitu, audita illius liberalitate, ad ipsum transfugerint, auctaque potentia magnum sui terrorem circumferre cœperit, marchionem Odonem pontificij exercitus præfectum fuderit, impetuque ceperit Fogiam: ex cuius expugnatione tantum metum legatus sedis Apostolicæ conceperit, vt Troia, in qua versabatur, noctu discedens, relictis impedimentis præcipiti fuga Neapolim contenderit, de quo hæc subijcit: *Cum tanta festinantia ibat, quod marchioni Bertholdo, qui pridie ab ipso fuerat missus ad Papam, in via se adiunxit: & deinde ambo simul Neapolim peruenientes, inuenerunt, quod ipsis diebus, videlicet . . die decembris Papa defunctus erat. Tantus autem Cardinalibus & alijs de Romana curia ex illa victoria principis timor accessit, quod visi legato & marchione omnes voluere de Neapoli recedere, & in Campaniam redire: ad magnam autem instantiam & reconfortationem marchionis ipsius steterunt in vnum collecti ad electionem noui summi Pontificis, &c.* De Alexandri electione, arreptaque a Manfredo tyrannide in sequenti tomo agemus: nunc quæ ad Innocentij obitum spectant prosequamur.

Magnas opes Nuceriæ reperit.

Ijs milites ad se allicit.

Odonem pontificij exercitus ducem profligat. Fogiam expugnat. Guillelmus legatus dissipato exercitu Neapolim fugit. Innocentium rece[n]ter e viuis abijsse reperit. Perturbati victoria Manfredi Cardinales.

Con-

Contigisse VIII. id. decemb. scribit Parisius a, vt mittamus cæteros, qui longius a veritate aberrant: at Stero b certius rem assequitur, dum septimum decembris diem collocat; consentitque cum Alexandro IV. qui in encyclicis literis eodem die mortem Innocentij consignat his verbis c: *Sane felicis recordationis Innocentio Papa prædecessore nostro VII. idus decembris in regno Siciliæ, in ciuitate scilicet Neapolis, de angusto & tetro carnis carcere vocato, sicut speramus, ad spatiosum & lucidum cæli palatium, vt de multis laboribus, quos pro Ecclesiæ honore ac libertate constanter pertulit, mercedem quietis percipiat sempiternæ: ac deinde ipsius solemniter celebratis exequijs eiusque corpore honorifice, prout decuit, tumulato; nos tunc Ostiensis, & Velletrensis episcopus, & cæteri fratres nostri, more pro eligendo successore simul conuenimus, &c.* Hæc Alexander de morte & exequijs Innocentij, qui Ecclesiæ catholicæ annos vndecim menses quinque, ac dies quatuordecim præfuit.

a Par. hist. Angl. hoc ann.
b Stero in ann. apud Canis. ant. lect. to. 1. pag. 274.
c Alex. IV. l. 1. ep. 2.

70 Extinctum cælesti vltione tradit Cantipratensis d ob Prædicatorum, & Minoritarum priuilegia rescissa, repentinaque percussum paralysi vocis officium ad mortem amisisse. Sed hæc aliaque huiusmodi conficta fuisse, quiuis prudens animaduertere poterit. Quæ porro fuerint ea priuilegia ab Innocentio abrogata, P. Lucas Vvadingus e sui ordinis annalium præclarus scriptor ex pontificijs diplomatibus edocet, cuius verba afferenda visa sunt: *Præcepit in virtute sanctæ obedientiæ, vt parochianos alienos diebus dominicis & festiuis de cætero in suis ecclesijs, seu oratorijs temere non reciperent ad diuina: nec ipsos vllatenus ad pœnitentiam admitterent sine suorum licentia sacerdotum: nec eis in suis prædicarent ecclesijs ante missarum solemnia, pro quibus audiendis prima diei parte ijdem parochiani consueuerunt, & debent in suis ecclesijs conuenire: nec sermones etiam solemnes facerent illa hora, sed nec ad prædicandum solemniter ad parochias alienas accederent, nisi essent ab eorum sacerdotibus inuitati, vel saltem nisi se ad id humiliter peterent & obtinerent admitti: nec ea die qua diœcesanus episcopus, vel alius loco eius prædicaret solemniter, maxime in ecclesia cathedrali, aliquis ipsorum in eadem ciuitate, vel loco præsumeret prædicare. Si vero in casu licito parochianum alterius eos in suis ecclesijs recipere ad sepulturam contingeret, omnium quæ obtentu consequerentur huiusmodi sepulturæ, portionem canonicam etiam non requisite, infra octo dies a tempore receptionis eorum episcopo, vel sacerdoti, de cuius parochia mortuus esset assumptus, exhibere curarent. Si autem aliquis religiosorum ipsorum, huius præcepti transgressor contra prædicta, vel aliquod prædictorum venire præsumeret; præter inobedientiæ vitium, & excommunicationis sententiam, quam eum incurrere voluit ipso facto, gradus sui periculo subiaceret; & nihilominus a diœcesano ad præmissa vniuersa & singula obseruanda per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, districtius cogeretur, nullis ei contra hæc indulgentijs, vel priuilegijs apostolicis valituris. Omnia hæc habentur inserta bullis duabus Alexandri IV. in quibus anno primo sui pontificatus, restituit rec omnes suo pristino statui.*

d Thom. Cantipr. l. 2. c. 10. n. 21.
Conficta de Innoc. morte fabula.
e Vvadin. in annal. Min. hoc ann. n. 2.
Quæ Prædicatorū & Minoritarum priuilegia ab ipso rescissa fuerint.

Qui hæc allata a Vvadingo mature perpenderit; vt laudabit Alexandrum sacris ijs ordinibus priuilegia pristina restituisse, ita non negabit Innocentium ad ea rescindenda adduci potuisse, vt cleri splendorem tueretur, cuius auctoritas populis ad religiosorum ecclesias desertis parochialibus concurrentibus facile obsolescebat: vel ne aduersus præsules religiosi viri aliquando se efferrent, aut ex nimio mundi commercio aliquam cõtraherent labem, quæ nitorem conscientiæ obscuraret. Singulari vero beneuolentia Innocentium inter cæteros religiosos ordines, qui magno cum animorum emolumento vineam Domini excolebant, Prædicatores ac Minoritas complexum, pluribus frequentasse officijs, atque eorum opera in magnis fidei negotijs aduersus hæreticos vsum esse plura hoc argumento diplomata a confecta ostendunt.

a Extāt in bullar. to. 1. & apud Luc. Vvad. to. 2. ann. 1254.

71 Mendacij porro conuincitur, quod de vocis officio amisso refert idem Cantipratensis, cum tradant scriptores ipsum astantium consanguineorum ipsius mortem immmentem plus æquo ingentium pusillanimitatem increpuisse b, ac sæpius ea verba in extremis vitæ confinijs repetijsse c: *Domine propter iniquitatem corripuisti hominem*; quæ ab alio etiam quouis Christi cultore demisse dicenda, ac sæpe sæpiusque iteranda essent. Ex humana ergo infirmitate, non diuina vindicta, vt effutiunt, decessisse quæ supra insinuauimus ex rerum a Manfredo gestarum antiquo scriptore confirmant; cum antequam Capuam perueniret, aduersa valetudine implicitum Theani decubuisse asserat. Resellenda similiter Parisij figmenta, qui ob Roberti Lincolniensis episcopi, extra fidelium communionem defuncti, ossa e sepultura ecclesiastica eruta, scribit Robertum in somnis se videndum Innocentio obiecisse, ac pedo episcopali latus percussisse, ex eoque contracto morbo laterali decessisse.

b Par. hist. Angl. hoc ann.
c Monach. Pad. lib. 2. eod. ann.
Figmenta Parisij cõfutantur.

72 Explodendum pariter vt fictitium visum illud, quod idem auctor Cardinali cuidam obiectum scribit his verbis: *Accidit eadem septimana, qua Papa Innocentius IV. migrauit ab hoc sæculo, visio quædam nocturna mirabilis cuidam Cardinali, cuius nomen supprimitur ad cautelam. Videbatur enim sibi, quod fuerat in cælo coram maiestate Domini sedentis pro tribunali, a cuius dextris stabat B. Virgo mater eius, a sinistris vero quædam matrona nobilissima corpore & habitu venerabilis, quæ extento brachio supra manum sinistram deferebat quasi templum, & scribebatur in fronte templi illius literis aureis: Ecclesia. Coram vero maiestate diuina incuruatus Innocentius IV. iunctis manibus & erectis, flexisq; genibus, petens veniam, & non iudicium. Nobilissima autē mulier ait ex aduerso: Iuste iudex recte redde iudicium: accuso enim eum super tribus. Primo cū in terris Ecclesiam fundasses, libertatibus eam donasti, quæ a teipso processerunt: hic vero eam reddidit ancillam vilissimam. Secundo fundata est Ecclesia salus peccatorum, vt scilicet lucrifaceret animos miserorum: hic vero fecit eam mensam nummulariorum. Tertio fundata est Ecclesia in fidei firmitate, iustitia, & veritate: hic vero fidem & mores fecit vacillare, iustitiam sustulit, veritatem obumbrauit: iustum ergo iudicium redde mihi. Ait autem Dominus: Vade & pro meritis tuis mercedem apprehende: & sic ablatus est. Cum vero ex terrore sententiæ euigilasset Cardinalis, clamans effectus est, quasi extra se, vt omnes sui dicerent ipsum furere. Tandem mitigato dolore, visionem suam plenius cœpit enarrare, & publica facta est in partibus illis. Ista visio nescitur si fantastica, multos perterruit, & vtinam eum effectu castigans emendauit.*

73 Hactenus Parisius, a quo allatam historiam si non ab ipso effictam, saltem ab Innocentij inuidis, & obtrectatoribus subornatam fuisse quique prudēs & cordatus facile agnoscet; cum tria illa accusationis capita Innocentij animæ obiecta perpenderit. Num enim Ecclesiam in seruitutem redegisse putandus est; qui ad tuendam illius libertatem, atque hoc ipso anno ad vindicandam in Aragonia ab improborum iniurijs rem ecclesiasticam a Benedicto Tarraconensi archiepiscopo concilium prouinciale celebrari iussit d, tot labores adijt, atque aduersus Friderici, & Conradi in Sicilia, Italia, & Germania opprimentium tyrannidem tot annis generosissime dimicauit, eamq; in Lusitania aduersus Sanctium propugnauit, defendit in Gallijs aduersus fœderatos principes illam labefactare meditantes, quorum nefaria consilia dis-

d Lib. 11. ep. 571.

dissolnit? Denique, vt cætera breuitatis gratia mittamus, toto pontificatu in ea asserenda omnem operam, cogitationem, industriam, vimque omnem aduersus quoscunque collocauit. Quod ad secundum spectat, omnis ab eo criminis labes abest, si ad sustinendos belli pro Ecclesiæ causa gesti sumptus ab ecclesiasticis stipendia collegerit: quod quidem ab eo quanta maturitate consilij susceptum fuerit, suis locis a nobis dictum est. Tertium vero crimen, idque grauissimum, nimirũ fidem in discrimen adduxisse, ac mores Christianos deprauasse, lõge ab eo abhorret: quantum enim studij ad extinguendas hæreses, reuocandos ad Ecclesiæ coniunctionem Russos, Græcos, cæterosque schismaticos, Tartaros & alios infideles euangelij luce collustrandos desixerit, ex recensitis a nobis conspicuum est, probantque grauissimæ leges a ab eo ad asserendam contra hæreticorum errores fidem, ac tum ipsos ipsorumque studiosos meritis pœnis afficiendos hoc anno promulgatæ, quæ cum a pluribus typis editæ sint b, indicari suffecerit. Quod denique ad deprauatos mores spectat; contra ad eos componendos apostolicam solicitudinem attulisse, tot egregiæ ab eo latæ constitutiones, atque exarata diplomata illustrant. His adde iustam rei confictæ suspicionem ex suppresso a Parisio Cardinalis, cui visum illud oblatum fertur, nomine angeri: ex industria enim subticuisse ne mendacij argueretur, probabili argumento est. Facessat ergo inuidorum temeritas, quæ tanti Pontificis existimationem laniare non perhorruit. Obgannire etiam desinant nouatores, qui ex pura mentiendi libidine, & existimationis Romanorum Pontificum, quo maiori virtutum splendore effulserint, lacerandæ causa, libidinis crimen Innocentio aspergunt c, quo sane si laborasset, nec Parisius nec alij sedis Apostolicæ hostes silentio dissimulassent. Verum si illi S. Francisco ac B. Claræ, quos nota atque illustrat a maximis miraculis sanctitas omni criminis suspicione exemit, id flagitium imponere non perhorruerunt d, mirum videri non debet, si in Innocentium maledicentiæ virus euomuere: in cuius quidem cõsignando mortis tempore non minus, quam vita traducenda a veritate aberrarunt, dum anno MCCLXXIII. mense ianuario subita morte oppressum imperite scripsere e.

a Innoc. l. 11 post epi. cur. 37 38. 40. l. 12. ep. 402.
b In bull. to. 1. in Innoc. IV. & apud Luc. Vuad hoc ann.
Calumniæ nouatorũ diluuntur.
c Cent. 13 cap. 7. col. 934.
d Ibid. col. 720.
e Cap. 10. col. 997 & 998.

74 Vindicata igitur a maleuolorum obtrectationibus tanti Pontificis gloria, illud vere ab ijs omnibus prædicari poterit, qui rerũ ab eo gestarum magnitudinem attenderint, pontificias partes pro dignitate impleuisse. Reliquit magnum sui desiderium bonis omnibus, ij suisq; sepulchro in principe templo Neapoli epitaphium ab Vmberto Burgundo e monte aureo archiepiscopo sexaginta post annos, & amplius, inscriptũ est, rudi & obsoleto carmine compositum, quod a nonnullis recentioribus f circumfertur. Euolutis demũ multis tẽporum curriculis, Annibal arch. Neapolitanus ad Innocentij memoriam consecrandam posteritati hæc elogia, ipsius sepulchro affixit.

f Summôte in hist. Neap p. 2. atque ex ipso alij.
Illius epitaphium recens.

Innocentio IV. Pontifici maximo de omni Christiana republica optime merito, qui natali S. Ioannis Baptistæ anno MCCXLIII. *Pontifex renuntiatus, die Apostolorum principis sacra coronatus; cum purpureo primus pileo Cardinales exornasset, Neapolim a Conrado euersam statui pristinæ restituendam curasset, innumerisq; alijs præclare, & prope diuine gestis, pontificatum suum quam maxime illustrem reddidisset, anno* MCCLIV. *decessit.*

Annibal de Capua archiep. Neapolitanus in sanctissimi viri memoriam abolitum vetustate epigramma restituit.

Porro quamuis Innocentij corpus in archiepiscopali ecclesia Neapoli conditum iaceat, nonnulli tamen in S. Laurentij templo sepultum scripsere, quos ideo hallucinatos arbitramur, quod Innocentius III. Perusij in præcipua S. Laurentij ecclesia sepulchro traditus fuerit; nominisque similitudine decepti Innocentio IV. tribuere, quod de altero refertur. Nec probamus quæ, ad conciliandos dissentientes inter se auctores, recentior aliquis scribit, primum Innocentij IV. corpus in sacris S. Laurentij ædibus tumulo datum ac postea in ecclesiam principem illatum; cum nullius veteris scriptoris auctoritate nitatur, immo antiqui chronici a testimonio refellatur: MCCLIV. *VII. non. decemb. obijt Innocentius Papa IV. in ciuitate Neapoli, & secundo die obijt ibidem Stephanus Cardinalis; quorum corpora tumulata sunt in maiore ecclesia prædicta ciuitatis.* Idem etiam aperte indicat Alexander, dum in ecclesia Neapolitana sepultum scribit, non enim aliam, quam loci principem intelligendam exploratum nobis videtur.

In ecclesia Neapolitana principe sepelitur.
a Chron. Canon. M.S.

75 Imponimus finem huic annalium tomo adducto insigni miraculo, quod Numen ad comprobandam illustrandamque præsentiæ Christi in eucharistia veritatem in Belgio edidit, cuius oculatus testis extitit Thomas Cantipratensis, qui rem singularem historiæ his verbis consecrauit b: *Oppidum Duacense amplum, & magnum est inter Cameracum a dextris via, & Atrebatum, nobilissimas ciuitates. Hic in ecclesia S. Amati episcopi, cum sacerdos in pascha, communicata populo, corpus Christi super nudam terram * stupidus amenisset, & flexis genibus eleuare tentasset, mox per se in aera sublenatum, panniculo, quo consecratos digitos sacerdos detergere solet, inhæsit. Clamans ergo presbyter, canonicos vocat: accurrunt illi, spectant in panno corpus viuificum in specie faciei venustissimi pueri, & mox conuocato populo ad spectaculum præsentatur, & indifferenter nulli tanta cælitus visio denegatur. Hæc cum audissem, fama vulgante, veni in oppidum quod præaixi. Accessi ad decanum ecclesiæ, cui optime notus eram, petij videre miraculum: annuens ille, præcepit vt fieret: aperta est theca, concurrit populus, moxque vbi pixis reuoluitur, clamant omnes: Ecce iam video, ecce conspicio Saluatorem. Stabam ergo attonitus nihil videns, nisi tantum speciem panis albissimi, nihil quidem conscius mihi, quare sacrasanctum corpus cum cæteris non viderem. Nec diu mecum ista voluebam, cum ecce vidi faciem in mensuram ætatis plenitudinis Christi spineam habentem in capite coronam, & duas guttas sanguinis de fronte ex vtraque parte nasi per faciem descendentes. Mox igitur genibus flexis cum lacrymis adoraui. Surgens autem, nec coronam in capite, nec sanguinem vedi, sed faciem hominis super omnem effigiem honoratam conuersam ad dexteram, ita vt vix dexter oculus videre posset. Nasus erat admodum longus, directus valde, supercilia arcuata, oculos simplicissimos, & demissos habebat: cæsariem longam super humeros descendentem, barbam intonsam, & sub mento curuatam, exterminatamque sub rictu iucundissimi oris, ex vtraque parte menti nudas prope a pilis habebat vilticulas, vt in iuuenibus apparere solet, qui a puero barbam nutrierunt: frontem latam, macilentas genas, & collum longum cum capite parum inflexum. Hæc schema, hic decor benignissimæ faciei. Eam autem diuersi, diuersimode sub vnius horæ spacio videre solebant. Alij in cruce extensum, alij quasi ad iudicium venientem; plerique, & hoc ex magna parte, sub pueri forma.* Licet vero tanti miraculi historiam anno certo consignare auctor omiserit, e Coluenerio c tamen, qui notas Cantipratensi apposuit, in hunc incidisse colligitur: *Huius*, inquit, *admirandi miraculi, cuius hodie apud nos Duaci habitantes est celeberrima memoria, quæ & quotannis renouatur solemni celebritate feria quarta paschæ, & in processione statis diebus defertur capsula argentea in qua hostia illa est reposita. Contigit autem miraculum hoc anno* MCCLIV. *vt patet ex tabella dependente ad sacellum parochiale collegiatæ ecclesiæ B. Amati, in quo eadem historia depicta est, & exsculpta.*

Christus in eucharistia muliebri se videndum exhibet.
b Cantipr. l. 2. c. 40.
* stupefactus
c Coluener in notis ad c. 40 lib. 2. Cantipr.

LAVS DEO.

ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ ΤΟΥ ΒΛΕΜΜΙΔΟΥ

ΛΟΓΟΣ ΠΡΩΤΟΣ,

Ἀποδεικνύων διὰ χρήσεων γραφικῶν, δι' Υἱοῦ, καὶ ἐξ Υἱοῦ θεολογεῖσθαι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον.

Πρὸς τὸν Ἀρχιεπίσκοπον Βουλγαρίας ΙΑΚΩΒΟΝ.

α΄. ΕΣΤΙ μοι πάθος, ὅπερ ἐξαγγελῶ. καὶ γὰρ ὁ λόγος πρὸς ἀκεστῆρα ἰατρόν, καὶ ὅσοι τῆς αὐτῆς ἐπιστήμης αὐτῷ. Ἐγὼ τοῖς σοφοῖς παῤῥησίᾳ λαλῶ, καὶ οὔτι μοι δέος ἐκκαλύπτοντι τὴν διάνοιαν. ἢ γὰρ βεβαιώσουσιν, ἢ διορθώσουσιν ἡ ἀπαραίτητος κρίσις ἐπαΐουσι τοῖς λεγομένοις. ἀσόφοις δὲ διαλεγόμενος ὑποστέλλομαι, καὶ μάλισθ' ὅτι περὶ Θεοῦ φθέγγομαι. δέδοικα γὰρ τὸ μὴ ξυνιέναι αὐτούς, ὡς ἐντεῦθεν ἐπισφαλῆ πρὸς τὸν λέγοντα ὑπόνοιαν ὑφορώμενος. Εἰ δὲ τῷ ἀσόφῳ συνέλθοι τὸ φίλερι, τότε καὶ πρὸς τὸ λέγειν ὅλως ὀκνῶ τε καὶ ἀποδύομαι· ὥσπερ γὰρ οὐκ ἀποδεκτέος ὁ θρασέως καὶ ἀπερισκέπτως θεολογῶν (εὐλαβεῖσθαι γὰρ τὴν θεολογίαν φόβῳ χρεών, ὡς ἂν μὴ πρὸς ἀπωλείας ὤθοιτο ὀλισθήματα) παραπλησίως καὶ ὁ φιλονείκως ἀκροώμενος, καὶ τρόπῳ παντὶ πρὸς τὸ ἀντιλέγειν ὁρῶν, ἀποπεμπτέος καὶ ἀποτρόπαιος. Ἔρις γὰρ κακόχαρτος ταράττει καὶ συγχεῖ τὴν ἀλήθειαν. εἰ δὲ καὶ γλῶσσαι πολλαὶ εἶεν αἱ συῤῥέουσαι πρὸς τὸ αὐτό, πῶς οὐκ ἂν δόξειαν τοῖς πολλοῖς περιγινόμεναι μιᾶς ἑτεροῤῥεποῦς; εἰ δὲ καὶ ἐν αἱ ὑπεροχαί, πῶς εἰς ἀγαθὸν ἀποβαίη τῷ ἀσυμφώνῳ τὸ ἀληθευτικόν, κατ' ἔργον δὴ τὸ ἐμφανές;

β΄. Οὕτως ἐν τούτοις ἔχων, οὕτω πάσχων, ἐπεὶ πρὸς σοφοὺς νῦν ὁ λόγος, καὶ εἰρήνην ζητοῦντας τὴν ἐν Χριστῷ καὶ διώκοντας, πεπαῤῥησιασμένως ἐρῶ περὶ τοῦ προκειμένου ζητήματος· τὸ δὲ ἔστιν, εἰ δι' Υἱοῦ τὸ ἅγιον ἐκπορεύεται Πνεῦμα παρὰ Πατρός· ἢ μόνον ἐκ Πατρὸς προσεχῶς, ἀλλ' οὐ δι' Υἱοῦ. καὶ ὅτι μὲν τὸ πρῶτον πολλοὶ τῶν ἱερῶν διδασκάλων παρέδοσαν, οὐδεὶς δὲ τὸ δεύτερον, οἶμαι δὴ πάντα μαρτυρήσειν ἄνδρα θειογραφικοῖς ἐνθύνοντι, δικαιούμενον· οὐχ ἧττον δὲ καὶ ἡμεῖς ἐν τρισὶν ἐπιστολαῖς φθάσαντες ὑπεμνήσαμεν.

γ΄. Ὅτι δὲ τὸ μὴ τοῖς Εὐαγγελίοις σαφῶς τὴν φωνὴν ἐντετάχθαι, τοῦτο δὴ τὸ προὔχον εἰς ἀντιλογίαν πολλοῖς, οὐδὲν τοῦ δόγματος ἀφαιρεῖται, τὸ ἀξιόπιστον ἡ τῶν θεολογησάντων ἀξιοπιστία παρέστησεν. ἐπεὶ μὴ δ' ἐξεῖναι ἀπιστεῖν τοῖς ὑπὸ τῶν θεοφόρων ἀνδρῶν εἰρημένοις, ἀλλ' ἀπόδειξιν εἶναι τοῦ λόγου τὸ ἐκείνων ἀξιόπιστον, πάσης δυνάμεως λογικῆς καὶ ἀντιλογικῆς ἰσχυρότερον ὁ τῆς Θεολογίας ἐπώνυμος ἐν τοῖς Στηλιτευτικοῖς ἀποφαίνεται. ὁ γὰρ τοῖς Εὐαγγελισταῖς ἐμπνεύσας, αὐτὸς ἐκεῖνος καὶ τοῖς λοιποῖς θεηγόροις ἐνήχησε, καὶ Θεοῦ φωναὶ τὰ τῶν ὅλων ἁγίων συγγράμματα.

δ΄. Τὸ δὲ λέγειν αὐτὰ νενοθεῦσθαι παρὰ τῶν πνευματομάχων, εὔηθες καὶ ἀνόητον· ὅπου κατ' οὐδὲν ὅλως τῇ αἱρέσει συμβάλλεται τὸ δι' Υἱοῦ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ὁμολογεῖσθαι προϊέναι ἐκ Πατρός, εἰ μὴ τοὐναντίον ἅπαν, καὶ καταβάλλει ταύτην καὶ ἀναιρεῖ· τῇ μὲν γὰρ κτίσμα βλασφημεῖται τὸ Πνεῦμα, τῇ δ' ἐκ τῆς οὐσίας αὐτῆς κη- [illegible]

NICEPHORI BLEMMIDAE

ORATIO PRIMA

Demonstrans Sanctorum Patrum testimonijs, per Filium, & ex Filio Spiritum sanctum dici.

Ad IACOBVM Bulgariæ Archiepiscopum.

LEONE ALLATIO INTERPRETE.

1 MORBVM, quo afficior, in lucem proferam: ad medicum enim sacrum oratio dirigitur, & omnes alios, qui ijsdem ac ille disciplinis præditi sunt. Ipse cum doctis palam libereq; sermones confero: nullusq; me sensa aperientem timor inuadit: namque infallibile iudicium dicta vel corriget, vel comprobabit. cum verò sciolos alloquor, reprimo me, & potissimum cũ de Deo verba facio: vereor etenim, ne dum ipsi rem non capiunt, falsi mihi suspicionem appingant. Quod si imperito contentionis studium accedit, tum loqui detrecto & de circulis subducor. Quemadmodum enim nullo modo admitti debet, qui audacter, & inconsiderate de rebus diuinis loquitur (necesse quippe est, Theologiam timore dirigi, ne in excidium præcipites agat) pari ratione, qui contentiosè aures exhibet, & modis omnibus contradictionem ambit, eijciendus est, & execrandus. Contentio siquidem malis gaudens confundit, turbatque veritatem. Quod si & sermones plerique in idem vna simul concurrant, quomodo non videbuntur multis vnius, qui in alteram partem inclinat, potiores esse? Et si eorum fuerint, qui in dignitatibus sunt, qua ratione veritas ipsa in bonum illi, qui contraria sentit, in conspectu aliorum vertetur?

Cum quibus de rebus Theologicis disserendum est.

Contentio cõfundit veritatem.

2 Cum ita me habeam, & ita afficiar, & ad peritos oratio sit, eosque, qui pacem in Christo quærunt, & procurant, libere aperteque de proposita quæstione edisseram, quæ erit: An per Filium Spiritus sanctus à Patre procedit: An vero ex Patre absque medio, & non per Filium. Et primum quidem à multis sanctis Doctoribus traditum fuisse: secundum à nemine, existimo omnes homines, qui in sacris literis exerciti sunt, & æquitate diriguntur, suo testimonio comprobaturos. Et nos item non minus hanc rem tribus epistolis, iam percensuimus.

Quæstio de processione Spiritus sancti proponitur.

3 Quod verò in Euangelijs planè vox illa inserta non est, quod plerique ad contradicendum arripiunt, dogmati nihilominus non officere probatur eorum fide digno testimonio, qui res Theologicas pertractarunt; quando nec in nostra potestate esse, Deiferorum Patrum dictis non credere, sed eorum auctoritatem dicti demonstrationem esse, facultate omnilogica, & contradictoria validiorem, cui à Theologia nomen est, in Inuectiuis aduersus Iulianum decernat. Qui enim Euangelistis inspirauit, ille idem & alijs diuiniloquis verba dictauit, & Dei voces sunt sanctorum omnium sacrosancta monumenta.

Licet processio ex Filio non habeatur in Euangelijs, habetur tamen in Patribus.

Gregorius Nazianz.

4 Et dicere eadem ab illis, qui spiritui aduersantur, corrupta fuisse, stultum est, ac fatuum: cum nihil id omnino ad hæresim conferat, per Filium Spiritum sanctum fateri à Patre procedere, sed penitus eam rejicit, ac refellit. Hæc etenim Spiritum creaturam impiè admodum asseritur, illo ex ipsa Filij essentia prædicatur,

Patrum scripta corrupta esse affirmare, stultum est.

ῥεῖται τοῦ υἱοῦ, καὶ ὁμοούσιον πατρὶ καὶ υἱῷ. τίνα δ' αὖ ἔχει καὶ λόγον, τὸ τὴν τοιαύτην κακουργίαν κατὰ ἁπανταχοῦ τῆς οἰκουμένης ἱερᾶς ἐνσκῆψαι βίβλους τῶν τοσούτων ἁγίων ὁμοῦ, καὶ τὴν παραφθορὰν οὕτω γενικῶς παγκόσμιον τοῖς τῶν μεγάλων Πατέρων συγγράμμασι, καὶ μηδένα τῶν πρὸ ἡμῶν τὴν λύμην ἐπισημήνασθαι; οὐκ ἔστι τοῦτο, οὐκ ἔστι. διανοίας τὸ τοιοῦτον ἀνάπλασμα κακοδαίμονος.

ε'. Πῶς δὲ καὶ ὅσοι κατὰ Ῥωμαίων γεγράφασι τὰ τῆς ἔριδος μετὰ τὸ σχίσμα καὶ τὴν διάστασιν, πρὸς μὲν τὸ, ἐκ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα εἶναι οὐσιωδῶς, ὡς εἶχον, ἀντέστησαν, πρὸς δὲ τὸ, δι' υἱοῦ παρὰ τοῦ πατρὸς οὐδαμῶς; μᾶλλον μὲν οὖν οἱ λογιώτεροι, καὶ συνηγοροῦντες αὐτῷ καταφαίνονται. κἀντεῦθεν ἐπιχειροῦντες ἀνασκευάζειν τὸ, ἐκ τοῦ υἱοῦ. καὶ ὅτι ταῦθ' οὕτως ἔχον ἐστὶν, ἐκ τῆς ἱερᾶς Ὁπλοθήκης μανθάνομεν. ὅπως δὲ ἡ βίβλος αἰδέσιμος ἦν τοῖς τότε τῶν λογίων ἀνδρῶν λογάσι, καὶ περισπούδαστος εἰσέπειτα τε καὶ ἕως ἡμῶν περίπυστος καὶ ἐξαίρετος, καὶ οὐδεὶς πώποτε κατ' αὐτῆς, οὐδὲ τῶν πάντη ἀπηναισχυντηκότων κινῆσαι γλῶσσαν ὅλως τετόλμηκεν. ἔτι καὶ βιαιότερον ἐνίσταται πρὸς τὴν υἱόθεν τοῦ πνεύματος πρόοδον, αὐτὰ βοᾷ διαπρυσίως τὰ πράγματα. ἐν ταύτῃ Ῥωμαῖοι διαλογικοῖς νόμοις εἰσάγονται ῥῆσιν τοῦ σοφωτάτου Κυρίλλου προτείνοντες εἰς σύστασιν τοῦ σφῶν αὐτῶν δόγματος, οὕτως ἔχουσαν. Τρεπτὸν δὲ οὔτι πω τὸ πνεῦμα ἐστίν. ἢ εἴπερ τὸ τρέπεσθαι νοοῖ, ἐπ' αὐτὴν ὁ μῶμος τὴν θείαν ἀναδραμεῖται φύσιν. ἐπείπερ ἐστὶ τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς· καὶ μὴν καὶ τοῦ υἱοῦ. τὸ οὐσιωδῶς ἐξ ἀμφοῖν, ἤγουν ἐκ πατρὸς δι' υἱοῦ προχεόμενον πνεῦμα. Τίς οὖν ἡ ἀπολογία πρὸς τοὺς ἐκ Ῥώμης κατανοήσωμεν. Ὁ μακάριος οὗτος πατὴρ Κύριλλος τὰς πολλὰς τῶν ἡμετέρων λόγων περιστάσεις προαναιρῶν, σύντομον εὐθὺς τῇ τῶν ἀσαφῶν συλλαβῶν προσφορᾷ προσυφαίνει τὴν σαφήνειαν. Εἰπὼν γὰρ οὐσιωδῶς ἐξ ἀμφοῖν τὸ πνεῦμα προέρχεσθαι, τὸ, ἤγουν ἐκ πατρὸς δι' υἱοῦ συντόμως ἐπήγαγε. Τὸ δὲ διὰ τῆς τοιαύτης ἐπαγωγῆς συναγόμενον, οὐδὲν ἕτερον, ἢ τὸ ἐκ μόνου τοῦ πατρὸς τὸ πνεῦμα προέρχεσθαι, οὐ μὴν καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ. εἰ γὰρ καὶ τοῦτ' ἦν, οὐκ ἂν τῆς τοιαύτης τῷ ἁγίῳ προσθήκης ἐδέησεν. οἱ ἐκ Ῥώμης πρὸς ταῦτα. Τοίνυν οὐδ' ἡμεῖς σφαλλόμεθα ἀκολουθοῦντες τῷ θείῳ τούτῳ πατρὶ ἐκ τοῦ πατρὸς μὲν καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα λέγοντες ἐκπορεύεσθαι, πλὴν ἐπὶ τοῦ υἱοῦ τὴν ἐξ, ἀντὶ τῆς διὰ, καὶ νοοῦντες καὶ ἑρμηνεύοντες· ἀλλ' ὁ, καὶ σύνδεσμος, φασιν, οἱ πρὸς ἔλεγχον χωροῦντες αὐτῶν, ἐπὶ τοῦ υἱοῦ παρ' ὑμῶν προστιθέμενος οὐκ ἐᾷ τοιαῦτα λέγειν, ὑμᾶς περιφανῶς ἐλέγχων, ὡς ἐκ τοῦ πατρὸς καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα λέγοντες ἐκπορεύεσθαι, καθ' ὁποῖον σημαινόμενον ἐπὶ τοῦ πατρὸς τὴν ἐξ ἐκλαμβάνεσθε κατὰ τὸ αὐτὸ καὶ ἐπὶ τοῦ υἱοῦ καὶ νοεῖτε ταύτην καὶ λέγετε. Τοίνυν ἢ καὶ ἐπ' ἀμφοῖν τῷ πατρὶ δηλαδὴ καὶ τῷ υἱῷ τὴν ἐξ πρόθεσιν κατὰ τὴν αὐτὴν σημασίαν τίθεσθε· καὶ πῶς οὐκ ἐναντιοῦσθε τῷ θείῳ πατρὶ, τὴν μὲν ἐξ ἐπὶ τοῦ πατρὸς, τὴν δὲ διὰ ἐπὶ τοῦ υἱοῦ ἐκφωνήσαντι. ἢ καὶ ἐπ' ἀμφοῖν ἀντὶ τῆς διὰ, τὴν ἐξ λαμβάνετε. διὰ τοῦ πατρὸς, καὶ διὰ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα λέγοντες ἐκπορεύεσθαι. καὶ δότε λοιπὸν ἡμῖν ἕτερον, ἐξ οὗ τὸ πνεῦμα διὰ τῶν δύο τούτων ἐκπορεύεσθαι λέγεται· κατ' ἄλλην γὰρ ἐπὶ τοῦ πατρὸς, καὶ κατ' ἄλλην ἐπὶ τοῦ υἱοῦ σημασίαν τὴν αὐτὴν καὶ μίαν πρόθεσιν ἐκλαμβάνεσθαι, παρὰ τοῦ συμπλεκτικοῦ τούτου συνδέσμου βιαίως κωλύεσθε, καθὰ προειρήκαμεν. τὸ γὰρ ἀσυνδέτως λέγειν, ἢ γράφειν ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκ

catur, & eiusdem cum Patre, & Filio essentiæ. Et quamnam probabilitatem habuerit, simile facinus in vniuersos totius Orbis sacros libros tantorum Sanctorũ simul desæuijsse, & corruptelam adeo vniuersalem, fuisse, nullumque ante nos tantam noxam indicasse? non fuit vnquam, non est, mentis miseræ, ac infelicis commentum id est.

5 *Quanam item ratione quicunque aduersus Latinos post dissidium & schisma, quæ in dissidio erant, conscripserunt, ex Filio Spiritum sanctum esse essentialiter, pro viribus aduersati sunt; per Filium verò à Patre nequaquam? immo potius inter eos peritiores, veluti patroni illius causam susceperunt, inde argumenta sumentes ad refellendum & illud ex Filio. Idque ita se habere ex Libro, cui* Sacrum Armamentarium *nomen est, discimus. Librum porrò tunc temporis doctorum virorum præcipuis in veneratione fuisse, postea ab alijs magno studio conquisitum, nostra hac ætate maximè celebratum, atque in honore habitum, & neminem vnquam, etiam eorum, qui pudore deposito omnia inuerecunde tentant, aduersum eum linguam mouere ausum esse, cum & violentius Spiritus processioni ex Filio aduersetur, res ipsa satis luculenter clamant. In eo Latini, vti in dialogis fieri amat, introducuntur sapientissimi Cyrilli dictum ad propriam opinionem corroborandam proponentes. verba Cyrilli sunt:* Mutabilis verò minimè est Spiritus. nam si mutationi esset obnoxius, ipsi diuinæ naturæ defectus ascriberetur: siquidem Dei & Patris, nec non et Filij est, qui essentialiter ex vtroque, ex Patre scilicet per Filium, Spiritus profluit. *Expendamus porrò, quænam ad eos, qui Roma conuenerant, responderunt.* Beatus hic Pater Cyrillus multas nostrarum rationum tergiuersationes præcidens, compendiosam illico obscurarum syllabarum enunciationi addidit expositionem. Cum enim dixisset, essentialiter ex vtroque Spiritum profluere, illud, ex Patre nempe per Filium, concisè subnexuit. At quod ex simili inductione colligitur, nihil aliud infert, quam ex solo Patre Spiritus processionem, non autem ex Filio. Nam si id esset, similis additionis opus non fuisset. *Ad hæc, qui Roma aduenerant.* Neque nos itaque fallimur dictis diuini huiusce Patris inhærentes, cum asserimus ex Patre, & ex Filio Spiritum procedere: attamen in Filio *Ex* præpositionem loco illius *Per* intelligimus, & interpretamur. Sed coniunctio Et, *inquiunt, qui eos refellere conabantur,* Filio a vobis annexa, ea quæ dicitis, manifesto confutat, cum ex Patre, & ex Filio Spiritum procedere dicitis, in quo significatu in Patre præpositionem *Ex* assumitis, in eodem & in Filio vos eam accipitis; & fatemini. Quare, aut in vtroque in Patre nempe & Filio *Ex* præpositionem in eodem significatu astruitis, & quomodo diuino Patri non aduersamini, qui *Ex* in Patre, *Per* autem in Filio dictitat: aut in vtroque, loco illius *Per*, *Ex* præpositioné assumitis, per Patrem, & per Filium Spiritum asserentes procedere, & assignate nobis alium, ex quo Spiritus per hos duos procedere dicatur: secundum enim vnum significatum in Patre, & secundum alium in Filio vnam eandemque præpositionem accipere coniunctione illa copulatiua, vt iam diximus impedimini. Nam absque copula effari, aut scribere, ex Patre ex Filio, vos quoque

Neminẽ etiam ex aduersarijs, negasse Spiritũ per Filiũ procedere

Sacrum Armamentarium.

Cyrill. in dialogo cũ Palladio.

τοῦ υἱοῦ, καὶ ὑμεῖς ὡς βάρβαρον καὶ ἀδιανόητον ἀποφεύγετε. Ταῦτα μὲν ἐκ τῆς ἱερᾶς Ὁπλοθήκης.

ϛʹ. Ἄλλος δέ τις τῶν ἐκκρίτων διὰ καὶ αὐτὸς τοῖς ἐκ Ῥώμης διαλεγόμενος. ἐπειδὴ προὔθετο δεῖξαι μὴ δ' ὁπωσοῦν ἀλλήλοις ἐναντία ὄντα, καθάγε τὸ ἀληθὲς τὰ παρὰ τῶν ἁγίων λεγόμενα, κἂν δοκῇ τοῖς ἀνεπιστήτοις. Ἦν ἄν, φησὶν, ἐναντία, εἰ πρὸς τὸ αὐτὸ καὶ κατὰ τὸ αὐτὸ καὶ τὸ αὐτὸ ὄντα σημαντικὰ, παρὰ μὲν τῶν, ἀπεβάλλοντο, παρὰ δὲ τῶν, ἐνεκρίνοντο. οὕτω γοῦν καὶ ἐν τούτοις ὁ Χριστὸς ἐκ τοῦ πατρὸς εἶπε τὸ πνεῦμα ἐκπορευόμενον. καὶ τάχα πάντα ἀναφέρων πρὸς τὸν πατέρα ὡς πρὸς πρώτην αἰτίαν, καὶ τὴν τοῦ πνεύματος ἐκπόρευσιν αὐτῷ ἀνατίθησι. καὶ ὁ μὲν μέγας Ἀθανάσιος οὕτως εἶπε, τὸ πνεῦμα ἐκ τοῦ πατρὸς, ὡς παρὰ τοῦ λόγου τοῦ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον. ὁ δὲ Νύσσης εἰπὼν τὸν υἱὸν εἶναι προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου, τουτέστι τοῦ πατρὸς, ἑξῆς λέγει τὸ πνεῦμα διὰ τοῦ προσεχοῦς ἐκ τοῦ πρώτου. ὁ σοφὸς Κύριλλος περιφανῶς εἴρηκεν, ἐξ ἀμφοῖν, δηλαδὴ τοῦ πατρὸς καὶ υἱοῦ. ἀλλ' ἑρμηνεύων πῶς τὸ, ἐξ ἀμφοῖν, εἶπεν, ἐπήγαγεν ἤγουν ἐκ τοῦ πατρὸς δι' υἱοῦ. ὁ μέντοι Δαμασκηνὸς Ἰωάννης τὸ ἐκ πατρὸς λέγων ὡς ἐκ πρώτης ἀρχῆς καὶ πρώτης αἰτίας, οὐκ ἐκ τοῦ υἱοῦ, φησι, ὡς ἐκ πρώτης ἀρχῆς, καὶ οὐκ ἀπαγορεύει τὸ, ἐκ τοῦ υἱοῦ, ὡς τοῦ προσεχοῦς, ἤτοι διὰ τοῦ προσεχοῦς. ταὐτὸν γὰρ δύναται ἡ διὰ πρόθεσις καὶ ἡ ἐξ. καὶ τοῦτο συνήθες καὶ αὐτῇ τῇ γραφῇ καὶ τοῖς ἁγίοις πατράσιν οὐκ ἀγνοούμενον. καὶ εἰ μὲν ἐκ τοῦ υἱοῦ ὡς ἐκ τοῦ πατρὸς διὰ τοῦ υἱοῦ. καὶ εἰ ἐξ ἀμφοῖν, ὁμοίως. καὶ εἰ ἐκ πρώτης μὲν αἰτίας τοῦ πατρὸς, ἐκ τοῦ προσεχοῦς δὲ τοῦ υἱοῦ, ἅπερ φησὶν ὁ μέγας Ἀθανάσιος, ὁ μέγας Κύριλλος, ὁ Νύσσης Γρηγόριος, οὐκ ἂν ὁ σοφὸς Ἰωάννης ἀντεφθέγξατο. ἀλλ' ἐρεῖ καὶ αὐτὸς ὅτι, οὕτως καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα. διὰ τοῦ υἱοῦ γάρ φησι καὶ αὐτὸς. ὡς ἰσοδυναμούσης τῆς διὰ καὶ τῆς ἐξ. εἰ δὲ ὡς ἐκ πρώτης αἰτίας, καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ λέγει τις, ὅπερ εἶπε τῶν ἁγίων οὐδεὶς, καὶ ἀντιφθέγξεται καὶ μέγα βοήσει. Ἐπὶ τοσοῦτον καὶ ταῦτα.

ζʹ. Πολλοὺς δὲ καὶ ἄλλους τῶν νεωτέρων εὑρίσκομεν ἐνισταμένους μὲν πρὸς τὸ, ἐκ τοῦ υἱοῦ, κατασκευάζοντας δὲ καὶ μάλα γενναίως τὸ, δι' υἱοῦ. καθ' ἣν προδιεσαφηνησάμεθα ἐξήγησιν. ὅθεν οὐκ οἶδ' ὅτι παθόντες ἀρτίως τινὲς οὐκ ἀνέχονται τὸ πνεῦμα δι' υἱοῦ προσέρχεσθαι παρὰ τοῦ πατρός. ἀλλ' ἴδωμεν οἷα περὶ τούτου διδάσκει τὸν ἐπίσκοπον Σεραπίωνα δι' ἐπιστολῆς ὁ τῆς ἀθανασίας ἀξιώνυμος. ὥσπερ γέννημα μονογενὴς ὁ υἱός ἐστιν, οὕτω καὶ τὸ πνεῦμα παρὰ τοῦ υἱοῦ διδόμενον καὶ πεμπόμενον, καὶ αὐτὸ ἕν ἐστι καὶ οὐ πολλὰ, οὐδὲ ἐκ πολλῶν ἕν. ἀλλὰ μόνον αὐτὸ πνεῦμα. ἑνὸς γὰρ ὄντος τοῦ υἱοῦ τοῦ ζῶντος λόγου, μίαν εἶναι δεῖ τελείαν καὶ πλήρη τὴν ἁγιαστικὴν καὶ φωτιστικὴν ζωὴν, ἥτις ἐστὶν ἐνέργεια αὐτοῦ καὶ δωρεά. ἥτις γε ἐκ πατρὸς λέγεται ἐκπορεύεσθαι, ἐπειδὴ παρὰ τοῦ λόγου τοῦ ἐκ τοῦ πατρὸς ὁμολογουμένου ἐκλάμπει, καὶ ἀποστέλλεται, καὶ δίδοται.

ηʹ. Ἐπιφέρονται τοῦ ἐκλάμπειν τινὲς, καὶ φανερώσεως εἶναί φασιν αὐτὸ δηλωτικὸν, οὐχ ὑπάρξεως. τὸ γὰρ ἐκπορεύεσθαι προσδεδηλωκέναι τὴν ὕπαρξιν. Εἰ τοίνυν ἐκπορεύεσθαι τὸ πνεῦμα λέγεται παρὰ τοῦ πατρὸς, ἐπειδὴ παρὰ τοῦ λόγου φανεροῦται. μὴ ὄντος τοῦ φανεροῦντος, οὐδ' ἐκ τοῦ πατρὸς λέγοιτ' ἂν ἐκπορεύεσθαι. τί γοῦν πρὸ τῆς γενέσεως τῆς κτίσεως εἴτε τῆς αἰσθητῆς, εἴτε τῆς νοητῆς, ἔνθα παρὰ τοῦ λόγου πεφανέρωται τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. οὐκ ἂν

veluti barbarum, & incogitabile vitatis. *Et hæc quidem ex diuino Armamentario.*

6 *Alius etiam vir eximius & præstans cum Latinis sermonem conferens, cum sibi proposuisset demonstrare nullo modo, si veritas attendenda est, sibi, quæ à Sanctis dicuntur, aduersari, licet id videatur imperitis:* Aduersarentur vtique, *inquit*, si de eodem, & secundum idem, idem significantia ab his quidem reijcerentur, ab alijs approbarentur. Sic itaque in similibus Christus asseruit, *Spiritum ex Patre procedere*, & omnia forte Patri referens tanquam primæ causæ, illi quoque Spiritus processionem ascribit. Et magnus quoque Athanasius ita locutus est: *Spiritus ex Patre, quemadmodum ex Verbo, quod ex Patre est, procedens.* Nyssenus autem cum dixisset, *Filium esse immediate ex primo*; Patre scilicet, subdit, *Spiritum per eum, qui immediate est, ex primo.* Sapiens Cyrillus palam fassus est *ex vtroque, Patre nempe & Filio*; sed modum enarrans, quomodo ex vtroque, addidit, *ex Patre scilicet per Filium.* Et Ioannes Damascenus, ex Patre affirmans tamquam è primo principio, & prima † causa, *non ex Filio*, ait, tamquam ex primo principio, nec prohibuit dici *ex Filio*, tamquam ex eo, qui immediate, vel per eum, qui immediate est, idem enim valet *Ex*, & *Per* præpositio. idque solemne est diuinis literis, nec fuit à sanctis Patribus ignoratum. Et, si ex Filio, veluti ex Patre per Filium; &, si ab vtroque, similiter. Et si ex prima quidem causa Patre, ex eo, qui immediate est Filio. Nec sanè contra hisceret sapiẽs Damascenus ad ea, quæ habent magnus Athanasius, magnus Cyrillus, & Nyssenus Gregorius, sed diceret & ipse omnino hoc modo, & ex Filio Spiritus, quando & ipse *per Filium* dicit, ac si eandem vim haberent *Per*, & *Ex* præpositiones. Quod si tanquam ex prima causa & ex Filio quispiam astrueret, quod nullus vnquam ex Patribus affirmauit, contradicet ille certè, vocemque efferet. *Et de his quoque satis.*

Nicetas Thessalonicensis. — Athanas. — Nyssenus. — Cyrillus. — Damascenus. — † Græcorum more loquutur, qui causã loco principij vsurpare solẽt. — Athanas. Cyrillus. Gregor. Nyssenus. Damascenus.

7 *Multos præterea alios ex recentioribus illud, ex Filio summo nisu oppugnantes, admodum verò validè illud, Per Filium comprobantes, ostendimus secundum eam, quam ante attulimus, expositionem, quare nescio vndenam ducti hac ætate nonnulli, non sustinent dici, Spiritum per Filium procedere ex Patre. Sed videamus, quæ de hoc argumento Serapionem Episcopum per epistolam edoceat dignus, qui habeat ex immortalitate nomen, Athanasius;* Quemadmodum germen vnigenitum Filius est, sic & Spiritus, qui à Filio datur, & mittitur, & ipse vnus, & non plures, neque ex pluribus vnus, sed solus ipse Spiritus: nam cum vnus sit Filius, viuens Verbum, vnam oportet esse perfectam, completamque sanctificantem, & illuminantem vitam, quæ operatio ipsius, & munus est; quæ ex Patre dicitur procedere, quando à Verbo, quod ex Patre est, sine vlla hæsitatione elucet, & mittitur, & datur.

Recentiores nonnulli, per Filiũ Spiritum procedere oppugnant. — Athanas.

8 *Elucendi verbo quidam mordicus inhærent, traduntque, eo promulgationem indicari, non existentiam: namque per* procedere *antea positum existentiam manifestari. Si itaque Spiritus procedere dicitur ex Patre, quoniam à Verbo manifestatur; cum non manifestatur, neque ex Patre procedere dicetur. An igitur ante res conditas, siue sensiles, siue intelle-*

Verbum Elucere existentiã in diuinis notare.

τὸ λεχθὲν ἐκπορευόμενον ἐκ πατρός; ὥσπερ γὰρ εἴ τινες τὸν ἄνθρωπον λέγοντες οὐσίαν ἔμψυχον, αἰσθητικὴν, ἐπειδὴ ζῶόν ἐστιν. Εἴπερ ἔχοι τις ἕτερος τὸ αἴτιον ἀνελεῖν, συνανέλοι καὶ τὸ συμπέρασμα, τὸν αὐτὸν τρόπον τῆς αὐτῶν ὑποθέσεως ἀναιρεθείσης, τὸ ἔνθεν συναγόμενον ὅσον τὸ ἐπ' αὐτοῖς διασκεδάσεται.

θ'. Καὶ οὗτοι μὲν ἔτι διὰ τί λέγεται παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεσθαι τὸ πνεῦμα ζητείτωσαν. ἡμεῖς δὲ τὴν ἀληθῆ προσλαβόμενοι σημασίαν τῆς λέξεως, οὕτως συλλογισώμεθα. τὸ πνεῦμα παρὰ τοῦ λόγου, τουτέστι, διὰ τοῦ λόγου πρόεισιν ἐκ πατρὸς, ὥσπερ ἐξ ἡλίου διὰ τοῦ φωτὸς φωτιστικὴ λαμπηδών. καὶ ὡς δὴ τοῦτ' ἐστιν. ὁ δὲ λόγος ἐκ τοῦ πατρὸς ὁμολογεῖται. διὰ τοῦτο καὶ τὸ πνεῦμα παρὰ πατρὸς ἐκπορεύεσθαι λέγεται. κέχρηται δὲ τῇ ἐκλάμπειν ὁ διδάσκαλος λέξει, καταλλήλως τῇ φωτιστικῇ ζωῇ. διὰ τοῦτο καὶ τοῦ λόγου ἐνέργειαν, ζῶσαν δηλονότι καὶ ὑφεστῶσαν τὸ ἅγιον ὠνόμασε πνεῦμα. τὸν λόγον καὶ υἱὸν εἰδὼς Θεοῦ δύναμιν ἐνυπόστατον. ἐπεὶ δὲ διὰ τῆς δυνάμεως ἡ ἐνέργεια, ἡ δὲ δύναμις ὁμολογουμένως ἐκ τοῦ Θεοῦ, διὰ τοῦτο ἐκ Θεοῦ ἡ ἐνέργεια. τοῦτο γὰρ βούλεται τῷ διδασκάλῳ τὸ, λέγεται ἐκπορεύεσθαι. ὡς τῆς τοῦ πνεύματος ἐκπορεύσεως λεγομένης καὶ κηρυττομένης ἐκ πατρὸς διὰ τὴν πρὸς τὸ πρῶτον αἴτιον ἀναφοράν. ὡς μὲν οὖν ἐνέργεια τοῦ υἱοῦ καὶ Θεοῦ λόγου τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἀϊδίως ἐκλάμπει παρ' αὐτοῦ. ταυτὸν δ' εἰπεῖν, δι' αὐτοῦ παρὰ τοῦ πατρός. ὡς δὲ δωρεὰ καὶ ἀποστέλλεται καὶ δίδοται φυσικῶς.

ι'. Ὅτι δὲ τὸ ἐκλάμπειν ἐν θεολογίᾳ παραστατικόν ἐστι τῆς ἀπαθοῦς καὶ ἀχρόνου ὑπάρξεως, καὶ ὁ μέγας Βασίλειος δείκνυσιν οὕτω λέγων ἐν δευτέρῳ τῶν Ἀντιρρητικῶν. Κοινὴ πρόληψις πᾶσιν ὁμοίως χριστιανοῖς ἐνυπάρχει τοῖς γε ὡς ἀληθῶς τῆς προσηγορίας ταύτης ἀξίοις, περὶ τοῦ φῶς εἶναι τὸν υἱὸν γεννητὸν ἐκ τοῦ ἀγεννήτου φωτὸς ἀπολάμψαντα. Καὶ πάλιν. Ἀγαθοῦ μὲν πατρὸς, ἀγαθὸς υἱός. φωτὸς δὲ τοῦ ἀγεννήτου φῶς ἐξέλαμψε τὸ ἀΐδιον. Καὶ Γρηγόριος δὲ τῶν Νυσσαέων ὁ σοφὸς ἱεράρχης οὕτω φησὶν ἐν τῷ πρώτῳ τῶν Ἀντιρρητικῶν. Πατὴρ μὲν ἄναρχος, καὶ ἀγέννητος, καὶ ἀεὶ πατὴρ νοεῖται. ἐξ αὐτοῦ δὲ κατὰ τὸ προσεχὲς ἀδιαστάτως ὁ μονογενὴς υἱὸς τῷ πατρὶ συνεπινοεῖται. δι' αὐτοῦ δὲ καὶ μετ' αὐτοῦ πρίν τι κενόν τι καὶ ἀνυπόστατον διὰ μέσου παρεμπεσεῖν νόημα, εὐθὺς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον συνημμένως καταλαμβάνεται. οὐχ ὑστερίζον κατὰ τὴν ὕπαρξιν μετὰ τὸν υἱὸν, ὡς ποτὲ τὸν μονογενῆ δίχα τοῦ πνεύματος νοηθῆναι, ἀλλ' ἐκ μὲν τοῦ Θεοῦ τῶν ὅλων, καὶ αὐτὸ τὴν αἰτίαν ἔχον τοῦ εἶναι, ὅθεν καὶ τὸ μονογενές ἐστι φῶς. διὰ δὲ τοῦ ἀληθινοῦ φωτὸς ἐκλάμψαν, οὔτε διαστήματι, οὔτε φύσεως ἑτερότητι τοῦ πατρὸς, ἢ τοῦ μονογενοῦς ἀποτέμνεται. Πάλιν πρὸς αὐτὸν ὁ μέγας Βασίλειος, περὶ διαφορᾶς οὐσίας καὶ ὑποστάσεως. Ὁ δὲ υἱὸς τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον πνεῦμα δι' ἑαυτοῦ καὶ μεθ' ἑαυτοῦ γνωρίζων, μόνος μονογενῶς ἐκ τοῦ ἀγεννήτου φωτὸς ἐκλάμψας, οὐδεμίαν κατὰ τὸ ἰδιάζον τῶν γνωρισμάτων τὴν κοινωνίαν ἔχει πρὸς τὸν πατέρα ἢ πρὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. Ἰωάννης ὁ σοφὸς ποιητὴς ἐν ὕμνοις πρὸς τὴν ὑπεράγνον θεομήτορα. Σὺ μήτηρ Θεοῦ ἀσυνδυάστως γεννῆσαι τὸν ἐξ ἀκηράτου πατρὸς ἐκλάμψαντος. ἐν τούτοις ὁ ἐξηγούμενος, ὁ πολλοῖς θαυμαζόμενος, ὁ καὶ τῶν ἱερῶν Κανόνων πρῶτος σαφηνιστὴς, τὸ ἐκλάμψαντός φησι τὴν ἄνω γέννησιν τοῦ υἱοῦ ἀπαθῆ παρίστησιν. ὡς γὰρ ἡ λαμπηδὼν ἐκ τοῦ ἡλίου ἀπαθῶς ἔξεισιν, οὕτω καὶ ὁ υἱὸς ἀπαθῶς γε-

intellectuales, quibus à Verbo manifestatus est Spiritus sanctus, non dicetur ex Patre procedere? Quemadmodum enim quispiam dicente, hominem essentiam animatam, sensilem, quandoquidem animal est, si alius causam euertere possit, inductionem etiam euertet: eadem ratione talium hominum suppositione summota, quod inde colligitur, quantum in ipsis est, destruetur.

9 *Et hi quidem adhuc, propter quid dicatur, Spiritus ex Patre procedere, quærent. Nos verò dictionis significatum assumentes, hunc in modum argumentemur. Spiritus ex Verbo, per Verbum scilicet profluit ex Patre, quemadmodum ex sole per lumen illuminans splendor: id cum ita sit, & Verbum ex Patre confitemur; propterea & Spiritus ex Patre procedere dicitur. Vsurpat vero dictionem,* elucet, *ad similitudinem vitæ illuminantis; ideoque & Verbi operationem, viuam scilicet & subsistentem Spiritum sanctum compellauit, Verbum, & Filium noscens Dei virtutem enypostatam: quando vero per virtutem operatio, virtus autem ex Deo, nemine contradicente, propterea ex Deo operatio est, quod Magister insinuat illis verbis,* dicitur procedere, *cum Spiritus processio dicatur; & prædicetur ex Patre propter relationem ad primam causam. Vti itaque operatio Filij, & Dei Verbi Spiritus sanctus perpetuo elucet ab ipso, quod idem est, ac dicere, per ipsum à Patre. Sed tanquam donum & mittitur & donatur naturaliter.* [Rationibus confirmatur.]

10 *Elucere porrò in rebus diuinis existentiam neque passioni obnoxiam, neque tempori subiacentem inducere, Magnus Basilius ita probat, Oratione secunda Antirrhetica.* Communis, *inquit,* prænotio omnibus æque Christianis innata est ijs, qui tali appellatione digni sunt, lumen esse Filium generatum ex ingenito lumine illucescentem. *Et rursum,* Boni Patris bonus Filius. Luminis verò ingeniti lumen eluxit sempiternum. *Gregorius quoque Nyssænsium doctus Antistes in prima Antirrhetica hæc habet.* Pater quidem sine principio, & ingenitus, & semper Pater intelligitur; ex eo verò immediatè, & indiuisè vnigenitus Filius cum Pater simul intelligitur: per hunc autem, & cum ipso, antequam inanis, & non subsistens in medio perceptio incidat, statim Spiritus sanctus iunctim concipitur, non post Filium existentia subsistens, vt aliquando vnigenitus absque Spiritu concipiatur: sed ex rerum omnium Deo, & ipse suæ essentiæ causam habens, vnde & vnigenitum lumen oritur, per verum autem lumen elucescens, neque distantia, neque naturæ diuersitate à Patre, siue ab vnigenito diuiditur. *Rursus ad eundem magnus Basilius de differentia essentiæ, & hypostasis.* Filius ex Patre procedentem Spiritum per semetipsum, & vnà secum cognoscens, solus vnigenitè ex ingenito lumine elucens, nullam secundum proprietatem notarum communionem habet cum Patre, aut cum Spiritu sancto. *Ioannes poëta sapientissimus in hymnis ad immaculatissimam Virginem.* Mater Dei absque coniunctione peperisti eum, qui ex incorrupto Patre eluxit. *Ad hæc interpres, qui multis in admiratione est, & qui sacros canones primus exposuit.* Eluxit, *inquit,* supernam Filij absque passione generationem denotat. Quemadmodum enim splendor ex sole sine passione elluit, ita & Filius sine passione genitus est à Patre,

[Et Patrũ auctoritatibus. Basilius Magnus.]
[Gregor. Nyssenus.]
[Basilius Magnus.]
[Damascenus.]

γίνωσκεται τῷ πατρί. καὶ τὸ ἄχρονον δὲ τοῦ υἱοῦ, καὶ κατὰ τοῦτο ἄναρχον, διὰ τοῦ ἐκλάμψαι διδάσκει ὁ Ποιητής. ὡς γὰρ ἅμα φῶς, καὶ ἅμα ἡ ἐξ αὐτοῦ λαμπηδών, οὕτως ἅμα νοηθείη πατὴρ, ἅμα παρέπεται νοηθῆναι καὶ τὸν υἱόν. ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἴσως ὑπὲρ τὴν χρείαν. ἐπεὶ γὰρ ἡ τοῦ λόγου διάνοια λελογισμένη καὶ λίαν ἡρμοσμένη φαίνεται, τοιουτοτρόπως ἐκλαμβανομένης τῆς λέξεως. ἄλλως δ' ἔχειν ὑπονοουμένης, πολὺ τὸ ἀλογώτατον φέρεται καὶ ἀνάρμοστον, τί χρὴ πλέον ἐκεῖθεν ζητεῖν εἰς τὴν τῆς ἀληθείας παράστασιν;

ια'. Τὸ δὲ λέγειν, ἵνα μή τις νομίσῃ, ὡς ἀρχὴ τοῦ πνεύματος ὁ υἱός, ὅτι φανεροῖ τὸ πνεῦμα διὰ τῆς διδασκαλίας αὐτοῦ, καὶ δείκνυσιν ὡς συγγενές, διὰ τοῦτο λέγεται ἐκ πατρὸς αὐτὸ ἐκπορεύεσθαι, περίεργον μέν, ἀλλ' εὐφώρατον. ποίαν γὰρ τὸ φανεροῦν καὶ δεικνύναι τοιουτοτρόπως ὑποψίαν εἰσοίσει ἂν ἀρχῆς; ἢ πῶς ὡς συγγενὲς δεικνὺς ὁ λόγος τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, οὐκ ἀντιδειχθήσεται παρὰ τοῦ συγγενοῦς; ἢ πῶς τοῦ λόγου πεφηνότος ὁμολογουμένως ἐκ τοῦ πατρός, οὐχὶ καὶ πάντα ὅσα ἔχει ὁ λόγος, ὁμολογουμένως ἐκ τοῦ πατρός; καὶ πῶς ἀρχὴ τοῦ πνεύματος ὁ λόγος νομισθήσεται; ἄπαγε τὰς τοιαύτας παρεξηγήσεις, εἴποις ἂν ὅτι φαίης ἂν καὶ αὐτός· τὸ εἰκὸς γοῦν. τὸ μέντοι δι' υἱοῦ τὸ πνεῦμα παρὰ πατρὸς ἐκπορεύεσθαι, καὶ Βασίλειος ὁ μέγας πολλαχοῦ, καὶ δὴ μάλιστα τοῖς Ἀντιρρητικοῖς ἀποφαίνεται· πῶς ἂν διαχωρίζοιτο τὰ ἀχώριστα; λέγων Θεοῦ καὶ πνεῦμα ἐκ Θεοῦ δι' υἱοῦ. εἰ πνεῦμα ἀπιστεῖται, καὶ λόγος συναπιστεῖται. περὶ τούτου καὶ ὁ διορατικώτατος Ἐπιφάνιος ἐν τῷ Ἀγκυρωτῷ διέξεισιν οὑτωσί. Φησὶν οὖν ὁ μακάριος Πέτρος τοῖς περὶ τὸν Ἀνανίαν. τί ὅτι ἐπείρασεν ὑμᾶς ὁ Σατανᾶς, ψεύσασθαι ὑμᾶς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. καὶ φησίν, οὐκ ἀνθρώποις ἐψεύσασθε ἀλλὰ Θεῷ. ἄρα Θεὸς ἐκ πατρὸς καὶ υἱοῦ τὸ πνεῦμα, ᾧ ἐψεύσαντο οἱ ἀπὸ τοῦ τιμήματος νοσφισάμενοι. Καὶ πάλιν. Ὁ πατὴρ ἀληθοῦς υἱοῦ ἐστι πατήρ, φῶς ὅλος, καὶ υἱὸς πατρὸς ἀληθοῦς, φῶς ἐκ φωτός, οὐχ ὡς τὰ ποιητὰ ἢ τὰ κτιστά, προσηγορίᾳ μόνῃ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον πνεῦμα ἀληθείας ἐστί. φῶς τρίτον παρὰ πατρὸς καὶ υἱοῦ. τὰ δὲ ἄλλα πάντα, θέσει, ἢ προσθέσει, ἢ κλήσει. ταῦτα καὶ ὁ διορατικώτατος Ἐπιφάνιος τῷ ἐκ πατρὸς καὶ υἱοῦ κεχρημένος ἀντὶ τοῦ ἐκ πατρὸς δι' υἱοῦ. καθὰ καὶ ὁ σοφώτατος Κύριλλος ἐν τοῖς Θησαυροῖς λέγων οὕτως. Ὅπερ ὁ μακάριος Μωϋσῆς ἐμπνευσθῆναι παρὰ Θεοῦ τῷ ἀνθρώπῳ διηχυρίσατο, τοῦτο Χριστὸς ἐμφυσῶν ἐν ἡμῖν μετὰ τὴν ἐκ νεκρῶν ἀναβίωσιν ἐνεφύσησε τοῖς ἑαυτοῦ μαθηταῖς λέγων, λάβετε πνεῦμα. ἵνα πάλιν ἀναμορφωθέντες εἰς τὴν ἐξ ἀρχῆς εἰκόνα σύμμορφοι φανῶμεν τῷ ποιήσαντι διὰ τῆς τοῦ πνεύματος μετοχῆς. ὅτε τοίνυν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐν ἡμῖν γινόμενον συμμόρφους ἡμᾶς ἀποδείκνυσι Θεῷ. πρόεισι δὲ καὶ ἐκ πατρὸς καὶ υἱοῦ, πρόδηλον ὅτι τῆς θείας οὐσίας ἐστίν, οὐσιωδῶς ἐν αὐτῇ καὶ ἐξ αὐτῆς προϊόν. πρόεισι φησὶν ἐκ πατρὸς καὶ υἱοῦ. τουτέστι δι' υἱοῦ παρὰ τοῦ πατρός. ὁ δέ γε τῶν Νυσσαέων καὶ τῆς οἰκουμένης φωστὴρ ἐν πόσοις παρίστησιν ἐναργῶς, ὅτι δι' υἱοῦ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ πατρός, τέως γοῦν ἐν τῷ πρώτῳ τῶν Ἀντιρρητικῶν ὧδε λέγει περὶ τοῦ πνεύματος. Τῷ πατρὶ κατὰ τὸ ἄκτιστον συναπτόμενον πάλιν αὐτοῦ, τῷ μὴ πατὴρ εἶναι καθάπερ ἐκεῖνος διαχωρίζεται. τῷ δὲ πρὸς τὸν υἱὸν κατὰ τὸ ἄκτιστον συνάφειᾳ, καὶ ἐν τῷ τὴν αἰτίαν τῆς ὑπάρξεως ἐκ τοῦ Θεοῦ τῶν ὅλων ἔχειν ἀφίσταται πάλιν τῷ ἰδιάζοντι, ἐν τῷ μήτε μονογενῶς ἐκ τοῦ πατρὸς ὑποστῆναι, καὶ ἐν τῷ δι' αὐτοῦ τοῦ υἱοῦ πεφηνέναι.

tre, & Filium absque tempore, & secundum id idem sine principio per verbum *Elucere* Poëta edocet. Sicut enim simul lumen, & simul qui ex eo est, splendor; sic cum primum mente concipitur Pater, simul subsequitur & Filium intelligi. *Et hac, plusquam opus erat, adduximus. Vbi enim sententia mens prudens, multumque rebus adaptata videtur, si ita verbum accipiatur; sin minus in alium sensum distrahatur, multum improbabilitatis, atque inconcinnitatis præsefert, quid inde magis ad veritatem comprobandam emendicandum est?*

11 *Illud autem dicere, ne quis existimet, principium Spiritus Filium, manifestare Spiritum per doctrinam suam, & veluti sibi cognatum exhibere, ideoque dici ex Patre procedere, curiosum quidem est, sed quod facile deprehendi potest. Quam enim suspicionem principij huiuscemodi manifestatio, atque exhibitio inferet? & quanam ratione veluti cognatus Filius Spiritum sanctum exhibens, non à cognato sibi exhibebitur? & quomodo Verbo sine controuersia ex Patre comparente, non habebit sine controuersia quidquid habet à Patre? Et qua ratione in posterum Spiritus principium Verbum reputabitur? Apage has prauas expositiones, tu quoque omnino dices, nec fallor, ei, quo cum tibi litigium est. Verumtamen Spiritum ex Patre per Filium procedere, magnus Basilius pluribus in locis, & in Antirrheticis potissimum decernit,* Quomodo itaque, *inquiens*, separabuntur ea, quæ separari nequeunt Verbum Dei, & Spiritus ex Deo per Filium. Si Spiritus non creditur, & Verbum quoque non creditur. *De hoc eodem perspicacissimus Epiphanius in Ancyroto hūc in modum discurrit:* Ait, itaque Beatus Petrus his, qui cum Anania erant; Cur tentauit vos Satanas, mentiri Spiritui sancto? Et ait: Non homini mentiti estis, sed Deo. Deus ergo ex Patre & Filio Spiritus, cui mentiti fuerant, qui de pretio fraudarant. *Et rursum:* Pater veri Filij Pater est, lumen totus, & Patris veri Filius, lumen de lumine, non vt res factæ, aut creatæ, nominatione sola Spiritus sanctus, Spiritus veritatis est. lumen tertium à Patre & Filio: reliqua alia positione, vel appositione, vel appellatione. *Hæc perspicacissimus Epiphanius, ex Patre, & Filio vsurpans, loco illius ex Patre per Filium. Quemadmodum & sapientissimus Cyrillus in Thesauris his verbis enuncians:* Quod beatus Moyses homini à Deo inflatum fuisse contendit, id Christus post resurrectionem à mortuis inflauit suis discipulis, dicens: *Accipite Spiritum*. vt rursus reformati in imaginem, quam à principio habuimus, conformes fuimus Creatori per Spiritus participationem. Cum itaque Spiritus sanctus ad nos veniens, conformes nos efficit Deo, profluit vero & ex Patre & Filio, manifestum est eum diuinæ essentiæ esse, essentialiter in ipsa, & ex ipsa profluens. *Profluit, inquit, ex Patre & Filio, hoc est per Filium ex Patre. At Nyssaensium Orbisque lumen, quot ille in locis palam confirmat, per Filium Spiritum sanctum ex Patre esse? sed potissimum in prima Antirrhetica hæc de Spiritu tradit.* Patri secundum quod increatus est coniungitur, rursusque ab eo, quòd quemadmodum ille Pater non est, separatur: coniungitur & Filio secundum quod increatus est, & quod causam existentiæ ex omnium Deo habeat: seiungitur rursus proprietate, quod non tanquam vnigenitus ex Patre sub-

Quomodo Filius manifestat spiritum sanctum.

Spiritus sanctus procedit per Filiū.

Basilius.

Epiphan.

Cyrillus.

Gregor. Nyssenus.

 tre sub-

ναι. πάλιν δὲ τῆς κτίσεως διὰ τοῦ μονογενοῦς ὑποστάσης, ὡς ἂν μὴ κοινότητά τινα τὸ πνεῦμα νομισθῇ πρὸς ταύτην ἔχειν, ἐκ τοῦ διὰ τοῦ υἱοῦ πεφηνέναι, ἐν τῷ ἀτρέπτῳ καὶ ἀναλλοιώτῳ καὶ ἀπροσδεεῖ τῆς ἑτέρωθεν ἀγαθότητος, διακρίνεται τὸ πνεῦμα ἀπὸ τῆς κτίσεως.

ιβ'. Διαπορῶσι περὶ τοῦ πεφηνέναι τινές. μὴ πῶς λέγοντες φανερώσεως αὐτὸ δηλωτικόν ἐστιν, οὐχ ὑπάρξεως. καίτοι γ' ἐχρῆν αὐτοὺς εἰ μὴ τῷ ἐνεργητικὸν εἶναι τὸ ῥῆμα κατά τε προφορὰν καὶ δήλωσιν ἐμοῦ προεσχηκότα, κἂν γοῦν ἐξ ἄλλων ὁσίων πατέρων τὴν σημασίαν καταγνωκέναι τῆς λέξεως, καὶ μὴ τῆς ἀληθείας ἐπηρεαστὰς καθεστηκέναι διακενῆς. αὐτίκα γὰρ ὁ μέγας Βασίλειος ταῦτα λέγει περὶ τοῦ πνεύματος. οὐδὲν ἔχον ἑαυτοῦ ἐπίκτητον, ἀλλ' ἀϊδίως πάντα ἔχον ὡς πνεῦμα Θεοῦ, καὶ ἐξ αὐτοῦ πεφηνός. Ὁ δὲ σοφώτατος Κύριλλος περὶ τοῦ Χριστοῦ, Τὸν Θεοῦ μεσίτην καὶ ἀνθρώπων κατὰ τὰς γραφὰς συντεθεῖσθαι φαμὲν, ἔκ τε τῆς καθ' ἡμᾶς ἀνθρωπότητος τελείως ἐχούσης κατὰ τὸν ἴδιον λόγον, καὶ ἐκ τοῦ πεφηνότος ἐκ τοῦ Θεοῦ κατὰ φύσιν υἱοῦ, τουτέστι τοῦ μονογενοῦς. καὶ πάλιν. Ἴδιόν ἐστι τὸ πνεῦμα τοῦ υἱοῦ, οὔτοι που μόνον ᾗ λόγος ἐστὶ πεφηνὼς ἐκ πατρός. ἀλλ' εἰ καὶ τοῦτο καθ' ἡμᾶς ἄνθρωπος γέγονε. πρόδηλον ὡς Θεὸς μὲν τὸ πνεῦμα, τὸ ἐξ οὗ κυρίως ἔχον καὶ φυσικῶς ὡς Θεός· τὰ δ' ἄλλα ποιήματα καταχρηστικώτερον ὡς ἐκ ποιητοῦ καὶ δημιουργοῦ πεφηνότα, ἐξ οὗ λεγόμεθα. ὥστε σημαντικὸν ὑπάρξεως περιφανῶς τὸ πεφηνέναι, τῆς γραφῆς δὲ διαγορευούσης οὕτω περὶ τοῦ πνεύματος, ὡς ὁ δημιουργὸς λόγος ἐστερέωσε τὸν οὐρανὸν, οὕτω καὶ τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ ὃ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται, τουτέστιν ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ. καὶ πάλιν, Οὔτε ἀλλότριον τῆς τοῦ Θεοῦ δόξης ἐκ τοῦ ἀρρήτου στόματος ἀρρήτως πεφηνός. οὐ ταυτὸν ἐπὶ τοῦ πνεύματος δείκνυται φανερῶς τὸ πεφηνέναι, καὶ ἐκπορεύεσθαι;

ιγ'. Τοὺς γοῦν ἔδει καὶ τοὺς ἐνταυθοῖ περὶ τοῦ πεφηνέναι διαπορῶντας, ἀλλαχόθεν, ὡς ἔφαμεν, ἐκ τῶν ἀναμφιλέκτων τῆς λέξεως περισκοπεῖν δήλωσιν, ἢ μὲν ἔκ γε τῆς τοῦ λόγου συμφράσεως συνιέναι τὸ ἀληθές, καὶ μὴ παραλογίζεσθαι σφᾶς αὐτούς. ποίαν γὰρ ἂν ἔχειν ὑπονοηθείη πρὸς τὴν κτίσιν κοινότητα τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἐκ τοῦ, τὴν μὲν διὰ τοῦ μονογενοῦς ὑποστῆναι, τὸ δὲ δι' αὐτοῦ πεφανερῶσθαι αὐτῇ; ἢ πῶς ἐν ἄλλοις διακρινόμενον τὸ πνεῦμα ἀπὸ τῆς κτίσεως, οὐ μᾶλλον ἂν διακρίνοιτο προχειρότερον, ἐκ τοῦ, τὴν μὲν διὰ τοῦ μονογενοῦς ἔχειν τὸ εἶναι, τὸ δὲ μὴ δι' αὐτοῦ δηλονότι τοῦ μονογενοῦς, ἀλλὰ τοῦτό ἐστι δι' υἱοῦ τὸ εἶναι τῷ πνεύματι παρὰ πατρὸς φυσικῶς δι' υἱοῦ καὶ τῇ κτίσει, ἀλλὰ δημιουργικῶς. ἄστατος γὰρ αὕτη. διὸ καὶ ἀλλοιωτή, καὶ τῆς ἐκ Θεοῦ ἀγαθότητος ἐπιδεής, τὸ δὲ πνεῦμα τὸ ἅγιον οὐκ ἐστερήθη ἀπὸ τοῦ μὴ εἶναι εἰς τὸ εἶναι μεταβαλόν. ἦν γὰρ ἀεί, διὸ οὐδὲ κτίσμα. Εἰ γὰρ τὸ κτιστὸν τρεπτὸν, καὶ μὴ τρεπτὸν οὐ κτιστόν. ἡ κτίσις ἀλλοιωτή κατὰ προκοπὴν λαμβάνουσα τὸν ἁγιασμόν, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἀποπίπτουσα τοῦ κρείττονος, καὶ πρὸς τὸ χεῖρον ὑποποδίζουσα. τὸ δὲ πνεῦμα τὴν ἀκροτάτην ἁγιωσύνην ἀϊδίως αὐχεῖ. τοιγαροῦν, εἰ τὸ κτιστὸν καὶ ἀλλοιωτόν, τὸ μὴ ἀλλοιωτόν, οὐδὲ κτιστόν. ἡ κτίσις κατὰ μέθεξιν ἔχει τὸ ἀγαθὸν ἐκ τοῦ Θεοῦ. τὸ δὲ πνεῦμα αὐτάγαθον. ἐν ἄρα τῷ ἀπροσδεεῖ τῆς ἑτέρωθεν ἀγαθότητος, καὶ τῷ ἀναλλοιώτῳ, καὶ ἀτρέπτῳ διακρίνεται τὸ πνεῦμα ἀπὸ τῆς κτίσεως. εἰ μὴ ταῦτα γὰρ, ἐνομίσθη ἄν τινα πρὸς τὴν κτίσιν ἔχειν κοινότητα, τῷ δι' υἱοῦ πεφηνέναι παρὰ πατρός.

tre substitit, & quod per ipsum Filium apparuit; Rursus cum creatura per Filium substitisset, ne cũ ea communionem Spiritus habere existimaretur, quod per Filium appareat immutabilitate, firmitate, ac bonitatis, quæ extranea sit, nulla indigentia, à creatura Spiritus secernitur.

12 *De verbo illo* apparere *plerique dubitant. An ne, inquiunt, illud manifestationem, & non existentiam notat? Cum oporteret eosdem, præterquam quod verbum illud tum pronunciatione, tum expressione actiuum est, saltim ex alijs Patrum sententijs vocis significatum colligere, neque veritatem calumniantes frustra tempus terere. In promptu enim sunt, quæ Basilius Magnus tradit de Spiritu:* Nihil habens in se ipso adscititium, sed ab æterno omnia possidens, vt Dei Spiritus, & ex ipso apparens. *Sapientissimus Cyrillus de Christo:* Mediatorem Dei & hominum, vt diuinæ tradunt literæ, componi dicimus, & ex nostra humanitate secũdum propriam rationem perfecta, & eo, qui à Deo apparuit, secundum naturam Filio, hoc est vnigenito. *Et rursus:* Proprius est Spiritus Filij, non ea ratione tantum, qua Verbum est, apparens ex Patre, sed ea etiam, qua à nobis concipitur homo factus. Manifestum Deum esse Spiritum, illud ex alio propriè possidens, & naturaliter vt Deus: alias vero creaturas magis impropriè, tamquam quæ à Creatore, & opifice apparuerunt, ex quo dicuntur. Quare manifestissime verbum apparere existentiam denotat: Scriptura verò hæc afferente de Spiritu. Quemadmodum itaque opifex Verbum cælum firmauit, ita & Dei Spiritus, qui ex Patre procedit, hoc est ex ore eius. *Et rursus:* Neque à Dei gloria alienus ex ineffabili ore ineffabiliter apparens. *An non manifestè de Spiritu euincitur idem esse apparere, & procedere?*

(Apparere in diuinis significare existentiam.) (Basilius.) (Cyrillus.)

13 *Oportebat itaque eos, qui hic de huius verbi significatu hæsitant, aliunde, vt diximus, & ex indubitatis dictionis sententiam expiscari, vel saltim ex ipsa dicendi structura veritatem comprehendere, & non seipsos falsis ratiocinationibus decipere. Quid enim cum creatura habere commune existimaretur Spiritus sanctus ex eo, quod illa quidem per Vnigenitum substitit, Spiritus vero per ipsum illi manifestatus est? Annon, cum in alijs Spiritus secernatur a creatura magis, & faciliori quodam modo secerneretur ex eo, quod illa per Filium, quod sit, habeat: ille autem non per ipsum, Vnigenitum nempe. Sed hoc est per Filium Spiritui, quod sit ex Patre naturaliter per Filium, & creaturæ, sed vt ab opifice productæ. Hæc enim haud firma est, ideoq; & mutabilis, & diuinæ bonitatis indigens. Sed Spiritus sanctus minime mutatus est, ex eo quod non est, ad id, quod est, gradũ faciens. Erat enim semper: propterea neq; creatura est: etenim si creatum mutabile est, non creatum immutabile erit. Creatura mutabilis est, progressu sanctificationẽ acquirens, immo etiam a meliori desciscens, & ad peiora retro commeans. Spiritus absolutissimam sibi sanctitatem ab æterno vindicat. Ergo si creatum mutabile est, quod immutabile est, creatum non est. Creatura secundum participationem bonum ex Deo habet, Spiritus vero ex seipso bonus est. Quod itaque alienæ bonitatis non indiget, & immutabilitate, atque firmitate Spiritus à creatura secernitur. Quæ si inficias ierint, aliquid cum creatura commune Spiritum habere existimare necesse est, ex eo, quod per Filium à Patre apparuit.*

(Spiritus sanctus nihil habet commune cũ creatura.)

Ἀλλ'

ιδʹ. Ἀλλ' εὐθὺς αἱ ψαλμικαὶ τοῦ Θεοῦ χεῖρες. καὶ θεολογικαὶ ἀκτῖνες, σὺν τοῖς ὁμοίοις ποταμοῖς, οἱ θεόφυτοί τε βλαστοὶ, καὶ τὰ δίδυμα σπλάγχνα, καὶ φῶτα τοῦ πατρὸς, καὶ εἴ τι τούτων ἀντιστρέφεται, καὶ οὐκ ἴσασιν οἱ ταῦτα δὲ προβαλλόμενοι, τὸ τῶν ὑποστάσεων ἀσύγχυτον, καὶ τὸ πρῶτον αἴτιον ἐντεῦθεν παραδηλούμενα. τέως δ' οὖν ὁ τὰ θεῖα πολὺς Ἀθανάσιος ἐν τῷ περὶ τῆς τοῦ μονογενοῦς λόγου ἐνανθρωπήσεως, τοιαῦτα φησὶ περὶ αὐτοῦ τοῦ μονογενοῦς. Ὅτε παρατίθεται τὸ πνεῦμα αὐτοῦ εἰς τὰς χεῖρας τοῦ πατρὸς, ὡς ἄνθρωπος ἑαυτὸν παρατίθεται ἑαυτῷ, ὡς Θεῷ· αὐτὸς γὰρ ἡ χεὶρ καὶ αἱ χεῖρες τοῦ πατρός. Ὁ δὲ σοφὸς Ἰωάννης ἐπ' Ἐκκλησίας ὑμνῶν τὸν διαπετάσαντα τὰς χεῖρας ἐν τῷ σταυρῷ δι' ἐμὲ, ταῖς ἀχράντοις αὐτοῦ χερσὶ κηρύττει γεγονέναι, τὴν ἐμὴν κατ' ἀρχὰς διάπλασιν ἐκ χοὸς, τὸ δημιουργικὸν τοῦ λόγου, καὶ τὸ τῆς ἐνεργείας ἀνυστικὸν, χεῖρας ὀνομάζων, συμβολικῶς ἐκ τῶν καθ' ἡμᾶς. Εἰ δέ τις καὶ τὸν υἱὸν καὶ τὸ πνεῦμα χεῖρας αἱροῖτο καλεῖσθαι Θεοῦ, τὴν προσήκουσαν αἰτίαν ἐκδεχέσθω καὶ εὔλογον. καὶ ὅτε μὲν ἀκούει τὸν υἱὸν βραχίονα καὶ δεξιὰν τοῦ Θεοῦ, δάκτυλον δὲ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τότε τὴν ἄκραν συμφυΐαν θεωρείτω τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ πνεύματος, καὶ τὸ διὰ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα παρὰ τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς ἐκπορεύεσθαι. τὸν υἱὸν δὲ καὶ τὸ πνεῦμα χεῖρας νοῶν τοῦ Θεοῦ, τὸ ἀσύγχυτον ἐντεῦθεν συνεννοείτω, καὶ ἰδιοϋπόστατον τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ πνεύματος. οὐ τὸ μὴ διὰ τοῦ μονογενοῦς ἐκπορεύεσθαι τὸ πνεῦμα παρὰ πατρός. ὥσπερ οὐδὲ τὸ μὴ ἀλλήλοις ἔχεσθαι ταῦτα κατὰ τὴν δεξιὰν χεῖρα καὶ τὴν εὐώνυμον, ἀλλὰ τὸ μὲν ἔνθεν εἶναι τὸ δ' ἔνθεν οὐκ ἐν ἀλλήλοις.

ιεʹ. Διὰ ταῦτα καὶ ὁ μέγας ἐν Θεολογίᾳ Γρηγόριος, ποτὲ μὲν ἀκτῖνι παρεικάζει τὸν υἱὸν, φωτὶ δὲ τὸ πνεῦμα, καὶ τὸν μὲν πηγῇ, τὸ δὲ ποταμῷ. ποτὲ δὲ τὰς τῆς εἰρημένης θεότητος ὑποστάσεις ἀσυγχύτους παραδηλῶσαι προθέμενος, καὶ τὸ ἀπὸ τοῦ πατρὸς ἀχώριστον ἐν τῇ καθόδῳ τῇ πρὸς ἡμᾶς, ὥσπερ ἀκτῖνας δύο πέμπεσθαι ταύτας ἐξ ἑνὸς ἡλίου φησὶ, καὶ δύο ποταμοὺς ἐκ μιᾶς πηγῆς, προβαίνοντας μὲν πολύ τε καὶ εἰς μακρὸν, ἐχομένους δὲ τοῦ ὅθεν διαπαντός. ἄλλοτε δὲ τὸ ἀδιαίρετον τῆς τριάδος παραστῆσαι βουλόμενος, καὶ ὁμότιμον, μίαν μαργαρίτην ταύτην ἀποκαλεῖ. καὶ Διονύσιος μὲν ὁ θεωρητικώτατος δίδυμα σπλάγχνα τοῦ πατρὸς, καὶ φῶτα, καὶ ἄνθη, καὶ βλαστοὺς θεοφύτους προσαγορεύει τὸν υἱὸν καὶ τὸ πνεῦμα, τὸ τῶν ὑποστάσεων ὑπεμφαίνων ἀσύγχυτον, καὶ τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἔχειν καὶ ἄμφω τὸ εἶναι γνησίως καὶ ἀκραιφνῶς. ἕτεροι δὲ τῶν ἱερῶν ἀνδρῶν ῥίζαν μὲν ὀνομάζουσι τὸν πατέρα, κλάδον τὸν υἱὸν, καὶ καρπὸν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος διὰ τοῦ υἱοῦ παρὰ τοῦ πατρὸς ὑποδηλοῦντες ὕπαρξιν. ἀκούω δὲ καί τινος θεολήπτου καὶ θεοσόφου καθηγητοῦ περὶ τῆς ὑπερθέου Τριάδος οὑτωσί με διδάσκοντος, τὴν μὲν ἀνωτάτω ῥίζαν, ἧς ἐπέκεινα τὸ σύμπαν οὐδὲν, ὑπονόησον τὸν πατέρα. τὸν δ' ἔκ γε τῆς ἀνωτάτω ῥίζης ἐκπεφυκότα καὶ γεγεννημένον, παράδεξαι τὸν υἱὸν, οὐκ ἐν ἴσῃ τάξει τοῖς πεποιημένοις τὴν ἐν χρόνῳ λαχόντα γέννησιν, οὔτε μὴν ἐν ἐλάττοσιν, ἢ ἐν οἷς ὁ πατὴρ, τὸ τῆς ἰδίας φύσεως ἐμφαίνοντα κάλλος, ἀλλ' ἅμα τὸ καὶ συναΐδιον, καὶ πᾶν ὁτιοῦν ἰσόμετρον ἔχοντα, δίχα μόνου τοῦ τεκεῖν. προσεῖναι γὰρ αὖ τοῦτο μόνῳ τῷ Θεῷ καὶ πατρί. ἅγιον δὲ πνεῦμα προσερῶ τὸ ἐκ Θεοῦ πατρὸς δι' υἱοῦ προχεόμενον φυσικῶς, καὶ καθάπερ ἐν τύπῳ τῷ ἐκ στομάτων διαπνοῆς τὴν ἰδίαν ἡμῖν ὑποσημαῖνον ὕπαρξιν. οὕτω τὸ σαφὲς καὶ ἀσύ-

14 *Quibus statim obijcimus Dei manus, quæ in Psalmis sunt, radios, cum consimilibus fluuijs apud Theologos à Deo natos surculos, & bina viscera, & lumina Patris, & quidquid hisce haud dissimile est; neque norint, qui hæc proponunt, hypostaseon inconfusum, & primam causam inde nobis insinuari. Tandem in rebus diuinis pertractandis consultissimus Athanasius Oratione de vnigeniti Verbi incarnatione, de eodem Vnigenito hæc scribit:* Dum commendat in manus Patris spiritum suum, vt homo semetipsum sibi vt Deo commendat. Ipse enim est manus Patris. *Sapiens quoque Ioannes in Ecclesia laudans eum, qui extendit manus in Cruce;* Propter me immaculatis illius manibus, *prædicat*, factam fuisse meam in principio creationem ex terra, *creandi vim ipsam Verbi & operationis efficientiam manus symbolicè exemplo nostri nuncupans. Si quis verò & Filium & Spiritum manus Dei velit appellare, causam habeat neque improbabilem, neque intempestiuam: & cum audit Filium brachium, & dexteram Dei, digitum verò Spiritum sanctum, tunc summam Filij & Spiritus vnitatem speculetur, & per Filium Spiritum à Deo Patre procedere. Filium autem & Spiritum manus Dei intelligens, inconfusum inde, & per se subsistens Filij & Spiritus simul mente concipiat, non quod per Filium Spiritus non procedat ex Patre, quemadmodum neque quod hi inter se non connectantur, sicuti manus dextera, & leua: sed quod vnus ex vna parte est, alius in alia, non in seipsis confusi.*

Quibus Filius & Spiritus sanctus a patribus comparãtur.

Athanas.

Ioannes.

Quare manus dicatur Dei & quomodo.

15 *Ideo in Theologicis præstans Gregorius aliquando radio assimilat Filium, lumini Spiritum, & hunc quidem fluuio, illum fonti. aliquando eorundem minimè confusas Deitatis hypostases, & in descensu ad homines non separari à Patre explanans, vti binos radios eos ex vno sole mitti, & duos fluuios ex vno fonte longe, lateque procurrentes, illique semper adhærentes, vnde emanant, vocat. Aliquando vnum indiuisumque Triadis, nec non eundem omnium honorem astruens, vnam eam margaritam appellat. Et Dionysius rerum diuinarum speculator & venator acerrimus bina Patris viscera, & lumina, & flores, & germina a Deo prognatos Filium & Spiritum indigitat, minime confusas eorum hypostases commonstrans, & ex Patre habere vtrumque quod verè & propriè sit. Alij ex sanctis Patribus radicem nuncupant Patrem, ramum Filium, & fructum Spiritum sanctum, Spiritus sancti per Filium existentiam demonstrantes. Audio præterea quendam numine afflatum, & diuina doctrina imbutum præceptorem de diuina Triade hæc ad amussim differentem:* Supremam omnium radicem, vltra quam, quidquid est, nihil est, intelligito mihi Patrem, è suprema verò radice enatum, prognatumque accipito Filium, non eodem modo, ac cæteræ res creatæ generationis temporariæ modum sortitum, neque in paucioribus, quã Pater propriæ naturæ pulchritudinem commonstrantem: sed vniuersa coæterna, & æqua atque Pater mensura possidentem, vnum si excipias, parere, namque id soli Deo & Patri conuenit: Spiritũ autem sanctum dicito, qui ex Deo Patre per Filium effunditur naturaliter, & veluti, vt exemplo hoc vtar, ex oris spiratione propriam existentiam indicantem. Sic planam, & inconfu-

Greg. Nazianz.

Aliæ Spiritus & Filij similitudines & quare.

Dionysius

σύγχυτον τὴν τῶν τριῶν ὑποστάσεων ἐν ἰδικαῖς ὑπάρξεσιν ἰδιότητα τηρῶν, μίαν τε, καὶ ὁμοούσιον τὴν ἁπάντων βασιλίδα προσκυνήσεις φύσιν. Τί τὸ προχεῖσθαι φυσικῶς; αὐτὸ δὴ τὸ ἐκπορεύεσθαι τοῦ πνεύματος, ὕπαρξις ἰδικὴ καὶ ἰδίωμα. καθὼς τοῦ πατρὸς τὸ ἀνωτάτω εἶναι, καὶ οὗ ἐπέκεινα μηδέν. τουτέστι τὸ ἄναρχον. καὶ τοῦ υἱοῦ τὸ παρὰ τοῦ πατρὸς γεννᾶσθαι. περὶ τούτων γὰρ ἡ σύμπασα ῥῆσις διεξῆσι, τοὺς τῆς ὑπάρξεως τρόπους εἰλικρινῶς διορίζουσα τῶν μακαρίων τῆς θεότητος ὑποστάσεων.

ιϛʹ. Ἀλλὰ τί χρὴ περὶ τῶν τοιούτων μακρηγορεῖν. Εἰ μὲν οὐδέπω σαφῶς οὐδεὶς τῶν ἁγίων ἐδίδαξε, τὸ διὰ υἱοῦ τὴν τοῦ πνεύματος ἐκπόρευσιν εἶναι παρὰ πατρὸς, οὐδ' ἡμεῖς ἀνάγκην εἴχομεν ὀρύσσειν φρέαρ καινόν. Εἰ δ' ἔκπαλαι τοῦτο τὸ φρέαρ ὠρώρυκτο, Φιλισταίων δὲ χεὶρ ἐνέφραξεν, ἢ συνέχωσεν, οὐκ ἀνακαθαρεῖ τις αὐτό ποτε, καὶ τὸν χοῦν ἐκφορήσας τὸν πολὺν τῆς ἀγνοίας, εὑρήσει τὸ ζῶν ὕδωρ, καὶ τῶν τῆς νομῆς προβάτων τὸ σύνταγμα διατμηθὲν οὐ καλῶς, εἰς μίαν πάλιν ποίμνην διὰ τοῦ κοινοῦ ποιμένος ἐπισυνάψει τοῦ μονογενοῦς καὶ ἀγαπητοῦ; Ἔστι δ' ὃ καὶ τὴν αὐτοῦ δὴ τοῦ καλοῦ ποιμένος ἐκμιμησάμενος συγκατάβασιν; φέρε δὴ μετὰ τῶν ἄλλων παίδων τοῦ πατρὸς τοῦ κληρονόμου, καὶ χάριτι πατρὸς τῶν ἐθνῶν, καὶ τὸν μέγαν πάλιν κἀνταῦθα παραγάγωμεν Ἀθανάσιον, καὶ ἴδωμεν αὖθις ὅσον δὴ καὶ αὐτὸς τῇ τοῦδε φρέατος ἀνορυγῇ συνεβάλλετο. τί γοῦν κατ' Εὐσεβίου τοῦ Σαμοσατέως, καὶ Μελετίου τῶν ἀλλοφύλων τῆς πίστεως ἠκροβόλισεν ὁ τοῦ δεσπότου οἰκογενὴς, ὁ τῆς Ἐκκλησίας ὑπέρμαχος; Ἦν δὲ ἀδύνατον ἐν τῇ τῆς Τριάδος δόξῃ τὸ πνεῦμα δοξάζεσθαι, μὴ προοδικῶς ὂν ἐκ Θεοῦ δι' υἱοῦ, ἀλλὰ ποιητικῶς ἐκ Θεοῦ γεγονὸς, ὡς λέγουσι. τί τὸ, προοδικῶς, ἐν τῷ περὶ δογμάτων καὶ καταστάσεως ἐπισκόπων ὁ τῆς Θεολογίας ἐπώνυμος συντόμως ἡρμήνευσεν. Εἰ πολυπραγμονεῖς, εἰπὼν, υἱοῦ γέννησιν καὶ πνεύματος πρόοδον, κἀγώ σου πολυπραγμονῶ τὸ κρᾶμα ψυχῆς τε καὶ σώματος. καὶ πάλιν, Μὴ δὲ τοῦ πνεύματος περιεργάζου τὴν πρόοδον. ἐν δευτέρῳ δὲ τῶν Εἰρηνικῶν. Ἀλλ' ἐκεῖσε ἀνήσεις τὸ καλὸν γέννημα, καὶ τὴν θαυμασίαν πρόοδον. καὶ πάλιν, Αὐτοὶ δὲ μίαν καὶ τὴν αὐτὴν εἰδέναι φύσιν θεότητος ἀνάρχῳ καὶ γεννήσει καὶ προόδῳ γνωριζομένην. ὃν οὖν ἔχει λόγον ἐπὶ τοῦ πατρὸς τὸ ἀνάρχως, ἐπί τε τοῦ υἱοῦ τὸ γεννητῶς, τὸν αὐτὸν ἐπὶ τοῦ πνεύματος τὸ προοδικῶς, ταυτὸν δ' εἰπεῖν ἐκπορευτικῶς.

ιζʹ. Ἐγὼ δ' ἀκήκοά ποτε καὶ οὕτω διαπορούντων τινῶν. εἰ διὰ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα, πῶς ὁ θεολογικώτατος Γρηγόριος εἴρηκε. Θέλω τὸν πατέρα μείζω εἰπεῖν, ἐξ οὗ καὶ τὸ ἴσοις εἶναι τοῖς ἴσοις ἐστὶ καὶ τὸ εἶναι. τοῦτο γὰρ παρὰ πάντων δοθήσεται, καὶ δέδοικα τὴν ἀρχὴν, μὴ ἐλαττόνων ἀρχὴν ποιήσω, καὶ καθυβρίσω διὰ τῆς προτιμήσεως. εἰ λόγος καὶ πνεῦμα ἅγιον ἴσα, ἴσην ἂν ἔχοιεν καὶ τὴν ὕπαρξιν. ἔχοντα καὶ ἄμφω ταύτην ἐξ αὐτοῦ παρὰ πατρός. ταῦτα τῶν καινοτέρων ἀπορημάτων, ὡς οὐκ ἂν πρὸς τὸν μονογενῆ τὴν ἰσότητα τοῦ πνεύματος ἔχοντος, εἰ δι' αὐτοῦ ἐκπορεύοιτο. καὶ μὴν καὶ ἀπ' αὐτῆς τῆς ἐν τῇ ἐνστάσει παραλαμβανομένης ῥήσεως πατρικῆς ἡ λύσις προφαίνεται. δέδοικα γάρ φησι τὴν ἀρχὴν μὴ ἐλαττόνων ἀρχὴν ποιήσω. ὥστε θέλει καὶ τὴν ἀρχὴν ὁ μέγας θεηγόρος ἴσην εἶναι τοῖς ἐξ αὐτοῦ, μηδὲν τὸ ἀρχικὸν παραβλαπτομένην ἐκ τῆς ἰσότητος. ἥτις ὁμοτιμίαν διαφυλάσσει καὶ ταυτότητα φύσεως. καθὼς ὁ αὐτὸς πάλιν διδάσ-

confusam trium hypostaseon in singularibus existentijs proprietatem conseruans, vnam & consubstantialem reginam omnium naturam adorabis. *Quid est effundi naturaliter, ipsa processio Spiritus, existentia singularis, & proprietas, quemadmodum Patris supremo loco esse, & vltra quem, nihil, hoc est absque principio; & Filij, a Patre esse genitum? De his enim allata supra verba agunt, existentiæ modos perspicuè determinantia beatarum Deitatis hypostaseon.*

16 *Veruntamen quid opus est, de his plura dicere? Siquidem si nullus ex Sanctis plane nos Spiritus processionem per Filium ex Patre esse docuisset, neque nobis effodiendus puteus nouus esset: sed si iam olim puteus hic effossus est, & Philistei manus obturauit, atque oppleuit, non eum aliquando quispiam expurgauerit, immanisque ignorantiæ luto egesto, viuam aquam inuenerit, & ouium, quæ pascuæ huic destinata sunt, agmen improbè malisque artibus diuisum in vnum rursus gregem per communem Pastorem vnigenito, & dilecto, in nonnullis eiusdemmet boni Pastoris demissionem imitatus coniunxerit? Age igitur cum alijs filijs Patris & heredis, & gratia patris gentium, magnum huc adducamus Athanasium, rursumque contemplemur, quæ ipse in huiusce putei effussione præstiterit. Quid itaque aduersus Samosatenum Eusebium, & Meletium a fide alienos, Domini verna Ecclesiæ defensor eiaculauit?* Fieri minimè poterat, vt in Triadis gloria Spiritus glorificaretur, nisi ille proflueret ex Deo per Filium, sed vt reliquæ creaturæ ex Deo factus fuisset, vt asserunt. *Quid sit* proflueret, *Oratione de Dogmatibus & ordine episcoporum, qui Theologi cognomen habet, paucis interpretatus est:* Si tu, *dicens*, curiosè inquiris Filij generationem, & Spiritus effluxum, & ego quidem a te inquiro animæ & corporis mixtionem. *Et rursus:* Ne curiose nimis Spiritus effluxum perquirito, *secunda Oratione de Pace.* Sed ibi relinques pulchrum fœtum, & admirabilem effluxum. *Item:* Ipsi verò vnam ac eandem noscere naturam Deitatis, quæ ingenito, generatione, & effluxu cognoscitur. *Quam itaque rationem in Patre, sine principio, & in Filio, genitum, eandem debet in Spiritu, effluere, quod idem est, ac procedere.*

17 *Aliquando etiam ipse aliquos hunc in modum differentes audiui: Si est per Filium Spiritus, quomodo in rebus Theologicis pertractandis celeberrimus Gregorius dixit:* Volo Patrem maiorem dicere, ex quo, vt æquales sint, æquales habent, & sunt. Hoc enim ab omnibus concedetur, vereorque ne principium, inferiorum principium faciam, & prælatione iniuria efficiam? *Si Verbum, & Spiritus sanctus æqualia sunt, æqualem vtique habebunt & existentiam, cum eam, vterque habeat æqualiter a Patre. Hæc sunt recentiorum dubia, nullam scilicet æqualitatem cum vnigenito Spiritum habiturum, si per ipsum procederet: Et tamen ab eadem Patris sententia, quæ in ipsa obiectione assumitur, facilis sese offert solutio.* Vereor enim, *ait*, ne principium, inferiorum principium faciam; *vult itaque magnus hic diuiniloquus Pater principium æquale esse cum ijs qui ab eodem emanant, cum in nullo principium ab æqualitate illa vulneretur, quæ eundem honorem eandemque naturam constabilit, quemadmodum idem magister secunda oratione de pace plenissimè asseuerat,*

Patres docuisse Spiritum per Filiũ procedere.

Athanas.

Nazianz. Effluere in diuinis quid sit.

In Trinitate sũma æqualitas

Spiritum sãctum etiã si à Filio procedat æquale esse illi.

καλῶς ἐν δὲ τρίτῳ τῶν Εἰρηνικῶν διαβεβαιοῦται. Τριὰς λέγων ὡς ἀληθῶς ἡ τριὰς ἀδελφοί. τριὰς δὲ οὐκ ἀνίσων πραγμάτων ἀπαρίθμησις, ἀλλ' ἴσων καὶ ὁμοτίμων σύλληψις. ὥσπερ οὖν ἡ τῶν τριῶν ἰσότης οὐκ ἀφαιρεῖται τοῦ ἑνὸς τὴν ἀρχήν, οὕτω καὶ ἡ τῶν ἐκ τῆς ἀρχῆς ἰσότης, οὐκ ἔστιν ἀναιρετικὴ τοῦ, τὸ πνεῦμα διὰ τοῦ υἱοῦ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεσθαι. ταύτην μὲν οὖν ἐν τῇ Τριάδι τηρεῖν τὴν ἰσότητα, τῶν ἀναγκαιοτάτων ἐστίν. ἀποπεμπτέον δὲ πόῤῥω τὴν σύγχυσιν ὡς ὑπερβολήν, ὡς ἔλλειψίν τε τὴν ἀνισότητα. καὶ πάλιν, ἢ συστέλλειν θεότητα καὶ ἀναλύειν ἀθέως, ἢ κατατέμνειν ἀνίσοις ἀλλοτριότησιν ἢ μεγέθους ἢ φύσεως. ἀλλ' εἴπερ φασὶ διὰ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα λεχθείη, θεογόνος ἂν εἴη καὶ ὁ υἱός. τοῦτο δὲ τοῦ πατρὸς ἰδίωμα. συμμερίσεται ἄρα ὁ υἱὸς τῷ πατρὶ τὸ τοιοῦτον ἰδίωμα. τῆς δὲ θεογόνου δυνάμεως μένον ἔρημον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, οὐ κινδυνεύσει μεγάλου βαθμοῦ τῆς θεότητος ἐκπεσεῖν, εἴγε τῇ δυνάμει καὶ τὴν οὐσίαν ἀνάγκη συναφαιρεῖσθαι; εἰ γὰρ τὸ ὁμοούσιον, ὁμοδύναμον, τὸ μὴ ὁμοδύναμον, οὐδ' ὁμοούσιον.

ιη'. Βαβαί, πόσον ἐμοὶ φέρει τὰ εἰρημένα τὸ δύσληπτον. εἰ γὰρ ὁ πατὴρ γεννᾷ τὸν υἱὸν μὴ ἔκ τινος τοῦτο λαβών, οὐδὲ ὁ υἱὸς ἔχει τὸ πνεῦμα λαβὼν αὐτὸ φυσικῶς παρὰ τοῦ πατρός, οὐ γεννώμενον, ἀλλ' ἐκπορευόμενον δι' αὐτοῦ παρὰ τοῦ πατρός, οὐκ οἶδα ποῖον ἐντεῦθεν ἰδίωμα πατρικὸν ἕξειν φάσκουσι τὸν υἱόν. πῶς δὲ καὶ θεογόνον τὸν πατέρα κατονομάζουσιν; εἰ μὲν ὅτι Θεὸν γεννᾷ τὸν υἱόν, ἀληθῶς τοῦτο τῆς πατρικῆς ἐξαίρετον ὑποστάσεως, οὐδὲ υἱὸς οὐ θεογόνος. υἱὸν μὴ γεννῶν. εἰ δὲ τὸ γεννᾷν καὶ προβάλλειν καὶ ἄμφω συνάγοντες εἰς ταυτό, θεογόνον οὕτω τὸν πατέρα φασί, ἰδοὺ Θεοῦ γόνος καὶ τὸ πνεῦμα. καὶ πῶς μονογενὴς υἱός; εἰ δ' ἀπαρακαλύπτως τὸ προβάλλειν εἰσάγοντες ὡς ἰδίωμα πατρικόν, ἐντεῦθεν κατασκευάζουσι τὸ μὴ δι' υἱοῦ πεφηνέναι τὸ πνεῦμα παρὰ πατρὸς ἐκ τοῦ ἐν ἀρχῇ ἐκχεῖσθαι, σοφίζονται. τὸ γὰρ ἐκ πατρὸς μὴ δι' υἱοῦ τὸ πνεῦμα καὶ τὸ ἰδίωμα εἶναι πατρικὸν τὸ προβλητικόν, ἄντικρυς ταυτόν. ποία δὲ γραφὴ τὸ τοιοῦτον ἰδίωμα παραδίδωσιν; ἔπειτα πῶς τὸ προσὸν τῷ πατρὶ καθάπερ ἀρχῇ προβλητικὸν συμμερισθήσεται τῷ υἱῷ ἐκ τοῦ δι' αὐτοῦ εἶναι τὸ πνεῦμα παρὰ πατρός; εἰ μὲν γὰρ ἐκ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα λέγει τις ὡς ἐκ πρώτης ἀρχῆς, ἔσται δὴ καὶ ὁ υἱὸς κατὰ τὸ ἀρχικὸν κοινωνὸς τῷ πατρί. καὶ πῶς υἱός; ἀνακόλουθον τοῦτο καὶ ἄτοπον. εἰ δὲ καὶ αὐτοῦ τοῦ πνεύματος ἡ ἐκπόρευσις ἐκ τοῦ πατρὸς διαῤῥήδην κεκήρυκται, καθὼς καὶ πάντα ὅσα ἔχει ὁ υἱός, προδήλως σκιαμαχοῦσιν οἱ ἀντιτείνοντες. ἐν δέ γε τοῖς ὑποτεθειμένοις προσλαβόμεθα καὶ τὸν υἱὸν ἡμεῖς καὶ ἀντιτείνομεν τῆς θεογόνου δυνάμεως ἔρημον ὂν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἔρημος ὢν καὶ ὁ υἱός, οὐ κινδυνεύουσι κατ' αὐτοὺς τῆς θεότητος ἐκπεσεῖν;

ιθ'. Ἐγὼ δὲ θαυμάζω καὶ τὴν αὐτῶν σὺν ἀντιθέσει ἀντιστροφήν, δι' ἧς μὴ εἶναι κατασκευάζουσι τῷ πατρὶ τὸν υἱὸν ὁμοούσιον. εἰ γὰρ τὸ μὲν ὁμοούσιον ὁμοδύναμον, τὸ δὲ μὴ ὁμοδύναμον μὴ δ' ὁμοούσιον, ἢ ὁ υἱὸς ὁμοούσιος τῷ πατρί, καὶ διὰ τοῦτο καὶ ὁμοδύναμος, ὡς ὑποτίθενται δύναμιν καὶ γεννήσει πάντως υἱόν, ἢ οὐχ ὁμοδύναμος τὴν τοιαύτην γεννητικὴν δύναμιν, καὶ κατ' αὐτοὺς οὐδ' ὁμοούσιος τῷ πατρί. καὶ πῶς φασιν οἱ διὰ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὁ Καισαρείας Λεόντιος ὅλως καὶ Νικαίας, ὡς ἐκ τῆς ὅλης συνόδου πρὸς τὸν Θε- [illegible]

seuerat: Trias, *dicens,* verissimè Trias est, o fratres, Trias non inæqualium rerum enumeratio, sed æqualium, & æquè honoratarum comprehensio. *Quemadmodum itaque trium æqualitas non violat vnius principium, sic & eorum, qui ex principio sunt, æqualitas non tollit Spiritum per Filium ex Patre procedere. Hæc ergo æqualitas in Triade ante omnia seruanda est, longeque mittenda est confusio, vt excessus: & vt defectus inæqualitas: rursumque non est contrahenda Deitas, aut impie dissoluenda, aut inæqualibus, vel naturæ, vel magnitudinis disiunctionibus discindenda. Sed si, inquiunt, per Filium Spiritus dicetur, Filius quoque Deum generaret, quæ Patris proprietas est. Compartietur ergo Filius cum Patre hanc proprietatem. Et deipara facultate spoliatus Spiritus sanctus, an non de magno Deitatis gradu decidet, si vna cum facultate essentia quoque priuari necesse sit? Etenim si quod eiusdem est essentiæ, eiusdem etiam potentiæ est, quod eiusdem potentiæ non est, neque eiusdem essentiæ erit.*

18 *Papa, quam mihi comprehensu difficilia sunt, quæ dicuntur! Etenim si Pater generat Filium, à nullo id accipiens, & Filius habet Spiritum, eum a Patre naturaliter accipiens, non genitum, sed per eundem procedentem ex Patre; prorsus non capio, quamnam paternam proprietatem habiturum autumant Filium. Et quomodo Dei-genitorem Patrem indigetant? Si quod Deum generat Filium, verè hoc est paternæ hypostaseos præcipuum. At Filius non Deum-generans est, cum Filium non generet. Si verò generare, & producere, & vtraque in vnum colligantes, hac ratione Deum-generantem Patrem appellant, ecce & Dei fœtus est Spiritus; & quanam ratione vnigenitus Filius erit? Si item producere aperte insinuantes, tanquam proprietatem Paternam, inde comprobant, non per Filium apparuisse Spiritum ex Patre, ex eo quod in principio effundatur, subdolè argutantur. Namque ex Patre non per Filium Spiritũ, & proprietatẽ esse paternam vim producendi, plane idẽ est: quam autem scriptura talem proprietatem tradit? Deinde quomodo, quæ inest Patri veluti principio facultas effundendi, dispartietur cum Filio, propterea, quod per ipsum est Spiritus ex Patre? Siquidem siquis ex Filio Spiritum, vt ex primo principio asserat, communicabit vtique Filius Patri, secundum quod ille principium est, & tum quomodo erit Filius? sed consequens id absurdum est, nec conueniens. Quod si & ipsa Spiritus processio ex Patre palam edicitur, quemadmodum & omnia quæ habet Filius, manifesto aduersarij inaniter cum vmbra depugnant. Veruntamen in adductis nos Filium assumimus, & obiicimus, facultate deipara cum Spiritus sanctus careat careatque & ipse Filius, annon secundum ipsos de deitate deiici periclitabuntur.* — *In Trinitate non generat nisi Pater*

19 *Ego porrò admiror eorundem cum oppositione conuersionem per quam Filium non eiusdem esse cum Patre naturæ adstruunt. Etenim si id quod eiusdem essentiæ est, eiusdẽ facultatis est, & quod non est eiusdem facultatis, neque eiusdẽ essentiæ est, aut Filius eiusdem cũ Patre essentiæ, ideoq; & eiusdem facultatis, quã ipsi supponunt, omnino generabit Filium, aut non est eiusdem facultatis, generatiuæ scilicet, & secundum eosdem non erit eiusdem cum Patre essentia. Et quomodo, inquiunt, si per Filium est Spiritus sanctus,* — *Filius est eiusdem cum Patre naturæ*

λόσοφον. Δέχου μίαν θεότητα τοῦ πατρὸς τοῦ γεννήσαντος τὸν υἱὸν ἀνεκφράστως, καὶ τοῦ υἱοῦ τοῦ γεννηθέντος ἐξ αὐτοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος τοῦ ἐκπορευομένου ἐξ αὐτοῦ τοῦ πατρὸς, ἰδίου δὲ ὄντος τοῦ υἱοῦ; πῶς δὲ καὶ αὐτὸς ὁ Κύριος ἐν Εὐαγγελίοις φησὶ, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεσθαι, μὴ προσθεὶς τὸ, διὰ τοῦ υἱοῦ. Πρὸς ταῦθ' ἡμεῖς οὕτως ἀνθυποφέρομεν. διὰ τί τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἴδιον εἶπεν ὁ Λεόντιος τοῦ υἱοῦ, μὴ μέντοι καὶ τὸν υἱὸν ἴδιον εἶναι τοῦ πνεύματος, εἰ μὴ τὸν μὲν ᾔδει ἀμέσως ἐκ τοῦ πατρὸς, τὸ δὲ διὰ τοῦ υἱοῦ ἐξ αὐτοῦ τοῦ πατρός; εἰ βελτίον δὲ τὸ μόνου παραληφθῆναι ἀντὶ τοῦ αὐτοῦ, ὡς ἂν ἡ ἔνστασις ἐπὶ πλεῖον ἔχῃ τὸ βίαιον, καὶ εἰρήσθω τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ πατρὸς μόνου ἐκπορευόμενον. Τί γοῦν ὅτε φησὶν ὁ τὰ θεῖα πολὺς Ἀθανάσιος ἐν τῷ κατὰ Ἀρειανῶν πρώτῳ, τὸν πατέρα μόνον εἶναι τοῦ ἁγίου πνεύματος χορηγὸν, οὐ δώσομεν τῷ υἱῷ τὸ εἶναι χορηγὸν τοῦ αὐτοῦ πνεύματος. ἢ ὅταν λέγῃ ὁ κύριος περὶ τῆς ἡμέρας ἐκείνης, ἢ τῆς ὥρας μηδένα εἰδέναι μηδὲ τοὺς ἀγγέλους τῶν οὐρανῶν, εἰ μὴ τὸν αὐτοῦ πατέρα μόνον, οὐ δώσομεν καὶ τῷ υἱῷ ταύτην τὴν εἴδησιν; ἢ ὅτε πρὸς τὸν πατέρα φησίν. αὕτη ἐστὶν ἡ αἰώνιος ζωὴ, ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν, καὶ ὃν ἀπέστειλας Ἰησοῦν Χριστὸν, οὐχ ὁμολογοῦμεν Θεὸν ἀληθινὸν τὸν Χριστόν; οὐχ ὁμολογοῦμεν Θεὸν ἀληθινὸν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον; ἀλλ' ὥσπερ ὅταν ὁ πατὴρ εἰδέναι λέγηται μόνος, πᾶσα τις ἑτέρα γνῶσις, τουτέστι τῶν γενητῶν ἐξαιρεῖται. καὶ ὅταν μόνος ἀληθινὸς μαρτυρῆται Θεὸς, πᾶς τις ἑτεροφυὴς Θεὸς ἀποπέμπεται, τὸν αὐτὸν τρόπον, καὶ ὅτε παρὰ μόνου τοῦ πατρὸς λεχθείη τὸ πνεῦμα προέρχεσθαι, πᾶσα τις ἑτερουσίου ἀρχὴ πόρρω φεύξεται. τὸ γὰρ μόνον, οὐκ ἐξ ἀνάγκης ποιεῖται διαίρεσιν τῶν τῆς θεότητος ὑποστάσεων, ὡς αὐτὸς πάλιν ὁ θειότατος Ἀθανάσιος ἐν Διαλέξει τῇ πρὸς Ἄρειον ἀποδείκνυσιν. οὕτως οὖν οὐδὲ τὸ αὐτοῦ. διακριτικὸν γὰρ μᾶλλον τοῦτό ἐστιν, ἢ διαιρετικόν.

κ'. Εἰ δοκεῖ δὲ συμπαραληφθήτω καὶ τὸ μόνου καὶ τὸ αὐτοῦ. τίς οὐχ ὁμολογεῖ τῶν φρονούντων ὀρθῶς, ἐξ αὐτοῦ μόνου τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὡς ἐκ πρώτης ἀρχῆς, ἐκπορεύεσθαι; καὶ πάντα ὅσα ἔχει ὁ υἱὸς, ἐκ τοῦ πατρὸς ταῦτ' ἔχειν αὐτόν; ἐγὼ δὲ τὸ λοιπὸν δέδοικα, μή τις καὶ τελείαν ἀδυναμίαν τῆς τοῦ Θεοῦ δυνάμεως, καὶ ζωῆς ἐρημίαν τῆς αὐτοζωῆς, καὶ ἀλογίαν τοῦ ἐνυποστάτου λόγου καταψηφίσηται. προσμαρτυρεῖν τὸν Κύριον ἑαυτῷ ταῦτα διατεινόμενος. οὐ δύναμαι, λέγοντα, ποιεῖν ἀπ' ἐμαυτοῦ οὐδέν. καὶ, διὰ τὸν πατέρα ζῶ. καὶ, ὁ λόγος, ὃν ἀκούετε, οὐκ ἔστιν ἐμὸς, ἀλλὰ τοῦ πέμψαντός με πατρὸς, τοῦ Κυρίου λέγοντος διά τε τὴν τοῦ πατρὸς τιμὴν, καὶ τὴν εἰς τὸ πρῶτον αἴτιον ἀναφορὰν, διά τε τὸ μὴ δοκεῖν εἶναι ἀντίθεος, καὶ ὡς ἀπ' ἄλλης τινὸς ἐξουσίας ποιεῖσθαι τοὺς λόγους. ὅτι ὁ λόγος ὃν ἀκούετε, οὐκ ἔστιν ἐμὸς, ἀλλὰ τοῦ πέμψαντός με πατρός.

κα'. Ἀμφιβάλλει τις ὅλως τῶν νοῦν ἐχόντων. Τί δήποτε παρὰ τοῦ πατρὸς εἴρηκεν ἐκπορεύεσθαι τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, τὸ δὲ, ἐμοῦ μὴ προσθείς; καί τοιγε τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, εἰπὼν, ἑαυτοῦ μεμαρτύρηκεν εἶναι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. ἐγὼ γάρ εἰμι, φησὶν, ἡ ἀλήθεια. περὶ δὲ τοῦ οἰκείου λόγου τί φησιν; οὐχ ὅτι ὁ λόγος ὁ ἐμὸς παρὰ τοῦ πατρός ἐστιν, ἀλλ' ὅτι ὁ λόγος, ὃν ἀκούετε, οὐκ ἔστιν ἐμὸς, ἀλλὰ τοῦ πέμψαντός με πατρός. τί ἂν οὖν ἐγεγόνει λοιπὸν, εἴπερ εἰρήκει ὁ Κύριος, ὅτι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον οὐκ ἔστιν ἐμὸν, οὐκ ἐκπορεύεται δι' ἐμοῦ; καί τοιγε τὴν ἀγνώμονα καὶ συνετὴν ἀκοὴν οὐδ' οὕτως ὁ λόγος παρέβλαψε, δι' ἃς αἰτίας ἀποδεδώκαμεν.

Leontius Cæsariensis nomine Nicænæ synodi ad Philosophum respondet : Accipe vnam Deitatem Patris, qui genuit Filium ineffabiliter, & Filij ex eo geniti, & Spiritus sancti ex eodem Patre procedentis, qui & proprius est Filij ? *Quomodo etiam & ipse Dominus in Euangelio dicit, Spiritum sanctum à Patre procedere, non addito, per Filium? His nos ita obijcimus. Quare Spiritum sanctum proprium dixit Leontius Filij, non item & Filium proprium esse Spiritus, nisi quod agnosceret hunc quidē immediatè ex Patre, Spiritum verò per Filium ex eodē Patre? Et si placuerit, assumatur illud,* solo, *loco illius,* eodem, *vt obiectio ipsorum magis ac magis vrgeat, dicaturque, Spiritum sanctum, qui ex Patre solo procedit. Quid prætereà? Cum dicit diuinus Athanasius Oratione prima contra Arianos; Patrem solum Spiritum sanctum suppeditare, an non dabimus Filio eiusdem Spiritus sancti suppeditationem? aut cum dicit Dominus, de die illo, aut hora neminem scire, neque Angelos cælorum, nisi suum Patrem solum, an similem cognitionem Filio denegabimus? vel cum ad Patrem dicit ;* Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deū, & quem misisti, Iesum Christum, *an non asseremus Deum verum Christum? an non asseremus Deum verum Spiritum sanctum? Sed quemadmodum cum Pater scire solus dicitur, omnis alia cognitio, mortalium nempe, cessat. & cum solus verus Deus comprobatur, omnis externus Deus amandatur: ita & cum à solo Patre Spiritus sanctus emanare dicetur, omne alienæ essentiæ principium longè fugabitur.* Solum *etenim inter Deitatis hypostases diuisionem necessariò nō infert, vt ipse rursus diuinissimus Athanasius in congressu cum Ario commonstrat. Sic itaque nec dictio* ex eodem : *discernit enim potius illa quam diuidit.*

Leontius Cæsariensis Leontij Cæsariensis locus de Spiritus sancti processione exponitur

Quomodo Spiritus dicatur à solo Patre procedere Athanas.

20. *Et si placet vna simul comprehendantur,* Ex solo, *&* eodem; *quis, dummodo compos animi sit, non fatebitur ex eodem solo Deo & Patre Spiritum sanctum, tamquam ex primo principio procedere, & quæcunque habet Filius, ex Patre ea habere? Ipse verò hinc vereor, ne quis & meram impotentiam diuinæ potētiæ, & vitæ priuationem vitæ, quæ per se ipsam vita est, & per se subsistentis Verbi irrationabilitatem attribuat, hæc eadem sibi ipsi tribuere Dominum contendens,* Non possum, *dicentem,* facere ex me ipso quicquam. *Et,* per Patrem viuo. *Et,* Verbum, quod auditis, non est meum, sed eius, qui misit me Patris. *Hæc Domino enunciante propter Patris honorem, & ad primam causam respectum, & ne videatur Deo aduersari, & alia auctoritate sermones ferere:* Verbum, *ait,* quod auditis, non est meum, sed eius, qui misit me, Patris.

Etiam si sancti Patres dixissent ex solo Patre procedere Spiritum, nihil iuuarer aduersarios.

21. *Ambigit nescio quis, ex ijs etiam, qui pleno pectore sapiunt ; quam ob causam à Patre dixit Spiritum veritatis procedere, non addens illud, per me, eum tamen Spiritum veritatis dicens, proprium sui esse Spiritum sanctum confessus sit.* Ego enim, *inquit,* sum Veritas. *De proprio autem Verbo quid? non dicit, Verbum meum à Patre est, sed* Verbum, quod auditis, non est meum, sed eius, qui misit me Patris. *Quid igitur fuisset, si Dominus dixisset, Spiritus sanctus non est meus, neque procedit per me? Et tamen candidas, prudentesque aures neque hic sermo vulnerasset, propter eas causas, quas adduximus.*

Quare Christus dixit Spiritum ex Patre procedere, nec addidit Per me

Quo-

κβ'. Πῶς δ' ἐπιβάλλειν ἐστοχάσατε, καὶ τῷ πᾶσαν δόσιν ἀγαθὴν, καὶ πᾶν δώρημα τέλειον, ἄνωθεν εἶναι παρὰ τοῦ τῶν φώτων πατρὸς; φῶτα λέγοντες ἐνταυθοῖ τὸν υἱὸν, καὶ τὸ πνεῦμα, πατέρα δὲ αὐτῶν τὸν Θεὸν, μὴ συνιέντες, ὡς εἰ πατὴρ τοῦ πνεύματος ὁ Θεὸς ἐξαπέστειλε τὸ πνεῦμα υἱός. ὁ πατὴρ γὰρ κυρίως υἱοῦ πατήρ. καὶ πῶς ὁ λόγος μονογενὴς, εἰ καὶ τὸ πνεῦμα υἱός; ἀλλ' ὥσπερ πατὴρ τῶν οἰκτιρμῶν ὁ Θεὸς, ὡς αἴτιος καὶ δοτὴρ οἰκτιρμῶν, οὕτω καὶ πατὴρ τῶν φώτων ἐστί τε καὶ ὀνομάζεται. φῶτα δὲ πάντες οἱ ἐκ Θεοῦ φωτισμοὶ, πᾶσαι αἱ ἐλλάμψεις, πάντα τὰ οὐράνια χαρίσματα, καὶ λαμπρὰ ταῦτα, καὶ δόσεις εἰσὶν ἀγαθαὶ, καὶ δωρήματα τέλεια, πάντων δὲ τούτων γενέτης καὶ παροχεὺς ὁ Θεὸς, οὐκ ἀνθρώποις μόνον, ἀλλὰ καὶ ταῖς ὑπερκοσμίοις ἁπάσαις δυνάμεσι. χρὴ τοίνυν, ἁπανταχοῦ τῆς γραφῆς περὶ τοῦ ῥητοῦ τὴν ἔννοιαν ἐκζητεῖν, καὶ συναπτομένην ἑαυτῇ καὶ συνᾴδουσαν, καὶ τὸ αἴτιον ὄντως αἴτιον ἁρμοδιώτατον. καὶ μὴ πρὸς ἀνοδίας καὶ κρημνοὺς ἐκτοπίζεσθαι, τῆς εὐθείας ἑαυτοὺς καὶ ἀπλανοῦς.

κγ'. Ἀλλὰ καὶ τὸ τελευταῖον αὐτῶν καὶ δυσαντίτατον, τὸ δέ· πῶς εἰ διὰ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα ἐστὶν, ὁ σοφὸς Ἰωάννης φησὶν, ἐκ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα μὴ λέγεσθαι; καὶ ὅτι μόνος αἴτιος ὁ πατήρ; ὡς ταυτὸ γὰρ συνάγουσιν, ὡς ἔοικε, τὸ ἐκ τοῦ υἱοῦ, καὶ τὸ δι' υἱοῦ. ὅτι μὲν οὖν ὁ αὐτὸς, εἰ καὶ ἐκ τοῦ πατρὸς οἶδε τὸ πνεῦμα, πλὴν ἀλλὰ δι' υἱοῦ, δῆλον ἐξ ὧν ἐν ἄλλοις φησὶν αὐτὸ πνεῦμα υἱοῦ, οὐχ ὡς ἐξ αὐτοῦ, ἀλλ' ὡς δι' αὐτοῦ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον. ἐξ ὧν τὸ πρὸς Κύριον ἐν ὕμνοις βοᾷ· Ἵλεων νέμοις ἡμῖν πνεῦμα μεταδοτικὸν ἀγαθότητος, ἐκ πατρὸς διὰ σοῦ προερχόμενον. λέγομεν δὲ καὶ ἡμεῖς, ὡς οὐκ ἂν ἐκ τοῦ υἱοῦ προηγουμένως λεχθείη τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἀλλ' ἐκ τοῦ πατρὸς διὰ τοῦ υἱοῦ. χρεὼν γὰρ ὁμολογεῖσθαι τὴν πατρικὴν ὑπόστασιν, ἀρχὴν καὶ αἰτίαν καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ πνεύματος αὐτοῦ. μόνος γὰρ αἴτιος ὁ πατὴρ, καὶ οὐκ ἂν εἴη αἴτιον ἀρχικὸν ὁ υἱὸς, ὧν αὐτοαίτιος ὁ πατήρ. μίαν γὰρ ἀρχὴν τὸν πατέρα τὸν ἄναρχον δογματίζομεν καὶ κτίσεως καὶ θεότητος, τῆς κτίσεως ποιητικὴν, φυσικὴν τῆς θεότητος. ὁ μὲν οὖν ἐκ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα λέγων, ὑποψίαν παρέχεται, τὸν υἱὸν δογματίζειν ἔχοντα τὸ προβλητικὸν, ὡς ὁ πατὴρ τὸ γεννητικόν. καὶ διὰ τοῦτό φησιν ὁ θεῖος οὗτος ἀνὴρ, ὅτι ἐκ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα οὐ λέγομεν. ὁ δὲ λέγων ἐκ τοῦ πατρὸς τὸ πνεῦμα διὰ τοῦ υἱοῦ, προδήλως ὁμολογεῖ, τὸν πατέρα μόνον αἴτιον εἶναι τῆς τοῦ πνεύματος ἐκπορεύσεως. πάντα γὰρ ὅσα ἔχει ὁ υἱὸς, οὕτως ἔχει λαβὼν αὐτὰ παρὰ τοῦ πατρὸς, οὐσιωδῶς δηλονότι καὶ φυσικῶς, ὡς κυρίως υἱὸς ἐκ κυρίως πατρός.

κδ'. Εἰ δὲ καὶ τῷ ἱερῷ συμβόλῳ τῆς πίστεως οὐκ ἐμπεριείληπται, τὸ δι' υἱοῦ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεσθαι, θαυμάζειν οὐ χρή· καὶ ἕτερα γὰρ τῶν ἀναγκαίων οὐ περιέχει τὸ σύμβολον, καὶ τὸ δὴ ἀναγκαιότατον, ὅτι τὸ ἅγιον πνεῦμα Θεὸς, καὶ ὁμοούσιον τῷ πατρί τε καὶ τῷ υἱῷ. διὰ τί γὰρ τὸν μὲν υἱὸν ἀναγορεύει Θεοῦ υἱὸν, καὶ γεννηθέντα πρὸ πάντων τῶν αἰώνων ἐκ τοῦ πατρὸς, οὐ ταῦτα μόνον, ἀλλὰ καὶ Θεὸν αὖθις ἀληθινὸν, καὶ ὁμοούσιον τῷ πατρί. περὶ δὲ τοῦ ἁγίου πνεύματος οὐδὲν τοιοῦτον διέξεισιν, ἀλλ' ὕστερον, ὅτε περὶ τῆς οὐσίας αὐτοῦ καὶ θεότητος λόγος ἐγεγόνει πολὺς, τότε κύριον αὐτὸ καλεῖ, καὶ τῷ πατρὶ καὶ υἱῷ συμπροσκυνούμενον, καὶ συνδοξαζόμενον ἀποφαίνεται. πότερον ἐντεῦθεν οὐχ ὁμολογήσομεν οὕτω σαφῶς Θεὸν εἶναι [illegible]

22 *Quomodo etiam rectè illud coniiciunt:* Omne datum bonum, & omne donum perfectum desuper est ex Patre luminum? *Lumina hic vocant Filiū, & Spiritum, Patrem vero eorum Deum; nec capiunt, quod si Deus Spiritus sancti Pater est, misit Spiritum Filius: Pater enim propriè Filij pater. & quomodo Verbum vnigenitum, si Spiritus etiam Filius est? Sed quemadmodum Pater miserationum Deus est, veluti causa miserationum, & dator, sic & Pater luminum est, & dicitur: Lumina verò vniuersæ illuminationes ex Deo, vniuersæ illustrationes, vniuersa cælestia munera, & præclara quæque, data sunt bona, & dona perfecta; eorumque omnium genitor, & elargitor Deus non hominibus tantum, sed supermundanis omnibus virtutibus. Sententia itaque locis in omnibus sacræ scripturæ dicto consona, & sibimetipsi cohærens, respondensque, & causa vere causa, familiarissimaque quærenda est, dedecetque rectam viam inerrantemque deserentes ad prærupta, confragosaque nosmetipsos conijcere.* (Pater luminum Deus quomodo dicatur.)

23 *Postremum eorundem, ac planè difficile argumentum est. Quomodo si per Filium Spiritus sanctus est, sapiens Ioannes inquit:* Ex Filio Spiritum non dici, & Patrem solum causam esse. *Idem enim rentur, vt apparet, ex Filio, & per Filium. Ioannem itaque licet ex Patre Spiritum dicat, nihilominus per Filium agnouisse, ex illis quæ alijs in locis dicit, manifesto colligimus. Namque Spiritum ait Filij non tanquam ex ipso, sed tanquam per ipsum ex Patre procedentem, tum ex illis, quibus ad Dominum in Hymnis clamat:* Propitium exhibeas nobis Spiritum, qui bonitatem elargitur, ex Patre per te procedentem. *Nos quoque asserimus, nunquam ex Filio antecedenter dici posse Spiritum sanctum, sed ex Patre per Filium: namque asserenda est paterna hypostasis principium & causa & Filij, & ipsius Spiritus. Solus enim Pater causa est. Filiusque nunquam dicetur prima causa eorum, quorum ipsa causa Pater est. Vnum enim principium Patrem, qui sine principio est, decernimus, & creaturæ, & diuinitatis † effectiuum creaturæ, diuinitatis naturale. Qui itaque ex Filio Spiritum astruit, suspicionem inijcit † ne Filium asserat vim producendi in se habere, quemadmodum habet Pater vim generandi. Propterea que diuinus hic vir ait:* Ex Filio Spiritum non dicimus. *Qui verò dicit, Spiritum ex Patre per Filium, palam fatetur, Patrem solum causam esse processionis Spiritus. Quæcumque enim habet Filius, ita habet vt accipiens ea à Patre, essentialiter scilicet & naturaliter, tanquam proprie Filius ex propriè Patre.* (Damascenus. Quomodo Damascenus dixerit Spiritum ex Filio non procedere. Damascenus concedit Spiritum per Filiū procedere. † Vide notas. † Vide notas.)

24 *Etiamsi verò in sacro symbolo Fidei non comprehendatur per Filium Spiritum sanctum à Patre procedere, non est, cur admiremur. Nam & alia ex necessarijs symbolum non continet, & id quod maximè omnium necessarium est, Spiritum scilicet sanctum Deum esse, eiusdem cum Patre & Filio essentiæ. Propter quid enim Filium asseuerat Dei Filium, & ante secula omnia genitum ex Patre, neque hoc solum, sed Deum rursus verum, & Patri consubstantialem. & de Spiritu sancto nihil tale prosequitur; sed postea cum de illius essentia & diuinitate multi fuissent agitati sermones, tum Dominum ipsum vocat, & cum Patre, & Filio simul adorari & conglorificari declarat. Annon exinde iam manifeste confitebimur Spiritum sanctum* (Quare in Symbolo non expressa sit processio ex Filio Spiritus. Multa necessaria non esse in Symbolo expressa.)

τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον; ἢ καὶ ὁμοούσιον κηρύττοντες, ᾧ συμπροσκυνεῖται καὶ συνδοξάζεται, λόγους καινοτομίας εἰς τὴν τῆς πίστεως ὁμολογίαν ὑφέξομεν; καὶ τίς ἂν εἴποι τοῦτο φρενῶν ὑγιῶς; Οὕτως οὖν οὐδὲν ἐξαίσιον, εἰ καὶ τὴν ἐκπόρευσιν τοῦ αὐτοῦ πνεύματος, οἱ τότε μὲν πατέρες διά τινας αἰτίας οὐ διηκρίβωσαν. νῦν δὲ καιροῦ καλοῦντος ὑμᾶς ἐπὶ πολλοὺς λαοὺς εἰς τὴν κατὰ Χριστὸν ὁμόνοιαν ἑλκύσασθαι διερμηνεύσετε ὑμεῖς οἱ τοῦ αὐτοῦ πνεύματος ἐντελῶς τοῖς τῶν ἐπὶ σοφίᾳ καὶ ἁγιότητι περιφανῶν καὶ περιπύστων πατέρων ἑπόμενοι δόγμασιν, οἷς ἀρχῆθεν καὶ ἕως ἡμῶν τὸ πάντη ἀνεπίληπτον συντετήρηται, οἷς καὶ Ταράσιος ὁ ἁγιώτατος, καὶ τὰ θεῖα σοφώτατος ὠχυρωμένος καὶ ἐνδεδυναμωμένος, ἐκ τοῦ πατρὸς δι' υἱοῦ ἐκπορευόμενον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον προανεκήρυξε διὰ λιβέλλου Συνοδικοῦ. καὶ τὸ ἀκροατήριον οἰκουμενικὸν καὶ παγκόσμιον. καὶ οὐδεὶς τῶν ἁπάντων τῆς αὐτοῦ Θεολογίας ἐπιλαβέσθαι τετόλμηκε.

κε'. Εἰ καί τινες τῶν ἄρτι σοφῶν οὐδ' ἐνταῦθα τρόπους ἀντιλογίας ἠμηχάνησαν ἐξευρεῖν. φασὶ γὰρ ὅτι κατὰ τὸ σιωπώμενον ἐπεξάβοντο τῶν λιβέλλου οἱ Ἀνατολικοί, τὸ δι' υἱοῦ παρέντες ἐν τῇ σφῶν αὐτῶν ὁμολογίᾳ τῆς πίστεως. καίτοι πόθεν ἐντεῦθεν ἡ ἀντιλογία φέρει τὸ κραταιόν, εἰ τὸν τοῦ μακαριωτάτου Σωφρονίου τόμον ἐκεῖνοι τυχόντες ἔχειν, ἐστάλκασιν ἀπαραποίητον αὐτόν, ὡς ἔδει, τηρήσαντες; ἐπεὶ μὴ δι' ἀνάγκην εἶχον μεταγράφειν καὶ ἀντιπίπτειν ἅπερ ἐδέξαντο. τοῦτο δειξάτω τις, εἴ τινα μέμψιν κἂν γοῦν μετρίαν τῷ τοῦ Πατριάρχου προσῆψαν γράμματι, καὶ εἰ μὴ τοῦτο τέως οἱ μὴ ἐπαίνων, καὶ τούτων πολλῶν καὶ μεγάλων αὐτὸ κατηξίωσαν, θεωρητικῆς, καὶ θεοφορωτάτης διανοίας ἀνομολογήσαντες εἶναι ταμιεῖον θεόπνευστον τὴν τῆς ὀρθοδοξίας ἀκρίβειαν, καὶ τῶν ἀποστολικῶν τε καὶ πατρικῶν δογμάτων τὴν διαφανεστάτην ἐξάπλωσιν, ὡς ἀκτῖνας ἡλιακὰς περιβαλλόμενον. λεγέτω τις οὖν ἐπιλήψιμόν τι φέρειν αὐτοὺς ἡγήσασθαι, τὸ τοσαύτης τετυχηκὸς παρ' αὐτῶν ἀναῤῥήσεως; ἀλλ' οὕτω μὲν οὕτως. ἡ δ' οἰκουμενικὴ Σύνοδος ἀκροασαμένη τετάρακται; τεθορύβηκε; τὸ καινὸν ἀπηγόρευσεν ἄκουσμα, καθὼς εἴωθε συμβαίνειν ἐπὶ τῶν ἀλλοκότων δογμάτων εἰσαγωγαῖς; οὐδαμῶς. Ἐχρῆν δ' αὖ προσφέρειν καὶ τὴν σὴν πολλὴν ἁγιότητα, τῷ ταύτης ἱλαρῷ καὶ ἀτύφῳ, καὶ πρὸς ἀνοχὴν ἑτοίμῳ τεθαῤῥηκός. Εἴ τινά ποτε προενέγκω δόξαν οὐχ ὑγιαίνουσαν, ἐπεὶ δὲ καὶ γνώμης οὕτως ἔχειν ἰσχυρίζοις, οὕτω φρονεῖν, οὕτω πιστεύειν διατεινόμενος. πότερον ἂν ἠρέμαιος οἱ πλησίον σου τὴν τῆς δυσφήμου προσῄσθοντο παράδοξ; οὐκ ἂν ἀντέπιπτον; οὐκ ἂν ἐξ ἐναντίας σοι ἵσταντο; οἶμαι μὲν ἔγωγε, μὴ δ' ἂν τὸν οἰκεῖον σφᾶς αὐτοὺς ἐπιγνῶναι καθηγεμόνα, πρὶν αὐτὸν ἀποσκευάσασθαι τὸ ἀπόβλητον, καὶ τοῖς τοῦ ἀναθέματος ἀραῖς ἐνδικώτατα καθυποβαλεῖν. ἐκεῖ δὲ τοὐναντίον ἅπαν. οἱ γὰρ τῆς οἰκουμενικῆς συνελθόντες, καὶ μάλισθ' ὅσοι τὴν ἱερὰν γραφὴν ἐπιστημονικώτεροι καὶ σοφώτεροι, τῶν λιβέλλων καὶ ἀμφοτέρων εἰς ἀκρόασιν ὑπαναγνωσθέντων ἄλλων κοινῇ, ὡς ἕνα τούτους ἀνεκρίκασι. τῷ μὴ θατέρου θάτερον παραλλάττειν τι κατ' εὐσέβειαν. ᾔδεσαν γὰρ ἀκριβῶς τοὺς τῶν θεοφόρων πατέρων προέχοντας, δι' υἱοῦ τὴν τοῦ πνεύματος ἐκπόρευσιν εἶναι τεθεολογηκότας ἐκ τοῦ πατρός. τούς τε ἐκ τοῦ πατρὸς ἀπαγγείλαντας αὐτὸ ἐκπορευόμενον, οὐκ ἀνηνημένους τὸ δι'

sanctum Deum esse? etiamne, si consubstantialem prædicemus illis, quibuscum adoratur, & conglorificatur, de innouata fidei professione iudicium subibimus? & quis sana mentis hoc dixerit? Hoc igitur modo nihil præter fas moremque accidet, si & processionem eiusdem Spiritus illi quidem Patres, qui tum floruerunt, suas ob causas enucleatius explicatiusque non tradiderunt. vos autem præsenti temporis occasione ad multas gentes ad vnionem in Christo pertrahendas prouocati dilucidius eandem exponetis; vos, inquam, eiusdem Spiritus & perfectè Patrum sapientia sanctitateque illustrium, & fama clarissimorum dogmata sequentes, quæ ab ipso initio ad hæc vsque tempora culpa reprehensionem, & calumniarum aculeos omnino effugerunt. His Tarasius sanctissimus & rerum diuinarum scientissimus fultus ac confirmatus, ex Patre per Filium procedentem Spiritum sanctum, libello synodico tam multo ante palam aperteque professus fuit; atque id in vniuersali totius orbis terrarum auditorio: nec quisquam omnino ex omnibus fuit qui eius doctrinam de Deo reprehendere ac ei contradicere ausus est.

Tarasius.

25 *Quamuis nonnullis nostri temporis sapientibus non defuerit solertia, quam etiam hic contradicendi ansas inuenirent. dicunt enim, Orientales ea quæ in libello erant silentio suo improbasse; cum in sua fidei professione illud,* per Filium, *omiserint. Veruntamen, quæ vis inde contradictioni fuerit, si beatissimi Sophronij tomum illi tenentes, miserunt sine vlla immutatione, vt par erat, conseruatum: cum nulla vrgeret necessitas interpolandi, contradicendique ijs, quæ ipsi receperant. Hoc quispiam ostendat, in aliquam saltem vel leuissimam reprehensionem Patriarchæ scriptum incurrisse. Id si non possunt, dicant interim, annon laudibus multis maximisque illud dignum duxerint, speculatiua & diuina scientia instructissimæ considerationis sacrarium id esse confitentes, quod exactam & diuinitus inspiratam rectæ fidei traditionem, clarissimamque Apostolicorum ac paternorum dogmatum explanationem vti solis radios emittit. Quis itaque dicit eos existimasse aliquid reprehensione dignum in scripto contineri, quod tot præconijs ab eisdem exceptum fuerat? Sed hi quidem sic. At Oecumenica synodus audiens turbata ne est? edidit strepitum? nouam auditionem exhorruit? prohibuit; vt fieri amat in absurdorum dogmatum traditionibus? Minime gentium. Peterem ipse quoque non importunè à tua multa sanctitate, illius hilaritati, & delectioni, & ad tolerandum facilitati maximè fidens. Si quam aliquando opinionem non sanam in medium attulisti, & te ita tenere contenderes, ita sentire, ita credere obnixe affirmares, an qui audiunt propinqui tacitè blasphemam opinionem persensiscerent? Annon contradicerent? Annon aduersum te omnia facerent? Ego sane existimo neque proprium ductorem eosdem velle recognoscere, ni prius reiiculam opinionem abiecerit, & anathematis diris iustissimè subiecerit. Ibi verò totum contrarium contigit. Nam qui in vniuersalem congressum conuenerant, & potissimum in sacris literis scientiores, & sapientiores, cum vterque libellus alijs audientibus legeretur tamquam vnum iudicarunt, cum vnus ab alio in nullo, quod ad pietatem faceret, discreparet. Planè siquidem callebant, inter Deiferos Patres præcipuos, per Filium Spiritus processionem esse à Patre asseuerasse: eosque qui illum ex Patre pronunciassent, non respuisse per Filium. Si*

Dictum Tarasij per Filiũ non esse reiectum in synodo quinimo approbatum, & cõfirmatum.

Sophron.

Synodus septima Oecumenica.

Afferend aliquid contra fidem præsentes cõtradicunt

itaque

υἱοῦ. Εἰ τοίνυν τοῖς ἐκ τοῦ πατρὸς εἰρηκόσι τὸ πνεῦμα ἐκπορευόμενον οὐκ ἀπήρηται ὅλως διʼ υἱοῦ, τοῖς δέ γε διερευνῶσι τὴν ἐκ πατρὸς ἐκπόρευσιν τοῦ πνεύματος παρʼ αὐτοῦ κεκινημένοις τοῦ πνεύματος προσερρέθη τὸ διʼ υἱοῦ, εὔδηλον ὅτι σύμπαντες οἱ τοῦ πνεύματος, οὐκ ἄλλως ἐκ τοῦ πατρὸς αὐτὸ πεφρονήκασιν ἐκπορεύεσθαι, εἰ μὴ διʼ υἱοῦ, μηδεμίαν παρείσδυσιν ἔχοντος τοῦ ἐναντιολογεῖν ἐν αὐτοῖς, ἄκρας δὲ μᾶλλον συμφωνίας οὔσης ἐν τοῖς ἁγίοις, καὶ τὸ αὐτὸ τῶν ὅλων πεπαιδευμένων φρονεῖν, καὶ τῆς ἀγάπης καὶ εἰρήνης, καὶ ὁμονοίας ὄντων ἐν πνεύματι. καθὰ δὴ καὶ οἱ τὸ ἱερὸν μάθημα παραδεδωκότες συνοδικῶς. κἀκεῖνοι γὰρ κατὰ τὴν αὐτὴν ἔννοιαν ἱερογραφικῶς τὸ τοιοῦτον ἐξέθεντο, λόγοις οἰκονομίας τὴν φωνὴν παρασιωπήσαντες, ὅτε πρὸς ἄλλα ἐνδιδόναι ἐπείγοντα, καὶ τὸν τῶν αἱρετιζόντων θόρυβον ἀποσβέσαι. διʼ ἣν αἰτίαν οὐδὲ Θεὸν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον σαφῶς οὕτω καὶ καθαρῶς προσηγόρευσαν, τῷ μὴ ἔχειν ἐκ τῶν Εὐαγγελίων ἑτοίμως τὴν παράστασιν πιστώσασθαι. τί δʼ ἔδει πρὸς διαλέξεις καὶ ὑπὲρ τῶν τοιούτων φωνῶν χωρεῖν αὐτοὺς καὶ λογομαχεῖν, καὶ τὸν πολὺν κλονεῖσθαι λαόν, ἐὸν καὶ ἄλλως ἀναντιρρήτως τὴν εὐσεβῆ κρατύνεσθαι καὶ ὀρθόδοξον ἔννοιαν;

κϛʹ. Ὅτι δὲ τὸ ἐκ πατρὸς λέγειν ἐκπορευόμενον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, καὶ τὸ ἐκ πατρὸς διʼ υἱοῦ, ταυτὸν κατʼ ἔννοιαν οὐ διάφορον, ἐκ τῶν τῆς αὐτῆς ἑβδόμης Συνόδου πρακτικῶν ἐναργέστατα καταφαίνεται. τῶν Τόμων γὰρ ὑπαναγνωσμένων συνοδικῶς, τοῦ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ πατρὸς διʼ υἱοῦ διασαφοῦντος ἐκπορευόμενον, καὶ τοῦ ἀϊδίως ἐκπορευόμενον ἐκ τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς τὸ αὐτὸ πνεῦμα, διαγορεύοντος, ὁ μὲν τῶν τῆς συνόδου σεπτῶν πατέρων, οὕτως ἔχουσαν τὴν γνώμην ἐξεφώνησεν. Ἐν μηδεμιᾷ ἐννοίᾳ παραλλάττοντα καὶ τὰ νῦν ἀναγνωσθέντα γράμματα ἐκ τῆς ἀνατολῆς πεμφθέντα πρὸς Ταράσιον τὸν ἁγιώτατον ἀρχιεπίσκοπον καὶ οἰκουμενικὸν Πατριάρχην, τοῦ ὑπʼ αὐτοῦ προσομολογηθέντος ὅρου τῆς πίστεως εὑρών, κἀγὼ ὁ ἀνάξιος τούτοις συντίθεμαι. ὁ δὲ τοιαύτην ὧν ἠκροάσατο τὴν κρίσιν πεποίηκε. Τὰ ἀναγνωσθέντα γράμματα Ταρασίου τοῦ ἁγιωτάτου ἀρχιεπισκόπου καὶ οἰκουμενικοῦ Πατριάρχου, καὶ τὰ ἀπὸ τῆς ἀνατολικῆς διοικήσεως παρὰ τῶν αὐτόθι ἀρχιερέων, τοιαύτην οἰκειότητα ἔχειν πρὸς τὰ τοῦ αὐτοῦ ἡγουμένου ἀρχιερέως Κωνσταντινουπόλεως, ὥστε μηδεμίαν ἑτερότητα ἐν αὐτοῖς εἶναι, ἀλλὰ τελείαν ταυτότητα, ὡς ἓν καὶ τὸ αὐτὸ τὰ ἄμφω εἶναι, ὡς πεπληρωμένα πάσης ὀρθοδοξίας. Ἕτερος οὑτωσὶ ἀπεφήνατο· Οἷς ὁ τῆς εὐσεβείας μεμέληται τρόπος, τούτοις δήπου πάντως καὶ ὁ τῆς ὀρθοδοξίας διαλάμπεται λόγος. εἰκότως τοίνυν καὶ ἡ ἐμὴ βραχύτης, τοῖς ἀναγνωσθεῖσιν ἱεροῖς καὶ συνοδικοῖς γράμμασι τοῦ ὁσιωτάτου καὶ μακαριωτάτου τῆς βασιλευούσης τῶν πόλεων ἀρχιεπισκόπου Ταρασίου ἃ πρὸς τοὺς τῆς ἑῴας ἐξαπέστειλεν, ἔτι γε μὴν καὶ τοῖς παρʼ αὐτῶν πρὸς αὐτὸν ἀποσταλεῖσι συνεχῶς τὸ τῆς διανοίας ἐπερείσας ὄμμα, κατὰ πάντα τῇ τῶν ἁγίων πατέρων συμφωνοῦντα ὀρθοδόξῳ πίστει, διὰ τῆς ἀναγνώσεως ἔγνων. Ἄλλος ταύτας ἀφῆκε τὰς φωνάς. Σύμφωνα ὁρῶν τὰ συνοδικὰ γράμματα Ταρασίου τε τοῦ ἁγιωτάτου καὶ οἰκουμενικοῦ πατριάρχου, καὶ τὰ ἀντίγραφα αὐτῷ τὰ ἀπὸ τῶν τῆς ἀνατολῆς ἀρχιερέων συντίθεμαι αὐτοῖς. Ἕτερος οὕτως ἐφθέγξατο. Ὥσπερ ἓν φρονοῦντες ἐληλύθαμεν, οὕτω καὶ ἓν λέγειν ἐδιδάχθημεν. συμφώνων τοίνυν οὐσῶν τῶν ὑπαναγνωσθεισῶν συνοδικῶν κεραιῶν Ταρασίου τοῦ ἁγιωτάτου οἰκουμενικοῦ Πατριάρχου, τῶν σταλεισῶν παρʼ αὐτοῦ πρὸς τοὺς ἑῴας ἁγιωτάτους ἀρχιερεῖς, καὶ τῶν ἀντιγράφων τῶν παρʼ αὐτῶν πρὸς αὐτὸν πεμφθέντων, πρὸς

itaque ab ijs, qui ex Patre affirmarunt Spiritum procedere, nõ reijcitur omnino Per Filium: *ab ijs verò, qui enucleatè tradiderunt Spiritus ex Patre processionẽ, ab eodem Spiritu excitatis, additũ fuit,* Per Filium, *manifestum est, vniuersos, qui è Spiritu sunt, non aliter ex Patre eum procedere, quam per Filium sensisse, cum nulla in illis ratio contradicendi interueniat: immo summè inter se sancti conueniunt doctique omnes hoc idem sentiunt, amorem, pacem, atque vnionem amplectentes in Spiritu; quemadmodum & qui sacram hanc doctrinam plena synodo tradiderunt. Illi etenim eodem sensu sacris inuixi literis hoc exposuerunt e prudentiæ legibus vocem obticescentes; tunc ad alia procuranda, & sectariorum strepitus comprimendos intenti: ideoque neque Spiritum sanctum planè & clarè Deum pronunciarunt, cum non haberent in promptu quibus id ex Euangelijs, comprobarent. Et quid opus erat eos pro his vocibus disputationibus, verbisque decertare, turbasque ciere in populo; cum possent alia ratione irrefragabiliter piam, orthodoxamque sententiam constabilire?*

26 *Verum ex Patre asserere procedere Spiritum sanctum, & ex Patre per Filium sensu idem esse nec diuersum, ex actis eiusdem septimæ synodi apertissimè euincitur. Nam cum tomi in synodo lecti fuissent, ille videlicet, qui Spiritum sanctum ex Patre per Filium procedentem affirmat; tum alius, qui ab æterno procedentem ex Deo & Patre eundem Spiritum asserit, vnus ex synodi venerandis patribus sententiam ita se habentem protulit:* Cum scripta, quæ nunc lecta, & ex Oriente missa sunt ad Tarasium sãctissimum Archiepiscopum & oecumenicum Patriarcham in nullo sensu discrepare a definitione fidei ab eodem emissa comperiam, ego quoque indignus assentior. *Alius eorum, quæ audijt, sententiam hanc dedit:* Scripta Tarasij sanctissimi Archiepiscopi & Oecumenici Patriarchæ, quæ lecta & ab Orientali Dioecesi ab illius Præsulibus missa sunt, talem conformitatem cum scriptis Antistitis Constantinopolitani habere existimo, vt nulla diuersitas inter ea sit, sed perfecta identitas; ita vt vnum vtraque sint, plena scilicet omni orthodoxia. *Alius ita determinaui:* Quibus pietas curæ est, ijs vtique & Orthodoxiæ oratio resplendet. Iure itaque merito mea paruitas lectis sacris, ac synodicis literis sanctissimi & beatissimi Regiæ vrbis archipræsulis Tarasij, quas ad Orientales transmisit: necnon & his, quæ ab eis ad ipsum directæ sunt, animum diligenter aduertens, per omnia sanctorum Patrum fidei orthodoxæ concordantes legens cognoui. *Alius has voces emisit:* Consentientes intuens synodicas literas Tarasij sanctissimi & Oecumenici Patriarchæ & rescripta eorum ab Orientalibus Præsulibus transmissa, illis consentio. *Alius ita pronunciauit:* Sicut vnum sentientes conuenimus, ita & vnum dicere edocti sumus: Quoniam itaque synodici apices Tarasij sanctissimi Oecumenici Patriarchæ ad sanctissimos Orientis Præsules per eumdem transmissi, & rescripta per eosdem ad ipsum directa, de sancta & orthodoxa fide sex vni-

Tarasij dictum per Filium sententia Patrum in plena Synodo confirmatur.

τὴν ἁγίαν καὶ ὀρθόδοξον πίστιν τῶν ἓξ οἰκουμενικῶν Συνόδων, οὕτω κἀγὼ πιστεύω. Οἱ λοιποὶ τῶν ὁσιωτάτων ἐπισκόπων ταῦτ᾽ ἐξεφώνησαν. Πᾶσα ἡ κατὰ χάριν Χριστοῦ τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ ἡμῶν, καὶ τὸ εὐσεβὲς θέσπισμα τῶν γαληνοτάτων καὶ ὀρθοδόξων ἡμῶν βασιλέων συναθροισθεῖσα ἁγία Σύνοδος, τὴν γενομένην ἀναφορὰν παρὰ Ἀδριανοῦ Πάπα τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης πρὸς τοὺς ὀρθοδοξοτάτους ἡμῶν βασιλεῖς, καὶ τὸν νυνὶ ἀναγνωσθέντα χάρτην, ὅρον ὀρθοδοξίας τοῦ ἁγιωτάτου καὶ μακαριωτάτου οἰκουμενικοῦ πατριάρχου Ταρασίου ὄντα, καὶ τὰ ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς ἀναπεμφθέντα πρὸς τὴν αὐτοῦ μακαριότητα παρὰ τῶν ἀρχιερέων γράμματα ἀποδεχόμενοι, στοιχοῦμεν καὶ ἀσπαζόμεθα. ἐντεῦθεν οἱ τὸ ἀληθὲς ἐξεταστῆρες πορίζονται. καὶ ὅτι τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς δι᾽ υἱοῦ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορεύεσθαι μετὰ τῆς οἰκείας Συνόδου κατεξετάσας καὶ δοκιμάσας ὁ ἁγιώτατος Ταράσιος, οὕτω θεοφρόνως καὶ θεοπνεύστως ἐξέθετο, κρίσει πολλῶν κυρωσάμενος, καὶ κήρυγμα παγκόσμιον δι᾽ ἐπιστολῆς εἰς πάσας [illegible] ἐκκλησίας Χριστοῦ ποιησάμενος.

κζ. Εἰ δὲ τὸ τῆς πίστεως σύμβολον, ὃ παρὰ τῶν τῆς δευτέρας Συνόδου πατέρων ἐξετέθη, καὶ οἱ τῆς Ἑβδόμης ὅρον τῆς πίστεως καὶ αὖθις εἶναι κεκρίκασιν, οὐδὲν θαυμαστόν. ᾑρετίσαντο γὰρ ἐν τῷ κοινῷ τοῖς πᾶσιν ἐγνωσμένον λόγον, καὶ εἰσέτι κρατοῦν, καὶ μὴ δοκεῖν νέαν ὁμολογίαν ἐπὶ μηδενὶ κέρδει παραδιδόναι αὐτούς, ἡνωμένης οὔσης τότε τῆς ἐκκλησίας ἁπάσης Χριστοῦ. τέως τῶν ἁπάντων οὐδεὶς ἀντιφθέγξασθαι τῷ Πατριάρχῃ τετόλμηκεν. ἦν γὰρ ἂν τοῖς πρακτικοῖς ἐντεταγμένη, καὶ ἡ ἀντίρρησις. Ἀλλ᾽ ὡς ἔοικε, νῦν σύμπασα γνῶσις, σύμπας ζῆλος. τότε δέ γε καὶ ἐφεξῆς τοιοῦτον οὐδέν. πῶς γὰρ ἂν τὸ τῆς ὀρθοδοξίας ἀλλότριον, εἴπερ ἦν ὅλως, ἀνεπισήμαντον, ἕως δεῦρο παρεωράθη καὶ ἀστηλίτευτον; ποῖον τῶν ἐκ φύλων δογμάτων οὐ διηραυλίσθη πολυτρόπως παραδειγματισθέν; ποῖος ἀρχηγὸς τῆς οἱασοῦν αἱρέσεως, ἢ συνήγορος, οὐκ ἐκκήρυκτος; τὸ δι᾽ υἱοῦ παρὰ πατρὸς ἐκπορεύεσθαι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τίνες ἀποβάλλονται; καὶ τοὺς τὸ δόγμα θεμένους ἀνάγραπτον οὐκ οἰκειοῦνται, καὶ πατέρας ἀποκαλοῦσι καὶ διδασκάλους καὶ ἁγίους Θεοῦ, καὶ φωναῖς εὐφήμοις ἐπ᾽ Ἐκκλησίᾳ γεραίρουσι, καὶ τὰς εὐχὰς αὐτῶν αἰτοῦνται, καὶ τῆς ἐξ αὐτῶν ἐπικουρίας ἱκετεύουσιν ἐπιτεύξασθαι; καὶ ποίας ταῦτα τῆς συμφωνίας; ἀλλ᾽ ἔγωγε τοὺς τῶν ἁγίων ἀνδρῶν ὑγιῆ πεπίστευκα εἶναι τὰ δόγματα, καὶ ὧν οὐχ ὑγιῆ τὰ δόγματα, τούτους οὐκ ἂν εἴποιμι ἁγίους ποτέ. οὕτως ἀφελῶς ἔχω καὶ ἀπερίεργος. οὐδὲ γὰρ δένδρον ἀγαθὸν ἑώρακα ποτὲ καρπὸν πονηρὸν προβαλλόμενον. ἀλλὰ τοῦ σαπροῦ δένδρου τὸν καρπὸν ἐκεῖνον εἶναι πεπείραμαι πονηρόν. τοῦ δ᾽ ἀγαθοῦ δένδρου καλὸς ἁρμοζόντως καὶ ὁ καρπός,

uersalium Synodorum inter se recte conueniant, ita & ego credo. *Reliqui sanctissimi Episcopi hæc conclamarunt:* Tota, quæ per gratiam Christi veri Dei nostri, & piam tranquillissimorum, & orthodoxorum nostrorum Imperatorum sanctionem congregata est Synodus, relationem ab Adriano Papa senioris Romæ ad maximè orthodoxos Imperatores nostros, & chartam nunc lectam quæ rectam orthodoxamque definitionem sanctissimi & beatissimi Oecumenici Patriarchæ Tarasij cõplectitur, atque literas ad beatitudinem eius ab Orientis Præsulibus missas, recipientes confirmamus, & veneramur. *Hinc indagatores veritatis astruunt, quod, cum sanctissimus Tarasius processionem Spiritus sancti ex Patre per Filium in germana Synodo examinasset approbassetque, ita pie admodum, & diuino instinctu tradiderit, multorum iudicio stabiliens, & per epistolam ad vniuersas Christi Ecclesias promulgationem vniuersalem transmittens.*

27 *Quod si fidei Symbolum, quod a Patribus in Synodo secunda expositum fuit, etiam & illi in septima postea definitionem fidei esse decreuerunt, non est cur miremur. Maluerunt enim publicè cognitam omnibus, approbatamque definitionem robur adhuc habere, ne viderentur nouam professionem sine vllo emolumento tradere, cum eo tempore vniuersa Ecclesia Christi vnionis vinculo colligaretur. Nec vllus tunc temporis ex his omnibus Patriarchæ contradicere ausus est. Esset enim vtique & contradictio in actis inserta. Sed, vt videtur, hoc tempore omnis scientia, & omnis zelus abundat; tunc vero & subsecutis temporibus nil simile fuit. Quomodo enim quod erat ab orthodoxa fide alienum, si quid fuerat, omnino ad hæc vsque tempora sine vlla nota, atque reprehensioné neglectum debuisset? Quodnam de extraneis dogmatibus reprehensioni non patuit, multis modis palam traductum? Quis cuiuscumque hæreseos auctor, siue patronus proscriptus non fuit? Per Filium a Patre procedere Spiritum sanctum, quinam condemnant? Annon eos, qui simile dogma scripto tradiderunt, sibi associant, patresque nuncupant, & præceptores, sanctosque Dei, & vocibus benè ominatis in Ecclesia cohonestant, & preces eorum implorant; eorumque subsidia consequi contendunt? Et quenam in his consensio? Ego verò sanctorum Patrum dogmata sana esse existimo, & quorum dogmata sana non sunt, eos nunquam ipse sanctos compellarim. Ita sum simplex, & minimè curiosus: neque enim arborem bonam vnquam conspicatus sum fructum malum producere: sed arboris putridæ fructum illum malum esse experientia ipsa cognoui; bonæ verò arboris bonus, vt & conuenit, fructus est.*

Quare id postea Patres in Symbolo fidei non posuerũt.

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ

ΛΟΓΟΣ ΔΕΥΤΕΡΟΣ

Περὶ τῶν αὐτῶν, πρὸς τὸν εὐσεβῆ Βασιλέα Κωνσταντινουπόλεως,

ΘΕΟΔΩΡΟΝ ΤΟΝ ΛΑΣΚΑΡΙΝ.

α'. Ὁ αἰτῶν ἐν οὐ καιρῷ, καὶ λαμβάνων ἐν καιρῷ, παρίστησι τεκμηριωδῶς τὴν αἴτησιν ἄκαιρον. Εἶγε προηγουμένου τοῦ μὴ κατὰ καιρὸν ἕποιτ' ἂν τὸ κατὰ καιρόν. Εἰδέ τις τῇ τοῦ παρέχοντος ἐπιγράφοιτο προμηθείᾳ τὸ ἀποτέλεσμα, κἀντεῦθεν οὐχ ἧττον τὸ τοῦ κατάρξαντος δείκνυται νουνεχές. ὅτε τε καλῶς ᾔδει καὶ λίαν ἐπιστημόνως, ᾗ προκαταβάλλει τὰ σπέρματα. καὶ ὅτι τούτου πάντως ἐχρῆν, ἵν' ὅτε δέοι μεταλήψοιτο τοῦ καρποῦ, προϋποτεθειμένης τῆς τοῦ ῥᾳδίως συνετίζοντος. οὕτω καὶ γεωργός, οὕτω καὶ φυτουργός, κἂν μὴ παρὰ πόδας αὐτοῖς ἡ ἀπόλαυσις, προμοχθοῦσιν ὅμως διὰ τὴν ἔκβασιν, τοῖς κρείττοσι τῆς ἐλπίδος νευρούμενοι, τοὐναντίον ἀποσειόμενοι, καὶ ὡς ἐπ' ἔλαττον οὐ μηδέποτ' ἐσόμενον λογιζόμενοι. ταύτῃ καὶ σὺ σοφίας μάθημα καὶ τιθήνημα, μήπω κεκινημένης ἐνταυθοῖ τῆς ἤδη συνερρηγμένης δογματικῆς συζητήσεως, φθάσας ἐζητημένους λόγους περὶ ταύτης, ἐξ ὧν τεθάρρηκας ἑτέρους ἐνασχολουμένους τηνικαῦτα σπουδάσμασι, καὶ ἦν ἡ αἴτησις οὐ τοσοῦτον ἑαυτῇ συμπαρομένην τὸ φορτικόν, ὅσον δὴ τὸ προοπτικόν. κἂν τῇ κεφαλῇ τοῦ σοφοῦ τούς γε ξυνιέναι δυναμένους τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ καταγγέλλουσα τὰ μήπω ὄντα προορωμένου πλέον, ἢ τὴν τῶν ὄντων ὑπόστασιν, οἱ κατανοεῖν ἠρημένοι μόνα τὰ ἐν ποσίν. Ἐπεὶ δὲ νῦν τῇ φύσει τῶν πραγμάτων, οὐκ ἂν φαίημεν, ὅτι καλούμεθα, μᾶλλον μὲν οὖν ἀλλ' ἠπείγμεθα, καίτοι τὸ σῶμα νοσηλευόμενοι, πρὸς τὴν τοῦ αἰτήματος εἴσπραξιν καὶ ἀπότισιν οἷά τινος ὡρισμένου φόρου καὶ ἱκανῶς ἀφωσιωμένου ὀφλήματος, ἔχεις τοῦ προκαταβεβλημένου τὴν ἐπικαρπίαν κατὰ καιρόν. ἔχεις δ' ὁπόσην ἡ ἐν ἡμῖν ἀσθένεια τῆς σαρκὸς ἅμα καὶ τῆς διανοίας παραχωρεῖ.

β'. Πρῶτον μὲν οὖν ἴσθι τὴν ἐκπόρευσιν ἐπὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, τρόπον ὑπάρξεως, ὑποστατικὴν ἰδιότητα, καθὼς ἐστὶν ἡ γέννησις ἐπὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ ἡ ἀγεννησία ἐπὶ τοῦ πατρός. αὐτὸ γὰρ τὸ μὴ γεγεννῆσθαι, καὶ τὸ γεγεννῆσθαι, καὶ τὸ ἐκπορεύεσθαι, τὸν μὲν πατέρα, τὸν δὲ υἱόν, τὸ δὲ τοῦθ' ὅπερ λέγεται πνεῦμα ἅγιον, προσηγόρευσεν, ὥς φησιν ὁ πολὺς ἐν θεολογίᾳ Γρηγόριος. Οἱ δ' ὁμώνυμον ἐπὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος τιθέντες τὸ ἐκπορεύεσθαι, δότωσαν ἑτέραν φωνὴν τῆς τοῦ ἁγίου πνεύματος ὑπάρξεως ἰδίως σημαντικήν, ἢ μὴν καὶ τὴν ἀγεννησίαν καὶ τὴν γέννησιν ἐπὶ τῶν ἄλλων τῆς θεότητος ὑποστάσεων μετὰ τῆς αὐτῆς παραπληξίας ὁμωνυμείτωσαν. μεθ' ἑτέρων μὲν γὰρ πραγμάτων τὸ ἐκπορεύεσθαι συντασσόμενον, οἷς ἂν συντάττοιτο δηλοίη τὸ κατάλληλον, ὡς τό· ποταμὸς ἐξ Ἐδὲμ ἐκπορεύεται, καί, ἐξεπορεύετο ἔξω καὶ ἐλάλει ἐπὶ τὸ αὐτό. μετὰ δὲ τοῦ ἁγίου πνεύματος διεζευγμένον, αὐτὴν καὶ μόνην σημαίνει τὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος ὕπαρξιν, καθὼς ἐν Εὐαγγελίοις ὁ

EIVSDEM

ORATIO SECVNDA

De ijsdem, ad pium Imperatorem Constantinopolitanum,

THEODORVM LASCARIM.

EODEM ALLATIO INTERPRETE.

1 *QVI intempestiuè poscit, & tempestiuè accipit, perspicuis argumentis tempestiuam petitionem ostendit, si, cum id quod intempestiuum erat, præcesserit, subsequatur illud quod opportunum est. Si vero quis rei assecutionem eius, qui eam exhibet, prouidentiæ adscribat, inde non minor illius prudentia monstratur, qui eidem principium dedit: sciuit enim catè & solerter quemnam in locum sementem proijceret, vt cum opus esset, postmodum fructum percipere posset, præbabita scilicet solerti cognitione illius, quod appeteret. Eadem ratione & agricola, & sator, licet tum nullum ipsis emolumentum sit, ob euentum nihilominus labores præassumunt, spe meliore corroborati, quidquid illis aduersari posset excutientes, tenentesque nihil illis euenire posse, quod spem frustretur, vel minuat? Propterea tu quoque sapientiæ fœtus, atque alumnus nondum hac in vrbe mota, quæ iam eruperat, dogmatica quæstione, de ea prouidus rationes exposcis ab ijs, quos tibi futuros morigeros existimasti, licet alijs studijs tum temporis occuparentur, & petitio illa non tantum molestiæ secum, quantum prouidentiæ afferebat, & in capite sapientis illis, qui res concipere poterant, oculos illius prænunciabat, ea quæ nondum erant, melius præuidentis, quam eorum, quæ iam sunt, existentiam capiant illi, qui ea tantum, quæ ante pedes sunt, intelligunt. Cum vero nunc, rebus ita poscentibus, vocemur, non dicam, sed compellamur, licet infirma, atque ægra valetudine simus, ad petitionis exactionem, atque solutionem, veluti cuiusdam præscripti vectigalis, & satis iam dilati debiti; habes opportunè, fructus eorum, quæ antea proieceras: habes quantum nobis imbecillitas carnis, mentisque permittit.*

Prudentiæ est ea quærere, licet intempestiuè quærãtur, quæ fructifera futura sunt.

2 *Ante omnia itaque scito processionem in Spiritu sancto modum existentiæ esse, & hypostaticam proprietatem, quemadmodum est in Filio nascibilitas, & in Patre innascibilitas. Illud etenim ingenitum esse, & genitum, & procedere, hunc quidem Patrem, illum Filium, hunc vero, de quo dicitur, Spiritum sanctum nuncupauit, vt in rebus Theologicis pertractandis eximius Gregorius ait. Qui verò τὸ procedere in Spiritu sancto homonymum affirmant, assignent aliam vocem, quæ propriè existentiam Spiritus sancti notet, sin minus, innascibilitatem, & nascibilitatẽ in alijs Diuinis hypostasibus eodem stupore homonymon astruant. Etenim τὸ procedere cum rebus alijs annexum, eorum quibuscum construitur, coniunctionem significabit: verbi gratia:* Fluuius ex Edem procedit. *Et hoc,* Procedebat foras, & loquebatur in idipsum: *verumtamen Spiritui sancto annexum, ipsam & solam Spiritus sancti existentiam signat, vt in Euangelijs, qui solus sa-*

Nazianzenus.

Processio etiam de alijs rebus dicta, sed coniuncta cũ ijs, de quibus dicitur.

μόνος σαφὲς παραδέδωκε. τὸ δέ γε προέρχεσθαι, καὶ τὸ ἐκλάμπειν, καὶ εἴτι τοιοῦτον, ἄλλοις μὲν καὶ αὐτὰ συντιθέμενα πράγμασιν, ἄλλας ἐννοίας εἰσάγουσιν, ὡς τὸ, προέρχεται ὁ βασιλεύς. καὶ, οἱ δίκαιοι ἐκλάμψουσιν ὡς ὁ ἥλιος, ἐν Θεολογίᾳ δὲ παραλαμβανόμενα, τῇ μὲν περὶ τοῦ πνεύματος, τὴν τοῦ πνεύματος σημαίνουσιν ὕπαρξιν, τῇ δὲ περὶ τοῦ υἱοῦ, τὴν τοῦ υἱοῦ. καὶ τὰς μαρτυρίας εὐχερὲς τῷ βουλομένῳ πολλάς γε οὔσας ἐκ τῆς ἱερᾶς γραφῆς ἀναλέγεσθαι.

γ'. Τὸ δὲ τὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐκπόρευσιν διʼ υἱοῦ εἶναι παρὰ πατρὸς, ὡμολογημένον ἦν ἀνέκαθεν, καὶ ἕως ἡμῶν τοῖς εὐσεβέσι καὶ πρεσβευόμενον, καὶ οἷα δόγμα κοινὸν ἀνατιθέμενον τῇ Ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ. χρόνος δʼ οὐ πολὺς, ἐξ οὗ τινες ἔπαθόν τι γελοιότατον, ἢ μᾶλλον εἰπεῖν ἀθλιώτατον. βουλόμενοι γὰρ ἐκ περιουσίας αἴρειν τὸ, ἐκ τοῦ υἱοῦ, συνανεῖλον αὐτῷ καὶ τὸ, διʼ υἱοῦ, καὶ τὰ διδάγματα τῶν τοσούτων ἁγίων, ὅπου μὲν ἦν τις λαβὴ δοκοῦσα, διέστρεψαν, ὅπου δʼ οὐκ ἦν οὐδαμῶς, ὡς ἀσύμφωνα δῆθεν τοῖς πολλοῖς διεκρούσαντο. καὶ ὅπου μὲν ἦν τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς εἴτε προχεῖσθαι, εἴτε προέρχεσθαι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἐπὶ τῆς ἐκπορεύσεως παρεδέξαντο τὰ ὀνόματα, ὅπου δὲ τὸ διʼ υἱοῦ προσέκειτο, τὴν πρόχυσιν ἐκεῖ καὶ τὴν πρόοδον, καὶ εἴ τι ἄλλο τοιοῦτον ἀντὶ τῆς δωρεᾶς ἐξειλήφασι.

δ'. Συνέσεως δὲ οὐδεμία συνεωρακέναι, πρῶτον μὲν ὅτι πολλοὶ τῶν ἁγίων πατέρων ἐδογμάτισαν καὶ λίαν σαφέστατα τὸ διὰ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεσθαι, τὸ δὲ μὴ διὰ τοῦ υἱοῦ, τῶν ὅλων οὐδεὶς τῇ θεολογίᾳ προσέθετο πλὴν εἰμή τις εἰσάγει τὸ τοῦ Θεοδωρήτου φιλόνεικον. διʼ ὃ καὶ καθῄρητο, καὶ ἀποκεκήρυκτο. κἂν ὕστερον καταγνοὺς καὶ αὐτὸς ἑαυτοῦ, καὶ τοὺς οἰκείους λόγους, οὓς τῆς θεοστυγοῦς ἔριδος, ἀποσκορακισάμενος, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τῆς τοῦ ἀναθέματος ἀρᾶς καθυποβαλὼν, μόλις οὕτω προσεδέδεκτο.

ε'. Δεύτερον δὲ, τὸ πῶς ἂν ἔχοι ὁ υἱὸς χορηγεῖν τὸ πνεῦμα, μὴ κατά τινα σχέσιν ἑτέραν τῆς ὁμοουσιότητος φαινόμενον αὐτῷ; Εἰ γὰρ τὸ ὁμοούσιον αἴτιον τῷ υἱῷ τῆς χορηγίας τοῦ πνεύματος, ἢ τινὸς τῶν ἄλλων, ὧν ἔχειν λέγεται παρὰ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα, ἐπεὶ ὥσπερ ὁ υἱὸς τῷ πνεύματι ὁμοούσιος, οὕτω καὶ τὸ πνεῦμα τῷ υἱῷ, χορηγεῖ δὲ ὁ υἱὸς τὸ πνεῦμα, χορηγήσαι ἂν καὶ τὸ πνεῦμα τὸν υἱόν. ἴδιον τὸ πνεῦμα τοῦ υἱοῦ, ἴδιος ἂν λέγοιτο καὶ ὁ υἱὸς τοῦ πνεύματος. ἀποστέλλει ὁ υἱὸς τὸ πνεῦμα, καὶ αὐτὸς ὡς Θεὸς ἀνταποσταλείη παρὰ τοῦ πνεύματος. Ἐκεῖνα λαλεῖ τὸ πνεῦμα, ὅσα ἂν ἀκούσῃ παρὰ τοῦ υἱοῦ, καὶ ὁ υἱὸς ἐκεῖνα λαλήσει, ὅσα ἂν ἀκούσοι παρὰ τοῦ πνεύματος. ἐκ τοῦ υἱοῦ λαμβάνει τὸ πνεῦμα, λήψεται καὶ ὁ υἱὸς ἐκ τοῦ πνεύματος. διὰ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα συνάπτεται τῷ πατρί. καὶ ὁ υἱὸς διὰ τοῦ πνεύματος συνάπτοιτο τῷ οἰκείῳ πατρί. Ὅσα ἔχει τὸ πνεῦμα, παρὰ τοῦ λόγου ἔχει, καὶ ὁ υἱὸς ὅσα ἔχει, ταῦτʼ ἂν ἔχοι παρὰ τοῦ πνεύματος. διὰ τοῦ πνεύματος ὁ υἱὸς ἐνεργεῖ, ἐνεργοίη καὶ τὸ πνεῦμα διὰ τοῦ υἱοῦ. Εἰκών ἐστι τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα, καὶ ὁ υἱὸς εἰκὼν ἂν εἴη τοῦ πνεύματος. τοιαύτην τάξιν καὶ φύσιν ἔχει τὸ πνεῦμα πρὸς τὸν υἱὸν, οἵαν ὁ υἱὸς ἔχει πρὸς τὸν πατέρα, τοιαύτην ἂν ἔχοι καὶ ὁ υἱὸς πρὸς τὸ πνεῦμα καὶ τάξιν καὶ φύσιν, οἵαν αὐτὸ πρὸς τὸν πατέρα. πολλὰ τὰ τοιαῦτα. τέως δὲ καὶ ἀπὸ τῶν ἀπηριθμημένων ὅγε μὴ πάντῃ ἀπηναισχυμμένος, καὶ ἀπονενοημένος τῇ ἀληθείᾳ κατάθοιτο.

ς'. Ζητεῖς μαρτυρίας ὧν ἀρτίως εἰρήκαμεν; πλείστας ἐναγχός σοι προκεκομίκαμεν, τόμον ὅλον ἐγχειρ-

lus sapiens est, tradidit. Progredi vero, & effulgere, & si quid simile est, alijs rebus connexa alios sensus præ-seferunt; veluti; Progreditur Rex, *&,* iusti fulgebunt sicut sol: *quæ in diuinis assumpta, in Spiritu, quidem Spiritus sancti existentiam significant, in Filio, Filij: & testimonia, quæ plurima sunt, ex sacris literis, in promptu sunt perquirenti.*

3 *Verumenimuero Spiritus sancti processionem ex Patre per Filium esse multo iam antea in confessis erat, & vsque ad hæc nostra tempora à pijs hominibus asseritur, & veluti commune dogma Ecclesiæ recipitur. Sed nondiu est, ex quo nonnulli ridicule dicam, an miserrime affecti, dum vellent penitus* ex Filio *tollere, vnà cum eo sustulerunt &* Per Filium, *& tantorum Patrum documenta, si qua captionis dabatur ansa, peruerterunt, sin verò nulla apparebat, tum illa, tanquam quæ cum multis alijs non conuenirent, reiecerunt. Et vbicunque erat ex Patre siue effundi, siue emanare Spiritum sanctum, de processione voces acceperunt, vbicunque verò per Filium annexum erat, effusionem ibi, & emanationem, & si quid aliud simile, pro dono, & munere dici contenderunt.*

Processio Spiritus ex Patre per Filiũ semper in Ecclesia in confessis fuit.

Stultitia nonnullorũ, qui vt tollerent ex Filio sustulerunt etiam per Filium.

4 *Neque vlla illis prudentia adfuit discernendi. Primum quidem multos sanctos Patres & apertissime omnino sanciuisse per Filium Spiritum sanctum ex Patre procedere; at per Filium non procedere nullum, dum de rebus diuinis ageret, affirmasse, nisi quis hoc à Theodoreto contentionis vitio dictum in medium afferat propter quod depositus, & proscriptus est; licet postea semetipsum condemnans, sermonibus proprijs, quos execrandæ contentionis studio effutierat, ablegatis, & anathematis diris subactis, vix tandem receptus sit.*

SS. Patres fassi sunt Spiritum per Filiũ procedere, sed per Filium nõ procedere nullus. Idq; cum dixisset Theodoretus, depositus est

5 *Secundo vero quonam modo posset Filius Spiritum largiri, nisi esset cum eo aliqua alia habitudine quam consubstantialitatis coniunctus? Etenim, si consubstantialitas causa in Filio esset suppeditationis Spiritus, siue alterius cuiuspiam ex ijs, quæ Spiritus habere dicitur à Filio, quando quemadmodum eiusdem essentiæ est cum Spiritu Filius; ita & Spiritus cum Filio, largitur vero Filius Spiritum, suppeditaret quoque Filium Spiritus; proprius est Filij Spiritus, proprius diceretur & Filius Spiritus, mittit Filius Spiritum, & ipse vt Deus contra mitteretur à Spiritu; loquitur Spiritus, quæcunque à Filio audit, & Filius loqueretur quæcunque à Spiritu audiret; ex Filio accipit Spiritus, acciperet & ex Spiritu Filius: per Filium Spiritus coniungitur Patri, & Filius per Spiritum propria Patri coniungeretur: quæcunque habet Spiritus, à Filio habet, & Filius quæcunque habet, ea haberet à Spiritu: per Spiritum Filius operatur, & Spiritus per Filium operaretur: imago est Filij Spiritus, & Filius imago Spiritus esset; talem ordinem, naturamque habet Spiritus ad Filium, qualem Filius habet ad Patrem, talem haberet & Filius ad Spiritum & ordinem, & naturam, qualem ipse Spiritus ad Patrem. Multa his similia sunt. Interim autem, & ex his, quæ numerata iam sunt, qui omnino verecundiam non deposuit, & prorsus oblitus sui non est, veritati assensum præbebit.*

Spiritus sanctus si non procederet per Filiũ, non suppeditaretur à Filio

6 *Testimonia iam dictorum exposcis? Plurima paulò ante obtulimus, cum Tomum traderemus horum*

Probatur testimonijs

refer-

εἰκότες τελείων μεστόν. ὅμως δὲ ἐξ ἐκείνων κἀνταῦθα βραχέας τινὰς παραθησόμεθα. Ὁ τοίνυν θειότατος Ἀθανάσιος, ἐν μὲν τῷ κατὰ Ἀρειανῶν πρώτῳ τάδε φησίν. Ὁ δὲ σωτὴρ τὸ ἔμπαλιν Θεὸς ὢν, καὶ τὴν βασιλείαν τοῦ πατρὸς ἀεὶ βασιλεύων, τοῦ τε πνεύματος τοῦ ἁγίου αὐτὸς ὢν χορηγὸς μόνος. Καὶ πάλιν. Οὐ γὰρ ἀφ' ἑαυτοῦ τὸ πνεῦμα λαλεῖ, ἀλλ' ὁ λόγος ἐστὶν ὁ τοῦτο διδοὺς τοῖς ἀξίοις. Καὶ αὖθις. Ἀμέλει ὥσπερ πρὸ τοῦ ἐνανθρωπῆσαι λόγος ὢν ἐχορήγει τοῖς ἁγίοις ὡς ἴδιον τὸ πνεῦμα, οὕτω καὶ ἄνθρωπος γενόμενος, ἁγιάζει τοὺς πάντας τῷ πνεύματι. Ἐν τῷ τρίτῳ δὲ τῷ αὐτῷ. Εἰ τὸ πνεῦμα οἶδε, πολλῷ μᾶλλον ὁ λόγος, ᾗ λόγος ἐστὶν, οἶδεν, παρ' οὗ καὶ τὸ πνεῦμα λαμβάνει. Καὶ αὖθις. Καὶ ὅσα ἔχει τὸ πνεῦμα, ταῦτα παρὰ τοῦ λόγου ἔχει. Τὸ δ' ὃς δ' ἂν εἴπῃ κατὰ τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, ἀφεθήσεται αὐτῷ, διερμηνεύων, φησὶ περὶ τοῦ Χριστοῦ, ὅτι, Αὐτὸς λόγος ὢν τοῦ Θεοῦ, αὐτὸς διὰ τοῦ πνεύματος ἐνεργεῖ τὰ πάντα. Πρὸς Σεραπίωνα δὲ τὸν ἐπίσκοπον. Εἰκὼν τοῦ υἱοῦ λέγεται, καὶ ἔστι τὸ πνεῦμα. Καὶ πάλιν. Ὁ μὲν υἱὸς παρὰ τοῦ πατρὸς ἀποστέλλεται, αὐτὸς δὲ τὸ πνεῦμα ἀποστέλλει. καὶ ὁ μὲν υἱὸς τὸν πατέρα δοξάζει, λέγων. Πάτερ ἐγώ σε ἐδόξασα, τὸ δὲ πνεῦμα δοξάζει τὸν υἱόν. ἐκεῖνος γάρ, φησιν, ἐμὲ δοξάσει. καὶ ὁ μὲν υἱός φησιν. ἃ ἤκουσα παρὰ τοῦ πατρός, ταῦτα καὶ λαλῶ εἰς τὸν κόσμον, τὸ δὲ πνεῦμα ἐκ τοῦ υἱοῦ λαμβάνει. Ἐκ τοῦ ἐμοῦ γάρ, φησι, λήψεται, καὶ ἀναγγελεῖ ὑμῖν. καὶ ὁ μὲν υἱὸς ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ πατρὸς ἦλθε, τὸ δὲ πνεῦμα τὸ ἅγιον, φησίν, ὃ πέμψει ὁ πατὴρ ἐν τῷ ὀνόματί μου. τοιαύτην δὲ τάξιν καὶ φύσιν ἔχοντος τοῦ πνεύματος πρὸς τὸν υἱόν, οἵαν ἔχει ὁ υἱὸς πρὸς τὸν πατέρα, πῶς ὁ τοῦτο κτίσμα λέγων, οὐ τὸ αὐτὸ καὶ περὶ τοῦ υἱοῦ ἐξ ἀνάγκης φρονήσει. Εἰ γάρ ἐστι τὸ πνεῦμα τοῦ υἱοῦ κτίσμα, ἀκόλουθον ἂν εἴη λέγειν αὐτοὺς καὶ τὸν λόγον τοῦ πατρὸς εἶναι κτίσμα. Ὁ μέγας ἐν θεωρίᾳ καὶ πράξει Βασίλειος περὶ τῆς πίστεως διαλαμβάνων ἐν τοῖς Ἀσκητικοῖς, τοῦ μὲν πατρὸς πέμποντος τὸν υἱόν, τοῦ δὲ υἱοῦ πέμποντος τὸ ἅγιον πνεῦμα. καὶ πάλιν, Τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τὸ διδάσκον καὶ ὑπομιμνῆσκον πάντα, ὅσα ἂν ἀκούῃ παρὰ τοῦ υἱοῦ. Ἐπιστέλλων δὲ πρὸς Ἀμφιλόχιον. Ἓν δὲ καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα, φησί, καὶ αὐτὸ μοναδικῶς ἐξαγγελλόμενον, καὶ δι' ἑνὸς υἱοῦ τῷ ἑνὶ πατρὶ συναπτόμενον. πρὸς δὲ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ τὸν σοφὸν ἐν ἁγίοις Γρηγόριον. περὶ διαφορᾶς οὐσίας καὶ ὑποστάσεως. Ὥσπερ, φησίν, ἐξ ἁλύσεως, ὁ τοῦ ἑνὸς ἄκρου ἁψάμενος, καὶ τὸ ἕτερον ἄκρον συνεπεσπάσατο. οὕτως ὁ τὸ πνεῦμα ἑλκύσας δι' αὐτοῦ καὶ τὸν υἱὸν συνεφειλκύσατο, καὶ εἰ τὸν υἱὸν ἀληθῶς τις λάβοι, ἕξει αὐτὸν ἑκατέρωθεν, πῆ μὲν τὸν ἑαυτοῦ πατέρα, πῆ δὲ τὸ ἴδιον πνεῦμα συνεπαγόμενον. οὔτε γὰρ τοῦ πατρὸς ὁ ἀεὶ ὢν ἐν τῷ πατρὶ ἀποτμηθῆναι δύναται, οὔτε τοῦ πνεύματος ποτὲ διαζευχθήσεται τοῦ ἰδίου, ὁ πάντα ἐν αὐτῷ ἐνεργῶν. ἐν δὲ τοῖς Ἀντιῤῥητικοῖς. ἑνὸς ὄντος τοῦ Θεοῦ, Θεὸς ὁ υἱός, πατρικῇ φύσει, καὶ πατρικῷ ὀνόματι. καὶ ἑνὸς ὄντος κυρίου τοῦ υἱοῦ, κύριος ὁ πατήρ, τῷ τῆς εἰκόνος ὀνόματι καλούμενος, ὡς πρωτότυπος αὐτοῦ καὶ γεννήτωρ. οὕτω καὶ τὸ πνεῦμα κύριος ἀπὸ τοῦ κυρίου τὴν ἐπωνυμίαν ἔχει. ἀφ' οὗ καὶ μεταδίδοται. καὶ ὁ κύριος ἀπὸ τῆς εἰκόνος πνεῦμα, ὅταν καὶ ὁ Θεὸς, πνεῦμα ἀπ' αὐτοῦ προσονομάζεται. Ὁ σοφώτατος Κύριλλος πρὸς τὸν βασιλέα Θεοδόσιον περὶ τοῦ Χριστοῦ. Ἀπολύων γὰρ ἁμαρτίας τὸν αὐτῷ προσκείμενον, τῷ ἰδίῳ λοιπὸν καταχρίει πνεύματι, ὅπερ ἐνίησι μὲν αὐτὸς ὡς ἐκ Θεοῦ πατρὸς λόγος, καὶ ἐξ ἰδίας ἡμῖν ἀναπηδάζων φύ-

refertissimum: nihilominus ex ijs & hic nonnulla apponemus: Diuinissimus Athanasius prima contra Arianos oratione hæc habet: Rursum verò Saluator Deus existens, dominatū Patris perpetuo imperans, & Spiritum sanctum vnicus ipse largiens. *Item:* Neque enim ex seipso Spiritus loquitur, sed Verbum est, quod illum dignis subministrat. *Item:* Denique quemadmodum ante incarnationem Verbum cum esset, sanctis veluti proprium Spiritum elargiebatur, sic & homo factus Spiritu sanctificat omnes. *Et tertia Oratione:* Si Spiritus scit; multo magis scit Verbum, quà Verbum est, ex quo & Spiritus accipit. *Rursum:* Quæcumque habet Spiritus, ea habet à Verbo. *Illud autem:* Quicunque dixerit contra Filium hominis, remittetur ei, *exponens ait de Christo:* Ipse Verbum Dei cum sit, ipse per Spiritum omnia operatur. *Et ad Serapionem Episcopum:* Imago Filij dicitur & est Spiritus. *Item:* Filius à Patre quidem mittitur, ipse vero Spiritum mittit: & Filius quidem Patrem glorificat, dicens: Pater, ego te glorificaui: Spiritus autem glorificat Filium: ille enim, ait, me glorificabit. Et Filius inquit, quæ audiui à Patre, hæc & loquor mundo. Spiritus ex Filio accipit: De meo enim, inquit, accipiet, & annunciabit vobis. & Filius in nomine Patris venit: Spiritus autem sanctus, ait, quem mittet Pater in nomine meo. Talem ordinem & naturam cum habeat Spiritus ad Filium, qualem habet Filius ad Patrem, quomodo qui hunc creaturam vocat, non idem & de Filio necessario sentiet? Etenim si Spiritus est creatura Filij, subsequens omnino fuerit affirmare eosdem & Verbum Patris esse creaturam. *Magnus tum in agendis tum in meditandis Basilius de fide tractans in Asceticis:* Patre mittente Filium, Filio mittente Spiritum sanctum. *Item:* Spiritus sanctus, qui docet, & memoriæ suggerit, quæcunque a Filio audierit. *Et ad Amphilochium scribens:* Vnus verò est & Spiritus sanctus, qui & ipse singulariter enunciatur, & per vnum Filium vni Patri coniungitur. *Et ad fratrem suum inter sanctos sapientissimum Gregorium, de differentia essentiæ & hypostasis:* Quemadmodum, *ait*, in catena, qui vnam extremitatem arripit, & aliud extremum vnà cum ea attrahit, sic & qui Spiritū traxit, per eum & Filium simul traxit, & si quis Filium verè susceperit, habebit ipsum vtraque ex parte, hac Patrem, illa proprium Spiritum vnà secum ducentem. Neque enim à Patre, qui semper in Patre est, præscindi potest; neque à Spiritu vnquam dissociabitur proprio, qui omnia in ipso operatur. *Et in Antirrheticis:* Vnus Deus cum sit, Deus Filius paterna natura & paterno nomine: vnus cum sit Dominus Filius, Dominus Pater, imaginis nomine vocitatus, tanquam exemplar illius & genitor; sic & Spiritus Dominus à Domino nomen habet, à quo subministratur, & Dominus ab imagine Spiritus, quando & Deus Spiritus ab eodem cognominetur. *Sapientissimus Cyrillus, ad Imperatorem Theodosium de Christo:* Liberans enim à peccatis eum, qui ipsi adhæret, proprio deinceps vngit Spiritu, quem immittit ipse, tanquam ex Deo Patre

Athanas. — Basilius Magnus. — Cyrillus Alexand.

σεως. κοινὸν δὲ ὥσπερ τὸ χρῆμα τιθεὶς τῇ μετὰ σαρκὸς οἰκονομίᾳ διὰ τὴν ἕνωσιν, καὶ ὡς ἄνθρωπος ἐνέπνει σωματικῶς. ἐν δευτέρῳ βιβλίῳ τῶν Θησαυρῶν. Ἀνάγκη τὸ πνεῦμα τῆς οὐσίας ὑπάρχειν ὁμολογεῖν τοῦ υἱοῦ. ὡς γὰρ ἐξ αὐτοῦ κατὰ φύσιν ὑπάρχει, καὶ ἐπὶ τὴν κτίσιν παρ' αὐτοῦ πεμπόμενον, τὸν ἀνακαινισμὸν ἐργάζεται. Καὶ πάλιν. Οὐκ ἀλλότριον τῆς οὐσίας τοῦ υἱοῦ τὸ ἅγιον πνεῦμα, ἀλλ' ἐν αὐτῷ, καὶ ἐξ αὐτοῦ, καὶ ὥσπερ ἐνέργειά τις φυσική. πρὸς δὲ Νεστόριον περὶ τοῦ Χριστοῦ πάλιν. Αὐτὸς ἐνεργῶν διὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος, ἔφασκεν ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται, καὶ ἀναγγελεῖ ὑμῖν. ἀλλ' ἐκ τούτων μὲν φανερὸν, ὅτι δι' υἱοῦ τὸ πνεῦμα παρὰ πατρός.

ζ. Ἤδη δὲ καί τινας ἐνστάσεις τῶν ἀντιφερομένων τάς γε βιαιοτέρας ἐπισκεπτέον. ὅπως ἂν ἐξεταζομένων αὐτῶν ἡ τῆς ἀληθείας σύστασις ἐπὶ πλέον ἰσχυροτέρα φανείη τῇ τῶν τῆς ἀπάτης συνεσκευῶν διαλύσει συμβαίνουσα, καὶ τὸ δι' υἱοῦ τὸ πνεῦμα πεφηνέναι παρὰ πατρὸς ἐκφαίνουσα φανώτερον καὶ κρατύνουσα. πῶς οὖν εἰκών ἐστι τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα; φασίν. εἰ τοῦτο ἐστὶ, τῷ υἱῷ κατὰ πάντα παρισωθήσεται, καὶ ἕξει παρ' ἑαυτῷ τὰ τῆς τοῦ υἱοῦ γνωριστικὰ ὑποστάσεως. πῶς οὖν οὐκ ἔσται, γέννημα τοῦ πατρὸς, ἀλλὰ πρόβλημα; ἢ πῶς οὐ τοῦ υἱοῦ μὲν υἱὸς, ἔγγονος δὲ τοῦ πατρὸς, εἴπερ εἰς τὸν υἱὸν ὡς εἰς ἀρχέτυπον ἀναφέρεται; Πρὸς ταῦτα κἂν μὴ πρὸς ἡμᾶς ἡ μάχη, πρὸς γὰρ τοὺς εἰρηκότας εἰκόνα τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἀλλ' ἡμεῖς οὕτω φαμέν. πᾶσα εἰκὼν ἐξ ἀνάγκης διαφέρει κατά τι πρὸς τὸ ἀρχέτυπον. διαφορᾶς γὰρ οὐκ οὔσης τινὸς ἐν αὐτοῖς, εἶεν ἂν αἱ εἰκόνες ἀρχέτυπα, διὸ καθάπερ ὁ υἱὸς εἰκὼν ὑπάρχων πατρὸς διενήνοχε τοῦ πρωτοτύπου τῷ ἰδιώματι. υἱὸς γὰρ οὐ πατήρ. γεννητὸς, οὐκ ἀγέννητος. οὕτω καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, εἰκὼν τοῦ υἱοῦ, καὶ ἓν καὶ λεγόμενον πνεῦμα ἐστὶν, οὐχ υἱὸς, προβλητὸν, ἀλλ' οὐ γεννητόν. ἡ γὰρ ἰδιότης ἀκίνητός ἐστιν ἐκ τοῦ ταύτην ἔχοντος. ἢ πῶς ἂν ἰδιότης εἴη κοινωθεῖσα, καὶ ἀφ' ἑτέρου πρὸς ἕτερον μεταπίπτουσα; Τὸ γὰρ ἐν δυσὶν ἢ πολλοῖς θεωρούμενον, κοινότης, ἀλλ' οὐκ ἰδιότης ἐστίν.

η. Ὅθεν οὐδὲ υἱὸς ὅλως ἐκλήθη τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὡς ἂν εἴη μόνος υἱὸς ὁ υἱὸς, καὶ μόνον υἱὸς, οὐ μέντοι καὶ πατὴρ, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, πνεῦμα μόνον, ἀλλ' οὐχὶ καὶ υἱὸς. καθὼς καὶ ὁ πατὴρ μόνον πατήρ. διὸ καὶ ὁ μέγας ἐν θεωρίᾳ καὶ πράξει Βασίλειος οὕτω φησὶ πρὸς Εὐνόμιον ἀπορήσαντα, διατί μὴ καὶ τὸ πνεῦμα υἱὸς τοῦ υἱοῦ. ὅτι οὐ διὰ τὸ μὴ εἶναι ἐκ Θεοῦ δι' υἱοῦ, ἀλλ' ἵνα ἡ τριὰς μὴ νομισθῇ πλῆθος ἄπειρον υἱοὺς ἐξ υἱῶν, ὡς καὶ ἐν ἀνθρώποις ἔχειν ὑποπτευθῶσι. ἀλλὰ λέγεις, εἰ Θεοῦ μὲν εἰκὼν ὁ υἱὸς, υἱοῦ δὲ τὸ πνεῦμα. καὶ εἰ Θεοῦ μὲν λόγος ὁ υἱὸς, ῥῆμα δὲ υἱοῦ τὸ πνεῦμα διατί μὴ υἱὸς υἱοῦ τὸ πνεῦμα εἴρηται; τούτῳ γὰρ ἰσχυροτάτῳ πρὸς τὴν ἀσέβειαν ἐχρήσω. ἢ γὰρ υἱὸν, ἢ κτίσμα ἀξιοῖς νοεῖν. καὶ ὅτι μὴ υἱὸς ὠνόμασται, διὰ τοῦτο κτίσμα εἶναι, βλασφημεῖς, τὸ τῆς κτίσεως αἴτιον, τὸ τῆς κτίσεως ἁγιαστικὸν καὶ θεοποιὸν, τὸ κυρίου καὶ Θεοῦ δοξαζόμενον ὀνόματι, τὸ τῶν θείων ἐνεργειῶν πληρωτικόν. Ἐπεὶ οὖν ἀνάξιόν σοι φαίνεται τῆς τοῦ υἱοῦ προσηγορίας ὡς ἀλλότριον πατρὸς καὶ υἱοῦ, σκέψαι, πῶς υἱοὺς ἀπεργάζεται τοὺς ἁγιαζομένους. Εἰ δὲ σὺ διὰ τοῦ πνεύματος υἱὸς Θεοῦ,

Verbum: & ex propria natura nobis emittens, & tanquam rem incarnationis, dispensatione communem ponens propter vnionem etiam, vt homo corporaliter insufflabat. *Secundo libro Thesaurorum:* Necessariò Spiritum ex natura Filij existere fatendum est: namque vt ex eo natura existens, & in creaturas ab eodem missus, renouationem efficit. *Item:* Non est alienus ab essentia Filij Spiritus sanctus, sed in ipso, & ex ipso, & veluti operatio quædam naturalis. *Item ad Nestorium de Christo:* Ipse operans per Spiritum sanctum dicebat: De meo accipiet, & annunciabit vobis. *Atque ex his quidem manifestum est, per Filium esse Spiritum à Patre.*

7 *Sed iam aduersariorum obiectiones aliquæ, & validiores considerandæ sunt, vt ijs examinatis, veritas magis, fraudum machinis dissolutis, elucescat, per Filium Spiritum existere ex Patre planius confirmans, atque stabiliens. Quomodo itaque imago Filij Spiritus est? inquiunt. Si id fuerit, Filio in omnibus exæquabitur, habebitque apud semetipsum per omnia hypostaseos Filij notas. Quomodo itaque non erit generatus à Patre, sed procedens? & quomodo non erit Filius Filij, & Patris nepos, si in Filium tanquam ad exemplar transfertur? Ad hæc licet contentio contra nos suscepta non sit, sed contra eos, qui Filij imaginem Spiritum sanctum asseuerant, nos ita occurrimus. Omnis imago necessario ab exemplari suo in aliquo differt. Nam si nulla esset inter ea differentia, essent planè imagines exemplaria. Quapropter, quemadmodum Filius imago Patris cum sit, differt tamen ab exemplari proprietate: Filius enim est, non Pater; generatus, non ingenitus: sic & Spiritus sanctus imago Filij cum sit, & dicatur, Spiritus est, non Filius; effusus, sed non generatus: proprietas enim ab eam possidente auelli non potest: vel quomodo proprietas si communicaretur, & ab vno in alium transmearet? Quod enim in duobus, aut pluribus conspicitur, communitas est, non proprietas.*

8 *Hinc neque Filius prorsus vocatus est Spiritus sanctus; vt solus Filius esset filius, & tantummodo filius, & non pater: & Spiritus sanctus Spiritus solum, non item & Filius, quemadmodum & Pater solum pater. Propterea magnus tum agendis, tum meditandis Basilius Eunomio hæsitanti, quare non & Spiritus filius Filij? respondet:* Non quòd non sit ex Deo per Filium, sed ne Trias infinitam multitudinem, filios scilicet ex Filijs, vt in hominibus solet, in se habere existimaretur. Sed ais: Si Dei imago est Filius, Filij vero Spiritus: & si Dei quidem Verbum Filius, verbum vero Filij Spiritus: quare non & filius Filij Spiritus dictus est? hoc siquidem validissimo argumento ad tuam impietatem astruendam vsus es. Aut enim Filium, aut creaturam iubes nos tenere: & quod Filius nuncupatus non est, ideo creaturam esse impie asseris illum, qui creaturæ causa est, qui creaturam sanctificat, & deificat, qui Domini, Deique appellatione glorificatur, qui diuinas complet operationes. Cum itaque appellatione Filij indignus tibi iudicatur, tanquam à Patre & Filio alienus, considera quanam ratione filios efficit eos, qui sanctificantur. Quod si tu per Spiritum filius Dei es, quomodo Spiritus

Quomodo imago Filij Spiritus.

Omnis imago ab exemplari in aliquo differt.

Quare Filius non dicatur Spiritus sanctus.

* Basilius Magnus.

πῶς τὸ πνεῦμα ξένον υἱότητος; Καὶ αὖθις. Λέγομεν οὖν ὅτι τὸ εἰπεῖν υἱὸν ἐξ υἱοῦ, τὴν τριάδα τῆς θεότητος εἰς πλῆθος ὑποψίαν περιστῆσαι ἀνθρώποις, ἀκούσασι. ἕτοιμον γὰρ ἦν ὑπολαβεῖν, ὡς ὥσπερ υἱὸς ἐξ υἱοῦ γεγέννηται, καὶ ἐκ τούτου πάλιν ἕτερος ἂν εἴη γεγεννημένος, καὶ πάλιν ἄλλος, καὶ ἐπὶ πλῆθος ἑξῆς. διὰ τοῦτο τὸ μὲν ἐκ Θεοῦ τὸ πνεῦμα εἶναι, σαφῶς ἀνεκήρυξεν ὁ ἀπόστολος, λέγων ὅτι τὸ πνεῦμα τὸ ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐλάβομεν, καὶ τὸ δι' υἱοῦ πεφηνέναι σαφὲς πεποίηκε πνεῦμα ὀνομάσας αὐτὸ, καθάπερ Θεοῦ, καὶ νοῦν Χριστοῦ προσειπὼν καθάπερ καὶ Θεοῦ πνεῦμα ὡς τοῦ ἀνθρώπου, υἱὸν δὲ τοῦ υἱοῦ προσειπεῖν ἐφυλάξατο, ἵνα εἷς μὲν πατὴρ καὶ Θεὸς, ὁ ἀεὶ πατὴρ διαμένων, καὶ ὢν ἀΐδιος ὅ ἐστιν· εἷς δὲ υἱὸς ἀϊδίῳ γεννήσει γεγεννημένος, ὁ ἄναρχος σὺν τῷ πατρὶ, υἱὸς ἀληθινὸς Θεοῦ, ἀεὶ ὢν, ὅ ἐστι Θεὸς λόγος καὶ κύριος, ἓν δὲ καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἀληθῶς ἅγιον πνεῦμα.

θ'. Καὶ ἵνα τί, φησὶ, τὸ πνεῦμα κατῆλθεν ἐπὶ τὸν υἱὸν ἐν εἴδει περιστερᾶς, εἴπερ ἦν ὅλως ἐκ τοῦ υἱοῦ; πάντως ὁ οὕτω φρονῶν, εἰς δύο διαιρεῖ τὸν ἕνα Χριστὸν, ἵνα ἐκ τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ καταβαῖνον εἴπῃ τὸ πνεῦμα ἐπὶ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου. λέγομεν οὖν, ὡς οὐκ ἄλλοθεν ἐρχόμενον καταβῆναι τὸ πνεῦμα ἐπὶ τὸν κύριον, ἢ ἐκ τῶν οὐρανῶν, ὅθεν καὶ ἡ φωνὴ τοῦ πατρὸς, ὡς ἂν οὐράνιον εἶναι πιστεύσηται, καὶ υἱὸν ὄντως Θεοῦ τὸν ἐπὶ γῆς βαπτιζόμενον. Ἔπειτα καὶ ὡς εἰς ἄνθρωπον διὰ τὴν οἰκονομίαν ἐπὶ τὸν υἱὸν τὸ πνεῦμα κατέρχεται. τοῦτο καὶ ὁ σοφώτατος ἐδίδαξε Κύριλλος, τὸν προφήτην Ἰωὴλ ἐξηγούμενος. ᾗ μὲν γάρ ἐστιν εἰπεῖν Θεὸς καὶ ἐκ Θεοῦ κατὰ φύσιν ὁ υἱός. γεγέννηται γὰρ ἀληθῶς ἐκ τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς, ἴδιον αὐτοῦ τε καὶ ἐν αὐτῷ καὶ ἐξ αὐτοῦ τὸ πνεῦμά ἐστι, καθάπερ ἀμέλει καὶ ἐπ' αὐτοῦ νοεῖται τοῦ Θεοῦ καὶ πατρός. ᾗ δὲ γέγονεν ἄνθρωπος καὶ πέφηνε καθ' ἡμᾶς, ἐπακτὸν αὐτῷ εἶναι τὸ πνεῦμα λέγεται. καταπεφοίτηκε γὰρ ἐπ' αὐτὸν ἐν εἴδει περιστερᾶς, ὅτε καθ' ἡμᾶς γέγονεν, ὡς ἔφην, ὡς εἷς ἐξ ἡμῶν οἰκονομικῶς ἐβαπτίζετο. τότε καὶ τὸ ἴδιον αὐτοῦ πνεῦμα δοθὲν αὐτῷ λέγεται, διὰ τὸ ἀνθρώπινον. καὶ τοῦτο ἐστὶν ἡ κένωσις. Ἐπεὶ γοῦν ὡς ἄνθρωπος διὰ τὴν οἰκονομίαν ἐδέχετο τὸ πνεῦμα αὐτοῦ, πόθεν ἔδει τοῦτο δέχεσθαι, εἰ μὴ ἀπὸ τῶν οὐρανῶν εἰς δόξαν αὐτοῦ. μετὰ δὲ τὸ πάθος καὶ τὴν ἀνάστασιν ἤδη τῆς οἰκονομίας τετελειωμένης, οὐ δέχεται τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἀλλὰ δίδωσι καὶ ἀφ' ἑαυτοῦ προΐησι δι' ἐμφυσήσεως, πρακτικῶς ἐκδιδάσκων, ὅτι δι' αὐτοῦ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται. Τέως δ' οὖν ἐπεὶ ἀπερίγραπτος ὁ λόγος καὶ ἐν τῷ Ἰορδάνῃ μετὰ σώματος ἦν ὃ προσείληφε, καὶ ἀσωμάτως ἐν οὐρανῷ καθὼς καὶ ἁπανταχοῦ. αὐτὸς οὖν ἀπὸ τῶν οὐρανῶν ὡς Θεὸς πέμπει τὸ πνεῦμα αὐτοῦ εἰς ἑαυτὸν ὡς εἰς ἄνθρωπον. διὸ καὶ ὁ τὰ θεῖα πολὺς Ἀθανάσιος ἐν οἷς περὶ τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ μονογενοῦς λόγου διέξεισιν, εἰπὼν ὅτι, ὥσπερ περιστερὰ ὤφθη τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον καταβαῖνον καὶ μένον ἐπὶ τὸν κύριον, ἐπάγει λοιπὸν, αὐτὸς γὰρ ἄνωθεν αὐτὸ ἔπεμπεν ὡς Θεὸς, καὶ αὐτὸς αὐτὸ κάτωθεν ὑπεδέχετο ὡς ἄνθρωπος. ἐξ αὐτοῦ οὖν εἰς αὐτὸν κατῄει, ἐκ τῆς θεότητος αὐτοῦ εἰς τὴν ἀνθρωπότητα αὐτοῦ.

ι'. Πάλιν ἐνίστανται γενναιότερον οὕτω προτείνοντες. πᾶν ὃ περὶ Θεοῦ λέγεται, ἢ κοινόν ἐστι τῆς τριάδος, ἢ μιᾶς ὑποστάσεως ἴδιον. ὥστε καὶ τὸ ἐκπορευτικὸν, εἰ καὶ

ritus à filiatione alienus est? *Item.* Dicimus itaque quod affirmare filium ex Filio, in multitudinis Triade Deitatis suspicionem homines, qui id audissent, adduxisset: in promptu namque erat suspicari, quod sicut Filius ex Filio generatus est; ita ex hoc rursus alius prognatus esset, & rursus alius, & sic item plures alij vnus post alium. Propterea ex Deo quidem esse Spiritum, palam Apostolus edixit: dicens: Spiritum, qui ex Deo est, accepimus. & per Filium apparere planè demonstrauit, cum Spiritum illum vocasset vti Dei, & mentem Christi insuper asserens, quemadmodum & Dei Spiritum vt hominis. Filium verò Filij dicere cauit, vt vnus quidem Pater & Deus, qui semper Pater perseuerat, & est ab æterno quod est: vnus verò Filius sempiterna generatione generatus, qui sine principio est cum Patre, & Filius verus Dei semper est, qui est Deus Verbum & Dominus: vnus & Spiritus sanctus verè Spiritus sanctus.

9 Et quare, inquit, Spiritus descendit ad Filium in specie columbæ, si omnino ex Filio erat? Qui ita sentit, modis omnibus in duo Christum vnum diuidit, vt ex Filio Dei Spiritum sanctum descendere dicat in filium hominis. Dicimus itaque non aliunde quam de cælo in Dominum Spiritum descendere de cuisse, vnde etiam vox Patris aduenit, vt cælestem esse confirmaret, & Filium verè Dei, qui in terra abluebatur. Deinde vt in hominem propter dispensationem super Filium Spiritus descendit. *Hoc & sapientissimus docuit Cyrillus, Prophetam Ioelem exponens:* Qua enim est, *ait,* Deus & ex Deo secundum naturam Filius (generatus enim verè est ex Deo Patre) proprius eius & in eo, & ex eo Spiritus est: quemadmodum & de ipso Deo & Patre intelligitur. Qua vero factus est homo, & modo nostro apparuit, adscititius illi esse Spiritus dicitur; descendit enim super ipsum in specie columbæ, cum secundum nos factus, vt dixi, tamquam vnus ex nobis per dispensationem baptizaretur. Tum & proprius ipsius Spiritus donatus ipsi dicitur propter humanitatem: & hæc est exinanitio. Cum itaque vt homo propter dispensationem accipiebat Spiritum suum, vndenam illum nisi de cælo in sui gloriam debebat accipere? Post passionem vero, & resurrectionem, iam dispensatione perfecta, non accipit Spiritum sanctum, sed elargitur, & ex semetipso transmittit per insufflationem, facto ipso edocens, per eum à Patre procedere. Interim itaque Verbum incircumscriptum cum esset in Iordane cum corpore, quod assumpserat, & sine corpore in cælo, vt & vbique, ipse de cælo vt Deus mittit Spiritum suum in semetipsum vt hominem. *Quapropter in rebus diuinis præstans Athanasius, in ijs, quæ de Incarnatione vnigeniti Verbi pertractat, postquam dixisset, tanquam columbam visum fuisse Spiritum sanctum descendentem, manentemque super Dominum, subdit:* Ipse enim supernè demittebat vt Deus. & inferne ipse eum suscipiebat vt homo. Ex eo igitur in eum descendebat, ex eius deitate in humanitatem ipsius.

Quare Spiritus descendit super Filium in specie columbæ.

10 *Adbuc validius instant atque obijciunt. Quidquid de Deo dicitur, aut Triadi commune est, aut vni*

τῶν τριῶν εἶναι ὑποστάσεων, ἢ μιᾶς· οὐδὲ αὐτόθι μέσον γάρ τι φυσικοῦ καὶ ὑποστατικοῦ ἰδιώματος, οὐ γινώσκομεν. ἐπεὶ δὲ παρὰ τοῦ πατρὸς ὁμολογουμένως ἐκπορεύεται τὸ πνεῦμα, παρ' ἑαυτοῦ δὲ ἀδύνατον ἐκπορεύεσθαι, οὐδὲ παρὰ τοῦ υἱοῦ ἐκπορεύεται, καὶ ἔσται τῆς πατρικῆς ὑποστάσεως ἴδιον τὸ ἐκπορευτικόν. οὕτω γὰρ καὶ Γρηγόριος ἐν βίβλῳ τῇ Θεογνωσίᾳ διδάσκει τῶν Νυσσαέων ὁ πρόεδρος, πνεῦμα λέγων τὸ ἐκ τῆς πατρικῆς ὑποστάσεως ἐκπορευόμενον. τοῦ δ' ἕνεκα γὰρ καὶ πνεῦμα στόματος, ἀλλ' οὐχὶ λόγον στόματος εἴρηκεν ὁ Δαβίδ, ἵνα τὴν ἐκπορευτικὴν ἰδιότητα τῷ * πατρὶ μόνῳ προσοῦσαν πιστώσηται.

* πνι

ια'. Τί οὖν ἡμεῖς πρὸς ταῦτα φαμέν; πρῶτον μὲν, ὅτι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον οὐκ ἐκ τοῦ υἱοῦ καθάπερ ἐκ πρώτης ἀρχῆς δογματίζομεν, ἀλλὰ διὰ τοῦ υἱοῦ παρὰ τοῦ πατρός. ἔπειτα καθὼς οὐ δύναται παρ' ἑαυτοῦ ἐκπορεύεσθαι πάντως, οὐδ' ἀποστέλλεσθαι παρ' ἑαυτοῦ δύναιτ' ἄν. ἵνα μὴ τὸ αὐτὸ καὶ ἀποστέλλον εἴη κατὰ ταυτὸν, καὶ ἀποστελλόμενον. ἐπεὶ δὲ καὶ παρὰ πατρὸς ἀποστέλλεται, καὶ παρὰ τοῦ υἱοῦ, καθὼς αὐτὸς ὁ τοῦ πατρὸς υἱὸς ἐν Εὐαγγελίοις ἐδίδαξεν, ἔγνωμεν, ἰδοὺ τὴν ἀποστολὴν τοῦ πνεύματος, μέσην ὑποστατικῆς τε καὶ φυσικῆς ἰδιότητος. ὅθεν ὁ τῆς ἐνστάσεως θεμέλιος διασέσεισται καὶ σεσάθρωται. τί δ' ἂν φαῖεν καὶ κατ' αὐτὸ τὸ τοῦ πνεύματος ὄνομα τοῦ ἀγνοεῖν μέσον γινωσκομένου. πνεῦμα γὰρ πατρὸς, καὶ πνεῦμα υἱοῦ, τὸ ἅγιον πνεῦμα λέγεται καὶ ἐστίν. ἑαυτοῦ δὲ πνεῦμα οὔτ' ἐστιν, οὔτε λέγεται. καθὼς οὐδὲ ὁ πατὴρ ἑαυτοῦ πατὴρ, ἢ ὁ υἱὸς ἑαυτοῦ υἱός.

ιβ'. Ἀλλ' ἐξεταστέον λοιπὸν, εἴπερ ὀρθῶς τε καὶ ἀσφαλῶς τὸ τοῦ σοφοῦ Γρηγορίου ῥητὸν παρενήνεκται, λέγοντος ὡς αὐτοί φασι, τὸν Δαβὶδ τούτου χάριν εἰρηκέναι τὸ πνεῦμα στόματος πνεῦμα, καὶ μὴ τὸν λόγον στόματος λόγον, ἵνα τὴν ἐκπορευτικὴν ἰδιότητα τῷ πατρὶ μόνῳ προσοῦσαν πιστώσηται. πῶς οὖν εἰ τὸν λόγον εἰρήκει στόματος λόγον, καί τινι μετὰ τοῦ πατρὸς ἑτέρῳ τὴν τοιαύτην αὖ ἐκπορευτικὴν ἰδιότητα ἐκοινώσατο. ποίαν ἔχει τὴν ἀνάγκην ὁ λόγος. ἀλλ' ὡς ἔοικεν ἡ παροδικὴ τῶν γραφῶν διεξέλευσις, οὐχ ἧττον ἢ τὸ τοῦ τρόπου φίλερι, καὶ τὸ ἐντεῦθεν κακοῦργον τὰς τοιαύτας ἀτοπίας εἰσήνεγκε. τρισὶ γὰρ στοιχείοις μεθ' ἐπιθέσεως κεραίας τῆς πνι λέξεως διαχαραττομένης συντετμημένως. κατὰ ταῦτα δὲ καὶ τῆς πρς, τοῦ μέσου μόνου γε διαλλάσσοντος, ἡ τοῦ μέσου διαφθορά τε καὶ μεταποίησις. καὶ γὰρ εὐχερὴς τὴν ἀπάτην τοῖς μὴ ἐπισκοπουμένοις προὐξένησε τὸ τοῦ πνεύματος ἴδιον τῷ πατρὶ προσαρμόζουσιν.

ιγ'. Ἀλλ' ἐχρῆν ἐννοῆσαι τὸ ἐκπορεύεσθαι παθητικῶς μὲν ἐσχηματισμένον, φέρον δὲ δήλωσιν ἐνεργητικήν, ὡς εἶναι μᾶλλον ἐκπορευτικὸν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἤπερ ἐκπορευτόν. ἐνεργεῖν γὰρ, ἀλλ' οὐχὶ πάσχειν ἐστὶ τὸ πορεύεσθαί τε καὶ ἐκπορεύεσθαι. διὸ καὶ ὁ σοφὸς οὗτος ἀνὴρ κυρίως ἀπαγγέλλων φησί. Τοῦ δ' ἕνεκα πνεῦμα στόματος, ἀλλ' οὐχὶ λόγον στόματος εἴρηκεν ὁ Δαβίδ, ἵνα τὴν ἐκπορευτικὴν ἰδιότητα μόνῳ προσοῦσαν τῷ πνεύματι πιστώσηται. μὴ μέντοι δηλαδὴ καὶ τῷ λόγῳ. καὶ γὰρ ἐπεὶ τὰ τοῦ στόματος ῥήματα ἐκπορευόμενα λέγεται. τὰ γὰρ ἐκπορευόμενα, φησί, διὰ τῶν χειλέων μου, οὐ μὴ ἀθετήσω. τούτου χάριν εἴρηκεν ὁ προφήτης. τῷ λόγῳ κυρίου οἱ οὐρανοὶ ἐστερεώθησαν, ἀλλ' οὐχὶ τῷ λόγῳ τοῦ στόματος κυρίου. ἵνα μὴ διὰ τοῦ εἰπεῖν τῷ λόγῳ τοῦ στόματος, προσμαρτυρήσῃ τῷ υἱῷ καὶ λόγῳ τὸ ἐκπορευτικόν. ἐπήγαγε δὲ καὶ τῷ πνεύματι τοῦ στόματος αὐτοῦ. ὡς αὖ ἐντεῦθεν τῷ πνεύματι καὶ μόνῳ προ-

aut vni hypoſtaſi proprium; quare id quod eſt emittere, aut tribus hypoſtaſibus conueniet, aut vni: nihil enim medium inter naturalem & hypoſtaticam proprietatem agnoſcimus. Quando vero ex Patre, nemine hæſitante, Spiritus procedit, & fieri nequit, vt à ſemet aliquid procedat, neque ex Filio procedet; & ſic vis emittendi erit propria hypoſtaſis Paternæ: ſic etenim & Gregorius in libro, qui de Dei cognitione inſcribitur, Nyſſaenſium Antiſtes docet: Spiritus, *inquiens,* ex Paterna hypoſtaſi procedens. hanc etiam ob cauſam, & Spiritum oris, non autem Verbum oris Dauid appellauit, vt proprietatem procedendi * Patri ſoli aſtrueret.

Aliud argumentũ aduerſariorũ contra proceſſionem Spiritus ſancti ex Filio.

Gregor. Nyſſenus.

* Spiritui

11 *Quid itaq; nos adhuc dicimus? Primum quidem nos Spiritum ſanctum non ex Filio tanquam ex primo principio aſſeueramus ſed per Filium ex Patre. Deincept, quemadmodum non poteſt ex ſeipſo procedere omnino, neque a ſemetipſo mitti poterit, ne idem & mittens ſit ſecundum idem & miſſum. Cum autem & à Patre mittitur, & Filio, ſicuti ipſe Patris Filius in Euangelio docuit, nouimus miſſionem Spiritus mediam inter hypoſtaticam, & naturalem proprietatem: Quare inſtantiæ fundamentum diſiectum planè emarcuit. Quid porrò dicerent de ipſo Spiritus nomine, quod in iis, in quibus medium non agnoſcunt, medium tamen eſſe cognoſcitur. Spiritus enim Patris, & Spiritus Filij ſanctus Spiritus dicitur & eſt; ſuiipſius verò Spiritus neque eſt, neque dicitur; quemadmodum neque Pater ſuiipſius Pater; neque Filius ſui ipſius Filius.*

Reſponſio ad argumentum Spiritus ſanctus nõ procedit à Filio tanquam ex primo principio. Quare Spiritus non dicatur mittere ſeipſum.

12 *Ceterum illud examinandum eſt, vtrum rectè tutoque ſapientis Gregorij dictum adductum ſit, dicentis, vt ipſi aiunt, Dauidem ideo dixiſſe Spiritum oris Spiritum, & non Verbum oris verbum, vt proprietatem emittendi ſoli Patri aſſereret. Quomodo itaque ſi dixiſſet Verbum oris verbum, quemnam vnà cum Patre huius emittendi proprietatis participem feciſſet? Quam oratio neceſſitatem arguit? Sed, vt videtur, ſcripturarum ſubita, nec ſatis accurata lectio, non minus quam mores contentioſi, & quæ inde ſubſequitur, facinoroſa aſtutia abſurda hæc in medium protulit. Cum enim tribus elementis, & apice ſuperpoſito vox* Spiritus *exaretur, dum abbreuiatur & pari modo etiam vox* Patris *medio elemento tantum diſcrepante, medij corruptio atque immutatio, quod facile fieri potuit, in fraudem parum conſideratos deduxit, qui quod proprium erat Spiritus, Patri adaptarunt.*

Gregor. Nyſſenus. Quare Spiritus dicatur oris Spiritus, & Verbum non dicitur oris verbũ

Corruptus Gregorij Nyſſ. text.

13 *Sed oportebat porro conſiderare* ἐκπορεύεσθαι procedere. *paſſiuè quidem formari, ſed ſenſum præ ſeferre actiuum; vt potius ſit Spiritus ſanctus* ἐκπορευτικὸς procedens, *quam* ἐκπορευτὸς emanatus, *aut profuſus, vt ita dicam: agere enim eſt, & non pati, progredi, & procedere. Quapropter ſapiens hic vir opportunè interpretans, ait:* Ideo Spiritum oris, non vero verbum oris Dauid dicit, vt procedendi proprietatem ſoli Spiritui vindicaret; *non vero & ipſi Verbo, quia verba oris procedere dicuntur:* Quæ enim procedunt, ait, per labia mea, non faciam irrita. *propterea Vates dixit:* Verbo Domini cæli firmati ſunt, *& non verbo oris Domini, ne dicendo Verbo oris aſtruere: Filio & Verbo vim procedendi. ſubnexuit autem:* Et Spiritui oris eius,

ἐκπορεύεσθαι formatione paſſiua ſignificationem actiuam habet.

σημαίνει τὸ ἐκπορευτικόν. ὅτι δὲ τὸ ἐκπορευτικὸν ἰδιότητα χαρακτηριστικὴν οἶδε τοῦ πνεύματος ὁ τῆς Νυσσαέων καὶ τῆς οἰκουμένης φωστήρ, ἀριδήλως ἐξ ὧν ἐπιφέρει παρίσταται. λέγει γὰρ οὕτως· Ἵνα διὰ μὲν τοῦ, λόγον εἰπεῖν, τὴν ὡς ἐκ νοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς ἀπαθεστάτην καὶ ἄῤῥητον τοῦ υἱοῦ παραδεξώμεθα γέννησιν. διὰ δὲ τοῦ ἁγιαστικὸν πνεῦμα στόματος τὴν ἁγιαστικὴν καὶ οὐσιώδη δύναμιν καὶ ζωαρχικὴν τοῦ πνεύματος ὑπόστασιν ὑπολαμβάνωμεν, τῷ τῆς ἐκπορευτικῆς ἰδιότητος ὀνόματι δηλονότι χαρακτηριζομένην. καὶ ὁ ἐν ἁγίοις δὲ πατὴρ Ἀναστάσιος, ἰδίωμα τοῦ πνεύματος γινώσκει τὸ ἐκπορευτικόν. ἐν γὰρ ὀκτω καὶ δεκάτῳ κεφαλαίῳ τῆς αὐτοῦ βίβλου τῆς Ὁδηγὸς κεκλημένης, οὕτω φησί. Οὐ γὰρ τὸ ἀγέννητον τοῦ πατρὸς πρόσωπον ἐσαρκώθη, οὔτε μὴν ἡ ἐκπορευτικὴ τοῦ ἁγίου πνεύματος ὑπόστασις. τοῦ δέ γε παρὰ τῆς πατρικῆς ὑποστάσεως τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορεύεσθαι, κωλυτικὸν οὐκ ἔστιν οὐδαμῶς τὸ διὰ τοῦ υἱοῦ· καθὼς καὶ ὁ σοφὸς οὗτος ἱεράρχης περὶ τῆς ἁγίας Τριάδος πρὸς Ἀβλάβιον θεολογῶν, διαῤῥήδην βοᾷ, τὸ ἀπαράλλακτον, λέγων, τῆς φύσεως ὁμολογοῦντες, τὴν κατὰ τὸ αἴτιον καὶ αἰτιατὸν διαφορὰν οὐκ ἀρνούμεθα. ἐν ᾧ μόνῳ διακρίνεσθαι τὸ ἕτερον τοῦ ἑτέρου καταλαμβάνομεν· τῷ τὸ μὲν αἴτιον πιστεύειν εἶναι, τὸ δὲ ἐκ τοῦ αἰτίου. καὶ τοῦ ἐξ αἰτίου δὲ ὄντος, πάλιν ἄλλην διαφορὰν ἐννοοῦμεν. τὸ μὲν γὰρ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου, τὸ δὲ διὰ τοῦ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου. ὥστε καὶ τὸ μονογενὲς ἀναμφίβολον ἐπὶ τοῦ υἱοῦ μένειν, καὶ τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς εἶναι τὸ πνεῦμα μὴ ἀμφιβάλλειν, τῆς τοῦ υἱοῦ μεσιτείας καὶ ἑαυτῷ τὸ μονογενὲς φυλαττούσης, καὶ τὸ πνεῦμα τῆς φυσικῆς πρὸς τὸν πατέρα σχέσεως μὴ ἀπειργούσης. ὁ αὐτὸς περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος διαλαμβάνων, καὶ κατὰ Μακεδονίου φερόμενος, οὕτω διατυποῖ καὶ τὴν τοῦ υἱοῦ γέννησιν, καὶ τὴν τοῦ πνεύματος πρόοδον. Ἐφ' ὧν ἡ κατὰ τὸ ἀγαθὸν ἐνέργεια, φάσκων, οὐδεμίαν ἐλάττωσιν ἢ παραλλαγὴν ἔχει, πῶς ἐστιν εὔλογον τὴν κατὰ τὸν ἀριθμὸν τάξιν, ἐλαττώσεώς τινος ἢ κατὰ φύσιν παραλλαγῆς οἴεσθαι σημεῖον εἶναι. ὥσπερ ἂν εἴ τις ἐν τρισὶ λαμπάσι διῃρημένην βλέπων τὴν φλόγα. αἰτίαν δὲ τοῦ τρίτου φωτὸς αἰτίαν ὑποθώμεθα εἶναι τὴν πρώτην φλόγα ἐκ διαδόσεως διὰ τοῦ μέσου τὸ ἄκρον ἐξάψασαν, ἔπειτα κατασκευάζει πλεονάζειν ἐν τῇ πρώτῃ φλογὶ τὴν θερμασίαν, τῇ δ' ἐφεξῆς ὑποβεβηκυίαν καὶ πρὸς τὸ ἔλαττον ἔχειν τὴν παραλλαγήν, τὴν δὲ τρίτην, μηδὲ πῦρ ἔτι λογίζεσθαι, κἂν παραπλησίως καίῃ τε καὶ φαίνῃ, καὶ πάντα τὰ τοῦ πυρὸς ἐργάζηται. καὶ πάλιν ὁ αὐτὸς ἐν τῷ πρώτῳ τῶν Ἀντιῤῥητικῶν ταῦτα φησί, οὐκ ἀνάγκη πάσῃ τῇ εἰκόνι δουλεύοντας δοῦναι τοῖς συκοφάνταις λαβὴν ἐν τῇ τοῦ ὑποδείγματος ἀτονίᾳ. οὐχὶ ἀκτῖνα ἐξ ἡλίου νοοῦμεν, ἀλλ' ἐξ ἀγεννήτου ἡλίου, ἄλλον ἥλιον τὸν υἱὸν ὁμοῦ τῇ τοῦ πρώτου ἐπινοίᾳ γεννητῶς αὐτῷ συνεκλάμποντα, καὶ κατὰ πάντα ἐξισοῦντα ἔχοντα κάλλει, δυνάμει, καὶ λαμπηδόνι, μεγέθει, φαιδρότητι, καὶ πᾶσιν ἁπλῶς τοῖς περὶ τὸν ἥλιον θεωρουμένοις. καὶ πάλιν. Ἕτερον τοιοῦτον φῶς τὸ πνεῦμα κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον οὐ χρονικῷ τινι διαστήματι τοῦ γεννητοῦ φωτὸς ἀποτεμνόμενον, ἀλλὰ δι' αὐτοῦ μὲν ἐκλάμπον, τὴν δὲ τῆς ὑποστάσεως αἰτίαν ἔχον ἐκ τοῦ πρωτοτύπου φωτός. ἐκλάμποντα εἴρηκε τὸν υἱόν. ἐκλάμπον εἴρηκε καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. διὰ τοῦ ἐκλάμπειν ἐδήλωσε τὴν ὕπαρξιν τοῦ υἱοῦ. διὰ τοῦ ἐκλάμπειν ἐδήλωσε καὶ τὴν τοῦ πνεύματος ὕπαρξιν.

eius, *ut inde Spiritui & soli processionem vindicaret. Procedendi porrò proprietatem tanquam propriam Spiritus notionem agnouisse Nyssaënsium, & totius orbis splendorem, ex his, quæ subdit, manifestè colligimus: sic enim infert;* Vt cum Verbum diceret, veluti ex intellectu Dei, & Patris nullis passionibus obnoxiam, atque ineffabilem Filij generationem haberemus, cum verò Spiritum oris, sanctificantem, & essentialem facultatem, & viuificantem Spiritus hypostasim intelligeremus, processiuæ proprietatis nomine, quasi nota signatam. *Sanctus quoque Pater Anastasius proprietatem Spiritus processionem agnoscit. Namque decimosexto capite libri, cui Duci viæ nomen est, hæc habet:* Neque enim ingenita Patris persona carnem assumpsit, neque procedens sancti Spiritus hypostasis. *Et à paterna hypostasi Spiritum sanctum procedere nullo modo impedit, quin etiam per Filium; vt sapiens hic Antistes de sancta Trinitate ad Ablabium pertractans palam clamat:* Immutabilitatem, *dicens,* naturæ confitentes, non imus inficias secundum causam & causatum differentiam, in qua sola discerni aliud ab alio deprehendimus, cum hoc quidem causam credamus esse, illud ex causa. Et illius etiam, quod ex causa est, rursus aliud discrimen obseruamus: hoc etenim est immediate ex primo, hoc vero per id, quod contiguum atque immediatum est, ex primo: vt & vnigeniti proprietas absque ambiguitate in Filio maneat, & ex Patre Spiritum esse nulli dubiũ sit, Filio, qui medius est, sibi ipsi vnigeniti proprietatem conseruante, & Spiritum à naturali ad Patrem habitudine minime arcente. *Idem de Spiritu sancto agens, & aduersus Macedonium differens, ita & Filij generationẽ, & Spiritus processionẽ exprimit.* In quibus, quæ secundum bonum operatio est, imminutionẽ aut immutationẽ habet, quomodo nullam rationi consentaneum fuerit, ordinem secundum numerum imminutionis alicuius, aut secundum naturam immutationis signum esse existimare. Quemadmodum siquis in tribus lampadibus subdiuisam flammam conspiciens; causam verò tertij luminis supponamus esse primam flãmam ex communicatione cum medio extremum inflammantem, postmodum adstrueret in prima flamma abundare calorem, eam vero, quæ subsequitur, immutari & paulatim imminui; tertiam nec ignem amplius censendum esse, licet æqua ratione adurat, & splendeat, omniaque ignis operetur. *Rursus ipse in primo Antirrheticorum hæc ait:* Non oportet imagini seruientes præbere calumniatoribus ansam in exempli imbecillitate. Non radium ex sole intelligimus, sed ex ingenito Sole alium Solem, Filium scilicet simul cum primi intellectione per generationem vna cum ipso effulgentem, eidemque per omnia æqualem pulchritudine, virtute, splendore, magnitudine, claritate, & vno verbo omnibus, quæ soli inesse cernuntur: & rursus aliud simile lumen Spiritum, eodem modo, non temporis aliquo interuallo à genito lumine dissectum, sed per illud splendens, ac hypostaseos causam habens ex primo illo, ac exemplari lumine. *Effulgentem dixit Filium, splendentem dixit & Spiritum sanctum; per splendorem existentiam Filij, per splen-*

Procedẽdi proprietas propria Spiritus sancti.

Anastas.

Greg. Nyss.

τὸ ἀπαθὲς, καὶ ἄχρονον τῆς τοῦ υἱοῦ γεννήσεως, καὶ τῆς τοῦ πνεύματος ἐκπορεύσεως συμμηνυόμενος διὰ οἰκειότητα ὀνόματος τοῖς πράγμασιν, οἷς ἐχρήσατο τοῦ ἡλίου καὶ τοῦ φωτός. συνεπιμαρτυρίζεται δέ γε τῷ διὰ τοῦ γεννητοῦ φωτὸς ἐκλάμποντι τὴν αἰτίαν τῆς ὑποστάσεως ἐκ τοῦ πρωτοτύπου φωτὸς, ἐδήλωσε καθαρῶς καὶ εἰλικρινῶς, ὅτι διὰ υἱοῦ τὸ πνεῦμα παρὰ πατρός. τοιούτῳ χρᾶται τῷ ὑποδείγματι περὶ τῶν αὐτῶν, καὶ ὁ τοῦδε τοῦ Πατρὸς ὁμώνυμος καὶ τῆς Θεολογίας ἐπώνυμος, ἐν οἷς δογματίζει περὶ τοῦ πνεύματος. ἀμέριστος γὰρ, φησι, ἐν μεριστοῖς, εἰ δεῖ συντόμως εἰπεῖν ἡ θεότης. καὶ οἷον ἐν ἡλίοις τρισὶν ἐχομένοις ἀλλήλων. μία τοῦ φωτὸς σύγκρισις, οὐκ εἶπεν ἁπτομένοις. ἀλλ' ἐχομένοις. οὕτω δ' ἂν ἔχοιεν οἱ ἥλιοι τὸ εἶναι καὶ φαίνειν, ὁ μὲν ἀρχικῶς, οἱ δ' ἀχρόνως ἐκ τῆς ἀρχῆς. οὐ φημι μετὰ τὴν ἀρχὴν οὐδαμῶς. καὶ ὁ μὲν αὐτῶν ἀμέσως ἐκ τῆς ἀρχῆς, ὁ δὲ διὰ τοῦ μέσου παρ' αὐτῆς τῆς ἀρχῆς. οὕτως ἐστὶν ἐννοῆσαι τὸ συμφυὲς τοῖς ἡλίοις καὶ ἄπειρον. οὕτω τριῶν ἀπείρων ἄπειρος συμφυΐα θεωρηθήσεται.

ιδ'. Μὴ γὰρ διὰ τοῦ λόγου παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορευομένου τοῦ πνεύματος, μέσος ἂν εἴη ὁ πατὴρ, παρ' ἑκάτερον φέρων λόγον καὶ πνεῦμα. ὁμολογεῖται δὲ καὶ ἡ ἀρχή. καὶ εἴπερ ὡς ἐξ ἀρχῆς τοῦ πατρὸς λόγος καὶ πνεῦμα, μὴ διὰ θατέρου θάτερον, διαίρεσις εἰσάγεται τῆς θεότητος. ἀπεῖναι δὲ καὶ τὸ ἀντιδιῃρημένα εἶναι λόγον καὶ πνεῦμα. πῶς γὰρ ἑνὰς ἡ τριάς; εἰ μὴ τοῦτο δὲ, πῶς ἀπερίγραπτος; τίνα δὲ τρόπον μετὰ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα, καθάπερ ὁ υἱὸς μετὰ τοῦ πατρὸς, κατὰ τὸν αὐτὸν Θεολόγον. πάντα ὅσα ὁ πατὴρ τοῦ υἱοῦ, πλὴν ἀγεννησίας. πάντα ὅσα ὁ υἱὸς τοῦ πνεύματος, πλὴν γεννήσεως. καὶ οὐκ ἔπρεπεν ἐλλείπειν ποτὲ, ἢ υἱὸν πατρὶ, ἢ πνεῦμα υἱῷ. καὶ μίαν μὲν δόξαν πατρὸς γινώσκομεν, τὴν ὁμοτιμίαν τοῦ μονογενοῦς. μίαν δὲ υἱοῦ, τὴν τοῦ πνεύματος. καὶ οὐκ ἀνέχεται πατὴρ υἱὸν ζημιούμενος. οὐδὲ υἱὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον; καὶ πῶς κατὰ τὸν μέγαν Βασίλειον. ὡς ὁ υἱὸς πρὸς τὸν πατέρα ἔχει, οὕτως τὸ πνεῦμα πρὸς τὸν υἱόν. Καὶ κατὰ τὸν τὰ θεῖα πολὺν Ἀθανάσιον τὴν αὐτὴν ἑνότητα ἔχει τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον πρὸς τὸν υἱὸν, ἣν ὁ υἱὸς ἔχει πρὸς τὸν πατέρα.

ιε'. Τί δὲ καὶ τὸ ἀπεῖργον λέγεσθαί ποτε καὶ τὰ ἀντίστροφα; παντελῶς οὐδέν. ἀλλὰ τοῦ υἱοῦ γεννωμένου παρὰ τοῦ πατρὸς, τοῦ δὲ πνεύματος ἐκπορευομένου δι' υἱοῦ παρ' αὐτοῦ τοῦ πατρὸς, πᾶν ἄτοπον, πᾶν ἀδύνατον ἀπελήλαται. δείκνυται γὰρ ἀρχὴ καὶ μέσον καὶ τέλος ὁ Θεὸς, δι' ἑαυτοῦ καὶ τῶν ἐξ αὐτοῦ. καὶ ἀναγκαίως ἡ θεότης τριάς. ἓν γὰρ μέσον οἶδεν ὁ λόγος. πλειόνων δ' ὑποτιθεμένων, οὐδὲν τὸ μέσον ὅλως ἐστί. διὰ τοῦτο μονὰς εἰς δυάδα κινηθεῖσα μέχρι τριάδος ἔστη. οὕτως οὖν καὶ ἡ ἀρχὴ κυρίως ἀρχὴ, καὶ τὰ ἐκ τῆς ἀρχῆς, ἔν τε τῇ ἀρχῇ καὶ ἐν ἀλλήλοις, ἄκραν καὶ τὴν ἕνωσιν, ἄκραν καὶ τὴν συμφυΐαν ἀνεχοῦντα καὶ πρὸς ἄλληλα, καὶ πρὸς τὴν ἀρχὴν ἓν κράτος ἀδιαίρετον παρεισάγοντα, καὶ ἄπειρον. ὅπου γὰρ τὸ μέσον ὄντως μέσον, ἐκεῖ καὶ τὸ ἕν· καὶ ὅπου ἕνωσις, κατὰ τὴν μετοχὴν γίνεται τοῦ ἑνός. κατὰ τοσοῦτον γὰρ ἑνοῦνται τὰ ἡνωμένα, καθόσον μετέχει τοῦ ὄντως ἑνός. τοῦτο καὶ οἱ θύραθεν ἀμυδρῶς ἐφαντάσθησαν. ὅθεν καὶ τὰ τρία πάντα, καὶ τὸ τρὶς πάντῃ, κατὰ τὴν ἄκραν ἀλληλουχίαν φιλοσοφοῦσιν. ἐντεῦθεν ἄπειρον ὑπειλήφασί τινες τὸ πᾶν ἐπλανήθησαν, μὴ διακρίναντες οὐσίαν κτίσεως καὶ

dorem Spiritus quoque existentiam manifestauit; nulli passioni obnoxiam, nulli tempori subiacentem: Filij generationem, & Spiritus processionem indicans per nomen rebus affine solis & luminis, quibus vsus est: & suo testimonio conttabiliens illius, qui per genitum lumen splendet, causam hypostasis ex prototypo lumine, pure planeque commonstrauit, per Filium esse Spiritum ex Patre. Hoc idem exemplum vsurpat de iisdem Pater huiusce nominis, & cui Theologi cognomen est, in his, quæ de Spiritu docet: Indiuisa enim, *ait,* in distinctis si breuiter nos expedire volumus, Deitas, & veluti in tribus solibus sibi inuicem cohærentibus est. *Vna est luminis comparatio, non dixit se mutuò tangentibus, sed cohærentibus: hoc enim ratione soles haberent & esse, & illuminare; hic quidem principialiter, illi sine tempore ex principio: non inquam, post principium omnino; & vnus quidem ex ipsis immediate ex principio, alius per medium ab ipso principio. Et hac ratione possumus intelligere, quod solibus cognatum est, & infinitum: hoc modo trium infinitorum infinita cognatio conspicietur.* Greg. Nazianz.

14 *Nam si per Verbum à Patre non procedit Spiritus, medius Pater erit, vtraque ex parte ferens Verbum & Spiritum. In confesso porrò est, esse principium: & si tanquam à principio Patre Verbum & Spiritus, & non alius per alium, Deitatis diuisio introducitur, præterquam quod Verbum & Spiritus ab inuicem non distinguerentur. Quomodo enim vnum esset Trias? Et si id non fuerit, quomodo incircumscripta? Quonam modo cum Filio Spiritus, quemadmodum Filius cum Patre secundum eundem Theologum,* omnia quæcunq; Pater habet, sunt Filij, præter ingeniti rationem: omnia quæ habet Filius, sunt Spiritus, excepta generatione: dedecebatque omnino deficere aliquando aut Filium Patri, aut Spiritum Filio; & vnam gloriam Patris agnoscimus, æqualem cum eo vnigeniti honorem; vnam Filij & Spiritus gloriam. Neque sustinet Pater Filio priuari, neque Filius Spiritu sancto? *Et secundum Magnum Basilium:* quemadmodum se habet Filius ad Patrem, ita Spiritus ad Filium. Basilius Magnus. *Et planè secundum diuinum Athanasium:* Eandem vnitatem habet Spiritus ad Filium, quam habet Filius ad Patrem. Athanas.

15 *Quid porrò impediet aliquando effari, quæ ex altera parte respondent? penitus nihil. Sed si Filius generatur à Patre, Spiritus per Filium ab eodem Patre procedit, omne absurdum, atque improbabile longè fit: namque ostenditur Deus principium, & medium, & finis, per seipsum, & per ea, quæ ex ipso sunt; & necessario Deitas Trinitas. Vnum etenim medium ratio nouit, quod si plura supponantur, medium omnino nullum erit.* Propterea vnitas in dyadem mota ad Triadem stetit. *Sic itaque & principium propriè principium; & quæ ex principio, & in principio erunt, in seipsis summam vnionem, summamque consociationem sibi & inter se vindicantia, & ad principium vnam vim indiuisam præseferentia atque infinitam. Vbi enim medium verè medium est, ibi & vnum: & vbi vnio est, ea secundum vnius participationem gignitur: in tantum namque quæ vnita sunt, vniuntur, in quantum verè vnius participant. Hoc & externi subobscurè imaginati sunt. Vnde & tria omnia, & ter vbique secundum summam ac mutuam cohærentiam philosophantur. Hinc infinitum nonnulli hoc vniuersum assuerantes, aberra-*

Spiritus à Patre per Filiū necessario procedit, vt seruetur Trinitas.

θεότητος, μὴ δὲ συνιδόντες τί τὸ φύσει, καὶ τί τὸ μέθεξιν, καὶ πόσον τὸ παραγόμενον τοῦ παραγωγικοῦ αἰτίας καὶ ἀρχῆς ἀπολείπεται. δέδεικται λοιπὸν εἰ καὶ διὰ βραχέων, ἀλλ᾽ οὖν ἱκανῶς τοῖς γε κρίνειν ἐπισταμένοις τὸ ἀληθές, ὡς οὐκ ἄλλως πέφυκεν ἐκπορεύεσθαι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ πατρὸς εἰ μὴ δι᾽ υἱοῦ, καθὼς ἐθεολόγησαν οἱ τοῦ πνεύματος.

errarunt à veritate, cum nullum diſcernerent inter creaturam, & Deitatem diſcrimen, neque caperent, quid ſit id, quod natura, & quid, quod participatione eſt, & quantum quod productum eſt à productrice cauſa & principio differat. Demonſtratum eſt itaque, etſi ſuccinctè, abundè nihilominus ei, qui veritatem dijudicare nouit, nulla alia ratione Spiritum ſanctum ex Patre procedere niſi per Filium, quemadmodum eodem Spiritu afflati tradiderunt.

NOTÆ AD ORATIONEM PRIMAM NICEPHORI BLEMMIDÆ.

Num. 3. verſ. 1. P*Lane vox illa inſerta non eſt*; nimirum expreſſis & formalibus vocibus: Spiritus ſanctus procedit ex Filio. Cæterum res ipſa ex Euangelio [a] potiſſimum confirmatur, vt docent S. Thomas, & alij.

Num. 5. &c. Græci orthodoxi, qui Spiritum ex Patre per Filium procedere confitebantur (quibus adſtipulantur Latini, vt ex S. Thoma [b] alijſque Theologis conſtat) non omnes dicendi modum, *Ex filio*, admittebant, *quia iuxta vim Græcæ linguæ*, ait Suarez, [c] atque ex Blemmidæ textu manifeſtè apparet, *illa particula, Ex, indicat dimanationem ab aliquo tamquam a primo fonte & principio, in quo ſenſu dicitur Spiritus ſanctus eſſe ex ſolo Patre, quia a Filio non eſt niſi vt habente virtutem a Patre*. Cæterum apud Græcos patres etiam reperiri Spiritum ſanctum a Filio procedere confirmatur ex S. Epiphanij teſtimonio (vt alios Græcos patres omittam) quod hac oratione affert Blemmida, [d] qui eum vſurpaſſe ſubdit: *Ex Patre & Filio*; loco, *Ex Patre per Filium*.

Num. 5. verſ. 47. *Quare aut in vtroque, &c.* adijciendum ex D. Tho. cæteriſque Theolog. s, Spiritum ſanctum ex Patre, Filioque immediate procedere, vt ab vno principio [e] & ſpiratore; a Patre verò per Filium, quia [f] Filius habet a Patre vt ab eo Spiritus ſanctus procedat.

[a] S. Tho. 1. par. q. 36. art. 2. ad 1.
[b] S. Tho. l. c. art. 3.
[c] Suar. 1. par. tract. 3 lib. 10. cap. 1.
[d] Blem. orat. 1. num. 1.
[e] S. Thom. vbi ſup. art. 4.
[f] Id. ibid. art. 3.

verſ. 17. *operatio Filij*; ideſt productionis Filij terminus.

Num. 10. verſ. 19. *& ipſe*, de Spiritu ſancto loquitur, *ſua eſſentia cauſam habens*, hoc eſt ipſius perſonæ principium habens.

verſ. 28. *notarum*; corrige notionum.

eodem num. p. 725. verſ. 7. *ſine principio*; de principio temporis aperte loquitur.

Num. 11. pag. 725. verſ. penult. *ſeparatur* verſ. vlt. *ſeiungitur*, hoc eſt diſtinguitur. verſ. penult. *cauſam exiſtentiæ ex omnium Deo habeat*; nimirum principium ſubſiſtentiæ ex Patre habeat; Græci enim exiſtentiam loco ſubſiſtentiæ vſurpare ſolent.

Num. 14. verſ. 5. *Hypoſtaſeon inconfuſum & primam cauſam inde nobis inſinuari*; hoc eſt perſonarum diſtinctionem ac principium inde illuſtrari.

verſ. penult. *Sed quod vnus ex vna parte eſt, alius in alia, non in ſeipſis confuſi*. Eiuſmodi loquendi modo perſonarum diuinarum diſtinctionem exprimit.

AD ORATIONEM SECVNDAM.

Num. 13. &c. PRoceſſio pro ſpiratione paſſiua, quæ proprietas Spiritus ſancti eſt, frequenter vſurpatur.

Pag. 741. verſ. 51. *Imagini ſeruientes*, hoc eſt imagini ſiue figuræ nimis præciſe inhærentes.

F I N I S.

INDEX
IN TOMVM DECIMVMTERTIVM ANNALIVM ECCLESIASTICORVM.

A

B

post

lum

Cale-

tum

CONCILIA.

E

Frata.

bis

G

non

Nico-

ricus

S. Hil-

cru-

I

d 3 pum

pare

cis-

Re-

illius

K

L

Albi-

MA-

M

vitam

N

O

qui

Q

R

num

Ro-

S

Scul-

Sul-

T

rtatio-

cen-

X

Y

Z

FINIS.

CORRIGENDA, VEL MVTANDA.

n.13.verf.8.quod,adde impendebat.
pag.627.n.17.verf.8.10, ad.
verf.29.teique,doque re.
pag.629.n.13.verf.5.archiepifcopus,archiepifcopos:
pag.630.col.1.verf.0.Lantgraus,Lantgrauij.
pag.636.n.54.verf.vlt.afferamus, differamus.
pag.641.n.1.verf.penult.denonuerandis,deuoluendis:
pag.646.n.16.verf.10. dele non.
n.17.verf.6.male,falsò n.18.verf.12.capite,caput:
pag.647.n.25.verf.12.rerum,reum.
pag.649.col.1.verf.20.fubduxerat,adiunge ad officium.
n.30.verf.1.Cypri,in Cypro.
pag.650.n.41.in not.mar. incitat. add. Pont.
pag.653. n.2.verf.25. ne quidem prfentiam, ne præfentiam ne quidem n.3.verf.4. deferente,exiliente.
pag.654.col.1.verf.1.Christianus adde fe.
ibid.cum in fe. dele fe.
pag.654.n.8.verf.8.Ebrandi,Ebrandi.
pag.655.n.10.verf.57.fimiliter,præmitte al.
pag.655.col.2.verf.6.fimulante,fimulantem.
pag.656.n.5.verf.14. victrices, victori.
pag.657.n.6.verf.4. pro,adde fe.
pag.658.col.1.verf.6.octingenta,adde millia.
n.27.in nota mar. indulgentia,indulgentia.

pag.664.n.39.verf.12. multo poft, diu.
pag.667.col.2.verf.10. vt,adde non.
pag.671.n.26.verf.32.animæ, animi.
pag.671.n.29.fequendijs,fequendis.
pag.675.n.16.verf.1. incendium, incentores.
pag.676.col.2.dele n.42.n.43.lege 42.
pag.677.n.41. verf.penult.rue,de curru.
pag.677.col.2.n.42.corrige 43.inferior numerus 43.deleatur,
pag.678.n.48.verf.8.operam,adde nauaret.
n.50.verf.16.expoftulatum,expoftulatum.
pag.678.col.2.verf.vlt. laterent, ignorantes.
pag.679.col.1.verf.1. perfrui,adde non.
n.51.verf.1.operiebatur, opperiebatur.
pag.681.col.2.verf.48.Vrbanum,Vrbanum.
pag.685.n.21.verf.7.reliquum, reliquum.
pag.687.n.32.verf.16 loqui, adde permifit.
verf.7. ecclefiafticorum,adde vitia.
pag.688.n.36.verf.antepenult.data,dicta.
pag.691.col.2.verf.42. dele fine.
pag.693.col.1.verf.13.dele non.
pag.694.col.2.verf.vlt.examine, exanime.
pag.695.col.2.verf.penult. dare,adde indulgentias.
pag.697.n.26.verf.8.doctrina, doctrina.
pag.699.n.42.verf.3. fueris.adde in.

pag.700 col.2.verf.4.Northambria,Northambria.
pag.701. in primo marginali nota 198. lege 1198.
pag.703.col.1.verf.3.adiunge num 7.
pag.706.n.12.verf.13. perculfos perfulos.
n.20.verf.15. ftapetibus, ftapedibus.
pag.707.n.21.verf.9. dele vt.
pag.708.col.2.verf.10. verfabantur,verfarentur.
pag.708.col.1.verf.13. innuiffe, iuniffe.
pag.712.n.40.verf.6. fententia, fententiam.
pag.714.n.47.verf.8. atque, eique.
pag.716.n.67.verf.12.exercitum,adiunge Manfredum.
verf.19.Nuceriam, adde illi.

pag.29.n.3.verf.13.& alibi.Falifcos,& Falifcorum oppidum. Ita Montemflafconem cum plerifque auctoribus appellauimus; quamuis accuratiores topographi fentiant Falifcos nunc Ciuitatem Caftellanam effe.
pag.39.n.3.verf.19.epidemicos,epidemicus.
pag.119.n.36.verf.3.quamobrem,qui eam ob rem.
verf.11.curaret,curarit.
pag.191.n.14.verf.42.Monfortium,Aragonium.
pag.232.col.2. verf.23. & Stephanum &c. maiori caractere exarande fuere.
pag.105.n.19.litera Othocari Regis Bohemiæ filij ad Innocentium Papam datæ transferendæ funt ad annum 1253. pag.497.n.30 verf.10. loco verborum: Hæc ille, qui fubdit.] Sunt enim fcriptæ ad Innocentium IV. ideoque annus in fubfcriptione non MCCCIII. vt M S. nofter codex habet, fed MCCLIII. reponendus; & poft Othocari literas adiungendum eft. Subdit Stero.
ead. pag.105. n.39. in nota marginali del. Othoni.